
BIBLIOTECA NAZIONALE
DI
TORINO


BIBLIOTECA NAZIONALE di TORINO
Bg.
e
6 3
Bibliografia



COMMENTARIVS
DE
SCRIPTORIBVS
ECCLESIASTICIS,
TOMVS TERTIVS.

CASIMIRI OVDINI

COMMENTARIVS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIÆ ANTIQVIS

ILLORVMQVE SCRIPTIS TAM IMPRESSIS QVAM MANVSCRIPTIS ADHVC EXTANTIBVS IN CELEBRIORIBVS EVROPÆ BIBLIOTHECIS A BELLARMINO, POSSEVINO, PHILIPPO LABBEO, GVILIELMO CAVEO, LVDOVICO ELLIA DV PIN, ET ALIIS OMISSIS, AD ANNVM M CCCC LX. VEL AD ARTEM TYPOGRAPHICAM INVENTAM

CVM

MVLTIS DISSERTATIONIBVS,

IN QVIBVS

INSIGNIORVM ECCLESIÆ AVTORVM OPVSCVLA ATQVE ALIA ARGVMENTA NOTABILIORA ACCVRATE ET PROLIXE EXAMINANTVR,

TOMVS TERTIVS

CVM INDICIBVS NECESSARIIS



LIPSIÆ,

SVMPTIBVS MAVR. GEORG. WEIDMANNI,
SAC. REG. POL. MAJEST. ET ELECT. SAXON.
BIBLIOPOLÆ, M DCC XXII.



INDEX RERUM.

A.

B.

C:

D.

E.

F.

Fauſti

G.

H.

Kaltey-

Oesten-

P.

Platinæ

Q.

R.

S.


T.

Turci-

V.

W.

F I N I S.





COMMENTARII
DE
SCRIPTORIBVS ET SCRIPTIS ECCLESIASTICIS
TOMVS III. ſeu ULTIMVS,
SISTENS
XIII. XIV. & XV. SECVLORVM SCRIPTORES ECCLESIÆ VSQVE AD ARTEM TYPOGRAPHICAM INVENTAM.

SECVLVM XIII.

1210 GERVASIVS ABBAS PRÆMONSTRATI,ET SAGIENSIS EPISCOPVS, floruit anno 1206. & ſequentibus, uſque ad annum 1228. quo mortuus eſt. Scripſit *Epiſtolas circiter centum ad viros ſui temporis illuſtres*, quas ex MS. Codice Abbatiæ Viconienſis eductas, edidit in 4 apud Montes Hannoniæ anno 1662. Norbertus Callieu Prior Præmonſtrati. Plura de *Gervaſio Sagienſi in Normannia Epiſcopo*, Joannes le Page *in Bibliotheca Præmonſtratenſi*, quæ anno 1633. Pariſiis in folio apud Michaelem Soly impreſſa eſt. Sammarthani Fratres, tomo 3. *Galliæ Chriſtianæ* ubi de Sagienſibus Epiſcopis, & tomo 4. verbo *Præmonſtratum* ubi de Abbatibus Præmonſtratenſibus. Carolus Durrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmiſit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 102.

1210 GERVASIVS TILLEBERIENSIS, REGNI ARELATENSIS MARESCALLVS, Anglus natione, patriâ Eſſexienſi, Tilberiæ ad littus Thameſis natus, Henrici II. Angliæ Regis nepos, clarus fuit ad annum 1210. uſque ad annum 1220. atque ulterius. Dictus Tilberienſis ab oppido unde oriundus fuit, qui, cum regio Angliæ ſanguine clareret ac gloriaretur, ab Henrico II. conſtitutus eſt Mareſcallus ditionis ſeu Regni Arelatenſis in Gallia. Inter otia officii ſui, vir eruditus ſcripſit ingens Opus Chronographicum ac Geographicum *Otia Imperialia* inſcriptum, cujus manuſcriptum quater extat in celebri Bibliotheca Colbertina ex Manuſcriptis Thuaneis & aliis. Itemque MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 237. & in Bibliotheca Cottoniana ſub effigie Veſpaſiani litera E. Codice 16. num. 1. editus eſt à Cl. Joachimo Johanne Madero anno 1673. Helmenſtadii ſumptibus Henrici Mulleri in 4. *Gervaſii Tillebvrienſis Commentarius de Imperatorum Romanorum Gothorum, Lombardorum, Britonum, Francorum, Anglorumque Regnis* teſte Chriſtophoro Sandio in Notis ad Voſſium *De Hiſtoricis Latinis* pag. 147. quem idem Opus cum *Otiis Imperialibus* conjectare poſſumus. Ejuſdem *Deſcriptio orbis & mirabilium ejus*, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 4905. dedicata Ottoni Imperatori. Incipit, *Domino ſuo &c. Duo ſunt Imperator Auguſte &c.* Sed idem omnino opus cum *Otiis Imperialibus*, ut legenti conſtare poteſt. Nam *Otia Imperialia* complectuntur & continent *Deſcriptionem orbis & mirabilium ejus*, à Gervaſio in otiis ab officio ſibi commiſſo compoſitam. Quod autem Gerardus Joannes Voſſius Libr. 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 56. ait eundem *condidiſſe Hiſtoricum terræ ſanctæ*, itemque *ſcripſiſſe originem Burgundionum & Mirabilia Orbis*, ac præterea *Chronicon*, *cui titulus De otiis Imperialibus*: hæc omnia intelligenda ſunt de uno

uno eodemque Opere isto de quo loquimur, ubi diversa materiarum argumenta tractantur. Hoc Opus autem dedicavit Othoni IV. Imperatori, qui ab anno 1210. ad 1218. Imperium Occidentale tenuit, unde liquet, quo tempore Gervasius hic scripserit. Ad hæc reliquit *Tripartitam Angliæ Historiam*, quam Johannes Balæus in tres (ut vocant) columnas digessit, atque inde *Tricolumniam* inscripsit, quo ex opere cognosci potest, quis sub Henrico II. ejus nominis Anglorum Rege, status Angliæ fuerit. Idem author creditur *libri Nigri* seu *Dialogi de Scaccario*, qua de re tamen ambigere videtur Sieldenus in Notis ad Eadmerum, pag. 216. Extat in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Cleopatræ & Codice 16. num. 1. & in Bibl. Collegii Caji & Gonvilli Cantabrigiæ in MSS. Codd. Magistri Mori litera A. Codice 30. Nec patitur Codicum MSS. magnus numerus, ut de hoc opere Gervasio Tillebariensi adscribendo dubitemus. Extat enim inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 650. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuariensis olim Archiepiscopi Litera B. Codice 169. In Lugduno-Batava nostra Bibliotheca, in MSS. Codicibus Latinis, ab hæredibus Isaaci Vossii emptis Codice 32. extant *Gervasii Tilleberiensis Otia Imperialia*, sive *Orbis descriptio ad Othonem IV. recreandum.* Observat autem Vossius *De hoc Gervasio ut Rhemensi in Gallia Canonico*, agere Radulphum Anglum Monachum Gogeshalensem in Historia MS. Præter etiam Opera Gervasii à Gerardo Vossio *in Historicis Latinis* memorata, meminit Theodoricus à Niem in Opere *De Schismate* libelli metrici *De balneorum Puteolanorum viribus*, quem scripserat. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 5699. in MSS. Codicibus Hospitii Lincolniensis, litera C. Codice 124. sub titulo, *Gervasii Tilburiensis de necessariis Scaccarii observantiis Dialogus* in fol. Ibidem Codice 9505. in MSS. Codicibus Johannis Mori Nortvicensis Episcopi Codice 419. in 4. Denique inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 379. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis litera K. 20. num. 7. *Gervasius de saltu lacteo, De arte versificatoria, de modo dictandi.* Idemque opus ibidem Codice 432. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii litera M. 26. num. 4. *Gervasius de saltu lacteo.* Num. 5. *De arte versificatoria & modo dictandi.* Tandem Godefridus Guilielmus Leibnitzius ex MSS. Codicibus edenda curavit *Gervasii Tilleberiensis Arelatensis Regni Marescalli Otia Imperialia ad Ottonem IV. Imperatorem* inter *Scriptores Rerum Brunsuicensium illustrationi inservientes*, impressos anno 1707. in folio Hanoveræ sumptibus Nicolai Foersteri, à pag. 881. ad 1005. cujus habet mentionem plurimam in *Introductione* ad Historicos istos præmissa §. seu cap. 63. Item Fridericus Spanhemius Operum tomo 2. Libro V. seu Dissertatione *De Papa Fœmina* cap. 3 pag. 595. attribuit Gervasio Tilliberiensi seu Tiburiensi, qui Scriptor fuit sub finem seculi XII. & sub initia XIII. quod primus in *Otiis Imperialibus*, de Papissa Joanna ex Anglis scripserit. Id dixit, teste Hadriano Beverlando Isaaci Vossii familiari amico, in litteris ad Spanhemium datis Londini anno 1692. mense Septembri, ubi ait, *Primus, qui mentionem fecit Johannæ Papissæ, fuit Anglus Gervasius Tilburiensis è regione Gravesandæ in Cantuariensi ditione, idque ex indignatione, cum videret nullos Anglos promoveri ad Pontificatum, Angli enim, quorum mentionem facit Platina, Germani sunt. Gervasium secuti sunt Martinus Polonus, alias Pœnitentiarius & alii, quorum ille Chronicon terminavit ad annum 1277.* fallitur tamen hic eruditus Spanhemius, dum in unum eundemque hominem Scriptores duos eodem tempore florentes, ambos Anglos confundit, Gervasium Tilburiensem, nobilissimum virum, & Regni Arelatensis Cancellarium dictum, Angliæ regni tunc temporis rerum potissimarum administrum, & Gervasium alterum Cantuariensis Cœnobii Ordinis divi Benedicti Monachum, qui de rebus Anglicis chronicon etiam scripsit. Utrumque distinguit Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* eodem cap. 56. editionis ultimæ. Tandem idem Leibnitius Tomo 2. *Scriptorum Brunsuicensia illustrantium*, edito Hanoveræ in folio MDCCX. apud eundem Foersterum. Num. XLVII. pag. 751. ad 784. habet *Emendationes & Supplementa Otiorum Imperialium Gervasii Tillib riensis*, quæ Tomo primo ediderat. Contulit autem *Supplementa ista & Emendationes* Jacobus le Long Presbyter Oratorii Parisiensis & Bibliothecarius Patrum ejusdem Oratorii, vir eruditus, atque ad Leibnitium misit, ex quatuor MSS. Codicibus Parisiensibus ejusdem operis optimæ antiquitatis & notæ, uno Bigotiano, altero Regiæ Bibliothecæ & Colbertinis duobus, de quibus singulatim agit idem Leibnitius, dicto loco p. 571. De hoc Gervasii opere *Otiorum Imperialium*, ejusque editionis Supplemento. *Acta Eruditorum Lipsiæ* ad annum 1707. pag. 464. iterumque ad annum 1712. mense Februario pag. 54. ubi de Supplementis Jacobi le Long ad editionem Leibnitzii ex MSS. Codicibus Regio & Colbertino. Agunt de *Gervasio Tilberiensi* Ecloga Oxonio Cantabrigiensis Thomæ Jamesii, impressa Londini anno 1600. in 4. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. 451. editionis ultimæ. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, tomo 1. pag. 638. quem minus rectè *Tilgeriensem* vocat. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, ubi de Scriptoribus seculi XIII. Vossium exscribens. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 102. Guillelmus Cavus ad annum 1210. pag. 705.

GVILIELMVS EDYS BVRTONENSIS 1210
MONACHVS, Ordinis D. Benedicti, natione Anglus, ac posteà Abbas Monasterii Burto-

tonensis, quod ad ripam Trenti fluminis situm est, claruit anno 1216. dum arbitrium Angliæ penes Joannem erat. Hic opus reliquit *De Vita Sanctæ Moduenna Virginis Hibernica*, quæ in Andrescia insula Trenti fluminis magna cum sanctimonia vitam duxerat. Extat MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Cleopatræ litera A. Codice 2. *Vita S. Moduennæ Virginis Hibernica per Gulielmum Elyt Burtonensem Monachum*. Hujus meminit Gerardus Joannes Vossius libro 3. *De Historicis Latinis* parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 7. p. 784.

1210 ALEXANDER NECKAM, EXCESTRIENSIS ABBAS, natione Anglus, ad fanum Sancti Albani natus, illic optimis litteris apprimè eruditus est. Hinc pro more hujus sæculi, Academiam Parisiensem omnium scholarum celeberrimam accessit, ubi ingenii prodigium fuisse legitur, Philosophus eximius, eruditionis profundæ Theologus, Rhetor ac poëta suo tempore insignis, quo in authorum electione nullus perspicacior aut elegantior, qui circa annum 1180. legebat jam publicè Lutetiæ Parisiorum cum applausu: quamobrem auditorium ejus tantâ discipulorum frequentiâ redundabat, ut omnes capere non posset. Anno circiter 1186. reversus in Angliam, petiit à Guarino Abbate Sancti Albani scholam relictâ quam possidebat Dunestapliensi, regendam, ut legitur *in Vita Guarini Abbatis* apud Matthæum Westmonasteriensem, ubi ad marginem hæc quoque habentur: *Hic cum tunc temporis anno scilicet proximo 1187. tractatio ad Dunestaple scholam rexisset, vocavit eum Abbas Guarinus iis litteris breviter & jocosè scriptis, petierat enim Alexander Neckam Scholam Sancti Albani instanter:* si bonus es, venias; si nequam, nequaquam. *Cui tum breviter & jocosè rescribens Alexander ait*, si velis, veniam; Sin autem, tu autem: *ac si diceret, non multum curo*. Dicunt alii petiisse tunc à Guarino Monachalem habitum, ac jocoso dicterio repulsam libenter tulisse. Factus autem postea Cicestrensis Canonicus, ut constat ex MS. Codice Sancti Germani Parisiensis, Numero 798. Unde Excestriam se postmodum conferens, factus in eadem Ecclesia Canonicus Regularis divi Augustini, anno tandem 1215. ejusdem Ecclesiæ Abbas constitutus est. Scripsit varia quæ in diversis Angliæ potissimum ac Galliæ etiam Bibliothecis, MSS. extare leguntur. Sunt autem.

Isagoge seu Isagogiton, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi, Cod. 154.

De nominibus Utensilium, Cantabrigiæ in Domo Sancti Petri, Cod. 25. & in Archivis Collegii Caji, Cod. 70.

Commentarius in Martianum, MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Cod. 185.

De Accentu in mediis syllabis, cum alio Tractatu dubii generis, ibidem Cod. 162.

Expositio super Cantica Canticorum, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 43. Balliolensi Cod. 38. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 122. & Pembrochiana Cod. 152.

Expositio super Ecclesiasten, MS. in Bibliotheca Cottoniana, sub Tiberio A Codice 12. n. 4.

Expositio super quatuor Evangelia MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis, Cod. 27.

De Naturis rerum, in Bibliotheca privata Gualteri Copi, Cod. 61.

Laudes Divinæ Sapientiæ, MS. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii Cod. 33.

Opus inscriptum *Laudes Divinæ Sapientiæ* unum atque idem est cum Opere *De natura rerum*, ut mihi legenti constitit. Habetur MS. in celebri Bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis, Littera L 2. & in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codice 798. optimæ notæ sub Codicis medium, cujus titulus, *Incipit Liber Magistri Alexandri Canonici Cicecestrensis, qui inscribitur Laus divina sapientia.*

Gloria, Majestas, Deitas, sapientia, virtus,
est in personis una colenda tribus &c.

Opus est Poëticum, grande, varium, agens de diversis argumentis seu materiis, sacris & prophanis, de Angelis, de cœlis, de rebus naturalibus, ut de avibus, feris, arboribus, plantis, physicè & moraliter, atque de aliis naturis animalium. Dictum *De natura rerum*, eo quod agat utplurimum *De naturis rerum creatarum:* Dictum autem *Laudes divinæ sapientiæ*, quod naturæ istæ rerum explicatæ, *laudes divinæ sapientiæ* ubique annuncient. Continet magnam Carminum multitudinem, naturas rerum physicè & moraliter explicantem, gaudetque carmine non ingrato, pro tempore quo floruit. In hoc etiam libro *De natura rerum*, fusè agit de tribus locis, ubi præsertim studia litterarum floruerunt, *Athenis* videlicet, *Romæ & Parisiis*. Ex quo Joannes Brompton seu potius anonymus *Chronici Jorevallensis* author, multa transcripsit, ubi de Alfredo Oxoniensis Academiæ institutore loquitur. Ait autem *Cujuslibet Regni opes crevisse in immensum, quamdiu artium ingenuarum in ipso floruerunt studia, & hostibus Regni restitisse, ut patet de Græcia, quando floruerunt studia Athenis: de Roma, de Regno Francorum, ex quo floruerunt studia in illo. Victoria enim militia & gloria Philosophiæ, quasi simul concurrerunt: & hoc meritò, quia Philosophia vera docet, justè & verè regulare.* In eodem MS. Codice extant alia ejusdem Alexandri Neckam Opuscula, nempe *De Sancta Maria Dialogus inter Guillelmum Aurelianensem & Alexandrum Neckam*, atque ejusdem *Ars manualis de vita & morte*, seu *Doctrina manualis prognostica*. Liber etiam iste, qui tum *Laudes Sapientiæ* inscribitur, tum *De naturis rerum*, inscribitur quoque inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Cod. 1512. *In initium Geneseos & Ecclesiasten seu De natura rerum*, quod nempe agat de *creatione rerum*. Ita in MSS. Collegii Corporis Christi, Codice 45. membraneo in fol. Ibidem Codice 1712. in MSS. ejusdem Collegii Codice 245. Ibidem Codice 1900. in MSS.

Collegii S. Joannis Baptistæ, In Abaco tertio Litera N Codice 68. Ibidem Cod. 2280. in MSS. Collegii S. Mariæ Magdalenæ Cod. 139.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 517. in MSS. Collegii Sanctæ Trinitatis in parte Australi Bibliothecæ Classe 24. Serie quarta Codice 19. Alexandri Abbatis Poëma quod vocatur *Laus sapientiæ*, hic est *Alexander Neebam*. Ibidem Codice 1189. in MSS. Collegii Cajogonvillensis, Classe D. Codice 125. n. 2. Alexander Necham *De laude divinæ sapientiæ* D. 2. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 1215. in MSS. Ecclesiæ Cathedralis Westmonasteriensis Codice 115. Ibidem Codice 6414. in MSS. Caroli Theyeri Codice 44. *Alexander de Sancto Albano De naturis rerum & Commentarius in Ecclesiasten.* Ibidem Cod. 8443. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobææ, Codice 721. Ibidem Codice 8638. in MSS. ejusdem Bibliothecæ, Codice 916. *Alexandri Necham laudes divinæ sapientiæ.*

Opera Alexandri Necham multo plura, tum Grammatica, tum Theologica, in Anglicanis Bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1822. in MSS. Kenelmi Digbæi Cod. 221. num. 2. *Alexandri Neekam Scintillarium super Martianum.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 273. in MSS. Collegii Sanctæ Trinitatis, Classe à Sinistra, Serie suprema Codice 18. n. 5. *Alexandri Neebam vel Nequam Mythologia.* Idem *in Martianum Capellam.* Ibidem Codice 1462. in MSS. Collegii Sancti Benedicti Codice 185. *Martianus Mineus Capella cum Commentario vel glossa Alexandri Neckam.*

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Cod. 2019. in MSS. Thomæ Bodleji Litera B. 5. Codice 2. num. 3. *Alexandri Neebam Scintillarium Poëseos.* Ibidem Codice 2581. in MSS. ejusdem Thomæ Bodleji Litera F. 11. Codice 86. num. 6. idem opusculum. Ibidem Codice 2674. in MSS. ejusdem Bodleji super D. 1. Art. Codice 75. n. 2. *Alexandri Necham liber, qui dicitur* ferrum, *agit de re Grammaticali &c.* p. 7. ad 87.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 2300. in MSS. Thomæ Bodleji Litera E. 4. Codice 8. Alexandri Neckam *Corrogationes Promethei.* Incipit primo à Grammatica, mox agit de vitiis Sermonis, barbarismo, solæcismo &c. Tum de figuris, sive de improprietatibus impossibilibus & Metaplasmo &c. Deinde de Tropis, post de Figuris constructionis, de Orthographia, de Accentibus. Tum addit de singulis libris sacrorum Bibliorum aliquas dictiones, quarum accentus aut significatio observari debet, ubi primò occurrit *Genesis* atque ordine omnes Veteris Testamenti libri, inter quos & *sapientia*, quem librum Philonis vocat. Deinde & Novi Testamenti libri pariter sequuntur. Ibidem Codice 4094. in Hyperoo Bodlejano, inter MSS. Codices Hattonianos, Codice 69. Et Inter MSS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ Codice 663. in MSS. Collegii Sanctæ Trinitatis litera P. Codice 523. Idem opus videtur quod alibi appellatur *Expositiones Partium bibliearum* inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codicibus 2673. & 2674. in MSS. Thomæ Bodleji super D. 1. Art. Codicibus 74. num. 3. pag. 114. ad 172. Et 75. num. 1. Et inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 721. in MSS. Collegii Mertonensis Codice 254. *Isagogicum Magistri Alexandri Necham ad Grammaticam & in tota Biblia* P. 4. 5. Art. Denique inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 6579. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 209. *Alexandri Neckam elucidarium Bibliorum, ejusdem Grammatica & Rhetorica.*

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1030. in MSS. Codicibus Collegii Cajogonvillensis in Mathematicis Codice 6. *Alexander Neebam de Vtensilibus.* Ibidem Codice 1687. in MSS. Domus Sancti Petri Codice 25. num. 2. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 902. in MSS. Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 58. num. 2. Inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 170. in MSS. Collegii Sanctæ Trinitatis litera A. Codice 30. num. 5. Denique in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Titi Codice 20. n. 1.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 748. in MSS. Collegii Mertonensis Cod. 281. n. 5. *Alexander Monachus in libros Meteorologicorum* scriptus anno 1260. Q. 1. 13. Art. Inter eosdem Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 910. in MSS. Collegii Orielensis, Codice 58. *Alexander Neckam super duos libros Aristotelis de Anima.* Et ibidem Codice 1581. in MSS. Collegii Corporis Christi Codice 114. n. 11. & 12.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2716. in MSS. supra D. 1. Art. Codice 117. *Alexandri Neckam Expositio in Cantica Canticorum.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 6547. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 177.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 3825. in Hyperoo Bodlejano, inter MSS. Codices Thomæ Gravii Theologiæ Doctoris, Codice 53. num. 3. *Distinctiones Alexandri Neckam.*

Inter eosdem MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2339. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera E. 7. Codice 8. *Alexander Neckam super Psalmos & Expositio super Symbolum Athanasii per eundem.* Et inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1064. in MSS. Codicibus Collegii Jesu Codice 45. *Alexandri Neckam Abbatis Circestrensis Commentarii in Psalmos*, qui deficiunt in Psalmo 119. *Ejusdem in lib. Proverbiorum quaedam* in principio & fine. *Ejusdem Tractatus in Mulierum fortem.*

In-

Inter eosdem MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Cod. 8601. in MSS. Antonii à Wood Codice 13. *Sermones Magistri Alexandri Neckam.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 474. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Dunelmensis, litera N. Codice 409. *Sermones Alexandri Neckam.*

Et ibidem Codice 10042. in MSS. Codicibus Simonis D'Ewes Baronetti Codice 182. *Sermones Alexandri Neckam &c.* Lego Alexandrum Neckam fuisse Canonicum Cicestrensem ex MS. Sancti Germani, sed Cæsar Egassius Bullæus Seculo IV. *Historia Universitatis Parisiensis* pag. 725. in Catalogo illustrium Academicorum ait, ipsum dedisse nomen suum Canonicis Regularibus, unde factus sit Abbas Excestriensis anno 1215. mortuusque tandem anno 1227. cujus tumulo inscriptio ista, quam ex Bostomo Beroiensi Balæus profert, insculpta fuerit.

Eclipsim patitur sapientia, sol sepelitur,
Cui si par unus, minus esset flebile funus.
Vir bene discretus, & in omni more facetus,
Dictus erat Nekam, vitam duxit tamen æquam.

De illo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 33. Cæsar Egassius Bullæus Seculo IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, ad annum 1178. pag. 427. & in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, pag. 725. Nomenclatores *Scriptorum Anglorum* omnes. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1215. pag. 707. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 82.

1210 ADAMUS BARKINGENSIS, natione Anglus, Shirbornensis, in Anglia Monachus, vixit extremis Joannis Angliæ Regis temporibus, annoque circiter 1217. floruit, cujus extant *Postilla breves super vetus & novum Testamentum*, MSS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 91. Hujus mentionem facit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. 454. quem natione Britannum, Opere *De feriis sex ætatum* memoriam sui nominis propagasse scribit. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Auctorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 79. ubi eum anno 1217. vixisse asserit.

1210 HUGO CANDIDUS alias Withe, Anglus, Ordinis divi Benedicti, extremis quoque Joannis Anglor. Regis temporibus in Petroburgensi monasterio suo floruit, qui diffuse scripsit *Historiam Petroburgensem* in qua de origine Monasterii sui, variaque fortuna accurate tractatur. Sane à Joanne Lelando *luculentus rerum gestarum Scriptor* vocatur, quique de primitiva Merciorum Ecclesia, quædam à Beda ipso indicta refert. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. mihi 470. cui adjicimus extare MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis Litera A. Codice 17. num. 3. anonymam licet *Historiam Cœnobii Petriburgensis à prima fundatione ad annum Christi 1220. aut circiter, in qua tractat Auctor de antiquitatibus, de situ loci, de chartis Regiis atque Episcopalibus, de reliquiis sacris, de Abbatibus &c.* ut nullus dubitem, quin illud opus sit, de quo loquitur Joannes Lelandus inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5102. *Collectaneorum* volumine 1. cap. 2. à pag. 2. ad 21. quod in Collectaneis Lelandi rarum est. Et ibidem num. 5105. *Collectaneorum* volum. 4. cap. 166. pag. 214. ubi hanc historiam illi adscribit.

HIRNANDUS LEODIENSIS ARCHIDIACONUS, obtulit *Descriptionem Victoriæ* ac *Triumphi Steppensis anno MCCXIII. contra Henricum I. Lovaniensem Comitem*, teste Alberico Trium fontium Monacho in Chronico MS. ad annum 1213. sed jam impresso. Legiturque apud Chapeavillium Tomo 2. Rerum Leodiensium, sed absque nomine ipso auctoris. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Hirnandus* pag. 390. editionis ultimæ 1642. Lovanii in 4. 1210

THOMAS SANCTI ANDREÆ VERCELLENSIS ABBAS, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, Congregationis Sancti Victoris Parisiensis, quem male in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 678. anno 1400. assignaveram, atque Monachum Ordinis divi Benedicti dixeram, utrumque enim falsum esse postea comperi, quod lubens revoco, saniora edoctus. Hoc autem omne quod sequitur, desumptum ex libro 6. *Historiæ MS. Regalis Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis*, quam scripsit Joannes de Tolosa Canonicus Regularis hujus Abbatiæ. Sic itaque Lib. 6. cap. 36. pag. 158. „ Ex Gabriele Pennoto" Canonico Regulari, habemus in *Historia sua*" *Tripartita* Lib. 3. cap. 28. num. 7. & 8. & cap. 57." num. 1. quod inter superiorum Allobrogum seu" Pedemontanæ regionis celebriora Cœnobia," Divi Andreæ Vercellensis Canonicorum Re-" gularium Templum prominet & emicat, quod" quidem extructum refert Liberalitate & munificentiâ Jacobi Gallæi seu Galonis de Bicheriis" Vercellensis. Hic Canonicus Regularis Sancti Petri de Cœlo aureo Papiensis, & S. R. Ecclesiæ Cardinalis Diaconus, tituli Sanctæ Mariæ in Porticu, ac Legatus in Gallias anno 1208." ubi Lutetiæ Parisiorum Synodum habuit, & in" eo Scholares studii vel Academiæ Parisiensis à" reservatis absolvi non posse declaravit, nisi per" Abbatem Sancti Victoris, vel Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis. Quo etiam anno Annalia" semipræbendæ Ecclesiæ Parisiensis, ab Odone" Parisiensi Episcopo Ecclesiæ nostræ concessa," sub sigillo & authoritate Pontificia corrobora-" 1210

»vit. Factus inde Presbyter Cardinalis tituli »S. Sylvestri, legatus in Angliam missus est ad »componendas causas gravissimas. Qua in le-»gatione Henrici III. Regis gratiam consecutus, »ab eo multis pecuniis pro ædificando Canoni-»corum Regularium Collegio donatus fuit, qui-»bus Templum & Abbatiale divi Andreæ Ver-»cellensis Cœnobium, in patriam reversus, ædifi-»cavit. Extructaque domo, Conventum Ca-»nonicorum in eo collocavit circa annum 1210. »assumpto in primo Abbatem Thoma Victorino »cum nonnullis Canonicis, è domo & familia S. »Victoris Parisiensis, à Joanne Teutonico IX. »Abbate impetratis. Perstitit Cœnobium istud »sub Ordine & disciplina Canonicorum S. Vi-»ctoris Parisiensis, ad annum Christi 1459. Idem »Abbas Sancti Andreæ Vercellensis in privilegio »Abbatiæ S. Victoris Parisiensis facto ab Vrbano »IV. Viterbii Idibus Maji, anno Pontificatus sui »primo, enumeratur inter Abbares Victorinæ »Congregationis. Gregorius vero IX. Pon-»tifex, Pontificatus anno primo, tabulis bullatis »fundationem & prædia eidem Ecclesiæ à præfa-»to Cardinali collata corroborans & confirmans, »nomen Thomæ Abbatis ipsis suis bullis præmi-»sit: *Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, »dilectis filiis Thomæ Abbati Sancti Andreæ Vercellen-»sis, ejusq; fratribus tam præsentibus quam futuris, re-»gularem vitam professis &c.* & habetur integrè in »Historia Pennoti Lib. 3. cap. 28. num. 8. Hic »autem Abbas Thomas Vercellis constitutus, »Scholam Theologicam aperuit, qui inter alios »discipulos suos, sanctum Antonium de Paduâ, »prius Canonicum Regularem Vlisipponensem, »& postea Sancti Francisci Assisiani discipulum »auditorem habuit, de quo *Chronica* S. Francisci »lib. 5. cap. 5. hæc habent: *Hic Sanctus Antonius »primus fuit, qui studiis litterarum operam dedit, & »Theologiam legit in medio Fratrum Minorum, de »licentia Sancti Patris Francisci, quem Vercellas ad »studia cum socio nomine Adamo de Marisco, Anglo, »misit ad Abbatem S. Andreæ, illorum temporum cla-»rissimum Theologum, qui nuper Divum Dionysium »Areopagitam, ex Græco in Latinum à se redditum »Commentis illustraverat, cujus tempore studium Pa-»piâ & Mediolano fuerat translatum Vercellas. Qui »Abbas humaniter eos excepit &c.* Ejusdem quo-»que meminit citatum Chronicon eodem libro »5. cap. 28. ubi miraculum in illius persona per »Sanctum Antonium ejus guttur manibus at-»trectantem, patratum narratur. Commenta-»rium scripsit in libros Divi Dionysii Areopagitæ »*De Cœlesti Hierarchia*, prius à se latinitate dona-»tum, cujus autographum illius manu exara-»tum in Bibliotheca Serenissimi Ducis Sabaudiæ »Caroli Emmanuelis ex dono Domini Theodo-»sii de Gatimaria tunc Sancti Andreæ Vercel-»lensis, asservatur. Item *In Cantica Canticorum*, »styli non contemnendi. Obiit anno Christi »1246. Nonis Decembris Victorino consignatus »necrologio in hæc verba: *Obiit Dominus Tho-»mas Abbas Vercellensis, Canonicus noster professus.* Jacet in Ecclesia S. Andreæ Vercellensis in ca-»cello majori turri Companariæ propinquo, cum» sequenti Epitaphio.«

Bis tres viginti currebant mille ducenti
Anni, cum Thomas obiit Venerabilis Abbas,
Primitus istius templi, summeque peritus
Artibus in cunctis liberalibus, atque Magister
In Hierarchia: nunc arcâ clauditur istâ,
Quem celebri famâ vegetavit pagina sacra.

Hæc Joannes à Tolosa in Chronico MS. Sancti Victoris Parisiensis, quem excerpsi. Scripsit autem *Commentarios breves & planos in Opera divi Dionysii Areopagitæ De cœlesti & Ecclesiastica Hierarchia, De mystica Theologia, De divinis nominibus*, qui MSS extant in variis Bibliothecis Anglicis & Gallicis, Oxonii in Bibliotheca Mertonensi, Cod. 193. Collegii Corporis Christi, Cod. 42. ubi malè appellatur *Magister Thomas Viciliacensis*, pro *Vercellensis*. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 40. Item *Commentarium in Cantica Canticorum, hac Cantica Hierarchicè exponens*, MS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi, Cod. 20. & Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Codice citato 40. Et inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 873. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera D. Codice 106. num. 2. Et ibidem Codice 1381. in MSS. Codicibus ejusdem Guilelmi Laudi, Litera I. Codice 41. Ejus autem Thomæ *Commentarius in libros divi Dionysii Areopagitæ*, juxta Possevinum in *Apparatu sacro*, verbo *Joannes alter Scotus*, tomo 1. pagina mihi 939. Coloniæ Agrippinæ anno 1536. in fol. impressus est, apud Joannem Quentelium, cum aliis multis eorundem Operum divi Dionysii Areopagitæ interpretationibus, nimirum Joannis Scoti cognomento. Erigenæ. Joannis Saraceni Abbatis Sancti Andreæ Vercellensis, Ambrosii Camaldulensis, Marsilii Ficini, & aliorum. Hæc editio Operum divi Dionysii Areopagitæ rarissima hodie est, quæ cum Dionysii Carthusiani Commentariis in Libros ejusdem Dionysii Areopagitæ. Hujus meminit Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta, verbo *Abbas Vercellensis* cujus se nomen minime deprehendisse queritur. Atque ante illum Joannes Gerson Cancellarius Academiæ Parisiensis, in præfatione suorum Commentariorum *in Cantica*. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. fol. 486. verbo *Thomas Gallus*, ubi & citatum Epitaphium se vidisse Vercellis testatur. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice auctorum* quem adjecit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columnâ 152. ubi eum anno 1260. mortuum esse testatur, nempe ex Epitaphio, quod aliter ab ipso intellectum est. Non itaque Thomas Abbas Sancti Andreæ Vercellensis, Monachus fuit Benedictinus, sed Canonicorum Regularium ex Abbatia Sancti Victoris Parisiensis, alumnus indubius.

DE.

1210 DEMETRIUS CHOMATERUS THESSALONICENSIS ARCHIEPISCOPUS extitit, quem MSS. Codices *Chomatenum* vocant, atque circa annum 1204. & sequentes floruit, eonempe tempore, quo Innocentius III. Summus Pontifex, Leonem tituli sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem misit legatum in Bulgariam & Blachiam sive Valachiam, ut Calo-joannem sive Joannicium dictum, ejusdem Gentis Principem, hoc jam diu expetentem, diademate regio coronaret. Cum itaque Legatus Leo ad Calo-joannem pervenisset, sceptrum ei, diademaque, & vexillum cruce ac clavibus, in memoriam Crucis Christi & Clavium S. Petro ejusque Successoribus traditarum insignitum porrexit: & Archiepiscopo Trinovitano ornamenta Pontificalia cum titulo Primatis ejusdem regni, & facultatem coronandi Reges. *A quo ex more juramentum recepit, de obedientia Romanæ Ecclesiæ ejusque Pontifici præstanda: & quod, cùm aliquem coronaret in Regem Bulgarorum & Blachorum, juxta indulgentiam sibi & Successoribus suis à sed Apostolicà concessam, ab eo juratoriam reciperet cautionem, quòd et qui tunc Apostolicæ Sedi præfuisset & Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, devotus & obediens permaneret: & cunctas terras ac Gentes suo subjectas imperio, in obedientia & devotione Sedis Apostolicæ confirmaret.* Erant itaque tunc temporis erga sedem Romanam bene affecti, Archiepiscopi Bulgarorum & Episcopi, ex quibus erat Demetrius Chomatenus seu Chomaterus. Tunc autem circa hæc tempora, vel aliquanto post, multa contra sedem Romanam vel ejus privilegia scribebat Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus, de quibus vide Cæsarem Baronium Cardinalem Tomo XII. *Annalium Ecclesiæ* sub annum 1193. pag. 850. ubi inquit: „Parva autem sunt „ca, quæ in 12. libris *Nomo canonis* evomuit: lon„ge execrabiliora sunt, quæ habet idem in Medi„tatis sive Responsis de Patriarcharum Privile„giis, libro 7. Codicis. *Juris Orientalis* intexta; „sive quæ habet in Responsione ad Marcum Pa„triarcham Alexandrinum, quæ eodem Codice „continentur. In quibus omnibus asseritur „Romanus Pontifex jure apud Græcos esse pe„nitus execrabilis, nullaque commemoratione „eorum in sacris dignus. Scribebat ista ut te„statur in ejus exordio anno 1202. cum post bi„ennium capta est Constantinopolis à Latinis, & „Ecclesiæ illi datus est Patriarcha Latinus, qui „obediret Romano Pontifici. At ipse Balsamon „redargutus est à suis Græcis, tanquam homo „nimis dicax; & mendax & perfidus in iis quæ „Latinis objecit atque Summo Pontifici: ut te„statur Demetrius iste Chomaterus Archiepi„scopus Bulgariæ *in Responsionibus ad Constantinum Cabasilam* Dyrrachii Archiepiscopum, cu„jus extat *Responsio* in eodem tomo *Juris Orientalis* Lib. 5. pag. 312. & 323. “ Unde conjicimus ætatem Demetrii Chomateri incidisse in annum circiter 1210. circa tempus Theodori Balsamonis, cui Synchronus fuit, & quem confutavit. Ejusdem autem authoris sunt, quæ leguntur in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Bavaricæ Cod. 122. *Demetrii Chomatiani totius Bulgariæ Episcopi Capita CCXVI. De interdictis & concessis gradibus affinitatis; inter quæ continentur etiam Regis Serviorum Stephani aut quæstiones & Chomatiani ad easdem Responsa*, Charta in folio. Atque idem mihi videtur opus, quod MS. habetur in Bibliotheca Heidelbergensi Codice 219. *Michaelis Cumni Metropolitæ Thessalonicensis scriptum De cognationis gradibus*, ubi Michael Cumnus pro *Demetrio Chomateno*, vel *Chomatero* legitur. De Scriptis hujus authoris agunt Cæsar Baronius *in Annalibus Ecclesiasticis* tomo 12. ad annum 1193. pag. 850. ocasione Theodori Balsamonis, Henricus Spondanus Baronii Epitomator *in Compendio Annalium* ad annum 1193. num 6. Ex nomenclatoribus, solus quem sciam Antonius Possevinus, tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 418. verbo *Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus*, & tomo 2. pag. 463. verbo *Theodorus Balsamon, Patriarcha Antiochenus*.

NICOLAUS HYDRUNTINUS patriâ, à 1210 quibusdam *Magister Hydrussa* dictus, claruit anno 1201. & sequentibus, licet ejus ætatem definire non possimus, neque quousque vitam prorogaverit. Cum Benedictus Cardinalis ab Innocentio Papa III. ad resarciendam unionem inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem, missus esset: Nicolaus noster, ut in lib. is suis ipse testatur, interpretis officio functus est, in omnibus disputationibus, quæ tum in Urbe Regia, tum Thessalonicæ & Athenis habebantur. Unde utriusque Linguæ peritum fuisse constat; de cujus Operibus summatim Guillelmus Cavus ad annum 1201. pag. 701. sed juvat adire fontem unde hausit Leonem Allatium, Libro 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 13. §. 4. col. 703. diffuse his verbis de Nicolao Hydruntino differentem. „Sub Alexio IV. Angelo vivebat Nicolaus, patriâ Hy-“ druntinus, quem nonnulli Codices μαίστορα“ Ὑδρούσης, *Magistrum Hydrussæ* appellant. Scripsit“ plura per modum Dialogi contra Latinos.“ Sed tria ejusdem Commentaria videntur in“ aliqua existimatione fuisse, cum in Latinum“ versa legantur, & fortasse ab eodem authore,“ qui linguam Latinam callebat, cum inter Græ-“ cos & Latinos interpretis officio sub Innocen-“ tio tertio fungeretur. Colligo ex ejusdem“ lib. 1. Φέρε λοιπὸν τὸν διάλογον ἐκ συλλογισμῶν“ τῶν παρὰ τῶν θείων καὶ φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ“ λῶν συντεθέντων συλλέξαντες συλλέξαντες εἰς“ μέσον προθῶμεν, καὶ ἃ μάλιστα ἐναντιῶθημεν πα“ ρὰ τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ καὶ τῇ Βασιλίδι τῶν πό“ λεων, οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ ἐν Ἀθήναις σοφῶν,“ καὶ ἱερῶν ἀνδρῶν, τῶν μετὰ τοῦ κυροῦ Βενεδίκτου“ Καρδηναρίου, καὶ τοποτηρητοῦ τότε κληθησομένου“ τοῦ Ῥώμης προέδρου Ἰννοκεντίου τοῦ τρίτου διαλεχ-“ θέντων συνεγραψάμεθα. ἐν μνήμῃ θέμενοι ταῦ-“ τα,

ται; ἅτινα τῇ παραγγελίᾳ ἐκείνου ἐν Λατινικῇ ἐξ Ἑλληνίδος μετεστρέψαμεν γλώττης. καὶ γὰρ τότε διερμηνευταὶ ἀναμεταξὺ Γραικῶν καὶ Λατίνων ὑπήρχομεν. *Age igitur, Dialogum ex Syllogismis & divinis & philosophia addictis viris bene compositis, in medium ponamus: & ex iis qua potissimum audivimus, tum Thessalonica, tum in regina Urbium, tum etiam Athenis, à sapientissimis & sacris hominibus, qui cum Domino Benedicto Cardinali & Locumtenente Romani Antistitis Innocentii tertii disseruerunt, conscripsimus. Memoria ea tenentes, qua mandato illius in Latinam è Græca lingua convertimus, tunc enim inter Græcos & Latinos interpretes eramus.* Et lib. 2. ὥσπερ καὶ ὁ ῥηθεὶς ἱερὸς Βενέδικτος, ὃς τοῦ πάπα Ῥώμης Ἰννοκεντίου τοῦ τρίτου τοποτηρητὴς ὢν ποτὲ, καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει σταλεὶς διά τινων πραγμάτων τῶν ἀναμεταξὺ Γραικῶν καὶ Λατίνων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εἰς Φρησάντων. οἷς καὶ συνέβη περί τε ἀζύμου καὶ ἐνζύμου ἄρτου λόγος γένεσθαι, ὅπερ ἐγὼ ἑρμηνεὺς, ὡς ἔφθην εἰπὼν, ἐχρημάτιζον. ἀλλ' ὁ ῥηθεὶς Καρδηνάριος, οὐδὲ πρὸς βραχύ τι ἀποκρίνασθαι περὶ τοῦ τοιούτου ζητήματος ἠβουλήθη, καίτοι λόγιος ὢν, καὶ τῇ θείᾳ ἐντεθραμμένος γραφῇ. ἀλλ' οὐδὲ τῆς ἔξω παιδείας ἄμοιρος, εἰ μὴ καὶ ταῖς τῆς διαλεκτικῆς ἀποδείξεσιν ἑτοιμότατος. *Quemadmodum & dictus sacer Benedictus, qui Papa Romani Innocentii tertii locum tenens tunc erat, Constantinopolim missus propter aliquas res, qua inter Græcos & Latinos disputabantur, & in Ecclesiam invecta fuerant. His de Azymo pane & fermentato sermonem fieri contigit, cujus ipse interpres, ut jam dixi, eram. Sed dictus Cardinalis, nec minimum respondere de hac quæstione voluit, quamvis sapiens esset, atque in divinis enutritus literis, nec expers esset illius, qua extranea dicitur, disciplina: & erat quoque in Dialecticis demonstrationibus promptissimus.* Et nota, hoc eodem tempore, Summorum Pontificum de unione Græcorum studia, nescio an ab aliis animadversa. Primum illius Syntagma est *De processione Spiritus Sancti*, in quo multa de Synodis & argumenta Hugonis Ætheriani contra Græcos de eodem argumento, quibus respondere conatur. Secundum *De pane cœna sacra, fermentatum scilicet à Christo discipulis fuisse præbitum.* Principium, κοινωνικὸν μὲν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, καὶ τῆς ἰδίας φύσεως. Tertium, *De jejunio Latinorum in Sabbato, Non esse missam perfectam in Quadragesima celebrandam, De conjugiis Sacerdotum & aliis.* Principium, ἡ πρὸς τὸν πλήσιον ἀγάπη, ὥς φησιν ὁ ἀπόστολος. Hoc idem Nicolaus, innuit Carminibus, in fine operis positis.

Τριττὴ μὲν ἥδε τῶν ἐμῶν συνταγμάτων
Βίβλος πέφυκε τοῖς θέλουσιν εἰδέναι,
Πόνημα τοὐμὸν κοινὸν ἐν Διαλόγοις.
Ὧν ἡ μία μὲν σπουδομαντείας πέλει,
Ἄλλη δὲ πάλιν κατ' Ἰουδαίων ἔνι.
Εὔχου τὸ λοιπὸν ἀναγινώσκων ὁ πᾶς
Τῷ Νικολάῳ συντεταχότι τάδε,
Ὧ πατρίς ἐστιν ἡ πόλις Ὑδρουντίων.

Triplex est hic meorum Commentariorum liber, ut sciant, quibus id volupe fuerit. Labor meus communis, in forma Dialogi, quorum unus studii conjecturalis, alter adversus Judæos certamen init. Quicunque itaque legerit, bene precare Nicolao, qui hæc composuit, cujus patria est civitas Hydruntinorum. Sub Nicolai Magistri Hydrusiæ nomine leguntur Argumenta contra Latinos, *De processione Spiritus Sancti*, principium ὁμολόγηται ὅτι καὶ ὅλη θεότης μονάς ἐστι, καὶ ἐν κατὰ τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας. In his autem multa sunt desumpta ex Nicolao Methonensi, ut alibi adnotavimus, quemadmodum & ex Georgio Corcyrensi. Imò ut id quoque obiter advertam, multa ex Scriptorum incuriâ ad Georgium referuntur, quæ hujus Nicolai sunt, qui se sub Innocentio tertio, interpretis officio functum fuisse dicit. Georgius verò florebat sub Emmanuele & Alexandro tertio, ad minus quadraginta annis anterior. Verum hæc curiosioribus investiganda relinquo.

NICETAS MARONIÆ, ex Magnæ Eccle- 1210
siæ Constantinopolitanæ Chartophylace Archiepiscopus Thessalonicensis, eodem tempore floruit, quem tibi quoque repræsentabit propriis verbis Leo Allatius Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 13. paragr. 5. column. 705. Nec longè à Balsamone floruit Nicetas Maroniæ, postea Archiepiscopus Thessalonicensis, qui Libris 6. Hugonis Ætheriani argumentis satisfacere conatus est. Bessarion Epistolâ ad Alexium Philanthropenum. Τοῦτο δ' ἐγὼ οὐ Λατινικῶς ἰδὼν μόνον ὑμῖν ἐπαγγέλλω, ἀλλὰ κἀν τῇ Κωνσταντινουπόλει ἑλληνικῶς γεγραμμένον, οὐκ αὐτοῦ βιβλίον τοῦ Οὔγωνος, ἀλλὰ Νικήτα τινὸς, ὡς οἶμαι, ἐπισκόπου Θεσσαλονίκης πρὸ διακοσίων πεντήκοντα χρόνων γεγενημένου ἀντιλογικὸν πρὸς τὸν Οὔγωνα, ἐν ᾧ φαίνεται τούτῳ τῷ ῥητῷ ὁ Οὔγων χρησάμενος, εἰς ἐμὰς ἐλθὼν χεῖρας ἀνέγνων. καίτοι ὁ Θεσσαλονίκης οὗτος τῷ Λατίνων προσέχετο δόγματι, τὸ γὰρ συμπέρασμα ἀληθὲς εἶναι ἐδόξασεν, ἐμάχετο δὲ τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς, μὴ δεῖν λόγων μηδὲ τ' ἀληθῆ τῷ συμβόλῳ προσθῆναι. πρᾶγμα μεγάλης εὐλαβείας τε καὶ σοφίας, ὅμοιον ὡς εἴ τις ἔλεγε, μὴ δεῖν παρρησιάζεσθαι τὴν ἀλήθειαν. *Quod sane ego non solum Latinè inspexi, vobisque refero; verùm etiam Constantinopoli, cùm in meas manus incidisset, Græcè scriptum legi. Legi verò, non quidem librum ipsius Hugonis, sed Nicetæ cujusdam contra Hugonem librum antilogicum, ut ego arbitror, Episcopi Thessalonicensis, qui fuit ante ducentos quinquaginta annos, in quo videtur iste Hugo hac sententia usus fuisse. Atqui iste Thessalonicensis Latinorum adhærebat dogmati, conclusionem enim veram esse opinabatur: contendebat verò id, quod est in proverbio, de umbra asini; non oportere, inquiens, nec ipsa quidem vera Symbolo addere. Res scilicet magna religionis, scrupuli ac sapientiæ: non secus ac si aliquis diceret, non*

opor-

oportere veritatem liberè profiteri. Joannes Veccus in Apologetico, Νικήτας δέ τις τὴν κλῆσιν ἐν ἰδίοις καιροῖς τὰς Ἀρχιερατικὰς τῆς Θεσσαλῶν μητροπόλεως οἴακας ἐγκεχειρισμένος, διάλεξίν τινα συντίθεται γεραιοῦ δῆθεν καὶ Ἰταλοῦ, καὶ τὸ κράτος τῷ Ἰταλῷ ἀπονέμει, ἐν φυῶς πῶς τὸν αὐτὴν μετιόντα ἐναίγων πρὸς τὸ ἱλαρῶς τῇ ἑνώσει διατεθῆναι. ἤσαν γὰρ ὡς ἀληθῶς οὐκ ὀλίγοι τῶν πρὸ ἡμῶν ἀποδεχόμενοι μὲν τὴν ἕνωσιν ταύτην, μὴ ἐγχειρήσαι δ' ὅμως ἀποτολμῶντες αὐτῇ. *Quidam Niceta nomine, suo tempore, Archieraticas Thessalonicensium habenas dirigens, Colloquium Græci Latinique composuit, & potiores partes Italo tribuit, non inconcinnè Græcum, qui eam operoptabat unionem, hilariter receptandam inducens. Erant siquidem non pauci ante nos, unionem hanc planissimè acceptantes, licet illam proponere non auderent.* Pachymeres Libro VI. de Vecco. ἐμπίπλες καὶ ἄλλη τοῦ τῆς Μαρωνείας Νικήτα. ὃν ἡ μὲν μεγάλη ἐκκλησία ἐν τιμίοις εἶχε, καὶ Χαρτοφύλακα. ὕστερον δ' ἡ μεγαλόπολις Θεσσαλονίκη Ἀρχιερέα ἀπλήτησεν ἐν ὅλοις πέντε λόγοις τὰ τῶν Θείων γραφῶν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τῶν ἐκκλησιῶν ἀνελίπλυτα, καὶ ταύτας οἱονεὶ θεμελίοις χρησάμενος, σηνείρε τὰ πλεῖστα. *Incidit porro & in alium Librum Niceta Maroniæ, viri in Magna Ecclesia laudatissimi, illiusque Chartophylacis, posteà in urbe magna Thessalonicensi, non sine magno illius civitatis lucro, Antistitis, & integris quinque Orationibus divinarum Scripturarum eloquia, pro unione Ecclesiarum exponentis, quibus velut fundamentis usus, omnia concludebat.* Et Libro VII. Εὑρὼν γοῦν τὸν τοῦ Μαρωνείας Νικήταν, καὶ Χαρτοφύλακα, ὕστερον δὲ καὶ Θεσσαλονίκης πρόεδρον, καὶ ἐπὶ τούτῳ καὶ τὸν Βλεμμίδην Νικηφόρον, γραφαῖς συγχρησαμένους εἰς τὴν ὑπὲρ τῶν Ἰταλῶν. ὡς δῆθεν ἀπολογίαν. *Inveniens itaque Maronia Nicetam, & Chartophylacem, posteà Thessalonicensem Episcopum; & præter hunc Blemmidam Nicephorum, Scripturas usurpantes, ac si pro Latinis responderent.* In hunc etiam respexit Blemmida ad Jacobum Bulgariæ Archiepiscopum." Ἄλλος δέ τις τῶν ἐκκρίτων δὴ καὶ αὐτὸς, τοῖς ἐκ Ῥώμης διαλεγόμενος. ἐπειδὴ προείλετο δεῖξαι μηδ' ὁπωσοῦν ἀλλήλοις ἐναντία ὄντα καλῶς γε τὸ ἀληθὲς τὰ παρὰ τῶν ἁγίων λεγόμενα, κἂν δοκῇ τοῖς ἀπεριοκέπτοις. *Alius etiam vir eximius & præstans, cum Latinis Sermonem conferens, sibique proponens demonstrare, nullo modo, si veritas attendenda est, sibi quæ à Sanctis dicuntur adversari, licet id videatur imperitis.* Scripsit *Orationes sex* sub hoc titulo, Τοῦ μακαριωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης Νικήτα τοῦ Μαρωνείας λόγοι διάφοροι πρὸς Διάλογον ἐσχηματισμένοι, περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Beatissimi Metropolitæ Thessalonicensis Nicetæ Maronia, Orationes variæ, in formam Dialogi, de processione Spiritus Sancti.* Interlocutores sunt Græcus & Latinus, earum principia sunt. I. φέρε δὴ ὦ Λατῖνε τὸ ἐρωτικὸν καὶ φιλόνεικον. II. ἀπηγγείλω μὲν ἐναγχος ὦ Γραικὲ πολλὰ ἄτοπα. III. Ἐπὶ ταύτην τὴν ἀρχὴν καὶ αὖθις τιθέμενος. IV. φέρε δὴ νῦν ἴδωμεν ὦ Λατῖνε καὶ εἴ τινες. V. Λοιπὸν εἰ σοι λόγοι ἕτεροι ὦ Λατῖνε τοῦ δόγματος, τρέπου. VI. Ταῦτα δὴ φημὶ καὶ αὐτὸς, ἀλλὰ τίνες."

ROGERUS CROYLANDENSIS MONACHUS & posteà Cœnobii Friscouiensis Prior, 1210 septimus eorum fuisse dicitur, qui *Vitam S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, contextam ex antiquioribus, scripto consignavit, quam Henrico Croylandensi dedicavit Abbati. Edidit hoc opus anno IV. Joannis Angliæ Regis, sub quo anno 1213. floruit, non autem integro ante seculo, ut vulgò apud Possevinum legitur. Extat illa inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 3512. in MSS. Codicibus, qui sunt in Hyperoo Bodlejano Codice 22. *S. Thomæ Becket Archiepiscopi Cantuariensis Vita & Martyrium per Rogerum Croylandiæ Monachum, anno Regis Johannis 14. Christi 1213.* Altera habetur in bibliotheca Cottoniana alterius, sub effigie Vespasiani litera B. Codice 14. num. 5 inscripta, *Vita & passio S. Thomæ Martyris, Archiepiscopi Cantuariensis, à diversis auctoribus excerpta, per quendam Monachum de Evesham, ad Henricum Abbatem Croylandiæ.* Et sub effigie Faustinæ litera B. Codice 8. num 3. *Vita S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, per Eliam Monachum Eveshamensem, ad Henricum Abbatem Croylandiæ.* Meminit Rogeri hujus, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. numero 141. pag. 178. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. mihi 452.

JOSSELINUS BRACKELONDE ANGLUS, 1210 MONACHUS Benedictinus Cœnobii Buriensis, anno 1214. claruit, & *Chronicon Monasterii sui Buriensis* accuratum elucubravit: item librum compofuit *super electione Hugonis & Vitam Roberti Martyris.* Hæc Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. mihi 453. Verum Opuscula hæc ultima in hoc *Chronico* concludi videntur, quod MS. extat in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii litera D. Codice 15. num. 2. *Chronica Joscelini de Brakelonde, De rebus domesticis Cœnobii S. Edmundi de Burgo*, hoc est *de Abbatibus, Prioribus & cæteris officialibus, de electionibus, de litibus, & de rebus qualitercunque ad istud cœnobium spectantibus.* Num. 3. *Index imperfectus chartarum de terris ad idem Cœnobium Spectantibus.* Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5043. Rogerus Dodsworthus meminit hujus Scriptoris, *Collectaneorum* vol. 102. num. 11. fol. 69. Thomas Smithus in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ, quem anno 1696. in folio Oxonii è theatro Sheldeniano edendum curavit, pag. 94. col. 1. Item Joannes Pitsæus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIII. ad an. 1214. Scriptore 304. pag. 286.

1210 ROBERTUS SANCTI MARIANI ANTISSIODORENSIS CANONICUS, ex Ordine Præmonstratensi, scripsit circa annum 1212. *Chronologiam ab Orbe condito usque ad annum 1212.* unde anno sequenti mortuus esse creditur, cui Hugo ejusdem Ecclesiæ Canonicus Appendicem usque ad annum 1227. adjecit. Nicolaus Camurzatus Trecensis Ecclesiæ Canonicus lucubrationes utriusque in 4. Trecis anno 1608. apud Natalem Moveau, imprimi curavit. Quia verò hujus Ordinis Fratres laudum humanarum cum ignorantia sua maximè appetentes sunt, quasi verò ob tres aut quatuor hujus obscuri Ordinis Scriptores, alii omnes in Ordine eodem militantes, nullâ etiam litteraturâ imbuti, audire doctissimi debeant: ne conqueri iterum possint, ac si illorum contemnerem Ordinem, heic addam Elogium, quod Hugo Sancti Mariani Antissiodorensis Canonicus, Roberti in *Chronica* continuator, ad annum 1212. his verbis de illo contexuit. „ Robertus hic „egregiè litteratus, sed eloquens erat impensè, „& in Historiarum notitiâ nulli suo tempore „secundus. Sacram verò Scripturam mirum „in modum in promptu habebat, paratus semper omni, poscenti reddere rationem, ita quod „mirabantur omnes de his quæ præcedebant de „ore ejus. Gratiosus & amabilis intuentium „oculis apparebat, in ipso exteriori vultu præferens interioris hominis puritatem. Metiebatur ex sua simplicitate alios, & totius suspicionis expers, contra pessimum illud vitium sæpius opponebat, quod Seneca dicit: *Amicum fidelem, si credideris, facies.* Nam quidam docuerunt fallere, dum tandem falli & illi, jus peccandi suspicando fecerunt. Zelo justitiæ „fervens, peccati genus quodlibet perfectò odio „abhorrebat, sapientis consilio acquiescens dicentis, *Nimis odito execrationem*, id est peccatum, „quod est opus execrabile. Veruntamen peccatorem conversum, quantumvis enormiter „deliquisset, miro diligebat affectu, & effatu mitissimo resovebat, sciens nimirum quod vera „justitia compassionem habet, falsâ verò dedignationem. Erat enim valde compatiens, & „super pœnitentes, seu quolibet casu afflictos „pia gestans viscera. Satagebat per omnia servare unitatem spiritus in vinculo pacis, & „discordiæ incentores persequi non cessabat, „non ignorans, quod juxta Salomonis sententiam *Illum Dei anima detestatur, qui seminat inter fratres discordias.* Erat præterea verax & „constans in verbis, strenuus in divinis officiis, „parcus & temperans in sumendis necessariis, in „consilio circumspectus, discretus in pœnitentiis injungendis. Denique cum tot bonis „moribus eniteret, admirandus tamen & imitandus extitit maxime in duobus, videlicet in humilitate mentis & corporis castitate. Nam „supra modum præ nimiâ humilitate, corporis „sui negligens extitit & contemptor: & divinâ se protegente gratiâ, virgo creditur obiisse.“ Hæc de Roberto Antissiodorensi Priore hujus Abbatiæ Hugo, ejus exceptor & synchronus, quàm toto cœlo ab hodiernis Gallorum Præmonstratensium sub effœminato viro Michaele Calberto moribus aliena sunt, qui proscripta omni virtute, nihil non turpe scandalosa sua vitâ in hunc Ordinem, nobis videntibus atque probis omnibus lugentibus, introduxit. Agunt *De Roberto Antissiodorensi*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 388. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. pag. 784. ultimæ editionis. Cæsar Egassius Bullæus Seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1212. pag. 65. Et in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 144.

HELINANDUS FRIGIDI MONTIS MONACHUS, ex Ordine Cisterciensi in Episcopatu Bellovacensi, claruit anno 1212. Scripsit *Chronicon* ad annum 1204. vel circiter, quod novissimè impressum extat in Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis à Bertrando Tissier, cum aliquibus ejusdem *Sermonibus* ex autographo dicti Helinandi erutis, quem penes me olim ex Abbatia Frigidi Montis mutuatum habui, ac fideliter restitui. Idem scripsit *Martyrium Sancti Gereonis & sociorum ejus*, apud Surium ad diem 10. Octobris insertum. Item *Commentarium prolixum in B. Johannis Apocalypsim*, ex Patribus compilatum, quem bis MS. vidi in Bibliotheca Longipontis, Ordinis Cisterciensis. Addo Librum *De laude Vitæ claustralis*, & alium *De regimine Principum*, qui reperiuntur Tungris MSS in Bibliotheca Canonicorum Regularium. Ejusdem Liber *De reparatione lapsi* MS. in Bibliotheca Viridis Vallis prope Bruxellas, quem Vincentius Bellovacensis Helinando nostro contemporaneus, eidem tribuit: Si tamen hic liber non est unus & idem cum libro *De laude Vitæ claustralis*, quod verisimile satis est. Obiisse dicitur anno 1223. fallitur Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* fol. 140. & 142. dum duos Helinandos, alium è Frigido Monte, alium è Persennia distinguit. Est enim unicus horum omnium Scriptor Operum. Hæc scripseram in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1210. pag. 483. Sed quia plurimi de nimia mea brevitate conquesti sunt, dicentes; ea, quæ à me scripta sunt, haud exhibere sufficientem de Scriptoribus notitiam: idcirco nonnullos prout datum est, amplioribus tum verbis, tum Operibus inventis, quàm in molimine primo, adauxi. Ut de Helinando aggrediar. 1216

Helinandus Frigidi Montis Monachus, Hermanno nobili Flandro, sed in Galliam profugo, genitus est, ut ipsemet in suo *Chronico* ad annum 1117. innuit, cujus caussam declarat Caroli Flandriæ Comitis necem, à Rege Galliæ vindi-

ca-

catam: qua vindicta multi innocentes, quæ non rapuerant, tunc exsolverunt. *Inter quos*, inquit, *fuerunt pater meus Hermannus, & frater ejus Ellebandus, qui pueri nobiles & pulcherrimi magnis hæreditatibus perditis, de Flandriis in Franciam, aufugerunt.* Helinandus itaque genere nobilis, ingenio acer & promptus, facie venustus, corpore elegans, & cunctis naturæ fortunæque bonis adeo instructus, ut nullus illo in Gallia prior, imò vix ei æqualis reperiretur. Sed admodum levis & inconstans fuit, Monachum tandem professus est apud Frigidum Montem, qui seipsum ita depingit sub nomine *Guillelmi ad Gualterum*, scribens apud Vincentium Bellovacensem in Speculo Historiali lib. 29. cap. 107. in Libro *De reparatione Lapsi*, & tomo VII. *Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis* pag. 318. *ut de me taceam*, inquit, *quantos tibi possum ostendere, qui de vita delicatissima ad hunc Ordinem, quem appellas durissimum, se transtulerunt, nec tamen adhuc ab eo resilierunt: quamvis & ætate juniores sint, & natura teneriores viribus, & ut de tot millibus unum excipiam, unum tibi excipio, qui certè solus ad omnium sufficit exemplum. Ipse quidem spectaculum factus est Angelis & hominibus levitate miraculi, qui priùs eis spectaculum fuerat mimculo levitatis: dum non scena, non circus, non theatrum, non amphitheatrum, non forum, non platea, non gymnasium, non arena sine eo resonabat. Nosti Helinandum, si quis novit hominem, si tamen hominem. Neque enim tam natus erat homo ad laborem, quàm avis ad volandum, circumiens terram & perambulans eam, quærens quem devoraret, aut adulando aut objurgando. Ecce in claustro clausus est, cui totus mundus solebat esse non solùm quasi claustrum, sed etiam quasi carcer. Quomodò ergo non potes, quod ipse potest? Neque etenim ipse tam levis erat, quàm ipsa levitas: unde & tanta levitas tam leviter mutata, apud plures nihil aliud putatur quàm levitas. Hinc est quod jam quinquennis ejus conversatio, vix facit alicui fidem futura: quia nimirum quantum in se ipso dedit experimentum inconstantiæ, tantum perseveratura constantia nunc debilitat argumentum.* Idem Vincentius Bellovacensis ibidem cap. 108. ad annum 1208. cujus verba cum in eximiam Helinandi commendationem tendant, hic prætermittere non possum. *His temporibus in territorio Belvacensi fuit Helinandus Monachus Frigidi Montis, vir religiosus ac facundia disertus, qui & illos versus* de morte *in vulgari nostro, qui publicè leguntur, tam eleganter & utiliter, ut luce clarius patet, composuit: & etiam* Chronicam *diligenter ab initio Mundi usque ad tempus suum in maximo quodam volumine digessit. Et hoc quidem Opus dissipatum est & dispersum, ut nusquam totum reperiatur: fertur enim, quod idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet bonæ memoriæ Domino Guarino Sylvanectensi Episcopo, quosdam ejusdem Operis quaterniones accommodaverit: sicque sive per oblivionem, sive per negligentiam, sive alia de causa penitus amiserit. De hoc tamen opere, prout invenire potui, in hoc quoque nostro Opere, multa perdiversa loca inserui. Hic autem etiam quædam ejus Operis notabilia, quæ nusquam sunt superiùs posita, inserere volui, & etiam de quibusdam aliis ejus scriptis, unde flores excerpsi. Scripsit enim, ut legitur, Epistolam, cujus titulus est* De reparatione lapsi, *missam scilicet ad Gualterum Clericum, qui fuerat novitius in Ordine Cisterciensi, & Canonicus in Ordine Præmonstratensi: & tamen quasi liberum se à voto existimans, eo quod minimè fuisset professus, rediens ad secularem vitam, duxit uxorem nomine Rixendam. Super quibus rogatus Helinandus à Guillelmo scilicet fratre ejusdem Galteri, socio & conclaustrali ipsius Helinandi; scripsit Epistolam ad eundem Galterium sub ejusdem Guillelmi persona, ita ut ipsius esse videatur. Scripsit etiam idem Helinandus* Sermones aliquos peroptimos. *Hæc sunt autem quæ de præfatis ejus Opusculis excerpsi, & in unum hic apposui &c.* Idem Joannes Tinnaouth Anglus in Historia sua, quam verbotenus ex Vincentio Bellovacensi desumpsit, ut habet Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1212. p. 707.

Porrò in *Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, quam variis in folio tomis imprimendam curavit Bertrandus Tissier Prior Bonifontis in Thierascia, & quæ Parisiis apud Ludovicum Billaine venditur, extant tomo 7. p. 73. sequentia Helinandi Opuscula, *Chronicon ab anno 635. ad annum 1202.* Hoc autem Chronicon, cujus solum superesse ultimam partem conqueritur Bertrandus Tissier in *Præludiis* ad Opera Helinandi à se edita, eamque quattam decimam duntaxat *Chronici* quod olim extitit; opinor non esse verum, sed integrum ad nos pervenisse dicti Helinandi *Chronicon*. Nam Historiâ hæc, quæ adhuc extat in MS. originali, quod olim ad me ex Frigido Monte transmissum, fuitque per tres hebdomadas in cellula mea, dum Buciliaci manerem: aliud nihil est, quam nonnullæ tabulæ diversarum successionum, ut *Patriarcharum, Regum Israël, Persarum, Medorum, Assyriorum, Romanorum*, & aliorum ejusmodi, ab initio mundi: quæ sola ferè nomina continent, nihil autem historicum, vixque ab oculatissimis & attentissimis, ob characteris parvitatem & attritionem legi possunt. Unde si Chronicon hoc continuit Libros 48, necessum est, ut quisque hujus Chronici Liber fuerit modicissimus, vixque æquaverit justam hodiernorum unius ejusdemque libri capitulorum magnitudinem. Adde quod ejusmodi nudæ nominum tabulæ, vel successionum transscriptæ nomenclaturæ, aut nullius vel modici usus hodierna die sint. Inspecta autem attentius & in otio, Historia *Helinandi Monachi* quæ ad annum 1203. excurrit originali, illam puto 48. libris scriptam fuisse: cujus prima pars Libris sexdecim summatim, ut supra diximus, per solas ferè nomenclaturas *De rebus ab orbe condito*, ad Darii Nothi tempora ageret: secunda libris totidem vel sequentium temporum paullò latiùs ad Christi nativitatem complecteretur: tertia *libris 12.* à Christo nato ad annum 636. quarta ultimo-

morum temporum *libri quatuor* &c. quæ sola utilis visa, prælo data est. Ita quidem ex allato ad me Originali ipsius Helinandi è Frigidi Montis Abbatia ad Buciliensem in Therascia Ordinis Præmonstratensis. Verum lectis Catalogis MSS. Codicum Bibliothecarum Angliæ, qui annis 1696. & 1698. duobus in folio tomis Oxonii prodierunt, conjecturæ meæ in hoc pertimui, ne falsa vel incerta esset. Nam in Catalogo MSS. Codd. Cottonianæ Bibliothecæ pag. 40. col. 2. litera Claudius B. Codice IX. num. 1. legitur *Chronicorum Helinandi Monachi, Ordinis Cisterciensis, pars prima à creatione mundi ad tempora Darii Nothi & Archelai, libris sexdecim.* Atque Codex optimæ notæ videtur, nec procul ab ætate Helinandi conscriptus.

Sermones ejusdem Helinandi ibidem pag. 206. numero XXVIII. de variis festivitatibus & argumentis. Horum sermonum quos etiam habes MSS. apud Frigidum Montem cum Chronico integro ejusdem, extant nonnulli etiam MSS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Littera R. R. 3. Ex quo Codice MS. Helinandum aliquandiu post conversionem suam Tolosæ mansisse constat, ibique ad Scholares aliquos habuisse Sermones.

Opusculum De cognitione sui ipsius, ibidem pag. 306. ad illud Apollinis oraculum *Nosce te ipsum:* quod totum transcripsit Vincentius Bellovacensis, ut ipse suprà fatetur.

Epistola Helinandi ad Galterum Clericum, scripta nomine Guillelmi fratris ejusdem Galteri, quæ inscribitur *liber de reparatione lapsi*, ibidem p. 316. de qua loquitur idem Vincentius Bellovacensis, qui etiam in MSS. Codicibus appellatur *Liber de laude vitæ Claustralis.* Illic enim per encomium Commodorum vitæ claustralis & cœlibis *Gualterum Ordinis Præmonstratensis Canonicum* ad professionem factam revocare conatur, despecta ac relicta uxore Rixenda, quam post Canonicam professionem, palam duxerat.

Insuper Antonius Loisel in sua Historia Bellovacensi, Gallicè edita, scribit, se anno 1594. curasse imprimi *Versus Gallicos Helinandi, de morte*, quos mirè extollit & laudat præfixa Epistola ad Dominum Fouchet, primum monetarum Præsidem, continente ipsius *Helinandi* vitam, ex qua plura puncta suis jam dictis inseruit Historiis Bellovacensibus. Colligit dictus Antonius Loisel ex his versibus *De morte*, authorem fuisse valde familiarem, Principibus & Episcopis diversis ob ingenium lepidum ac vividum, nominatim Philippo de Dreux Episcopo Bellovacensi, Henrico de Dreux ejus fratri Episcopo Aurelianensi, itemque Episcopo Noviomensi Reginaldo, Comiti Baloniensi, & Godefrido Episc. Sylvanectensi.

Extant pariter sub Helinandi nomine, *Agon seu Martyrium sancti Goreonis & sociorum ejus*, quod evulgavit Surius tomo V. ad diem X. Octobris, dignum plane lectu ob stylum longe insigniorem, quam in Legendis aliorum Sanctorum. Porrò Helinandum hujus esse Martyrii authorem, fatetur quoque Cæsar Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum* 10. Octobris his verbis: *Gereonis & sociorum, quorum Acta ex antiquis tabulis excerpta ab Helinando, habet Surius tom. 5.* Hæc de impressis, nunc de Manuscriptis.

Scripsit *Commentarium insignem in Apocalypsim Joannis*, desumptum ex Scriptis vetustiorum doctorum, quem vidi bis Manuscriptum cum proprio nomine authoris, in Bibliotheca Longipontis, ut suprà dixi, extatque etiam in Bibliotheca Morimundi, ejusdem Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Lingonensi, quem etiam anonymum vidi in Regia Galliarum Bibliotheca.

Suavissimè cantabat Helinandus, unde eum Rex Galliarum sæpius mensæ suæ accumbere jubebat, uti discimus ex quibusdam Versibus Gallicis, quos refert seculum IV. *Universitatis Parisiensis* pag. 746. in Catalogo illustrium Academicorum. Carissimus itaque Philippo Augusto, scripsit etiam illo instante Tractatum seu librum *De regimine Regum*, MS. in nonnullis Bibliothecis Belgicis, ut refert Carolus Vischius. Extat autem anonymus in Bibliotheca Galliarum Regia, Codice 6608. cujus initio pauca carmina ita incipiunt.

Omne ministerium tritido quod præminet orbe,
Arte gubernandum, sunt artis plurima dona &c.

Opusculum autem, *Postquam Regale sceptrum, Regnique gubernacula rector Christianus susceperit &c.* De hoc Opusculo vide *Spicilegium* Domini Lucæ de Acherio in Tomo XI. p. 492.

Obiit Helinandus uti vixit, sanctissimè anno 1227. de quo loquuntur Bellarminus & Labbeus in libro uterque suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis.* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, tomo 1. fol. 721. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 140. & 142. Advertendum autem est, Gerardum Joannem Vossium ex uno Helinando duos fecisse, atque incidisse in eundem fermè errorem, in quem Carolus Vischius in sua Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis. Itaque Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 54. pag. 441. unum appellat *Elimandum* Frigidi Montis in agro Bellovacensi Monachum, cui attribuit *Chronicon* Libris XLVIII. contextum, post Vincentium Bellovacensem. Et cap. 55. pag. 445. alterum appellat *Helinardum* Frigidi Montis Monachum, cui immemor sui, attribuit *Historiarum opus Lib. XLVIII. quos ab orbe condito orditur.* Nullus qui illic hallucinationem non agnoscat, quod homini plurimis attendenti, frequens esse potest. Cæsar Egassius Bullæus Seculo IV. *Historia Universitatis Parisiensis*, fol. 746. & alii, ejusdem mentionem faciunt.

VINCENTIUS CADLUBKUS, seu CADLUBKO, CRACOVIENSIS EPISCOPUS, 1210

PUS, natione Polonus, ob raras mentis & virtutis dotes ad Episcopatum Cracoviensem anno (ut scribitur) 1209. electus & consecratus, cum per decennium laudabiliter Ecclesiam præfatam administrasset, nequicquam adversante Principe, & dissuadente Canonicorum Collegio, ut refert ad annum 1219. Abraham Bzovius, illo officio se sponte abdicans, in Andreovicensi Cisterciensis Ordinis Cœnobio Monasticen professus, reliquos quinque vitæ suæ annos ibidem tranquille ac religiose confecit. Scripsit *Historiam Polonicam jussu Casimiri Poloniæ Ducis*, cognomento Justi, impressam in 8vo. Dobromili anno 1612. ex officina Joannis Szeliga, cum Commentatore quodam suo, qui tempore Vladislai Jagellonidis Commentaria illa composuit. Vide de illo primum volumen *Historiæ Polonicæ* Joannis Longini sive Dlugossi Canonici Cracoviensis, ac Leopoliensis postea Episcopi, impressum anno 1615. Dobromili in folio. Opus quod in Polonia plurimum æstimari solet, utpote primum quod Historiam gentis istius contineat. Recusa est tandem hæc *Historia Vincentii Kadlubkonis* ad calcem Tomi seu Voluminis II. *Historiæ Polonicæ* Joannis Dlugossi seu Longini, ut habent *Acta Eruditorum Lipsiæ* in *Supplementorum* Tomo V. ad annum 1711. vel 1712. Sectione X. pag. 423. sub hoc titulo: Joannis Dlugossi seu Longini Historiæ Polonicæ Tomus II. seu Liber XIII. & ultimus ex Bibliotheca Henrici Liberi Baronis ab Huyssen. Accedunt 1. Vincentii Kadlubkonis Historia Polonica, 2. Stanislai Sarnicii & Stanislai Orichovii Annales Polonici, 3. Illustrium virorum Epistolæ opera Stanislai Carncovii Vladislaviensis Episcopi olim Cracoviæ A. 1578. editæ, inque Libros tres digestæ. 4. Denique Stanislai Sarnicii Descriptio veteris & novæ Poloniæ, Lipsiæ apud Joannem Ludovicum Gleditsch & Maur. Georgium Weidmann anno 1712. in folio Alphabetis XI. plag. 8. De qua editione infra egimus in *Joanne Dlugosso* seu *Longino* ad annum 1460. & sequentes, ad quem lectorem remittimus. De Vincentio autem Kadlubkone ita Lipsienses censores pag. 425. "Ex Scriptoribus Dlugosso additis, familiam ducit primus in Historia, imò fabula Polonica Vincentius Kadlubko Præpositus primum Sendomiriensis, inde Episcopus Cracoviensis, & tandem deposito sponte Episcopatu Monachus Cisterciensis. Vir pietate inter Polonos in tantum celebris, ut integrum de ejus vita & miraculis tractatum, at ridiculum & ineptum Cracoviæ anno 1642. in 4. ediderit Simon Staravolscius. Hujus Kalubkonis extat *Historia Polonica* per modum Epistolæ aut Dialogi, ab orbe condito ad annum 1223. quo obiit deducta, Dobromili anno 1612, atque nunc ad exemplum rarissimum, quod ex Bibliotheca sua concessit, laudatus a nobis ob hæc studia alio loco Valentinus Schlieffius, recusa. In ea res Polonorum rudi stylo adnotavit potius quam descripsit, fabulis præterea fœdissimis inquinavit, in quibus contra omnem chronologiam audacissimus, Polonorum Ahasveri temporibus meminit, Cracum 400. ante Christum natum annis ponit, destructam ab Alexandro Magno Cracoviam, ambitumque post obitum Vendæ Poloniæ regnum Victum a Lelco III. Cæsarem, ei sororem Juliam in matrimonium, Bavariamque dotis nomine dedisse, & sexcenta id genus alia impudentissime nugatur. Accessit Vladislai Jagellonis tempore *Commentator*, qui quisquis etiam fuerit (Neque enim de eo præter ætatem certi quid constat) Kadlubkone longe ineptior est. In verbis enim occupatus totus, quæ rudiori adhuc stylo deformat, res aut non plane aut saltem perfunctorie attingit. Contra pro more Scholasticorum tunc obtinentium, de intentione, causa formali, materiali, finali, intensiva, multa garrit, aliena ad nauseam usque immiscens. Nec tamen hi nævi minuent gratiam, quæ ex recuso opere sperari poterat: sufficiet Doctis reclusos hic esse fontes, unde recentiores aut sua derivarunt, aut causam nacti sunt, saniora de rebus Polonicis commentandi." Hæc ad verbum Lipsienses Eruditi. Obiit Cadlubko anno 1225. vel 1226. ut habet Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 154. Cujus cum laude quidem meminerunt Martinus Cromerus Lib. 7. *Historiæ Polonorum*. Joannes Herbustus Libr. 6. *Historiæ Polonicæ* cap. 8. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 457. editionis secundæ. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. seu fol. 315.

PETRUS VALLIS SARNENSIS MONACHUS, Gallice Des Vaux de Cornay, Ordinis Cisterciensis, scripsit circa a. 1210. *Historiam bellorum Contra Valdenses & Albigenses*, quæ complectitur crudelia illa omnia ad extinguendos illos gesta ab anno 1209. ad an. 1217. qua scribebat iste Petrus. Scripsit autem Historiam hortatu Innocentii III. Summi Pontificis, sub cujus Pontificatu illam incæpit, & cui eandem nuncupavit: unde dubitandum non est, quin atrociora multa suppresserit vel dissimulaverit, quæ Romanæ Ecclesiæ laudi minus favere videbantur. Habes illam editam primùm Trecis anno 1615. studio & cura Nicolai Camuzati Trecensis Ecclesiæ Canonici, quam postea iterum recudendam curavit Andreas Duchesnius vel Franciscus ejus filius anno 1645. inter *Scriptores Veteres Historiæ Francicæ* tomo V. pag. 554. collatam cum MS. Codice Domini Martini Marrier Sancti Martini de Campis Parisiensibus Monachi. Denique quam inseruit Bibliothecæ Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis, Bertrandus Tissier, tomo VII. pag. 1. & sequentibus, impresso ad annum 1669. apud Bonum Fontem in Thierascia, ejusdem Ordinis Cisterciensis Abba-

1210

batiam in Archiepiscopatu Remensi. Agunt de *Petro Vallis Sarnaji Monacho*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 403. Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 276. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem attexuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 138.

1210 SIMON TORNACENSIS ECCLESIÆ CANONICUS, insignis hoc tempore Theologus enituit, cujus licet nullum ex Operibus restantibus prælo datum sit, doctrina tamen singularis cognita sufficienter est, ex *Historia Universitatis Parisiensis* sub seculi V. initium. De Magistro autem Simone Tornacensi, celeberrimo & subtilissimo in Academia Parisiensi sacræ Theologiæ Professore, multa postmodum apud indoctam plebem sparsa sunt, in magni Theologi ludibrium, quæ eum dum viveret, invidia literaria agitatum fuisse, falsisque denigratum ab æmulis, coloribus produnt. Anno igitur 1201. in Vniversitate Parisiensi res plane mirabilis ac signata miraculo accidisse dicitur, quam refert Matthæus Parisiensis, quamque air se ab oculato teste didicisse, à Magistro nimirum Nicolao de Fuly, qui postea Dunelmensis Episcopus fuit. Cum enim ille Simon Tornacensis *De mysteriis Divinis* promisisset se dicturum, imò jactitaret, se posse ita facile, si vellet, illa destruere, quam asseruerat: elinguis subitò factus, quæ didicerat, omnia dedidicit, & litteras alphabeticas, veluti si nunquam eas didicisset, pronuntiare & de novo discere exorsus est. Rem ergo sic narrat Matthæus citatus.

„Ipsis quoque diebus, inquit, quidam Magister „Parisiensis, natione Francus, nomine Simon, „cognomento *Churnai*, (lege *Tournay*) ingenio „capacissimus & memoria tenacissimus, cum per „decennium scholas Artium nobilissime rexisset, utpote in trivio & quadrivio, id est, in septem liberalibus artibus peritissimus, se contulit ad Theologiam. In qua cum paucos annos desudasset, adeo profecit, quod dignissimè „cathedram ascendit Magistralem. Legit igi„tur subtiliter valde & subtilius disputavit, quæ„stiones difficillimas & inauditas solvendo, & „eleganter dilucidando. Tot habuit audito„res, quot amplissimum palatium potuit conti„nere. Vna igitur dierum, cum nimis profun„dis rationibus in medium productis, de Trini„tate subtilissimè disputasset, & dilata fuisset De„terminatio usque in crastinum: omnes Theo„logi Scholares in Civitate præmuniti ad audi„endum tot quæstionum inextricabilium solu„tiones, ad ipsius famosam scholam certatim & „catervatim confluxerunt. Determinavit igi„tur Magister omnes prætactas quæstiones, & „quæ videbantur omnibus inenodabiles, tam „dilucide, tam eleganter, tam Catholice, ut „omnes auditores redderet stupefactos. Et „post determinationem, accesserunt quidam ipsius familiariores & ad discendum avidiores, „postulantes à Magistro, ut eo dictante quæstio„nes litteris commendarent. Dixerunt nam„que indignum esse, & jacturam irrestaurabilem, „si memoria tantæ scientiæ deperiret. Quibus„ ipse elatus, & major se, sibi ait, oculis sublevatis, „& temere solutis in cachinnum: *O Jesule, Jesule, quantum in hac quæstione confirmavi legem tuam & exaltavi! Profectò si malignando & adversando vellem, fortioribus rationibus & argumentis scirem illam infirmare, & deprimendo improbare.*" Et hoc dicto elinguis penitus obmutuit, non„ tantum mutus, sed idiota & ridiculose infatua„ rus, nec postea legit vel determinavit, & factus„ est in sibilum & derisum omnibus, qui hoc audiebant. Vir igitur intra biennium dedicit„ litteras cognoscere, ab ultione aliquantulum„ mitigata à filio suo quodam diligenter edocen„te, vix potuit *Pater noster* & *Symbolum* discere,„ retinere, & balbutiendo pronuntiare. Hoc„ igitur miraculum multorum scholarium sup„pressit arrogantiam, & jactantiam refrænavit.„ Hæc vidit Magister Nicolaus de Fulii, vir ma„gnæ authoritatis, qui postea Episcopus Dunel„mensis factus fuit: ex cujus relatu & certo te„stimonio hæc litteris commendavi, eodem Epi„scopo suadente, ne vetustas tantum miracu„lum oboleret. Et est, sermo omni acceptione„ dignissimus."

Eandem Historiam refert Thomas Cantipratanus ex Ordine Fratrum Prædicatorum Lib. 2. *De apibus* cap. 48. num. 5. his verbis. „Quàm„ vera & quàm efficax sit illa sententia Isaiæ, *Confundentur omnes plectentes & texentes subtilia*, ex„emplo evidentissimo, sub nostro fere tempore„ videamus. Magister *Simon de Tornaco* in Theo„logia regebat, & erat excellens ille suo tempo„re: sed contra decentiam talis officii, supra„ modum incontinens & superbus. Hic cum„ super omnes doctores Civitatis auditores ha„beret, & in schola coram omnibus de humilitate altissima doctrinæ Christi quæstionem di„sputatione præhabita determinaret: in fine„ tandem datus in reprobum sensum, in execranda contra Christum blasphemiæ verba proru„pit: *Tres sunt*, inquit, *qui mundum sectis suis & dogmatibus subjugarunt, Moises, Jesus & Mahometus: Moises primo Judaicum populum infatuavit, secundo Jesus Christus à suo nomine Christianos, tertio Gentilem populum Mahometus.* Nec mora ever„sis oculis, pro humana voce mugitum emisit,„ & epilepsia statim elisus in terram, die tertio„ ejusdem morbi vindictam accepit. Plaga er„go insanabili eum percussit Omnipotens, &„ omni scientia usque ad prima litterarum ele„menta privavit. Et graviori quidem in ani„ma cum hac plaga percussus est, cum usque in„ diem mortis suæ, quasi mutus comparatus est„ jumentis insipientibus, & in luxuriæ fœditate„ permansit. Et vide supremæ admirationis mi„raculum, Aleidem fornicariam concubinam suam„ nominare poterat & sciebat: Boëtium verò de„

Tri-

„Trinitate, qui juxta eum ad spectaculum ponebatur, quem olim cordetenus sciverat, post inditam plagam, nec nominare poterat, nec volebat.

Hæc ego retuli post Cæsarem Egassium Bulæum in *Historia Universitatis Parisiensis* seculo V. ad annum 1201. fol. 8. quæ quamvis à duobus sat celebribus Scriptoribus referantur, purissima tamen esse mendacia, vel fabulas temere in vulgus & promiscuam plebem ab æmulis Simonis sparsas opinor. Nam quoad Matthæum Parisiensem Authorem Anglum, non dubito, quin Historiam hanc audiverit sibi factam à Nicolao de Fuly, sed hunc Nicolaum fuisse deceptum ab mendace aliquo, qui cum eum ad stupenda ejusmodi credenda facilem & promptum videret, hanc ipsi fabulam in prandii forsan apud eum accepti solutionem porrexit & enarravit. Quantum verò ad authoritatem Thomæ Cantipratensis, ipsa tam modica apud graves hodierni judicii viros & tam languida est, ut ex ejus relatu, certum nihil concludi possit. Nam Libri ejus *De apibus*, tam pleni sunt Miraculis undique corrasis & mutuatis quæ solus narrat, tam infarti stupendis, ut apud solos mulieres easque aniles ac delirantes, fidem duntaxat obtineant. Præterea ambo isti *hujus unius miraculi* narratores in nullo conveniunt, pro mendacium more, vel istorum certe omnium Authorum, qui stupenda ex aliena fide, seu ex aliorum relatu conscribunt. Nam 1. Matthæus Parisiensis vult, peccatum ejus fuisse *jactantiæ & præsumptionis:* at Thomas Cantipratensis vult fuisse *Blasphemiæ in Jesum Christum.* 2. Matthæus Parisiensis, eo quòd dixisset, *O Jesule, Jesule, quantum in hac quæstione confirmavi legem tuam & exaltavi! Profectò si malignando & adversando vellem, fortioribus rationibus & argumentis scirem illam confirmare, & deprimendo improbare.* Thomas autem Cantipratanus, quòd dixisset: *Moïses primò Judaicum populum infatuavit, secundò Jesus Christus à suo nomine Christianos, tertiò Gentilem populum Mahometus.* 3. Matthæus Parisiensis solam vindictæ seu punitionis divinæ causam allegat *præsumptionem & superbiam:* at Thomas Cantipratanus duas causas, illasque ab allegata prorsus diversas, *blasphemiam* nempe *& luxuriam.* Quis autem credat, tanti nominis Doctorem, eo tempore, quo florentissima erat doctrinis & moribus Academia Parisiensis, ad similem prorupisse in Actu publico blasphemiam, vel tanto tempore ad meretricis Aleidis collum appensum fuisse, maximo totius Academiæ florentis scandalo? Quis credat, illustrem Academiam fuisse passam, ut scandalosus ob publicam & famosam apud se concubinam Doctor legeret publice in scholis, vel theses Theologicas propugnaret? Licet igitur ex veterum Scriptorum relatu hæc firmata sint, somnia tamen Monachorum puto, quos vel vulgi rumor vel relatio simplicis alicujus viri decepit, in magnum famæ Simonis de Tornaco dispendium. 4. Narrat Matthæus Parisiensis Simonem elinguem & mutum factum, *ultione aliquantulum mitigata à filio suo quodam diligenter edocente, vix potuisse* Pater noster & Symbolum *discere, retinere, & balbutiendo pronuntiare.* At Thomas Cantipratanus, *Et vidi supremæ admirationis miraculum, Aleidem fornicariam concubinam suam nominare poterat & sciebat &c.* Alius *sub Schino, sub prino* alius, Danielis 13. vers. 55. & 59. Quem igitur vult Matthæus licet cum grandi labore potuisset discere *Orationem Dominicam & Symbolum:* vult Thomas Cantiprantanus *solum Aleidu concubinæ suæ nomen pronuntiare potuisse, ut nec Boëtium quidem olim sibi familiarissimum nominare posset.* 5 Denique ejusdem viri meminit Henricus Gandavensis, Tornacensis ipse Archidiaconus, qui ex visu atque etiam auditu saltem Simonem Tornacensis Ecclesiæ Canonicum nosse poterat, in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 24. quem ait fuisse quidem subtilissimum, & acriorem, quam par esset, Aristotelicæ doctrinæ Sectatorem, sed plagam istam esse ei inflictam, non memorat, inquiens.

Simon Tornaci oriundus, ex Dialectico subtilissimo, imò omnium liberalium artium ferè sui temporis peritissimo, Theologicæ etiam scholæ Parisiis cathedram meruit ascendere Magistralem, in qua plurimos habuit auditores. Scripsit Librum, quem vocavit *Sententiarum suarum.* Scripsit etiam *quæstiones suas*, quas in Scholis suis disputatas determinavit Parisiis, Exposuit etiam *Symbolum* quod dicitur Athanasii, subtiliter. Sed dum nimis in hoc & in aliis scriptis suis Aristotelem sequitur, à nonnullis modernis hæreseos arguitur. « Hæc Gandavensis, quibus notat, Simonem Tornacensem, dum viveret, habuisse suos inimicos, qui eum hæreseos accusaverint, ac qui dubio procul allegatas de eo fabulas sparserint. Mendicantes potissimum Ordines hac in parte liberales semper fuerunt, qui, quotquot sibi adversarios experti sunt, hos omnes hæreseos, vel aliorum impactorum criminum insimularunt. Nec calumniandi licentia hoc seculo quo vivimus nota. Hæc nos ex conjecturis adversus Matthæum Parisiensem, & Thomam Cantipratensem, de quibus an valeant, viri graves & ab amplexu partium alieni indicent.

Jam ad Opera veniamus. Scripsit *Summam Quæstionum in sententias*, MS. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolensi, Codd. 58. & 188. Idem Opus mihi videtur *Magistri Simonis Tornacensis Institutiones in sacram Scripturam*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Mertonensis, Codice 36. num. 2. In Catalogo impresso MSS. Codd. Universitatis Oxoniensis, habetur Cod. 352. & 370. in MSS. Codd. Collegii Baliolensis: Et Codice 599. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis. Nec mihi dubium, quin aliis etiam in locis Opera hujus antiqui Theologi inveniantur. Ejusdem enim *Summa Theologica* MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 4314. quæ an idem Opus sit

sit cum *Summa quæstionum in Sententias*, mihi dubium nullum est. Inscribitur autem in MS. Colbertino *Summa Magistri Simonis*, minio: estque Codex ejusdem ætatis, qua Magister Simon scripsit. Procedit hæc Summa per Quæstiones Theologicas, & orditur: *Sicut legitur in Orthographia, D littera media inter Th aspiratum & T lene, & O ponitur pro V, unde Græci dicunt* Theos, *nos dicimus Deus Logos interpretatur sermo, unde Theologia quasi Deologia, id est sermo de Deo vel de Divinis &c.* Cui codici mutilo finis deest. Eadem MS. in Bibliotheca Sancti Victoris, Littera SS. 18. quamvis ibidem anonyma sit, ubi integra tamen ac perfecta est, ab iisdem verbis incipiens, quibus suprà. Posteà sequitur *Commentarius ejusdem Simonis in Symbolum Athanasii*, cum expresso nomine *Simonis*, cujus titulus, *Expositio Symboli per Simonem Tornacensis Ecclesiæ Canonicum & Parisiensem Doctorem*, quæ incipit, *Apud Aristotelem argumentum est ratio faciens fidem, sed apud Christum, argumentum est fides faciens rationem &c.* Idem in MS. Codice Regio 3903. fol. 141. ad fol. 150. minio inscriptus, cujus hic titulus, *Incipit Expositio Symboli edita à Magistro Simone Tornacensis Ecclesiæ Canonico & nobili Parisiensis Civitatis Doctore*, qui Codex 400. annorum est. Eadem *Summa Magistri Simonis Tornacensis & Expositio in Symbolum* MSS. in Bibliotheca Dunensi apud Brugas, & apud Villarlenses in Brabantia, quæ Abbatiæ Cisterciensis Ordinis sunt. Vide Cæsarem Egassium Bullæum in *Historia Universitatis Parisiensis* seculo V. ad annum 1201. pag. 8. & 9. & in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, pag. 710. verbo *Simon de Tornaco*. Paucis etiam de illo loquitur Joannes Trithemius, ab Henrico Gandavensi acceptis. Josias Simlerus in epitome Bibliothecæ Gesnerianæ Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, verbo *Simon Tornacensis*. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1216. pag. 709. ubi malè eum Anglis accenset, post Joannem Balæum Cent. 3. cap. 47. ac patriâ Cornubiensem, cognomine *Thervajum* putat. Vtrumque enim absurdissimum atque risu dignissimum. Nam Henricus Gandavensis in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 24. diserte *Simonem Tornaci oriundum* asserit, ipse ab ætate Simonis Tornacensis parum distans, quique hominem vidisse potuit, utpote ejusdem Ecclesiæ Tornacensis Archidiaconus. Hæc contra Balæum & Cavum, hoc loco cæcutiantes. Cognomen Thervaji quod à Guillelmo Cavo appingitur *Simoni huic Tornacensi* post Balæum, risu dignum est. Legerat Balæus apud Matthæum Parisiensem, quem supra retulimus, *Simonem Cognomento Churnay &c.* quod scribæ mendum est, qui *Churnay* pro *Tornay* descripsit. Ex hoc mendo Balæus atque post ipsum Guillelmus Cavus, *Simoni Tornacensi* cognomen Thervaji absurdiori adhuc correptione adposuerunt. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 148. ubi eum anno 1216. vixisse & floruisse asserit. *De Simone Tornacensi* Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 813. editionis 1643. Lovanii in 4.

PRÆPOSITIVUS, VNIVERSITATIS PA- 1210
RISIENSIS CANCELLARIUS; insignis hac ætate Parisiensis Theologus, quem Thomas Aquinas interdum in Summa sua Theologica allegat. Hic juxta seculum V. *Historia Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum fol. 706. natione Lombardus, qui ab Alberico in *Chronico* ad annum 1217. dicitur *Vir mirabilis fecisse optimos sermones & quasdam postillas sententiarum.* Factus anno 1702. Cancellarius Vniversitatis, post Bertrannum ad sedem Ebredunensem assumptum, primus ille Odoni Parisiensi Episcopo juravit se statutum quod de residentiâ Cancellarii fecerat, observaturum. Statutum autem illud, quod ad eundem an. 1207. in *Historia Universitatis* f. 36. tale est.

Odo Dei gratia Parisiensis Episcopus, Hugo Decanus, & universum Capitulum Parisiense, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus universis, quod nos residentiam Cancellarii Parisiensis attendentes necessariam esse nostræ Parisiensi Ecclesiæ & COMMVNITATI SCHOLARIVM, de bonorum virorum consilio & communi assensu statuimus in Capitulo Parisiensi, ut quicunque de cætero Cancellarius Parisiensis fuerit, teneatur in propria persona bona fide in Ecclesia Parisiensi residere, quandiu Cancellariam tenuerit: & quod per se vel per alium nullatenus procurabit, quod relaxetur à juramento prædicto. Statuimus etiam, quod nihil de Fructibus Cancellariæ percipere possit, donec prætaxatum exhibuerit in Parisiensi Capitulo juramentum. Postquam autem Magister Præpositivus factus est Cancellarius, rogavimus eum, ut dictum faceret Capitulo juramentum, & ad necessitatem residentiæ faciendæ se adstringeret, qui libenter & benigne suum adhoc inclinavit assensum. Et primus juravit in forma prædicta, in qua successores sui Cancellarii de cætero jurare similiter tenebuntur. Quod ut ratum & firmum permaneret, præsentem Chartam Sigillorum nostrorum fecimus impressione muniri. Actum anno 1207.

Scripsit *Summam Theologicam Scholasticam ex Dictis Sanctorum Patrum* collectam, quæ hucusque quidem impressa non fuit, sed Manuscripta in nonnullis Angliæ & Galliæ Bibliothecis legitur ac volvitur. Nempe Parisiis, in Bibliotheca Sancti Victoris, Codice K 11. cujus Prologus incipit, *Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus &c. Dominus ille magnus, qui imperat ventis & mari, & obediunt ei &c.* Summa autem incipit, *Vocabulorum itaque, quæ de Deo dicuntur, quædam dicuntur de eo ab æterno, id est cum hac adjectione ab æterno &c.* Idem Opus semel & iterum in

Bi-

Bibliotheca S. Germani Parisiensis, anonymum quidem Cod. 323. cujus Prologus incipit ut supra, *Qui producit ventos de thesauris suis &c.* Summæ autem titulus, *De vocabulis qua de Deo dicuntur incipiamus. Notandum ergo vocabulorum qua de Deo dicuntur &c.* & Cod. 673. cum proprio nomine authoris, atque optimæ notæ & antiquitatis est. Oxonii in Bibliotheca Collegii Balliolani, Codice 188. in Orialensi Codice 37. cujus initium, *Qui producit ventos &c.* In Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis in Belgio, pulpito 12. Denique Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Ordinis divi Augustini. In eadem Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Littera QQ. 18. *Sermones Magistri Praepositivi Cancellarii Parisiensis*, quibus etsi inscriptio ante ipsos sermones nova sit, antiqua tamen est in primo folio MS. Codicis. Incipiunt, *filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ &c. O Sorores & Sponsæ Jesu Christi, sunt magna Salvatoris nostri mysteria, hodie namque Salvator noster qui nono die ante Lazarum suscitaverat &c.* Ejusdem *Magistri Praepositivi* Homilia in Evangelium, *Intravit Jesus in quoddam castellum &c.* MS. Cod. 3899. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, fol. 88. Mortuus esse creditur Præpositivus anno 1217. cui in officio Cancellariæ Parisiensis, successit Stephanus quidam tempore Petri Cambii Parisiensis Episcopi. Anno etenim 1217. cum contentiones plurimæ fuissent motæ inter Episcopum Parisiensem & Parisiense Capitulum ex una parte, & Cancellarium Parisiensem ex altera, post Præpositivi mortem: amicabili illæ compositione consopitæ sunt, in cujus instrumento pacis Stephanus Cancellarius legitur in *Historia Universitatis Parisiensis* pag. 80. ubi de diversis Cancellariatus officiis & obligationibus latè agitur. Hoc igitur anno per mortem, Præpositivus hoc munere absolutus erat. Quod etiam altero instrumento confirmatur, nempe Testamento Petri ejusdem Parisiensis Episcopi, quod anno 1218. mense Junio conditum est, ubi Philippus (haud dubium *de Grevia*) Cancellarius Parisiensis subscriptus legitur. Habent illud Sammarthani fratres tomo I. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Parisiensibus, ad hunc annum 1218. De illo Albericus in *Chronico* ad annum (ut opinor) 1217. Ecloga Oxonio Cantabrigiæ, in MSS. Codicibus Oxonii, ubi in Bibliotheca Orialenci Cod. 37. *Summa Praepositivi Parisiensis* legitur incipiens ut supra, *Qui producit ventos de Thesauris suis &c.* Seculum V. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1207. fol. 36. & in Catalogo illustrium Academicorum. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 139. ubi anno 1217. vixisse ait, quo & mortuus est.

1210 WERNERUS SANCTI BLASII IN NIGRA SILVA ABBAS, Ordinis Sancti Benedicti, Diœcesis Constantiensis in Germania, sub annum 1210. vel circiter floruisse creditur, qui ut loquuntur, collegit *Deflorationem ex Sanctis Patribus, quæ Sermones postillares per annum continet*, Basileæ anno 1494. impressam, cujus unum exemplar in Bibliothec. Casalis Benedicti, & in Bibl. Oxoniensi publica, & alibi, sed hodie rarissimi sunt.

PETRUS DE CORBOLIO, SENONENSIS ARCHIEPISCOPUS, Gallicè *de Corbeil*, Michaelis de Corbolio Senonensis Archiepiscopi, ac Reginaldi de Corbelio Parisiensis posteà Episcopi consanguineus, Innocentii III. Papæ dum studeret Parisiis, quondam Magister, ob eminentem scientiam, toti Christiano orbi vel Latino saltem notissimam, multis paulatim in dignitatibus & officiis accrevit, in diversis Ecclesiis. Factus autem primum Beatæ Mariæ Parisiensis Canonicus, cui adhuc Canonico tantum Parisiensi existenti, anno 1198. idem Innocentius Pontifex committit Causam Lingonensis Episcopi contra Capitulum Libro I. Epistola, *Cùm olim &c.* Atque ut ipsi tradatur pacificè Archidiaconatus in Ecclesia Eboracensi, mandat eodem anno, decimo sexto Kalendas Januarii, Decano & Capitulo Eboracensi: *De cujus*, inquit, *litteratura & scientia in longinquis & remotis partibus prædicatur, sub cujus Magisterio nos aliquando fuisse in memoriam reducimus, & ab eo divinarum audivisse paginam litterarum, quod volumus reputare gloriosum*, dum nempe Parisiis ille studeret. Et alia Epistola ad Richardum Angliæ Regem ait, *Magnificentiam ipsius Regiam non ignorare, qualiter is Petrus inter alios orbis Clericos, scientia liberali præfulgeat, & sua probitate & discretione sit admodum commendandus.* Ob præclaram hanc nominis famam quocunque sparsam, anno circiter 1200. ad Episcopatum Cameracensem promotus est, atque aliquanto post à Sede Cameracensi ad Archiepiscopatum Senonensem translatus: cujus nominationem Innocentius idem III. Papa cap. *Gratum* de postulatione, in tertia compilatione confirmat. Licet autem hic subjicere testimonia Chronicorum Turonensis Anonymi, & Roberti ipsius Antissiodorensis, qui inquiunt: *Anno 1200. Octavianus Episcopus Ostiensis Legatus, Petrum de Corbolio, qui litteratura secularis & Theologiæ prærogativa famosus in Scholarum regimine Parisiis diu claruerat, & de cathedra Magistrali ad Cameracensis Ecclesiæ cathedram nuper assumptus fuerat, Michaele Senonensi Archiepiscopo mortuo, in Senonensem Ecclesiam inthronizat.* Scripsit *Summam quæstionum Theologicarum*, quam apud se MS. adservatam habet Joannes Launoy Doctor Theologus Parisiensis Scriptis suis hoc seculo notissimus, cujus hic titulus est: *Quæstiones Scholares Magistri Petri Senonensis Archiepiscopi:* cujus mentionem facit idem Launoïus, in Libro *De scholis celebrioribus per Occidentem restauratis*, cap. 59. art. 6. pag. 229. Transiit hic Codex MS. cum aliis Joannis Launoji MSS. Codicibus, 1210

legato testamentario ejusdem, in possessionem Seminarii Laudunensis. Idem praeterea scripsit *in Psalterium Commentarium*, qui MS. extat in Bibliotheca Sancti Michaelis in periculo, littera E. 29. inscriptus *Petri de Corbolio Senonensis Archiepiscopi in Psalterium.* Orditur Prologus, *Est introitus exterior, est interior &c.* Psalmi autem primi Commenrum, *Hoc Psalmo agit de bonis & malis &c.* De illo ita seculum V. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1221. fol. seu pag. 106. „Eodem anno, 3. Junii obiit insignis ille „Theologus Magister Petrus de Corbolio Ar„chiepiscopus Senonensis, Innocentii III. in „Theologica facultate olim Magister, *vir inaestimabilis litteraturae*, inquit Vincentius Bellova„censis. De quo praeter caetera, quae retulimus „ad Seculum IV. & in *Catalogo virorum illustrium*, „referre juvat quae scribit Cantipratanus Lib. 2. „cap. 51. paragr. 7. quomodo nempe ille se ges„serit erga peccatorem valde contritum, qui „sua peccata confessus expiravit. Sic ergo ille. *Ad hoc etsi supervacanee probandum, quiddam quod nostro tempore in Gallia partibus accidit, fidelissima relatione traditum non silebo. Ad illum venerabilem virum M. Petrum de Corboel Senonensem Archiepiscopum, qui peccator qui propriam filiam violenter oppresserat, confessionis gratia venit. Confessus igitur in maxima & mirabili contritione & lachrymis, quaesivit si unquam posset ullo dolore vel poena, à Domino veniam impetrare. Cui Praesul, ita inquit indubitanter, si tanti mali poenitentiam subire volueris. Et ille vehementer exclamans, Volo inquit, etiamsi mille mortes me subire volueris. Collacrymatus ergo insenex, imò jam felicissimo peccatori: Et ego (inquit) septennem tantùm tibi poenitentiae poenam impono. Tunc ille, quid est (ait) quod poenitentiam mihi flagitiosissimo septennem tantùm injungis? qui si viverem usque ad finem mundi, tantum facinus poenis innumerabilibus diluere non valerem. Cui Praesul: Vade* (inquit) *& tres dies tantum in pane & aqua jejuna. Tunc amplius ille plorans & contundens se, rogabat ut poenitentiam injungeret salutarem. Supra modum ergo admiratus & exhilaratus Antistes tantùm definitivè praecepit homini, ut abiret & unum tantùm* Pater noster *diceret, sciretque pro certo peccatum jam sibi esse dimissum. Nec mora, dirum ille emittens ejulatum, & in terram procidens, expiravit. Nec dubia fides est, sicut Deo dignus Episcopus postea praedicavit, quin idem poenitens sine ulla alia purgatorii poena, validissima tantum contritione purgatus, ad gloriam evolaverit.* Penes Cantipratanum hujus facti & stupendi fides sit, quo tanquam eximio ariete possunt uti Casuistae Pontificii, ut animas in inferos conniventiâ suâ dejiciant. Obiit Petrus de Corbolio anno 1222. die 3 Junii, in Senonensis Ecclesiae choro, ipsa die qua Synodus celebrabatur in Archiepiscoporum conditorio tumulatus. Haec breviter, qui plura cupit, legat *Historiam Universitatis Parisiensis* seculo XII. & XIII. atque Sammarthanos fratres adeat in sua *Gallia Christiana* tomo 1. in Archiepiscopis Senonensibus pag. 635. ubi fuse debitas Petri de Corbolio laudes prosequitur. Cujus ut Scriptoris Ecclesiastici meminit Henricus Gandavensis in libro *De viris illustribus.* Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Auctorum* quem praemisit *Glossario mediae & infimae Latinitatis*, columna 137.

OLIVERIUS SCHOLASTICUS COLONIENSIS, vir pius & eruditus ac facundus fuit, qui à Romano Pontifice ad praedicandam Crucem authoritate literarum Apostolicarum fultus, in Brabantia, Flandria, Frisia, aliisque vicinis provinciis cum Arnoldo discipulo suo fortiter ac feliciter id praestitit: ut Caesarius Heisterbacensis qui eadem aetate vixit, Albertus Stadensis, & alii narrant. Scripsit *Epistolam de expugnatione Damiatae ad Sanctum Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum* datam, quam Jacobus Bongarsius retulit tomo 1. *Gestorum Dei per Francos* pag. 1185. de quibus jam supra & saepe egimus. Subnectitur Epistolis ab Amalrico Rege, Amalrico Patriarcha Hierosolymitano, Raimundo Principe Antiocheno, Gilberto custode Hospitalis Hierosolymitani, & aliis Scriptis ad Ludovicum Regem Francorum, cognomento Juniorem. In compensationem rot laborum & ardentissimarum concionum, itemque expeditionis Hierosolymitanae seu Orientalis, in qua capta anno 1218. Damiata est, cui interfuerat, reversus ad partes Occidentales, factus postea creditur Episcopus Paderbornensis in Germania, & ab Honorio III. Pontifice Romano, S. R. Ecclesiae Cardinalis Episcopus Sabinensis. Quamvis alii duos hosce Oliverios Germanos eadem aetate viventes distingant. Editus est anno 1706. in 4. Kiloni apud Bartholdum Reutherum Catalogus Bibliothecae exquisitissimae Marquardi Gudii, dum in vivis erat, Regiae Majestatis Danicae Consiliarii in Tribunali Supremo Ducatus Slesvicensis Holsatiae, tam impressorum quàm MSS. Codicum, quam anno 1706. Hamburgi ad diem 4. Augusti venalem haeres exposuit. Obtulerat Rex Daniae Summam 24. mille florenorum, si ea ipsi concederetur, sed haeres majora sperans, hanc venditioni exposuit: cumque se spe frustratum cerneret, in venditione ultra libros Bibliothecae impressos non processit, sed Manuscriptos Codices vendendos distulit, timens ne damnum inde nimium pateretur. Extat Catalogus MSS. Codicum à pag. 520. ad 576. tam Graecorum quàm Latinorum. Ibidem pag. 568. inter MSS. Codd. Historicos Latinos, Codice 303. membraneo quadrato continentur Opuscula quinque. 1. *Descriptio Regum Agarenorum seu Saracenorum.* 2. *Relatio Magistri Oliveri Coloniensis Scholastici de Expeditione Hierosolymitana.* 3. *Williramus Abbas in Canticum Canticorum.* 4. *Opus Bernonis Augiensis Abbatis.* 5. *Aurelii Victoris Epitome Historiae à Caesare Augusto ad Theodosium. Narratio haec autem de Regibus Agarenorum.* 1210

rum 1. loco posita, initium facit libri tertii Historiæ Orientalis, quam sub nomine Jacobi de Vitriaco edidit Bongarsius Tomo 1. *Gestorum Dei per Francos p. 1125*.

2. *Magistri Oliveri Coloniensis Scholastici Relatio de Expeditione Hierosolymitana*, cujus prior & melior pars nondum edita est. Bongarsius quidem in *Gestis Dei per Francos* Tomo 1. pag. 1185. evulgavit *Epistolam*, quam vocat *Oliveri de captione Damiata*, sed illa Epistola est tantùm pars posterior hujus Opusculi, quæ absque parte ejus altera priore & potiore intelligi rectè non potest. Conjungitur ea à Bongarsio qui Gretserum in *Horto Crucis* secutus est, cum iis quæ præcedunt de *Regibus Saracenorum* sub titulo libri tertii *Historia Orientalis* Jacobi de Vitriaco, cum tamen vetustus hic codex Oliverum Coloniensem Scholasticum Opusculi hujus *De Expeditione sacra* anni 1217. verum auctorem & genuinum esse testetur. Novem pagina in hoc MS. Codice præcedunt illa quæ Bongarsius edidit, tunc enim demum incipit Epistola illa *de captione Damiata*, post brevem præfatiunculam quæ ab alio quodam addita videtur, ne relationi caput deesset. Nisi fortè potius statuamus, relationem hanc *de captione Damiata*, cum præfatiuncula apud Bongarsium extante, primum ab ipso Olivero per modum Epistolæ separatim scriptam fuisse, quam posteà cum præcedente Epistola quæ prior pars hujus relationis est, *De initio Expeditionis & munitione Castri Filii Dei*, ipse auctor conjunxerit, atque in illam quam in his membranis videmus, formam redegerit. Sub finem enim hujus Epistolæ hæc verba: *de quo superius plenius scriptum est:* sive ut Bongarsius edidit: *in superioribus literis* leguntur. In fine desideratur Relationis hujus de tota illa Expeditione pars tertia, in quâ auctorem *De Damiata iterum amissa* egisse colligitur, ex Vbbonis Emmii libro VIII. *Rerum Frisicarum* sub finem ubi verba quædam ex hac relatione Oliverii *De iterum amissa Damiata* citantur. Hæc Marquardus Gudius ex MS. Codice Bibliothecæ suæ in Catalogo citato pag. 568. observavit, quibus evidenter constat Opusculi *De Expeditione sacra* fuisse tres partes, scil. primam *De initio Expeditionis & munitione Castri Filii Dei*, secundam *De captione Damiata*, tertiam *De Damiata iterum amissa* à Christianis: unde Opusculum Oliverii hucusque impressum à Bongarsio, mutilum & initio ac fine truncatum ex MS. Codice Marquardi Gudii agnoscimus. Agit de illo Cæsarius Heisterbacensis in Libris *Miraculorum sui temporis* Lib. 2. cap. 2. Lib. 3. cap. 6. Lib. 12. cap. 23. Henricus Spondanus, in exceptione *Annalium Baronii*, ad annum 1218. num. 3. Ferdinandus Vghellus tomo 1. *Italia sacra* in Episcopis Sabinensibus. Carolus Dufrenius du Cange, de utroque, *in Indice Scriptorum*, quem præfixit *Glossario media & infima Latinitatis*, columna 134.

EBERHARDVS BETHVNIENSIS IN ARTESIA, vulgò *Gracista* dictus, eo quod anno 1212. Librum *Gracismi* titulo, *carmine* exaratum, *De figuris deque octo partibus Orationis* scripserit, de quo hæc carmina extant. 1210

Anno Milleno Centeno bis, duodeno
Condidit Ebrardus Græcismum Bethuniensis.

Hic liber olim in pretio fuit, & extat typis in 4. editus Lugduni anno 1490. cum Expositionibus Vincentii Metulini, cujus meminit Antonius Sanderus in Bibliotheca Manuscriptorum pag. 222. & Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, verbo *Eberhardus*. Ejusdem Eberhardi idem forsitan opus cum superiori, *Elementa Grammatica*, MSS. asservantur Lovanii in Bibliotheca Sancti Martini, quæ etiam Lovanii edita fuisse refert Carolus Dufrenius du Cange in præfatione ad *Glossarium media & infima Latinitatis*, num. XLV. pag. 37. Joachimus Fellerus Paulinæ Lipsiensis Bibliothecæ Bibliothecarius, in Catalogo Manuscriptorum Librorum hujus Bibliothecæ, quem anno 1686. in 16. Lipsiæ edidit, meminit duorum MSS. Codicum hujus Operis. Vnius in Repositorio Philosophico I. Serie 1. in folio, pag. 189. Codice 7. *Eberhardi Gracismus, sive Grammatica regula versibus Latinis explicata cum glossis*. Et pag. 434. Codice 69. *Grammatica metrica cum glossis* inter MSS. libros Philosophicos Collegii Principum Minoris, denique ibidem, pag. 436. *Eberhardi Gracismus metricè*, exemplar tertium est, quæ in Bibliothecis Manuscriptis obvia sunt. Ejusdem item *Proverbia Seneca in Poësim versa*, Manuscripta Cantabrigiæ in Collegio Ganvilli & Caji, Cod. 147. Laudantur præterea ejusdem *Ebrardi Epistola secundum artem dictata*, ex Bibliotheca Cœnobii Dunensis Brugis in Flandria, apud Sanderum in Bibliotheca Manuscriptorum, pag. 203. Denique scripsit & *Tractatum adversus Valdenses Hareticos*, quem Jacobus Gretserus Societatis Jesu, anno 1614. cum aliis Ingolstadii in 4. edidit. Mentionem faciunt Eberhardi Bethunensis, Antonius Sanderus *in Bibliotheca Manuscriptorum* pag. 222. & 203. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Eberhardus*, pag. 211. editionis 1643. Lovanii in 4. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 95. & in præfatione ad *Glossarium* præfatum, §. 45. p. 37.

HONORIVS III. ROMANVS PONTIFEX, post Innocentii III. obitum, cum sedes unum tantum diem vacasset, creatus est Perusii in ejus locum anno 1216. decimo quinto Kalendas Augusti. Antea vocatus Centius Sabellius, patria Romanus, vir doctus & morum probitate conspicuus, ex Presbytero Cardinali tituli Sanctorum Johannis & Pauli: Hic nobili Sabelliorum familia, patre Aimerico ortus, a tenerisque annis Cænobio Latera- 1220

 nen-

nensi oblatus, & in eo Canonicorum Regularium institutum professus, a Cœlestino III. (cujus dum esset Cardinalis, æconomus extiterat) Diaconus Cardinalis & Camerarius creatus ferebat, & ab Innocentio III. Presbytere Cardinalis tituli Pammachii: cui olim privato promissum fuisse Pontificatum & Jerosolymam sub eo recuperandam fore, Urspergensis narrat. Consecratus autem in Pontificem 9. Calendas Augusti, symbolum seu sententiam sibi sumpsit, *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea:* Moxque Romam rediit ad res Ecclesiæ procurandas. Scripsit Collectionem Epistolarum Decretalium, quæ Compilatio seu Collectio Decretalium computatur quinta ex vetustis evulgatis, impressa ex MSS. Codicibus, Tholosæ in folio anno 1645. ab Innocentio Cironio cum Notis ibidem, & cum aliis Opusculis ejusdem Cironii ad Jus Civile spectantibus. Unum hic addam notatione dignum, nimirum in secretioribus Vaticanæ Bibliothecæ armariis haberi Regesta omnium ferme Epistolarum, quas Summi seu Romani Pontifices scripserunt, ab Innocentio III. qui anno 1198. sedere cœpit, usque ad Urbanum VI. qui anno 1378. sedit. Hoc constat ex illis qui eas sæpissime allegant in *Annalibus* suis, Odolvico Rainaldo, Abrahamo Bzovio, Henrico Spondano, Luca Wadingo, & aliis. Idem Pontifex scripsit vel scribi saltem fecit Volumen *grande Censuum Romanæ* Ecclesiæ, quod MS. extat in Bibliotheca Vaticana; cujus etiam in secretioribus armariis *Registrum Epistolarum* MS. asservatur quinque voluminibus in folio. Cum ergo Romanam Ecclesiam ab anno 1216. tenuisset ac pacifice rexisset, tandem Imperatorem Fredericum II. excommunicavit, quod moras ipse necteret ad colligendum exercitum, atque in Asiam adversus Saracenos proficiscendum. Obiit tandem anno 1217. die 18. Martii, de quo omnes qui *De Summis Pontificibus*, vel *De Cardinalibus* scripserunt, atque inter cæteros *Nomenclator Cardinalium s. R. Ecclesiæ Scriptorum*, pag. 20. Omnes etiam qui novissimorum temporum Historiam Ecclesiasticam scripserunt. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 114. At juxta Guilielmum Cavum in *Historia rei literaria* ad annum 1216. pag. mihi „709. HONORIUS III. ROMANUS PONTIFEX, *Centius Sabellius* seu de *Sabellis* antea „dictus, natione Romanus, Haymerici filius, a „Cælestino III. Diaconus Cardinalis & Camerarius, ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis factus est. Electus postea Romanus Pontifex Perusii anno 1216. die XVIII. Julii, die „autem XXIV. consecratus. Summa ei voto„rum ac studiorum fuit, ut Saracenos in Asia „& Albingenses in Gallia opprimeret, validis „Crucesignatorum copiis. Quod quidem tan„to animo ursit, ut Frederico Imperatori exercitum conflare, & in Orientem ducere," sub anathematis pœna semel & iterum man-" daverit, morasque nectentem, anno tandem," 216. excommunicaverit. Cum anno 1217. Or-" dinem Carmelitarum recens institutum con" firmasset, multaque laudibus digna in Ponti" ficatu gessisset, obiit anno 1227. die XVIII." Martii. Extant illius *Epistolæ VI.* Concilio-" rum Tom. XI. pag. 242. Aliæ III. apud Ba-" luzium Tomo II. *Miscellaneorum* pag. 252. Aliæ" VII. apud Lucam Waldigum in *Annalibus Minorum* Tomo I. ad annum 1219. & *Aliæ III.*" ibidem in *Regesto Pontificum* pag. I.„ Hæc quidem de Opusculis *Honorii III.* Romani Pontificis, Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria*, Sæculo XIII. ad annum 1216. pag. mihi 709. Cui in Supplementum addimus longe plura ab eo scripta fuisse, dum Cardinalis esset, atque *Centius de Sabellis* vocaretur. Conscripsit enim *Ordinem Romanum de consuetudinibus & observantiis, Presbyterio vel Scholari, & aliis Ecclesiæ Romanæ, in præcipuis solemnitatibus.* Edidit illum ab exemplari Cardinalis Barbarini Joannes Mabillon, Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, Tomo 2. *Musæi Italici* a pag. 167. capitibus XLIX. comprehensum, Parisiis anno 1689. in 4. Huic pag. 165. sequentia præmittit non indigna quæ hic inserantur.

Quis fuerit Censius consequentis libri" auctor, nemo id melius explicaverit, quam" Onufrius Panvinius in ea Præfatione, quam" eidem libro præfixit in magno Opere *Rituum Veterum*, quod Romæ in Bibliotheca Pontificia Palatina, & apud Parisios in Regia as" servatum. Hæc autem Præfatio sic habet."

Fr. Onufrius Panvinius pio Lectori Salutem.

Cum veteris Bibliothecæ Palatinæ, omnium instructissimæ libros evolverem, ut aliquid invenirem, quo in Scribenda Historia Ecclesiastica sublevari possem, forte incidi in pervetustum Codicem, qui *Censuum* inscribitur, ante annos, plus minus quadringentos collectum, & in unum corpus redactum a Censio, quondam Diacono Cardinali Sanctæ Luciæ in Orphio & S.R.E Camerario sub Cœlestino Papa III. qui post Innocentii III. mortem, Romanus Pontifex renuntiatus, *Honorius III.* nominatus est. In eo cum omnibus S. R. E. reditibus, vectigalibus & censibus, ab eodem *Censio* summa diligentia, cum singulorum publicis instrumentis in unum redactis. *Hic etiam omnium vetustissimus Ritualis seu Cæremonialis liber descriptus est;* in quo sanctæ illius ac venerandæ vetustatis puritas & sinceritas, atque Romanæ Ecclesiæ in tractandis sacris & re divina celebranda, summa cura & observantia inspicitur. Multa insuper cognitu non indigna, & ad Ecclesiæ præsentis status primordia dignoscenda, idonea inde hauriri possunt. Quem librum cum

ego

ego hominum lectione dignissimum existimassem, illum in brevem hanc formam contractum, Ecclesiasticæ antiquitatis studiosorum manibus ferendum evulgavi. Cum nihil, quod ad ejusmodi studia sublevanda pertinere existimem, in obscuro, quantum a me fieri potest, „jacere permittam. "Hactenus *Onufrii* Præfa„tio, ex qua intelligitur, ab eo librum *Censii* in „aliam ab ea, quam auctor instituerat, formam „redactum fuisse. Hæc autem nova forma sic „se habet. Totum opus dividitur in tres par„tes. Prima pars constans capitibus XXVIII. „continet omnes ritus, qui ab Adventu Domi„ni ad Exaltationem Sanctæ Crucis, in Ecclesia „Romana usitati sunt. Secunda pars, est de „Presbyteriis per annum erogari solitis, deque „variis officialibus Pontificis, habetque capita „XXIII. Tertia est de Electione & Conserva„tione Pontificis, ac de Coronatione Imperato„ris. Nobis autem purum putum *Censii* li„brum exhibere, satius visum est. Felix Can„telorius, archivii Vaticani secreti olim custos, „in Epistola ad Cardinalem Barbarinum, cum „ei transcriptum prædicti libri dono daret, „asserit, *Ritualem hunc vetustissimum ante annum* „*M CXCII in Romana Ecclesia usurpatum, a Censio* „*insertum fuisse libro de Censibus.* Censius tamen "libri scriptor censendus ex num. 72. etsi ritum „ante suum tempus receptum & observarum tradiderit." Idem Cancellarius sub Cœlestino III. fuit, Sabelius cognominatus.

Idem Commentario in Ordinem Romanum §. 2. pag. X. iterum de *Censio* his verbis. „Legatur Præfatio ipsius Censii in librum S. R. „E. apud Baronium, sub finem anni M CXCII. „sub hoc titulo: *Incipit, Liber Censuum S. R. Ec„clesiæ a Censio Camerario compositus secundum* „*antiquorum Patrum regesta & memorialia diver„sa, anno Incarnationis Dominicæ millesimo cente„simo nonagesimo secundo, Pontificatus Cœlestini Pa„pa III. anno secundo.* Et paulo infra, *Ego Cen„sius, quondam felicis recordationis Clementis Pa„pa III, nunc vero Domini Cœlestini Papæ III. Ca„merarius, sanctæ Mariæ Majoris canonicus &c.* Hæc de *Censio* Baronius, cujus opus prolixum De censibus S. Romanæ Ecclesiæ, extat in archivo secreto eiusdem Ecclesiæ, Baronio atque Mabillonio, aliisque testibus.

1220 ANTONIUS DE PADUA, natione Lusitanus, origine Vlyssipponensis, nuncupatus *De Padua* ex Sepulturæ loco, ex Canonico Regulari sancti Augustini Conimbricæ, amplexus novum Institutum fratrum Minorum a Francisco illo Assisiate recenter excogitarum, circa annum 1220. ubi biennio expleto Presbyter ordinatus, anno 1222. ad Cœnobium Vercellense bonis adhuc litteris erudiendus missus, Thomam sancti Andreæ Vercellensis Abbatem in Theologia tunc temporis clarum audivit, ut supra in *Thoma S. Andreæ Vercellensis Abbate* explicuimus: sub quo tantum in hoc studiorum genere profecit, ut primus Ordinis Minorum Theologiæ Professor extiterit. Multa scripsit, de quibus abunde agunt Bellarminus & Labbeus in Libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, hic ad annum 1231. iste tomo I. pag. 94. & 95. & doctissimus Lucas Waddingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, pag. 34 quas consulas. Mortuus est Patavii anno 1231. die 13. Junii, multis clarus ut scribunt Minoritæ, miraculis. Cum autem Antonius de Padua *Sermones plurimos* scripserit, qui variis temporibus & locis impressi sunt nimirum Parisiis an. 1521. per Badium Ascensium, Venetiis anno 1575. in 8. apud Joannem Antonium Bertranum, ac Parisiis tandem magno fastu in fol. cum Opusculis sancti Francisci Assisiatis anno 1641. a Joanne de la Haye apud Carolum Rouillard: his Supplementum nuperrime adjecit Antonius Pagi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, desumptum ut mihi [illegible]it ex MS. Codice Bibliothecæ fratrum Minorum Florentinæ, anno 1684 Avenione in 8 impressum apud Petrum Offray charta præloque pessimis. Illud in scriptura *Sermones de Sanctis in particulari, Sermones de Diversis.* Vidi ac nonnullos legi, qui mihi admodum simplices ac jejuni esse videntur, vel mediocri homine, ne dicam Doctore, indigni: unde nisi grandioris meriti alia Opera sancti Antonii de Padua fuerint, conducebat conceptæ de hoc sancto existimationi & opinioni, modicas ejusmodi merces in Bibliotheca Florentina latere, quam foras erumpere. Sane qui majori scriptorum mole obruuntur, non inde semper majorem gloriam referunt, nisi evulganda conceptis de Auctoris opinionibus suffragentur. Agunt de Antonio Paduano, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro.* Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis.* Lucas Waddingus in *Annalibus* & in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum.*

RIGORDVS, natione Gallus seu Gothus, 1220 Chronographus Regius uti se appellat, & Philippo Augusto Physicus seu Medicus Regius constitutus, *Sancti Dionysii Clericorum Minimus*, ut in præfatione se ipsum nuncupat, *Gesta Philippi Augusti Francorum Regis* soluta oratione descripsit, quæ Ludovico VIII. Augusti filio ac Successori nuncupavit. Cum autem Ludovicus VIII. anno 1224. patri in Regno successerit ac triennium regnaverit, intra hoc triennium historiam hanc a Rigordo Medico ac forsitan etiam S. Dionysii Monacho compositam esse constat. Impressus primum Commentarius est, in *Collectaneo Historicorum Franciæ*, continente *Historiam Francorum ab anno Christi nongentesimo usque ad annum millesimum ducentesimum octogesimum quintum:* hoc est enarrante Carolinæ Stirpis extrema & Capetiorum Regum res gestas, usque ad Philippum Audacem Sancti Ludovici filium, quod anno 1596. Francofurti in Germania Wechelianis typis

typis editum est, ex Bibliotheca Petri Pithæi. Idem Opus immissum postea in Collectionem *Scriptorum Veterum Historiæ Francicæ*, ab Andrea Duchesnio vel Francisco ejus Filio, tomo 5. ad MSS. Codices emendatum. Agunt de *Rigordo Historico* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 459. ultimæ editionis. Antonius Possevinus, tomo 2. *Apparatus Sacri.* Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columma 143.

1220 GVILLELMVS BRITO, SEU ARMORICVS, Presbyter. Scripsit anno 1226. *Gesta Philippi Augusti Francorum Regis* Carmine heroico, sub nomine *Philippidos* quam libris 12. distinxit. *Guilielmi Britonis Philippidos libri XII.* ex Casparis Barthii curis & recensione editi anno 1658. Lipsiæ in 4. cum Commentariis doctissimis. Opus autem istud editum primo ab Petro Pithœo in Collectaneo *Historicorum Franciæ*, Francofurti anno 1596. Wechelianis typis, in quo continentur Rigordus *De gestis Philippi Augusti Francorum Regis*, Guillelmus de Nangiaco sancti Dionysii Monachus, *De gestis sancti Ludovici IX. Francorum Regis ac Philippi Audacis ejus Filii & successoris anno 1285 mortui*, & anteriores alii anonymi. Idem Opus Guillelmi Britonis, immissum in tomum V. Collectionis Duchesnianæ *Historicorum coætaneorum Franciæ*, p. 68. Ex hoc authore pauca quædam adducit Meierus in *Annalibus Flandriæ* ad annum 1180. & 1199. ex quibus liquet verbis allatis, quod non tantum carmine, sed prosa etiam ac oratione soluta scripserit. Inde non opinor unum & eundem esse cum Guillelmo Nangiaco, Monacho sancti Dionysii juxta Parisios, Ordinis divi Benedicti, qui præter Epistolas ad diversos, *libros etiam tres Historiarum conscripsit*, propter quos inter nobiles Galliæ Historiographos, illum refert MS. author *Hierarchiæ Subcælestis* Lib. 4. cap. 9. Extrat *Chronicon Guillelmi Aranorici*, ab incarnato Christo ad annum 1269. in quo multa habentur de Gestis Philippi, Regis Franciæ & Ludovici ejus Filii, in Bibliotheca Cottoniana sub Vespasiano litera D. Codice 4. num 1. quod senex valde composuit. Agunt de *Guillelmo Britone* Gerardus Joannes Vossius Libro 3. De *Historicis Latinis*, parte 2. ubi de historicis incertæ ætatis, verbo *Guillelmus Aremoricus*. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, columma 118. ubi eum vult fuisse *Capellanum Philippi Augusti Francorum Regis* anno 1224. mortui, cujus Vitam edidit. Idem col. 118. inquit Guillelmum Britonem Armoricum Scripsisse *Philippidem* seu *Vitam Philippi Augusti Francorum Regis* 12. libris carmine, quam Ludovico filio dicavit, editam a Pithæo, Duchesnio, & Barthio, a quo notis illustratur. Extitit alter ejusdem nominis & cognominis, sed natione Anglus & Ord. Minorum, auctor *Vocabularii Biblici MS.*, qui anno 1356. obiisse dicitur, de quo idem Du Cange col. 118. citati Scriptorum indicis.

JOANNES ALGRINUS, S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS, SABINENSIS EPISCOPUS, cognomento *De Abbatis* Villa a natali solo, ex hac enim urbe Pontivi primaria oriundus fuit, Doctor Theologus Parisiensis, anno 1220. ob doctrinam celebre sibi in Gallis nomen acquisivit. Vnde factum, ut probis moribus huic eximiæ mentis eruditioni accedentibus, postea Ambiarensis Ecclesiæ celeberrimæ Decanus factus sit, qui ut Albericus quoque in *Chronico* MS. scribit, anno 1225. in Archiepiscopum Bisuntinensem, postridie sancti Lucæ Evangelistæ consecratus est. Idem Anogniæ a Gregorio IX. qui eum in magisterio scholarum Parisiensi noverat, Mense Septembri anni 1227. Cardinalis creatur tituli sanctæ Sabinæ Episcopus, statimque ad Cruciatam (ut vocant) adversus Saracenos prædicandam, in Lusitaniam & Hispaniam legatus mittitur. Inde ab eodem ad Fridericum II. Imperatorem delegatur, quem ad pacis amicas compositiones adduxit. Hic adjecit *Breves Notas* ad Commentarium prolixum Thomæ Cisterciensis in Cantica Canticorum, quarum prologus incipit: *Ad honorem Matris & Filii Cantica Canticorum expositurus* &c. quas cum dicto Commentario Thomæ Cisterciensis Libris 12. distincto edidit in folio Parisiis anno 1521. Jodocus Bodius Ascensius. Has autem *Breves Notas* dicto Thomæ Cisterciensis Commentario Joannes Alguinus anno 1233 tempore Domini Gregorii Papæ IX. adjecit, ut indicat citata Parisiensis editio Ascensii: nisi quod plausibilius ac verisimilius est, utrumque Commentarium simul jungere in editione allata, Ascensio pro lubitu placuerit. Extat enim MS. in Bibliotheca Parisiensi Choletana Cod. 37. *Joannis de Abbasis Villa in Cantica Canticorum expositio a Romana Ecclesia approbata anno 1233.* ut habet Manuscripti titulus. Idem Opus sub nomine *Joannis Cardinalis & Episcopi Sabinensis*, MS. his in Vltrajectensi bibliotheca num. 252. K. K. it. idem cum Beda & aliis *super Cantica* num. 243. f. ut Catalogus habet parte I. pag. 99. Librorum impressorum, & Manuscriptorum hujus bibliothecæ, qui anno 1670. in folio Vltrajecti editus est. Scripsit idem Joannes Commentarium seu Sermones in Psalterium, qui extant MSS. in Bibliotheca Claræ Vallis, & Longipontis Littera A. 4. in folio. In qua utraque Bibliotheca extant ejusdem *Joannis de Abbatis Villa Sermones in Epistolas & Evangelia totius Anni*, MSS. sicut & in Abbatis sanctæ Trinitatis Vindocinensis & Beatæ Mariæ de Lyra Ordinis divi Benedicti, & alibi sæpius. Scripsit igitur *Sermones de tempore & de Sanctis per annum*, de quibus ita loquitur Henricus Gandavensis 1220

in

in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 38. Joannes dictus de Abbatis Villa, ex Magistro Theologiæ Parisiis Archiepiscopus Bisuntinus, & inde Romæ Episcopus Cardinalis, scripsit Sermones tam de Dominicis, quam de Festivitatibus. Lectiones Evangelicas & Apostolicas breviter exposuit: post hæc Sermones valde prolixos, tot inductis Scripturarum sanctorum testimoniis, quot vix possint memoriæ commendari. Habentur *Sermones prolixius compositi*, MSS. Angliæ Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 40. & in Archivis Collegii Caji Codice 41. *Brevius autem compositi* cum solis Lectionum & Apostolicorum brevibus Expositionibus, Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis, Codice 271. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana, Codice 169. it. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji Cod. 155. Inveniuntur pariter in insignioribus Galliarum Bibliothecis. Nimirum in Regia Parisiensi Cod. 4086. in fol. qui ferme 400. annorum est, cum tabula materiarum. Incipiunt, *cum sacro sancta matre Ecclesia &c. Sermo primus de Evangeliis*, cum appropinquasset Jesus Jerosolymis &c. *Evangelium istud deservit duabus Dominicis &c.* Item Cod. 4387. a fol. 19. ad finem & 4512. in 4. 300. annorum. Idem in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, littera Q.Q. 18. *Sermones de Evangeliis* fol. 1. *Sermones de Epistolis* fol. 109. *Sermones de Sanctorum Festis*, fol. 154. &c. Alii item Litteris O O O 7. & R. R. 4. In Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, Codd. 403. & 654. sed male hoc ultimo, sub nomine *Joannis de Rupella* pro *Joanne de Abbatisvilla*: nam incipiunt iisdem verbis quibus alii omnes MSS. Codices, de quibus supra. Denique in celeberrima Colbertina, Cod. 1075. & 1744. & in celebri Bibliotheca Vallis Lucensis Ordinis Cisterciensis, pulpito 24. Litteris M. it. L. Reversus Romam, anno 1236. vel potius 1237. quarto Calendas Octobris obiit, de quo vide Franciscum Chiffletium in *Gallia Christiana* fratrum Sammarthanorum tomo primo, verbo *Bisantinenses Archiepiscopi*. Et Jacobum Chiffletium in Opere inscripto, *Vesuntio Sequanorum Metropolis*. Extant apud Matthæum Westmonasteriensem ad annum 1237. Litteræ Magistri Joannis de Columna Cardinalis Diaconi ad Ortobonum Legatum hoc anno Apostolicum in Anglia, sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, de statu Romanæ Ecclesiæ, a qua Græci sese recenter divulserant, quæ Joannem de Abbatis Villa Cardinalem, hoc anno mortuum esse restantur: quibus in litteris honorabilem facit M. Joannis de Abbatis Villa Doctoris Parisiensis olim Archiepiscopi Bisuntini, postea Cardinalis Episcopi Sabinensis mentionem. „Accedit (inquit) ad doloris cumulum, nobilis „illa columna, quæ tam magnifice structuram „Ecclesiæ sustentabat, recolendæ videlicet me„moriæ Dominus Sabinensis, subito subtractus „de medio: molestiæ dolore primum percussus, ac postremum infirmitate lenta vexatus „abiit in Domini potentias ingressurus, ruinæ „casum occasionaliter matri relinquens, cum „gemitu & mœrore.„ Causa mœroris præcipua erat Schisma Græcorum qui expulso Imperatore suo Latino Balduino Petri Antissiodorensis Comitis Filio, Germanum Patriarcham Constantinopolitanum constituerant Antipapam, & veteribus erroribus novos addiderant. Visa, inquit, *tanta malitia & oppressione, erigitur Græca Ecclesia contra Romanam, Imperatorem suum expellendo, & soli Archiepiscopo suo Constantinopolitano nomine Germano obediendo, qui procaciter Græcorum errores non tantum veteres, imo novos & adinventos diffundens, enormiter a religione Catholica delirat.* Agunt de Joanne Abbatis Villensi Henricus Gandavensis in libro *De scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 38. Aubertus Miræus ad dictum caput in Scholiis suis. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* fol. 810. Seculum V. *Historiæ Universitatis Parisiensis* ad annum 1237. fol. 163. & in Catalogo illustrium Academicorum fol. 692. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1227. pag. 713. ubi male ipsum anno 1236. mortuum scribit.

BARTHOLOMÆUS CLUNIACENSIS ABBAS, eodem tempore florebat ob virtutem & doctrinam clarus, Monasticam vitam apud Cluniacum professus. Scripsit circa hunc annum 1220. *Sermones per totum annum de tempore ac de Sanctis & de communi Sanctorum*, Opus quod sæpissime ac ferme semper anonymum ego in Bibliothecis plurimis vidi. Inscribitur in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4295. *Speculum Claustralium ex dictis Sanctorum Patrum Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Origenis, & aliorum compositum.* Codex in folio 400. annorum vel circiter authori coævus, cujus Prologus incipit, *Quam jucunde videbit æternum Dei tabernaculum, qui aliquid ibi de suo recognoverit &c.* Dominica prima Adventus, *Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis &c. Erudit nos Carissimi Sapientia Dei Patris, in ascensu suo ad terrestrem Jerusalem &c.* Idem Opus MS. Codice 4110. atque in Bibliothecis aliis. Porro Bartholomæus post Rolandi cessionem, Abbas Cluniacensis anno 1228. factus est, quam cum Ecclesiam annis duobus probe administrasset, Cluniaci anno 1230. Calendis Maji viam universæ carnis ingressus est, ibique retro Chorum tumulatus. De illo Sammarthani fratres modice quidem in *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 280. ubi de Abbatibus Cluniacensibus. Accensent autem illum Scriptoribus Ecclesiasticis, Antonius Sanderus in *Bibliotheca Manuscriptorum, Belgicorum*. pag. 180. & 351. ubi eum Scripsisse Sermones asserit. Carolus Dufresnius du Cange, in *Indice Scriptorum* quem præfixit Glossario *mediæ & infimæ latinitatis*, columna 87. 1220

JA-

1220 JACOBVS DE VITRIACO, S. R. ECCLES. CARDINALIS EPISCOPVS TVSCVLANVS natione Gallus fuit, ex Victriacensi vico Diœcesis Parisiensis, oriundus, qui cum insigni cura litteris humanioribus ac Philosophicis, Theologicisque animum appofuisset, Sacris Ordinibus a Præsule suo Parisiensi initiatus, atque Parochiæ Argentoliensi administrandæ ab eo designatus est. Postea tamen hic relicta Lutetia, despecta Argentoliensi parochia atque Studiis Theologiæ abjectis, adjunxit se Canonicis Regularibus in Belgio, primum S. Mariæ de Villebrouque in Brabantia, deinde Sanctæ Mariæ de Oignies dictæ, ad Sabim fluvium. Multas obiit legationes, cum in pulpito eloquens ac promptus esset, qui factus primum Aconensis Episcopus, quæ urbs olim Ptolemais, deinde (ut volunt) Patriarcha Hierosolymitanus, denique S. R. Ecclesiæ Cardinalis & Episcopus Tusculanus a Gregorio IX. mense Decembri anni 1228. vel ut alii scribunt, anno 1230. Claruit autem ab anno circiter 1220. acerrimus Hæreticorum persecutor, egregius ad plebem sermonum declamator. Hæc omnia quæ de Jacobo Vitriacensi scribimus, paucis ita exprimunt Chronica Brabantiæ. *His temporibus fuit venerabilis Magister Jacobus de Vitriaco, qui ante fuerat in villa prope Lutetiam Parisiorum, Argentolio Presbyter creatus. Hic audita celebritate famæ Virginis devotissimæ, Mariæ de Oignies, progenitæ ex Civitate Nivella, valedictis Studiis Theologicis, ad ipsam accessit. Quæ illum benigne excepit, summisque ab eo precibus obtinuit, ut fratribus ibidem religiose viventibus commanere & cohabitare non detrectaret. Quo facto, seculoque abnegato, in Monasterio Oiginacensi factus est Canonicus Regularis. Cujus item parochia cura, cum ei commissa esset, eidem Mariæ in eadem parochia conversanti, propter vitæ ipsius Sanctitatem valde familiaris effectus est &c.* Sunt tamen qui velint ipsum dictum esse *Jacobum de Vitriaco* ab urbe Vitriaco in Campania Diœcesis Catalaunensis, unde oriundus, postea Parisios accesserat: Sed rectius alii a pago Vitriaco ad ripam Sequanæ prope Lutetiam, cujus & natalis loci nomen semper retinuit. Scripsit non contemnenda Opuscula, de quibus Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. His addo quantum ad *Sermones Jacobi Vitriacensis* in folio anno 1575. Antverpiæ apud Viduam & hæredes Joannis Sreltii impressos, partes tantum illorum quatuor esse impressas, quæ spectant ad Sermones de tempore: sed *quintam partem* quæ de Sanctis est, & *sextam* quæ De variis hominum statibus, cum partibus etiam impressis, haberi Manuscriptos in fol. sex voluminibus in Bibliotheca Alnensi Ordinis Cisterciensis, Episcopatus Cameracensis, in Ditione tamen temporali Leodiensi, ubi eas vidi ac tenui. Ejusdem iidem *Sermones de tempore & de Sanctis*, MSS. quatuor voluminibus, Oxonii in Bibliotheca Merthonensi, Codice 150. & sequentibus. Ejusdem *Sermones de Sanctis*, & *de sex dierum operibus*, MSS. in Bibliotheca Sancti Martini Tornacensis. De aliis eorundem Sermonum MSS. Codicibus agit Antonius Possevinus in *Appendice Apparatus sacri*, ad calcem tomi primi, verbo *Jacobus Vitriacensis*. Ejusdem insignis *Epistola Scripta anno 1219.* ad Honorium Papam tertium, extat tomo VIII. *Spicilegii* Lucæ Dacherii, pag. 373. Scripsit etiam insignem alteram *Epistolam ad familiares suos in Lotharingia de capta Damiata*, quæ habetur in Collectione *Gestorum Dei per Francos*, confecta à Jacobo Bongarsio, tomo 2. pag. 1146. ad calcem ultimi libri *Historiæ Orientalis seu Hierosolymitanæ*, quam ibidem legas. Condidit autem *Historiam Orientalem seu Hierosolymitanam*, quo de opere sic Henricus Gandavensis in libro *De viris illustribus* cap. 37. *Jacobus de Vitreio, Episcopus Acconitanus, scripsit Historiam quam vocavit Orientalem, in qua multa expressit de rebus ibi gestis, ex quo Occidentales loca illa primò armis vindicare cœperunt.* Meminit & Antoninus Florentinus Archiepiscopus in *Summa Historiali* parte 3. titulo 24. cap. 7. paragr. 1. Atque credibile est scriptum primò ab eo unicum librum *De Historia Orientali*, qui solus sæpissimè MS. extat in Galliarum Bibliothecis, ut in Regia, Colbertina, Victorina bis, Codicibus notatis BBB. 2. BBB. 5. & Oxonii in Bibliotheca Mertonensi, Codicibus binis 42. & 53. Postea verò per otium, opus tentatum, iteratò resumptum adauxit, nec res solum *Hierosolymitanas vel Orientales*, sed *Occidentales* etiam, cum *Expeditione Occidentalium usque ad expugnationem Damietæ seu Pelusii*, tribus libris, etiam Orbi Christiano tradidit. Tripartitam enim historiam contexuit, quod ut melius intelligatur, verba ipsius authoris ex præfatione ejus referam, quæ solum extat apud Henricum Canisium tomo VI. *Antiquarum Lectionum.* „Pro tribus minutis, præsens Opus" tribus conclusi libellis. In primo libro, Histo-" riam Hierosolymitanam breviter perstringen-" do, de his quæ in partibus Orientis Dominus" operatus est, disserui: describens diversa in ha-" bitantium genera, Civitates etiam & alia loca," de quibus frequentius in Divinis Scripturis" mentionem fieri reperio, diversas etiam rerum" proprietates ac naturas. In secundo libro," modernam Occidentalium historiam sub com-" pendio pertransiens, de his quæ Dominus in" partibus Occidentis, diebus istis novissimis o-" peratus est, & præcipuè de diversis tam Regu-" larium quam secularium Ordinibus pertracta-" vi: de Ordine & religione Crucesignatorum," utilitateque peregrinationis in fine plenius e-" disserens. In tertio libro, ab Occidente ad" Orientem regrediens, de his quæ post Genera-" le Concilium Lateranense, Dominus in populo" suo & in exercitu Christianorum, usque ad ca-" ptionem Damiatæ operari dignatus est, sicut" propriis oculis vidi, tractare cœpi. " Hi tres libri primum anno 1597. Duaci in Belgio prodierunt, cura Andreæ Hoji Brugensis, Græcæ

Linguæ in ea Academia Professoris, qui sub initium Vitam Jacobi de Vitriaco subtexuit, seu præmisit, à se Carmine heroico compositam. Itemque alteram eodem Carminis genere compositam, per M. Franciscum Moschum Nivigellensem, Juris utriusque Licentiatum, & Armentariensem Pastorem. Posteà Liber primus tertiusque Jacobi de Vitriaco, Hanoviæ in Germania anno 1611. in folio recusi fuerunt, tomo 2. *Historiæ Orientalis*, seu *Gestorum Dei per Francos* pag. 1047. curâ & studio Jacobi Bongarsii Galli, qui ex MSS. Codicibus emendatiores non modicè ac ampliores impressi sunt. Secundus autem Liber omissus ibi est, quia ad Orientalem historiam nihil pertineret, ibique ex anteriori editione Duacensi peti jubetur. Incipit liber primus pag. 1047. ab errore Pseudoprophetæ Mahumetis, inde progreditur ad Petri Eremitæ peregrinationem, desinitque in Coronatione Regis Joannis de Brenna seu Brana, quæ in annum 1210. incidit. Tertius autem liber ad annum 1218. terminatur, quo obsessa captaque Damiata est. Horum autem trium Librorum Prologus, legitur solum tomo VI. *Antiquæ Lectionis* Henrici Canisii. Hæc omnia conveniunt apprimè his tribus Jacobi Vitriacensis libris, qui anno primum 1597. impressi sunt Duaci. Gerardus tamen Joannes Vossius, vir doctissimus Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 57. pag. 465. editionis ultimæ, opinatur ex his, librum tertium non esse verum Jacobi Vitriacensis fœtum, sed suppositum, quamvis ex conjecturis tantum quas etiam ipse solvit, sententiam suam promat. Sic autem ibi loquitur. „Sed ex tribus hisce libris duo tantum superſunt, imò ne „in Manuscriptis quidem tertium reperiri arbitror: nam qui tertius creditur, alterius esse „videtur, siquidem in eo Acconensis Episcopi, „hoc est, Vitriaci mentio fit. Præterea quæ „hìc de Saphadini libris & locis terræ sanctæ dicuntur, ea extant Gallicè, atque authorem „præferunt Patriarcham Hierosolymitanum. „Denique bona pars hujus libri, legitur in Epi„stola Oliverii Coloniensis. Sed enim dixerit „aliquis, Vitriacum sui meminisse, ut multi fece„re ex antiquis: & per Patriarcham Hierosoly„mitanum, signavi fortasse eundem Vitriacum: „quia ab Alphonso Ciacconio proditum est, eum „temporibus Gregorii IX. ex Episcopo Acco„nensi creatum fuisse Patriarcham Hierosoly„mitanum: sed Pontificem Romanum, quod „satius existimaret, ut in Italiam revocatus ope„ra sua Romanæ inserviret Ecclesiæ, Canociscis „in Oriente, ejus loco Nannetensem obtulisse „Episcopum. Quodque ad Oliverium attinet, „forsitan is sua potius ex Vitriaco exscripsit. „Sed hæc licet verisimiliter dici possint, judicio „tamen meo verior sit sententia prior. In„terim sentiat de eo quisque, prout volet. Hæc Vossius, graviter simul & modeste, pro more suo. His tamen haudquaquam conjecturis assentiri possum. Nam pro-

logus tribus his libris præmissus, quem ex MS. Codice retulit. Henricus Canisius tomo VI. *Antiquæ Lectionis*, probat indubiè hos tres libros spectare ad eundem Scriptorem: unde liber tertius non minus asseritur Jacobo Vitriacensi, quam primus & secundus, de quibus tamen non dubitat Gerardus Vossius. *Præterea* hi tres libri apprime conveniunt *præfationi allegatæ*, quæ de tribus libris uti de tribus min..tis, mentionem facit. Sunt igitur hi libri ejusdem authoris, omnes. *Tertiò* Liber *tertius* appellat *primum* sub ipso sui initio, dum sic incipit: *Dominus Papa Innocentius bonæ memoriæ, volens scire mores Turcorum & vires Saracenorum &c.* pag. 1125. quod ipse idem Vitriacus Libro primo complevit. *Denique* cum in his rebus Codices m nuscripti rem definiant, ortum est non deficere MSS. Codices hujus libri tertii, quemadmodum incogitanter scripsit Vossius: nam primus qui hos tres libros sub nomine Jacobi Vitriacensis anno 1597. Duaci edidit Andreas Hoius Brugensis, haud dubie illorum trium MS. Codicem habuit. Vidi ego & alterum MS. Codicem horum trium librorum sub nomine Jacobi Vitriacensis, Parisiis in manibus Jacobi Hommey Ordinis Eremitarum divi Augustini, quem ex Bibliotheca Sorbonica mutuatum acceperat. Nec mihi dubium, quin alii etiam multi reperiri possint, in MSS. potissimum Bibliothecis Cisterciensium in Gallia, si cum studio inquirerentur. Non ergo verum est quod scribit Vossius: *Sed ex tribus hisce libris duo tantum superſunt, imò ne in MSS. quidem tertium reperiri arbitror.* Hos libros non complevit Jacobus de Vitriaco, nisi temporibus Gregorii Papæ noni, ac postquam ab eo factus fuerat Patriarcha Hierosolymitanus circa annum 1228. Imò postquam reversus est in Europam, ex itineribus istis transmarinis.: unde sequitur eum exscripsisse Oliverium Coloniensem, non autem se ab Oliverio fuisse exscriptum, ut putavit Vossius. Nam vix opus istud Jacobi Vitriacensis ante annum 1230. affirmare compositum possumus, cum è contrario constet *Epistolam illam insignem Oliverii Coloniensis*, ante annum vel anno 1225. saltem scriptam esse: quippe quam ad S. Engelbertum de Altena Coloniensem Archiepiscopum, anno 1225. sexto Idus Novembris pro defensione Ecclesiasticæ libertatis apud Gevelsbergam trucidatum, scripserit. Nec mirum, quod Jacobus de Vitriaco Oliverium exscripserit, quippe quem & vera narrantem conspiceret, ac rebus ipsis præsentem fuisse, agnosceret. Obiit *Jacobus de Vitriaco* Romæ anno 1244. die 30. Aprilis, cujus cineres & ossa ad Abbatiam Oigniacensem relata, & in sepulchro quod ibi magnifice extructum fuit, recondita. De quo Bellarminus & Labbeus, in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 465. ultimæ editionis. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Jacobus de Vitriaco* pag. 434. editionis 1643. Lovanii in 4. Seculum

lum V. *Historia Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum pag. 670. Franciscus Moschus & Andreas Hoius Brugensis in editione *Historicorum librorum* Jacobi de Vitriaco, quam anno 1597. Duaci in 8. procuraverunt. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 117. cum aliis innumeris.

1220 HUGO DE MIROMARI, Gallice de Miramors, MAGALONENSIS ARCHIDIACONUS, Montis Rivi Monachus, ex Ordine Carthusianorum, floruisse videtur circa hunc annum 1220. & aliquanto post, usque ad annum 1230. quantum datur conjicere ex MSS. Codicibus Operum illius, ad hanc ætatem accedentibus. Scripsit *Tractatum De antonomasia & Mysterio hujus numeri quatuor* satis prolixum, qui est MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4513. Inscribitur, *Hugonis de Mirammors quondam Archidiaconi Magelonensis, postea Monachi Montis Rivi.* Incipit, *Fratri in Christo Guillelmo Montis Rivi Monacho, Frater Hugo ejusdem loci Monachorum minimus & humillimus salutem. Tibi frater admiranti, quid est quod ego tot cudo carmina, membranasque occupando &c.* Ejusdem *flores Juris Canonici*, ibidem MSS. Codice 4252. quorum hic titulus, *Incipiunt flores nota digni Juris Canonici in præsenti Opere compilati, per Magistrum Hugonem de Mirumars, sub suis tamen locis, capitulis, & authoritatibus conservati.* Incipit Prologus, *post Decretorum Juris Canonici apices, tanquam per prata amœnissimis repleta floribus &c.* Ejusdem *Speculum*, ibidem pag. 61. constans octo vel novem libris, quorum Prologus, *Tibi Fratri Guillelmo Eremitæ Montis Rivi Ordinis Carthusiæ, Frater Hugo ejusdem domus conservus salutem. Ego memor precum tuarum &c.* Hujus Operis libri novem 1. de miseria hominis, 2. de fragilitate humana, 3. de statu Ecclesiæ, 4. de statu mundi, 5. de virtutibus, 6. de vitiis, 7. de diabolo & pœnis inferni, 8. de statu Civium supernorum, 9. de prærogativâ Ordinis Carthusiæ. Idem Opus ut opinor extat quoque MS. in Bibliotheca Colbertina, Codice MS. 1483. inscriptum, *Incipit liber Magistri Hugonis de Miromari, De miseriis hominis & mundi & inferni & de prærogativa cælestis patriæ, & de conflictu carnis & Spiritus. Vos inquam convenio nomine Christianos, mundi vanitate obsessos &c.* Dividitur in 8. vel 9. partes, quæ mihi videntur esse novem libri præallegati. Ætatem illius expiscamur ex libro 9. *Speculi Spiritualis*, ubi loquitur de tentationibus quibus in Noviciatu pulsatus est ad deserendum Carthusianorum Ordinem. Ait enim se factum fuisse Subdiaconum & primò beneficiis mactatum à Guidone Aquensi Archiepiscopo, qui sedem hanc ab anno 1188. & 1211. tenuit: quo tempore ut verisimile est annos circiter 20. plus minus attigisse poterat. Unde Hugonem circa annum 1220. vel 1230. florentem collocamus, quem posteà ex MSS. Operum titulis constat, & fuisse Magistrum in Jure Canonico, & Archidiaconum Magalonensis seu Montispessulani Ecclesiæ: quam dignitatem pertæsus secularium honorum ac tumultuum deserens, in Solitudinem Carthusianorum Montis Rivi, soli Deo vacaturus secessit, in qua multos tractatus composuit. Fuisse hunc solitarium, hominem visionarium, facile mihi persuadeo ex his ejus verbis, ex MS. Codice à me collectis; *Item eodem tempore & eadem nocte in visione nobis apparuit quidam magna statura, cappa nigra talari indutus, quem opinati fuimus, Dominum Guidonem quondam Aquensem Archiepiscopum, qui nos usque ad Subdiaconatum promovit, & primo in eadem Ecclesia beneficiavit, qui dicit nobis fluctuantibus super recessu ab hoc ordine: Quid turbamini, nonne vobis sufficit quod habetis, & quid amplius quæritis? Cui respondere voluimus, sufficit: sed disparuit, ut videbatur in foramine parietis latitare. Et aspicientes per illud foramen, nec ipsum videre potuimus, neque loqui, quoniam in foramine splendor nimius apparebat. Quem siquidem Dei nuntium fore cognovimus, eo quòd quasi increpando loquutus sit, præsertim cùm quasi non contenti beneficio Dei, sic volebamus ad canis vomitum, scilicet ad seculum remeare.* Cùm ergo mentionem in hoc Opere, Guidonis Aquensis Archiepiscopi, qui naturæ debitum anno 1211. solvit, tanquam ab annis aliquot mortui, rectè circa annum 1220. & scripsisse & floruisse, ac deinceps censendus est. Mortuus creditur in Carthusia Montis Rivi, Diœcesis Massiliensis, anno incomperto, cujus ut Scriptoris nullus quem noverim meminit, nisi qui Manuscriptos Codices ejus Operum olim in Bibliotheca Thuanea viderat, Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 115.

GEBENO natione ut credimus Germanus, 1220 atque Ordinis D. Benedicti Monachus, anno 1220. vel circiter emicuit, dum *Commentarium scripsit in revelationes Sanctæ Hildegardis* Abbatissæ in monte S. Ruperti prope Binguiam. Extant verò *Prophetiæ Sancti Hildegardis*, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ in Anglia Codice 1699. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 98. num. 23. Ibidem Codice 1997. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera B. 3. Codice 12. num. 7. Ibidem Codice 2171. in MSS. Codicibus ejusdem litera D. 2. Codice 13. num. 1. Inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 428. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinensis littera E. Codice 288. qui variorum Excerptorum est. Ibidem Codice 664. In iisdem MSS. Codicibus, P. Codice 524. num. 26. Ibidem Codice 784. in iisdem MSS. Codicibus litera V. Codice 644. num. 17. Opus autem ingens in has Prophetias Hildegardis Abbatissæ composuit circa annum 1220. Gebeno Monachus, inscriptum *Pentachronon*, quod MS. extat in Anglia apud varias Bibliothecas, nempe inter MSS. Codi-

dices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1633. in MSS. Codicibus Kænelmi Digbæi Codice 32. *Pentachronon* sive *Liber de Prophetiis Beatæ Hildegardis, auctore incerto qui floruit anno Domini 1220.* Idem Opus extare creditur inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 4059. in MSS. Codicibus Gualteri Chetwindi Codice 17. *Visionum & Prophetiarum Sanctæ Hildegardis*, folio in membrana. Ibidem Codice 6408. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 38. num. 1. *Sanctæ Hildegardis Pentachronon.* Ibidem in Appendice ad libros quosdam omissos, pag. 390. col. 1. in libris MSS. omissis Joannis Mori Norvicensis Episcopi Cod. 65 extat *Speculum futurorum temporum, sive Prophetia beatæ Virginis Hildegardis usque ad mundi finem, compositum per Gebenonem fratrem.* Nullus quem noverim, Scriptoris hujus meminit. Codex autem præstantissimus hujus Operis, extat inter MSS. Codices Cottonianæ Bibliothecæ ibidem, sub effigie Vitellii litera D. Codice 3. num. 10. his verbis, *Liber Pentachronon*, id est, *quinque temporum futurorum, compilatus de Prophetiis B. Hildegardis Virginis, quæ ceperunt an. 1200. cum Epistola & etiam Prologo Gebenonis, Prioris Cistrensis ad Reymundum Scholasticum & Reynerum, Canonicos S. Stephani in Moguntia, de Vita & libris illius Virginis.* Agunt de Scriptore isto, Authores varii, qui incubuerunt Catalogis Codicum Manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ conficiendis, quos Oxonii in folio anno 1698. è theatro Sheldoniano impressos habemus. Thomas Smithus Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter, in Catalogo Cottonianæ Bibliothecæ MSS. Codicum, quem anno 1696. in folio Oxonii quoque ex eodem theatro edidit, pagina 90. columna 2.

1220 HUGO KIRKSTALLENSIS, Ordinis Cistercienis in Anglia Monachus, eodem tempore effulsit, qui ad Joannem Abbatiæ Fontanensis Abbatem Librum *De origine ejusce Monasterii & Ordinis in Anglia* composuit. Idem composuisse dicitur volumen *De rebus à Cisterciensibus Monachis in Anglia gestis*, quod opus ab opere anteriore diversum non puto. Opus MS. extare videtur in bibliothecis Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Ecclesiarum Codice 2950. in MSS. Codicibus Collegii Greshamensis apud Londinum Codice 51. Item Codice 6971. in MSS. Codicibus Henrici Langleji Equitis Codice 18. Meminit hujus Scriptoris in Catalogo MSS. Codicum Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 5015. Joannes Lelandus Volumine 4. Collectaneorum, quod *De Scriptoribus illustribus* inscribitur Cap. 153. pag. 193. Gerardus Joannes Vossius *De Historicis Latinis* lib. 2. c. 58. p. 470. ed. ult.

1220 GERMANUS II. PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, successit Emanueli anno 1222. qui sedem hanc Imperialem ac Patriarchicam per octodecim annos tenuerat. Hic Anaplo Propontidis oriundus, ex Ordine monastico pro consuetudine Græcorum assumptus, qui apud Nicephorum Gregoram *Historiæ Byzantinæ* lib. 3. pag. 39. dicitur ἀνὴρ συνετὸς καὶ ἀρετῇ καὶ λόγῳ τὸν βίον κοσμήσας, *Homo prudens qui virtute & eloquentia vitam suam ornaverit*, qui strenuè etiam egisse legitur cum Gregorio IX. Summo Pontifice, de legitimis mediis reconciliandæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina, vel Latinæ potius cum Græcâ. Ampla fit ejus mentio apud Georgium Logothetam Acropolitam, dum ab eo ait celebrata solemnia sponsalium filii Joannis Imperatoris, cum filia Asanis Bulgarorum Regis, post decem fere ab hinc annos. Necullius alterius meminit, usque ad coronationem filii Joannis, qui patri successit post triginta tres ipsius Imperii annos 1 quando Arsenium Monachum habet creatum, promotumque ad Patriarchatum Constantinopolitanum. Series autem Patriarcharum, quæ habetur in *Jure Orientali* Joannis Leunclavii, jacturam trium quatuorve successorum, post Emanuelem seu Manuelem passa est: nimirum *Germani II.* quem diximus, *Methodii secundi*, qui sedem tribus solis mensibus tenuit; *Manuelis secundi*, qui quatuordecim annis præfuit: & *Germani secundi* iterum qui anno 1254. restitutus, anno unico sedit usque ad prædictum Arsenium: quos exactè exhibuit Onuphrius, & post eum Genebrardus, atque alii. Primis quidem Patriarchatus annis favisse Latinis videtur, vel saltem in concordiam cum eis venire voluisse simulavit. Anno Christi 1232. Indictione quinta Fratres quinque Minoritæ novi Ordinis S. Francisci, post multa à barbaris in Oriente tolerata mala, Nicæam Bythiniæ pervenientes, in qua Græcorum Patriarcham, post Constantinopolim amissam, collocaisse sedem suam audierant: benigne ab hoc Germano Patriarcha excepti, occasione accepta, egerunt cum eo de unione Ecclesiæ Græcæ cum Romana, adeo efficaciter, ut etiam Germanus impulsus sit per ipsos & nuntium specialem à se missum, scribere ad Gregorium Papam. Agnoscit imprimis Germanus his litteris Primatum Romanæ Ecclesiæ, & quorum culpa Græcorum, an Latinorum, ortum esset schisma, vel apud quos fidei veritas resideret, affirmare nolens, maximopere hortatus est, ad harum rerum utrinque inquisitionem: nullique se parciturum labori, nec fatiscentem causaturum ætatem, aut viæ longitudinem, quominus hæc unio optatum consequeretur effectum. Eademque scribens ad Cardinales inculcavit, sed nonnihil acerbius, objiciens in fine, multitudinem populorum, qui fidem Ecclesiæ Græcæ in Oriente sectabantur. Vtramque Epistolam describit Matthæus Parisius in Henrico III. quas tamen male anno 1237. collocavit: cum responsio Gregorii Papæ, data reperiatur anno 1232. facta Reate septimo Calendas Augusti, anno ipsius Pontificatus sexto.

sexto. Videtur autem Germanus, tam Pontifici quam Cardinalibus exprobare, non aliunde ortum esse Ecclesiæ Græcæ schisma, quam ex injustis Curiæ Romanæ oppressionibus & protervis exactionibus: & quia electus nescio quis Græcorum Archiepiscopus à Gregorio Papa, nisi infiniti auri pollicitatione, confirmationem obtinere non potuisset. Quæ perdita esse vel ejusdem Parisii, vel eorum qui illum ediderunt, additamenta, de Epistola ad Pontificem, ostendere annititur Waddingus in *Annalibus Minorum*, ex collatione facta cum antiquiori exemplari Codicis Vaticani, quippe cum desit in eo Codice ea Epistola, quæ ad Cardinales est. Est autem inscriptio Epistolarum, ad Pontificem quidem: *Sanctissimo & excellentissimo Papæ Veteris Romæ, & Apostolicæ Sedis Rectori, Germanus miseratione Divina Archiepiscopus Constantinopolitanus Novæ Romæ.* Ad Cardinales autem: *Germanus miseratione divina Archiepiscopus Constantinopolitanus Novæ Romæ, Sanctissimis & discretissimis & egregiis Cardinalibus, & Apostolicæ Sedis decori &c.* At nihil mirum, quod in Bibliothecà Vaticanâ non inveniantur, quæ contra Ecclesiam Romanam scripta sunt. Porrò quod Aubertus in suo Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* c.382. p.355. scribit *Germanum* hunc fuisse *Schismaticum & Latini nominis acrem hostem*, jam video undenam habere potuerit. Mutavit enim sententiam suam hic Patriarcha. Cum enim frustra tentasset Ecclesiam Latinam cum Græca reconciliare, benevolentià in odium mutatà, scriptis etiam lacessivit Romanam Ecclesiam. Hoc diserte constat, ex Philippo Labbeo in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum* ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ, edita Parisiis in 4. anno 1653. Illic enim extat parte 2. pag. 85. *Germani Patriarchæ Constantinopolitani Expositio fidei secundum Græcos* in MS. Codice Regio 51. & in Regio 1819. *Expositio fidei Latinorum, missa à Gregorio Papa IX. ad Germanum Constantinopolitanum & Germani responsio ad eundem: & Germani ejusdem de Azimis ad Theodorum Studitam*, in eodem Codice Regio 1819. Hoc anno circiter 1234. vel 1235. contigit. Extant enim ad Matthæum Westmonasteriensem ad annum 1237. litteræ Magistri Joannis de Columna Cardinalis Diaconi ad Ottobonem Legatum hoc anno in Anglia, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, de statu Romanæ Ecclesiæ, à qua Græci sese recenter divulserant. Causa mœroris hac Epistola concepti, præcipua erat Schisma Græcorum, qui expulso Imperatore suo Latino Balduino Petri Antissiodorensis Comitis filio, Germanum Patriarcham Constantinopolitanum constituerant Antipapam, & veteribus erroribus novos addiderant. *Visa*, inquit, *tanta malitia, & oppressione, erigitur Græca Ecclesia contra Romanam, Imperatorem suum expellendo, & soli Archiepiscopo suo Constantinopolitano, nomine Germano, obediendo: qui procaciter Græcorum errores non tantum veteres, imò novos & adinventos diffundens, enormiter à religione Catholica delirat.* Pulso autem an. 1240. Germano Patriarcha Græcorum Constantinopolitano, suffectus in ejus locum est *Methodius secundus*, qui tribus tantum mensibus sedit, ut habet Onuphrius *in Chronico*. Eique subrogatus est, juxta seriem Patriarcharum Constantinopolitanorum quæ libro 4. Juris Orientalis ad finem, *Manuel Charitopulus* ejusdem nominis itidem secundus, qui annos quatuordecim præfuit. Per illud tempus quo Germanus secundus Constantinopolitanam sedem, ab anno 1222. usque ad annum 1240. tenuit, multa scripsit, quæ Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis tomo 1. pag. 350. male attribuit Germano seniori seu primo, qui ab anno 715. ad 730. claruit. Scripsit Germanus noster Opuscula varia, ex quibus sunt

Theoria seu Contemplatio rerum Ecclesiasticarum, sive *Expositio in Liturgiam*, quæ Græce & Latine extat ex interpretatione Gentiani Herveti Aurelianensis, Canonici B. Mariæ Remensis, in Auctario ad Bibliothecam Patrum Frontonis Le Duc anno 1624. Parisiis duobus in folio tomis edito, Tomo II. pag. 131. & in Bibliotheca Patrum Græco-Latinæ editionis Parisiensis anni 1644. Tomo XII. pag. 375. Vide quæ *in Cyrillo Hierosolymitano* superius diximus.

Orationes III. videlicet *in Encomium, Nativitatem, & Dormitionem B. Virginis*, Græce & Latine in eodem Auctario isto Bibliothecæ Patrum Ducæano, ibid. pag. 450. ex quibus Homilia secunda quæ *in B. Virginis Nativitatem* inscribitur, atque ab his verbis orditur, *εἰ μετρεῖται γῆ*, teste Leone Allatio in Diatriba *De Georgiis & eorum Scriptis* pag. 313. ad hunc Germanum Juniorem Patriarcham Constantinopolitanum non spectat, sed ad Georgium Nicomediensem seu Chartophylacem cui attribuunt Codices antiquissimi, faventque stylus & agendi modus. Verum contra Allatium dixerim, Orationum ejusmodi maxime Codices variare, nonnullosq; inveniri, qui eandem Germano Patriarchæ CP. attribuant.

Ejusdem *Homiliæ V.* scilicet *in Decollationem Sancti Joannis Baptistæ, in Præsentationem Beatæ Mariæ, in Dormitionem ejusdem duæ, & in Dominici corporis sepulturam*, quas habes correctiores in Auctario GræcoLatino Bibliothecæ Sanctorum Patrum Francisci Combefis, anni 1648. tomo I. pag. 1464. Item ejusdem *Orationes tres*, una *in sacram Beatæ Mariæ Virginis Vestem*, alteram *in Zonam Beatæ Mariæ Virginis*, tertia *in Memoriam Regiæ urbis, interventu ejusdem Virginis sæpius à Barbaris liberatæ*, cum *Idiomelo in Festum Annuntiationis*, quas Græce & Latine in Auctario citato habet idem Combefis, Tomo 2. col. 751. & sequentib. Equidem in Notis ad Orationem ex his tribus primam, vult illas fuisse in MS. Codice Regio anonymas: at *primam* à nonnullis attributam ex stylo Georgio Metropolitæ Nicomediensi, aliarum plurium Orationum Scriptori. Verum

æta-

ætate hujus authoris, quis unquam credat jam extitisse *celebritates ac cultum vestium ac Zonarum B. Virginis?* Olent ista Græciæ recentissimæ mores, nec supra seculum XII. vel XIII. extenduntur. Prima Orationum istarum attribuitur in MS. Codice Bibliothecæ Bavaricæ *Theodoro Presbytero Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, sicut & ab Allatio in Diatriba *De Scriptis Symeonum* pag. 96. cujus ætatem non designat. Mihi autem videntur referre *Germanum Juniorem Patriarcham Constantinopolitanum* seculi XIII. authorem, qui plures ejusmodi habuit Homilias, cujus sub nomine edidit Græcè & Latinè *alteram quartam* ex Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, inscriptam *De zona sanctissimæ Deiparæ & Fasciis D. N. Jesu Christi, in Manipulo Rerum Constantinopolitanarum* pag. 232. Eundem enim præ se ferunt authorem, idemque habent argumentum, rectèque Scriptori Seculi XIII. conveniunt.

Ejusdem *Homiliæ duæ De sancta Cruce*, quas Jacobus Gretserus edidit tomo 2. *De Cruce* pag. 1237. & 1413. & *Oratio altera tempore medii Quadragesimæ jejunii*, ib. p. 1427.

Item *Oratio in primam jejuniorum Dominicam, & in sanctarum Imaginum restitutionem*, ibidem pag. 1224. Vixit enim istarum author Homiliarum, non modo post notam Bogemilorum hæresim, sed & post schisma exortum inter Græcos & Latinos, & post Bella inter Italos & Imperatores Constantinopolitanos, ut rectè observat Jacobus Gretserus ibidem in Annotationibus, pag. 2722. Hæ quidem conjecturæ authorem recentiorem arguunt, sed an Germanum illarum authorem determinatum, videat Guillelmus Cavus, cui pag. 711. *in Germano Constantinopolitano* ita placet.

Ejusdem *Epistolæ II. ad Gregorium IX. Papam & ad Cardinales*, in Conciliis tomo XI. pag. 318. ultimæ editionis, cum responsione Summi Pontificis. & apud Matthæum Parisiensem in Historia ad annum 1237.

Ejusdem Epistolæ duæ ad Cyprios, cum Epistola Neophyti inclusi de Calamitatibus Cypri, ex Codice MS. 2376. Bibliothecæ Galliarum Regiæ, quas Græce & Latine edidit Joannes Baptista Cotelier tomo 1. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* p. 462.

Ejusdem *Decreta III. de Monasteriis Patriarchalibus*, quæ habentur Græce & Latine apud Joannem Leunclavium, Libro 3. *Juris Orientalis seu Græco-Romani*, p. 232.

Tradit autem Antonius Possevinus ad calcem *Apparatus sacri* pag. 49. extare vel extitisse apud Manuelem Eugenium Constantinopoli, inter MSS. Codices Græcas, tractatus *Germani Patriarchæ Constantinopolitani De processione Spiritus sancti*, item *De infermentato pane, & de purgatorio igne, & de tribus modis administrandi Sancti Baptismatis*: unde potuit Aubertus Miræus infra citandus opinari Germanum fuisse contra Latinam Ecclesiam, eamque his impugnasse tractatibus. Cui favet Leo Allatius Libro 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 24. paragr. 3. qui priores duos Tractatus in Bibliotheca Vaticana Græce MSS. extare prodit. Extant quoque MS. In Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco LXIV. num 25. ut habet Lambecius lib. 3. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ pag. 118. his verbis.

Vigesimo quinto & quidem a fol. 357. pag. 2. usque ad fol. 374. pag. 2. *Germani II. ejus nominis Patriarchæ Constantinopolitani & Synodi apud ipsum congregatæ responsio ad præcedentem Confessionem fidei Gregorii IX. Papæ, & ab ipso missos fratres Minores ac reliquos, De processione Spiritus sancti.* Ipsa tituli Græci verba hæc sunt, τῦ ἁγιωτάτυ Γερμανῦ Πατριάρχυ Κωνσαντινοπόλεως, καὶ τῆς σὺν αὐτῷ ἱερᾶς Συνόδυ, ἀπαίτησις πρὸς τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν τῦ Πάπα καὶ πρὸς τὺς ὑπ᾽ ἐκείνυ ςαλέντας Φρεμενυρίυς καὶ λοιπὲς, περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τῦ ἁγίυ πνεύματ☉. Incipit deinde Responsio his verbis: εἴπατε ἡμῖν ὦ τιμιώτατοι τῦ ἁγιωτάτυ Πάπα ἀποκρισιάριοι, ἄρα καὶ ὁ μὴ ὁμολογῶν &c. præmittitur autem ibidem antea num. 24 & quidem a f. 354. p. 2. usq; ad f. 357. p. 2. Expositio Confessionis fidei Ecclesiæ Occidentalis, De processione Spiritus S. a Patre & Filio, conscripta, a Papa Gregorio IX, & missa ad Germanum II. ejus nominis Patriarcham Constantinopolitanum, cum Subscriptione Apocrisiariorum sive Legatorum Romanæ Ecclesiæ. Ipsa tituli Græci verba hæc sunt: Ἔκθεσις τῆς ὁμολογίας τῆς πίσεως τῶν Λατινῶν, συγγραφεῖσα καὶ ἀποςαλεῖσα παρὰ Γρηγορίυ Πάπα Ῥώμης πρὸς Γερμανὸν τὸν ἁγιώτατον Πατριάρχην Κωνςαντινυπόλεως. Incipit deinde Expositio fidei his verbis: Ὁ Πατὴρ ἐςὶ πλήρης θεὸς ἐν ἑαυτῷ &c.

Vigesimo Septimo & quidem a fol. 377. usque ad fol. 381. *Synopsis Testimoniorum sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum contra Latinorum hæreses & errores De processione Spiritus Sancti, Azimis & Baptismate, desumptorum ex Germani Patriarchæ Constantinopolitani, Nicææ residentis,* responsione ad Epistolam Papæ Grægorii IX. Ipsa tituli & principii istius Synopseos verba Græca sunt, Σύνοψις μαρτυριῶν ἐκ τῆς ἀναγραφῆς κατὰ τῶν Λατινικῶν αἱρέσεων καὶ σφαλμάτων, ἐκ τῆς ἀποςαλείσης ἐκθέσεως τῆς Λατινικῆς πίςεως παρὰ τῦ Πάπα Γρηγορίυ πρὸς τὸν ἁγιώτατον Πατριάρχην Κωνςαντινυπόλεως Γερμανὸν ἐν Νικαίᾳ. Πατὴρ ἐςὶ πλήρης θεὸς ἐν ἑαυτῷ, ὁ Υἱὸς &c. καὶ οἱ μὲν Λατῖνοι ὕτω Φρονῦσι καὶ διδάσκυσι περὶ τῦ Πνεύματ☉ ἁγίυ, ἡ δὲ θεόπνευς☉ γραφὴ ὐκ ὕτως, καὶ μάρτυς αὐτὸς Χριςὸς &c. Cæterum quid de jam memorato Patriarchæ Germani responso, & de Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum in eo citatis testimoniis sentiendum sit, operæ pretium est audire ex viro doctissimo Leone Allatio, qui in Opere *De Ecclesiæ Occidentalis &*

Orientalis perpetua consensione Lib. 2. cap. 14. paragr. 3. ea de re sic scribit, col. 712.

His iisdem temporibus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Scripsit de processione Spiritus sancti adversus Latinos Opusculum aliquod cujus principium: ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστε &c. &c. Collegit simul omnes âuthoritates Patrum etiam Latinorum, Græcis tamen verbis expressas, quæ de processione Spiritus Sancti agunt. Illic conatur probare Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere, additis de suo ubi visum fuerat, considerationibus, quas ipse *Camaterum* imitatus ἐπιστασίας vocat. Illic loca quædam difficilia Explicat, Sententias quæ pro Latinis faciunt, in Græcorum opinionem invertens, mentem authorum detorquet: quæ pro Græcis facere videntur, ea miro fastu jactat. Author tenuis est & ex trivio, cum & argumentis & eloquentia & judicio destituatur: fereque aliorum Græcorum more, Sententias omnes quæ Spiritum Sanctum ex Patre dicunt procedere, ipse tanquam suæ opinionis testes, ac si ex solo Patre dixissent, non veretur adducere. Vtilis tamen credentibus liber esse posset, si bona fide, & ut in Manuscriptis se habent, testimonia referret. Sunt enim fere omnia quæ âgunt de Spiritu Sancto, in unum veluti fascem congesta quibus lectorem Liberat hinc inde non sine tædio investigandis. Scripsit item de Azimis, Purgatorio, & de tribus modis administrandi Baptisma; ipse non vidi. Habetur item in Vaticana Γερμανοῦ Πατριάρχου καὶ τῆς σὺν αὐτῷ Συνόδου ἀπόκρισις πρὸς τοὺς ἀποσταλέντας Φρερμινουρίους, καὶ λοιποὺς: *Germani Patriarchæ & cum eo Sinodi Responsio ad delegatos fratres Minores & alios, cujus principium*, εἴπατε ἡμῖν οἱ ἐντιμώτατοι τοῦ ἁγιωτάτου Πάπα ἀποκρισιάριοι. Legitur in variis Indicibus, Γερμανοῦ πατριάρχου περὶ ἀζύμων πρὸς ἅγιον Θεόδωρον τὸν Στουδίτην, *Germani Patriarchæ De azymis ad S. Theodorum Studitam.* Cum eo tempore nulla in Ecclesia de Azymis inter Græcos & Latinos controversia invaluerat, forsan hoc Germanus ad Theodorum quendam Studitam hoc eodem tempore viventem conscripsit, quem ipse etiam auctor, *Sancti* titulo, ne sine illo vilesceret, cohonestavit. Hæc Allatius, atq; post eum Petrus Lambecius Lib. 3. Commentariorum dictæ Bibliothecæ Cæsareæ pag. 121.

Item Codice MS. Theologico Græco 241. num. 2. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 107. his verbis. Secundo & quidem a fol. 136. pag. 2. usque ad folium 139. pag. 2. Manuelis Ducæ, Despotæ Epiri & Thessaliæ Epistola ad Germanum II. ejus nominis Patriarcham Constantinopolitanum, qui cœpit esse Patriarcha CP. anno Christi 1222. & anno 1240. obiit, de quo vide Georgium Acropolitam pag. 39. & libro tertio Commentariorum pag. 118. qua ipsum maximis laudibus extollit ad cœlum, simul etiam rogat ut Imperatorem Constantinopolitanum Joannem Ducam qui cœpit imperare anno Christi 1222. & obiit anno 1255. sibi reconciliet, & Ecclesiis sub ditione sua viduis idoneos Episcopos provideat. Ipsa tituli Græci verba una cum initio Epistolæ, hæc sunt. Πιττάκιον τοῦ πανευτυχεστάτου Δεσπότου κυρίου Μανουὴλ τοῦ Δούκα πρὸς τὸν παναγιώτατον καὶ οἰκουμενικὸν Πατριάρχην κύριον Γερμανόν. Πανογιώτατε Δέσποτα, καὶ τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ Χριστιανῶν ἀπλανέστατε ὁδηγέ. οἱ μὲν τοῦ ἡλίου δρόμοι τοῦ μεγάλου καὶ φωσφόρου, οὗ τὴν θέρμην οὐδεὶς ἰσχύει ἀποκρυβῆναι, νυκτὸς ὅσον παρ' ἡμῖν, καὶ τῇ ἡμετέρᾳ αἰσθήσει καὶ καταδύονται καὶ ἀποκρύπτονται &c. Tertio & quidem a fol. 139. pag. 2. usquè ad fol. 144. pag. 2. *Germani II. ejus nominis Patriarcha Constantinopolitani Epistola ad Manuelem Ducam*, de quo plura vide in Georgii Acropolitæ Historia Byzantina pag. 13. 23. 33. & 34. editionis Regiæ Parisiensis Græco-Latinæ in folio, *Despotam Epiri & Thessalia*, qua Epistolæ ejus respondens, significat se loco & nomine suo ad ipsum mittere *Christophorum Metropolitam Arcyranum*, ut is coram ipso agat de iis rebus quas desideraverat. ipsa tituli Græci verba cum principio Epistolæ, hæc sunt: Ἀντίγραμμα τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου κυρίου Γερμανοῦ πρὸς τὸν Δεσπότην κύριον Μανουὴλ τὸν Δούκαν. ἡττήμεθα νὴ τὰς σὰς ἀριστείας. ἡττήμεθα, νὴ τὰς σὰς ἀριστείας, ἡττήμεθα πανευτυχέστατε Δέσποτα, ἧτταν ἀνέλπιστον.

Quarto & quidem a f. 144 p. 2. usq; ad f. 146. p. 2. Ejusdem Germani Patriarchæ Constantinopolitani mandatum seu commonitorium Synodale traditum Christoph. Metropolitæ Arcyrano, cum is ex Synodo Nicæna an. Christi 1232. celebrata, tânquam *Legatus Patriarchalis ad Manuelem Ducam Despotam Epiri & Thessaliæ* esset profecturus, cujus titulus & principium: Τὰ ἐντάγματα τῆς ἐξαρχίας τοῦ Ἀγκύρας. Μηνὶ Αὐγούστῳ ἡμέρας ἐπινεμήσει ε. συνοδικῶς προκαθημένου τοῦ παναγιωτάτου Δεσπότου ἡμῶν, καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου κυρίου Γερμανοῦ ἐν τῷ κατὰ τὴν ἁγιωτάτην μητρόπολιν Νικαίας θόλῳ τῷ ὡραίῳ συνεδριαζόντων τῇ μεγάλῃ ἁγιωσύνῃ αὐτοῦ ἱερωτάτων Ἀρχιερέων, τοῦ Ἀγκύρας, τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας Χριστοφόρου: τοῦ Νικομηδίας καὶ ἐξάρχου πάσης Βιθυνίας Ἰωάννου: τοῦ Ἀμάστριδος Νικολάου: τοῦ Σερρῶν Βασιλείου: τοῦ Λοπαδίου καὶ Μελιτουπόλεως Ἀγάπητου: Λέοντος τοῦ Προύσης: τοῦ Προικοννήσου Βασιλείου: τοῦ Διδυμοτοίχου Γεωργίου, παρισαμένων καὶ θεοφιλεστάτων Δεσποτῶν ἀρχόντων. Καιρὸς τοῦ βαλεῖν λίθους, καὶ καιρὸς τοῦ συναγάγειν λίθους &c. Notandum autem hic primo est, annum hujus Synodi Nicenæ sub Patriarcha Constantinopolitano Germano II. celebratæ, satis certo & clare indicari per Indictionem quintam. Nam in *Jure Græco Germano* a Joanne Leunclario collecto, & a Marquardo Frehero edito to. I. pag. 232. 233. 234. & 235. extat Diploma quoddam ejusdem Patriarchæ Germani, in cujus fine legitur illud datum esse τῷ μηνὶ Ἰουλίῳ, ἐπινεμήσει ἡ ἔτους ς. ψ. μ. γ hoc

est

„est mense Julio, Indictione octava anni mun„di 6743. qui cum fine ulla controversia anno „Christi 1235. respondeat, necessario sequitur „*Diem Sextum Augusti Indictionis quinta*, respon„dens anno Christi 1232. Eodemque anno Chri„sti promulgatum etiam esse alterum illud ejus„dem Patriarchæ Germani Diploma, quod ex„tat in eodem *Jure Græco-Romano* tomo I. pag. „235. & 236. quod sine mentione anni mundi, „hanc tantum habet temporis notam, μηνὶ ἰου„νίῳ ἐπινεμήσεως έ, hoc est *Mense Junio Indi„ctione quinta*. Vnde porro etiam apparet, „Diploma hoc alteri Diplomati perperam esse „ibi postpositum, cum revera altero sit anti„quius. Notandum Secundo est, nullam fieri „mentionem Concilii istius Nicæni tertii, sub „Patriarcha Constantinopolitano Germano II. „mense Augusto anni 1232. in Bithynia cele„brati, in Historica Synopsi omnium Concilio„rum Philippi Labbei. In ejus autem *Chro„nologia Historica*, & quidem parte 3. pag. 41. at„que in *Indice*, perperam tradi, illud Concilium „esse celebratum Nymphex in Bithynia, atque „per metachronismum, male ad annum Christi „1233. referri. Hæc Petrus Lambecius. Cui addo ex hoc Nicæno Concilio tertio, anno 1232. certissime a Germano II. P. Constantinopolitano congregato, in quo adversus Ecclesiam Romanam acriter & Præses & Episcopi scripserunt: recte conjici posse, Suppositiias illas Epistolas esse quas hoc anno ac eodem ferme tempore attulerunt ad Gregorium IX. Papam Fratres Minores ex Oriente Romam reversi, ut sub his confictis Epistolis hilariori vultu a Summo Pontifice & curia Romana susciperentur, atque ex legatione & itinere suo laudes referrent. Quis enim credat ita insanem fuisse Germanum hunc, virum alioquin prudentem & virtute præstantem, ut Græci affirmant: ut si hoc tempore scripsisset Epistolas ad Romanum Pontificem de pace inter utramque Ecclesiam procuranda, eodem inquam tempore tam acriter contra Romanam Ecclesiam in Synodo Nicæna cum Metropolitanis decerneret & scriberet. Hæc sane in hominem non dico prudentem, sed nec mediocrem ac trivialem, cadere possunt. Vel ergo hoc Concilium Nicænum Suppositum, quod verisimile nullatenus est; vel Epistolæ a Franciscanis ex parte Germani Patriarchæ Constantinopolitani ad Gregorium IX. allatæ adprocurationem pacis, Suppositæ sunt: cum hujus Concilii Decretis & menti plane adversentur. Mens autem ista Germani atque suæ sedi Subjectorum Metropolitanorum, confirmatur ex Epistola Cardinalis Joannis de Columna anno 1237. ad Cardinalem Ottobonum tunc in Anglia Legatum, cujus illic paullo ante verba attulimus: quæ maxime iratum atque in Ecclesiam Romanam incensum tunc fuisse Germanum hunc II. Patriarcham Constantinopolitanum produnt.

Ejusdem *Germani Patriarchæ Constantinopolitani Oneirocriticon*, sive Interpretatio Somniorum secundum ordinem Alphabeti, extat Codice MS. Theologico Græco 284. num. 2. ut habet Lambecius tomo V. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ p. 237. his verbis. Secundo & quidem a fol. 311. p. 1. usque ad„ folium 319. p. 1. *Germani Patriarchæ Constanti*„*nopolitani Oneirocriticon*, sive Interpretatio So„mniorum secundum ordinem Alphabeti. Ipsa„ tituli Græci verba cum principio Oneirocriti„ci hæc sunt: Ὀνειροκριτικὸν τοῦ Πατριάρχου Κων„σταντινουπόλεως κυροῦ Γερμανοῦ. Ἀρχὴ τοῦ Α. Ἀν„δρὶ πλακεὶς ὀφειλοῦντι, εὔθετον τόδε Ἀρθεὶς νόσων„ γίνωσκε γῆν νέην ξένην. Ἀστραβλιπεῖν κάλλι„στον ἀνθρώποις πέλει. Ἄπω κρατῶν τις &c. Si„milia quidem duo *Oneirocritica* sub *Astram*„*psychi* & *Nicephori Patriarchæ Constantinopolita*„*ni* nominibus edidit Græce & Latine Vir do„ctissimus Nicolaus Rigoltius, cum *Artemidori*„ & *Achmetis Oneirocriticis* Lutetiæ Parisiorum„ anno 1603. in 4. typis Claudii Morelli. Jo„annes quoque Meursius postea Græce & La„tine edidit Oneirocriticon in Mantissa Romæ„ Luxuriantis, sive libri singularis De luxu *Ro*„*manorum veterum* primo quidem Hagæ Comi„tis anno 1605. Iterum autem Hafniæ anno„ 1631. in 4. Sed tertium hoc ejusdem gene„ris Oneirocriticon quod in hoc Codice MS.„ Cæsareo tribuitur *Germano Patriarchæ Constan*„*tinopolitano*, duobus supradictis auctius aliquan„to est, quibus illustrandis & emendandis ope„ variarum lectionum, inservire plurimum pot„est.„ Hic *Onirocriticon* seu *De Somniorum interpretatione* quod MS. Codex Cæsarius Theologicus 284. Germano Patriarchæ Constantinopolitano attribuit, juxta MS. Codices tres Regiæ Galliarum Bibliothecæ pertinet ad Nicephorum nominis II. Patriarcham Constantinopolitanum, uti infra ad annum 1250. in Nicephoro II. Constantinopolitano Patriarcæ dicemus ex Philippo Labbeo.

De Homiliis quoque Germani hujus II. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, pag. 164. de *Scriptoribus* Vitarum & Encomiorum, quæ in *Metaphrasticis seu Metaphrasibus Sanctorum* leguntur, ita habet. *Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in Encænia Chalcopratiorum &c. pag. 84. In Annuntiationem pag. 92. In sancta Maria ingressum pag. 96. Quando triennis est oblata, 96. In Dormitionem Sanctæ Mariæ 104. In Sanctum Michaelem 104. In Depositionem zonæ S. Deiparæ III. In adorationem vivificæ crucis 113. Tum postea, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in exaltationem pretiosæ crucis 104. In primam Dominicam Jejuniorum &c. 114 Hic palam Junior, nec forte alia cuncta Senioris & Sancti.* Juvat autem hic simul proferre Catalogum MSS. Codicum Operum Germani II. Patriarchæ Constantinopolitani, qui in Anglicis bibliothecis reperiuntur, eo quod in his

his Opuscula adhuc quædam nondum edita reperiuntur. Extat autem inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Baroccianos, Codice 42. num. 5. pag. 82. Germani Patriarchæ Constantinopolitani Historia Ecclesiastica sive Expositio Mysteriorum in Liturgia Græcorum. Ἐκκλησία ἐςὶ ναὸς Θεοῦ. Ibidem Codice 110. Barocciano num. 3. p. 334. Germani Patriarchæ Hymni aliquot versibus politicis. Τὸν πρῶτον Σωτῆρι ἐν βροτοῖς &c. Ibidem Codice 91. num. 4. pag. 17. Germani Patriarchæ Constantinopolitani Epistola ad Papæ Romani Legatum, qui Presbyteros quosdam Græcos male tractaverat, & in carcere detinuerat. Δέσποτα. Ibidem Codice 151. pag. 82. Germani Patriarchæ Constantinopolitani Sermo habitus in electione sua. Πάλιν ἐπ' ἐμὲ χείρωμα &c. Pag. 84. Epistola ad Populum Constantinopolitanum postquam Episcopus factus esset. Pag. 85. Epistola ad Nicolaum Grammaticum, qui ad Musulmanorum partes transierat, & scripta blasphema contra Orthodoxam fidem evulgaverat, postea vero ad sanam mentem redierat. Pag. 85. b. Sermo in Annuntiationem Beatæ Virginis. Pag. 93. Sermo de sepultura Domini. Pag. 101. Sermo contra Clericos quosdam, & hortatio ad Patres, ut liberos suos studiose educent. Pag. 103. Homilia de Collectione fidelium intra Ecclesiæ septa, quodque etiamnum miracula tum Spiritualia, tum corporalia eduntur. Codice 131. num. ultimo, Germani Patriarchæ Constantinopolitani homilia in Beatam Virginem. Ἰδοὺ καὶ πάλιν &c. Codice 148. num. 2. pag. 33. Germani Patriarchæ Constantinopolitani, Sermo in Annuntiationem B. Virginis. Τῆς παρούσης τιμίας καὶ βασιλικῆς &c. Codice 174. pag. 126. Germani Patriarchæ Constantinopolitani, homilia in obdormitionem B. Virginis. Ὁ χρεωςῶν πάντοῖς τὸν ἴδιον. Codice 199. pag. 336. Germani Constantinopolitani Archiepiscopi in mortem B. Virginis. Ὁ χρεωςῶν πάντοτε &c. ut supra. Ejusdem in eandem pag. 339. Πανσάλπιγξ... Ejusdem in eandem pag 342. Φήμη καλὴ καὶ ἀγαθή. Codice 134. pag. 125. Germani Archiepiscopi Constantinopolitani Sermo in B. Virginem, cum triennis in Templo sisteretur. Ἰδοὺ καὶ πάλιν ἑτέρα πανήγυρις. Ibidem pag. 412. Germani Archiepiscopi Constantinopolitani Sermo in obdormitionem B. Virginis. Ὁ χρεωςῶν πάντοῖς &c. Ibidem Codice 720. in Manuscriptis Codicibus Guilielmi Laudi, Cantuariensis olim Archiepiscopi & Academiæ Cancellarii, Codice 78. num. 18. Germani Archiepiscopi Constantinopolitani Epistola ad Gregorium Papam p. 123. num. 19. Gregorii Papæ ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum Epistola pag. 125. num. 20. Determinatio fratrum Minorum, sive Confessio de processione Spiritus sancti a Patre filioque &c, pag. 126. num. 21. Germani Patriarchæ & Synodi quæ cum ipso, oppositio adversus Fratres menarios, seu fratres Minores a Gregorio Papa missos, reliquosque pag. 128. b. Ibidem Codice 726. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Codice 84. num. 18. Germani oratio in Encæniis Templi beatæ Virginis Chalcopratensis, & sancti Feretri &c. pag. 313. Ibidem Codice 3383. in MSS. Codicibus Joannis Sheldeni Codice 53. num. 15. Germani Patriarchæ Constantinopolitani in præsentationem B. Virginis in Templo trimulæ. Ibidem Codice 3397. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni, qui in Pluteis superioribus recondentur, Codice 9. num. 18. eadem Oratio Germani Patriarchæ Constantinopolitani in Mariam Virginem, cum in Templo offerretur. Et in Catalogo impresso Manuscriptorum Codicum Bodleianæ Bibliothecæ pag. 268. columna 1. in Adversariis Gerardi Langbaini Theologi & Philologi, Volumine 2. quod Collectionum est ex variis MSS. Græcis, num. 6. extat *Germani Constantinopolitani Patriarchæ Epistola ad Latinorum Constantinopoli Patriarcham, Græcos Sacerdotes ut Papæ in Supplicationibus memoriam facerent, cogentem.* pag. 45. ad 53.

Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5869. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 35. Homilia Germani Archiepiscopi Constantinopolitani in Annuntiationem Beatæ Virginis. Et Codice 5880. in MSS. Codicibus ejusdem Galei Codice 46. Sermo Germani, quando Archiepiscopus ipse consecratus esset. Ejusdem Sermo Indictionis Initio. Ejusdem Homilia contra Clericos avaros, & parænesis ad Parentes de liberis. Ejusdem homilia de Sacra Synaxi, & quod etiam nunc miracula durant. Ejusdem Sermo in Annuntiationem Beatæ Virginis. Et Codice 9086. in MSS. Codicibus Græcis Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis Codice 15. Historia de Constantinopoli Servata per Beatam Virginem Mariam, Græce.

Extitit & Germanus III. Patriarcha Constantinopolitanus, qui ab Adrianopoli ad sedem Constantinopoleos anno Christi 1265. transiit, extat autem inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Codice 142. Barocciano num. 13. Synodica Epistola anno D. 1265. data, circa translationem Germani ab Adrianopoli ad Patriarchatum Constantinopolitanæ sedis pag. 266. Φάτιν ὁ θεοπάτωρ &c. Denique ibidem in MSS. Baroccianis Codice 131. pag. 185. Oratio Alani in Germanum CP. Patriarcham ἐγκαυχᾶται μὲν ἡ σκηνὴ &c. Mortuo autem Manuele Charitopulo, circa annum 1254. in sedem Constantinopolitanam suam Germanus secundus restitutus est, qui cum anno uno eam tenuisset, viam universæ carnis ingressus est anno 1255. Hæc autem omnia quæ Philippus Labbæus plus æquo antiquitatem amans, Germano Seniori Constantinopolitano Archiepiscopo, in sua Dissertatione *De scriptoribus Ecclesiasticis*, loco citato attribuit: multi alii nasutiores

Cri-

Critici, huic Germano Juniori adscribunt, qui eorum mentionem faciunt. Jacobus Gretserus, doctissimus Societatis Jesu Theologus, in Notis quas scripsit ad duas ejus Homilias, quas in Collectaneo *De Cruce* edidit. Franciscus Combefis, dum varias ejus Orationes profert in laudem beatæ Mariæ Virginis, tomo I. Auctarii sui primi ad Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis anni 1648. ubi notas his a se productis Orationibus adjicit. Idemque in *Apparatu* ad Bibliothecam Concionatoriam verbo *Sanctus Germanus* pag. 14. Henricus Spondanus in *Continuatione Annalium Baronii*, ad annum 1222. num. 5. 1231. num. 1. & 2. 1240. num. 16. 1255. num. 17. Petrus Lambecius, Lib. 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 118. & 121. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 237. & 272. Libro 5. commentariorum eorundem pag. 107. & 237. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 327. & 366. cum multis aliis.

1220 FREDERICUS SECUNDUS IMPERATOR ab anno 1220. ad annum 1254. Occidentis Imperio præfuit. Hic ingenio præstans & litteris imbutus, litteratos viros impense coluit, cujus nomen merito accensetur Scriptoribus Ecclesiasticis, tum ex Opusculis quæ ipsi attribuuntur, tum ex seculo V. *Historiæ Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum fol. 679. ubi Cæsar Egassius Bulæus insigni hoc illum exornat elogio. „Fridericus II. Imperator Henrici VI. Filius, Friderici I. cognomento Barbarossæ nepos, ab incunte pueritia pluribus artibus animum excoluit, plurimasque linguas adprime didicit, Græcam, Latinam, Germanicam, Italicam, Gallicam, & Saracenicam. Omitto commemorare, quam potens bello fuerit, quam armis conspicuus. Ad rem nostram maxime pertinet, quod Aristotelis Opera, Ptolomæi Magnam Syntaxim, Gregorii Nysseni Libros *De natura hominis*, Medicæque artis authores primarios de Græco & Arabico in Latinum a litteratissimis viris converti, & Bononiæ doceri curavit. Idem Mathematicas Disciplinas in Italia excitavit, Neapolitanam Academiam instauravit, Viennensem erexit, Boloniensem & Salernitanam reformavit. In Concilium suum claros viros & magni nominis Juris consultos adhibuit, Petrum de Vineis, Odofredum Beneventanum & Thadæum Suessanum, quos Præfectos Prætorio & Præsides Curiæ fecit. Et licet fatali gentis suæ malo a tribus Pontificibus Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. exagitatus fuerit, & hostis Reipublicæ atque Religionis Christianæ declaratus: non est tamen veritus Nicolaus de Cusa Cardinalis *eum post Carolum Magnum potentissimum, Sapientissimum & Reipublicæ Christianæ utilissimum Principem* appellare, eumque Ægidius Romanus in libris quos ad Philippum Pulchrum *De institutione Principis* scripsit, velut „*exemplar Summi principis* exhibuit. Obiit anno 1250. die 13. Decembris & Panormi Sepultus est.„ Hæc Cæsar Egassius Bullæus. Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus ex Congregatione S. Mauri in Gallia, edidit *Palæographiam Græcam* libris VII. anno 1708. Parisiis in folio, ubi libro 6. pag. 418. profert Græce & Latine *Summaria Legum & constitutionum Imperialium* pro Regnis Neapolitano & Siculo, quæ in Codice MS. Regio 3370. Friderico secundo Imperatori attribuuntur. Hæc Summaria a pag. 418. ad 428. „Hæc igitur ut in Præfatione ad illas pag. 417. observat, Constitutiones Græcæ, non hactenus quidem quod sciam editæ, maxima quidem ex parte eædem sunt, atque Constitutiones Siculæ sive Neapolitanæ, Latine a Friderico Lindenbrogio in *Codice Legum Antiquarum* Francofurti anno 1613. in folio edito, & aliis antea publicatæ: Sed tamen hæ, quarum Indicem Græce damus, in multis variant: in Titulorum vero forma a Latinis penitus discedunt, ut quisque videre possit. De Latinis hæc Lindenbrogius in Prolegomenis.„

Leges Siculæ sive Neapolitanæ etsi Guilliel-mi Rogeriique nomine Constitutiones quasdam admixtas habeant, majori tamen ex parte Friderico Imperatori debentur, jussu ejus a Petro de Vineis Capuano (quo Cancellario utebatur, cujus etiam aliæ Epistolæ extant) conscriptæ. Friderico Imperatori elogium tale tribuit Suffridus Presbyter *Chronici* lib. 2. *Fridericus II. Imperium adeptus regnavit annis XXX. Hic erat ingeniosus, Studiosus & literarum scientia magnus. Leges optimas pro libertate Ecclesiæ, & contra hæreticos edidit.* „Editæ autem hæ leges fuerunt anno vel biennio, (ut vult Molinæus in Conser. & Paris Tit. 1. num. 95.) post suam coronationem Romæ, anno M CCXXI. Quorum tanta apud Siculos & Neapolitanos auctoritas, ut non insuper habuerint viri clarissimi præstantissimique Bartholomæus de Capua, Marcellus Forus, Jacobus de Ayello, Lallus a Tusæa, Sebastianus Neopodanus, Marinus de Caramanico, Lucas de Penna, Nicolaus Superantius, Matthæus de Afflictis copiosissimis eas Commentariis illustrare.„

„Constitutiones igitur Latinæ Titulos habent Rogerii & Guillelmi Regum, cum Titulis Friderici II. Imperatoris & Siciliæ Regis intermixtos: in Titulis autem Græcis nulla Rogerii aut Guillelmi mentio: etsi in ipsis Constitutionibus Græcis perinde atque in Latinis, hi reges interdum memorentur: ita tamen ut in Græcis Guillelmus alicubi dicatur is ipse, qui Rogerius in Latinis appellatur, commutatis videlicet Regum diversorum nominibus. Tituli autem Græcarum Constitutionum non plures modo sunt quam Latini, sed etiam longe diversi: imo in ipsis Constitutionibus nonnunquam variatur in rebus ipsis„

„Constitutiones autem Græcæ, etsi saltem plu„rimæ è Latinis versæ sint, Interpres tamen „Græcus non semper Latinos sequitur: sed ad„jicit, detrahit & mutat, idque jussus haud dubiè „& ex auctoritate Regia facit. „ Hæc quidem Bernardus de Montfaucon in *Monito* ad Constitutiones istas. Quas tamen non ideo crediderim opus ipsius Friderici II. proprium fuisse, sed JurisConsultorum hujus ætatis Siculorum, quorum *Collectionem* Fridericus auctoritate sua Imperatoria approbaverit. De hoc Constitutionum Græcarum Friderici II. Imperatoris MS. Codice, pluribus idem Bernardus de Montfaucon *Palæographia Græca* lib. 4. cap. 8. paginis 318. 319. 320. & 321. Per annos plures pluribus actus discordiis, agitatus negotiis, scripsit nihilominus Libros *De arte venandi cum avibus*, quos una cum Additionibus Manfredi Regis, habes impressos Augustæ Vindelicorum anno 1596. in 8. Hi libri *De arte venandi cum avibus* MSS. in Bibliotheca Colbertina, Codice 2177. Item ipsi attributum à nonnullis est, *Jus Navale Friderici Secundi* Lingua Saxonica impressum, id est, vulgari Germanica Hafniæ anno 1572. in 8. *Ejusdem Friderici Epistolæ variæ* inter Epistolas Petri de Vineis *Collectaneis* Goldasti, *Historiis rerum Germanicarum* Freheri Tom. I. pag. 303. & *Miscellaneis* Baluzii, atque alibi. Extant *ejusdem Friderici Epistolæ* MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 4377. & in Colbertina Cod. 1660. Atheismus immeritò Friderico 2. Imperatori ab impostoribus attributus est, ut habet Conradus Danhawerus Theologus & Ecclesiastes Argentinensis in *Hodosophia* seu *Theologia Positiva* Argentorati 2. in 8. tomis anno 1666. impressa, Tomo 1. *Phænomeno XI.* p. 1416. his verbis. „Nulli credulæ Ἀθεότης sive Atheismus, „id est omnis religionis contemptus, qualis fer„tur fuisse in Friderico II. Imperatore, cui post „alios imputat Justus Lipsius Libro I. *Monitorum* „*Politicorum* cap. 4. quod sæpe illi in ore fuerit, *Tres fuisse insignes impostores, qui genus humanum* „*seduxerunt, Mosen, Christum, Mahometem.* Hoc„ tamen mendaciter ei affictum contendit *Petrus de Vineis* libro I. Epist. 31. Verius hoc di„cterium Jacobus Marchant in *Horto Pastorum*„ Tractatu 1. lect. 6. propositione 2. tribuit *Simoni de Tornaco*, Parisiis celebri Doctori Theolo„giæ. „ Vide quæ de illo ad annum 1210. protulimus, ut ab ista eum calumnia vindicaremus, quam illi ex invidia Fratres Mendicantes affinxerunt. Hanc tandem Friderico impietatis notam imponit synchronus testis, Albericus Trium Fontium, Ordinis Cisterciensis Monachus in *Chronico* ad annum 1239. his verbis. Anno M CCXXXIX. Decem & septem sunt„ casus contra Imperatorem annotati, inter„ quos est quædam illius contra Christianam le„gem blasphemia, quam Dominus Papa tangit„ in libris ad Archiepiscopum Senonensem: *Tres*,„ inquit, *baratores* *seu Guillatores fuerunt in mundo*,„ *Moyses, Christus & Mahometus.* Et in tantum„ honorem tribuit Machometo, quod eum con„sociat Moysi & Christo. Nunquam tamen„ Machometus Moysem vel Christum *barratores*„ appellavit, & in hoc Imperator iste deterior eo„ Machometo. Sed & die quadam fertur dixis„se uni de suis, cum vidisset Sacerdotem *corpus*„ *Domini* ad quendam infirmum deferentem, *Heu*„ *me*, inquit, *quamdiu durabit truffa ista?* Propter„ has blasphemias, & alios casus enormes, Domi„nus fecit eum per totum mundum excommu„nicari, & excommunicatum denuntiari.„ Mortuus est Panormi anno 1254. die 13. Decembris, juxta Carolum Dufrenium du Cange, qui eum quoque accenset Scriptoribus *in Indice auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 100. De illo agunt omnes qui vel Annales Ecclesiasticos posteriorum temporum, vel Summorum Pontificum & Imperatorum Occidentalium scripserunt.

DISSERTATIO
IN
AUTHOREM LIBRI *DE TRIBUS IMPOSTORIBUS.*

PROLOGUS

Multi sunt qui ætate nostra Libros seu Dissertationes sub hoc titulo scripserunt, quorum aliquos recenset Burcardus Gotthelfius Struvius, in Dissertatione *De Doctis Impostoribus* quam subjunxit Introductioni ad notitiam rei literariæ & usum Bibliothecarum, Jenæ anno 1706. iterum editam in 8. Atqui hi omnes exemplum secuti Scriptoris antiquioris, qui sub medium vel initium seculi XIII. Theologia Scholasticâ & contentiosâ jam fervente, librum ejusdem tituli edidisse scribitur, sive & Simon Tornacensis Theologus, sive ut pluribus placet, Fridericus II. Imperator fuerit. Hos autem ex recentioribus enumerat Struvius in Dissertatione citata §. XXIV. „Extat enim„ scriptum *De tribus hujus seculi famosis impostoribus*„ & Turcarum seductoribus P. Ottomanno, Ma„homed Bei sive Joanne Michaele Cigala, & So„batai Sevi, quod anno 1666. in Anglia prodiit,„ & non multo post in Germania publici juris fa„ctum. Sic etiam prodiit *Vincentii Panurgi Epistola de tribus impostoribus* ad clarissimum virum„ Joannem Baptistam Morinum D. M. atque Re„gium Matheseos Professorem, *Parisiis* 1654.„

„Quem ipsius Marini partum esse testatur Me„nagius *Antiballeti* tom. 1. pag. 267. 268. in quo „triumviros istos Gassendum, Neureum & Ber„nierum pro impostoribus habet. Secutus hos „fuit Christianus Kortholtus, qui in libro suo „*De tribus impostoribus Magnis*, denuò curâ Seba„stiani filii edito Kilonii 1701. in 4. de Eduardo „Herberto, Thoma Hobbesio, & Benedicto Spi„nosa agit, eosque errorum apertè convincit. De his igitur non agimus Libris, sed de altero ejusdem *De tribus impostoribus* nominis, cujus fama seculo XIII. inter viros eruditos percrebuit, de quo jam paucis *in Friderico II. Imperatore* egimus. Ne quis autem nos plagii literarii insimulet, fatemur quidquid in hac Dissertatione diximus, accepisse verbotenus à dicto Gotthelfio Struvio, qui eruditissimè de hoc argumento disquirit, in Dissertatione *De Doctis impostoribus* à §. IX. ad XXIV. inclusivè, Paragraphis sexdecim integris.

CAPUT PRIMUM.

VARIÆ SENTENTIÆ QUOAD SCRIPTOREM LIBRI *DE TRIBUS IMPOSTORIBUS*, QUI NEC AD SIMONEM TORNACENSEM THEOLOGUM, NEC AD FRIDERICUM II. IMPERATOREM PERTINERE PROBATUR.

1. Circa librum *De tribus impostoribus*, variæ sunt sententiæ. Sunt qui editum dicunt, de auctore contendentes, partum hunc viris quibusdam eximiis attribuentes, ut eo major concilietur scripto auctoritas: sunt qui planè editum negant: Inter priores Thomas Brounæ *De religione Medici* sect. 19. attribuit Bernardino Ochino, quem Petrus Scavenius sequitur *in Catalogo Auctorum qui suppresso vel ficto nomine prodierunt.* Molthenius tamen in Notis, Ochinum auctorem habere non vult. Henricus Ernstius *Observationum variarum* lib. 2. c. 36. varias de eo relationes habet. *Libellus*, inquit, *de tribus impostoribus, dignus ut imis terris, quod dicitur, eradatur. Faciant nonnulli ejus auctorem Postellum, qui egregium illud opus* De concordantia Orbis *composuit. Certum esse ajunt, quod in horrifica inciderit deliria, ita ut dixerit, se libirasse ab aterna morte viros, matrem autem ejus fæminas. Thomas Campanella scriptor pestilentissimus charta* De Monarchia Hispanica, *Romæ mihi retulit, M. Antonium Muretum libellum illum scripsisse. Hæc quomodo se habeant, ego certò nescio: hoc tamen non ignoro, quod diabolus princeps ejus auctor sit.* Claudius Perigardus in procemio *Circuli Pisani* pag. 5. Averroem pro auctore vendicat, ita tamen ut Libris suis saltem materiam ad hunc nostrum suppeditaverit. Joannes Deckherrus *De scriptis Adespotis* pag. 119. constanter Ochino tribuit, ob famam publicam, scripti & scriptoris ætatem, auctoritatem à Placcio adductam, denique pessimam viri æstimationem. Samuel Maresius *De Joanna Papissa* pag. mihi 196. de Boccacio suspicionem movet. Alii Poggium Florentinum, alii Petrum Pomponatium, Merulam Mahumedanum, Franciscum Puccium, vel Miltonum Anglum auctorem faciunt. Guilielmus Postellus auctorem libri Arnoldum Villænovæ facit, uti testantur *Naudæana* p. 129. Nec desunt, qui Stephanum Doletum non auctorem tantum, sed hanc etiam ob causam Lugduni 1553. exustum dicant.

2. Quidquid tamen sit, haud facile negandum erit, huic libro nefarium quoddam apophthegma dedisse occasionem. Invaluit enim seculo XIII. fama libri *De tribus impostoribus Magnis*. Ex hoc maxime cum hujus liberioris sententiæ Fridericus II. incularetur, fama fuit, ab æmulis propagata, quasi editus esset ejusmodi liber, qui non ita de origine apophthegmatis certi esset. Inde factum, ut liber iste multum inquiretur, quod forsitan adverterunt homines fraudis & lucri cupidi, qui tale quid conscriberent, quasi antiquitus elaboratum supponentes. Simile ergo accidit, quod de *Claviculis Salomonis*, quos solertissime investigant, qui curiosa amant. Memini vidisse me apud Fautorem Halensem tale Manuscriptum, sub hoc titulo, lingua Gallicâ conscriptum, in quo tamen fraus facile adparet, cum in eo *Cartesianorum* mentio fiat; quod quidem mutare aliquis conatus fuit, pro *Cartesiens* supponendo *Pyrrhoniens*, sed infelici tamen cum successu. Imò Pyrrhonii Linguâ Gallicâ, & ejusmodi, scriptum statim reddunt suspectum, ab impostore quodam subordinatum.

3. Libro igitur huic nefarium apothegma occasionem dedisse, negandum forsan non est. Auctorem illius Apophtegmatis Jacobus Thomasius *Observat. VII. Halensis Tomi I.* primum facit Simonem Tornacensem, quem Belgum quidam faciunt, sed potius ille est, quem Angli sibi vendicant, atque Simonem Thurnaium adpellant. Hic patria Cornubiensis erat, presbyter Anglus, qui relicta patria, Lutetiam Parisiorum concessit, ubi multis annis Theologorum Scholæ præfuit: cumque dialecticus acutissimus & in artibus liberalibus valde peritus esset, in summa apud plerosque admiratione fuit. Hic senex factus, omni scientia privatus dicitur, eo quod in Mosen & Christum plurimas evomuisset blasphemias. Centuriatores enim Magdeburgenses *Centuria XII.* fol. 1443. ex Matthæi Parisiensis Libro VII. referunt, ipsum jactasse, se totam scire Christi legem, & improbando posse eam annihilare: repente ita rudem effectum, ut nec Orationem Dominicam pronuntiare, nec alphabetum legere posset. Polydorus Virgilius lib. XV. in fine de eo tradit, *cùm plus æquo sua gloriaretur doctrina, repente litteras ita oblitus est, ut rudissimus penitus fit effectus.* Id quod etiam testatur Joannes Baleus *De Scriptoribus Angliæ Cent. 3. cap. 47.* Thomas Cantipratanus

lib. 1. *De apibus* cap. 48. pag. 440. scilicet acutissimus erat philosophus Thurnaius, in omni disciplina versatus, idem forsitan expertus fatum ac alii, ut nimio Philosophiæ studio in naturæ scopulos incideret, & animus à veritate Christiana abalienaretur. Testatur istud Joannes Trithemius *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 143. dum ita de eodem *Vir in divinis Scripturis eruditus, & in seculari philosophia subtiliter doctus, Dialecticus acutissimus, & omnium liberalium artium peritissimus, factus Theologica Scholæ Magister, multis annis in Gymnasio Parisiensi docuit, ubi plurimos auditores erudivit. Sed dum Aristotelem nimium sequitur, errasse in quibusdam invenitur.* Sed licet de hoc Thurnaio dicatur, quod blasphemias in Christum evomuerit, ex eo tamen non sequitur, quod illum dixerit *esse impostorem*. Aliud quid Matthæus Parisiensis, Scriptor accuratus tradit, ipsum jactasse, se Christi legem improbando posse annihilare: quæ est blasphemia acerrima, sed non ideò auctor sententiæ *De tribus impostoribus*. Multa evomuit adversus legem Mosis & Christi, quæ licet forsitan eo duci possent, non sunt tamen ipsa apophthegmatis verba, de quibus agimus: cum nihil de Mahomete Saraceno ab eo effatum dicatur, qui tamen tertium locum in apophthegmate occupat.

Post hunc idem apophthegma Friderico II. Imperatori tribuitur, de quo Lipsius *in Exemplis Politicis* parte 1. cap. 4. pag. mihi 37. *Sunt qui non solum vita impietatem praferunt, sed impudentes lingua exprimunt, ut ille Fridericus Secundus Imperator, cui in ore, tres fuisse insignes impostores qui genus humanum seduxerunt.* Sed injuriam facit optimo Principi. Originem hoc habet ab inculpatione Pontificis. Testem de hoc habemus Chronicon Augustanum, ad annum 1245. quod in Tomo 1. Freheri continetur. Ibi enim allegantur rationes, cur Imperatorem excommunicaverit Pontifex, ubi inter alia. *Praterea iniquitatem in excelso locutus est, ponens in cælum os suum: Dixit enim audiente Landgravio Henrico, Tres seduxerunt totum mundum, Moses Hebraus, Jesus Christianus & Machomet Saracenus: quamobrem si Principes institutionibus meis adsentiant, ego multo meliorem modum vivendi & credendi ipsis nationibus ordinarem.* Idem tradit Compilatio Chronologica, quæ extat in Tomo 1. Pistorii ad annum 1249. Historia de Landgraviis Thuringiæ cap. 1. dicit, quod *in Comitiis Franckfort. Spiritu diabolico ipsum instigante, blasphemaverit in Deum & Sanctam Ecclesiam.* Et fama per orbem ita sorduit, ut jam pejor Herode & Juda vel Nerone censeretur, inquit Matthæus Parisiensis *in Historia sua* pag. 736. Ter enim à tribus Pontificibus Romanis Fridericus II. excommunicatus dicitur, ab Honorio III. à Gregorio IX. anno 1217. & in Concilio Lugdunensi 1245. ab Innocentio IV, cujus ultimæ excommunicationis caussa inter alias hoc effatum dicitur.

CAPUT SECUNDUM.

IDEM DE FREDERICO II. IMPERATORE LATIUS PROBATUR.

1. QUæ Struvius paragraphis IX. XVIII. XIX. & XX. dixit, cap. 1. Dissertationis hujus conclusimus, nunc cap. 2. quæ sequentibus XXI. XXII. & XXIII. complectimur. Contra hanc autem Pontificis Romani & asseclarum ejus inculpationem, ipse se defendit Fridericus Imperator. Extat enim apud Petrum de Vineis lib. 1. cap. 31. Epistola universis Prælatis scripta, ut compescant Papam à suis illicitis moribus. Verba Imperatoris in ea Epistola hæc sunt. *Nostra Majestatis jubar intendit ducere in ecclipsim, dum veritate in fabulam commutata, plena mendaciis ad diversas mundi partes, Papales mittuntur epistola, de complexione, non de ratione, accusantes nostra fidei puritatem. Scripsit enim solo nomine Papa, nos bestiam ascendentem de mari, plenam nominibus blasphemia, pardique varietatu circumscriptam.* Et paullò post, *Inseruit enim falsus Christi Vicarius fabulis suis, nos Christiana fidei religionem rectè non colere, ac dixisse tribus Seductoribus mundum esse deceptum: quod absit de nostris labiis processisse, cùm manifestè confiteamur, unicum Dei filium coaternum & coaqualem Patri & Sancto Spiritui, Dominum nostrum Jesum Christum, ab initio & ante secula genitum: processu temporum missum in terris, in subsidium generationis humana, non de potentia ordinata, sed de potentia ordinante. Qui est de gloriosa virgine matre natus, passus postmodum & mortuus secundum Carnem, & alteram naturam, quam assumpsit in utero matris, virtute Deitatis, à morte post triduum surrexisse. Mahometi verò corpus in aëre pendere didicimus, obsessum dæmonibus, animam inferni cruciatibus deditam, cujus opera tenebrosa fuerunt, & contra legem Excelsi. Mosen verò amicum Dei & familiarem, vera docente pagina, fuisse tenemus: in monte Sinai cum ipso tenentem colloquia, cui Dominus rubum accendit, per quem signa & mirabilia fecit in Ægypto & Hebraico populo: lex tradita declarat, ipsum postmodum vocatum ad gloriam cum electis.* Ubi notandum est, quod in MS. Codice membraneo, quem Bibliotheca servat, pro *tribus seductoribus*, legitur *tribus barcatoribus*. Adparet etiam Orthodoxa hujus Friderici fides ex Epistolis, quas Marquardus Freherus Tomo I. *Rerum Germanicarum* inseruit Epist. III. ubi dicitur. *Tandem verus ille mediator Dei & hominum Jesus Christus, qui suam velut unicam sponsam proprio charactere sui pretiosi sanguinis insignivit & redemit, consolationis gratiam, quam adscendens in cælum fidelibus suis repromisit, evidentibus & manifestis declarat indiciis.* Quid magis pii ab Imperatore dici potuisset?

2. Sed si forsan hæc testimonia, quia ab ipso Imperatore profecta, non satis certa videri possint, eo quod facile fuerit Imperatori dissimulare; aliorum quoque testimonia adferemus, quæ

quæ de fide Friderici II. Catholica præferunt. Testatur Mutius *Chron. German.* lib. XX. pag. 411. Fridericum II. cum nuntiatum esset, se à Papa excommunicatum, *incommota facie & animo, multa apud suos de innocentia sua dixisse, de adversariorum iniquitate & dolis, precatumque esse clariore voce, Deum omnium dispositorem, ut adsit justiorem causam habentibus.* Paulus Sangius Monachus Bosaviensis; in Chronico Citicensi p. 797. ita loquitur. *Anno Domini MCCXII. Fridericus II. Suevus, filius Henrici Imp. contra Ottonem depositum, in Regem Romanorum electus est. Is inprimis bonus fuit, & modestus, ergaque Dei Ecclesias & religiosorum cœnobia devotus & magnificus, quibus & multa dedit privilegia & immunitates. Successu verò temporis contra Ecclesiam Romanam erexit cornua, bona ejus occupando, hinc & Pontifices plures per ordinem, Honorium III, Gregorium IX, Cœlestinum IV. & Innocentium IV. persecutus est, & Cardinales plerumque cœpit & custodia mandavit.* De Friderici excommunicatione à Gregorio IX. facta dicit Vrspergensis ad annum 1227. pag. 324. *Gregorius IX. tanquam superbus, primo anno Pontificatus sui cœpit excommunicare Fridericum Imperatorem, pro causis frivolis & falsis, & postposito omni ordine judiciario.* Egregium de innocentia Friderici habemus Gallorum testimonium, quod videmus apud Matthæum Parisiensem in *Historia sua* pag. 500. Cum enim abdicato Friderico, Robertum Gallorum Regis fratrem Papa constitueret Imperatorem, illum honorem delatum hoc modo declinarunt. *Quo spiritu vel ausu temerario, Papa tantum Principem, quo non est major, imò nec par inter Christianos, non convictum vel confessum de objectis sibi criminibus exhæredavit, & ab apice Imperiali præcipitavit? Qui si meritis suis exigentibus deponendus esset, non nisi per generale Concilium cassandus judicaretur. De transgressionibus suis non est hostibus suis fides adhibenda, quorum Papa dignoscitur esse capitalis. Nobis adhuc insons, immo bonus fuit vicinus, nec quid sinistri vidimus de eo, in fide litate seculari vel fide Catholica. Scimus autem, quod Domino nostro Jesu Christo fideliter militavit, marinis & bellicis se periculis confidenter opponens. Tantum religionis de Papa non invenimus. Imò qui eum debuit promovisse, & Deo militantem protexisse, eum conatus est absentem confundere, & nequiter supplantare. Nolumus nosmetipsos in tanta pericula præcipitare, ut ipsum Fridericum tam potentem impugnemus, quem tot regna contra nos juvabunt, & caussa justa præstabit adminiculum. Quid ad Romanos de prodiga sanguinis nostri effusione? Si eum per nos & alios devicerit, omnes Principes mundi conculcabit, sumens cornua jactantiæ & superbiam, quoniam ipsum Fridericum magnum Imperatorem contrivit. Sin autem de fide Catholica diffidiat, & ipsum, imò etiam ipsum Papam, si male de Deo senserit, vel quemlibet alium mortalium usque ad internecionem persequemur.* Testimonium satis clarum ab exteris profectum.

3. Excusat etiam Aventinus *Historia Bavarica* lib. VII. pag. mihi 413. Pandulphus Collenutius hunc sequitur, qui hoc sibi fere sumsit, ut Imperatorem nostrum defenderet. Id quod egit in *Historia Neapolitana* libro IV. Dicit enim pag. 149. quod Innocentius Pontifex fulmen in Fridericum ejaculatus fuerit, *nullo modo auditis admissisque pœnitentia, aliisque rebus:* & clarius pag. 158. *Ego sane multas Friderici Epistolas quæ extant, vidi atque legi, cum ad Pontifices & Cardinales, tum alios Christiani orbis Principes, privatasq́; etiam personas exaratas: sed nihil in eis deprehendi contra fidei nostræ regulam, nihil hæreticum, nihil denique quod aliquam Ecclesiæ oppressionem aut contumaciam redoleat: sunt quidem in iis multa querelæ, lamentationes, admonitiones de avaritia & ambitione Sacerdotum, de Pontificis pertinacia, qui suas excusationes & Imperii defensionem audire nollet, deque insidiis quæ sibi struerentur.* Non quidem ab omni plane culpa alienum fuisse Imperatorem, innuere videntur tum verba anteriora, *quod Pontifex nullam admiserit pœnitentiam*, & quæ Collenutius dicit pag. 135. Guillielmus de Podio Laurentii quoque in Chronicis suis scribit, *Fridericum morti proximum, suorum errorum tantopere pœnituisse, ut vetuerit sibi post obitum exequias cum ea pompa celebrari, quæ Imperatoribus in usu esse consuevit.* Vbi ergo pœnitentia, ibi peccatum fuit. Sed Fridericus licet agnosceret se peccatorem, non tamen illius peccati reum, cujus inculpabatur, sed aliorum, à quibus nemo est immunis. De isto autem nefario dogmate pœnitentiam non egisse, satis patet, cum ipse illud, uti diximus, diluat. Imò ipse Pontifex Innocentius IV. in formula proscriptionis, quæ habetur VI. *Decretalium* lib. II. tit. XIV. cap. II. & quæ plenius Epistolis Petri de Vineis præmissa est, illud pro certo affirmare non audet, sed tantum dicit: *De hæresi quoque, non dubiis & levibus, sed difficilibus & evidentibus argumentis suspectus habetur.*

4. Explosa igitur hujus rei veritate, restat ut dicamus, undenam hæc inculpatio suborta fuerit. Collenutius *Historia Neapolitana* lib. IV. pag. 158. ex Pii II. Historia Australi dicit, *Nihil videlicet excellenter malum in Ecclesia Catholica patrari, cujus prima origo à Sacerdotibus non dependeat, nisi fortè occulto quodam Dei consilio fiat.* Hoc igitur malum, hæc inculpatio pariter à Sacerdotibus venit. Veram causam adlegat Collenutius Lib. IV. pag. 156. quod de Pontificibus nimis vera prædicavit, multaque in eorum moribus, totaque illa Apostolica vita desideravit, aut quod Imperii jura acrius defenderit, aut denique quod nimis in Italia potens, contra quam voluissent, fuerit. Sive ut ipse Imperator apud Petrum de Vineis Lib. I. cap. 31. ait, *Revera Imperialis felicitas Papali semper impugnatur invidia.* Quærebant ergo Pontifices, unde exosum facerent statibus Imperii, quo illum ipsi ab Imperio deponentes, alium eligerent Romanæ sedis clientem: qualis tunc erat Henricus

cus Thuringiæ Lantgravius, quem cum Clericis & hi pariter ipsi faverent, *Regem Clericorum* dixerunt, ut ait Albertus Stadensis *in Chronico* ad annum 1246. Hic erat Henricus, de quo Chronicon Augustanum inquit, quod audiverit Fridericum II. nefarium hoc apophthegma proferentem. At ex dictis patet, quod Friderici inimicus fuerit, favens omnimodè sedi Romanæ, ut facilè inde pateat, quid de ejus testimonio sentiendum sit. Res ergo tota, ad imposturas Clericorum & Pontificum redit.

CAPUT TERTIUM.
DE
ALIIS, QUIBUS IDEM OPUS ATTRIBUITUR.

1. NEque tamen solum de Auctore controvertitur, sed cum alii de libro dubitent an extiterit unquam, alii eundem existere, omnino probare conantur. Ita Morhofius testatur, quod hunc librum legisse & ex eo quædam excerpsisse videatur Claudius Berigardus *in Circulo Pisano* parte 3. Circ. 3. pag. 230. Mersennus hunc librum extare, pluribus tractat: & Mullerus *De Atheismo devicto*, Prolegom. cap. 2. pag. 19. ita loquitur: „Habetur iste liber in „Bibliotheca quadam Principis publica, mihi no„tissima. Obtrectator quidam Religionis & mi„nisterii possidebat istum, sed mortuo illo, hæ„redes Librum exurebant. Archiater quidam „Principis viri, retulit mihi, se Librum sæpe nu„mero versasse manibus & perlegisse, quod „idem factitavit ille, cui à medicina erat. May„erus etiam Salvii Epistolam ad eundem Mul„lerum, tractationi suæ de hoc libro inseruit, „qua patet & Mullerum ejus habuisse faculta„tem, cum ita ad Mullerum scribat, ut de eo „jam certus sit. " Florimundus Ræmundus *De Origine Hæresium* libro 2. cap. 16. hæc testatur. *Memini me puerum in Collegio Prelano exemplar vidisse apud Petrum Ramum, hominem excellenti doctrina præditum, nisi in pervestigandis religionis secretis, nimium operæ ac studii ponens, ea ad philosophiæ Leges expendisset.* Quod si Melchiorem Adamum *in Vita Calvini* pag. 41. audimus, libellus hic vel similis, anno 1547. Genevæ exhibitus fuit, *siquidem per id tempus quidam famosum libellum scripsisse, & sacro pulpito adfixisse deprehensus; in quo tum alia multa nefaria in sacrum ministerium, tum etiam illud scriptum erat, Calvinum esse in Rhodanum præcipitandum. Caussa dicta, infinitarum aliarum blasphemiarum, præter expectationem condictus, capitis supplicio affectus est. Quin etiam post ejus interitum, inventus est Libellus ipsius manu adversus Mosen, ipsumque adeò Christum ex professo scriptus, quo impietatis scelere dubium non erat, quin alios etiam aliquot infecisset.* Nihil quidem hic de Mahomete, reliqua verò respondent. *De Ramo* testatur Florimundus Ræmundus, quod hunc librum *deambulando* legerit. Christianus Kortholdus in Prolegomenis, quæ libro suo *De tribus impostoribus magnis* præmisit, inquit, non adeo pridem sibi doctum virum adfirmasse, se in Potentissimi cujusdam Germaniæ Principis bibliotheca aulica, librum illum conspexisse. Alium similiter amicum, cujus fides ipsi perspecta esset, retulisse, se librum illum Genevæ anno 1666. apud bibliopolam quendam vidisse & inspexisse. Assentitur hisce Jo. Frid. Mayerus, qui singulari de hoc libro *Programmate*, variis rationibus probare contendit, librum omnino esse editum. Sed si omnium testimonia consideremus, tota res ad aliorum relationem redit. Ipse de amico testari possum, qui affirmavit se possidere talem librum lingua Italica scriptum, quem tamen multis instans, ad videndum adipisci non potui.

2. Ne tamen de libri certitudine dubitetur, contenta quoque ejusdem designantur. Tentzelius ex litteris communis nostri amici delineat, quibus integrum librum octo constare plagulis testatur. *Primò* capite agitur de communibus hominum præjudiciis, *Secundò* in originem inquiritur, qui factum quod homines Deum, quem minimè viderunt credant: quod in sola imaginatione putat consistere: quare etiam de Bibliis malè judicat. *Tertiò* capite religionem ex sola ambitione ortam probare contendit, impiè de Mose & Christo loquitur, postmodum etiam Mahumetem addens. Demum de inferno, diabolo, aliisque rebus agit. Verum audiamus quid Becmannus delineet, cujus verba mutuo accipiemus, ex Mayeri *Programmate* pag. 13. *Quidquid alii de hoc libro sentiant, nobis initium famæ de eo figmentum potius, quam veri quippiam esse videbatur. Secutis tamen temporibus librum talem verè scribi cœpisse, non diffitendum ducimus, sed non unum, at varium: unde & factum opinamur, ut varii ejus auctores circumferantur. Alii inter quos Digby libro quodam Anglicè scripto, Bernardinum Ochinum auctorem faciunt, alii Miltonum Anglum, omnes ætate & ingenio dispares, unde tanto certius est, quod de eò statim diximus. Ipse Voetius sæpe fassus fuit, se nondum audivisse, qui penes se illum fuisse testatus fuerit. Mersennum quoque eundem non vidisse, indicat, quod ex fide amici Aretinum accuset, non propria conscientia. Si quis tamen Summam ejus cognoscere velit, sciat, eum non alia continere, quàm quæ in Tacito, Justino, aliisque scriptoribus profanis congeri possunt. Quod ipse auctor in universum genus hominum injurius est, quod cum aliquam opinionem abjicere debet, meliori antea instruendum est. Auctor verò Scripturæ auctoritatem dum dubiam reddit, alios auctores, quorum auctoritas æque dubia est, ei opponit: quæ summa vel ignorantia vel malitia est. Cætera ejus ita comparata sunt, ut miracula omnia extenuet, præpostero ordine, sed Atheis valde familiari, qui ut invertendus sit, ex Theologia discendum. Ille de quo loquimur, in Anglia jam sub prælo fuit, sed*

citiùs

citius opinione Auctoris innotuit, quo factum, ut exemplaria omnia combusta fuerint. Contenta itaque delineat Beckmannus, qui nihilominus suppositum librum habet, eundemque non unum, sed varium: qui factum, ut diversis adscribatur auctoribus.

3. Sunt permulti qui Petro Aretino adscribant, idque ex rationibus, uti putant, non infirmis. Ex horum numero est Mersennus, qui ex singulari cujusdam amici, qui librum legerat, judicio. Stylum Aretini facile deprehendi testatur, Commentario in Genesin pag. 1830. Vide Joannis Rhodii *Catalogum auctorum Supposititiorum* pag. mihi 37. Spitzelium *De Atheismo* pag. 18. & 55. Adsentitur Tentzelius *Bibliotheca Curiosa* anni 1704. pag. 491, rationem addens, *Summam Aretini impietatem, cum Turcis, Persis atque Indis commercium.* Conjecturæ sunt non adeo firmæ. De Stylo judicare non possumus, cum librum non viderimus, neque tamen certum inde argumentum concludi posse putamus. Vitæ enim impietatem cum Poggio aliisque communem habet, commercium cum Turcis cum Campanella, ut nihil adeo certum de Aretino nos moveat.

4. Imo designant alii Typographum, per quem nefarius ille liber editus sit. Mullerus in *Atheismo devicto* Prolegom. cap. 2. versu 19. eundem anno 1614. per Nachtigallium quendam, fuisse impressum dicit. Communis est opinio, Christianum Wæchelium, typographum illum celebrem, librum hunc anno 1530. impressisse, ideoque justa pœna divina, ad summam redactum fuisse paupertatem. Testatur illud Rayna dus in *Hopiotheca* Sec. II pag. 259. 260. his verbis. *Opus de tribus magnis impostoribus Mose, Christo, Mahomete, exitiale fuisse Wæchelio, insigni alias typographo, sed ejus libri pestifero attactu funditus everso, referunt, qui legerunt fide digni testes. Mihi incestare oculos tam infanda Scriptoris lectione, ad ingens scelus videtur pertinere.* Huic tamen asserto Petrus Bælius se opponit, dicens non illum librum fuisse a Wæchelio impressum, sed alium, qui infantes sine baptismo morientes condemnaret. Inscribitur *Querela infantium in Limbo clausorum adversus divinum judicium ab Antonio Cornelio, Lutetiæ 1537.* in 4. Ita Bælius. Nec Raynaudi auctoritas sufficit, cum Garassius in *Summa sua Theologica* Wæchelium dicti libri *De limbo infantium* accuset. Struvius paragg. X. XI. XII. & XIII.

CAPUT QUARTUM.

DIVERSÆ, DE IMPRESSIONE HUJUS LIBRI, OPINIONES.

1. NEc desunt tamen qui editum plane librum esse, negant. Dubitavit de eo olim Gabriel Naudæus, cum dixerit, *jen'ay jamais veu le livre De tribus Impostoribus, & je crois qu'il n'a jamais esté imprimé, & tiens pour mensonge tout ce qu'on en a dit.* Dubitavit etiam Hugo Grotius Appendice ad Commentarium *De Antichristo* p. 133. *Historia Operum Eruditorum* 1694. Februarii pag. 278. extant excerpta ex Dissertatione *de la Monnoye*, quibus hunc librum nunquam extitisse probatur. Id quod etiam Richardus Simon in Epistolis suis Selectis probat. Fama quidem fuit hunc librum, Roterodami extare apud Bibliothecam Baldeanam: Sed testatur Sebastianus Kortholtus, in præfatione ad patris librum *De tribus Impostoribus magnis*, ex Petri Bælii litteris, *falsissimum esse extare in Bibliotheca Baldeana hic Roterodami librum De tribus impostoribus, videnturque omnes suspecti esse debere vel nomine fidei, vel nomine diligentiæ, quicunque jactant se tale opus manibus trivisse.* Cui testimonio eo magis est credendum, quod satis notum sit, Bælium sedulum atque accuratissimum rei litterariæ indagatorem esse, & cui, cum ipse Roterodami viveret, optima fuit occasio de hoc libro certius inquirendi Dubitat & ipse Bælius, qui librum ait esse non nisi chimæram, in *Dictionario* p. 325. Ratio dubitationis eo videtur redigi, quod nefarium olim fuerit apophtegma, quod a sæculo XII. invaluerit.

2. Hæc sunt, quæ in utramque partem adducuntur rationes. Fateor, mihi, cum primum ederetur hæc dissertatio, fuisse persuasum, librum nec conscriptum, nec editum esse: Sed si quæ extent, quæ talem titulum præ se ferunt, esse Supposititia, ab otiosis ingeniis conficta, totamque rem ad nefarium quoddam apophtegma redire Contradixit in *Bibliotheca sua Curiosa* Tentzelius, iisdem innixus rationibus, quæ in Dissertatione adductæ fuerunt, aliqua saltem de *Aretino* addens, cui eundem librum nefarium adscribit. Fateor, Tentzelii rationibus me nondum fuisse commotum, cum ne unicum quidem Scriptorem adduxerit, qui non ex aliorum potius, quam sua relatione loquatur. Quæ ex communis nostri amici litteris contenta libri designat, asserto priori non obstant, cum sub hoc titulo Libros Supposititios, ab otiosis hominibus confictos, extare non negaverim. Omnia jam ante nota fuerunt, cum istius notitiæ prima initia mihi Tentzelius deberet. Interim hoc ipsi debeo quod prioris Dissertationis una cum introductione, recensionem in se suscipere voluerit, mihique hoc ipso occasionem dederit, aliqua plenius indagandi.

3. Ut autem dicam, quid mihi nunc videatur, librum non solum scriptum, sed editum etiam esse, putem. Dum enim de Campanellæ *Atheismo Triumphato* agerem, forte fortuna incidi in ejusdem locum, qui in Præfatione manuscripta ad Scioppium continetur, quam *Actis Litterariis* fasciculo secundo inserui, dum ait pag. 73. *Deinde accusarunt me, quod composuerim*

rim librum De tribus impostoribus, qui tamen inveniatur typis excusus, annos triginta ante ortum meum ex utero matris. Tempus designat, & quod typis editus sit. Quantum ad tempus, nativitas Campanellæ in annum 1568. incidit, editus itaque liber erit anno 1538. Incidunt hæc fateor, cum ætate Petri Aretini: neque tamen cum anno 1530. quo Wæchelius hunc librum edidisse dicitur. Ipse tamen Campanella Germanis potius attribuisse videtur, quam Italis dum ait pag 66. *Igitur cum non adpareant Signa vera inter nos nisi raro, & ita quidem, quod Somnia videantur & mendacia, similes videmur Turcis & Hebræis: proptereaque in Germania excuserunt Librum De tribus impostoribus, pleunsque est mundus politicis Machiavellisticis & Atheistis.* Excusum autem apud Germanos librum fuisse dicit, non æque eosdem fuisse Auctores. Audiamus de eo eundem *Atheismo Triumphato* cap. II. ubi ait. *Quod si dicat Christianus, mendacia esse? dicent & ipsi de Christianis idem, cum Judæis. Nam & Gentiles Moysi miracula negarunt, & tribuerunt ea casui, ut legimus apud Cornelium Tacitum & Justinum Historicos, & alibi: vel astucia & naturali magiæ, ut Plinius docet & Avicenna. Hinc Boccacius in tabellis impiis probare contendit, non posse discerni, inter legem Christi & Moysis & Mahumetis, quia eadem signa habent, uti tres annuli consimillimi. Item Masutius Salernitanus non minus impias contexuit fabellas, quarum primus auctor Lucianus Sophista.* Joannem itaque Boccacium facit auctorem, cui etiam Maresius *De Joanna Papissa* pag. 196. tribuit. Hic autem licet Seculi XIV. Scriptor fuerit, facile tamen fuerit, ut manuscriptus adservaretur liber, apud Germanos demum editus. Conveniunt fere, quæ differit Florimundus Ræmundus *De origine Hæresium* lib. II. cap. 16. ubi dicit. *Jacobus Curio in Chronologia sua testatur, in Palatinatu an. 1556. miram ejusmodi hominum fuisse frequentiam, qui Lucianistæ dicti sunt, eo quod omnes religiones deridéant, Sacrosque & imprimis magni illius Legislatoris Mosis libros pro nugis & fabulis habeant. Ex horum officina prodiit nefandus ille libellus, in Germania, quamvis alibi excusus: invalescente passim hæresi non infrequens, horribili titulo* De tribus Impostoribus *inscriptus: quo tres præcipuæ religiones, quæ unum & verum Deum, qui creavit cœlum & terram, quamvis diversa ratione adgnoscant, Christiana nimirum, Judaica & Mahumetana irridentur. Sed ex ipsis inferni faucibus, libellum hunc eructatum, non argumentum solum, sed vel solus titulus ostendit. In Summa, libellus est Saculo isto dignus.* Quod si Campanellam cum Ræmundo conferimus, hunc librum in Germania vel excusum, vel saltem primum apparuisse patebit.

4. Sufficit nobis, editum fuisse librum ante Campanellæ ætatem, cum ipsi non solum objiceretur, sed etiam de re tanquam certa se defendat. Confirmant hoc etiam alia. Legamus Spitzelium in *Scrutinio Atheismi* pag. 18. qui facile videri ait, *Campanellam librum legisse, cum & Aubertus Miræus Bibliotheca sua Ecclesiastica pag. mihi 226. Campanellam Atheismum Triumphatum, seu Reductionem ad Religionem per Scientiarum veritates contra Antichristianismum Achitophelisticum, sive contra librum* De tribus impostoribus *Scripsisse & XXV. annos Neapoli in Castello de Ovo captivum impendisse confirmet.* Ita Patinus loquitur, in MS. *Estant un jour chez Campanella, je pris par hazard un livre, qui estoit sur la table: c'estoit son* Atheismus Triumphatus in 4. *edit. de Paris 1636. A l'ouvertare duquel pag. 184. je vis ces mots:* hanc sententiam tuetur mordicus Machiavellus, & liber de tribus Impostoribus impiissimus foret. *Je pris de la occasion de luy demander des nouvelles de ce livre, il me dit, qu'il l'avoit veu a Rome entre les mains d'un Florentin, nommé Franciscus Puccius.* Verba debemus Mayero *Programmatis* pag. 10. Vidit ita Campanella, legit, imo refutavit. Licet autem ab impio quodam Italo & a Boccacio forsan hic liber primitus conscriptus atque editus fuerit, hoc minime tamen obstat, quo minus cum Beckmanno dicamus, multos dari adhuc Supposititios, qui dum Liber iste anxius quæreretur, ab otiosis ingeniis, ob lucri cupidinem vel morum corruptelam conficti fuerint. Quo forsitan spectat liber apud Anglos editus ac statim suppressus, & qui a Tentzelio aliisque in Principum Bibliothecis allegantur. Hæc Struvius paragg. XIV. XV. XVI. & XVII. quæ a nobis descripta sufficiant.

ECKERHARDVS SEV EGGEHARDVS 1220 apud Sanctum Gallum Monachus non unus sed tres diversis temporibus extiterunt. Nam apud Hermannum Contractum in Chronico extant seniores duo, qui Sæculo X. floruisse leguntur. Nempe Eggehardus seu Eckerardus Senior & primus dictus, Abbas Cœnobii S. Galli, qui anno 958. Alavico succedens, anno 972. obiit, de quo ita Hermannus ad annum 958. *Alavicus Abbas obiit, cui Successit Eggehardus*, & ad annum 972. *Eggehardo Abbati Rutmannus successit.* Alter circa annum 980. floruit ac Magister Scholarum Sancti Galli extitit, quem anno 990. obiisse refert his verbis Hermannus Contractus: *Vdalricus Abbas & Eggehardus Magister in Cœnobio Sancti Galli obiit.* Dictus hic Junior & secundus, cujus nomine extant *Excerpta de origine & casibus Monasterii S. Galli in Helvetia ex libris Ratperti atque Eckerhardi Junioris*, qui in ætatis suæ temporibus desinit: inter *Historicos Germaniæ* quos tribus tomis simul junctis evulgavit in fol. anno 1606. Francofurti p. 19. Melch. Heiniksfeldius Goldastus. Inde immissæ in Tomum 3. *Historicorum Franciæ* Andreæ Duchesnii pag. 481. editionis 1641. Parisiis in folio, post Hepidanni Monachi Sancti Galli *Annales Breves* ab anno Christi 709. usque ad annum 1044. pag. 471. Tertius qui & Minimus dicitur, circa annum 1220. clarus tunc fuit,

Ecker-

Eckerhardus Decanus Sancti Galli, author libri *De vita Beati Notkeri* cognomento Balbuli, quæ extat apud Henricum Canisium Tomo 6. *Antiquæ Lectionis*, & inter *Historicos Germaniæ* pag. 353. quos in fol. anno 1606. edendos curavit Melchior Goldastus. Apud Successores Joannis Bollandi in *Vitis Sanctorum* ad diem 6. Aprilis, & apud Joannem Mabillon Seculo V. *Sanctorum Ordinis Benedicti* pag. 11. Ætatem produnt hæc verba cap. 18. *Bene hic ponendum est, quod nostris temporibus evenit. Venerabilis Abbas Sancti Galli Udalricus pia memoria, hujus nominis Sextus, in legatione Regis Friderici II. postea Cæsaris, venit Romam ad Innocentium Papam III. missus &c.* Censeo & eundem esse Eckardum, qui Vitam Sancti Galli a Ratperto Scriptam ex Germanica lingua Latine transtulit, quæ in vetusto Codice superest in Monasterii Sancti Galli Bibliotheca. Ita Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. mihi 458. Idem quoque Lib. 3. parte 4. quæ de *Historicis prætermissis* est cap. 4. pag. mihi 760. Temporibus Ludovici II. Caroli Calvi, Ludovici III. & Caroli Crassi, Ratpertus Thuregiensis Monachus Monasterii Sancti Galli, cognatus Sancti Notkeri floruit. Condidit *Chronicon Monasterii sui* usque ad Bernardum Abbatem qui Cœnobio illi anno 883. præfuit, at eopse anno decessisse Scriptor hic videtur, extatque hoc *Chronicon* MS. quater vel sæpius in Monasterio antedicto. Reliquit etiam *Hymnos de Sancto Gallo & de Sancto Othmaro. Vitam etiam S. Galli* sed Germanica Lingua compoluit, quam Latine postea Eckerhardus Junior (dic *tertium* vel *Minimum*) transtulit. Hæc Vossius. Mentionem vero faciunt Eckerhardi Decani S. Galli, quem ratione ætatis qua vixit, *Minimum ac tertium* nominavimus, Henricus Canisius & Melchior Goldastus, qui Vitam S. Notkeri ediderunt locis indicatis. Successores Bollandi in Præludiis ad Vitam Sancti Notckeri, tomo I. ad diem 6. mensis Aprilis. Joannes Mabillon in Præludiis ad eandem Vitam, quam inseruit Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* p. 11.

1220 CÆSARIUS. MONACHUS HEISTERBACENSIS, in Valle Sancti Petri, Ordinis Cistercienfis in Diœcesi Coloniensi, ab ætate prima in Urbe Coloniensi litteris operam dedit. Anno 1188. Henricum Cardinalem & Episcopum Albaniensem, quem Clemens III. in Germaniam Crucis prædicandæ causa miserat, in Basilica Sancti Petri in eadem Urbe concionantem puer audivit, & plurimos Cruce signantem vidit, ut ipse libro 10. *Miraculorum* cap. 44. narrat. Anno 1199. Monasticam vestem apud Heisterbacum induit prope Bonnam, ubi postea Successu temporum & ob probitatem morum, Magister Novitiorum & apud Gallobrabantos Prior in Villari extitit. Anno 1225. in *Libros tres De vita & passione sancti Augelberti Coloniensis Archiepiscopi*, scribere cæpit, qui anno demum 1227. tertium librum quitotus est in Miraculorum insigniorum enarratione absolvit, quos habet Laurentius Surius Mense Novembri. Hos etiam tres libros Notis & Auctario a se illustratos, Ægidius Galenius ad Sanctum Andream Coloniensem Canonicus, anno 1633. Agunt eadem in urbe edidit. Scripsit item Cæsarius per modum Dialogi *Libros duodecim De miraculis & visionibus suo tempore in Germania potissimum factis*, quos anno 1222. perfecit, ut clare aperit Lib. X. cap. XLVIII. ubi ait, *In anno præsenti qui est 1222 ab incarnatione Domini, duæ Civitates in Cypro terræ motu corruerunt.* Impressi olim Coloniæ anno 1591. in 8. quos iterum habes editos tomo I. *Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, de qua jam sæpius locuti sumus. Hoc in opere quam Simplex fuerit Cæsarius in credendo, quam facilis in fabulis Scripto consignandis, nullus negabit qui ejusmodi Monachalem Farraginem legerit, nullus leget, qui non impense ad tantas fabulas riserit. Idem *Homilias super Dominicis & festis totius anni* scripsit, tribus partibus Coloniæ anno 1615. in 4. typis Patris Henningii impressas, & ab Andrea Coppenstenio, Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologo correctas. Iterum anno 1628. in 4. ibidem apud eundem. De hujus libris tam impressis quam Manuscriptis abunde narrat Carolus de Visus in sua *Bibliotheca Auctorum Cisterciensium* pag. 57. & hæc omnia Cæsarius ipse Sigillatim in Epistola sua ad Petrum Priorem loci sanctæ Mariæ, quam Andreas Coppenstein præfixit fasciculo *Moralitatis Colonia* in Vbiis a se edito 1. Sic enim appellavit Homilias, de quibus supra. Extat præterea inter Manuscriptos Codices Bodleianæ in Anglia Bibliothecæ Codice 1359. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi, litera 1. Codice 19. num. 1. *Cæsarii Monachi Heisterbachiensis Quæstiones quodlibetica.* Num. 2. *Cæsarii ejusdem ex ordine Cisterciensi Liber Exemplorum*, id est Miraculorum, de quibus supra. Præter allatos agunt de Cæsario Heisterbacensis Monacho Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 388. pag. 257. Antonius Possevinus tom. I. *Apparatus Sacri.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2 *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 459. ultimæ editionis.

CONRADUS A LICHTENAU, URSPERGENSIS ABBAS, vir nobilis, Præ- 1220
positus IX. & Abbas primus Urspergensis, Ordinis Præmonstratensis ad Mindulam Fluvium in Augustana Diœcesi, quem Cuspinianus in *Austria* sua sæpius appellat Conradum ab Auerspergen. Hic in *Chronico* suo scribit anno 1202. se factum esse, Presbyterum, *Anno Domini millesimo ducentesimo secundo, ego Presbyteratum accepi a venerabili Episcopo Constantiæ Diethalmo* Quinquennio autem post, anno nempe 1207. ingressus est Ordinem Præmonstratensem, ut ipse ibidem ait: *Anno Domini 1207. ego ad Ordinem Præmonstratensem veni.* Tandem anno 1215. cum

cum doctrinæ eccellentia floreret, factus est Abbas Vrspergensis seipso teste: *Eodem anno Abbas electus fui & translatus in Vrsperg.* Non autem Abbas nonus Vrspergensis fuit, ut habet Lib. 2. *De Historicis Latinis* c. 57. p. mihi 460. *Gerardus Joannes Vossius:* sed meo quidem sensu Præpositus nonus & Abbas novus seu primus, cum antea qui præficiebantur Vrspergensi Ecclesiæ nonnisi *Præpositi* appellarentur, usque ad tempora Philippi Imperatoris qui anno 1208. occisus est. Hoc patet ex eodem Abbate Conrado, dum loquitur de obligationibus & debitis ducentarum argenti marcarum, quæ contraxerat Ecclesia Vrspergensis, ob tyrannidem Bertholdi de Nifen, a qua postea Præpositus qui tunc fuit, & fratres se liberaverant. Quod autem ibidem ait *se translatum fuisse in Vrsperg.* aperte indicat se non fuisse professum Ordinem Præmonstratensem apud Vrspergam, sed alibi, unde evocatus fuerit ad Abbatiam hanc gubernandam. De ejus *Chronico* Bellarminus & Labbeus in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, sed ita paucis, ut idoneam hujus ideam haud præbeant: unde pluribus de hoc Scriptore loqui aggressus sum. Itaque comparavit sibi famam ille Conradus non ignobilem ex *Chronico* suo, quod a Bolo primo Assyriorum Rege exorditur, definitque in annum IX. Friderici secundi Imperatoris, hoc est ad annum Christi 1229. excurrit. Est autem illud, certo ex variis consarcinatus, imo videtur Abbas Conradus *aliud Chronicon* jam ante ex variis collectum expilasse, & quædam ei in extrema parte addidisse de suis temporibus. Atque illud satis mirari non possum, quod ubi aliquis anterior Chronologus in prima loquitur persona, id in tertiam personam converterit, addito nomine illius qui ista scripsisset, Vt dum Author anno 1099. ait se interfuisse expeditioni Godofridi Bullonii in Palæstina, Item anno 1102. ait se fuisse Romæ, quando Paschalis secundus excommunicavit Henricum V. Imperatorem. Item anno 1106. dum loquitur *de cometa* a se inspecto. Haberque similia annis 1107. & 1125. Hæc sane immutare debuerat Conradus Abbas, cum de se hæc in prima persona scribere non potuerit, qui centum & amplius annis postea floruit: ut qui scribat se anno 1202. Presbyterum factum, anno 1207. quinquennio postea religionem ingressum, & anno 1215. factum Abbatem Vrspergensem. Vtcunque ista fint, Opus aspernendum non est. In rebus quidem Assyriis, Persicis, Græcis, Romanisque, fontes ipsos adire multo certius est: sed in rebus Germanicis sui ævi & sæculorum quæ proxime antecedunt, habet, quæ magno cum fructu legantur. „Annotat autem Gerardus Joannes „Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag „460. quod post mortem etiam Conradi Ab„batis, aliqua videntur inserta ab ejus amico, „ut ad annum 1198. ubi, de morte agens Henrici Friderici Barbarossæ filii, sic scribit: *Audivi ego id ipsum a Patre Conrado qui, postmo“dum fuit Abbas Præmonstratensis, & tunc in secu“lari habitu constitutus, in camera Imperatoris“ extitit familiarissimus:* Vbi non alius intelligi“ potest, quam Conradus Abbas Vrspergensis,“ cum Vrsperga sit Monasterium Ordinis Præmonstratensis. Sed ibi fallitur egregie Vossius, nam hoc loco Conradus Abbas Vrspergensis non loquitur de seipso, vel quis alius de illo:“ sed hoc ipse loquitur Conradus Abbas Vrspergensis, de altero Conrado qui anno 1198. Henrico V. Imperatori notissimus erat, atque abjecta sæculari aula conversus ad Ordinem Præmonstratensem, factus est postmodum ob merita virtutis & natalium, Præpositus primum Augiæ in Germania, quam *Candidam* vocant Ordinis Præmonstratensis: unde in Galliam evocatus, successive tum Abbas Vallis Secretæ in Episcopatu Suessionensi, tum ipsius Archicænobii Præmonstrati in Episcopatu Laudunensi factus est. De isto Conrado Abbate Præmonstratensi, loquitur Conradus Vrspergensis, non de seipso, ut perperam Vossius opinatus est, neque quidpiam Conradi *Chronico* post ejus mortem, a quopiam additum est ut interpolaretur. Hæc autem observata a nobis, confirmari possunt ex *Bibliotheca Præmonstratensi* in Catalogo Abbatum Præmonstratensium, & ex fratribus Sammarthanis tomo 4. *Galliæ Christianæ* verbo *Præmonstratum*: quæ nos apprime scimus, cum colligendis Ordinis hujus antiquitatibus sudore multo incubuerimus, sed hæc omnia Collectanea a me facta, ex Abbatis Præmonstratensis ignarissimi totius Ordinis capitis Michaelis Colberti inertia & Stupiditate, dispersa sunt, ac dissipata. Opus istud Conradi Vrspergensis impressum sæpius est, at primum anno 1540. in folio Basileæ curis & studio Philippi Melanchtonis qua editione utor. Deinde aliis in locis. Hic cum Monasterio quod instauraverat & egregia Bibliotheca ornaverat, annis quatuordecim præfuisset, anno 1240. vivere desiit. Agunt de *Conrado* Bellarminus & Labbeus in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1215. pag. 707. sed justo parcius. Josias Simlerus in Epitome *Bibliotheca Gesneri.* Antonius Possevinus in Apparatu sacro. Gerardus Joannes Vossius, loco citato. Natalis Alexander in *Selectis Historia Ecclesiastica Capitibus*, sæculo XIII. ubi de Scriptoribus hujus sæculi.

LVDIGERVS CELLENSIS ABBAS Ordi- 1220
nis Cisterciensis claruisse mihi videtur doctrina & moribus, circa annum 1220. Quamvis enim quo tempore præcise ille vixerit, incertum mihi sit, attamen vix dubitandum, quin circa tempus istud floruerit.“Erat“ enim teste Josia Simlero in *Epitome Bibliotheca*“ *Gesne-*

Gesneriana pag. 553. Ludigerus tertius Abbas« Cellensis Ordinis Cisterciensis, in Misnia, cu-« jus extant *Sermones Festivales per diversa anni« tempora*. Itemque ejusdem *Liber Azymorum*,« *& Oratio de Sancto Bernardo*.« Illud autem Monasterium nunc Cella simpliciter, nunc Vetus Cella dictum; teste Bazelino in *Descriptione fundationis Monasteriorum Germaniæ*, in Saxonia Misnensi situm est, quod sub annum 1180. Ottho Misniæ & Lusatiæ Marchio cum conjuge sua Hedwig, Marchionissa Brandenburgensi fundavit, qui ibidem cum uxore sua & filia sepultus est. Ex *Chronico de Cella Veteri* Christiani Schlegelii quod anno 1704. in 4. sumptibus Johannis Jacobi Winckleri editum est, *Cœnobium Veteris Cellæ* anno 1162. fundari cæptum est paragrapho 6. pag. 16. Hujus Abbas primus Henricus qui an. 1175. cum Ottone Marchionis fundatore, nonnullas villarum ad Cœnobium Spectantium de consensu totius Monasterii alienavit §. 8. pag. 17. Eodem anno 1175. 6. Kalendas Junii constructum est hoc monasterium Veteris Cellæ Sanctæ Mariæ, cujus Oratorium anno 1198. dedicatum est, Amen §. 9. pag. 18. Denique anno 1181. Henricus Abbas Cellensis, literas feudales ab Ottone Marchione hunc pagum Rolwinum impetravit §. 10. pag. 19. Secundus Abbas anno 1200. Matthæus fuit, qui scripto alicui cum Tammone Priore & Gerardo Cellario monasterii subscribit §. 24. pag. 34. Tertius Abbas anno 1216. Bernhardus, cui & Conventui Sanctæ Mariæ hoc anno Tidericus Marchio Misnensis & Orientalis, contractum Lipsiæ confirmavit, quo decem mansos hæreditariæ proprietatis in Villa Kagan pro centum triginta & quinque, in Wecelesvaldi pro 60. marcis, duo fratres Theodericus & Wolckmarus de Kagan hæreditario jure vendiderunt §. 29. pag. 39. Quartus fuit Abbas Cellensis Wilhelmus anno 1219. qui Albim navicula trajecturus, cum aliquot Monachis famulis mergitur & interit §. 30. pag. 39. Huic quinto loco successit Ludigerus, qui ab anno 1205. & ultra forsan, sub Abbatibus duobus præcedentibus regulares observantias apud Veterem Sanctæ Mariæ Cellam coluerat ac fratribus ob mores & doctrinam non vulgarem placuerat. Hæc ex Chronico Christiani Schlegelii dicta sint. Cum igitur fuerit Abbas quintus hujus Monasterii Veteris Cellæ anno 1162. fundati recte ad annum circiter 1220. annis post fundationem circiter sexaginta vixisse videtur. Idem Christianus Schelegius *Chronico de Veteri Cella*, Cisterciensis Ordinis Diœcesis Misnensis paragr. 23. pag. 37. profert diploma concordiæ inter Fratres Dobrilugenses & Hartpertum Sacerdotem de Vardenbrick anno M CCV. scriptum, cui Ludigerus Monachus de Veteri Cella, seu cella Sanctæ Mariæ subscribit. Ibidem paragr. 34. pag. 45. anno M CCCXXIV. Bruno Præsul Misnensis & Ludigerus Abbas Cellensis de agris contendunt, ad cujus litis diremptionem arbitri electi fuere; Ludovicus Thuringiæ Landgravius, Engelhardus Numburgensis & Conr. Hildesheimensis Præsules. Ita Fabricius in *Annalibus Misniæ* p. 36. Extant MSS. Sermones Ludigeri *Abbatis Cellensis*, semel & iterum in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum hujus Bibliothecæ Codicum, impresso Lipsiæ anno 1686. cura & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii, pag. 149. num. 24. & 25. Item ejusdem *Ludigeri Abbatis Cellensis liber Azymorum*, ibidem pag. 180. num. 31. Plura quæ de hoc Abbate dicam, non suppetunt, quem omisisse Carolum Vischium in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, mirum valde est. Cujus meminuerunt Josias Simlerus loco citato, & Catalogus MSS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, locis quæ supra diximus. Carolus Dufrenins du Cange in *Indice Auctorum* quem præfecit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 128.

JORDANUS GERMANUS ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM SECUNDUS GENERALIS PRÆPOSITUS, 1220 non natione Saxo, ut vulgo scribitur: sed ex oppido Borterge, in Diœcesi Moguntina, originem habuit. Quem male ad annum 1250. in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 526. retuleram, quondam Universitatis Parisiensis Alumnus, atque ut ferunt in Theologia Baccalaureus, circa annum 1216. Ordini Fratrum Prædicatorum nascenti nomen dedit Matthæo Priore admittente, cujus ita perspecta virtus ac probata ut anno 1221. Dominico novi Instituti parenti successerit in Regimine Ordinis, quem sanctis moribus atque institutis illustravit. Scripsit librum *de Origine sui Ordinis*, Romæ anno 1587. impressum cum Notis Antonii Maffæi Salernitani. Itemque *Historiam translationis* corporis Sancti Dominici, quam Abraham Bzovius Dominicanus, ad annum 1223. suis *Annalibus Ecclesiasticis* n. 5. inseruit. Mortuus autem est Magister Jordanus anno 1237. Submersus, cum peregrinationis sacræ desiderio pulsus, mare conscendisset cum duobus sociis: de cujus morte statim ut innotuit, admoniti sunt per litteras, Fratres Prædicatores Parisienses, « Gotifredus & Reginaldus Ordinis Prædicatorum,« Pontificis Maximi Pænitentiarii, Præsidenti &« Fratribus Cœnobii Parisiensis Salutem. No-« veritis, quod inundantis sævitia ac suo impe-« tu propellente ad Littus triremen, in qua dul-« cis Pater noster M. Jordanus cum duobus fra-« tribus erat, ipse & 99. homines liberati sunt ab« hoc sæculo nequam. Super hoc tamen Ca-« rissimi non pavat cor vestrum, quia nobis or-« phanis pius pater & Deus totius consolatio-« nis remedium & post tempestatem providit«

„tranquillum. Nam dum jacerent corpora in-„humata ut testantur, qui de illo naufragio „evaserunt, qui eos tradiderunt propriis ma-„nibus sepulturæ, luminaria de cœlo super eos „singulis noctibus effulserunt, sed & cruces „multæ super eos visæ sunt & a multis. Ad „quod miraculum loci incolæ confluentes, „tanti odoris fragrantiam hauserunt, quod jux-„ta testimonia eorum qui post visa miracula „eos tres sepelierunt, usque post decem dies „odor nimius ab eorum manibus non recessit. „Sed & per circuitum sepulturæ, ejusdem odo-„ris suavitas latius emanavit, usque quo fra-„tres de Acon venerunt cum navigio & eos in „suam Ecclesiam transtulerunt, ubi dictus pa-„ter quiescit, & multa beneficia præstat per „omnia, Deus Benedictus. Amen. Hæc nos ex *Historia Universitatis Parisiensis*, quam scripsit Cæsar Egassius Bullæus, sæculo V. ad annum 1237. pag. 161. ubi & de illo iterum agit in Catalogo illustrium hujus sæculi Academicorum, verbo *Jordanus natione Teutonicus*, pag. 697. Tam stupendi autem miraculi fides sit penes hos duos Sciptores, ambos ex Ordine fratrum Prædicatorum in gratiam sui Præpositi testificantium. Extat quoque sub ejusdem nomine *Corona Virginis Mariæ*, edita Placcutiæ an. 1599. in 12. Sed Opus istud Jordano huic suppositum est, neque ratio ista precandi tantæ antiquitatis est. Leander Albertus hujus Jordani vitam scripsit, quam Surius ad diem 13 Februarii retulit: de quo etiam consulendus S. Antoninus tit. 23. Jacobus Bergomensis in *Supplemento Chronicorum*. Ferdinandus in *Historia Fratrum Prædicatorum*, Centuria I. Bzovius & Spondanus in *Annalibus*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 458. ultimæ editionis. Joannes Bollandus in *Probatis Sanctorum Vitis* ad diem 13. Februarii, ubi plurima ad Jordani istius laudem leguntur, tum in Actis Vitæ illius Tomo 2. Mensis Februarii pag. 724. & sequentibus, tum in Commentariis ad Vitam præviis pag. 720. Hic autem caute distinguendus est ab aliis duobus Jordanis natione Germanis, quorum unus circa annum 1290. Scripsit *Chronicam qualiter Romanum Imperium ad Germanos translatum fuit*, de quo dicemus ad annum 1190. Alter *Jordanus de Saxonia* etiam, dictus *De Quedelingburg*, sed Augustinianus Eremita, de quo nos postea loquemur ad annum 1370.

1220 THOMAS DE CAPUA S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS, seu Capuanus, ita appellatus quod Capua Italiæ urbe oriundus esset, homo Literatus & ingenio facetus, factus est ab Honorio III. Summo Pontifice anno 1216. mense Decembri, Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Sabinæ. Tanti eum Gregorius IX. ob suam integritatem ac prudentiam æstimavit, ut eum duabus legationibus in Italia honoravetit. Nam Viterbienses, cum Romanis ex quibusdam causis contendentes, variis istos usque ad Romæ portas excursionibus depredationibusque fatigabant. Quos cum Cardinalis Capuanus pacificandos suscepisset, legatio successit, omnisque hostilitatis actus evanuit. Nec per Successus in Legatione altera, ad Fridericum Secundum contra Lombardiæ urbes accensum, ex parte Romani Pontificis. Illæ enim Urbes, pacificationis conditiones nimium molestas audire nunquam voluerunt, nec se jussis Imperatoris subjicere, nimium duris; ac suæ libertati adversis, nec committere bona sua discretioni indiscertæ militum Imperialium. Cum autem Fridericus allegatis Thomæ Campuani pro pace conditionibus obsurduisset, juxta Bzovium in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1228 num. 2. excommunicatus est feria quinta in cœna Domini in pleno consistorio. Circa idem tempus, Sede Hierosolymitana vacante, Thomas Capuanus ad hanc Sedem electus est, quam tamen electionem Romanus Pontifex approbare noluit, hanc Ecclesiæ Romanæ incommodam censens, nec volens ut Ecclesia Græca tanto viro dotaretur. Scripsit Thomas prolixum Opus inscriptum, *Summa Dictaminis Magistri Thomæ Capuani S. R. Ecclesiæ Cardinalis*, quod MS. extat in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, num. 798. Codice, qui 400. annorum est. Constat hoc Opus variis partibus, partim prosa, partim Rithmis intermixtum. Alia jocosa & facetissima sunt, alia seria: ac seriæ utplurimum sunt Epistolæ Romanorum Pontificum & aliorum simul collectæ, post Rythmorum catervas. Opus grande ac variegatum Primum Opus incipit

Hora nona Sabbathi, tempore florenti
Plebs vacans convenerat intra Septa templi,
Sedit ibi Presbyter in herba virenti &c.

Prosa incipit, *universis & singulis Papali vocatione vocatis, in ambiguo mandato mandantis &c.* Secundum Opus incipit,

Ada lapsus extitit rebus in ruinam,
Dum culpa mortalibus propinavit spinam,
Et quia postposuit gratiam divinam &c.

Prosa autem incipit,

Quod divinum ei cooperari &c.

Tertium Opus alludit ad duo præcedentia, quæ carminibus & prosis constant, constatque decem partibus solas Epistolas, ac plerasque Pontificias continentibus: unde dudum dubitaveram, annon esset antiqua aliqua Collectio Decretalium ex iis quas Antonius Augustinus in publicam lucem edidit. Incipit, *Præmissis quibusdam in parte Dictaminis jocosis tractatibus ad verborum enucleationem ornatu Rhetorico, metricis prosaicisque coloribus decorato, adjungendo præsens præteritis Opusculum, diversa diversis ad legentium industriam pro nostra paupertatis modulo, vigilanti studio laborare Satagentes &c.* Unde constat scribam hujus Manuscripti Codicis interturbasse ordinem, vel compactorem Codicis potius, atque ultimo loco collocasse, quæ

primo

primò esse debuerant, & vice versa, quod annotasse juvat. Habetur idem Opus in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 5310. in folio, qui anno 1297. scriptus est. Item *Ars Dictaminis* seu *Summa Magistri Thomæ de Capua* Cardinalis, MS. in celebri Bibliotheca Claræ Vallis & Vallis Lucensis, Ordinis Cisterciensis, pulpito 15. Littera K. Sed ambigo an Opus integrum sit, nam in plerisque MSS. Codicibus mera faceta sublata sunt, solæque restant Epistolæ, ut in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, ubi habetur Littera Q. 20. fol. 1. incipiens, *Justè judicate filii hominum, & nolite judicare secundum faciem, sed rectum judicium judicate, ut ostendatis vos diligere judicium & justitiam, qui judicatis terram &c.* Hoc Operis majoris compendium tantum est, quod etiam MS. in Bibliotheca celebri Colbertinà Codicibus variis 1392. 4026. 4050. 4235. Ejusdem Epistolæ Manuscriptæ ibidem, Codicibus 881. & 4460. Adfuit postmodum Thomas Capuanus electionibus Celestini IV. & Innocentii IV. obiitque anno 1243. Anagniæ die 22. Augusti, ubi conditus est. De illo Auberius tomo 1. *Historiæ Generalis Cardinalium*, pag. 247. *Nomenclator Cardinalium S. R. E. Scriptorum* Ludovicus Castaneus de la Rochepozay, pag. 24. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Auctorum* quem præfecit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, pag. seu columna 151. Augustinus Oldoïnus Soc. Jesu in *Athenæo Romano*, quo Romanorum Pontificum & Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Scripta recensentur p. 628. in ed. 1676. Ragusiæ in 4.

1220 SICARDUS SEU SIGHARDUS CREMONENSIS EPISCOPUS hac eadem ætate clarus, scripsit *Chronicon* hactenus quod sciam ineditum, quod extat integrum in Augustissimæ Cæsareæ Bibliothecæ Codice MS. inter Codices MSS. Theologicos Latinos CXXVII. quod à creatione mundi incipiens, pertingit usque ad annum Christi 1221. inclusivè, in quo Singularius agit de vita & actibus Romanorum Pontificum. Illius verò meminit Albertus Sigebergensis Monachus in Historia quam scripsit usque ad annum 1455. de quo nos infra locuti sumus, ad annum 1450. quæ extat in quodam Codice MS. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, inter Codices MSS. ex arce Ambrosiana adductos, Codice LXI. cujus meminit Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum Bibliothecæ istius pag. 871. Albertus iste sub initium *Historiæ Pontificum & Imperatorum Romanorum*, narrat se eam compilasse *ex Sancti Hieronymi, Isidori Hispalensis, Venerabilis Bedæ, Sigeberti Gemblacensis, Richardi Monachi Cluniacensis, Sicardi Episcopi Cremonensis, Martini Poloni, & recentiorum aliquot authorum Chronicis collectam*, continuasse à Gregorio XI. usque ad annum Christi 1454. ut ipse in vita Innocentii Papæ VII. testatur. Recte autem collocavit *Sicardum Cremonensem Episcopum* inter Richardum Monachum Cluniacensem quem anno 1149. alligat Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. mihi 430. & Martinum Polonum quem anno 1277. assignat idem Vossius ibidem cap. 60. pag. mihi 484. Quid quod multo ante Albertum illum Sigebergensem *Sicardo Episcopo Cremonensi* Commentarios de vitis Romanorum Pontificum tribuit ineditus Scriptor hactenus, *De Hierarchiis subcœlesti* Libro IV. cap. IX. qui in Pithœana Bibliotheca extat atque Cantabrigiensi, & in Italia scribebat anno MCCCLXXXI. Ejusdem etiam meminit Raphael Volaterranus initio Libri XXII. *Commentariorum Urbanorum*, ubi secundum temporis seriem recenset eos, qui Vitas Romanorum Pontificum tradiderunt: ac *Sicardum* proxime collocat post Sigebertum & Hugonem Floriacensem, Sicardo autem sed male subjungit Godefridum Viterbiensem, qui anno 1186. claruit, ut omnino si standum esset Volaterrano, Sicardus circa annum 1160. vixerit. At ex inspectione Chronici Sicardini, post annum 1220. floruit, aliquanto Godefrido Viterbiensi junior. Erravit ergo Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. mihi 434. dum hunc Scriptorem cujus Chronicon non viderat, anno 1160. assignavit, Arnoldo Abbati Bonæ-Vallis supparem faciens, qui tamen Chronicon continuavit ab Orbe condito, ad an..um 1221. inclusive. Illic autem satis mirari non posse se Possevinum inquit, dum fatetur Volaterranum uti & Lelandum hujus Sicardi meminisse: & tamen addere, esse hunc illum Sicardum Cremonensem, cui Scholia sua dicavit Laurentius Lauretus Carmelita. Nam ipse in eodem *Apparatu sacro*, verbo *Laurentius Lauretus*, agnoscit, Laurentium istum in Concilio Tridentino, postea que coram Pio IV. & Sixto V. orationes habuisse, ac à Gregorio XIV. Adriæ in ditione Veneta Episcopum factum. Atqui Volaterranus *Commentarios suos Urbanos* scripsit ante Tridentinum Concilium annis amplius XL. ante Pium IV. annis circiter LX. ante Sixtum V. annis LXXX. ante Gregorium XIV. annis XC. vel præterpropter.

CONRADUS SERENI MONTIS prope Hallam Saxoniæ Presbyter, his temporibus claruisse videtur, qui scripsit Chronicum seu Librum *De fundatione Lauterbergii* seu *Sereni Montis*, & alium *De primis Marchionibus Misnensibus*. Cum autem hic *De fundatione Lauterbergii* scripserit, eundem esse suspicatur Gerardus Joannes Vossius, qui Georgio Fabricio lib. IV. *Originum Saxonicarum* Conradus Lauterbergius vocatur, ubi ex hoc Conrado collectum esse *Vetero cellense Chronicon* testatur. Hæc Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* parte altera quæ est *De Historicis incertæ ætatis* Litera C. pag. 699. editionis ultimæ. Tum ubi *De anonymis incertæ ætatis* pag. 732. Incertus Scriptor condidit *Chronicon Montis Sereni*, Cœnobii in 1220

Magdeburgensi diœcesi, quod incipit ab anno MXXIV. usque ad annum MCCXXV. Hujus MS. Codicem habuit Marquardus Freherus, quem se Meibomio edendum dedisse refert ipse, in *Directorio Historicorum*, quod Scriptoribus rerumGermanicarum à se publicatis præmisit. Tandem Joachimus Johannes Maderus edidit hoc *Chronicon Lauterburgi seu Montis Sereni ab anno MXXIV. ad annum MCCXXV.* cum aliis Cœnobiorum Chronicis, anno 1665. Helmenstadii in 4. Hujus meminit præter allatos Carolus du Fresne Dominus du Cange,in Catalogo Scriptorum quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis,verbo *Conradus* columna XCIX. Christophorus Sandius *Notis & animadversionibus* in Historicos Vossii Libros pag. 244. & 245. editionis Amstelodamensis in 16. 1677, observat Vossium òpera tria Conrado huic attribuisse, unum *Chronica*, aliud *De fundatione Lauterbergi seu Montis Sereni*,& tertium *De primis Marchionibus Misnensibus* : atque unum & idem opus illud esse,quod à Madero editum est instar *Chronici*,ubi & *de fundatione Lauterbergi seu Montis Sereni* & *de primis Marchionibus Misnensibus* agitur. Maderus tamen in Præfatione dubitat, an hic Conradus Chronici à se editi author sit, rationesque dubitandi profert, quas Lector adeat. Idem Sandius *de Chronico* hoc iterum pag.266. ad Vossii pag. 732. cujus Authorem Conradum Montis Sereni Presbyterum fuisse arbitratur. Idemq; post ipsum Vincentius Placcius in Opere *De Scriptoribus Anonymis* posthumo Hamburgi anno 1708. in folio edito,Cap. 5. *De Historicis Anonymis* p. 295. Num. 1159.

1220 TANCREDUS BONONIENSIS ARCHIDIACONUS, diligens Decretalium Epistolarum à sede Romana ad inquirentes directarum collector,circa annum præterpropter 1227. *Collectionem quintam vel sextam potius* Epistolarum Decretalium composuit, in qua Constitutiones extant Honorii tertii, sub cujus nomine etiam publicari debuit. Opus istud factum post annum 1227. quo Honorius tertius Innocentii III. Successor mortuus est. Hujus interpres perhibetur Jacobus Albanus Faventinus Episcopus, Henrici Ostiensis Præceptor. Hanc diu desideratam, neque unquam editam, quia Gregorius IX. Honorii Successor, Pontifex factus, statim de nova editione Decretalium cogitabat, cum Antonius Augustinus inter Collectiones suas Decretalium non edidisset, tandem in Bibliotheca Albiensi repertam, Tholosæ an. 1645. Innocentius Cironius, Academiæ Tholosanæ Cancellarius edidit, & Glossas doctissimas adjecit,in quibus explicat ea,quæ ad juris cognitionem & temporum historiam pertinent, quæ à prioribus Glossarum Scriptoribus omissa fuerant. De Scriptore isto Arthurus Duck *De Auctoribus Juris* lib. 1. cap. 7. §. 6. Gerardus von Mastricht in Academia Doesburgensi Juris & Historiæ Professor,*in Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii* Num. 352. pag. 384. edita Duisburgi anno 1676. & Amstelodami 1686. in 8.

MONETA CREMONSIS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, hoc cognomine magis quàm prænomine notus,quem paullò serius collocaram ad annum 1240. in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 502. floruit ab anno 1220. velut Dominico Ordinis Fratrum Prædicatorum Institutori Synchronus,atque ex primis ejusdem Discipulis, ut Ambrosius de Altamura asserit. Edidit Philippus Labbeus Societatis Jesu *Novam Bibliothecam MSS. Librorum, Latinorum, Græcorum & Latinorum* ex Catalogis potissimum Regiæ Galliarum Bibliothecæ ac MSS. Codicibus aliarum Bibliothecarum collectam, Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault. Honorificam Monetæ Scriptoris mentionem in hac Bibliotheca facit parte 1. pag. 27. *Fratris Moneti Ordinis Prædicatorum contra Pauperes de Lugduno, ex MS. Codice Petaviano. In Naudæano inscribitur Summa contra Catharos & Waldenses compilata à Fratre Moneta Ord. Prædicatorum ad fidei Catholicæ corroborationem & extirpationem Hæreticæ pravitatis.* Ibidem Supplemento X. ad paginam 27. præfatam pag. 369. *Summa Fratris Monetæ, qui vivebat anno 1225. fuitque in seculo Professor Artium Bononiæ,antequam Ordini Prædicatorum se manciparet.* Incipit, Tempus faciendi &c. Hic in seculo Professor Artium Bononiæ, nascenti horum Fratrum Prædicatorum Ordini nomen dedit, illudque posteritati futuræ commisit, scribendo utilem *Hæresibus eradicandis Summam, adversus Catharos Hæreticos*, & alios, quæ Manuscripta extare dicitur,tum Neapoli, tum Bononiæ, in Cænobiis ejusdem Ordinis. Habetur autem hæc eadem Fratris Monetæ Summa, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4522. sub hoc titulo minio scripto, *Incipit Summa contra Catharos & Waldenses compilata à Fratre Moneta Ordinis Prædicatorum,ad fidei Catholicæ corroborationem & eradicationem Hæreticæ pravitatis, ad honorem & gloriam Jesu Christi & Beati Dominici, institutoris præfati Ordinis.* Incipit Operis Præfatio. *Tempus faciendi Domine dissipaverunt legem tuam &c.* Opus autem distinctum est in libros quinque. Titulus primus, *Quid concedant vel potius fingant Hæretici, & primò hi qui duo ponunt principia &c. Antequam tractemus &c.* Hæc initia Operis istius,quod satis prolixum est, ut si quis Fratrum Prædicatorum in Gallia, illam Summam sat singularem evulgare voluerit, Neapolim vel Bononiam excurrere non cogatur, illam habens in Gallia Codice optimo. Idem Opus MS. quoque extat inter MSS. Codd. Latinos Theologicos Bibliothecæ Venetæ Sancti Antonii, sub hoc titulo, *Fratris Monetæ Liber contra Hæreticos.* Incipit *Tempus faciendi &c.* folio in membrana. Ita testatur Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum Venetarum MSS. Publicarum & Privatarum, anno 1650. in 4. Vtini

ni impreſſo. Hunc ad annum 1240. aſſignaveram, quem Dominico Fratrum Prædicatorum inſtitutori coævum fuiſſe non neſciebam: unde & Ambroſius de Altamura anno 1222. affixit, licet longè poſterius vixerit, vitamque produxiſſe poſt annum 1240. videatur. Agunt de *Moneta* Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus ſacri* pag. 451. Ambroſius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1222. ubi eum *Beatum* appellat, pro Regularium more, præſertim autem Mendicantium, qui unico calami ductu, abſque hodiernis expenſis, plures etiam Beatos albo Sanctorum adſcribunt. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præmiſit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, columnâ 131.

1220 BARTHOLOMÆVS BRIXIENSIS, Juris Canonici Profeſſor, florebat ab anno 1220. ad 1250. temporibus Honorii III. Gregorii Papæ IX. cui nonnulla ex Opuſculis ſuis nuncupavit, & Innocentii IV. Romanorum Pontificum. Hic originem duxit ex nobilium cauſidicorum familia, ortus patre Othone Brixianæ Civitatis ſemel atque iterum Conſule, ſemel anno 1184. & iterum anno 1187. Jus Canonicum multis annis publicè docuit, atque unus fuit ex comitibus Sancti Dominici, dum Brixiam veniret. Gregorio Papæ IX. familiariſſimus præſertim fuit, de quo ſic loquitur Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro* tomo 1. pag. 172. *Bartholomæus Brixianus Juris Canonici Profeſſor, ſcripſit Repertorium Decreti Libris tribus. Diſputationes Decretalium Libris V. Epiſtolarum lib. I. Chronicon Italiæ Lib. I. Vivebat clarus Friderico Imperatore ſecundo anno 1240.* Hæc pauca atque incerta Poſſevinus, nos plura & certiora dicamus, ex viſis. Ex omnibus illius Operibus extant *Gloſſæ ſeu Commentarii in Decretum Gratiani*, quos addidit ad gloſſas Joannis de Semeca ſeu Teutonici, quas incompletas opinatus eſt. Impreſſæ illæ ſæpius ſunt cum Decreto Gratiani, ſed correctiſſimè & eleganter Pariſiis anno 1581. in folio. Extant iſti iidem *Commentarii in Decretum*, MSS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Petri Cod. 152. Item *ejusdem Commentarius in Digeſtum vetus*, MS. ibidem Codice 165. Ibidem *Bartholomæus Brixienſis De caſibus conſcientiæ*, Cod. 150. Item in Bibliotheca Paulina Lipſienſi *Ordo Judiciarius Bartholomæi Brixienſis* cum Summa Juris, qua Gratiani verſus Decreta & Canones complectentes, illuſtrantur. Ita Catalogus MSS. Codicum anno 1686. Lipſiæ impreſſus pag. 242. num. 11. Extat quoque in celebri Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Pariſienſes quos hoc anno 1685. Ædiles disjiciunt, Littera JJ. 18. pag. 135. MS. *Summa Bartholomæi Brixienſis duplex*, una inſcripta *Quæſtionum Dominicalium* p. 135. altera *Quæſtionum venalium* in libros Decretalium pag. 184. Incipit Opus quoad Prologum, *Ad honorem omnipotentis Dei & Eccleſiæ Romanæ, cui præſidet Gregorius IX. & ad inſtructionem Bononiæ & alibi ſtudentium, ego Bartholomæus &c.* Idem opus habetur iterum MS. in eadem Bibliotheca, Littera OOO. 14. ſecundum veterem Catalogum. Ejusdem Barth. Brixienſis Opuſculum in Jus Canonicum, intitulatum *Brocardica* MS. in eadem S. Victoris Bibliotheca, Littera N. 14. fol. 279. cujus hic titulus, *Incipiunt Brocardica in Jure Canonico à Domino Bartholomæo Brixiano compoſita & correcta.* Opus verò incipit, *Ignorantiam poſſe excuſari in Jure poſitivo & non naturali &c.* Idemque MS. Littera Q. 1. fol. 125. & 142. Denique ibidem MS. *liber Bartholomæi Brixienſis ſuper reformatione libri, dicti Tancredi*; quem abſque dubio æmulum olim paſſus fuerat, aut opinabatur. Habetur Littera P. 7. fol. 195. cujus Operis prologus incipit, *Quoniam ad imitationem majorum, in minimis imminet correctio facienda &c.* Nec tantum ob juris prudentiam inſigne pro illis temporibus nomen conſecutus fuit Bartholomæus Brixienſis, ſed & *Chronico de Vrbibus Italiæ* à ſe ſcripto, quàm luculenter notitia Hiſtoriarum ac patriæ inſtructus foret, non obſcurè oſtendit, quo famam ſuam magnopere ad poſteros tranſmiſit. De illo Volaterranus Libro XXI. penè extremo, ubi de JurisConſultis loquitur. Cæterum Brixia ab Acciolino tyranno occupatâ, anno 1258. pro patriæ libertate fortiter occubuit, ætatis ſuæ 84. Ipſum præcipuè in Opere ſuo Hiſtorico, de Brixia & Bergomo egiſſe, author eſt Philippus Bergomas *in Chronicorum Supplemento*, Lib. 12. ad annum 1240. qui celebratur quoque à Leandro *in Italia ſua*, ubi Brixiam deſcribit. Gregorius Papa XIII. anno 1580. die 1. Julii, mandavit *Corpus Juris Canonici* à viris eruditis emendandum ac correctiſſime Romæ in Ædibus populi Romani imprimendum, quam editionem approbavit expreſſa bulla anno 1582. die 2. Junii data. Editum ergo *Corpus Juris Canonici* cum Gloſſis & Apparatibus Commentariorum, 3. in fol. voluminibus Romæ dicto anno, non infeliciter. Primo volumine habetur *Decretum Gratiani*, atque ad voluminis calcem *Margarita Decreti* ordine alphabetico digeſta, edita per F. Martinum Ord. Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarium & Capellanum, cum repertorio eorum quæ in dicta Margarita reperiuntur. In hoc volumine autem habetur *Apparatus Bartholomæi Brixienſis in titulos & Decreta Gratiani* fol. 1. cum Prologo his verbis.

Quoniam novis ſupervenientibus cauſis, " novis eſt remediis ſuccurrendum: idcirco " ego Bartholomæus Bxixienſis confidens de " magnificentia Creatoris, *Apparatum Decretorum* " duxi in melius reformandum, non detrahendo " alicui, nec attribuendo mihi gloſſas, quas non " feci: ſed ſupplendo defectum ſolummodo, " ubi correctio neceſſaria videbatur, vel propter " ſubtractionem Decretalium & diminutionem " earundem, vel propter jura quæ ſupervenere " de novo. Interdum etiam ſolutiones interpoſui, quæ prætermiſſæ fuerant à Johanne. "

Hoc

„Hoc feci ad honorem omnipotentis Dei & Ecclesiæ Romanæ, & ad communem utilitatem omnium in Jure Canonico studentium, Bartholomæus.

Item volumine 2. extat *Apparatus* seu *Commentarius ejusdem Bartholomæi Brixiensis* in titulos & Decreta librorum V. Decretalium Domini Gregorii Papæ IX. quos compilavit per Raymundum Capellanum suum, ut idem Bartholomæus ibidem testatur. Idem opus seu *Corpus Juris Canonici* cum iisdem Apparatibus & Commentariis Bartholomæi Brixiensis, editum Lugduni 3. in fol. voluminibus anno 1584. apud Guillelmum Rouillium & Parisiis anno 1612. eodem modo & forma. De illo Joannes Trithemius in Catalogo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Epitome *Bibliotheca Conradi Gesneri*. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 467. ultimæ editionis. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præfixit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 87. ubi eum anno 1240. vixisse asserit.

1220 RADVLPHVS NIGER, natione Anglus, patriâ Sudovolgius, primis Henrici tertii Anglorum Regis temporibus claruit, atque inter potissimos fuit, qui res Anglicanas hac ætate Litteris commendarunt famam autem nominis sui ad posteros *duplici Chronico* propagavit, nimirum *Chronico Majori* quod ab orbe condito incipit, atque ad tempora sua protenditur, extatque MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, Codice 327. inscripto, *Chronica Radulphi Nigri*. Extat MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vespasiani litera D. Cod. 10. Radulphi Nigri Chronicon ab initio mundi ad annum 1178. Atque in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Cleopatræ litera C. Codice 10. num. 1. Chronicon Radulphi Nigri ab orbe condito ad captionem Regis Richardi I. de peregrinatione redeuntis. Hujus Chronici esse authorem Radulphum Nigrum, patet ex fol. 50. b. ubi cætera ejus opera recensentur. Et in Bibliotheca Collegii Sanctæ Trinitatis apud Dublinum Codice 311. littera C. Codice 174. *Chronicon Radulphi de Diceto & Radulphi Nigri* 410. membrana G. 79. Scripsisse & alterum dicitur *Chronicon Minus* appellatum, discriminis causâ ab altero de quo diximus, atque à Christo nato producitur ad annum 1213. quod manuscriptum ad annum 1113. tantum extare dicitur, in eadem Sancti Benedicti Bibliotheca, Cod. 8. Principium, *Victoriosissimo Anglorum &c.* Libris V. cui hæc nota adjungitur in MS. Codice, *Hac eadem habentur in Chronica magna Matthai Parisiensis anno 1199.* At alii volunt hoc Chronicon succinctum Radulphi Nigri, haudquaquam ultra annum 1113. ut suprà dictum est ab ipso processisse, sed cætera fuisse addita à Radulpho de Coggeshals, usque ad annum XI. Henrici tertii Anglorum Regis sub quo vivebat. Ita certe Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 470. ubi de Radulpho Coggeshalensi loquitur. Qui tamen immemor sui hanc eandem additionem à Radulpho Coggeshalensi factam, attribuere videtur Radulpho Nigro pag. præcedente 469. dum ait, *eundem quoque tradidisse seorsim res gestas Regis Joannis, qui Richardo successerat: itemque initia Regis Henrici III. qui post Joannem imperavit*. Si enim Radulphus Niger ista omnia Regum Angliæ tempora in *Chronico Minori* vel seorsim scripsisset, nullus dabatur locus Radulpho de Coggeshales, ad Supplementum Chronico Radulphi Nigri adaptandum. Idem Radulphus Niger reliquit quoque *volumen de triplici via peregrinationis Hierosolymitana*, itemque *Opus de re militari*, quæ ambo MSS. habentur Cantabrigiæ in Bibliotheca aulæ Pembrochianæ, Codice 76. Tandem iste Radulphus perduellionis reus, ab Henrico III. in exilium ejectus fuit. Agunt de *Radulpho Nigro* Conradus Gesnerus in Bibliotheca Epitomata pag. 716. Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus sacri* pag. 311. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 469. editionis ultimæ. Ecloga Oxonio Cantabrigiensis, ubi de Historicis & libris Artium. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario media & infima Latinitatis*, columnâ 140.

RADVLPHVS DE COGGESHALS, natione Anglus, Canonicus primum Barnevelensis, ut vult Joannes Stoiis, posteà verò jugum instituti Cisterciensis in Coggeshalem Cœnobio amplexus est. Vir fuit multis naturæ dotibus ornatus, disciplinis variis excultus, eruditionis præsertim elimatæ, modestiæ raræ & humilitatis, quibus magnam sibi apud omnes gratiam comparavit: adeò ut unanimi confratrum suorum suffragio in Abbatem electus fuerit: qua in dignitate constitutus musas nihilo minus coluit quàm anteà, animum Historiæ gentis suæ potissimum applicans. Scripta ejus quæ adhuc extant in Angliæ Bibliothecis MSS. sunt, *Additiones ad Chronicon Radulphi Nigri*, in quibus agitur *De Imperatoribus & Regibus Anglia & Francia ab anno 1114. usque ad annum 1228.* quas penes se in Hibernia habuisse scribit Joannes Balæus ad calcem Centuriæ XIII. Scriptorum Angliæ. Incipit autem hoc Opus, *Anno gratia 1114. Rex Henricus &c.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium num. 3524. in MSS. Codicibus Collegii Armorum Londini, Codice 99. Chronicon Radulphi de Coggeshale, & de morte Regis Joannis. Item in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vespasiani, litera D. Codice 10. num. 4. Chronicon Radulphi Abbatis de Coggeshal ab anno 1066. ad tempora Regis Joannis. Et ibidem num. 2. Chronicon cujusdam Monachi de Coggeshal ab anno 1114. ad annum 1155. de rebus Anglicis. Nam *Chronicon Terra Sancta*, cujus initium est, *Quantis pressuris & calamitatibus* 1220

tibus &c. Illud Chronicon MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, littera AAA. 13. finiens ad annum 1200. estque Codex MS. optimæ notæ & Scriptori coævus. Item Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Codice 69. extant MSS. *Speculum Cantorum Radulphi Monachi Cisterciensis & Expositio super ænigmatibus*, quæ ad eundem pertinere videntur. Obiisse creditur anno 1228. cujus faciunt mentionem Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 2. verbo *Radulphus de Coggeshale*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 470. editionis ultimæ. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pagina 282.

1220. ROGERUS DE VENDOVERA seu de „Vendoure, Anglice Vendover, quem Pit„seus etiam *Rogerum de Windesbora*, & Ro„gerum Windesvorum vocat, natione An„glus, Ordinis Sancti Benedicti Monachus & „Præcentor in Cœnobio Sancti Albani, Congre„gationis Cluniacensis. Vir pius & eruditus, „utpote qui ab ipsa pene pueritia, in observantia „Regulari, & bonarum litterarum studiis sem„per fuerit educatus: tandem eo pervenit do„ctrinæ, ut vix cuiquam commilitonum ibidem „cesserit. Argumento est, quod cum Angliæ „Reges semper in illo & quibusdam aliis Mona„steriis habere soliti fuerint ex Monachis do„ctissimum aliquem, qui patrias Historias & Re„gum gesta scriberet, hic tanquam isti muneri „aptissimus, electus fuerit *Historicus Regius*. Vn„de & in hoc genere laboris desudans, *erudita „confecit Gentis nostræ Chronica*, & seriem Regum „in Anglia gestarum optime deduxit usque ad „annum Christi 1235. Atque hæc pleraque „decerpsi ex *Matthæo Westmonasteriensi*, & ex „fragmento cujusdam Catalogi veteris alpha„betico ordine scripti, cujus initium est, *Abbas „Joathim*. Porrò titulum Operi quod edidit, „indidit *Chronicon Angliæ lib. 1.* De aliis nihil ha„beo comperti. Claruit anno Domini 1235. „sub Angliæ Rege Henrico tertio." Hæc Joannes Pitseus in Opere *De Scriptoribus Angliæ*, Ætate 13. Scriptore 332. qui tamen immemor fui, ex uno homine duos conflavit. Nam ibidem Ætate 13. Scriptore 313. eundem Rogerum his describit verbis. „Rogerus Windoverus seu „de Windover, Historicus Anglus, & ut author „est Johannes Stoiis, diligens earum rerum quæ „suâ ætate gestæ sunt, indagator: omnia nam„que sui temporis illustriora facinora quæ vel „ipse vidit, vel à fide dignis relata accepit, fide„liter scriptis mandavit, & integre posteritati „tradidit. Atque inter cætera scripsit accura„tius aliis, tanquam oculatus multarum rerum „testis, *Chronica sui temporis, libros plures*. De „aliis ejus Scriptis, nihil habeo comperti. Cla„ruit anno Domini 1217. dum in Anglia regnum „potiretur Joannes.

Omittens autem quæ de eo scripserunt alii, ea duntaxat in præsentiarum commemorabo, quæ ipsis in MSS. inventa, ab aliis fuisse prætermissa observavit Willielmus Wats, Sacræ Theologiæ Doctor Anglus, in ultimâ editione Operum *Matthæi Parisii Monachi Albanensis*, Londini in fol. anno 1644. & Parisiis eodem anno, apud Guillelmum Peleum viâ Jacobæa sub signo Crucis aureæ. Nomen illi Rogerus Wendovre seu de Vendovre, ut in MS. Codice Bibliothecæ Cottonianæ, ubi ejus extat historia, diserte reperitur. Quod arguit illum generosâ familia fuisse procreatum: quia agnomen gentilitium traxerat, (ut mos est nobilibus Anglis) ab agro sive Oppido rurali, progenitoribus suis olim hæreditario. Alios insuper hoc cognomento gavisos fuisse, ostendit ipsa Matthæi Parisii historia pag. 316. col. 1. Littera F. Memoratur enim Richardus de Wendoure Roffensis Episcopus. Rogerus autem noster, Monachus primum Ordinis Nigri sive Benedictini in Cœnobio Sancti Albanensi attonsus, exigentibus posteà meritis, non solum Sacerdotio dignus est habitus, sed & ad Prioratum Cellæ *de Bealvair* seu *De bellovisu* in districtu Lincolniensi promotus est. Nescio sane an inimicitiæ aliquæ inter illum, Matthæumque Parisium seu Parisiensem, aliquando exortæ sint: & an æmuli odio vel amore veritatis, & pro nativa sua increpandi libertate, dura ista de eo commemoraverit. Nimirum, quod *Willielmus Sancti Albanensis Abbas cùm visitasset Cellam de Bealvair, audivit arcanas querelas de Priore illius domus Domino Rogero de Wendovre, quasi dissipasset bona Ecclesiæ in prodigalitate incirconspecta. Correptus igitur super hoc ab Abbate Prior, promisit se talia profectò emendaturum. Tamen Abbas ad horum dissimulans, observabat omnia hæc reponens in corde suo.* Hæc habet Matthæus Parisiensis *in Vitis Abbatum S. Albani* pag. 78. col. 1. littera G. atque ibidem pag. 79. col. 1. littera E. *Imo dissimulavit Abbas reverà, nam non multo post, Rogerum Prioratu exuit, & loco Rogeri de Wendovre Prioris de Bealvero, Martinum de Bodersham Cellerarium substituit.* Atque hæc triennio ferè vel quadriennio ante mortem, Rogero nostro contigerunt, non multum scilicet, ante Abbatis S. Albani Willielmi finem. Obiit autem Abbas sexto Kalendas Martii, sive 24. Februarii, anno Domini 1235. Cui non ultra biennium superstes Rogerus, pridie Nonas sive die 6. Maji, anno 1237. Sacerdos demoritur. Ita enim de utrisque propria manu sua scriptum reliquit Matthæus Parisiensis in libro *Additamentorum suorum*: ubi dies obitus singulorum Monachorum Sancti Albani nominatim commemorantur. Hinc apparebit, quod licet Wendoverus prioratu exutus sit, & ex-prior factus, non tamen ab Historia conscribenda seipsum omnino continuerit: quippe quam usque ad decessum persecutoris vel infensi sibi Abbatis continuans, sub medium circiter anni 1235. manum de tabula retraxit. Cognomina *Rogeri de Windore*, *de*

de Windelesbore, & Windesbore, quæque similia alibi huic attributa, propagines sunt ex incuriâ librariorum degeneres à *Wendover:* nomen scilicet illud oppidi non incelebris in agro Buckinghamiensi, ubi videtur natus Scriptor. Certè illud esse verum cognomen ejus, ex ipsius Annalibus scimus, MSS. in Bibliotheca Cottoniana. Annales autem suos *Rogerus de Wendover* in Christi natalibus incœpit, quos in annum 1235. continuavit, seu 19. Henrici tertii Anglorum Regis. Ibi enim in MS. Codice, *Hucusque scripsit Chronica Dominus Rogerus de Wendover:* quibus subjicitur hoc Distichon.

Cernis completas hic nostro tempore metas,
Si plus fortè petas, tibi postera nuntiet ætas.

Quod posteà & imitatus est Matthæus Parisiensis, cum annum 1250. postremum Annalibus suis facere primum decreverat, ut videre est ultimæ illius editionis, pag. 475. Atque hinc notum est quod legitur in editis Matthæi Westmonasteriensis ad finem anni 1235. *Hucusque Rogerus Windlesbore Chronica sua digessit.* Sed glossa est, atque e margine illuc irrepsit. Neque enim habetur in Codicibus ejus MSS. Vetustissimis, quorum alter in Bibliotheca Westmonasteriensi, alter in Arundeliana consultus est. Digessit Chronica sua Rogerus de Wendover in Capita, & passim fere eadem habet ipsa, quæ Matthæus Parisiensis & Westmonasteriensis, *in intervallo illo* quod Guillelmi Nortmanni initia antevertit. Caput autem Rogeri 86. ad hunc modum incipit, *Anno Domini M LXVII. Dux Nortmanniæ Willielmus urbem Londoniensem adiens &c.* quæ sequuntur ipsissima habentur apud Matthæum Parisiensem, fere universa verba usque ad annum quem diximus 1235. id est in editione ultima pag. 285. columna 2. littera C. ad hanc phrasim, *Imperialibus nuptiis, omnibus dignissima judicatur:* quæ sunt ultima Rogeri Wendoveri vocabula. Intolerabilis prorsus est Matthæi Parisiensis impudentia vel audacia, qui cum in Historia sua majore ab anno M LXVII. quo incipit, ad annum 1235. fere verbo tenus *Rogerum de Wendoverm* expresserit, nec illum nominavit quidem. Imò quod durius & insolentius est, apprimeque Monachalem ingratitudinem olet, illius quidem meminit *in Additamentis* ad suam Historiam, sed ut defuncti manibus insultaret, posterosque doceret *Rogerum de Wendoverm ab Abbate suo Willielmo, à Prioratu seu Præpositurâ fuisse depositum.* Hanc habuit mercedem a Matthæo Parisio, cui subministravit majorem *Majoris Historiæ* partem. Nec desunt tamen quæ prætermisit Parisiensis, maxime de Fanatica Astrologorum Toletanorum quadam prædictione, apud Wendoverum in anno 1229. collocata. Sed paucissima sunt quæ prætermisit aut mutavit, Matthæus Parisius, tametsi subinde occurrant, quæ interseruit. Adeò etiam retinuit Wendoveri verba Parisius, ut non solum in Annalium contextu quo tertia persona usurpatur, illius adhibeat syllabas passim ferme transscribendo ipsissimas: verum etiam, ubi prima & propria persona usus est Wendoverus, eadem ipsa velut Wendoveri personam induens, per intervallum illud prædictum utatur. Quod cum intuemur, necesse est ut statuamus, Parisiensem Wendovero in munere Chronographico succedentem, illius primò sibi sumpsisse Annales, maxime qui Normannorum initia sequuntur, totidemque verbis descripsisse, ut deinceps continuaret. Ita tamen ut hic atque illic prout aliunde de illo intervallo, alia edíscere potuit, diligenter postea ut florum fasciculo, flosculos alios interseruerit. In Catalogo Mss. Codicum potissimarum Hiberniæ Bibliothecarum num. 59. in MSS. Codicibus Comitis Clarendonii *Annales Wendoveri ab anno 1. Edwardi II. ad Henricum VI.* in 8. Et in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis litera B. Codice 5. *Chronica Rogeri de Wendover à Christo nato ad annum 1234.* in qua res Ecclesiasticæ & Civiles secundum ordinem temporum, fuse enarrantur. Agunt *De Rogero Wendovero* Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri,* verbo *Rogerus de Windlesber.* Joannes Balæus in Opere suo *De Scriptoribus Angliæ,* Centuria 13. Scripturæ 57. itemque in Catalogo MS. quem prævium Centuriis suis fecit. Joannes Pitseus, locis citatis. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 471. ultimæ editionis. Willielmus Watz Anglus in *Prolegomenis* ad novam editionem Operum *Matthæi Parisii seu Parisiensis,* Londini in folio, anno 1644. à quo hæc omnia habuimus.

ALEXANDER ESSEBIENSIS cognominatus, natione Anglus, quem alii ex familia Somersetensi faciunt, vel juxta alios Staffordiensis, Præses erat sive ut vulgò appellant Prior Cœnobii Essebiensis, quod Canonicorum Regularium Ordinis divi Augustini extitit. Floruit paullò postquam imperare in Anglia cœpit Henricus III. circa annum 1220, & sequentes. Multa cum prosa, tum carmine divulgavit, eaque inter, *Epitomen Historiæ Britannicæ,* quam habes MS. in Collegio Cantabrigiensi divi Benedicti, Cod. 53. Itemque *Sermones* Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Cod. 128. num. 7. *Sermones Prioris de Essebea.* Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum 1670. in MSS. Codicibus Collegii Etonensis sub arce Windesoria Codice 77. num. 2. *Liber Festivalis ab Alexandro Priore S. Essebiæ compositus,* in fol. Ibidem autem num. 8011. in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ Codice 289. idem *festivale & horarum Canonicarum series* Alexandri Essebiensis Ecclesiæ Prioris notatus. Ad hæc in litteras retulisse dicitur *Vitam S. Agnetis, Vitam Bertellini Eremitæ, Vitam Cungari Eremitæ:* itemq; *Opus de sacris diebus,* in quo festa celebria totius anni ac Sanctorum Vitas carmine elegiaco descripsit: quod Alexandri Essebiensis exemplum 1220

se-

secutus, posteà fecit Joannes Baptista Mantuanus. Extant inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ n.1841. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji Cod. 2. *Alexandri Essebiensis de miraculis Sanctorum libri 2.* carmine. Et ibidem num. 2219. in MSS. Codd. ejusdem, litera D. 5. Codice 11. num. 4. *Alexandri Essebiensis Gesta & Passiones Sanctorum, versibus expressa.* De illo Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, p. 26. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 32. quem perperam tamen uterque anno 1360. claruisse scribunt, cum circa annum 1220. floruisse constet. Ecloga Oxonio Cantabrigiensis inter *Historicos*, excusa in 4. Londini anno 1600. apud Joannem Northon. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 469 ultimæ editionis, quem excepimus. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Scriptorum* quem prætulit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 82.

1230 GVILLELMVS ARVERNVS, PARISIENSIS EPISCOPVS, Theologus & Philosophus insignis, vir admodum pius, ad Episcopalem sedem Parisiensem anno 1228. electus, patria Auriliacensis. In divinis Scripturis eruditus & secularis philosophiæ non ignarus (inquit Joannes Trithemius) ingenio subtilis & apertus eloquio, nec minus conversatione quam scientia venerandus. Scribit verò Albericus *in Chronico* eum Lutetiæ Theologiam interpretatum fuisse, novam domum filiarum Dei inchoasse, & plures mulierculas prædicatione sua à peccatis retraxisse. Post Bartholomæum anno 1228. ad Episcopatum Parisiensem assumptus est, quem ita etiam Nicolaus de Braia in heroico carmine *Vita Ludovici VIII.* alloquitur.

Et tu quem decorat virtutum Schema, Sophiæ
Gratia; quem genitrix & Virgo pudica pudicum
Esse sibi gaudet famulum, quo præside ridet
Artibus ingenuis vernans urbs Parisiensis,
Quo festinat eum Alvornia fomite fœlix.
Gemma Sacerdotum, Cleri decus, huc ades, aures
Huc adverte tuas, cœptis patiare camœnam.

Sub eo Præsule multa prorsus memoria hominum, cœlitumque commendatione digna, Parisiis contigerunt. Fundatio Prioratus Sanctæ Catharinæ, Ordinis Vallis Scholarium, anno 1229. facta. Fundatio Franciscanorum anno 1230. Secessio Vniversitatis Parisiensis, eodem anno. Magistrales Cathedræ Dominicanorum. Susceptio coronæ Spineæ Domini nostri Jesu Christi. Præterea annis 1236. & 1238. comitia habuit frequentissima in Capitulo Fratrum Prædicatorum, in quibus damnata est pluralitas beneficiorum, qua de re latius Cæsar Egassius du Boulay Seculo V. *Historia Vniversitatis Parisiensis* ad annos citatos. Divitias partes ex reditibus beneficiorum ecclesiasticorum ita aderat, ut hæreditatem intestati Canonici divitis Ecclesiæ suæ Parisiensis, quam de jure occupare poterat: sibi vendicare noluerit, teste Cantipratano Lib. 2. *De Apibus* cap. 56. ubi inquit. *Audivimus de Venerabili Guillelmo nato Avernia, Parisiensi Episcopo, quod cum nuntiaretur ei quendam Canonicum Ecclesiæ Parisiensis intestatum decessisse, & ipse de jure Canonico in tribus millibus marcarum succedere deberet eidem, complosis manibus respondit: absit hoc à me, sed heu misero, pecunia sua secum sit in perditionem. Et hoc dicens præcepit pecuniam in usus pauperum erogari.* Anno 1240. articulos quosdam Theologorum Catholicæ fidei haud conformes condemnavit, quæ censura in Bibliothecis Patrum variarum editionum Parisiensium haberi solet. Vixit usque ad tertium Kalendas Aprilis, mortuus feria tertia majoris hebdomadæ anni 1248. more Gallicano, vel 1249. more Romano, conditus in Ecclesia Sancti Victoris Parisiensis, quæ tunc temporis ut & seculo præcedenti, eruditorum in Gallia sepulchrum seu cemeterium erat, cum Epitaphio sequenti, quod nos sæpe legimus.

Conditus hic recubat fatali sorte Guillelmus,
Parisiis pastor qui gregis aptus erat.
Repperit illustrem cœlesti munere famam,
Quam nequit in tanto mors abolere viro.

Scripsit multa de quibus Bellarminus & Labbeus in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ex editione Veneta anni 1591. in folio. Nimirum hac editione continentur Opuscula plurima Theologica, siquidem Theologiam publicè olim Parisiis docuerat.

De fide liber.
De legibus liber.
De Virtutibus liber.
De Moribus liber.
De Vitiis & Peccatis liber.
De Tentationibus & resistentiis.
De Meritis.
De Retributionibus Sanctorum.
De Immortalitate animæ.
De Rhetorica Divina.
De Sacramentis in genere.
De Baptismo.
De Confirmatione.
De Sanctissima Eucharistiâ.
De Pœnitentia Sacramento.
De Ordine.
De Extrema unctione & Sacramentalibus.
De Causis, cur Deus homo, seu De Incarnatione.
De Pœnitentia novus Tractatus.
De universo Prima partis Principalis partes III.
De Vniverso secunda partis Principalis partes III.

Hucusque editio Operum Guillelmi Awerni Parisiensis Episcopi, cura Joannis Dominici Tra-

jani Neapolitani procurata, Venet. anno 1591. in folio. Verum nuperrime nova emersit editio studio & cura Blasii Ferronii Carnotensis Canonici ac Sorbonici Theologi, Aureliæ anno 1674. tomis duobus in folio, quæ Parisiis apud Ludovicum Ballaine in aula Palatii venditur. His autem quæ jam olim impressa erant, insignes aliquot Tractatus addidit Ferronius, nimirum

De Trinitate & Attributis divinis Tractatum.

De Anima librum.

Supplementum novi Tractatus de Pœnitentia.

De Pluralitate & Collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum tractatus duos insignes, qui jam olim Argentinæ seorsim anno 1507. prodierant: quos omnes constat esse dicti Guillelmi Avverni Parisiensis Episcopi genuina Opera ex fide MSS. Codicum. Advertendum autem est omnia fere Opera Guillelmi Parisiensis, MSS. inveniri in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, multis Codicibus MSS. qui magno numero in Catalogis explicantur. Addidit Idem Ferronius ingens Opus *Sermonum de tempore & de Sanctis*, quos jam excusos scimus Parisiis anno 1638. in folio, ex fide MS. Codicis Bibliothecæ Cœlestinorum Parisiensium. Olim opinabar hos sermones spectare ad Guillelmum Peraldum, quem Lugdunensem Archiepiscopum vel Administratorem vocant, non ad Parisiensem, ac fefellisse MS. Codicem Cœlestinorum Parisiensium. Hi autem ad Guillelmum Peraldum, Ord. Fratrum Prædicatorum, spectare mihi videbantur. Primo quod omnes qui de Guillelmi Lugdunensis Operibus agunt, hos sermones recenseant, qui semel & iterum in Gallia sub ejus nomine impressi fuerunt, antequam sub Guillelmi Parisiensis nomine prodirent. Secundo vidi Sermonum istorum exemplar MS. in Bibliotheca Cuissiacensi Ordinis Præmonstratensis, in Episcopatu Laudunensi, sub Guillelmi Lugdunensis nomine, quod ejusdem cum authore temporis est. Tertio Guillelmus quidem Parisiensis Dominicanus, cujus edita *Postilla in Epistolas & Evangelia totius anni* Parisiis anno 1509. & Argentorati annis 1513. & 1521. his sermonibus utitur sub Guillelmi Lugdunensis nomine, qui nullum Scriptorem Nicolao Lyrano recentiorem excerpit. Variant autem maxime impressiones veteres istorum Sermonum. Nam ut jam dixi, Parisiis anno 1638. in folio Tubingæ an. 1499. in 4. auctiores, sub nomine Guillelmi Episcopi Parisiensis impressi sunt. At e contra sub nomine Guillelmi Peraldi Lugdunensis Episcopi extant in editione Parisiensi anni 1494. apud Vdalricum Gering & Bertoldum Rembold in 8. & Lugduni anno 1567. in 8. Demum Coloniæ anno 1629. in 4. Sunt itaque editiones editionibus oppositæ, & Codices aliqui MSS. aliis Codicibus, ut Cuissiacensis allegatus, Cœlestiniano Parisiensi. Sed quod me contra primam opinionem movet, ut hos jam pertinere ad *Guillelmum Avvernum Parisiensem Episcopum* opiner, magna multitudo facit, MSS. Codicum ejusmodi Sermonum in diversis Angliæ Bibliothecis extantium, qui omnes concorditer vel *Guillelmi Parisiensis* vel *Parisiensis* simpliciter, suppresso, Guillelmi nomine inscribuntur. Ita Oxonii in Bibliothecis Collegii novi Cod. 255. Magdalenensi, Codd. 30. 31. 32. 34. 56. Mertonensi Cod. 135. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 111. Nonnulli autem voluere, hos Sermones primum esse conscriptos a Guillelmo Parisiensi Episcopo latius ac diffusius, postea vero fuisse abbreviatos a Guillelmo Lugdunensi seu Peraldo, quod verisimile satis est: nam etsi Sermones Guillelmi Peraldi seu Lugdunensis eodem modo incipiant, breviores tamen sunt, & tantum compendium aliorum ampliorum, quos Guillelmus Parisiensis Episcopus composuit. Potuit Guillelmus Lugdunensis posterior, redigere in compendium, quæ a Guillelmo Parisiensi anteriore, amplificata elogia vel argumenta fecerant.

Nec omnia tamen vidit, nec in impressione sua habuit Ferronius, quæ ad Guillelmum Parisiensem spectant. Si enim non ignobilem Bibliothecam Longiponti in Suessionensi Episcopatu ingressus fuisset, insigne volumen in folio, sub nomine Guillelmi Parisiensis vidisset, continens *Commentaria in Cantica Canticorum & in Ecclesiasten*, de quibus loquitur Sixtus Senensis in sua Bibliotheca. Sic autem volumen habet, *Incipit insignis Expositio Magistri Guillermi Parisiensis Episcopi super Cantica Canticorum Liber Canticorum qui & Canticum amoris & Sirasirim Hebraice, id est, Cantica Canticorum dicitur &c.* Item ibidem *Incipit Expositio Magistri Guillermi Episcopi Parisiensis, super Ecclesiasten. Ecce inquit Salomon Proverb. 22. descripsi tibi doctrinam tripliciter &c.* Scripsit etiam *Tractatum contra Exemptiones* MS. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 238. & in Mertonensi Codice 261. Probabilius tamen est hunc *Tractatum contra exemptiones* pertinere ad *Guillelmum de Sancto Amore*, qui dictus fuit Parisiensis, quod illic fuisset & diu docuisset, atque potissimus belli contra Mendicantes Ordines excitati incentor fuisset. Nec enim legimus Guillelmum Parisiensem Episcopum Ordinibus Mendicantium adversarium fuisse, sed amicum potius, sub cujus regimine Lutetiam Parisiorum accesserunt, atque privilegiis donati sunt. Videtur etiam in aliquibus Bibliothecis *Commentarius in S. Matthæi Evangelium*, MS. sub Guillelmi Parisiensis nomine, ad quem spectare etiam ex stylo cognoscitur: qui impressus extat inter Opera S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi in vetustis editionibus, & cujus Prologum edidit omissum Theophylus Rainandus in sua editione Operum ejusdem Sancti Anselmi. Esse ergo Guillelmi Parisiensis, eam de qua agimus Explanationem in Matthæum, Suspicionem vel conjecturam injicit. 1. Quod in ea author cap. 6. ad ea verba *sed libera nos a malo*

malo, ita scribat: *Homo qui vult ascendere in cælum videns quia non potest aliter ascendere, nisi a malis hujus mundi liberetur, clamat: Libera nos a malo, id est a peccato originali & actuali & a desiderio hujus mundi, ut & temporalia & meipsum abjicere queam, & fiam pauper Spiritu: quod totum fit per Spiritum timoris, sicut Superius expositum est plenius in Tractatu Virtutum.* Hoc autem in Tractatu Guillelmi Parisiensis *De Virtutibus* aliquoties legitur, saltem quoad substantiam. 2. Idem Lib. *De Moribus* cap. 10. ipso Capitis initio, remittere videtur ad suum quendam *Commentarium in Matthæum.* 3. Denique eum Scripsisse in Matthæum, volunt Judices omnes apud Trithemium & Antonium Possevinum. Sed quia in omnibus editionibus hujus Commentarii in Matthæum qui Sancti Anselmi Operibus attexitur, Theophilus Raynandus Soc. Jesu Theologus, præfationem hujus insignis Commentarii desiderari advertit, quam Codex MS. Bibliothecæ Collegii Soc. Jesu Lugdunensis haberet: illam uti non ingratum embolum repræsentavit, ad calcem novæ suæ editionis Operum sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi pag. 457. Lugduni in folio anno 1630. apud Laurentium Durandum. Hæc ita ex conjecturis sentio, licet reperiam hunc Commentarium *Petro Babioni Anglo* attributum, sub cujus nomine extat in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice MS. 4113. cum ipso Prologo quem Theophilus Raynandus affert in editione suâ Operum Divi Anselmi, ex MS. Codice Collegii sui Lugdunensis.

Denique *Dialogus de VII. Ecclesiæ Sacramentis* sub Guillelmi Parisiensis nomine prodiit Lipsiæ anno 1512. & Lugduni anno 1567. apud Guillelmum Rouittium, quos libellos Guillelmi Avverni hujus non esse, sed Guillelmi Parisiensis junioris ex Ordine fratrum Prædicatorum putat Theophilus Raynandus in Opusc. *De bonis & malis libris* Erotem. 10. pag. 141. cujus sententiam amplectitur Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* sæculo XIII. ad annum 1228. pag. 714. Sane cum in calce Operis S. Thomam Aquinatem & Petrum de Tarentasia Guillelmo nostro Avverno juniores citet, spectare ad hunc Guillelmum hic Tractatus non potest. Non spectat tamen ad Guillelmum Parisiensem juniorem ex Ordine Fratrum Prædicatorum, sed ad alterum Guillelmum Parisiensem Episcopum, natione Avvernum ortu Auriliacensem, *Bausseti* cognominatum, qui ab anno circiter 1304. ad 1320. hanc sedem tenuit. Instituiturque Dialogus inter Guillelmum Bausseti Parisiensem Episcopum, & Petrum de Bellapertica ejusdem Ecclesiæ Canonicum & Decanum, virum eruditione celebrem, de quibus iterum dicemus postea ad annum 1300. Agunt de Guillelmo Parisiensi Bellarminus & Labbeus in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quorum hic omissiones tantum supplemus, Fratres Sammarthani tomo I. *Gallia Christiana* in Episcopis Parisiensibus pag. 444. *Historia Universitatis Parisiensis* sæculo V. & in Catalogo illustrium Academicorum ejusdem sæculi.

THOMAS DE CELLANO, Ordinis Minorum, Provinciæ in Italia quæ *Pendentis* nomine vocatur, S. Francisco Synchronus imo & familiaris fuisse videtur, cujus Sanctitate permotus, paucis post ipsius obitum annis, ex iis quæ viderat atque audiverat ipse, *Vitam S. Francisci Assisiatis libris tribus* conscripsit, Gregorio IX. adhuc in vivis agente circa annum 1230. quem ejus laborem Gregorius Pontifex Maximus approbasse dicitur. Opus hoc quidem anonymum, extat MS. in membrana in bibliotheca Longipontis, Ordinis Cistercienfis in Suessionensi tractu, has antiquitatis habens notas, ut Codex originalis videri possit. Hujus Exemplum a Johanne Baptista Desnoiville hujus Abbatiæ Priore ad me transmissum, meis curis ad Danielem Papebrochium destinatum ac receptum est, cum Vitam istam Bonaventurianа longe antiquiorem viderem. Hic enim primus qui *Vitam S. Francisci* Scriptis mandavit, Nam post ipsum *Thomas de Ceperano* Ord. Minorum qui ultimis Friderici II. ac Conradi IV. temporibus floruit, Legendam ut vocant Sancti Francisci, idque occasione ejusmodi conscripsit. In Capitulo Generali anni 1245. in quo Crescentius de Esyo sextus Magister Generalis Minorum electus est, constitutum fuit, ut fratres scripto comprehensum darent, quidquid de Vita & Miraculis S. Francisci scire possent. Itaque Crescentius id Thomæ Ceperano huic mandavit, unde composuit *Vitam illam* quæ Legenda aurea vocatur, atque incipit, *Placuit Sanctæ Universitati.* Illam autem Bernardus, vel juxta alios, Bernardinus de Bessa Aquitanus, & ipse Ordinis Minorum, in compendium redegit, quod incipit *Plenam virtutibus.* Tandemque S. Bonaventura eandem limavit atque expolivit, postquam Generalis Minorum octavus, factus est, id quod anno 1256, mortuo Joanne Parmensi contigit, a quo habitum suum quo nunc utuntur, Minoritæ acceperunt, nam antea pastorali schemate utebantur. Non ergo ante annum 1261. vel circiter, Bonaventura *Vitam S. Francisci* literis tradidit, quæ apud Surium ad diem 4. Octobris, & in Operibus S. Bonaventuræ passim. Id quidem opus *Bonaventuræ* tribuit S. Antoninus *Historia* parte 3. Titulo 24. c. 9. §. 4. Bernardinus de Bustis & Raphael Volaterranus lib. XXI. *Anthropologiæ.* Hic ex Gerardo Joanne Vossio Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 461. cap. 60. pag. 488. lib. 3. parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 7. pag. 784. Cap. 8. pag. 787. Cui addimus *Vitas istas & Legendas S. Francisci*, MSS. ut plurimum anonymas in Bibliothecis latere, quarum ex initiis colligi possit cuinam ex auctoribus istis quatuor conveniant. Nam inter

1230

inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1669. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 102. *Vita S. Francisci*, non illa quæ a Bonaventura Scripta est, sed alia. Ibidem Codice 1974. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Oxonii, Codice 37. num. 4. *Actus S. Francisci & Sociorum ejus*. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 750. in MSS. Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 95. num. 9. *Vita Beati Francisci*. Ibidem Codice 6408. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 38. num. 3. *Vita S. Francisci*. Ibidem Codice 8054. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobææ Codice 332. *Vita S. Francisci*. Ibidem Codice 9781. in MSS. Codicibus Johannis Mori Episcopi Norvvicensis, Codice 595. in folio, *Vita Sancti Francisci* & *Sti. Edmundi Archiepiscopi & Confessoris*. Ibidem Codice 9994. in MSS. Codicibus Symonis d' Evval Baronetti Codice 134. *Vita S. Francisci*. Hæc ex Catalogis Manuscriptorum Angliæ, anno 1698. in folio 2. tomis impressis. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Vltrajectinæ, *Legenda S. Francisci* num. 243. bb. quæ Sancto Bonaventuræ tribuitur, & incipit *Apparuit Gratia Dei Salvatoris nostri* &c. Eadem *Vita B. Francisci* in 4to. num. 244 t. ab eodem Bonaventura, licet anonyma. Ibidem *Vita & miracula humilis Francisci & Actus Sociorum ejus* num. 248. r. Hæc Catalogus Librorum hujus Bibliothecæ tam impressorum quam Manuscriptorum, editus Vltrajecti anno 1670. in folio, in *Codicibus MSS.* parte I.

1230 SIBRANDUS ABBAS VI. HORTI B. MARIÆ, vulgo Mariægarde Ordinis Præmonstratensis in Frisia Occidentali sesqui milliari a Leovardia, vir admodum pius & sanctitate conspicuus, anno 1230. Abbas electus est. Scripsit *Vitam S. Friderici Hallemi*, qui Horti B. Mariæ Fundator & Abbas primus, de quo Joannes Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgii* ad diem 7. Martii, & Aubertus Miræus in suo *Chronico Præmonstratensi*. In hac vita inquit Sibrandus a se juvenem visum, cui Fredericus dum viveret, vitam conservasset: quamvis Fridericus anno MCLXXV. obierit, annis XLV. antequam Sibrandus Abbas fieret. Edita est Vita ista ab Joanne Bollando in *Probatis Sanctorum Vitis* ad diem 7. Martii. Item *Vitam S. Siardi V. illius loci Abbatis*, qui anno M CC-XXX. obiit. Incipit, *Venerandus Pater Siardus* &c. legiturque MS. in Abbatia Steinfeldensi Coloniensi diœceseos, atque ab eodem Bollando edita quoque est. Obiit Sibrandus anno 1238. regiminis 8. cujus mentionem faciunt Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *S. Sibrandus* pag. 808. editionis 1643. Lovanii in 4. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 461. editionis ultimæ 1651.

1230 GOSWINUS BOSSUTUS, Monachus & Cantor olim Abbatiæ Villariensis, Ordinis Cisterciensis in Brabantia, ab oppido Gemblaco duabus horis distantis, circa annum 1230. memoriam sui ad posteros propagavit, scribendo *Vitam Arnulphi Cornibautii, laici sive conversi Villariensis*, libris duobus, quam se habere manuscriptam, Aubertus Miræus in *Chronico Cisterciensi* testatur. Extat MS. Villarii hæc Vita plenior & distinctior ea, quam Franciscus Moschus edi curavit Alrebati anno 1600. in 8. At Possevinus & Franciscus Svvertius in *Athenis Belgicis* anno 1628. Antverpiæ in folio editis, eidem tribuunt *Vitam Abundi Monachi Villariensis*, quam Abundi Vitam esse eandem puto, quam MS. superesse in Monasterio Villariensi, idem Miræus ait. Vixerunt Cornibautius & Abundus anno 1210. ac deinceps, obiit enim Cornibautius anno 1228. pridie Kalendas Julii, cui Synchronum fuisse, Gosvvinum Bossutum arbitror. Agunt de *Bossuto* Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Gosvvinus Bossutus*, pag. 297. editionis 1643. Lovanii in 4. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* parte 2. quæ est *De Historicis incertæ ætatis*, litera G. pag. 705. editionis ultimæ.

HUGO FLOREFFIENSIS CANONICUS, 1230
Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Namurcensi, circa annum 1230. floruit & jussu Joannis Abbatis Floreffiensis scripsit *Vitam Sanctæ Iretræ viduæ & apud Hujum reclusæ*, Ditionis Leodiensis oppidum, anno 1227. mortuæ: quæ extat apud Joannem Bollandum ad diem 13. Januarii tomo 1. pag. 863. Item & *Vitas Idæ Nivellensis & Idæ Leuvensis* Virginum & Monialium Ordinis Cisterciensis in Rameia oppido, quæ Opuscula extant MSS. apud Villarium, Abbatium Ordinis Monachorum Cisterciensium in Brabantia. De Hugone Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 388. pag. 257. Bibliothecæ Ecclesiasticæ. Joannes Bollandus loco citato. Antonius Sanderus in *Bibliotheca Belgica*. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 396. editionis 1643. Lovanii in 4. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 115.

GUILLELMUS ANDRENSIS COENOBII 1230
ABBAS, Ordinis divi Benedicti, in Diœcesi Tarvanensi seu Movinensi, anno circiter 1230. floruisse legitur & scripsisse *Chronicon sui Cœnobii* usque ad annum 1227. quod anno 1669. impressum extat Tomo IX. *Spicilegii* Lucæ Dacherii, pag. 338. At idem Chronicon MS. Antverpiæ apud Bollandistas, seu Patres Societatis Jesu, incipiens ab anno 1082. usque ad annum 1234. quo Guillelmus manum operi admovebat, ut ipsi dicunt Tomo tertio mensis Maji in Prolegomenis ad *Vitam Sanctæ Rictrudis* pag. 80. Plura dabunt Lucas Dacherius, in Proemio ad Tomum IX. *Spicilegii* & Joannes Bollandus loco citato. Carolus Dufrenius du Cange

Cange in *Indice auctorum*, quem præfecit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 106.

1230 PETRUS DE VINEIS FRIDERICI II. IMPERATORIS CANCELLARIUS, hujus magnus & intimus consiliarius, natione Italus, ortu Capuanus, Jurisconsultus doctissimus, claruit hoc tempore Romanis Pontificibus valde infensus. Fuisse autem ipsum patria Capuanum, ex propriis ejusdem Epistolis Lib. 3. Epistola 43. & 45. certissime intelligitur, confirmantque Raphael Volaterranus, Fulgosus, & alii, ex quibus arguas Trithemium, dum eum nationi Germanicæ asserere satagit. Cum autem anno 1245. Fridericus II. Imperator ab Innocentio IV. Romano Pontifice in Concilio Lugdunensi, ob multa ab eo pessime contra Ecclesiam Romanam patrata, depositus fuisset: instigante potissimum Petro de Vineis Jurisconsulto illius & consiliario, idem Imperator misit Litteras ad Regem Francorum cæterosque Principes & Præsules, pridie Kalendas Augusti Taurini datas, quibus singula sententiæ Innocentii capita examinans, contendit probare eam de jure nullam esse; minaturque se vindictam de Pontifice sumpturum, dummodo Reges ejus defensionem non suscipiant. Quibus quod potius ipsi Friderico patrocinari debeant ea maxime ratione persuadere satagit, illius scriptor Petrus de Vineis Lib. 1. Epist. 3. quod Regum omnium in hoc causa verteretur, ne & in ipsos Pontifex similem translationis Regnorum authoritatem exercere vellet. Qui & rursus prolixioribus aliis apud Petrum de Vineis Lib. I. Epist. 21. narrans omnia, quæ hactenus inter ipsum & Pontifices tractata fuissent, objecta crimina diluere studuit, & cunctorum imploravit auxilium, quasi omnium ipse causam sustineret. Speciatimque missis ad Francorum Regem, universamque gentem, eodem ipso Petro de Vineis & Guillelmo de Ocra Clerico, obtulit stare omnino judicio ejusdem Regis, ac Parium Nobiliumque suorum. Interea nihilominus scribens Magistratibus suis, ut per expoliationem & exilium procederent contra Sacerdotes & Clericos, recusantes Missarum solemnia, aliaque divina officia tempore interdicti celebrare, & Sacramenta populis ministrare: nec Religiosos permitterent de una Civitate in aliam se transferre: itemque ut exigerent a cunctis Clericis ad bellum Pontifici inferendum, tertiam partem obventionum & proventuum omnium, ac reluctantes carceribus manciparent. Quam & sævissimam persecutionem in Religiosos, authoritatem Ecclesiæ præ cæteris propugnantes, excitasse instigantibus Petro de Vineis & Thadæo Suessano Consiliariis, multorum testimonio probatur. Vide lib. 1. *Epistolarum* Petri de Vineis, Epist. 4. 10. & 23. Scripsit *Epistolarum Libros 6. de rebus gestis Friderici II. Imperatoris & aliis*, quæ Basileæ primum in Germania a Simone Schordio anno 1566. in 8. impressæ sunt. it. Ambergæ anno 1609. in 8. Isti *Epistolarum libri sex* MSS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Litteris B B B 16. & Q. 19. Atque in Regia Galliarum Bibliotheca, Codicibus 4081. 4082. 4083. in Colbertina Codicibus 881. 1392. 4026. 4050. 4235. Extant etiam Cantabrigæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti MSS. *Dictamina Magistri Petri de Vineis*, Codice 331. quæ ad hunc spectare possunt, idemque Opus cum Epistolis præfatis esse videntur. Scripsisse quoque dicitur *Tractatum de potestate Imperiali*, de quo vide Collectionem Melchioris Goldasti *De Jurisdictione Ecclesiastica & Civili*. Ait autem Volaterranus, eum priusquam sibi mortem consisceret, composuisse *De Consolatione libellum*. Platina in *Vita Innocentii IV.* ad finem, scripsisse olim *Tractatum De potestate Imperiali*, quo omnium rerum arbitrium Imperatori tantum adscribebat, quem Innocentius Papa contradictorio scripto confutavit. Qui vero ejus nomine circumferuntur *Sex libri Epistolarum*, quas ex Friderici Domini sui suaque persona ad diversos conscripsit, non paucas etiam continent, quarum ipse nequaquam author esse potuit: cum non solum post ipsius Petri de Vineis, verum etiam post ipsius Friderici mortem, a Manfredo, aliisque exaratas esse constet, quarum nonnullas edidit in *Miscellaneis* Stephanus Baluzius. Cum adversus Romanam Ecclesiam stolidus cœcusque mente (juxta Trithemium) oblatrasset, ab Imperatore cujus partes sectatus fuerat, aliam ob causam Capuæ incarceratus & excæcatus, interiit anno 1249. Sic autem Petri de Vineis mortem refert Spondanus in *Continuatione Annalium Baronii*, ad annum 1249. num. 1. & 2. quam alii atque alii diversimode pro sensu & studio suo exhibent. „Anno Christi 1249. Indictione septima Fridericus Imperator, « Entio Rege Sardiniæ filio suo cum firma Ger- « manorum manu in Lombardia relicto, in Apu- « liam rediit: ubi gravi morbo correptus, cum « potionem veneno dilutam ei Petrus de Vineis « ejus Curiæ Judex & Cancellarius, cujus fre- « quens facta est mentio, per suum Medicum pa- « rasset: occultæ fraudis ab amicis monitus, ve- « nenoque perceleri interitu nonnullorum « morte damnatorum comprobato, Medicum « suspendio necari, Petro oculos erui jussit: « Eundemque per multas Civitates in ostenta- « tionem circumductum, Pisanis ipsi inimicissi- « mis truciandum tradi. Quod ut Petrus au- « divit, caput ad columnam, ad quam alligatus « fuerat, tanto nisu allisit, ut cerebrum excusse- « rit. Ita Matthæus Parisius, & post eum Vo- « laterranus Libro 23. *Anthropologiæ*, atque Si- « gonius Lib. 18. *De Regno Italiæ*. Collenutius « autem Libro 4. ait, Petrum a Friderico ob « animadversa in eo fidei dubiæ ac proditionis « signa, apud S. Miniatum in Tuscia oculis pri- « vatum, conscientiæ stimulis agitatum, sibimet « ipsi mortem in publico omnium conspectu con- « scivisse. Huncque tandem vitæ finem sorti- « tus

„tus est laudatissimus eo tempore doctrina &
„eloquentia vir, ab eo cujus toties scelera ex-
„cusaverat, cujus partes studiosissime contra
„jusque foverat. In eo maxime reprehensibi-
„lis (inquit Trithemius *De Scriptoribus Ecclesia-
„sticis*) quod Frederico adhærens, contra Ro-
„manam Ecclesiam stolidus latravit: unde &
„condigna mercede ab eo remuneratus est,
„cum ei oculos eruit. Hoc præmium (inquit)
„eorum qui Principibus contra obedientiam Ro-
„manæ Sedis & Vicarii Christi deserviunt, &
„post hæc nisi pœniteant, ad inferos miseri de-
„scendunt. Quod autem prædicti authores &
„qui eos secuti sunt, proditionis eum insimu-
„lant, id per meram Aulicorum invidiam ei
„contigisse, aliorum quorundam sententia est:
„ut Ricordani cap. 131. it. Villanii Lib. 6. cap.
„23. qui iisdem propemodum temporibus vi-
„xerunt, eumque candenti lance ærea oculis
„objecta excæcatum volunt. Itemque Ful-
„gosi Lib. 6. *Exemplorum* cap. 11. hujus mentio-
„nem facit Guillelmus Cavus in *Historia Litera-
„ria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1230. pag.
715. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 138.

1230 GEORGIVS METROPOLITA CORCYRENSIS, junior dictus, ut distinguatur ab altero seniore, de quo late nos ad annum 1170. & 1180. loquuti sumus, claruit post Ordinem Fratrum Minorum institutum ab Honorio III. Romano Pontifice confirmatum, id quod circa annum 1220. contigit, vix enim ante annum 1230. Fratres Minores in Occidentali Ecclesia celebres ob pietatem, doctrinam, muneraque Ecclesiastica fuisse leguntur. Ex primis autem qui cum Fratribus Minoribus Disputationes habuit, nomine Orientalis Ecclesiæ, ad quam Ecclesiæ Romanæ subjiciendam a Gregorio IX. Pontifice summo ad Orientem missi fuerant: Georgius Corcyrensis Metropolita fuit, cujus Disputationes duas Græce MSS. recenset Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pag. 339. extantes in Bibliotheca Barberina,
„his verbis: „Legi ipse ejusdem nonnulla ad-
„versus Latinos Opuscula in Bibliotheca Bar-
„berina, inter quæ sunt Ἀρχὴ ἐπισημειώσεων
„πρὸς ἅπερ ἠρωτήθημεν κατακείμενοι ἀσθενῶς ἐν
„τῇ ἁγίᾳ μονῇ τῶν Κασούλων παρὰ τῶν λεγομέ-
„νων Φρατρομινουρίων, ὅτινες παραδιδάσκουσι καὶ
„παραδειγματίζουσιν εἶναί τι πῦρ καθαρτήριον,
„ἐν ᾧ οἱ τελευτῶντες ἐν ἐξαγορεύσει, μήπω δὲ
„φθάσαντες ἀποκλύσασθαι τὰ οἰκεῖα πλημμελή-
„ματα ἀπάγονται καὶ καθαίρονται πρὸ τῆς τελευ-
„ταίας κρίσεως. ἅμα προϊστάντες σύμμαχον τοῦ
„τοιαύτου λόγου, καὶ τὸν ἐν ἁγίοις τὸν Γρηγό-
„ριον τὸν Διάλογον. καὶ ἡ μὲν πεῦσις τοῦ Λατίνου,
„ἐκαλεῖτο δὲ οὗτος Βαρθυλομαῖος, τοιαδέ τις ἦν,
„θέλω μαθεῖν ἀφ' ὑμῶν τῶν Γραικῶν. *Initium*
„*Considerationum eorum, de quibus in Sancto Ca-*
„*sulorum Monasterio male affecti a fratribus Mino-*
ribus interrogati sumus, qui perversa docent & „
male adstruunt, esse quendam ignem purgatorium „
in quem dum confessi moriuntur, nec propria cri- „
mina deplorarunt, exportantur & repurgantur an- „
te finale judicium, tandem aliquando pœna finem „
ante dictum judicium adipiscentes. Et hujusce di- „
cti advocatum afferunt sanctum Gregorium, cogno- „
mento Dialogum. Interrogatio porro Latini, cui „
nomen erat Bartholomæus, hæc fuit: Cupio a vo- „
bis Græcis cognoscere. Τοῦ αὐτοῦ δεύτερον σύνταγ- „
μα περὶ θείας κοινωνίας, ἐν ᾧ καὶ ἀπόδειξις „
εἰλικρινὴς ἐκ τῶν θείων γραφῶν, ὅτι ἔνζυμος ἄρ- „
τος τῇ Ἐκκλησίᾳ παρεδόθη παρὰ τῶν Ἀποστό- „
λων προσφέρεσθαι, ὃς καὶ μέχρι τοῦ ἁγίου Γρη- „
γορίου τοῦ Διαλόγου τῇ Ῥώμης προσεφέρετο ἐκ- „
κλησίᾳ. Γράφει δὲ καὶ τὴν περὶ τούτου ἐν Κων- „
σταντινουπόλει γενομένην διάλεξιν, καὶ πῶς ἀντει- „
πεῖν οὐκ ἠβουλήθησαν οἱ Λατῖνοι, ἀλλὰ καὶ μᾶλ- „
λον ἐπήνεσαν τὸν θεῖον ἄρτον τὸν ἔνζυμον. Καὶ „
ὅτι εὑρεθείσης καὶ μερίδος ἐκείνου τοῦ ἄρτου, ὃν ὁ „
Χριστὸς ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς ἐν τῷ δείπνῳ ἐν τῷ „
τοῦ μεγάλου παλατίου σκευοφυλακείῳ, πᾶσα „
πρόφασις ἤρθη ἐκ μέσου. *Ejusdem secundus* „
Commentarius de sancta communione, in quo ex „
ipsis sacris Scripturis est sincera demonstratio, pa- „
nem fermentatum Ecclesiæ traditum fuisse ab Apo- „
stolis ad oblationem quemadmodum ad tempora „
sancti Gregorii cognomento Dialogi, in Romana „
Ecclesia offerebatur. Prosequitur præterea Dispu- „
tationem hac de re Bizantii habitam, & quomodo „
illic Latini contradicere noluerint. sed potius san- „
ctum panem fermentatum laudarint. Et cum il- „
lius panis, quem Christus in cœna discipulis tradi- „
dit, particula in Magni palatii Scevophylacio in- „
venta esset, omnis contradictio de medio sublata est. „
Initium, Κοινωνικὸν μὲν ζῷον ὁ ἄνθρωπος, καὶ „
τῆς ἰδίας φύσεως ἀδιαίρετος πέφυκεν ἐραστής. „
Liber erat satis antiquus in pergameno, lace- „
rus, male compaginatus & erroribus plenus, „
exscriptus a Joanne Ilevereno anno Domini „
MCCXXXVI, ut ex male conflatis in fine li- „
bri carminibus, elicitur, quæ sunt

Σοὶ χριστὲ χάριν τῷ χαρήσαντι νόμον
Πρὸς ἀχάριστον Ἰωάννην σὸν λάτριν
Ὑγιὴν ὃν φύλαττε, καὶ πάσης βλάβης
Ψυχοφθόρου ῥύσαιο, τῇ σῇ δυνάμει

Ἐγράφη τὸ παρὸν βίβλιον διὰ χειρὸς Ἰωάννου „
Νερετηνοῦ μηνὶ Ἰουνίῳ εἰς τὰς ιγ! ἡμέρα παρασ- „
κευῇ ὥρα θ· ἔτει ͵ϛψμδ; non autem ut „
male Allatius & Guillelmus Cavus posuerunt ϛχμδ. dum enim Indictionem assignat, habet τῆς ἰνδικτιῶνος θ. *Tibi Christe Gratia, qui dedisti legem ingrato, Joanni servo tuo, quem sanum conserva, & ab omni noxa animiperda libera, tua potentia. Scriptus est hic liber manu Joannis Nevetani, die decimo tertio mensis Junii, die Parasceve hora nona, annos sexies millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, Indictione nona.* Nempe creationis mundi secundum Græcos, a quibus si annos V. mille quingentos & octo tollas, qui remanent erunt anni MCCXXXVI. quo Indictio nona concurrebat, non autem

anno

anno MCXXXVI. qui Indictionem XVI. habebat. Plura de his Opusculis diximus ad annum MCXXXVI, in Georgio Corcyræ Metropolitano, cui a Cavo & aliis male attributa fuerunt.

1230 JOANNES SEMECA, HALBERSTATENSIS ECCLESIÆ PRÆPOSITVS, natione & cognomine *Teutonicus* appellatus, claruit ab anno 1220. usque ad annum 1260. & ultra, ob juris prudentiam seculo suo clarissimus. Inde ob hanc scientiæ præstantiam singularem promotus ad præposituram Ecclesiæ S. Stephani Halberstatensis in Saxonia, Friderici secundi Imperatoris intricatis maxime temporibus, quem tamen ipsius contestationibus & querelis adversus Ecclesiam Romanam motis, haud quaquam se immiscuisse opinor. Author dicitur a S. Antonino Florentino Archiepiscopo *Glossa communis & primaria in Decretum Gratiani*, circa annum 1150. tempore Eugenii Papæ III. compositum, quæ sæpius cum Decreto Gratiani impressa est, sed insigni prælo Parisiensi in folio, anno 1581. impensis Societatis typographicæ. Extat etiam illud Decretum Gratiani Glossis ejusmodi veteribus instructum, editum Basileæ an. 1476. & Venetiis 1606. in fol. Lugduni 1606. Parisiis 1612. & 1620. in folio. Ac quamvis valeat ad hoc stabiliendum authoritas divi Antonini, longe tamen potius est atque exceptione omni inane, testimonium Bartholomæi Brixiensis hujus Semecæ contemporanei, qui ei eandem glossam asserit, & cui Appendices adjecit certis locis post Joannis Semecæ mortem, utpote quam haud satis perfectam opinabatur. Multi multas circa Scriptorem hunc, easque supinas & crassas hallucinationes admiserunt. Nullus qui stupiditate majori, quam Ambrosius de Altamura, qui Joannem Semecam facit ex Ordine fratrum Prædicatorum, atque ad annum 1599. collocat, portentoso historici erroris monstro, cujus elogium his subjiciam verbo tenus, velut quod legatur videaturque dignissimum. Sic ille igitur in *Bibliotheca fratrum Prædicatorum* Centuria IV, pag. 425. *Joannes Semeca Teutonicus Ordinem veritatis ingressus (ita Dominicanam familiam Pontifices & Ludovicus Bavarus Imperator appellarunt) a crepundiis suavitatem morum, elegantissimam indolem, & pronitatem in studia demonstravit. Præter nostras scholasticas disciplinas, Logicam, Philosophiam & sacram Theologiam, utrumque Jus Canonicum & Civile perfectissime acquisivit, virtute clarus, Summo Pontifici carus, datus est ab eo Episcopus Bosnensis. Edidit glossam in Jus Pontificium. Fit mentio ejus apud Hagelium damnata memoriæ virum, in libro De conceptione Beatissimæ Virginis pag. 24.* Videant eruditi viri, an hoc in loco Altamura se esse ex Dominicana familia ostenderit, *quam Summi Pontifices & Ludovicus Bavarus Imperator, Ordinem veritatis appellarunt.* Si legisset ille divum Antoninum, haud quaquam Joannem Semecam, ad annum 1599 ablegauet. Mortuus est ille anno 1269 Halberstadii, ut ex ejus Epitaphio, quod ibi adhuc extare dicitur, constat. Hinc sequitur, falsum omnino non esse, quod scribit S. Pondanus ad *annum 1268.* num. XI. legi nempe apud Germanos Scriptores, Paulum Langium in *Chronico Citiz.nsi*, Albertum Crantzium Lib. 8. *Saxonia* cap. 27, Joannem Aventinum *Annalium Boicorum* libro 7. *Joannem Semecam* Teutonicum Præpositum Halberstatensem, primum Decreti Glossatorem, de Collectis pecuniariis, quæ æque in Germania ac in Anglia & aliis Regnis atque regionibus ad sacram militiam indictæ fuerant, contra Clementem IV. anno 1268. appellasse ad futurum Concilium, ideoque excommunicatum fuisse & Præpositura privatum, reconciliatum tamen postea in pace quievisse. Jurgium istud inter Joannem Semecam & Clementem IV. anno 1266. accidisse, non anno 1268. videtur, quo hæ pecuniæ emungebantur ab omnibus Christianis. Sed brevi postmodum mors utrumque sustulit, Clementem IV. an. 1268. Viterbii die 29. Decembris. Joannem Semecam an. 1267. vel ut alii volunt 1269. Sepulchro Joannis Semecæ hi inconditi versus, prout tempora ferebant, inscripti sunt: qui certum mortis ipsius annum non indicant.

Est, erit, atque fuit, qui desiit esse Johannes.
Dogma viget, viguit florebit in omnibus annis.
Lux Decretorum, Dux Doctorum, via morum
Hic jacet, & placet ut vacet a pœnis miserorum.

Hujus meminit Melchior Adamus in *Vitis Jurisconsultorum*. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1250. pag. 721. Paulus Freherus in *Theatro Virorum eruditione clarorum* parte 2. sect. 4. pag. 783. Lego autem apud Martinum Lipenium in *Bibliotheca reali Juridica*. non semel, Glossam illam Semecæ in Gratiani Decretum, attribui a nonnullis Conrado Præposito Vxspergensi, sed quam ob rationem a Martino quoque Lipenio id fiat, non novi nec legi. Alius fuit eodem tempore *Joannes Teutonicus*, a patria cognominatus, Ordinis fratrum Prædicatorum, ex Pœnitentiario Papæ, Bosnensis in Hungaria Episcoqus, qui cessione facta cum venia Romani Pontificis ad Ordinem suum unde exierat reversus, ac deinde Generalis totius Ordinis Magister in Comitiis Parisiensibus anno 1241. electus est. Quod onus cum respueret, subire ex obedientia compulsus est, Pontificis Gregorii IX. mandato. Quartus inter Generales Magistros fratrum Prædicatorum numeratur, dignus Sancti Raymundi de Pennaforti successor. De hoc *Joanne Teutonico* Generali Ordinis Magistro, scribit Nicolaus Trinethulius in *Chronico* ad annum 1251, *Hic magister, cum esset in quadruplici lingua, videlicet Teutonica, Gallica, Italica & Latina prædica-*

tor egregius, de Priore Provinciali Hungariæ factus est Episcopus Bosnensis: sed a Papa Gregorio, cum in desiderio haberet Secretum contemplationis, per magnam instantiam cessionem obtinuit, nulla sibi provisione retenta. Cum autem in Magistrum Ordinis electus esset, & ut talem prælationem refugeret, Pontificalem vellet ordinem allegare: porrecta est in contrarium littera Papalis decernens, quod cum absolutus esset a cura pastoralis regiminis, & per consequens sub obedientia Ordinis constitutus, debuit in recipiendo officium, Ordini obedire: sed tamen cum in multis privilegiis procuratis per eum, Dominus Papa scribat ei, non tantum filium, *ut alios Magistros, sed ut cæteros Episcopos*, venerabilem fratrem *appellat*. Hunc Sanctus Antoninus parte 3. *Chronici* titulo 33. cap. 11. *bonitate conspicuum, aspectu & affectu gratiosum, multiplici idiomate eruditum, ac viventem defunctumque miraculis claruisse* prædicat. Ipsum etiam commendant Thomas Cantipratanus Lib. 2. *De Apibus* cap. 57. Humbertus de Romanis & Bernardus Guido in *Chronicis*, & alii qui de rebus fratrum Prædicatorum scripserunt. Narrat Cantipratanus, *ipsum cum in Bossinensi Episcopatu octo millia marcarum annui reditus perciperet, quasi nihil in usus proprios expendisse, sed omnia in pauperes erogasse: nec equum quidem habuisse, sed asello usum ad libros & ornamenta sacra vehenda, ipsum vero cum fratribus peditem incessisse*. Attribuunt illi, qui scripserunt *De rebus Dominicanis* ac *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Summam Casuum conscientiæ, quam ex Sancto Thoma in Summa & Sententiis, ex Petro de Tarentasia, Hostiensi, Raymundo, Gaufredo, & aliis compilaverit, quæ etiam ab authore *Summa Joannina* dicta sit: sed hoc opus alterius esse *Joannis cognomento etiam Teutonici*, quem anno 1314. mortuum fuisse volunt, necesse est, cum Summam S. Thomæ Aquinatis laudet. Primus autem Joannes Teutonicus Ordinis fratrum Prædicatorum Magister quartus, obiit anno 1253. ut sanctus Antoninus tradit: quo tempore nondum S. Thomas doctorales Infulas Parisiis consecutus fuerat, adeoque de Summa Theologica ne quidem cogitaverat. Hæc nos *De his tribus Johannibus Teutonicis*, ne invicem confundantur, dicturi postea latius de isto tertio, dum sese occasio obtulerit.

1230 PETRUS LONDINENSIS ECCLESIÆ CANONICUS ET ARCHIDIACONUS hoc eodem tempore claruit, in Anglia natus & ibidem bonis literis insigniter eruditus, qui cum ad virilem ætatem & in sacra Theologia Doctoralem dignitatem pervenisset, Londini ad Sanctissimam Trinitatem canonicatum seu præbendam, tum etiam successu temporis Archidiaconatum obtinuit. Hunc Lelandus perfectissimum asserit fuisse Theologum, cui alii etiam, qui scripta illius legerunt, adstipulantur. Quantum in Theologicis valeret, posteris ostendit, doctissimum enim Opus in 4. ingentia volumina distinctum, veluti Lexicon Theologicum coacervavit, Theologicarum rerum thesaurum, opus omni posteritati utilissimum, cui titulum fecit *Pantheologon Theologia*, libris LII. distinctum, cujus exordium, *Solent impostores inter pretiosi &c.* Opus istud perditum opinabar, vel a Raynero de Pisis, qui simile circa annum 1300. aggressus est, nomine immutato suppressum. Verum res se aliter habet, extatque Petri Londinensis Canonici & Archidiaconi *Pantheologos* & *Pantheologia* quatuor partibus distincta, licet authoris nomen non habeatur, inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codicibus 7991. 7992. 7993. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codicibus 269. *Pantheologi pars prima*. 270. *Pars secunda & tertia*. 271. *Pars tertia & quarta*. Nec desunt in Anglia alii MSS. Codices Operis hujus, quibus legitimi parentis nomen adpositum sit. Nam inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis, Codice 658. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 191. *Petri Canonici Ecclesiæ S. Trinitatis Londinensis, Pantheologia Libri XIII.* O. o. 6. Art. Ibidem Codice 659. in MSS. Codicibus Collegii ejusdem, Codice 192. *Petri ejusdem secunda & tertia pars Pantheologiæ*. O. o 7. Art. Inter eosdem MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis, Codice 1909. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ litera P. Codice 77. *Frater Petrus Canonicus Civitatis Londinensis in Pantheologiam*. Hæc ad demonstrationem opinor, sufficiunt. Nam Codices hujus Operis, qui habentur Oxonii in Collegio Vniversitatis, Codicibus 76. 78. 79. & 80 anonymi sunt, ut in Appendice ad Catalogum istum annotatur. Idem Codice 1316. in MSS. Codicibus Collegii Lincolniensis in parte Boreali bibliothecæ, Codice 23. Item Codex 294 in Collegii Mertonensis bibliotheca c. 20. *Anonymi Pantheologia* inscribitur. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codicibus 215. & 216. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Codicibus 37. & 38. Classis a Dextra Serie media, inscribuntur equidem *Reynerii de Pisis Pantheologiæ partes duæ:* sed ex conjecturis Henrici Langtoni publicæ Bibliothecæ Præfecti, qui Catalogum MSS. bibliothecæ hujus edidit, non quod hi MSS. Codices Reyneri nomen positive habeant. Possunt autem Angli, quibus istorum manuscriptorum inspiciendorum facultas datur, videre an ea quæ de hoc opere dicuntur, vera sint, necne. Attribuit quoque illi Joannes Pitseus *De virtutibus libros* sex, *Contra peccata libros sex*, De beata mentis felicitate. Verum libros illos duodecim, existimo esse secundam Pantheologiæ partem, ex verbis illis *secunda pars hujus Operis*. Anglorum interest, ut videant, quid discriminis sit inter *Pantheologiam Petri Londinensis Archidiaconi & Canonici, & Reyneri de Pisis*, de quo ad annum 1300. postea dicemus. Idem scripsit *Remediarium conversorum*

versorum libris duobus, Incipit, *Reverendo Patri Richardo Londinensi* &c. extat inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2191. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Codice 11. num. 16. *Liber qui dicitur Remediarium conversorum, auctore Petro Archidiacono Londoniensi.* Et Codice 1760. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 89. num 3. Item in Bibliotheca Bodleiana Codice 769. in MSS. Codicibus Guilielmi Landi olim Cantuariensis Archiepiscopi litera D. Codice 2. num. 1. *Petri Archidiaconi Londoniensis Remediarium vitiorum libri duobus.* Denique inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 8662. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 940. *Petri Archidiaconi Remediarium conversorum.* Denique doctissimum opus libris tribus *De adventu Messiæ contra Judæos* scripsisse dicitur, in modum Dialogi interloquentibus Petro & Simone, totumque opus Simoni Langtono Cantuariensi Archidiacono dedicasse, cujus initium *Dilectissimo Domino suo* &c. de quo nihil vidi. Agunt de Petro Canonico & Archidiacono Londinensi inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus Collectaneorum Vol. 4. cap. 151. pag. 195. Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIII. Scriptore 328. ad annum 1230. pag. 305.

1230 GVILIELMVS SHIRWOODVS, in MSS. Codicibus *de Monte* ac *de Montibus* passim appellatus, natione Anglus, patria Dunelmensis, Adolescens Oxonii, teste Lelando, prima bonarum litterarum tyrocinia posuit in Collegio quod vocatur Vniversitatis. Successu temporis in Galliam pervenit, Lutetiæ Parisiorum sedem studiorum elegit, qui eruditionis nomine famam ubique celebrem comparavit. Vnde ab Henrico Rege III. revocatus in Angliam, Canonicus & Cancellarius Lincolniensis factus est. Quo in loco commodis diebus & horis nonnunquam ad doctiores Lectiones scholasticas, nonnunquam ad populum eruditas habuit conciones. Hunc Matthæus Paris *eminentissimè litteratum* vocat. Hunc multum laudat Joannes Rossus in libro *De Academiis*, & Rogerus Baconus in Mathematicis suis, præsertim quod in causa Oxoniensis Academiæ Romam petiverit, & sua singulari charitate, prudentia, doctrina, plurimum opis attulerit ad reconciliandos scholares sub interdicto positos. De ejus obitu sic scribit Matthæus Paris ad annum 1249. *Obiit eodem anno Magister Guilhelmus de Dunelmo apud Rothomagum, rediens a Romana curia.* Literaria porro monimenta post se, hæc sequentia reliquit, *Super Magistrum Sententiarum lib. 4. Distinctionum Theologiæ lib. I. Concionum lib. I.* & alia non pauca. Rothomagi, ut dictum est, diem clausit extremum, anno post Christum natum 1249. Henrico 3. apud Anglos regnante. Hæc Joannes Pitseus verbotenus, *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIII. scriptore 348. ad annum 1249. pag. 321.

Verum parce admodum locutus est de Operibus Guilielmi de Montibus, de quibus sigillatim & singulorum MSS. Codicibus variis apud Anglos Latentibus, agunt eruditissime Catalogi impressi MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ, annis 1696. & 1698 2. voluminibus Oxonii in folio.

Scripsit igitur *Distinctiones Theologicas* ordine alphabetico digestas, quas *Numerale* appellavit, quæ extant inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 1213 in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, olim Cantuariensis Archiepiscopi Litera H. Codice 10. num 13. *Wilhelmi de Montibus Numerale.* Ibidem Codice 2318. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii litera F. 25. Cod 12. num. 1 *Guillelmi de Montibus Distinctiones secundum Alphabetum.* Ibidem Codice 3825. inter MSS. Codices in Hyperoo Bodleiano existentes, in MSS. Codicibus Thomæ Gravii Theologiæ Doctoris emptis Codice 53. num. 5. *Guilhelmi de Montibus, alias Leycester Distinctiones Theologica.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis, Codice 724. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 257. P. 48. Art. num. 1. *Numerale Wilhelmi de Monte.* Ibidem Codice 1062. in bibliotheca Collegii Novi Codice 98. num. 1. *Summa quæ vocatur Numerale.* Ibidem Codice 1510. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 43. num. 1. *Distinctiones Theologicæ Guillelmi Leycester, alias de Montibus.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 117. in MSS. Codicibus Collegii S. Emanuelis Codice 127. num. 3. *Guillelmus de Montibus Cancellarius Lincolniensis*, membrana in 4to. Ibidem Codice 151. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis, Classe a Dextra, Serie suprema Codice 14. *Liber Distinctionum Guil. de Montibus Ecclesiæ Lincolniensis Cancellarii.* Ibidem Codice 821. in MSS. Codicibus Collegii Caiohonvilensis inter libros alios Theologicos ac Miscellaneos Codice 8. num. 1. *Distinctiones Theologicæ sive Numerale Magistri Wilhelmi de Montibus, secundum ordinem Alphabeti compositum.* Ibidem Codice 1516. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 249. num. 2. *Numerale Guillelmi de Montibus.* Ibidem tamen Codice 1578. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii S Benedicti Codice 311. num. 1. *Numerale* istud *Richardo cuidam Cancellario Cantabrigiensi*, tribuitur, quod annotasse sufficiat. Ibidem Codice 1750. in MSS. Codicibus Domus Sancti Petri Codice 88. num. 1. *Numerale M. Guillelmi de Montibus.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 1859. in MSS. Codicibus Collegii Etonensis sub arce Windesoria Codice 61. *Guillelmi de Monte Numeralis & liber de Similitudinibus* in 4to. Ibidem Codice 8282. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 560. *Gulielmi Lincolniensis Distinctiones Theologicæ.* Opus autem

tem aliud in Magistrum Sententiarum, distinctum ab ejusmodi *Distinctionibus Theologicis*, Guillelmum scripsisse, Pitseo non crediderim.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 249. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis E. 14. *Guil. de Montibus Similitudines, Tropi & numerale.* Ibidem Codice 724. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 257. P. 4. 8. Art. num. 2. *Guillelmi de Montibus Liber Similitudinum.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 1592. in MSS. Codicibus Collegii Grayensis apud Londinum Codice 25. num. 2. *Guillelmus de Montibus de cognitione intellectuali, sive Similitudinarium.* Idem Opus esse opinor inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 805. in MSS. Codicibus Collegii Cajohonvilensis Codice 115. num. 3. *Summam de varia verborum significatione per Magistrum Guilielmum de Montibus* G. 7.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 821, in MSS. Codicibus Collegii Cajohonvilensis inter MSS. alios Theologicos & Miscellaneos Codice 8. num. 2. *Guillelmi de Montibus de Confessione liber*. H. 35. Ibidem Codice 1634. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 372. num. 4. *Speculum pœnitentiæ editum à Magistro Guil. de Monte Cancellario Lincolniensi.* Num. 5. *Tractatus Theologicus.* Principium *Dei dona dispensans.* Ex nota cujusdam veteris, colligo esse Tropos à Magistro Guilielmo Lincolniensi Cancellario ad Theologicam Facultatem spectantes. Ibidem Codice 2098. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 170. num. 2. *Speculum pœnitentiæ editum à Magistro Guilielmo de Monte.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum, Codice 6408. in MSS. Codd. Caroli Theyeri Codice 38. num. 5. *Guill. de Montibus de pœnitentia.*

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum, Codice 736. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 61. num. 4. *Tropi Magistri Guillelmi de Monte.*

Sermones etiam *Magistri Guilielmi de Montibus*, extant inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2308. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Cod. 128. num. 2. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 679. in Auctario ad MSS. Codices Joannis Mori Norwicensis Episcopi pag. 393. Catalogi illorum impressi. Num. 2. *Sermones Magistri Willelmi de Monte Cancellarii Lincolniensis.* Num. 3. *Expositio ejusdem in Evangelia Dominicalia.* Ibidem Codice 8048. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobææ Codice 326. *Guillelmus de Monte Sermones: Guillelmi de Montibus de errorum eliminatione* inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Cod. 1273. In MSS. Codd. Guill. Laudi litera H. Cod. 10. n. 2.

Guilielmi de Montibus Scriptum, quomodo Religiosi movendi sunt ad confitendum, & qua pœnitentia pro peccatis Religiosorum injungenda est, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Cod. 2695. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji supra D. 1. Art. Codice 96. n. 3. p. 125. ad p. 277.

Alia quoque ipsi à discipulis & auditoribus attributa sunt post mortem, quæ ex Schola ac Lectionibus ejusdem excerpta dicuntur, de quibus dubitandi locus datur. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2723. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji supra D. 1. Art. Codice 124. num. 2. *Postilla seu Collecta ex auditis super Psalmos in Schola Magistri Willelmi de Montibus* pag. 9. num. 3. *Samuelis Presbyteri collecta ex diversis auditis in schola Magistri Will. de Montibus* p. 94. Continet Theologica & moralia versibus expressa, & ut plurimum Commentariis succinctis, oratione metrica explicata. Idem opus opinor inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis, Codices 1062. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 98. num. 2. *Proverbia & alia verba ædificatoria à Summa Magistri Wilhelmi Lincolniensis Ecclesiæ Cancellarii, ordine disposita.* Denique inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2077. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ, Codice 149. num. 1. *Postillæ seu Collecta super Psalterium in Scholis M. Guillelmi de Montibus.* Num. 2. *Collecta Samuelis Presbyteri in scholis prædictis versu tum glossa ad memoriam quorundam utilium in Sacra Scriptura.* Principium, *Prior nulli.*

Aliud quoque opus illi in MSS. Codicibus adtribuitur inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiæ Codice 769. in MSS. Codicibus Collegii Cajohonvilensis Codice 79. num. 2. *Tractatus de Presbyteris per Guillelmum de Montibus.* Ibidem Codice 1396. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 119. Num. 5. *Tractatus* Qui bene præsunt, *auctore de Guillelmo de Montibus Cancellario Lincolniensi.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 3799. in MSS. Codicibus illustris viri Johannis Hobii Militis Codice 8. num. 2. *Tractatus* cui initium, *Qui bene præsunt Presbyteri*, ex variis collectus, specialiter verò ex dictis bonæ memoriæ Magistri Willelmi de Montibus, quondam Cancellarii Lincolniensis. Sed Tractatus iste spectat ad Joannem Acton, de quo ad annum 1290. loquemur postea.

Agunt de Guilielmo Shirwoodo, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus Collectaneorum vol. 4. c. 157. p. 199. Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIII. Scriptore 348. ad an. 1249. p. 321. Videntur distinxisse Guilielmum Shirwoodum à Guillelmo de Montibus, Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. agens de Guil. Montano seu de Montibus c. 163. p. 210. & Joannes Pitseus loco citato, agens de Guil. de Montibus Scriptore 302. ad a. 1210. p. 285.

PHI-

1230 PHILIPPVS DE GREVIA, PARISIENSIS ACADEMIÆ CANCELLARIVS, de quo Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 50. his verbis: „Philippus Grevius „qui Theologicæ Scholæ Parisiis gloriosè præ„fuit, scripsit Sermones de singulis Psalmis „duos vel tres, quibus usque hodie multi u„tuntur, qui prædicationis officio vacare volue„rint." Plura aliquanto Joannes Trithemius, dum ait: *Philippus de Grevia, Cancellarius Parisiensis, vir in divinis Scripturis eruditus & in seculari Philosophia nobiliter doctus, cùm esset sacrarum litterarum egregius & famosus Magister, Theologica scholæ multo tempore gloriosè præfuit, ubi discipulos legendo, populos prædicando magnificè instruxit.* Hic post Stephanum factus est Cancellarius Vniversitatis Parisiensis, atque ut Cancellarius subscripsit anno 1228. Testamento Episcopi Parisiensis quod condidit antequam sanctam Hierosolymæ peregrinationem aggrederetur, quodque referunt Fratres Sammarthani tomo 1. *Galliæ Christianæ* in Archiepiscopis Parisiensibus. Idem adversus Mendicantes ab anno circiter 1224. acerrimè concionatus est, eosque quantum potuit ab Vniversitatis corpore amovit, quidquid ipsi in contrarium molirentur. Causam itaque Academiæ fortiter tuitus est contra ejusmodi hominum de novo insurgentium genus, ut habet Thomas, Cantipratensis Ordinis Fratrum Prædicatorum: unde in compensationem suæ ab ejusmodi hominum genere alienationis, ab eodem Cantipratensi divini judicii arbitro atque supplicii ultimi dictatore, in infernum æternasque flammas arsurus semper, Philippus Cancellarius projectus est. Porrò sub Cancellariatu illius anno 1228. vel 1229. juxta Chronicon Fiscanense, *facta est discordia inter Reginam & Clericos Parisienses, & multi submersi fuerunt in Sequana.* Ac Chronicon Simonis Montisfortis, *Anno Domini 1229. facta fuit Parisiis inter Scholares maxima dissentio.* Ortum dissidium istud inter Scholasticos & Cives Parisienses, unde Scholastici occisi multi, submersi in Sequana, incarcerati, percussi ferè omnes, cæteris omnibus præ periculo imminenti gravissimi dispersis ac latitantibus, donec aufugiendi commoda occasio nasceretur, Cum ipsis & fuga sibi consuluit Philippus Cancellarius. Ex hac igitur Academicorum Magistrorum & Discipulorum dispersione, accidit Vniversitatis Parisiensis maximo detrimento, ut multæ hic & illic universitates enatæ sint, Aurellanensis, Andegavensis, Pictaviensis, Rhemensis, & aliæ alibi. Licet enim istis in urbibus nonnulla litterarum exercitia essent, in iis tamen nec studia generalia erant, privilegiis Pontificiis & Regiis nobilitata, nec ea frequentia docentium & discentium. At secedente cum Magistris magna discipulorum turba, prout vel fortuna dedit vel voluntas tulit, ibi sedem domiciliumque statuère litteratum. Qua de sic Bernardus Guidonis in Chronico. *Anno Domini prætaxato 1229. facta fuit Parisiis inter Scholares dissentio, quam mox secuta est ad tempus multifaria dispersio. Alii quidem Rhemis, alii Andegavis, alii Aurelianis, alii in Angliam, alii in Italiam, vel in Hispaniam, sive in alias mundi Provincias caussa studii sunt profecti. Multi quoque Magistri & Scholares Tolosam venerunt, & rexerunt ibidem.* Hujus itaque dissipationis occasionem arripientes Fratres Prædicatores, ne omnino musæ Parisienses conticescerent, Magisterium in Theologia & cathedras Doctorales ad publice profitendum tunc primum ambierunt, & conniventibus Guillelmo Parisiensi Episcopo cum aliis, Cancellarioque Philippo absente, cathedram unam Magistralem in Theologia anno 1230. primum occuparunt, ut nonnullos saltem Scholasticos retinerent. Deinde succedente sibi hoc primo conatu, etiam post restitutum Parisiense studium, antequam ejus omnia membra integre coaluissent, paxque cum Episcopo & Cancellario firmiter composita fuisset, alteram cathedram Theologicam erexerunt. Hæc seculum V. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis*, anno 1229. & 1230. pagg. 132. 144. 138. Nec multo post, pœnituit tandem Philippum, admissos esse Dominicanos ad cathedram Magistralem, quâ sane occupata, dominari voluerunt: tantumque exarsit Philippi alienatio in Ordines Mendicantes, ut ad extrema usque vitæ odium conservatum sit, ob quod (ut inquiunt illi) flammis æternis addictus est.

Sunt autem Philippi de Grevia Cancellarii Parisiensis Academiæ *Sermones CCCXXX. in Psalmos Davidis*, impressi primum Parisiis anno 1523. apud Jodocum Badium Ascensium, & Brixiæ in Italia anno 1600. ex officina Petri Mariæ Marchetti. Item *Summa Sermonum Magistri Philippi Cancellarii Parisiensis*, MS. Cod. 2843. Bibliothecæ Colbertinæ Parisiensis. Vtrumque hoc opus indubium *Philippi de Grevia*, habetur sub authoris nomine, MS. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codice 577. optimæ notæ, cujus titulus: *Incipiunt Sermones Philippi Cancellarii Parisiensis, Dominicales.* Dominica prima in adventu Domini in Ecclesiâ Parisiensi, tempore dissentionis Scholarium inter se. *Scientes, quia hora est jam nos de somno surgere &c. Rom. 13. Eccl. 32. dicitur, hora surgendi non te tristet, pracurre tu prior in domum tuam &c.* Itemque consequenter extant *De sanctis & toti Ecclesiæ cognitis, & Parisiensium Ecclesiarum specialibus patronis*, qui sunt numero, centum tredecim, variis locis & temporibus pronunciati. Item *in Psalterium* Sermones incipiunt, *Exurge Psalterium & cithara.* Proverb. XI. dicitur, *Bene consurgit diluculo, qui inquirit bona. Quæ sunt hæc bona? Nisi intelligere quid sit Psalterium, de quo dicitur, Jucundum Psalterium cum cithara.* Habentur iidem *Sermones De Dominicis & Festis*, MSS. in Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Parisienses, Littera QQ. 21. Codice optimæ notæ sub hoc titulo: *Sermones in-*

incipiunt Cancellarii Parisiensis Festivales. Dominica prima in Adventu Domini, Sermo in vulgari factus. Scientes quia hora est jam nos de somno surgere &c. *Eccl.32. Hora surgendi non te tristet &c.* Sub initium Codicis, hi Sermones dicuntur Guillelmo Parisf. Episcopo, sed eâ scripturâ satis recenti, quæ anno 1513. facta est, dum primus Catalogus Operum MSS. Bibliothecæ Sancti Victoris conscriptus est. Fallit autem hæc recens inscriptio. 1. Quod Guillelmus Parisiensis Episcopus, nunquam Cancellarius Parisiensis extiterit. 2. Quod Sermones Guillelmi Parisiensis Episcopi, tam manuscripti quos variis in locis plurimos vidimus, quàm impressi iterum ac tertiò, ab his Sermonibus diversi omnino sunt. 3. Quòd hi iidem Sermones in Codice MS. 577. optimæ notæ, Bibliothecæ S. Germani Parisiensis, Philippo de Grevia Cancellario Parisiensi, qui legitimus est illorum parens, attribuantur. Hæc annotasse juvat, ne quis ex diversitate inscriptionum, decipiatur. Ejusdem *Philippi Cancellarii Sermones alii*, qui in celebri Bibliotheca Colbertina MSS. Codice 2790. inscribuntur, *Philippus Grevius super Evangelia*, Dominica prima de adventu Domini, *Cùm appropinquasset Jesus Hierosolymis &c.* Matth. 21. *Primò igitur considerandum est, quod appropinquans retro &c.* Iidemque ni fallor, *super Evangelia* MSS. Cantabrigiæ, in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 103. suntque Sermones per modum Commentarii, vel Commentarius per modum Sermonum in Evangelia quæ per totum annum in Ecclesia leguntur, à Dominica I. Adventus ad Dominicam XXVI. post Trinitatem, ab aliisque supradictis distinguuntur. Quam autem frequentes sint Codd. MSS. Operum *Philippi de Grevia* Cancellarii Parisiensis, ex his accipe. *Summa Sermonum ejus de tempore ac de Sanctis*, MS. apud Bibliothecam S. Etrulphi in Normannia, littera S. 14. apud S. Michaelem in periculo maris, littera S. 1. Ordinis divi Benedicti: & apud Cistercienses potissimas Bibliothecas Claræ Vallis, Pontigniaci, Vallis Lucensis &c. *Commentarius* autem seu *Sermones in Psalmos*, in his tribus Bibliothecis Cisterciensis instituti, in folio separatim. Idem scripsisse dicitur *Commentarium insignem in Job*, MS. in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis pulpito 14. num. 6. quem non vidi. Ambigo tamen multum, an non simpliciter nomine *Philippi* vel *Philippi Presbyteri* inscriptus sit, atque ad Philippum Presbyterum Divi Hieronymi olim discipulum spectet, de quo ad annum 430. diximus. Excutiant hoc Critices punctum, qui MS. Codicem videre & examinare possunt, an cum editis Philippi Presbyteri conveniat, necne. Attribuit etiam illi Thomas James in Ecloga Oxonio Cantabrigiæ Lib. 2. pag. 34. *Distinctiones*, ex MS. Codice 72. Domus Sancti Petri: sed in eo Codice inscribuntur tantum *Distinctiones Parisiensis*, unde aliquis ex conjecturâ addidit, *fortè Philippo de Grevis Cancellarii Parisiensis, qui dicebatur Parisiensis.* Principium, *Incipiunt adaptationes &c.* At illæ spectant ad Petrum Cantorem, qui vulgò *Parisiensis* dictus est, non *Philippus*: cui Cantori alii, Codd. MSS. idem Opus attribuunt, ut ex principio operis constat.

Anno porrò 1235. teste Spondano ex Thoma Cantipratensi, habitus est celebris Conventus Parisiis tam Regularium, quam secularium« Doctorum, ad hanc quæstionem decidendam,« *An liceat Clerico duo vel plura beneficia Ecclesiastica« possidere?* Quæ autem fuerit tunc conclusio,« liquet. Spondanus enim post Thomam Cantipratanum, ait tunc decretum fuisse ab omnibus, præterquam à duobus Doctoribus Arnoldo & Philippo, nemini licere plura beneficia« possidere. Anno enim 1238. solemni Conventu apud Dominicanos celebrato sententia« ita promulgata est, ut ad illum annum dicetur.« Thomas autem Cantipratanus disertè sic habet. *Fuerat autem habita disputatio longa valde,« & multo solemnior ante annos tres, in qua etiam« omnes Magistri Theologiæ exceptis duobus, determinasse probantur idem per omnia, quorum unus« M. Philippus Cancellarius Parisiensis, & alter M.« Arnoldus postmodum Aurelianensis Episcopus.«* Hinc Magistri Theologiæ in scholis privatis« tam Regulares quàm seculares, eandem quæstionem agitarunt, & periculum erat seditionis,« nisi Guillelmus Episcopus authoritate Episcopali hanc difficultatem determinasset, ut infrà« dicetur. Porrò hunc M. Philippum Cancellarium Parisiensem fuisse Dominicanis infestissimum docet idem Cantipratanus, & quamvis« disertè referat ob pluralitatem beneficiorum,« illum apparuisse damnatum: (quod idem refert Albertus Magnus Libro *De Sacramentis*, &« ex eo Joannes Raulinus in *Doctrinali mortis*« tract. 3. cap. 3.) occasionem tamen mortis rejicit in odium quo Dominicanos prosequebatur. Sic enim ille Lib. 2. *De apibus* cap. 20.« *Narrabo & de Magistro Philippo Cancellario Parisiensi, de quo superius suo loco retuli. Hic contra« Fratres Ordinis Prædicatorum, in omni ferè publica« statione & Sermone Parisiis latrabat. Et quidem« cùm ipse diebus quindecim ante mortem, crudeliter« contra eos prædicasset, sequenti Dominica F. Henricus de Colonia dicti Ordinis ferventissimus & disertissimus prædicator, Parisius coram Universitate, singulis quæ contra Fratres dictus Cancellarius prædicaverat, retractatis ad unguem: omnia luculentissimè« per Divinæ Scripturæ paginam improbavit. Cujus« improbationis confusione, Cancellarius mox tactus« dolore cordis, intrinsecus repente contremuit, & infirmatus ad mortem obiit tali modo, ut in præcedentibus jam audistis.* Obiit autem ille anno 1237.« eique successit Magister Guiardus de quo supra: unde primæ quidem disputationi *De pluralitate Beneficiorum* interfuit, non secundæ quæ« anno 1238. habita est, ut infrà dicetur. Ita« ergo obliti Dominicani licentiæ docendi publicè, quam à M. Philippo Cancellario impetraverant, quia sibi paullò infestiorem sentiebant,

„bant, ejus mortis sibi pœnam vendicarunt. Hæc Cæsar Egassius Bulæus seculo V. *Historia Vniversitatis Parisiensis* p. 154. tumque p. 164. verbis sequentibus.

„ Anno 1238. habita est solemnis & celeberrima disputatio in Capitulo Dominicanorum, seu potius determinata tandem quæstio *De pluralitate Beneficiorum*, quæ triennio antè agitata fuerat inter M. Guillelmum Episcopum Parisiensem, Hugonem, Guerricum de Sancto Quintino, & Godefridum de Blevel Dominicanos, ac Joannem de Rupella Franciscanum ex una parte: & M. Philippum Vniversitatis Parisiensis Cancellarium, M. Arnoldum deinde Ambianensem Episcopum, & quosdam alios ex altera. Guillelmus Episcopus cum Dominicanis & Franciscanis contendebat neminem posse legitimè duo beneficia retinere, absque peccato mortali, si unum ad victum vestitumque sufficeret. Adversus hancce determinationem acerrimè pugnavit M. Philippus de Greva Cancellarius, seque nunquam illi subscriptionem professus est. Et cum forsan in morbum incidisset, admoneretur que ab Episcopo opinionem revocare metu damnationis, respondisse fertur se velle experiri an talis Simoniacus damnaretur. Post mortem verò eidem Episcopo apparuisse, dixisseque se flammis addictum æternis, triplicem ob caussam: nimirum quod de fructibus beneficiorum nihil distribuisset pauperibus: deinde quod Theologorum, de unitate beneficiorum, sententiæ nimis contumaciter repugnasset: Denique quod longo tempore cum gravi offendiculo, in carnali libidine impudicus vixisset. Ita Meyerus Lib. 8. *Annalium Flandricorum*, certè post Cantipratanum & Albertum Magnum, qui quòd Philippus Dominicanis adversaretur, hanc de eo fabulam contexuerunt, quam nemo alius istius temporis commemorat. Non ipse Guillelmus Parisiensis, qui de pluralitate beneficiorum quam damnabat, tractatum edidit: quem fatalem eventum non est credibile prætermissurum fuisse, cum ad sententiæ suæ confirmationem maxime conferret. Sed audiamus Cantipratanum illius revera temporis Scriptorem, & qui tum erat Parisiis, cum quæstio illa agitata est. Ille autem sic habet Lib. I. *De apibus* cap. 19. num. 5. *Volo ut quicunque hæc legerit, sciat me anno ab Incarnatione Domini 1238. fuisse Parisius, ubi venerabilis Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui in Theologia jam rexerat, convocationem fecit omnium Magistrorum in Capitulo Fratrum Prædicatorum. Proposita erga quæstione de pluralitate beneficiorum, solerti & valde longa disputatione, probatum est duo beneficia, dummodo unum valeret quindecim libros Parisienses, teneri cum salute animæ non posse. Hoc determinavit prædictus Episcopus, hoc Frater Hugo Ordinis Prædicatorum, postmodum Romanæ curiæ Cardinalis: hoc Frater Guerricus, & Frater Gaufridus ejusdem Ordinis: hoc frater Joannes de Rupella Ordinis Fratrum Minorum, & alii quamplures Magistri Theologiæ determinaverunt, in scholis propriis successivè. Fuerat autem habita disputatio longa valde & multo solemnior ante annos tres, in qua etiam omnes Magistri Theologiæ exceptis duobus, determinasse probantur idem per omnia, quod et suprà, quorum unus fuit M. Philippus Cancellarius Parisiensis, & alter M. Arnoldus postmodum Aurelianensis Episcopus. Quid autem de isto Philippo contigerit, audiamus. Agonizantem in morte, dictus Guillelmus Parisiensis Episcopus paterna sollicitudine visitavit, rogavitque eum ut singulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia sua excepto uno in manus Ecclesiæ resignaret: & hoc conditione media, ut si convalesceret, ei supplere vellet de proprio suo, quod dimisisset. Renuit, experiri se velle dicens, utrum esset damnabile plura beneficia tenere. Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies, cum dictus Parisiensis Episcopus finitis matutinis orare vellet, vidit inter se & lumen, quasi umbram hominis teterrimi. Elevata ergo manu consignat se, & si ex parte Dei sit, præcipit ut loquatur. Cui respondit apparens, Alienus à Deo sum, sed tamen admirabilis factura ejus. Et Præsul, Tu quis es, inquit? Cui ille respondit, Ego sum Cancellarius ille, dudum miserrimus. Rursus Episcopus elato altiùs gemitu, & quomodo inquit tibi est, sic dolenti? Malè ait, imò quàm pessimè, quia damnatus sum æterna morte. Et Episcopus, Heus ait charissime, quæ caussa tuæ damnationis? Tres sunt, inquit, quare morte perpeti sum damnatus. Vna est quòd recrescentes fructus annuos contra pauperes timidè (fortè temerè) reservavi. Secunda est, quod contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est & illa gravissima omnium, quod abominabili carnis vitio in multorum scandalum multo tempore laboravi. Et ad Episcopum mox subjungit, Estne, inquit, finitus mundus? Et Episcopus, Miror ait te litteratissimum quondam virum hoc quærere, cum me adhuc vivum cernas, & omnes nos viventes adhuc mori necesse sit, antequam mundus instante judicio finiatur. Et ille: Non mireris, inquit, quia nec scientia, nec opus, nec ratio est apud inferos venienti. Et hæc dicens, umbra ab oculis mirantis evanuit. Ipse autem Episcopus, non tamen sub persona sua quasi hæc vidisset, in prædicatione sua omnibus Clericis recitavit.* Ita Cantipratanus, cujus authoritas dubia, & apta narratio compungendis ad lacrymas mulierculis, non viris gravibus persuadendis. Facillimi enim Monachi ad confingenda & conscribenda somnia, hoc apud graves viros meruerunt, ut illis imposterum nullatenus credatur. Ajunt porrò Philippum Cancellarium elegisse sepulturam inter Fratres Minores, cujus lapidem sepulchralem vidimus, obiisseque ipso die Natalis Domini, atque hoc ei Epitaphium inscriptum, quod nullam rei quæ accidisse fingitur, mentionem facit.

Cen-

Census, divitiæ, viventi quid valuere?
Si caream requie, nil possunt illa valere.
Me nunc terra tegit, teget & te: te precor, ora
Vt mihi sit requies: sit & hæc tibi mortis in hora.
Qui me novisti, nunc hic scis membra recondi:
Dicere quique potes, sic transit gloria mundi.

Imo Epitaphium istud, fabulas à Mendicantibus verè mendacibus de Philippo Grevio sparsas confutat: Si enim ita ut isti scribunt, damnatus Guillelmo Parisiensi Episcopo apparuisset; hic innocuus ac probus Episcopus tale ipsi Epitaphium apponi non passus fuisset, quo posteros rogat, ut *pro ipsius requie*, æterna nempe, orare velint. Qui enim divino judicio est damnatus, frustra hominum suffragia ac preces implorat. Plura de *Philippo* dabunt Historia Seculi V. *Vniversitatis Parisiensis*, in qua ille cum merito & laude Cancellariatum gessit. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 2. pag. 279. Ludovicus Ballius Abbavillanus *Bibliotheca Concionatoria* parte 3. cap. 31. pag. 136. egregiè vellicat somnia à Thoma Cantipratano & Alberto Magno, *de damnatione Philippi Cancellarii* calumniosè divulgata. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 138.

1230 GVIARDVS DE LAVDVNO, CAMERACENSIS EPISCOPVS, insignis ætate sua Theologus, post Philippum de Grevia hoc anno mortuum, anno 1237. Cancellarius Vniversitatis Parisiensis factus est. Celeberrimæ disputationi *de beneficiorum pluralitate* apud Lutetiam Parisiorum anno 1238. habitæ interfuit, cujus sententiæ honorabilem facit mentionem Thomas Cantipratanus pluribus locis cap. 19. parte 8. quam de argumento supradicto refert his verbis: *Hoc idem Magister Guiardus Cameracensis Episcopus verbo hujusmodi confirmavit, Nollem (inquit) pro toto Arabiæ auro una tantum nocte, duo beneficia retinere: & si certus tamen essem, quod de mane unum illorum idoneo homini conferretur, & hoc propter incertæ vitæ discrimen.* Hoc ipso anno 1238. post Godefridum de Fontanis, factus est Episcopus Cameracensis, eumque virum Theologicis Scriptoribus annumerat Pontanus in sua *Chronographia*, & Joannes Molanus *in Bibliotheca Belgica* his verbis: „*Guiardus vel* „*Wiardus* Episcopus Cameracensis obiit anno „1248. qui alio nomine dictus est *Godefridus, Guido* „*& Gilo de Lauduno.* Scripsisse fertur De officiis „Ecclesiasticis Librum, cujus initium est, *quoniam* „*sæpe me rogasti &c.* De creatione mundi Dialo„gum, qui inchoatur *Secundùm Marcum Tullium* „*&c.* Joannes Garetius ejusdem librum *De offi*„*ciis divinis* citat in libro *De vera præsentia corpo*„*ris Christi in Eucharistia.*" Idem author mihi videtur MS. in Bibliotheca Lugduno-Batava Codice 144. his verbis: *Magistri Gilonis Summa de administratione Sacramentorum. Item Tractatus de officiis Sacerdotum:* ut habetur in Catalogo hujus Bibliothecæ pag. 407. qui anno 1674. in 4. Lugduni Batavorum apud Elsevirios à Frederico Spanhemio Bibliothecario editus est. Ait quoque Colvenerius in Notis ad caput 4. libri 1. *De apibus* Cantipratani, se duos Sermones ejus satis prolixos *De passione Domini* descripsisse ex antiquo MS. Codice Cœnobii Flinensis juxta Duacum, quorum prior habebat titulum, *Sermo Domini Guiardi Episcopi de passione Domini, in die nostræ Redemptionis* incipiens, *Christus passus est pro nobis &c.* Alter incipiebat, *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus &c.* At in celebri Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, Ordinis divi Benedicti, Codice MS. 194. extat *Magistri Guiardi de Lauduno, Episcopi Cameracensis Summula Sermonum quæ dicitur* Duplex Status *de Dominicis, Festis & aliis rebus.* Incipit primus Sermo in hæc verba, *Diffusa est gratia in labiis tuis &c.* Obiit juxta aliquos Guiardus Afflighomii in Brabantia, nobili Cœnobio Ordinis divi Benedicti, anno 1247. Secundum alios anno 1248. at juxta Gazæum anno 1250. Hæc nos ex seculo V. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis*, in Catalogo illustrium Academicorum pag. 681. & 682. & in Historia ad annum 1238. pag. 169. Falluntur autem qui eum anno 1242. obiisse inquiunt, nam Concilio Lugdunensi cui Innocentius IV. præsedit, anno 1245. interfuit, ubi ab aliquo Cardinale interrogatus, *An Papa posset committere* Simoniam; respondit *eum plus posse, quàm quemlibet alium.* Qua de re sic Cantipratanus Lib. 2. *De Apibus* cap. 3. parte 5. *Super hac quæstione* (de Simonia) *quidam Majorum Ecclesiæ à Venerabili Magistro Guiardo Cameracensi Episcopo in Lugduno, ubi Papalis curia tenebatur, sub specie ironiæ quæsivit dicens: Credisne tu Frater Episcope, quod Summus Pontifex possit committere Simoniam? At ille audaci vultu conspicuus, Non credo (inquit) Sancte Pater, imò potiùs certissimè scio, quòd viliorem Papa possit, quàm ego vel aliquis in mundo: & si dubitaveris, vel fortè dissimulas, per Testamentum vetus & novum manifestè probabo. Quo audito, calumniator probra non intulit, sed statim quasi verbo captus obmutuit, cernens utique virum esse idoneum ad omnem veritatis regulam comprobandam.* Hæc Cantipratanus loco citato. Idem scribit Libro 1. cap. 4. Eum cuidam Fratri Prædicatori apud Gandavum apparuisse post mortem, eique interroganti, quomodo ei esset, Respondisse: *Mortuus sum, debitum commune solvens conditionis humanæ, & ecce ad satis graves transeo pœnas expurgandus, prius quàm ad gloriam transferar. Nimia securitas me culpabilem reddidit & purgandum, sed via ista qua contra Hæreticos pro expurganda Ecclesia avidiùs inhiabam, pœnam meam imminuet, & accelerabit gloriam nunc dilatam.* Hæc Thomas Cantipratanus, multarum ejusmodi visionum collector, apud quem earum omnium fides

sit,

fit, vel apud alios, à quibus hæc habuit. Præter Joannem Molanum atque Joannem Garetium jam citatos, meminit *Guiardi de Lauduno Cameracensis Episcopi*, ut Scriptoris Ecclesiastici, Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica*, verbo *Guiardus de Lauduno* pag. 301. editionis 1643. Lovanii in 4. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 105. ubi eum anno 1247. obiisse asserit.

1230 CONRADUS EVERBACENSIS COENOBII ABBAS, Ordinis Cisterciensis, natione Germanus, Cæsarium hujus Abbatiæ Monachum ac nugivendulum imitatus, anno 1230. vel circiter clarus, Scripsit *Exordium Magnum Ordinis Cisterciensis sex libris seu Distinctionibus*, multa in hoc Ordine miracula continentibus, quibus se non minus simplicem ac credulum, quam Cæsarius prodit. Opus istud *Exordium Magnum* nuncupatur, ad distinctionem ab altero, quod *Parvum* dictum est, Stephanoque Cistercii Abbati tribuitur. Impressum utrumque tomo I. pag. 1. & 13. *Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, quam multis voluminibus procuravit Bertrandus Tissier apud Bonifontis Cœnobium editam in folio. Ibidem *in Præludiis* erudite de hoc *Conrado* agit, ex fide MSS. Codicum, quem nullus hucusque Scriptoribus Ecclesiasticis adscripserat.

1230 CONRADUS MARPURGENSIS in Germania, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sanctæ Elisabeth Andreæ Hungarorum Regis filiæ à Concionibus & Confessionibus, quæ anno 1231. obiit, hac eadem tempestate clarus extitit. Theodoricus de Apoldia in fine libri VIII. *De vita atque moribus S. Elisabeth Thuringicæ*, seu in Appendice ad librum VIII. quam habet Petrus Lambecius lib. 2. cap. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 879. ita de Magistro Conrado Lantgravio, ejusque sanguine illustri & integritate vitæ, habet pag 885. „Dulcis memoriæ Frater Conradus, olim Magister Domus „Teutonicæ, qui fuerat Princeps Thuringiæ, „de quo suprà fecimus mentionem, Romæ infirmatus est. Hic ad tantam cordis & corporis „munditiam à gratia operante pervenerat, „quòd in ægritudine positus, nullius qui criminali obnoxius esset peccato, præsentiam absque cruciatu poterat sustinere: unde necesse „fuit totam ejus familiam prorsus ab omni crimine abstinere. Aderat tunc vir religiosus, „Abbas de Hagine Cisterciensis Ordinis, homo „valde venerabilis & devotus, per quem etiam „istud vulgatum est, qui eum factâ confessione „reverenter adibat. In cujus præsentia idem „infirmus die quadam raptus in exstasim tenebatur, à quo dum quæreret Abbas, quid vidisset, Respondit: Ego ante tribunal æterni „Judicis fui, ubi de statu meo districtè disceptatum est, ac tandem justitiâ exigente, sententia Judicis per quinque annos me purgatorio „pro pœnitentia deputavit. Accedens autem „soror mea Elisabeth, mihi remissionem hujus „purgatorii protinus impetravit, sororem Beatam Elisabeth appellabat, quia uxor fuerat fratris sui: unde sciatis me de ista infirmitate „moriturum, & æternam gloriam percepturum.„ Hæc Theodoricus de Apoldia, penes quem rerum istarum ac visionum fides sit. Hic itaque scripsisse creditur *Sermones de Tempore & de Sanctis*, qui extant MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi 2. voluminibus in 8 de quibus Catalogus MSS. Codicum hujus Bibliothecæ impressus anno 1686. Lipsiæ, pag. 169. Idem scripsit *Vitam hujus Sanctæ Elisabeth* sibi notissimæ, statim ab ejus morte, quam anno 1232. Gregorio IX. Summo Pontifici obtulit, quamque habes *in Symmictis* Leonis Allatii parte 1. pag. 269. anno 1653. Coloniæ vel Amstelodami potius in 8. impressis. Opus mole quidem modicum, sed oculati testis, quod magni ponderis est. Denique inter MSS. Codices ex Ambrosiana arce ad Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem allatos, extat XXX. volumen chartaceum in fol. quo continentur anonymi cujusdam auctoris *Sermones sacri*, item *Vocabularium Sacerdotum*, & in fine *Fratris Conradi Professoris in Theologia Tractatus alphabeticus De gemmis & lapidibus pretiosis*, cujus principium *Reverendo Domino, Domino Hinconi Frater Conradus &c.* quem ad hunc Conradum pertinere opinor. Ita Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 773. Istius Conradi præter cæteros meminit Theodoricus Thuringus in Proemio Libri sui *De eadem S. Elisabeth*, ubi se Conradum hunc sequi profitetur. Leo Allatius *in Prolegomenis* Symmictorum. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 464. editionis secundæ.

ALEXANDER DE HALES, natione Anglus, ita cognominatus ab Hales Monasterio Comitatus Claudiocestrensis seu Clocestriæ, in quo ab annis junioribus humanarum omnium ac divinarum scientiarum præsidiis instructus evasit. Factus autem ob eminentem Doctrinam Archidiaconus in Anglicana aliqua Ecclesia, ut ex veteri ejus sepulchri epitaphio constat. Successu autem temporum, ætate procedente ampliorum cupidus, Angliâ relictâ, circa annum 1230. claruit in celeberrima Academia Parisiensi, unde posteà calcatis ob Christum omnibus, vastissimis seculi spebus & vanitatibus spretis, ad Ordinem pauperum Fratrum Minorum, quem tunc temporis eximia sanctitas venerabilem Orbi ac omnibus Occidentalibus carissimum effecerat, pertransiit. Agunt autem de Scriptis *Alexandri de Halis* Labbeus & Bellarminus sæpe à nobis citati, cujus Opera omnia nos non examinabimus, 1230

sed pauca quædam aliis addere Halensem magis spectantia, ab omnibus ferè prætermissa, non otiosum, nec forsitan Lectoribus injucundum fuerit. Itaque præter recensita à Bellarmino & Labbeo scripsisse dicitur *In Evangelia libros quatuor Commentariorum*, qui MSS. in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani haberi leguntur. Consentit Possevinus, dum scribit se vidisse Romæ apud Cardinalem Sarnanum, hujus *Auctoris tomos quatuor MSS. in Divum Matthaeum, in Lucam, & in omnes D. Pauli Epistolas*, quorum exemplar in prædicta Bibliotheca Ambrosiana extabat. Scripsisse etiam dicitur Commentarios in Isaiam, in Jeremiam, in Ezechielem, in Danielem & in duodecim Prophetas Minores, quos adservat MSS. Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensis. Asservat & Gallia nostra Cod. 429. clarissimæ Bibliothecæ Colbertinæ, ut ex illius Catalogo constat, *Commentarium in XII. Prophetas Minores* sub nomine *Alexandri de Hales* ad finem Codicis. Verum Manuscripto Codice attentius à me inspecto & collato, reperi hos *Commentarios in duodecim Prophetas Minores* qui in Bibliotheca Colbertina sunt, pertinere ad *Guillelmum de Militona*, de quo nos posteà loquemur. Nam eodem modò & incipiunt & finiunt, quo Commentarii dicti Guillelmi de Militona, qui Manuscripti extant in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Denique erat *Commentarius in Esaiam* sub nomine *Alexander de Hales* in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex impresso MSS. Godicum illius Catalogo Lipsiæ anno 1686. pag. 71. Sed cautè discutiendum est, annon spectet ad Hugonem de sancto Caro Ordinis Fratrum Prædicatorum, cujus *Commentarius in Psalmos* jam Alexandro Halensi attributus est, qui & ipsi coætaneus fuit. Sanè non infrequens est in Bibliothecis, ut Commentarii Hugonis de sancto Caro, Alexandro Halensi ita scribis volentibus attribuantur.

„ Quod verò spectat ad *Destructorium Vitiorum*, quod Alexandro Halensi nonnulli tribuunt: Antonius Possevinus in Apparatu sacro, „verbo *Alexander Anglus*, & verbo *Alexander Halensis*, subdubitare videtur, an hujus sit doctum „illud & proficuum opus, quod *Destructorium* „*Vitiorum* nuncupatur. Et quidem Pitseus *in Appendice Scriptorum Angliæ*, illud Alexandro „Anglo attribuit, quod ait prodiisse Venetiis „anno 1582. Sed impressum pariter Nurembergæ anno 1496. in folio apud Antonium „Koberger, sub cujus finem impressionis ait, „*Opus compositum fuisse à quodam fabri lignarii filio, „qui ob humilitatem voluerit reticere nomen suum.* „Vnde Alexandri Halensis legitimus esse partus „non videtur, neque certe scias, cui sit adscribendum.„ Hæc Waddingus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum.* Ac meo quidem sensu argumentum ejusmodi valde infirmum est, quasi *Alexander Halensis* hujus fabri lignarii filius esse non potuerit, vel quotquot docti & eruditi viri Franciscanam hoc tempore paupertatem professi, vel nobilium vel Principum filii fuerint? Rectè autem ista *Summa Destructoria vitiorum* cum Summa de Virtutibus quadrare videtur, quam dictus Halensis composuit. Poterat autem Lucas Waddingus alteram optimamque rationem afferre, si primam hujus operis editionem attente legisset, quam vidi Parisiis in Bibliotheca Abbatiæ Sancti Germani de pratis. Ibi enim hoc opus compositum seu collectum ab Anglo quodam anno 1429. dicitur, quod consequenter ad hunc de quo loquimur Alexandrum Halensem qui anno 1245. Parisiis mortuus est, pertinere non potest. Sic igitur habet ad finem editio ista Summæ hujus Vitiorum: *Insignis notabilisque compilatio haud modicum cuique statui conferens, omne genus Vitiorum suis cum speciebus clarissimè, evidenterque eradicans, ob id non immeritò* Destructorium *nuncupata à quodam Alexandro, nationis Anglica, & cujusdam fabri lignarii filio, maximam ad Ecclesiæ utilitatem anno Domini 1429. collecta. De novo exactissimè correcta & emendata, ac summo Studio Parisiis per Petrum Levet impressa, expensis Johannis Cobeltns, præfati Levet, ac Michaelis Morin, ad laudem summa Monadis, tertio Idus Aprilis 1497.* Si igitur Alexander Halensis hujus *Destructorii Vitiorum* author est, quod anno 1429. compositum est, necessum plane est vixisse ultra ducentos annos, quod impossibile & absurdum prorsus est. Alter ergo Alexander Halensis, alter iste Anglus, qui anno 1429. hoc *Destructorium Vitiorum* scribebat. Illud idem impressum etiam Parisiis in folio est, diligenti curà correctum & emendatum per Jacobum de Ferrebour anno 1521. impensis Joannis Parri, Ægidii de Gormont, & Francisci Regnault, quod in eadem S. Germani Parisiensis Bibliotheca legitur.

Advertit prætereà Natalis Alexander in Dissertatione, *An Sanctus Thomas sub Alexandro Halensi Parisiis studuerit*, pag. 89. *Commentarium in 4. Sententiarum libros*, quem author anonymus *firmamenti trium Ordinum*, & Lucas Waddingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum*, Alexandro Halensi tanquam à *Summa* diversum tribuit esse idem omnino Opus cum *Summa*. Quod probant (inquit) invictè Manuscripti duo Codices Bibliothecæ Victorinæ Parisiensis, litteris K. 1. & K. 2. quorum alter *textum Magistri Sententiarum* cum Summa Alexandri Alensis exhibet, ad calcem verò Summæ istius MS. hæc leguntur: *Tabula hic contentorum. Primus liber Sententiarum, sive Summa Theologica Domini Alexandri de Halis, in cujus foliis sequentibus hac habentur &c.* Quæstiones percenset hic Index, quæ primâ & secundâ parte Summæ continentur. Tertia verò parte hæc leguntur: *Tertius liber Sententiarum, seu Summa Theologica, quem composuit Magister Alexander de Halis, in cujus libri foliis sequentibus hac habentur &c.* Commentarios itaque in quatuor libros Sententiarum, Lugduni ut refert Possevinus *in Apparatu sacro*, sub nomine Alexandri Halensis anno MDXV. excusos, al-

alterius authoris fœtum esse compertum est. Non nescio Pitseum testari, *MSS. in quatuor Libros Sententiarum Alexandri Halensis Commentarios* in Collegio Cantabrigiensi Sancti Petri Cod. 116. & Oxonii in Bibliotheca Collegii novi Codice 241. *Commentarios in 2. librum Sententiarum* asservari: sed si accuratius illos inspexisset expendissetque, Commentarium illum Summam ipsam esse textui Magistri Sententiarum adjunctam, facile animadvertisset. Hæc Natalis Alexander, notatu digna. At longè adhuc validius stabilivisset sententiam suam dictus Alexander adversus Lucam Waddingum, qui in sua *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 8. distinguit tanquam duo Opera *Summam Theologia libris seu partibus quatuor multoties recusam* & *Quæstiones in quatuor libros Sententiarum* Lugduni anno 1515. impressas 4. tomis in 4. Nam in Bibliotheca S. Germani de Pratis Parisiensibus, ob suas antiquas editiones celebri, habetur hæc editio facta Lugduni anno 1515. & 1516. apud Antonium Koberger, eaque est ipsa *Summa sub nomine Alexandri Halensis* sæpius impressa, ut Norimbergæ 1482. in fol. 1502. Venetiis 1576. Coloniæ 1622. unde patet evidenter, nec MS. inveniri *Commentarium in quatuor libros Sententiarum* Alexandri Halensis, nec impressum ullibi, quod ab ipsa ejus Summâ distinctum probari possit: sed *Summam in 4. partes distinctam & Commentarium in 4. libros Sententiarum*, esse unum atq; idem Opus, duobus titulis insignitum.

Extant quoque alia Opuscula MSS. in Anglicis Bibliothecis sub Alexandri Halensis nomine, quæ an ipsius sint, licet in MSS. nomen præferant, ambigi meritò possit. Nempe inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 663. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera C. Codice 11. num. 1. *Alexandri Halesii Expositio Decem præceptorum Legis.* Et num. 4. *Alexander Halesius de Symbolo Sanctorum Patrum.* Et inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis n. 1030. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli *in Mathematicis & Chymicis* Codice 6. num. 6. *Exoticon Magistri Alexandri de Hales.* Et ibidem num. 1706. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 44. num. 2. *Quæstiones Alexandri de Hales* de Anima. Illum quoque accenset Historicis Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. mihi 472. ultimæ editionis, his verbis. „Eodem Henrico III. regnante, nominis „sui famam in secula cuncta diffundebat, *Alexan-„der de Hales*, Thomæ Aquinatis & Bonaventu-„ræ præceptor, vulgò *Doctor irrefragabilis* dictus. „Hic præter Commentarios in Scripturas, & „quæ ad Scholasticam Theologiam aut Jus Ca-„nonicum spectant, quæ scripta Balæus recen-„set: evulgavit etiam Eisengrinio teste, *Vitam „S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, qui Sancto-„rum numero insertus est, & *Vitam Richardi An-„glorum Regis*, ad hoc volumen *De factis Muham-„medi*, atque alia. Discessit è vita anno 1245. „VI. Kalendas Septembris.“ Verum hæc omnia nugæ deliriaque sunt, quorum apud coætaneos Scriptores vestigium nullum. Quoad autem *Vitam & facta Muhammedi*, scripta illa sunt non ab Alexandro Halensi, sed à Joanne Gualensi Anglo, ejusdem Minorum Ordinis, ut infra *in Joanne Gualensi* dicemus. Hujus mentionem facit, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. seu num. 155. pag. 196.

Hic primus Ordinis Minorum Doctor asseritur, si Labbeo in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis Bellarminianis* tomo 1. pag. 36. credimus, ubi de illo parce satis, quanquam multa paucis complectatur: ac juxta eundem ibidem & Lucam Waddingum *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 8. ac tomo 1. *Annalium* ad annum 1245. *Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis in Theologicis Magister, dictus Doctor irrefragabilis & fons vitæ.* Hoc *Mysterium* seu *Magisterium Sanctorum Bonaventuræ ac Thomæ Aquinatis* Alexandro Halensi assertum, Franciscani omnes clamitant, negantibus acriter satis, imò cum ratione omnibus Dominicanis, de qua quæstione nobis agendum est. Veniamus igitur ad *Mysterium & Magisterium* simul Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis, quod Alexandro Halensi competere scribunt Lucas Waddingus in suis *Annalibus Ordinis Fratrum Minorum* tomo 1. anno 1245. & *in Bibliotheca Scriptorum ejusdem Ordinis*, pag. 8. & 9. Labbeus in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 1. pag. 36. atque cum eis multi. Probant assertionem suam isti, vel hujus fabulæ authores, ex Epitaphio maxime quod hodie legitur in Conventu Minoritarum Parisiensium ad tumulum Alexandri Halensis, ubi *Magister Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis* legitur. Nuperrime de hoc argumento doctam Dissertationem in contrarium scripsit Natalis Alexander, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, apud Antonium Dezallier anno 1680. in 8. editam, via Jacobæa sub signo Coronæ aureæ: qua sensu quidem meo rectè probat Alexandrum Halensem anno 1645. mortuum, nunquam fuisse Magistrum Sancti Thomæ Aquinatis, qui anno circiter 1245. missus Coloniam Agrippinam, primam tantum operam Philosophicis studiis dabat ibidem sub Alberto Magno: neque unquam nisi post Alexandri Halensis mortem, Parisios ad studendum Theologiæ accessit. Atque ità ex ratione Chronologica, evincit meram hanc fabulam à Minoritis ad maiorem Halensi conciliandum honorem, gratis compositam. Longe tamen insigniorem obtulisset Alexander Dissertationem, si rationi quam stare ab ejus parte constat, modestiam atque humilitatem aptasset. Plures enim viros doctos & graves vidimus, etiam Alexandro amicis, qui militarem hanc (inquiebant) scribendi rationem improbantes, Dissertationem istam *Dicterium ac perpetuam in Franciscanos ironiam* appellarent. Ita compertum

tum,ut placere omnibus nullus possit. Quantum autem ad *Epitaphium Alexandri Halensis* quod hodie legitur, contendit Natalis Alexander Dominicanus *venerabile illud antiquitatis monumentum*, non esse anno 1628. vetustius, quo à Fratre Benigno Genuensi, Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro, positum est. Ita Natalis Alexander Dissertationis suæ pag. 86. ubi acerba in Franciscanos audaces multa profundit, quibus supersedeo referendis. Vnum dicam simpliciter & absque amplexu partium, audax esse facinus & intolerandum, ejusmodi modernorum antiqua Epitaphia supprimentium, ut novitates suas intrudent: longeque venerabiliorem esse antiquitatem, etiam minus eloquentem, quam comptam prurientemq; auribus veritatem. Cæterum Epitaphium vetus Leoninis versibus editum, & Alexandri Halensis tumulo statim ab ejus obitu inscriptum, hunc Alexandrum Halensem fuisse Sancti Thomæ Aquinatis præceptorem, non narrat. Nam prisca simplicitate conspicui Fratres Franciscani hujus seculi, quam à Seraphico Patre Francisco hæreditario jure hauserant, ducebant religioni, non ornare falsis honoribus Doctorem veris titulis insignitum. Sic porro habet antiquum illud à Waddingo relatum *in Annales Francisc anos* & in suam etiam *Bibliothecam Ordinis Fratrum Minorum*, pagina 9.

Inscriptio vetusta Sepulchri Alexandri Halensis.

Clauditur hoc saxo famam sortitus abundè
Gloria Doctorum, decus & flos Philosophorum,
Author Scriptorum vir Alexander variorum.
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum.
Inclytus Anglorum fuit Archilevita, sed horum
Spretor Clerorum, frater collega Minorum
Factus egenorum, sed Doctor primus eorum.
Et ibidem.
Si quis bonos meritis, si qui virtute colantur,
Hunc animo prafer, hunc venerare Patrem.
Nec sordes & culpa pigriter per otia desis
Nancisci studio, qua Minor iste refert.

Quod autem supra diximus de S. Thoma Aquinate, idem quoq; de Sancto Bonaventura dici debet, eum nunquam fuisse Alexandri Alensis discipulum. Nam ex Luca Waddingo *in Annalibus Fratrum Minorum* ad annum 1243. numero 8. Sanctus Bonaventura ingressus est Ordinem istum anno 1243. ætatis suæ 21. vel 22. id est junior & Grammaticus, seu Rhetor. Vix ergo potuit emensis novitiatus annis circiter duobus, mitti Parisios ante annum 1245. idque tantum ut Philosophicis incumberet studiis. At hoc ipso anno 1245. mortuus est Alexander Halensis senex & veteranus Theologiæ Magister. Ex quo constat Bonaventuram nunquam habuisse Magistrum Alexandrum Halensem, nec studuisse sub illo, dum esset Parisiis. Quis enim credat senem hunc toto orbe celebrem Halensem, quem ut famosum Doctorem nonnisi precibus suo Ordini impetrarant Minoritæ, sub vitæ finem se dedidisse annis 1244. & 1245. Philosophiæ explicandæ, ut Bonaventuram vel ad tantillum temporis, auditorem ac discipulum haberet. Has epochas Alensis & Bonaventuræ admittunt Franciscani & turmatim quidem, ex quibus demonstrative ostenditur, S. Bonaventuram nunquam fuisse Alexandri Halensis discipulum. *Præterea* studebant eodem tempore Theologicis materiis Lutetiæ Parisiorum, licet non sub eodem Magistro, ut probabilius est, S. Thomas de Aquino & S. Bonaventura. Atque hoc ex universali clamore Fratrum Minorum & Scriptorum recentiorum, qui volunt hos duos Doctores, simul incubuisse Theologicis litteris, simul Laureas Baccalaureatus & Doctoratus accepisse, Sententias Petri Lombardi eodem tempore legisse. At constat ex singulari Natalis Alexandri Dissertatione, S. Thomam nunquam studuisse sub Alexandro Halensi, nec venisse Parisios ut studeret Theologicis quæstionibus, nisi post mortem Alexandri Halensis: idem ergo de Sancto Bonaventura dicendum est, *Tertiò* ex Historia Vniversitatis Parisiensis, tunc temporis inter Franciscanos famosissimus erat Parisiis, & publice legebat, atque in Actibus publicis maxime splendebat, *Joannes de Rupella*, ut constat ex Luca Waddingo, & Historia Vniversitatis ad annos 1233. & 1242. Alexandro Halensi vel tunc ob senium quiescente, vel jam forsitan mortuo, nec enim ejus nomen comparet in tabulis publicis. Ergo Bonaventura habuit potius hunc Magistrum, quam Halensem anno 1245. mortuum. Fateor, agnoscunt illum Alexandri Halensis discipulum, Joannes Trithemius in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*: Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus, qui primus trecentis post mortem annis, Vitam D. Bonaventuræ ex variis authoribus, ad Sixtum V. Summum Pontificem scripsit. Imo Bonaventuram fuisse laudatum ab Halensi Magistro, *tanquam verum Israëlitam in quo dolus non esset*, habet post Pelbartum de Temesward Sermone I. de Sancto Bonaventura qui primus hoc scripsit, dictus Galesinius cap. 8. *Vita divi Bonaventura*. Sed hæc gratis scripta esse, compertum est, cum Alexandri Halensis discipulus esse nequiverit: sed Joannis de Rupella, qui in Cathedra Magistrali Halensi successit, ut ipse etiam Galesinius tradit, citato cap. 8. *Vita divi Bonaventura*.

Obiit Alexander Halensis anno 1245. die 27. Augusti sepultus Parisiis in Majori Conventu sui Ordinis, in Ecclesia ex opposito Crucifixi, cui Epitaphium de quo supra, appositum est. Atque ut opinor, sepulchrum postea translatum in Capitulum Fratrum, a terra utcunque elevatum, cum Epitaphio recenti quod anno 1628. cum lapide novo Sepulchrali appositum fuit, mandante F. Benigno Genuensi, Ordinis Fratrum Minorum Generali. Qui plura vult, adeat citatos Possevinum *in Apparatu Sacro* Bellar-

larminum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1245. Waddingum in *Annalibus & Bibliotheca Ordinis fratrum Minorum*. Cæsarem Egassium Bullæum, in *Historia Universitatis Parisiensis* sæculo V. & in *Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi*, pag. 673.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS ROBERTI CAPITONIS, LINCOLNIENSIS EPISCOPI.

PROLOGUS

Viros illos, qui invidiæ ac maledicentiæ telis à multis confossi sunt, æquum sane vivis depingere virtutum coloribus, quibus inter cæteros fulserunt. Hos inter Robertus Grosthead seu Capito dictus, vir quidem a Romanæ curiæ adulatoribus conclamatus damnatusque, sed ob pietatem, vitæ sanctimoniam, reliquasque virtutes Episcopo dignas, magnum seculi hujus XIII. ornamentum, Anglicanæ Ecclesiæ decus ac fulcrum, qui lascivientem Pontificum audaciam egregio conatu compescuit.

CAPUT PRIMUM.

VITA ET OPERA ROBERTI CAPITONIS PAUCIS PERSTRINGITUR.

1230 ROBERTUS CAPITO, LINCOLNIENSIS EPISCOPUS, Anglice Grosthiad, Gallice Grossetesto, Theologus seculi sui præstantissimus ac Scriptor nobilis, diu in Academia Parisiensi studiis operam dedit, in qua insignis Theologus ac Philosophus excelluit, vir propter eruditionem egregiam, aliasque animi virtutes, merito suo celeberrimus, quem e Suffolciensi Comitatu ferunt, natalibus oriundum obscuris, ne pudendis dicam, in vico Stodbrook, appellato. Educatus porro ad tempus in Academia Oxoniensi, donec pro more temporis illius diu recepto in Galliam proficisceretur, cum bonarum litterarum caussa, tum etiam, ut Gallicam linguam perdisceret, cujus, illo ævo multus apud gentem Anglicanam usus. Reversus in patriam, Leicestrensis primum Archidiaconus, dein anno 1235. Hugoni de Velles Lincolniensi Episcopo successit. Anno 1242. vertit ex Hebræo in Latinum *Testamentum 12. Prophetarum*, Opus quod Judæi hucusque magna sedulitate & invidia absconderant, ut habet Matthæus Parisiensis ad hunc annum, his verbis. „Ipsis quoque temporibus Episcopus Lincolniensis Robertus, vir in Latino & Græco peritissimus, *Testamenta 12. Prophetarum* de Græco, „fideli interpretatione transtulit in Latinum: „quæ per multa tempora incognita & absconsa fuerunt per invidiam Judæorum, propter „prophetias de Salvatore in eis contentas. Sed „Græci omnium Scriptorum diligentissimi investigatores, primi in notitiam illius scripti devenientes, illud de Hebræo in Græcum transtulerunt, & penes eos in nostra usque tempora reservarunt. Nec tempore beati Hieronymi, vel alicujus sancti interpretis ad notitiam Christianorum (machinante Judæorum antiquorum malitia) potuit quomodolibet devenire. Illum igitur gloriosum tractatum ad robur fidei Christianæ, & ad majorem Judæorum confusionem transtulit plene & evidenter Episcopus memoratus de Græco verbo ad verbum in Latinum, coadjuvante Magistro Nicolao Græco, Clerico Abbatis S. Albani.„ Quod autem ait Henricus Spondanus in *Continuatione Annalium Baronii* ad annum 1242. bardum esse Matthæum Parisium, dum vult hoc Opus antiquis fuisse incognitum, contra quem ipse allegat Originem *Homil. 15. in Josue*, & Procopium *Commentariis in Genesin*: hoc nihil contra Parisium facit, qui de Latinis tantum Scriptoribus loquitur, non de Græcis: unde nugax ac puerilis est ista Spondani correctio. Impressum inter *Orthodoxographos* in folio Basileæ pag. 861. anno 1569. apud Henricum Petri. Et in *Micropresbytico* seu *Collectaneo veterum quorundam Theologorum Scriptorum* minoris molis, ibidem anno 1550. in folio, apud eundem. Quod MSS. quoque Parisiis in Bibliothecis Victorina & Colbertina. Ut autem tradit Henricus de Knigton Libro 2. *De eventibus Angliæ* ad annum 1253. in offensam Innocentii Papæ IV. incredibilem & irrationabilem venit, quod cum Papa nepotulo cuidam suo adhuc puero, Canonicatum cum præbenda proxime vacatura in Ecclesia Lincolniensi, nepotizans contulisset, Robertus admittere noluisset, rescribens Papæ, *se nec velle nec debere tales ad animorum curas admittere, qui regere seipsos nescirent nec possent*. Epistola ad Innocentium IV. ita incipit, *Dominus noster Jesus Christus* &c. quam ad annum 1253 Matthæus Parisiensis refert. Hunc Robertum ita fortem depingit Franciscus Godwinus Anglus, Landavensis Episcopus in Commentario suo *De Præsulibus Angliæ*, fol. 348. ubi de Episcopis Lincolniensibus. „Illo sedente tyrannis Pontificia, ad id conscenderat potentiæ, eoque se demerserat iniquitatis: nihil ut fuerit tam injustum, quod non posset, nihil tam pravum, quod lucri gratia noluerit efficere. Inter cætera, duæ res erant, de quibus Ecclesiasticæ gentis homines, tunc temporis plurimum conquererentur. Injurias „sibi

„sibi illatas si vindicari cuperent per Ecclesiasticum judicem, appellatio statim litem ad Romanam curiam trahebat, ubi ingens pecunia erat profundenda, cum in caussa quantumvis justissima nemo sibi posset de remedio confidere inde petendo, ubi largitio nihil non impetraret. Deinde omnes Præsulatus, Sacerdotia omnia paullo opimiora, per provisiones & reservationes Papales, rapiebant Itali, ut vel ipsi fruerentur, vel jus concederent, qui plurium offerrent nummorum. Hinc fiebat, ut Ecclesia nostra quasi diluvio quodam, ea tempestate inundaretur exterorum hominum, quorum non pauci pueri erant, plurimi Litterarum expertes, alienigenæ omnes: qui cum linguæ Anglicanæ essent ignari, populis sibi commissis nihil poterant prodesse: præsertim cum in patria sua desidentes, Ecclesias sibi commissas ne semel quidem aspicere per totam plerumque vitam dignarentur. Certe cum anno 1252. hac de re inquisitio facta esset, compertum est reditus annuos exterorum, septuaginta millia marcarum confecisse: cum Rex (ut perhibet Parisiensis qui illo tempore vixit) vix viginti millia quotannis perciperet. Hæc Episcopus noster cum ferret molestissime, Romam decrevit ipse proficisci, ut de remedio aliquo opportuno tantis malis adhibendo, cum Pontifice ageret. Profectus est, auditus est, & cum multis blandis pollicitationibus dimissus. Sed cum reversus nihil emendatum videret, Epistola præscripta ausus est hominem acriter increpare, ac ostendere, quantum a Sanctitate antecessorum suorum moderni Papæ degenerassent: simul obtestatus ut vitia illa enormia corrigere niteretur, quæ a Romana curia tanquam fonte venenato fluentia, universam Ecclesiam suo contagio inficerent. Hæc Epistola si cui libet perlegere, apud Parisiensem habetur. Pontifex qui ante nescio quot annos, vocem forte liberam non audierat, his litteris conspectis, ita incanduit: ut ira exæstuans & minas anhelans, tantæ ut putabat contumeliæ sibi illatæ, atrocissimam meditaretur vindictam. Sed hanc omnem rem suis verbis explicabit Matthæus Parisius, hujus temporis scriptor. *Hac cum ad Domini Papa audientiam pervenissent, non se capiens præ ira & indignatione, torvo aspectu & superbo animo ait: Quis est iste senex delirus, surdus & absurdus, qui facta nostra audax, imo temerarius judicat? Per Petrum & Paulum, nisi moveret nos innata ingenuitas, ipsum in tantam confusionem præcipitarem, ut toti mundo fabula foret, stupor, exemplum, & prodigium. Nonne Rex Anglorum noster est vasallus, & ut plus dicam, mancipium: qui potest cum nutu nostro incarcerare & ignominia mancipare? Et cum hac inter fratres Cardinales recitarentur, vix compescentes impetum Papæ, dixerunt ei: Non expediret Domino, ut aliquid durum contra Episcopum statueremus. Ut enim vera fateamur, vera sunt, quæ dicit. Non possumus eum condemnare, Catholicus est, imo & sanctissimus, nobis religiosior nobis sanctior, & excellentioris vitæ: ita ut non credatur inter omnes Prælatos, majorem, imo nec parem aliquem habere Orbem Christianum. Novit hoc Gallicana & Anglicana Cleri universitas. Nostra non prævaleret contradictio. Hujusmodi Epistolæ veritas, quæ jam forte multis innotuit, multos contra nos poterit commovere. Magnus enim habetur Philosophus, Latinis & Græcis litteris ad plenum eruditus, zelator justitiæ, lector in Theologia scholis, prædicator in populo, castitatis amator, persecutor Simonialium. Hæc dixerunt Dominus Ægidius Hispanus Cardinalis & alii, quos propria tangebat conscientia: consilium dederunt D. Papæ, ut hæc omnia conniventibus oculis sub dissimulatione transire permitteret, ne super hoc tumultus excitaretur: maxime propter hoc, quia scitur, quod quandoque discessio est ventura.* At his molestiis quantumvis agitatus, in concionibus tamen fuit assiduus & studiis, qui Libros scripsit fere ducentos, quos Balæus enumerat: atque in Diœcesis suæ administratione, multum insumpsit laboris.

Plurima itaque Robertus scripsit, quorum pauca satis in comparatione MSS. extantium in Bibliothecis Anglicis, impressa sunt. Ex impressis *Commentarius in libros Posteriorum Aristotelis*, editus Venetiis anno 1504. & 1531. ibidem ex editione Pamphili Montii. *Compendium Sphæra Mundi*, Venetiis anno 1508 *Opuscula varia*, ibidem edita anno 1514. *Epistola ad Innocentium IV. Pontificem Romanum*, quæ extat apud Matthæum Parisiensem ad annum 1253. & apud Carolum Egassium Bullæum seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1253. pag. 260. *Testamentum XII. Patriarcharum, ab eo Latine versum*, quod prodiit Basileæ anno 1559. in Orthodoxographia pag. 861. & anno 1550. ibidem in *Micropresbytico* apud Henricum Petri. *Liber de Cessatione Legalium*, Londini anno 1658. in 4. Jam ad Opera ejus MSS. veniamus.

Summa Philosophia, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Cod. 92.

Commentarius in Libros Posteriorum Aristotelis, MS. Oxonii in Collegio Novo, Cod. 245.

In Libros Physicorum, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 105. Cantabrigiæ in Collegio sancti Petri, Cod. 43.

Commentarius in Catonem Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Codex 25.

De prognosticationibus aëris, Cantabrigiæ in Bibliotheca sancti Benedicti, Cod. 194. & in privata Gualteri Copi, Cod. 7.

Commentarius in libros divi Dionysii Areopagita, De mystica Theologia, de cælesti Hierarchia, de divinis nominibus. Itemque in *Epistolas ejusdem Dionysii*, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis, Cod. 20. ubi pessime Commentariis istis ab aliquo appositum est nota marginali, *Commentarium est Ruperti qui vixit anno Domini 1150.* Hic verius scripsisset *Commentarium esse Roberti qui vixit anno Domini 1250.* nempe Capitonis & Lin-

Lincolnienſis Epiſcopi, cujus hos ſæpiſſime Commentarios ſub nomine *Lincolnienſis* citat paulo poſt Albertus Magnus *Commentariis a ſe ſcriptis in Divum Dionyſium Areopagitam.* Hæc annotatione digna viſa ſunt, adverſus notam non veram, quæ huic Codici MS. apponitur in *Ecloga Oxonio Cantabrigia* Thomæ Jameſii, ubi de manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Lincolnienſis, pag. 39.

De Articulis fidei & fide Catholica, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi, Cod. 176.

De Confeſſione MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi Cod. 14. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 133. & in Collegio ſancti Benedicti Cod. 207.

De Ceſſatione Legalium, Oxonii in Bibliotheca Magdalenenſi Cod. 159. Mertonenſi Cod. 160. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 36. & privatim in Bibliotheca Lumleii Cod. 285. Notat Eduardus Brown in *faſciculo Rerum expetendarum & fugiendarum* edito Londini anno 1690. 2. tomis in fol. apud Richardum Chiswell, ſe ex MS. Codice quodam, quo in edendis Sermonibus hujus Roberti uſus eſt, animadvertiſſe quod Tractatus Roberti Groſteteſt *De Ceſſatione Legalium* anno Chriſti 1658. Londini a viro quodam docto editus, vix pro tertia parte Tractatus haberi debeat.

De Conjugio, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Cod. 133.

Computus Eccleſiaſticus, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca ſancti Benedicti Cod. 123. & in Archivis Collegii Caji, Cod. 122.

De cura paſtorali, MS. Oxonii in Bibliotheca Exonienſi Cod. 24. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti Cod. 227.

De decem præceptis, MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi Codd. 14. & 38. Exonienſi Cod. 24. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Codd. 118. 137. & 200. in Pembrochiana, Cod. 175.

Moralitates ſuper 4. Evangelia, MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolana Cod. 34. Sanctæ Trinitatis Cod. 15. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Cod. 26.

De pœnis purgatorii, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Cod. 26.

De Pœnitentia, MS. ibidem Cod. 118.

Scala Voluptatis, MS. ibidem Cod. 130.

Summa juſtitiæ, MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi Cod. 14. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 57. & Domus ſancti Petri Cod. 89. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji Codicibus 183. & 262.

Templum Domini, MS. Oxonii in Bibliotheca Magdalenenſi, Cod. 33. & 160. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Codd. 118. & 133. Pembrochiana Codd. 59. & 123. & privatim in Bibliotheca Baronis Cod. 183.

Teſtamentum 12. Patriarcharum, MS Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 243. in Collegio ſancti Benedicti, Cod. 122. in Pembrochiana, Cod. 123. Privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji, Cod. 208. & Gualteri Copi Armigeri, Cod. 153. Joannes Erneſtus Graab Germanus, edidit anno 1698. in 8. Oxonii Græce & Latine e theatro Sheldoniano *Spicilegium Patrum* cujus ſeculo I. pag. 145. ad 253. *Teſtamenta 12. Patriarcharum*, nunc primum Græce & Latine edita, juxta exemplar Cantabrigienſe, collatum cum Oxonienſi, una cum Latina verſione Roberti Gosſthead Epiſcopi Lincolnienſis emendata ex duobus MSS. Codicibus Bodleianæ bibliothecæ inſeruit. Cui dictus Erneſtus pag. 129. ad pag. 145. *Præfationem* prolixam præmiſit, quam nimiæ prolixitatis accuſant Critici alii.

De triplici Gratia & juſtificatione, MS. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caji, Cod. 151.

De Veritate Chriſti, Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolnienſis, Cod. 19.

De Lingva & Corde moraliter, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 281. Lincolnienſi Codd. 12. & 14. Magdalenenſi Cod. 19. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 57. & Pembrochiana Cod. 116.

De Oculo moraliter, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 186. Magdalenenſi Codd. 58. 69. & 160. Balliolenſi, Cod. 235. Mertonenſi Codd. 158. 160. 161. & 273. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana Cod. 123. & privatim in Bibliotheca clariſſimi viri Baronis Lumleji, Cod. 183.

De venenis moraliter, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 260. Magdalenenſi Codd. 50. & 160. Mertonenſi Cod. 160. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 137. & Pembrochiana Cod. 106.

Ejuſdem varii Tractatus, MSS. Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi Cod. 92.

Ejuſdem Dicta, MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 260. Lincolnienſi, Cod. 12. Exonienſi Cod. 24. Magdalenenſi, Cod. 157. Mertonenſi Cod. 151. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 52. in Collegio ſancti Benedicti Cod. 207. Domus ſancti Petri Cod. 97. & Pembrochiana Cod. 59.

Poſitio Domini Lincolnienſis contra Papam, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 260. Mertonenſi Cod. 68. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti, Codd. 207. & 250.

Sermones, MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 186. in Lincolnienſi Cod. 12. Mertonenſi Cod. 232.

Epiſtolæ, MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi Cod. ultimo. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti Codicibus 127. & 386. Item *Epiſtola ad Conventum Miſſenden pro Abbate eligendo*, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi, Cod. 252. *Epiſtolæ & quædam excerpta ex dictis ejus*, MS. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji, Cod. 285. Denique *Vita Roberti Capitonis, Epiſcopi Lincolnienſis*, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 260.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM

RELIQUA VITÆ PARS AD FINEM LATIUS EXPLICATUR.

1230 VNum igitur ex potissimis atque ultimis Roberti Capitonis operibus, insignis atque Apostolica illa est Epistola, quam anno 1253. ad Innocentium IV. Summum Pontificem scripsit apud Matthæum Parisiensem ad dictum annum in Historia sua exrantem, itemque insertam seculo V. *Historiæ Universitatis Parisiensis* ad annum 1253. pag. 260. ex qua quis fuerit vir, Robertus Capito, sat intelligitur. Cum ergo Roberti hominis firmissimi non exiguum indicium sit, hic eam referri juvat, ut Leonem ex ungue agnoscamus.

„Noverit Discretio vestra, quod mandatis Apostolicis affectione filiali, devote & reverenter obedio: his quoque quæ mandatis Apostolicis adversantur, paternum zelans honorem, adversor & obsto. Ad utrumque enim teneor ex divino mandato, Apostolica enim mandata non sunt nec esse possunt alia, quam Apostolicâ doctrina, & ipsius Domini nostri Jesu Christi, Apostolorum Magistri & Domini, cujus typum & personam gerit in Hierarchia Ecclesiæ Dominus Papa, consona & conformia. Ait enim Dominus ipse noster Jesus Christus, *Qui non est mecum, contra me est.* Contra ipsum autem nec est nec esse potest, Apostolicæ Sedis sanctitas divinissima. Non est igitur prædictæ litteræ tenor, Apostolicæ sanctitati consonus, sed absonus plurimum & discors. *Primo*, quia de illius litteræ & rei consimilium longe lateque dispersarum superaccumulato *non obstante*, nec ex legis naturalis observanda necessitate inducto, scatet cataclysmus inconstantiæ, audaciæ & procacitatis, inverecundiæ mentiendi, fallendi, diffidenter alicui credendi, vel fidem adhibendi: & ex his consequentium vitiorum, quorum non est numerus, Christianæ religionis puritatem & socialis conversationis hominum tranquillitatem commovens & perturbans. *Praeterea* post peccatum Luciferi, quod idem erit in fine temporum, ipsius filii perditionis Antichristi, quem interficiet Dominus Spiritu oris sui: non est nec esse potest, alterum genus peccati tam adversum & contrarium Apostolorum doctrinæ & evangelicæ, & ipsi Domino Jesu Christo tam odibile, detestabile, & tam abominabile, quam animas curæ pastoralis officii & ministerii defraudatione, mortificare & perdere. Quod peccatum evidentissimis Sacræ Scripturæ testimoniis committere dignoscuntur, qui in potestate curæ Pastoralis constituti, delacte & lana ovium Christi vivificandarum & salvandarum, pastoralis officii & ministerii salarium comparant, debita non administrant. Ipsa enim ministeriorum Pastoralium non administratio, est scripturæ testimonio, ovium occisio & perditio. Quod autem hæc duo genera peccatorum licet dispariter sint pessima, & omne alterum genus peccati inæstimabiliter superexcedentia, manifestum ex hoc: quod ipsa sunt duobus existentibus & dictis, licet dispariter & dissimiliter optimis, directe contraria. Pessimum enim est, quod optimo contrarium. Quantum autem est in dictis peccantibus, unum peccaminum est ipsius Deitatis superessentialiter & supernaturaliter optimæ: alterum vero Deiformitatis & Deificationis ex divini radii gratifica participatione essentialiter & naturaliter optimæ, interemptio. Et quia sicut in bonis, caussa boni melior est, suo caussato: sic & in malis, caussa mali pejor est suo causato. Manifestum autem, quoniam talium pessimorum interemptorum Deiformitatis & Deificationis in ovibus Christi in Ecclesia Dei introductores, ipsis istis pessimis temporibus, sunt pejores Lucifero & Antichristo proximiores: & in hac pejoritate gradatim quanto magis superexcellentes, qui ex majore & diviniore potestate sibi divinitus in ædificationem, non in destructionem tradita, magis tenentur ab Ecclesia Dei, tales interemptores pessimos excludere & extirpare. Non potest igitur sanctissima Sedes Apostolica, cui a Sancto-sanctorum Domino Jesu Christo tradita est potestas omnimoda, testante Apostolo in ædificationem, non in destructionem: aliquid vergens in hujusmodi peccatum Domino Jesu Christo tam odibile, detestabile, & abominabile, & humano generi summe perniciabile, vel mandare, vel præcipere, vel quoquo modo ad aliquid tale conari. Hoc enim esset suæ potestatis evidenter sanctissimæ & plenissimæ, vel defectio vel corruptio, vel abusio, vel a throno gloriæ Domini nostri Jesu Christi omnimoda elongatio, & in cathedra pestilentiæ pœnarum gehennalium duobus prædictis tenebrarum principibus proxima consessio. Nec potest quis immaculata & sincera obedientia eidem Sedi subditus & fidelis, & a corpore Christi & eadem sancta sede per schisma non abscissus, mandatis vel præceptis vel quibuscunque unanimibus undecunqe emanantibus, etsi a supremo Angelorum ordine, obtemperare: sed necesse habet totis viribus contradicere & rebellare. Propter hoc Reverendi Domini, ego ex debito obedientiæ & fidelitatis, qua teneor utrique parenti Apostolicæ Sedis sanctissimæ, & ex amore unionis in corpore Christi pro ea, his quæ in prædicta littera continentur, & maxime quia ut prætactum est, ad peccatum Domino Jesu Christo abominabilissimum, & humano generi perniciosissimum evidentissime vergunt, & Apostolicæ sedis sanctitati omnino adversantur, & contrariantur Catholicæ fidei: unice, filialiter, & obedienter non obedio, contradico & rebello. Nec ob hoc potest inde vestra discretio quicquam durum contra

„me

„me statuere, quia omnis mea in hac parte & „conrradictio & actio, nec contradictio est nec „rebellio: sed filialis, divino mandato debita, „Patris & vestri honoratio. Breviter autem re-„colligens dico. Apostolicæ Sedis sanctitas „non potest nisi quæ ad ædificationem sunt, & „non ad destructionem: hoc enim est poresta-„tis plenitudo, omnia posse in ædificationem. „Hæ autem quas vocant provisiones, non sunt „ad ædificarionem, sed in manifestissimam de-„structionem. Non igitur eas potest beata se-„des acceptare, quia caro & sanguis quæ re-„gnum Dei non possidebunt, eas revelavit: & „non Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est „in cœlis.

Hæc ista tanta hominis libertas in faciem resistentis & resistere parati, animum Romani Pontificis, supra quam dici potest, exacerbavit: unde ille incipit, Quis est ille senex delirus, surdus & absurdus, qui facta nostra audax, imo temerarius judicat? Vt supra diximus &c. Nihilominus ne quid acerbe in eum statueret, deterruerunt Cardinales, vel ob hoc maxime, quod cum in Academiis Parisiensi & Oxoniensi magnum nomen docendo sibi comparasset, non defuturi essent, qui ejus caussam contra Romanos causæ definitionem defenderent. Hinc Dominus Ægidius Hispanus Cardinalis inquit, *Non expediret Domine, ut aliquid durum contra istum Episcopum statueremus &c.* ut supra jam retulimus, ex Matthæo Parisio. Quidquid autem Historici etiam Angli scribant, hæc controversia inter Innocentium IV. & Robertum Grosthead, non anno 1253. ut vulgo scribitur contigit: sed anno 1250. ut constat ex MSS. Codicibus Bodleianæ bibliothecæ num. 2123. inter MSS. Codices Thomæ Bodleji litera C 6. Codice 13. num. 2. ubi extat pag. 117. b. Litera Innocentii IV. Papæ pro provisione sua Ecclesiarum in Anglia, cum Responsiva Roberti Grosthead, contra abusivam & carnalem provisionem Papalem Episcopatuum & Præbendarum, & aliorum in Ecclesia Officiorum. Num, 3. Roberti Grosthead scriptum exhibitum in diversis rotulis Innocentio Papæ IV. & Cardinalibus Lugduni anno 1250. feria sexta proxima post Ascensionem Domini, quæ eo anno Idibus Maji accidit, & in audientia Papæ a Joanne Cardinale lectum. Vnde altercatio ista ab hoc tempore quo incepit, ad mortem Roberti Capitonis, injustis Romanorum Pontificum attentatis cedere nolentis, perstitit. In eadem Bibliotheca 1669. in MSS. Codicibus ejusdem Thomæ Bodleji litera B. 2. Codice 4. num. 9. Innocentii Papæ literæ de provisione Frederici de Lovar ad Canonicatum in Ecclesia Lincolniensi. Num. 10. Responsio Roberti Grosthead Episcopi Lincolniensis Domino Papæ directa. In eodem MS. Codice 2123. de quo supra egimus statim, extant num. 4. ejusdem Roberti *Epistola CXIII.* pag. 126. Num. 5. *De potestate & cura pastorali per eundem* p. 172. b.

Contigit autem prædictum Episcopum circa dies caniculares anni 1253. in lethalem morbum incidere. Quo ut se correptum sensit, teste eodem Matthæo Parisio, advocavit M. Joannem de sancto Ægidio fratrem Prædicatorem, in arte medica peritum, & in Theologia lectorem, eleganter eruditum & erudientem, ut ab eo corporis & animæ reciperet consolationem, inquit idem Parisius. "Et postquam" cum familiariter & solita cum libertate egis-" set de facto Papæ, deque Prædicatorum & Mi-" norum prava consuetudine & ignavia in pec-" catis Magnatum redarguendis, subjunxit. In" hoc quod tu frater Johannes, & alii Prædica-" tores peccata Magnatum audacter non redar-" guitis, & facinora non detunicatis, hæreticos" censeo manifestos. Quid est hæresis? da de-" finitionem. Et cum hæsisset frater Joannes," non recolens autenthicam ipsius rei rationem" & definitionem, subjunxit Episcopus fideli in-" terpretatione Græci idiomatis in Latinum," *Hæresis est sententia humano sensu electa, Scriptu-" ræ sacræ contraria, palam edocta, pertinaciter de-" fensa. Hæresis* Græce, *Electio* Latine. Et con-" sequenter subjunxit reprehendens Prælatos" maxime Romanos, qui consangvineis suis in-" dignis, ætate & scientia insufficientibus, cu-" ram committunt animarum: Dare curam ani-" marum parvulo, sententia est alicujus Prælati," humano sensu electa propter carnem vel ter-" renitatem: & est contraria Scripturæ sacræ," quæ prohibet fieri pastores, qui non sunt ido-" nei ad arcendos Lupos: & est palam edocta," quia manifeste portatur charta sigillata & bul-" lata: & est pertinaciter defensa, quia si quis" voluerit contradicere, suspenditur, excommu-" nicatur, & super eum prælium sanctificatur." Cui tota definitio hæretici convenit, hæreti-" cus est. Sed quisque fidelis tenetur oppone-" re se hæretico, quantum potest: qui ergo po-" test contradicere & non contradicit, peccat &" videtur fautor esse secundum illud Gregorii:" *Non caret scrupulo Societatis occulta, qui manife-" sto facinori desinit obviare.* Sed fratres tam Mi-" nores quam Prædicatores maxime obligantur" ad oppositionem contra talem, & cum utrique" habeant ex officio gratiam prædicandi, & sint" ad illud officium per paupertatem liberiores:" non solum peccant si ei non contradicunt, imo" fautores ipsius existunt, sicut & Apostolus ad" Rom. I. *Non solum qui talia agunt, sed qui con-" sentiunt, digni sunt morte.* Potest ergo con-" cludi, quod tam Papa nisi ab hoc vitio cesset," quam dicti fratres nisi curiosos se exhibeant" ad arcendum talem, digni sunt morte scilicet" perpetua. Item dicit Decretalis, quod super" tali vitio, videlicet *haresi*, potest & debet Pa-" pa accusari." Ibidem plura alia allegantur in eam rem. Maxime vero Innocentium Papam redarguit, quod usurarios grassari pateretur, quos tanto cum labore viderat ipse a sapientibus Doctoribus Gallicis abigi & exterminari.

Etsi, inquit, multi alii viri Apostolici Ecclesiam afflixerint, iste gravius aliis coegit ancillari, & inconvenientia multiplicavit. *Caursini enim manifesti usurarii, quos sancti Patres & Doctores nostri, quos vidimus & audivimus, videlicet M. eximius in Francia prædicator, Abbas quoque de Flay Cisterciensis Ordinis, M. Jacobus de Vitry, Cantuariensis Archiepiscopus Stephanus exulant, M. Robertus de Curçon, prædicando a partibus Franciæ ejecerunt, quia antea hac peste Anglia non laborabat, & iste Papa suscitavit & protegit suscitatos.* Hinc patet quo tempore M. Robertus Capito in Academia Parisiensi versatus sit, nimirum circa initia hujus seculi. Cæterum ea fortasse M. Roberti constantia effecit, ut idem Pontifex circa Beneficiorum provisiones se moderatius gesserit, & Prælatis aliisque patronis suis jus suum plenum & integrum restituerit: quam in tem extat ipsius Decretalis, in litteris ad Abbatem sancti Albani Lincolniensis Diœcesis anno 1254. datis, quas habes in *Additamentis* Matthæi Parisii seu Parisiensis, ad dictum annum. Itemque seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis* ad annum 1253. fol. 263.

Decessit tandem Robertus Grossetesse in Episcopatu suo, Bukdenæ anno 1253. die 9. Octobris, cum prius testamento condito, libros omnes suos legasset Bibliothecæ fratrum Minorum Oxoniæ. Humatus jacet in australi parte Ecclesiæ suæ, ubi tumulum satis elegantem habet, ex marmore laminis æreis ornato: quem multis post mortem claruisse miraculis authores testantur. Hujus elogium ita Matthæus Parisius expressit: „ *Migravit igitur ab hujusmodi mundi, quem nunquam dilexit, exilio, Sanctus Lincolniensis Episcopus, Robertus secundus, apud Bugedonum manerium suum in nocte S. Dionysii, Domini Papæ & Regis redargutor manifestus, Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Presbyterorum director, Clericorum instructor, Scholarium sustentator, populi prædicator, incontinentium persecutor, Scripturarum sedulus perscrutator diversarum, Romanorum malleus & contemptor. In mensa refectionis corporalis dapsilis, copiosus & civilis, hilaris & affabilis. In mensa vero Spirituali devotus, lachrymosus & contritus, in officio Pontificali sedulus, venerabilis & infatigabilis.* De eo sic etiam legitur apud Henricum de Cnigthon Libro 2. *De eventibus Angliæ* col. 2436. ad hunc annum. *Hoc anno obiit Sanctus Robertus dictus Grossetesse, Episcopus Lincolniensis, 7. idus Octobris, qui in cunctis liberalibus artibus excellenter eruditus, præcipue in Logica & Astrologia plurima commentatus est. Ad Innocentium Papam misit Epistolam satis tonantem, quæ sic incipit,* Dominus noster Jesus Christus &c. *pro eo quod Ecclesias Anglicanas indebitis & insolitis exactionibus gravare videretur. Et quia Nepotolo suo puero contulisset Canonicatum cum proxima prabenda vacatura in Ecclesia Lincolniensi, quem tamen Robertus admittere noluit, rescribens Papa, se nec velle nec debere tales ad curas animarum admittere, qui se nescirent nec possent regere. Qua de causa ad Curiam vocatus & excommunicatus, appellavit a Curia Innocentii ad tribunal Christi: unde contigit ut post biennium mortis Roberti, apparuerit Papa de nocte quiescenti Episcopus quidam Pontificalibus indutus, sic inquiens:* Surge miser, veni ad judicium. *Et statim eum baculo pastorali, pupugit Papam in latere sinistro usque ad cor, unde & lectis ternium Papa inventum est mane sanguinolentum, & ipse defunctus est. Hac de causa, quamvis Robertus perspicuus effulgeret miraculis, non est permissus a curia canonizari.* Hæc Henricus Cnigthon. Quicunque plura cupit de doctrina & virtute *Roberti Capitonis*, legat *Historiam Universitatis Parisiensis* seculo V. ubi plurima & præclara inveniet, quæ virum hunc intrepidum venturis seculis & Deo & hominibus commendabunt atque insignem invitis etiam Pontificiis pronunciabunt.

CAPUT TERTIUM

LAUDES EJUSDEM ROBERTI CAPITONIS, EX HENRICO WARTHON.

Longe postquam hæc scripseram, venit in manus meas Tomus 2. *Angliæ Sacræ*, ubi illius editor Henricus Warthon habet multa de Laudibus & Operibus Roberti Grostead, quæ a me licet prolixa, ob meritum suum omitti non potuerunt. Ita ille in Præfatione ad hunc Tomum 2. num. 14. & 15. pag. XVII. quem verbotenus transscribam.

„Roberti Grosthed Præsulis maximi Vitam tanto viro non indignam obtinere valde cupiebam. Non aliam autem invenire potui, quam hanc Richardi Bardiniensis Monachi pag. 325. editam salebrosam, in elegantia nonnullibi etiam insulsam, luce plane indignam, nisi egregia argumentis dignitate commendaretur. Ex ea quæcunque ad illustrandam Roberti Vitam spectare videbantur excerpsi, fabulas crassiores & inanes flosculos rejeci. Codicem MS. dedit Ecclesiæ Westmonasteriensis Collegiatæ Bibliotheca, cujus Author nomen, ordinem & ætatem Nota ad calcem addita indicavit, his verbis: *Finit Vita Roberti Grosthed Lincolniensis Episcopi, metrificata per Magist. Richardum de Monasterio Bardeniensi Monachum, anno Dom. MDIII.* Sequitur in eodem Codice *Historia S. Hugonis Martyris* per eundem versu elegiaco concinnata, cui ista subjicitur nota: *Finit Historia sancti ac parvuli Hugonis, Christi livore a Judæis Martyrizati, ad similitudinem passionis Christi per omnia, secundum dictamen Richardi Bardeniensis Monachi, & in Theologia Bachalarii.* Robertum Grosthead splendidis elogiis extulerunt, quotquot Historias illius temporis contexuerunt: præ aliis autem Matthæus Paris, cujus Historia sæpius prodiit. Inter Historicos ineditos Author Annalium Lonercostensium Robertum uberrime celebravit.

„bravit. Illius proinde verba *Vitæ Roberti* sub„jeci pag. 341. Extant Annales de Lanercost ab „adventu Saxonum ad annum 1347. valde pro„lixi in Bibliotheca Cottoniana *Claudius D. 7.* „Cœnobium Lanercostense in Cumbrensi pro„vincia, prope Scotiæ limites situm est, cujus „Annales a pluribus se... ordine excipientibus „conscripti sunt: sic enim ad annum 1245. le„gitur, *Electus obiit Glasmensis, quem ego terra commendavi in Ecclesia sua de Tungham.* Post has Vitas edidit Henricus Warthon *Epistolam Decani & Capituli Ecclesiæ S. Pauli Londoniensis ad Clementem V. Papam de canonizando. Roberto Grosthead* pag. 343. *Giraldi Cambrensis Epistolam de Laudibus Roberti Grosthead* pag. 344. *Indiculum Scriptorum Roberti Grosthead* pag. 344. *Propositionem Roberti Grosthead de visitatione Diœcesis suæ* pag. 347.

Indiculus Scriptorum Roberti Grosthead Episcopi Lincolniensis, Tom. 2. *Angliæ Sacræ* pag. 344. „Robertum Episcopum Lincolniensem „omnes sui temporis eruditione, & omnes „quotquot fuerunt, Anglos librorum a se scri„ptorum numero superasse notum est. Scri„ptorum ejus Catalogum, imperfectum tamen, „neque enim omnia Lincolniensis Scripta ad „manus nostras devenerunt, congessimus. Do„ctrinæ testis erit omni exceptione major, Ro„gerus Baconus vir itidem omnium Anglorum „seculo sequenti doctissimus, qui in libro MS. „*De laude sacræ Scripturæ* ad Clementem Papam, „ista habet cap. 27. *Wulgus Philosophorum semper „est imperfectum, & pauci sapientissimi fuerunt in „perfectione Philosophiæ, ut Salomon & deinde Ari„stoteles pro tempore suo, & in diebus nostris Rober„tus nuper Episcopus Lincolniensis, & Fr. Adam de „Marisco, quia hi fuerunt perfectissima sapientia.* „cap. 28 *Dominus noster Robertus Episcopus Lin„colniensis, & Fr. Adam de Marisco, rariores Cle„rici de mundo, & perfecti in Sapientia divina & „humana.* cap. 31. *Nam omnes sancti Philosophi „Latini & Poetæ studuerunt de linguis alienis, & o„mnes sapientes antiqui, quorum multos vidimus „durare usque ad nostrum tempus: ut duos Episco„pos Lincolniensem & Sancti David, & fratrem A„dam, & multos viros: & adhuc aliqui senes „perdurant, qui studuerunt multum.*

EDITA.

„*Sermo coram Innocentio IV. Papa in Concilio „Lugdunensi habitus anno 1250. 3. Idus Maii de cor„ruptelis Ecclesiæ.*

„*Sermo ad Clerum in Sap. 6, 26.* Rex sapiens „stabilimentum &c.

„*Sermo ad Clerum in Johannis 10, 11.* Ego sum „pastor bonus &c.

„*Sermo ad Clerum in Ezechielis XXXIV, 2. 3. 4.* „Væ pastoribus Israel &c.

„*Sermo ad Clerum in Synodo in Geneseos I, 13.* „Posuit stellas in firmamento cœli.

„*Sermo in celebratione ordinum, in Luca XII, 13.* „Sint lumbi vestri præcincti.

Dictum de bono judice in Psalmum LVII, 1." Recte judicate filii hominum. "

Dictum de Prophetis veris & falsis. "

Dictum de Fide & ejus articulis. "

Dictum de Gratia & Justificatione hominis. "

Dicta duo de Oratione. "

Dictum de Superbia. "

Dictum de Detractione & ejus malis. "

Dicta III. de Humilitate. "

Dictum de Patientia. "

Dictum de Misericordia & Justitia. "

Sermo ad Clerum in I. ad Timoth. 4 V, 12. Exem" plum esto fidelium &c. *Sermo ad Clerum in" Psalm CXXXII, 9.* Sacerdotes tui induantur ju" stitia. "

Epistolæ CI. quarum ultimâ omnium maxi" me insignis, extat etiam apud Matthæum Pa" ris pag. 870. & Annales Bertonenses pag. 326."

Constitutiones XXXIX Diœcesi suæ Clericis di" rectæ. Scripta omnia hactenus enumerata," evulgata sunt ab M. Edoardo Brovvn Parocho" Sundrigiæ in Agro Cantiano, in Appendice ad" *Fasciculum rerum expetendarum* Londini 1690." in folio, tomo 2. pag 244 ad 454.

Liber de cessatione Legalium prodiit Londini" 1652. in 4. sed mutilus, extat enim in Codi" ce MS. Collegii Trinitatis Cantabrigiæ, plus" duplo auctior. "

Commentarius in Dionysii Areopagitæ librum de" Mystica Theologia, inter Opera S. Dionysii e" cusus est in fol. Argentinæ 1502. "

Compendium Sphæræ mundi, Venetiis 1508. "

Commentarius in libros Posteriorum Aristotelis," Venetiis 1504. 1537. 1552.

Testamentum XII. Patriarcharum ab eo Latine" versum prodiit Parisiis 1549. 12mo. & in Biblio" theca Patrum, ac in Orthodoxographis Basi" leæ p. 816. Latine id transtulit Lincolniensis" anno 1242. iuxta Annales Londinenses MSS." Sic & nota vetusta ad calcem exemplaris ipsius" MS. in Collegio Trinitatis Cantabrigiæ, quæ" sic habet: *Nostris temporibus Venerabilis Lincol" niensis Episcopus Robertus II. anno Dominica In" carnationis MCCXLII. illud scriptum a Græco in Latinum, in quibus idiomatibus fuisse, perhibetur, peritissimus, assistente ei Clerico Elichero, ab Eccle" sia B. Albani beneficiato, natione & conversatione" Græco, diligenter transtulit ac fideliter.* "

Inedita MSS. in Bibliotheca Ecclesiæ Westmonasteriensis.

Epistolæ CXXVIII, in unum volumen dige" stæ, & indice uberi auctæ, cujus Codex ex Bi" bliotheca Cottoniana olim mutuo sumptus" est, ex quo eædem *Epistolæ centum & una* supra" memoratæ, editæ sunt. Volumen ex Biblio" theca Westmonasteriensi in Cottonianam" postliminio revectum nuper, & sal *Othonis* effi" gie collocatum Epistola 127. quæ adhuc in" edita manet, justi Tractatus molem habet," contraque exemptionem Capituli Lincolnien" sis a subjectione Episcopali agit. Incipit, *Mo"*

„*ses qui tradente Domino* &c. & in Codice MS. „Collegii Trinitatis Cantabrigiæ seorsim ponitur, isto insignitus titulo, *De cura pastorali.* „Aliud exemplar Epistolarum ejusdem in Collegio Corporis Christi asservatur.

„*Summa Philosophiæ* Apographum recens.

„*Dicta CXLVII.* cum Indice. Sunt si sermones „demas numero XIX. qui in his locum habent, „quasi totidem prælectiones breves *De variis* „*articulis Theologicis & Scripturæ locis*, in scholis „maximam partem habitæ. Totidem enim „Dicta reperiuntur in Codice Collegii Sancti „Trinitatis Cantabrigiæ. In alio quidem Codice ejusdem Collegii, numerantur *CLXVI.* „Verum in his plures justi Tractatus & Sermones, loco non suo reperiuntur.

„*Sermones, Propositiones & Themata* fere Cen„tum.

„*Summa Theologiæ.*

„*Commentarius in Epistolam ad Galatas.*

„*Tractatus de septem Sacramentis.*

„*De modo confitendi.*

„*Regulæ Agriculturæ per menses digesta.* Gallice.

„*Tractatus breves quamplurimi*, ad frontem & „calcem *Dictorum* in alio quodam Codice con„gesti LXXII. videlicet *De oculo morali, De ve„neno & peccato morali. Sermones XXV. Qualiter homo factus est ad imaginem Dei. Morales „Expositiones in Operibus sex dierum. Meditatio„nes VII. in dicta seu facta quadam S. Anselmi, „De libero arbitrio. De sex differentiis. Quod „Deus est forma prima omnium. De Intelligentiis, „De Veritate. De Veritate futurorum Contingen„tium. De ordine emanandi causatorum a Deo. „De impressione aeris. De iride & speculo. De „statu causarum. De luce & colore ejusdem. De „generationibus impressionum humidarum. Quod „motus simpliciter fit in forma prima. De motu Cir„culari. Descriptio figuræ machinæ mundi. De „conceptione & excellentia B. Mariæ secundum Anselmum, Meditationes II. Expositio prologi S. Hieronymi super Biblia. De Sapientia & Scientia* „*Expositio* (prolixa admodum) *in primum caput* „*Geneseos, seu in Hexameron. De decem præceptis,* „*De Confessione. Quomodo Christus est virga de radice Jesse? Expositio in ista verba Canticorum,* „Vnguentum effusum est nomen tuum. *Expositio in ista verba Canticorum,* Nigra sum sed formosa. *De acceptione manus pro executione ope„ris in S. Scriptura. Quare Spiritus Sanctus de„scendit super Christum in specie columbæ? Quo„modo Spiritus, ubi vult, spirat? De Leviis ex libro „Numerorum. Qualem Episcopum esse oportet, ex „institutione Pauli ad Titum? De signis in sole & „Luna, in die judicii. Sermo de laude beati Mar„tini. De Incarnatione Christi. Expositio in hac „verba Lucæ,* Exiit edictum a Cæsare &c. *De „Certitudine Pauperum in Spiritu. De mutui col„latione antiquorum.*

„*Constitutiones data Priori & Conventui de Neu„venham.*

In Bibliotheca Lambethana.

De Cura Pastorali Tractatus, qui incipit, *Scriptum est de Levitis &c.* „

De pœnis Purgatorii. „

Tractatus bene prolixus *De articulis fidei*, Lingua Gallica. „

In Bibliotheca Publica Cantabrigiensi.

De Summa Justitia. Opus ingens. „
Sermones & Tractatus plures, Anglicè. „
Moralitates super quatuor Evangelia. „
De lingua & corde moraliter. „
Scala voluptatis. „
Templum Domini. „
De Conjugio. „

CAPUT QUARTUM.

ALIA DE EJUSDEM VIRI MERITIS, EX ALIIS AUTHORIBUS.

ALia Oxonio asservata memorat Jamesius „in Eclogâ Oxonio Cantabrigiensi, & in „his *Versionem Latinam atque Commentarium in omnia Dionysii Areopagitæ Opera*, exceptis Epistolis. *Hujus mentionem facit Albertus Magnus in* „*Commentario suo eorundem Operum*, ut legisse „me memini. Plura Baleus sibi visa memorat „Centuria IV. cap. 18. Mihi ea tantum recen„sere in animo fuit, quæ oculis ipsemet perlu„stravi, de reliquis parum certus. His appo„nam quæ de Lincolniensi habet Johannes „Tinmuthensis *in Historia Aurea* MS. libro 22. „cap. 210. „

Anno MCCLIII. Robertus dictus *Grossum-Caput*, Lincolniensis Episcopus obiit. Hic Do„ctor in Theologia, in triplici linguâ eruditus, „Latina, Hebræa & Græca, multa de Glossis He„bræorum extraxit, & de Græco multum trans„ferri fecit, utpote *Testamenta XII. Patriarcharum* „*& Libros Dionysii*, quorum novam translatio„nem perlucide commentavit. In fine libros „suos Fratribus Minoribus Oxoniæ legavit, ob „affectionem Fratris Adæ Doctoris in Theolo„gia secum jugiter permanentis. Hic Rober„tus præcipue in Logica & Astrologia florens, „in cunctis tamen liberalibus artibus excellen„ter eruditus, plurima commentatus est. Ad „Innocentium quoque Papam misit Epistolam „invectivam satis & tonantem, pro eo, quod Ec„clesias Angliæ exactionibus indebitis vexare „videretur. Hac de causa Robertus ad Cu„riam vocatus est, & cum ibi molestaretur, ap„pellavit constanter à curia Innocentii ad tri„bunal Christi. Vnde contigit, quod Roberto „in Anglia obeunte, audita est vox in curia Pa„pæ, *Veni miser ad judicium:* & repertus est in „crastino Papa exanimis, quasi cuspice baculi in „latere percussus. His de causis, licet per spi„cuis effulserit Robertus miraculis, transferri „tamen aut in Sanctorum Catalogo poni, non „est

„est à Curia permissus." Quanti meriti extiterit Robertus Grosseteste, ostendit evidenter Eduardus Brownius, Parochus Sundrigiæ in agro Cantiano, cujus plurimos *Sermones & Dicta, Constitutionesque* edidit *in Fasciculo Rerum expetendarum & fugiendarum* Londini anno 1690. in fol. 2. tomis edito apud Richardum Chiswell, quos ex MSS. Codicibus eruit dictus Brown. Primus ex his Sermonibus coram Papa & Cardinalibus in Concilio seu Consistorio quodam Lugdunensi habitus est, etsi Robertus dum illum Sermonem habuit, ut *Lugdunensem Rhetor. dicturus ad amen* minimè impalluerit, sed magna cum libertate pronuntiaverit. Et hunc quidem Sermonem jampridem Thomas Jamesius e tenebris extraxerat, sed nescio quo fato piscis instar e manibus piscatoris elapsi, in profundum iterum redierat: unde sibi Brownius gratulatur, quòd Capitonem a Jamesio amissum denuò recepit, quin lectoris palato arrideat, non dubitans. Idem Brownius notat, se ex MS. quodam Codice quo in edendis his Sermonibus usus est, animadvertisse, quòd Tract. Roberti Grosseteit *De cessatione legalium*, anno Christi 1658. Londini a viro quodam docto editus, vix pro tertia parte integri tractatus haberi debeat. Quæ autem Lincolniensis illius Episcopi Opuscula in hac Fasciculi Appendice leguntur, hæc sunt. *Sermo Lugduni habitus*, de quo late paulò ante diximus. Sermo *De triplici Regis officio.* Sermo ad verba Christi, *Ego sum pastor bonus.* Sermo contra Pastores & Prælatos malos. Sermo ad Sacerdotes de verbis Geneseos cap. I. v. 17. *Posuit stellas in firmamento cæli.* Sermo ad verba Lucæ 12. v. 13. *Sint lumbi vestri præcincti &c.* Dictum *De bono judice*, ad verba Psalmi LVIII. *Rectè judicate filii hominum.* Dictum de Prophetis veris & falsis. De fide & ejus articulis. De gratia & justificatione hominis. De orando. De superbia. De detractione & ejus malis. Sermones tres *De humilitate.* Dictum de patientia. De misericordia & justitia in omni opere Dei conjunctis. Sermo ad Clerum de verbis Apostoli 1. ad Timoth. IV. v. 12. *Exemplum esto fidelium in verbo &c.* Alius ad verba Psalmi CXXXII. v. 9. *Sacerdotes tui induantur justitia &c.* Epistolæ una & centum seu variæ, ex centum & viginti octo epistolis quas MSS. Codices suppeditarunt, selectæ: quibus subjungitur Epistola Innocentii IV. pro investitura impuberis cujusdam adolescentis Itali, in Canonicatum ecclesiæ Lincolniensis. *Rescriptum Roberti Lincolniensis Episcopi*, quo Papale fulmen retorto alio fulmine brutum reddidit, & Pontifici Romano notam Antichristi inussit, quod etiam rescriptum apud Matthæum Parisiensem & in Annalibus Bertonensibus legitur. Adduntur denique *Roberti hujus Constitutiones* ex Cottoniano Codice descriptæ, & ad Sidneiensem Codicem collectæ. Quibus Grossi capitis Opusculis interserit cl. editor Brownius nonnullas *De fide & doctrina Roberti Lincolniensis* dissertatiunculas, & narrationem Matthæi Parisiensis, de iis quæ post Roberti rescriptum paulò ante memoratum, inter Innocentium IV. & Robertum facta sunt. Addit etiam, hæc quæ nunc edidit Grossetesti Opuscula, vix quinquagesimam illius Operum partem constituere, quæ tribus magnæ molis voluminibus collecta, Johannes Williams jamdudum in lucem emisisset, nisi bella civilia hoc propositum interrupissent. Hæc cl. Eduardus Brown in Appendice ad *fasciculum rerum expetendarum ac fugiendarum*, Londini anno 1690 in fol. impressum, ad quem lectorem remittimus. De Roberto etiam Grossethead inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4 c. 167. p. 217. Prolixa quidem illa sed præclara Lectori haud ingrata arbitratus sum, quæ suppeditavit dictus Warthon tum in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ sacræ* num. 14 & 15 pag. XVII. tum dicti Tomi pag. 344. Item *Acta Eruditorum Lipsiensia* ad annum 1691. Mense Martio pag. 137. & 138.

LVCAS TVDENSIS IN HISPANIA EPISCOPVS, patria Legionensis fuit, vir ardentis ingenii, qui Romam, Constantinopolim, Cyprum, & Hierosolymam præsens lustravit: de quo Joannes Mariana Lib. 12. *De rebus Hispaniæ* cap. 12. his verbis, „Lucas Tudensis primum Diaconus, deinde Episcopus, Italiam & Orientis provincias religionis eruditionisque ergo lustravit, Roderico Præsuli Toletano æqualis, & in simili conscribendæ Historiæ studio versatus, ingenio styloque non ineleganti, neque prorsus vasto. *Historiam condidit De rebus Hispaniæ, Sancti Isidori Chronico inserto*, unde opinio nata est primam ejus Operis partem Isidoro attribuentium. Præterea *Sancti Isidori Vitam* conscripsit, & separato volumine ipsius *Miracula*, cujus voluminis pars altera in confutandis Albigensibus consumitur." Hæc Mariana loco citato. Hic Gregorio nono Summo Pontifice sedente, *Sancti Isidori Chronicon locupletavit*, & ad suam ætatem produxit, usque ad Æram MCCLXXIV. seu ad annum Christi 1236 quo scribebat, stylo magis gravi, quam nitido. Id Opus a plerisque Isidori nomine per errorem allegatur, quamvis tantum ex minima parte ipsius sit, multaque addita & continuata sint, quæ vix ut antiqua dignosci possint, nisi cum germano Isidori Chronico conferantur. Habetur illud ab Andrea Schotto editum *Hispaniæ illustratæ* tomo IV. Scripsit quoq; *De altera vita fideique controversiis adversus Albigensium errores, Libri tres*, quos primus in lucem protulit Joannes Mariana Ingolstadii anno 1612. in 4. Deinde cum Notis Marianæ Gretseri & Schotti relati sunt in Bibliothecam Patrum variæ editionis, Coloniensis, Parisiensis, & Lugdunensis novissimæ anni 1677. tomo XXV. p. 188. Idem Lucas multis hortantibus, tum *Sancti Isido-* 1230

dori Vitam,tum Miracula justo volumine composuit, monente præsertim Berengaria Regina, Regis Ferdinandi cognomento Sancti matre,cui ut obtemperaret,in priore quoque Opere desudaverat. Habetur *Vita S. Isidori Hispalensis & Miraculorum ejus*, apud Socios Bollandi in Actis Sanctorum probatis,ad diem 4. Aprilis,& apud Mabillonium Seculo II. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti.* Hoc in Opere Diaconum se ipse vocat in præfatione his verbis: *Nos verò ad Libros Chronicorum à Doctore Hispaniarum Isidoro editos, manum mittimus, secundo libro quosdam alios Hispanorum Regum & aliorum quorundam seriem persequendo, præcepto gloriosissimæ Hispaniarum Reginæ Berengariæ omni desiderio desiderantes fideliter satisfacere: ipsa enim mihi Lucæ indigno Diacono,ut hoc perficerem, impenvit.* Postea verò Episcopum Tudensem creatum fuisse in confesso est,qua in urbe sepulchrum ejus ostenditur,Petri Consalvi ex Ordine Prædicatorum quem olim viventem coluerat,sepulchro olim conjunctum, ut ipse moriens testamento fieri mandaverat. Fuit etiam Roderico Ximenio Toletano Archiepiscopo ætate æqualis, familiaris autem huic Heliæ qui a Sancto Francisco institutum Ordinem (eo abdicante ac recedente) gubernandum susceperat: cujus non absque honoris prærogativa meminit, commemorans quæ ipse ab eodem audiverat. Sic fere Mariana in suis Prolegomenis ad eundem Lucam Tudensem. Hæc Aubertus Miræus paucis à me additis, in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 390. pagina 258. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 464. ultimæ editionis seu secundæ.

1230 ALEXANDER DE VILLA DEI, ex Ordine Fratrum Minorum,origine Aremoricus, florebat in Galliis anno circiter 1230. de quo sic Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 59. „*Alexander Dolensis scripsit metricè librum quem* Doctrinale *vocant, cujus libri in Scholis Grammaticorum magnus usus est temporibus hodiernis.*" Scripsit ergo Carmine Leonino Opus inscriptum *Doctrinale puerorum*, quo utebantur pueri ad linguæ Latinæ usum & pueritiam, antequam Opus Joannis Despauterii Ninivitæ in Flandria prodiisset. Istud Doctrinale sæpe Litteris Gothicis impressum est,sed Venetiis anno 1483. cum explicatione Ludovici de Guaschiis. Habetur MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 5514. inscriptum *Doctrinale* seu *Carmen Magistri Alexandri de Villa Dei De Arte Grammatica*, seu *Regulæ ex Prisciano excerptæ.* Incipit, *Scribere Clericulis per Doctrinale novellis &c.* In eadem Bibliotheca MS. Glossarium Alexandri de Villa Dei in Neustria,digestum secundum Ordinem Alphabeticum, cujus Præfatio, *Cum in nocte hiemali &c. Amo, Amas, amat &c.* qui Codex in folio 3000. annorum est. Item *Doctrina Magistri Alexandri de Villa Dei*, scilicet *Grammatica versificata*, MS. Cantabrigiæ apud Anglos in Bibliotheca Collegii Caji & Gonvilli,Codd. 80. & 245. *Doctrinale glossatum Alexandri de Villa Dei Minoritæ*, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri Cod. 25. & in Bibliotheca Colbertina Cod. 2292. Idem Alexander de Villa Dei *utriusque Testamenti corpus ducentis duodecim versibus hexametris* in compendium redegit, ita ut cujuslibet capitis summam qualibet dictione expresserit. Sed quia brevitas plerumque obscuritatem induit, hanc ut removeret, cuilibet dictioni in eo contentæ numerum capitis subjecit, intortis quibusdam tenui calamo voculis, quæ velut cujusdam glossæ interlinearis loco inservirent. Hoc ob oculos paradigma primi versus ponitur.

Sex,	prohibet,	peccant,	Abel,	Enoch,	& archa fit,	intrant.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
Dies.	lignum vitæ.	parentes.	occiditur.	transfertur à Noe.		in archam.

Edidit hoc Opus Joannes de la Haye Franciscanus Parisiensis, in præliminaribus ad suam editionem *Bibliorum Maximorum*, quæ in folio Parisiis apud magnam Societatem Bibliopolarum voluminibus 19. impressa sunt anno 1660. impensis Dinnysii Bechet. Extat hoc Opus idem opinor MSS.inter MS.Codd.Bodlejanæ Biblioth. in Anglia Oxonii n. 2656. in MSS. Thomæ Bodleji super D. 1. Artium Codice 57. num. 9. inscriptum, *Summaria compilatio metrificam, docens quid commodius & utilius continetur in unoquoque Capite totius Bibliæ, unde quodlibet verbum unius Capitis sententiam tenet.* Et ibidem num. 2659. in iisdem locis Thomæ Bodleji Codice 60. num. seu §. 2. *Summa Bibliorum per Joannem quendam Latinis versibus expressa* à pag. 132. ad 206. Vide Codicem 57. suprà. Quod autem Joannes quidam Scriptor hujus ultimi MS. Codicis fuerit, hinc Opusculi ipsius author creditus est. Item *Massa computi quam metricè composuit Alexander de Villa Dei, ad jura matris Ecclesiæ observanda,cum Algorismo, Kalendario & Sphæra*, extat inter MSS. Codices Ultrajectinæ Bibliothecæ Num. 2528. uti habet Catalogus Librorum Bibliothecæ, ibidem anno 1670. in folio editus, parte 1. pag. 202. Attribuunt ei præterea Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro* tomo 1. fol. 37. & Lucas Waddingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 9. Acta Apostolorum versibus Leoninis expressa quæ incipiunt,

Tiberii nono decimo regnantis in anno
Dum serviret adhuc diro Judæa tyranno &c.

Sed falluntur apertè homines ejusmodi, spectatque citatum Opus ad Petrum de Riga Canonicum Regularem S. Dionysii Remensis, atque in ejus *Aurora* continetur,quam MS. in multis Bibliothecis legere in promptu est. Agunt de

de hoc *Alexandro de Villa Dei* Possevinus & Waddingus locis citatis,ubi Conradum Gesnerum exscribunt: nos autem pauciora,sed certa damus. Vixit usque ad annum 1240. si Trithemius hac in parte verus est, & Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 82.

1230 ADAMUS SILVANECTENSIS EPISCOPUS,natione Gallus, cognomento de Chamilli, Monachus primum Ordinis Cisterciensis, tum Abbas Caroli loci in Diœcesi Silvanectensi, ad hanc tandem Silvanectensem sedem mortuo Guarino,ad annum 1230. promotus est. Erexit anno 1232. parochiam Sancti Stephani prope Silvanectum. Adfuit anno 1232. Concilio apud S. Quintinum in Veromandia, & Concilio Rhemensi anno 1235. nominaturque annis 1239. & 1240. in Actis thesauri Regii. Scripsit insigne *Opus Sermonum*, quod ego vidi Manuscriptum in Bibliotheca Longipontis,Cœnobii Ordinis Cisterciensis incipiens ab his verbis: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora invenies eum.* Idem anno 1245. Concilio Lugdunensi adfuit,& anno 1248. dedicationi Sanctæ Capellæ Parisiensis. Quo eodem anno recensetur in instrumento transactionis factæ inter Regem Ludovicum & Ecclesiam Parisiensem,præsentibus seu testibus Philippo Bituriensi & Joanni Ebroicensi Episcopis. Obiit circa annum 1250. duodecimo Kalendas Septembris ex necrologio Abbatiæ Beatæ Mariæ de Victoria, translatusque in Abbatiam Caroli loci quam olim rexerat,in Choro tumulatus jacet. Nullus quem saltem legerim, hujus Adami Silvanectensis Episcopi, ut Scriptoris Ecclesiastici meminit.

1230 GUILLELMUS BITURICENSIS ECCLESIÆ DIACONUS, anteà quidem Judæus, postmodum autem Sancti Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi à quo ad Christianam fidem conversus est, discipulus ac susceptitius, clarus extitit circa annum 1230. & sequentes. Hic post conversionem composuit Opus inscriptum,*Bellum Domini contra Judæos & Saducæos Judæorum Hæreticos*, *libris duobus.* Incipit hoc Opus per *Allegorias Librorum Veteris & Novi Testamenti*, ex principio & fine cujuslibet libri desumptas, cum Allegoriis *de quinque sensibus*,Sermone *De passione Domini*,& Confessione *De corpore & sanguine Domini.* Incipit autem Prologus istorum librorum ab his vocibus, *Omnibus in Christo credentibus, Guillelmus Christi Diaconus, olim Judæus, salutem in Domino. Per admonitionem Beati & eximii Confessoris Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi,nuper veniens de umbrâ veritatis ad lucem, quæ videlicet per fidem Evangelicam illuminat omnem mundum &c.* Liber primus incipit, *O Judæi, qui usque ad hodiernam diem &c.* Liber secundus, *Hæretici dicuntur ab hæresi, id est electione &c.* Deceptus est Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Petrus Paludanus*, dum Opus istud dicto Paludano attribuere voluit. Extat autem sub nomine Guillelmi istius,Opus Manuscriptum inter paucos Secretioris Scrinii Codices,in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, Majoris, ut vocant, Conventus Parisiensis. *Ejusdem Guillelmi Expositio in Lamentationes Jeremiæ Prophetæ*, MS. in Bibliotheca Regia Galliarum,Codice 4545. in 4. qui 400. annorum est, Titulus minio scriptus, *Incipit Expositio Guillelmi Judæi super Lamentationes Jeremiæ.* Commentarius incipit,*In Lamentationibus Jeremiæ super captivitate plebis Israeliticæ, multa quasi in eadem captivitate narrantur facta, quæ in Historia ab ipso Propheta vel à cæteris historiographis edita, non inveniuntur descripta &c.* Creditur vixisse usque ad annum 1240. & ultrà. Neminem legi qui illius mentionem fecerit.

RICHARDUS ABBAS DE PRATELLIS, 1230
Ordinis divi Benedicti in Normannia, hoc etiam tempore ob scientiam enituit, qui scripsit *Commentarium in Canticum Salomonis ad Mauricium Rotomagensem Archiepiscopum*, ex quo ætatem quâ floruit colligimus. Nam anno 1231. in mense Majo constitutus in Curia Romana Thomas de Freavilla Decanus Rotomagensis, in præsentia Fratrum, renuntiavit electioni de se factæ in manu Domini Papæ, ad cujus resignationem Dominus Papa dedit Ecclesiæ Rotomagensi Dominum Mauricium Episcopum Cenomanensem, in Archiepiscopum & Pastorem, qui receptus fuit in eadem Ecclesiâ die Dominicâ ante Festum Beatæ Magdalenæ. Ita Chronicon Rotomagense, incipiens ab anno Christi nati ad annum 1344. quod à pag. 364. ad 390. editum extat Vol. I. *Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Codicum* Philippi Labbæi, pag. 375. & pag. 376. Anno 1234. in Octavis Epiphaniæ Domini obiit Mauricius Rotomagensis Archiepiscopus,apud Salicosam,& delatum fuit corpus ejus & sepultum in Ecclesia Rotomagensi. Vir magnæ pietatis extitit hic Rotomagensis Archiepiscopus, cui Richardus de Pratellis Commentarium suum in Cantica Canticorum obtulit,cujus insignia pietatis extant inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 713. in MSS. Codicibus Collegii Sidneysussex K. III. Codice 5. ubi Num. 13. Mauritii Rothomagensis Archiepiscopi Oratio ad S. Mariam. Incipit,*Singularis meriti sola &c.* Num. 14. Ejusdem Oratio ad S. Jacobum Apostolum & Fratrem S. Joannis Evangelistæ. Incipit *Magne Jacobe, Beate Jacobe &c.* Eademque hæc Oratio ad Mariam Virginem habetur quoque inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 552. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 85. Num. 5. qui notatur N. 7. 5. Art. Imò inter ipsos MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1771. in MSS. Codicibus Domus Sancti Petri Codice 109. Sermones Archi-

chiepiscopi Rothomagensis Mauririo huic attribuuntur, ab editore Caralogorum istorum. Hos firmius ex MSS. plurimorum fide, Mauritio Parisiensi Episcopo artribuendos ego arbitror, de quo ad annum 1180. suprá egiinus. Claruit ergo post annum 1230. Richardus de Pratellis, cujus aliqua extrant edita nondum. Inter MSS. Codices Vniversitatis Canrabrigiensis, Codice 297. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitaris Canrabrigiensis, Classe à Siniltra Serie Media Codice 6. *Richardi Abbatis de Pratellis in libros Numerorum & Ruth Commentarii.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 860. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Wigorniensis in 4. Codice 16. Num. 2. *Richardi Abbatis Pratellensis Expositio in Cantica Salomonis ad Mauricium.* Et ibidem Codice 910. in iisdem MSS. Codicibus, Codice 66. Num. 2. *Richardi Abbatis Pratellensis Expositio in Canticum Salomonis.* Hæc ex Caralogis Manuscriptorum Codicum Angliæ & Hiberniæ, qui Oxonii è Thearro Sheldoniano anno 1698. in folio editi sunt.

1230 RICHARDUS A SANCTO LAURENTIO, CANONICUS ET ARCHIDIACONUS ECCLESIÆ ROTHOMAGENSIS, anno circiter 1230. doctrinà & pietate clarus extirit. Scripsit grande *Opus Libris 12. distinctum*, egregium sanè atque *omnimodas beata Virginis Matris Dei Maria laudes* cumulatè continens. Allegat hoc Opus sæpius cum insigni elogio Aloysius Novarinus *in Umbra Virginea* impressa in fol. Turnoni anno 1640. apud Laurentium Durand. Qui tantò sæpius ac liberius id facit, quòd asserat se primum habuisse noritiam hujus Scriptoris & Operis, cujus penes se MS. extabat. Impressum olim fuit, atque hujus impressi exemplar, in Bibliorheca Franciscanorum de Bernajo in Normannia, sub hoc tirulo: *Dominus Richardus à Sancto Laurentio qui ante 400. annos floruit, De laudibus Beata Virginis Libri duodecim.* Præfatio ad Lectorem hujus editionis, advertir eum etiam fuisse Beatæ Mariæ Rotomagensis Pœnitentiarium, verbis sequentibus: *Richardus à Sancto Laurentio vivebat circa annum 1230. pænitentiarius Rotomagensis.* Legitur in Catalogo Decanorum Ecclesiæ Rotomagensis, circa idem tempus unus Richardus Decanus, adhuc anno 1239. vivens. An idem sir affirmare nolim, etsi istud verisimile admodum sit. In processu verbali *Visitationis* ab Odone Clemente Rothomagensi Archiepiscopo factæ, & ordinationem anni 1245. pro reformatione Capituli Andelicensis, leguntur præsentes & testes Magistri *Richardus de Sancto Laurentio, Richardus de Salmonville, Robertus & Reginaldus Canonici ejusdem Ecclesia.* Hoc aurem Opus anonymum inventum, vel avulso primo folio ex vereri impressione de qua suprà, placuit tandem fratribus Prædicatoribus ultimam edirionem Operum Alberti Magni procurantibus, inferere ex proprio sensu in citatam Collectionem Operum Alberti Magni. Hoc detexir post Novarinum expressè Labbeus tomo I. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 31. Librosque legitimo parenti Richardo à Sancto Laurentio restituit. Hos eosdem libros Richardo Laurentiano adscribit Theophilus Raynaudus ejusdem societaris in Opusculo *De libris bonis & malis* pag. 121. & 235. atque in *Nomenclatore Mariano*, quos perpetuo citat. Idemque Hippolyrus Maraccius in Opere *De Scriptoribus Marianis.* Allegat loco citato Labbeus hujus Operis edirionem, Duaci ex antiquis MSS. anno 1625. factam, quam non vidi. Imo Petrus Lambecius in Commentariis *Bibliotheca Casarea Vindobonensis* tomo 2. pag. 777. ubi air talem edirionem a se nunquam visam, vult alteram extare in folio, mulro antiquiorem citara, absque nomine authoris ullius publicatam anno 1493. Argentorari per Martinum Simum, cujus clausulam heic finalem allegat. Plura iraque hoc de Opere Lambecius loco citato, ad quem Lectorem mittimus. Hæc nos ex *Historia Gallica Ecclesia Rotomagensis* Lib. 2. cap. 23. pag. 283. quam in 4. edidit Parisiis Franciscus Pomerallius Benedictinus Monachus, Congregationis Sancti Mauri in Gallia. Meminit hujus *Richardi ut Scriptoris Ecclesiastici*, prærer citaros jam multos, Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 143.

GUALTERUS CORNUTUS, SENONENSIS ARCHIEPISCOPUS, 1230 Simonis Cornuti Domini Villæ Novæ prope Monasteriolum Oppidum filius, ex Decano Parisiensi Archiepiscopus Senonensis anno 1223. creatur, sicut asserir Albericus *in Chronico*, & Guillelmus Brito *Philippidos* Libro 12. Assumirur aurem a Sancto Ludovico cum Bernardo Episcopo Aniciensi & nonnullis Toparchis, ut in occursum Spineæ Coronæ convenirent, quæ Constantinopoli Venetiis oppignerata, pecunia tandem restituta, Rege tam pretiosum donum acceptante, redempta fuerar. Scripsir igitur *Historiam hanc Corona Spinea Domini nostri Jesu Christi*, ab urbe Constantinopoli in Galliam anno 1239. advenientis, impressum tomo V. *Historicorum Francia Veterum* pag. 407. in Collectaneo Andreæ Duchesnii. Obiit anno 1241. die 20. Aprilis, in Choro Metropolitanæ Ecclesiæ conditus. Qui plura cupit, volvat *Galliam Christianam* Fratrum Sammarthanorum tom. 1. pag. 637. ubi insigne ejus elogium inveniet, cum epitaphio quod lapidi ejus sepulchrali adscriptum est. Multa de eodem Seculum V. *Historia Universitatis Parisiensis* ad annum 1223. fol. 104. & ad annum 1241. fol. 182. & in Caralogo illustrium Academicorum hujus seculi fol. 681. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præ-

præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 105.

1230 JOANNES DE RUPELLA, natione Gallus, ex Ordine Fratrum Minorum, auditor primum ac discipulus Magistri Alexandri Halensis, tum Magister Parisiensis, vir Evangelicus & doctus florebat anno 1230. & sequentibus. Interfuit solemni Disputationi habitæ anno 1238. Parisiis circa pluralitatem beneficiorum, de qua pluribus agit Lucas Waddingus in suis *Annalibus Ordinis Minorum* tomo 1. anno 1238. Num. 8. & Seculum V. *Historiæ Universitatis Parisiensis* ad dictum annum, fol. 164. & 165. Scripsit simul cum aliis tribus doctis Minoritis *Commentarium in Regulam Minorum*, qui proinde *Declaratio quatuor Magistrorum* nuncuparur, & circumfertur inter reliquas ejusdem formulæ Expositiones, adjuncta Epistola quam alias exscripsit idem Waddingus tomo 1. *Annalium Ordinis Minorum* anno 1242. Num. 2. quam dicti Magistri miserunt ad Capitulum Generale Bononiæ dicto anno Celebratum. Composuit etiam *Postillam in Evang. Matthæi*, quæ MS. extat in Regia Galliarum Bibliotheca in folio, Cod. 3842. quadringentorum annorum, quam transcripsit frater Odo Monachus de Praro. Titulus Operis, *Postilla Magistri Joannis de Rupella super Matthæum.* Incipit, *Similitudo vultus animalium &c. Ezechielis 1. & multa alia ibi ponuntur ad laudem & gloriam Salvatoris &c.* Eadem Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 192. qui anonymus est. Idem scripsit *Summam quæstionum diversarum de anima & potentia ejus*, quæ MS. extat in celebri Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Parisienses Canonicorum Regularium divi Augustini, Littera LL. 14. fol. 1. continens *centum novendecim quæstiones*. Inscribitur, *Summa Magistri Johannis de Rupella, de Anima*. Incipit, *Si ignoras te ó pulcherrima mulierum, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, post greges caprarum &c.* Tibi o anima rationalis proponitur verbum istud, quæ es mulierum *pulcherrima, quia omnium creaturarum speciosissima, tenens imaginem & similitudinem Summæ pulchritudinis & decoris &c.* Ejusdem Joannis de Rupella aliud Opus ibidem pag. 57. inscriptum, *De divisione gratiæ & lineæ justitiæ.* Incipit, *Quoniam post divisionem potentiarum animæ &c.* ubi loquitur de ornamento potentiarum animæ, idemque opus esse potest, eum *Summa virtutum & vitiorum*, quam Waddingus asserit haberi MS. in Bibliotheca Minorum Conventualium Assisii, & in Bibliotheca Vaticana. Aliud porro Opus *de Anima* in eadem Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Manuscriptum, inscriptum *De Rupella*, Littera J. 14. pag. seu fol. 109. quod incipit *Sicut dicit Joannes Damascenus Theologus, Medicus & Philosophus, Anima est substantia vivens, simplex & incorporea &c.* Tractarus iste est omnino alius ab altero antedicto, licet sub nomine ejusdem authoris, vel nullam vel modicam tam in methodo, quam in quæstionibus tractatis similitudinem habens, mihique videtur esse recentioris Scriptoris. Ejusdem *Summa inscripta De malo*, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana Cod. 78. Huic etiam attribuuntur *Sermones Dominicales*, ibidem in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 94. quamvis subdubitet qui nomen Sermonibus apposuit. Et meritò *Sermones* enim *Joannis de Abbatisvilla* aliquando in MSS. Codd. attribuuntur *Joanni de Rupella*, ut mihi constat ex collatione MSS. Codd. Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis. Item *ejusdem Sermones de Sanctis*, MSS. in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, Regii in Italia. Extat in insigni Bibliotheca Abbatiæ Claravallis, MS. *Magistri Joannis de Rupella tractatus de anima*. Ibidem in alio Cod. MS. *Magistri Joannis de Rupella Sermones de Dominicis & Festis*. Et in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis Ordinis divi Benedicti Cod. 179. *Fratris Joannis de Rupella Sermones totius anni Dominicales* cum Sermonibus quibusdam Magistri Jacobi de Vitriaco, sub finem Codicis. Hæc sunt mihi nota de Scriptis *Joannis de Rupella*, qui obiit anno 1271. Agunt de illo Lucas Waddingus in suis *Annalibus Ordinis Minorum*, ad annos 1238. & 1242. ut supra diximus. Itemque in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum, pag. 225. ubi Possevinum exscribit. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag 936. qui Conradum Gesnerum exscribit. Cæsar Egassius Bullæus Seculo. V. *Historiæ Universitatis Parisiensis* ad annum 1238. fol. 164. & in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, fol. 694. Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 124.

EMO ABBAS PRIMUS HORTI FLORIDI APUD OMLANDOS, Ordinis Præmonstratensis claruit anno 1230. Hic Emo primum Sacerdos fuit seu Pastor in Husdinge, qui vicus apud Omlandos extat, ut patet ex *Chronici* illius pag. 6. & sequentibus, & pag. 11. Fundato autem Horti Floridi claustro seu Præpositura, illius primum Præpositus, & ex Præposito, Abbas tandem anno 1225. effectus est, ut disertè ipse ait *in Chronico* pag. 119. *Eodem die, Emo Præpositus Floridi Horti per manus impositionem præfati venerabilis Antistitis, ex miseratione divina adstantibus fratribus suis, nomen & officium Abbatis suscepit* Atque ita & Ubbo Emmius *in Historia rerum Frisicarum* ad annum 1225. inquit, *Anno 1225. venit Theodoricus Episcopus Monasteriensis, & Antistitem Werumanum Emonem &c. ex Præposito Abbatem declarat ad IX. Kalendas Martii, cæteraque controversa cum eo componit.* Hic autem in agro Werumano seu Wittowerum, erexit Cœnobia duo, alterum virorum quod *Floridus Hortus* nuncupatum est, alterum fœminarum, quod *Campus Rosarum*, aliquanto spatio ab se invicem distantia: ne si contigua forent, ac viri fœminæque eodem tecto conclusi, 1230

si, auderent infandum nefas, ut alibi nonnunquam contigit. Verùm autem seu Wittowerum, Cœnobium olim non è minimis inter Groningam & Dammonam in Omlandia fuit, ut Vbbo Emmius scribit, *Historia Frisicarum rerum* lib 12. Scripsit autem Emo *Chronicon rerum sua ætate gestarum* ab anno 1203. ad annum 1237. quod ex MSS. Codicibus Frisiis edidit Antonius Matthæus, Professor Jurisprudentiæ in Academia Lugduno-Batava anno 1699. in 8. Tomo 3. *Analectorum veteris ævi*, à pagina 1. ad 162. quod inscripsit *Chronicon Emonis Abbatis primi in Werum.* Quamvis Codex MS. Frisicus habeat, *Annales Cœnobii Wittewerumani, Ordinis Pramonstratensis in Frisia, inter Amasum & Laubacum:* Groninganus autem, *Incipiunt Cronica, & primò de fundatione & fundatore novi claustri, quod dicitur Floridus Hortus.* Hic utrumque Cœnobium tam *Floridi Horti* quam *Campi Rosarum* summa cum prudentia rexit, usque ad annum 1237. quo fatis functus est. Ne quis autem de eo dubitet, locuples testis adest, *Menco* 3. Abbas ejusdem loci in Chronico ad annum 1242. *Paulus*, inquit, *secundus Abbas Floridi Horti anno ab obitu Domini Emonis & sua successionis VI. acutissimâ febre correptus, de claustro sororum ad Abbatiam est deductus.* Et idem iterum de Emone ad annum 1237. *Coram posita fratribus & sororibus in Novo Claustro, cui ipse tanquam rigator nomen* Campus Rosarum *imposuit, de laboribus & ærumnis ereptus, dormivit cum Patribus suis.* Et mox, *Corpus itaque ejus Sacerdotalibus indumentis, ut decuit &c. involutum, & in Ecclesiam processionaliter delatum, sororibus extra portas cum cantu exequiali prosequentibus, fratribus qui aderant comitantibus, in navi est collocatum, & ad Abbatiam deductum.* Quod autem *Werum* non claustrum, sed quod locus in quo claustrum, idem ad dictum annum pag. 169. indicat, *Cæteros autem labores quos pro Ecclesia sustinuit, longum est describere, & maximè labores & sollicitudines, quas habuit pro Ecclesia in Werum, quando ibidem claustrum fundavit &c.* Vitam Emonis diffuse scribit Menco Floridi Horti Abbas tertius sub *Chronici* initium, ubi illum per vitam & post mortem miraculis claruisse multis illic enarratis refert ejusque *Chronici* mentionem facit. Vsum se esse hoc *Chronico* dum *Historiam rerum Frisicarum* conderet doctissimus Vbbo Emmius, non semel testatur ad annum 1227. Libro 9. *Historia Emo*, inquit, *primus Cœnobii Werumani Antistes, cui plurimum tribuo, homo illorum temporum æqualis &c.* Hæc nobis suggessit Antonius Matthæus præfatus, in *Dedicatione* Tomi III. *Analectorum Veteris Ævi*, quem imitati ad verbum sumus.

1230 GODEFRIDVS SANCTI PANTALEONIS COLONIENSIS MONACHVS, ex Ordine divi Benedicti, scripsit *Chronicon*, quod incipit ab anno 1162. usque ad annum 1237. unde liquet illum claruisse anno circiter 1240. sub Frederico secundo. Illud Marquardus Freherus edidit in suo *Collectaneo Veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum* tomo I. pag. 239. editionis Francofurtanæ anni 1600. & seqq. De *Godefrido* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 464. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & alii.

RAYMVNDVS DE PENNAFORTI, Barcinone nobili familiâ oriundus Bononiæ in Italia Doctoris in utroque jure Lauream consecutus est, qui posteà sacros Canones publicè magnâ cum hominum admiratione, absque ullo stipendio interpretatus est. Inde à Berengario Barcinonensi Episcopo in patriam suam reductus, & Canonicatu ac Præpositura in illa Ecclesiâ ornatus est. Ardens perfectioris vitæ desiderio, Fratrum Prædicatorum Ordinem anno 1218. ingressus est, annum quintum supra quadragesimum agens. Sancto Petro Nolasco viro nobili ac pio, & Jacobo Aragonum Regi, author fuit instituendi Sanctum Ordinem De mercede Redemptionis Captivorum, cui B. Raymundus certas vivendi leges præscripsit. A Joanne Cardinali Episcopo Sabinensi (qui Joannes de Abbatisvilla, Vesuntionensis Archiepiscopus) tunc Sedis Apostolicæ in Hispania Legato, socius & adjutor legationis assumptus est, unde Romam à Gregorio IX. vocatus. Qui brevi perspectis ejus animæ dotibus, summisque virtutibus, ipsum Capellani sui officio, quod tunc temporis idem erat, ac nunc est causarum Palatii Apostolici auditorum, & Pœnitentiarii dignitate ornavit. Hunc tanti fecit Gregorius IX, ut nonnisi adhibito ejus consilio graviores causas tractaret. Archiepiscopum Tarraconensem recusavit, & valetudinis causa Barcinonem ex medicorum consilio ac Summi Pontificis licentiâ redire compulsus, eundem animi candorem, ab omni ambitionis labe alienum, quo ad urbem venerat, in patriam reportavit. Jordano mortuo, absens anno 1238. electus est Generalis Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui cum biennio sanctissimè & magna cum laude Magistratum gessisset, eo se sponte abdicavit. Scripsit plura, de quibus Bellarminus & Labbeus, uterque in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Collegit *Libros V. Decretalium Extravagantium dictarum*, ex antiquis Romanorum Pontificum Decretalium Collectionibus multis hinc inde recisis contextos, & à Gregorio IX. anno 1230. approbatos, qui in omni Juris Pontificii Collectione prodierunt. Hoc testatur inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ, anonymus Scriptor Historicus num. 2067. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera C. 2. Codice 6. pag. 109. his verbis. *Gregorius Papa nonus fecit compilari per Fratrem Raymundum Prædicatorem Vol. 5. librorum Decretalium, ex pluribus Epistolis Decretalibus atq; Constitutionibus excerptum anno 1227.* Istis adde *Summam Magistri Raymundi de Pennaforti* inscriptam

1230

ptam *De pœnitentia & Matrimonio*, haberi MS. in Bibliotheca Gallicarum Regia Codd. 3891. & 3892. qui 300. & amplius annorum sunt. Itemque ibidem cum Glossis antiquis Joannis de Friburgo, Cod. 4493. Nec illa deest in Bibliothecis aliis celeberrimis Parisiensibus Colbertina & Victorina Litteris O. 14. fol. 1. & GG. 13. fol. 81. Ejusdem etiam *Summa de Vitiis & Virtutibus* MS. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codd. 323. & 325. quæ brevior est priore & inscripta, *Summa Magistri Raymundi de Pennaforti, Ordinis Prædicatorum*. Cujus Prologus incipit, *Quoniam ut ait Hieronymus, secunda post naufragium tabula &c.* Incipit autem a Simonia, *Simonia est studiosa cupiditas &c.* Ambigo an Opus istud a priore aliud sit, an idem diverso titulo designatum? Summa Raymundi hujus *De Casibus Pœnitentialibus* seu *De Pœnitentia & Matrimonio* relata in compendium edita Coloniæ anno 1502. plenior autem quàm anteà cum Glossis Joannis de Friburgo, distincta libris IV. prodiit Romæ anno 1603. apud Joannem Tallinum Bibliopolam, teste Possevino. Mortuus est Raymundus anno ætatis ferè centesimo, Christi verò nati 1275. ipsa die Epiphaniæ, cujus funus *Alfonsus* Castellæ & Jacobus Aragoniæ Reges sua præsentia cohonestarunt. Relatus est a Clemente VIII. in Sanctorum numerum absque solemni ritu, anno 1601. tertio Calendas Maji, ex cujus diplomate hæc excerpta sunt. Ejus acta litteris consignarunt Nicolaus Aimericus Inquisitor Regni Aragoniæ Bernardus Guido in MS. Libro, De Capitulis Generalibus Ordinis Fratrum Prædicatorum, & alii. Meminit illius Bellarminus cum Labbeo in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. p. 315. Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo XIII. tom. 20. cap. 4. art. 5. p. 560. & seqq.

1230 INNOCENTIUS IV. ROMANUS PONTIFEX, antea dictus Sinibaldus de Flisco, patria Genuensis, habuit patrem Obizzonem familia Fliscum ex Comitibus Lovaniæ. Sinibaldum Gregorius IX. ex Canonico Cathedralis Ecclesiæ Parmensis, quòd esset juris peritissimus, Auditorem Litterarum contradictarum & Vicecancellarium, demumque Cardinalem tituli Sancti Laurentii in Lucina creaverat. Ob summam juris peritiam *Pater Juris* appellari meruit, cujus Constitutiones ac singularia Opera a Bartholo summo Juris interprete sæpe citari constat. Anno autem 1243. post longum schisma prolixamque dilationem, Cardinales convenerunt in electionem Sinibaldi Episcopi tunc Sabinensis, unicus e tribus qui Romanum Cardinalem in Papam ante elegerant, isque Innocentius IV. nominari voluit. Notat verò Matthæus Parisiensis sæpe institisse Imperatorem apud ipsos Cardinales, ut schisma componerent atque in electionem unius certi Pontificis consentirent, ob idque quos in vinculis detinebat, Cardinales solvisse, ne quid haberent alii quod opponerent: nec tamen evincere potuisse, ut unum Reipublicæ Christianæ caput præficerent. Denique Franciam minatam fuisse, se nisi festinarent, propria authoritate privilegiis Apostolicis fultam, Papam seu Patriarcham Galliarum nominaturam & constituturam. Res notatu digna est. *Miserunt Franci*, inquit, *solemnes nuntios ad curiam Romanam, significantes persuadendo præcise & efficaciter, ut ipsi Cardinales Papam ritè eligentes, universali Ecclesiæ solatium pastorale maturius providerent: vel ipsi Franci propter negligentiam eorum, de sibi eligendo & providendo Summo Pontifice cura montes, cui obedire tenerentur, quantocius contractarent. Et hoc audacter significabant, confisi de antiquo privilegio suo per Sanctum Clementem Beato Dionysio concesso & obtento, qui concessit Apostolatum eidem Dionysio super gentem Occidentalem. Unde ipsi Cardinales, quasi quibusdam stimulis, hinc Domini Imperatoris, inde Francorum agitati, Romam convenientes adierunt, ut Papam eligerent, in unum ibidem congregati.* Igitur ipsemet nativitatis Sancti Joannis Baptistæ die, Anagniæ Innocentium elegerunt & confirmarunt, qui statim latas a Gregorio prædecessore in Fridericum Imperatorem sententias confirmavit. Hæc res adeo Imperatoris animum exacerbavit, ut duos Fratres Minores, sententiæ Pontificiæ ad quosdam Reges & Magnates portitores, captos suspendi jusserit, & omnes viarum aditus intercludi. Unde Pontifex sibi metuens, cum Cardinalibus ad solitum Franciæ portum confugit, & apud Gallias, Concilium Lugduni adversus Fredericum indixit. Nostri non est instituti, persequi res omnes gestas in Summo Pontificatu ab Innocentio IV. Romano Episcopo, quas abunde & per annos singulos referunt ab anno 1243. ad 1254. in suis *Annalibus* Henricus Spondanus Appamiarum in Gallia Narbonensi Episcopus, Abrahamus Bzovius Ordinis Fratrum Prædicatorum, Odolricus Raynaldus, aliique eximii Annalium Cæsaris Baronii exceptores. Cæsar Egassius Bullæus *in Historia Universitatis Parisiensis*, seculo V. per annos eosdem, de quibus supra, variis locis. Nobis potissimum incumbit de Scriptis ejus disserere, cæteris extra Sphæram nostram exrantibus, in quibus tamen latius solito cum venia Lectoris spatiabimur.

Hic vir ob insignem eruditionem, Azonis, Accursii & Jacobi Balduini documentis quæsitam, *Pater & Organum veritatis*, *Canonistarum splendor & Juris pater* a multis vocatus est, in qua potissimum disciplina excelluit. Eruditos viros in honore habuit, unde inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ, anonymus Scriptor Historicus num. 2067. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji Litera C. 2. Codice 6. pag. 110. scribit *Innocentius Papa IV. fratrem Hugonem de Ordine Prædicatorum instituit Car-*

Cardinalem, qui totam Bibliam postillavit & Magnas Biblia Concordantias compilavit. Scripsit autem *Apologeticum de potestate Ecclesiastica adversus Petrum de Vineis*, quem temporum lapsu interiisse existimo, vel quod verisimilius est, adhuc alicubi cum pulvere ac tineis luctatur: nisi istud opus fuerit Epistola aliqua insignis hujus Summi Pontificis contra Petrum de Vineis, Friderici Imperatoris defensorem, quæ cum aliis Innocentii IV. Decretalibus comprehendatur. Elucubravit quoque *Commentarios in quinque libros Decretalium*, quos habes olim impressos variis locis, de quibus Labbeus in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos Bellarminus attigit, tomo 1. verbo *Innocentius IV.* Horum insigne volumen MS. in Bibliotheca Collegii Choletani Parisiensis. *Epistolarum Pontificarum Decretalium seu Regestri volumina quinque*, quæ in Bibliothecæ Vaticanæ secretiori cubiculo asservantur, tum aliis aliorum Pontificum Regestris, quarum plurimas afferunt interdum in suis *Annalibus* vel citant præfati Odolricus Raynaldus, Abrahamus Bzovius, Henricus Spondanus, Lucas Waddingus tomo 1. *Annalium Ordinis Fratrum Minorum.* Seculum *Historia Vniversitatis Parisiensis*, variis locis ab anno 1243. ad 1254. & alii. Scripsisse dicitur *Regulam Clarissarum*, perperam tamen, cum ipse nihil aliud fecerit, quam Constitutiones pro pauperibus S. Claræ Sororibus factas suo calculo approbare, per bullam anno 1247. Lugduni 10. Calendas Septembris, Pontificatus anno 5. datam, quam habes apud Lucam Waddingum atque absque dubio ex Regestro hujus Pontificis, unde a Waddingo eruta est. *Vitam Sancti Guillelmi Episcopi Briocensis* in Aromorica quem cœlitibus adscripsit, composuisse non aliter credendus est, quam quod in Bulla Canonizationis ipsius quæ in Regestro extat, vitam ejus paucis expressit, juxta solitum morem. Verum ipsius Innocentii Pontificatum & ætatem illustraverunt complures viri doctrina & sanctitate eminentes, Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, & Richardus Cicestrensis Episcopus, quos inter cœlites retulit S. Stanislaus in Polonia, S. Petrus Veronensis Martyr, ex Ordine Prædicatorum, S. Raymundus de Pennaforti Gregorii IX. pœnitentiarius S. Guillelmus Briacensis Episcopus apud Aremoricos, cui etiam divinos honores detulit. S. Ludovicus Francorum Rex. Doctrina verò inter cæteros claruerunt, MM. Hugo de Sancto Caro S. R. E. Cardinalis, cui Ordine Fratrum Prædicatorum assumptus. Petrus de Collemedio, etiam Cardinalis & Rotomagensis Archiepiscopus. Alexander Halensis & Joannes de Rupella ex Ordine Fratrum Minorum. Robertus de Sorbona Sorbonici Collegii Fundator, egregii omnes viri, & supra omnem laudem. His adjungemus M. Albertum cognomento Magnum, Humbertum de Romanis, quintum Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum, Hugonis de Sancto Caro discipulum, Gualterum Episcopum Pictaviensem ex Ordine Minorum assumptum, Guillelmum de Militona Lectorem Parisiis celeberrimum, Henricum Ostiensem vulgò nuncupatum, Cardinalem, eundemque Archiepiscopum Ebredunensem, ob excellentiam ingenii & doctrinæ, posteà etiam Alexandro IV. carissimum, aliosque plures quos brevitatis causa omittimus.

Sed ab ordinario usu tantisper declinantes, nonnullis Innocentii IV. Summi Pontificis, quibus mortem ipsius verius cognoscamus, actionibus immoremur, Lectoris veniam hac in parte efflagitantes. Sub extremum vitæ Innocentii tempus, dum Vniversitas Parisiensis ita causam suam contra Mendicantes Ordines motam omnibus manifestari & probari cupit, non minus apud Summum Pontificem enititur, ut Ecclesiasticæ hierarchiæ quam privilegiis quibusdam quæ Mendicantibus concesserat, destruxisse videbatur, splendorem suum dignitatemque cum antiquo jure restituat: atque ita feliciter allaborat, ut excessus Regularium aliquatenus ab Innocentio IV. compressus sit, vetante & interdicente, ne ipsi parochianos alienos diebus Dominicis & Festivis temerè ad divina reciperent, neque ad pœnitentiam absque licentiâ proprii Sacerdotis admitterent, vel saltem nisi primò confessi fuissent Sacerdoti, & absolutionis munus ab eodem consecuti fuissent. Sequentem ea de re bullam emisit.

Innocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Religiosis cujuscunque Professionis vel Ordinis, præsentes Litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi animarum affectantes salutem, universis & singulis qui Christiana professione censentur, ut suas Deo sacrifaciant animas cupiamus charitate & pietate duce, sub moderamine juris ad justitiæ regulam & lineam æquitatis, normâ servatâ modestiæ, dirigere actus suos: potiori tamen desiderio peroptamus, ut vos qui mundo & pompis ejus contemptis per gradus altiores ducatos specie procedentes, religionis apicem conscendistis, omnem in vobis justitiam impleatis, indictæ vobis modestiæ servando tenorem, & ab omnibus per quæ à religionis videatur rectitudine deviari, vel vobis rationabiliter detrahi valeat, abstinendo: ita quod recti per vos, diligenter vestræ perfectionis pulchritudinem & delectabiliter intuentes, glorificent Patrem nostrum, & iniquis os maliloquum obstruatur. Cum enim mundo, Angelis & hominibus facti sitis spectaculū, vix in vobis potest esse ruga tam tenuis vel macula tam latens, quin latiùs & conspectius quam in aliis appareat. Vnde si qua vestris actibus Apostolatui nostro referantur, quæ sanctitatis vestræ abnubilent claritatem: eò nimirum graviori dolore confodimur, quod nos vestram gloriam totius Ecclesiæ generaliter jubar præcipuum reputantes, ipsius splendo-

rem

„rem vestri obnubilatione nitoris, non ambigimus notabiliter inhonorari. Sane gravis & clamosa querela nostris assiduè auribus inculcatur, quòd nonnulli vestrum suis juribus & finibus non contenti, Parochianos alienos præsumunt temerè ad divina officia recipere contra Canonicas sanctiones: & licet dictorum Parochianorum judices non existant, nec ligandi aut solvendi eos acceperint potestatem; se tamen ipsorum judices facientes, ipsos in foro pœnitentiali periculose absolvunt & ligant, pro suæ libito voluntatis. Sicque ipsis qui proprios spernunt Presbyteros, minimè absolutis: illud salutiferum nostræ peregrinationis viaticum, quod non proficit nisi à criminis labe puris, in animarum suarum & eorum qui illud non dijudicantes indebitè recipiunt, periculum conferre non verentur. Sicque eorum prædicti Sacerdotes, qui curam suscipiendo ipsorum, suam pro eis animam obligant, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes eorum, non possunt quod in eis est ægrotum sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum. Et sic dum curâ omissâ, necessaria non adhibentur remedia, invalescentibus morbis, usque ad interemptionem læsio debacchatur, iidemque Sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus supremo judici reddere rationem. Aliqui quoque vestrum diebus Dominicis & Festivis, dum in Parochialibus Ecclesiis Missarum solemnia celebrantur solemniter, verbum prædicantes proponunt populo, qui ad audienda divina officia in Ecclesiis ipsis diebus prædictis convenire consueverat & tenetur, ad prædicationem hujusmodi convocato, ab ipsis sub specie sanctioris actionis abstracto: & sic ab eisdem Parochianis divina omittuntur officia, & Sacerdos in domo quasi passer unicus in ædificio remanens derelictus, suorum parochianorum solatio & consuetis obligationibus defraudatur. Alii verò Diœcesano Episcopo minimè deferentes, eodem die & frequenter hora ipsâ, quâ idem Episcopus commisso sibi populo solemniter prædicat, suas prædicationes inculcant, & faciunt ut verbum Dei, quod desideranter & avidè suscipi consuevit, ex prædicationis concursu contemptibile reddatur in auribus auditorum. Illud etiam satis notabile videtur & indecens, quod nonnulli vestrum, mox ut aliquos ægritudinis languore detentos intelligunt, ad ipsos festini concurrunt, & eos illectivis verborum blanditiis demulcentes, præcipuum ipsius salutis remedium pollicentur, si apud eorum Ecclesias elegerint sepulturam: ac tandem ad suum propositum talibus persuasionibus pertrahentes, ad testamenta eorum ordinanda se ingerunt, & lætantur cum Canonica justitia defraudantur Ecclesiæ, de quarum parochiis assumuntur corpora defunctorum. Et nonnulli qui ut nudi nudum Christum liberè sequi possent, religionis se vinculo adstringendo, speciosa & magna contempsisse noscuntur, se in alienis juribus contra Deum & justitiam usurpandis, exhibent pertinaces. Multa quidem & alia gravamina tam Prælatis, quam Clericis, frequenter à vobis illata & inferri quotidie proponuntur, quæ pro religionis honore honestius reputamus sub silentio præterire. Ex quibus profectò proximorum jus læditur, Ecclesiarum justitiæ derogatur, blasphematur religio, Deus ipse offenditur: quodque periculosius est, fidelium animæ in laqueum mortis & in puteum interitus pertrahuntur. Nos igitur qui ex suscepti Apostolatus munere, sumus omnibus in justitia debitores, ut condecet attendentes, quod ex usurpatione hujusmodi, non tantum indevotio & contemptus in populo prodeunt contra proprios Sacerdotes, verumetiam erubescentia, quæ est magna pars pœnitentiæ tollitur: dum quis non proprio Sacerdoti quem habet continuum & præsentem, sed alieno & aliquando transeunti, ad quem difficilis & quandoque impossibilis est recursus, sua crimina confitetur. Ne tamen abusivos excessus videamur per tolerantiam comprobare, volentes imposterum fræno juris prædictarum transgressionum injurias cohibere, ac singulis Ecclesiis & earum Ministris sua jura illæsa omnimodè conservari, necnon Parochianorum saluti & famæ vestræ consulere. Circa præmissa nihil novum in vestrum inducendo gravamen, sed antiqua & moderata jura in medium deducendo, Universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus Parochianos alienos diebus Dominicis & Festivis, non recipiatis de cætero in vestris Ecclesiis seu Oratoriis temere ad divina, nec ipsos sine Sacerdotis sui licentia ad pœnitentiam ullatenus admittatis, cum si quis alieno Sacerdoti justa de causa sua voluerit confiteri peccata, secundum statuta Generalis Concilii, licentiam prius postulare ac obtinere debeat a proprio Sacerdote, vel saltem primò sibi confiteri, & recipere absolutionis beneficium ab eodem. Aliter namque solvi ab ipso non poterit, cum duplex in judicando funiculus, scilicet potestatis & scientiæ requiratur, quorum alterum constat in alieno deficere Sacerdote. Et ne Parochialibus Ecclesiis devotio debita subtrahatur, ante Missarum solemnia ad quæ audienda Parochiani prima diei parte in suis consueverunt & debent Ecclesiis convenire: nequaquam in vestris Ecclesiis prædictis nec hora illa solemnes in eis faciatis sermones, ne propter hos audiendos, ad vos populus confluens parochiales Ecclesias derelinquat. Sed nec ad prædicandum solemniter ad alias parochias accedatis, nisi à Sacerdote Parochiarum istarum fueritis invitati, vel saltem nisi ad illud humiliter petieritis & obtinueritis vos admitti. Et ut debitus honos Episcopis deferatur, eadem die qua Diœcesanus Episcopus vel alius

„loco ejus, solemniter, maxime in Ecclesia Ca„thedrali prædicaverit: nullus vestrum in ea„dem civitate vel loco prædicare præsumat, ne „salubris prædicationis doctrina, ex frequenti „prædicatione hujusmodi, quasi tædium gene„rans contemnatur. Si vero in casu licito, Pa„rochianos alterius ad sepulturam, quam nemo „sine justa & rationabili causa temere debet eli„gere, antiquis suorum parentum dimissis sepul„chris, in vestris Ecclesiis recipere vos contin„gat: omnium quæ obtentu sepulturæ hujus „fueritis consecuti, medietatem vel tertiam vel „quartam partem, juxta felicis recordationis „Gregorii Papæ prædecessoris nostri decretum, „secundum consuetudinem regionis, etiam non „requisiti infra octo dies a tempore receptionis „eorum, Episcopo vel Sacerdoti de cujus paro„chia mortuus assumptus est, exhibere curetis. „Constitutionibus bonæ memoriæ Innocentii & „Gregorii Romanorum Pontificum, de non de„ducenda Canonica portione tam de equis & „armis legatis in subsidium terræ sanctæ, quam „de iis quæ in ornamentis & aliis ad divinum „cultum spectantibus relinquuntur, in suo ro„bore duraturis: dummodo non relinquantur „in fraudem, ut sic Episcopo vel parochiali Ec„clesiæ debita portio detrahatur. Si quis vero „nostrum, hujus nostræ provisionis transgres„sor, contra prædicta vel aliquid prædictarum „venire præsumpserit, præter inobedientiæ vi„tium & excommunicationis sententiam, quam „eum ipso facto incurrere volumus, gradus sui „periculo subjacebit: & nihilominus a loci „Diœcesano ad præmissa omnia & singula ob„servanda, censura Ecclesiastica & Apostolica „regula districtius compellatur, nullis contra „hoc Apostolicis indulgentiis valituris. Datum „Neapoli XI. Kalendas Decembris, Pontificatus „nostri anno XII.

Vt propinquior morti Innocentius, ita magis timuit, concessi olim Mendicantibus privilegii ad primum sui Pontificatus annum, reddere rationem supremo mortalium omnium Judici. Itaque hacce bulla, suum quodammodo jus quod detraxerat, Ordinariis & Parochis restituit: Mendicantibus vero alienum, quod non satis provide concesserat, abstulit. Paulo post igitur obiit Neapoli die 7. vel ut scribit Ciaconius die 13. Decembris anni 1254. Cujus interitum cum ista bulla simul acceperunt fratres Mendicantes, qui non minus temere quam mendaciter dies ipsi ob id a Deo imminutos evulgarunt, quod concessa privilegia revocasset & irrita reddidisset. Sed opportune ipsis accidit, ut in defuncti locum statim substitutus fuerit *Alexander IV.* ipsis addictissimus. Qui ne prædicta bulla, si executioni mandaretur, multorum animos a se averteret, ab Alexandro bullam aliam obtinuerunt, ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, qua prædecessoris sui bullam veluti subreptitiam, & præter formam communem & solitam, per occupationem & festinationem editam revocavit, illisque omnia sua jura & privilegia sequentibus verbis restituit.

„Alexander Episcopus servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, universis Archiepisco-„ pis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prio-„ ribus & Decanis, Archidiaconis, Archipresby-„ teris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & cæteris„ personis Ecclesiasticis, tam secularibus quam„ regularibus, cujuscunque Ordinis vel profes-„ sionis existant, salutem & Apostolicam bene-„ dictionem.„

„Nec insolitum nec novum, ut ea quæ per occupationem vel festinantiam fiunt, pro eo„ quod congruæ deliberationis limam præter-„ eunt, in propensioris considerationis reducan-„ tur examen, ut certiora & elimatiora per at-„ tentionem plenioris discussionis, emanent.„ Sane quædam ab Apostolica sede tempore fe-„ licis recordationis Innocentii Papæ IV. præ-„ decessoris nostri litteræ processerunt, in qui-„ bus ipse universis Religiosis cujuscunque pro-„ fessionis vel Ordinis, districte in virtute san-„ ctæ obedientiæ injungebat, ut parochianos„ alienos diebus Dominicis & festivis non reci-„ perent de cætero in suis Ecclesiis vel Orato-„ riis temere ad divina, nec ipsos ullatenus ad„ pœnitentiam admitterent sine suorum licen-„ tia Sacerdotum, nec eis in suis prædicarent„ Ecclesiis ante Missarum solemnia, pro quibus„ audiendis prima diei parte iidem Parochiani„ consueuerunt & debent in suis Ecclesiis con-„ venire. Nec solemnes etiam sermones face-„ rent illa hora, sed nec ad prædicandum solem-„ niter Parochias alienas accederent, nisi essent„ ab eorum Sacerdotibus invitati, vel saltem„ nisi se ad id humiliter peterent & obtinerent„ admitti. Nec ea die qua Diœcesanus Episco-„ pus, vel alius loco ejus, prædicaret solemniter„ maxime in Ecclesia Cathedrali, aliquis ipsorum„ in eadem Civitate vel loco præsumeret præ-„ dicare. Si vero in casu licito parochianum al-„ terius eos in suis Ecclesiis recipere ad Sepultu-„ ram contingeret, omnium quæ obtentu ejus-„ modi sepulturæ consequerentur, portionem„ Canonicam etiam non requisiti, infra octo dies„ a tempore receptionis eorum, Episcopo vel„ Sacerdoti, de cujus parochia mortuus assum-„ ptus esset, exhibere curarent. Si autem ali-„ quis Religiosorum ipsorum hujus præcepti„ transgressor, contra prædicta vel aliquid præ-„ dictorum venire præsumeret, præter inobedi-„ entiæ vitium & excommunicationis sententi-„ am, quam eum incurrere voluit ipso facto,„ gradus sui periculo subjaceret: & nihilominus„ a Diœcesano ad præmissa universa & singula„ observanda, per censuram Ecclesiasticam ap-„ pellatione remota districtius cogeretur, nullis„ ei contra hæc indulgentiis vel privilegiis Apo-„ stolicis valituris. Verum quia super præmis-„ sis Litteris cogitare attentius & studiosius de-„ liberare proponimus, pacis commodum &„ „quietis

„quietis solatium Ecclesiis & personis Ecclesiasticis potissime cupientes, præfatas Litteras „etsi quæ aliæ super prædictis vel eorum aliquo, „contra præfatos Religiosos vel aliquos ex ipsis „generaliter vel specialiter præter formam „communem & solitam processere: ac mandata seu præcepta facta in eis vel earum auctoritate, duximus penitus revocanda. Ideoque „universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per hujusmodi litteras vel „occasione mandatorum seu præceptorum aut „sententiæ, quæ continent, nihil prorsus agatis, „cum nullam deinceps efficaciam habeant aut „vigorem. Datum Neapoli XI. Calendas Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

Quid tum senserint Fratres Prædicatores de *Innocentio IV.* qui privilegia abrogaverat, quid de Alexandro IV. qui restituerat, intelligimus ex Thoma Cantipratano Ordinis fratrum Prædicatorum, scriptore istorum temporum Lib. 2. *De apibus* cap. 10. num. 21. „ Quidam, inquit, nostro tempore Papa, cujus nomen propter sanctæ sedis reverentiam silentio pertransimus, cum sicut ab illis indubitanter accepimus qui Romæ in curia tunc fuerunt, litteras „dedisset contra privilegia a seipo & suis prædecessoribus 4. Apostolicis obtenta, duorum „Ordinum, quorum unum per Zachariam Prophetam Conditor ab æterno *decorem* vocavit, „*Prædicatorum* scilicet: alterum vero *funiculum*, „quo lucidissime intelligas *Minores*; eadem die „paralysi percussus obmutuit, nec unquam postea invaluit aut surrexit. Qui etiam a quodam sanctissimo viro extra muros urbis Romæ manifeste visus est mortuus dari sanctis „Francisco atque Dominico judicandus. Quis ferat hominem tam simpliciter & visionarie loquentem, Cantipratanum? Pergit. „Litteras vero datas Beatissimus Alexander Papa, „cum consilio fratrum Cardinalium solemniter „revocavit. Et vide quam utilis Ecclesiæ fuit „illa revocatio Litterarum. Pro constanti „enim recepimus a fide dignis, quod si processum prædicta machinatio habuisset per dictas „litteras: potentissimi Reges Orbis, ut audire „postea Papale mandatum, cum juramento dixerunt, sibi ac prælatorum & Clericorum secularium possessiones & reditus usurpasse, si „dictos duos Ordines Apostolicos destruxisset. „Dixerunt enim Prædicatores & Minores propter exemplum & doctrinam, in salutem maximam a Deo datos esse hominibus. Et hoc „manifestum est toti mundo. Quales autem „isti essent, per quos eorum destructio parabatur, nec Deum nec Sanctos latet, nec ipsos inhabitantes Orbem, quibus eorum vita nota „est & probata. Hujus crudelissimi edicti (ab „Innocentio scilicet lati) quatuor præcipue Magistri fuerunt Parisius infatigabiles incentores, qui simplicitatem Scholarium Parisius „contra dictos fratres feraliter concitarunt, in „tantum ut nisi se piissimus ac devotissimus Ludovicus Rex Francorum, nec non frater ejus" pius Comes Pictaviæ Alphonsus, antequam" ipse Rex a transmarinis partibus rediret in" Galliam, muros inquam se pro fratribus posuissent, abdicatos eosdem rebus & corporibus" exterminassent. Hinc cum nihil aliud possent, litteras infamatorias, plenas mendaciis" contra dictos fratres per diversa loca & regna" miserunt. Hæc Cantipratanus." At Matthæus Parisiensis vindictæ divinæ mortem ejus tam subitam adscribit, propter odium quod in M. Robertum Capitonem Lincolniensem Episcopum conceperat; cujus quippe ossa e tumulo eruere & insepulta relinquere, ac foras projicere decreverat, nisi Cardinales obstitissent. Ita rem narrat. „ Hoc etiam anno Dominus Papa dum una dierum iratus supra" modum, vellet cum mala gratia omnium Cardinalium ossa corporis Episcopi Lincolniensis" extra Ecclesiam projicere, & ipsum in tantam" infamiam præcipitare, ut Ethnicus & rebellis" & inobediens per totum mundum acclamaretur: jussit tamen litteram scribi Domino Regi" Angliæ transmittendam, sciens quod ipse Rex" libenter desæviret in ipsum, & in Ecclesiam" deprædandam. Sed nocte in sequenti apparuit ei idem Episcopus Lincolniensis Pontificalibus redimitus, vultu severo, intuituque austero, ac voce terribili, ipsum Papam in lecto" sine quiete quiescentem aggreditur & affatur," pungens ipsum in latere, ictu impetuoso, suicuspide baculi quem bajulabat, pastoralis. Et" dixit ei, *Senebalde Papa miserrime, proposuistine" ossa mea in mei & Ecclesiæ Lincolniensis opprobrium extra Ecclesiam projicere? Unde hæc tibi temeritas? Dignius foret, ut tu a Deo sublimatus &" honoratus, Dei zelatores licet defunctos coleres." Nullam potestatem in me habere te Dominus amodò" patietur. Scripsi tibi in spiritu humilitatis & dilectionis, ut errores tuos crebros corrigeres: sed tu" monita salubria superbo oculo & fascinanti corde" contempsisti. Vel qui spernis, nonne & tu contemneris?* Et sic recedente Pontifice, Robertus" ipsum Papam qui quando ut dictum est pungebatur, ab alto ingemuit quasi lancea transverberatus, dereliquit Seminecem, & voce flebili cum suspiriis ingemiscentem. Unde Camerarii ejus hæc audientes, attoniti interrogaverunt, quidnam hoc sibi vellet? Papa vero cum gemitibus & suspiriis respondit, dicens," *Terrores nocturni conturbaverunt me vehementer," nec mihi penitus ut prius restaurabor, restitutus." Heu, heu quantum doleo, sum lancea a genio lanceatus.* Nec comedit nec bibit illa die, fingens" se anhelis febribus inflammatum. Nec adhuc quievit Domini super eum ultio cum indignatione. Hujus rei causam aliam adjungit, non satis sibi constans Matthæus Parisiensis, victum nempe a Conrado Siciliæ Rege" exercitum. *Tempore quoque sub eodem in crastino videlicet beati Nicolai, obiit Papa Innocentius" IV. apud Neapolim, duplici incommodo sauciatus."*

Post-

„*Postquam enim Episcopus Lincolniensis Robertus in „visione nocturna, cuspide baculi sui pastoralis, ipsum „in latere motus pupugit, & impetuose (ut dictum „est) impegit, pleuresi laboraverat irremediabiliter: „Et postquam exercitus suus a Conrado adversario „victus est & dissipatus, nunquam postea a mente „vel corpore prospero egit, sed ad mortem sensim declinavit.*“ Ita ergo diversimode Cantipratanus & Matthæus causam mortis Innocentii IV. assignant, prout uterque affectus fuit, hic erga Ordines Mendicantes, iste erga Robertum Capitonem Lincolniensem Episcopum. Extant inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 1846. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii litera A. 1. Codice 7. num. 17. *Litera Innocentii Papæ* directæ Archidiacono Cantuariensi & Magistro Innocentio Scriptori suo in Anglia moranti, recitantes quomodo G. Sancti Eustachii Cardinalis *Frederico de Lanaria*, Canonicatum in Ecclesia Lincolniensi concesserat, & ut eundem Fredericum induci faciant jubentes, non obstante quocunque privilegio. Num 18. Responsio Episcopi Lincolniensis, in qua literas istas Papæ provisionales esse contra legem Christi, eoque non obediendo ipsis, obedire se vel maxime describit.

Extendunt quoque Fratres Mendicantes vindictam divinam, in Magistrum Petrum de Collemedio, Cardinalem Episcopum Albanensem anno 1244. ab Innocentio IV. factum in Concilio Lugdunensi mense Decembri, qui olim Universitatis Parisiensis Rector fuerat, postea Honorii III. & Gregorii IX. Capellanus & sancti Andomari Diœcesis Morinensis Præpositus, atque a Magistris Parisiensibus inductus bullam istam ab Innocentio IV. elicuisset ad depressionem Mendicantium Ordinum: quod ipsius factum manifesta Dei vindicta punitum refert, idem Cantipratensis loco citato, num. 34. „Quædam referam, inquit, de Magistro quodam „opinione per maximo, qui prius Præpositus „solemnis Ecclesiæ, domum fratrum Prædica„torum constructam in Oppido violenter eje„cit, sed ruina turpiori, ut audivi, dejectus est. „Factus enim Episcopus & Romanæ curiæ Car„dinalis tyrannizavit feraliter contra fratres „Prædicatores pariter & Minores, & ob hoc ut „patuit, tali morte mulctatus est, cadens enim „de loco editiori fractis cervicibus expiravit. „Et vide mirabilius & gravius, quam audisti. „Eadem die qua cecidit, cum ejus mors subita „ex revelatione cujusdam mulieris sanctissimæ, „per fratrem quendam Minorem prædiceretur „ei, sprevit arguentem se, & invectus contu„melia dixit, *Non es propheta, neque filius prophe„ta. Et ego quidem procuravi ut Ordo vester & „Ordo Prædicatorum subjiciantur Episcopis: addam „& hoc, ut subjiciamini vilissimorum pedibus Sacer„dotum.* Hæc dicens vidit signa prædicta sibi, „& non advertit; excœcavit enim eum super„bia, quam non vidit. Et hæc signa fuerunt, „quod ira immoderata dominaretur ei, dum in ipso mane diei quo accessurus erat ad altare, « pacificari non posset: quod loturus manus « suas, Episcopalem annulum perderet: quæ « omnia luce clarius sunt completa. Cum enim « Dominus Papa Ecclesiam quandam fratrum « Minorum conservare debuisset, & dictus Car- « dinalis ad portam fratrum Minorum pulsans, « intromissus celeriter non fuisset, tanta ira ra- « ptus est extra se, ut celebraturus primam Mis- « sam, nullo modo etiam facta confessione paci- « ficari posset, & tamen ad terrifica Sacramenta « processit. Post hæc vero cum manus suas re- « gressus ad hospitium abluere voluisset, & ad- « stanti Episcopalem annulum ad tenendum « porrexisset, lotus mox illum qui haberet an- « nulum, non invenit: statimque miratus dixit, « *Ego perdidi præsulatum.* Omnibus itaque sub- « ticentibus atque stupentibus ascendit editius, « & solus contra consuetudinem suam senex a « debilitate confectus processit ad cameram, & « dissiliente assere deorsum, excidit & expiravit. « Et vide stupendum valde & occultum Dei ju- « dicium. Cognovi ipse hominem, ut commen- « salis dilectus & familiaris eidem, secum una « domo Parisius hospitatus: de quo fateor, raro « secularem Clericum tam sobrium, tam hone- « stum, tam affabilem, tam largum in pauperes « me vidisse. Et eum quidem vidi novem Epi- « scopatuum contemptorem, tandemque per- « tres menses excommunicatione coactum, Ar- « chiepiscopatus cujusdam suscipere dignitatem. « Inde vero translatus, Romanæ Ecclesiæ fit « Episcopus Cardinalis, & in tali eminentia, tali- « ter ut audistis desipuit.„ Hæc Thomas Cantipratanus de Petro de Collemedio, qui multis Episcopatibus spretis, mandato tandem Regis Archiepiscopus Rothomagensis anno 1236. eligitur pridie Nonas Aprilis, consecratus in Ecclesia Cathedrali anno 1237. quinto Idus Augusti. Quis hoc unquam de tantis viris dixit præter Cantipratanum, nimio & intemperantiori prædictorum Ordinum amplificandorum studio ductum? Nec tamen erubuerunt posteri fabulas istas historiæ, qua nihil facratius esse debet inter mortales, attexere. Idem Bzovius commentum ex Cantipratano & Monacho Paduano Lib. 2. *Chronici* inserit. Qui hoc quoque commemorat, Ordines illos duos Mendicantes ut malum quod ab Innocentio IV. illatum sibi putabant, averterent: cœlestem opem implorandam dixisse quotidianis ad hoc Litaniis, quæ dum a fratribus recitarentur, apparuisse uni ex illis ajunt beatissimam Virginem Mariam, quæ ad singulas ipsius nominis invocationes ad filium conversa responderet, *fili exaudi eos.* „Harum porro precum vim tantam fuisse, ut in extremis Innocentius agens, gra- « viterque delatis in eos posterioribus edictis « dolens, frequenter hunc Psalmi versiculum « repetierit, *Domine propter iniquitatem corripuisti* « *hominem, & tabescere fecisti sicut araneam ani-* « *mam ejus:* indeque repentina ictum paralysi «

con-

continuo vocis ac subinde vitæ usum amisisse: unde in proverbium aulæ Palatinæ abierit, *A litaniis Prædicatorum libera nos Domine.* Verum commenta ista merito ab omnibus viris doctis & vere piis rejiciuntur, & novissime a Ludovico Donio Dattichy Episcopo Eduensi in sua Historia Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ, ubi *De Petro de Collemedio.* Obiit ergo Innocentius IV. Neapoli anno 1254. sepultusq; est in Cathedrali Neapolitana cum hoc Epitaphio, quod ei posuit Humbertus Burgundus e Monte aureo Neapolitanus Archiepiscopus, sexaginta & amplius annos post obitum, rudibus & obsoletis carminibus qualitercunque digestum.

Hic superis dignus requiescit Papa benignus,
Lætus de Flisco, sepultus tempore prisco.
Vir sacer & rectus, sancto velamine tectus.
Vt tam collapso mundo temeraria passo
Sancta ministrari urbs, posset quoque reædificari,
Concilium fecit, veterata que jura refecit,
Hæresis illisa tunc extitit atque recisa
Mœnia direxit, recte sibi credita rexit.
Stravit inimicum, Christi colubrum Fridericum.
Janua de nato, gaudet sic glorificato.
Laudibus immensis urbs tu quoque Parthenopensis,
Pulchra decore satis, dedit hic sibi plurima gratis,
Hoc titulavit ita, Vmbertus Metropolita.

At evolutis plurium annorum curriculis, Annibal Archiepiscopus ejusdem urbis aliud elegantius apposuit, ipsiusque tumulo his verbis inscripsit. *Innocentio IV. Pontifici Maximo, de omni Christiana Republica optime merito, qui Natali S. Joannis Bapeista an. 1243. Pontifex renuntiatus, die Apostolorum principi sacra coronatus, cum purpureo primus pileo Cardinales exornasset, Neapolim a Conrado eversam statui pristino restituendam curasset, innumerisque aliis praclare & prope divine gestis, Pontificatum suum quam maxime illustrem reddidisset, anno 1254. beata Virginis Lucia luce hoc luce cessit. Annibal de Capua Archiepiscopus Neapolitanus in sanctissimi viri memoriam abolitum vetustate epigramma restituit.* Hæc nos verbotenus ex *Historia Vniversitatis Parisiensis* seculo V. ad annum 1254. pag. 270. & sequentibus, ordine tantum immutato. Ex quibus concludant Lectores, quam parum fidei debeamus nonnullis Historicis, ut Matthæo Parisiensi & Thomæ Cantipratano, qui fabulis suis Innocentii IV. famam denigrarunt: quemadmodum supra jam vidimus in *Simone de Tornaco Theologo Parisiensi, Philippo de Grevia Cancellario Parisiensi*, & aliis paucis. Hoc igitur necessarium mihi visum est, ut honori etiam Petri de Collemedio Rothemagensis Archiepiscopi, viri omni laude majoris, de quo statim etiam occasione data egimus, & aliorum quoque Scriptorum de quibus antea locutus sum, consulerem, quos Cantipratanus & Matthæus Parisiensis fabulis suis conspurcarunt.

MANVEL CHARITOPVLVS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, dictus Philosophus, Germano II. seu Juniori a Sede Constantinopolitana pulso, anno 1240. successit, quam occupasse videtur usque ad annum 1254. per annos circiter quatuordecim, vel tunc temporis mortuus, vel ab hac sede Patriarchali remotus. Extant sub ejusdem nomine Græce & Latine *Solutiones quarundam Quæstionum* in Leunclavii Jure Græco Romano Lib. 3. pag. 238. *Decretum de translatione Episcoporum* ibidem pag. 240. quod datum scribitur anno Mundi 6758. qui ex Græcorum Supputatione in annum Dominicæ Incarnationis 1250. incidit. *Decretum de Jure Patronatus*, ibidem pag 242. Extat quoque *Ejusdem Manuelis Charitopuli Patriarchæ Constantinopolitani Diploma datum tribus Monachis Marco, Nectario & Isaacio, qui ad ipsum ex Calabria venerant petituri, ut sibi liceret Sacerdotale officium iterum exercere, quod per triennium interdictum fuerat*, MS. Codice Græco Historico 48. num. 12. ut habet Petrus Lambecius Lib. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 460. his verbis. Duodecimo & quidem a fol. 92. pag. 2. usque ad fol. 94. pag. 2. „*Manuelis Patriarchæ Constantinopolitani Littera data tribus Monachis Marco, Nectario & Isaacio, qui ad ipsum ex Calabria venerant, petituri, ut sibi liceret Sacerdotale officium, quod per triennium interdictum fuerat, iterum exercere.* Inscribuntur illæ atque incipiunt hoc modo: Τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Μανουὴλ γράμμα ἐκδοθὲν αὐτῷ διὰ τοῦ Σεναχηρεὶμ ἐκείνου τοῦ Πρωτασηκρῆτις ἐγχωρεῖν τοῖς ἀπὸ τῆς Καλαβρίας ἐλθοῦσι πρὸς αὐτὸν ἱερομονάχοις Μάρκῳ, Νεκταρίῳ, καὶ Ἰσαακίῳ, ἐπὶ τρισὶ μόνοις χρόνοις παυσαμένοις τοῦ ἱερᾶσθαι, διὰ τὸ τὴν ἱερωσύνην δέξασθαι οὐκ ἐν τῷ νενομισμένῳ χρόνῳ &c. Ἔφθασαν μὲν οἱ ἀπὸ τῆς Καλαβρίας ἱερομόναχοι, ὁ Μάρκος δηλαδὴ ὁ Νεκτάριος, καὶ ὁ Ἰσαάκιος ἐπισχεθῆναι συνοδικὸν παρὰ τῆς ἡμετέρας μετριότητος τοῦ ἱερουργεῖν διὰ τὸ &c. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ num. 131. in MSS. Codd. Baroccianis pag. 367. b. extat *Manuelis Archiepiscopi Constantinopolitani Epistola ad Innocentium Papam IV.* quæ incipit οὐκ ἔστιν οὐδὲν εἰρήνης τῆς ὄντως ἱεραρμιώτερον. Agunt de *Manuele Charitopulo* Guillelmus Cavus in *Historia Litteraria Scriptorum Ecclesia*, ad annum 1240. pag. 718. Petrus Lambecius Lib. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 460. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 560. & 579.

1240

JOANNES DE DEO, Hispanus, Doctor in Decretis, Professor olim & Canonicus Ecclesiæ Bononiensis, de quo sic Antonius Possevinus 1240

vinus in *Apparatu sacro* tom. I. pag. 865. Joan„nes de Deo Hispanus scripsit *Concordiam Decreti atque Decretalium. Ad novas item ac veteres Decretales & quaestiones varias de Dispensationibus, pro ratione diversorum personatuum & dignitatum Librum Pœnitentialem*, ubi de generali confessione, de pœnæ impositione, de peccatorum origine, quonam modo habere se debeat Confessarius ad pœnitentiam, de pœna personarum quæ in statu Spirituali eminent in dignitatibus, de iis quæ sunt in statu seculari, de pœna Religiosorum & utilitate pœnæ: de differentia mortalium ac venialium peccatorum, & quomodo peccata vitentur. Sed & reliquis Libros septem *de Cavillationibus* & quatuor alios quos prænotavit *Judicium*: duos autem quibus *Tabulam Decreti*, & unum quo *Tabulam Decretalium* explicuit. Vivebat Bononiæ anno 1240. Hæc Possevinus.„ Scripsit anno 1247. *Pœnitentiale insigne ad usum Ecclesiæ Bononiensis, imo & totius Ecclesiæ*, quod MS. asservat apud se Dominus Blasius Ferronius Carnotensis Canonicus & Doctor Sorbonicus. Idem Opus extat MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 118. cum *Pœnitentiali Raymundi de Pennaforti*, & altero Roberti Grossetefte Lincolniensis Episcopi, qui omnes eadem tempestate vivebant & scribebant. In Bibliotheca quoque sancti Victoris Parisiensis, littera B B B 5. fol. 81. Hoc Opus in Bibliotheca Victorina habet hunc titulum, *Incipit liber Pœnitentialis & Immortalis a Magistro Joanne de Deo editus ex veteri & novo Testamento.* Inscriptio, *Venerabili Patri ac Domino A. divina providentia Urbis Bononiensis Episcopo, ac Venerabilibus viris, Decano, Archidiacono, Cantori, Thesaurario & Magistro Scholarum, & universo Capitulo ejusdem, Magister Joannes de Deo Doctor Decretorum, Concanonicus eorundem, & servus eorum providentia, salutem in eo, qui est vera salus, cum reverentia tam debita, quam devota.* Ea est regula veritatis a Patribus approbata, quod nihil facias causa commendandi tui &c. Opus distinctum est in 7. libros, ad quorum finem in MS. Codice subjungitur: *Explicit. liber 7. ad honorem summæ Trinitatis & individuæ unitatis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen, a Magistro Joanne de Deo compilatus.* Ejusdem libri quatuor inscripti, *Judicium*, MSS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 2462. quorum hic titulus, *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, incipiunt Libri Judiciorum a Magistro Joanne de Deo Sacerdote compilati.* Nuncupatio autem librorum *Venerabili Patri ac Domino Magistro C. Archipresbytero Bononiensi, digno morum Sophia, majori qualibet dignitate, Magister Joannes de Deo, Sacerdos ejus discipulus, & amicus intimus, salutem in eo qui est omnium vera salus.* Prologus *Bona rei dare consilium, & præsens remuneratio & cæleste præmium expectatur per regulam sanctorum patrum* &c. Incipit liber iste *Circa potentias Judicum* &c. Ejusdem *Judicium* MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo impresso pag. 244. Ejusdem *Commentarius super arbore consanguinitatis*, ibidem MS. ex eodem Catalogo impresso, pag. 244. Item *Magistri de Deo Hispani Casus Decretalium*, MSS. ibidem, ex eodem Catalogo impresso, pag. 236. *Ejusdem Joannis de Deo Doctoris Decretorum, & Ulyssipponensis Canonici Tractatus brevis De dispensationibus*, MS. in Regia Galliæ Bibliotheca Codice 4836. fol. 44. Incipit, *Venerabilibus viris fratribus* &c. *Ejusdem Quæstiones aliquot juris*, quæ incipiunt, *Ad Honorem* &c. Ibidem Codice 4894. fol. 104. ad fol. 108. Ex quibus apparet extare adhuc in Bibliothecis omnia Opera Joannis de Deo manuscripta, cujus ut Scriptores Ecclesiastici meminerunt Antonius Sauderus in Bibliotheca MS. Belgica parte 1. pag. 177. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* p. 865. quem supra retulimus. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1247. pag. 721. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 120.

ALVARUS DE LUCIA ET MENDOZA, 1240
Miles Calatravensis, Jacobo secundo Aragoniæ & Valentiæ Rege jubente, circa annum 1240. *Constitutiones Militum Montesiæ* in scriptum redegit, quas cum aliis ejusmodi Militum seu Militarium Ordinum Constitutionibus impressas habes cum *Privilegiis Ordinis Cisterciensis*, anno 1630. in fol. Antwerpiæ a Balthazare Moreto excusis. De Alvaro plenius ibidem.

ÆGIDIUS ASSISIAS, Sancti Francisci Or- 1240
dinis Minorum Patriarchæ socius, unus ex primis fratribus hujus novi Ordinis, claruit sanctitate præsertim ac simplicitate morum, ab anno 1220. cujus *aurea verba* a discipulis absque dubio collecta, Antwerpiæ anno 1534. in 8. impressa sunt & alibi. Illius autem Opera plura recenset Rodulfus Tossinianensis Lib. 1. *Historiæ Seraphicæ* quæ nondum edita sunt. *Ægidii Francisci socii Collationes MSS.* extant in bibliotheca Ultrajectina num. 243. n. ex Catalogo hujus bibliothecæ impresso parte I. pag. 89. Quidquid autem illius editum est, habetur cum Ægidii Vita apud exceptores Actorum Joannis Bollandi ad diem Aprilis 23. qua anno 1262. obiit multis (ut volunt) clarus miraculis, de quo plurima Bollandistæ ad diem præfatam. Hujus ut Scriptoris Ecclesiastici meminit, Lucas Waddingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum.* Carolus Dufrenus du Cange in *Indice auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 80.

ÆGIDIUS DE FUSEARIIS, Civis Bono- 1240
niensis in Italia & Decretorum Doctor, circa annum 1240. floruisse Bononiæ videtur. Composuit Opus inscriptum, *Ordo Judiciarius per Magistrum Egidium Doctorem Decretorum, se-*

cun-

tundum consuetudinem in foro Ecclesiastico, MS. in celebri Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, Ordinis divi Benedicti, Codd. 242. & 435. Incipit, *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Ego Ægidius de Fuscariis, Civis Bononiensis, Doctor Decretorum licet indignus: ad instantiam quorundam nostrorum Scholarium, & ad eruditionem novitiorum Advocatorum militantium in Jure Canonico* &c. Extat quoque MS. in aliis Parisinis Bibliothecis. De illo Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri.* Carolus Dufresnius du Cange in *Indice authorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* pag. seu columna 80. ubi eum anno 1200. vixisse asserit, atque scripsisse *Ordinem Judiciarium de foro Ecclesiastico*, de quo loqvuti sumus.

1240 JACOBUS BERTALDUS, CANCELLARIUS AULÆ DUCALIS VENETORUM primum, deinde factus Vegiensis Episcopus, insigni Juris tam Civilis tam Canonici scientia clarus scripsit anno 1245. Opus inscriptum *Jus consuetudinarium Reipublicæ Venetæ*, quod extat manuscriptum in 4. volumine membranaceo in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, cujus titulus & principium sic habent. *In nomine Jesu Christi Amen. Gratioso flumine lucis superne huic Compilatori divinitus inspirato, potest & debet istius libri volumen sic in suo titulo appellari, SPLENDOR CONSVETVDINVM CIVITATIS VENETORVM, editum sive compositum a Jacobo Bertaldo, olim per longum tempus existente Cancellario Ducalis Aulæ, nunc Vegiensi Episcopo sub annum Domini MCCLV. die V. Augusti.* Incipit, *Quoniam omne bonum a summo bono, id est, a Deo procedit, sine quo ad bene esse nihil validum potest perfici aut effici:* idcirco *Dilecte mi Marce* &c. Dux Venetorum qui tunc temporis vixit, vocatur ibi *Marinus Georgii*, & in quodam Diplomate eidem *Juri Consuetudinario* inserto, appellat se in suo titulo seu inscriptione instrumenti, non solum *Ducem Venetiarum & Dalmatiæ*: verum etiam *Dominum quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ.* Hic sine dubio est *Marinus Maurocenus* sive *Morosinus*, cujus Ducatus initium a Francisco Sansovino in Descriptione Venetiarum, minus recte notatur ad annum 1245. Nam præfatio hæc istius *Juris Consuetudinarii*, in qua eiusdem *Marini Ducis* mentio fit, anno 1245. scripta est. Hæc nos verbotenus ex Lambecio tomo 2. seu libro 2. cap. 8. Commentariorum *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pagg. 953. & 954.

1240 JOANNES DE WALLINGFORD, monachus primum Ordinis divi Benedicti in Cœnobio S. Albani, tum postea ejusdem Ecclesiæ Abbas XXI. ordine extitisse dicitur, clarus circa annum 1190. cujus vitam, ingenium, mores & res tam bene quam male gestas, in Vitis Abbatum S. Albani apud Matthæum Parisiensem seu Parisium omnibus legere in promptu est: quem non male Thomas Galæus ante annum 1214. fato functum scribit. Johannes hic XXI. Abbas S. Albani, de quo Matthæus Parisiensis in *Vitis XXIII. Abbatum Sancti Albani* ultimæ editionis pag. 103. & sequentibus latissime agit, qui Guarino anno 1195. 3. Kalendas Maji defuncto successit, quidquid garriat in editione sua Thomas Galeus, neutiquam videtur auctor hujus *Chronici* de quo loquimur, illum enim si quid tale scripsisset, laudare ex eo non omisisset Matthæus Parisiensis in sua Historia, qui laudum ejus ob alia longe minoris momenti parens non est, qui tamen illius eruditionem, multomagis Opera prorsus silet. Illud ergo *Chronicon* dubio procul spectat ad alium Joannem de Wallingfort, ejus hominis & cognominis, qui post Abbatem istum jam diu mortuum, anno saltem 1231. monasticam vitam amplexus est in Cœnobio S. Albani sub Guilelmo Abbate Joannis præfati successore, cui ab anno 1214. in Pastorali officio succedens, anno 1235. ipso S. Matthiæ festo mortuus fuit. Claruit hic Joannes de Wallingfort sub præfectura Guillelmi Abbatis, subjectus ac privatus ut opinor Monachus, atque etiam forsitan sub regimine Joannis XXIII. S. Albani Abbatis, qui de Hertfort cognominatus est, per annos plures, cum anno duntaxat 1231. monasticam vitam amplexus esse videatur. Extant autem ejusdem Opuscula uno collecta volumine in bibliotheca Cottoniana sub effigie Julii lit. D. Codice 7. Nimirum num. 1. *Quædam fragmenta Astronomica F. Joannis de Wallingford cum aliis ad Calendarium & computum Ecclesiasticum spectantibus, inserta picta imagine Jesu crucifixi.* Num. 2. *Oratio dicenda ante & post Psalterium.* 3. *Oratio B. Augustini Aurelianensis Archiepiscopi, de virtutibus Psalmorum.* 4. *Oratio beati Edmundi ad S. Joannem.* 5. *Benedictio superstitiosa hordei mundi.* 6. *Fragmentum de Flaminibus & Archiflaminibus Britannicis, cum nominibus filiorum Bruti.* 7. *Descriptio Britanniæ, cum Chronicis secundum quosdam.* 8. *Nomina Regum Monarchiarum totius Angliæ, ab Alfredo Rege sapientissimo ad R. Henricum III.* 9. *Regula, si infirmus moriatur.* 10. *Versus rhythmici de mensibus anni.* 11. *Calendarium.* 12. *Pictura fratris Joannis de Wallingford*, sub qua hoc carmen

Tonsio larga comæ, nigra vestis, bota rotunda,
Non faciunt Monachum, sed mens a crimine munda.

Ibidem num. 16. *Chronica fratris Joannis de Wallingford, excerpta ex diversis Historiographis de Anglia & ejus Regibus.* Denique num. 18. *Nomina fratrum de professione S. Albani defunctorum, a susceptione fratris Joannis de Wallingford in eodem ordine anno 1231.* unde concludimus, Joannem hunc nostrum esse ab Abbate distinctum. Quæ omnia nullus dubito, quin a Joanne de Wallingford consarcinata in unum sint. Edidit autem inter Scriptores XV. Anglicanæ Historiæ anno 1691. Oxonii in folio e theatro Shel-

Sheldoniano impressos, Thomas Galæus *Chronicon Joannis de Wallingford* a pag. 525. ad 550. sed mendose multis resectis & obtruncatis, unde verum Joannis opus agnosci non possit, sic enim ille in Prolegomenis fatetur. „Fateor „interim Vitas Sanctorum me data opera ali„quos abbreviasse, alias penitus prætermisisse, „ut alienas ab instituto & consilio meo. Illud „adjicio, multa in hoc scriptore haberi, ex re„conditioribus Historicis, præcipue *De rebus Da„nicis*, quæ apud alios non temere occurrunt. „Consuluit quoque de iis rebus, quæ Norman„nis nobiscum communes sunt, *Scriptores Nor„mannicos*, quod pauci artorum fecerunt.„ Hujus meminit Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 2. quæ est *De Historicis incertæ ætatis* pag. mihi 710. litera 1.

1240 JOANNES DE PLANO CARPINI ET ASCELINUS, fratres ordinis Minorum scripserunt circa hæc tempora *Descriptionem itineris*, quod anno 1246. & sequenti, Innocentii IV. Pontificis auctoritate, in Tartariam & adjacentes quasdam regiones susceperunt, quam sequuntur quæ Guilielmus quidam de Rubruquis Ludovici IX. Francorum Regis legatus observavit, dum anno 1253. per Tartariam aliasque regiones Orientales in Chinam primus ex Occidente iter faceret: quibus Appendix est annexa ex Vincentii Bellovacensis Speculo Historico & Guilielmi de Nangio in Vita sancti Ludovici, ad Legationem Guilielmi de Rubruquis eo magis illustrandam excerptæ. In MS. autem Codice Isaaci Vossii, inter MSS. Codices Latinos, qui jam in nostra Bibliotheca Lugduno Batava, ab ejus hæredibus enormi pretio comparati extant, Codice 104. adest cum Itinerario altero, alterius fratris Minoris anno 1246. facto, ad finem Codicis Num. 9. *Fratris Johannis de Plano Carpini Ordinis Minorum Historia Mongalorum seu Tartarorum anno 1246.* Num. 10. *Fratris Vilhelmi de Rubruc a Sancto Ludovico ad Tartaros missi, ad eundem Ludovicum de Tartaris narratio.* Fuit hoc Opus ex MS. Codice Latine & Gallice impressum, inscriptum *Relation du voiage fait l'an. 1253. en Tartarie par frere Guillaume de Rubruquis: & un autre voiage par frere Jean de Plan Carpin & frere Ascelin freres Mineurs l'an. 1246, envoyes par Inocent IV. & Saint Louis Roy de France, en Tartarie.* A Paris chez G. Josse 1634. in 8. Denique hæc Itineraria duo, in linguam Batavicam conversa, impressa cum aliis multis Itinerariis, anno 1706. Lugduni Batavorum apud Petrum van der Sta. Vide quæ dicemus infra ad annum 1250. verbo *Guillelmus de Rubroc vel Ruybroc vel Rubruquis*, ubi latius de his scriptoribus duobus, de quibus Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1708. mense Martio pag. 102. & 103.

1240 ALBERICUS TRIUM FONTIUM MONACHUS, Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Catalaunensi, natione Gallus, post annum 1240. clarus scripsit *Chronicon*, quod in Gestis anni 1242. definit, quodque mox editum iri sperabat olim Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403. pag. 262. ab Andrea Duchesnio, una cum *Historia Episcoporum Virdunensium & Abbatum sancti Vitoni* a Laurentio ejusdem loci Monacho conscripta, & aliis id genus monumentis antiquis. Fefellit spem Auberti Miræi series temporum, nam *Historia Laurentii Monachi De Virdunensibus Episcopis*, immissa in tomum XII. *Spicilegii* Lucæ Dacherii, *Chronicon* autem *Alberici* a multis jam promissum ac frustra expectatum, hucusque in tenebris & pulveribus Bibliothecarum remansit, prælo licet dignissimum, quod MS. tamen extat in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 5162. incipiens ab his verbis *Anni 1646. qui fuit a creatione Adæ usque* &c. Idem transcriptum erat in Bibliothecis Colbertina Cod. 1451. & Clarmontana Societatis Jesu, unde Philippus Labbeus illud editioni paratum habebat. De illo Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 46. pag. 381. ultimæ editionis, occasione Alberici Cassinensis Monachi & Cardinalis, ubi de Alberico nostro sic loquitur: *Alius ab eo est Albericus Monachus Trium fontium, qui Chronicon scripsit ab initio Mundi usque ad annum Christi DCXXVI. quod in Helvetia extat in Bibliotheca Sancti Galli. Puto hunc esse Albericum, quem se passim sequi profitetur Chronicon Magnum Belgicum a Canonico Regulari prope Nussiam scriptum.* Hæc si vera sunt, ut nullus dubito, dicendum est primam partem Chronici Alberici extare MS. in Bibliotheca Sancti Galli, quæ ab orbe condito ad annum Christi 960. extenditur, atque in Regia Galliæ Bibliotheca, Codice 5162. alteram partem quæ ab anno Christi 960. ad annum MCCXLII. vel circiter protenditur, cujus transcriptum in Bibliothecis Colbertina & Claromontana habetur. Verum hi omnes MSS. Codices sunt imperfecti, ut postea legi Anno 1698. Godefridus Guilielmus de Leibniz seu Leibnizius edidit *Accessiones Historicas* tomis in 4. duobus, Lipsiæ Tomum I. apud Nicolaum Foersterum Bibliopolam Hannoveranum, de quo fuse loquuntur *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1698. mense Martio pag. 149. 150. 151. quo continentur *Chronica quatuor*, quorum primi auctor est *Anonymus Chronographus Saxo*, qui per annorum seriem a Christo nato usque ad annum ceræ vulgaris 1188. excurrit & Saxonica præ cæteris diligenter tradit, quum ad Editorem hunc Daniel Papebrochius misit. Alter itidem Anonymus, *Gesta Trevirorum* composuit, Etsi Goldastus in Apologia pro Henrico IV. *Golscherum* fuisse dictum, persuasissimum habuit. Tertius est *Johannes Vito Duranus*, auctor *Chronici* quo suorum ac paulo etiam superiorum temporum res gestas descripsit, qui ultra Rodolphi Hasburgici obitum non porrigitur, etsi Vossius Duranum ætate Ludovici Bavari

vari ac Caroli IV. vixisse asserat. Ultimus denique Anonymus quoque est, cujus *Chronicon vetus Holsatiæ*, sin ut in Codice Lambecii, *Continuatio Chronici Slavorum Helmoldi*, exhibetur illic. Tomus autem secundus de quo eadem *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1698. mense Augusto pag. 353. Hannoveræ apud Nicolaum Forsterum in 4. Continet autem desideratum diu ex MS. Codice bibliothecæ Augustæ Guelferbyti, *Chronicon Alberici trium fontium in Episcopatu Catalaunensi monachi, ab orbe condito usque ad annum Christi 1241. duabus partibus constans*, cujus primæ partis unicum Codicem quem exprimeret habuisse fatetur, ultimæ autem partis plures: quo multa singularia Historiæ ultimorum temporum illustrandæ utilia, exponuntur. Inscribitur in MS. Codice bibliothecæ Augustæ Guilferbyti seu Wolfenbutilensis. *Alberici Monachi Trium fontium* diœcesis Leodiensis *Chronicon*, ut opinor ex conjectura viri docti: at Codex Claromontanus apud Parisios habet *Diœcesis Catalaunensis*, ubi Abbatia hæc collocata est. Utraque inscriptio vera esse potest, potuit Albericus dici *Diœcesis Leodiensis*, ex qua ortum traheret, unde & partium illarum minutissimus res in *Chronico* recenset: & *Diœcesis Catalaunensis* in cujus Cœnobio trium fontium professionem monasticam emiserat. In bibliotheca Augusta quæ est Guelferbyti, extat pars posterior ab anno Christi 960. ad annum 1241. quo opus definit. Eandemque plane accepit haberi in MSS. Collegii Parisiensis Soc. Jesu Leibnizius, ut ipsi per Epistolas significarunt viri doctissimi Harduinus & bibliothecæ Claromontanæ præfectus Tellerius. Uterque codex a recentiore manu est, sed *integrum antiquum & membranaceum* nactus est. Leibnizius, ex quo totum Albericum ipsi in lucem proferre licuit, distinctum in duas partes, quarum *prima* ab orbe condito ad annum 960. Christi procedit, *secunda* ab anno Christi 960. ad annum 1242. protenditur. Alia de illo Carolus Wischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 17. cujus & meminit Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 81.

1240 RODERICUS XIMENIUS, seu XIMENES, TOLETANUS ARCHIEPISCOPUS, patria Navarrus seu Vasco, in Scholis Parisiensibus eruditus est litteris Germanis, pariter ac divinis, quibus eximie ornatus, ad proprias sedes reversus, anno tandem 1208. ad Archiepiscopalem sedem Toletanam omnium Hispaniarum celeberrimam ac ditissimam electus est. Anno proxime sequenti 1209. publicum sapientiæ Gymnasium ejus horratu, ab Alfonso Rege Palentiæ constitutum est, ad juventutem litteris & humanitate informandam, Artium professoribus ex Gallia & Italia evocatis. Anno 1215. Romam profectus, Lateranensi Concilio interfuit, & in consessu Patrum summa eloquentiæ laude peroravit. Academia autem Palentina, Salmanticam postea a Ferdinando Alfonsi Nepore anno 1239. translata est. Scripsit *Historiam Hispaniæ Libris IX.* a primo Herculis in Hispaniam adventu ad annum Christi 1243. ab Andrea Schotto editam cum notis, tomo II. *Hispaniæ illustratæ* pag. 26. cui subjunxit *Historiam Ostrogothorum* ab anno Christi 453. ad annum 555. ibidem editam pag. 148. *Historiam Hunnorum & Vandalorum* a prima illorum origine usque ad annum 585. ibidem pag. 151. *Historiam Arabum ab exordio & origine Mahumetis*, seu ab anno Christi 570. ad annum 1150. ibidem pag. 162. Denique *Historiam Romanorum* a Jano Rege ad annum urbis conditæ 708. ibidem pag. 194. Cum autem Petrus Tarraconensis Archiepiscopus, adversus eum litem de primatu totius Hispaniæ sibi attribuendo intentasset, Rodericum extrema senectute laborantem compulit recurrere ad Innocentium IV. Summum Pontificem anno 1245. Lugduni Concilium celebrantem, cujus judicio lis terminanda erat. At inter redeundum, dum in Rhodano fluvio navi veheretur, mortem obiit anno 1245. die 9. Augusti. Honorifice conditus Hortæ, quæ est Monachorum Ordinis Cisterciensis Cœnobium in Aragoniæ finibus, ubi ad aram maximam cippos ostenditur cum inscriptione hac: *Mater Navarra, Nutrix Castella, Schola Parisius, Sedes Toletum, Hortus Mausoleum, Requies Cælum.* Semper in Hispaniis vir & authoritas Roderici, memoria vigebit, cujus defuncti manibus in pluribus Maximi Templi Sacellis ad hanc diem quotidie parentatur, aliquot Sacerdotiis ejus jussu atque impensa eam ob causam constitutis. Plura in laudem ejus Vasæus in *Chronico Hispaniæ* capp. 2. & 4. Andreas Schottus qui ejus Historiam ultimus evulgavit, & Joannes Mariana in *Historia sua Hispaniæ*, Lib. II. cap. 21. Lib. 23. cap. 5. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 392. pag. 259. a quo hæc per compendium accepimus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 463. ultimæ editionis. Et alii omnes, qui de Historicis rebus Hispaniarum scripserunt.

JOANNES COLUMNA, MESSANENSIS ARCHIEPISCOPUS, natione Italus, patria Romanus, post annum 1240. clarus ætate sua extitit. Ordinem fratrum Prædicatorum professus est, nomenque suum transmisit ad posteros Opere satis nobili Libris septem comprehenso, quod *Mare Historiarum* inscripsit. Incipit autem ab ipsa creatione mundi usque ad annum 1250. extendens Chronicon suum, seu usque ad captivitatem sancti Ludovici Francorum Regis apud infideles. Habetur Opus istud multis ac præclaris iconibus depictum atque ornatum, unum ex insignioribus Regiæ Galliarum Bibliothecæ MSS. Codicibus, num. 4684. orditur, *In nomine Domini Amen. Incipit Mare* 1240

 Histo-

Historiarum, compositum a fratre Johanne de Columna, Ordinis fratrum Prædicatorum. Primum Capitulum, De essentia Divina. *Sicut dicit magnus pater Areopagita Dionysius, Deus est arcanum bonum, rationi omni supereßentiale, unitas vivifica omnis unitatis* &c. quod Opus S. Antoninus interdum laudat. Ipsum quoque *Pontificum Romanorum historiam* scripsisse testatur author Operis *De Hierarchia Subcœlesti*; quod MS. extat in Bibliotheca Victorina. Inter MSS. Codices bibliothecæ Sanctorum Joannis & Pauli Venetiis, extat *Joannis de Columna Romani, Ord. Prædicatorum Opus De viris illustribus & Christianis.* Incipit *De vita & moribus virorum illustrium, tam Sanctorum quam aliorum* Et primum agit de Socrate & Gentilibus Philosophis, mox de Christianis; folio in membrana. Ita Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. Venetarum tam Publicarum quam Privatarum; quem Vtini anno 1650. in 4to edidit. Assumptus ex Ordine fratrum Prædicatorum ad Messanensem Archiepiscopatum promotus est, qui anno 1255. legatus *Alexandri IV. Pontificis Maximi* fuit, & Tauromenii Oppidi cum Jacobo de Ponte præfectus. Illic positus magnam in emungendis a populo rudi pecuniis industriam ac sollicitudinem in Romanæ Ecclesiæ Summique Pontificis commodum ostendit. Vnde ob præclare navatam hanc operam, anno 1257. missus est a Summo Pontifice in Angliam, parem ut ibi artem ageret. Quam porro solerter, quam egregie Pontificii pecuniarum exceptoris officio perfunctus sit, audi in simplicitate sua eloquentem ornatumque oculatum testem Matthæum Parisiensem, in *Historia* ad annum citatum pag. 635. columna 2. littera f. „Anno quoque sub eodem, imminente Quadragesima missus est a Domino „Papa, nesciebatur ad quid, Archiepiscopus „Messanensis in magno apparatu familiæ & e„quorum, videlicet de ordine fratrum Prædica„torum. Et cum habuisset litteras Papales de „Procuratione exigenda & recipienda, cum „magna pœna contradictores puniendi, misit „litteras imperiosas ad quemlibet Prælatum, ut „ei secundum quod eisdem significavit, in pro„curaciis providerent, ita quod ex domo San„cti Albani & ejus cella, viginti & unam mar„cam extorsit. Et cum venissent Monachi „Sancti Albani ut ipsum in hospitio suo civiliter „visitarent, non permisit eos exire, imo ipsos „quasi incarceratos retinuit, donec suæ avaritiæ „satisfecisset. Et cum modeste respondissent „Monachi, se nullum ibi habere denarium, Ar„chiepiscopus iratus respondit procaciter: Vt „quid tam mendici estis? Mittite igitur pro ali„quo mercatore, qui vobis commodare velit, & „factum est ita, quia sic oportuit. Non enim „permittebantur exire Monachi, quamvis essent „de conventu præelecti, videlicet Archidiaco„nus sancti Albani, & Dominus Johannes Abba„tis baiulus & procurator, Iste fuit Archiepiscopus Messanensis frater de Ordine Prædica„torum, in quo humilitatem sperabamus ube„riorem, qui a Domino Papa *de Procurationibus extorquendis* talem litteram meruit obtinere.„ Frater Johannes miseratione divina Archiepi„scopus Messanensis, Dilectis *in Christo sibi Abbati & Conventui Sancti Albani, Lincolniensis Diœcesis salutem in Domino. Noveritis* &c. require„ in Libro *Additamentorum*.„ Hæc Matthæus Parisiensis in Historia ad annum 1257. floruit & annis sequentibus, anno enim 1259 Joannes ex Diplomate dato Perestæ 17. Calendas Julii, benedixit primum lapidem Ecclesiæ Sancti Dominici, ædificatæ in loco qui dicitur *Monticellus.* Rochus Pirrhus author *Siciliæ Sacræ* quæ anno 1644. Panormi ex typographia Petri Coppulæ, 2. in folio tomis prodiit, in *Notitia Secunda Ecclesiæ Messanensis* fol. 334. ait Johannem tandem Archiepiscopum nostrum ad Nicosiæ Ecclesiam in Cypro insula anno 1262. translatum fuisse, ibique diem suum obiisse anno 1313. ut habet Michael Pius *Historia Dominicanorum* 1. parte lib. 1. fol. 196. Abbas etiam Trithemius cum recenset inter eos Scriptores, qui Ludovici Bavari temporibus claruerunt, ducem (ut inquit Natalis Alexander qui hanc epocham impugnat) ea parte errantem sequutus Philippum Bergomensem, qui libro XIII. *Supplementi Chronicorum*, illum ad annum 1313. refert. Hoc quidem non impossibile, ut Joannes de Columna usque ad annum 1313 vixerit, quamvis satis difficile creditu sit, ut qui jam ab anno 1240. magni nominis audiebat, usque ad tempus illud supervixerit. De hoc authore legendi S. Antoninus 3. parte, titulo 23. cap. XI. parag. 2. Thomas Fazellus *Rerum Sicularum* posterioris Decadis Lib. 8. Leander Albertus libris 3. & 4. *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 480. ultimæ editionis. Natalis Alexander in *Selectis Historia Ecclesiastica Capitibus* tomo XX. cap. 4. art. 3. pag. 541. Caute autem hic adverte alium hac eadem ætate vel aliquanto ante, fuisse *Joannem de Columna*, natione pariter Italum ex Gente illustri Columnensium, magnæ in curia Romana sub Gregorio IX. authoritatis, cujus multis in locis Matthæus Parisiensis meminit. Ad annum 1232. ait eum examinasse cum quibusdam aliis Cardinalibus Joannem Priorem Augustinensium Cantuariensium, in Archiepiscopum electum. „Venit, inquit, eodem tempore Ro„marius Prior Joannes, electus Cantuariensis in„hebdomada Pentecostes. Et cum litteras suæ„electionis Domino Papæ exhibuisset, præcepit„Magistro Joanni de Columna, & aliis quibus„dam Cardinalibus, ut examinarent illum, si di„gnus esset ad culmen hujusmodi promoveri„Qui cum examinassent per triduum electum il„lum, in decem & novem, ut dicitur, articulis di„ligenter, protestati sunt coram Domino Papa„se causam in illo legitimæ recusationis non in„venisse.

„venisse. Veruntamen visum est Domino Pa„pæ de electo memorato, quod nimis esset senex „& simplex, & ad tantam insufficiens dignita„tem. Hic autem Cardinalis addictus sub initium Gregorio IX. Pontifici contra Fridericum Imperatorem, nescio quâ posteà Romanæ curiæ inconstantiâ, levitate & confusione offensus, animi sententiam mutavit. Extat ejus Epistola secreta ad annum 1237. apud Matthæum Parisiensem, ad legatum Sedis Apostolicæ in Anglia commemorantem, amicum suum, quâ curiæ confusionem describit. „ Hæc, inquit, „charitati vestræ celare non debeo, quod nimis avidè vel potius inconsultè se Mater im„mersit fluctibus, & in fauces Luporum se ultro„nea jactavit. Duorum tantum fuit concili„um, tertio annuente, quin verius gressu præ„cedente & cœcis præcedentibus contrecta„tum. Hinc est quod libertas abjicitur, servi„tus inchoatur, sanctuarii sydus obtunditur, an„cillatur patrimonium, superbia exaltatur co„nantium, carcer emitur, honor contemnitur, „appellitur confusio, amatur molestia, tranquil„litas effugatur. Non curatur fratrum & exte„rorum scandalo, irrisionibus irridetur, cœtus „loco dividitur, differuntur negotia, instantes „protracti sermonibus diutina expectationum „lassitudine fatigantur &c. Voluimus refor„mare statum, & sæpe tentavimus, & ecce de„formis destitutio subintravit. Incassum tra„duntur consilia, ubi voluntas non sistitur fræ„no prudentiæ, sed impetu agitata prosilit ad „proclivia, nec patitur retardari. Accedit ad „doloris cumulum, nobilis illa columna quæ „tam magnificè structuram Ecclesiæ sustenta„bat, recolendæ videlicet memoriæ Dominus „Sabinensis (Joannes de Abbatisvilla) subitò „subtractus de medio, molestiæ primum dolore „percussus, ac postmodum infirmitate lentâ ve„xatus obiit in Domini potentias ingressurus, „ruinæ casum occasionabiliter Matri relin„quens, cum gemitu & mœrore. Ad annum „verò 1240. idem Matthæus refert, quo pacto „Joannes de Columna à Gregorio IX. defece„rit, propterea quod jubenti Papæ ut inducias „quas cum Imperatore pepigerat, revocaret & „rescinderet. Papa pœnitens & dolens quod „treugas acceperat, vocavit M. Joannem de „Columna, & D. Raymundum, excellentes Car„dinales dictarum treugarum mediatores, & ad„versus Imperatorem intercessores, & dixit „Joanni: *Confundor in meipso, quòd treugas concessi „inimico Ecclesiæ Friderico. Unde igitur tu, qui in„terpres fuisti super hoc inter nos, festines ad ipsum, „ipsas me nolle acceptare denuntians, me inimicum „illi fore ex hoc nunc & anteà, sub diffiduciatione „audacter attestando.* Cui Joannes, *Absit Domine „hac levitas verborum in ore tanti viri ad tantum „Principem, destinanda præcipuè per nos, qui non „vulgares reputamur. Huic enim consilio instabili„tatis & infidelitatis nequaquam consentio, sed con„stanter contradico.* Cui Papa, *Nec ego de cætero te habeo pro Cardinali:* & ait ei Joannes, *Nec ego te pro Papa:* & sic recessit de amico factus adversarius. Obiit anno 1244. mense Februario in Octavis Purificationis, de quo eodem sic Matthæus ad illum annum. *Obiit vas superbiæ & omnis contumeliæ Joannes de Columna Cardinalis Romæ, qui inter omnes Cardinales in possessionibus secularibus claruit potentissimus: unde efficacissimus discordiæ inter Imperatorem & Papam seminator extitit & sustentator.*" Hæc ad distinctionem utriusque Joannis de Columna, qui eodem tempore vivebant, atque forsan ex eadem familiâ erant. Hujus Joannis de Columna, solus ut opinor meminit Matthæus Parisiensis in *Historia* ad annos citatos: ac post eum Cæsar Egassius Bullæus Seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi pag. 693. ubi & eum anno 1244. mortuum notat, prudenterque de scriptis ejus silet, quippe quem nihil scripsisse cognoverit. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* Joannem & Jacobum Columnas diversos facit, utrumque tamen Ordinis Fratrum Prædicatorum, utrumque Historicum: atque addit S. Antoninum plura ex Jacobo Columna derivasse in suam Historiam. Sed cum Gerardo Joanne Vossio Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 480. editionis secundæ, puto Possevinum falli, „ Nam S. Antoninus testem quidem advocat Joannem Columnam cum alibi, tum titulo XIX. cap. 1. ubi Sermo ei de *Innocentio III.* qui anteà Lotharius vocabatur. At Jacobum Columnam historicum, quantum meminisse possum, planè nescit, nec fuisse ejus nominis Historicum censeo." Hæc Vossius. Impegit in eundem errorem post Possevinum, Ambrosius de Altamura, qui *in Bibliotheca Scriptorum Dominicanorum*, admittit Joannem Columnam ad an. 1276. & Jac. Columnam ad an. 1341. p. 117. quem utrumq; cum Possevino Historicum facit, atque scripsisse Chronicon ab initio mundi usq; ad tempora quibus vixerunt.

ALBERTANUS BRIXIENSIS CAUSIDICUS, florebat his temporibus, fidelis patriæ 1240
contra Friderici Secundi Imperatoris conatus, qui Italiam omnimode subjicere sibi conabatur. Hic Albertanus de ora Sanctæ Agathæ, Capitaneus Gavardi (inquit MS. Codex ejusdem cum illo ætatis) qui quando Brixia capta est, quam ob communem patriæ utilitatem defendebat, à Friderico II. Imperatore in carcerem conjectus est. Hæc MS. Codex quem habui, Albertano Synchronus. Scripsit anno 1238. in carcere ipso conclusus, *Tractatum de dilectione Dei & proximi & aliarum rerum de formula vitæ honestæ* ad Vincentium filium suum, quem in MSS. sæpius in libros quatuor partitum vidi. Item *Librum de Consolatione & Consilio* anno 1246. quando eodem carcere detinebatur, ad Joannem alterum sibi filium, capita 35. continentem. Denique brevem *Librum de Doctrina loquendi &* ta-

tacendi anno 1245. ad filium ſuum Stephanum ſex tantum Capitibus comprehenſum. Hæc omnia vidi MSS. in Bibliotheca Dunenſi; Ordinis Ciſtercienſis Brugis in Flandria, in Parchenſi Abbatia prope Lovanium Ordinis Præmonſtratenſis, in Bibliotheca Bucilienſi ejusdem Ordinis cui hunc MS. Codicem ad me ſpectantem reliqui. Apud Canonicos Regulares Tungrenſes, Oxonii in Anglia in Bibliotheca Magdalenenſi Cod. 161. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sydney-Suſſex K. 111. Codice 3. cum ejusdem Sermonibus, De quibus poſtea. Sed inveni tandem ac impreſſos eſſe hos tres libros vidi in 4. Cuneji (vulgo Coni) apud Pedemontanos per Magiſtrum Viotum de Dulcis anno 1507. die 4. Decembris. Extant cum multis prœli mendis, quæ iterata impreſſione facile emendarentur, cujus exemplar unum vidi in Bibliotheca Domini Martini Abbatiæ Ordinis Præmonſtratenſis in Arteſia, dum anno 1680. illic Chartas & antiquitates hujus Cœnobii excuterem. Atq; horum trium Opuſculorum de quibus ſuprà, plurimi ſunt Manuſcripti Codices in Bibliotheca Sancti Victoris Pariſienſis, ſicut & aliquorum hujus Albertani Sermonum, de quibus ſtatim dicturi ſumus. Habentur etiam hi tres Tractatus MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 5391. cum variis Albertani ejusdem Sermonibus. Primus quem habuit ad Cauſidicos, *Congregatio noſtra ſit &c.* pag. 49. dicti Manuſcripti Codicis. Sermo ſecundus De Spirituali & corporali refectione, *Orate Dominum Fratres &c.* pag. 51. Sermo tertius in Congregatione quam Cauſidici faciunt more ſolito, *In nomine Domini Fratres mei, ad honorem Dei & refectionem pauperum more ſolito congregati ſumus &c.* p. 53. Sermo quartus, Quid neceſſarium ſit in convivio, *Domine labia mea aperies &c.* pag. 56. Sermo quintus apud fratres Minores in Congregatione ſolita advocatorum in media Quadrageſima ſuper doctrina timoris Domini; *Rogate Dominum fratres, & miniſterio &c.* pag. 58. Denique hæc omnia Albertani Opuſcula, ibidem Codice Regio 6610. atque in Colbertina Bibliotheca Codicibus MSS. 4468. 4888. & 2951. cum aliis diverſis. Meminit hujus Scriptoris poſt Antonium Poſſevinum Carolus Dufreſnius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præfixit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 81. ubi eum anno 1247. rectè vixiſſe aſſerit, ejusque Tractatum *De arte loquendi & tacendi* annis 1483. & 1491. impreſſum eſſe refert.

1240 ROGERUS BACONUS, gente Anglus, patriâ Somerſetenſis, Illceſtriæ, quæ Ptolomaeo *Iſcalis* eſt, ſplendida ſatis familia natus, apud Oxonium immenſos in Grammaticis, Mathematicis, Logicis, Chymicis, Phyſicis, atque in Philoſophia omni progreſſus feciſſe dicitur. His ſubſidiis inſtructus, ut Anglis tunc in more poſitum erat, Lutetiam Pariſiorum advolavit, ubi Jurisprudentiæ, Mathematicæ & Medicinæ ſcientiam, ſummam denique Theologicorum rerum peritiam addidit, & Doctoratus lauream reportavit. In patriam reverſus, Oxonii ſtudiorum ſimul ac vitæ ſedes poſuit, tum ex conſuetudine cum Franciſcanis in Anglia recentibus, unus ex primis fuit qui eruditionis laude clarus, eorum inſtitutum circa annum 1240. amplexus, ab hoc tempore ſemper, ad vitæ finem inclaruit. Ejusdem enim ætatis fuit cum Roberto Groſthead Lincolnienſi Epiſcopo, qui anno 1235. Junii X. Epiſcopus ordinatus, anno 1253. Bugdenæ non ſine inſigni ſanctitatis opinione die 9. Octobris obiit. Et cum Adamo de Mariſco Franciſcano, cujus extat Epiſtola ad *Sewallum* Archiepiſcopum Eboracenſem anno 1253. conſcripta, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1705. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 104. num. 12. Quos ille ambos in Epiſtola quadam laudibus extulit, de qua Joannes Lelandus ibidem num. 5103. *Collectaneorum* volumine 2. cap. ſeu n. 40. p. 288. Anno etiam 1259. Coram Henrico III. tunc Oxonii agente, concionem habuit, qua Regem ob Pictavienſes aliosque exteros, quorum conſiliis pene unice agebatur, non modò in aulam admiſſos, ſed & præcipuis reipublicæ muneribus adhibitos, libere coarguit. Quin etiam ante plures annos inclareſcere cœperat. Verum ſtudiis Philoſophicis immerſus, totum ſe disquiſitioni rerum abditarum contulit, reconditos naturæ receſſus penetravit, curioſa quæque rimatus eſt, latentes rerum cauſas indagavit, & mirabiles quosdam effectus, longè ſupra communem hominum captum protulit, adhibitis ad id machinis, non ſine ſummâ ingenii ſolertiâ excogitatis. Hinc illi toties impactum *Magi* nomen, objectum toties clandeſtini cum malignis ſpiritibus commercii crimen, idque non apud plebem tantum, ſed & apud Clementem IV. Romanum Pontificem, cujus habes ad Rogerum noſtrum reſcriptum apud Wadingum in Annalibus Minorum ad an. MCCLXVI. n. 15. An autem ad hanc calumniam ſpectet, haud ſatis liquet. Illud certum eſt Baconum anno ſequenti, miſiſſe Romam, Joannem Londinenſem diſcipulum ſuum, cum libellis apologeticis & inſtrumentis Mathematicis à ſe compoſitis. Juxta Wadingum ad annum MCCLXXVIII. num. 26. renovata eſt adverſus illum criminatio apud Hieronymum de Eſculo Ordinis Minorum Generalem in Gallia tunc agentem, qui Baccui doctrinam condemnavit, ſuisque ne libros ejus legerent interdixit, ipſumque auctorem carceri mancipandum decrevit. Certe aliquo ſaltem tempore in carcerem conjectum fuiſſe, idque mandante ipſomet Pontifice Nicolao IV, fere omnes conſentiunt: an verò ibidem ad mortem usque permanſerit, mihi plane incognitum eſt. Obiit vir profundiſſima ſcientia, acutiſſimo ingenio, ſeculo major, anno MCCLXXXIV. anno circiter LXXVIII. ætatis, in Franciſcanorum templo apud Oxonienſes ſe-

sepultus. Hæc Guillelmus Cavus verbotenus *in Historia rei literaria* ex Wadingo, ad annum 1278. pag. 741. quem exscribere non erubuimus. Jam ad opera Rogeri Baconi, quæ in Anglicis Bibliothecis potissimum manuscripta sunt, procedamus.

Opera multa Rogeri Baconi MSS. inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, num. 6083. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 249. Inter MSS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ num. 221. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis litera B. Codice 81. Rogeri Baconis Opera varia, & 1. *De quatuor universalibus causis totius ignorantiæ humanæ.* 2. *De sapientia perfecta.* 3. *De utilitate Grammatica.* 4. *De potestate Mathematica & Mundo.* 5. *De stellu & prognosticis.* 6. *De modu particularibus & causis videndi.* 7. *De multiplicatione specierum.* 8. *De scientia experimentali.* 9. *De morali philosophia:* in fol. C. 6. Item in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Julii litera D. Codice 5. num. 4. *Rogerus Baconus de utilitate scientiarum.* N. 5. Ejusdem Epistola quæ sic incipit, *Cùm de ponderibus utilis sit distinctio.* De Elixere Alchymistico. N. 6. *Ejusdem de viridi colore faciendo ad usum scribendi, tractatulus.* N. 7. *Ejusdem tractatulus de decore & venustate faciei.* N. 8. *Ejusdem de modo projectionis tractatulus,* N. 9. *De quibusdam medicinalibus confectionibus.* N. 10. *De dissolvendo chrystallo.* N. 11. *Epistola de ligaturis & suspensis collo, cum incantatione & adjuratione.* N. 12. *Visio qua contigit in Essexia anno Verbi incarnati 1206. scripta à quodam viro Religioso.* Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis num. 539. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Classe XXV. Serie tertia, Cod. 14. *Opera multa Rogeri Baconi Anglicè.*

Extant *Epistola Rogeri Baconi* notis illustratæ, editæ Hamburgi 1618. in 8.

Inter MSS. Bodlejanæ Bibliothecæ num. 7650. in MSS. Codicibus Ashmoleanis *Rogeri Baconis Opera Chymica* in fol. anno 1485. Ejusdem autem *Speculum Alchymia* editum Norimbergæ 1581. in 4. Basileæ 1561. & Vrsellis 1602. in 8. Ejusdem Scripta *De arte Chymia,* seu *Sanioris medicinæ De arte Chemia liber,* cum aliis Opusculis Francofurti 1603. & 1620. in 8. Ejusdem *De mirabili potestate Artis & Naturæ & nullitate Magiæ,* Parisiis 1542. in 4. Basileæ 1593. in 8. Hamburgi 1608. & 1618. in 8. & cum notis *in Theatri Chemici* volumine V. Argentorati 1622. in 8. Extant quoque *Speculum Alchemiæ Rogeri Baconis,* MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 7637. in MSS. Codicibus Asmoleanis num. 10. pag. 208. ad 219. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 7574 in MSS. Codicibus Roberti Buofcough Cod. 55. n. 4. *Rogeri Baconis Speculum Alchymiæ.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1720. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 119. num. 2. *Rogeri Baconis breve breviarium de dono Dei,* in quo habetur *Liber secundus De practica Alchymia, cum aliis mineralibus tractatibus.* Num. 5. *Speculum Secretorum,* sive *Editio Rogeri Bacon in totam artem Alchymiæ.* Num. 4. *Tractatus trium verborum Rogeri Bacon, qui comprehenditur tribus Epistolis ad Joannem Parisiensem.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1027. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli in Mathematicis & Chymicis Codice 3. num. 5. *Breviarium Rogeri Bacon in arte Alchymica.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 3638. in MSS. Codicibus Francisci Bernardi Codice 69. *Rogeri Baconis breve Breviarium, vel Breviloquium Alchymiæ.*

Ejusdem *Specula Mathematica & perspectiva,* edita Francofurti 1614. in 4.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1692. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 91. num. 2. *Rogeri Baconis perspectiva.* Ibidem num. 2932. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji supra P. 3. Aut. Codice 149. *Rogeri Baconis Perspectiva & de Speculis.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 6777. in MSS. Codicibus Samuelis Papysii Codice 58. *Rogeri Bacon Perspectiva & de multiplicatione specierum* in pergameno. Ibidem num. 9918. in MSS. Codicibus Symonis d' Ewes Baronetti Codice 58. *Baconi Scientia Perspectiva.* Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ n. 6564. in MSS. Codicibus Henrici Savilii Codice 18. n. 3. *Rogerus Bacon de multiplicatione specierum partibus 5.* Num. 5. *Rogeri Baconis Perspectiva,* Num. 6. *Rogeri Baconis de multiplicatione specierum pars sexta.* Ibidem num. 6587. in MSS. Codicibus ejusdem Savilii Codice 41. num. 7. *Bacon de multiplicatione specierum, seu de speculis.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium bibliothecarum, num. 1364. in MSS. Codicibus Collegii B. Mariæ prope Wintoniam Codice 27. *Rogeri Bacon tractatus De multiplicatione specierum.* Ejusdem *Varii Tractatus de Sapientia Divina, ostendentes quomodo Mathesis, Grammatica &c. Theologiæ inserviant.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1819 in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 218. num. 6. *Rogerus Bacon de laudibus Mathematica.* Et inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1469. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 192. num. 2. *Tractatus Fratris Rogeri Bacon in quarta parte Mathematices, de situ orbis.* Et in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis, litera D. Codice 1. num. 6. *Tractatus Fratris Rogeri Bacon, in quarta parte Mathematica ae situ orbis.*

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 6776. in MSS. Codicibus Samuelis Pa-

Papyſii Cod. 57. *Rogerus Bacon de utilitate Arythmetica, in pergameno.*

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis num. 1615. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Chriſti Codice 148. *Rogeri Baconis Grammatica Græca circa annum 1252. conſcripta*, fol. in membrana. Et inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis num. 1665. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Cod. 3. n. 4. *Grammatica Magiſtri Rogeri Bacon.*

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis num. 1466. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Cod. 189. *Excerpſiones Rogeri Baconi ex auctoribus Muſica artis.* Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 3662. in MSS. Codd. Franciſci Benedicti Cod. 93. n. 3. *De fiſtulâ ſecundum Rogerum Bacon.*

Jam ad Philoſophica adſpirantibus, occurrunt inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis num. 48. in MSS. Codicibus Collegii Vniverſitatis litera C. Cod. 19. *Rogeri Baconis Communia naturalis Philoſophia. Tractatus de Speciebus* in 4. Et num. 49. Codice ſequenti 20. num. 1. *Opus tertium Rogeri Baconis.* Ejusdem *Mathematica.* Ejusdem *Scientia Experimentalis.* Ejusdem *Tractatus de Corporibus Cæleſtibus.* Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1677. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Cod. 76. *Rogeri Baconis Compendium Philoſophia.* Ejusdem *Fragmentum de communibus naturalibus.* Idem *de Mathematica.* Idem *de Medietatibus.* Ejusdem *alia fragmenta Mathematica.* Ibidem num. 1671. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Cod. 70 *Rogeri Baconis Communia naturalia.* Ibidem num. 1784 in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Cod. 183. num. 3. *Liber Rogeri Baconis de ſermone rei admirabilis, qui continet Phyſica & Mathematica.* Ibidem num. 1791. in MSS. Codicibus ejusdem Digbæi Codice 190. num. 2. *Rogerus Bacon de principiis Naturæ.* Ibidem num. 1805. in MSS. Codicibus ejusdem Digbæi Codice 204. num. 3. *Summa Dialectices Rogeri Baconis.* Num. 6. *Syncategoremata Rogeri Bacon.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1656. in MSS. Codicibus Ejusdem Digbæi Cod. 55. num. 7. *Tractatus de intellectu & intelligibili, de nutrimento & nutrito, de ente & eſſentia, de Syncategorematibus, de ſignis & fallaciis, à ſapientiſſimo poſt Avicennam Philoſopho Rogero Bacono.* Ibidem num. 1673. in MSS. Codicibus ejusdem Digbæi Codice 72. num. 4. *Tractatus Fratris Rogeri Bacon de inventione cogitationis.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1672. in MSS. Codicibus ejusdem Digbæi Codice 71. num. 1. *Fabrica Speculi Vſtorii per Rogerum Baconum.* Ibidem num. 6651. in MSS. Codicibus Aſhmolæanis *Baconis Tractatus de Speculis comburentibus* 440. Et in Bibliotheca Cottoniana ſub effigie Tiberii litera B. Cod. 9. n. 7. *Rogeri Baconi liber De Speculis comburentibus, cum figuris.* Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis num. 1721. in MSS. Codd. Collegii Corporis Chriſti Cod. 254. num. 8. *Rogerus Bacon de linea intenſionis & remiſſionis.* Et num. 1722. in iisdem MSS. Codicibus, Cod. 255. num. 2. *Rogerus Bacon de rerum generationibus, cum aliis ejusdem Operibus.*

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis num. 1594. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Chriſti Cod. 127. *Rogerus Bacon Britannus De erroribus Medicorum* in 4. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1678. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Cod. 77. *Rogeri Baconis Perſpectiva cum figuris, & alia Problemata, & alia ad Medicinam ſpectantia.*

Extant *Rogeri Bacon de retardandis Senectutis accidentibus & ſenſibus confirmandis*, edita Oxoniæ 1590. in 8. Idem opus inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 2379. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 3. Cod. 12. Et num. 2927. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji ſupra P. 3. Art. Cod. 144. Et num. 3349. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni Cod. 19. *Rogerus Bacon de retardatione Senectutis.* Et n. 3482. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni in Pluteis ſuperioribus Cod. 94. *Rogerus Bacon de retardandis ſenectutis accidentibus, & ſenſibus confirmandis.*

Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, num. 6509. in MSS. Codd. Caroli Theyerii Cod. 139. *Moralis Philoſophia Rogeri Bacon.* Ibidem num. 8600. in MSS. Codd. Bibl. Jacobææ Cod. 878. *Flores Seneca*, quos ſcripſit Rogerus Bacon, ipſo teſte.

Jam ad Theologica veniamus, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, num 2626. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji ſuper D. 1. Art. Cod. 27. num. 3. *Rogeri Bacon Rogerina major* pag. 120. *Rogerina minor* pag. 153. ad 161. quæ mihi videntur Opera duo priora *Summæ* Rogeri Baconi. Ibidem num. 3538 in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, in Hyperoo Bodlejano Codice 48. *Rogeri Bacon Tractatus dictus, Rogerina major, ſeu Practica ejus.* Ibidem num. 3705. in iisdem Hyperoi Bodlejani MſT. Codicibus, Cod. 239. *Rogeri Baconis operis majoris pars tertia, ſive potius Præambulatorium ad opus ſuum majus & minus.* Ibidem num. 4028. in MſT. Codd. Hattonianis Cod. 3. *Rogerina major per Rogerum Bacon.* In bibliotheca Cottoniana ſub effigie Tiberii litera C. Codice 5. num. 1. *Fratris Rogeri Bacon opus tertium*, ſive *Summa ad Clementem IV. Papam, quam dicit in Præfatione ſe ad veritatem & perfectionem utriusque operis præcedentis compoſuiſſe.* In hoc agit de Sapientiæ principalibus radicibus, floribus & fructibus. Num. 2. *Ejusdem majoris operis pars quinta, in qua oſtenditur poteſtas Mathematica in ſcientiis & rebus mundi.* Num. 3. *Opus minus fratris Rogeri Bacon circa Sapientiam oſtendens.* 1. *Quæ ſint cauſa & propter quas omnis homo debet vacare ſapientia.* 2. *Quæ ſint neceſſaria ad eam.* 3. *De modis & viis quibus* de-

debet eam requirere. 4. *Quæ sint impedimenta illius.* Ibidem sub effigie Galbæ litera A. Codice 8. num. 1. *Tractatus Rogeri Bacon Ordinis Minorum, De impedimentis sapientiæ. Posterior libri pars Grammaticalem continet Linguæ Græcæ institutionem.* Liber olim Thomæ Gascoigne Cancellarii Universitatis Oxoniensis, tempore Regis Henrici VI. Inter MSS Codices Bibliothecæ Bodlejanæ 1668. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 67. num. 2. *Liber ultimus Summa Magistri Rogeri Bacon.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 2764. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super O. 1. Art. Codice 7. num. 3. *Tractatus Baconis de Veritate Theologiæ*, opus in VII. partes distributum pag. 113. Num. 4. *Rogeri Bacon Tractatus in Psalterium* pag. 193. ad 503. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, num. 6375. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 5. *Rogeri Baconis Opera quædam*, scilicet *Quinta pars Compendii Studii Theologici. Perspectiva Rogeri Baconis lib. 1. sive de multiplicatione specierum. Perspectiva Rogeri Baconis lib. 2. Compotus Rogeri Baconis, tribus partibus.* Ibidem num. 6376. in ejusdem Theyeri Codice 6. *Quarta pars Compendii studii Theologici Rogeri Baconis*, manifestum quod multi præclare &c. *Baco de descriptione locorum*, Ad hoc autem quod certius & plenius &c. *Baco De visu & speculis. De corporibus cœlestibus seu utilitate Astronomiæ. De laudibus Mathematices. Compendium Studii Theologici*, Quoniam autem in omnibus causis &c. *Volumen 3. Philosophia Rogeri Baconis.* Hæc mixta ibidem. Ibidem num. 1589. in MSS. Codicibus Hospitii Grayensis apud Londinum Cod. 22. *De Sacra Scriptura profundis Mysteriis, auctore Rogero Bacono* in 4. Ibidem num. 8169. in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ Codice 447. *Baconis in 4. Sententiarum.* Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1819. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 218. num. 3. *Fragmenta Rogeri Baconis ad Clementem Papam, in quibus multa de vulgata editione Sacrorum Bibliorum.*

Extant quoque nonnulla sub Rogeri Baconis nomine, quæ ad illum pertinere non creduntur, nimirum inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, num. 2458. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 9. Codice 5. num. 3. *Rogeri Baconis Kalendarium, ad veram conjunctionem solis & Lunæ accipiendam.* pag. 58. ad 72. Factum enim post mortem Rogeri Baconis, ut constat ex Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vespasiani litera A. Codice 2. num. 1. ubi scribitur *Kalendarium Rogeri Bacon, extractum à tabulis Toletanis anno 1297. figuris Saracenicis, cum tabula ad sciendum, quis Planeta dominetur omni hora civilis diei.*

Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 4194. in MSS. Codicibus Eduardi Browne Medici Londinensis Codice 14. *Rogeri Baconis Verbum abbreviatum.* At inter eosdem MSS. Codices num. 7677. in MSS. Codicibus Roberti Burscough Codice 58. num. 3. inscribitur *Rogeri Baconis Verbum abbreviatum per Raymundum Lullium.*

Meminit hujus Scriptoris, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5103. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 2. num. seu cap. 40. ubi excerptum ex Epistola Rogeri Baconis ad Clementem Romanum Pontificem p. 288. Multa ibidem scribit Bacon de continenti vita Joannis Londinensis, & aliter laudat Adamum de Marisco Franciscanum, & fusius Robertum Grosthead Episcopum Lincolniensem. Et cap. 41. Ex libro Baconis *de utilitate Linguarum*, sic inscriptum Lelandus invenit, qui alius est ab Epistola longa, quam ad Clementem Rom. scripsit. Ipsi tamen, ut ex lectione collegit, potius esse videtur liber ejus *De studio sapientiæ.* pag. 289. Et ibidem num. 5105. idem Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. num. seu cap. 157. p. 198. Guillelmus Cavus *in Historia rei literariæ* ad annum 1278. pag. 741. post Baleum, Pitseum & alios Anglicarum rerum Scriptores. Carolus Dufresne Dominus du Cange, *in Catalogo Scriptorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, verbo *Rogerus Baconus* col. 170.

THOMAS DE CEPERANO, Ordinis Fratrum Minorum anno 1245. claruit, de quo 1240
multis in locis Gerardus Joannes Vossius *De Historicis Latinis*, quem hic exscribemus. Sic itaque Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 461. editionis ultimæ. „Tunc quoque (anno 1230.) erat Thomas de Cellano, Ord. Minorum, Provinciæ Pendentis. Hic libellum reliquit *De vita & miraculis S. Francisci*, quem Gregorius IX. Pont. Max. approbavit. Hanc vitam imitatus postea est Thomas de Ceperano Notarius Pontificis Romani, qui *Vitam S. Francisci* scripsit jussu Crescentii Æsini Generalis Ordinis sui. Idem libro 3. parte quarta quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 7. p. 784. Etiam Thomas de Ceperano, Ord. Minorum, ultimis temporibus Frederici Bavari ac Conradi IV. floruit, & scripsit *Legendam* ut vocant *Sancti Francisci*, idque occasione ejusmodi. In Capitulo seu Cœtu Generali anni 1245. in quo Crescentius de Esseyo Sextus est Magister Generalis Minorum electus, constitutum erat, ut Fratres scripto comprehensum darent, quidquid *De Vita & miraculis Sancti Francisci* scire possent. Itaque Crescentius id Thomæ huic Ceperano mandavit, qui composuit illam, quæ vocatur *Legenda aurea*, atque incipit, *Placuit Sanctæ Universitati &c.* Eam autem *Frater Bernardus*, vel juxta alios *Bernardinus de Bessa*, Aquitanus, Ordinis & ipse Minorum in compendium redegit. At S. Bonaventura eandem limavit atque expolivit. Auctor S. Antoninus parte 3. tit. 24. cap. 9. paragr. 4. Idem Vossius ibidem cap. 8. pag. 787. „ *Bernardus* vel *Bernardinus de Bessa*,

„Aquitanus, Ord. Minorum, floruit vacante Imperio & temporibus Rodolphi Hafpurgensis, „anno 1280. vel circiter. Hic B. Bonaventuræ Generalis Ministri socius fuit, ac *Legendam antiquam*, cujus auctor erat Thomas de „Ceperano, in compendium redegit, ut ex Antonino superius retulimus. Reliquit & *Vitam B. Christophori de Romandiola*, qui anno 1272. „in vigilia omnium Sanctorum obiit, anno 55. „sui in Ordinem ingressus. Item condidit „*Chronicon Ministrorum Generalium usque ad Bonam gratiam* Generalem X, qui quinquennio „post S. Bonaventuræ VIII. Generalis Ministri „obitum, anno 1279. fratri Hieronymo de Esculo successerat, & anno 1285. mortuus est, ut habet S. Antoninus parte 3. titulo 24. cap. 9. §. 8. Hæc porro *Vita seu Legenda S. Francisci* à Thoma de Ceperano *ex relatu fratrum Minorum* compilata, mihi videtur esse eadem, cum illa *Vita S. Francisci & sociorum ejus*, quam anno 1623. in 8. Coloniæ Agrippinæ ex veteribus membranis, edendam procuravit Philippus Bosquierus, Ordinis Minorum, provinciæ Flandriæ, Cæsarimontanus, seu Montensis in Hannonia, qui Gardianus fuit multis in locis, Montibus & Luxemburgi, apud fratres Minores harum Vrbium. Inscripsit *Speculum Vitæ S. Francisci, & Sociorum ejus, accuratè recognitum & notis marginalibus illustratum*. Ex Catalogo autem librorum impressorum bibliothecæ Bodlejanæ Oxoniensis publicæ, quem anno 1674. in folio edendum curavit Thomas Hidius hujus bibliothecæ Præfectus, verbo *Franciscus Assisias*, hoc titulo designatur: *Antiquitates Franciscanæ* seu *Vita Sancti Francisci & sociorum ejus, auctoribus Fabiano, Hugelino, aliisque Minoritis*, cum castigatione Philippi Bosquierii. Coloniæ Agrippinæ 1623. in 8. F. 2. Theologorum Seldeni. Quibus indicatur Vitam hanc Francisci esse eam ipsam, quam ex relatu fratrum Minorum Thomas de Ceperano anno 1245. composuit.

Opinor eandem esse hanc Vitam, quæ MS. extat Vltrajecti inter hujus Bibliothecæ MSS. Codices Num. 248. litera R. cum Vitis S. Martini Turonensis Episcopi, S. Johannis Eleemosynarii, S. Malachiæ Armachani Archiepiscopi, quibus subjungitur *Humilis Francisci Vita & Miracula & Actus sociorum ejus*. Idem opus videtur, quod MS. extat quoque in bibliotheca clarissimi viri Joannis de Witt, cujus Catalogus Dordraci anno 1701. in 8. apud Theodorum Goris & Joannem van Braam editus est. Inter MSS. Codices in 4. Num. 56. extat *Sancti Francisci Vita, Regula & Miracula, opus per modum Legendæ conscriptum*, cui subjungitur *S. Bonaventuræ descriptio Vitæ, Virtutum & Miraculorum S. Francisci*. Hæc parte 3. Catalogi in MSS. Codicibus pag. 61. Idem verò opus esse conjicio cum *Vita Sancti Francisci*, quæ à Philippo Bosquiero edita fuit, ex iis quæ MS. Codici his verbis præmissa sunt, ac *Vitam S. Francisci ex relatu fratrum Minorum* à Thoma de Ceperano collectã ostendunt. „Istud opus compilatum est per modum Legendæ ex„ quibusdam antiquis, quæ in diversis locis scri„ pserunt, aut scribi fecerunt socii Beati Franci„ sci. Et nota, quod beatus Franciscus fecit tres„ Regulas, videlicet illam quam confirmavit Pa„ pa Innocentius sine bulla. Secundò fecit„ aliam, breviorem videlicet illam, quam fecit„ propter visionem sibi ostensam de hostia par„ va, quam monitus fuit facere de fragmentis,„ quæ ei tenere videbatur, & ex ea tribuere,„ volentibus manducare. Et regula perdita„ fuit, sicut dicetur inferius. Post fecit aliam,„ quam confirmavit Papa Honorius cum bulla,„ de qua regula multa fuerunt extracta per Mi„ nistros, contra voluntatem beati Francisci.„ Hæc Legendam hanc præcedentia, arguunt esse idem opus cum eo, quod à Philippo Bosquiero, Coloniæ Agrippinæ anno 1623. in 8. impressum est, & cum *Legenda* quam *ex relatu fratrum Minoritarum* Thomas de Ceperano anno 1245. compilavit. Agunt de his Scriptoribus, Sanctus Antoninus tertia parte *Summæ Historialis* titulo 24. cap. 9. §. 4. Antonius Possevinus tomis primo & secundo *Apparatus sacri*, verbis *Bernardinus de Bessa*, & *Thomas de Ceperano*. Lucas Wadingus Ord. Minorum, *in Bibliotheca Scriptorum hujus Ordinis*, Romæ 1650. in folio edita, iisdem locis.

CONSTANTINUS VRBEVETANUS EPISCOPUS, ex primis Sancti Dominici discipulis, fundatoris Ordinis fratrum Prædicatorum fuisse videtur, atque illius contubernia familiariter per annos plures usus fuisse, unde ad *Vitam* ejus Scripto consignandam, jubente Johanne Teutonico Ordinis ejusdem Magistro Generali IV. se accinxit. Frater autem Johannes Teutonicus, Friburgo Brisgaviæ oriundus, anno 1242. ex Priore Provinciali Lombardiæ, eligitur Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, Parisiis in Capitulo Generali: quod tamen officium ægrè ac Gregorio VIII. impellente, vix tandem subiit, cum paulò antè Bossinensis Episcopus fuisset, atque ut quietius viveret, ea dignitate se abdicasset. Hanc Ordinis præfecturam usque ad annum 1254. gessit, quo in ejus locum Humbertus de Romanis substitutus est. Scripsit igitur *Vitam & Officium S. Dominici* Constantinus circa annum 1245. vel 1246. qui posteà ob morum probitatem insignem ad Episcopatum Vrbevetanum adsumptus est, quem anno 1254. tenebat. Extat opus istud MS. in Bibliotheca Joannis Georgii Grævii, Historiarum & Eloquentiæ in Academia Vltrajectina Professoris, inter MSS. Codices, Codice 10. inscriptum, *Legenda D. Dominici Fundatoris Ordinis Prædicatorum per Fratrem Constantinum*, post Augustini libros IV. *De doctrina Christiana*. Ita Catalogus Bibliothecæ istius, in 8. anno 1703. impressus Trajecti ad Rhenum ex officina Guilielmi van de Water Academiæ typographi, in MSS. Codicibus pag. 259. quam hæredes ipsius Ele-

Electori S. R. Imperii Palatino vendiderunt. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum Codice 9781. in MS. Codicibus Joannis Mori Episcopi Norvicensis Codice 595. in folio. De Constantino sic Leander Albertus Libro IV. De Viris illustribus sui Ordinis, *Constantinus dignissimus Vrbevetanus Præsul, jussu Joannis Teutonici Generalis Magistri IV. Ordinis Prædicatorum, Officium quod in laudibus divi parentis Dominici exsolvitur, cum ipsius Vita egregiè edidit, stylo tamen mediocri.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 478. ultimæ editionis, quem anno 1258. assignat.

1240 VITUS CORTONENSIS natione Italus, ex Ordine Fratrum Minorum, exemplo & monitis S. Francisci Assisiatis ad conversionem & religionem Seraphicam excitatus est, quem sanctus Pater Ordini suo, in humili domicilio Cortonæ ædificato admisit. Huic vera religionis species & summus honoris divini & salvandarum animarum zelus, magnam apud Sanctum Magistrum opinionem sanctitatis peperere. Clarus circa annum 1240. scripsit *Vitam Sanctæ Humilianæ de Cerchis*, viduæ ac sororis tertii Ordinis Sancti Francisci, quam ex MS. Codice Originali in Conventu S. Crucis ejusdem Ordinis Florentiæ asservato, ediderunt Bollandistæ anno 1685. ad diem 19. mensis Maji tomo 4. fol. 386. & sequentibus. Missus est post Benedictum de Aretio Minister ad provinciam Romaniæ in partibus Græcorum, unde postmodum in Italiam reversus, & meritis multorum propagatæ fidei laborum clarus, migravit ad Dominum post annum 1250. quem determinare arduum est. Illius & Scriptoris Ecclesiastici meminerunt Bollandistæ in Commentario prævio ad Vitam præfatam sanctæ Humilianæ, loco citato. Lucas Waddingus tom. 1. *Annalium Ordinis Minorum*, ad annum 1211. num. 10. & anno 1246. num. 18. Et *in Bibliotheca Scriptorum hujus Ordinis*, pag. 331. ubi illum anno 1250. floruisse ait. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 154.

1240 ODO S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPUS TUSCULANUS, dictus Odo de Castro Rodulphi, vulgò de Chateau Roux, Gallus, Bituricensis, Sacræ Theologiæ Doctor, atque ut dicitur, Cancellarius Parisiensis; posteà verò Monachus Ordinis Cisterciensis & Abbas sextus Vrsicampi, ut habet Carolus Vischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* p. 257. Verum ex MSS. Codicibus quos vidi, dicitur *Odo Suessionensis* & *Abbas Vrsicampi*, cujus prima dictio locum haud dubiè natalis originis designat. Hic homo magnæ doctrinæ, insignisque meriti, cum aliquandiu Abbatiam Vrsicampi administrasset, anno tandem 1244. ab Innocentio IV. Cardinalis Episcopus Tusculanus factus est, quem ipse Pontifex *virum secundum cor suum, morum honestate decorum, litterarum scientia praditum, & consilii maturitate præclarum* vocare solebat: quem proinde etiam ut talem Sancto Ludovico Francorum Regi ad terræ sanctæ expeditionem proficiscenti, cum titulo Legati à latere, comitem adjunxit. In hac Legatione illustria generosi sui zeli dedit specimina, quorum non minimum fuit, quod Erisalinum magnum Tartarorum Orientalium Cham, recenter ad fidem Catholicam conversum, in eadem egregiè confirmaverit, scriptis tam ad illum, quam ad alios Magnates & regionis illius viros Principes, diversis litteris doctrina & pietate excellentibus, ut referunt Seguinus & Gaspar Jongelinus *in Purpura divi Bernardi*, post Vincentium Bellovacensem Lib. 30. Speculi Historialis cap. 152. & Lib. 31. cap. 1. Scripsit *Summam Quæstionum Theologicarum & Moralium*, quæ semel atque iterum MS. extat in Regia Galliarum Bibliotheca, nempe Codicibus 3818. & 3836. fol. 81. quarum titulus: *Quæstiones Magistri Odonis Suessionensis, postea Abbatis Vrsicampi, tandem Episcopi Tusculanensis.* Prologus. *Quidquid mali super nos adducitur, nostra peccata merentur. Quos autem per nos comprehendat, eadem Glossa suprà dicit &c.* Eandemque Summam sub Odonis nomine, vidi etiam MS. inter paucos MSS. Codices Bibliothecæ Fuliensium Parisiensium in vico Sancti Honorati. Scripsit insuper doctissimas *Conciones & homilias plurimas de tempore ac de Sanctis*, 2. tomis distinctas, quæ MSS. asservantur Romæ in Bibliotheca Vaticana, in Gallicis Bibliothecis Cisterçii & Clarævallis, & Cremonæ in Cœnobio Augustinianorum Eremitarum. Extat quoque in Abbatia montis sancti Eligii in Artesia, Canonicorum Regularium divi Augustini, Codex membraneus in fol. MS. continens *Sermones CXXXI. elegantes hujus Odonis de diversis materiis conscriptos*, quorum primus habitus est in unctione Caroli in Regem Siciliæ, sub hoc themate 1. Regum 16. *Tulit enim Samuel cornu olei & unxit eum &c.* Vltimus verò habitus est in obitu Domini Clementis Papæ IV. sub hoc themate Ecclesiastæ 1. *Oritur sol & occidit &c.* qui Codex ibidem studiosè asservatur, velut pretiosum antiquitatis sæculi XIII. monumentum. Hic autem Odo noster ex legatione transmarinâ Romam reversus, obiit paullo post, Vrbe Veteri anno 1273. ibidemque sepultus jacet apud Prædicatores. Alii tamen volunt anno 1268. obiisse, sed perperam, hunc Odonem confundentes cum Ordeone Episcopo Tusculano, ut rectè notat Vghellus tomo 1. *Italiæ sacræ* pag. 270. inter Episcopos Tusculanos. Vbi & alia plura notatu digna de Odone isto refert, nominatim illustre elogium quo suprà narravimus honoratum illum fuisse à Summo Pontifice, in expeditione transmarina cum S. Ludovico Francorum Rege. De Odone isto Ferdinandus Vghellus, loco citato. Carolus Vischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cister-*

N 3 *cien-*

ciensis, pag. 257. Lucas Dacherius tomo VII. *Spicilegii* pag. 354. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 134. ubi eum anno 1249. floruisse scribit.

1240 ÆGIDIUS AUREÆVALLIS MONACHUS, ex Ordine Cisterciensi in Ducatu Luxemburgensi, scribebat anno 1245. *Historiam suam de Episcopis Leodiensibus*, quam cum aliis ejusdem argumenti Scriptoribus evulgavit in 4. Leodii anno 1613. Joannes Chapeavillus Ditioni Leodiensi illustrandæ intentus. Hic Harigeri Abbatis Lambiensis & Anselmi Canonici Leodiensis Scripta, qui primi rerum Leodiensium, Scriptores habentur, recognovit & additionibus amplissimis pluribus in locis auxit, quam ob causam omnem Leodiensem ditionem, veteresque illius Bibliothecas Manuscriptis Codicibus instructas, sanctæ Mariæ, sancti Lamberti, Malmundariensem, Stabulensem, Lobiensem, Gemblacensem, sancti Huberti in Ardenna Sylva, & sancti Laurentii prope Leodium, præsens ipse excussit, atque ex eis quæ ad propositum suum faciebant, summâ diligentiâ parique fide desumpsit, ut in Vita ipsius disertè testatur Joannes Chapeaville. Deinde eosdem Scriptores excipiens, *Historiam Tongrensem & Leodiensem ipse Ægidius feliciter prosecutus est ab anno Domini 1060. usque ad annum 1251.* cujus autographum operis in Bibliotheca Aureæ Vallis, MS. Cod. 8. vidimus. Historiam autem hujus Ægidii posteà continuavit usque ad annum 1348. Joannes Hocsemius Canonicus Leodiensis, quæ omnia in lucem junctim prodierunt, Leodii anno 1613. opera & studio Joannis Chapeaville Canonici & Vicarii Generalis Episcopatus Leodiensis. Extat & Ægidii hujus Historia MS. apud Canonicos Regulares Tungrenses. Ex hac Historia Tungrensi Ægidii nostri, desumpta est, Vita sancti Alberti Cardinalis & Episcopi Leodiensis, quam anno 1612. publicavit Aubertus Miræus Antverpiæ, typis Davidis Martinii, sub hac Inscriptione: *Vita & Martyrium Sancti Alberti Cardinalis & Episcopi Leodiensis, authore Ægidio Leodiensi, Aureæ Vallis Monacho, Ordinis Cistertiensis, in Ducatu Luxemburgensi.* Hic porrò Cardinalis anno 1192. Remis martyrio coronatus fuerat, ibique corpus ejus usque ad annum 1612. quievit, quo postridie Kalendas Novembris, magna solemnitate Bruxellas translatum est, & die undecima Decembris subsequente in Conventu Monialium Carmelitanarum collocatum, jussu & auspiciis Alberti Archiducis Austriæ, Belgarum Principis. Cæterum vitam Ægidii ex Scriptis ejus collegit dictus Joannes Chapeavillus, quam tomo 2. *Historiæ Leodiensis* citatæ præfixit. Cujus etiam mentionem faciunt ut Historici ac Scriptoris Ecclesiastici, Carolus Vischius Prior Beatæ Mariæ de Dunis, *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 7. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 13. pag. 691. ultimæ editionis. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* verbo *Ægidius Leodiensis* pag. 26. editionis 1643. Lovanii in 4. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 80.

GUILLELMUS SANCTI MARTINI TORNACENSIS MONACHUS, ex Ordine divi Benedicti, circa annum 1246. clarus scripsit *Collectaneum præclari ordinis libris X. ex Scriptis divi Bernardi Claravallensis Abbatis* contextum, quod *Bernardinum* seu *Flores ex Operibus divi Bernardi* inscripsit, cujus Prologus incipit: *Cùm non essem alicui exercitio magnopere occupatus &c.* Incipit liber primus, *Quid est Deus &c.* de quo Joannes Mabillon tomo 1. *Analectorum* pag. 319. ubi Codicem MS. Bibliothecæ Cistertiensis refert. Sed opus jamdudum impressum est absque nomine authoris sub titulo *Florum Divi Bernardi* anno 1556. Lugduni apud Benedictum Rigandum & Joannem Sanguinum in parvo 8. Editum etiam hoc Opusolim in parvo 4. charactere pulcherrimo ac nitidissimo, Parisiis anno 1499. apud Philippum Pigoucher, cujus unum exemplar penes me est. Agunt de Guillelmo isto Sancti Martini Tornacensis Monacho, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*. Joannes Mabillon tomo 1. *Analectorum*, loco citato. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 108. post Antonium Sanderum in Bibliotheca Manuscriptorum pag. 141. & Valerium Andream *in Bibliotheca Belgica* verbo *Guillelmus &c.* pag. 335. editionis 1643. Lovanii in 4. 1240

CONRADUS EPISCOPUS RERUM MOGUNTINARUM SCRIPTOR, sub nomine Episcopi notus, floruit anno 1240. & ultrà sub seculi XIII. medium, qui nunquam Moguntinensis Archiepiscopus fuit, sed succursarius tantum ac Archiepiscopi absentis vel functiones suas obire nolentis, vices suppleturus. Hic ergo commodatitius Episcopus scripsit *Chronicon Moguntinarum Rerum* ab anno 1140. ad annum 1250. quod Basileæ primum anno 1535. ab Hervagio evulgatum est, tum anno etiam 1569. Basileæ impressum, immissumque posteà à Christiano Vrstitio in Volumen Historicorum Germaniæ pag. 567. Francofurti editum anno 1585. Wechelianis typis. Ejusdem *Chronicon Vetus* cum Historicis Germanicis ex Justi Reuberi Bibliotheca editis, Francofurti in fol. anno 1584. iisdem typis. Quis fuerit iste *Conradus Rerum Moguntinarum Scriptor per annos centum & decem*, magna satis controversia est, atque itum in varias sententias. Nam primum apud Eisengrenium legere est, *Conradum Bavariæ Ducem & Cardinalem Sabinensem condidisse Chronicon rerum Moguntinarum:* quam etiam opinionem *in Apparatu* 1240

fa-

sacro amplexus est Possevinus. Sed obstare videtur, quod Scriptor ille *Episcopus* vocetur, non autem *Dux Bavariæ vel Cardinalis Sabinensis*: deinde quid Duci Bavariæ vel Cardinali Sabinensi causæ, cur scriberet *Rerum Moguntinarum Chronicon*? Alteram autem sententiam amplexus est Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 479. ultimæ editionis, quam tamen conjecturis tantum proponit. Nempe *fortasse* authorem hujus Chronici, esse illum Conradum anteà Coloniensem Archiepiscopum, de quo in eodem Chronico ad annum 1249. ita legas: „Fratres Ecclesiæ Moguntinensis concorditer in Venerabilem virum Dominum Conradum Coloniensem Archiepiscopum vota sua transtulerunt, postulantes à sede Apostolica, ipsum sibi præfici in pastorem. Sed heu heu, hoc non poterat obtineri, non est hæc postulatio admissa, sed electio capitulo restituta: & ne Archiepiscopus Coloniensis ægrè ferret suum desiderium non completum, ipsi Legationis dignitas est commissa." Sed tantum abest, ut citata verba hunc Conradum Coloniensem Archiepiscopum anno 1261. Coloniæ mortuum, hujus Chronici authorem faciant, ut eum potius amoveant. Nam author hujus Chronici de hoc Conrado, tanquam altero à se viro, prorsus loquitur, dum eum *Venerabilem virum* appellat. Præterea quid causæ fuisse isti Conrado Coloniensi Archiepisc. homini secularibus negotiis implicatissimo, *Chronicon rerum Moguntinarum* scribere, cujus sedis honorem simul cum Coloniensi obtinere haudquaquam poterat? Animum potius & calamum apta sset rebus Coloniensibus quibus potiebatur, scribendis, quàm Moguntinis, ex quibus pulsus fuerat. Denique de Conrado isto Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 378. pag. 254. quem vult fuisse Archiepiscopum Moguntinum, ac Patavii in Bavaria anno 1205. mortuum. Verum eximiè hac in re fallitur Aubertus Miræus. Conradus enim Archiepiscopus Moguntinus, qui ex Miræo anno 1205. vel ex Sammarthanis Fratribus anno 1202. mortuus est, ut ipsi optimè probant, *Chronicon rerum Moguntinarum* usque ad annum 1250. scribere, nisi è tumulo suscitatus fit, non potuit. Distinguendus est igitur Conradus iste Suffraganeus vel Chorepiscopus Moguntinus, qui Moguntinas res ad annum usque MCCL. scripsit, à Conrado Moguntino illo Archiepiscopo, qui anno 1202. mortuus est. Agunt de *Conrado Rerum Moguntinarum Scriptore*, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 479. editionis ultimæ. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 93.

1240 MATTHÆUS PARISIUS SEU PARISIENSIS, ad fanum divi Albani quod olim Verolamium dicebatur, Ordinis divi Benedicti Monachus, Liberalibus studiis ab adolescentia traditus, animum Historiæ conscribendæ perpetim apposuit, cujus indicium varia ab eo volumina posteritati suppeditata, quæ omnium tractantur manibus. Extat ejus *Historia Major* edita primum Londini in folio anno 1571. tum juxta istud exemplar verbatim iterum recusa Londini anno 1640. atque Parisiis venalis facta anno 1644. apud Viduam Guillelmi Pale, denique tertio Londini recusa anno 1684. in folio. His autem duabus ultimis editionibus, accesserunt primum *Vitæ duorum Offarum Merciorum Regum*, deinde *Vitæ viginti trium Abbatum Sancti Albani*, unà cum *Libro Additamentorum ad Historiam Majorem* per eundem authorem. Floruit ab anno 1240. eoque anno 1259. obiisse Christi Salvatoris sub Henrico III. Rege dicitur, quo Chronicon finivit. Hæc paucis quidem dixeram in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1250. pag. 530. modico contentus compendio: sed postea considerans Opera Matthæi Parisiensis multis indigere observationibus, & hoc argumentum à Bellarmino, Labbeo atque Cavo ipso neglectum, latiori verbo ad pleniorem eruditorum satisfactionem illud aggredior: ut ingenium, Opera, laudesque Matthæo Parisiensi debitæ, cum ipsis etiam æquissime nævis ei attributis, neminem imposterum lateant. Eximiam Matthæi Parisiensis laudem ita contexuit Joannes Pitseus Anglus in Opere suo *De Scriptoribus Angliciis* ætate 13. Scriptore 367.

Matthæus Paris, Parisius vel Parisiensis, sic enim cognominatum lego à familia, non à patria, uti & Joannes Paris de quo *in Appendice*, fuit enim uterque natione Anglus. Et hic quidem Matthæus, Ordinis S. Benedicti, Monachus ad S. Albanum Congregationis Cluniacensis, ab ipsa uti videtur adolescentia quasi Deo dicatus & Monasticæ disciplinæ traditus, egregiam quam natura dederat indolem, omni laudabiliori eruditione perpolivit, omni virtute ornavit. Manuarius Scriptor, pictor non vulgaris, omnes denique mechanicas artes, quantum & qua parte liberale ingenium decere possunt, sufficienter didicit. Artes autem liberales accurate calluit. Poëta elegans, Orator facundus, Dialecticus acutus, Philosophus subtilis, Mathematicus non contemnendus, Historicus percelebris, Theologus solidus: & quod omnium caput est, morum integritate purus, vitæ innocentia clarus, simplex, candidus. *Innocentii Papæ quarti* jussu Nordowicensis Diœcesis Monachos nonnihil in observantia regularis disciplinæ claudicantes reformavit. Ex mandato etiam ejusdem Papæ anno Domini 1248. in Norvegiam missus est, ut Monasticam disciplinam in Cœnobio de Holm labefactatam restauraret, uti fecit. Acerrimus vitiorum reprehensor, patriorum privilegiorum strenuus propugnator & defensor. Ita zelatus zelum suæ gentis & Ecclesiæ Anglicanæ, ut nimias Summi Pon-

„Pontificis exactiones redargueret, & nimis du„rum ejus jugum in Clerum Angliæ scripto ta„xaret. Anno etiam Domini 1250. Cum Rex „*Henricus tertius* Fratres confidenter suos uteri„nos,& multos alios exteros in favorem dicto„rum Fratrum, postpositis Anglis, in Anglia ad „maximas dignitates tum Ecclesiasticas, tum se„culares eveheret: hic *Matthaus* suæ gentis de„plorans in hac parte miseriam graviter con„questus est, quòd vix Anglus aliquis, vel in aliis „exteris regionibus aliquod officium vel benefi„cium possideret: cum tamen in Anglia tum „Itali, tum alii multi externi maximis in utroque „genere ditarentur redditibus, & subjungit in „hæc verba: *Profectò peccata nostra, nobis grava„mina meritò talia praparaverunt.* Hæc tamen „& similia utrum ab ipso sic scripta, an ab aliis „illi falsò adscripta fuerint, nihil ausim certò „affirmare: maximè cum quorundam sit opi„nio, multa ejus scripta recentius edita, in„correcta, imò corrupta, & nonnihil depravata „in lucem prodiisse. Virtutis & doctrinæ ti„tulis, Principibus & Proceribus regni, ipsique „Regi *Henrico tertio* mirè charus fuit. Rex eum „ad maximas quasque solennitates, quæ in aula „frequenter habebantur, advocavit: ut omnia „præsens oculis contemplaretur, & posteà secu„riùs atque fidelius scriptis mandaret singula. „Erat enim ad Historias scribendas ingenio satis „accommodato, quo nomine à suis multum „laudatur, & inter sui Cœnobii benefactores „non ultimo loco numeratur. Sane in ejus „Scriptis immensos labores & incredibilem se„dulitatem videre est, quibus etiam accedunt „ingenium & judicium. Antiquorum enim „scripta diligenter perlegit, quæ ad suum pro„positum faciebant, sagaciter selegit. Omnia „in bonam methodum compendio redegit, de„ducitque ingenti Historiarum volumine *Res „gestas ab Adamo, Mundique exordio, usque ad in„gressum Guillelmi Nortmanni* in Angliam. De„inde scripsit *Historiam quam vocant Majorem*, „incipiens ab *Hamldo & prafato Guilielmo*, hoc est „ab anno Christi 1066. & perseverans *usque ad „annum Domini 1250.* ubi subsistere constituerat, „propter quasdam rationes, quas ipse non ob„scurè versibus his sequentibus insinuavit in „hæc verba.

„ *Siste tibi metas studii Matthae quietas,*
„ *Nec ventura petas, qua postera proferet ætas.*

„Nihilominus tamen vel suâ sponte, vel ex Ma„jorum præscripto, mutatâ sententiâ, penè de„cem alios adjunxit annos. Nam nonnisi an„no gratiæ 1259. scribendi simul & vivendi fi„nem fecit. Sed intereà multa alia edidit Ope„ra, & hanc ipsam *Majorem Historiam* presse in „breve redegit compendium, & *Minorem* voca„vit, habetque in hac singularia non pauca, quæ „apud alios vix aut ne vix quidem reperias. „Sed jam titulos Scriptorum ejus subjicia„mus

Historiam ab initio mundi Lib. I. MS. in Bibliotheca Sidnejana. «

Descriptionem mundi Lib. I. Castrum Doverense in ipsa rupe &c. «

Historiam Majorem à Guilielmo Normanno, usq; ad finem Henrici tertii, Libros seu Reges octo continentem. Incipit, *De Chronologia, id est temporum descriptione loquuturi &c.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, item in privata Baronis de Lumlejo. Extat anno 1606. «

Additamenta Chronicorum Lib. I. Considerans prolixitatem Chronicorum Angliæ &c. MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti. Item in privata Bibliotheca Comitis Arundelii. «

Chronica Majora Cœnobii S. Albani Lib. I. «
Gesta viginti duorum Abbatum S. Albani Lib. I. «
Vitas & Martyria Sanctorum Albani & Amphibali libros duos. «
Vitam S. Edmundi Archiepiscopi Lib. I. «
Vitam S. Guthlaci Lib. I. «
Vitam S. Wolstani Episcopi Lib. I. & alia quædam. «

Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1259. Henrico tertio regni Anglicani clavum tenente. «

Hæc de Matthæo Parisiensi Joannes Pitseus, qui & aliquando *Matthaus Paris, de Paris, Parisius, de Parisio, de Parisiu vel Parisiensis* agnominatur. Omnibus autem hisce cognominibus, aut ille seipsum aliquando nuncupavit, aut ab aliis nuncupatus observatur. Vbi verò aut unde ortus sit, nescitur, quamvis Anglus certo fuerit, qui ab extero nemine, pro populari vel compatriota suo, vindicatus unquam est. Hoc primò certum de eo reperitur, utpote quod propriâ manu inter obitus Monachorum prænotatos, de seipso sub his verbis memoriæ commendatur. *Hoc anno (1217.) ego frater Matthaus Parisiensis, habitum suscepi Religionis, die S. Agnetis (Januarii 21.) qui hac scripsi, ut vivant fratrum nomina in aeternum.* Quam Canonice in Monasterio conversatus, & quantam sanctitatis famam sit inde consecutus, vel hinc conjiciendum est, quòd scilicet cum Monasticæ severitas disciplinæ, in Nortwegiæ Regni Monasteriis jam ferme in desuetudinem abiisset: nominatim à Norwegis Matthæus postulatus sit, & nominatim ab Innocentio Papa IV. illuc demandatus, pristinum Ordinis rigorem cum laude resuscitavit, ut ipse habet in *Historia* ad annum 1248. pag. 505. Col. 2. Littera F. & sequentibus. Fama autem eruditionis, integritatisque ejus adeò per Angliam inclaruit, ut ad continuandam Anglicarum rerum Historiam, mandato sumptibusque Regiis, ut in prioris Historiæ ejus editionis præfatione dicitur, accerseretur. Quàm verò familiariter à Rege Henrico III. sit interpellatus, juxtaque eum sedere jussus, & quomodo ea quæ tunc vidit, ut historiæ commendaret, à Rege sit edoctus: ipse laudum suarum haudquaquam

pa-

parcus vel immemor, narrat in Historia ad annum 1247. pag. 494. col. 2. littera A. Quomodo insuper cum Rege continue fuerit in mensa, in palatio, in cubiculo & in thalamo: & ut Rex scribentis calamum satis diligenter & amicabiliter direxerit: ipse sibi testis pariter in eadem Historia ad annum 1257. pag. 636. col. 1. littera G. Quanta vero eum Rex dignatus sit gratia, ut pro Oxoniensi Universitate intercedentem exaudierit, idem habet ad eundem annum pag. 636. col. 2. littera D. Imo & quanta apud eundem Regem usus fuerit libertate, cum illum in faciem *imperterritus* aliquando redarguerit, ipse sibi fert testimonium in *Historia* ad annum 1250 pag. 524. col. 2. littera B. Ast non Angliæ duntaxat notus, verum ad exteros etiam principes & fama ejus pervolavit. Tantæ enim existimationis apud Francorum Regem Ludovicum extitit, ut ei quasi Legato suo, litteras Nortwegorum Regi Haconi deferendas commiserit, ut ipse idem habet in *Historia* ad annum 1247. pag. 496. col. 1. litteris B. C. D. Quam charus denique & ipsi *Haconi Regi* & quid pro amore ejus fecerit, ille ipse vos edocebit ibidem ad annum 1248. pag. 504. col. 2. littera B. nihil omittens quod laudi suæ conducere possit.

Quot & qualia Matthæi Parisiensis scripta sint, Joannes Lelandus tomo 4. Collectaneorum *De illustribus Angliæ Scriptoribus* in Avtographo qui MS. est in Bibliotheca publica Oxoniensi, pag. 207. Joannes Balæus in Opere *De Scriptoribus Britanniæ* Centuria 4. Script. 26. Joannes Pitseus in libro *De Scriptoribus Anglicanis* ætate 13. scriptore 367. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 472. ultimæ editionis, aliique plures edocuerunt. Plurium sane ille ipse Matthæus non meminit, quam *Vita S. Edmundi inter Historiales libros sancti Albani*, quam Willielmus Wats jam olim deperiisse conjicit. Sed legendo attente locum illum in Historia Matthæi Parisiensis ad annum 1253. pag. 581. col. 2. littera G. nullatenus reperio scriptam fuisse ab ipso Vitam S. Emundi Cantuariensis Archiepiscopi: sed tantum inde inferri potest, Vitam hanc sancti Edmundi, haberi inter alios Libros Historiales in Bibliotheca sancti Albani: *Miracula quæ Dominus meritis beati Episcopi dignatus est operari, in Historialibus libris Sancti Albani, videlicet in libro De vita Sancti Eduardi annotantur.* Quod vero & *Additamenta* conscripserit, palam de seipso in eorum libro MS. & edito profitetur, pag. 100. col. 1. Littera B. Ita enim, *Ibi inveni authenticum Papale, quo Dominus Matthæus Parisiensis, qui & hæc scripsit, destinatus est & constitutus (licet invitus) reformator Ordinis sancti Benedicti, & visitator nigrorum Abbatum & Monachorum eorundem in Regno Nortvvegiæ.* Cujus rei ipse laudum suarum cupidus late meminit in Historia sua ad annum 1248. pag. 505. col. 2. littera F. & sequentibus. Et alibi etiam in iisdem *Additamentis* pag. 121. col. 1. *Hoc privilegium insigne impetratum tempore Matthæi Parisiensis horum Scriptoris, absit quod in futurum Abbates illo temere abutantur, sicut plerumque contigit.* Atque hæc verba propriissima Matthæi manu Scripta, fuisse conjicio, atque hoc privilegium in *Historia* sua ad annum 1252. pag. 566. col. 2. littera B. appellat & in *Additamentis suis* futurum citat.

Stylus utcunque & in pluribus Rogerum de Wendovera imitatur, sed comptior plerumque & latinior incedit: atque si Eadmerum excipias & Guillielmos Malmesburiensem Neubrigensemque, omnium Historiographorum Anglicorum, merito latinissimus censendus est, imo coriphæus facileque princeps. Quod vero turgidius aliquoties intumescat, & post unam alteramve periodum, languidule & sibi jam factus æqualis, stylum demittat: imo & quod dictio ejus stribiliginem ætatis semibarbaræ aliquoties oleat, non ipsi, sed illius ævo imputabunt Critici. Atque hæc jam prælibavi ut delicatulorum aut arcerem aut inhiberem nauseam Magistellorum: qui ubi aliquantillum minus Ciceronianum delibarunt, ambabus protinus horrent auribus, tumidisque expuere buccis moliuntur. Sed utcunque fuerit hic noster Matthæus in sententiis, in sensu tamen non adeo hebetem fuisse Lector observabis: quem imo potius aciebus cuspideque trucem satis, atque præacutum in omni ferme pagina experti sunt alii. Omnes enim secat, universos pungit, ac si nulli omnino mortalium aut parcere aut condonare, rigidissime sibi proposuisset. Non Episcopis scilicet, non Magnatibus, non Regibus, non Imperatoribus, imo nec ipsi Papæ, nec Abbati proprio. At tanquam furiosus quispiam in quadrivio, ex quaqunque plaga viator supervenerit, *Tros Rutulusve ferat*, hospes an hostis: Si illi non placuerit, flagris misellum adoritur, lorisque male mulctatum, procul arcet & abigit. Atque huic est, quod hominem nostrum *quasi in Pontificem Romanum iniquiorem* tam acriter sugillarint scriptores Pontificii, doctissimi nimirum Cardinales, Baronius *Annalium Ecclesiasticorum* tom. X. anno 996. num. 63. & tomo XII. anno 1196. num. 16. & 17. Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1245. Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro.* Nicolaus Coefferæus ex Ordine fratrum Prædicatorum, Parisiensis Theologus in *Sacra Monarchia Ecclesiæ Catholica, Apostolica & Romana*, adversus Rempublicam. Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis, parte 2. pag. 433 Aubertus Miræus Decanus Antwerpiensis in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403. & alii multi.

Porro excusare hominem, ac dealbare quem putant Æthiopem, nititur Willielmus Vuats Anglus Presbyter in Præfatione novæ suæ editionis ad Lectorem, his verbis. « At pace tantorum virorum dico, quod Romanæ rapacitates curiæ, tam frequenter tantaque declamandi libertate, Matthæus redarguerit; id sane

„ne patriæ suæ zelatori miseratorique, omni„no est condonandum. Non sannas enim, ca„lumniasque immeritas, quasi Papæ gratis de„stomachatus eructavit: sed Angliæ planctus, „suspiria,gemitusque, nec eos atramento depin„gendos, sed sanguine, lacrymisque. Liberius „fateor avaritiam Romanæ curiæ, venalitatem„que carpit Matthæus, sed non ex nostris id so„lus. Eadmerum testor *Novella Historia* Lib. 2. „pag. 32. Malmesburiensem *De gestis Pontificum* „*Anglorum* Lib. 2. pag. 136. atque Neubrigen„sem *Historia* Lib. 1. cap. 10. pag. 35. Imo si „Pontificii in Wendowerum incidissent, non „uni Matthæo inimicarentur. Audacter dico, „quia expertus dico, vix unam aut alteram ejus „generis querelam apud Matthæum inveniri, „quæ non etiam apud Wendowerum reperia„tur. Imo & Matthæus Westmonasteriensis „illas ipsas fere retinuit, pluresque post illum „Walsinghamus addidit. Adjicio, non Angli „duntaxat, sed & Galli, sed & Germani, sed & „alii adversus Romanam curiam gutture sane „non rauco, sed stentoreo: imo plenis quod a„junt buccis, rictibusque patulis non semel ebo„arunt. Non nos Angli, sed exteri profecto, „planctus illos, onera, gravamina, & deplora„tiones Ecclesiæ vel Imperii ediderunt. Quæ „non ideo nunc inculco, ut vulnera quæ (Deo „gratias) nec sentimus nec timemus, recrude„scere faciam, aut Romanos ut irritem: sed ut „Matthæum excusarem, utpote de oppressio„nibus quas est perpessus, sibi patriæque hu„manitus condolentem. Tum sinceritatem ac „bonam fidem, qua in editione sua novissima „*Historia Matthai Parisiensis* usus est, omnibus „Lectoribus suis propalans, sic prosequitur, ut „omnem ab eis falsi scrupulum amoliatur. In „istis autem, quidquid a prioris editionis evul„gatore mutatum suspicantur Pontificii, a me „bona fide, in Variantibus meis Lectionibus in„venient restitutum. Tu Lector, si placet, ea„rum consule Præfationem. Scias enim, me „dolo malo nihil omnino aut mutavisse aut „substituisse, quod & sancte dico. Si quid igi„tur ullibi in his peccatum animadvertes, illud „omne aut e scientia aut ignorantia mea (Co„adjutorem enim omnino non habui) fuisse præ„terlapsum, non erubesco profiteri. Ex Theo„logorum enim, sive Confessionis Anglicanæ „Sacerdotum Collegio sum, nec partibus stu„deo, sed veritati. Licet enim occasione Schis„matis (quod doleo) lites non raro de Dogma„tibus inter partes oriantur: & cum conscius „mihi sim multa in Matthæo nostro inveniri, „utpote qui sub indocto vixerit seculo, pro Ro„manis, potius quam pro nostris facientia: spre„vi tamen vel unicam lineam litteramve, aut „delevisse aut demutasse. Imo etiamsi pro cer„to confidissem, me unice dolo eoque ab omni„bus celato, vicisse potuisse: & non tantum „partes nostras egregie defendisse, sed & in æ„ternum adversariis ora obturasse. Nam tur„pissima Theologo aut victoria est aut gloria, „quæ cum fraude mala, & non sine sacræ præ„judicio veritatis, non est acquisita, sed surre„pta. Hæc ille Theologus, ad omnem doli, in„ultima Operum Matthæi Parisiensis editione, suspicionem amoliendam.

Quidquid sit de bona fide quam servavit Willielmus Vuats in novissima editione *Historia Matthai Parisiensis*, quam anno 1640. Londini collatam ad MSS. Codices procuravit: quidquid sit pariter de excusatione Matthæi ejusdem ab ipso conscripta, quoad liberiorem exactionum Romanæ curiæ censuram a Matthæo Parisiensi factam, quod argumentum limites instituti mei prætergreditur: unum dicam unde vix a quoquam excusari unquam possit, Matthæum Parisiensem fuisse ingratissimum ac superbum Monachum, atque hoc vitio, quantum conjecturis meis datur, plurimum laborasse. Hoc aperte constabit, si quis vel tantisper attenderit, ad rationem qua cum Rogero de Wendovera, in Historia sua egit. Certum enim est ex Joanne Sheldeno atque aliis, *Majorem Matthai Parisiensis Historiam* duabus constitisse partibus seu tomis, quorum unus ab Orbe condito ad Christum, alter a Christi Nativitate ad annum 1250. extendebatur. Atqui quod horrendum ingratitudinis Monachalis ac superbiæ indicium est, omnem suam hanc secundam partem, nempe a Christo nato ad annum 1235. ut omnes jam fatentur & norunt post MSS. Codicum collationem, ipse Matthæus Parisiensis verbotenus ad instar scholastici vel tyrunculi, ne nominato quidem authore, desumpsit ex Rogero de Wendowera Monacho sui ejusdem Cœnobii: ita ut ex anno 1250. vel 1259. spatio seu intercapedine, annos duntaxat ipse viginti quatuor tantum conscripserit: cæteris omnibus annorum 1235. ad Rogerum de Wendowera pertinentibus, quem Matthæus solum modo transscripsit. Imo quod horribilius est, omnemque humanitatem & humanæ societatis usum excedit, ipse muli instar, calcibus suo benefactori abblaudientis, post tanta Rogeri de Wendover sibi superbe attributa: benefactorem suum injuriis lacessivit, atque quantum potuit, in mercedem acceptorum ab eo anteriorum temporum, traduxit nominis ejus famam temporibus posterioribus, id est, ab anno 1236. quo Rogerum ipse continuavit & excepit. Idem quidem scelus supra, Symeoni Dunelmensi respectu Turgoti Monachi attributum est: sed Symeon hac in re moderatior, quod Turgotum quem suppresserat, injuriis haud oppresserit: uti factum a Matthæo Parisiensi circa Rogerum de Wendovera, quem paucissimis vel demptis vel additis, verbatim sibi adscripserat. Vide quæ antea diximus, in *Rogero de Wendovera*.

Jam tempus est ut veniamus ad Scripta Matthæi Parisiensis, eaque attentius consideremus, desumentes potiora a nobis dicenda, ex erudi-

tis observationibus & notis, quas in ultimis Matthæi editionibus præmiserunt Joannes Seldenus & Willielmus Vuats, ambo Angli, ex Manuscriptis Codicibus a se inspectis ac designatis.

Triplices quantum video, attribuuntur *Annales*, seu *Historia* vulgo dictæ Matthæo huic Parisiensi. *Historia Major*, seu Annales primi ab Origine rerum ad posteriora Henrici tertii tempora deducti sunt: unde & meminit Balæus paulo post *Historia ejus ab origine Mundi* &c. Secundi & Tertii Annales, ab initiis Normannorum in Anglia (conquestum vocamus) in eundem terminum. *Annales primi* seu *Historia Major* tres quasi partes complectebatur, quarum prima ab Orbe condito ad Christi Nativitatem. Secunda a Christi Nativitate ad Occupationem Angliæ, sed ad annum circiter 1066. Tertia ab anno 1066. seu ab Occupatione Angliæ ad tempora Matthæi Parisiensis, vel ad annum 1250. quo primum suam Historiam Majorem terminavit. Prior pars, quam ab authore anonymo verbotenus transscripserat Matthæus Parisiensis, totidem ferme verbis exscripta habetur in priore parte *Florigerii Matthæi Westmonasteriensis*, quod non semel typis editum est: nam *Floris Historiarum* Opera hæc sua uterque Monachus vocavit. Secunda pars, quam etiam ferme verbatim descripserat ex Rogero de Wendovera, ut constat ex collatione MSS. Codicum facta, nempe a Christo ad Guillelmum Angliæ Conquestorem, habetur etiam ibidem. Fatetur hoc Joannes Sheldenus, qui MSS. duos Codices Chronicorum Rogeri Wendoveri tenuit atque excussit, unum in Bibliotheca Westmonasteriensi, alterum in Avandeliana: *Chronica digessit sua Rogerus in Capita, & passim ferme eadem habet ipsa, qua Matthæus Parisiensis & Westmonasteriensis in intervallo illo, quod Guillielmi Normanni initia antevertit.* Tum antea *Annales suos Rogerus de Wendover in Christi Natalibus inceptos continuavit in annum 1235. seu 19. Henrici tertii.* Ibi in MS. *Hucusque Chronica sua Dominus Rogerus de Wendover.* Quibus subjungitur hoc Distichon:

Cernis completas hic nostro tempore metas
Si plus forte petas, tibi postera nuntiet ætas.

Posterior seu tertia pars, est ea ipsa quæ jam tertio vel quarto prodiit, nomine *Historia Majoris Matthæi Parisiensis*, quæ potius ejus quæ Major est, tertia pars fuerit dicenda. Sane & *Majoris* nomine a Joanne Balæo Centuria 13. Scriptore 33. insignita est Historia illa, antequam typis edita est. Sed omnis ferme ista tertia pars *Historia Majoris*, nempe ab anno 1066. usque ad annum 1235. desumpta est a Matthæo Parisiensi verbatim ex anterioribus Chronicis Rogeri de Wendover: ita ut ex tanta ista annorum congerie, anni duntaxat circiter 24. ad Matthæum Parisiensem spectent, ab anno nempe 1235. ad 1259. quo mortuus est, cæteris omnibus ad anonymos & Rogerum de Wendover spectantibus, quos Matthæus Parisiensis transscripsit tantum. Hæc Joannes Sheldenus dissimulare non potuit in Notis editionem tertiam hujus Historiæ antecedentibus. « *Caput autem Rogeri 86. ad hunc modum incipit*, Anno Domini « MLXVII. Dux Normanniæ Willielmus ur- « bem Londoniensem adiens &c. quæ sequun- « tur ipsissima habentur apud Parisiensem fere « universa verba, usque in annum quem dixi- « mus 1235. id est in editione hac usque ad pag. « 285. col. 1. litterâ C. Imperialibus nuptiis, o- « mnibus dignissima indicatur: *qua postrema sunt* « *Wendoveri vocabula*. Fere, *dixi*; *nam nec de-* « *sunt qua pratermisit Parisiensis, maxime de phana-* « *tica Astrologorum Toletanorum quadam pradictione,* « *in anno apud Wendoverum 1229. collocata*. *Sed* « *pancissima sunt, qua pratermisit aut mutavit, tam-* « *etsi subinde occurrant, qua interseruit.* *Adeo et-* « *iam retinuit Wendoveri verba Parisiensis, ut non* « *solum in Annalium contextu quo tertia persona u-* « *surpatur, illius adhibeat syllabas, passim ferme trans-* « *scribendo ipsissimas: verum etiam, ubi prima per-* « *sona usus est Wendoverus, eadem ipsa, velut Wen-* « *doverii personam induens, per intervallum illud uta-* « *tur.* *Verbi gratia* &c. Tum postea idem Sheldenus. *Quod tum intuemur, necesse est, ut statua-* « *mus* Parisiensem, *Wendoverio in munere Chrono-* « *graphico succedentem, illius primo sibi scripsisse An-* « *nales, maxime qui Nortmannorum initia sequun-* « *tur, totidemque verbis descripsisse, ut deinceps con-* « *tinuaret.* *Ita tamen ut hic illic, prout aliunde de* « *illo intervallo alia ediscere potuit, diligenter postea* « *ut florum fasciculo, flosculos alios intersereret: vo-* « *cabula tamen pristina, velut superstitione interna* « *quadam plerumque retinens.* » En quomodo Critici Angli conveniunt, ferme ubique scriptarum Historiarum, ante annum 1236. Matthæum Parisiensem ab aliis, ac maxime a Wendovero, suppresso etiam ejus nomine, sua verbotenus exscripsisse.

Alii seu secundi Annales sub nomine Matthæi Parisiensis, illi sunt ut vult Sheldenus in Notis, quos Joannes Balæus *Majora Chronica sancti Albani* appellat, quæ vidit idem Sheldenus MSS. in Regia Angliæ Bibliotheca ad fanum divi Jacobi. De hoc Codice olim ad ipsum Matthæum Parisiensem pertinente, quem Monasterio S. Albani ab ipso donatum, atque propria manu Matthæi scriptum volunt, plurima Sheldenus in Notis suis. Sed Willielmus Vuatsius in præludiis suis ad Variantes Lectiones ita loquitur. Liber iste Chronicorum non aliud certe est, « quam totius Historiæ Majoris a Conquestore « Willielmo usque ad obitum Matthæi Parisien- « sis, relimatio, abbreviatioque. Opus ipsissi- « mum Matthæi nostri est, in quo multa fere & « ubique contraxit, non parca dispunxit, in eo- « rumque locos non pauciora ictu sane dignis- « sima reposuit. Et sane liber iste, quo usi su- « mus numericus, quin ad Matthæum aliquando « pertinuerit, vix aut ne vix quidem est dubitan- « dum. Imo & quod ab eodem Sanctalbanensi- « bus

„bus suis dono datus sit, epigraphe demonstrat, „illaque ab eademmet manu rubricatis litteris „exarata, quam & in libro *Vitarum Additamentorumque* invenimus. Equidem & ab eodem librario conjicio descriptum, vel certe a quopiam contemporaneo & Cœnobii ejusdem, qui „& *Vitarum* erat amanuensis. Sane & a Sanctalbanensibus postquam deperditus esset, pro „suo venditatum, & illud testatur Lincolniensis „Episcopi chirographum, quod in Notis reperies „Sheldenianis. Postea pertinuit iste liber ad „Baronem Lumlejum, inde ad Comitem devenit Arundelianum: & est ille ipse Liber, quem „anterioris Præfatio editionis *Historiam indigitat* „*Minorem*. Nunc dierum in Archivis Bibliothecæ Regiæ ad sancti Jacobi, inter Cimelia re„conditur. Hujus denique se aliud vetustissi„mum vidisse exemplar, testatur Willielmus „Lambardus, scilicet penes Matthæum Cantua„riæ Archiepiscopum, ex quo illam conjicio „transcriptam fuisse *Historiam Minorem*, quæ „nunc in Bibliotheca Benedictina Cantabrigiæ „reservatur.

Restat jam ut de *Historia Minore* (qui a Sheldeno Annales tertii generis vocitantur) hæc pauca moneamus. „Et sane librum talismodi „nunquam conscripsit *Parisiensis*, neque altera est „revera *Historia Minor*, nisi liber *Chronicorum*. „Hallucinantibus vero occasionem præbuit „Transcriptum nunc Cottonianum, olim *Willielmi Lambardi*, & ille quidem egregius inter „nostrates, ante annos aliquot antiquarius. „Transcripto titulus est, *Matthæi Paris Historia* „*Minor*: & iterum ipsius Lambardi manu, *Historia rerum ab octo primis post Conquistionem Angliæ Regibus gestarum, Matthæo Parisiensi Authore*. „Vu. Lambarde 1565. Et tertio, *Hujus libri* „*duo tantum vidi vetusta exemplaria, quorum alte„rum penes Henricum Arundeliæ Comitem est, alte„rum vero penes Matthæum Cantuariæ Archiepi„scopum*. Vu Lambarde. Quarto. *Et adver„tendum est, quod hoc exemplar non est ad verbum* „*transscriptum, sed ea quæ ad Historiam Angliæ* „*pertinent, summa fide & fere verbatim traducun„tur. Cætera forinseca cum sint, ut plurimum levi* „*pede præteriit scriptor, nonnunquam etiam plane o„misit*. Vu. Lambarde. Cum autem vidissent „aliqui huic libello titulum *Historiæ Minoris* præ„figi, quem tamen & simul observarunt libro „*Chronicorum* fore breviorem: opus sane diver„sum, & quasi tertiam Matthæi elucubratio„nem, omnino suspicati sunt. Hujus non tamen „in titulo nostro mentionem fecimus, ne igno„rantes ignorantiæ nos redarguerent quasi *Hi„storiam Minorem* omnino non vidissemus.

Ex tribus igitur Historiis Matthæo Parisiensi a nomenclatoribus attributis, MSS. Codicibus accurate pensatis ac discussis, *Historia Minor* nihil aliud est, quam Excerptum quoad vel Anglicanas aliis omissis velut externis, desumptum ex libro *Chronicorum* hujus Matthæi Parisiensis. *Chronica* autem *Majora S. Albani*, quæ *Historia Matthæi Parisiensis Media* dici potest, nihil aliud est, quam tertia pars *Historiæ Majoris* ejusdem, incipiens ab anno 1066. ac desinens in annum 1259. Quam relimatam in multis, & ferme ubique contraxit, non pauca dispunxit, in eorumque loco, alia non pauciora scitu dignissima reposuit: ut supra dixit Joannes Sheldenus in *Notis* & Willielmus Vuatsius in Observationibus ad editionem suam præviis. Denique quoad *Majorem Historiam Matthæi Parisiensis*, si exceperis annos viginti quatuor, ab anno nimirum 1235. ad annum 1259. ipsa omnimode Matthæum Parisiensem authorem non agnoscit, sed Rogerum de Wendovera: ita ut cui nomenclatores attribuerint tres Historias, vix unius ex tribus anni viginti quatuor, merito sibi vendicare queat. Hæc non in invidiam Matthæi, sed ad ejus fastum retundendum.

Continuationes Historiarum illæ sunt, quæ anno 1251. pagina 475. tertiæ editionis incipiunt. Anno scilicet 1250. Matthæus Parisiensis, ut Rogeri Wendoveri non exceptor solum sed & imitator, terminum Annalibus ponere quidem sibi statuerat, quod & memorat Matthæus Westmonasteriensis, ad annum 1250. Sed deinde propositum mutans, in annum 1259. illos nihilominus continuavit. Quod tamen Chronicis, quam in Historicis editis manifestum est: unde & anni qui sequuntur a Joanne Balæo & ab aliis, *Auctarii* nomine indigitantur. Initium autem quod adscribitur in Balæo, nempe, *Dominus Rex fuit apud Wintoniam* &c. est ipse titulus, quo Sectio prima ejusdem continuationis in Manuscriptis insignitur. Neque omnino erat, cur Severino Binio in *Conciliis* tomo 3. parte 2. pag. 733. editionis Coloniensis anni 1618. aliisque ejus sequacibus, Annales Matthæi annum 1250. sequentes, suspectæ haberentur fidei. Quod idem Robertus Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1245. perperam censuit.

Additamenta Chronicorum, quæ ex MS. Codice Regiæ Angliarum Bibliothecæ ad divi Jacobi fanum, habentur in hac editione tertia, de quibus quin legitima sint, nullus est qui ambigere audeat. Nam ipse Matthæus Parisiensis in *Historia* sua sæpius Lectorem ad ista *Additamenta* remittit, ut plenius edoceatur. Conferenda sunt tantum semel *Additamenta ista* cum ipsa Historia, ut de utriusque Operis genuina fide judicetur.

Descriptionem Mundi a Matthæo Parisiensi factam narrat Pitseus, Balæus & alii. Hæc quidem tabula geographica seu chorographica est, sed immane quantum rudis. Depingitur in columnis seu paginis aliquot, quæ præfiguntur MSS. ejus Chronicis in Anglicana Regis Bibliotheca citata. Primum occupat locum Castrum Dorobernense, seu ipsa Dorovornia, cui subjicitur, *Le Chastel de Dovre, L'entrée, e la clef de la viehe isle de Engleterre*: quod ipsum est initium hic a Balæo & Pitseo Latine versum. Nam

& cæ.

& cætera fere quæ adſcribuntur, omnia Gallica ſunt: unde & Gallicam linguam fuiſſe Matthæo Pariſienſi familiarem neſcimus, atque etiam forſitan vel Gallum fuiſſe, vel Pariſienſem origine, hinc non improbabiliter inferre aliquis poſſet.

Vita duorum Offarum Angliæ Regum, *& Abbatum XXIII. Monaſterii S. Albani*, huic editioni acceſſerunt, quæ in MSS. Codicibus Matthæi Pariſienſis nomen præferentibus inventæ ſunt, nec ab ejus ſtylo abhorrere cenſentur.

Alii alia multa Opera Matthæo Pariſienſi adſcribunt, de quibus antequam manum de tabula tollam, paucis videndum eſt, an merito, an oſcitanter, quomodo plerique nomenclatores *Scriptorum Eccleſiaſticorum* agere conſueverunt. Unde Lectores ſuos in errores facti plurimos ſæpiſſime, Labyrinthosque inextricabiles conjiciunt. Adſcribit illi Joannes Balæus in Opere *De Scriptoribus Britanniæ* Centuria 4. Scriptore 26. *Hiſtorias Hibernienſium*, quæ incipiunt *Magnus Patricius Hibernorum* &c. Sed recte Joannes Sheldenus in *Notis* ad Hiſtoriam Matthæi Pariſienſis præviis, has non eſſe omnino alias obſervat, quam *Hiſtoriam quandam de ſancti Patricii ſpelunca ſeu Purgatorio*, editis Matthæi Hiſtoriis ad annum 1152. pag. 61. columna 2. littera E inſertam, atque ex Hiſtoriis ſeu fabulis Hibernicis a Rogero Wendovero & aliis, antea hauſtam. De qua videbis *ſancti Patricii Vitam* ab Henrico Saltarienſi Monacho & Tundalo Mago conſcriptam, ubi iſta habentur. Dicitur item a Joanne Pitſeo ſcripſiſſe *Vitam ſancti Albani Lib. I.* quæ nihil aliud mihi eſt, quam quæ Matthæus de ſancto Albano in *Vita Offæ ſecundi Merciorum Regis* dixit, qui corpus S. Albani invenit, ac cujus inventionem Deus miraculis confirmavit, ut ibidem fol. 17. Et alibi paſſim in *Vitis Abbatum S. Albani*, quemadmodum ex tabula Operis conſtare poteſt. Idem dicendum *De Vita S. Amphibali*, quippe cujus ſæpe meminit in *Vitis Abbatum S. Albani*, pagg. 61. 63. 64. & 80. ubi & Lectorem remittit ad *Hiſtoriam inventionis corporis ipſius*, quam nempe pluribus deduxit in *Hiſtoria Majori*, ad annum 1178. pag. 93. col. 1. littera A. Quoad *Vitam S. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis*, quam illi pariter adſcribit Pitſeus, jam ſupra diximus, nunquam Matthæum Pariſienſem allegaſſe *Vitam S. Edmundi Cantuarienſis* ut a ſe compoſitam, ſed ut aſſervatam inter MSS. Codices Bibliothecæ ſeu Monaſterii S. Albani. Ita habet ille in *Hiſtoria Majore* ad annum 1253. pag. 581. columna 2. littera G. niſi & hoc intelligi debeat de variis, quæ paſſim habet in eadem Hiſtoria *ad laudem S. Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi*, puta ad annum 1244. pag. 424. col. 1. littera G. Ibidem pag. 427. col. 1. littera A. ad annum 1246. pag. 482. col. 1. littera A. ad annum 1247. pag. 491. col. 2. littera D. ad annum 1250. pag. 521. col. 1. littera A. Sed hæc pauciora ſunt, ut *Vita ſancti Edmundi Cantuarienſis*, appellari queant. *De Vita S. Guthlaci & Vita S. Vulſtani Epiſcopi & Confeſſoris*, quas idem Pitſeus eidem adſcribit, nihil habeo quod dicam; atque iſta forſitan *ſine Duce & Conſule* a Pitſeo dicta ſunt. Præter ſcriptores plurimos antea recenſitos, agunt de *Matthæo Pariſienſi* Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, cap. 403. pag. 262. Bellarminus & Labbeus in ſua Diſſertatione *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Gerardus Joannes Voſſius Libro 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 58. pag. 472. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Litteraria Scriptorum Eccleſiæ*, ad annum 1240. pag. 718. ſed omnes parce admodum.

GVILLELMVS DE MILITONA, natione 1240
Anglus, ex Ordine fratrum Minorum, inſignis Theologiæ ac Scripturæ ſacræ profeſſor, poſt Alexandrum Halenſem Pariſiis anno 1245. mortuum clarus extitit, de quo ita ſcribit Thomas Cantipratanus Libro I. *De Apibus* cap. 1. *Vidi alium eminentis vitæ virum de Ordine fratrum Minorum, fratrem Guillelmum de Militona, qui Magiſter Theologiæ Pariſius ſanctiſſimam & devotiſſimam vitam duxit. Hic cum die quodam Pariſius prædicaret, per horam obmutuit, & verbum vitæ reſumens, omnibus cum vultu ſereniſſimo valedixit, & ſic in pace quievit.* Annum non indicat Thomas Cantipratanus, cujus narrationes valde mihi ſuſpectæ ſunt, indolem enim ad fidem miraculorum, facilem atque avidam habuit. Jam ad ſcripta Guillelmi de Militona veniamus. Ex præcepto Innocentii IV. ſummi Pontificis *Summam Theologiæ* ſeu *Commentarium in 4. libros Sententiarum Alexandri Halenſis* compatriotæ ſui, propter illius mortem, imperfectam perfecit, complevit, eique manum ultimam adjecit, quam Alexandro Pontifici obtuliſſe dicitur, alii rectius Innocentio IV. oblatam voluit: de qua vide Lucam Waddingum in *Bibliotheca Ordinis Minorum*. pag. 154. Illud autem Guillelmi de Militona *Supplementum* impreſſum cum ipſa Summa ſeu Commentario Alexandri Halenſis, Lugduni annis 1515. & 1516. tomis 4. in 4. apud Antonium Koberger, ut in *Alexandro Halenſi* ſupra diximus. Jacobus Philippus Thomaſinus etiam, in Catalogo bibliothecarum MSS. Patavinarum tam Publicarum quam Privatarum, Utini 1639. in 4. impreſſo, in Bibliotheca S. Antonii de Padua, ubi longa ſerie recenſet Commentatores in quatuor libros Sententiarum, quorum opera illic MSS. extant inter illos *Guillelmum de Melitono* refert, ſive Commentarius hic ſit Alexandri Halenſis Supplementum duntaxat, ſive alius, quem marte proprio, pro more iſtorum temporum compoſuerit. Scripſit *Poſtillam ſeu Commentarium in Eccleſiaſtem*, qui habetur MS. in celebri Bibliotheca Canonicorum Regularium ſancti Victoris ad muros Pariſienſes, qui hoc anno 1685. disjiciuntur, littera E 6. fol. 119. Incipit, *Memini me*, &c. *Iſte prologus dividitur in duas partes. Imo narrat quid eum movit ad transferendum hunc li-*

brum, tangens una cum hoc, tempus & locum translationis &c. in fine, *Explicit super Ecclesiasten secundum fratrem Guillelmum de Maltona, Deo gratias.* Item in eodem MS. Codice fol. 155. ejusdem *Commentarius in Sapientiam Salomonis*, cujus titulus litteris rubricatis, *Prologus super Sapientiam Salomonis.* Super Sapientiam Salomonis secundum fratrem Guillelmum de Militone. *Fons sapientia verbum Dei in Excelsis, Eccl. 1. Sapientiam ait Eccl. 38. Scribe in tempore vacuitatis, insinuans nobis in quo pracipue sit studendum* &c. Narrat Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tom. 1. pag. 709. „Guillelmum de Militona, „aliis Melton, Ordinis Prædicatorum, Cancel„larium Parisiensem, aliis Eboracensem, quod „magis crediderim, scripsisse *Postillam in duode„cim Prophetas*, quæ Placentiæ in Italia in Biblio„theca Prædicatorum. Itemque in *Epistolam „ad Hebraos*, quæ adhuc Bononiæ in Bibliotheca „Dominicanorum extat hoc initio, *Narrabo no„men tuum fratribus meis* &c. Atqui & in *Penta„teuchum quinque libros, in Danielem & Machabu„os Commentaria, Sermones in Evangelia, Librum „De cælesti musica*, scripsisse fertur.„ Hæc Possevinus, ex quibus omnibus ab ipso enarratis, extat in eadem Bibliotheca Victorina Parisiensi, littera E 8. *Commentarius seu Postilla in XII. Prophetas Minores*, cujus hæc inscriptio: *Hac sunt scripta super XII. Prophetas secundum fratrem Guillelmum de Militona.* Prologus fol. 1. incipit, *Stabat mare super XII. boves, e quibus tres respiciebant ad aquilonem* &c. usque ad *laticabant.* 3. Regum 7. *Secundum litteram Mare hic dicebatur lavatorium, in quo Sacerdotes ingressuri templum, lavabant se* &c. Incipit Oleo folio 5. & alii Prophetæ consequenter. Fallitur egregie Possevinus, dum facit *Guillelmum de Militona* Cancellarium sive Parisiensem, sive Eboracensem, vel Ordinis fratrum Prædicatorum: id quod hiantibus faucibus arripuit Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Ordinis fratrum Pradicatorum*, ad annum 1296. pag. 71. & in *Appendice* ad eundem annum pag. 462. ubi Possevinum citat in *Apparatu Sacro* tomo 1. fol. 618. cum Sixto Senensi in *Bibliotheca Sancta* lib. 4. pag. mihi 238. faciunt mentionem *Guillelmi de Militona* Lucas Waddingus in *Annalibus Minorum* ad annum 1245. & *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum*, pag. 154. Seculum V. *Historia Universitatis Parisiensis*, in Historia ad annum 1245. pag. 202. ubi de *Supplemento Summa quadripartita*, seu *Commentario Alexandri Halensis in 4. libros sententiarum.* Et in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, pag. 685. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, columna 108.

1240 ROBERTUS RICHIUS, natione Anglus, habuit patrem Edmundum Rich mercatorem, matrem Mobiliam, fratrem vero sanctum Edmundum Richium, qui Oxonii primum humaniores litteras didicit, scientias autem Philosophicas ac Theologicas Parisiis hausit, tandemque anno 1234. ad Archiepiscopatum Cantuariensem provectus est. Seculum V. *Historia Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi pag. 679. ubi de sancto Edmundo Richio Cantuariensi Archiepiscopo loquitur, hæc de Roberto illius fratre subjicit: *Fratrem habuit Robertum Richium, qui una cum illo Oxonii, Lutetia & Roma versatus est, cumque eo abiit in exilium voluntarium.* Cum igitur Robertus hunc fratrem suum ubique locorum comitatus fuisset, Latine scripsit *Vitam sancti Edmundi fratris sui Cantuariensis Archiepiscopi anno 1242. die 16. Novembris mortui*, sermone plano & aperto, quam Laurentius Suvius Collectaneo suo Legendarum ad diem citatam adduxit, sed per compendium (ut sic loquar) miserrime laniatam & contractam. Integrum autem Opus Roberti Richii amplum atque sincerum, habetur MS. in Bibliotheca Regalis Montis Ordinis Cisterciensis Diœcesis Bellovacensis, una compactum in folio, cui Vita S. Thomæ ejus Sedis Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris, quam nos diu in Cella habuimus, inde mutuo acceptam & redditam. De *Roberto Richio* Joannes Lelandus *De Scriptoribus Anglia.* Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 345. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 89. ubi de Sancto Edmundo Cantuariensi Archiepiscopo agit, quem temere suis Cisterciensibus accenset, eo quod exul in Galliis, aliquamdiu Pontiniaci vixerit. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 471. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, columna 144. ubi eum anno 1248. vixisse refert.

ALEXANDER IV. ROMANUS PONTIFEX, Innocentio IV. mortuo, statim ut loquitur Stero hujus temporis author, a Cardinalibus ibidem Neapoli in ejus locum electus est, qui antea Raynaldus dictus, Episcopus Ostiensis & Velitrensis, & prior Cardinalium. Idem testantur, Matthæus Parisius, Guillelmus Nangius, Monachus Paduanus, & ipsi tunc viventes. Idemque postea Sanutus, Blondus, Collenutius, Langius, Sigonius, Panvinius, & alii. Sed quod omnem tollit dubitationem, Litteræ ipsæmet circulares Alexandri, postridie suæ electionis ad potiores Ecclesiæ Principes & sedes scriptæ, ad electionem eam de more significandam, precesque omnium poscendas, quæ Neapoli undecimo Kalendas Ianuarii datæ scribuntur: cum ut ibidem ait, prædecessor ejus Innocentius IV. obiisset septimo Idus Decembris. Ex quibus manifesti erroris convincuntur Villanius, Antoninus, Palmerius, Trithemius, ac quicunque alii, sedem duobus fere annis vacasse, & alio quam hoc tempore Alexandrum creatum esse Pontificem, scripserunt. Fuit autem 1250

Ale-

Alexander natione Hernicus sive Campanus, patria Anagninus, patre Philippo ex Comitibus Signiæ, patruo Gregorio IX. Pontifice, a quo Cardinalis creatus fuerat, primum Diaconus tituli sancti Eustachii, deinde Episcopus Ostiensis. Illum & Monachum fuisse Sancti Benedicti, assertum reperimus apud unicum Paulum Langium ejusdem Instituti Monachum in *Chronico Citizensi*: qui unde id habuerit ipse non dicit, neque nos alibi invenire potuimus. Nec si ita esset, omissurus fuisset diligentissimus Trithemius in Opere suo *De viris illustribus Ordinis Divi Benedicti*, in enumeratione Summorum Pontificum istius Ordinis: ubi diserte asserit, non alios quam quos ipse profert (in quibus nullus Alexander reperitur) ex eo Ordine extitisse, nec audiendos qui alios obtrudunt. Narrat Blondus Decade 2. Septem Cardinales ea fuisse ingressos conclave conditione, ut omni postposita longiore debito mora, rebus Ecclesiæ a Manfredi violentia insidiisque periclitaturis, per novi Pontificis creationem providerent: adeoque Bartolinum Tavernariam equitem Parmensem, quem sororium suum Innocentius IV. Neapoli Prætorem fecerat, virum prudentem, honesta & consueta agendi ratione adhibita, cibo per singulos dies imminuto, illos ita coëgisse potius, quam hortatum fuisse, ut in aliquem absque longioribus moris consentirent. Hæc Spondanus in continuatione *Annalium* Cæsaris Baronii ad annum 1245. num. 9. Existens adhuc Neapoli anno 1255. Alexander, pridie Calendas Maji, nonnullas edidit declarationes quorundam Decretorum Innocentii IV. decessoris sui contra Hæreticos Lombardiæ, quibus & ipse plura alia postea addidir, secundum temporum & locorum necessitates. Extant duo volumina MSS. in fol. Regesti Epistolarum ejus Decretalium, asservata in secretiori Bibliothecæ Vaticanæ Cubiculo, quarum nonnullæ in *Annalibus* Steronis, & in *Additamento* Matthæi Parisiensis: plures apud Lucam Waddingum in *Annalibus Ordinis Minorum*. Obiit anno 1261. octavo Calendas Junii, eo præsertim nomine clarus quod Albertum Magnum Doctorem famosissimum Ecclesiæ Ratisponensi præfecerit. Sepultus est Viterbii in Ecclesia Cathedrali sancti Laurentii, postquam sedisset annos sex, menses quinque, dies quatuor. Hic præter alia quæ de eo retulimus, prædicatur fuisse non solum ipse doctrina conspicuus, sed etiam in Doctos viros munificus, in pauperes liberalis, cultusque divini dilatandi studiosus: qui & ubi ab externis negotiis vacavit, aliquid semper, quod & ingenium saperet edens, ipse deinceps Epistolas Decretales compilaverit. Quisquis autem plurima & præclara ad Alexandri IV. laudem colligere voluerit, volvat Annalistas continuatores Baronii, in exceptionibus Annalium Ecclesiasticorum, Henricum Spondanum, Abrahamum Bzovium, Odolricum Raynaldum & alios, ab anno 1254. quo Sedi Apostolicæ pastor electus est, ad annum 1261. quo die 25. Maji devixit. Legat & recentiores Scriptores *De vitiis Romanorum Pontificum*, Bartholomæum Platinam, Onuphrium Panvinium Veronensem Ordinis Eremitorum Divi Augustini, Alphonsum Ciacconium, & alios rerum Ecclesiasticarum scriptores. Nos enim de illo tantum per compendium, & ex occasione *Epistolarum Decretalium*, quas scripsit.

NICEPHORUS BLEMMYDAS MONACHUS ET PRESBYTER Monasterii in Emathiis, floruit ab anno circiter 1240. inter Græcos Asceras observantia regulari, asperâ victus mortificatione, aliisque exercitationibus duris carnem suam sibi rebellem edomans. Unde magnam nominis ob doctrinam & sanctitatem famam, sub Imperatoribus Joanne Duca, Theodoro Lascari Juniore, seu Duca etiam dicto, & Michaele Palæologo assecutus est. Templo suis sumptibus vel fidelium oblationibus extructo, cum Marchesina Joannis Ducæ imperatoris amasia, illud religionis ergo accedere voluisset, Nicephorus pellicem e foribus præcipitem expulit. Nefas enim judicabat divinus ille vir (inquit Gregorius) nefariam illam & impudicam mulierem profanis & impudicis pedibus sacrum Ecclesiæ pavimentum calcare: qua de re & Epistolam ad plurimos postea scripsit. Hic in doctrina Latinorum tenenda docendaque firmus fuisse creditur, unde ad annum 1233. num. 5. Henricus Spondanus in Exceptione Annalium Baronii, scribit accidisse, quod Nicephorus Gregoras Lib. 5. *Historiæ* sub Michaele Palæologo memorat: nempe cum negotium unionis utriusque Ecclesiæ sub Joanne Duca Baratze Imperatore tractaretur, doctissimum virum *Nicephorum Blemmydam* divinis litteris eruditum, multa ex sacra Scriptura testimonia, pro dogmatum Latinorum confirmatione collegisse, quæ clam tamen & infamiæ metu, Imperatori tradiderit. At longe rationi conformius est, hoc contigisse ut Gregoras scribit, circa annum 1261. sub Michaele Palæologo, cum sub initium ejus Imperii ille annisus est Ecclesiam Græcam atque Latinam simul pacificare, quo tempore plurima clarescebat fama ob patriarchatum Constantinopolitanum repudiatum Nicephorus Blemmydas, quem in suam traxit sententiam atque ad scribendum forsan cohortatus est Manuel Palæologus, ea quæ Veccus legendo ad Latinam mentem conversus est. Ita autem humilis fuit atque ab Ecclesiasticarum dignitatum ambitione alienus, ut Constantinopolitanam etiam sedem ascendere electus noluerit. Cum enim mortuo paullo ante Germano II. nominis Patriarcha Constantinopolitano, qui post Manuelis secundi obitum sedi suæ restitutus, vix anno unico eam iterum tenuerat: Theodorus Lascaris seu Ducas Joannis Ducæ successor, Nicephorum Blemmydam quem præceptorem olim habuerat, anno 1255. 1250

in

in Patriarcham Constantinopolitanam promovere voluit, uti virtute doctrinaque Græcorum omnium suæ ætatis clarissimum, qui tunc & vitam quietam in Monasterio a se constructo degebat. Eo autem (quod rarum est) honorem recusante, creatus fuit Arsenius Autorianus, Monachus Monasterii juxta Apolloniam, qui virtutis quidem fama conspicuus, sed simplicioris ingenii fuit. Hæc Spondanus loco citato ad annum 1255. num. 17. „Idem autem ad annum 1274 num 15. narrat, Joannem Beccum Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylacem, excellenti virum ingenio, doctrina & facundia præditum, postquam & ipso Imperatorio Decreto acriter restitisset: demum vi scriptorum Nicephori Blemmydæ sacrarum litterarum peritissimi, qui non ita pridem sub Joanne Duca Imperatore, eadem agitata controversia, multa in confirmationem Latinorum dogmatum collegisset: pellectum Imperatori adhæsisse, ab eoque in thronum Patriarchalem evectum esse, quæ anno 1274 & 1275. gesta pluribus narrat Gregoras, & quæ fusius etiam a Pachymere tractata esse, ex editione illius Historiæ intelligitur. Recte ergo Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1255. pag. 725. de Nicephoro Blemmyda ita scribit, Latinis plurimum favebat, eorumque dogmata etiam adversus suos propugnavit. Interim etiam hodie supersunt Opuscula quædam, in quibus adversus sententiam Latinorum præcipue De processione Spiritus Sancti fortiter disputat. Nodum istum solvere conatur Leo Allatius *De consensu utriusque Ecclesiæ* Lib. 2. cap. 14. parag. 4. dicendo vel Blemmydam nondum discussa causa hæc juvenem effutiisse, & re postea diligentius examinata revocasse, vel potius hæc fuisse Schismaticorum commenta sub Nicephori nomine protrusa: cum neque rerum pondera, neque doctrinam, neque styli rationem eandem in iis, quam incertis ejus Opusculis observare liceat. Quam recte hæc, viderint quibus Codices MSS. inspicere datum est." Extant apud Leonem Allatium tomo I. *Græciæ suæ Orthodoxæ*, quæ Romæ Græce & Latine tomis 2, in 4. anno 1652. typis sacræ Congregationis propagandæ fidei edita est, *Nicephori Blemmydæ Oratio prima, demonstrans Sanctorum Patrum testimoniis, per Filium & ex Filio Spiritum sanctum dici ad Jacobum Bulgariæ Archiepiscopum* fol. 1. Morbum quo afficior in lucem proferam &c. Ejusdem *Oratio secunda De nonnullis dogmaticis quæstionibus, ad Theodorum Ducam Lascarim Imperatorem Constantinopolitanum*, pag. 39. incipit, *Qui intempestive poscit & tempestive accipit* &c. quæ proinde scripta est ab anno 1255. quo Theodorus Lascaris elevatus in clipeo, in Imperatorem Constantinopolitanum salutatus est, ad annum 1259. quo in habitu Monastico pia morte vitam finivit, sole ad ejus occasum obscurato, ut narrant. Has easdem Græce & Latine antea Odericus Raynaldus ediderat, in *Appendice* tomi 1. ad *Annales Ecclesiasticos*, Romæ in fol. anno 1646.

Ejusdem *Epistola ad plurimos data* postquam Marchelinam de templo ejecerat, Græce & Latine extat apud Leonem Allatium Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 14. paragr. 4. col. 717. post plurimas ejus laudes a col. 712. congestas.

Item *Nicephori Blemmydæ Epitome Logica & Physica*, ante annos 370. conscripta, edita Græce & Latine a Joanne Wegelino, anno 1605. Augustæ Vindelicorum in 8.

Porro ut testatur Carolus du Fresne du Cange, in Catal. MSS. Cod. quibus usus est, quem subjunxit ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* extat in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 1904. hujus *Nicephori Blemmidæ de Chimia* sub hoc titulo, περὶ τῆς χρυσοποίας, ἧς μετῆλθεν ὁ σοφώτατος ἐν Φιλοσόφοις κύριος Νικήφορος ὁ Βλημμύδης καὶ ἠμμιμήσατο τῷ κόπῳ τῇ συνεργίᾳ τοῦ πάντα ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγόντος χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ᾧ πρέπει δόξα εἰς αἰώνων αἰώνων. *Ejusdem Blemmydæ* Γεωγραφία συνοπτικὴ ex Codice Regio 1326 Ita Carolus citatus loco citato col. 30. Ejusdem Blemmydæ *Oratio in S. Joannem Evangelistam*, cujus mentionem facit Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 93. λόγος ἐγκωμιαστικὸς εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν Εὐαγγελιστήν, cujus initium, Εὐαγγελιστῇ θεολόγῳ προσήκει ἂν αἶνος. Et pag. 99. *Vita & conversatio sancti ac divini Patris nostri Pauli in Latro*, βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Παύλου τοῦ ἐν Λάτρῳ, cujus initium, Μάτην οἱ πολλοὶ τὸν χρόνον αἴτιον ἀξιοῦσιν εἶναι.

Ejusdem pleraque Opera Græce Manuscripta in Bibliotheca Vaticana atque Bavarica Cod. 108 nimirum, *Nicephori Blemmydæ Monachi & Presbyteri, Introductionis Dialecticæ & Physicæ, libri duo. Ejusdem Encomium in S. Joannem Evangelistam. Ejusdem Oratio de Anima, & altera Oratio de Corpore. Ejusdem Enarrationes in aliquot Psalmos. Ejusdem de Fide, de Virtute & Religione.*

Nicephori Blemmydæ Expositio in Psalterium Davidis & in ejusdem Appendicem, extat in Codice MS. Theologico Græco Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Cod. 216. num. 2. & 3. ut habet Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 44, his verbis. "Secundo & quidem a fol. 218 pag. 1. usque ad fol. 355. pag. 2. Nicephori Blemmydæ Expositio in Psalterium Davidis, cujus Prolegomena inscribuntur atque incipiunt hoc modo: Ἐξηρημένον ψαλτήριον παρὰ ἀσκητοῦ κυροῦ Νικηφόρου τοῦ Βλεμμίδου. Ψαλτήριον κυρίως ὀργάνου εἶδος ἐστὶ μουσικοῦ, ναῦλα παρ' Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον &c. Expositionis autem primi Psalmi tale initium est, τοῦ σοφωτάτου ἀσκητοῦ κυροῦ Νικηφόρου Βλεμμίδου ἐξήγησις τοῦ ψαλτηρίου. ὁ πρῶτος ψαλμὸς ἠθικός τέ ἐστι καὶ δογματικός, παραινεῖ γὰρ προσέχειν τοῖς θείοις λόγοις &c."

Idem

Idem Opus MS. Græce in Bibliotheca Patriarchæ Constantinopolitani olim, & Hispana Scorialensi Regia bibliotheca, ex Catalogo illius.

„Tertio & quidem a fol. 356. pag. 1. usque ad fol. 368. pag. 2. *Ejusdem Nicephori Blemmyda Expositio in Appendicem Psalterii Davidici*, nempe *In Cantica duo Moysis* Exodi cap. 15. & Deuteronomii cap. 32. *In Canticum Prophetissæ Annæ*, matris Samuelis. *In Canticum Prophetæ Habacuc. In Orationem Ezechiæ Regis Juda*, apud Esaiam cap. 38. *In Canticum Jonæ Prophetæ. In Canticum trium puerorum* apud Danielem Prophetam. *In Canticum beatissimæ Virginis Deiparæ, & in Prophetiam Zachariæ patris Joannis Baptistæ*, apud S. Lucam cap. 1. Cæterum quoad ipsum Nicephorum Blemmydam attinet, de ejus ætate, vita, moribus & præclara eruditione, multa ex variis authoribus collecta extant apud Leonem Allatium Lib. 2. *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* cap. 14. paragr. 4. Eadem autem Expositio extat quoque Codice MS. Theologico Græco 256. num. 1. & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 228. pag. 2. ut habet Lambecius loco citato pag. 171. Prolegomena autem præfixa Expositioni primi Psalmi in posteriori hoc Codice inscribuntur atque incipiunt ab his verbis: Σχόλια εἰς τὴν Δαβιδικὴν βίβλον τοῦ μακαριωτάτου μοῦ Πατρὸς κυροῦ Νικηφόρου τοῦ Βλεμμίδου. ψαλτήριον κυρίως ὀργάνου εἶδος ἐστὶ μουσικοῦ, ναῦλα γὰρ Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον &c.

Ejusdem Nicephori Blemmydæ Doctrina de fide ad Monachos Monasterii a se constructi, de quo vide Nicephorum Gregoram in *Historia Byzantina* Lib. 3. cap. 1. extat ibidem Codice MS. Theologico Græco 269. num. 7. ut habet idem Lambecius Libro V. Commentariorum ejusdem Cæsareæ Bibliothecæ, pag. 218. his verbis: „Septimo & quidem a fol. 299. pag. 1. usque ad fol. 308. pag. 1. *Nicephori Blemmidæ Doctrina de fide ad Monachos Monasterii a se extructi*, cujus titulus & principium: Τοῦ σοφωτάτου Μοναχοῦ Νικηφόρου τοῦ Βλεμμίδου Διδασκαλία πρὸς τοὺς μοναχοὺς τοῦ ἀνεγερθέντος παρ' αὐτοῦ Φροντιστηρίου, περὶ πίστεως. Τοῖς ὁσίοις τοῦ Δεσπότου χριστοῦ τοῦ ὄντος καὶ ἐκλεκτοῖς Φοιτηταῖς, ὁ κατ' εὐδοκίαν αὐτοῦ καὶ χρηστότητα κτήτωρ τοῦ καθ' ἡμᾶς ἱεροῦ Φροντιστηρίου Νικηφόρος ἐν μονάζουσιν ἱερεὺς, γηραιὸς ἀσθενὴς, τῆς ὑμῶν ὁσιότητος εὐχῶν ἐπιδεὴς, τὴν παροῦσαν ὑμῖν ὑπόμνησιν ἐξ ἀγάπης ὑπαγορεύω πάσης, αὐτὴν ὑποτυπώσεως ἑτέρας προσεκτιθέμενος. Ἐπειδὴ γὰρ πρώτιστον τῶν χριστιανῶν &c.

Nicephori Monachi quæ forsan idem est atque Nicephorus Blemmydas, ut habet idem Lambecius Lib. 5. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ, in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 346. *Oratio de Custodia cordis* extat Codice MS. Theologico Græco 236. num. 23. ut habet Lambecius Libro 5. eorundem Commentariorum pag. 71. his verbis. „Vigesimo tertio & quidem a fol. 217. pag 1. usque ad fol. 220. pag. 2. *Nicephori Monachi Oratio de custodia cordis*, cujus titulus & principium, Νικηφόρου Μοναχοῦ περὶ Φυλακῆς καρδίας λόγος, ὠφελείας καὶ νήψεως μεστός. ὅσοι μεγαλοπρεποῦς τοῦ σωτῆρος Ἰησοῦ χριστοῦ θεϊκῆς Φωτοφανείας τυχεῖν ἐρωτικῶς ἔχετε, ὅσοι τὸ ὑπερουράνιον πῦρ &c. Extat quoque Codice MS. Theologico Græco 240. num. 2. & quidem a fol. 10. pag. 2. usque ad fol. 17. pag. 1. ut habet idem Lambecius Lib. 5. eorundem Commentariorum pag. 100. „Vigesimo quarto & quidem a fol. 220. pag. 2. usque ad fol. 222. pag. 1. *Ejusdem Nicephori de Attentione*, cujus titulus & principium: Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ εἰπόντος, χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν. τοῦτον βοηθὸν καὶ συνέριθον ἐπικαλεσάμενος, τὸ κατὰ δύναμιν ὑποδεῖξαι πειράσομαι, τί ἐστι προσοχὴ, καὶ πῶς αὕτη Θεοῦ θέλοντος κατορθωθείη; Τὴν προσοχὴν οἱ τῶν ἁγίων νοὸς τήρησιν ἔφησαν, ἄλλοι δὲ &c. Vide Lambecium in Catalogo Scriptorum tomi quinti, pag. 346. & 366.

Denique *Ejusdem Oratio De regno seu Imperio*, in clariorem stylum translata a Georgio Galesiota Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono, & Georgio Oenæota, extat in Codice MS. Philosophico CXXV. num. 5. ut habet idem Lambecius Lib. 7. eorundem Commentariorum pag. 225. his verbis: „Quinto & quidem a fol. 15. pag. 1. usque ad fol. 32. pag. 2. *Nicephori Blemmydæ Oratio de Regno seu Imperio, in clariorem stylum translata a Georgio Galesiota Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono, & Georgio Oenæota.* Hæc ipsa tituli Græci verba sunt, Τοῦ σοφωτάτου κυροῦ Νικηφόρου τοῦ Βλεμμύδου, λόγος περὶ βασιλείας, μεταφρασθεὶς πρὸς τὸ σαφέστερον παρὰ τοῦ σακελλίου τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας διακόνου κυροῦ Γεωργίου τοῦ Γαλησιώτου, καὶ τοῦ Οἰναιώτου κυροῦ Γεωργίου, τῶν λογιωτάτων ἀνδρῶν καὶ ῥητόρων. Incipit deinde ipsa Oratio his verbis: Παλαιός τις νόμος ἐπεκράτησε τοῖς πράγμασι συμφωνῶν ὥστε τοὺς δούλους διδόναι τῷ βασιλεῖ, ὅπερ προξενεῖ πολλὴν τοῖς τοιούτοις δούλοις ὠφέλειαν. οὕτως γὰρ μέλλουσι πληροῦσθαι τὰ πρέποντα. ὁ γὰρ ἐμπιστευθεὶς τὴν τῶν πάντων διοίκησιν, ἐκεῖνος ἔχει καὶ τὴν προμήθειαν. διὰ τοῦτο ἀφ' ἑαυτοῦ τὸν βασιλέα μηδὲν ἔχοντα ἴδιον, πρέπον ἐστὶ ἐκ τῶν κοινῶν λαμβάνειν &c. Meminit hujus Orationis Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*, dum de Nicephoro Blemmyda agens, scribit inter varia ejus Opuscula MSS. quæ Romæ in Bibliotheca Vaticana extant, esse etiam sermonem, *qualem oporteat esse Regem.* Quod porro ad Georgium Galesiotam attinet, extat illius mentio apud Leonem Allatium in Diatriba *De Georgiis* pag. 383. his verbis: *Georgius Galesiota composuit Orationem funebrem in Theodorum Xanthopulum*, cujus principium: Ἄνδρες οἷς τοῖς βασιλείοις ἤθεσι καὶ παιδεύμασιν ἐντεθραμμένοι &c. Vivebat sub Andronico Palæologo, Georgii Cyprii Patriarchæ Constantino-

„tinopolitani apprime familiaris, auditor vero „ut in eadem Oratione fatetur, Theodori Xan- „thopuli, quem propterea laudandum suscepe- „rat. Georgii autem Oenæotæ in eadem Dia- „triba *De Georgiis*, omissa prorsus mentio est.

Porro ut inquit Leo Allatius lib. 2. *De Consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 14. paragr. 4. col. 721. „Hoc parente at- „que magistro nascitur nobis Joannes Veccus „Patriarcha Constantinopolitanus, Ecclesiæ „Catholicæ & Pontificiæ dignitatis propugna- „tor acerrimus, qui cum carceribus, exilio, mor- „te etiam ipsa contestatus est, de quo infra. „Sed ut id quoque obiter moneam, tradunt „nonulli Blemmydam cognomento Sapientem „scripsisse *contra Chrysolanum*, qui de processio- „ne Spiritus Sancti pro Latinis contra Græcos „opus ediderat. Quod si ita est, alium ab hoc „nostro Nicephoro Blemmyda fuisse, qui La- „tinorum partes elegantissimis Orationibus „tutatus est, certo certius est. Et sane „scriptum illud Blemmydæ, quod incipit, „ταῦτα οἱ τῆς Ῥώμης ὑπάγȣσιν, ὁ πατὴρ „ἀνέργει διὰ τȣ̃ ὑιȣ̃, non tantum con- „tra Chrysolanum quem nullo modo nomi- „nat, sed contra opinionem Latinorum est. „Existimarunt enim viri eruditi, illud contra „Chrysolanum esse, quod subsequatur scriptæ „Feronæ & Eustathii, quibus Chrysolano re- „spondetur. Nostri enim Græci non tantum „hoc *contra Latinos*, sed aliud quoque quod ipse „vidi *De processione Spiritus Sancti*, sub nomine „Blemmydæ, ad Joannem Ducam publicarunt, „cujus principium est, εἰ μὲν περὶ καινȣ̃ τινος „ζητήματος πρόκειτο συνεζητάσαι &c. Unde „dici posset, primum Blemmydam tempore Jo- „annis Ducæ, cum Apocrisiarii Romani Byzan- „tium venissent, ad sedanda Ecclesiarum dissi- „dia, nondum discussa causa, quæ in promptu „illis occurrebant, ex penu aliorum Schisma- „ticorum effutiisse: re postea examinata dili- „gentius, & veritate cognita, eandem ad Theo- „dorum Joannis hæredem & Jacobum Bulgariæ „& alios, editis scriptis promulgasse. *Secundo* „commenta esse Schismaticorum aliorum, sed „ad comparandam auctoritatem, sub tanti viri „nomine prodiisse. Moris enim id fuit recen- „tioribus, ut fidem, quam quis pro defendenda „veritate aucupaverat, deprimerent, famam- „que partam convellerent: nova adversus ve- „ritatem scripta sub eodem nomine edere, ut de „Joanne Vecco Patriarcha factitarunt. Eoque „magis id mihi persuadeo, quod videam, neque „rerum pondera, neque doctrinam, neque styli „rationem eandem, dum illa considero, in utris- „que esse. Quæ si censor ingenuus perspexe- „rit, hæc quoque pro Latina Ecclesia a Docto- „re & Magistro, quæ contra eam a puero, eo- „que elingui, dictata esse affirmabit. Quare „nulla ratione Blemmydæ sunt, & si Blemmy- „dæ, alterius ab hoc nostro necessario fuerint, „licet Nicephori nomen eis adversarii suppo- „suerint." Hæc Allatius ad Pontificiæ causæ tutelam. Eximius enim medicus est, qui vulneribus Romanæ Ecclesiæ inflictis omnibus, etsi letalibus, unico emplastro illoque facili medetur.

Extant autem Nicephori Blemmydæ Opuscula MSS. plurima Græce, in Regia Galliarum Bibliotheca, ut constat ex *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum, & Gallicorum*, seu ex *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ potissimum contexuit Philippus Labbeus Soc. Jesu, editam Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault. Illic parte 1. pag. 74. *Nicephori Blemmydæ Laudatio S. Joannis Theologi* in Codice Nandæano 80. Parte 2. pag. 88. *Nicephori Blemmydæ de processione Spiritus Sancti, ejusdemque ad Theodorum Lascarim Ducam de quibusdam quæstionibus dogmaticis* in Codice Regio 1761. Item in MS. Codice O notato, *ejusdem Oratio de fide*, cum S. Thomæ Ordinis Prædicatorum de Processione Spiritus Sancti, *& excerptis de diversis quæstionibus*. Parte 2 pag. 94. *Nicephori Blemmyda Monachi & Presbyteri De Imperatoris institutione* in Codice Naudæano 26. In alio MS. *Sermones tres ex ejus Typico, de fide, de virtute, de anima*, quo etiam libri tres instructionis ad Monachos dicuntur. Ibidem pag. 97. cum Theodoro Prodromo, *Nicephori Blemmyda Canon & Jambi in S. Gregorium Theologum*. Parte 4. pag. 111. inquit, se vidisse in Tetrasticha Gregorii Nazianzeni Scholia incerti auctoris, in Codice MS. 52. in quo *Nicephori Blemmida encomium in eundem Doctorem & Expositio in carmina illius*. Ibidem parte 4. pag. 114. *Nicephori Blemmyda* Μοναχȣ̃ καὶ Πρεσβυτέρȣ τῆ Ῥητορος *Logica, de Sophistarum reprehensione, Physica, de cælo, de vacuo* &c. in Codicibus variis Regiis. Est ejusdem quoque *Parænesis ad Imperatorem Lascarim Ducam*, ὁποῖον δεῖ εἶναι τὸν βασιλέα. Ibidem parte 4. pag. 121. *Nicephori Blemmyda brevis Geographia, ejusque brevis historia de terra*, in Codice Nandæano 44. Ibidem pag. 119. *Nicephori Blemmida De anno conficiendo*. Ibidem Supplemento 111. pag. 186. testatur extare in Bibliotheca Hispaniarum Regia seu Sancti Laurentii Scorialensis, *Nicephori Monachi & Presbyteri Blemmydis interpretationem Psalterii Davidis & Canticorum tam veteris quam novi Testamenti* Ibidem Supplemento IV. inter Libros Caroli de Montchal pag. 201. Codice 131. num. 6. *Canon de urinis opera Nicephori Blemmyda Monachi atque Presbyteri*. Supplemento X. quod est appendix ad Supplementa alia pag. 386. appendice ad Supplementum IV. *Nicephorus* Blemmydes εἰς τὸν αὐτοκράτορα Δȣ̃καν τὸν Λάσκαριν.

Denique Opuscula plurima Nicephori Blemmydæ cognomento κτήτορος, Græce MSS. in Anglicanis Bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ, Codice 69. Barocciano num. 1. *Nicephorus Monachus de attentione sive custo-*

custodia cordis, τὴν προσοχὴν οἱ μὲν. Cod. 71. p. 109. *Nicephori Blemmidæ Epistola ad Theodorum Lascarim Imperatorem*, ὁ αἰτῶν ἐν τῷ καιρῷ &c. Cod. 83. *Nicephori Blemmidæ Logica* XL. capitibus pag. 1. Ἐπειδήπερ ἡ λογική. Cod. 94. pag. 1. Andreæ Doni compendium Physicorum Nicephori Blemmidæ. Πᾶν τὸ κυρίως γενόμενον. Cod. 106. pag. 127. *Nicephori Blemmidæ Epitomes Isagogicæ libri II.* Πᾶν τὸ αἴτιον. Ejusdem *de Geometria fragmentum* pag. 259. Ἡ γεωμετρία κατωνόμασται. Cod. 111. pag. 180. *Nicephori Blemmidæ Epistola ad Imperatorem Theodorum Ducam Lascarim de quæstionibus quibusdam dogmaticis, & inter alias de processione Spiritus Sancti :* ὁ αἰτῶν &c. ut suprà Cod. 131. p. 170. *Nicephori Blemmidæ tres Epistolæ & versus aliquot politici.* Ibidem pag. 357. *Nicephori Blemmidæ encomium Sancti Joannis Evangelistæ.* Εὐαγγελιστῇ θεολόγῳ προσήκει. Item p. 360. *Epistola ejusdem ad Theodorum Lascarim:* Sequuntur deinceps *XVIII. Epistolæ ad alios*, Εὖ ἔχοις. *Ejusdem versus in Imperatorem Joannem* ut videtur, pag. 363. Ἤδειν καὶ πρότερον καλῶς. Post alios sequuntur *Epistolæ quinque in Gregorium Nazianzenum.* Ἦχοι δ' πρὸς τὸ, καλεπλοέγη Ἰωσὴφ τοῖς τοῦ λόγου πλωτοῖς, ὡς ἐν σαγήνῃ, pag. 365. Deinceps post tres Epistolas, sequitur ejusdem *hymnus in Gregorium Thaumaturgum* pag. 376. *Ad Theodorum Lascarim paucula* pag. 367. b. Item pag. 368. ejusdem *Epistola ad Theodorum Lascarim de processione Spiritus Sancti*, ut suprà. Codice 133. pag. 6. *Nicephorus Monachus cognomento* Κτήτορ *de fide* Τοῖς ἁγίοις τοῦ δεσπότου. Ibidem pag. 20. *Nicephori Presbyteri tractatus de Anima*, ἡ μὲν ὁρμὴ τοῦ λόγου διαλαβεῖν. Pag. 24. *Nicephori Blemmidæ Epitomes Logicæ libri duo.* Liber primus in Capita XXV. distribuitur, atque incipit, Ἐπειδήπερ ἡ λογικὴ ἐπιστήμη. Liber secundus habet capita XXXII. pag. 63. ad 112. Πᾶν τὸ αἴτιον καὶ ἀρχὴ &c. Codice 212. pag. 1. *Nicephori Monachi Emathii cognomento* Κτήτορος *Sermo de anima*, ἡ μὲν ὁρμὴ τοῦ λόγου &c. Ibidem Cod. 688. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi quondam Cantuariensis Archiepiscopi & Academiæ Oxoniensis Cancellarii litera C. Cod. 36. num. 29. *Nicephori Monachi & Presbyteri Blemmidæ sermo de fide* pag. 275. Ibidem Cod. 721. eadem littera C. Cod. 69. num. 1. *Nicephori Blemmidæ Geographia Synoptica* Græcè in folio. Denique in eadem Bibliotheca Cod. 6555. in libris Græcis Henrici Savilii Cod. 8. num. 1. *Nicephori Blemmidæ Synopsis Geographiæ, & de corporibus cælestibus.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum, Cod. 8582. in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ Cod. 860. num. 4. *Nicephori Blemmidæ compendium Geographiæ.* Atque in Bibliotheca nostra Lugdunobatava inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii pretio enormi emptos, Codice Græco 155. *Nicephori Blemmidæ Dialogus de Anima.* pag. 1. Hæc sunt, quæ de MSS. Codd. Nicephori Blemmidæ ad notitiam meam pervenerunt.

Operum autem ejusdem Nicephori Blemmidæ Philosophicorum extant multa Manuscripta in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi teste Petro Lambecio Libro 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 295. Nempe *Compendiosum Philosophiæ Syntagma* quod alias rectius Georgio Monacho Oneponimo attribuitur, extat Codice 26. num. 3. Cod. 70. num. 2. Cod. 95. num. 5. Ejusdem *Logica in Capita triginta sex*, ibidem Cod. 94. & 95. num. 1. Codicibus 96. & 97. num. 1. Cod. 98. & 99. num. 2. Ejusdem *Libellus de quinque vocibus, cur sint hæ sola, neque plures, neque pauciores*, ibidem Cod. 94. num. 4. Ejusdem *Physica divisa in Capita triginta duo*, ibidem Codd. 93. & 95. num. 3. Ejusdem *Opuscula quatuor medica*, inter MSS. Codices Medicos Cæsareæ Bibliothecæ Vindobonensis Cod. 10. num. 2. à folio 1. usque ad 82. de quibus Lambecius præfatus Libro seu tomo 6. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ pag. 109. & in Catalogo Scriptorum hujus libri pag. 208. ubi notat secundum & tertium horum Opusculorum nempe *De sanguine phlebotomia & de urinis*, in Codice MS. Theologico Græco 269. non *Nicephoro Blemmidæ*, sed *Maximo Planudi* attribui, ut libro 5. Commentariorum istorum videre est pag. 218. Pro Nicephoro tamen Blemmida stant etiam alii nonnulli aliarum Bibliothecarum antiqui MSS. Codices, quorum mentionem faciunt Joannes Jacobus Frisius *in Bibliotheca Gesneriana* à se aucta, & Joannes Georgius Schenckius *in Bibliotheca Medica*, & quidem uterque Littera N. ubi de Nicephoro Blemmida agitur. Mortuum esse Nicephorum Blemmidam anno circiter 1272. scribit idem Lambecius, cujus mentionem faciunt, Nicephorus Gregoras Libro 5. Historiæ. Georgius Pachymeres in Historia sua. Atque ex recentioribus Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 138. ubi MSS. Codices in variis Bibliothecis extantes refert. Leo Allatius Libro 2. *De Consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 14. §. 4. Henricus Spondanus & Petrus Lambecius locis citatis.

PANTALEO ECCLESIÆ CONSTANTI- 1250
NOPOLITANÆ DIACONVS, scripsit anno 1252. in gratiam Latinorum *Tractatum adversus errores Græcorum De processione Spiritus Sancti & Purgatorio animarum, de Azimis & Fermentato, denique de Obedientia quæ debetur Romanæ Ecclesiæ :* editum Constantinopoli anno 1252. in ædibus Fratrum Prædicatorum, ut habet MS. Codex Bibliothecæ Bavaricæ. Vnde versus in Latinam linguam, habetur in Bibliotheca Sanctorum Patrum novissimæ editionis Lugdunensis anni 1677. apud Anyssonios seculo XIII. tomo XIV. pag. 321. Latine quoque impressus habetur a Petro Stevartio Leodiensi, anno 1616. Ingolstadii in 4. pag. 535. *Auctarii* seu *Appendicis* ad Antiquam Lectionem Henrici Canisii. Juxta autem Possevinum ad calcem *Apparatus sacri* pag. 48. extabant saltem Constantinopoli olim

apud Jacobum Marmoretam Principem, *Pantaleonis Diaconi Orationes panegyricæ totius anni, sive duodecim mensium in Festos & Dominicos dies.* An ibidem adhuc extent, quis affirmet? Idem hic mihi videtur Pantaleo Diaconus & Magnæ Ecclesiæ Chartophylax, cujus extant varii Sermones partim ab aliis editi, partim non editi. Extant *Sermones duo hujus Diaconi in sancta Lumina, id est de Christo Domino & Sancto Joanne Baptista*, atque *In Dominicam Transfigurationem*, quas Græce & Latine ex MS. Regio produxit Franciscus Combefis in Auctario suo ad Bibliothecam SS. Patrum, quod duobus in fol. tomis anno 1648. Parisiis editum est. Item *Laudatio Sancti Michaelis Archangeli*, cui & *Narratio de miraculis ejusdem annectitur*, apud Lipomanum & Surium, atque in Bibliotheca SS. Patrum Concionatoria. In Collectaneis sub nomine Symeonis Metaphrastæ, juxta Leonem Allatium in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 99. extat διήγησις θαυμάτων τοῦ παμμεγίστου καὶ πανενδόξου Μιχαὴλ, τοῦ Ἀρχιστρατήγου, καὶ τῶν Ἀγγέλων Γαβριὴλ καὶ Ῥαφαὴλ, cujus initium Μεγάλαι καὶ πολλαὶ καὶ ποικίλαι τῆς ἀσωμάτου καὶ μεγαλοπρεποῦς, de qua jam diximus. Et pag. 103. *Pantaleonis Diaconi & Magnæ Ecclesiæ Chartophylacis*, ἐγκώμιον εἰς τὸν ἀρχιστράτηγον τὸν Μιχαὴλ, cujus initium ὁ τῶν ἁγίων πνευμάτων κύριος καὶ πάσης σαρκὸς ἐξουσιαστής. Item Græce MS. in Regia Galliarum Codice 800, ut habet Philippus Labbeus in Nova Bibliotheca MSS. Codicum ex Regiis MSS. parte 1. pag. 75. Huic lubens etiam *Sermonem in Festum exaltationis Sanctæ Crucis* adscriberem, Græce & Latine a Jacobo Gretsero tomo 2. *De Cruce* editum. Extat Græce MSS. inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Cod. 234. pag. 31. Cod. 294. pag. 483. Et Cod. 2500. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera F. 11. Cod. 5. pag. 51. Cod. 3383. in MSS. Codd. Joan. Seldeni Cod. 53. num. 9. Quamvis enim author, Monasterii Byzantinorum Presbyter dicatur, hoc, quominus ad eundem Pantaleonem Diaconum pertineat, non impedit: qui alias atque alias conciones & Homilias partim Presbyter conscripserit. Ita mecum sentit Franciscus Combefis *in Apparatu* seu *Auctoribus recensitis* ante Bibliothecam SS. Patrum Concionatoriam, verbo *Pantaleon.* Unde plurimum errant Margarinus de la Bigne ac Colonienses, qui hunc Pantaleonem seculo VII. & Jodocus Coccius qui anno DCCCL. assignant. Mentionem hujus Pantaleonis faciunt, Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 209. Franciscus Combefis *in Apparatu* prævio ad Bibliothecam sanctorum Patrum Concionatoriam, pag. 33. Leo Allatius in Diatriba *De Simeonum Scriptis*, & alii.

1250 ARSENIUS AUTORIANUS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, Monachus in Apolloniadis Asceteriis virtutis [illegible] scientiæ fama conspicuus, sed homo simplicioris ingenii, quantum ad usum rerum humanarum & Imperii administrationem, ut inquit Gregoras Libro IV. *Historiæ Byzantinæ* pag. 60. Anno autem 1255. post Germani iterum secundi Patriarchæ Constantinopolitani, iterum restituti mortem, in sedem ejusdem Regiæ urbis Patriarchicam electus est: dum hoc eodem tempore, insigni sed parum usitato humilitatis exemplo, oblatum sibi eximium hunc honoris apicem, Nicephorus Blemmidas respuisset, quem supra recensuimus, cujusque & clariorum antè memoriam celebravimus, qui in Monasterio à se constructo vitam quietam ducebat. Arsenius Autorianus communi Episcoporum suffragio electus, & ab Imperatore pro more confirmatus, uniusque diei curriculo Diaconus, Sacerdos, & Patriarcha ordinatus, ipsum mox Imperatorem Theodorum Lascarim unxit & coronavit: quæ pluribus narrant Nicephorus Gregoras Lib. 2. *Historiæ* ad finem & sub alterius sequentis initium, tumque Georgius seu Gregorius Acropolites Logotheta *in Chronico Constantinopolitano.* Scripsit ille *Canonum Ecclesiæ Synopsin* accuratam, quam tomo 2. *Collectionis suæ* seu *Bibliothecæ Juris Canonici Veteris* pag. 749. exhibuerunt Parisiis Græcè & Latinè in folio apud Ludovicum Billaine anno 1661. Guillelmus Voellus Theologus & socius Sorbonicus, & Henricus Justellus Christophori filius. Ingenti autem methodo universam Canonicæ disciplinæ scientiam, ex Conciliis & Patribus in Concilio Trullano approbatis collectam, centum & quadraginta uno titulis complexus est, additis in fine cujusque tituli capitibus quibusdam, ex Legibus petitis. Ideoque illius Opus *Nomocanonis* nomine, in fine MS. Codicis Græci non immeritò inscribitur. Unde autem illa κεφάλαια νομικὰ depromspserit Arsenius, deprehendere facile non est. Multa olim & varia Juris πρόχειρα à Basilio, Leone Philosopho, & Constantino Porphyrogeneta Imperatoribus Orientis, Basilicorum auctoribus sæpius edita sunt: ex quibus utrum sua fortè capitula excerpserit noster hic Arsenius, definire nostrum non est, sed eruditis & Juris Græci peritis examinandum ac definiendum relinquimus. Hujus quoque *Arsenii Testamentum* Græce & Latine produxit ex MS. Codice Regio, Joannes Baptista Cotelerius tomo 2. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 168. Daniel de Nessel *in Breviario & Supplemento* Commentariorum Lambecianorum de Biblioth. Cæsarea Vindobonensi anno 1690. Vindobonæ in fol. edito parte 4. quæ Mss. Codices Philosophicos & Philologicos num. 343. complectitur, habet *Arsenii Lexicon* Num. 112. Cum autem Michael Palæologus Imperium Orientale affectans, anno 1259. ejus administrator factus esset, cujus assequendi vaticinium habuerat, atque Michaelem alterum æque illud ambientem eodem anno fugasset: anno sequenti 1260. Joannem Lascarim pupillum Theodori Lascaris fili-

filium, ut imperio potiretur, relegavit: imò quod barbarum omnino est, anno 1261. vel 1262. ne ad illud unquam repetendum assurgeret, excæcavit. Hanc ob injustam sævamque Imperii usurpationem, atque ob immane facinus, quo Joannem hunc pupillum, decimum jam annum agentem, insigni scelere ac perjurio excæcavit, in omnium probrum & ipsius Arsenii Patriarchæ indignationem abiit. Arsenius igitur æquissime ac vehementissime de excæcatione Joannis dolens, ubi quiritando & lamentando, nihil se proficere posse consideravit: quod reliquum fuit, ipsum Imperat. Michaëlem Palæologum, unà cum execrandorum facinorum consciis & administris, Ecclesiastico anathemate perculit. Qui cum diebus compluribus supplici gestu & habitu, restitutionem à Patriarcha expectaret, spe se frustratum cernens, ad ultionem conversus, convocato Episcoporum plurium conventiculo, eundem quibusdam criminibus accusatum, atque imprimis quod Azanitem Sultanum sacris interesse permisisset, & intra templum cum eo collocutus fuisset, anno 1621. ab officio & dignitate deposuit. Cum nihilominus constaret omnibus, Azanitem hunc, Christianis ortum parentibus, & sacro baptismate initiatum fuisse, atque etiam tum, licet Turcarum Princeps factus, præcipua religionis Christianæ capita animo conservaret, & omnia palam dum Constantinopoli esset, idem profiteretur. Variis ergo criminibus obrutum Arsenium Patriarcham, atque ejusmodi judicio sistere, quod ab Imperatore indictum fuisset, recusantem: ut contumacem ab Episcopis deponi, & in Proconnesum deportari curavit, subrogato in ejus locum *Germano* ejus nominis *tertio*, ex Monacho & Archiepiscopo Adrianopolitano, veteri ipsius Palæologi amico. At idem paullò post, accipiens se maledictis proscindi, quòd sedem viventis occupasset, insuperque cum ab ipsomet Palæologo variis artibus clam oppugnaretur, hac se abdicavit dignitate. Successitque Josephus senex Monachus Cœnobii Montis Galesii, qui sedem annis tredecim tenuit: in quo desinit series Episcoporum Byzantii & Patriarcharum Constantinopolitanorum, quæ habetur in fine Libri 4. Juris Græco-Romani. Reliqua verò superius enarrata prolixe recenset Gregoras & brevius Phranzes, quæ annum quoque 1264. & forte alterum 1265. occuparunt. Extant enim in MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ Cod. 142. Baroccianο num. 13. pag. 266. Synodicæ Epistolæ anno D. 1265. datæ ad translationem Germani ab Adrianopoli ad Patriarchatum sedis Constantinopolitanæ. Φιλήσιν ὁ Θεοπάτωρ. Veruntamen adversa haud obstante fortuna, Arsenius etiam depositus Josephum in suis viventis sedem ingressum & Imperatoria authoritate protectum excommunicavit, unde & post Concilium Lugdunense anno 1274. celebratum, stabant adhuc plurimi Græcorum a parte Arsenii adhuc viventis, contra Josephum Constantinopolitanæ sedis occupatorem, ibantque vota populi in varias partes. Quonam anno Arsenius mortuus sit, mihi non liquet: de quo agunt Guillelmus Voellus & Henricus Justellus, tum in Prologo generali ad Bibliothecam Juris Canonici Veteris, tum tom. 2 in Prologo ad Scriptores Græcos isti Bibliothecæ adoptatos. Henricus Spondanus in Continuatione Annalium Baronii, ad annum 1255. num. 17. ad annum 1261. num. 15. ubi ejus depositionem describit, ad annum 1274. num. 15. Gerardus von Mastricht Juris Professor & Historiæ Ecclesiasticæ in Duisburgensi Academia *in Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii*, Num. 365. pag. 394. editionis Amstelodami 1686. in 8. Alter à præcedente fuit Arsenius Monembasiæ apud Græcos Archiepiscopus, qui 260. circiter annis Constantinopolitano posterior fuit, atque temporibus Caroli V. Imperatoris ac Pauli III. Romani Pontificis, circa annum 1530. & 1540. claruit ac multa edidit, de quo hic occasione Senioris Arsenii loquemur. Arsenius hic Monembasiæ Archiepiscopus, ut habet Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Universali* folio 554. verso *Manuelis* cujusdam Græci cujus cognomentum Φιλῆς *Carmina Jambica De animalium proprietatibus*, Περὶ ἰδιότητος τῶν ζώων ad Michaelem Imperatorem. Scripsit versus Senarios observato certo numero Syllabarum magis, quàm prosodia, qui Venetiis olim Græcè in 8. impressi sunt, cum Arsenii Monembasiæ Archiepiscopi præfatione ad Carolum V. Imp. chartis V. & dimidio. Item Græcè & Latinè Heidelbergæ per Bersmannum cum Joachimi Camerarii auctario, 1596. in 8. pag. 68. Art. Seldeni in Oxoniensi Bibliotheca. Extat hoc Opus MS. Græcè in Regia Galliarum Bibliotheca, ut habet Philippus Labbeus Soc. Jesu, *in Nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum Latinorum & Gallicorum* ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collecta & impressa Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault. [illegible] *Supplemento IV.* pag. 201. Codice MS. 136. [illegible] de diversis rebus continentur Carmina Jam[illegible] Michaeli Palaologo quædam dicata. [illegible] chaelem Imperatorem spectant Jamb[illegible] [illegible]τητος ζώων, qui à Bersmanno latin[illegible] ti & sapienti Phili attributi, cujus [illegible] illa Carmina sunt. Ibidem [illegible] pag. 287. Cod. 1267. *Manuel* [illegible] *bus cum figuris.* Hoc ex [illegible] Monembasiæ Archiepiscopi. [illegible] legit *Apophthegmata &* [illegible] *Imperatorum, Rhetorum* [illegible] *Alphabetico* juxta [illegible] Romæ in 8. Græc[illegible] Græcè MS. in Reg[illegible] ex Bibliotheca [illegible] *plemento VII.* [illegible] *Arsenii* [illegible] Ibidem [illegible]

chiepiscopi ad Radulfum Cardinalem Epistola in Codice MS. Regiæ Bibliothecæ 1884. Idem in Euripidis tragœdias septem Scholia Græca collegit, nempe *in Hecubam, Orestem, Phœnissam, Medæam, Hipolytum, Alcestin, Andromachen*, quæ publicata sunt Græce Venetiis anno 1534. in 8. chartis 26. & dimidio, & posteà Basileæ apud Hervagium, nisi fallor, recusa iterum. In Præfatione ad Paulum III. Pontificem Maximum, scribit se ex variis veterum scholiis, in Creta, Venetiis & Florentiæ, hæc congessisse in unum volumen. Ejusdem *Libellus quidam Græcus* Romæ ante aliquot annos exivit in 8, quæ continentur varia & arguta carmina, fabularum aliquot poëticarum enarrationes & ex Stromatibus Clementis quædam de furtis Scriptorum. Hæc pleraque Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Universali*, verbo *Arsenius* folio 96. editionis 1545. Tigurinæ apud Christophorum Froschoverum, in folio.

1250 THEODORUS LASCARIS JUNIOR, dictus etiam à nonnullis *THEODORUS DUCAS*, anno MCCLV. successit tanquam filius natu major, Joanni Ducæ patri, in Imperio Orientali. Habuit matrem Irenem Theodori Lascaris Senioris filiam, quæ nupta Joanni Ducæ, illi viam ad Imperium aperuit post mortem Theodori Lascaris Senioris ipsius Patris, qui capta à Latinis Constantinopoli, ne Occidentalium insolentias ac tyrannidem propriis oculis cerneret, illorumque petulantiis confunderetur, sedem Imperii Nicæam transtulit, ubi quoque Irene in lucem protulit Theodorum Juniorem, Senioris nepotem atque filium Joannis Ducæ primogenitum. Certe summam ejus tum in divinis pietatem, tum in literas ingens studium, eximie probat Carolus du Fresne Dominus du Cange, *familiarum Byzantinarum* pag. 223. ubi ex ipsius nummis, dextrâ crucem, sinistrâ librum tenens describitur. Cum Latinis opinionibus adversaretur, nihil mirum quod tam parce de illo Leo Allatius locutus sit Libro 2. *De Consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 14. §. 14. col. 722. his verbis. *Post Joannem Ducam successit Theodorus Lascaris junior, qui nescio qua ratione Romanæ Ecclesiæ iniquior* De processione Spiritus Sancti adversus Latinos *nonnulla edidit, forte an ingenii exercendi causa. Scripsit namque inter alia pleraque* Octo Theologicas Orationes, *in quibus tractat de Uno & Deitate, unum esse tria, de divinis nominibus, de sanctissima Triade, de Incarnatione Christi: & in duabus postremis integre De processione Spiritus Sancti contra Latinos.* Hæc Allatius qui se videndum exhibet, dum argumenta ejusmodi esse ab Imperatore piissimo suscepta nugatur, *ingenii exercendi causâ*. Extant ejusmodi Opuscula in Bibliotheca Vaticana, eademque mihi videntur esse, quæ Philippus Labbeus *in Specimine novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Librorum* Parisiis anno 1653. in 4. edito, inquit pag. 96. extare Græce Manuscripta in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 1031. ubi Codd. MSS. hujus Bibliothecæ recenset. In hoc nempe Codice extare *Theodori Lascaris Tractatus de Trinitate, de Virtute, de Jejunio, Ethicorum Epitomen, Sapientiæ Encomium, in Sanctum Euthymium, Sanctosque Anargyros &c.* Nullusque dubito, quin illic quoque Opuscula *De processione Spiritus Sancti contra Latinos* conscripta inveniantur. Teste Guillelmo Cavo, scripsit jam Monachus ad Joannem Episcopum Coronensem, prolixum satis *tractatum adversus Latinos de Processione Spiritus Sancti*, qui extat MS. sed mendose exaratus & in fine mutilus Cantabrigiæ, in Bibliotheca Collegii Gonvilli & Caji, cujus Titulum & prologum exhibet Cavus. Idem extat MSS. inter Codices MSS. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum celebrium, num. 9121. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis Cod. 50. in 4. num. 1. cum Tractatu Joannis Patriarchæ Jerosolymitani contra eosdem Latinos. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Cod. 97. in MSS. Codd. Baroccianis Cod 97. num. 1. Theodori Lascaris Imperatoris de Theologia Christiana Libri septem, quorum secundus intercidit, duo postremi Latinorum sententiæ de Processione Spiritus Sancti, oppositi sunt. *Τὸ ὂν ἀΐδιον ἐςὶ κατὰ φύσιν.* Ejusdem Sermo in Annunciationem Beatæ Virginis, pag. 95. Νῦς *μεντοί γε βροτῶν* &c. Et ibidem Cod. 194. Barocciano etiam, num. 6. Theodori Lascaris Grammatica ad Augustam pag. 24. ad 41. *Καθάπερ τὸ ἀνθρώπινον* &c. Joannes Boivinius, vir eruditus in Græcis Latinisque, anno 1702. & 1705. edidit Græce & Latine *Historiam Byzantinam integram Nicephori Gregoræ* libris 38. constantem ex MSS. Codd. 2. in folio voluminibus, ex typographio Regio, Parisiis apud Joannem Anisson, atque ad voluminis secundi calcem ille adjecit *Theodori Lascaris Orationes duas, primam Encomium Patris ejus Joannis Ducæ Imperatoris, secundam Encomium urbis Nicææ*, utramque Græce & Latine ex Cod. MS. Regiæ Bibliothecæ, cujus præfecturam laudabiliter gerit. Cum rem feliciter adversus Bulgaros, Thessalos, aliosque Imperii hostes fere per triennium egisset, infirmâ valetudine morbisque fractus, habitum Monachalem induit, & in Sydandrorum Monasterium quod in Magnesia situm erat secessit, ut nos docet Dorotheus Monembasiensis *ἐν Συνόψει τῶν διαφόρων ἱςοριῶν* pag. φκα. Ibique breve quod remansit vitæ tempus, consummendæ pœnitentiæ & otio pio ac literario consecravit. Regnavit annos III. defunctus anno MCCLIX. ætatis XXXVI. Princeps omnino eruditus, meliori sorte, seculoque dignus. Ita Cavus *in Historia rei literariæ* ad annum 1255. pag. 724. Quod autem Cavus inquit *Tractatum contra Græcos à Theodoro Lascari jam Monacho* compositum, ex Prologo mihi verum non videtur, sed potius ab ipso Imperatore adhuc conscriptum, cum disertè se Imperatorem fateatur.

tur. Nec videtur etiam Theodorus Lascaris, nisi paucis mensibus vel hebdomadibus inter Monachos permansisse, nec passam esse infirmitatem, ut Operibus conscribendis incumbere posset. Epithetum autem τῶ μοναχῶ titulo immissum, adscititium ac contra *Prologum* ipsum videtur.

1250 NICEPHORUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, nominis secundus anno 1259. qui unico tantum anno præfuit, an autem muneri cesserit, an mortem obierit, mihi prorsus ignotum est. Cum autem Michael Palæologus Imperator, Orientale imperium affectans, anno 1259. ejus administrator factus esset, cujus assequendi vaticinium habuerat, ut *in Arsenio Autoriano* diximus: hinc occasionem accepit Nicephorus nominis secundus, ut *de Expositione somniorum* seu *Onirocriticon* scriberet, cujus exemplar triplex MS. in Regia Galliarum Bibliotheca. Ita Philippus Labbeus *in Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum Latinarum & Gallicarum* desumptâ potissimum ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, anno 1653, Parisiis in 4. edita apud Joannem Henault. Nimirum parte 2. pag. 96. *Sententiæ & apophtegmata* per Alphabetum in Cod. MS. 44. in quo & *Nicephori Patriarchæ Onirocriticon*, & quædam alia. Et parte 4. pag. 122. in MS. O. in quo *Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Onirocriticon secundum Alphabeti ordinem versibus Jambicis, Persica inventa in duodecim anni mensibus, & alia.* Idem parte 4. pag. 137. in Codice Regio 1598. ubi *Nicephori Onirocriticon versibus Jambicis.* Simile autem Oneirocriticon ante Nicephorum istum methodo eadem conscripsit Germanus II. seu Junior Patriarcha Constantinopolitanus, de quo ad annum 1220. Operis hujus loquuti sumus. Observat autem Petrus Lambecius Tomo V. Commentariorum Bibl. Cæsareæ Vindobonensis pag. 237. ad Codicem MS. Theologicum Græcum 281. num. 2. similia quidem duo Oneirocritica sub *Astrampsychi* & *Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani* nominibus, edidisse Græcè & Latine Virum doctissimum, Nicolaum Rigaltium unà cum *Artemidori* & *Achmetis Oneirocriticis*, Lutetiæ Parisiorum anno 1603. in 4. typis Claudii Morelli. Idem denique Lambecius arbitratur ibidem, Oneirocriticon *Nicephori* esse brevius quàm *Germani*, à quo ille sua per compendium accepisse videtur.

1250 RADULPHUS DE LYNHAM natione Anglus, atque ut credimus, Ordinis Ecclesiastici alumnus, Mathematicis disciplinis insigniter eruditus, anno 1256, scripsit *Kalendarium Ecclesiasticum* partim prosâ, partim carmine, seu *Expositionem Kalendarii*, quod anonymum inventum ab illis qui Opera Venerabilis Bedæ edenda procurarunt, inter Opera illius tomo primo, sub nomine *Ephemeridum* cum Tractatu *Embolismi* sequente impressum est. Eruditum opus ac multi laboris, quod dignum Beda venerabili judicatum est, licet ex lectione ad Scriptorem qui sub seculi XIII. medium vixit, pertineat. Ejusdem autem *Expositio Kalendarii*, sive *de ratione dierum, mensium & anni, de festis diebus, aliisque ad computum Ecclesiasticum spectantibus per Radulphum de Lynham anno 1256*, ut patet ex pag. 56. b. Rythmis Gallicanis: extat MS. in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vitellii litera D. Cod. 3. num. 7. Mentionem facit illius, Thomas Smithus Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter *in Catalogo Manuscriptorum Codicum* Cottonianæ Bibliothecæ p. 90. col. 2.

SANCTA GERTRUDIS VIRGO ET ABBATISSA MONASTERII HELFFEDANI, 1250 in Comitatu Mansfeldensi in Germania, Ordinis divi Benedicti, electa quidem Abbatissa anno 1251. Rodalsdorfensis Cœnobii, anno autem sequente Monialibus in Helffedanum sacrarum Virginum Cœnobium translatis, illucque cum Abbatiali dignitate translata est, ubi Mechtildem sororem socium vitæ ac sanctitatis habuit. Composuit *Libros 4. Insinuationum divinæ pietatis* qui ab his verbis incipiunt, *Abyssus increatæ sapientiæ &c.* quibus ab auctore anonymo alius liber de Vita Gertrudis præmittitur à verbis sequentibus incipiens, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei &c.* Impressi primum Coloniæ anno 1579. in 4. tum correctius Parisiis anno 1662. apud Fredericum Leonard via Jacobæâ sub scuto Veneto, in 8. Opus devotioni mulierum cerebro laborantium aptissimum, quod in ultima editione inscribitur, *Vita & Revelationes Sanctæ Gertrudis Abbatissæ Ordinis Sancti Benedicti.* Obiit autem Sancta Gertrudis in Monasterio suo, anno 1290. de qua plura habet Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Gertruda Abbatissa.* Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis, sæpissime in Opusculis suis asceticis, ac præsertim *in Appendice* ad Conclave animæ fidelis, paragraph. 4. fol. 619. editionis Antverpiensis anni 1632. in folio.

REINERUS SACCONUS, patriâ Placenti- 1250 nus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, floruit anno 1254. ut testatur Antonius Senensis *in Bibliotheca ejusdem Ordinis.* Hic ex Valdensium duce & antesignano seu Episcopo, ad veræ fidei agnitionem prælucente Dei gratiâ conversus, etiam intra Fratrum Prædicatorum Ordinem vir utcunque eruditus, admissus est. Unde cum postea sub Innocentio IV. & Alexandro item IV. Romanis Pontificibus, crudele Catharis, Buggaris, Veldensibus, aliisque ejusmodi hominibus bellum indictum esset, atque omnes opinionum istarum professores ignibus tradendi conquirerentur: inter hujusmodi hominum homines comburentium turbam, Raynerus inquisitor generalis deputatus egregie isto officio fun-

functus est, ejusdem fidei hostibus quorum olim antesignanus erat, perpetuum postmodum indicens bellum. Scripsit *Librum contra Valdenses Hæreticos*, quem integre Jacobus Gretserus ex MS. Codice primum eruit, & cum aliis ejusdem argumenti anno 1614. Ingolstadii in 4. edidit. Qui autem adversus eosdem Valdenses scripserunt, hi *Eberardus Bethuniensis* ab Henrico Gandavensi cap. 60. memoratus, de quo nos suprà. *Bernardus Fontis Calidi Abbas*, Ordinis Præmonstratensis, & *Hermengardus*, quos idem qui suprà Gretserus simul edidit, unde postea in Bibliothecas Sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & Lugdunensis 1677. transierunt. Cum itaque zelum contra Valdenses ac Buggaros edito etiam volumine Reinerus ipse olim Baggarus scripsisset, in operis mercedem ab Alexandro IV. Summo Pontifice anno 1255. Pontificatus sui anno primo, Generalis inquisitor Mediolani authoritate Apostolica creatus est. Decretum ad eum in Lombardiam directum, quod post Directorium Inquisitionis a Nicolao Aymerici compositum, impressum extat, ut tradit Spondanus in Continuatione Annalium Baronii, ad annum 1198. num. 23. His munitus Apostolicis mandatis, castrum Gathæ uti hæreticorum domicilium, pluribus eorum igni adjudicatis, a fundamentis destruxit. Quibus (ut inquit Altamura) permoti hæretici cum Vbertino Palavicino eorum fautore, ut Reinerus Inquisitor ex Mediolanensi urbe ejectus exularet, procurarunt: quod & contigit anno 1259. quo in exilio in pace quievisse scribitur. Volunt nihilominus alii, hunc Reinerum fuisse similem Roberto Bougre ejusdem Ordinis, de quo Matthæus Parisius *in Historia* seu ad annum 1236. & 1238. Illum sub cacozeli prætextu, suarum litterarum tenorem prætergressum esse, innocentes promiscue cum sontibus combussisse, Catholicos ipsos sub impactæ hæreseos larva depauperasse, atque hoc modo in exilium missum fuisse, mandatis Apostolicis revocatis. Excoriabat enim, quos tondere tantum jussus erar. Hic autem Rainerus Sacconus ab anno 1250. ad 1260. celebris, caute ab altero distinguendus est, quem anno 1198. Innocentius III. destinavit cum Guidone ad Galliarum Antistites, adversus quoscunque Hæreticos ibi errores suos disseminantes. Misit enim Fratres Raynerum & Guidonem cum facultate Legationis Apostolicæ, qui eosdem Hæreticos prædicationibus, censuris, aliisque omnibus modis reducere conarentur: *qui alioquin* (ut vult Spondanus ad annum 1198. num. 23.) *concordant ambo in nomine, natione & officio*, Hoc tamèn haud credimus, nam anno citato Raynerus in Galliam missus, nequaquam erat ex Ordine Fratrum Prædicatorum, quos nondum tunc temporis ortos esse constat. Agunt *De Raynero Saccono* Spondanus *in Exceptione Annalium Baronii* ad annum 1198. num. 21. & 23. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum*, ad annum 1258. fol. 15. ubi Abrahamum Bzovium *in Annalibus* 1234. num. 24. citat, qui ne γρῦ quidem de Raynero, habet loco citato.

STEPHANUS DE BORBONE SEU DE BELLAVILLA, Ordinis Fratrum Prædicatorum, natione Gallus fuisse mihi videtur, atque hoc eodem tempore claruisse, ac scripsisse *Opus de septem donis Spiritus Sancti*, utcunque prolixum, distinctumque in varias partes, titulos & capita, quod MS. extare dicitur Parisiis inter MSS. Codices Bibliothecæ Sorbonicæ. Ex hoc Opere parte 4. tit. 7. cap. 30. refertur Secta Valdensium his verbis. 1250

"Valdenses dicti sunt a primo hujus hæresis auctore, qui nominatus fuit *Valdensis*. Dicuntur etiam *Pauperes de Lugduno*, quia ibi cœperunt in professione paupertatis. Incœpit autem illa Secta per hunc modum, secundum quod ego audivi à pluribus, qui priores eorum viderunt, & à Sacerdote illo qui satis honoratus erat & dives in civitate Lugdunensi, & amicus fratrum nostrorumque dictus fuit Bernardus Ydros: qui cum esset juvenis & Scriptor, scripsit dicto *Valdensi* priores libros pro pecunia in Romano, quos ipsi habuerunt, transferente & dictante ei quodam Grammatico, dicto Stephano de Ansa, (aliis de Ensa) qui postea beneficiatus in Ecclesia majore Lugdunensi, (*alius codex*) prænotatus est in Sacerdotem, & de solario domus quam ædificabat, corruens mortue subitâ vitam finivit, quem ego vidi sæpe. Quidam dives rebus, in dicta urbe dictus *Valdensis*, audiens Evangelia, cum non esset multum literatus, curiosus intelligere quid dicerent, fecit pactum cum dictis Sacerdotibus, alteri sic ut transferret ei in vulgari, alteri ut scriberet quæ illa dictaret, quod fecerunt. Similiter multos libros Bibliæ & auctoritates Sanctorum multas, quas sententias appellabant. Incæpit autem hæc secta, circa annum Incarnationis Domini MCLXX. sub Joanne dicto Bolesmanis Archiepiscopo Lugdunensi. *Alius codex*, MCLXXX. sub Joanne dicto Belesmanis. Hæc referuntur ex Codice MS. Sorbonico à R. P. Jacobo Echart sectione 4. libri quem inscripsit, *Summa Sancti Thomæ suo auctori vindicata*, pag. 540. Cum neminem legerim qui Scriptoris hujus mentionem faceret, assentior Jacobo Echardo, qui primus illum produxit ex MS. Codice Sorbonico, quem exscripsit Jacobus le Long, Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis *in Bibliotheca Sacra* parte 2. Capite 5. Sectione primâ pag. 3. editionis Lipsiensis anni 1709. in 8." Nec enim opinor, mentiri aut fingere quicquam viros istos, dum anno 1261. mortuum illum scribunt.

SANCTA MECHTILDIS VIRGO ET ABBATISSA IN DISSEN, Sanctæ Gertrudis 1250

dis de qua statim egimus soror, ejusdem sanguinis, ejusdem Instituti, ejusdem temporis, ejusdem gratiæ atque ingenii. Ipsa Principis Berchtoldi Comitis de Andechs & Domini in Dyengen ad Isaram, filia, atque etiam Friderici II. Imperatoris cognata, cujus vitam calami sui penicillo nobis depinxit Engelhardus Abbas in Lanchaim, quem refert Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 55. pag. 445. ultimæ editionis. Claruit post annum 1250. factaque postmodum Abbatissa in Damasia seu Dissen, postea in Edelsteten seu Oetilstetten, quod Monasterium non longe abest ab Vrspergen, inter Augustam & Vlmam. Scripsit simillimas cum Gertrude *Visiones seu Revelationes*, quas *Spirituales gratiæ Libro V.* inscripsit, de cujus Scriptis & obitu Sancta Gertrudis loquitur, unde Mechtildem migrasse ad Dominum ante Gertrudem sororem patet. Ejusmodi *Revelationes* fœmineo sexui & ingenio nugis assueto convenientissimæ, Parisiis in fol. anno 1513. impressæ sunt, charactere pro ratione temporis eleganti, ex officina Henrici Stephani, è regione Scholæ Decretorum. Est autem Collectaneum quoddam varias diversorum Revelationes continens, quod rectè *Collectaneum Visionum seu Visionarium* appellaretur. Complectitur *Visiones Hermetis seu Pastorem Hermetis* Libris 3. fol. 1. Libellum prosaicum. *De Visione Wettini Monachi* fol. 17. quem postea iterum edidit D. Joannes Mabillon in Actis Sanctorum Ordinis divi Benedicti, Seculo IV. tomo 1. pag. 263. & sequentibus. *Libros duos Revelationum seu somniorum Fratris Roberti Ordinis Fratrum Prædicatorum*, fol. 19. qui anno circiter 1330. floruit, somniaque sua Scriptis mandavit. *Libros tres Revelationum Sanctæ Hildegardis Virginis* Scivias *intitulatos*, fol. 28. qui incipiunt, *Ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno &c. Libros quinque Visionum seu Revelationum Sanctæ Elisabeth Abbatissæ Schonangiensis* fol. 119. qui alibi etiam impressi, ut supra diximus. Denique *Libros quinque Gratiarum Spiritualium Sanctæ Mechtildis Virginis*, fol. 150. de quibus anteà. Antonius Possevinus Sanctæ Mechtildis *in Apparatu sacro* mentionem facit, sed dum ait eam adhuc anno 1300. vixisse, apertè fallitur. Cum enim ex ipso Possevino Sancta Gertrudis ejus soror anno 1290. mortua sit, & hæc in Scriptis suis de Mechtilde sorore tanquam mortua loquatur, non potest usque ad annum 1300. Mechtildis vixisse, sed mors circa annum 1284. vel 1286. assignanda est. Ejusdem Mechtildis meminit Carolus Wischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 241. ubi pro viribus a Deo sibi datis, Virginem hanc instituti Cisterciensis Monialem facit. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 131. ubi perperam an. 1300. eam vixisse affirmat.

1250 JOANNES DE PARMA, MINISTER GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM, quem alii *Joannem Genesium*, alii *Joannem de Qualea* nuncupant, atque esse unum & eundem hominem his tribus nuncupatum nominibus, nonnulli censent: de quo tribus locis Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. verbis *Joannes Genesius* pag. 880. & *Joannes Parmensis* & *Joannes Paulinus de Qualea* pag. 927. Atque etiam Lucas Waddingus cum *in Annalibus Minorum* variis locis, tum *in Bibliotheca Scriptorum hujus Ordinis*, verbo *Joannes Genesius de Qualea* pag. 208. Hic dum Parisiis in conventu Minoritarum Sententias cum applausu legeret, absens in Ministrum Generalem totius Ordinis FF. Minorum electus est, teste Waddingo *in Annalibus* hujus Ordinis. Inde cum sollicitè urgeretur a Fratre Laurentio Minorita, negotium unionis Ecclesiæ Græcæ cum Latina, nec Joannes Imperator & Manuel Patriarcha abhorrere viderentur: misit anno 1249. Innocentius Papa IV. ipsummet Generalem Ordinis Minorum *Joannem Parmensem* in Græciam, scriptis ad Imperatorem & Patriarcham litteris, quibus *Angeli pacis* nomine eum commendavit. Qui munus injunctum tanta sanctitatis & sapientiæ existimatione, juxta S. Antoninum *in Summa Historiali* parte 3. tit. 24. cap. 9. §. 5. obiit, ut verus Christi discipulus censeretur: remque tandem feliciter confecturus fuisse crederetur, nisi Pontificis & Imperatoris mors, dum ea tractarentur, intervenisset. Siquidem & missam fuisse ad hoc a Græcis ad Papam Innocentium, nobilem legationem duorum Archiepiscoporum totidemque Comitum, reperimus in Regesto Alexandri IV. Innocentii Successoris, Epist. 325. anni 2. Scripsit ille Tractatum *De civitate Christi*, impressum Regii anno 1501. apud Vgonem Rogerium, & Romæ anno 1523. apud Jacobum Mazochium, eumque plura alia scripsisse vult Waddingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 208. Et *in Annalibus Minorum* ad annum 1278. num. 31. Extat inter MSS. Codices Bibliothecæ S. Antonii Patavini, *Glossarium Fratris Johannis Genesii Qualei de Parma, S. Theologiæ Professoris Ordinis Fratrum Minorum.* Et in Bibliotheca Patrum Ordinis Hermitarum Augustinianorum ibidem *Glossarium Fratris Johannis Quaylei Ordinis Minorum, de Parma oriundi, folio in membrana*, cujus extat alterum exemplar in Bibliotheca S. Antonii. Hæc Jacobus Philippus Thomasius in suo Catalogo Bibliothecarum Patavinarum, tam Publicarum quam Privatarum, Vtini in 4. anno 1639. impresso. Denique inter MSS. Codices Latinos Bibliothecæ Florentinæ, extant *Sermones F. Joannis de Parma*, juxta Catalogum Librorum MSS. Magni Ducis Etruriæ, quem anno 1641. edidit Henricus Ernstius, Amstelodami. De moribus tamen Joannis Parmensis inter Scriptores haud satis convenit, de quo ita loquitur Cæsar Egassius du Boulay *in Catalogo illustrium Academicorum* seculi V.

Vniversitat. Paris. p. 695. „Joannes de Parma „Bononiensis, Ordinis Fratrum Minorum Mini„ster Generalis, qui Sententias legens Lutetiæ „Parisiorum, detestandum illud *Evangelium æter„num* circa annum 1254. edidisse fertur, contra „quod Academia Parisiensis uno ore declama„vit in scholis & in publicis suggestibus. Qui „liber cùm ad Alexandrum IV. delatus fuisset, „crematus quidem fuit jussu Pontificis: sed „*Clam* inquit Matthæus Parisiensis, ne Ordini „Franciscanorum probro daretur. Sunt ta„men qui Joannem de Parma ab hoc crimine „absolvunt. Idemque instat in Historia ejus„dem Vniversitatis, ad annum 1255. pag. 299. „& 300. his verbis. Verum ecce nova discor„diæ materia. Vniversitas libellum qui inscri„bebatur *Evangelium æternum* ex erroribus Ab„batis Joachimi per M. Johannem de Parma „consarcinatum, in atrio Basilicæ Parisiensis, ubi „olim venales libri exponi & clamitari sole„bant, cremari postulavit. In eo libello pro„bare conabatur *Parmensis* Legem Christi an„no 1260. interituram, tertiam verò nimirum „Spiritus Sancti longè perfectiorem, publica„tum iri: quippe primam dicebat fuisse Patris „in veteri Testamento, secundam Filii in novâ „Lege, tertiam denique Spiritus Sancti, ad fi„nem usque Mundi duraturam. Hæc hæresis „quæ erat Abbatis Joachimi, circa initium hu„jus seculi prodierat in lucem, & ab Almarico „Carnotensi suscepta & propagata fuerat, ut le„gitur *in Chronologia* Bellarmini &c.« Volunt ex adverso alii, Joannem de Parma fuisse virum multæ probitatis, quod probat Lucas Vuadingus *in Annalibus Minorum* anno 1256. num. XI. multis ex authoribus, quorum tamen plurimi recentiores sunt, quam ut valeant ad faciendam fidem. Adducit etiam & nonnullos veteres, qui Cæsarem Egassium Bullæum, & ætate & meritis præcessisse credendi sunt. Ex his Bartholomæus Pisanus in Libro *Conformitatum S. Francisci*, Conformitate 8. *Joannes de Parma vir doctrinâ & sanctitate conspicuus, cunctis fratribus annuentibus, Spiritu Sancto cooperante, in Generalem designatur, atque clarus miraculis, Spiritum Altissimo reddidit.* Marianus Florentinus *in Chronica Ordinis Fratrum Minorum* Lib. 2. cap. 20. *Joannes Parmensis, extitit vir singularis scientia, ac religiositate præclarus, virtuosus prædicator, vita sanctissima ac sublimis contemplationis.* Denique S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, illum vocat *virum scientia & religiositate præclarum, maximum paupertatis & humilitatis amicum.* Vnde consequenter idem Archiepiscopus *in Chronico* 3. parte titulo 24. cap. 9. paragrapho 5. tantum abest, ut eum anno 1256. depositum ob scelera atque ob scriptum infame illud *Evangelium æternum* dicat: quin potius ipsum Joannem de Parma sollicitasse suam depositionem atque precibus impetrasse, affirmet. *Idem Joannes Generalis cum omnimoda importunitatis instantia, allegata impotentia, à Ministerio Generali se absolvi obtinuit: & de reassumendo officio, nec Capitulo Generali vehementer instanti, nec ullis vel Summi Pontificis vel Cardinalium suasionibus acquiescere volens: non contemptu, sed impotentia ad officium exequendum causam assignans, humillimè cessit, ad tractatum Capituli nihilominus admissus reverenter.* Longe ista cessio distat, cœloque toto a dejectione probrosa, ob crimen hæreseos, vel ob scandalosum librum conscriptum. Præterea absurdum est mendacium, *Scriptum esse Evangelium æternum anno 1254. vel 1255. Parisiis ab Joanne de Parma, qui tunc legebat sententias.* Nam multis ante annis, cessaverat Parisiis legere Sententias: cum ipse ab annis jam multis Minister Generalis Fratrum Minorum factus esset, ac velut Minister Generalis anno 1249. missus ab Innocentio IV. Summo Pontifice ad conciliandam Ecclesiam Græcam cum Latinâ. Adeoque inde colligitur, eodem tempore quo hoc Opus Parisiis conscriptum est atque anno 1255. apparuit nec Joannem de Parma tunc Parisiis Lectorem fuisse, nec in Galliâ mansisse, nec forsitan ex Græciâ reversum, ut ei vacaret scribere talem librum.

Post tantorum hominum gravia testimo-« nia, credibilia facta sunt nimis, justa quæque« gesta Joannis de Parma, quidquid nonnulli in« eum deblaterent. Neque mihi persuadere« possum, hunc illum esse Joannem Parmensem,« Monachum Italum, cui Nicolaus Aymericus« *in Directorio Inquisitionis* 2. parte quæst. 9. n. 4.« & ex eo Abraham Bzovius *Annalium* tomo 1.« anno 1258. n. 8. adscribit viginti septem puti-« dos errores, ac insulsas hæreses collectas ex« Opusculo quodam communiter nuncupato« *Evangelium æternum, cujus author fuit* (inquit« *Aymericus*) *ut fertur communiter, quidam frater« Johannes de Parma, Italicus Monachus.* Sane« hujus nomen, patria, tempus, quod re-« censet commentator Penna, conveniunt et-« iam in hunc nostrum Joannem: non tamen« cohærent cum probatissimis tot gravium« authorum quæ attulimus, testimoniis, per-« niciosissimi errores quos citati autho-« res transscripserunt. Neque ipse Eyme-« ricus constanter istud scelestum Opus Joan-« nis Parmensis esse affirmat, sed alios commu-« niter ita referre scribit: quod tamen Bzo-« vius absque ulla hæsitatione, nullo alio au-« thore, quam Eymerico non affirmante, ei au-« det attribuere, erroresque & hæreses tum« in Concionibus, & Disputationibus, tum in« isto libro affigere. Eò tendit harum hæ-« resum robur & major earum pars, ut eva-« cuetur Christi Evangelium: & quarta in« ordine ea est, quòd Lex Christi duraret us-« que ad annum 1260. duntaxat. Quis quæso« hoc scripsisse vel somniasse putabit hominem,« qui totam suam vitam annum octoginta« strictissime ad Christi Evangelium composuit,« & secundum Christi doctrinam usque ad an-« num 1289. sanctissime vixit? Alia pars hæ-« re-

„tesium illud inculcat, quod Græci magis ambulant secundum Spiritum, quam Latini: & „quod bonus & laudabilis sit eorundem recessus „ab Ecclesia Latina. Itane docuisse judicandus „homo, qui tot terræ marisque emensus est „spatia, semel ante præfecturam Ordinis abiens in Orientem, secundò illuc profecturus „nisi mors impediret: ut quos perire extra „Ecclesiam summè dolebat, ad eandem revocaret? Deinde quando potuit hæc tum pro „Concionibus & Disputationibus, uti habet „Bzovius, tum Scripto publico libro evulgare? Si ante Generalem Ordinis Præfecturam, non est credibile ad eandem assumendum stolidissimum hæreticum, neque Vniversitatem Parisiensem in qua tunc docebat, eundem toleraturam. Si ante legationes Constantinopolitanas, non mitteretur ad illos, qui „pro rostris & conscriptis libris, Græcorum „approbabat ab Ecclesia separationem. Si eo „anno 1258. quo scribit Bzovius, Liber ejus ab „Alexandro ex Consilio S. R. E. Cardinalium „flammis addictus, quomodo tot succedentibus annis ab eodem Pontifice toleratus? „Quomodo ei imponitur secunda tandem legatio ad Græcos reducendos? Cujus primæ peractæ legationi, præcipuè tribuitur felix exitus unionis stabilitus in Concilio Lugdunensi. Demum nullus qui Scriptores recenseat Ecclesiasticos, tale huic Joanni Opus „tribuit, neque Trithemius, neque Gesnerus, „etsi alias ejusmodi errorum diligens observator. Neque Eisengrenius, Possevinus, Rodulphus, Gonzaga, Willotus, neq; alius quispiam, „præter Eymericum & Bzovium, vel eorum „sectatores.

Hæc multo æstu nec judicio minori Lucas Vuadingus *in Annalibus Minorum* tomo 2. ad annum 1256. num. 13. ut *Evangelium æternum* ab Joanne de Parma, Ordinis sui Ministro posteà Generali, contra sententiam Fratrum Prædicatorum amoveat. Neque vult hoc esse relatum in odium aut injuriam Fratrum Prædicatorum, quos summè diligit: *Sed ut constet etiam ipsis Prædicatoribus attribui, quod duo illi ex Prædicatoribus, Joanni Parmensi affigunt.* Et quidem hoc probat Vuadingus, quia author coævus Matthæus Parisiensis *in Historia sua* ad annum 1256. hujusmodi librum à Prædicatoribus cum Vniversitate Parisiensi contendentibus, compositum asserit. Tum subjungit, ut vibratum fulmen utcunque amoveat: *quâ tamen fide, Lector videris.* Huic authori duos alios adjungo coætaneos pariter, nec studio partium abreptos. Illorum unus Richerius Senoniensis, Ordinis divi Benedicti Monachus in Lotharingia, Lib. 4. *Chronici Senonensis* cap. 37. *Prædicatores quendam librum Evangeliorum compilaverunt, in quo dicebantur aliqua contineri, quæ contra fidem esse videbantur. Clerici verò nescio qua arte procuraverunt, ut copiam ipsius Libri haberent, ex quo omnia capitula fidei contraria deterpserunt, & ea scripto commendantes sibi retinuerunt.* Alter Ægidius de Loris in poëmate Gallico quod vulgò *Le Roman de la rose* appellatur, quod quia absolvere non potuit, illud Joannes de Meun longo post tempore edidit. In illo pariter *Evangelium æternum* Fratribus Prædicatoribus adscribitur, ut legere est *in Historia Vniversitatis Parisiensis* ad annum 1255. pag. 300. Vnde ex ore duorum vel trium contemporaneorum testium, nullus jam dubito, quin Opus istud egregium, fœtus Fratrum Prædicatorum fuerit. Cum autem ob solitudinis amorem, Joannes de Parma cessisset præfecturæ Ordinis Fratrum Minorum, anno 1258. ad solitudinem seu ad Conventum Græcii abiit, ubi quietus vivens atque ab omni strepitu remotus, Camerini tandem anno 1289. mortuus est. Multis teste Wadingo post mortem clarus miraculis, cujus corpus adhuc integrum ibidem asservatur. Agunt *de Joanne Parmensi* Henricus Spondanus in Exceptione *Annalium Baronii* anno 1249. num. 7. & anno 1258. num. 3. Lucas Vuadingus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum* pag. 208. & *in Annalibus* ad annos 1249. 1256. 1277. 1278. & 1289. num. 31. cum omnibus Franciscanarum rerum Scriptoribus.

BERNARDUS DE COMPOSTELLA, in Gallæcia, Presbyter hujus Ecclesiæ & Sacrorum custos, floruit anno circiter 1250. carissimus ob doctrinam Juris Canonici Innocentio IV. Summo Pontifici, cujus Sacellanus extitit. Appellabatur autem ex cognomine *Bernardus de Montmirat*, si fides est adhibenda MS. Codici Sancti Victoris Parisiensis Littera O. 9. fol. 219. ad calcem Operis, ubi legitur: *Explicit Lectura Magistri Bernardi de Montemirato Compostellensis, Deo gratias.* Composuit Opus inscriptum *Diplomata Summorum Pontificum & antiquorum Hispaniæ Regum*, ut testatur Ambrosius Morales, in 4. volumine Collectanei quod *Hispania illustrata* nuncupatur. Ex hoc Collectaneo extat IV. *Hispania illustrata* p. 353. qui Francofurti 1608. in folio prodiit, *Diploma Regis Veremundi II.* cum Subscriptionibus, cui Ambrosius Morales præmisit, sequens Diploma in Sancta Ecclesia Compostellana servari, quod ille cum aliis centum fermè hac occasione habuit. Compostellanos Episcopos librum MS. habere, qui illis simul cum dignitate traditur, in quo transscripta sunt *Diplomata Summorum Pontificum, tum priscorum etiam Regum* Sanctæ eidem Ecclesiæ olim concessa. Hunc librum congessit Bernardus ejusdem Ecclesiæ (ut vocant) thesaurarius anno Domini 1129. quod in Præfatione ipsemet Bernardus ostendit. Cum autem Sancta eadem Ecclesia aliquando operâ Ambrosii Moralis indigeret, eum librum ipsi tradi jussit, unde ipse hoc Veremundi II. Diploma cum aliis multis transscripsit, quæ Hispanicis rebus & veræ tem-

temporum supputationi magnam lucem afferre possunt. Quin etiam (inquit Morales) cum sanctum divi Jacobi sepulchrum posteà, tum sancta legatione Philippi Regis Catholici fungentes, tum etiam religioso Peregrinorum more invisissemus, hoc ipsum Diploma in secretioribus hujusmodi Monumentorum Collectaneis, quos *Tumbos* patrio nomine hic vocant, denuo vidimus. Hæc Ambrosius Morales, quæ si vera sunt, *Collector hic Veterum Diplomatum*, aliis erit à Bernardo illo nostro, de quo jam loquimur, quem annis CXX. præcedit. Ejusdem ultimi sunt *Nombilia & Casus super 5. Libros Decretalium Magistri Bernardi Compostellani, quinque libris contenta*, MSS. in Bibliotheca Majoris Ecclesiæ Cameracensis, quæ prodierunt Argentorati anno 1498. & Norimbergæ anno 1493. Ejus verò *Lectura in Librum I. Decretalium* cum Apostillis Antonii de Crevant, edita Parisiis anno 1516. in 4. Idem Opus MS. in Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Parisienses, Littera N. 14. fol. 1. cujus titulus, *Incipiunt Casus Magistri Bernardi in Libros V. Decretalium*. Opus incipit, *Rex pacificus &c. Præmissa salutatione &c.* cum tabula secundum ordinem litterarum Alphabeti fol. 248. repertoria plurium materiarum juris. Idem MS. ibidem Littera C. 11. fol. 216. *Ejusdem Bernardi Compostellani Expositio quarundam Constitutionum extravagantium*, sic enim inscribuntur in eadem Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, Littera Q. 1. fol. 156. Incipit, *firmiter credimus &c. Quaritur an omnes teneantur credere articulos fidei? Respondeo, quòd omnes postquam sunt adulti, ad hoc tenentur &c. Ejusdem Bernardi Compostellani Lectura in Constitutiones Innocentii quarti Summi Pontificis*, MS. in eadem Bibliotheca Sancti Victoris, Littera O. 9. fol. 219. Incipit, *Cum in multis juribus casus sit planus &c.* in fine Codicis optimæ notæ subjungitur, *Explicit Lectura Magistri Bernardi de Montemirato, Compostellensis, Deo gratias.* In editione ultima Operum Divi Bernardi Abbatis Claravallensis quam anno 1690. duobus in folio voluminibus procuravit Joannes Mabillon, inter Opera spuria Volumine 2. tomo 5. extant *Bernardi Archiepiscopi Toletani Sermones IV. in Antiphonam* Salve Regina p. 711. qui an idem sit cum præcedente, mihi incertum manet, ad hanc enim sedem promoveri potuit. Sed obstat ratio temporum, Bernardus enim Archiepiscopus Toletanus præfuit Concilio Legionensi anno 1091. Nemausensi 1096. & tanquam Legatus S. Romanæ Ecclesiæ Gerundensi anno 1097. De hoc Bernhardo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 216. Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 89. ubi eum anno 1250. floruisse asserit.

1250 ALBERTUS STADENSIS ABBAS, Ordinis Divi Benedicti, in Archiepiscopatu Bremensi, anno Christi 1232. electus est. Desudavit anno 1234. inducendæ in Abbatiam suam, observantiæ Ordinis Cisterciensis, atque eam ob causam anno 1236. à Gregorio IX. Summo Pontifice bullam obtinuit: quam cum fratribus renitentibus executioni mandare non posset, anno 1240. ad Ordinem Fratrum Minorum ex voto perfectioris vitæ pertransiit, quorum omnium ipse testis est *in Chronico* suo ad annum usque Christi 1256. conscripto, quod ex MS. Codice Henrici Ranzovii Helmenstadiensis, cum Notis non spernendis edidit Reinerus Reineccius Helmstadii anno 1587. in 4. Recusum postea Wittebergæ anno 1608. in 4. Joannes Henricus Boeclerus, cum anno 1685. ederet Argentorati in folio *Commentarios* Æneæ Sylvii seu Pii II. *De rebus gestis Friderici III. Imperatoris*, adjecit Appendicem Historicorum Germaniæ quorundam insignium, atque à pag. 1. ad 120. *Vitas anonymorum quorundam* atque alia Opuscula ad res gestas Caroli Magni, Ludovici Pii ac filiorum illius spectantia, quibus horum temporum historia illustratur: ut Thegani Trevirensium Chorepiscopi & suffraganei, *Annales de gestis Ludovici Pii ab anno 813. usque ad annum 837.* Nithardi Caroli Magni ex Bertha filia nepotis, *Libros IV. de Dissidio filiorum Ludovici Pii Imperatoris ab anno 814. progressi ad annum 843.* His subjecit pag. 123. ad 337. *Chronicon Alberti Abbatis Stadensis ab orbe condito ad annum 1256.* cum *Martini Poloni Chronicon Romanorum Pontificum & Imperatorum*, usque ad Appendicis finem, cui Appendicem alteram addidit, continentem Chronica Andreæ Presbyteri Ratisponensis *de principibus terræ Bavarorum &c.* quæ editiones accuratissimæ esse videntur. Vltimum hoc Chronicon Appendicis secundæ à pag. 2. ad 61. ut ex Prologo Operis patet, est *Fratris Andreæ Presbyteri Monasterii S. Magni Confessoris* ad pedes pontis Ratisponensis, scriptum sub Martino Papa quinto, & Sigismundo Romanorum Imperatore, anno Domini 1425. Feria sexta in die Exaltationis Sanctæ Crucis, extensum autem usque ad annum 1439, cui alius pag. 62. appendicem annorum 46. vel 47. adjecit. Inceperat autem scribere hoc *Chronicon*, eo tempore quo Abbas erat Stadensis, unde ingenii sui & doctrinæ non ignobile futuris seculis testimonium dedit: imò eo ipso tempore quo nervos adhibebat omnes, ut bulla à Gregorio Papa IX, impetrata plenum suum effectum sortiretur, ea de re sæpiùs Archiepiscopum & Decanum Bremensem conveniens atque commonefaciens. Illud ab initio mundi auspicatur, & ad annum quidem 1256. concludit, sed iterata resumptione operis. Quamvis enim ad eum usque annum *Chronicon* suum perduxerit, decreverat attamen primitus Historiam suam usque ad annum tantum 1240. prosequi, quo Ordinem Benedictinum transiturus ad Franciscanos, deseruit. Istud hæc verba non longè ab initio Chronici posita osten-

ostendunt, *Tempora vero multa sunt hac, Millesimus ducentesimus quadragesimus annus gratia jam effluxit. In sede Patri Gregorius IX. jam XIII. annis sedit, negotia Imperii Fredericus II hujus nominis, LXXXIX. ab Augusto, XX. annis gubernavit* &c. fratres postea relicta Abbatia Franciscanus, in tantam virtutis & prudentiæ famam devenit, ut totius Ordinis Minister Generalis, ad annum usque 1250. & deinceps clarus, juxta vitam sibi superstitem a Deo datam, Chronico postea annos XVI. adjecerit. Nonnulli hunc Albertum Hetruscum faciunt, Pisanum videlicet, sed Germanum censet Arnoldus Wion Lib. 1. *Ligni Vita* cap. 62. Non ignotus fuit Alberto Krantzio, qui in *Saxonia* sua & *Metropoli* multa ex eo transcribit. Thomas autem Dempsterus *Paralipomenis* ad Rosini Antiquitates Lib. 1. cap. 1. *authorem doctum & diligentem* indicat, de quo pariter Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 479. secundæ editionis. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 6. cum aliis qui Franciscanos scriptores recensent.

1250 GVILLELMVS DE SANCTO AMORE, BELLOVACENSIS ECCLESIÆ CANONICVS, dictus *de Sancto Amore* ab oppido unde oriundus erat in Burgundia Sequana, seu Comitatu Burgundiæ, Doctor Parisiensis, Ordinibus Mendicantium infensus, dum in Ecclesia nascebantur, a quibus in odii compensationem magnus audivit Hæreticus. Habent enim hoc privilegium a seculo XIII. Mendicantes Ordines, ut quemque sibi inimicum, nolentem etiam atque reluctantem, hæreticum faciant. Hic Philosophiam diu professus est, nationis Gallicanæ & Vniversitatis Rector factus, atque etiam ejusdem procurator Generalis seu Syndicus, ad Theologiæ postea professionem se contulit. In dissidio fratrum Prædicatorum, se semper acerrimum & intrepidum præstitit, adeo ut nec laboribus neque sumptibus parceret, quo jura Academiæ contra Mendicantes tueretur. In Registro Vaticano legitur Epistola XXIX. ab Innocentio IV. data idibus Julii anno Pontificatus XII. ad Guillelmum de sancto amore Canonicum Bellovacensem *procuratorem Magistrorum & Scholarium Parisiensium*, in qua ei facultatem concedit, contrahendi mutui pro expensis & negotiis, usque ad summam trecentarum librarum Turonensium, super bonis & facultatibus dictæ Vniversitatis. Scripsit adversus Mendicantes anno 1255. librum *De periculis novissimorum temporum*, incipientem, *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amore flebunt* &c. qui liber Anagniæ anno 1256. jussu Alexandri IV. damnatus & concrematus est. Non propterea quod hæreses contineret, sed quia Mendicantes nimis acerbe tractaverat: nam nec Alexander ipse quanquam Guillelmo infensissimus, librum istum illius hæreseos notat. Juste tamen (ut ingenue loquar) damnatus est ob probra & injurias quas continebat, & quæ scandalosa erant atque Presbyteris Doctoribus indigna & iniqua, adversus Ordines diffusos jam & ab Apostolica sede approbatos scribentibus. „Vnde ita loquitur summus Pontifex Alexander, Nos autem libellum qui sic„ incipit, *Ecce videntes clamabunt foris:* quique„ secundum ipsius titulum, *Tractatus brevis De„ periculis novissimorum temporum* nuncupatur,„ tanquam iniquum & scelestum & execrabi-„ lem, & instructiones & documenta in eo tra-„ dita, utpote prava, falsa atque nefaria, de fra-„ trum nostrorum consilia, authoritate Aposto-„ lica reprobamus, & in perpetuum damnamus.„ Et post pauca. Si quis vero prædictum libel-„ lum ore Apostolico jam damnatum approbare,„ vel quomodolibet defensare præsumpserit,„ tanquam contumax, inobediens & rebellis Ro-„ manæ Ecclesiæ ab omnibus habeatur. Et in„ bulla ad Episcopum Parisiensem, Denunties„ publice dilectis filiis universitatis Magistrorum„ & Scholarium Parisiensium, quod non pro eo„ quod idem Guillelmus universitatem ipsam„ defendit, aut quod pro ea forsitan in Francia„ vel apud Sedem Apostolicam laboravit, cum„ Magistros & Scholares prædictos tanquam no-„ bilia Ecclesiæ membra, sinceritatis præcipuæ„ affectibus prosequamur: sed pro præfatis ex-„ cessibus, & præcipue pro prædicto detestabili„ & a nobis damnato libello, sic contra eum„ processimus: & si adhuc id exegerit protervia„ contumacis, gravius authore Domino procedemus. His utitur Cæsar Egassius Bullæus seculo V. *Historia Vniversitatis Parisiensis* fol. 686. in Catalogo illustrium hujus seculi Academicorum, ut *Guillelmum de sancto Amore* nullibi accusatum hæreseos, sed protervia duntaxat, contumaciæ & rebellionis, probet. Omnis Monachorum Mendicantium caterva illum inter hæreticos collocat, sed longe moderatius de illo loquitur Joannes de Sancto Victore ad annum 1254. sic scribens, *Hoc anno iterum orta est dissensio inter Vniversitatem pro Magistro Guillelmo contra fratres, sed tandem per Regem Ludovicum pacata est, ut dicitur. Liber Magistri Guillelmi*, non quod *heresim contineret, sed quia poterat contra fratres dissentionem movere, fuit per Papam condemnatus & combustus, nam Rex Ludovicus miserat Romam Clericos suos pro negotio fratrum.* Ita Joannes de sancto Victore, post Guillelmum Nangium ad annum 1255. sic scribentem. *Tandem hinc inde multis propositis damnatus fuit & combustus liber a M. Guillelmo de sancto Amore præditto editus & intitulatus* De periculis mundi, *in Ecclesia Cathedrali apud Anagniam, non propter hæresim quam contineret, sed quia contra præfatos Religiosos seditionem & scandalum concitabat.* Alexandro IV. mortuo Guillelmus iterum Romam rediit, & Clementi IV. anno 1266. *Libellum Collectionum Scripturæ sacræ*, tunc pacatioribus factis utriusque partis animis, incassum obtulit. Primus qui edendum curavit aliquid Operum Gui-

Guilielmi de sancto amore, Wolfgangus Wissenburgius Theologus Basiliensis, qui Sermones duos *De Publicano & Pharisæo* & alium *in die Sanctorum Philippi & Jacobi*, in *Antilogiâ Papa*, anno 1555. edidit. Scripsit Opuscula varia impressa (ut scribitur) in 4. anno 1632. Constantiæ ad Rhenum, sed vere quidem ex charactere impressionis impressa Parisiis, ubi prostant. Desumpta sunt autem omnia ex tribus MSS. Codicibus Abbatiæ sancti Victoris Parisiensis, notatis Lit. EE 19. fol. 31. ubi *Tractatus de periculis novissimi temporis*. fol. 34. ubi *Quæstiones duæ ab illo de eleemosyna proposita*. Littera G G G 13. ubi *Ejusdem Responsa ad objectos articulos*. Litterâ D D 15. fol. 1. ubi Liber quadripartitus inscriptus *Sapientia Antiquorum*, quem Clementi IV. anno 1266. obtulit. Impressa autem ejus Opera hoc ordine leguntur;

Commentarius in Psalmum primum, pag. 1.

Concio de Publicano & Pharisæo, pag. 7.

De periculis novissimorum temporum adversus Mendicantes Ordines pag. 16. Liber ab Alexandro IV. anno 1256. damnatus. Extat inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 1957. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii, litera B. 3. Codice 12. num. 3. Et inter MSS. Codices bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Vitellii literâ C. Codice 14. num. 9.

Quæstio unica de quantitate Eleemosynæ, utrum liceat homini dare quidquid habet, ita quòd sibi nihil retineat, & mendicet. pag. 93. Habet hanc MS. Bodleiana bibliotheca Codice 1967. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii litera B. 2. Codice 4. num. 6.

Quæstio unica de valido mendicante, Utrum debeamus dare Eleemosynam valido mendicanti, si sit pauper? pag. 80.

Casus & articuli super quibus accusatus Magister Guillelmus de sancto Amore a fratribus Prædicatoribus. pag 88.

Collectiones Catholicæ & Canonicæ ad Clementem IV. Summum Pontificem anno 1266. delatæ, ad defensionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & ad instructionem & præparationem simplicium Christi fidelium, contra pericula imminentia Ecclesiæ Universali per Hyppocritas, Pseudoprædicatores, & penetrantes domos, & otiosos, & curiosos, & girovagos pag. 111. ad 487.

Tabula de signis, per quæ Pseudoprædicatores discerni possunt a veris pag. 487.

Sermo Magistri Guillelmi de sancto Amore, in die sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi. pag. 491.

Extat quoque sub *Guillelmi Parisiensis* nomine *Tractatus contra Exemptiones* MS. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 238. & in Mertonensi Cod. 261. qui mihi spectare videtur ad Guillelmum de sancto Amore Parisiensem Theologum, de quo jam supra in Guillelmo Aruveno Parisiensi Episcopo dictum est. Vixit ultra annum 1270. quem Universitas ipsa in Epistola ad Alexandrum IV. *fidelissimum patronum* vocat, Mendicantes *infensissimum, hostem atque hæreticum exitialem Ecclesiæ & Ordinibus regularibus*: de quo qui plura cupit, inveniet plurima in seculo V. Historiæ Universitatis Parisiensis, ob atroces maxime constitutiones quas habuit cum Ordinibus fratrum Prædicatorum & Minorum, quæ ibi ad plenum deductæ sunt.

RIFFERIUS PRIOR XIV. GENERALIS 1250
CARTHUSIANORUM, & Majoris Carthusiæ proprius, post morem Bernardi de Turre, anno 1258. electus fuit. Hic tempore præfecturæ suæ, de placito & assensu Capituli Generalis, *Antiquâ statuta atque consuetudines Carthusiensium* quas Guigo conscripserat abrogavit, novasque a prioribus longe dispares condidit atque composuit, & in vigore ac paupertate, aliisque Ordinis sui observantiis, faciliores. Habentur distinctæ in tres partes, quarum prima pars sic incipit, *Primum Capitulum hanc habet continentiam, ut divinum officium per omnes domos Ordinis Carthusiensis uno ritu celebretur* &c. Habetur hæc prima pars capitula L. secunda XXXII. tertia XXXIV. quorum ultimum est *de Monialibus Ordinis*, suntque MSS. in Bibliotheca Colbertina Codicibus 3807. & 3808. habenturque eædem in aliis Codicibus ibidem, 1647. 1648. 1649. distinctæ in tres partes cum brevibus Commentariis ad marginem Codicum adtextis, quorum titulus sic litteris rubricatis incipit. *Incipit prologus in explanationem statutorum Ordinis Carthusiensis.* Textus autem, *Quia statuta Ordinis diffusa sunt & multiplicata, & ex eis quadam revocata sunt, & quadam retractata, seu in melius mutata* &c. Impressa autem sunt Basileæ anno 1210. in folio, *statutaque antiqua Ordinis* appellata, licet primaria non sint, sed secunda tantum ut in *Guigone Carthusiano* supra diximus. Vide quæ superius in Guigone ad annum 1130. late exposuimus. Mortuus est Rifferius in sanctitate & solitudine, anno 1267. quarto Calendas Septembris, sub quo Alexander IV. summus Pontifex, multa privilegia Ordini Carthusianorum indulsit. De illo fratres Sammarthani tomo IV. *Gallia Christiana* pag. 972. ubi de Prioribus Majoris Carthusiæ.

HUMBERTUS DE ROMANIS, MAGI- 1250
STER GENERALIS ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM, a Romane oppido, Gallice Romans in Viennensi apud Gallos Diœcesi, ubi natus est, cognomen sumpsit. Cum adolescens Lutetiæ Parisiorum Juris Canonici ac Theologiæ studiis operam daret, Ordini fratrum Prædicatorum in Conventu sancti Jacobi nomen dedit. Litteras sacras Parisiis & Lugduni docuit. Ob eximiam pietatem & doctrinam, quintus Ordinis Prædicatorum Generalis Magister in Comiciis anni 1254. Budæ in Hungaria celebratis, renuntiatus est: quam cum præfecturam annos novem sanctissime gessisset,

fisset, in Comitiis Londinensibus anni 1263. ab illa se abdicavit. Scripsit multa, de quibus ita Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. fol. 773. verbo *Humbertus*. „Humbertus familia „Romanus, natione Burgundus, doctrina & pie„tate insignis, ut supremum in Dominicano Or„dine Magistratum sit consecutus, quartus a „Divo Dominico sanctæ illius familiæ instituto„re anno 1254. Generalis creatus, cum novem „annos eundem Ordinem optime administras„set, Magistratui cessit Londini in Britannia in „magnis Ordinis Comitiis anno 1263. post quem „annis tredecim superstes in otio non otiosus, „varia quæ omnia doctam pietatem spirant, po„steritati reliquit. *De prædicatione Crucis. De* „*septem gradibus contemplationis, De tribus Religio*„*nis votis. De fundatione sui Ordinis, ac Vitis San*„*ctorum ejusdem. De officiis ejusdem Ordinis. Su*„*per Constitutiones & Regulam divi Augustini Com*„*mentaria*, anno 1605. Comi in Italia recusa, una „cum brevi Enarratione Hugonis a sancto Vi„ctore. *De eruditione Religiosorum*, opus uni„versa, quæ ad absolutam religionis formam „spectant, comprehendens, in quo *primus liber*, „ordinat Religiosum ad mundum, *secundus* cor„pus ejus proprium, *tertius* instituit eum con„tra adversarium, *quartus* ordinat animam, *quin*„*tus* ordinat ad proximum, *sextus* agit de pietate „in Deo. Hoc autem Opus an. 1575. Lovanii est „editum apud Rutgerum Welphium, sed dein„ceps anno 1585. emendatius Lugduni apud „Joannem Statium, opera Francisci Goracei, „Theologi ejusdem Ordinis & Professoris Pari„siensis. Contexuit etiam *Divinum officium*, quo „Dominicani utuntur. At librum ejus *De eru*„*ditione Religiosorum* edidit David Sartorius an„no 1591. Ingolstadii. *Sermones item ad omne* „*genus hominum pertinentes*, qui cum multos an„nos fuissent excusi, neque vero jam extarent, „Hieronymus Joanninius e Capuniano Ordinis „Prædicatorum curavit recudi Venetiis, addita „*Vita ipsius Humberti*, & *Epistola de tribus votis* „& *de aliis quibusdam exercitiis*, apud Marcum „Antonium Zalterium anno 1603. Idem Pos„sevinus iterum ibidem tomo 2. pag. 543. ver„bo *Umbertus*. Umbertus Heduus qui natus „est in Burgundiæ vico, dictus est de Romanis „seu *Romains*, nobilis tamen ac summa cum pru„dentia summam doctrinam consequutus, quip„pe qui Philosophiam publice professus, atque „in Jure Canonico diligenter versatus, denique „ad Ordinem Dominicanorum transiit, cui po„stea Generalis præfuit. Theologia optime „doctus, in sanctissimum virum evasit, quem„admodum alii quidem de ejus vita testati sunt, „quam posteris scripto mandarunt, sed præci„pue & breviter Ferdinandus Castillus Libro „2. partis prioris Historiæ suæ *De Ordine Domi*„*nicano* cap. 47. & sequentibus agit. Is igitur „Umbertus hosce libros reliquit, *Commenta*„*rium in divi Augustini regulam. Librum de se*„*ptem gradibus contemplationis. Alterum De tri*„*bus votis essentialibus Religiosorum. Alium de*„ *eruditione Concionatorum.* Hoc enim docetur,„ quanam ratione Concionatoribus agendum sit„ cum unoquoque genere hominum, ut eos in„struant & ædificent. Cum Regibus, Princi„pibus, Cardinalibus, & aliis Ecclesiasticis omni„bus, cum Religiosis item variorum Ordinum„ Cum Nobilibus, Equitibus, Magistratibus omni„bus, Ducibus, Militibus, Ministris justitiæ, Au„licis, familiis, Opificibus, Agricolis, Mulieribus„ cujuscunque sint conditionis. Et hoc videli„cet opere, non solum præcepta & methodum„ tradit, qua cum istiusmodi hominibus agen„dum sit: verum etiam verba ipsa & colloquia,„ quæ cuique hominum generi ad Dei gloriam„ & eorum salutem quadrent. Quare non im„merito vocatus est a Ferdinando Castillo hic„ liber *Bibliotheca Universalis*, pro omnibus offi„ciis & negotiis hujus mundi, & sapientia Chri„stiana deducta in praxim, ac profunda doctri„na, quæ Concionatoribus suppeditet, quid„quid animarum saluti conducit. Cum & sty„lus sit talis, ut neminem fatiget unquam, de„lectet autem plurimum, legentes. Erat au„tem jam ante multos annos excusus, cum an„no 1604. recusus est Vincentiæ in ditione Ve„neta. *Alium minorem* qui tamen valde utilis„ est, ac prudentiam Christianam ubique spirat,„ *De religiosorum officiis* a Generali usque ad jani„torem, coquum, olitorem, & alios omnes,„ non omissis Priore, Suppriore, Lectore, Con„cionatore, Magistro Novitiorum. *Libellum*„ denique, *de Vitis primorum Patrum Dominicani*„ *Ordinis*, qui suo tempore virtute ac sanctitate„ floruerunt. Hæc duobus sui *Apparatus Sacri*„ locis Antonius Possevinus, de quorum nonnul- lis nos sigillatim pauca dicamus, ut omnia *Humberti de Romanis* Opera innotescant.

De eruditione Religiosorum libri sex cum Opusculo *De tribus votis essentialibus Religionis*, & libris Duobus *De eruditione Prædicatorum*, qui etiam inscribuntur *De arte concionandi* seu *De modo prompte cudendi sermones*; nullum dubium est, quin ad Humbertum pertineant, sub ejus nomine impressi etiam sæpius extant. Idemque de *Commentario in Regulam divi Augustini* dicendum est. Hi autem *sex libri De eruditione Religiosorum* extant MSS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Littera MM 19. fol. 1. & in Bibliotheca sancti Germani ejusdem Urbis, Codicibus 414. & 416. & cum ejusdem *Epistola de tribus votis Essentialibus* sub nomine authoris proprio, Cod. 415. Porro quantum ad *Historiam fundationis sui Ordinis & Vitas fratrum ejusdem*, opus istud ad alium spectat, nempe ad *Gerardum de Fracheto* de quo dicemus, cui præfationem tantum seu prologum Humbertus de Romanis adjecit. Contexuit etiam *Breviarium primarium Ordinis fratrum Prædicatorum*, & *Vetustas Constitutiones seu Consuetudines hujus Ordinis a Generali usque ad janitorem, coquum & olitorem*, ut habet Possevinus. Et hæ Constitutiones

tiones cum Regula Beati Augustini olim impressæ sunt Barcinonæ anno 1620. in 8. Opusculum autem *De septem generibus seu gradibus Contemplationis* quod incipit, *Contemplativorum* &c. placuit Minoritis auferre ab *Homberto Dominicano*, ac sancto Bonaventuræ Franciscano attribuere, inter cujus Opuscula impressum legitut. Quantum autem ad Opusculum *De prædicatione Crucis*, vel interiit, vel alicubi anonymum latet, de quo nihil unquam audivi. Dum vero volverem Catalogum MSS. Codicum Basileensis bibliothecæ, reperi extare illic MS. Opusculum *Fratris Humberti Ord. fratrum Prædicatorum de prædicatione Crucis contra Saracenos*, cujus exemplar descriptum anno 1661. Basileæ, Cl. Joannes Buxtorfius Theophilo Spizelio communicavit. Idem quoque Opusculum olim editum in 4. ex impressione veteri absque anno & loco impressionis, cujus verum exemplar inter Theologos in 4to Vltrajectinæ bibliothecæ num. 31. bb juxta Catalogum librorum hujus bibliothecæ in folio Vltrajecti anno 1670. impressum, parte 2. pag. 9. *Frater Humbertus de prædicatione sancta Crucis* inscribitur. Ejusdem *libri duo de eruditione concionatorum*, MSS. anonymi inter MSS. Codices Vltrajectinæ bibliothecæ, Num. 244. t. in quarto, in quinque partes distincti. Post abdicatum Magistri Generalis officium, Lugduni privatus vixit, quo tempore Patriarchatum Hierosolymitanum a Nicolao III. Pontifice Maximo oblatum respuisse dicitur. Obiit in Conventu Valentino ad Rhodanum anno Domini 1277. pridie Idus Junii, ut testantur Acta Capituli Generalis Mediolani celebrati anno 1287. & Bernardus Guido. Mortem ejus anno 1276. assignat Leander Albertus, quæ sententia vera est, si Nativitatis Dominicæ annos numeremus: prima autem, si annos Incarnationis. Falsa omnino Ferdinandi de Castillo Chronologia, qui XV. Januarii anno 1274. *Humberti* obitum consignat, secutus Chronicon breve Magistrorum Ordinis, quod ad calcem Constitutionum ejusdem Ordinis habetur. De illo S. Antoninus 3. parte *Summa Historialis* tit. 23. cap. XI. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* ad annum 1274. pag. 28. & omnes Rerum Dominicanarum scriptores.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS S. THOMÆ AQVINATI, ANGELICO DOCTORI ATTRIBVTIS.

CAPVT PRIMVM.

COMPENDIVM VITÆ AC ELOGIVM S. THOMÆ AQVINATIS, SCRIPTORVM.

1250 S. Thomas de Aquino, genere, sanctitate & doctrina clarus, Theologorum princeps, quem vulgo *Doctorem Angelicum* appellatunt, in Castro *Roccasicca* patre Laudolpho Comite Aquinate, matre Theodora Theatis Comitis filia, sub initium anni 1225. natus est. Ingressus Ordinem fratrum Prædicatorum est anno MCCXLIII. ætatis suæ XIX. Raptus ex Ordine a fratribus, anno integro in carcere detentus a matre est. Anno MCCXLV. ex Decreto Generalium Ordinis sui Conitiorum & *Joannis Teutonici*, Magistri Ordinis, Parisios, indeque Coloniam confestim missus, Alberto Magno præceptore Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit. Postea Parisios remissus, a sacra facultate in Baccalaureorum ordinem cooptatus est. Anno MCCLVI. Doctoralibus infulis insignitus, *Alexandro IV*, commendante, quod Academiæ Cancellarius religiosis Mendicantibus haud satis æquus, moras nectere. „Totus divinis operibus intentus, aut eruditioni qua præcellebat, aut prædicationi qua immotus erat, aut orationi qua devotus, aut Scripturæ sacræ qua profundus, sedulus vacabat: adeo ut præter naturalis necessitatis aut quietis horas, nullum sibi, aut vix temporis spatium relinqueret otiosum &c. Tam super vetus, quam super novum Testamentum scripta, plurimaque alia opera in Dei laudem, fidei dilatationem, eruditionemque studentium: clara, cum sciens esset; famosa, cum cognitus, non absque speciali Dei infusione perfecit." Quæ verba sunt *Joannis XXII.* in Diplomate Canonizationis ipsius. Viginti postremos vitæ suæ annos docendo, scribendo, concionando cum peregisset, anno tandem ætatis quinquagesimo inchoato, die VII. Martii anni MCCLXXIV. in Monasterio fossæ novæ Cisterciensis Ordinis, ad quod diverterat, iter in Gallias faciens, ut Concilio Lugdunensi de mandato *Gregorii X.* Pontificis Maximi interesset, ad immortalem vitam migravit. Relatus est a Joanne XXII. in Sanctorum numerum anno MCCCXXIII. quem etiam Pius V. summus Pontifex ejusdem Ordinis, anno MDLXVII. quintum Ecclesiæ Doctorem dixit, ac festum ejus eodem ritu cultuque ac aliorum quatuor Doctorum celebrari jussit. *Vrbanus V.* corpus ejus mortuum Ordini Prædicatorum concessit, quod Tolosum anno MCCCLXVIII. translatum est. Egregia sane sunt Pontificum Romanorum, de *S. Thoma* doctrina & sanctitate testimonia, *Clemens VII.* in Diplomate Pontificio

tificio ad Neapolitanos inquit, *Pie prudenterque cogitatis de novo Civitati patrono adsciscendo, Cive vestro, divina voluntatis Angelico interprete, vita sanctitate & miraculis claro, Thoma Aquinate: cujus doctrina tantum fuit tributum, ut Christiana eruditionis sua, divinum etiam illud habeat testimonium*, Bene de me Thoma scripsisti. Idem Pontifex in altero ad eosdem Diplomate, *Cum superiorum temporum memoria sanctus Thomas Ordinis Prædicatorum, Doctor Angelicus, similiter in eodem Regno tum sanctitatis ac miraculorum gratia, tum doctrina laude clarus extiterit, laudabili consilio eadem Civitas illum cæteris patronis suis adjungendum statuit: hic siquidem honor ejus virtutibus cum admirabili doctrina conjunctis, debetur. Ac doctrina quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni ferme disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum SS. Apostolos Petrum & Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit: quos deinde conscriptos, expressa Christi Domini voce comprobatos audivit.* Et Paulus Papa V. in alio Diplomate, *Splendidissima Catholica fidei Athleta, beati Thoma Aquinatis, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia, Hæreticorum tela feliciter elidit, honores & venerationem magis magisque in dies augeri, plurimum in Domino gaudemus*, Porro non infima laus *D. Thoma* apud Pontificios hæc est, quod omnia scripta sua sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio humillime subjecerit, hæc verba cum sacrum Viaticum recepit subjiciens, narrante Guillelmo de Thoco, ejus olim auditore seu discipulo, in *Vita Sti. Thoma* cap. X num. LIX. *Et præmissis aliquibus devotis verbis, sumendo sacramentum prædixit: Sumo te pretium redemptionis anima mea, pro cujus amore studui, vigilavi & laboravi, te prædicavi & docui, nihil unquam contra te dixi, nec sum pertinax in sensu meo: Sed si quid male dixi de hoc sacramento, totum relinquo correctioni sancta Romana Ecclesia, in cujus obedientia nunc transeo ex hac vita.* Recte hæc quidem, si ipse Guillelmus de Thoco qui hoc scripsit, morienti Thomæ præsens adfuisset: sed vitam ejus scribebat annis quinquaginta post mortem Rhetorico potius more scribens, quæ ab ipso dici potuissent, quam quæ vere dicta essent.

Quamvis autem Pontificii innumeri S. Thomam Aquinatem ob doctrinam laudarint, tamen apud viros narium emunctarum, vel nullam vel modicam eruditionem ex lectione Operum ejus, hauriri creditur. Nam Scholasticam trutinam & garrulitatem unicam sciebat, hac ætate omnibus Scholasticis communem & facilem. Unde nullum ipsius hac in parte meritum agnosci potest, cum tunc temporis consoribus etiam cognita esset. Nesciebat Historiam, linguas quas appellant exoticas, neque artem criticam, quibus Eruditi hodie maxime celebres sunt. In tantum istorum ignarus, ut Græca nec tantisper intelligeret. Tanto jam hodie illius volumina crassa contemptui habentur, ut negligant illa legere, ii etiam qui compararunt. Immerito itaque a Romanis Pontificibus *Doctor Ecclesia quintus* ad instantiam Ordinis fratrum Prædicatorum renunciatus fuit: Sicut & S. Bonaventura ad instantiam fratrum Minorum, de quo Dissertatione nos sequenti loquemur, idem judicium de ejus *doctrina & Operibus* pronuntiantes.

Antiquissima Thomæ Aquinatis notitia, tacito licet ejus nomine, habetur in *Vitis fratrum Ordinis Prædicatorum*, quas de mandato Humberti Magistri Generalis, qui ab anno MCCLIV, ad annum MCCLXIII. præfuit Ordini, *Gerardus de Fradicto* Lemovicensis, ejusdem Ordinis, conscripsit, qui in Conventu Lemovicensi anno MCCLXXI. mortuus est: id est, duobus annis & quinque mensibus antequam S. Thomas e vivis migraret. *Alter* qui de sancto Thoma adhuc vivente egit, Thomas Cantipratanus est qui Lib. I. *De Apibus* cap. 20. num. 10. constantiam ejus & patientiam paucis laudat. His proxime accedit *Stephanus de Salanacho*, anno MCCXC. mortuus, qui virtutes ejus interserit in Opere suo *De quatuor rebus, quibus Deus Prædicatorum Ordinem insignivit*, quem scimus extare MS. apud fratres Prædicatores in Conventu Gratiarum Mediolani. Quartus *Ptolomæus Lucensis* ejusdem S. Thomæ Aquinatis Alumnus, ex Ordine Prædicatorum Episcopus Torcellanus apud Venetos, cujus Annales ab anno MLX. usque ad annum MCCCII. extant vulgati typis Lugdunensibus anno 1619. in 8. apud Jacobum Roussin, in quibus ad annum MCCLXXIV. indicantur *morbus S. Thoma, obitus, sepultura, miraculorum gloria.* Sed hæc pauca sunt in comparatione illorum, quæ refert idem author in sua *Historia Ecclesiastica* quam libris XXIV. contexuit satis brevem, ab anno Nativitatis Domini, ad usque annum MCCLXXXXIV. inclusive. Illic enim multus est in assignandis divi Thomæ Aquinatis virtutibus & scriptis, ubi se discipulum ejus profitetur, se cum illo peregrinatum fuisse, sæpius eum in confessione audivisse, usum se multo tempore ejus contubernio fatetur: scriptionesque sancti Doctoris singillatim enumerat, cujus authoritate indubia, multa quæ seculo nostro a modernis contra S. Doctorem agitata sunt, solvuntur. Habetur opus istud MS. iterum ac tertio in urbe Parisiensi, bis nempe in Biblioth. Colbert, duplici Codice utroque optimo 527. & 2818, semelque in Navarrica, quos omnes MSS. Codices tenui & excussi. Quintus *Nicolaus Trivethus* natione Anglus, ex Ordine fratrum Prædicatorum, anno circiter MCCCX. clarissimus, scripsit insigne *Chronicon* usque ad annum Christi Incarnati MCCCVII. quem Eduardi Angliæ Regis XXXV. supputat. Vbi ad annum MCCLXXIV, postquam de Concilio primo Lugdunensi œcumenico mentionem fecit, narrat pretiosam S. Thomæ mortem, indicem te-

xit Operum ejus, & germanos a Spuriis partus accurate discernit, amplissimam omnium sancti Doctoris scriptorum memoriam texens. Sextus *frater Guillelmus de Thoco*, Prior Conventus fratrum Prædicatorum de Benevento in Italia, qui ut inscriptio Codicis Manuscripti præferebat, ipsum S. Thomam Aquinatem in vita sua audivit docentem & prædicantem: scripsit ejus Vitam, in qua latissime disseruit de Scriptis omnibus sancti Doctoris cap. 4. num. 18. & sequentibus. Hic est idem qui maxime canonizationem S. Thomæ promovit, & anno 1319. litteras Apostolicas Joannis Papæ XXII. obtulit Neapoli inquisitoribus, dum processus ad Canonizationem fieret. Qui & ipsemet testis juratus, varia illius miracula indicavit, horum plurima examinavit in Monasterio Fossæ Novæ, Castro Magnentiæ, & aliis locis, quæ de ipso etiam testes jurati protulerunt, infra contenta in processu inquisitionis. Hoc Opus *Guillelmi de Thoco* ediderunt ex MS. Codice Coloniensi Monasterii Crucigerorum, Bollandistæ ad diem VII. Martii tomo 1. pag. 655. & sequentibus, tanquam antiquum & fidele Rerum S. Thomæ Aquinatis instrumentum. Conscriptum illud a Guillelmo de Thoco circa annum MCCCXX inter annum nempe MCCCXIX. quo inquisitio cæpta est fieri ad Canonizationem illius, & annum MCCCXXIII. quæ facta S. Thomæ canonizatio, bulla Joannis Papæ XXII. data XV. Calendas Augusti, anno Pontificatus VII. quæ extat tomo I. *Bullarii* a Laërtio Cherubino collecti, & apud Abrahamum Bzovium in *Annalibus* ad annum MCCLXXIV. num. 20. Flaminium in *Vita S. Thomæ Aquinatis*, quam edidit Bononiæ anno MDXXIX. cum vitis aliorum Ordinis fratrum Prædicatorum, qui tunc temporis albo Sanctorum conscripti fuerant. Septimus *Bernardus Guidonis* qui eadem tempestate florebat, ex Ordine item Prædicatorum, Episcopus primum Tudensis in Gallecia, dein anno MCCCXXIV. constitutus in Gallia Narbonensi Episcopus Lodovensis, mortuusque die XIII. Decembris anno MCCCXXXI. Hujus calamo habemus MS. *Vitam S. Thomæ Aquinatis* duobus libris comprehensam, quorum prior continet gesta ejusdem sancti & varias corporis translationes, usque ad ipsam canonizationem: Liber secundus continet varia ejusdem sancti miracula. De scriptis autem sancti Doctoris loquitur author hujus Vitæ, ad calcem libri primi, ultimis duobus capitulis. Reperiuntur dicta Acta MSS. in Bibliotheca Vaticana, Codice 1218. extantque etiam in Collegio Pictaviensi societatis Jesu, & Bibliotheca Parisiensi Canonicorum Regularium sancti Victoris ad muros urbis, littera f. 1. fol. 227.|& sequentibus. Horum Actorum ordinem & Capitum syllabum obtulerunt Bollandistæ ad diem VII. Martii tomo 1. fol. 716. cum nomine *Bernardi Guidonis*, abstinentes ab illis integris edendis, eo quod ipsa desumpta sint, tam ex Actis seu Vita *Guillelmi de Thoco*, quam ex informationibus & processibus factis, in ordine ad sancti Thomæ canonizationem. Octavus *Clemens Papa sextus*, antea dictus *Petrus Rogerius*, qui ab anno 1330. factus Archiepiscopus Senonensis, atque confestim ad cathedram Rothomagensem transiens, promotus deinde a Benedicto XII. ad Cardinalatum anno 1337. decimo quinto Kalendas Januarii, sub titulo sanctorum Nerci & Achillei, Romanus tandem Pontifex anno 1342. Nonis Maji electus est. Extat MS. in Bibliotheca clarissimi viri, Caroli Mauricii Tellerii Remensis Archiepiscopi, *Collectaneum Concionum illius*, quas habuit ex quo ad Archiepiscopales infulas atque ad Cardinalatus vel Summi Pontificatus dignitates assumptus est. In quibus unus sermo *De laudibus Sancti Thomæ Aquinatis*, ubi egregie laudes tanti Doctoris prosequitur, ac scripta ejus potissima sigillatim enumerat. Hujus nos sermonis excerptum damus, ut inde etiam colligamus *veritatem & multitudinem* operum sancti Doctoris. Nonus denique *Sanctus Antoninus* Florentinus Archiepiscopus, qui etsi integro seculo a Clemente VI. distet, congruus tamen & idoneus testis laudum atque Operum S. Thomæ Aquinatis accedit: quamvis nonnulla ei Opuscula ab anterioribus aliis illi denegata, devotius adscribat quam certius. De illo ejusque Scriptis, tertia parte Chronicorum lit. 18. cap. X. paragr. 1. ubi Operum ejus indicem texit, post laudes plurimas ipsi merito aggregatas.

CAPUT SECUNDUM

TESTIMONIUM PTOLOMÆI LUCENSIS, DISCIPULI ET SOCII S. THOMÆ AQUINATIS, DE SCRIPTIS ET SANCTITATE ILLIUS, EX OPERE SUO MS. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

PTolomæus Lucensis ex Ordine fratrum Prædicatorum, scripsit Historiam Ecclesiasticam ab ortu seu Nativitate Christi, ad annum Christianæ Æræ MCCLXXXXIV. in libros XXIV. distinctam, quam vidi MS. bis in celebri Bibliotheca Colbertina Parisiensi Codd. 527. & 2818. ambobus optimæ notæ, ac tertio tandem in Bibliotheca Collegii Navarrici, ejusdem urbis. Opinabar primum quod hanc Historiam circa annum 1295. scripserit, cum ultra annum 1294. non progrediatur: sed illum legendo, animadverti ipsum esse loquutum de *Petro de Arvernio*, quem ait factum esse Episcopum Claromontanum. Istud cum ante annum 1304. non contigerit ex fratribus Sammarthanis tomo 2. *Gallia Christiana* in Episcopis Claromontanis: inde patet scriptam esse ab illo hanc Historiam, circa annum 1310. vel 1312. Auctor autem abstinuit ab actis per Bonifacium VIII. scribendis ob istius Pontificatus tumultuum infelicitatem, quamvis ille usque ad

Cle-

Clementis V. Pontificatum vixerit. Nam volumen hoc Guillelmo de Bayona Cardinali, ex Ordine Prædicatorum dedicavit, qui a Clemente V. ex Magistro Sacri Palatii ad purpuram promotus fuerat, sub titulo S. Cæciliæ, posteaque per Joannem XXII. factus Episcopus Cardinalis Sabinensis. Quam autem sincerus ipse fuerit, quantam mereatur apud viros graves fidem, constare potest, dum ait se *fuisse discipulum S. Thomæ Aquinatis, se cum ipso peregrinatum fuisse, sæpius & diu cum ipso mansisse se ejus confessionem sæpius excepisse*: unde primus ille est quem verbotenus & omnimodo referam, velut omnium postea dicendorum firmissimum fundamentum, cum designatione librorum, titulorum & capitum.

Ex libro 22. Historiæ Ecclesiasticæ Ptolomæi Lucensis caput XX. seu Rubrica.

„*De fratre Thoma de Aquino, quis fuit & quomodo Ordinem intravit, & qualiter per violentiam subtractus fuit Ordini subtractus per familiam Imperatoris Friderici*. Secundus Doctor fuit frater Thomas „de Aquino, qui auditor fuit fratris Alberti, „origine nobilis, quia de magnis Comitibus Re„gni Apuliæ natus, & intra ipsos dilatatus, cu„jus progeniem in parte Fridericus destruxit, „quia fidelis Ecclesiæ, sed prævaluit tempore „Caroli. Hic nutritus in sua provincia in Ab„batia Montis Cassini qui sunt Monachi nigri, & „secundum morem Nobilium illius patriæ, ut „patet de Beatis Mauro & Placido. Ibidem in „sua provincia in logicalibus & naturalibus opti„me profecit, habens semper secum spiritualem „Magistrum, more nobilium regionis. Cum „autem jam esset XVI. annorum, habitum fra„trum Prædicatorum assumpsit, & in eo in pura „innocentia vixit XXXII. annis vel circiter, in „suo autem introitu multa passus est a consan„guineis, Cum enim frater Johannes Teuto„nicus Magister Generalis præfati Ordinis, vir „maximæ famæ pro tempore illo in orbe, de „Neapoli fratrem Thomam educeret ubi Ordi„nem intraret, versus Parisios veniens, in Tu„sciam ad quoddam Imperatoris castrum, quod „*Aquapendente* vocatur, ibidem Fridericum in„venit. Et unus Germanus fratris Thomæ „cum ipso, dictus Dominus Reginaldus, vir pro„bitatis non modicæ, & inter Majores in curia „Friderici, quamvis postea ab ipso fuerit interfe„ctus, qui statim ut sensit fratrem suum adve„nisse, Friderico dissimulante, Dominus Raynal„dus cum Petro de Vineis & suis familiis, ger„manum suum subtraxit prædicto Magistro, im„positumque equo violenta manu, cum bona „comitiva, ipsum in campaniam misit, ad quod„dam castrum ipsorum, vocatum *sancti Joannis*.

„Caput XXI. seu Rubrica. *Qualiter ductus „ad castrum sancti Johannis, multo tempore vexatus est ad Ordinem relinquendum, & non potuit „averti. Quomodo ad Ordinem rediens, vadit in „Coloniam ad fratrem Albertum. Qualiter ibi„dem renuntiavit Abbatia Montis Cassini. De libris quos fecit ante Magisterium*. Vbi longo tem„pore vexatus est ad habitum Ordinis relin„quendum, nec a sancto proposito averti potuit, „sive minis, sive blandiciis, seu quibuscunque „modis, prohibentes MS. accessum accessum „cujuscunque fratris. Sed per præfatas per„sonas ordinavit, quod fratres sui Ordinis de „nocte venirent ad murum Castri, quod se cum „fune dimitterent. Sicque factum est, & sta„tim animalia sunt parata ad ipsum reducendum „domum. Inde vadit Coloniam ad fratrem Al„bertum, ubi multo tempore fuit, & ibidem exi„stens, oblata fuit eidem Abbatia Montis Cassini „per Alexandrum gratia parentum, qui jam „erant expulsi de Regno, & recusavit. Ac ibi„dem multa hausit, quamvis ex suo ingenio mul„ta invenerit, quia in inventiva & judicativa „omnem hominem transcendit. Post hoc va„dit Parisius. XXV. autem annorum erat, „cum primo Parisius venit, ubi intra XXX. an„num Sententias legit, & conventum in Theo„logia sive licentiam recepit. Infra autem Ma„gisterium, quatuor libros fecit super Senten„tias, videlicet primum, secundum, tertium & „quartum. Quosdam libellos composuit. Vnus „fuit contra Magistrum Guillelmum de sancto „Amore, qui incipit, *Domine ecce inimici tui fo„nuerunt*, Secundus fuit *De quidditate & esse*, „tertius fuit *De principiis naturæ*

Caput XXII. seu Rubrica. *De his quæ scri„psit in principio sui Magisterii. De actibus virtuo„sis ejus & quanta innocentia, & de elevatione men„tis ejus De duobus Doctoribus Juris Canonici, qui „isto tempore floruerunt*, Post hæc ipso magistra„to, fecit *Quæstiones de Veritate*. Post tertium „annum sui Magisterii rediit in Italiam, tempo„re videlicet Vrbani IV. de quo nunc est agen„dum, cujus tempore multa fructuosa scripsit. „Eo vero tempore mentem sic habuit elevatam „in activa & contemplativa, ut tradunt qui cum „ipso tunc fuerunt Parisius, ut quasi insensibilis „videretur: sicque suos actus in divino manci„pabat obsequio, ut jam in hoc mundo nihil ha„beret de mundo. Hæc de ipso pro tempore „*Innocentii* quo Ordinem intravit, & *Alexandri* „quo multum claruit, nunc dicta sint. Cætera „vero ad tres sequentes Pontifices reservemus, „quæ magna fuerunt & digna memoria. Hoc „etiam tempore floret in Jure Canonico Bartho„lomæus Brixiensis qui ad Glossam Joannis su„per Decretum multa addidit & declaravit, quæ „hodie per scholas currunt. Fecit casus super „cognita Decretorum, & determinavit Quæ„stiones Dominicales. Hoc eodem tempore „floret Dominus Henricus Cardinalis Ostiensis, „qui prius fuerat Archiepiscopus Ebredunensis, „Hic Magister in utroque jure, & sicut bonus „Theologus, egregius prædicator, ac vir lauda„bilis vitæ fuit in suo statu. Consilia scripsit, quæ „monimenta sunt. Scripsit Summam, quam *Co„piosam* vocavit, Fecit Apparatum super De„cretales omni jure plenum. „

„Caput XXIII. *De Vrbano IV. & CLXXXIX. Pontifice, qualiter assumptus de Patriarchatu Ierosolymitano. Hic duos Cardinales fecit, unum Videlicet nepotem suum, & fratrem Annibaldum.* Anno Domini MCCLX. & ab urbe condita MMXIII. Vrbanus IV. in cathedra Petri sedet, assumptus in Decollatione sancti Johannis Baptistæ. Sedit autem annos tres, mensem unum, & vacavit mensibus quinque. Hic natione Gallicus, de civitate Trecensi, Patriarcha Jerosolymitanus erat, quando assumptus est: unde & ter ultra mare venit, quando creatus est. Hic fecit duas ordinationes, in quibus fuerunt creati duo Cardinales, quorum unus fuit nepos suus, Dominus Amcherius. Alter fuit nepos Domini Richardi de Annibaldensibus, qui vocatus est frater Anibaldus de Ordine fratrum Prædicatorum, qui fuit Magister in Theologia, & fuit vir magnæ humilitatis & veritatis, & sanctus homo, quem frater Thomas multum dilexit. Fecitque Scripta super Sententias, quæ intitulantur Domino Anibaldo, quæ nihil aliud sunt, quam Abbreviatio dictorum fratris Thomæ.

„Caput XXIV. *De reditu fratris Thomæ in Italiam tempore hujus Pontificis, & qualia fecit suo mandato & scripsit. Quomodo studium generale fecit Romæ, ubi multa utilia scripsit, quæ hic patent. De indulgentia quam dedit dictus Pontifex in die festi corporis Christi, quam voluit esse perpetuam in tali die, & quomodo fuit roboratum in Concilio Viennensi.* Tunc frater Thomas rediit de Parisius ex certis causis, & ad petitionem Vrbani multa fecit & scripsit, sed præcipue duo. Vnum fuit, quod exposuit Evangelia sub miro contextu diversorum Doctorum, & unus author videtur, quod non fuit sine magna subtilitate tradentis. Tunc florebat in Ordine fratrum Minorum frater Bonaventura, patria Thuscus & Magister in Theologia, de quo infra dicetur. Huic Vrbanus duo Evangelia glossanda dimiserat, sed excusans se propter officium quod habebat, quia Minister Generalis erat, idem Doctor supplevit. Isto autem tempore frater Thomas tenens studium Romæ, quasi totam philosophiam Aristotelis sive naturalem sive moralem composuit, & in scriptum sive compendium redegit: sed præcipue ethicam & metaphysicam quodam singulari & novo modo tradendi. Scripsit etiam tempore ejusdem Pontificis, *librum contra Gentiles & Quæstiones de Anima. Exposuit Job*, & quædam alia Opuscula fecit. *Officium etiam de Corpore Christi fecit*, ex mandato Vrbani, quod est secundum quod fecit ad petitionem Vrbani. Hoc autem fecit complete, & quantum ad lectiones, & quantum ad totum officium tam diurnum quam nocturnum, quantum etiam ad Missam, & quidquid illa die cantatur. In qua historia si attendimus ad verba scribentis, quasi omnes figuræ Veteris Testamenti in hoc officio videntur contineri, luculento & proprio stylo adaptata ad Eucharistiæ Sacramentum. In quo officio Summus Pontifex magnam fidelibus tribuit indulgentiam, qui dicto officio interessent perpetuò duraturam. Quod quidem officium fuit posteà sub Clemente V. roboratum anno Domini MCCCX. in Concilio Viennæ supra Rhodanum celebrato."

Ex ejusdem historiæ Ecclesiasticæ Lib. 23. Rubrica seu caput 8. *De præclaro Doctore Fratre Thoma de Aquino, qualiter vocatus per prædictum Pontificem ad Concilium, in via migravit ad Dominum: & in morte miraculis claruit. Qua de causa sui consanguinei occultaverunt corpus, quia Fratres sui repetebant. Ipse verò sepultus erat in Monasterio, unde erant patroni.* Hujus etiam tempore præclarus Doctor Frater Thomas de Aquino migravit ad Dominum. Vocatus enim ad Concilium per dictum *Gregorium*, ac recedens de Neapoli ubi regebat, & veniens in Campania, ibidem graviter infirmatur. Et quia prope locum, nullum Ordo Prædicatorum conventum habebat, declinavit ad unam solemnem Abbatiam, quæ dicitur *Fossa nova*, & quæ Ordinis erat Cisterciensis, in qua sui consanguinei Domini de Oceano erant patroni, ibique sua aggravata est ægritudo. Vnde cum multa devotione & mentis puritate & corporis, qua semper floruit, & in Ordine viguit, quam ego probavi inter homines quos unquam novi, qui suam sæpius confessionem audivi, & cum ipso multo tempore conversatus sum familiari ministerio, ac ipsius auditor fui, ex hac luce transit ad Christum. Tradunt autem quòd ibidem multis miraculis claruit, & multis indiciis Deus suam sanctitatem ostendit. Propter quam causam sui consanguinei cum sint potentiores de Campania, non permiserunt corpus inde transferri: imo cum audissent quòd Fratres sui Ordinis hoc attentabant, corpus ipsius occultaverunt, cum tamen prius sepultum fuerit valdè honorificè in presbyterio Altaris majoris Monasterii supradicti.

Rubrica seu caput 9. *De modo quem tenuit. Devotio circa instantiam suæ mortis, quantum ad statum suæ salutis & quantum ad suam doctrinam, quia ipsam exposuit in manu Romanæ Ecclesiæ, & de visione quam habuit tunc temporis quidam Sanctus Frater de ipso.* Tradunt etiam Monachi dicti loci & fratres, qui cum ipso erant, quia cum morti appropinquavit, primò Symbolum fidei confitetur cum multa devotione. Deinde suam doctrinam asseruit per Christum traditam, & scriptam ad fidei robur, & instructionem fidelium, in quo modernos Doctores transcendit, sive in Philosophia, sive in Theologia, sive in quacunque materia, secundum communem hominum intelligentium opinionem, & inde in schola hodie Parisiensi *Communis Doctor* appellatur, propter suam claritatem doctrinæ. Ad majorem tamen sui securitatem, & Ecclesiæ Romanæ reverentiam & ho-

ho-

norem, quia erat homo qui etiam errare potuit, sicut beatus Augustinus asserit de se ipso, suos libros in manu exposuit Romanæ Ecclesiæ sæpe dictæ, prout recta fides Catholica & Apostolica hoc exposcit: & post hæc verba in Domino obdormivit. Eo autem tempore dum hæc agerentur, quidam sanctus frater de Abrutio, Neapoli hanc claram visionem habuit de ipso. Quia videbatur sibi quod venerabilis Doctor esset in sua sede scholastica Neapoli ad docendum, & dum Epistolas Pauli legeret in multitudine scholarium honorabili, inter quos Archiepiscopus Capuanus dictus Dominus Marinus, quondam Vicecancellarius Romanæ Ecclesiæ, & Doctor Vtriusque Juris, sed & bonus Philosophus. Alius fuit Archiepiscopus Salernitanus Dominus Matthæus, qui utroque florebat sapientiæ fulgore. Præter hos autem, multi erant Clerici & Religiosi. His igitur sic existentibus, ut sibi videbatur, subitò intrabat præfatas scholas Beatus Paulus cum honestissima comitiva, salutavitque Scholares. Quem intuens venerabilis Doctor, eidem exhibet debitam reverentiam, & habita collatione mutua quæsivit à beato Paulo dictus Doctor, si Epistolas suas legebat secundum suum intellectum. Tunc respondit ei Apostolus, quòd quantum in hac vita capi poterat in suis Epistolis, tantum ipse docebat. Sed tempus erat ulterius, ut ipsas intelligeret magis plena veritate. Tunc accipiebat sancti initium cappæ ejus, & ipsum secum ducebat. Et cum hoc videret dictus frater, incœpit clamare in dicta visione Somnii: Succurrite (inquit) carissimi, succurrite: & sic à somno excitatus, retulit clare visionem. Post tres autem dies, nuntius venit Neapolim de Campania, nuntians nobis transitum dicti patris & Doctoris.

„Rubrica seu Caput 10. *De miraculo quod in via veniendo de Roma Neapolim contigit, circa socium suum infirmum apud Molaviam, quod eidem est attributum: & in qua ætate transiit ad Deum.* Etenim quod vidi de ipso, ad indicium sanctitatis ejus tacere non debeo. Cum enim ego cum ipso venirem de Roma, declinavit Molaviam, ad castrum Domini Richardi Cardinalis, ibique præfatus Doctor infirmarus est de tertiana, socius verò suus Raynaldus de continua gravi. Et cum non apparerent in eo signa cretica, medici Domini Richardi male judicabant de ipso. Tunc venerabilis Doctor accepit Reliquias beatæ Agnetis, quas ex devotione secum ferebat de urbe, & misit dicto fratri quas super se poneret, & haberet fidem plenam in eis. Quod & fecit & curatus est, ultra spem omnium medicorum: propter quam causam disposuerat singulis annis facere festum solemne de ipsa, cum bona refectione Fratrum, quod & illo anno fecit Neapoli. Obiit autem L. vitæ suæ anno, alii dicunt XLVIII. habens in Magisterio annos viginti."

„Rubrica seu caput 11. *Qualiter istius Pontificis tempore, scripsit ultimam partem Summæ. Quæstiones De potentia Dei, & aliqua in philosophia. quæ incompleta reliquit, sed consummata sunt per unum suum discipulum. Scripsit etiam quædam Opuscula, quæ per ordinem hic traduntur.* Hic Doctor tempore hujus Pontificis scripsit ultimam partem Summæ, quæ *Sacramentalis* dicitur: quia de Sacramentis ibidem agitur & de Incarnatione Verbi, in qua arriculi fidei continentur secundum ipsius humanitatem: sed non complevit morte præveniente. Hoc etiam tempore disputavit *Quæstiones De potentia Dei & creaturæ.* Scripsit etiam *super philosophiam*, ut *super de Cælo* & *super de generatione*, sed non complevit, & similiter *Politicam*. Sed hos libros complevit Magister Petrus de Arvernia, fidelissimus discipulus ejus, Magister in Theologia, & magnus Philosophus, & demum Episcopus Claromontanus. Et quamvis multa sint quæ scripsit, quæ opera sunt diffusa, ut materia requirit: Scripsit tamen quædam Opuscula secundum consultationes sibi factas à diversis Principibus & personis, quæ in uno volumine reponuntur, sicut Epistolæ Augustini, & eo ordine quo traduntur, hic describuntur."

Rubrica seu Caput 12. *Traduntur hic diversi Tractatus, quos dictus Doctor scripsit, diversarum personarum consultationibus respondendo, quos auctor sub tribus capitulis comprehendit, unicuique tertiam partem dictorum tractatuum assignando* Videlicet Tractatus quidem *De actionibus & operationibus occultis naturæ*, quem scripsit ad quendam militem Vltramontanum, qui sic incipit, *Quoniam in quibusdam naturalibus corporibus &c.* Tractatus *utrum liceat uti judicio astrorum* ad Fratrem Reginaldum, qui incipit, *Quia petiisti ut tibi &c.* Tractatus *De substantiis separatis* ad eundem, qui sic incipit, *Quia sacris Angelorum solemniis &c.* Tractatus *De principiis naturæ* ad Fratrem Sylvestrum, qui sic incipit, *Nota quod quoddam potest esse, licet non sit &c.* Tractatus *De Sortibus, utrum liceat eis uti*, ad Dominum Jacobum de Burgo, qui sic incipit, *Quia parvus error in principio &c.* Tractatus *De rationibus fidei* ad Cantorem Antiochenum, qui sic incipit, *Beatus Petrus Apostolus &c.* Tractatus *Contra errorem Averrois circa intellectum humanum*, qui sic incipit, *Sicut omnes homines &c.* Tractatus *De æternitate mundi, utrum esse poterit:* qui sic incipit, *Supposito secundum fidem nostram.* Item Tractatus *De expositione primæ Decretalis*, qui sic incipit, *Salvator noster*, ad Archidiaconum Tridentinum. Item Tractatus *De articulis fidei & Ecclesiæ Sacramentis* ad Archiepiscopum Panormitanum, qui sic incipit, *Postulavit à me vestra dilectio &c.* Item Tractatus *Contra errores Græcorum*, ad petitionem Vrbani Papæ,

„qui ſic incipit, *Libellum ab excellentia veſtra &c.*
„Item *Reſponſiva ſuper XXVI. articulis* ad Lecto-
„rem Venetum,quæ ſic incipit,*Lectis literis veſtris*
„*inveni &c.*

„ Caput 13. *pars ſecunda ponitur hic diverſo-*
„*rum Tractatuum dicti Doctoris, quos ſub alio capi-*
„*tulo author comprehendit,& ſunt totidem ſicut pri-*
„*mi.* Item Determinatio quorundam caſuum
„ad Comitiſſam Flandriæ,quæ ſic incipit: *Excel-*
„*lentiæ veſtra Litteras recepi.* Reſponſiva qua-
„rundam quæſtionum ad Fratrem Johannem
„de Vercellis, Magiſtrum Ordinis,quæ ſic inci-
„pit: *Reverendo in Chriſto patri.* Item Reſpon-
„ſiva quarundam quæſtionum, ad Fratrem
„Gerardum Biſuntinum, quæ ſic incipit: *Ca-*
„*riſſimo ſibi in Chriſto.* Item Tractatus de fide
„& ſpe,qui ſic incipit: *Æterni Patris Filius.* Item
„Tractatus contra impugnantes Religionem,
„qui ſic incipit: *Ecce inimici tui ſonuerunt.* Item
„Tractatus *De regimine principum*, qui ſic incipit:
„*Cogitanti mihi quid offerrem &c.* quem librum
„ſcripſit ad Regem Cypri. Item Tractatus *De*
„*motu cordis*, qui ſic incipit: *Quia omne quod*
„*movetur &c.* Item Tractatus *De fato an ſit?*
„qui ſic incipit: *Quæritur de fato, an ſit.* Item
„Tractatus *contra retrahentes à religione*, qui ſic
„incipit: *Chriſtiana religionis.* Item Tractatus
„*De elementis,in mixto quomodo ſunt*, qui ſic inci-
„pit: *Dubium apud multos eſſe videtur.* Item
„Tractatus *De abſolutione & modo abſolvendi* ad
„Magiſtrum Ordinis Prælatum, qui ſic incipit:
„*Perlecto libello.* Item Tractatus *De perfectione*
„*vitæ Spiritualis*, qui ſic incipit: *Quoniam qui-*
„*dam perfectionis ignari.* Item Tractatus, *Quod*
„*lex amoris fuit neceſſaria homini ut daretur*, qui
„ſic incipit: *Tria ſunt homini neceſſaria ad ſalutem:*
„& attende quod iſte libellus ab aliquibus voca-
„tur liber *De præceptis.*

„ Caput 14. *Ponitur hic tertia pars Tracta-*
„*tuum,quos fecit dictus Doctor, reſpondendo diverſis*
„*perſonis,& ſunt plures, quam in prima parte vel ſe-*
„*cunda.* Item Tractatus quod Beata Virgo ex-
„cedit Angelos in plenitudine gratiæ, qui ſic in-
„cipit: *Ave gratia plena.* Item Tractatus *De*
„*expoſitione Symboli*, qui ſic incipit: *Credo in*
„*unum Deum.* Item Tractatus *De inſtantibus*,
„qui ſic incipit: *Quoniam omnem durationem.*
„Item Tractatus *De verbo quid ſit*, qui ſic incipit:
„*Quoniam duæ ſunt potentia cognoſcitiva in homine.*
„Item Tractatus *De genere*, qui ſic incipit: *Quo-*
„*niam omnis creatura.* Item Tractatus *De natu-*
„*ra accidentis*, qui ſic incipit: *Quoniam omnis co-*
„*gnitio humana.* Item Tractatus *De natura ma-*
„*teriæ*, qui ſic incipit: *Poſtquam de principiis*
„*ſermo habitus eſt.* Item dicitur feciſſe tracta-
„tum De concordia dictorum ſuorum. Item
„ſcripſit ſuper Librum Dionyſii *De divinis Nomi-*
„*nibus.* Item ſcripſit ſuper librum *De Trini-*
„*tate Boetii.* Item ſuper Librum *De cau-*
„*ſis.*

„ Caput 15. *De quibuſdam Logicalibus, quæ ad*
inſtantiam quorundam Nobilium ſcripſit. De "
Quæſtionibus de quolibet, & de Poſtillis quas ſu- "
per Bibliam notavit, & de quodam ſcripto ſuper "
primum ſententiarum. Item tradidit quibuſ- "
dam nobilibus Artiſtis *Logicalia*, quia ſcripſit "
modales & fallacias: *Introductoria ad Logicam* "
multum clara. Fecit Commentum ſuper "
Libros Poſteriorum, & ſuper Librum *περὶ* "
ἑρμηνείας. Quid plura? Arca fuit philoſo- "
phiæ & Theologiæ, & admirandum quod tan- "
tum ſcribere potuit, qui parum vixit reſpe- "
ctu aliorum, Doctor. Hic etiam notavit ſuas "
Quæſtiones de quolibet, in quibus multa du- "
bia declarantur, magnaque in eiſdem ſcien- "
tia continetur. Multa etiam alia ſcripta ſunt "
ab eo utilia, quæ magis habentur per modum "
reportationis, quam ipſe videns poſteà corre- "
xit, & inde ulterius approbavit. Ut ſunt *Po-* "
ſtilla ſuper omnes Epiſtolas Pauli, præter Epiſto- "
lam ad Romanos quam ipſe notavit, quas ego "
vidi & legi. Item *Poſtilla ſuper Joannem*, de qua "
ipſe ſuper V. capitula proprio ſtylo notavit, "
totum aliud reportatio fuit, ſed correctum "
per ipſum. Scripſit etiam *ſuper Iſaiam*, ſed ra- "
rò invenitur. Et hæc de venerabili Doctore "
dicta ſufficiant. Scripſit etiam eo tempore "
quo fuit Romæ, de quo dictum eſt ſuprà, jam "
Magiſter exiſtens, *primum ſuper ſententias*, quem "
ego vidi Lucæ, ſed inde ſubtractum nuſquam "
ulterius vidi." Nihil iſtâ enumeratione diſci-
puli & oculati teſtis, diligentius vel magis au-
thenticum inveniri poteſt: unde fit ut cum
delectatione illud excerptum publicæ luci
tranſmiſerim, quo rectè de legitimis S. Thomæ
Aquinatis Operibus judicemus.

CAPUT TERTIUM

TESTIMONIUM NICOLAI TRIVETI ANGLI, QUI CIRCA ANNUM MCCCX. CHRONICON SCRIPSIT, UBI LATE ET CLARE DE OMNIBUS OPERIBUS SANCTI THOMÆ AQUINATIS.

SEd adeamus Britannos, de Scriptis iiſdem auditiri Nicolaum Trivethum, alumnum Londinenſis Fratrum Prædicatorum, ſplendore natalium illuſtrem, vitæ ſanctimonia clarum, eruditionis varietate conſpicuum, Poëtam, Rhetorem, Hiſtoricum Mathematicum, Philoſophum & Theologum inſignem: ut teſtatur Joannes Pitſeus Liverduni in Lotharingia Decanus, Libro *De Illuſtribus Angliæ Scriptoribus*. Hic Sancto Thomæ coævus, circa annum MCCCX. ſcripſit Chronicon, quod in lucem edidit ex Bibliotheca clariſſimi viri Emerici Bigotii, Dominus Lucas Dacherius, tom. 8. *Spicilegii.* Illic ad annum MCCLXXIV. ubi de primo Concilio Lugdunenſi Œcumenico Sermonem fecit, meminit obitus *S. Thomæ Aquinatis*, tum

tum Indicem Operum ejus texit, & germanos à spuriis partus, accuratè discernit. „ In via, in„quit, versus istud Concillum, venerabilis Do„ctor Frater Thomas de Aquino de Ordine „Prædicatorum, in quadam Abbatia Monacho„rum Cistercienſium, quæ dicitur *Fossanova*, „diem clausit extremum. Cujus auctissimum „ingenium, excellentemque ſcientiam laudibus „extollere privatis ſuperfluum iudicamus, cum „ſapientiæ ejus tam publica ſint monumenta, „ut Doctor communiter à viris Scholaſticis „nuncupetur. Hic natione Appulus, filius „Comitis de Aquino, in vitis parentibus qui „eum monachari nolebant, Prædicatorum Or„dinem eſt ingreſſus, in quo tantum profecit, ut „miſſus ad Pariſienſe ſtudium Doctoris funge„retur officio: quo inter alios, velut luna ple„na inter ſtellas, clarius noſcitur effulſiſſe: qui „non tantum verbo præſentes, ſed etiam abſen„tes Scriptis laborioſe & perutiliter editis, ſtu„duit informare. „

Deinde Indicem omnium Ipſius Operum contexit hoc modo.

„ Imprimis ſuper quatuor libros Sententia„rum ſcriptum fecit. Scripſit & primam par„tem *De quaſtionibus diſputatis, De veritate*, & ul„trà, quas Pariſius diſputavit. Item ſecundam „partem *De quaſtionibus diſputatis De populo Dei*, „& ultra, quas in Italia diſputavit. Item in ter„tiam partem *de quaſtionibus diſputatis*, quarum „initium eſt *De virtutibus*, quas diſputavit, cum „ſecundo Pariſius legeret. Item *Diſputationes* „*undecim de quolibet*, quarum ſex Pariſius & quin„que determinavit in Italia. Item contra Gen„tiles quatuor libros ſcripſit. Item *Summam* „*Theologiæ*, quam in tres partes diviſit, & ſecun„dam in duas partes. Morte autem præven„tus, tertiam totius & ultimam non complevit. „Quatuor Evangelia, continuatâ expoſitione „de dictis Sanctorum gloſſavit. Litteris etiam „expoſitionis in Job edidit librum unum. Su„per Epiſtolam verò ad Romanos, & ſuper de„cem Capitula Epiſtolæ ad Corinthios, Item „ſuper Iſaiam, Jeremiam, & Threnos, poſtillas „conſcripſit. Libros Dionyſii de Divinis nomini„bus, & Boetii De hebdomadibus expoſuit: ſed „ſuper librum ejuſdem *De Trinitate* expoſitio„nem inchoatam nequaquam perfecit. Expo„ſuit etiam libros Philoſophiæ plurimos, puta „*Phyſicorum libros octo* completè, *Cæli & mundi* „primum, ſecundum & tertium. *Meteororum* pri„mum & ſecundum. *De anima* ſecundum & „tertium. *De generatione & corruptione* Libros „duos. *De ſenſu & ſenſato, de memoria & remini„ſcentia. Ethicorum libros, decem Metaphyſica, „duos libros poſteriorum, & primum Perierminias, „principiumque ſecundi.* Edidit & tractatus di„verſos, puta *De fide ſpe & charitate*, ad Fratrem „Reginaldum ſocium ſuum. Item ad eundem „*De ſubſtantiis ſeparatis.* Item *contra Magiſtrum* „*Guillelmum de Sancto Amore & impugnantes reli-*

gionem, tempore Alexandri Papæ. Item *De* „*occultis operibus naturæ.* Item, *In quibus licitè* „*poteſt homo uti aſtrorum judiciis.* Item *De* „*principiis naturæ*, ad Fratrem Sylveſtrum. Item „*De Regno*, ad Regem Cypri. Item *De rationibus* „*fidei*, ad Cantorem Antiochenum. Item *De* „*perfectione vitæ ſpiritualis*, contra Magiſtrum „Geroldum. Item *Contra doctrinam Geroldino„rum & retrahentium à religione.* Item *De forti„bus*, ad Dominum Jacobum de Bonoſo. Item „*De forma abſolutionis ſacramentalis*, ad Magi„ſtrum Ordinis. Item ad Urbanum Papam „*contra errores Græcorum.* Item *Declarationem* „*triginta ſex quaſtionum*, ad Lectorem Veneto„rum. Item *De ente & eſſentia*, ad fratres & ſo„cios ſuos. Item *De mixtione elementorum.* „Item *De motu cordis*, ad Magiſtrum Philippum „de Caſtro cœli. Item *De unitate intellectus*, „contra Averroiſtas. Item *De æternitate mun„di*, contra murmurantes. Expoſuit & pri„mam Decretalem *De fide Catholicâ*, & ſecun„dam *Damnamus*, ad inſtantiam Archidiaconi „Tridentini. Fecit & tractatum *De articulis fi„dei & de ſacramentis Eccleſiæ*, ad Archiepiſcopum „Panormitanum. „

Tandem Nicolaus Trivethus Opera Sancto Thomæ Aquinati falſò adſcripta, ſic recenſet.

Alia quidem (inquit) inveniuntur ſibi attri„buta, quæ tamen ipſe non ſcripſit, ſed poſt eum „legentem vel prædicantem, ab aliis collecta „ſunt: ut puta *Lectura ſuper Epiſtolam ad Corin„thios*, ab undecimo Capitulo uſque ad finem, & „*Expoſitio ſuper primum de anima*, quas Frater „Reginaldus ejus ſocius recollegit. Item *Le„ctura ſuper Joannem & ſuper tertium nocturnum* „*Pſalterii. Collationes de Oratione Dominica &* „*Symbolo.* Item *Collationes Dominicales & Feſti„va.* Item *Collectiones de decem præceptis*, quas „collegit Frater Petrus de Adria. Item *Lectu„ra ſuper Matthæum completa*, quam partim idem „frater, partim ſecularis quidam recollegit, ejus „ſtudio delectatus. „

Ita Nicolaus Treveth, qui ſcribebat anno circiter MCCCX. ut ſupra diximus.

CAPUT QUARTUM.

TESTIMONIUM GUILLELMI DE THOCO, QUANTUM AD OPERA SEU SCRIPTA SANCTI DOCTORIS, EX VITA S. THOMÆ AQUINATIS, QUAM ANNO MCCCXX. PROLIXE ET ACCURATE SCRIPSIT.

Guillelmus de Thoco, natione Italus, olim Prior Conventus Beneventani Fratrum Prædicatorum, S. Thomæ coævus, quem etiam anno MCCCXIX. Ordo Fratrum Prædicatorum deſtinavit ad promovendam ejuſdem S. Doctoris canonizationem, ſcripſit proli-

lixè Vitam illius, cujus olim docentis & concinnantis auditor fuit. Hanc autem ex MS. Codice Bibliothecæ Crucigerorum Coloniensium, edidit Bollandus ad diem VII. Martii, tomo 1. fol. 657. ubi cap. 4. numeris 18. 19. 20. 21. & 22. latissimè *de Scriptis S. Thomæ Aquinatis* disserit, quorum tibi hic compendium, proscriptis inutilibus verborum amplificationibus, subjicimus.

„Capite 4. num. 18. Qui de sacrorum Doctorum horreis plenis frumento, de utriusque Testamenti excussis segetibus utiliora collegit in libris, & nulla Scripturæ veritas remansit sibi abscondita, nec Doctoris cujuscunque Scriptura inaccessibilis & involuta. De quo ut sciretur, quantum donum scientiæ hujus Doctoris lateret in corde, concessum est ei divinitus, & manifestavit in opere multiplici Scripturarum. Nam præter opus, quod fecit *super quatuor libros sententiarum, Summam* fecit, quam distinxit libris, materias quatuor librorum aliter ordinans: quam cum pluribus articulis ampliavit subtilioribus rationibus, ipsas determinans Sanctorum authoritatibus. Scripsit etiam librum qui intitulatur *contra Gentiles*, stylo disertum & rationum novitate & subtilitate profundum, in quo miro modo ostendit, quod ex proprio ingenio habuit, & quod raptu mentis in Deum orationibus impetravit &c. Unde cum prædictum librum scriberet, frequenter visus est quasi totaliter à sensibus alienus, qui divinis revelationibus semper erat intentus. Scripsit prædictus Doctor, opus *super quatuor Evangelia*, Sanctorum authoritatibus miro modo contextum, ex quibus Evangelicam sic continuavit historiam, quasi unius Doctoris videatur esse postilla. In quo opere mirandum creditur Deus ostendisse miraculum, quia discurrens per diversa Monasteria, & diversorum Sanctorum legens volumina, pro majori parte ipsorum authoritates mente retinuit, quas in exponendo notavit. Nam eodem agebatur Spiritu, quò legendo Doctor colligeret, quæ scribendo servaret. Præter quod opus, fecit *postillam super Evangelium Johannis*, in qua ostendit, quàm altè de suo ingenio, adjutus per gratiam, ad profunda Mysteria libri pervenerit, quæ Sanctorum authoritatibus declaravit. Scripsit *super Epistolas Pauli omnes*, quarum scripturam præter Evangelicam, super omnes commendabat, in quarum expositione Parisiis visionem præfati Apostoli dicitur habuisse. Scripsit *super Isaiam*, in cujus quodam textu difficili post orationes frequentes & lachrymas, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui ipsum instruerent, habuisse dicitur visionem. Scripsit *super Job ad litteram*, quem nullus Doctor tentavit litteraliter exponere, propter profunditatem sensus litteræ, ad quem nullus potuit pervenire. In quo opere, quasi inter eum & amicos suos arbiter fuisset de communi concordia positus, sic respondit ex utraque parte ad singula, velut sui quislibet, quod proponebat arguere, potuisset ei oretenus revelare. Scripsit librum quem nominavit *compendium Theologiæ, Quæstiones de quolibet, de perfectione vitæ Spiritualis, de substantiis separatis, Quæstiones de anima, super Dionysium de Divinis nominibus, de Trinitate, de Hebdomadibus Boetii, & alia multa Opuscula Theologica veritatis, plusquam viginti*, diversis Dominis & Religiosis personis: quibus sicut ei mittebant dubia, dabat illuminatus divinitus de veritate, responsa: ut nullum in humanis intellectum ejus lateret dubium, ad cujus non pertingeret divinâ luce secretum. Scripsit *Officium de corpore Christi*, de mandato Papæ Urbani, in quo omnes, quæ de hoc sunt Sacramento, veteres figuras exposuit: & veritates quæ de novâ sunt, gratiâ, compilavit. Scripsit etiam *super librum de Causis & Compositionis Proculi*. Scripsit etiam *super Philosophiam naturalem & moralem & super Metaphysicam*: quorum librorum procuravit quòd fieret nova translatio, quæ sententiæ Aristotelis continet clarius veritatem; & *alia multa Opuscula de naturalibus quæstionibus*, & aliqua scripsit *super Logicam*: & quidquid potuit legere, divino adjutus lumine, potuit explanare.

Num. 19. Quantum autem fuerit Ecclesiæ utilis, hujus doctrina Doctoris, non solum ad manifestationem utriusque Testamenti Catholicæ veritatis, sed ad confutationem pravitatis hæreticæ, Deus in ipso principio sui Magisterii, & deinceps miseratus ostendit. Nam præter prædicta magna volumina, quasi fidei Christianæ in sanctis montibus posita fundamenta, in quibus antiquas hæreses confutavit, suo etiam exortas tempore, divino Spiritu revelante destruxit. Quarum hæresum prima fuit Averrois, qui dixit unum esse in omnibus hominibus intellectum. Qui error malorum favebat erroribus, & Sanctorum virtutibus detrahebat: dum uno existente in omnibus intellectu, nulla esset differentia hominum, nec distantia meritorum.

Num. 20. Post hunc errorem, prædictus Doctor, Parisiis destruxit alium de novo exortum, qui error non fuit ab infideli commentatione exortus, sed à fidelibus, in hoc non fidelibus, Guillelmo de Sancto Amore, Segero & aliis eorum sequacibus adinventus. Qui errando dicebant, quod religiosi Mendicantes, non laborantes manibus, non poterant in sola studii contemplatione salvari. Consiliorum perfectioni & supererogatæ justitiæ detrahentes, addentes & multa alia erronea simul & falsa sophismata contra Religiosos, paupertatem, & eorum salutaria instituta: recentes funditus paupertatis Religiones suffodere, quas solâ eos stimulante invidia, non poterant tolerare. Quorum er-

„error tanto magis periculum fidelibus afferebat, quanto magis Magistratus authoritas fidem dabat.

„Num. 22. Destruxit quartò prædictus Doctor, illum antiquum Græcorum Schismaticæ pravitatis errorem, qui præter alias hæreses, in quas Schismaticæ pravitatis zelus illos præcipitat, in hunc devenerunt errorem: ut Romano Pontifici, successori Sancti Petri, & Christi Vicario, obedire recusent. Contra quos de mandato Summi Pontificis Urbani specialem tractatum edidit, in quo per Doctores Græcorum ipsos perspicuâ veritate convicit." Hæc Guillelmus de Thoco, divi Thomæ Aquinatis contemporaneus, qui legentem eum & concionantem audivit, in Opusculo quod *De vita illius* conscripsit.

CAPUT QUINTUM.

TESTIMONIUM BERNARDI GUIDONIS, LODEVENSIS EPISCOPI, *DE DOCTRINA ET SCRIPTIS SANCTI THOMÆ AQUINATIS*, QUI ANNO DOMINI MCCCXX. FLORUIT.

Lib. I. De vita S. Thomæ Aquinatis, quam scripsit Bernardus Lodovensis Episcopus, caput penultimum, *De numero & nominibus librorum & Tractatuum S. Thoma.* „Dominantem scientiæ & intelligentiæ collatum fuisse divinitus S. Thomas, evidentius declaratur multiplici ejus opere Scripturarum, qui ut scriba doctissimus de thesauro cordis sui protulit nova & vetera, de novo scilicet & veteri testamento, & abscondita diversarum scientiarum, produxit in lucem. Numerus autem & nomina librorum & tractatuum & operum ejus, quæ ad Dei laudem & fidei dilatationem eruditionemque studentium, tam in Philosophicis quàm in Divinis ipse conscripsit, in sequentibus conscribuntur. Scripsit enim *super quatuor libros sententiarum scripta quatuor*, primum videlicet & secundum & tertium & quartum. Opus siquidem stylo disertum, intellectu profundum, intelligentia clarum, & novis articulis dilatatum. Cumque post tres annos sui Magisterii rediisset in Italiam tempore Vrbani Papæ, existens Romæ scripsit iterum *scriptum super primum sententiarum*, sicut testatur in sua Chronica Frater Ptolomæus Episcopus Torcellanus, qui discipulus & auditor ejus fuit, asserens se vidisse illud in Conventu Lucano, quod nunc non invenitur, quia furto sublatum esse creditur, & ideò non fuit multiplicatum. Scripsit etiam *Summam totius Theologiæ*, quam pluribus articulis ampliavit, & aliter quàm in Scriptis suis prioribus, secundum exigentiam materiæ, numero & convenienti ordine, per quæstiones & articulos distinxit subtilioribus rationibus ipsos determinans & declarans, quos Sanctorum Doctorum authoritatibus roboravit: in quo opere cunctis Theologiam scire desiderantibus, sic utiliter laboravit, quòd viam sciendi, intelligendi & comprehendendi facilem, modumque compendiosum prius ignotum adinvenit & tradidit, non absque infusione gratiæ spiritalis. Summam autem prædictam in tres partes distinxit, videlicet in naturalem, moralem & sacramentalem. In quarum prima agit & definit de naturis rerum: & primò de Divinis, secundò autem de rebus creatis, & intitulatur *prima pars Summæ*. Secundam autem partem moralem divisit in duo volumina, in quorum primo agit & definit de Virtutibus & Vitiis in communi, & intitulatur. *Prima secundæ*. In secundo verò volumine agit & determinat descendendo ad materias virtutum & etiam vitiorum in speciali, & intitulatur *Secunda secundæ*, respectu ejusdem materiæ. Est autem ornata Philosophorum dictis & rationibus, & Sanctorum authoritatibus roborata. *Tertia* autem *pars Summæ* est quartum volumen ejusdem, quæ ideò Sacramentalis vocatur, quia in ea agitur de Sacramentis Christi & Ecclesiæ, & de toto mysterio Incarnationis filii Dei: & intitulatur *Vltima pars Summæ*, quæ finis est aliarum & ultimò facta fuit, in qua scribendi & vitæ suæ finem fecit, & morte præventus incompletam reliquit. Scripsit etiam librum qui intitulatur *Summa contra Gentiles*, quam quatuor libris distinxit. Est autem opus stylo diserto, & rationum novitate & subtilitate profundum: in quo præcipuè Opere cùm ipsum scriberet, frequenter inventus est à sensibus exterioribus sic abstractus, ut videretur totaliter Divinis intentus. Non autem absurdum alicui videatur, quod præfatus Doctor tam in Scriptis suis, quam etiam in *Summa* sæpius, ubi convenit ad propositum, utatur scientiis secularibus & humanis Philosophorum & Ethnicorum: cum ab eodem intellectu divino subjecta omnium scientiarum prodeant, à quo divinæ sapientiæ veritates emanant, cui omnes scientiæ jure subserviunt uti ancillæ. Scripsit etiam ad mandatum Domini Papæ *super quatuor Evangelia* opus insigne, miro contextum ordine, ex dictis & authoritatibus Sanctorum, ex quibus sic uniuscujusque Evangelistarum quatuor continuavit historiam, quasi unius Doctoris videatur esse lectura. Fertur quoque scripsisse *Expositionem super Evangelia Dominicalia totius anni*, quæ vix ac rarissimè reperitur. Item mandante sibi Domino Vrbano Papa dictavit & ordinavit *totum Officium Ecclesiasticum De Corpore Christi*, tam diurnum quàm nocturnum, quàm etiam Missæ. Scripsit quoque *Postillam super Evangelium Johannis*, maximè super quinque capitula stylo proprio, residuum verò dicitur reportasse ipso legente Frater Raynaldus socius ejus, quod postmodum idem Doctor correxit & approbavit. Scripsit etiam Po-

„*Postillas super Epistolam Pauli ad Romanos.* Item „*super Epistolam ad Corinthios.* Item *super Epistolam* „*ad Hebraeos*, usque ad undecimum capitulum. „Ad inde verò sunt *Postilla ejus super sequentes* „*Epistolas Pauli* reportatæ per prædictum soci- „um suum post ipsum legentem, quas idem Do- „ctor fertur postmodum correxisse. Scripsit „etiam *super Isaiam Postillam*, quæ rarò inveni- „tur, in cujus passu quodam textus difficili, post „orationes & lachrymas ejus, Sanctorum Apo- „stolorum Petri & Pauli, qui ipsum instruxe- „runt, habuit visionem. Scripsit etiam quoque „*super Job ad litteram*, quod nullus Doctor litte- „raliter, sicut ipse exponere attentavit. Scri- „psit etiam *super Jeremiam & super Threnos, & su-* „*per Cantica Canticorum.* Frater verò Reginal- „dus socius ejus, dicitur reportasse *Postillam su-* „*per tres nocturnos Psalterii* ipso legente; quæ in- „cipit, *In omni opere suo dedit confessionem.* Idem „Frater Raynaldus reportavit *super primum li-* „*brum de anima.* Lecturam verò *super Mat-* „*thaeum* quæ defectiva est, Frater Petrus de An- „dria dicitur reportasse. Scripsit etiam idem „Doctor non parva volumina Quæstionum de „diversis materiis per diversos articulos distin- „guens, & prosequens & elucidans veritatem, „quæ intitulantur *Quaestiones de Veritate.* Item „*Quaestiones de Anima.* Item *Quaestiones de Virtu-* „*tibus.* Item *Quaestiones de malo.* Item *Quae-* „*stiones de Spiritualibus creaturis.* Item scripsit „*undecim quodlibeta disputata*: sicut etiam *super* „*philosophiam Aristotelis, super libros Physicorum,* „*super Metaphysicam, super tres libros de Caelo &* „*mundo, super librum de generatione & corru-* „*ptione, super duos libros Metheororum, super se-* „*cundum & tertium de anima, super librum de* „*sensu & sensato. Super librum de memoria &* „*reminiscentia. Super libros Ethicorum. Super* „*quatuor libros Politicorum. Super librum de cau-* „*sis & propositionibus Procli. Super libros primum* „*& secundum posteriorum Analyticorum. Super li-* „*brum Periermineias.*

Capue ultimum. *Sequitur de Opusculis Sancti Thomae.*

„ Scripsit etiam Sanctus Doctor diversos „Tractatus & Libellos ad instantiam diversa- „rum personarum, quibus scilicet dum mitte- „bant dubia, dabat ipse de veritate responsa. „Qui Tractatus recollecti in unius voluminis „corpore, ipsum efficiunt satis magnum, & inti- „tulantur communiter *Opuscula Sancti Thomae:* „& possunt coordinari in uno volumine ad be- „neplacitum ordinantis, quia unus ab alio non „dependet. Sunt autem numero circiter „quadraginta, paulo plus, minusve, quorum no- „mina & principia in sequentibus subnotantur. „Videlicet Tractatus *De principiis naturae* ad Fra- „trem Sylvestrum, qui incipit, *Quoniam quaedam* „*&c.* Tractatus *De natura materiae* qui incipit, „*Quoniam de principiis &c.* Tractatus *De qua-* „*tuor oppositis &c.* Tractatus *De principio indi-* „*viduationis &c.* Tractatus *De natura instantis*

seu De instantibus, qui incipit, *Quoniam omnem* „ *durationem concomitatur instans.* Tractatus *De* „ *verbo seu De natura verbi*, qui incipit, *Ad intelle* „ *ctum hujus nominis quod dicitur verbum.* Tracta- „ tus *De natura verbi intellectus*, qui incipit, *Quo-* „ *niam circa naturam verbi intellectus, sive quo imago* „ *Trinitatis non invenitur in homine expressa.* Tra „ ctatus *De motibus naturalibus corporis, seu de actio-* „ *nibus & operationibus occultis naturae*, ad quendam „ militem ultramontanum, qui incipit, *Quoniam* „ *in quibusdam naturalibus corporibus.* Tractatus „ *De motu cordis* ad Magistrum Philippum de Ca „ strocœli, qui incipit, *quoniam omne quod movetur.* „ Tractatus *De quidditate entium, seu de esse & es* „ *sentia* ad fratres & socios, qui incipit, *Quoniam* „ *parvus error in principio.* Tractatus *De demon-* „ *stratione*, qui incipit, *Ad habendam cognitionem.* „ Tractatus *De fallaciis* ad quosdam Nobiles Ar- „ tistas, qui incipit, *Quia Logica est rationis scientia.* „ Tractatus *De Angelis seu de substantiis separatis*, ad „ fratrem Reginaldum, qui incipit, *Quia sacris An-* „ *gelorum solemniis.* Tractatus *contra errores A* „ *verroistarum de unitate intellectus*, qui incipit, *Sicut* „ *omnes homines naturaliter scire desiderant.* Tracta- „ tus *de sortibus, utrum sortibus sit utendum?* ad Do- „ minum Jacobum de Burgo, qui incipit, *Postulavit* „ *à me vestra dilectio.* Tractatus *De judiciis astro-* „ *rum, utrum liceat eis uti:* ad fratrem Reginal- „ dum, qui incipit, *Quia jussisti ut tibi scriberem.* „ Tractatus *De regimine Judaeorum* ad Ducissam „ Brabantiæ qui incipit, *Excellentia vestra recepi* „ *litteras.* Tractatus *Responsionum ad 43. articu-* „ *los*, ad Magistrum Ordinis, qui incipit, *Reverendo* „ *in Christo Patri.* Tractatus in quo continetur „ *Responsio ad multos articulos*, ad Fratrem Gerar- „ dum Lectorem Bisuntinum, qui incipit, *Carissi-* „ *mo sibi in Christo.* Tractatus in quo continetur „ *Responsio ad 36. articulos*, ad Lectorem Venetum, „ qui incipit, *Lectis litteris vestris inveni.* Tracta- „ tus ad Urbanum Papam *contra errores Graecorum*, „ qui incipit, *Libellum ab Excellentia vestra mihi ex-* „ *hibitum.* Tractatus *De regimine Principum* „ ad Regem Cypri, qui incipit, *Cogitanti mihi quid* „ *offerrem Regia celsitudini dignum.* Tractatus *De* „ *propositionibus modalibus*, qui incipit, *quia proposi-* „ *tio modalis.* Tractatus *De aeternitate mundi*, „ Utrum possit esse ab æterno, qui incipit, *Suppo-* „ *sito secundum fidem Catholicam.* Tractatus „ continens *Expositionem salutationis Angelicae*, Ave „ gratia plena: qui incipit, *In salutatione ista con-* „ *tinentur tria.* Tractatus continens *Expositio-* „ *nem Orationis Dominicae*, Pater noster: qui in- „ pit, *Inter alias orationes Dominica Oratio princi-* „ *palior invenitur.* Tractatus *De articulis fidei* „ *& Ecclesiae Sacramentis* ad Archiepiscopum Pa „ normitanum, qui incipit, *Postulat à me dilectio* „ *vestra, ut de Articulis fidei & Ecclesiae Sacramen-* „ *tis.* Tractatus in quo continetur *Brevis decla-* „ *ratio quorundam articulorum fidei*, quos inpu- „ gnant Græci & Armeni & Saraceni ad Can- „ torem Antiochenum, qui incipit, *Beatus Pe-* „ *trus Apostolus.* Tractatus continens *Expositio-* „

nem

„*nem prima Decretalis* de Summa Trinitate, *fir-* „*miter credimus*: qui incipit, *Salvator noster*. „Tractatus continens *Expositionem secundæ De-* „*cretalis* Damnamus & reprobamus, qui inci- „pit, *Exposita forma Catholicæ fidei*. Tractatus „*De perfectione vitæ spiritualis*, qui incipit, *Quo-* „*niam quidam perfectionis ignari*. Tractatus, *De* „*forma absolutionis sacramentalis*, ad Magistrum „Generalem Ordinis, qui incipit, *Pro lecto libel-* „*lo*. Tractatus *De mixtione elementorum, quali-* „*ter sunt* in mixto, ad Magistrum Philippum, qui „incipit, *Dubium apud nos esse sol t*. Tractatus „continens *Expositionem super librum Boetii de* „*Hebdomadibus*, qui incipit, *Præcurre prior in do-* „*mum tuam*. Tractatus *super librum* Boetii de „Trinitate, qui incipit, *Ab initio nativitatis meæ* „*investigabo*. Tractatus continens *Expositionem* „*Librorum beati Dionysii de Divinis nominibus*. „Tractatus *De perfectione Christianæ religionis*, qui „incipit, *Christiana religionis propositum*. Tra- „ctatus *contra impugnantes religionem*, videlicet „contra Guillelmum de sancto Amore, & se- „quaces ejus, qui incipit, *Quoniam ecce inimici* „*tui sonuerunt foris*. Tractatus qui intitulatur, „*Compendium Theologiæ* ad fratrem Reginaldum, „qui incipit, *Æterni Patris Filius*. Tractatus „*De præceptis, quod lex amoris fuit homini necessa-* „*ria*: qui incipit, *Tria sunt homini necessaria ad* „*salutem*. Tractatus *de fato*, qui incipit, *Quæ-* „*ritur de fato, an sit* &c.

CAPUT SEXTUM.

TESTIMONIUM CLEMENTIS PAPÆ SEXTI, *DE SCRIPTIS SANCTI THOMÆ AQUINATIS*.

Clemens Papa sextus, antea Petrus Rogerius vocatus, variis claruit honoribus & dignitatibus Ecclesiasticis, ab anno MCCCXXX quo promotus ad Archiepiscopatum Senonensem, atque paulo post ab isto ad Rotomagensem, deinde ad Cardinalem anno MCCCXXXVII, a Benedicto XII, sub titulo Sanctorum Nerei & Achillei: atque eo nonis Maii anno MCCCXLII, mortuo, summum Pontificatus culmen ascendit, sumpto nomine *Clementis sexti*. Extant sub ejus nomine in Bibliotheca illustrissimi Remensis Archiepiscopi, Caroli Mauricii Tellerii MS. Codice notato 22. sub hoc titulo: *Diversa Sermonum themata festorum Dei, Beatæ Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum, & alia quædam secundum diversos eventus rerum ac temporum, facta, ordinata & prædicata diversis temporibus per Dominum Clementem Papam sextum, temporibus suorum Archiepiscopatus, Cardinalatus, ac etiam Papatus, ut qui legerit, possit invenire*. Iidemque Sermones MSS. pariter Parisiis in Bibliotheca Cholatana, Cod. MS. 38. Inter hos sermones unus extat, *De Laudibus sancti Angelici Doctoris, Thomæ Aquinatis*: ubi Clemens sextus, vel Cardinalis, vel Archiepiscopus, vel tandem Pontifex Summus (nec enim scimus præcise quo tempore habitus sit) de scriptis illius plene & diligenter loquitur. Sic autem ille de sancto Thoma Aquinate.

Dico quarto, quod valde est fertilis &c. „ non enim scripsit unum librum solum; imo „ mirabile fuit, quomodo in tam parvo tempore „ quo vixit, tot Opera componere potuit. Scri- „ psit enim tam super Sententias, quam alias „ quæstiones, sexdecim volumina: scilicet qua- „ tuor scripta super Sententias, quatuor libros in „ Summa. Contra Gentiles. Quæstiones de „ Veritate. Item quæstiones de potentia Dei. „ Item quæstiones de Anima. Item Quæstio- „ nes de Virtutibus. Item quæstiones de malo „ Item quæstiones de spiritualibus creaturis. „ Item undecim quodlibeta disputata. Scripsit „ etiam super Bibliam, super quatuor Evangelia, „ ex puris Sanctorum authoritatibus: mirabile „ Opus connexum, ac si per unum hominem „ omnia essent dicta. Item Postillas super Ev- „ angelium Joannis. Item super Epistolas ad „ Romanos, ad Corinthios, & ad Hebræos. „ Item super Isaiam. Item super Job. Item „ super Jeremiam. Item super Threnos. Item „ super Cantica, & super Philosophiam, super „ libros Physicorum, Metaphysicæ, super qua- „ tuor libros de Cælo, super librum de Gene- „ ratione, & super duos Meteororum, super se- „ cundum & tertium de Anima, super aliquos „ parvos naturales, super librum Ethicorum, „ super quatuor Politicæ, super librum De cau- „ sis, super Logicam, super librum Posteriorum, „ super librum Perihermenias. Item sunt par- „ va Opuscula circiter quadraginta. „

CAPUT SEPTIMUM.

TESTIMONIUM S. ANTONINI FLORENTINI ARCHIEPISCOPI, *DE SCRIPTIS S. THOMÆ AQUINATIS*.

Etsi integro ferme seculo a *Clemente sexto* distet *S. Antoninus* Florentinus Archiepiscopus, hoc non impedit tamen, quominus ejus testimonium *De operibus ac scriptis S. Thomæ Aquinati adscriptis*, suam authoritatem habeat haud contemnendam: licet non tantum, ac si proximior fuisset temporibus sancti Doctoris. Audiamus ergo illum tom. 3. seu 3. parte *Summæ Historialis vel Chronici* titulo XVIII. cap. X. paragrapho 1. ubi sic Operum ipsius indicem texit. „Scripsit *Summam Theologiæ* Doctor Angelicus, quam tripartivit in *naturalem, mora-* „*lem & sacramentalem* &c. Secundam partem „ Summæ distinxit in duo volumina, & primum „ dicitur *prima secundæ*, id est prima pars secun- „ dæ partis: aliud allegatur *secunda secundæ*. „ Ipsa Summa majoris est authoritatis, & „ magis allegatur. Et *paragrapho* 2. idem Do- „ ctor fecit *super quatuor libros Sententiarum* scri- „ pta quatuor. Cumque post tres annos sui Ma „giste-

„gisterii, in Italiam rediisset, tempore Urbani „Papæ existens Romæ, scripsit iterum *super primum Sententiarum*, sicut testatur in Chronico „suo frater Ptolomæus Episcopus Torcellanus, „qui ex discipulis suis fuit & auditor, asserens „se vidisse illud in Conventu Lucano, quod „nunc non invenitur. Scripsit & Librum qui „intitulatur *Summa contra Gentes*, quem in quatuor libros distinxit, in uno tamen volumine. „Est autem Opus hoc stylo disertum, & rationum novitate & subtilitate profundum. Scripsit insuper ad mandatum Urbani Papæ IV. „opus insigne *super quatuor Evangelia*, miro contextum ordine, ex dictis & authoritatibus Sanctorum Doctorum. Frater quoque fecisse „*Expositionem super Evangelia Dominicalia totius anni*, quæ vix aut rarissime invenitur. Ego „credo me vidisse, sed talem, quæ (ut mihi videtur) est excerpta ex prædicto Opere super „Evangelia quatuor. Mandante quoque eodem Urbano, composuit *totum officium tam diurnum, quam nocturnum festi corporis Christi, ac etiam Missæ*. Scripsit quoque *Postillam super Evangelium Joannis*, maxime super quinque capita, stylo proprio: residuum dicitur reportasse frater Reginaldus socius ejus, ipso legente, quod postmodum idem Doctor correxit & „approbavit. Scripsit etiam *Postillam super Epistolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos*, usque XI. capitulum: & super alias „Epistolas Pauli reportata sunt, per prædictum „Reginaldum socium ejus post ipsum legentem, „quas idem Doctor fertur postea correxisse. „Scripsit *Postillam super Isaiam*, quæ raro invenitur. Scripsit *super Job ad litteram*, quod „nullus Doctor prius attentaverat. Nam Gregorius Magnus expositionem fecerat moralem „potius, quam litteralem, pulcherrimam. Nicolaus de Lyra post eum exposuit, ab ipso multa furatus: & aliter contra eum impingens, „sed sine ratione. Scripsit etiam *super Jeremiam & Threnos, & super Cantica Canticorum*, mul„tum tamen breviter & ad litteram. Circa „finem vitæ scripsit *super tres nocturnos Psalterii*. „Frater Reginaldus dicitur reportasse ipso legente *Postillam*, quæ incipit *In omni opere dedit confessionem*. Lecturam quoque *super Matthæum*, quæ defectiva est, dicitur reportasse frater „Petrus de Hadria. Item *super librum de Anima primum* frater Reginaldus reportavit. Scripsit etiam Doctor non parva volumina quæstionum, quæ intitulantur, *Quæstiones de Veritate*. Item *quæstiones de potentia Dei*. Item „*quæstiones de Anima*. Item *quæstiones de Virtutibus*. Item *Quæstiones de malo*. Item *quæstiones de spiritualibus creaturis*. Item scripsit *duodecim quodlibeta disputata*. Scripsit etiam *super philosophiam Aristotelis, super libros Physicorum, super Metaphysicam, super libros de Cælo & mundo. Super librum de generatione & corruptione. Super duos libros Meteororum. Super secundum & tertium de Anima. Super librum de sensu & sensato. Super librum de memoria & reminiscentia. Super librum Ethicorum. Super quatuor Libros Politicorum. Super librum de causis & propositionibus Procli. Super librum primum & secundum Posteriorum, & super librum Perihermenias.* Scripsit etiam diversos tractatus & libellos ad instantiam diversarum personarum, quæ ei mittebant dubia, & ipse eis de veritate dabat Responsa: qui tractatus recollecti in unius voluminis corpus, efficiunt ipsum satis magnum, & intitulantur communiter, *Opuscula Beati Thomæ*. Sunt autem numero circiter quadraginta. Sunt ergo hi tractatus. De principiis naturæ, ad fratrem Sylvestrum. De quatuor Oppositis. De principio individuationis. De natura instantis, seu de Instantibus. De verbo seu natura verbi. De natura verbi intellectus. De motibus naturalibus corporis, seu de operationibus & actionibus occultis naturæ. De motu cordis. De quidditate entium, seu de ente & essentia. De fallaciis. De Angelis. Contra errores Averroistarum, de unitate intellectus. De sortibus. De judiciis astrorum. De regimine Judæorum ad Ducissam Brabantiæ. Tractatus Responsionum ad quadraginta duos articulos, ad Magistrum Ordinis. Tractatus in quo continetur Responsio ad multos articulos, ad fratrem Gerardum Lectorem Bisantinum. Tractatus in quo continetur Responsio ad triginta sex articulos, ad Lectorem Venetum. Tractatus ad Urbanum Papam, contra errores Græcorum. Tractatus de regimine Principum, ad Regem Cypri. De propositionibus modalibus. De æternitate mundi. Expositionem Symboli. Expositionem Salutationis Angelicæ. Expositionem Orationis Dominicæ. De articulis fidei & Ecclesiæ Sacramentis. Brevis declaratio quorundam articulorum, quos impugnant Græci, Armenii & Saraceni, ad Cantorem Antiochenum. Expositio primæ Decretalis, De summa Trinitate & fide Catholica. De perfectione vitæ spiritualis. De forma absolutionis Sacramentalis. De mixtione Elementorum. Expositio Libri Boëtii de Hebdomadibus. Tractatus super librum Boetii, de Trinitate. Tractatus continens Expositionem Librorum Dionysii, de divinis nominibus. Tractatus contra impugnantes Religionem, præcipue Mendicantium. De perfectione Christianæ religionis. Compendium Theologiæ, ad fratrem Reginaldum. De præceptis. De fato. *Subdit sanctus Antoninus*: Et ex his patet quod *Postilla super Genesim & super Ecclesiasten*, quas vidi sibi intitulatas, & *Compendium quoddam Theologiæ*, quod incipit *Theologica veritatis*, quod etiam Beato Thomæ aliqui intitulant: non sunt ejus, cum non connumerentur inter supra dictos. Compendium enim quod Beatus Thomas edidit, de quo supra facta est mentio, aliter incipit, & est multo brevius, & de paucis tractat. Sed illud

„quod

„quod incipit *Theologica veritatis*, de omnibus „pene breviſſime tractat materiis Theologiæ. „Sed nec Alberti Magni eſt, ut alii quidam di„cunt: ſed cujusdam doctiſſimi viri, qui dictus „eſt frater Thomas.

CAPUT OCTAVUM.

DE VARIIS EDITIONIBUS *OMNIUM S. THOMÆ AQUINATIS*, EARUMQUE DIFFERENTIIS.

NEutiquam intendimus hic loqui de ſingulis vel omnibus editionibus omnium & ſingulorum Operum S. Thomæ Aquinatis: quis enim hoc poſſit, & quid inde commodi Reipublicæ accideret litterariæ? Cum nullum ferme opus illius ſit, quod non ſæpius ac locis diverſis impreſſum ſit. Loquimur autem de Editionibus Operum ejus omnium potiſſimis, ex quo omnia ejus ſcripta in unum collecta & comportata ſunt. Prodierunt plures hactenus editiones Operum S. Thomæ, ſed omnium prima, eſt Romana anni MDLXX. juſſu & ſumptibus Pii V. Romani Epiſcopi & Pontificis, emendatiſſime expreſſa, quam cæteris tum ob antiquitatem, tum ob correctionem præpono, atque ex ea Catalogum eorum Lectoribus propono, aliorum hac in parte ſequutus exemplum.

TOM. I. continet *Vitam S. Thomæ Aquinatis*, ex pluribus authoribus collectam *Expoſitionem in libros Ariſtotelis De interpretatione & Poſteriorum Analyticorum*, cum antiqua & Joannis Argyropyli translatione. Joannes Paulus Nazarius aſſerit Thomam de Vio Cajetanum *duabus S. Thomæ Lectionibus*, ſubjunxiſſe quod ſupereſt Commentarii in librum ſecundum *de interpretatione*.

TOM. II. *Expoſitionem in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis*, cum antiqua translatione & nova Joannis Argyropyli. *Expoſitionem in Libros tres de Cælo & mundo*, cum iisdem verſionibus textus Ariſtotelici. Neque enim abſolvit Commentaria in tertium nec in quartum, morte (ut creditur) præventus, aut aliis negotiis implicatus: ſed quidem frater *Petrus de Avvernia* ejus diſcipulus, imperfectum illud opus abſolviſſe perhibetur.

TOM. III. *Expoſitionem in quatuor libros Meteororum Ariſtotelis*, cum antiqua & Franciſci Vicomercati translatione.

Expoſitionem in tres Libros de Anima, cum antiqua & Michaelis Sophiani translatione.

In tres Libros Ariſtotelis, qui dicuntur Parva naturalia, cum antiqua & Nicolai Leonici interpretatione: nimirum *In libros de Senſu & Senſato, de memoria & reminiſcentia, de ſomno & vigilia, de ſomniis & de divinatione per ſomnum.* Cætera enim non abſolvit, ſed idem qui ſupra *Petrus de Avvernia* dicitur ſcripſiſſe Commentaria ſuper Ariſtotelem; *De motibus animalium; librum de longitudine vitæ & brevitate; librum de reſpiratione & inſpiratione, De juventute & ſenectute.*

TOM. IV. *In duodecim libros Metaphyſicorum*, cum antiqua translatione, & Beſſarionis nova.

Tractatum De ente & eſſentia, cum Commentariis Thomæ de Vio Cajetani, Cardinalis S Sixti.

Expoſitionem D. Thomæ Aquinatis in Librum De Cauſis.

TOM. V. *Expoſitionem in libros decem Ethicorum ad Nicomachum*, cum antiqua & Joannis Argyropyli interpretatione. *In octo libros Phyſicorum Ariſtotelis*, cum veteri & nova Leonardi Aretini interpretatione.

TOM. VI. *Commentaria in primum & ſecundum Sententiarum Magiſtri Petri Lombardi Pariſienſis Epiſcopi.*

TOM. VII. *Commentaria in tertium & quartum Sententiarum, ejusdem Lombardi.*

TOM. VIII. continet Quæſtiones diſputatas *De potentia Dei*, numero decem.

Quæſtiones diſputatas, *De malo*, numero ſexdecim.

Quæſtionem unicam *De ſpiritualibus creaturis.*

Quæſtionem unicam, *De anima.*

Quæſtionem unicam, *De unione Verbi.*

Quæſtionem unicam, *De virtutibus in communi.*

Quæſtionem unicam, *De charitate.*

Quæſtionem unicam, *De correctione fraterna.*

Quæſtionem unicam, *De Spe.*

Quæſtionem unicam, *De Virtutibus Cardinalibus.*

Quæſtiones diſputatas *De Veritate*, numero viginti novem.

Sequuntur *Quæſtiones quodlibeticæ duodecim*, ſeu *Placitorum S. Thomæ*, quæ in quibusdam impreſſionibus cum tertia parte *Summæ Theologicæ* compinguntur.

TOM. IX. *Summa Catholicæ fidei contra Gentiles*, in libros quatuor diſtributa continetur, cum Commentariis F. Franciſci Ciſtercienſis, Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum. Hanc *Summam, contra Gentes* cum Prima ſecundæ & Secunda ſecundæ Summæ Theologicæ ſancti Doctoris, transtulit in Linguam Græcam Demetrius Cydonius, quæ MSS. extant in Regia Galliarum Bibliotheca: de quibus nos poſtea dicemus, verbo, *Demetrius Cydonius*. Extant ex S. Thomæ Aquinatis Quæſtionibus diſputatis *De potentia Dei*, nempe ex Quæſtionis 10. art. 4. de quo vide Operum S. Thomæ Aquinatis editionem hanc Romanam anni 1570. tom. 8. fol. 94. pag. 2. Excerpta Græca *de proceſſione Spiritus Sancti*, in Codice MS. Theologico Græco Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis CCL. num. 27. ut habet Petrus Lambecius Libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 153. his verbis. „ Vigeſimo ſeptimo, & quidem a fol. 319. pag. 2. usque ad fol. 332. pag. 2. ex„ *S. Thomæ Aquinatis Quæſtionibus de potentia Dei*,„ Excerpta de proceſſione Spiritus Sancti, quo-„

„rum titulus & principium: Θῶμα τῦ ἀπὸ „τῆς κηρύκων τάξεως καὶ διδασκάλυ παρὰ Λα„τίνοις τῆς ἱερᾶς τῶν χριστιανῶν γεγονοτος Θεο„λογίας, ἐκ τῶν ἐν ταῖς διαλέξεσι ζητημάτων, „ἐκ τῶ περὶ δυνάμεως κεφαλαία, περὶ τῆς τῦ „ἁγίυ πνεύματος ἐκποζεύσεως, Α. Πότερον πνεῦ„μα τὸ ἅγιον ἐκπορένεται καὶ ἐκ τῦ υἱῦ, ἢ ἐκ „μόνυ τῦ Πατρὸς, δόξειε δ' ἂν &c. Item ex „ejusdem *Libris IV. De veritate Catholica fidei* „*contra Gentiles*, & ex ejusdem Summa Theologiæ capita miscellanea quadraginta quinque extant in Codice Theologico Græco CCLVII. num. 4. ut habet dictus Lambecius Libro V. Commentariorum p. 173. his verbis: „Quar„to & quidem a fol. 4. pag. 1. usque ad fol. 76. „pag. 1. *ex Sancti Thomæ Aquinatis Libris qua*„*tuor de veritate Catholica fidei contra Gentiles, &* „*ex ejusdem Summa Theologica, Capita miscellanea* „*quadraginta quinque* quorum *primum* inscribitur „atque incipit his verbis: Θῶμα ἐγχίνυ λόγοι „περὶ τῆς θείας σαρκώσεως. Ἀνηθεσεις κατὰ τῆς „θείας παρυσίας. Ἀλλ' οἱ τῇ πίςει ἀντικείμε„νοι τοιαῦτά τινα ἀντεπάγυσι τῇ θεία σαρκώσει. „Θεὸς ὕτε σῶμά ἐςιν, ὔτε δύναμις ἐν σώματι „&c. Et ibidem Codice MS. Theologico Græ„co CCLXXVII. n. 4. idem Excerptum eo„dem modo incipiens, ut habet idem Lambe„cius tomo 5. Commentariorum ejusdem Bi„bliothecæ pag. 225. Vide etiam ubi agitur de Nilo Cabasila & Demetrio Cydonio.

TOM. X. ***Prima pars Summa Theologica***, cum Commentariis Thomæ de Vio Cajetani, Cardinalis Sancti Sixti.

Expositio divi Thoma in Librum beati Dionysii de divinis nominibus.

TOM. XI. *Secunda pars Summa Theologica*, cum ejusdem Cajetani Commentariis.

TOM. XII. *Tertia pars Summa Theologica*, cum ejusdem Cardinalis Cajetani Commentariis. Continet autem Summa in universum Quæstiones 512. Articulos 2654.

TOM. XIII. *Expositio in librum beati Job*, seu *Commentarii juxta litteram apertissimi & doctissimi.*

Expositio in primam quinquagenam Psalmorum Davidis, juxta litteralem & anagogicam intelligentiam.

Expositio in Cantica Canticorum, quem ferunt laborantem febre ac propediem moriturum, petentibus fossæ novæ Monachis composuisse, ad quos ex itinere prope Terracinam diverterat, a quibus dictata, excerpta sunt.

Expositio in Isaiam Prophetam. Dubitant de illa quidem, & Thomæ Anglico tribuunt, reclamante Antonio Senensi adversus Sixtum Senensem, D. Thomæ hæc atque alia suffurantem Lib. 4. *Bibliotheca sancta*, his verbis: *Hujus Thoma Anglici esse creduntur Commentaria in Genesim, in Isaiam, in Jeremiam, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, & in Boetium de consolatione philosophica, adscripta Divo Thoma: cum magna esset inter Anglicum & Angelicum vocis similitudo.*

Expositio in Jeremiam Prophetam, quam morte præventus complere non potuit. Sunt qui Thomæ Anglico vindicent, quos refellere pluribus, nixus præcipue testimonio sancti Antonini. aggreditur laudatus Antonius Senensis.

Expositio in Lamentationes seu Threnos Jeremia. cujus eadem videtur asseratio, ac præcedentium.

TOM. XIV. *Expositiones in sancta Jesu Christi Evangelia secundum Matthaeum & Joannem.* Quæ tamen *in Evangelium Matthai* dicitur, suppolitia est, testeque Hieronoymo Vielmio, pertinet ad Petrum Scaligerum Dominicanum postea Veronensem Episcopum, cuius nomine prostabat Veronæ in Bibliotheca Cœnobii S. Anastasiæ, cum Hieronymus Vielmius ibi tyronem ageret. Sed neque cum stylo, spirituve aut diligentia, quam in suis scriptionibus Sanctus Thomas adhibuit, conferendam monet Possevinus.

TOM. XV. *Catena aurea in Matthaeum, Marcum, Lucam & Joannem*, ex sententiis sanctorum Patrum artificio miro connexa, & Urbano IV. Pontifici Maximo dicata, in quam quatuor aut quinque non contemnenda studioso Lectori observavit Possevinus in *Apparatu sacro.* Sixtus Senensis appellat *Nobilissimum opus Explanationum in 4. Evangelia*, quod ipse *Continuum in quatuor Evangelistas* inscripsit, recentiores vero *Catenam auream* appellarunt.

TOM. XVI. *Expositio in omnes Divi Pauli Apostoli Epistolas*, de qua Sixtus, Vielmius, Possevinus, & alii.

Sermones ejusdem pro Dominicis diebus & Sanctorum Solemnitatibus, tunc primum ex Bibliotheca Vaticana emergentes. Iidem quoque in eadem Urbe Romana anno sequenti 1571. in 8 impressi sunt. Et Antonius Senensis testatur se vidisse in quadam Flandriæ Abbatia prope Aldenardam, volumen Sermonum caracteribus antiquis exaratum, sub titulo fratris Thomæ, quod per otium evolvere non licuerit.

TOM. XVII. continentur Opuscula S. Thomæ Aquinatis.

1. *Contra Errores Gracorum, ad Urbanum Papam IV.*

2. *Compendium Theologia, ad fratrem Reginaldum, socium suum carissimum.*

3. *Declaratio quorundam articulorum contra Graecos, Armenos, Saracenos*, ad Cantorem Antiochenum.

4. *De duobus praeceptis charitatis, & decem legis praeceptis.*

5. *De articulis fidei & Sacramentis Ecclesia.*

6. *Devotissima Expositio super Symbolum Apostolorum.*

7. *Devotissima Expositio Orationis Dominica.*

8. *Devotissima Expositio Salutationis Angelica.*

9. *De articulis centum & octo, sumptis ex Opere Petri de Tarentasia, Responsio ad fratrem Joannem Vercellensem, Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum.* Sunt qui de ea dubitent, ideoque charactere minori excusa est.

10.

10. *Responsio de articulis 42.* ad eundem Magistrum Joannem de Vercellis.

11. *Responsio ad articulos 36.* ad Lectorem Venetum.

12. *Responsio de sex articulis*, ad Lectorem Bisuntinum.

13. *De differentia verbi divini & humani.*

14. *De natura & origine verbi intellectus.*

15. *De substantiis separatis*, seu *De Angelorum natura*, ad fratrem Reginaldum socium suum.

16. *De unitate intellectus, contra Averroistas, dicentes esse unum intellectum omnium hominum.*

17. *Opus contra pestiferum dogma retrahentium homines a Religionis ingressu.*

18. *De perfectione vitæ spiritualis.*

19. *Contra impugnantes Dei cultum & religionem*, Mendicantium fratrum propugnaculum, turrisque validissima. Petrus de Prussia Ordinis Prædicatorum, inquit Theophilus pag. 254. *Hoplotheca* in *Vita Alberti Magni* cap. 7. tradit absque omni ambiguitatis scrupulo, S. Thomam ab Alberto Magno multa sumpsisse, ita ut integri articuli sub eadem forma expressi, apud utrumque legantur. Et cap. 30. allegans Jacobum de Zwzaro, veterem Ordinis Prædicatorum Chronologum, affirmat Librum S. Thomæ contra Guillelmum de sancto Amore, qui in Opere Opusculorum S. Thomæ habetur, alium non esse, quam recollectionem eorum, quæ Albertus Magnus Auagniæ, coram Alexandro IV. disputans, adversus librum Guillelmi protulerat.

20. *De regimine Principum Libri quatuor, ad Regem Cypri:* quos Bellarminus multis de causis suspectos habuir, & merito. Vide observationem ejus secundam, cui non satisfaciunt, quæ in contrarium scripserunt, Joannes Paulus Nazarius, Natalis Alexander, aliique Ordinis fratrum Prædicatorum. Opus istud inscriptum, *Thomæ Aquinatis de rebus publicis & institutione Principum libri IV*, editum Lugduni Batavorum, in 16. charactere præclaro, anno 1651. apud Johannem Maire.

21. *De regimine Judæorum*, ad Ducissam Brabantiæ.

22. *De forma absolutionis Sacramentalis*, ad Generalem Magistrum Ordinis.

23. *Expositio primæ Decretalis*, ad Archidiaconum Tridentinum.

24. *Expositio super secundum Decretalem*, ad eundem.

25. *Tractatus De sortibus*, ad Dominum Jacobum de Burgo.

26. *De astrorum judiciis*, ad fratrem Reginaldum socium suum.

27. *De æternitate mundi, contra murmurantes.*

28. *De fato.*

29. *De principio individuationis.*

30. Huic loco competit *Opusculum De ente & essentia*, quod tomo IV. habetur cum Commentariis Cajetani, post Expositionem in Libros XII. Metaphysicorum Aristotelis.

31. *De principiis naturæ*, ad fratrem Sylvestrum.

32. *De natura materiæ & dimensionibus interminatis.* Quod non videtur esse S. Thomæ.

33. *De mixtione elementorum*, ad Magistrum Philippum.

34. *De occultis operibus naturæ*, ad quendam Militem.

35. *De motu cordis*, ad Magistrum Philippum.

36. *De instantibus.*

37. *De quatuor Oppositis.*

38. *De demonstratione.* Suspectum valde.

39. *De fallaciis* ad quosdam Nobiles Artistas.

40. *De propositionibus modalibus.*

De eruditione Principum libri septem, tunc primum in lucem ex Bibliotheca Vaticana editi.

41. *De natura accidentis.* Dubium.

42. *De natura Generis.* Dubium.

43. *De potentiis animæ.* Dubium.

44. *De tempore.* Dubium.

45. *De pluralitate formarum.* Dubium.

46. Idem quod supra editum perhibetur numero 32.

47. *De natura Syllogismorum.* Dubium.

48. Summa *totius Logicæ Aristotelis.* Dubium. Inveniuntur enim qui Thomæ Anglico tribuunt, de quo postea.

Hujus Summæ *Tractatus primus, de prædicabilibus.*

Tractatus secundus de prædicamentis.

Tractatus tertius de prædicamento Quantitatis.

Tractatus quartus de prædicamento Qualitatis.

Tractatus quintus de prædicamento ad aliquid.

Tractatus sextus, de sex reliquis prædicamentis.

Tractatus septimus, de Interpretatione.

Tractatus octavus de syllogismo simpliciter.

Tractatus nonus, de Syllogismo demonstrativo.

49. *De sensu respectu singularium, & intellectu respectu universalium.* Dubium.

50. *De inventione medii*, Dubium.

51. *De natura luminis.* Dubium.

52. *De natura loci.* Dubium.

53. *De intellectu & intelligibili.* Dubium.

54. *De quo est & quod est.* Dubium.

55. *De Universalibus tractatus 1.* de quo dubitatur.

56. *De Universalibus tractatus 2.* de quo dubitatur.

57. *Officium de festo corporis Christi*, ad mandatum Urbani Papæ IV, qui festum prædictum instituit.

58. *De venerabili Sacramento Altaris sermones varii in capita XXXII. distributi* Sunt qui tribuunt Alberto Magno, authoritate Joannis Trithemii hoc ejus initium memorantis: *De Sacramento corporis Domini* &c. qui prologus habetur in Alberti Sermonibus *de Eucharistia* XXXII. in quos Opusculum illud sectum est, in libro antiquo Collegii Lugdunensis Societatis Jesu. Hæc Theophilus Raynandus in *Erotematibus*.

59. *De Sacramento Eucharistiæ ad modum decem prædi-*

prædicamentorum, ad petitionem quorundam Prælatorum & Baronum. Dubium.

60. *De humanitate Jesu Christi, Domini nostri.* Dubium.

61. *De dilectione Christi & proximi.* Dubium.

62. *De divinis moribus.* Dubium.

63. *De Beatitudine.* Dubium.

64. *De modo confitendi & de puritate conscientiæ.* Dubium.

65. *De officio Sacerdotis.* Dubium.

66. *Expositio Missæ.* Dubium.

67. *De emptione & venditione ad tempus seu ad terminum*, ad fratrem Jacobum Viterbiensem, Lectorem Florentinum: quod alii affirmant absque dubio esse Divi Thomæ Aquinatis, aliis dubitantibus.

68. *Epistola brevis exhortatoria ad quendam*, in qua proponit idoneum modum salubriter acquirendi scientiam, sive divinam sive humanam. De ea quidam ambigunt, ut docet vel ipsa Romana editio, in qua minoribus characteribus excusa legitur. Nec rationes Joannis Pauli Nazarii quicquam certi proferre videntur, cur potius sancto Thomæ, quam alteri Dominicano, vel alterius Ordinis alteri viro pio, adjudicari debeat. Certe non videtur major authoritas Bartholomæi de Medina, qui illam imprimi jussit ante Expositionem suam in tertiam partem Summæ sancti Doctoris, quam eorum omnium, qui jussu Pii V. Romanæ impressioni præfuerunt.

69. *Expositio in Librum Boetii de Hebdomadibus.*

70. *Præclara quæstiones super librum de Trinitate Boetii, ad Symmachum Patricium.*

71. *De Virtutibus & Vitiis numero quaternario procedens.* Dubium.

72. *De concordantiis Dictorum, in quo concordat seipsum in passibus apparenter contradictoriis.* Dubium.

73. *De Usuris in communi, & de Usurariorum contractibus.* Dubium.

Sequitur velut cujusdam Appendicis loco, *Scriptum secundum S. Thomæ in quatuor libros Sententiarum* ad Annibaldum Annibaldensem Romanum, Ord. Prædicatorum, & S. R. E. Episcopum Cardinalem. Sunt tamen qui reclament, nec immerito, quidquid dicat cum nonnullis aliis Joannes Paulus Nazarius, qui rationibus dubitandi prolatis, non idoneam iis solutionem attulit. Pluris enim esse cordatis solet authoritas Raynaldi, S. Antonini & Dionysii Carthusiani, quam Sexcentorum recentiorum: præsertim cum nulla sit ratio, cur Sanctus Thomas Operum suorum exscriptor dici debeat. Ptolomæus Lucensis, Episcopus Torcellanus in *Chronicis suis*, narrat alium quoque se vidisse *Commentarium in primum Sententiarum*, ab eodem Sancto Thoma Romæ scriptum.

Tom. XVIII. locum obtinet *Tabula aurea eximii Doctoris F. Petri de Bergamo*, Ordinis Prædicatorum, qui anno 1484. Placentiæ in Longobardia obiit & sepultus est, *in omnia Opera D. Thomæ Aquinatis*, cum additionibus Conclusionum, Concordantiis dictorum ejus, ac Divinæ Scripturæ authoritatibus, expurgata ab innumeris vitiis, & quamplurimis propositionibus & allegationibus aucta. Concordantiæ Dictorum & Conclusionum D. Thomæ de Aquino, ordine alphabetico dispositæ ab eodem Petro Bergomensi. Index authoritatum Sacræ Scripturæ, cum repertorio omnium Dictionum principalium.

Ita prima editio Romana omnium Operum S. Thomæ Aquinatis, quam offert Philippus Labbeus tomo 2. Dissertationis suæ *De Scriptoribus Ecclesiasticis* fol. 418 atque ante eum Robertus Bellarminus in eodem Opere ad annum 1265. fol. 347. cum paucis annotationibus. Altera autem editio facta est istorum omnium S. Thomæ Operum, tomis totidem Venetiis in folio anno 1592. apud Dominicum Nicolinum, quæ eadem methodo procedit, qua Romana ista. Sed tertia editio Antwerpiæ procurata est anno 1612. tomis XVIII. apud Johannem Keerbergium cura & studio Cosmæ Morelles, Valentini, Ordinis fratrum Prædicatorum, professoris Theologi, de qua paucis est dicendum: quod ea ab aliis duabus anterioribus Romana de Veneta, aliquantum differat.

Itaque processit editio Antwerpiensis anno 1612. eodem ordine quo ambæ, præcedentes Romana & Veneta, sed unico tomo inclusa est. Nam tomi XVIII. locum obtinent *Commentarii in Genesim, in Libros Machabæorum, in septem Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, & in Boetium de consolatione Philosophiæ.* « Nos de Expositionibus in Isaiam, Jeremiam, ac Matthæi Evangelium, jam suo loco monuimus, (inquit Labbeus) quæ a quibusdam D. Thomæ tribuuntur adscripta, nec ad eum pertinent ex quorundam etiam Dominicani Ordinis doctissimorum hominum censura: sed vel ad Thomam Anglicum, patria Vallensem seu Gualensem, cognomento Jorgium, ex Ordine Prædicatorio S. R. E. Cardinalem titulo sanctæ Sabinæ, quem Trithemius ad annum 1400. revocat, & plures lecturas in sacra Biblia scripsisse asserit, vel ad aliquem alium certe facilis fuit, ut ex Sixto Senensi jam monuimus, mutatio Thomæ Anglici in Thomam Angelicum: nec placent eruditis, quæ Antonius Senensis adversus Sixtum Senensem pro quibusdam ex iis Aquinati asserendis, disputavit in Bibliotheca. Quis enim ferat, citari Lyranum a Divo Thoma in illud 1. Petri cap. 2. *quasi liberi* &c. Esto sane *Commentaria illa in Epistolas Canonicas* Vielmio, Possevino, Bellarmino, Nazario, & aliis videantur erudita & digna ingenio S. Thomæ, atque in eis cernatur stylus & modus procedendi Sancto Thomæ Aquinati familiaris. Quod autem addunt, primum anno 1592. Antwerpiæ prodiisse, hoc recte refellit Theophilus Raynaudus ex editionibus Parisiensi anni 1550. & Lugdunensi 1556. Neque pluris facienda est exceptio

„ceptio Antonii Senensis adversus Sanctum Antonium Florentiæ Archiepiscopum, qui disertè „ut spurium repudiet *Commentarium in Genesim*: „quòd scilicet intelligendus sit *de eo quod tunc extabat*, & non de illo, quod nunc excusum habemus ejusdem Antonii Senensis studio, qui se „vindicatum è tenebris, prœlo dari curasse „gloriatur. *Commentarii in Boëtii consolationem*, „S. Thomæ Sapientiam non redolent, & teste „Vielmio, in Cydoniensi S. Nicolai ejusdem Ordinis Prædicatorum conventu, ulterius nomine inscripti legebantur. Denique etiam „*Commentarii in libros Machabæorum*, sub nomine „S. Thomæ, Lutetiæ, anno 1596. in 8. impressi „procurante Stephano de Sampaïo, eandem „apud æquos censores cum præcedentibus, aut „saltem plerisque ex iis, censuram subire coguntur. Hæc Labbeus verbotenus.

Mirum autem quàm petulanter huic Labbeanæ censuræ, respondeat *Ambrosius de Altamura* Ordinis Fratrum Prædicatorum, *in sua Bibliotheca Scriptorum hujus Ordinis* ad annum 1274. fol. 40. dum de Scriptis Sancti Thomæ Aquinatis, farraginem suam concludit. Audiamus, meretur enim atque attentis quidem auribus audivi.

„ *Commentaria quoque in Genesim, in Libros „Machabæorum, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, & in Boëtium De consolatione Philosophiæ.* „Hæc enim ad Thomam Anglicum patria Valensem seu Gualensem, cognomento Jorgium, „ex Ordine nostro S. R. E. Cardinalem titulo „Sanctæ Sabinæ, quem Trithemius ad annum „1400. revocat, & plures lecturas in Sacra „Biblia scripsisse asserit, vel ad aliquem alium „spectant &c. Quibus absurde respondet: „*Nec super his miror Pe ri de Alva, Bellarmini, Labbei, & hujusmodi aversionem à S Thomæ: Sed „doleo Garziam & similes pannos suscitare, nisi Leviathan, rixas.* Non ii semper a Sancto Thoma aversionem habent ô bone Monache, qui Opera ei falsò & imprudenter imposita impugnant: sed è contra colunt illi Angelicum Doctorem, qui veritatem quærunt, & contra suppositionem firmiter stant. Qui autem indiscreto zelo, absque delectu ullo, absque ratione & judicio, omnia undequaque anonyma collecta, sub Sancti Doctoris nomine temerarii & audaces evulgant: isti aversionem à Sancto Thoma habent, illius indiscreti discipuli, veri adversarii sunt, qui nunquam suppositionem aut mendacium sub prætextu etiam pietatis asseruit aut dilexit. Hoc autem apud Mendicantes frequentissimum est, ut videbimus postea.

CAPUT NONUM.

DE

ULTIMA EDITIONE PARISIENSI OMNIUM OPERUM S. THOMÆ AQUINATIS.

Tentarunt circa annum 1636. Fratres Prædicatores Parisienses Majoris conventus Sancti Jacobi, multumque deliberaverunt inter se ad procurandam Parisiis novam editionem omnium S. Thomæ Aquinatis Operum, cujus nonnulli initia ad annum 1640. apparuerunt. Nam in folio *apud Dionysium Moreau via Jacobæa sub Salamandra anno 1640. S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum*, prodiit volumen complectens *Expositionem in Genesim, in Job, in primam Davidis quinquagenam, in Canticum Canticorum, in Esaiam, in Jeremiam & in Threnos.* Tum specioso titulo, sed utinam vero, subjungitur: *Editio nova, integro tomo aucta, quamplurimis quibus scatebat mendis correcta, cum Exemplari Romano ac aliis vetustissimis Manuscriptis Codicibus collata, necnon in variis Sacræ Scripturæ locis malè allegatis restituta, per R. P. F. Cosmam Morellet, Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Doctorem, ac in celeberrima Coloniensi Universitate professorem publicum.* Intendebant itaque jam ab anno 1640. Fratres Prædicatores, procurare Parisiis integram & quartam editionem omnium S. Thomæ Aquinatis Operum, quam ut facilius Bibliopolæ divenderent, hunc speciosum titulum *primo huic volumini editionis Parisiensis* apposuerant, quod ultimum fuit editionis Antverpianæ. Sed attendenti mihi, falsum omnino apparuit, quod Opera ista collata unquam fuerint *vetustissimis Manuscriptis Codicibus.* Alia duo volumina ibidem apud eundem Dionysium Moreau edita, primum continens *Commentaria in Danielem, in libros duos Machabæorum, & in omnes Epistolas Canonicas*: alterum *Expositiones in Apocalypsim D. Joannis Apostoli. Commentarios in quinque Libros Boetii de consolatione philosophiæ, & in Tractatum ejusdem Boetii de Scholarium disciplina*, anno 1641. Ibidem *Summa Catholica fidei contra Gentiles cum Commentariis Magistri Francisci Ferrariensis*, duobus in fol. voluminibus, anno 1643. Denique ibidem *Expositio S. Thomæ Aquinatis in octo libros Ethicorum Aristotelis*, emendata per R. P. F. Cosmam Morelles, apud Fratres Prædicatores Colonienses Professorem Publicum, in fol. anno 1644. & anno 1645. *Commentaria in octo libros Politicorum Aristotelis*, cum duplici textus interpretatione, per eundem Cosmam Morelles, & *Epitome singulorum Librorum & Lectionum*, per P. F. Carolum Rapinæum. Hæc omnia cum sigillatim non venderentur à Dionysio Moreau, hanc tandem spartam aggressus est continuare, atque omnem seriem omnium Sancti Thomæ Operum simul evulgare Parisiensibus typis, Joannes Nicolai ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Doctor Theologus Parisiensis: ita tamen hanc editionem distribuens, ut omnia volumina quæ Dionysius Moreau privatis suis sumptibus ediderat, intrarent in istam *Novam editionem omnium Operum S. Thomæ Aquinatis* apud Societatem Bibliopolarum Parisiensium procurandam, sub certis conditionibus inter Societa-

tem Bibliopolarum Parisiensium & Dionysium Moreau.

Igitur sub sequenti ac magnifico titulo prodeunt, *Sancti Thomæ Aquinatis, ex Ordine Prædicatorum, quinti Ecclesiæ Doctoris Angelici Opera omnia, ad fidem vetustissimorum Codicum Manuscriptorum & editorum emendata, aucta & cum Exemplaribus Romano, Veneto, & Antverpiensi accuratè collata, nunc primum in Galliis prodeunt. Partim à Reverendo Patre Joanne Nicolai, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Doctore Theologo Parisiensi, & in Majori Conventu Primario Professore à mendis expurgata, & Notis marginalibus illustrata: partim ab aliis Patribus ejusdem Ordinis emendata, ut patet in Indicibus post præfationem appositis. Omnia XXIII. voluminibus comprehensa, Parisiis apud Societatem Bibliopolarum, viâ Jacobæa, anno MDCLX. cum privilegio Regis.*

Allegantur in Proœmio ad Lectorem tanquam Evangelistæ quatuor hujus divinæ editionis, *R. P. Joannes Nicolai, vir si quis alius in Theologica palæstra exercitatissimus, qui Annotationes in quatuor libros sententiarum, in Scriptum secundum ad Hannibaldum, in Quæstiones quodlibetales, & in Catenam auream ad Evangelia scripsit. R. P. Cosmas Morelles, Theologiæ Professor, præter ea quæ Antverpiensi editioni pro sua eruditione contulerat, curas veluti posteriores addidit, & correctiones innumeras huic editioni eleganter adjunxit. R.P. Antonius Mallet, Theologiæ quoque Professor, curam suam omnem in libros Philosophicos contulit, emendavit plurima quæ occurrebant menda, libros illustravit, & nitori maximo dedit. R. P. Petrus Pellicanus, ejus quoque familiæ Doctor, Opusculis manum admovit, non quidem temerariam, sed medicam planè. Is quippe Opuscula omnia recensuit, restituit, multaque adhuc non edita addidit, quæ suo ordine optimè disposita, & præfationibus aucta ipse comperies. Hac te monitum voluimus, ne diutius ignorares per quos profeceris, & quorum opera usi sumus & elucubrationibus, ut Doctorum hominum curiositati satisfaceremus. Cùm enim viri pietate non minùs, quàm doctrina insignes, eodem quo nos flagrarent ardore, Ecclesiæ nimirum & Religioni proficiendi: suam nobis humaniter operam ultrò obtulerunt, ut quàm absolutissimum opus prodiret.* Utinam hæ laudes tam veræ essent, quam magnæ, tam sinceræ ac debitæ, quàm splendidæ.

Index Operum S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici, Ordinis Prædicatorum, prout in hac editione Parisiensi prima disposita, & in XXIII. tomos distributa sunt.

Tomus 1. complectitur *Vitam ipsius S. Thomæ*, per Fratrem Antonium Mallet, apud Fratres Prædicatores Parisienses Sacræ Theologiæ Professorem.

Expositiones ejusdem Sancti Doctoris in primum & secundum Perihermінias, cum Commentario Thomæ de Vio Cajetani in reliquum secundi Libri Perihermінias, nunc primum huic editioni apposito. fol. 44.

Expositionem ejusdem S. Doctoris in primum & secundum Posteriorum Analyticorum.

Opuscula varia ad Logicam spectantia, nempe *de Prædicabilibus, de Prædicamentis substantiæ, Quantitatis, Qualitatis,*

Ad aliquid. De sex principiis, & Actionis prædicamento. De prædicamento Passionis, & Quando. De prædicamentis Ubi, Situs, Habitus. De Enuntiatione tractatus. Tractatus quatuor de Syllogismis, quorum ultimus *de fallaciis* inscribitur, vel *de Syllogismo Sophistico.* Incipiunt hæc Opuscula fol. 232. quæ habentur inter Opuscula in editionibus anterioribus Romana, Veneta & seqq. *Opusculo XLVIII.*

Commentaria in Libros Aristotelis, qui Parva naturalia nuncupantur: quibus addiderunt *Expositionem Petri de Alvernia*, in quosdam hujus Operis à Sancto Thoma inexplicatos locos refertissimam, nunc primum huic editioni appositam, nempe *Commentarium in reliquam partem Libri de motu animalium* fol. 93. *De longitudine & brevitate vitæ* fol. 127. *De juventute & senectute, vita & morte & respiratione*, fol. 139. Itemque fol. 183. initium *Libri de sanitate & morbo* expositum. Item ibidem fol. 184. *Opuscula S. Thomæ Aquinatis de motu cordis & de lumine.*

Tomus 2. complectitur *Expositionem in Libros octo Physicorum Aristotelis*, cum duplici textus translatione, antiquâ & novâ. *Commentaria in quatuor Libros de Cælo & Mundo*, cum Supplemento Magistri Petri de Alvernia, ad eam Commentationem quam S. Doctor morte præventus, perficere non potuit.

Tomus 3. *Commentaria in quatuor Libros Meteorologicorum*, cum duplici interpretatione textus.

Commentaria in tres Libros de Anima, cum duplici textus translatione, quibus additæ sunt *Magistri Dominici de Flandria Quæstiones super tres Libros de Anima & Commentaria S. Thomæ ad illos.*

Commentaria in primum & secundum de Generatione & corruptione, cum duplici translatione textus.

Tomus 4. *Expositionem in duodecim Libros Metaphysices*, cum duplici translatione textus.

Item *in Librum de causis Commentarium*, emendatum per F. Cosmam Morelles.

Tractatum de ente & essentia cum Commentariis Thomæ de Vio, Cardinalis Cajetani.

Tomus 5. *Expositionem in Libros Ethicorum Aristotelis.*

Tomus 6. *Commentaria in octo Libros Politicorum Aristotelis*, emendata per eundem Cosmam Morelles, cum Epitome singulorum Librorum Politicorum, per F. Carolum Rapinæum huic editioni nunc primum additâ.

Tomus 7. 8. 9. & 10. *Commentaria in quatuor Li-*

Libros Sententiarum Petri Lombardi, ab innumeris mendis expurgata, ac Noris marginalibus illustrata, per R. P. Joannem Nicolai, apud Frarres Prædicatores Parisienses primarium Theologiæ Professorem.

Tom. 11. *Scriptum secundum in quatuor Libros Sententiarum* ad Hannibaldum Hannibaldensem, S. R. Ecclesiæ Cardinalem, emendatum & expurgatum ab eodem Joanne Nicolai, cum Notis marginalibus nunc primum additis.

Quæstiones quodlibetales, emendatas & expurgatas, cum Notis marginalibus ab eodem appositis.

Tom. 12. *Quæstiones disputatas*, in meliorem ordinem dispositas.

Tom. 13. & 14. *Summam Catholicæ fidei contra Gentiles*, cum Commentariis Magistri Francisci Ferrariensis.

Tomus 15. *Commentaria in Genesim* ex Originali Bibliothecæ Minoritarum Middelburgensium, per Fratrem Antonium Senensem, Professorem Theologiæ Lovanii, transcriptum.

Commentaria in quosdam Libros Veteris Testamenti, scilicet in Job, in primam quinquagenam Davidis, in Canticum Canticorum, in Isaiam, in Jeremiam & in ejus Lamentationes, nunc primum cum vetustissimis Codicibus MSS. collata & emendata, per F. Cosmam Morelles S. Theologiæ Lectorem.

Tom. 16. *Catenam auream in quatuor Evangelia*, ab innumeris mendis aliarum editionum expurgatam, Notis marginalibus auctam, per R. P. F. Joannem Nicolai, Doctorem Theologum Parisiensem.

Tom. 17. *Commentaria seu Expositiones in Matthæum & Joannem.*

Tom. 18. *Commentaria in omnes Epistolas Sancti Pauli Apostoli, emendata.*

Sermones ejusdem Angelici Doctoris, pro Dominicis & Festis diebus, ex Bibliothecâ Vaticanâ in lucem emissos.

Tom. 19. *Commentaria in Danielem, in Machabæos, & in omnes Epistolas Canonicas.*

Expositiones in Apocalypsim Sancti Johannis Apostoli.

In quinque Libros Boëtii de consolatione Philosophiæ.

In Tractatum ejusdem Boëtii de Scholarium disciplina. Omnia hæc nunc primum in lucem eruta, per R. P. F. Cosmam Morelles, ejusdem Ordinis Professorem Theologum.

Tom. 20. *Opuscula omnia Theologica & moralia. Quæstiones de Secreto Servando*, & alia quædam nunc primum edita ex MSS. Bibliothecæ Sancti Victoris, omnia præfationibus & partitionibus illustrata, curâ & studio F. P. Petri Pellicani, ex Ordine FF. Prædicatorum, Doctoris Theologi Parisiensis.

Tom. 21. *Primam partem & primam secundæ Summæ Theologicæ.*

Tom. 22. *Secundam Secundæ Summæ Theologicæ.*

Tom. 23. *Tertiam partem & Supplementum ejusdem Summæ Theologicæ.*

Hæc de editionibus quatuor aut quinque *Operum omnium S. Thomæ Aquinatis* dicta sufficiant, quæ olim in maximo pretio apud eruditos fuerunt, potissimum ubi Opera indubia charactere & charra optimis impressa sunt. Sed editio ista Parisina quæ per annos viginti & amplius viguit, apud Bibliothecarum & Librorum peritos, paucis æstimatur, tam ob prælum neglectum, characterem detritum, quam ob chartam vilem atque despectam, nostris maximè his temporibus, quibus Scholastica dicendi methodus, ubique Christianissimi vilescit. Præterea affectarunt Fratres isti Prædicatores, infartire hanc editionem *Operum S. Thomæ Aquinatis*, multis Operibus incertis ac dubiis, quorum accessione existimatio Sancti Doctoris multum imminuta est. Non enim docti hodierni pensant seu attendunt ad multitudinem voluminum, ut de authoris doctrinâ vel merito judicent: sed ad virturem atque ordinem rerum dictarum, cum solidâ gravitate, rectoque argumento. Laborant quam maxime Monachi ut incumbant evulgandis aliquibus Ordinis sui authoribus, secundum voluminum multitudinem: verum homines naris emunctæ & eruditi aliter sentiunt, paucioraque cum electione & judicio malunt, quam amplissima absque ordine & delectu. Ita igitur hæc viginti tria volumina omnem sub nomine Divi Thomæ Aquinatis farraginem continentia, tam vili pretio sunt, ut quæ primitus nonnisi aureis viginti & amplius vendebantur, vix aureis septem aut sex hodie constent. Omnis etenim ista congeries auxit prœli sumptus, imminuit Divi Thomæ de doctrina existimationem optimam, & plurimorum legendi ejus volumina cupiditatem extinxit, quod unicum tam pompaticæ editionis emolumentum fuit. Vê enim Fratres Dominicani istam editionem inflarent, nescio quot Commentationes suorum Dominicanorum addiderunt, à quibus abstinere facile poterant, quod fastidium Lectoribus, crumenisque sudorem attulit. Denique cum Voluminum istorum pleraque satis modica sint, tertia ferme pars Operis in compacturis & operimentis est, quæ docti emere non curant. Volunt enim emere chartas impressas, non operimenta & compacturas. Idemque sentiunt omnes, de editione ambitiosa ac affectata omnium Operum Alberti Magni, Lugdunensi. Nunc veniamus specialiter ad *editiones omnium Opusculorum Sancti Thomæ Aquinatis.*

CAPUT DECIMUM.

DE PRIMA EDITIONE OPUSCULORUM OMNIUM S. THOMÆ AQUINATIS.

POstquam egimus de editionibus *omnium Sancti Thomæ Aquinatis Operum*, restat jam nunc agendum *de Opusculis* illius, quæ quia multa sunt, nec modicas hoc tempore suscitarunt quæstiones: ideò sigillatim de præcipuis Opusculorum istorum editionibus, quæ vel in numero Opusculorum, vel in ordine diversitatem habent, antequam ad discussionem istorum S. Thomæ Aquinatis Operum, calamum admoveamus. Nec recurrimus ad manuscriptos Codices, cum illi varient pro diversa oportunitate transscribendorum ejusmodi Opusculorum, ad quam attenderunt Librarii. Quisquis ordinem in antiquis istorum Opusculorum Manuscriptis optat, adeat secundum caput hujus Dissertationis, ubi reperiet qua ratione enumeret *potissima S Thomæ Aquinatis Opuscula* in tres partes, frater Ptolomæus Lucensis, Episcopus posteà Torcellanus Lib. 23. suæ *Historiæ Ecclesiasticæ* capp. 12. 13. & 14. juxta fidem MS. Codicis, quo ipse usus est. Vnde cum fuerit illæ S. Thomæ discipulus, ejusque familiari colloquio & contubernio diu usus sit: nullum dubium relinquitur, quin MSS. illi Codices, Scriptori S. Thomæ contemporanei essent, ex quibus hunc suum ordinem hausit Ptolomæus Lucensis. Veniamus ad impressiones Opusculorum istorum & ordinem. Si à prima origine rem volumus repetere, statim post artis typographicæ adinventionem frater Paulus Soncinas, ex Ordine Fratrum Prædicatorum Doctor Theologus, anno scilicet 1488. Venetiis excudi typis curavit hæc Opuscula, quæ præ manibus habemus. Sed quo ordine, disces si consulas celebrem illam Sancti Germani, in suburbiis Parisiorum, Ordinis Divi Benedicti Bibliothecam, quæ primam hanc editionem tibi subjungendam, possidet.

Numerus & ordo Opusculorum S. Thomæ Aquinatis, in editione prima Veneta anni 1488. ad Reverendissimum in Christo Patrem & Illustrissimum D. Dominum Ascanium Mariam Sfortiam Vicecomitem, tituli Sancti Viti Diaconum Cardinalem, ac dignissimum Bononiæ Legatum Apostolicum.

Opusculum 1. *De regimine Principum.* Cogitanti mihi quid offerrem &c.

2. *Contra errores Græcorum.* Libellum ab Excellentia vestra mihi exhibitum.

3. *Compendium Theologiæ.* Æterni Patris Verbum, sua immensitate omnia comprehendens.

4. *Expositio Orationis Dominicæ.* Inter alias Orationes, Oratio Dominica.

5. *Expositio Salutationis Angelicæ.* Ave Maria gratia plena.

6. *Expositio Symboli Apostolorum.* Primum, quod est necessarium Christiano, est fides.

7. *Declaratio quorundam articulorum contra Armenos & Saracenos.* Beatus Petrus Apostolus.

8. *De decem præceptis & lege amoris.* Tria sunt homini necessaria ad salutem.

9. *De articulis fidei.* Postular à me vestra dilectio, ut de articulis fidei.

10. *De Ecclesiæ Sacramentis.* Nunc restat considerandum de Ecclesiæ Sacramentis.

11. *Quæstiones in Boëtium de Trinitate.* Ab initio nativitatis investigabo.

12. *Scriptum super Boëtio de Hebdomadibus.* Præcurre prior in domum tuam.

13. *De Angelis sive Substantiis separatis.* Quia sacris Angelorum solemniis.

14. *De unitate intellectus contra Averroistas.* Sicut omnes naturaliter scire desiderant veritatem.

15. *De regimine Judæorum.* Excellentiæ vestræ recepi litteras.

16. *De forma absolutionis.* Perlecto libello à vobis exhibito, inveni assertionem.

17. *Expositio prima decretalis.* Salvator noster discipulos ad prædicandum mittens.

18. *Expositio secunda decretalis.* Damnamus ergo & reprobamus.

19. *Opusculum de sortibus.* Postulavit à me vestra dilectio, ut quid de sortibus.

20. *De judiciis astrorum.* Quia petisti ut tibi scriberem, an liceret judiciis astrorum uti.

21. *De æternitate mundi.* Supposito secundum fidem Catholicam.

22. *Contra impugnantes Religionem & Dei cultum.* Ecce inimici tui sonuerunt foris.

23. *De perfectione Christianæ religionis.* Christianæ religionis propositum in hoc præcipuè videtur consistere.

24. *De perfectione vitæ spiritualis.* Quoniam quidam perfectionis ignari, de perfectionis statu vana quædam dicere præsumpserunt.

25. *Responsio ad Magistrum Joannem de Vercellis de centum & octo articulis.* Primò considerandum est.

26. *Responsio ad eundem de quadraginta duobus articulis.* Reverendo in Christo Patri F. Joanni Magistro Ordinis &c.

27. *Responsio ejusdem ad Lectorem Venetum de articulis triginta sex.* Lectis vestris Litteris.

28. *Responsio ad Lectorem Bisuntinum de sex Articulis.* Carissimo sibi in Christo Fratri Gerardo.

29. *De differentia Divini verbi & humani.* Ad intellectum hujus quod dicitur Verbum.

30. *De natura verbi intellectus.* Quoniam circa naturam verbi intellectus.

31. *De fato.* Quæritur de fato an sit, & quid sit.

32. *De principio individuationis.* Quoniam duæ sunt in homine potentiæ cognoscitivæ.

33. *Tractatus de ente & essentia.* Quia parvus error in principio, magnus est in fine.

34. *De principiis naturæ ad Fratrem Sylvestrum.* Quoniam quoddam potest esse, licet non sit.

35.

35. *De mixtione elementorum.* Dubium apud multos esse solet, quomodo elementa.

36. *De occultis Operibus naturæ.* Quoniam in quibusdam naturalibus corporibus.

37. *De motu cordis.* Quia omne quod movetur, necesse est habere motorem.

38. *De instantibus.* Quoniam omnem durationem concomitatur instans.

39. *De quatuor oppositis.* Quoniam quatuor sunt oppositiones.

40. *De propositionibus modalibus.* Quia propositio modalis à modo dicitur.

41. *De natura accidentis.* Quoniam cognitio humana à sensu incipit.

42. *De natura Generis.* Quoniam omnis creatura generis limitibus continetur.

43. *De temporis natura.* Sicut vult Philosophus 2. Metaphysicæ.

44. *De pluralitate formarum.* Quoniam sanctum est honorare veritatem.

45. *De potentiis animæ.* Vt adjutorium homini collatum & progressum peccati plenius videamus.

46. *De natura materiæ.* Postquam de principiis sermo habitus est.

47. *De natura Syllogismorum.* Quoniam scire, est causam rei cognoscere.

48. *De sensu respectu singularium, & intellectu respectu Vniversalium.* Circa considerationem sensus.

49. *De inventione medii.* Quoniam principium Syllogizandi.

50. *De natura luminis.* Considerandum est de natura luminis.

51. *De natura loci.* Ad sciendum naturam loci, considerare oportet.

Eadem vero ista Opuscula edita ibidem eodem ordine & numero, iterum sæpius, annis nempe 1490. 1498. & 1508. ut habet F. Petrus Pellicanus in sua editione omnium Opusculorum S. Thomæ Aquinatis, quam procuravit Parisiis in folio, anno 1656. ibidem apud Sebastianum Huré via Jacobæa sub signo cordis boni.

CAPVT VNDECIMVM.

DE ALIIS SEQVENTIBVS EDITIONIBVS OPVSCVLORVM S. THOMÆ AQVINATIS.

POst allegatas editiones omnium Opusculorum Sancti Thomæ, emersit una Lugduni in folio anno 1562. & altera Romæ anno 1568. eo tempore quo editio omnium Operum S. Doctoris procurabatur, studio Summi Pontificis Pii Quinti. Editiones ista priores Venetæ *Opuscula LI.* continebant, Romana per accessionem non spernendam *Opuscula LXXIII.* habuit, nempe *Viginti duo* quæ in prioribus editionibus desiderabantur, & quæ nos retulimus cap. 8. hujus Dissertationis, dum editionem hanc Romanam, & Operum omnium & Opusculorum descripsimus. Habentur autem hæc viginti & duo Opuscula in hac editione hoc ordine, cum paucis aliis, usque ad viginti tria.

1. *De Demonstratione* num. XXXVIII. opus quod suspectum dicitur.

2. *De fallaciis ad nobiles quosdam Artistas.* num. XXXIX.

3. *De eruditione Principum Libri septem*, tunc primum in lucem editi ex Bibliotheca Vaticana.

4. *Summa totius Logicæ Aristotelis.* Sunt qui tribuant Thomæ Anglico, de quo postea. Hujus autem Summæ,

Tractatus primus de prædicabilibus.
Tractatus secundus de prædicamentis.
Tractatus tertius de prædicamento Quantitatis.
Tractatus quartus de prædicamento Qualitatis.
Tractatus quintus de prædicamento ad aliquid.
Tractatus sextus, de sex reliquis prædicamentis.
Tractatus septimus de interpretatione.
Tractatus octavus de Syllogismo simpliciter.
Tractatus nonus de Syllogismo demonstrativo.

5. *De intellectu & intelligibili.* num. LIII. Dubium.

6. *De quo est & quod est.* num. LIV. Dubium.

7. *De Vniversalibus Tractatus I.* de quo dubitatur. num. LV.

8. *De Vniversalibus Tractatus II.* de quo dubitatur. num. LVI.

9. *Officium de Festo corporis Christi*, ad mandatum Vrbani Papæ, qui Festum prædictum instituit. num. LVII.

10. *De venerabili Sacramento Altaris Sermones XXXII.* qui etiam tribuuntur Alberto Magno. num. LVIII.

11. *De Sacramento Eucharistiæ ad modum decem prædicamentorum.* num. LIX. Dubium.

12. *De humanitate Jesu Christi, Domini nostri.* num. LX. Dubium.

13. *De dilectione Christi & proximi.* num. LXI. Dubium.

14. *De divinis moribus.* num. LXII. Dubium.

15. *De beatitudine.* num. LXIII. Dubium.

16. *De modo confitendi & de puritate conscientiæ.* num. LXIV. Dubium.

17. *De officio Sacerdotis.* num. LXV. Dubium.

18. *Expositio Missæ.* num. LXVI. Dubium.

19. *De emptione & venditione ad tempus seu ad terminum*, ad fratrem Jacobum Viterbiensem, Lectorem Florentinum. num. LXVII. quod alii absque dubio esse D. Thomæ Aquinatis affirmant, alii dubitant.

20. *Epistola brevis exhortatoria ad quendam, de modo acquirendi scientiam sive divinam, sive humanam.* num. LXVIII.

21. *De Virtutibus & Vitiis, numero quaternario procedens.* num. LXXI. Dubium.

22. *De concordantiis Dictorum, in quo concordat seipsum, in passibus apparenter contradictoriis.* num. LXXII. Dubium.

23. *De Usuris in communi & de Usurariorum contractibus.* num. LXXIII. Dubium.

Ista autem Opuscula XXIII. quæ in editionem Opusculorum Romanorum 1568. injecta sunt, transierunt pariter eodem modo in editiones Opusculorum sequentes, iisdem ordine & numero, nimirum in Venetam Hieronymi Schoti anni 1587. in Duacenam anni 1608. Parisiensem anni 1634. atque in alias locis aliis factas, usque ad annum 1655. quo placuit F. Petro Pellicano ex Ordine Fratrum Prædicatorum Doctori Theologo Parisiensi, aggredi aliam editionem *Opusculorum S. Thomæ Aquinatis*, factam Parisiis, cum subductione Philosophorum, novoque ordine Theologicorum, de quo capite sequenti dicendum occurrit.

CAPUT DUODECIMUM.

DE EDITIONE OMNIUM S. THOMÆ AQUINATIS OPUSCULORUM, PARISIENSI ANNI MDCLV.

Tandem anno 1655. Petrus Pellicanus Blesensis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum Conventus Carnotensis, & S. Theologiæ Parisiensis Doctor, ut haberet etiam partem aliquam in editione omnium Operum S. Thomæ Aquinatis, putabat sparsæ suæ nobile aliquod inventum, ut Opuscula Sancti Doctoris, quæ hucusque impressa simul omnia fuerant usque ad LXXIII. in anterioribus editionibus, novo etiam Ordine, in ista novissima Parisiensi editione anni 1655. effunderet in publicum, quam imitata est editio *omnium Operum* Parisiensis anno 1660. evulgata atque in tomos XXIII. distributa. Accessit itaque velut Evangelista quartus ad complendam hanc editionem, qui rescissis Philosophicis Opusculis atque in alium locum amandatis, distinxit *Theologica* in duas partes, quarum prima pars continet Opuscula Theologica XXXIII. secundum ordinem doctrinæ, ut inquit: altera autem pars Opuscula numero XV. ordine sequenti.

Prima pars Opusculorum S. Thomæ, Aquinatis Theologicorum, numero XXXIII.

1. Opusculum contra Græcos seu errores Græcorum, ad Urbanum IV. in duos libellos distinctum.

2. Declaratio fidei contra Græcos, Armenos & Saracenos.

3. Expositio in Symbolum Apostolorum.

4. De Articulis fidei & Ecclesiæ Sacramentis.

5. Expositio in primam Decretalem Innocentii Papæ III. in Concilio Lateranensi.

6. Expositio in secundam Decretalem ejusdem Pontificis.

7. Expositio in Librum primum Boetii de Trinitate.

8. Item in Librum Boetii de Hebdomadibus.

9. Compendium Theologiæ ad Fratrem Reginaldum Socium suum.

10. Expositio devotissima Orationis Dominicæ.

11. Expositio devotissima in Salutationem Angelicam.

12. Opusculum de divinis moribus.

13. De Beatitudine.

14. De duobus præceptis charitatis & decem Legis mandatis.

15. De Humanitate Christi.

16. De dilectione Dei, Christi & Proximi.

17. Officium de Venerabili Eucharistiæ Sacramento, ad mandatum Urbani Papæ IV.

18. Expositio Missæ, S. Thomæ Aquinati adscripta.

19. De officio Sacerdotis, circa sacrificium Missæ, Sacramenta & populi instructionem.

20. De Sacramento Eucharistiæ, ad modum decem prædicamentorum.

21. De Sacramento corporis & sanguinis Domini, Sermones XXXII.

22. De modo confitendi, & de puritate conscientiæ.

23. De forma absolutionis per orationem imperativam, ad Magistrum Ordinis.

24. De Substantiis separatis, seu de Angelorum natura, ad Fratrem Reginaldum.

25. De pluralitate intellectus contra Averroistas, unum tantum intellectum in omnibus hominibus asserentes.

27. De differentia divini verbi & humani.

28. De intellectu & intelligibili.

29. De modo acquirendi scientiam, sive humanam, sive divinam.

30. Responsio ejusdem S. Doctoris ad articulos centum & octo, sumptos ex Summa Fratris Petri de Tarentasia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad Fratrem Joannem Vercellensem, Magistrum Generalem Ordinis.

31. Responsio ad XLII. articulos, à Magistro Generali F. Joanne de Vercellis missos.

32. Responsio ad Fratrem Bassanum Lectorem Venetum, super 36. articulis.

33. Responsio ad Fratrem Gerardum Lectorem Bisuntinum, super 6. articulis.

Secunda pars Opusculorum S. Thomæ Aquinatis Theologicorum, numero XV.

1. Opusculum contra impugnantes Dei cultum & Religionem.

2. De

2. De perfectione Christianæ religionis & vitæ spiritualis.

3. Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines à religione.

4. De Virtutibus & Vitiis numero quaternario comprehensis.

5. De eruditione Principum Libri septem.

6. De regimine Principum Libri quatuor, ad Regem Cypri.

7. De regimine Judæorum & de venditione officiorum publicorum illicita, ad Brabantiæ Ducissam.

8. Responsio ad quatuor quæstiones factas *de emptione & venditione ad tempus*, ad Fratrem Jacobum Viterbiensem, Lectorem Florentinum.

9. De usuris in communi & speciali, & de illarum contractibus.

10. De Sortibus, ad Dominum Jacobum de Burgo.

11. De judiciis astrorum, ad Fratrem Reginaldum.

12. De præscientia & prædestinatione, ad Fratrem Reginaldum.

13. De secreto & revelando etiam extra Confessionem, nisi ob bonum publicum.

14. Commentarius primus *in Cantica Canticorum*, diu ante mortem.

15. Commentarius secundus *in Cantica Canticorum*, dum Fossæ novæ in extremis ageret.

Hæc sunt amice Lector, quæ necessariè præmittenda diximus, ut nihil omnino ignorares, quod esset alicujus momenti in editionibus Operum vel Opusculorum omnium Sancti Thomæ Doctoris Angelici, tàm antiquioribus, quàm recentioribus: ut inde paulatim & successu quæstionum movendarum videas, quandonam accessiones *Operum & Opusculorum* factæ fuerint, antequam ad criticam progrediamur.

CAP. DECIMUM TERTIUM.

REGULÆ SEU CANONES, QUIBUS *VERA ET INDUBIA S. THOMÆ AQUINATIS OPERA VEL OPUSCULA*, COGNOSCI QUEANT.

Certum est novissimis temporibus nostris, insurrexisse nonnullos notæ recentis Scriptores, tam Franciscanos quàm alios, qui ex partium studio multa in Sanctum Thomam Aquinatem parum æquâ, atque in ejus indubia scripta loquuti sunt, quorum ego invidiam defectumque judicii haudquaquam æmulabor. At ex parte adversâ steterunt multi ex Ordine Fratrum Prædicatorum, quos Monachali cucullo obtectos, immensas atque incredibiles laudes cœco impetu ac zelo etiam præpostero, in S. Thomam Aquinatem, sui Ordinis Fratrem, cujus veste excæcantur, effudisse certum est. Vidi eo de argumento Dissertationes varias, quibus nullus honor S. Thomæ Aquinati acquisitus, multaque suppeditata sunt Monasticæ præoccupationi, & injusti præjudicii argumenta, in scandalum virorum doctorum, & illorum qui nullis præjudiciis ducuntur. Ut porrò nos utrumque extremum vitemus, has (opinor) rectò sensui consonas regulas seu Canones statuimus.

Canon primus seu Regula.

Audiendi sunt Veteres & contemporanei potissimum authores, qui *de Scriptis S. Thomæ* locuti sunt, illiusque Opera & Opuscula recensent: quales sunt Ptolomæus Lucensis postea Torcellanus Episcopus, qui Sancti Doctoris Angelici, non tantum coævus, sed etiam discipulus fuit, cum ipso peregrinatus est, ipsius diu familiari colloquio & contubernio usus est, illum sæpius peccata sua confitentem excepit, ejusque proinde Opera optimè novisse debuit. Idem dicendum de aliis antiquis Scriptoribus, quales sunt Nicolaus Treveth Anglus, Guillelmus de Thoco, qui Sancti Doctoris discipulus, vitam Magistri anno 1320. contexuit, miraculaque illius excepit. Idem denique de Bernardo Guidonis, qui circa annum 1324. vitam & Scripta S. Thomæ recensuit. De Clemente VI. Summo Pontifice, qui circa annum 1334. *de Laudibus & Scriptis S. Thomæ*, doctum sermonem contexuit. At Quantum ad Sanctum Antoninum Florentinum Archiepiscopum, qui annis circiter centum post allegatos authores scribebat, ille longe minoris authoritatis est, licet facilè rejiciendus non sit.

Canon secundus seu Regula.

Nec audiendi sunt Scriptores recentes, qui Sancto Thomæ Aquinati scripta ab antiquis collata auferunt ex proprio capite, absque rationibus idoneis aut demonstrativis, uti nostro isto seculo à nonnullis factum est. Hæc Regula manifesta satis est, nec enim valere debent Scriptores recentes, contra præscribentem Veterum authoritatem, adversus novitates, nisi recentes probent idoneis ac demonstrativis rationibus, veteres Scriptores in suo Syllabo vel calculo deceptos fuisse: tunc enim admittendi recentes sunt, cum nihil adversus veritatem valere debent. Nam demonstratio valet etiam contra vetustissimas fabulas. Hanc restrictionem duxi necessariam, quia certum est ab antiquis aliquando, imò sæpissimè peccatum esse circa res etiam suorum temporum, quos nonnulli recentes etiam post septem atque octo secula, invincibiliter confutarunt ac refellerunt.

Canon Tertius seu Regula.

Nec facilè etiam audiendi sunt Scriptores recentes, qui Opera atque Opuscula nova in antiquis Manuscriptis aut editionibus desiderata, S. Thomæ Aquinati adscripserunt, Dominicani potissimum: nisi probant illa esse legitima vel ab antiquis attestata, habeantque nullam

Iam repugnantiam Opuscula ejusmodi, ut S. Thomæ attribuantur. Imò nisi illa conveniant cum speciali doctrina & sensibus singularibus Sancti Doctoris, habeantque & methodum illius, & specialem stylum. Hic Canon consonat doctrinæ S. Doctoris *Opusculo XXXIII.* ad Fratrem Gerardum Lectorem Bisuntinum, ubi ad quæstionem 5. sic respondet. *Ad hoc etiam respondeo, quòd istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, cùm nullius authoritatis robore fulciatur.* Nullus enim jam dubitat, quin proclives sint Fratres Prædicatores, ubi aliquid anonymum inveniunt in Bibliothecis, quod aliquantum vel pietatem vel Scholæ doctrinam habeat: ad illud statim S. Thomæ Aquinati, vel Alberto Magno, vel alteri ex suis Fratribus adscribendum. Idemque de Franciscanis in gratiam Sancti Bonaventuræ vel Scoti sui, quos jam ad moles voluminum stupendas adduxerunt, quarum plurima spuria sunt.

Canon quartus seu Regula.

Nec admittenda etiam pro legitimis S. Thomæ Doctoris Angelici Operibus, Commentaria vel Opuscula ei adscripta, quæ continent doctrinam adversam vel contrariam doctrinæ, quam ille expresse professus est in suis Operibus indubiis, ut in Commentariis suis in 4. Libros Sententiarum, in Summâ Theologiæ, atque aliis. Nullus opinor vir prudens & eruditus est, qui Canonem hunc impugnare audeat. Nisi momento eodem velit admittere, Sanctum Doctorem fuisse virum inconstantem, versipellem, nunc in hanc, nunc in alteram contradictionis partem, ingenio versatili propendentem: quod in Scriptis illius à nullo hactenus observatum est, si Petrum de Alva iniquissimum illius censorem atque infantem Magistrum, excipias.

Canon quintus seu Regula.

Nullum Opus vel Opusculum cujus Latinitas barbara atque rustica sit, spectare debet ad Sanctum Thomam Aquinatem. Legi enim attente quantum mihi licuit Opera atque Opuscula pleraque, imò Sancti Doctoris omnia, de spuriis posteà rectius judicaturus ac pronuntiaturus. Atque inter legendum animadverti Sanctum Doctorem equidem in Operibus suis non affectasse Latinitatem comptam atque elegantem, non neglexisse attamen illam. Ita ut nunquam vel raro videre sit, in prolixissimis etiam ejus Operibus, phrases barbaras atque Grammatico indignas: sed quandam dictionis servasse congruitatem, atque fuisse utcunque Latinum. Unde ubi in Opusculis vel voces barbaræ affectatæ, vel phrases ejusmodi leguntur: certum mihi est *Opera ista* non spectare ad Angelicum illum Doctorem, qui semper in expressione congruus saltem, nunquam barbarus aut puerascens fuit. His positis jam veniamus ad excussionem Operum atque Opusculorum S. Thomæ Aquinatis, ubique affectatione vel partium præjudicio, cum reverentia ipsi debita, quam observasse me opinabor: si nihil quod sancto Doctori debitum sit abstulero, nihil quod illo indignum sit, cæcutiens adscripsero.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

QUÆSTIO I. *AN SUMMA TOTIUS LOGICÆ TRACTATIBUS NOVEM CONSTANS,* QUÆ HABETUR TOMO I. EDITIONIS OMNIUM SANCTI THOMÆ AQUINATIS OPERUM PARISIENSIS ANNI 1660. ET IN EDITIONE ROMANA ANNI 1570. INTER OPUSCULA NUMERO XLVIII, OPUS SANCTI DOCTORIS LEGITIMUM SIT.

De hac quæstione nihil definire possum. Censent Opusculum istud dubium procuratores editionis anni 1570. Romanæ, unde & charactere minori illud inpresserunt, voluntque nonnulli nomenclatores istud *Opusculum*, spectare ad Thomam Jorgium seu Jorsium Anglum, ex Ordine fratrum Prædicatorum, postea S. R. E. Cardinalem, qui ad annum 1380. floruit. Sane nullus veterum quos recensuimus nomenclatorum Operum Sancti Thomæ Aquinatis, meminit horum *tractatuum Logicorum*, seu potius *Summæ hujus totius Logicæ*: quod sufficere videtur, ut huic sancto Doctori non attribuatur. Quamvis ibi meminerint Commentariorum quos Sanctus Thomas in *Libros Perihermenias & duos libros Posteriorum Analyticorum* composuit. Item iidem veteres nomenclatores Operum sancti Thomæ Aquinatis, meminerunt quorundam ejusdem Sancti Opusculorum ad Logicam pertinentium. Ita Ptolomæus Lucensis, Torcellanus Episcopus Lib. 23. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 15. loquitur: *Item tradit quibusdam Nobilibus Artistis Logicalia, quia scripsit moda'es & fallacias, introductoria ad Logicam multum clara.* Clemens etiam Sixtus summus Pontifex in sermone citato MS. *de Laudibus sancti Thomæ*, notat scripsisse *super Logicam*: & S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, dum loquitur de Scriptis hujus Angelici Doctoris, tertia parte *Summæ Historialis* titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. ait scripsisse illum *De propositionibus modalibus.* At illi videntur absque dubio loqui, de duobus Opusculis ad Logicam spectantibus, quorum alterum *de fallaciis* num. XXXIX. *ad quosdam nobiles Artistas*: alterum *de propositionibus modalibus* num. XL. in editione Romana anni 1570. Distinguuntur vero ab *Summa totius Logicæ*, quæ in ista editione Romana anni allegati, constituit Opusculum num. XLVIII. Nihil igitur habemus quo *Summam totius Logica*,

ca, quæ Opusculum XLVIII. in editione Romana anni 1570. constituit, & in Tomum 1. editionis Parisiensis anni 1660. conjecta fuit, sancto Doctori attribuere valeamus.

Quæstio 2. an *Commentaris in tres libros de Anima*, qui habentur tomo 3. *omnium S. Thomæ Operum*, tam in editione Romana anni 1570. quam Parisiensi anni 1660. spectent omnes ad illum?

Respondeo *Commentarium in secundum & tertium de Anima*, spectare certo ad S. Thomam Aquinatem: At *Commentarium in librum primum*, spectare & reportatum fuisse a fratre Reginaldo, Sancti Doctoris socio. Ita veteres Operum S. Thomæ nomenclatores, Nicolaus Trivethus Anglus ex Ordine fratrum Prædicatorum, qui circa annum 1310. scribebat, in Chronico ad annum 1274. ubi loquitur de obitu & scriptis sancti Thomæ Aquinatis: *Exposuit &c. de Anima secundum & tertium.* Clemens sextus summus Pontifex, in isto sermone MS. *de laudibus Sancti Thomæ Aquinatis*, quem circa annum 1330. vel 1340. composuit, ubi loquitur de scriptis Operibus sancti Doctoris Angelici: *Item scripsit super secundum & tertium de Anima.* S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui anno 1440. floruit, tertia parte *Summæ Historialis seu Chronici*, titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. inquit: *Scripsit etiam &c. super secundum & tertium de Anima.* Cum itaque Veteres isti excluso primo, tam positive nominent scripsisse *in secundum & tertium de Anima:* nullus homo vel medioctis sensus est, qui id non intelligat dictum, per exclusionem Commentarii *se extendentis ad librum primum de Anima.* Sed omnium istorum primus Nicolaus Trivethus loco citato rem planius exprimit, dum Opera sancto Thomæ Angelico Doctori falso adscripta recenset: *Alia quadam*, inquit, *inveniuntur sibi attributa, quæ tamen ipse non scripsit, sed post eum legentem vel prædicantem, ab aliis sunt collecta; ut puta lectum super Epistolam ad Corinthios, ab undecimo capitulo usque ad finem. Et Expositio super primum de Anima, quas frater Reginaldus, ejus socius recollegit.* Hæc plana sunt, nullumque dubium nisi capitibus protervioribus & male sanis relinquunt.

Quæstio 3. An *Scriptum secundum in quatuor Libros Sententiarum*, quod habetur in editione Romana anni 1570. tomo 17. post Opuscula, & tomo 11. editionis anni 1660. Parisiensis, spectet ad S. Thomam Aquinatem?

De contentione ista sic Labbeus cum judicio. „Sequitur velut Appendicis loco *Scriptum secundum S. Thomæ in quatuor libros Sententiarum ad Annibaldum Annibaldensem Romanum*, „Ordinis Prædicatorum, & S. R. E. Episcopum „Cardinalem. Sunt tamen qui reclament, nec „immerito, quidquid dicat cum nonnullis aliis, „Joannes Paulus Nazarius, qui rationibus dubitandi prolatis, non idoneam solutionem attulit. Pluris enim esse cordatis solet authoritas Raynaldi, S. Antonini & Dionysii Carthusiani, quam sexcentorum recentiorum: præsertim cum nulla sit ratio, cur S. Thomas Operum suorum exscriptor dici debeat. Ptolomæus Lucensis Episcopus Torcellanus in *Chronicis* suis, narrat alium quoque se vidisse *Commentarium in primum Sententiarum*, ab eodem S. Thoma Romæ scriptum. «

Fateor equidem sanctum Thomam, cum rediisset in Italiam tempore Urbani Papæ, tentasse scribere & scripsisse *secundum Commentarium*: sed illud fuit tantum *in librum primum sententiarum*, & aliud *ab isto Commentario in quatuor libros* qui certo spectat *ad Annibaldum Cardinalem*, ejusdem Ordinis fratrum Prædicatorum, S. Thomæ comitem & synchronum. Sola ratio quam assert Labbeus, nempe *cum Sanctus Thomas Operum suorum exscriptor dici non debeat*, & nunquam fuerit: sufficit ad convincendos omnes viros judicio præditos, quod hic Commentarius ad illum sanctum Doctorem spectare nullatenus possit. Quia tamen tota Dominicanorum phalanx, maxime proclivis est, ut obvium quodque atque anonymum affundat adscribatque indiscriminatim S. Thomæ Aquinati: ut quo magis intumescit alienis tractatibus S. Thomas, majorem pariter assequatur nominis & doctrinæ famam, apud simplices doctos, qui ingenium & eruditionem authorum metiuntur, ex multitudine Operum, moleque voluminum. Inde majori authoritate percellendi sunt & quidem domestica authoris ex Ordine suo, familiaris S. Thomæ, qui rem hanc absque ulla replica definit. Hic est ille Ptolomæus Lucensis, Torcellanus Episcopus, qui S. Thomæ discipulus fuit, qui eum sæpius peccata sua confitentem audivit, qui cum ipso olim peregrinatus est, qui ejus familiari colloquio, & contubernio ejusdem diu usus est. Sic autem ille de authore hujus *secundi Commentarii in quatuor libros Sententiarum*, quem proterve Dominicani S. Thomæ Aquinati adscribunt, atque in omnibus Operum ipsius, privatimque etiam in editionibus aliis evulgarunt. „ Lib. 22. *Historiæ suæ Ecclesiasticæ*, capite seu Rubrica 23. *De Urbano IV. & CLXXXIX. Pontifice, qualiter assumptus de Patriarchatu Hierosolymitano. Hic duos Cardinales fecit, unum videlicet nepotem suum, & fratrem Annibaldum.* Anno Domini MCCLX. & ab Urbe condita MMXIII. Urbanus IV. in cathedra Petri sedet, assumptus in Decollatione sancti Joannis Baptistæ. Sedit autem annos tres, mensem unum, & vacavit mensibus quinque. Hic natione Gallicus, de civitate Trecensi, Patriarcha Hierosolymitanus erat, quando assumptus est. Unde & de ultra mare venit, quando creatus est. Hic fecit duas ordinationes, in quibus fuerunt creati duo Cardinales, quorum unus fuit nepos suus Dominus Ancherius: alter fuit nepos Domini Richardi de Annibaldensibus, qui vocatus est frater Annibaldus de Ordine fratrum Prædicato-

„rum, qui fuit Magister in Theologia, & fuit „vir magnæ humilitatis & veritatis, & sanctus „homo, quem frater Thomas multum dilexit. „*Fecitque scripta super Sententias, quæ intitulantur „Domino Ambaldo, qua nihil aliud sunt, quam Ab„breviatio Dictorum fratris Thomæ.* Quid clarius de authore hujus secundi Commentarii in 4. Libros Sententiarum? Si apud Labbeum, *Authoritas S. Antonini plus valet, quam 600. recentiorum*: authoritas ista oculati testis ac sancti Thomæ discipuli, plus valet quam omnium Dominicanorum recentium, contra scribentium & clamantium. Quod autem idem scriptor distinguat ab hoc *Commentario in quatuor Libros Sententiarum*, qui certo ad Cardinalem Annibaldum spectat, *Scriptum secundum Sancti Thomæ in primum Sententiarum*, patet: quia de hoc altero Opere loquitur Lib. 23. ejusdem suæ *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 15. his verbis. *Scripsit etiam eo tempore quo fuit Romæ, de quo dictum est supra, jam Magister existens, primum super Sententias, quem ego vidi Lucæ, sed inde subtractum nusquam ulterius vidi.* Confirmantur hæc omnia authoritate S. Antonini Florentini Archiepiscopi, qui in *Chronico seu Summa Historiali*, parte 3. titulo 18. paragrapho 2. ita de hoc Commentario loquitur. *Idem Sanctus Doctor fecit super quatuor Libros Sententiarum quatuor scripta, cumque post tres annos sui Magisterii rediisset in Italiam, tempore Vrbani Papæ existens Romæ, scripsit iterum super primum Sententiarum, sicut testatur in Chronico suo D. frater Ptolomæus Episcopus Torcellanus, qui ex discipulis ejus fuit & auditor, asserens se vidisse illud in Conventu Lucano, quod nunc non invenitur.*

Hinc duo inferimus. *Primum.* Quisquis omnium primus hoc *Opus secundum in quatuor Libros Sententiarum* sub nomine S. Thomæ Aquinatis evulgavit, id fecisse indiscreto zelo, cum vel anonymum inventum, tam audaci manu sub sancti Doctoris nomine inscribere nullatenus debuerit. Hoc habet sæpissime zelus regularium fratrum, ut mentiri & imponere vel licitum vel meritorium etiam sibi opinentur; dummodo illud conducat vel ad Ordinis sui gloriam, vel ad majorem nominis famam alicui ex suis fratribus procurandam. Hoc tam frequenter in fratribus Mendicantibus expertus sum, ut his etiam modo verum dicentibus, vix fidem adhibeam. Habet, habuitque semper ex quo impressus est hic Commentarius, hunc titulum: *Sancti Thomæ Aquinatis Scriptum secundum ad Annibaldum S. R. Ecclesiæ Cardinalem*: cum ex Ptolomæo Lucensi inscribendus sit, *Annibaldi Commentarius in quatuor Libros Sententiarum, ad Annibaldum S. R. E. Cardinalem.* Scripsit enim illum Anibaldus ex Ordine fratrum Prædicatorum, dum Romæ Theologiam legeret, atque *ad Annibaldum* (ut creditur) inscripsit, nempe *Richardum Annibaldum seu Annibaldensem*, patruum suum S. R. E. Cardinalem: cujus etiam meritis anonymus nepos, uti & propriis, ad purpuram Cardinalitiam ab Vrbano IV. promotus est. *Secundum.* Desudavit plurimum Joannes Nicolai in ultima editione Parisiensi anni 1660. omnium sancti Thomæ Operum in Notis marginalibus, ut hoc Opus conforme esse aliis Sancti Doctoris Operibus ostenderet, atque inde concluderent omnes, spectare illud indubie ad Sanctum Thomam. Sed dum Spartam hancornavit in gratiam S. Thomæ, operam atque olium perdidit: cum jam constet esse Opus *Annibaldi Romani Lectoris ex Ordine fratrum Prædicatorum*, qui sanctum Thomam in scriptis suis compilavit. Addo Notas istas quas sibi arrogat Joannes Nicolai in editione Parisiensi anni 1660. inveniri quoque in vetustis hujus Commentarii editionibus in 8. antequam F. Joannes Nicolai in rerum natura esset.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

ALIA SANCTO THOMÆ AQUINATI ATTRIBUTA OPUSCULA EXAMINANTUR.

Quæstio 1. An *Commentarius in Genesim*, qui habetur tomo 18. editionis omnium S. Thomæ Operum Antwerpiæ anni 1612. & tomo 15. editionis Parisiensis anni 1660. spectet ad sanctum Thomam Aquinatem?

Primus hunc Commentarium *sub nomine S. Thomæ Aquinatis* edidit F. Antonius Senensis, sacræ Theologiæ Lector Lovaniensis, anno 1571. ad cujus finem addit hoc testimonium. *Hunc Commentarium in Genesim, extantem in suo Originali in Bibliotheca Minoritarum Middelburgensium sub titulo S. Thomæ, transscribi curavi & perlegi ego Frater Antonius Senensis, sacræ Theologiæ Doctor Lovaniensis, & prælo dignum judico, pro utilitate Christiana Reipublica. Datum Lovanii apud Prædicatores, die 31. Augusti 1571. frater Antonius Senensis.* Ita testatus est qui evulgavit F. Antonius Senensis, penes quem tota fides hujus rei est: an autem ipse solus sit ad hoc testimonium idoneus, critici non credunt. Et sane Molanus qui huic Operi edendo censuram suam apposuit, modestior Antonio Senensi, ac forsan verior, nunquam vel spectare ad S. Thomam Aquinatem vel sub nomine sancti Thomæ Aquinatis scriptum esse hunc Commentarium testatus est: Sed ita simpliciter scribit: *Hic Commentarius in Genesim non est ineruditus, poteslque imprimi absque dispendio fidei & bonorum morum. Factum anno 1571. pridie Nonas Augusti. Joannes Molanus Lovaniensis.* Nullum mihi dubium, quod si Commentarius ille sub nomine sancti Thomæ Aquinatis scriptus fuisset, quin illud nomen expressisset Joannes Molanus Doctor Lovaniensis, ad sancti Thomæ commendationem, ac hujus Commentarii celebritatem. Vnde neque tam frigidam approbationem censor concessisset, quem satis habuit appellare *Commentarium non ineru-*

ineruditum. Nisi fallor, quod in MS. Codice defuit & in Molani censura, hoc supplevit F. Antonius Senensis, ut S. Thomæ Aquinati indulgeret. Præterea valde se peregrinum & novitium in evolvendis MSS. Codicibus prodit Antonius Senensis, dum hoc manuscriptum Middelburgi, *Originale* appellat: quod probare debuit per authenticum alicujus Notarii publici testimonium. Nam ex duobus Codicum Manuscriptorum millibus, vix unum Originale invenies: & nullus in his tantisper versatus est, qui MSS. omnes Codices *Originalia* appellare audeat, pudore ac judicio salvis. Itaque nullam fidem apud Criticos meretur Antonius ille Senensis in suo testimonio isto, qui jam sciunt quomodo facile Mendicantes in suorum gratiam, orbi litterario imponant. Atque ut ingenue loquamur, unanime silentium omnium Veterum *de hoc Commentario*, vel qui Vitam S. Thomæ Aquinatis scripserunt, vel Catalogum Operum atque Opusculorum illius texuerunt: idoneum mihi argumentum est, non spectare ullatenus ad sanctum Doctorem Angelicum, sed ad Thomam Anglicum cognomento Jorsium, vel Jorgium, qui circa annum 1400. floruit: quemque *Commentarium scripsisse in Genesim* testantur nomenclatores Scriptorum Ecclesiasticorum, ut Possevinus in *Apparatu sacro*, Sixtus Senensis & ipse Dominicanus, & Antonio Senensi antiquior, *Libro 4. Bibliothecæ sanctæ*, cum aliis pluribus.

Ita quoque neque Ptolomæus Lucensis, neque Nicolaus Trivethus, neque Clemens sextus, summus Pontifex, qui ut designavimus supra, de Scriptis omnibus S. Thomæ Aquinatis sibi cognitis, scripserunt: neque vel Guillelmus de Thoco vel Bernardus Guidonis, veteres ambo authores, qui Vitam & Scripta ejus litteris consignarunt: ullam *Commentarii hujus in Genesim* mentionem faciunt. Primus omnium S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, ad amplinandam S. Thomæ Aquinatis famam atque Scripta propensissimus, uti Ordinis olim fratrum Dominicanorum alumnus, *Summæ suæ Historialis* seu *Chronici* parte 3. titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. illius meminit. Sed ut hunc Commentarium ab illo auferat, quod ex his illius verbis elucet: *Et ex his patet, quod postilla super Genesim & super Ecclesiastem, quas vidi sibi intitulatas, & Compendium quoddam Theologiæ, quod incipit Theologicæ facultatis, quod etiam Beato Thomæ aliqui intitulant, non sunt ejus: cum non connumerentur inter supra dictos.* Haud dubium, quin dignior fide sit, S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, qui anno circiter 1440. scribebat, ante Antonium Senensem centum & viginti annis: quam novitius iste contra silentium omnium veterum, & textum expressum Vetustiorum negantium. Dignior denique fide Sixtus Senensis, Antonio Senensi, antiquior, qui illum attribuit Thomæ Jorgio Anglico in sua *Bibliotheca Sancta* Lib. 4. fol. 304. & 305. Recte in hoc casu respondebimus Antonio Senensi, quod Sanctus Thomas in *Opusculo seu Responsione ad sex articulos*, ad fratrem Gerardum, Lectorem Bisuntinum, ait *Responsione ad* art. 5. *Quod istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, cum nullius authoritatis robore fulciatur.* Vnum moneo Lectorem, insignes procuratores omnium S. Thomæ Aquinatis Operum edendorum, inscripsisse Commentarium hunc *Expositionem auream S. Thomæ in Genesim*, quod pariter factus est in omnibus titulis Commentariorum aliorum sub nomine S. Thomæ Aquinatis. Vnde sequitur in eodem tomo, *Expositio aurea S. Thomæ in Job*, item *Expositio aurea S. Thomæ in Isaiam, Danielem* &c. Hi igitur pro more fratrum Mendicantium, omne quod suorum fratrum est, *aureum* appellantium: appellarunt *aureas* omnes illas Postillas & Expositiones, quas sub Sancti Thomæ Aquinatis nomine, etsi falso, ediderunt. Quam hi tituli nugaces sint, quam pueriles, quam abjectum simul ingenium atque elatum supercilium oleant, nullus jam non animadvertit. Miror sane, quomodo doctissimi ac solidissimi Benedictini, in editione *Commentariorum* Divi Augustini in Joannis Evangelium, Parisiensi novissima, non apposuerint titulum *Expositionis aureæ Divi Augustini in Evangelium Joannis*? Miror quomodo, iidem vel alii evulgentes novissime, Commentarium Sancti Ambrosii in Psalmum 118. illum non inscripserint *Expositionem auream sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi in Psalmum 118*? Nec miror, quia quo illi solidiores, eo simpliciores sunt, sapiuntque minus & novitatem & puerilem elationem. Sat nobilis magnaque S. Thomæ Aquinatis doctrina, nempe titulis ampullatis *Expositionis aureæ* vel *Catenæ aureæ* vel *Summæ aureæ* indiget, ut apud eruditos commendetur. Qui hos inscribunt titulos, infantes se produnt, atque antiquæ simplicitatis omnino ignaros.

Miror plurimum autem oscitantiam fratrum Dominicanorum, qui editioni Operum omnium S. Thomæ Aquinatis præfuerunt, quod in editionibus suis omiserint *Commentaria in 5. libros Mosis seu in Pentateuchum.* Sub hujus Doctoris nomine edita in folio Compluti anno 1595. apud Viduam Joannis Graciani, ex fide MS. Codicis bibliothecæ sancti Pauli Vallisoletani. Editionem hanc procuravit F. Franciscus de Mendoza Ordinis FF. Prædicatorum, in Academia Complutensi sacræ Theologiæ professor, qui Sancto Dominico Ordinis FF. Prædicatorum Patriarchæ opus dedicavit, ea inscriptione atque pompatica ostentatione, quæ Monachum ejusdem Ordinis decet. In hoc Opere, nihil omnino est, quod conveniat cum aliis Commentariis quæ huic Doctori edita inscribuntur. Ita enim jejunum est, ut ex nuda lectione, mentiatur auctorem, cujus nomen præfert. Vnde prudenter abstinuerunt editores omnium Operum divi Thomæ Aquinatis, & opus istud stramineum cæteris accenserent.

Duplex prologus operi non magno præmissus, scriptorem recentioris ævi, judicio destitutum, indicat. Illud dubio procul pertinet ad alium Thomam *Anglicum* dictum, seu *Jorzium* Ordinis FF. Prædicatorum multorum Commentariorum scriptorem, de quo ad annum 1300. dicemus, cui etiam Commentarius in *Pentateuchum* citatus in MSS. Codd. tribuitur. Videntes igitur fratres Prædicatores huic Commentario nomen *Thomæ Anglici* in MS. Codice appictum, pro *Anglico* legentes *Angelicum*, hoc Opus *Thomæ Aquinati* ut parenti, imprudenter adscripserunt. Vide quæ diximus ad annum 1300. in *Thoma Anglico seu Jorzio*.

Quæstio 2. an *Commentarii in Librum Job, in Psalmos Davidis quinquaginta, in Isaiam, Jeremiam & Threnos*, in iisdem editionibus positi, ad Sanctum Thomam Aquinatem spectent?

Hæc omnia pertinent ad tom. 15. editionis Parisiensis anni 1660. omnium S. Thomæ Operum, quem tamen habeo jam impressum ibidem anno 1640. & venditum. Suntque *Expositio aurea S. Thomæ Aquinatis in Librum Job. Expositio aurea S. Thomæ Aquinatis, in primam Davidis quinquagenam. Expositio aurea S. Thomæ Aquinatis, in Cantica Canticorum*, quam ad caput sequens reservamus excutiendam. *Expositio aurea S. Thomæ Aquinatis in Isaiam. Expositio aurea S. Thomæ Aquinatis, in Jeremiam Prophetam & Threnos.* Multi sunt, qui omnia fere ista negant esse S. Thomæ Aquinatis, ego nec quidpiam ei attribuam, quod ipsius non sit: nec etiam ab eo quicquam auferam, quod ei jure quæsitum esse cognovero. Itaque ad antiquos authores recurram, a quibus non discedam, nisi eos peccasse vel probabiliter vel evidenter rescivero: falluntur etenim aliquando Scriptores etiam contemporanei, vel præjudiciis occupantur.

Commentarius in Librum Job, spectat absque dubio, ad S. Thomam Aquinatem. Quod nullus opinor inficiabitur, dum attendet Ptolomæum Lucensem Sancti Doctoris in itineribus comitem ac discipulum, facere mentionem illius Libro 22. cap. 24. *Historiæ suæ MS. Ecclesiasticæ*. Itemque Guillelmum de Thoco in *Vita S. Thomæ* cap. 4. num. 18. apud Bollandistas. *Scripsit super Job ad litteram, quem nullus Doctor tentavit ad literam exponere, propter profunditatem sensus litteræ, ad quem nullus potuit pervenire. In quo Opere quasi inter eum & amicos suos arbiter fuisset de communi concordia positus, sic respondit ex utraque parte ad singula, velut si quilibet quod proponebat arguere, potuisset ei oretenus revelare.* Idem testatur Nicolaus Trivethus in *Chronico* suo ad annum 1274. quo S. Thomas mortuus est: *Litteralis etiam Expositionis in Job edidit Librum unum.* Clemens Papa sextus in sermone MS. *De Laudibus S. Thomæ*, qui extat in Bibliotheca clarissimi viri Mauricii Tellerii, Rhemensis Archiepiscopi: *Item super Job.* S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, 3. parte *Chronici* seu *Summæ Historialis* titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. *Scripsit super Job ad litteram, quod nullus Doctor prius attentaverat: nam Gregorius Magnus expositionem fecerat moralem potius, quam Litteralem pulcherrimam. Nicolaus de Lyra post eum exposuit, ab ipso multa furatus, & aliter contra eum impingens, sed sine ratione.* Nullus ergo qui his contradicere audeat.

Commentarius in primam Psalmorum quinquagenam, spectat indubie ad S. Thomam Aquinatem. Hujus meminit Guillelmus de Thoco in *Vita S. Thomæ* cap. 4. num. 18. *Scripsit super magnam partem Psalterii.* S. Antoninus loco citato *Circa finem vitæ scripsit super tres nocturnos Psalterii.*

Commentarii in Isaiam, in Jeremiam & Threnos, spectant certo ad S. Thomam. Attestatur *Commentarium in Isaiam* eximius Sancti Doctoris Thomæ discipulus & auditor, Ptolomæus Lucensis *Historia MS. Ecclesiastica* Lib. 23. cap. 15. his verbis: *Scripsit super Isaiam, sed raro invenitur.* Item Guillelmus de Thoco in *Vita S. Thomæ* cap. 4. num. 18. *Scripsit super Isaiam, in cujus quodam textu difficili, post orationes frequentes & lacbrymas, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui ipsum instruerent, habuisse dicitur visionem.* Idemque Nicolaus Trivethus Anglus in Chronico ad annum 1274. Et Sanctus Antoninus 3. parte *Summæ Historialis* titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. quos allegare superfluum mihi est.

Quantum autem ad *Commentarium seu Postillam in Jeremiam & Threnos:* Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XXI. Dissertatione 6. articulo 1. fol. 787. sic loquitur: « Postillæ etiam *in Jeremiam &* « *Threnos & in Apocalypsim*, indignæ sunt *Sancti* « *Thomæ* ingenio, nec inter ejus Opera ab anti- « quioribus recensentur. Ego non ita censeo » indignas ingenio S. Thomæ, quamvis paulo demissioris animi sint & styli, quam aliæ. Quod autem *nec inter Opera S. Thomæ ab antiquioribus recenseantur*, ut vult Natalis Alexander, hoc verum non est. Nam Nicolaus Trivethus in *Chronico* suo ad annum 1274. dum de morte & Scriptis Angelici Doctoris ita perspicue loquitur: *Item super Isaiam, Jeremiam & Threnos, Postillas.* Item Bernardus Guidonis Libro 1. *De Vita & Miraculis S. Thomæ Aquinatis* num. 54. qui MSS. extant in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis littera F. 1. fol. 227. & sequentibus, *De numero & nominibus Librorum & Tractatuum S. Thomæ*, ita loquitur: *Scripsit etiam super Jeremiam & super Threnos, & super Cantica Canticorum.* Atque Clemens Sextus Summus Pontifex, in Sermone MS. *De Laudibus S. Thomæ Aquinatis*, dum de Scriptis illius loquitur: *Item super Jeremiam. Item super Threnos.* Denique sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, loco tam sæpe citato, ut iterare tædium sit: *Scripsit etiam super Jeremiam & Threnos, & super Cantica Canticorum, multum tamen breviter, & ad*

Litte-

Litteram. Igitur veteres Operum sancti Thomæ nomenclatores meminerunt ipsius *Commentarii in Jeremiam & in Threnos*, itemque in *Cantica Canticorum*, de quo statim agendum est.

CAP. DECIM. SEXTUM.

AN COMMENTARII DUO IN CANTICA CANTICORUM, QUI INVENIUNTUR IN EDITIONIBUS OPERUM S. THOMÆ AQUINATIS, AD ILLUM VERE PERTINEANT?

QUi scripserunt *Vitam S. Thomæ Aquinatis*, multi inquiunt ipsum in ægritudine positum, ac in lecto decumbentem: in Fossæ Novæ Monasterio Cisterciensis Ordinis, fuisse ab hujus loci Monachis interpellatum, ut ad divi Bernardi exemplum, *Cantica Canticorum* illis interpretaretur. Sed nullus est, qui dicat illum hoc fecisse, atque scripto mandata tunc fuisse, quæ ab ægro & infirmo, accepta fuerant. Unde veteres nomenclatores Operum S. Thomæ, quales sunt Ptolomæus Lucensis ejus discipulus, Guillelmus de Thoco & Nicolaus Trivethus, de hoc *Commentario in Cantica Canticorum* silent, dum loquuntur de Scriptis S. Thomæ. Primus qui de illo loquitur, Clemens sextus Summus Pontifex in Sermone MS. *De laudibus S. Thomæ Aquinatis*, quem circa annum 1330. vel 1340. habuit, ubi de Scriptis S. Doctoris: *Item super Cantica.* Tum longe post illum, circa annum 1440. Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiscopus loco citato, *Scripsit etiam super Jeremiam & Threnos, & super Cantica Canticorum, multum tamen breviter & ad litteram.* At paullo ante Clementem sextum Bernardus Guidonis Lib. 1. *De Vita & Miraculis S. Thomæ Aquinatis*, num. 54. seu cap. penultimo *De numero & nominibus Librorum & tractatuum S. Thomæ Aquinatis*, ubi ait: *Scripsit etiam super Jeremiam & Threnos, & super Cantica Canticorum.* Guidonis Opus MS. tantum in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, littera F. 1. fol. 227. & sequentibus. Affecti porro devotione erga S. Thomam Aquinatem Scholastici, seculo XVI. tantum timuerunt, ne *Commentarius ille in Cantica Canticorum*, quem legebant ab eo utcunque ægro, at aliis ab moribundo factum, periret: ita ut jam nunc cœlis faventibus tam pio ejusmodi hominum zelo, *Commentarii duo* sub Sancti Doctoris nomine inveniantur, inter ejus Opuscula Parisiis, anno 1656. a Petro Pellicano Doctore Parisiensi ex Ordine fratrum Prædicatorum, procurata. Neque illi tantum mutili ac truncati, quomodo vel moribundum suum authorem, vel ægrum in Operis procinctu defecisse docuissent: sed sani atque integri, ac nullam præ se ferentes vel ægritudinem vel interruptionem Scriptorum. Horum primus fol. 896. ita inscribitur, *Divi Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, Ordinis Prædicatorum, in Librum Salomonis, qui Cantica Canticorum inscribitur, Expositio profundissima.* Secundus fol. 937. *Expositio devotissima super Cantica Canticorum, edita ab Angelico Doctore S. Thoma de Aquino, precibus Monachorum, dum in extrema infirmitate constitutus esset.* Quærimus, an unus vel ambo ex his in Cantica Canticorum, spectent ad S. Thomam Aquinatem, Commentariis?

Quantum ad *Commentarium primum* f. l. 896. censet Petrus Pellicanus, ipsum non spectare ad Sanctum Doctorem, *in Monito* præmisso circa sequentes in Cantica Commentarios, quod quia in manibus omnium non est, hic integrum referre juvat.

Monitum Petri Pellicani circa sequentes in Cantica Commentarios.

« En duos vobis profero in Cantica Canticorum Commentarios, sub nomine Doctoris Angelici S. Thomæ editos: hunc præsentem præ manibus, satis tritum: alterum sequentem, paucis notum, qui magna diligentia & multis expensis D. Amadei Scoti primum in lucem prodiit Lugduni apud Hæredes Jacobi Juntæ anno Domini 1562. quem ex antiquissimo quodam Conventus Fabriensis Ordinis Prædicatorum libro mutuatum accepit Utrique autem Præfatio vult suum in Monasterio Fossæ Novæ a Sancto Thoma confectum. Hoc utrinque dissidium dirimere poterit authoris declaratio, qua satis manifeste docet in cap. 1. Lect. 1. hunc scripsisse, non moribundum, sed ut speramus vita comite alia scripturum, post hujus Commentarii perfectionem. Ibi enim explicans vers. 2. *Oleum effusum* &c. loquitur de duplici beatitudine essentiali & completa his verbis: *Beatitudo vero spiritualis completive & consummative consistit in voluntate* (nota sequentia) *ut suo loco poterit declarari.* At cum nec in sequentibus hujus Commentarii, nec in altero super Cantica Commentario, sanctus Doctor hac de materia aliquid dixerit, & certo certius sciverit a Deo, illo in Monasterio se ad Deum migraturum (ingrediendo enim illud, hujus rei præscius, dixerit illud Psalmi 131. versu 14. *hæc requies mea in seculum seculi* &c.) liquido constat præsentem hunc Tractatum, non illo tempore fuisse dictatum. Cum etiam plerique dicant sanctum Doctorem non perfecisse suum Commentarium in Cantica, dum lecto decumberet, morte præventum. Cum autem præsens Commentarius magis stylum & doctrinam S. Thomæ redoleat, & ordo, dispositio, partitio, & nexus omnium illorum, quæ in Canticis continentur, evidentissime demonstrent, esse germanum fœtum tanti Doctoris, non imus inficias, ipsum ante mortem suam edidisse. Nec propterea præcedentem præfationem subtrahere voluimus, ne cuiquam fieret injuria, ut omnibus liberum relinqueremus conjectandi judicium, sicut & eligendi facultatem. Quod spectat ad sequentem

„tem Commentarium, dignissimi Domini Ama-„dei Scoti præfatio, quæ necessaria erunt, sup-„peditabit. In utroque multa egregia, nota-„tuque dignissima reperietis, quoad mores & „scientiam. Verum nec in isto notatur S. Do-„ctorem in capite 6. finiisse suam explanatio-„nem. Damus quod habemus, eligite, secer-„nite, discutite, & probate gratanter datum.

Hoc Petri Pellicani monito præmisso, Dico *primo* sanctum Thomam Aquinatem dictasse vel scripsisse *Commentarium in Cantica Canticorum.* Quis enim est, qui hoc negare audeat contra authoritatem antiquorum trium Scriptorum, Bernardi Guidonis anno 1330. Clementis sexti anno 1340. & S. Antonini anno 1440. scribentium? quorum verba propria supra attulimus. *Secundo* certum est S. Thomam non scripsisse hunc Commentarium vel dictasse, dum lecto decumberet, gravique ægritudine apud Fossæ novæ Monasterium detineretur. Qui namque in hoc statu est, nec dictandi nec scribendi *Commentarios in Cantica Canticorum*, idoneus est: fuissetque Monachalis imprudentiæ atque zeli indiscreti, hoc exegisse ab ægro aut febricitante, ad periculum usque vitæ. *Tertio* ex his tribus, qui sanctum Doctorem scripsisse *in Cantica* testantur, nullus qui dicat hoc factum in ægritudine, vel Commentarium ex morbo remansisse imperfectum: quod tamen & Bernardus Guidonis, & sanctus Antoninus accurate annotarunt, in aliis omnibus Operibus, quæ S. Doctor imperfecta reliquit. Vnde Commentarius in Cantica integer esse debet, factusque ab sancto Doctore dum sanus esset, atque ante fatalem hunc morbum, ex quo obiit diem. Hinc male Petrus Pellicanus citatus, ex hoc quod hic Commentarius in Cantica Canticorum non sit mutilus, non spectare ad S. Thomam Aquinatem collegit, quem ægrum ac graviter laborantem, in Monasterio Fossæ novæ, manum apposuisse huic Operi supponit. *Quarto* denique cum ut recte censet idem Pellicanus, *Commentarius hic magis stylum & doctrinam S. Thomæ redoleat, & ordo, dispositio, partitio, & nexus omnium illorum quæ in Commentario continentur, confirment esse germanum fœtum tanti Doctoris:* post Veterum S. Thomæ asserentium quos adduxi authoritatem, non video numquis rationabiliter dubitare de eo amplius possit. Hunc ergo Commentarium legi, qui incipit, *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Cant. 2. vers. 14.* quem inveni accedere ad doctrinam & pietatem, ad unctionem, aliasque dotes S Thomæ Aquinatis: nec abhorrere a stylo seculi XIII. extremi vel circiter, quo Angelicus Doctor floruit.

Restat jam agendum de Commentario altero, quem habes in editione citata, omnium S. Thomæ Aquinatis Opusculorum Parisiensi anni 1656. fol. 939. sub hoc titulo: *Incipit Expositio Beati Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum, in Cantica Canticorum, sicut reperitur in quodam libro antiquissimo in Conventu Fabrianensi, Ordinis Prædicatoru.* Prologus. *Salomon divino inspiratus Spiritu* &c. Hunc primum edidit Dominus Amadeus Scotus anno 1562. Lugduni apud Juntas ex MS. Codice citato, unde postea transiit anno 1570. in editionem Romanam *omnium S. Thomæ Operum*, quam procuravit illic Summus Pontifex Pius V. atque in alias passim editiones, cum præfatione evulgantis Amadei Scuti. In illa commendat egregie hoc Opus verbis sequentibus. "Nunc autem quod ad rem" attinet, nuperrime præclara quorundam viro-" rum opera, cum hocce quod præ manibus ha-" betis *Scriptum in Cantica Canticorum* ad manus" meas advenisset, quod quidem multis argu-" mentis comprobatur esse Doctoris ipsius san-" ctissimi: atque inter cætera, antiqui exempla-" ris prænutatione. Ne non in omnibus meo" indulgerem affectui, volui ut id quoque cum" cæteris publicum adiret, & vobis omnibus qui" Thomisticæ lectionis diligentissimi estis, nostra" opera commune redderetur: sperans me ni-" hil non jucundum, nihil non utile præstiturum." Verum quoniam paulo ante, aliud etiam ejus-" dem *in ea ipsa Cantica*, editum est: non inter" pestivum putavimus, obiter hoc in loco moro-" sioribus quibusdam, qui nodum etiam in Scir-" po quærunt, satisfacere, Objiciunt siquidem" nonnulli, non videri sibi id sancti Thomæ Opus," quod stylo & eruditione, ab aliis ejusdem omni" no distet. At contra mihi vel ob id si nulla alia" adsit confirmandi ratio, Divi Thomæ hanc esse" Expositionem, non videri non potest: & qui-" dem omni alia (si pro æquitate loquamur) mul-" to legitimam magis. Cum satis illud nobis ex" Vita ipsius sancti Doctoris constet, tunc ab eo" Cantica exposita fuisse, quum constitutus in" ultima ægritudine, a Cistercienfibus Monachis" in quorum Cœnobio infirmabatur, magnoperе" rogaretur, ut ea sibi exponere vellet, quod &" humanissimus Doctor sine ulla controversia" fecit, At vero satis verisimile est, quod bre-" vem illam omni prætermissa verborum analo-" gia inter ægrotandum fecerit, sed ut devotam" pariter & absolutam: veluti & tempus illud," & preces Monachorum, & sua consummata" doctrina, exposcebant. Illud autem nec ne-" gare possumus, neque inficias imus, *Expositio*" *nem hanc*, ab illa reliquisque Operibus quæ Bea-" tus Doctor paulo accuratius conscripsit, non-" nihil & apparatu & stylo distare. Sed & illud" etiam constanter asseveramus, si quis diligen-" ter hanc inspiciat, & brevitatem styli, & cum" ipsa styli brevitate Sententiarum gravitatem," & devotionem castissimam quam illa præ se" fert, fideliter attenderit: nonnisi consumma-" tissimi viri atque itidem doctissimi, hanc esse no-" biscum affirmabit. Ita prorsus ut eam Docto-" ris nostri sanctissimi esse, credere obstet nihil:" quemadmodum ut prædiximus, & in antiquo" illo exemplari prænotatum adhuc videre licet." Est autem ut id quoque adjiciam, volumen"

„ipsum

„ipsum non solum correctissimum, sed etiam „vetustate ipsa conspicuum: ut putem sub ore „ipsius Doctoris exponentis, tunc exaratum ab „aliquo audientium fuisse. Quare nihil est, „quod vos humanissimi Lectores, ab hujus san„ctissimæ Lectionis integritate remoretur.„ Ita Amadeus Scotus, in præfatione ad primam hujus Operis editionem.

Hæ quidem præclaræ laudes hujus secundi Commentarii, probant scriptorem ejus fuisse doctum & gravem, sed non ideo probant, pertinere illum ad sanctum Thomam Aquinatem: cum alii fuerint præter ipsum docti & graves viri, qui etiam in *Cantica Canticorum* commentati sunt. De isto *Commentario* dicam *primo*, vidisse me illum MS. in plurimis Galliarum & Belgii Bibliothecis *anonymum*, in Codicibus Manuscriptis, ducentos circiter annos ætatem sancti Thomæ Aquinatis excedentibus. Unde non mirum, quod in tam insigni Codice illum invenerit Amadeus Scotus, in Conventu Fabrianensi fratrum Prædicatorum, atque transcriptum evulgaverit. *Secundo* idem ille *Commentarius in Cantica Canticorum*, qui incipit, *Salomon divino inspiratus Spiritu* &c. habetur MS. in Bibliotheca Cluniacensi intra Gallias celeberrima, Littera C 6. sub *Remigii Antissiodorensis* nomine, cui Nomenclatores omnes adscribunt Commentarium in Cantica Canticorum. *Tertio* habetur illud Opus olim impressum sub nomine Cassiodori Exsenatoris & Abbatis Itali, quod etiam nunc legitur inter Opera dicti Cassiodori ultimæ editionis anni 1679. Rothomagi, sumptibus Antonii Dezallier bibliopolæ Parisiensis, quam procuravit Joannes Garetius Monachus Benedictinus, Congregationis Sancti Mauri in Gallia. *Quarto* denique nullus est qui dixerit S. Thomam conscripsisse duplicem in Cantica Commentarium, unde secundus iste (quantum conjecturis assequi datur) Remigio Antissiodorensi, assignandus est. Et sane uti testatur, qui primus in lucem protulit Amadeus Scotus, neque stylo cum aliis Divo Thomæ Aquinati adscriptis Commentariis convenit: unde *ille, Illud autem nec negare possumus, neque inficias imus, Expositionem hanc, ab illa reliquisque Operibus quæ Beatus Doctor paulo accuratius conscripsit, nonnihil & apparatu & stylo distare.*

CAP. DECIM. SEPTIMUM.

AN *CONTINUUM IN QUATUOR EVANGELIA* SPECTET INDUBIE AD SANCTUM THOMAM AQUINATEM?

Habetur inter omnia S. Thomæ Aquinatis Opera editionis Romanæ anni 1570. tom. 15. quam procuravit Summus Ecclesiæ Pontifex Pius V, & tomo 16. ultimæ editionis Parisiensis anni 1660. *Continuum Sancti Doctoris Angelici in 4. Evangelia*; quod placuit novitiis Doctoribus seculo XV. labente vel XVI. incipiente, appellare *Catenam auream S. Thomæ Doctoris Angelici in quatuor Evangelia*, appellatione omnino puerili, qua Scholastici illi *aureum* appellarunt, quidquid sub nomine S. Thomæ evulgatum est. Hoc ingenue fatetur Franciscus Jansseus in Responsione sua ad Librum Petri de Alva & Astorga, cui titulus, *Nodus indissolubilis De conceptu mentis & ventris*: ubi pag. 14. Antequam ad hoc propositum fundamentum & superstructum ei discursum respondeamus, supponendum est me nolle hic quæstionem movere de nomine, utrum S. Thomas Expositionem suam in 4 Evangelia, intitulaverit *Catenam auream* vel *Continuam*, quod deinde a bene affectis D. Thomæ *Catena aurea* propter Operis præstantiam vocatum sit. Libens enim tanquam Sancti Thomæ magis conforme humilitati, admisero solum ab eo inscriptum sub titulo *Continui*, vel aliquo simili: unde tot phrasibus Hispanicis ad hoc evincendum, opus non fuerat. Relicta proinde quæstione de nomine, ad rem descendendo permittimus gratis transire, & in fide referentis, assumptum Martini de Gvevara fundamentum, quod videlicet illa eadem Catena modo sub sancti Thomæ nomine impressa, videatur in tribus Manuscriptis sub nomine Carbonelli. *Quæritur itaque an hoc Continuum in 4. Evangelia, vel Catena ista aurea, sit opus indubium S. Thomæ Aquinatis?* Quod attinet ad hanc *Catenam auream*, sciendum quod Martinus Perez de Gvevara, Ordinis fratrum Minorum, Guardianus S. Gadeæ, socius itinerum & studiorum Petri de Abra, nuperrime emiserit in lucem libellum aliquem latino idiomate intitulatum *Judicium Salomonis*: in quo a primo folio ad ultimum, nititur ostendere *Catenam auream* non esse Divi Thomæ, sed istius Pontii Carbonelli, Magistri quondam S. Ludovici Regis Francorum, velut alii volunt, sancti Ludovici Episcopi Tolosani. Et quidem fundamentum ejus in eo rotatur quasi in cardine, quod hæc eadem Catena, quæ modo divulgata est sub nomine Divi Thomæ, reperiatur in tribus manuscriptis Codicibus sub nomine Carbonelli: ex quo deducit S. Thomam eam Catenam exscripsisse ex Carbonello, sibique eam appropriasse. Et huic quidem suo discursui confirmando, dicit non indecorum S. Thomæ, imo nec insuetum, ab aliis aliqua exscribere, uti patet ex *Prima secunda & secunda secundæ*, quam dicit S. Thomam exscripsisse ex nostro Vincentio Bellovacensi. Idem asserit Petrus de Alva & Astorga in *Nodo* indissolubili De conceptu mentis & ventris, pag. 11. *Catena aurea creditur esse Pontii Carbonelli, Ordinis Minorum.* Idemque repetiit ibidem pag. 585. Quibus non obstantibus,

Concludo *Continuum in quatuor Evangelia, spectare certò & indubiè ad Sanctum Thomam Aquinatem.*

Ita

Ita veteres omnes qui vel vitam S. Thomæ Aquinatis ſcripſerunt, vel Catalogum Operum ejus contexuerunt, quorum vel unicus juxta ſenſus communis regulas, fide dignior eſt, quàm mille recentes Franciſcani, in contrarium clamitantes. Jam veteres iſtos teſtes audiamus, ut obſtruatur omne os loquentium iniqua. Ptolomæus Lucenſis, poſteà Torcellanus Epiſcopus olim S. Thomæ Aquinatis diſcipulus, qui eum ſæpius peccata confitentem apud ſe audivit, peregrinationem cum ipſo ſuſcepit, ejus familiari colloquio & contubernio uſus eſt, docentem atque concionantem excepit, Lib. 22. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* MS. cap. 24. loquens de his quæ ſcripſit S. Doctor reverſus Romam, juſſu Vrbani Papæ IV. *Tunc Frater Thomas rediit de Pariſius ex certis cauſis, & ad petitionem Vrbani multa fecit & ſcripſit, ſed præcipuè duo: unum fuit, quod expoſuit Evangelia ſub miro contextu diverſorum Doctorum, & unus author videtur, quod non fuit ſine magnâ ſubtilitate tradentis.* Nicolaus Trivethus Anglus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui circa annum 1310. ſcribebat ſuum Chronicon, dum ad annum 1274. Loquitur de morte & Scriptis Sancti Thomæ Aquinatis: *Quatuor Evangelia continua expoſitione de dictis Sanctorum gloſſavit.* Guillelmus de Thoco Prior Beneventanus, qui anno 1319. inquiſitiones Miraculorum S. Thomæ Aquinatis, in ordine ad ejus canonizationem, fieri procuravit: ejusque Vitam poſt inquiſitiones factas, circa annum 1320. ampliſſimè ſcripſit: qui ex Ordine Fratrum Prædicatorum, de Scriptis S. Thomæ loquitur cap. 4. n. 18. ubi *Catenam auream* ſeu *Continuum in quatuor Evangelia* ſic exprimit: *Scripſit Opus ſuper quatuor Evangelia Sanctorum authoritatibus miro modo contextum, ex quibus ſic Evangeliorum continuavit Hiſtoriam, quaſi unius Doctoris videatur poſtilla. In quo Opere mirandum creditur Deus oſtendiſſe miraculum, quia diſcurrens per diverſa Monaſteria, & diverſorum legens volumina: pro majori parte ipſorum authoritates mente retinuit, quas in exponendo notavit. Nam eodem agebatur Spiritu, quo legendo Doctor colligeret, quæ ſcribendo ſervaret.* Bernardus Guidonis ex eodem Ordine Fratrum Prædicatorum, primum Tudenſis in Gallæcia Epiſcopus, poſteà Lodovenſis in Gàllia, ubi anno 1331. mortuus eſt, ſcripſit Libros duos *De vita & miraculis S. Thomæ Aquinatis*, circa annum 1325. Ibi Lib. 1. capite penultimo, num. 54. dum de Scriptis Sancti Doctoris: *Scripſit etiam ad mandatum Domini Vrbani Papæ ſuper quatuor Evangelia, opus inſigne, miro contextum ordine, ex dictis & authoritatibus Sanctorum, ex quibus ſic uniuscujusque Evangeliſtarum quatuor continuavit Hiſtoriam, quaſi unius Doctoris videatur eſſe lectura.* Clemens Sextus Romanus Pontifex in MS. Sermone *De laudibus S. Thomæ Aquinatis*, quem circa annum 1340. ſcripſiſſe credimus, antequam ad ſummum Eccleſiæ culmen aſcenderet, de quo jam ſupra, dum de Scriptis Sancti Doctoris Angelici: *Scripſit etiam ſuper Bibliam, ſuper quatuor Evangelia, ex puris Sanctorum authoritatibus mirabile opus, contextum ac ſi per unum hominem omnia eſſent dicta.* S. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus, ex eodem Fratrum Prædicatorum Ordine aſſumptus, circa annum 1440. clarus, 3. parte *Chronici* ſeu *Summæ Hiſtorialis* titulo 18. cap. 10. §. 2. *Scripſit inſuper ad mandatum Vrbani Papæ IV. Opus inſigne ſuper IV. Evangelia, miro contextum ordine, ex dictis & authoritatibus Sanctorum Doctorum.* Sane qui poſt tantas tamque inſignes ob antiquitatem authoritates, iterum reluctantur vel ambigunt, an hujus *Continui in quatuor Evangelia* Scriptor ſit S. Thomas: ii non homines, ſed vel Monachi mulis proterviores ſunt, vel in privatis ſuis opinionibus inſaniunt.

2. Quod Sanctus Thomas Angelicus Doctor *Catenam auream in quatuor Evangelia* compoſuerit, non tam probatur, quam ex ipſis Epiſtolis dedicatoriis patet: quas Sanctus Doctor præfixit, unam *Expoſitioni in Matthæum* ad Vrbanum IV. alteram *Expoſitioni in Marcum*, ad Cardinalem Hannibaldum. Atque imprimis in ipſa dedicatoriâ ad Vrbanum, ſic S. Doctor loquitur in propriâ perſonâ: *Veſtræ Sanctitati complacuit, mihi committere Matthæi Evangelium exponendum, quod juxta propriam facultatem executus, ſollicitè ex diverſis Doctorum libris, prædicti Evangelii expoſitionem continuam compilavi.* In ſecundâ verò ad Cardinalem Hannibaldum: *Miniſterium*, inquit, *expoſitionis adhibui, Sanctorum Doctorum ſententias compilando, ad quod me induxit primitùs, felicis recordationis Vrbani Papæ IV. mandatum. Verùm quia eo ſummo Pontifice ex hac vita ſubtracto, tria Evangelia, Marci, Lucæ & Joannis, exponenda reſtabant: ne opus quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret: cum multo labore diligens adhibui ſtudium, ut quatuor Evangeliorum Expoſitionem compilarem.* Ecce quomodo Sanctus Thomas *Catenam auream* dicit totam a ſe compilatam, proprio compoſitam ſtudio & labore. Ad hoc argumentum nihil reſpondebit Martinus de Guevara, donec prædictas dedicatorias falſas oſtenderit ut ſuppoſititias, in omnibus Canonis aureis tam Manuſcriptis quam impreſſis, quod nunquam fecerit. Quod enim attinet ad impreſſas, a prima quæ impreſſa fuit anno 1470. usque ad ultimam impreſſam, tam ſeparatim, quam cum omnibus aliis S. Thomæ Aquinatis Operibus, omnes præ ſe ferunt dedicatorias ejusmodi Epiſtolas. Ita Franciſcus Janſſeus loco citato.

3. Hoc etiam conſtat evidenter ex Codicibus MSS. illuſtrium Bibliothecarum antiquis, qui ſi accuratè inquirerentur, plusquam centum MSS. Codd. bonæ notæ, in Abbatiis Galliarum & alibi invenirentur, præferentes *Catenam auream* ſeu *Continuum in 4. Evangelia*, ſub nomine S. Thomæ vel F. Thomæ Aquinatis, cum *Epiſtolis dedicatoriis ad Vrbanum IV. Papam & Cardinalem Hannibaldum.* Quisquis iſtorum Codicum fuerit curioſus, adeat in urbe iſta Pariſienſi celebrem Bibliothecam Colbertinam, ubi num. ſeu Cod. 154. præſtantiſſimo, inveniet hoc *Continu-*

um

um in quatuor Evangelia sub nomine Fratris Thomæ, cum Epistola dedicatoria ad Urbanum Papam quartum. Opus quod ipso forsan vivente S. Thoma transscriptum est, ex charactere vetusto. Idem Opus cum eadem dedicatoria, ibidem sub nomine Fr. Thomæ, Codicibus 1152. & 1013. ita ut Cod. 1152. contineat *Commentarium in Matthæum & Marcum*, & Cod. 1013. *in Lucam & Johannem.* Denique idem Opus in Bibliotheca Parisiensi Canonicorum Regularium S. Victoris, MS. *cum Epistola dedicatoria ad Urbanum Papam IV.* variis MSS. Codicibus notatis F. 1. F. 3. DD. 9. Nec dubium mihi, quin etiam alii in Regia Galliarum Bibliotheca inveniantur, quamvis non inquisiverim. Audiamus & Franciscum Janssens, in solutione sua *Nodi indissolubilis* Petri de Alva, pag. 16. „Quod verò spectat ad Manuscriptas, „vidimus unam antiquissimam Brugis in celeberrima Abbatia Dunensi, & alteram in Abbatia Tongerloensi, quibus similiter prædictæ „dedicatoriæ præfixæ sunt: Expositioni quidem „in Matthæum dedicatoria ad Urbanum, Expositioni verò in Marcum & duos reliquos Evangelistas, dedicatoria ad Hannibaldum Cardinalem. De aliis Catenis aureis Manuscriptis, „quas videre non licuit, idem credimus & affirmamus. Neque enim obstat, quod Martinus „de Guevara in libello suo, dicat extare tria exemplaria *Catena* Manuscripta, in quibus prædictæ dedicatoriæ non habentur. Non enim si „verum dicat, proferre potest alia exemplaria, „quam tria illa promulgata sub nomine Pontii „Carbonelli: in quibus mirum non est *prædictas dedicatorias S. Thomæ* non inveniri, imò planè necessarium est fuisse omissas: ne Catena „Carbonelli esset monstrosa, dum præ se ferret „in sui Frontispicio Carbonellum tanquam authorem, & in ipsa dedicatoria Sanctum Thomam.

„Atque ut descendamus profundius in hanc „materiam, quæro ego a P. Martino de Guevara, utrum meminerit quod Urbanus IV. mandaverit Doctori Angelico, Expositionem seu „Continuum aliquod in Matthæum? & Cardinalis Hannibaldus rogaverit, ut post mortem „Urbani, Continuum in tria Evangelia restantia „prosequeretur? Utique (inquit) pag. 73. libelli sui. Sed adeo insignis erat *Expositio & Catena Carbonelli*, ut utrique S. Thomas satisfecerit, transferendo ad litteram *Catenam seu Continuum Carbonelli.* Itane verò hoc S. Thomas „fecerit? sic Sincerus fuerit, ut Summo Pontifici & quidem post mandatum, & Eminentissimo S. R. Ecclesiæ Cardinali tanquam opus „proprium, obtruserit opus alienum? Et si juratus quis dixerit, non credam. Enim verò si „his circonstantiis addideris tempus, quo S. „Thomas satisfecisset mandato Pontificis, & petitionibus Hannibaldi, transscribendo Pontii „Catenam, incredibilis videbitur hujusmodi „transscriptio. Expositionem enim in Matthæum & alios tres Evangelistas, si transscripserit, transscripsisse debuit ad minus ante annum 1274. Illo enim anno D. Thomas animam reddidit. Quod eum fecisse, incredibile prorsus est & inconceptibile. Destruxisset enim hæc infidelitas, omnem fidem Divi Thomæ: unde etsi tenebrarum filius, hujusmodi exscriptionem sub nomine proprio non attentasset. Statim enim audivisset a proprio illius authore, *unde Thoma hac Expositio unquam tua, per te dedicata Cardinali & Pontifici, quam ego proprio labore confecravi?* Statim audivisset illud in simili materia Poetæ Virgilii: *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores: sic vos non vobis vellera fertis oves, sic vos non vobis mellificatis apes.* Sed ad hæc inquiris, an igitur Carbonellus Divo Thomæ convixit? Convixit utique, & ad annos sexdecim supervixit, mortuus nimirum ut ipse refert P. Martinus de Guevara *in judicio suo Salomonis* fol. 103. anno 1290. ubi Sanctus Thomas fato cessisse cognoscitur anno 1274. Ex quo per nimis evidentem consequentiam deducitur, quod si alteruter ex altero exscripserit *Catenam auream*, uti volunt adversarii: exscripserit eam Carbonellus, ut qui illis annis Divo Thomæ supervixerit, quibus appendebatur aurum in statera, ad conquirendam saltem in transsumptis, reliquam Divi Thomæ doctrinam. Unde quod Martinus de Guevara infundatè dicit de Sancto Thoma, nos fundatè dicimus de Carbonello: quod videlicet adeò insignis fuerit *Catena aurea S. Thomæ*, quod Carbonellus scribens Postillam in totam Scripturam, exscripserit Expositionem in quatuor Evangelia, ex *Catena aurea S. Thomæ.* Ex quo videtur non absonè deduci, Carbonellum Expositionem suam mutuasse à Catena aurea Sancti Thomæ: cum ordinarium sit alienas doctrinas exscribentibus, eas veluti compendiare, & ab eis resecare minus necessaria: ne vel Opus eorum nimis excrescat, vel quod eorum intento non conveniant.

Verum his nondum contentus adversarius, supervixerit (inquiet) Carbonellus annos sexdecim Divo Thomæ, sed & eum annis viginti octo nativitate prævenit, natus anno 1196. cum nonaginta quatuor annorum, anno 1290. mortuus sit: Sanctus autem Thomas quinquagenarius, anno 1274. Ipse proinde tanquam junior, exscripserit ex Carbonello. Sed contrà est, quòd hujusmodi exscriptio nimium deroget nomini, famæ & honori istius Doctoris, qui etiamnum dum vixerit, audiebat tanquam Oraculum. Enim verò derogat secundum Petrum de Alva, & socium ejus Martinum de Guevara, honori alicujus Ordinis nostri Doctoris, quod in suo aliquo libro, paucula exscripserit, ex sui ejusdem Ordinis Generali, Reverendissimo P. Thoma Turco, atq; hoc in summo contra ipsum magnificant. Et non derogaret honori S. Thomæ, quinti Ecclesiæ Doctoris, exscripsisse non paucula, sed integrum librum in fe-

„folio, ex Scriptore alterius Ordinis? Derogaret profectò plusquam credi possit, hujusmodi „exscriptio. *Sed quomodo non credi potest, cum ad „oculum pateat, exscripsisse Sanctum Thomam ex „Vincentii Bellovacensis speculo morali, secundam „partem Summa sua Theologia?* Ita quidem adversarius in Libello suo, sed per calumniam. „Exscripsit Bellovacensis ex Thoma, non Thomas ex Vincentio Belvacensi atque ut assumptum nostrum sic probemus, ut destruamus „assumptum adversarium, conficio hoc argumentum. Vincentius ille Bellovacensis judicandus est exscripsisse ex secunda parte Summæ, seu ex prima secundæ Sancti Thomæ, ea „quæ habet in suo Speculo Morali, si dum illud „scriberet, videre illam potuit. Atqui hanc videre potuit, ergo &c. Major est certa, in illo „enim casu præponderat authoritas S. Thomæ, „authoritati Vincentii, ut quilibet libenter concesserit. Cùm vel maximè ipsissimus Belvacensis fateatur se tantum egisse in suis Scriptis „*munus exceptoris*, in Prologo tomi I. cap. 2. *Interdum*, inquiens, *ea que ipse vel à Majoribus meis, „vel à modernis Doctoribus didici, vel in quorundam „Scriptis notabilia reperi, nomine meo intitulari.* „Et clarius cap. 7. *Audiat me Lector, non per modum authoris, sed exceptoris ubique procedere.* „Igitur Vincentius judicandus est exscripsisse ea „quæ habet in Speculo Morali, ex prima secundæ S. Thomæ, si dum illud scriberet, videre eam „potuerit. Minor verò probatur. Dum scriberet suum *Opus Naturale*, reipsa vidit *Quæstiones Disputatas Divi Thomæ*: ergo dum scriberet „*Speculum Morale*, videre potuit ipsius *primam secunda.* Antecedens patet ex *Speculo Naturali*, „in quo Libro 26. tota materia *de Prophetia & raptu*, ad litteram exscripta invenitur ex Quæstionibus Disputatis Divi Thomæ quæst. 12. & „13. Invenitur in quam exscripta: cum in Capite 74. 82. & 100. libri 26. ejusdem, in „quibus tractat de duabus illis materiis, citet „Bellovacensis S. Thomam nomine proprio: „quomodo in eodem *Speculo Naturali*, citat S. „Augustinum & alios SS. Patres. Consequentia probatur, quia sese habet Speculum Morale „Belvacensis ad primam secundæ D. Thomæ, „sicut se habet Speculum Naturale ad Quæstiones D. Thomæ disputatas, quoad hoc: quòd „sicut *Quæstiones disputata* Divi Thomæ extiterunt, dum Vincentius scriberet suum *Speculum „Naturale*: Sic posset existere *prima secunda* D. „Thomæ, dum Vincentius scriberet *Speculum „Morale*. Sicut enim est ordo inter Opera „Belvacensis, ut primo scripserit Speculum Naturale, deinde Doctrinale, posteà Morale, & demum Historiale: Sic etiam est ordo inter Opera divi Thomæ, ut paulò post Quæstiones „Disputatas, scripserit primam partem Summæ, „deinde primam secundæ & secundam secundæ, „& demum tertiam partem. Vnde dum componeret Belvacensis Speculum suum Naturale, præparabat S. Thomas Summam suam: & antequam ille pervenisset usque ad Speculum" suum Morale, facilè præparaverat S. Thomas" primam & secundam partem suæ Summæ" Theologicæ. Vnde dum Vincentius Speculum Morale scriberet, potuit primam secundæ" vidisse præparatam. " Ita Franciscus Janssens, cui adde quæ infra dicemus capite XXV. hujus Dissertationis.

CAP. DECIMVM OCTAVVM.

QVÆSTIO I. AN *EXPOSITIONES IN SANCTA JESV CHRISTI EVANGELIA SECVNDVM MATTHÆVM & JOHANNEM*, QVÆ HABENTVR IN EDITIONE OMNIVM OPERVM S. THOMÆ ROMANA ANNI MDLXX. TOM. XIV. ET TOMO XVII. EDITIONIS EORVNDEM ANNI MDCLX. PARISIENSIS, CERTO PERTINEANT AD SANCTVM ILLVM DOCTOREM?

Silent de utroque hoc Opere, Veteres aliqui ex citatis authoribus, qui scripserunt *De Operibus Sancti Thomæ Aquinatis*, Ptolomæus Lucensis Sancti Doctoris discipulus, & *de uno* Guillelmus de Thoco, quos sæpe allegavimus. At agunt de utroque hoc Opere Bernardus Guidonis Lib. I. *De Vita Sancti Thomæ Aquinatis* cap. seu num. 54. *De numero & nominibus Librorum Sancti Thomæ.* Sic igitur. *Scripsit quoque postillam super Evangelium Johannis, maximè super quinque capitula, stylo proprio: residuum verò dicitur reportasse ipso legente Frater Reginaldus socius ejus, quod postmodum idem Doctor correxit & approbavit.* Tum posteà, *Lecturam verò super Matthæum, qua defectiva est, Frater Petrus de Andria dicitur reportasse.* Nicolaus Trivettus Anglus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui in Chronico ad annum 1274. dum loquitur de morte & Scriptis S. Thomæ, ubi Opera Sancto Doctori falsò adscripta recenset: *Item lecturam super Johannem, & super tertium Nocturnum Psalterii. Collationes de Oratione Dominica & Symbolo. Collationes Dominicales & Festiva. Item Collationes de decem præceptis, quas collegit Frater Petrus de Adria. Item lecturam super Matthæum completa, quam partim idem frater, partim secularis quidam recollegit, ejus studio delectatus.* Guillelmus etiam de Thoco loquitur de Postilla in Evangelium Johannis, *in Vita S. Thomæ Aquinatis* cap. 4. num. 18. dum loquitur de Scriptis Sancti Doctoris. *Præter quod Opus* (nempe Catenam auream & Continuum in 4. Evangelia) *fecit Postillam super Evangelium Johannis, in qua ostendit quam altè de suo ingenio, adjutus per gratiam, ad profunda Mysteria Libri pervenerit, qua Sanctorum authoritatibus declaravit.* Clemens etiam sextus Summus Pontifex in Sermone MS. *de laudibus S. Thomæ Aquinatis*, ubi de Scriptis Doctoris Angelici agit, postquam expressit ejus *Expositionem in quatuor Evangelia ex Sanctorum authoritatibus*, subdit: *Item Postillam in Evangelium*

lium Johannis. Denique Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiscopus qui anno 1440. floruit, ex eodem Ordine Fratrum Prædicatorum assumptus, tertia parte *Chronici* seu *Summæ Historialis*, titulo 18. cap. 10. §. 2. *scripsit quoque Postillam super Evangelium Johannis, maxime super quinque Capita, stylo proprio: residuum dicitur reportasse Frater Reginaldus Socius ejus ipso legente, quod postmodum idem Doctor correxit & approbavit.* Item inferius, *Lecturam quoque super Matthæum, quæ defectiva est, dicitur reportasse Frater Petrus de Adria.*

Ex anteallatis itaque constat, testibus Bernardo Guidonis Lodovensi Episcopo, Nicolao Trivetho Anglo, & Antonino Florentino Archiepiscopo, omnibus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, *Lecturam in Evangelium Matthæi*, de qua hìc loquimur, incœptam tantum fuisse ab Angelico Doctore, vel ex suggestu explicatam, quam postea Frater Petrus de Adria, S. Doctoris discipulus reportavit. Vnde Lectura ista in impressis sub nomine S. Thomæ simpliciter inscripta, deberet ne fucus Lectori fieret, inscribi *à S. Thoma Aquinate explicata seu exposita, à Fratre Petro de Adria ejus auditore seu discipulo reportata.* Nam Expositiones ejusmodi reportatæ, juxta communem sensum, sunt magis Opera reportantium, quam illorum, ex quorum Lectionibus reportata sunt. Quantum autem *ad Postillam in Evangelium Johannis*, sunt tantum *quinque prima capita hujus Evangelii postillati*, quæ proprio stylo S. Doctor postillavit, testibus veteribus allatis, Bernardo Guidonis & Antonino Florentino Archiepiscopo: quamvis attribuant simpliciter hanc Postillam S. Doctori Aquinati, Guillelmus de Thoco suprà citatus *in Vita Sancti Doctoris*, & Clemens Sextus Summus Pontifex, loco citato. Hoc forsitan, quia ut ait supra Bernardus Guidonis, & S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, *Residuum dicitur reportasse ipso legente, Frater Reginaldus socius ejus, quod postmodum idem Doctor correxit atque approbavit.* Quod igitur corrigente & approbante postmodum S. Doctore Angelico, à Fratre Reginaldo Socio ejus factum est: hoc Sancti Doctoris Thomæ censetur, atque sub ejus nomine, à Fratribus Prædicatoribus impressum est: cujus tamen in proximis editionibus censura legitima admonere lectores, non incongruum esset: ne omnia ista quasi propria Divi Thomæ Opera vulgus eruditorum opinetur ac credat.

QVAESTIO 2.

AN *EXPOSITIO IN OMNES DIVI PAVLI APOSTOLI EPISTOLAS, ET SERMONES DE DOMINICIS PER ANNVM*, QVI HABENTVR IN EDITIONE OMNIVM S. THOMÆ AQVINATIS OPERVM ROMANA ANNI MDLXX. TOMO XVI. ET TOMO XVIII. EDITIONIS EORVNDEM ANNI MDCLX. PARISIENSIS, AD SANCTVM THOMAM SPECTENT?

De Commentario isto in omnes Sancti Pauli Epistolas, sub nomine S. Thomæ Aquinatis, ita loquitur discipulus ejus & intimus, Ptolomæus Lucensis Lib. 23. suæ *Historiæ Ecclesiasticæ* MS. cap. 15. *Multa etiam alia scripta sunt ab eo, utilia, quæ magis habentur per modum reportationis, quam ipse videns postea correxit, & inde ulterius approbavit: ut sunt Postilla super omnes Epistolas Pauli, præter Epistolam ad Romanos quam ipse notavit, quas ego vidi & legi.* Nicolaus Treveth Anglus *in Chronico* ad annum 1274. ubi de morte & Scriptis S. Thomæ Aquinatis, *Super Epistolam verò ad Romanos & super capitula decem Epistolæ ad Corinthios*, stylo nimirum proprio, cæteris à fratre suo Reginaldo reportatis, ex Lectionibus ejus. Guillelmus de Thoco Prior Beneventanus Conventus Fratrum Prædicatorum, qui circa annum 1320. Vitam S. Thomæ Aquinatis scripsit, ejusque canonizationem promovit, & Miraculorum ejus inquisitiones. In Vita ipsius cap. 4. num. 18. apud Bollandistas dum de Scriptis loquitur: *Scripsit super Epistolas Pauli omnes, quarum scripturam, præter Evangelium, super omnes commendabat: in quarum Expositione Parisiis visionem præfati Apostoli dicitur habuisse.* Quibus addit Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XXI. Dissertatione 6. *De Summa scriptisque cæteris Sancti Thomæ Aquinatis*, art. 1. pag. 786. „in Epistolam duntaxat ad Romanos, & decem „capita Epistolæ ad Corinthios, *S. Thomam* scri„psisse *Nicolaus Trivettus* coœvus author testa„tur, cætera verò ex ejus Lectionibus fuisse col„lecta: qua ratione *Guillelmus de Thoco* expo„nendus est. „ Bernardus Guidonis Lodovensis Episcopus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum assumptus, qui eodem tempore libris duobus scripsit *Vitam & Miracula Sancti Thomæ Aquinatis*, Lib. 1. cap. penultimo seu num. 54. apud Bollandistas, qui est *de numero & nominibus Librorum & Tractatuum Sancti Thomæ*, hæc habet. *Scripsit etiam Postillas super Epistolam Pauli ad Romanos, item super Epistolam ad Corinthios, item super Epistolam ad Hebræos, usque ad undecimum capitulum. Ab inde verò sunt Postillæ ejus super sequentes Epistolas Pauli reportatæ, per prædictum socium suum (nempe Reginaldum) post ipsum legentem, quas idem Doctor fertur postmodum correxisse.* Idem Clemens Sextus Summus Pontifex, in Sermone MS. *de laudibus Sancti Thomæ Aquinatis*, quam circa annum 1340. composuisse creditur, vel anteà dum Archiepiscopus tantum esset, ubi de Scriptis S. Doctoris: *Item super Epistolas ad Romanos, ad Corinthios, & ad Hebræos.* Denique S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, ex eodem Ordine Fratrum Prædicatorum ad hanc dignitatem assumptus, qui anno 1440. florebat merito doctrinæ & sanctitatis, 3. parte *Summæ Historialis* seu *Chronici* titulo 18. cap. 10. §. 2. utitur iisdem omnino verbis, quibus Bernardus Guidonis

nis suprà citatus. *Scripsit etiam Postillam super Epistolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebraos,usque undecimum capitulum. Et super alias Epistolas Pauli, reportata sunt per prædictum Reginaldum socium ejus, post ipsum legentem, quas idem Doctor fertur posteà correxisse.* Sunt igitur certò hi *Commentarii in omnes Divi Pauli Epistolas*, partim Sancti Thomæ Aquinatis, ut evincunt allatæ authotitates: partim Fratris Reginaldi ejus socii, qui post ipsum illas repertavit, quam reportationem approbasse & correxisse, & consequenter suam fecisse dicitur.

Jam veniamus ad *Sermones de Dominicis per annum*, sub nomine Sancti Thomæ ibidem impressos. Sunt tantum duo ex veteribus Operum S. Thomæ Aquinatis nomenclatoribus, qui illorum meminerunt, tacentibus cæteris. Horum primus Nicolaus Trivettus Anglus *in Chronico* ad annum 1274. dum recenset Opera Sancto Thomæ falsò adscripta, qui hos Sermones adscribit non Doctori Angelico, sed Petro de Adria. *Alia quidem*, inquit, *inveniuntur sibi attributa, qua tamen ipse non scripsit, sed post eum legentem vel prædicantem, ab aliis sunt collecta, ut puta &c. Item Collationes Dominicales & Festiva. Item Collationes de decem Praceptis, quas collegit Frater de Adria.* Alter Bernardus Guidonis Lib. 2. *De Vita S. Thoma Aquinatis* capite penultimo seu num. 54. *De numero & nominibus librorum & tractatuum Sancti Thoma*, ubi de iisdem dubitanter ita loquitur: *Fertur quoque scripsisse Expositionem super Evangelia Dominicalia totius anni, qua vix aut rarissimè invenitur.* Unde potiori jure spectant atque inscribi debent *Petro de Adria*, quam *Sancto Thoma Aquinati*: ut nullus æquus censor jam non videt.

CAP. DECIMUM NONUM.

DE HIS COMMENTARIIS, QUI TOMO XIX. EDITIONIS PARISIENSIS OMNIUM SANCTI THOMÆ AQUINATIS ANNI M DC LX. CONTINENTUR.

Hi qui nuperam procurarunt editionem omnium S. Thomæ Aquinatis Operum Parisiensem anno 1660. apud Dionysium Moreau, concluserunt multam Commentariorum seriem in Tomum XIX. hujus editionis, quos omnes pro more suo nugaci & puerili, *Expositiones aureas* appellaverunt, unde volumen istud verè *aureum* inter Opera Sancti Doctoris appellatur, eo quod nonnisi *Expositiones aureas* contineat: quamvis ferreum aut vitreum rectè vocaretur, cum nihil nisi fragile aut vile, quodque S. Thoma Aquinate indignum sit, contineat. Impressum autem istud volumen ibidem ab anno 1641. separatim continens

Expositionem auream S. Thoma Aquinatis, Doctoris Angelici in Danielem Prophetam.

Expositionem auream S. Thoma Aquinatis, Doctoris Angelici, in duos Libros Machabaorum.

Expositionem auream S. Thoma Aquinatis, Doctoris Angelici in septem Epistolas Canonicas.

Expositionem auream S. Thoma Aquinatis, Doctoris Angelici in Apocalypsim.

Expositionem auream S. Thoma Aquinatis, Doctoris Angelici in quinque libros Boëtii de consolatione Philosophia.

Expositionem auream S. Thoma Aquinatis, Doctoris Angelici in Tractatum ejusdem De Scholarium Disciplina.

Harum sex Expositionum aurearum, quæ totum aureum hoc volumen aut ferreum componunt, jam Expositiones aliquæ olim fuerant impressæ tomo 18. editionis omnium S. Thomæ Aquinatis Operum Antverpianæ anni 1612. Nimirum *Expositio Sancti Thoma Aquinatis, Doctoris Angelici in Genesim, in Danielem & in libros duos Machabaorum, cum Expositione in septem Epistolas Canonicas.* Quibus posteà adjectæ sunt anno nimitum 1641. aliæ tres *Expositiones Aurea S. Thoma Aquinatis Doctoris Angelici in librum Apocalypseos, in V. libros Boëtii De consolatione Philosophia, & in Tractatum ejusdem de Scholarium disciplina*, hujus voluminis & ultimæ, olim etiam impressæ. Jam videndum an verè hæ omnes Expositiones aureæ, spectent ad Sanctum Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum? Sub cujus nomine nihil non etiam incertum aut falsum, *aureŭ* semper ab evulgantibus Mendicantibus & pueriliter appellatur. An Expositiones istæ vere aureæ sint, & an verè S. Thomam aureum efficere possint? Quarum occasione forsan S. Thomam cum sole ad pectus, & cum torq; aureo ad capucium affixo Fratres Prædicatores depingunt, ut S. Doctorem totum aureum reddant. Ego Doctorem hunc veneror, sed neutiquam extra rationem, aut probi sensus metas. De his autem singulis Expositionibus aureis sigillatim à nobis agendum est, videndumque an S. Thomæ Doctori Angelico conveniant: postquam tamen Lectores breviter & summatim animadverterint, ex his omnibus antiquis Operum Sancti Doctoris principalium & opusculorum nomenclatoribus, quos supra tam sedulò ad fidem dicendorum verbotenus allegavimus, nullum inveniri, qui loquatur *vel de unica ex his omnibus Expositionibus aureis*, quas nuperi imprudenter S. Thomæ adscripserunt. Magnum suppositionis argumentum.

Expositionem auream in Danielem Prophetam, primus evulgavit F. Cosmas Morelles Professor Theologiæ Coloniensis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum tom. 18. editionis quam procuravit anno 1612. omnium S. Thomæ Aquinatis Operum, Antverpiæ. Eduxit hanc *Expositionem in Danielem* (ut ipse narrat) ex MS. Cod. Bibliothecæ Fratrum Prædicatorum Lovaniensium. *Erant porrò in tomo eodem Commentaria Sancti Thoma in Job, eadem prorsus qua aliàs impressa extant: tum Commentaria in Danielem, nec non in omnes*

Epi-

Epiſtolas Canonicas, quas correctas editioni adjunximus, omnia hæc unâ manu, & in fronte libri præfixa inſcriptio non inferioris ætatis. tum anteà, *cur verò Sancto Thomæ attribuatur, crederem non tam à me requirendam rationem, modò titulum omnes vidiſſent : quam ab aliis, cur Sancto Thomæ non tribuatur. Dabo interim utriusque ſententiæ argumenta. Primò igitur facit obſoletiſſima Litteræ antiquitas, & vetuſtiſſimæ abbreviationes, plurimis nec tamen non indoctis, prorſus incognitæ : ut Scriptor certè duorum ab hinc ſeculorum videri poſſit &c.* Ego contra cum doctis criticis, dico hunc tractatum videri ſpectare ad *Thomam Anglicum*, cognomento Jorgium, cujus plurimæ ſunt in Scripturam Sacram Commentationes. Favet MS. Codex, quem anno 1612. ducentorum circiter annorum facit Coſmas Morellius, qua ratione incidit in tempora Thomæ Anglici, qui ad annum 1381. vel circiter ſcribebat, ad annum 1400. vitâ protractâ. Favent *obſoletiſſima littera antiquitas & vetuſtiſſimæ abbreviationes*, quæ nempe non erant in uſu temporibus S. Thomæ Aquinatis, ſed conſuetæ, dum Thomas Anglicus florebat. Porrò Codex ducentorum circiter annorum, neque *obſoletiſſimam litteræ antiquitatem neque vetuſtiſſimas abbreviationes* continere potuit aut debuit. Præterea abſurdum eſt F. Coſmæ Morellio, ut quia nomen *Fratris Thomæ* præfixum huic recenti Codici vidit, ante Commentarium ejusdem *in Job :* inde judicaverit alios ſequentes Commentarios ad eundem pertinere, hunc nempe *in Danielem Prophetam*, & alterum *in Epiſtolas omnes Canonicas.* Niſi fuerit ipſe noviſſimus in excutiendis Manuſcriptis Codicibus, qui ſi vel octo tantum aut novem excuſſiſſet, noſceret ordinarium fuiſſe antiquis ſcribis, ut in unum eundemque Codicem MS. injicerent tumultuarie & indiſcriminatim, Tractatus diverſorum authorum anonymos : quorum vel paucis vel nullis nomina authorum adſcribebantur, interdum in initio Codicis, aliquando ad finem, vel alibi. At certò conſtat, ut infrà oſtendam *Commentarium in omnes Epiſtolas Canonicas* hoc MS. Codice contentas, quem etiam placuit F. Coſmæ Morellio adſcribere in ſua editione Antverpiana anni 1612. *Sancto Thomæ Aquinati :* non pertinere ad illum, ſed ad Nicolaum Gorrhamum ejusdem cum Thoma Jorgio ætatis, ſub cujus nomine Manuſcriptos vidi, & olim etiam Antverpiæ impreſſi ſunt. Præterea Codex ducentorum circiter annorum, ſilentibus omnibus Operum S. Thomæ Aquinatis nomenclatoribus, non eſt idoneus viris gravibus ad faciendam fidem, hunc *Commentarium* ſpectare ad Doctorem Angelicum. Sciunt enim omnes, quàm ſæpè fallant Codices MSS. recentes potiſſimum, qualis iſte eſt. Inventus in Bibliotheca FF. Prædicatorum Lovanienſium miſerrimà, quam ego vidi nullius meriti, nullius antiquitatis, nullis Manuſcriptis Codicibus abundantem. *Tertiò* Cum Magiſter Antonius Senenſis Lovanii vixerit, officiumque Regentis Studii ibidem exercuerit, cujus tam ſingularis cura & ſollicitudo in Bibliothecis conquirendis & luſtrandis fuit, in eruendis è tenebris Operibus S. Thomæ etiam dubiis, ut divulgata ab ipſo ſub nomine S. Thomæ Aquinatis, *Expoſitio aurea in Geneſim* teſtatum facit : nullum dubium, quin ſi in Bibliotheca illa Fratrum Prædicatorum Lovanienſium, tunc temporis extitiſſet illud prolixum volumen MS. continens *Commentationes aureas ſub nomine S. Thomæ, Doctoris Angelici, in Librum Job, in Danielem Prophetam, & in ſeptem Epiſtolas Canonicas ;* gloriam hanc ſeu Provinciam Fratri Coſmæ Morellio non reliquiſſet. Quàm verò incertus Coſmas Morellius, hunc Commentarium S. Thomæ Aquinati adſcripſerit, & quàm pueriliter, patet ex his verbis, quibus dedicatoriam Epiſtolam concludit : *Ad moralizationes quod ſpectat, quæ poſt litteralem ſenſum, contra conſuetum aliorum Scriptorum Sancti Thomæ morem, ſequuntur : id cauſa noſtræ nec obeſſe videtur. Cùm enim non ſint niſi ſolidiſſimi & piiſſimi Theologi, reſponderi poteſt, quod ad aliquorum requiſitionem à Sancto Thoma adjecta fuerint. Utcunque ſit, author ſi dubius eſt, extra dubium doctiſſimus eſt, in S. Thomæ doctrinâ apprimè verſatus, in Patribus diligens, in ſacris litteris optimè inſtructus : & ſi dederint alii dubia quædam Sancti Thomæ Opuſcula, non eſt cur & huic ſuus locus denegetur.* Hoc prorſus eximium Morellio argumentandi genus. Nam juxta Morellianas has rationes, ſucceſſu temporum accedent ad centum volumina & amplius, Opera S. Thomæ Aquinatis. Juvat autem plurimum hæc agendi methodus, ad famam & gloriam Sanctorum Eccleſiæ Scriptorum imminuendam, quam intruſis voluminibus adulterinis & ſuppoſitis, absque ratione devoti promovere intendunt.

Expoſitio aurea in Libros duos Machabæorum prodiit primum Pariſiis anno 1596. in 8. cura & ſtudio Stephani de Sambaïo, qui fuit ex Ordine Fratrum Prædicatorum, conterraneus Antonii Senenſis & peregrinationum ſocius. Educta illa *Expoſitio aurea in libros Machabæorum*, teſte eodem Stephano de Sampaïo, ex Bibliotheca quadam Fratrum Minorum, unde jam eduxerat Antonius Senenſis *Expoſitionem auream in Geneſim* quam evulgavit, quâque nec majoris fidei eſt. At *Expoſitio aurea in Geneſim* incerta eſt, ut habet Sixtus Senenſis Lib. 4 *Bibliothecæ Sanctæ*, verbo *Thomas Aquinas*, pag. mihi 305. „ Dicitur etiam ſcripſiſſe *in Geneſim Scholaſticam quandam poſtillam*, quæ ſub nomine ejus inſcripta circumfertur : hanc tamen Antoninus Archiepiſcopus Florentinus ipſius eſſe negat, affirmans editam eſſe ab altero quodam Thoma ejusdem Ordinis, viro quidem erudito & pio, ſed neutiquam Thomæ Aquinati ſtyli facilitate ac ſenſus gravitate comparando. “ Miror ſanè quàm guſtu depravatus fuerit Stephanus de Sampaïo, qui tam inſipidum Opus Doctori Angelico adſcribere voluerit, ubi nulla doctrina, nulla unctio, ſed infantilis quædam partitio

& divisio in cadentes similiter phrases, quæ corruptionem sonant & ingenium jejunum. Immissa postmodum *Expositio ista aurea in libros duos Machabæorum*, in tom. 18. & ultimum editionis omnium S. Thomæ Operum Antverpianæ anni 1612. & in tom. 19. editionis Parisiensis anni 1641. & anni 1660. ubique cum præfatione nihil probante, Stephani de Sampaïo. Quamvis autem Ægidius Romanus, Doctor insignis & omni exceptione testis major, qui inter discipulos S. Thomæ unus ex præcipuis fuisse dicitur, asserat *in 4 Sententiarum Distinct.* 45. (nec tamen excussi, sed post alios scribo) quòd S. Thomas libros Machabæorum exposuerit, his verbis, *sicut in expositione Machabæorum Reverendus præceptor noster Thomas tradidit:* hic attamen Commentarius ob jejunitatem suam spectare ad eum non potest, sed rectè ad *Thomam Anglicum*, teste Sixto Senensi.

Expositio aurea in septem Epistolas Canonicas, quamvis Vielmio, Bellarmino, Nazario erudita videatur, & S. Thomæ Aquinatis ingenio digna, atque in iis cernatur stylus & modus procedendi S. Thomæ familiaris: ad illum tamen non spectat, sed ad Nicolaum Gorrhamum ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui circa annum 1400. florens, scripsit Commentaria seu Expositiones in omnes Libros Sacræ Scripturæ. Habetur autem ista *Expositio in omnes Epistolas Canonicas* impressa in folio Antverpiæ anno 1617. sub nomine *Nicolai Gorrami*, apud Joannem Keerberg, & antiquis characteribus antequam ederetur sub nomine *S. Thomæ Aquinatis*. Quod autem addunt primum prodiisse anno 1592. Antverpiæ, hoc rectè refellit Theophilus Raynaudus, ex editionibus duabus anterioribus, Parisiensi anni 1550. & Lugdunensi 1556. *Secundò* habetur eadem Expositio MS. sub nomine Nicolai Gorrhami in celebri Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, his Manuscriptis Codicibus *auctori Gorramo* coævis existentibus, quorum inspectione obmutescet adversarius quisque: de quibus agemus posteà, verbo *Nicolaus Gorramus*. *Tertiò* ut rectè Labbeus, quis ferat citari Lyranum à Sancto Thoma Aquinate, in illis Commentariis ad illud 1. Petri secundo, *Quasi Liberi &c.* Hoc demonstrativum est adversus istorum Operum factam S. Thomæ suppositionem, in gratiam Nicolai Gorrhami veri illius parentis.

Expositiones aureæ S. Thomæ Aquinatis, in Apocalypsim B. Joannis, & in Libros quinque Boëtii de Consolatione Philosophiæ, & in Tractatum ejusdem De Scholarium Disciplina, editæ primum dicuntur in editione Parisiensi anni 1641. *omnium S. Thomæ Aquinatis Operum*, quæ anno tantum 1660. absoluta sunt. Illæ omnes ex doctorum judicio & Sixto Senensi Lib. 4. *Bibliotheca Sancta*, spectant *ad Thomam Anglicum* cognomento Jorsium circa annum 1380. vel 1400. florentem, suntque litteratis omnibus viris indignæ omnino, quæ *S. Thomæ Aquinati* tribuantur. Has tamen firmiter illi inscripserunt Dominicani Fratres in sua editione Parisiensi anni 1660. absque authoritate ullâ vel veterum, vel MSS. Codicum, pro merâ prurigine & phantasiâ dilatandi in immensum omnia S. Thomæ Aquinatis Opera, & falsa cum veris confundendi, maximo legitimorum S. Doctoris Operum præjudicio ac damno. Dum itaque Dominicani, Opera ejusmodi addunt sub *S. Thomæ Aquinatis* nomine, quæ nec ad ipsum pertinere probant: hæc ut spuria rejicit ipse S. Thomas *in Opusculo suo XXI.* ad Lectorem Bisuntinum, in Responsione ad quæst. V. dum ait: *Ad hoc etiam respondeo, quòd istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, cum nullius authoritatis robore fulciatur.* Sanè *Expositiones aureæ S. Thomæ Aquinatis in Apocalypsim B. Joannis & in Libros V. Boëtii de consolatione Philosophiæ, & in Tractatum ejusdem De Scholarium disciplina*, jamdudum erant editæ, sed Cosmas Morelles qui editioni Antverpianæ omnium S. Thomæ Operum anno 1612. præfuit, illas utpote spurias editioni suæ inserere noluit. Nam prima editio *Commentarii in Apocalypsim* procurata fuit in fol. Venetiis apud Juntas anno 1562. à Remigio de Nanninis Florentino, Ord. Prædicatorum S. Theologiæ Professore, qui in præfatione ad Seraphinum de Cobellis Brixiensem, Ordinis Prædicatorum, opus istud his verbis Thomæ Anglico adjudicat: *Habuimus namque Divum Thomam Aquinatem, cognomento Angelicum fama super æthera notum, cujus si quis enumerare vellet encomia, etiam veris flores enumerare vellet & frondes. Habuimus & Thomam Anglicum, virum omni virtutum genere refertum, Expositionemque hanc ab eo elaboratam subdubitavi: nam inter Angelicum & Anglicum ita parum distat, ut à scriba quodam, in eo cognomine erratum esse censuerim.* Quamvis ergo exemplar quo urebatur nomen *Thomæ Angelici* haberet, vitium tamen scribæ opinatus est primus editor, atque ex dictione Expositionem illam *Thomæ* Anglico adscribendam. Hanc ob caussam opinor hæ tres ultimæ *Expositiones aureæ S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici in Apocalypsim, in Libros V. Boëtii De consolatione Philosophiæ, & in Tractatum ejusdem De disciplina Scholarium*, non apparent in editione omnium Sancti Thomæ Aquinatis Operum Antverpiana anni 1612. quam procuravit Cosmas Morelles, tantumque inter ejusdem Opera intrusa, anno 1641. Parisiis, indiscreto Fratrum Prædicatorum zelo, suppressa etiam præfatione Remigii de Nanninis, quod illa Sancto Thomæ Aquinati parum faveret.

CAPUT VIGESIMUM
DE
OPUSCULIS SUB NOMINE S. THOMÆ AQUINATIS EDITIS.

PEtrus de Alva *in Nodo indissolubili de conceptu men-*

mentis & ventris à fol. 6. ad fol. 22. proponit varia fata, quæ experta est doctrina S Thomæ, *ita ut sicut est* (inquit) *Liber De varia fortuna Aristotelis, sic potuerit alter formari de varia fortuna doctrinæ S. Thomæ.* „Opera enim S. Thomæ quæ in initio „tantum erant septem admissa ut legitima, sæ„culo secundo creverunt (inquit) usque ad 20. „& seculo tertio ascenderunt usque ad 58. & „modò circumferuntur 128. vel secundum „aliam supputationem, 170. Opuscula item par„va, ubi in initio tantum erant tria, creverunt „usq; ad 73. Quod ad hoc, nescio, cur à sexto illo „folio usque ad 22. vel ad quod propositum, tot „verba multiplicet: videmus enim in dies pro„dire & quidem interpolate, diversa diversorum „Opera, quæ postquam aliquo tempore latue„rant, extracta sunt in lucem. Et nos quidem „ad impressa B. Alberti Magni Opera, non pau„cos tractatus requirimus: qui si inventi man„darentur prœlo, an fortassis eos, quòd superve„nirent Libris jam impressis, liceret habere pro „suspectis? non equidem, sicut nec Opuscula „D. Thomæ, eo quòd successu temporis fortassis „creverint. Quoad id quod dicit Petrus de Al„va, modo circumferri LXXIII. Opuscula divi „Thomæ, non imus inficias. Impressa enim in„veniuntur totidem in modernis Operibus divi „Thomæ, nec tamen omnia pro legitimis S. Do„ctoris admittimus: sed ea tantum quæ majori„bus impressa characteribus, id est XLIII. Reliqua „quæ minoribus characteribus impressa sunt, „juxta R. P. Pauli Nazarii regulam, nec rejici„mus pro spuriis, nec pro legitimis admittimus, „sed tanquam dubia acceptamus. Porrò XLIII. „Opuscula illa majoribus characteribus impres„sa, certò esse Divi Thomæ, non verò ea quæ „impressa sunt minoribus, testatur Possevinus „*in Apparatu sacro suo*, dum ait: *Tantum tria supra „quadraginta Opuscula ejus genuina habentur.* „Quod si quadraginta tria, ergo infundare Co„loniensis quidam 38. Opuscula sub S. Thomæ „nomine impressa, Sancto Thomæ subtrahere „voluit, & adscribere B. Alberto Magno tan„quam legitimo authori: subtractis enim 38. „de 73. solum remanerent 35. Excusabilis ta„men est, quod inconsideratius egerit in illa „materia pro Alberto, Germanus pro Germa„no, Coloniensis pro Colonienfi, in S. Thomam „non malevolus, sed Conventus sui plus zelans „honorem, quam judicium & veritatem. Et in „hoc quidem egit contra communem torren„tem Scriptorum præsertim S. Antoninum, qui „in tertia parte *Historiæ* usque ad 40. Opuscula „D. Thomæ recenset: quod verificari non pos„set, si 38. Opuscula ex 73. B. Alberto tribue„rentur. Cæterum quidquid tunc (ut modo „nos expediamus) probabilitatis fuerit pro ze„lo zelati Religiosi: id totum modò reproba„rum est, post editionem Romanam Operum „S. Thomæ, factam & approbatam a Pio quin„to, in qua 43. Opuscula ut legitima proponun„tur. Hæc Franciscus Janssens, in Responsione sua ad Petrum de Alva, pagina 8. 9." & 10."

Ita quidem Petrus de Alva, ad æmulationem & invidiam S. Thomæ conciliandam, disputans *in Nodo sub indissolubili De conceptu mentis & ventris.* Ego solam veritatem inquiro, nec ad contentiones & rixas, Criticum exerceo. Itaque ingenue fateor omnes ferme veteres Opusculorum S. Thomæ Aquinatis nomenclatores, recensere illa usque ad 40. ad diversas personas, non computatis majoribus Operibus & Commentariis tam Philosophicis quam Theologicis: atque inveniri illa in MSS. Codicibus diversarum orbis Christiani illustrium Bibliothecarum. Primus Ptolomæus Lucensis Episcopus Torcellanus, ejusdem S. Thomæ discipulus, de quo tam sæpe loqui sumus, Lib. 23. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 11. Scripsit tamen quædam Opuscula, secundum consultationes sibi factas a diversis Principibus & personis, quæ in uno volumine reponuntur, sicut Epistolæ Augustini, & eo ordine quo traduntur, hic describuntur. Tum Capitibus sequentibus 12. 13. 14. & 15. allegat usque ad 40. & amplius Opuscula sub nomine Doctoris Angelici, cum titulis Opusculorum & Tractatuum, atque illorum initiis. Quid quæso magis authenticum esse potest? Guillelmus de Thoco Prior Fratrum Prædicatorum Beneventi, in Libro *De Vita S. Thomæ Aquinatis* cap. 4. num. 18. dum *de Opusculis* Sancti Doctoris. *Scripsit librum quem nominavit Compendium Theologiæ: Quæstiones de Quolibet: De perfectione vitæ Spiritualis: De substantiis separatis: Quæstiones De Anima: Super Dionysium de divinis nominibus: De Trinitate de Hebdomadibus Boetii: & alia multa Opuscula Theologica veritatis plusquam viginti, diversis Dominis & religiosis personis, quibus sicut mittebant dubia, dabat illuminatus de veritate responsa.* Hæc ille qui circa annum 1320. vitam S. Thomæ. Aquinatis scribebat, & ejus canonizationem, anno tandem 1323. factam procuravit. Bernardus Guidonis Gallus, Episcopus primum Tudensis in Gallæcia, tum postea Lodovensis in Gallia Lib. 1. cap. ultimo *De vita Sancti Thomæ Aquinatis*, quam circa annum 1324. Libris duobus conscripsit, ita caput inscribit. *Sequitur de Opusculis S. Thomæ. Scripsit etiam S. Thomas Doctor diversos tractatus & libellos ad instantiam diversarum personarum, quibus scilicet dum mittebant dubia, dabat ipse de veritate responsa: qui tractatus recollecti in unius voluminis corpore, ipsum efficiunt satis magnum, & intitulantur communiter* Opuscula Sancti Thomæ: *& possunt coordinari in uno volumine ad beneplacitum ordinantis, quia unus ab alio non depend t. Sunt autem numero circiter XL. paulo plus, minusve, quorum nomina & principia in sequentibus subnotantur.* Clemens Sextus qui Summus Pontifex vel Archiepiscopus Rotomagensis, scripsit Sermonem unum MS. *de laudibus Sancti Thomæ Aquinatis*, circa annum 1340. dum loquitur de Scriptis illius: *Item sunt parva Opuscula circiter quadraginta.* S. Antoninus Archiepi-

episcopus Florentinus, ex Ordine fratrum Prædicatorum assumptus, 3. parte *Chronici seu Summa Historialis* titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. verbotenus Bernardum Guidonis exprimit. *Scripsit etiam diversos tractatus & Libellos ad Instantiam diversarum personarum, quæ ei mittebant dubia, & ipse eis de veritate dabat responsa. Qui Tractatus recollecti in unius voluminis corpus, efficiunt ipsum satis magnum, & intitulantur communiter*, Opuscula Sancti Thomæ. *Sunt autem numero circiter quadraginta. Sunt ergo hi Tractatus* &c. uti fecerat Bernardus Guidonis, demptis tantum Opusculorum initiis. Hæc de MSS. Operum nomenclaturis, jam de impressionibus omnium S. Thomæ Opusculorum paucis agamus. Impressio prima *omnium S. Thomæ Opusculorum* sub nascentis typographiæ initium, facta est Venetiis in folio anno 1488. cura & studio Pauli Soninatis, ex Ordine fratrum Prædicatorum Doctoris Theologi, ubi sunt Opuscula numero LI. quæ postea alibi sæpius impressa sunt. Ab hoc autem anno 1488. quo Opuscula LI. primum impressa, ad annum 1570. quo Romæ Opuscula Doctoris Angelici impressa omnia, ad numerum LXXIII. pervenerunt, atque hinc hucusque sub eodem ferme numero, ordine duntaxat mutato, impressa sunt. Nullum dubium quin multa ex eis supposita sint, quæ ad distinctionem a Germanis, in editione Romana anni 1570. charactere minutiori impressa sunt, de quibus sigillatim agendum nobis incumbit. Sunt etiam nonnulla quæ ab omnibus eruditis vulgo germana creduntur, atque ab antiquis Operum S. Doctoris nomenclatoribus allegantur: illa quidem pauca, de quibus nobis tractandum erit.

CAP. VIGESIMUM PRIMUM.

DE CERTIS OPUSCULIS SUB NOMINE S. THOMÆ AQUINATIS, JUXTA ROMANAM EDITIONEM JUSSU PII QUINTI ANNO 1570. PROCURATAM.

JAm in specie agamus de Opusculis, sub nomine sancti Doctoris Angelici impressis, sequentes Romanam editionem, ut omnium correctissimam, & quæ vel dubia vel spuria ab indubiis, characterum diversitate, legitime distinxit.

Opusculum I. *Contra Græcos* seu *De erroribus Græcorum ad Urbanum Papam IV.* Lubens ego Opusculum istud S. Thomæ Aquinati abjudicassem, cum honori illius favere nullatenus possit, sed Nomenclatores Opusculorum hujus scriptoris, constanter omnes, adscribentes illi opus istud nullius momenti vel roboris, hanc a me opinionem amoliti sunt. Absurdum enim omnino fuit & Thomæ Aquinati temerarium, scribere contra Græcos, qui Græce nec agentes intelligeret. Unde Opusculum istud impudentissimum appellari potest, ob allegationes falsissimas testimoniorum quæ nunquam in Scriptis Græcorum comparuerunt. Opusculum igitur istud stramineum, ostendit Joannes Launcius Parisiensis Theologus in *Prima ad Antonium Faurum Epistola.* Nimirum ubi ostenditur tria ex Cyrillo Alexandrino relata, in B. Thomæ Opusculo *contra Græcorum errores* testimonia, Cyrillo supposita fuisse: primum quod in nullis Cyrilli Commentariis extant, deinde quod spectata hinc universim ejusdem Patris doctrina, extare non possint. Nec in hoc Opusculo tantum allegare falsa consuevit Thomas de Aquino, sed ut idem Joannes Launcius docet in posteriori ad eundem Faurum Epistola, testimonium quod ex eodem Cyrillo refert sanctus Thomas ad caput XVI. Matthæi, Cyrillo quoque esse suppositum probatur, ac suppositionem verba testimonii ipsa objiciunt & ostendunt. Denique idem Launcius in Epistola ad Paulum Ratuinum, expendit *Testimonia duodecim*, quæ in Opuscula S. Thomæ *contra Græcorum errores*, attribuuntur Conciliis, Constantinopolitano & Calchedonensi, Chrysostomo & aliis Patribus Græcis: quæ falsa esse omnia atque adulterata ostenditur. Vide Epistolas dicti Joannis Launcii omnes, editas in folio Cantabrigiæ anno MDCLXXXIX parte 1. paginis 1. 8. & 12. Scriptorem hunc Opera S. Thomæ pluribus vexantem ob allegationes falsas, produco lubentius, quod Pontificius sit, ac Parisinæ Scholæ ornamentum eximium ætate nostra, ex Collegio Navarrico procedens.

Opusculum IV. *De duobus præceptis charitatis, & decem legis præceptis.* Opusculum VI. *Devotissima Expositio super Symbolum Apostolorum.* Opusculum VII. *Devotissima Expositio Orationis Dominicæ:* juxta Nicolaum Treveth, Anglum in Chronico ad annum 1274. quod circa annum 1310. composuit, spectant ad Petrum de Adria ejusdem Ordinis. At alii omnes, qui fide digniores sunt, attribuunt sancto Doctori Angelico, in suis Catalogis quos contexuerunt, Opusculorum ejus. Ita Ptolomæus Lucensis Torcellanus Episcopus & S. Thomæ Discipulus Lib. 23. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 12. 13. & 14. ubi de Opusculis S. Doctoris agit. Bernardus Guidonis Lodovensis Episcopus, Lib. 1. *De Vita S. Thomæ Aquinatis* cap. ultimo, *De numero & nominibus Opusculorum & Tractatuum S. Thomæ.* Clemens Sextus Summus Pontifex, in Sermone MS. *De Laudibus sancti Thomæ Aquinatis*, saltem in genere, dum recenset 40. Opuscula S. Doctoris. Nam alii qui hæc 40. Opuscula recensent, ipsis hæc tria de quibus loquimur, constanter omnes annumerant. Denique sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus 3. parte *Chronici* seu *Summæ Historialis* titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. hæc eadem cæteris sancti Thomæ Aquinatis Opusculis accenset: quæ etiam in MSS. antiquis & bonæ notæ, sub ejus nomine inveniuntur. Opusculis istis attentissime discussis,

sis, invenio Opusculum IV. De Duobus præceptis charitatis & decem Legis præceptis, Opusculum V. De articulis fidei & Ecclesiæ Sacramentis, item VI. super Apostolorum Symbolum Expositionem, cum VII. & VIII. seu Expositione in Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, esse unius ejusdem authoris, sed incerti, qui aliquot post mortem Divi Thomæ annis ista Opuscula composuerit, quæ postmodum Aquinati attributa sint. Opusculum ex his primum debet esse De Articulis Fidei & Ecclesiæ Sacramentis, cujus prologus ad Opuscula etiam alia sequentia spectat sequitur Expositio in Symbolum Apostolorum, cum loco tertio De Duobus præceptis charitatis & decem legis præceptis, denique locis quarto & quinto Expositio in Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Ex his Opusculis duo in MSS. Codicibus attribuuntur Alexandro Halensi inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 663. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi Litera C. Codice 11. num. 1. *Alexandri Halesii Expositio 10. præceptorum Legis.* Num. 4. *Alexander Halesius De Symbolo sanctorum Patrum.* Inter eosdem MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ, alia duo ex his Opusculis attribuuntur Henrico de Wrimaria qui circa annum 1290. & 3000. florebat in Ordine Eremitarum divi Augustini. Itaque inter MSS. Codices hujus bibliothecæ Codice 1199. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera G. Codice 34. *Henricus de Vrinaria De perfectione spirituali seu Expositio in Orationem Dominicam & super Ave Maria.* Ibidem Codice 823. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera D. Codice 56. num. 9. *Henrici de Vrinaria Expositio Orationis Dominicæ.* Num. 10. *Expositio Salutationis Angelicæ.* Cumque etiam scripserit ex fide MSS. Codicum *Expositionem in decem præcepta Decalogi*, hinc verisimile est ipsum esse horum quinque Opusculorum verum authorem, quæ hic a numero IV. ad VIII. habentur, ac a fratribus Prædicatoribus S. Thomæ gratis attributa sint.

Opusculum XX. *De regimine Principum.* Quod præter communes Opusculorum S. Thomæ editiones, editum fuit sub nomine sancti Thomæ Aquinatis in 12mo. Lugduni Batavorum anno 1651. seorsim, inscriptum *De rebus publicis libri quatuor*, ex MS. Codice. Hujus Opusculi meminerunt veteres omnes Opusculorum sancti Thomæ Aquinatis nomenclatores, nimirum Ptolomæus Lucensis, Bernardus Guidonis, Nicolaus Trivethus, S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus: contra quos omnes agere durum arduumque est, quamvis necessarium, ob modicam ipsis debitam fidem, videatur. Ac primum quidem Natalis Alexander ex Ordine fratrum Prædicatorum, Doctor Parisiensis in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XXI. Dissertatione 6. quæ est *De Summa, Scriptisque cæteris Sancti Thomæ Aquinatis* art. 5. fol. 809. ubi examinat *Catalogum Opusculorum Sancti Doctoris*, quem contexuit in *Chronico* suo ad annum 1274. Nicolaus Trivethus Anglus: inter hæc Opuscula duos saltem libros posteriores *De Regimine Principum*, non esse sancti Thomæ censet, quod ibi multis probat, quæ nos postea referemus. Idem censent docti alii viri, inter quos Jacobus Cujatius, jurisconsultus doctissimus. Porro ut Natalis Alexander, cæteris præscriptis, *priores duos libros* hujus Opusculi *De Regimine Principum* Sto. Thomæ Angelico Doctori assereret: ostendere deberet ex MSS. Codicibus, additionem huic factam esse Librorum posteriorum. At Codices MSS. continent Libros quatuor istos, unde vel sanctus Thomas est scriptor Librorum quatuor istorum, vel nullius illorum. Præterea libri isti quatuor inter se connectuntur, eundemque præ se ferunt authorem: unde si sanctus Thomas non scripsit Librum tertium & quartum, nec etiam scripsit librum primum & secundum. Itaque dicendum est vel errasse nomenclatores omnes, alios nempe post alios, dum hoc Opusculum sancto Doctori adscripserunt, quod ad ipsum spectare nullatenus potest: vel Opusculum istud periisse, quod vere sanctus Doctor de hoc argumento conscripserat. Jam quod ad S. Thomam spectare hoc Opusculum non possit, ostenditur *primum* invincibiliter ratione Chronologiæ. Est enim S. Thomas anno 1274. mortuus, unde cum Scriptor hujus Operis Lib. 3. cap. 20. meminerit Adolphi Comitis de Nassovia, assumpti in Imperatorem, (lege in Regem Romanorum) quod anno 1292. contigit, Itemque Alberti Ducis Austriæ, in Regem Romanorum assumpti, quod anno 1298. accidit, annis XXIV. postquam S. Thomas Aquinas mortuus est: luce hinc meridiana clarius est, S. Thomam non posse esse scriptorem hujus Opusculi, quod in MSS. antiquis quatuor libris continetur, ut in Victorino Codice MS. littera DD 12. & alibi. Addamus alias rationes, quas loco citato Natalis Alexander affert. *Secundo* hic scriptor appellat sanctum Petrum Christi successorem Lib. 3. cap. 10. „*Dominus*, inquit, „*utitur in Joannis quadam importuna interrogatio-* „*ne, ter quærens a suo successore Beato Petro, quod* „*si ipsum diligit, gregem pascat.* Porro id non di- „xisset princeps Theologorum, quo nemo lo- „quutus est accuratius. Noverat enim *Chri-* „*stum, eo quod maneat in æternum, sempiternum* „*habere Sacerdotium*: ut ait Apostolus ad He- „bræos scribens, adeoque successorem non ha- „bere in terris, sed Vicarium duntaxat. *Ter-* „*tio* tribuit ea Summo Pontifici, quæ soli Chri- „sto conveniunt, quod nimirum habeat pleni- „tudinem gratiarum, ac de ejus plenitudine o- „mnes accipiant, ab eoque temporalis etiam „potestas & dominatio Principum derivetur. „*Oportet dicere*, inquit, *in Summo Pontifice esse* „*plenitudinem omnium gratiarum, quia ipse solus* „*confert plenam Indulgentiam omnium peccatorum*, „*ut competat sibi, quod de primo principe Domino* dici-

„*dicimus, quia* De plenitudine ejus nos omnes „accepimus. *Quod si dicatur ad solam referri* „*spiritualem potestatem, hoc esse non potest: quia* „*corporale & temporale ex spirituali & perpetuo* „*dependet, sicut corporis operatio ex virtute animæ.* „*Sicut ergo corpus per animam habet esse, virtutem* „*& operationem: ita & temporalis jurisdictio Prin-* „*cipum, per spiritualem Petri & successorum ejus.* „*Merito Summus Pontifex Romanus Episcopus, dici* „*potest Rex & Sacerdos. Si enim Dominus noster* „*Jesus Christus sic appellatur, ut Augustinus probat* „*XVII. De Civitate Dei: non videtur incongruum,* „*suum sic vocare successorem. Quarto* author ille „in Historia peregrinum & hospitem se prodit, „non minus quam in sacra doctrina, dum ait „*Constantinum Sylvestro in Imperio cessisse.* Caro- „lum Magnum ab Adriano Papa Imperatorem „constitutum, quem nonnisi Leone III. Ponti- „fice, qui Adriano successit, salutatum Impera- „torem constat. Dum ait Ottonem I. a Leo- „ne Papa creatum esse Imperatorem, qui a Jo- „anne XII. inauguratus est. Idem *Fridericum* „*II.* ab Honorio III. depositum scribit, cum ex- „autoratus non fuerit, nisi post obitum S. „Thomæ Aquinatis, ab Innocentio IV. in Con- „cilio Lugdunensi. Capite XVIII. quartam „Synodum centum & viginti Episcoporum ce- „lebratam fuisse ait, præsidente *Julio* Papa, quo „quid absurdius? Capite XX. scribit Imperato- „ribus a Summo Pontifice coronam pede por- „rigi, in signum suæ subjectionis & fidelitatis ad „Romanam Ecclesiam, Quod falsissimum est, „& Leonis III. exemplo falsitatis convicitur, qui „*Carolum Magnum* more antiquorum Principum „*adoravit*, ut Anastasius Bibliothecarius & Egin- „hartus testantur. Cæteros non discutio hu- „jus Operis errores. Sufficiunt quæ observa- „vi, ut innotescat *tertium saltem & quartum li-* „*brum* non esse S. Thomæ: & frustra Joannem „Paulum Nazarium recentiorem Thomistam, in „Opusculo *De Scriptis S. Thomæ*, laborasse ut li- „bros istos Angelico Doctori vindicaret. Fa- „cessant igitur, qui istius authoritate Operis „probare nituntur *S. Thomam* in illo errore „fuisse, quod Romanus Pontifex potestatem ha- „beat aliquam in temporalia Regum. Rectius „hoc Opus tribuitur, Ægidio Romano seu Co- „lumnæ, Bituricensi Archiepiscopo.

Sane in MSS. Codicibus Bibliothecarum Angliæ & Hiberniæ, qui 2. in folio voluminibus anno 1696. & 1698. Oxonii & Theatro Sheldoniano impressi sunt, hoc opus constanter Ægidio Romano seu Columnæ, attributum est. Ita inter Manuscriptos Codices Bibliothecæ Bodleianæ Codice 1521. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litera K. Codice 95. Ibidem Codice 1593. in Manuscriptis ejusdem Litera L. Codice 67. Codice 1834. in Codicibus Manuscriptis Kenelmi Digbæi, Codice 233. Codice 2801. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Bodleii litera C. 3. Codice 13, Codice 2166. in MSS. Codicibus ejusdem, litera D 2. Codice 8. Codice 2196. in MSS. Codicibus ejusdem, litera D 3. Codice 19. Codice 2361. in MSS. Codicibus ejusdem, litera F 2. Codice 22. Codice 2591. in MSS. Codicibus ejusdem, litera F 11. Codice 96. Codice 4059. in Hyperoo Bodleiano, inter MSS. Codices CXII. ex Hattonianis, Codice 34. Codice 4121. in Hyperoo eodem Bodlejano inter MSS. Codices Hattonianos Codice 96. Nec mihi dubium, quin plures ex his MSS. Codicibus, nomen Ægidii Romani expressum diserte habeant. Itemque dicendum de MSS. Codicibus aliis, qui reperiuntur in Catalogis MSS. Codicum Vniversitatum Oxoniensis & Cantabrigiensis, atque aliarum insignium Bibliothecarum Angliæ & Hiberniæ, qui plurimi omnino sunt. Nam inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1437. in MSS. Codicibus Collegii omnium animarum, Codice 36. inscribitur, *Fratr Ægidius Ordinis fratrum Eremitarum de regimine Principum.* Codice 2302. In MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 161. *Liber de regimine Principum, editus a fratre Ægidio Romano:* ut alios plures prætercam, qui opus hoc positive illi adscribunt. Fuit autem Ægidius Columna, patria Romanus, ex nobili familia Columnensium, qui fratribus Eremitis Ordinis Augustiniani adjunctus, magnam sibi famam ob doctrinam & morum gravitatem comparavit. Nam anno 1292. in Comitiis Ordinis sui Romæ habitis, Prior Generalis ejusdem Ordinis, communi omnium suffragio renuntiatus est, quo tamen munere post triennium sponte se abdicavit. Anno 1296. a Bonifacio VIII. Bituricensium Archiepiscopus & Aquitaniæ Primas constitutus, obiit Avenione XI. Kalendas Januarii seu 22. mensis Decembris anno 1316. Vnde Parisios delatus, in Conventu fratrum suorum nobilem sepulturam nactus est. Porro quæ habentur in Opusculo *De regimine Principum*, temporibus S. Thomæ Aquinatis anno 1274. mortui convenire nullatenus possunt, ut supra diximus: sed optime ætati Ægidii Romani conveniunt, cum post annum 1300. vel circa annum 1310. compositum videatur. Denique Opus istud sub nomine Ægidii Romani expresso impressum fuit Romæ anno 1482. in folio, antequam inter Opuscula S. Thomæ Aquinatis a fratribus Ordinis Prædicatorum, pudore omni abjecto, primo loco immitteretur. Item Venetiis iterum anno 1598. in folio, sub nomine Ægidii Romani recusum est. Romæ tandem anno 1607. in 8. ejusdem Ægidii Romani vita præmissa authentica per Hieronymum Samaritanum, cum collatione Opusculi ad MSS. Codices nomen Ægidii præferentes.

Opusculum XL. *De eruditione Principum Libri VII.* Evulgatum primo hoc Opusculum in editione Romana anni 1570. *omnium S. Thomæ Aquinatis Operum*, cum postea in aliis editionibus Opusculorum atque omnium Operum. Habetur illud aliquando MS. anonymum in Bibliothecis Galliarum antiquis, sed ut ingenue fate-

fatear, nec habet stylum nec methodum S. Thomæ Aquinatis. Attribuitur autem a nomenclatoribus Scriptorum Ecclesiasticorum *Guillelmo Peraldo Lugdunensi*, ex eodem Ordine fratrum Prædicatorum, qui eodem tempore quo Doctor Angelicus florebat: atque apprime refert ingenium & methodum ejusdem Guillelmi in Summa sua *De Virtutibus & Vitiis*: unde nullus dubito, quin ad eundem Guillelmum pertineat, cui attribuitur a nomenclatoribus, Antonio Possevino, atque aliis.

Opusculum XLVIII. *Summa totius Logicæ Aristotelis*, de qua diximus supra.

CAP. VIGESIM. SECVNDVM.

DE ALIIS QVIBVSDAM *SVB NOMINE S. THOMÆ AQVINATIS*, OPVSCVLIS.

OPusculum LVII. *Officium de festo corporis Christi, de mandato Vrbani Papæ IV. compositum.* Hoc Officium sub nomine S. Thomæ Aquinatis, injectum primo in editionem hanc Romanam anni 1570. omnium illius Operum, unde postea transiit ad alias editiones sequentes, Opusculorum omnium atque Operum sancti Doctoris. At Bollandistæ Antwerpienses Jesuitæ, in suis observationibus ad *Acta vitæ sanctæ Julianæ Fornelienfis* apud Leodium, quæ anno 1257. ad diem 5. Aprilis mortua est: opinati sunt hoc *Officium de festo corporis Christi*, fuisse compositum ante dictæ Julianæ mortem, a fratre Joanne Leodiensi illius confessionario,& Ordinis Præmonstratensis Presbytero, juxta morem Leodiensis Ecclesiæ, ubi primo institutum fuit, prout in Vita dictæ Julianæ scribitur. Cum autem postea hoc festum Vrbanus Papa IV. in omnem Ecclesiam Romanam & Catholicam effudisset, observandumque jussisset: S. Thomas de Aquino illud Officium ad modum Ecclesiæ Romanæ consvetum adoptaverat, paucis tantum ab Officio priori immutatis. Ita illi multis sunt conati affirmare non inanibus conjecturis in suo *Supplemento* ad primum volumen Legendarum mensis Aprilis,ex occasione hujus *Vitæ* sanctæ Julianæ, ad calcem voluminis. Scripsit contra ipsos prolixam simul & durissimam *Expostulationem* Natalis Alexander ad Generalem Præpositum Societatis Jesu, quasi ex hac disputatione omnis Divo Thomæ honor cultusque periissent, impressam Parisiis apud Antonium Deszaliers. Probat in ista Expostulatione quantum potest, fuisse hanc Ecclesiæ totius atque Ordinis fratrum Prædicatorum traditionem *Officium illud omne tam nocturnum, quam diurnum cum Missa*, quo hodieque utitur Ecclesia Romana & Latina, esse compositum a Sancto Thoma Aquinate. Argumentum probat susceptum ex authoritate Guillelmi de Thoco in *Vita S. Thomæ Aquinatis*, & S. Antonini Florentini Archiepiscopi: unde graviter conqueritur contra Bellandi socios & successores, velut novitatis inventores, quas modestius arguere poterat, & minus insolenter carpere, viros in Historia Ecclesiastica eruditissimos. Vtut sit revocarunt illi sententiam suam, in illo Opere Chronologico, quod nuperrime hoc anno, 1685. Antwerpiæ *De vitis Romanorum Pontificum* ediderunt, parte 2. Dissertatione XXIII. fol. 51. ubi de *Pontificatu Vrbani Papæ IV.* agunt. Sane totum istud Opusculum ita modicum est, ut tantam contentionem haud mereretur. Cum autem unam aut alteram ut supra diximus, Natalis Alexander authoritatem in Expostulatione sua produxerit, nos absque invidia dabimus hic plures, ut Joannes hic Leodiensis imposterum, alienis non ditetur aut induatur S. Doctoris Angelici Opusculis. Primus ergo omnium, Ptolomæus Lucensis, Torcellanus Episcopus, ex Ordine fratrum Prædicatorum assumptus, qui S. Thomæ discipulus fuit, qui eum aliquando in itineribus comitatus est, ipsum sæpius peccata confitentem audivit & absolvit, illius familiari colloquio & contubernio usus est, cujus authoritas consequenter in hac parte irrefragibilis est, libro 22. *Historiæ suæ Ecclesiasticæ* cap. 24. ubi loquitur de Operibus, quæ sanctus Doctor Angelicus scripsit e Gallia reversus in Italiam, ad mandatum Vrbani Papæ IV. *Officium etiam de corpore Christi fecit, ex mandato Vrbani, quod est secundum, quod fecit ad petitionem Vrbani. Hoc autem fecit complete, & quantum ad Lectiones, & quantum ad totum Officium tam diurnum quam nocturnum: quantum etiam ad Missam, & quidquid illa die cantatur. In qua Historia si attendimus ad verba scribentis, quasi omnes figuræ veteris Testamenti in hoc Officio videntur contineri, luculento & proprio stylo adaptata ad Eucharistiæ Sacramentum. In quo Officio Summus Pontifex magnam fidelibus tribuit Indulgentiam, qui dicto Officio interessent perpetuo duraturam. Quod quidem Officium fuit postea sub Clemente V. roboratum anno Domini MCCCX. in Concilio Viennæ supra Rhodanum celebrato.* Allegavit Natalis Alexander authoritatem Ptolomæi Lucensis in *suo Chronico*, quod Officium hoc S. Thomæ Aquinati affirmandum in sua *Expostulatione* ad Præpositum Generalem Societatis Jesu. Sed male & falso, nam in Chronico impresso quod expresse ob hanc rem legimus ac relegimus, nec vel verbulum de istis. Sed quæ a nobis allegata, reperiuntur in ejus *Historia Ecclesiastica* loco citato, quæ tantum manuscripta est. Secundus Guillelmus de Thoco in libro *De Vita S. Thomæ Aquinatis* cap. 4. num. 18. apud Bollandistas,quem in *Expostulatione* sua ad Generalem Præpositum Societatis Jesu, allegat Natalis Alexander, ut principalem & primum Sententiæ suæ patronum: *Scripsit Officium de corpore Christi, de mandato Vrbani Papæ, in quo omnes quæ de hoc sunt sacramento veteres figuræ, exposuit: & veritates quæ de nova sunt gratia, compilavit.* Vbi ut opinor, alludit ad expressionem Ptolomæi Lucensis, quem legerat. Tertius Bernardus Guidonis, ex

ex Ordine Prædicatorum, factus primum Episcopus Tudensis in Gallæcia, postea vero Episcopus Lodovensis in Gallia, ubi anno 1331. mortuus est. Hic scripsit circa aonum 1324. *Libros duos de Vita & Miraculis S. Thomæ Aquinatis*, qui extant manuscripti in Bibliotheca celebri Canonicorum Regularium divi Augustini Victorina Parisiensi, littera f. 1. folio 219. Ibi Cap. penultimo *De numero & nominibus Librorum & Tractatuum Sancti Thomæ*, ita loquitur: *Item mandante sibi Domino Vrbano Papa, dictavit & ordinavit totum Officium Ecclesiasticum de corpore Christi, tam diurnum quam nocturnum, quam etiam Missæ.* Addamus & *quartum*, ut nullus amplius de legitimo hujus Opusculi parente ambigere valeat, sanctum Antoninum Florentinum Archiepiscopum, 3. parte *Chronici* seu *Summæ suæ Historialis*, titulo 18. cap. 10. paragrapho 2. *Mandante quoque eodem Vrbano, composuit totum Officium, eam diurnum quam nocturnum festi corporis Christi, ac etiam Missa.* Hæc contra nostrum olim fratrem Joannem de Leodio, cui hoc Officium adscripserant continuatores Operis Bollandi, quod hodieque canitur ubique Ecclesiarum. Sed quid ad rei veritatem? Amicus quidem Plato est, magis tamen amica veritas. Vidimus nos olim in partibus Belgicis, istud primum Officium *de Corpore Christi*, a fratre Joanne Leodiensi compositum, quod aliud omnino est ab ipso hodierno quod composuit S. Thomas de Aquino: cum quo nullam vel modicam habet similitudinem, impressum cura Abbatis Avarbodiensis optimi feois, cujus tria nobis exemplaria ab ipso suppeditata, dum illuc transiremus.

Opusculum LVIII. *De venerabili corporis & sanguinis Christi sacramento, Sermones XXXII.* Tribuitur ab nonnullis *Alberto Magno*, sed illius non est Opusculum. *Primo* enim cap. seu sermone 9. hac phrasi, *Pasta quæ est farina aqua perfusa* &c. atque vox ista vel est Itali vel Galli, neutiquam Germani: .neque esse potest S. Thomæ Aquinatis, qui in vocibus non est ejusmodi barbarus. Item ibidem dum facit distinctionem signorum naturalium, artificialium & sacramentalium, affert exempla satis materialia & indigna sancto Doctore Angelico, vel Alberto Magno. Dum ait: *Aliud continet quod significat, ut pluviarium continet pluvias & significat, pastillum significat carnes & continet.* Quis enim ferat ita barbaros fuisse viros istos, quos iogeniorum miracula Dominicani fratres appellant:. ut pro cisterna *pluviarium* finxerint, & *pastillum* Gallice un pastè pro artocreate. Olet equidem exemplum *pastilli* ventrem Germanicum: sed Barbaries haud decet vel S. Thomam vel Albertum Magnum: atque Gallicis *acus pastilli*, authorem Gallum prodit. Referunt autem barbaræ voces illæ vel initium seculi XV. vel XIV. finem. *Secundo* homilia seu cap. 12. ait, *Tertium mirabile, imo mirabilissimum signum in conservatione Sacramenti Altaris est* &c. quæ & vox *mirabilissimum* idem tempus refert, neutiquam apud Scholasticos seculi XIII. usitata, qui latiniores, ut ita loquar, erant. *Tertio* tot tamque præclara de hoc Sacramento enuntiantur, undique collecta, ut hoc Opus ad secula posteriora referri debeat, nempe ad seculum XV. neutiquam ad XIII. ubi adhuc minus cumulate de hoc argumeoto Theologi loquebantur. Item tantus ordo, tot comparationes, argumenta, aliæque citationes appositæ: ut Opus referat Scriptorem ultimorum temporum Theologum, hominemque qui singulari applicatione & cura illud conscripserit, & qui per multum temporis huic Operi insudaverit.

Opusculum LIX. *De Sacramento Eucharistiæ ad modum decem prædicamentorum.* Non videtur spectare ad S. Thomam, sed ad aliquem Doctorem seculi XV. incipientis, vel XIV. cessantis. *Primum* ex Capite 2. ubi allegat fabulosam legendam S. Joannis Evangelistæ, qua dicitur *convertisse virgas ligneas in aureas & lapides arenæ maris in lapides pretiosos.* Si talia fabularum monstra scripsit S. Thomas, non Doctor Angelicus, sed Esopicus dici debuit. *Secundo* cap. 3. dum loquitur de anima quæ tota est in corpore toto & in quolibet pacto illius, allegat *Doctores Catholicos* nempe Scholasticos, *Si homo non potest perfecte intelligere* &c. At seculo XIII. quo S. Thomas Scholasticorum princeps vixit, non ita Scholastici appellabantur, nec ipse eos hoc nomine appellavit, sed *Magistros* duntaxat. *Tertio* cap. 5. affert ridiculum exemplum & suppositionem de intentione consecrandi, ubi allegat adhuc Doctores Ecclesiæ Scholasticos: *Verum est tamen quod aliqui Doctores summi & maximi scripserunt & docuerunt, quod si sacerdos intendens consecrare, iret per omnes plateas ubi panis venditur, & per omnia cellaria ubi vina venduntur, & proferret verba consecrationis super panem & super vinum* &c. Erat sane solidioris ingenii & judicii prudentioris S. Doctor Angelicus, quam ut in suis Opusculis suppositiones ejusmodi absurdas & Metaphysicas faceret, quæ risui inserviunt magis, quam doctrinæ & eruditioni fidelium. Deinde in infantibus ac nugacibus ejusmodi casibus, an sanctus Doctor allegasset alios Scholasticos, quorum ipse erat primus? An ob tales ab eis suppositiones ridiculas factas, appellasset illos *Doctores summos & maximos, qui ista scripserint & docuerint?* Qui ita loquitur *de Scholasticis & Casuistis absurdis*, haud dubie sapit stupiditatem atque simplicitatem sæculi XV. abjectissimi. *Quarto* idem cap. 1. vult in Sacramento Eucharistiæ multa esse non solum supra & præter, sed etiam contra humanam rationem: quæ expressio non olet S. Thomam, *unde in Canone* &c. Idemque repetit sub initium capitis octavi. *Denique* cap. 10. loqueos de situ corporis Christi in Eucharistia, sic loquitur: *Aliqui tamen Doctores aliter subtilius & melius ut videtur, docuerunt & dixerunt,* cer-

certum situm corporis Christi sub sacramento non posse assignari &c. Itane quæso unquam S. Thomas in aliis suis Operibus loquitur, dum allegat authoritatem vel sibi æqualium vel se præcedentium, Scholasticorum Theologorum? Expressio ista est Theologi seculo XV. viventis.

Opusculum LX. *De Humanitate Christi.* Illud insigne est ob doctrinam & eruditionem, quamvis non habeat stylum S. Thomæ, sed spectat ad aliquem, qui concionatores juvare voluit, inserendo omnia Mysteria vitæ & incarnationis Domini nostri Jesu Christi, quæ per quasdam affectatas divisiones trimembres & quadrimembres explicantur, methodo coocionatoria potius, quam scholastica ac disputativa. *Præterea* habet certas quasdam expressiones quas S. Thomas magnus scholasticus non habuisset, si Opus istud scripsisset: ut dum cap. seu art. 1. ait, Christum significare hominem Deificatum, *quia duæ naturæ in una persona filii se circumdederunt.* Hanc similemque expressionem, nunquam in suis omnibus Operibus Theologicis habuit S. Thomas. *Tertio* hic scriptor est firme perpetuus in *moralibus*, seu quoad mores informandos perpetuo in singulis suis argumentis tendit, ut legenti patere potest. At S. Thomas in omnibus suis Opusculis semper Scholasticus atque ad solam scientiam tendit, unde hoc Opus nullam habet conventionem cum methodo Divi Thomæ Aquinatis. *Quarto* hic scriptor sub initium sui Operis, has propositiooes *Deus humanatus & homo Deificatus* admittit: imo ab illis suum Opusculum incipit: „Christus Jesus venit in hunc mundum &c. di„cit enim Damascenus, quod Jesus significat „*Deum humanatum*, Christus vero e contra *ho„minem Deificatum, quia duæ natura in una perso„na filii se circumdederunt* &c. quas attribuit sancto Damasceno. Hoc autem contrarium est Sancto Thomæ Aquinati, qui 3. parte quæst. 16. art. 7. illas sibi proponit ac rejicit, benigne tamen interpretando. Imo quas iste author sub nomine sancti Joannis Damasceni allegat, affert S. Thomas ibidem observatione 3. sub nomioe S. Gregorii Nazianzeni, in Epistola ad Calidonium. Author igitur hujus Opusculi est alius quam S. Thomas de Aquino. *Quinto* habet voces quasdam licet paucas barbaras, & S. Thomæ Aquinatis in suis Opusculis insuetas. Ita ibidem loquitur de Dæmonibus Christi Incarnationem nescientibus, ait: *Unde notandum quod Dæmones non cognoverunt Christum* certitudinaliter *propter infirmitatem carnis, quam in ipso videbant:* sed conjecturaliter, *propter opera quæ divinitus faciebat.* Nam S. Thomas has voces *certitudinaliter* & *conjecturaliter*, magis latine expressisset *Certo & per conjecturas*: quam barbaro isto modo, qui olet initium seculi XV. vel XIV. extremum finem. *Denique* hic scriptor est fere perpetuus in affectatione divisionum similiter cadentium, ut legenti constabit, qui stylus D. Thomam Aquinatem non refert. Vnde sub Operis initium per divisionem: *Mysterium Incarnationis fuit a principio Angelicis spiritibus manifestum, dæmonibus vero occultatum, fidelibus etiam misericorditer revelatum*, qua divisione deducta, alteram statim sextimembrem, aggreditur: *Notandum vero quod Sacramentum Dominicæ Incarnationis primo fuit ab æterno præordinatum, in veteri lege præfiguratum, a Prophetis præconisatum, a sanctis Patribus desideratum, ab Angelo nuntiatum, in Beatissima Virgine Maria consummatum.* Hic stylus D. Thomæ Aquinatis nullatenus est, nec Opus istud palistram scholasticam sapit, licet doctissimum illud sit, & a concionatoribus ob ea quæ continet, non spernendum.

CAP. VIGESIM. TERTIUM. DE ALIIS OPUSCULIS SUB NOMINE S. THOMÆ AQUINATIS, IMPRESSIS.

Opusculum LXI. *De dilectione Dei, Christi & proximi.* Hoc Opusculum non est S. Thomæ, neque methodum ejus sapit. *Primum* enim ferme perpetuus est in divisionibus & partitionibus affectatis, quomodo non procedit S. Thomas in suis legitimis Operibus & Opusculis etiam minoribus. *Secundo* habet voces barbaras & S. Thomæ non consuetas, ut parte 1. cap. 1. dum loquitur de magno vel maximo mandato Dei *Diliges Dominum Deum tuum* &c. appellat hoc mandatum, *majus quia remandat, & repetens iterum remandat, ad profectum cognitionis divinæ* &c. voces barbaræ & S. Doctori insuetæ. *Tertio* eodem capite insans est author hujus libri, dum distinguit præcepta quædam necessitatis, in *præcepta prima, secunda, tertia & quarta necessitatis*: appellans *præcepta prima necessitatis, sine quibus Dei similitudo non salvatur* &c. de quibus expressionibus nihil unquam auditum est in aliis Operibus S. Thomæ. *Quarto* absurdus est hic scriptor dum cap. 13. allegat exemplum *amoris fœdi & carnalis*, ut hanc Evangelii propositionem probet, *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei* &c. Matth. 12. versu 50. ubi sic loquitur: *Voluntatem viri provocantis faciens aliqua virgo, fit mulier, ac deinde mater: eu voluntatem Dei facito, Christi mater eris & virgo.* Quid insulsius. *Quinto* cap. 14. sub finem ut caput concludat, ita loquitur, *In Summa tamen advertæ quis in amicum eligi dignior debeat* &c. vox enim ista *In summa tamen*, pro *tandem*, arguit authorem Gallicum & seculi XV. incipientis, vel XIV. labentis: nam ita Gallice concludere consuevimus, *En somme.* Qua voce barbara & impropria non videtur usus sanctus Thomas unquam, utpote magis in latinitate coogruus. *Sexto* Et ad finem capitis 16. dum idem loquitur de amore temporalium: *Quasi enim terra ex aqua generatur, cum amor rerum temporalium primum venialis est, postmodum ingrossatur & mortalis*

lis efficitur. Nec objiciant Thomistæ & Dominicani hoc Opus *esse refertum eruditione & affectu*. Hoc fateor, quid tum? Nam objectio ista puerilis est & nugax, ut Opus aliquod S. Thomæ Aquinati attribuatur: quasi vero nullus alius præter Sanctum Thomam Aquinatem, potuerit scribere aliquod Opusculum *plenum eruditione & affectu?* Imo omnia ferme Opuscula anonyma cujuscunque tandem sint, eruditione & affectu abundantia sunt: ergo omnia indiscriminatim S. Thomæ Aquinati attribuenda erunt, qui solus juxta Dominicanos erit scriptor omnium omnino Opusculorum. Ejusmodi ratiocinatio olet Monachum & Monachale capucium, per quod dum respiciunt Monachi *nihil nisi suum aut suorum vident*. Quot Opuscula anonyma in Operibus magni Augustini, *plena eruditione & affectu?* Ergo juxta supputationem hanc, omnia erunt attribuenda Sancto Thomæ Aquinati, & immiscenda impressis ejus Operibus? Quot Opuscula anonyma, *plena eruditione & affectu*, in impressis Sancti Bonaventuræ Cardinalis Operibus? Erunt ergo omnia adscribenda S. Thomæ Aquinati, & impressis ejus Operibus admiscenda. Ita autem argumentari, nugari est & Mendicantium more insanire. Nec secunda pars hujus Opusculi, magis spectare potest ad S. Thomam, quam prima. Hoc patere potest vel ex solo capite 1. hujus partis, ubi voces & eloquutiones inveniuntur, impropriissimæ, atque omnino S. Thoma Aquinate indignæ, quem Doctorem Angelicum vocant. *Primum* dum loquitur *de Charitate seu amore Beatorum*, ita se rusticus exprimit: *Primum quidem amor in patria, ignis in camino est, & in materia nobilis* &c. Hæc phrasis olet nescio quem Sabaudum, qui ex caminis a se purgatis olim, phrasim hanc & comparationem acceperit. *Secundo* ibidem dum loquitur de materia ardoris seu dilectionis, adhuc simplex est & rusticus, his verbis: *Vide ergo quomodo alii pro materia ignis, fimum boum in larem coedis componunt, alii torrones, alii stramina, alii ligna viridia, alii carbones*. Quis enim unquam credat, alium esse scriptorem hujus Operis, quam Belgam aliquem vel Batavum, apud quos forsitan comburantur, vel *fimus boum, vel torrones*, Gallice *des tourbes*, latine cespites, ut apud omnes ferme Batavos & Belgas: vel *carbones*, Gallice des houilles, ut in districtu Leodiensi consuevit. Denique nihil insulsius, quam quibus exprimit verbis ignem seu charitatem patriæ cælestis, unde lubens Carbonarium quendam, hujus scripti authorem opinarer. Illum audiamus sub finem ejusdem capitis: *Sic omnino ignem amoris pondus suum movet & agitat, donec in camino patriæ fistat*. Et infra, *In camino ergo patriæ locus est stabilitatis, ubi pondere suo ignis iste fistitur*. Et concludens idem capitulum, *O si modo respicere detur oculis cordis, qualis erit ille respectus, quo electi respicient sine timore gaudenter, de camino palatii Regalis, illos miseros sine spe dolentes, in camino carceris gehennalis?* Qualem quæso exclamationem! Fallor eximie nisi scriptor hujus Operis, vel carbonarius Belga, vel ex Sabaudia Caminarius. Solent Sabaudi caminorum purgatores, dum caminos purgarunt, e summo canere & respicere ad ima platearum ac vicorum homines euntes & transeuntes: qua ex occasione hic author, qui Caminos forsitan aliquando purgavit, alludit *ad Beatos & electos qui respicient sine timore gaudenter, de camino palatii Regalis, illos miseros sine spe dolentes, in camino carceris gehennalis*. Ex hoc unico & primo capite hujus secundæ partis, judicet prudens Lector de cæteris a me prætermissis, ne risus eorum qui ista legerint, tædio nimiæ in dicendo prolixitatis compescatur.

Opusculum LXII. *De Divinis moribus*. Item Opusculum LXIII. *De Beatitudine*. Nullam hic aliam dabimus censuram, quam quæ præfigitur his duobus Opusculis in editione omnium S. Thomæ Opusculorum Parisiensi anni 1656. & 1660. a Petro Pellicano, qui Opuscula recensuit. *Hæc duo immediate succedentia Opuscula nec majestatem styli, nec soliditatem doctrinæ, nec resolutionem Angelici Doctoris, virorum scientia & meritis præditorum judicio redolent, imo plura contra S. Thomæ mentem producta suis patebunt locis: author tamen quiquis sit ille, sub tempore præfati Doctoris vixit, ut infra notabitur*. Ego majestatem styli in Operibus S. Thomæ Aquinatis non agnosco, sed congruitatem & latinitatem a barbarie saltem alienam.

Opusculum LXIV. *De modo confitendi & de puritate conscientiæ*. Idem qui supra fatetur, *satis legenti patere non esse D. Thomæ ex phrasi & stylo, tamen continere omnia fere saluti aut necessaria aut utilia pœnitenti*. Ita censura Operi præfixa. Certum quidem est hoc non spectare ad D. Thomam Aquinatem, sed ad Casuistam aliquem, qui sub initium sæculi XVI. vel finem sæculi XV. floruisse videtur: cujus dictio humilis, neglecta, horrida, judicium tenue &c. Sane nihil absurdius, quam quod hic scriptor hujus Opusculi articulo 6. affert exemplum de Circumstantiis in auriculari confessione Sacerdoti aperiendis. *Adhuc*, inquit, *est gravius tangere Bertam osculando, quam ipsam in eodem loco tangere cum pede, quia iste modus tangendi est magis impudicus*. Egregium omnino atque usitatum exemplum circumstantiæ in confessione aperiendæ? Quasi vero soleant viri, qua parte mulierem vel ejus vultum ex affectu osculantur, eadem ipsas per iram pede calcare vel ferire? Nec etiam verum est, quod ipse tam scrupulose & assertorie statuit, *gravius esse peccatum Bertam osculari, quam ipsam in eodem loco cum pede tangere*. Unum enim est luxuriæ, aliud iræ peccatum: quod utrumque & leve & grave, pro affectu vel intentione aut remissione, seu inconsideratione, esse potest.

Opusculum LXV. *De officio Sacerdotis*, cui Petrus Pellicanus hanc censuram præmisit, *Quiquis*

quis author sit hujus Opusculi, egregiam in eo manifestat doctrinam, probando tres illas partes ex praxi Ecclesiæ, quam ubique docet secundum omnes Juris Canonici regulas, quarum quædam jam vel per non usum, vel per alias Constitutiones Ecclesiasticas abrogata. Ego autem censeo Opus istud non esse S. Thomæ, quia *primò* stylus ejus simplicior est, quam S. Thomam deceat. *Secundo* phrases barbaras habet, ut parte 2. art. 3. dum loquitur de pœnitentiis quæ hominibus injungi debent, *Masculis autem* &c. *ad tollendam malam consuetudinem de non veniendo ad Ecclesiam. Tertio* S. Thomas qui scribebat pro omnibus & juxta communem Ecclesiæ Romanæ usum, non injunxisset quæ hic Scriptor facit parte 2. cap. 4. ubi ait: *Debet autem Sacerdos monere communicantes, ut sumant de calice tribus vicibus ad minus, non propter aliquod mysterium* &c. qui mos ad Diœcesim aliquam vel Ecclesiam particularem spectabat, quam scriptor hujus Opusculi universalem credidit: quod in Divum Thomam cadere non potuit. *Quarto* appellat mappam quæ ante communionem porrigitur, *Gausope*, quam magis proprio nomine S. Thomas expressisset: *Debet autem teneri dum communicant, aliquod gausope* &c. quod barbarum est & improprium. Nam ex Calepini Dictionario, *Gausope vestis militaris seu straguli genus, quod olim ex stramento confici solebat, quanquam postea etiam ex lana fieri capit majoribus villis: quo etiam in urbe utebantur, hyberno potissimum tempore, adversus frigoris tempestatumque injurias.* Plinius lib. 8. cap. 48. *Antiquis thoros e stramento erat. qualiter nunc etiam in castris Gausope.* Gausope igitur seu Gausapium, tapetia villosa (ut nunc turcica) quibus mensæ tegebantur. Hoc autem non convenit mappæ, quæ fidelibus ante sacram communionem apponitur, cum nec villosa sit nec ex lana, sed ex lino quantum datur mundissimo. *Quinto* non decet etiam S. Thomam, quod iste scriptor vult, ut Sacerdotes faciant infantibus ita teneris ut non possint Eucharistiam sumere, dum in articulo mortis versantur: nempe *ut vinum cum aqua in calice pro confirmatione porrigant, non quod sit sacramentum, sed fides est assuefactio sacramenti.* Unde vix video doctrinam hujus scriptoris esse tam egregiam, quam illam facit censor hujus Opusculi, Pellicanus Dominicanus. Supponit enim hæc periodus, adhuc hoc tempore fuisse datam Eucharistiam infantibus, quod tempori quo vixit S. Thomas de Aquino, non convenit. *Sexto* denique ejusdem partis 2dæ art. 7. hic scriptor infans est, loquens de matrimonio, dum ait esse dandam ambobus conjugibus benedictionem: sed *specialiter super mulierem, ratione cujus celebratur Missa & datur benedictio:* nam ex æquo illis debet benedici, qui æqualiter conjunguntur, pro quibus pariter Missa celebratur.

Opusculum LXVI. *De Expositione Missæ.* Antiquum est Opusculum istud, quod vidimus in multis MSS. Codicibus absque nomine, qui centum annis, ætate sancti Doctoris Angelici vetustiores sunt. In nonnullis autem reperitur paucis, sub nomine *Joannis Cornubiensis Angli*, qui circa annum 1170. floruit, de quo suprà *in Joanne Cornubiensi* diximus, ad annum citatum. Est autem multoties impressum sub nomine diversorum authorum: *Primò* inter Opera *Hugonis de Sancto Victore*, cui adscribitur etiam, in antiquis MSS. Codicibus. *Secundò* sub nomine *Guillelmi de Sancto Theodorico* Abbatis olim hujus loci, postea Monachi Signiacensis, atque Sancto Bernardo singularis amici: quod legere est tomo 4. *Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis*, cum aliis ejusdem Guillelmi Abbatis Operibus. Cur autem illud adscripserit *Guillelmo Abbati* Bertrandus Tissier Prior Bonifontis in Thierascia, ipse narrat, quia invenit Opusculum istud MS. cum aliis ejusdem atque indubiis Operibus immixtum. *Tertiò* impressum est sub nomine *D. Thomæ Aquinatis*, ab editione Romana anni 1570. ad ultimam usque Parisiensem anni 1660. jam videant inter se ad quem spectet trium Ordinum, Augustiniani Regulares Canonici, Bernarditæ & mendicantes Dominicani. Illud ego asserui *Joanni Cornubiensi*, ex fide MSS. Codd.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.
DE CÆTERIS S. THOMÆ AQUINATIS OPUSCULIS.

Opusculum LXVII. *De emptione & venditione ad tempus*, habet equidem titulum S. Thomæ, sed non comparet in antiquis editionibus, ante Romanam anni 1570. Cujus tamen ex antiquis Opusculorum Doctoris Angelici nomenclatoribus, meminit Nicolaus Trivettus *in Chronicô* ad annum 1274. quod vocatur *Responsio S. Thomæ ad quatuor quæstiones.* Attamen barbaræ voces reddunt & arguunt Opus istud esse S. Thomæ suppositum, ejusque nomine ab aliquo inscriptum. Sic loquitur ad primum casum, *Quod supposito quod ista consuetudo de dilatione solutionis usque ad spatium trium mensium, sicut proponitur, sit ad commune bonum mercatorum, scilicet pro expendendis mercantiis sive mercationibus, non in fraudem &c.* & infra, *quia ut vendit venditor mercationes suas ad terminum prædictum, &c.* Item ad tertium casum, *Et licet aliquas expensas licitè factas, putà in portatione pannorum, possint licitè recuperare de eorum venditione: non tamen possunt recuperare usuras quas dederant, cum hæc fuerit injusta datio.* Quid est enim barbarum magis istis vocibus, *mercantia seu mercatione? portatione & datione?* Quas sane voces barbaras non habent, aliæ Responsiones D. Thomæ Aquinatis, ad quæstiones sibi factas. Hoc autem Opusculum modicissimum & nullius momenti est.

Opu-

Opusculum LXVIII. *Epistola de modo acquirendi scientiam sive humanam sive divinam.* Nullam habet apud antiquos mentionem, nec credibile est inquirenti de modo acquirendi scientias alicui, tam modica respondisse Epistola, qui tam facile & diffuse de hoc argumento scribere poterat S. Thomas de Aquino. Adde quod inquirens loquebatur, *De modis seu mediis naturalibus acquirendi scientias :* cui hic anonymus absurde respondet *de mediis Spiritualibus*, & ad interrogata nihil facientibus. At a gallo ad azinum non ita transisset Sanctus Doctor.

Opusculum LXXI. *De virtutibus & vitiis numero quaternario conjunctis.* Creditur esse *Jacobi de Voragine*, cujus stylum refert, ut infra dicemus, verbo *Guillelmus Peraldus seu Lugdunensis.* Quod non spectet ad S. Thomam Aquinatem, evidens est, ex eo quod voces affectet barbaras: quod nunquam fecit S. Thomas, semper autem Jacobus de Voragine in suis Operibus, & consequenter in isto, quod compendium est *Summa Guillelmi Peraldi* de Virtutibus & Vitiis. Ita author hujus Opusculi cap. 2. *Quatuor sunt quæ ductori guerræ plurimum expediunt &c.* & postea, *Quatuor sunt quæ gerentibus guerram, maximè considerare convenit. &c. scilicet quis est qui guerram gerit &c. & quis effectus guerræ quæritur. Quatuor mala præcipuè procedunt ex guerra &c.* Quamvis enim S. Thomas Aquinas in indubiis suis Operibus, ornatum atque elegantiam Latinitatis non affectaverit, nunquam tamen neglexisse illam videbitur, aut affectasse barbariem.

Opusculum LXXII. *De concordantiis dictorum, in quo concordat seipsum in passibus apparenter contradictoriis.* Conveniunt omnes hoc Opus non esse S. Thomæ, sed alicujus Thomistæ, qui illud ex assidua lectione potissimorum S. Doctoris Opusculorum & Operum, stylo barbaro composuerit.

Opusculum LXXIII. *De usuris in communi, & de usurariorum contractibus.* Asserit spectare ad Divum Thomam F. Petrus Pellicanus, cui præmittit hoc monitum. „*Testimonium Eminentissimi S. R. E. Presbyteri Cardinalis, Fratris „Vincentii Justiniani, ex Ordine Prædicatorum assumpti, & Reverendissimi P. Fratris Thomæ Henriquez Sancti Palatii Magistri, qui ambo D. Thomæ „Opera omnia jussu Pii V. Pontificis Maximi, ex ipsoque Ordine assumpti, Romæ typis mandari curarunt.* „Hoc ultimum, inquiunt, Opusculum neglectu „quorundam cum aliis S. Thomæ Opusculis impressum non fuit, cum tamen ut a peritis antiquioribus Patribus Sacri Ordinis Fratrum „Prædicatorum accepimus, absque dubio Opusculum ipsius esset. Cum in eodem Opusculo „3. parte cap. 5. finali alleget opusculum alias „IV. nunc XIV. *De decem præceptis* cap. XXIV. „ostendens differentiam inter usuram & rapinam, sic ait: *Et de his aliàs scripsimus in septimo „præcepto Decalogi fusius.*" Sed dico ego monitum istud, quod demonstrativum Petrus Pellicanus opinatur, esse puerile ac nugax. Magna ista affectatio dignitatum *Fratris Vincentii Justiniani S. R. E. Cardinalis, & Fratris Thomæ Henriquez Magistri Sacri Palatii*, nihil ad rem faciunt, nec unquam facient, ut istud Opusculum sit S. Thomæ Aquinatis. Hi omnes fuerint eruditi Theologi, inde non sequitur fuisse felices in hoc puncto critices. Dico itaque *Opusculum de Usuris* non spectare *ad Sanctum Thomam de Aquino*, neminemque id affirmaturum, nisi qui obductas nares habuerit, vel qui nullatenus illud cum aliquanto judicio legerit. Jam probemus & demonstremus. *Primò* Scriptor hujus Opusculi parte 2. *De vitio usuræ* cap. 2. allegat *Gaufredum* seu ejus authoritatem uti in Jure potissimum, quem sibi tamen refutandum assumit: *Gaufredus siquidem magnæ authoritatis in Jure Canonico, Summam faciens super titulos Decretalium*, in titulo *de Usuris*, cap. *is qui naviganti &c.* tum postea, *Solutiones Gaufredi & aliorum &c.* Hic autem Gaufredus de Trano dictus, scribebat suam *Summam in Decretales* anno 1290. vel seriùs adhuc, ut constat. Ergo qui scipsit hoc Opusculum, dum citat *Gaufredum*, non scripsit ante annum 1290. vel 1300. & consequenter ac demonstrativè, ad S. Thomam Aquinatem a. 1274. mortuum, spectare non potest. Videat itaque Petrus Pellicanus, quomodo hanc rationem solvant, & *Vincentius Justinianus S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, & Thomas Henriquez Sacri Palatii Magister, ambo ex Ordine Fratrum Prædicatorum assumpti?* Videat quomodo vel solum hoc Opusculum legerint, qui sic intrepidè & absque scrupulo, Sancto Thomæ asseruerunt? Videat quomodo, *ut à peritis antiquioribus Patribus sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum acceperint, absque dubio Opusculum S. Thomæ esset:* quod absque dubio, Sancti Thomæ non est. Aliud garrulitas, aliud ratio: ac sæpissimè ubi titulus audax, ibi veritas abest. Videat quomodo velut infans, appellare possit *antiquissimum MS. Carnutense suæ Bibliotheca*, quod Opuscula continet non scripta ante annum 1290. vel 1300. Nescit sanè is hospes in MSS. Codicibus, ejusque multi similes, quod Codices 300. annorum, nunquam *antiquissimi* appellantur vel appellari debent: quod inter antiquarios & eruditos, nec Codicibus etiam seculi XII. vel XI. conceditur. 2. Petrus Pellicanus, ut hoc Opusculum *De usuris* S. Thomæ Aquinati asserat, allegat hunc Scriptorem 3. parte *De usuris* cap. 5. ad finem, remittere ad tractatum suum *De decem præceptis:* quem cum certum sit pertinere ad *S. Thomam de Aquino*, idem quoque dicendum esse, de tractatu *De usuris.* Locus porrò Libri *De decem præceptis* ad quem remittitur, est caput XXIV. hujus Opusculi juxta Petrum Pellicanum. Nescio an oculos habuerit Petrus Pellicanus, quando hoc scripsit. Fateor Scriptorem Opusculi *De usuris* 3. parte cap. 5. remittere ad quendam suum Tractatum *De decem præceptis*, dum distinguit *inter usuram & rapinam seu furtum;* sed de ista distinctione nihil

omni-

omnino habetur cap. XXIV. Opusculi *De decem præceptis*, quod habetur inter Opuscula S. Thomæ Aquinatis, quamvis illud allegaverit Petrus Pellicanus. Unde nihil inde habetur, quo probet S. Thomam esse Scriptorem hujus Opusculi *de usuris*. *Tertiò* hic Scriptor Opusculi, dum loquitur de Magistris Theologis quos allegat, appellat illos usitate & ferme semper *Doctores Theologos*. Ita parte 2. cap. 2. *Hoc etiam quidam alius Doctor Theologus asserens, pro sententiâ addit rationes &c.* Et infrà ibidem, *Idem etiam Doctor Theologus opinionem hujusmodi &c.* & infrà, *sciendum autem imprimis, quod cujusdam famosi Doctoris in Jure vidimus sententiam &c. Unde secundum prædictum Doctorem &c.* Et longe infrà, *ad id verò quod adducitur ab alio Doctore Theologo, videtur nobis respondendum &c.* At nunquam sic S. Thomas in ullo ex suis Operibus allegavit *Doctores Theologos*, quos dum citat, *Magistros* simpliciter appellat. Et usque ad medium seculi XIV. nonnisi *Magistri in Theologia* appellati sunt, quibus posteà nomen *Doctoris* apud Scriptores tributum: ut qui Historias & antiquitates Universitatum volvunt, omnes sciunt. Unde evidens est, hunc authorem spectare non posse, nisi ad seculi XIV. medium vel finem: & consequenter hoc Opusculum, authorem non agnoscere potest S. Thomam Aquinatem. *Quartò* hic Scriptor habet voces quasdam & phrases barbaras, S. Thoma Aquinate indignas, qui semper in Operibus suis etiam maximis & indubiis Opusculis latinus est, nunquam autem barbarus. Unde longè absunt ut Doctorem sanctum honorent, qui prædictum Opusculum ei attribuunt, quin inde famam ejus plurimum imminuunt, per quisquilias ejusmodi legitimis ejus Operibus immixtas. Audiamus expressionem S. Thoma indignam. *Declaratio quoque prædictorum, per exempla magis patebit. Ponamus igitur quod aliquis post Augustum, multum de blado vel de vino habeat venalia, & pro illo tempore mensura bladi tres solidos tantùm valeat, & modius vini decem: & vendit bladum pro quatuor solidis &c.* olent expressiones istæ quæso Doctorem Angelicum? Olent virum ubique saltem in eloquutione latinè mediocrem & congruum? Nullatenus, sed præ se ferunt barbariem seculi XIV. vel labentis vel medii. Habet & alias ejusmodi voces barbaras, quales S. Thomas in genuinis Operibus suis habere non consuevit. Hunc tractatum esse compositum ab Anglo aliquo Theologo lubens opinarer, cum semel atque iterum *de Sterlingis*, moneta Anglicana loquatur.

Opusculum LXXIV. & ultimum, *De præscientia & prædestinatione*, ad Fratrem Reginaldum socium charissimum suum: inquit Petrus Pellicanus in editione Parisiensi anni 1656. omnium S. Doctoris Opusculorum, fol. 883. cui hoc monitum præmittit. „Hoc Opusculum reperitur „additum Commentariis Cardinalis Cajetani in „Summam Sancti Thomæ Doctoris Angelici, „in quibusdam post primam partem, in aliis post „tertiam partem Summæ S. Doctoris, & ante „ejusdem Cajetani Opuscula: hocque sub no„mine S. Thomæ de Aquino, & cum sequenti„observatione, *Insignis Angelici Doctoris Divi Tho„mæ Aquinatis, De divina præscientia & prædestina„tione Tractatus, per Joannem Danielem sacræ Pagi„næ Baccalaurium Lovaniensem studiosissimè revisus„ & correctus &c.* " Sunt qui velint hoc Opus esse unum ex Opusculis Thomæ de Vio Cajetani, qui per errorem attributus est S. Thomæ Aquinati. Nihil habeo, quo judicem esse indignum S. Thoma Angelico, cui apprimè ob doctrinam & stylum convenit: sed asserere propterea S. Doctori non audeo, nec quisquam prudens an dare debet, quia nullus veterum qui opera & opuscula omnia Sancti Thomæ Aquinatis recensent, hujus Tractatus meminit. Unde juxta regulam quam dat ipse Sanctus Doctor opusculo suo XXI. in responsione ad quæstionem quintam: *Istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, cùm nullius authoritatis robore fulciatur.* Hæc de opusculis & operibus S. Thomæ Aquinatis, absque ullo sanioris judicii vel studii diligentioris præjudicio, dicta sunto.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

AN SUMMA THEOLOGICA, QUÆ S. THOMÆ AQUINATI VULGO ADSCRIBITUR, EX INTEGRO ET INDUBIE AD IPSUM PERTINERE, CENSENDA SIT?

Omnium S. Thomæ Operum præstantissimum *Summa Theologica tripartita*, quam innumeris locis sub nomine illius impressam fuisse ab initio nascentis typographiæ, nullus nescit: quamque etiam MS. in multis Bibliothecis Galliarum & Belgii vidimus: non ipsis quidem Codicibus antiquissimis, ut loquuntur sæpissime Dominicani Mendicantes, sed his tamen annorum trecentorum vel circiter, ad hanc Summam Sancto Doctori indubitanter affirmandam sufficientibus. Impressa Summa ista tomis X. XI. & XII. editionis Romanæ anni 1570. cum amplissimis Thomæ de Vio Cardinalis Cajetani Commentariis, à quibus prudenter editores Romani abstinuissent, si parcere expensis egenorum ac studiosorum simul voluissent. Verum occupat illa in editione Parisiensi anni 1660. tomos seu volumina XXI. XXII. & XXIII. quam non pœnitendis marginalibus notis illustravit in hac ultima editione F. Joannes Nicolai Doctor Parisiensis, ex ordine Fratrum Dominicanorum. Longe autem utilius hic Criticis profuisset, si quam impendit curam effingendis notis, hanc insumpsisset inquirendis & conferendis MSS. Codicibus hujus Summæ, cum impressionibus factis. Sed hoc nimis laboriosum odiosumque erat huic viro, qui tamen

hoc potuit fi tentare voluisset, cum multa sint MSS. hujus operis in celebri Bibliotheca Victorina, Colbertina, & aliis Parisiensibus, vel in Abbatiis Galliæ, ex quorum collatione Summa correctissima prodiisset. Ita equidem factum narrat hujus editionis titulus, sed minus sincere, ut mihi hanc editionem cum MSS. nonnullis conferenti, patuit. Concludimus autem criticen nostram hoc opere, quoniam illa contentio potissima, quam hoc seculo nonnulli vel Sancto Thomæ Aquinati adversarii, vel aliunde ad id inducti, suscitarunt. Steterunt e contra Fratres ordinis Prædicatorum, cum ingenti armorum ac Dissertationum fragore, pro focis & aris pugnantes, ut hoc principale opus Sancto suo Fratri assererent: opinari de re Christianâ factum, si *Summa Theologica tripartita* ab Aquinate amoveretur. Pugnarunt itaque illi acriter & rationibus & injuriis, quas bene multas ut causæ suæ plurimum patrocinantes, ore pleno in adversarios suos, nec mercium istarum avari, effuderunt.

Primus qui ambegit, an tota Summa Theologiæ tripartita ad S. Thomam Aquinatem spectaret, fuit Robertus Bellarminus, qui in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1265. dum de Scriptis hujus Sancti Doctoris agit, *Observatione tertia* sic loquitur. „ Mirum valde est, quòd „magna pars primæ secundæ & secundæ secundæ, inveniatur iisdem verbis in primo & tertio *Speculi moralis* Vincentii Bellovacensis. Et „quidem non videtur Vincentius potuisse Speculum suum morale conficere ex doctrinâ & „verbis S. Thomæ, cum ipse obierit anno Domini „1256. ut testatur Antonius Senensis ex Vaseo in „Bibliotheca PP. Prædicatorum: & S. Thomas „obierit anno Domini 1274. & in extremâ ætate „Summam Theologiæ confecerit. Sed neque „est ullo modo credibile Sanctum Thomam „*Summa sua partem secundam*, eamque nobilissimam, ex alio Scriptore hausisse. In his angustiis nihil mihi occurrit, nisi *Speculum illud morale* forrasse non esse Vincentii Bellovacensis, sed alicujus authoris posterioris, qui fortasse „Vincentius etiam dicebatur, quique *secundam partem S. Thomæ* in compendium redigere voluerit. Id quod videtur posse confirmari, eo „quod *Speculum morale* gravius multo esse videtur, quam sint *Speculum doctrinale, Naturale & Historiale*, quæ tria sine ullo dubio sunt Vincentii „Bellovacensis.

Alter dubitans an *Summa Theologia tripartita* ad S. Thomam spectaret, imò ad illum non pertinere asserit imprudenter satis (meo quidem judicio) solâque sibi garrulitate solitâ, *Petrus de Alva & Astorga* Franciscanus, Lector Jubilatus, supremæ Inquisitionis qualificator, totius Religionis Fratrum Minorum Pater, & in curiâ Romanâ ejusdem ordinis procurator Generalis, in opere illo quod ambitioso titulo inscriptum *Nodus indissolubilis de conceptu mentis & ventris* prodiit Bruxellis anno 1661. apud Philippum Vleugaert, licet anno præcedenti 1661. impressum inscribatur. Ibi tam ex rationibus dubitandi à Bellarmino ex *Vincentio Bellovacensi* allatis, quam ex aliis suis inanibus conjecturis: infert audaci conatu simul atque irrito, *Primam secundæ, secundam secundæ, & tertiam partem*, dicam brevius, *Summam omnem Theologiæ* ad S. Thomam non spectare. Probat thesim suam modicissimis conjecturis, litterato homine indignis, atque à longinquis partibus è Limensi nimirum Provinciâ adductis in Belgium, literatissimam orbis regionem. Vtitur præterea negativis argumentis, nihil omnino concludentibus, itemque ex MSS. Codicibus anonymis, quos omnes *Originalia*, novitius appellat semper. Vidisse me hominem recolo olim, dum junior essem, varias percurrentem Bibliothecas, sed festinanter ac Minoritanâ velitatione: unde nihil mihi mirum, quod tam modicam ex tot locis inspectis eruditionem hauserit. Hunc virum egregiè dedolavit Franciscus Janssens Ordinis Fratrum Prædicatorum, Professor Philosophiæ Lovaniensis, in Opere inscripto, *Authoritas Divi Thoma Aquinatis V. Ecclesia Doctoris vindicata*, impresso Gandavi anno 1664. apud Maximilianum Graet, sub signo Angeli. Et in altero quod scripsit contra *Matthæum Hauseur* Minoritam, Petri de Alva defensorem, cui titulus, *Statera minus habens*, Antverpiæ anno 1665. apud Engelbertum Gymnicum. Idemque præstitit Frater Martinus Harneius ex Ordine Fratrum Prædicatorum, S. Theologiæ Licentiatus, *in Epistola Apologetica*, quam ad Petrum de Alva scriptam edidit in 4. Bruxellæ anno 1664. Joannes Mommart.

Tertius Joannes Launoïus, Doctor Theologus Parisiensis, qui in Opere suo inscripto, *Venerenda Romana Ecclesia circa Simoniam traditio*, impresso Parisiis anno 1675. apud viduam Edmundi Martini, dubitavit *observatione VIII.* an Summa eadem verè Sancti Thomæ Aquinatis esset: ex silentio Clementis Sixti Summi Pontificis, qui in Sermone quodam, ubi abundè de Operibus S. Thomæ Aquinatis loquitur, istius Summæ non meminit, inquiebat Launoïus. At egregie, licet acerbe satis, Joannem Launoïum Natalis Alexander Ordinis Fratrum Prædicatorum confutavit, singulari doctâque Dissertatione, quam posteà inseruit tomo XXI. suorum *Selectorum Historia Ecclesiastica Capitum*, inscriptam: *Dissertatio Sexta de Summa, Scriptisque cateris S. Thoma Aquinatis, ubi Summa Tripartita S. Thoma vindicatur, eidemque asseritur Officium de Sanctissimo corpore Christi.* Continet ista Dissertatio articulos septendecim amplissimos, quibus addi nihil potest, ad probandum hanc Summam pertinere absque dubio ad S. Thomam, contra Launoïum dubitantem; omnesque postmodum objectiones solvit, quas ex Vincentio Bellovacensi Robertus Bellarminus, Petrus de Alva, aliique adduxerant. Nos autem hic brevius nostram Conclusionem more S. Thomæ Aquinatis quem defendemus, cum Natali Ale-

Alexandro ponimus, sed in nonnullis paucis ab eo dissidentes.

CONCLUSIO.

Summa Theologiæ Tripartita, indubiè spectat ad S. Thomam Aquinatem.

Ita antiqui omnes nemine excepto, qui scripserunt vel Vitam S. Thomæ Aquinatis, vel de ejus Operibus Catalogos texuerunt, contra paucissimos recentes, nullisque legitimis ad dubitandum innixos rationibus. Dixi, *nemine dempto*. Nam ut etiam infrà ostendam, Clemens Sextus Summus Pontifex, in Sermone quem scripsit *de Sancto Thoma*, hanc Summam illi adstruit, quod non attendit Joannes Launoïus, qui inde occasionem dubitandi accepit: quod neque advertit Natalis Alexander, qui tot tantisque hinc atque inde collectis, Launoïum dubitantem arguit atque oppressit. Itaque caligantes Joannis Launoïi oculi, dederunt occasionem doctissimo seni dubitandi, dum male legit hunc MS. Codicem Clementis Sexti: at eruditam Dissertationem à Natali Alexandro extorserunt, umbras utcunque percutientem, cum agat illam occasione hujus Sermonis Clementis Sexti, qui *Summam* tamen ibidem S. Doctori asserit.

1. Ptolomæus Lucensis, Torcellanus Episcopus, qui fuit S. Thomæ Aquinatis discipulus, quem sæpius peccata sua confitentem audivit, quem in itineribus comitatus est, cujus diu contubernio & colloquio familiari usus est: hic tantus testis dum loquitur de morte & Scriptis S. Thomæ Magistri sui & confratris Lib. 23. *Historiæ Ecclesiasticæ* quem suprà jam adduximus cap. XI. ita ait. *Hic Doctor tempore hujus Pontificis* (Gregorii X.) *scripsit ultimam partem Summæ, quæ Sacramentalis dicitur, quia de Sacramentis ibidem agitur, & de Incarnatione Verbi: in quâ articuli fidei continentur secundùm ipsius humanitatem, sed non complevit morte præveniente.* Quid clarius & expressius hoc testimonio discipuli videntis & viventis temporibus S. Thomæ Aquinatis? Vel hic unus prævalet mille novitiis, vel dubitantibus, vel negantibus. Jam si scripsit teste Ptolomæo Lucensi, tempore Gregorii X. *ultimam partem seu tertiam Summæ Theologiæ*, quam eodem teste, *morte præveniente non complevit*: ergo teste eodem *anteriores hujus Summæ partes*, jam ante Gregorii X. Pontificatum conscripserat, sedentibus nempe in Cathedra Sancti Petri, vel Vrbano IV. vel Clemente itidem IV.

2. Nicolaus Trivettus Anglus, eidem Sancto Doctori contemporaneus, qui circa annum 1310. Chronicon scribebat, loquens ad annum Christi 1274. de morte S. Thomæ Aquinatis, ejusque Scripta accuratissime recensens, ita *Summam Theologicam tripartitam* exprimit: *Item Summam Theologiæ, quam in tres partes divisit, & secundam in duas partes, morte autem præventus, tertiam totius & ultimam non complevit.* Nihil magis expressum atque decretorium in gratiam hujus Operis Sancto Doctori adscribendi, dici unquam poterat. Miror quomodo inveniantur adhuc homines, qui tam antiquis, expressis atque authenticis, veterum coævorum testimoniis refragari audeant.

3. Guillelmus de Thoco, Prior Conventus Fratrum Prædicatorum Beneventi, qui Sanctum Thomam docentem & concionantem vidit, qui canonizationem ipsius anno 1323. à Joanne XXII. factam procuravit, annoque 1319. inquisitiones à sancta Sede variis in locis ad hanc sanctificationem factus promovit, qui circa annum 1320. Vitam ejusdem Sancti Doctoris scripsit: hujus Vitæ cap. 4. num. 18. Opera S. Thomæ Aquinatis recensens, ait. *Nam præter opus quod fecit super quatuor libros Sententiarum, Summam fecit, quam distinxit libris, materias quatuor librorum aliter ordinans, quam cum pluribus articulis, ampliavit subtilioribus rationibus.*

4. Bernardus Guidonis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, factus primum Episcopus Tudensis in Hispania, tum Lodovensis in Gallia, ubi anno 1331. mortuus est, Libro 1. *Vitæ Sancti Thomæ Aquinatis* num. 55. ubi de Scriptis Sancti Doctoris, eodem modo loquitur de Summa tripartita, quo Guillelmus de Thoco.

5. Clemens Sextus Summus Pontifex, qui anno circiter 1342. ad Summam Ecclesiæ præfecturam & apicem ascendit, in Sermone *De laudibus S. Thomæ Aquinatis*, sic loquitur. *Scripsit etiam tam super sententias, quam alias quæstiones, sexdecim volumina: Scilicet quatuor Scripta super Sententias, quatuor libros in Summa. Contra Gentiles. Quæstiones de Veritate. Item Quæstiones de potentia Dei. Item Quæstiones de Anima. Item Quæstiones de Virtutibus. Item Quæstiones de Malo. Item Quæstiones de Spiritualibus creaturis. Item undecim Quodlibeta disputata.* Quem igitur Joannes Launoïus cæcutiens, non meminisse *Summæ Scholasticæ* credidit, legens ex præcipitatione animi in MS. Codice illustrissimi Remensis Archiepiscopi, *quatuor libros in Summa contra Gentiles*: ego qui Codicem tenui ac volvi, lego illius meminisse legens cum puncto *Quatuor libros in Summa. Contra Gentiles*: quomodo certe legendum & punctuandum est. Itaque rectè de Joanne Launoïo dicere possumus, quod de alio vulgus effatur,

Solo pro puncto cecidit Martinus asello.

Quod autem ita legendum sit quomodo ego legi, constat ex ipso numero *Opusculorum Theologicorum*, quem allegat & supputat sub nomine S. Thomæ Aquinatis Clemens Sextus Romanus Pontifex, nempe sexdecim volumina quæ consequenter enumerat, hoc ordine 4. *in libros Sententiarum*, 4 *in Summa Theologica*, *unum opus contra Gentes seu Gentiles*, alia septem Quæstionum, quæ omnia simul juncta usque *ad undecim*

„præcedentibus Speculis conjunctum, ipsique „præfixum esset nomen *Speculi Moralis*, quod „ille pollicitus fuerat, ea invaluit opinio, quòd „etiam *à Vincentio Bellovacensi* scriptum esset. „Quod multis aliis Operibus interdum accidisse antiquarii norunt, quæ cum in eodem „Codice exarata essent cum aliorum authorum lucubrationibus, ipsis adscripta sunt olim, „nec nisi sagacissimorum criticorum diligentia „pro suppostitiis agnita sunt: authoribusque „propriis vel nondum vel ægrè admodum restituta. At hæc sententia quoad illud caput „falsa est, quæ asserit *Vincentium Bellovacensem* „Morale Speculum non composuisse. Contrarium enim constat ex ipsomet authore, *in „Prologo Operis*. Idem infrà fol. 877. Ut au„tem quod sentio ingenue dicam, secunda opi„nio ex aliqua parte verisimilior mihi videtur: „nam & styli diversitas & omissio procemii, „quod in aliarum partium fronte legitur, & di„stributio, Speculi moralis per Distinctiones, „non per Capita ut in aliis partibus, & nullius au„thoris, imò nec Sancti Thomæ laudatum no„men, contra morem *Vincentii*, probant illud à „*Vincentio Bellovacensi* non fuisse conscriptum, „sed ab alio post obitum ipsius *ex secunda secundæ „Sancti Thomæ*, magna ex parte contextum. „Quod tamen non ita intelligi velim, quasi *Mora„le Speculum* non composuerit ac perfecerit *Vin„centius Bellovacensis*: sed quod illud excidisse „verisimile sit, & in Supplementum substituta „ac supposita excerpta *ex prima & secunda San„cti Thomæ*. Ita Natalis Alexander, quem cum legissem, excurrens ad *Originale* seu ad Vincentii Bellovacensis *Speculum Morale*, editionis antiquioris seu Venetæ anni 1493. quæ impensis Hermanni Liechtenstein Bibliopolæ Coloniensis facta dicitur: illudque avidis oculis volvens, cognovi conjecturas illas esse omnino nullas, verumque esse & indubium hoc Opus *Vincentii Bellovacensis*. *Primum* quia in editis habetur *Speculum Morale*, eodem modo, quo in Prologo omnium Speculorum depingitur. *Secundò* quia in multis MSS. Codicibus à me visis, qui ferme quadringentorum annorum sunt, quorum nonnulli in Bibliothecis nostris Parisiensibus, habetur sub nomine Vincentii Bellovacensis. *Tertiò* quia ovum ovo similius non est, ac Speculum istud aliis Vincentii Bellovacensis Operibus, quidquid contrà dicant Bellarminus & Natalis Alexander, qui certe illa inter se non contulerunt. *Quartò* allegat sæpissime in hoc Speculo suos authores *Vincentius Bellovacensis*, uti in aliis Speculis: quod cum neget Natalis Alexander, se nunquam illud legisse ostendit. *Quintò*, deniq; pro consuetudine Vincentii Bellovacensis, identidem hoc Speculum ludicra itrue miraculorum absque judicio ac delectu infartum est, ad risum & cachinnos aptissimorum, quæ verum hujus Operis authorem Vincentium produnt. Legantur quæ ibidem *de usuris* scribit, ubi stupenda Miracula ex Vitriaco ad nauseam allegat, & alibi ex Vitis Patrum, atque aliis. Valeat itaque prima Natalis Alexandri responsio ad petitam ex Vincentio Bellovacensi objectionem, secunda neutiquam. Atque hæc de Operibus majoribus & Opusculis S. Thomæ Aquinatis minoribus.

CAP. VIGESIM. SEXTUM.

UTRUM DOCTRINA SANCTI THOMÆ AQUINATIS, DAMNATA UNQUAM FUERIT AB STEPHANO PARISIENSI EPISCOPO, UT SCRIBIT PETRUS DE ALVA?

SCripsit ut jam suprà diximus, Petrus de Alva & Astorga Ordinis fratrum Minorum anno 1662. Opusculum satis amplum inscriptum, *Nodus indissolubilis de conceptu mentis & ventris*: ubi multa contra S. Thomam & Ordinem fratrum Prædicatorum ex innata sibi bile effudit, utinam tam vere, quam parum Christiane & prudenter. Ego nullius sectæ sum, ideoque istas hominum species, quorum aliqui modo puerili se Scotistas, alii Thomistas, alii Nominales vocant: nihilque tam absurdum & ingenuo homine indignum, quam in verba Magistri alicujus jurare, cum Scriptura teste omnis homo sit mendax, nullusque qui tam in scribendo quam in agendo errare non possit. Miror attamen quomodo Ordo fratrum Minorum passus sit, ut Petrus de Alva tam portentosum Opus in publicam lucem emiserit, ironiis, injuriis, apertissimisque mendaciis plenum. Horum istud patentissimum, *doctrinam Sancti Thomæ Aquinatis damnatam fuisse ab Stephano 2. Parisiensi Episcopo, quoad articulos ducentos & viginti duos*: quod quomodo ab viro aliquo, qui pudoris publicæque honestatis tantillum habeat, affirmari potuerit, vix mihi persuadeo. Audiamus tamen ipsum *Nodi indissolubilis* pag. 239. Doctrina divi Thomæ fuit prius interdicta ab„ Episcopo Parisiensi, & sub excommunicationis„ pœna, quoad ducentos viginti duos articulos,„ ut erronea in fide condemnata & prohibita:„ *de qua nulla potest esse dubitatio*, quia sic con„stat ex testimoniis authenticis & originalibus,„ usque in præsentem diem subsistentibus. Idem„ fol. 237. & 238. *Funiculus durus videtur, sed du„rior est ex altera parte, scilicet quod defensores Im„maculatæ conceptionis, nec insinuative, per collo„quia, palliatis verbis, cum instrumentis authenti„cis, originalibus ipsis, demonstrativis & irrefraga„bilibus testimoniis, indubitatam fidem facientibus,„ non possint clamare. Quid, clamare? imo nec„ mussitando dicere, Doctrinam S. Thomæ quo ad du„centos viginti duos articulos reprobatam & conde„mnatam, & sub excommunicationis pœna exclusam„ a Scholis, disputationibus, & libris per Stephanum„ Parisiensem Episcopum, quia dicunt esse contra san„cti Thomæ honorem.* Melius autem dixisset &„ verius, hos 222 articulos fuisse damnatos ali„ quan-

„quanto post Mortem S. Thomæ, an ad san-„ctum Thomam pertinerent, non affirmans. „Sic pag. seu fol. 165. *Mortuo Angelico Doctore & „deficiente a scholis hac stella matutina, Ecclesiæ in-„signi candelabro & luce, & hoc clarissimo sole: „aliqua tenebrosa umbra in fide & errores pessimi in „doctrina Catholica, inter calamos & linguas flu-„dentium pullulare caperunt.* *Vnde coactus fuit „prædictus Episcopus Stephanus, utpote in causa fidei „ordinarius iudex, post tres annos a morte S. Tho-„mæ, id est anno 1277. publice damnare ducentos „viginti duos errores, propositiones male sonantes, „seu hæreses in sana doctrina superseminatas.* Igi-tur secundum Petrum de Alva sanctus Thomas condemnatus est a Stephano Parisiensi Episco-po in ducentis viginti duobus articulis. Et qui sunt isti 222. articuli, quos condemnavit Stephanus? Illi quorum secundum eundem Pe-trum fol. 165. primus est, *Deus non est trinus & unus, quoniam Trinitas non stat cum summa simpli-citate.* Illi quorum secundus est, *Quod Deus non possit generare sibi similem: quod enim genera-tur ab aliquo, habet principium aliquod a quo de-pendet.* Quorum tertius est: *Quod Deus non cognoscat alia a se.* Quorum quartus est: *Quod Deus non possit dare perpetuitatem rei transmutabi-li, ut est corpus humanum:* & alii subsequentes, quos Petrus de Alva fol. 163. vocat, *Errores, propositiones male sonantes, seu hæreses in sana do-ctrina superseminatas:* & quas ut quilibet inve-nire possit ad perpetuam S. Thomæ Aquinatis confusionem, dicit fol. 165. extare ad finem fe-re omnium impressionum Magistri Sententia-rum. Sed longe clarius extant Seculo V. *Hi-storiæ Vniversitatis Parisiensis*, ad annum 1277. folio 433. & sequentibus, sexdecim capitibus seu titulis comprehensi. Vt probet assertum suum Petrus de Alva, affert ipsam condemna-tionis Chartam ab Episcopo Parisiensi editam, quam fratres Ordinis Prædicatorum ex adver-so, spectare ad S. Thomam Aquinatem, constan-ter negant. Ea igitur hic afferenda est, ut de negotio toto melius iudicetur, quæ legitur in antiquis editionibus ad calcem Magistri Senten-tiarum. „Ita Codices quos videre potui (in-„quit Sylvius vir celeberrimus, & facultatis „Duacensis Doctor meritissimus in Apologia „pro Sancto Thoma) *primus* jam olim excusus „Lugduni, per Joannem David absque impres-„sionis nota. *Secundus* Basileæ anno 1513. „*Tertius* Parisiis 1518. *Quartus* etiam Parisiis „impressus anno 1536. apud Joannem Pelit. „*Quintus* ibidem impressus apud Joannem Mare „anno 1539. *Sextus* ibidem Parisiis apud Joan-„nem de Roignii anno 1553. *Septimus* Lova-„nii anno 1546. *Octavus* rursum Parisiis anno „1574. *Nonus* Coloniæ anno 1576. apud vi-„duam Joannis Birkmanni.

„Vniversis præsentes litteras inspecturis Ste-„phanus permissione divina Parisiensis Eccle-„siæ minister licet indignus, salutem in filio „Virginis gloriosæ. Magnarum & gravium personarum crebra, zeloque fidei accensa in-„sinuavit relatio, quod nonnulli Parisiis stu-„dentes in Artibus, propriæ facultatis limites„transscendentes, quosdam manifestos & exe-„crabiles errores, imo potius vanitates & insa-„nias in votulo seu schedulis his annexo vel an-„nexis contentos, quasi indubitabiles in scholis„tractare & disputare præsumunt: non atten-„dentes illud Gregorii, *Qui sapienter loqui niti-„tur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium„vanitas confundatur.* Præsertim cum errores„prædictos Gentilium scriptoris muniunt, „quos proh pudor, ad suam imperitiam asse-„runt, sic cogentes ut nesciant eis respondere.„Ne autem quod sic innuunt, videantur assere-„re, responsiones ita palliant, quod dum cupi-„unt vitare Scyllam, incidunt in charibdim.„Dicunt enim ea esse nota & vera secundum„Philosophum, sed non secundum fidem Ca-„tholicam: quasi sint duæ veritates contrariæ,„& quasi contra veritatem sacræ Scripturæ, sit„veritas in dictis Gentilium damnatorum, de„quibus scriptum est, *Perdam sapientiam sapien-„tum:* quia vera sapientia perdet falsam sapien-„tiam. Vtinam tales attenderent dictum Sa-„pientis seu consilium dicentis, *Si tibi est intel-„lectus, responde proximo tuo; sin autem, sit manus„tua super os tuum, ne capiaris in verbo indiscipli-„nato, & confundaris.* Ne igitur in tantum lo-„quutio trahat simplices in errorem, nos tam„Doctorum sacræ Theologiæ, quam aliorum„communicato consilio, districte talia fieri &„consimilia prohibemus, & ea totaliter conde-„mnamus, excommunicantes omnes illos, qui„dictos errores dogmatizaverint, vel aliquem„de iisdem dogmatizare aut defendere vel su-„stinere præsumpserint quoquo modo, & audi-„entes eorum, nisi infra septem dies nobis vel„Cancellario Parisiensi duxerint revelandum:„nihilominus processuri ad pœnas contra eos„pro qualitate culpæ, prout jus dictaverit, in-„fligendas. Librum etiam de amore sive de„Deo amoris, qui sic incipit, *Cogit me multum* &c.„& sic terminatur, *Cave igitur Gualtere amoris ex-„ercere mandata* &c. Item etiam librum Geo-„mantiæ qui sic incipit, *Æstimaverunt* &c. Item„libros & rotulos & quaternos nigromanticos,„aut continentes experimenta sortilegiorum,„invocationes Dæmonum, seu conjurationes in„periculum animarum: seu in quibus de talibus„& similibus fidei Orthodoxæ & bonis moribus„aut operibus evidenter adversantibus tractantur„per eandem sententiam nostram condemna-„mus. Et omnes qui dictos rotulos libros &„quaternos dogmatizaverint, nisi infra septem„dies nobis vel Cancellario Parisiensi revelave-„rint, eo modo quo superius est expressum, in„his scriptis sententiam excommunicationis fe-„rentes, ad alias pœnas prout gravitas culpæ e-„xiget, nihilominus processuri. Datum anno„Domini 1277. die Dominica qua cantatur *Læ-„tare Jerusalem*, in curia Parisiensi.„

Sequun-

Sequuntur propositiones ab eodem Episcopo de consilio Magistrorum Theologiæ condemnate, & *primo* illæ quæ pertinent ad Deum.

Errores condemnati de Deo.

1. *Quod Deus non est unus & trinus, quia Trinitas non constat cum summa simplicitate.*

2. *Quod Deus non potest generare sibi similem. Quod enim generatur ab aliquo, habet principium aliquod a quo dependet: & quod in Deo generare, non est signum perfectionis.*

3. *Item quod Deus non cognoscit alia a se.*

4. *Item quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili & corruptibili, ut est corpus humanum* &c.

Quod autem articuli isti 222. reprobati & damnati, non spectent ad sanctum Thomam, sed ad alios: probant Thomistæ & Dominicani ex Epistola quadam infra adducenda, quam Universitas Parisiensis scripsit continuo post auditam S. Thomæ mortem, anno 1274. ad Generale Capitulum Ordinis fratrum Prædicatorum, Lugduni celebratum. Primus hanc edidit Epistolam Stephanus de Sampaiici sacræ Theologiæ professor, in libro cui titulus est *Stemma Prædicatorum*, circa annum 1590. Secundus Franciscus Sylvius ejusdem Theologiæ Doctor & professor celeberrimus, olim Duacensis Academiæ seu Universitatis Cancellarius, quem Theologica scripta celebrem reddunt, in *Apologia pro sancto Thoma*. Tertius Egassius du Boulay in *Historia Universitatis Parisiensis*, seculo V. ad annum 1274. fol. 408. extatque Epistola in veteri Codice MS. qui in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis asservatur, cum hoc titulo.

Littera quam misit Universitas Parisiensis Capitulo Generali fratrum Prædicatorum, de obitu Beati Thomæ de Aquino, ubi petit corpus suum & aliquos libros ejusdem.

„Venerabilibus in Christo Patribus, Magistris & Provincialibus Ordinis fratrum Prædicatorum, ac universis fratribus congregatis in Capitulo Generali Lugduni, Rector Universitatis Parisiensis & Procuratores, cæterique Magistri Parisius actu regentes in Artibus, salutem in eo qui salubriter universa disponit, & sapienter toti providet Universo. Singultuoso clamore totius Ecclesiæ universale dispendium, nec non & Parisiensis studii manifestam desolationem lachrymabiliter deplangimus, & his diebus prælegimus in communi non immerito deplorare. Heu, Heu, quis det nobis, ut repræsentare possimus Hieremiæ lamentum, qui supra solitum modum, in mentes deinceps singulorum inauditam extasim causans, & inæstimabilem stuporem adducens, demum viscerum nostrorum viscera transfodit, & quasi lethaliter cordium intima penetravit. Fatemur, vix valemus exprimere. Amor enim trahit, sed dolor & vehemens angustia nos compellit ex communi relatu multorum & certo rumore, nos scire, Doctorem Venerabilem F. Thomam de Aquino, ab hoc seculo fuisse vocatum. Quis posset æstimare, id divinam providentiam permisisse, & stellam matutinam præeminentem in mundo, jubar in luce seculi, imo ut verius dicamus, luminare majus, quod præerat diei, suos radios retraxisse? Plane non irrationabiliter judicamus, solem hunc revocasse fulgorem, & passum fuisse tenebrosam ellypsim, dum toti Ecclesiæ tanti Splendoris radius est subtractus. Et licet non ignoremus Conditorem omnium, ipsum toti mundo ad tempus speciali privilegio concessisse: nihilominus si antiquorum Philosophorum authoritatibus vellemus inniti, eum videbatur simpliciter deposuisse. Namne ad ipsius occulta elucidanda & cor scrutandum, verbis talibus immoremur: cum eum a nostro Collegio, Generali Capitulo vestro Florentiæ celebrato licet requisissemus instanter, proh dolor non potuimus obtinere. Tum ad tanti Clerici, tanti Patris, tanti Doctoris, non existentes ingrati; devotum habentes affectum, quem vivum non potuimus retrahere, ipsius defuncti ossa a vobis humiliter pro maximo munere postulamus. *Quoniam omnino est indecens & indignum, ut altera natio aut locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, quæ ipsum diu educavit, nutrivit & fovit, & postmodum ab eodem doctrinæ documenta & ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat & sepulta.* Si enim Ecclesia merito ossa & reliquias Sanctorum honorat, nobis non sine causa videtur, honestum & sanctum tanti Doctoris corpus, in perpetuum penes nos haberi in honore: ut cujus famam apud nos scripta perpetuant, ejusdem perseverans memoria sepulturæ, ipsum in cordibus successorum nostrorum stabiliat sine fine. Cæterum sperantes quod obtemperetis nobis cum effectu in hac petitione devota, humiliter supplicamus ut cum quædam scripta ad Philosophiam pertinentia & spectantia, Parisius inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta, & ipsum credamus, ubi translatus fuerat, complevisse: nobis benevolentia vestra cito communicari procuretis, & specialiter super Librum Simplicii, super Libros De coelo & mundo, & Expositionem Timæi Platonis, & de aquarum conductibus & ingeniis id est *machinis* erigendis: de quibus nobis mittendis speciali promissione fecerat mentionem. Si qua similiter ad Logicam pertinentia composuit, sicut quando recessit a nobis, humiliter petivimus ab eodem: vestra benignitas nostro communicare collegio dignetur. Et sicut melius vestra discretio novit, in hoc nequam seculo periculis multis sumus expositi, fraternabiliter

„ter precibus devotis exposcimus, ut in hoc ve„stro Capitulo speciali affectu, nos orationum „vestrarum suffragio supportetis. Hanc au„tem litteram sigillis Rectoris & quatuor Pro„curatorum voluimus sigillari. Datum Pari„siis anno Domini 1274. die Mercurii ante in„ventionem sanctæ Crucis.

Cæterum ex hac Epistola tam insigni ac veneranda, quam scripsit omnis Vniversitas Parisiensis per Rectorem illius & Procuratores quatuor Nationum, ad Magistros & Provinciales Ordinis fratrum Prædicatorum, anno 1274. in Capitulo Generali Lugduni congregatos: *primum* evidenter Thomistæ deducunt contra Petrum de Alva, Doctorem Angelicum nec in uno doctrinæ suæ articulo, reum fuisse illorum ducentorum & viginti duorum articulorum condemnatorum: neque consequenter vel in minimo ab Episcopo Stephano & Vniversitate condemnatum. Excedit enim fidem humanam, ut una eademque Vniversitas, quæ anno 1274. per amplam ac venerabilem Epistolam, tot laudum encomiis tantum Doctorem Thomam Aquinatem extulerat. Hunc eundem hominem tribus post annis, anno nimirum 1277 in ducentis viginti duobus articulis, tanquam erroneum condemnaret. Credat hoc Petrus de Alva, credant Minoritæ cum ipso omnes, nullus opinor invenietur alius, qui hoc ipsum credibile esse fatebitur. *Secundo* ipsa lectio Epistolæ condemnatoriæ, destruit hanc calumniam S. Thomæ Aquinati illatam. In tota enim Epistola Stephani Parisiensis, qua 222. illos articulos sub anathemate condemnat, nec vel ullum verbum quo S. Thomas indigitetur aut nominetur: imo vero declarat condemnationem procedere *contra nonnullos Parisiis studentes in Artibus, propria facultatis limites transcendentes, qui quosdam manifestos & execrabiles errores, imo potius vanitates & insanias in rotulo seu schedulis, his annexo seu annexis contentos, quasi dubitabiles, in scholis tractare & disputare præsumunt.* At quis nisi insanus dicat hanc censuram cadere in S. Thomam Aquinatem, qui anno 1256. lauream Doctoralem adeptus, posteaquam cum applausu omnium, dudum Parisiis, Neapoli, Romæ & alibi docuisset: anno 1274. die 7. Martii mortuus erat? Qui anno 1274. die 7. Martii debitum naturæ solverat, eratne studens in Artibus Parisiis anno 1277? Qui anno 1256. factus fuerat Doctor Theologus, & anno 1274. apud Fossam novam erat mortuus: transcendebatne anno 1277. limites propriæ facultatis, Parisius in Artibus studens? Qui ista comminiscuntur, transcendunt facultates sanæ mentis. Nec dicas illos 222. studentium istorum articulos, ex doctrina S. Thomæ usque ad unum desumptos esse: atque ita si non explicite & directe, saltem implicite & ex consequenti Sanctum Thomam & ejus doctrinam, quoad 222. articulos condemnatam fuisse. Scio Petrum de Alva ad effati sui verificationem, seu potius insulsam excusationem, non posse aliter respondere. Cæterum donec in individuo, illas omnes propositiones adduxerit, easque in S. Thomæ scriptis (quod nunquam præstabit) ostenderit: impudens atque impostor, ac merito quidem apud æquos rerum æstimatores, appellabitur. *Tertio* impostura atque impudentia atrocissima est, dicere hos 222. articulos erroneos condemnatos, spectare ad S. Thomam, esse doctrinam ejus, haberi in Operibus ejus, quæ in omnium manibus sunt. Expendamus paucos, ut ex his calumniam detegamus. Primus horum articulorum, *Quod Deus non sit Trinus & unus*: cujus contradictorium 1. parte quæst. 39. art. 2. Secundus, *Quod Deus non potest generare sibi similem*: cujus contradictorium 1. parte quæst. 27. art. 2. Tertius, *Quod Deus non cognoscit alia a se*: cujus contradictorium 1. parte quæst. 14. art. 5. Quartus denique, *Quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili, ut est corpus humanum*: cujus contradictorium in supplemento ex aliis indubiis S. Thomæ Operibus, quæst. 82. art. 1. Ac quisquis omnes discutere vellet, vix unum aut alterum ex ducentis viginti duobus, qui apud S. Doctorem habeatur, inveniret. Vnde mirum, quomodo hæc assertio, in mentem honesti hominis ingredi, atque e lingua egredi potuerit. Ne quid autem dissimulem, nimiumque Divi Thomæ partibus favere videar, inter hos ducentos viginti duos articulos condemnatos, sectione seu cap. 2. in Erroribus de *Intelligentiis*, habetur art. 16. *Item quia Intelligentia non habent materiam, Deus non posset plures ejusdem speciei facere, eo quod materia non est in Angelis, contra fratrem Thomam.* Sed tantum abest, ut articulus iste probet ibidem, in his 222. articulis Sanctum Thomam condemnari: quin potius ipsum, ab aliis omnibus falso, ipsi impositis purgat. Si enim exceptio firmat regulam Juris, qui solummodo in hoc unico articulo designatur, ab aliis eximi censetur. Præterea constat opinionem hanc S. Thomæ non esse damnatam, quæ adhuc hodie vulgo in scholis docetur: quamvis alii sentiant, ut sunt homines, ita esse Angelos omnes, unius atque ejusdem speciei. *Quarto* denique si Stephanus 2. cognomento Templarius S. Thomam in 222. articulis quod tamen verum non est) condemnavit: Stephanus 3. de Borreto dictus, oblatam incaute S. Thomæ famam atque honorem, cum integritate fidei restituit, Decreto anni 1325. hujus tenoris sequentis celeberrimo.

Epistola Stephani Parisiensis Episcopi, nec non facultatis Theologicæ, qua annullantur quidam articuli doctrinæ, olim Sancto Thomæ Aquinati adscripti.

Vniversis præsentes Litteras inspecturis„ Stephanus permissione divina Parisiensis Epi„scopus

scopus, salutem in omnium Salvatore. Magistra rerum experientia certis indiciis evidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinata consulte, novis emergentibus causis, succedentibus temporibus, in contrarium debere consultius immutari. Dudum siquidem felicis memoriæ quidam prædecessores nostri Parisiensis Episcopi, quosdam Articulos, *NE FORSAN EOS MALE INTELLIGENTES CADERENT IN ERROREM*, tanquam erroneos per excommunicationis sententiam damnaverunt, & interdixerunt expresse: quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris D. Thomæ de Aquino, de Ordine Prædicatorum, tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum & sententiarum promulgationem venerabiles viri, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Dominæ nostræ, sicut veritatis zelatores intimius considerantes, *NEC NON DOCTRINÆ ET FAMÆ BEATI THOMÆ PRÆDICTI INIUSTAM DENIGRATIONEM VERITATIS OCCULTATIONEM*, *ET S. ROMANÆ ECCLESIÆ DEHONORATIONEM:* per venerabilem virum Magistrum Annibaldum Decanum, Attrebatensem Archidiaconum, sacræ Theologiæ Doctorem, & Dominum nostrum Petrum de Flagello Parisiensem Canonicum, eorum propter hoc nuntios ad nos specialiter destinatos, nos requisierunt nobisque supplicarunt, quatenus vocatis omnibus Sacræ Theologiæ Doctoribus, ac cum eisdem communicato consilio & deliberatione habita diligenti, & cum aliis etiam qui de talibus & in talibus possunt, veritatis viam aperiremus; per quam in prædictis articulis, *in quantum doctrinam B. Thomæ prædicti Doctoris egregii tangere possunt, & Sancta Romana Ecclesia & sancti prædicti Venerabilis honorem ac reverentiam servaremus.* Nos igitur attendentes cum eis, quod Sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra fidei & veritatis, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut universalem regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum: *præfatum Doctorem eximium & venerabilem, cujus doctrina fulget Ecclesia ut sole luna*, nuper Sanctorum Confessorum catalogo adscribendum decrevit: diligenti discussione & examinatione habita super vita sancta & doctrina clara ipsius, ipsumque quoad vitam puram & doctrinam salubrem, Orbi terræ dignum & commendabilem prædicavit.

Cupientes igitur gloriosissimum Deum in Sanctis suis apud fidelium devotionem, in terris gloriosius prædicari, exaltari, ac sanctissimæ matris Ecclesiæ nostræ prædictæ desiderantes sancta vestigia imitari, dictumque Confessorem & Doctorem gloriosum feliciter in cœlis regnantem, apud terrigenas devotius & celebrius honorari, præsertim *cum fuerit Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, seu Doctorum, Universitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne ac lucens; per quod omnes, qui viam vitæ & scholas doctrinæ sacræ ingrediuntur, lumen vident: claritate vitæ, fama clara, & scientia lucida, velut stella splendida & matutina refulgens.* Per venerabiles ac dilectos consiliarios nostros fideles, Magistrum Hugonem de Bisantio, Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de Novavilla, & Dominum Oddonem de Zenonis Canonicum Parisiensem, inquisitione facta super dictis articulis apud Doctores Theologicæ facultatis in eorum Congregatione Generali, Regentium & non regentium, secularium & regularium, ad hoc specialiter convocata: comperto per Dei gratiam, dictum Confessorem beatum & Doctorem egregium, *nihil sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod sanæ fidei vel bonis moribus adversetur:* de consilio venerabilium virorum Decani & Capituli Parisiensis, & venerabilis Patris Domini Guillelmi Dei gratia Viennensis Archiepiscopi, Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia, una cum Reverendo patre supra dicto in litteris, cum earum sigillis per præfatos commissarios nobis missos: necnon & triginta novem Baccalaureorum in Theologia, super hæc per litteras eorum propriis subscriptionibus & sigillis munitas, semper consulentium & rogantium humiliter & devote, & aliorum discretorum: solemni ac maturo consilio super hoc habito, *supra dictam articulorum condemnationem & excommunicationis sententiam, in quantum tangunt vel tangere asseruntur sanam doctrinam Sancti Thomæ prædicti & Doctoris eximii, ex certa scientia, tenore præsentium totaliter annullamus.* In cujus confirmationis testimonium, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum apud Bertiliacum anno 1325, die Jovis ante Sacros cineres.

Quamvis autem omnia in instrumento isto authentico contenta, observatione digna sint, hæc pauca tamen hic adnotanda duximus. *Primum*, quod prædecessores Stephani male forsitan intellexerant articulos, quos condemnaverant. *Secundum* non hic absolute dici, quod 222. articuli doctrinam S. Thomæ tangant, sed *aliquos tangere* ab aliquibus asseratur. *Tertium* quod præfata condemnatio *doctrinæ ac famæ Divi Thomæ injustam denigrationem, veritatis occultationem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliqualem dehonorationem* afferebat. *Quartum* quod Romana Ecclesia, *ad quam velut universalem regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, diligenti discussione & examinatione habita super vita sancta & doctrina clara ipsius: IPSUM SANCTUM THOMAM QUOAD VITAM PURAM ET DOCTRINAM SALUBREM, ORBI TERRÆ DIGNAM ET COMMENDABILEM PRÆDICAVIT.*

DICAVIT. Vnde cum sacra facultas Parisiensis agnoscat Romanam Ecclesiam, ad quam pertinet de doctrina sana determinare, *doctrinam sancti Thomæ salubrem* vocasse: in contrarium inferiores ire non possunt, absque aliqua temeritatis nota. *Quintum* sacra facultas Parisiensis, prædictæ Romanæ Ecclesiæ determinationi annuit, dum ait: *Post accuratam discussionem, comperisse sanctum Thomam nihil sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod sanæ fidei vel bonis moribus adversetur: denique supradictam articulorum condemnationem, in quantum tangunt, vel tangere asseruntur doctrinam sancti Thomæ, ex certa scientia totaliter annullare.* Post hæc omnia, qui præfatas propositiones refricant, haud dubie Decreta Romanæ Ecclesiæ, quæ ut sacra facultas Parisiensis ait, *mater omnium Ecclesiarum & magistra fidei est*, infringunt: statutaque præfatæ facultatis tam mature concinnata lædunt. Hæc nos ut debitum Sancto Thomæ honorem servaremus, dicenda habuimus, adversus Petrum de Alva & Asterga, petulantem scriptorem. Qui plura cupit, legat Franciscum Janssens contra eundem in *Solutione nodorum indissolubilium*: & Bernardum Guiard, Ord. fratrum Prædicatorum, Doctorem Theologum in *Responsione* ad primam Epistolam Magistri Joannis Launoii, qui abunde de his loquuntur.

DISSERTATIO SINGVLARIS

DE

SCRIPTIS SANCTI BONAVENTVRÆ, OLIM PRÆPOSITI SEV MINISTRI GENERALIS FRATRVM MINORVM, ET S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS ET SEXTI ECCLESIÆ LATINÆ DOCTORIS.

CAPVT PRIMVM.

ELOGIVM ET COMPENDIVM VITÆ SANCTI BONAVENTVRÆ.

1250 SANCTVS BONAVENTVRA, dictus in baptismo *Joannes* & a cognomento paterno *Fidantius*, a Græcis in Concilio Lugdunensi *Eutychius*, ab aliis *Eustadius* (quod Bonaventuræ nomini respondet) appellatus, Balneoregii in Pontificia ditione Etruriæ finitima, natus est. Anno ætatis 21. ob votum a matre pro puero languente emissum, Ordinem Minorum ingressus est, ut ipse scribit in Prologo ad *Vitam sancti Francisci*. Eo morum candore vixit & conversationis suavitate, ut ab omnibus fratribus unice amaretur. Ita eriam in Litteris sub Alexandro Halensi Magistro profecisse dicitur, ut decimo Monachatus anno in Cathedra Theologica Parisiensi, Joanni de Rupella ejusdem instituti viro doctissimo successerit, tanta insuper prudentia & rerum agendarum dexteritate eminebat, ut Joanni Parmensi in Generalatu anno ab ingressu in claustrum decimo tertio successor datus sit. Ea porro in dignitate, mira fuit humilitate, & erga subditos benignitate, nunquam dedignatus abjecti cujuscunque fratris colloquium. In misericordia potius excedendum, quam justitiæ rigori insistendum, Christi Domini & sui institutoris Francisci exemplo affirmabat: ac esse leniendas non ulcerandas misellarum animas, Prælatorum custodiæ commissas. Etsi vero tam numerosi sodalitii regimini diligentissime invigilaret, bonas horas bene dispensabat sacrarum litterarum studio: subditisque pie instituendis, & religioni ab adversariis defendendæ, supervacaneum tempus impendens; Mirum est, quantum inter tot rerum curas & frequentis itineris tædia, scripserit & docuerit. Factus a Summo Pontifice Gregorio X. Episcopus Albanensis & S. R. E. Cardinalis, ut majori cum pondere authoritatis, Concilio Lugdunensi anno 1274. adesse posset. Literis igitur, sanctitate & miraculis clarus, obiit Lugduni eodem anno, die 14. Julii, apud suos consodales sepultus: etsi Trithemius dicat decessisse anno 1283 & tumulatum fuisse in Ecclesia Cathedrali Lugdunensi. Elatus est autem honorificentissime siquispiam alius, funere. Ejus namque exequias præsentia sua cohonestavit Summus ipse Pontifex. Adfuere etiam Orientis Imperatores, vacante Occidentis Imperio, Michael scilicet per Græcos proceres, Latinos vero Balduinus II. per se ipsum, non autem Jacobus Rex Aragonum, ut scribit Theophylus Raynandus in *Judiculo SS. Lugdunensium* pag. 192. author alias diligens & accuratus: nam prius id est Sessione 2. e Concilio discesserat, ob causas quas referunt Mariana & alii, apud Spondanum. Adfuere idem Patriarcha Constantinopolitanus & Antiochenus, Cardinales quoque quotquot Concilio intererant universi, Archiepiscopi aut Episcopi quingenti, Abbates sexaginta, Sacerdotes secundi Ordinis supra mille: Regum ac Principum Oratores quamplurimi, Tartarorum & aliorum populorum Legati, sacri demum ac politici Ordinis homines innumerabiles. Sacris funeralibus solemniter operatus est, & laudationem panxit funebrem Petrus de Tarentasia Ordinis Prædicatorum, ex Archiepiscopo Lugdunensi S. R. Ecclesiæ Cardinalis & Episcopus Ostiensis, qui postea Innocentii V. assumpto nomine, ad universalis Ecclesiæ

clesiæ regimen elatus est. Porro S. Bonaventura relatus est in Sanctorum numerum a Sixto IV. anno 1482. & a Sixto V. anno 1587. die 14. Martii inter maximos Ecclesiæ Doctores connumeratus: Qui plura cupit, adeat S. Antonium in *Summa Historiali* parte 3. titulo 24. cap. 8. paragrapho 1. Antonium Possevinum in *Apparatu sacro*. Bellarminum & Labbeum in Libris suis *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Trithemium ibidem, Lucam Wadingum in *Annalibus Ordinis Minorum*, & in *Scriptoribus* ejusdem Ordinis. Arturum de Monstier in suo *Martyrologio Franciscano*. Laurentium Surium ad diem 15. Julii. Ludovicum Donium d'Atichy Eduensem Episcopum, in *Floribus Historiæ S. R. E. Cardinalium* tom. 1. pag. 338. & sequentibus, qui omnes citatis locis prosequuntur pluribus, sancti Bonaventuræ Cardinalis & Ecclesiæ Doctoris laudes. Nunc de Scriptis ejus, vel aliorum sub ejus nomine impressis, loquamur: quid de illis alii senserint, adjicientes. Opera ista variis temporibus, variisque editionibus, novis creverunt argumentis: unde forsitan plura edita sunt, quam quæ scripserit. Unum ante omnia stabilimus, in Opera sub nomine *Divi Bonaventuræ* impressa, fuisse immissa ea omnia Opuscula, quæ sub initium nascentis typographiæ anonyma impressa sunt: dummodo aliquam speciem vel zeli ardentis vel Monasticæ pietatis aut aliqualis doctrinæ habuerint: licet vel expressiones barbaras, vel insanias quasdam aut nugas continuerint. An ista plurium honori conducant S. Bonaventuræ, videant hodierni eruditi, judicio graves, apud quos aliter olere sues, aliter canes novimus. De illis quid sentiremus, diximus Dissertatione præcedenti de *Operibus S. Thomæ Aquinatis* cap. 1. Horum Operum S. Bonaventuræ primus meminit, paucissimis quidem Henricus Gaudarensis in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 47. his verbis.

„Bonaventura natione Italicus, & ipse Ordi„nis fratrum Minorum, qui etiam Parisiis Theo„logicæ scholæ præfuit, scripsit *in quatuor Li„bros Sententiarum* Magistri Petri Opusculum „magnæ subtilitatis, quod sic incipit: *flecto ge„nua mea ad* &c.. Scripsit etiam aliud quod „vocavit, *Itinerarium mentis in Deum*. Scripsit & „*De Decem præceptis*. Respondit etiam breviter „calumniis præfati Magistri Guillelmi de sancto „Amore.

De illo etiam & ejus Scriptis Bartholomæus Albicius Pisanus in Opere suo *Conformitatum S. Francisci cum Christo*, quod anno 1399. Capitulo Generali fratrum Minorum obtulit, vel qui continuator & ejus est augmentator Jeremias Bucchius *Conformitate 8*.

„Bonaventura de Balneo Regio Seraphicus „nuncupatur ob sui mellifluam doctrinam, qui „quidem scripsit luculenter *super quatuor Sen„tentiarum libros*, postillavit excellenter *Evan„gelium Beati Lucæ*. Item *in Evangelia & Episto„las anni*. Scripsit *Apologiam pauperum*, *Brevilo„loquium Theologiæ*. *Expositionem Orationis Do„minicæ*. *De Operibus sex dierum*. Librum *De „Contemplatione*. Librum *De sex alis Seraphim*. „*Regulam novitiorum*. *Legendam majorem & mi„norem beati Francisci*. Item *Officium beati Patris „Francisci*. *Opus de quinque visionibus*. *Itinera„rium mentis in Deum*. Item *De interiore homi„ne*. Item prosam illam, *Lauda Sion Salvato„rem* &c. Item edidit *Officium de cruce* in gra„tiam sancti Ludovici Francorum Regis: & „multa alia, quibus sua doctrina, quam lata fue„rit & alta, apparet. „

CAPUT SECUNDUM

TESTIMONIUM JOANNIS TRITHEMII DE SCRIPTIS S. BONAVENTURÆ.

SCribebat Opus suum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis anno Domini 1494. annis ducentis & viginti à morte S. Bonaventuræ Cardinalis, in quo de illius Scriptis cap. 102. ita meminit.

„Eustachius qui & Bonaventura, de Balneo„Regio natus, Ordinis Fratrum Minorum Mini„ster Generalis, ac deinde Episcopus Albaniensis, „& sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, „Alexandri de Hales quondam auditor & disci„pulus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & „in seculari Philosophia nobiliter doctus, inge„nio subtilis & clarus eloquio, vita & conversa„tione devotus atque sanctissimus, cujus inge„nium, dotem naturæ & vitæ puritatem præce„ptor ejus Alexander contemplans dicere sole„bat: *In fratre Bonaventura Adam peccasse non vide„tur*. Scripsit multa & profunda & devotissima „Opuscula, quibus ardentia verba proferens, „non minus affectum legentis, in Christi amo„rem accendit, quàm intellectû doctrinis sanctis „illuminat. Omnes enim sui temporis Docto„res utilitate Operum facile præcellit, si spiri„tum divini amoris & Christianæ devotionis in „eo loquentem attendas: profundus est, non ver„bosus: subtilis, non curiosus: disertus, non va„nus: flammantia, non inflantia verba proferens: „unde & securius legitur, facilius ab amante in„telligitur, utilius frequentatur, dulcius & fru„ctuosius retinetur. Multi doctrinam profe„runt, devotionem prædicant multi, pauci scri„bendo libros, docuerunt utramque. Bona„ventura autem & multos superavit, & paucos „similes habuit: dum ejus doctrina devotio„nem, devotio instruit doctrinam. Si ergo & „doctus esse vis & devotus, illius Opusculis esto „intentus, quæ sunt. „

Super sententias Libros IV. Profunda fluviorum.

Breviloquium Libris VII. Flecto genua mea.

Soliloquium Lib. I. Dic quæso ô homo.

Ili-

Itinerarium mentis in Deum Lib. I. In principio primum.

Lignum vitæ Lib. I. Christo confixus sum cruci.

Exhortatorium ad fratrem Lib. I. Quoniam dilecte mi frater.

De reductione artium ad Theologiam Lib. I. Omne datum optimum.

Regimen conscientiæ, id est, Parvum bonum, Lib. I. Primum omnium necesse.

Itinerarium mentis in seipsum Lib. I. Malum considerare.

Compendium Scripturarum Lib. I. In conversionis meæ principio.

De instructione Novitiorum Lib. I. Primò semper debes considerare.

Centiloquium Libris III. Ecce descripsi eam tibi.

Pharetra seu Scintillarium, idem cum *Regimine conscientiæ*, supra.

De paupertate Christi contra Guillelmum Lib. I. Quæstio est de paupertate &c.

De quinque festis infantia Christi Lib. I. Cum secundum virorum.

De septem donis Spiritus Sancti Lib. I. Omne datum optimum.

De excellentia Eucharistiæ Lib. I.

De sex alis Seraphim Lib. I.

Ad Blancam Ducissam Lib. I.

Illuminationum insigne Opus Lib. I. In medio Ecclesiæ.

De tribus ternariis peccatorum Lib. I. Tres sunt ternarii peccatorum.

De septem gradibus contemplationis Lib. I. Contemplativorum.

De profectu Religiosorum Lib. I. Collationes meas.

De decem præceptis Lib. I. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Apologia pauperum Lib. I. Summi Legislatoris.

Super Oratione Dominica Lib. I. Pater noster. Oratio hæc &c.

Legenda Sancti Francisci Lib. I. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri.

Constitutiones sui Ordinis Lib. I. Quicunque &c.

In Genesim septem visionum Lib. I. In medio Ecclesiæ.

In Evangelium Joannis Lib. I. In principio &c. Circa &c.

In Evangelium Lucæ Lib. I. Spiritus Domini super me.

De tribus quæstionibus Lib. I. Innominato Magistro.

De Sandaliis Apostolorum Lib. I. Quoniam secundum Apostolum Joannem.

De passione Domini Lib. I. Currite Gentes undique.

Sermones per annum Libros duos.

Epistolas plures ad diversos. Alia insuper edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

CAPUT TERTIUM

TESTIMONIUM MARIANI FLORENTINI, QUI ANNO M D XX. CLARUIT, IN *FASCICULO CHRONICORUM ORDINIS MINORUM* LIB. II. CAP. XXV. QUOD MS. IN CONVENTU MINORITARUM DE ARA COELI, ROMÆ.

NUperus author *Conjecturæ* Romæ anno 1667, editæ, quod Libros *De imitatione Christi* Thomæ Kempensi adscriptos, illos Petro Corbariensi qui assumpto Nicolai V. nomine, anno 1328. Pontificatum Romanum usurpavit & post biennium abdicavit, adscripsit: propendens in Petri Corbariensis partes, ex allato Mariani cujusdam Florentini testimonio, quem an. 1430. floruisse putat, juxta Gerardum Joannem Vossium Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. quæ est *De Historicis Prætermissis* cap. 9. pag. 803. ultimæ editionis. Atque ejus argumenta diluit, ac Marianum integro seculo juniorem esse, demonstrat Daniel Papebrochius in suo *Conatu Chronologico Historico*, ad Catalogum Romanorum Pontificum, parte 2. pag. 82. Ob hanc auctoritatem nonnulli Opus istud Joanni Vercellensi, alii Vberrino Casalensi, alii Sancto Bonaventuræ, sed falsò omnes tribuebant. Qua de re ante Opera Divi Bonaventuræ admonere, operæ pretium visum est.

Bonaventura Minister Generalis &c. non « obstante officii pondere, quod egregiè quidem « persequebatur, semper in prædicando, legendo « & libros scribendo, se occupabat. Multa doctè « & piè composuit, ea nimirum. «

Legendam majorem & minorem Sancti Francisci, « Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri &c. «

Itinerarium mentis in Deum. In principio primum. «

Itinerarium mentis in seipsum. Malum considerare. «

Expositiones pulchras in Regulam Fratrum Minorum. Quicunque &c. «

Apologiam pauperum, adversus Magistrum Giraldum de Abbatisvilla, Doctorem Parisiensem. «

Tractatum per modum Epistolæ ad innominatum « *Magistrum super articulos Regulæ.* Proponis carissime. «

Libellum in quo determinat viginti septem quæstiones super Regulam. Cum inter alios Ordines. «

Tractatum determinantem, quare Fratres Minores « *prædicent & confessiones audiant.* Quia plerique « dubitant. «

De paupertate Christi contra Magistrum Guillelmum de Sancto Amore. Quæstio est de paupertate. «

Quæstionem, utrum Christus & Apostoli incesserunt calceati? Talis Lector, tali Lectori. «

Commentarios super 4. Libros Sententiarum, «

 quos

cim Quodlibeta disputata, sexdecim efficiunt. Ut mirum sit quomodo ad id, neque Joannes Launoïus, neque Natalis Alexander adverterit, in sua Disputatione contra præfatum Launoïum. Allegat igitur Clemens Sextus Summus Pontifex, *Summam Theologicam S. Thomæ Aquinatis Libris quatuor*, in catalogo quem texit Operum Sancti Doctoris: cum ad faciendum numerum *sexdecim* usque ad undecim Quodlibeta disputata, necessariò distinguendum sit *Opus contra Gentes* quod satis modicum est, *ab aliis quatuor Libris Summæ Scholasticæ*, qui sic etiam appellantur ab antiquis Scriptoribus suprà citatis. Legendo autem quomodo legit Launoïus, Opuscula rantum *quindecim* à Clemente IV. enumerarentur, qui tamen *sexdecim* se enumeraturum fatetur.

6. Sanctus Antonius Florentiæ Archiepiscopus, *Summa Historialis* tom. seu parte 3. tit. 18. cap. 10. § 2. ubi Operum ipsius indicem texit. *Scripsit*, inquit, *Summam Theologiæ Doctor Angelicus, quam tripartivit in naturalem, moralem & sacramentalem. Secundam partem Summæ distinxit in duo volumina, & primum dicitur prima secundæ, id est prima pars secundæ partis: aliud allegatur, secunda secundæ. Ipsa Summa majoris est authoritatis, & magis allegatur.*

Jam solvenda restat objectio desumpta ex Vincentii Bellovacensis Speculo Morali, quam multis verbis solvit atque conjecturis Natalis Alexander, articulo ultimo Dissertationis suæ *De Summa Scholastica Tripartita S. Thomæ Aquinati vindicata*, pag. 670. quà ferme ratione illam ante ipsum solvere conatur Robertus Bellarminus loco citato. Audiamus Natalem Alexandrum art. 17. pag. 870. cui pauca nostra addemus, solutionem ab ipso datam & Bellarmino, non probantes.

„Licet quæ hucusque diximus, ad victoriam „sufficere videantur, non tamen ad ipsam victo„riæ satietatem. Occupandum est alterum „adversariorum effugium, ne ad illud confu„giat rebus desperatis Launoïus, & ne aliquid „ejus scripturiendi libidini hoc in argumento re„liquisse videar. Opponere namque posset, „quod ab aliis Thomisticæ doctrinæ æmulis jam „ad fastidium objectum est, ea quæ *in secunda se„cunda* (dic etiam *in prima secunda*) sub nomine „Sancti Thomæ leguntur, totidem verbis habe„ri apud Vincentium Bellovacensem *in Speculo „morali*. Porrò *Vincentius* illa sumpsisse ab An„gelico Doctore non potest, quia mortuus esse „debuit antequam S. Thomas *Summam* scribe„ret, (si unquam scripsit) cùm illius mors in an„num 1256. consignetur, quo tempore triginta „circiter tantum annos Angelicus Doctor atti„gerat. Non composuit igitur *Secundam secun„dæ* Sanctus Thomas, nec proinde totius Sum„mæ Tripartitæ author esse debet. *Et posteà „fol. 873.* Secunda igitur secundæ partis Sum„mæ Theologicæ Sancti Thomæ, à *Vincentio Bel„lovacensi* in Speculum suum morale convasata „ferè tota est. Nam etsi ante Sanctum Thomam obiisse supponatur laudatus author, tamen *Se*„*cundam secundæ* absolvere potuit, dum adhuc in„vivis ageret *Vincentius Bellovacensis*, quem anno„1256. obiisse minimè certum est. Quamvis„enim id *Antonius Senensis & Massæus* testentur, ta„men ejus mortem in annum 1261. alii differunt,„ut author *Historiæ Pontificalis Hispaniæ*, in Urbano„IV. Alii in annum 1263. ut *Ferdinandus Castil*„*lus* prima parte *Historiæ Ordinis Prædicatorum*„Lib. 2. cap. 36. & Albertus Castellanus *in Chro*„*nico* cap. 96. Quidni autem S. Thomas annis„duodecim ante mortem suam, parare potuit„quæstiones ad rem moralem spectantes, licet„nondum eas eximio illo ordine & singulari me„thodo, qui cum aliarũ partiũ operumq; Theolo„gicorum methodo & ordine, adeò mirificè con„veniunt? quidni verò si quæstiones illas parave„rat, eas cum *Vincentio Bellovacensi* communicare„potuit? Certè *in Speculo Morali* Vincentii, non in„veniuntur eâ methodo tractatæ, quæ *Sancti*„*Thomæ* propria est. Nec enim proponuntur„argumenta, nec solutiones argumentorum„subjiciuntur: quod evidens indicium est *Vin*„*centium à Sancto Thoma* hæc accepisse, non *San*„*ctum Thomam ex Vincentio*: vel quempiam ali„um *Secundam secundæ* deflorasse, quam S. Tho„mæ nomine honestaret. *Et infrà fol. 875.*„Alii denique censent Sancto Thomæ superstitem vixisse Vincentium Bellovacensem, quam„in sententiam inclinant Theologi Collegii Ve„dastini Duacensis, qui quadruplicis editionem„Speculi curarunt anno 1624. Et secundum„hos dicendum est, authores qui *Vincentii* mor„tem iis annis quos notavimus consignarunt,„aliud fortasse notasse tempus, quod inversis„notis numeralibus mutatum est. In hac au„tem opinione, nulla omninò difficultas rema„net, quin Vincentius *Secundam secundæ Sancti*„*Thomæ* in suum *Speculum Morale* transfuderit.„*Et infrà fol. 876.* Postremam hanc sententiam„juvaret *Sixti Senensis* testimonium Libro 4. *Bi*„*bliothecæ Sanctæ*, ubi scribit *Vincentium Bellovacen*„*sem* sub *Philippo Valesio* Francorum Rege flo„ruisse. Regnare autem cœpit *Philippus Vale*„*sius* anno 1528. Sed nullius reverà ponderis„est hac in re *Sixti Senensis* sententia, *primò* quia„non ait unde acceperit, & pugnat cum cæteris„authoribus: *secundò* quia secum ipse pugnat„in eodem loco, ait enim claruisse *Vincentium*„*Bellovacensem* sub Frederico Imperatore hujus„nominis secundo, anno Domini 1240. Porrò„etsi trigesimo ætatis suæ anno jam aliquam no„minis claritatem ipsi eruditio peperisset, incre„dibile est quod sub Philippo Valesio illud O„pus conscripserit: tunc enim decimum octavum„suprà centesimum annum egisset.„

Hæ conjecturæ Natalis Alexandri, quibus ut lux major affulgeat, dicendum cum illo, Sanctum Thomam non accepisse aliquam partem *vel primæ secundæ vel secundæ secundæ*, à Speculo Morali Vincentii Bellovacensis: Sed Vincentium Bellovacensem *in Speculo Morali*, accepisse ab

ab *prima secunda & secunda secunda* S. Thomæ Aquinatis. Colligimus ex eo, quod Angelicus Doctor ubicunque sententiam vel verba profert alicujus authoris, ejus nomen notat, nec ipsi solemne est imò nunquam invenietur ut Opus aliquod Theologicum ex aliorum Scriptis verbotenus collegerit. At ut mihi omnia Vincentii Bellovacensis Opera atque Opuscula accuratius revolvendi innotuit, hic Scriptor per totam vitam nihil aliud fecit: quàm excerpere, consarcinare, ex aliorum propriis verbis: imò tractatus integros aliorum suis Collectaneis inserere, immensam struem Miraculorum atque stupendorum acervatim aggregare, sæpius absque ullo delectu vel judicio, ut in isto Speculo Morali contigit, quod à me cum assiduitate, multoque risu lectum est. Quidquid igitur collegit Vincentius Bellovacensis, rapsodia est, quem jure meritò aliquis *Sartorem seculi XIII.* appellaret. Ac ipse Vincentius Bellovacensis ingenuè profitetur se *Speculum illud quadruplex* variis ex authoribus deflorasse, pauca ex suo penu protulisse. Ita quippe scribit in prologo totius Operis cap. 4. *Quanto minùs ergo nunc arguendus videor, quia multorum librorum florem quendam atque medullam in unum volumen compegi, iterumque sub certis titulis ordine congruo redegi. Non autem hoc dico, Sanctorum Patrum vel etiam cæterorum authorum Scriptis præsumptuosè derogando, meumque jactanter & inaniter extollendo: præsertim cùm hoc ipsum Opus utique meum simpliciter non sit, sed illorum potiùs ex quorum dictis ferè totum illud contexui, nam ex meo ingenio pauca & quasi nulla addidi.* Quid ergo amplius quærimus, cum habeamus fatentem reum? Ipsum *Vincentium Bellovacensem* ingenuè fassum se omnia sua quatuor Specula, ab aliis centonum more excepisse, *quibus ex suo ingenio pauca & quasi nulla addidit.* Hoc idem rapsodistæ officium isti tantum homini placuit, illoque tantum delectatus est, ut observaverit illud in omnibus suis Opusculis. Ita in libris quatuor quos composuit & inscripsit, *De gratia Christi Salvatoris*, quæ de divinâ humanaque Christi generatione, de vita & conversatione Christi, de gloriosa Christi passione, resurrectione, adscensione &c. *ex puris Patrum dictis* consarcinantur. Idem de hoc Officio rapsodistæ gloriatur in proœmio Opusculi sui *De laudibus B. Mariæ Virginis*: idem in proœmio Opusculi *De eruditione puerorum Regalium*, ad Margaretham sanctissimi Galliarum Regis Ludovici IX. uxorem reginam. Idem denique in Proœmio Opusculi, *De consolatione super morte* primogeniti filii, ad sanctum eundem Ludovicum Galliarum Regem: ut nullus forsitan unquam in Ecclesia author antiquus fuerit, qui tanta firmitate, tantoq; affectu officium Exceptoris in suis Operibus induerit. Quis ergo imposterum his perpensis ambegerit, quin *Vincentius Bellovacensis* in Speculo suo Morali, ex *prima secunda & secunda secunda S. Thomæ Aquinatis*, acceperit?

Præterea certum est S. Thomam scripsisse *secundam partem* Summæ suæ Theologicæ, longè antequam moreretur, unde *vivente adhuc Vincentio Bellovacensi*: qui eam pro more sibi innato excerpere potuit, atque ingerere *in Speculum suum Morale.* Innuit istud punctum Ptolomæus Lucensis Torcellanus Episcopus, S. Thomæ discipulus, qui in itineribus eum interdum comitatus est, ipsum sæpius in confessionibus pœnitentem audivit, ejusque contubernio & familiari colloquio dudum usus est. Dum enim hic *Historia sua Ecclesiastica* Lib. 23. cap. XI. *de certia parte hujus Summa Theologica* scribit, ita loquitur. *Hic Doctor tempore hujus Pontificis* (Gregorii X.) *scripsit ultimam partem Summa, qua Sacramentalis dicitur, quia de Sacramentis ibidem agitur, & de Incarnatione Verbi, in qua articuli fid i continentur. Secundum ipsius humanitatem: sed non complevit morte praveniente.* Vbi insinuat alias hujus Summæ partes, nempe primam & secundam, jam anteà sub aliis Pontificibus factas, nimirum sub *Vrbano IV.* vel sub initium Pontificatus *Clementis IV.* Atqui hoc tempore vivebat adhuc *Vincentius Bellovacensis.* Certum enim est illum non esse mortuum, anno 1256. sed vel inversis numeris anno 1265, vel etiam post annum 1270. quod tamen affirmare noluerim. Quod autem mortuus non sit anno 1256. manifestè colligitur, ex Opusculo quod scripsit ad S. Ludovicum nonum Galliarum Regem, *de morte primogeniti filii ejus Ludovici consolatorium.* Cum enim primogenitus S. Ludovici, ex Historicis Franciæ, anno 1260. mortuus sit: qui de hac morte *consolatoriam ad patrem Epistolam* scripsit ipse *Vincentius Bellovacensis*, haud anno 1256. mortuus esse potuit. Vnde inversis legendum colligo, anno 1265. quo tempore & ab anteà potuit deflorasse factam *secundam partem Summa Theologica* S. Thomæ Aquinatis & Angelici Doctoris. Atque ista sufficiant ad majorem evidentiam illorum, quæ ab Natali Alexandro contra objectionem factam, responsa sunt.

Addit ille responsionem huic objectioni aliam fol. 874. ex Roberto Bellarmino desumptam in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* observatione 3. quam his exprimit verbis. Alii conjiciunt, quòd *Vincentius Bellovacensis* qui« Speculum quadruplex pollicitus fuerat, Na« turale scilicet, Doctrinale, Historiale & Mo« rale: tres tantum priores Operis partes con« scripserit, morte præventus non composue« rit ultimam. Studiosum porrò aliquem post« ejus obitum vel ad perfectionem Operis, cui« Speculum Morale deerat, Supplementum« quoddam addidisse ex iis, quæ ad mores per« tinentia Sanctus Thomas *in secunda secunda*« tradiderat: quod etiam ex ipsa diversitate« Styli in eo Speculo & aliis prædictis, manife« stum esse volunt. Cum autem in iisdem Co« dicibus illud *ex secunda secunda* Vincentii Sup« plementum descriptum esset, vel cum aliis«

„quanto post Mortem S. Thomæ, an ad sanctum Thomam pertinerent, non affirmans. „Sic pag. seu fol. 165. *Mortuo Angelico Doctore & „deficiente a scholis hac stella matutina, Ecclesiæ insigni candelabro & luce, & hoc clarissimo sole: „aliqua tenebrosa umbra in fide & errores pessimi in „doctrina Catholica, inter calamos & linguas fluentium pullulare ceperunt. Vnde coactus fuit „prædictus Episcopus Stephanus, utpote in causa fidei „ordinarius iudex, post tres annos a morte S. Thomæ, id est anno 1277. publice damnare ducentos „viginti duos errores, propositiones male sonantes, „seu hæreses in sana doctrina superseminatas.* Igitur secundum Petrum de Alva sanctus Thomas condemnatus est a Stephano Parisiensi Episcopo in ducentis viginti duobus articulis. Et qui sunt isti 222. articuli, quos condemnavit Stephanus? Illi quorum secundum eundem Petrum fol. 165. primus est, *Deus non est trinus & unus, quoniam Trinitas non stat cum summa simplicitate.* Illi quorum secundus est, *Quod Deus non possit generare sibi similem: quod enim generatur ab aliquo, habet principium aliquod a quo dependet.* Quorum tertius est: *Quod Deus non cognoscat alia a se.* Quorum quartus est: *Quod Deus non possit dare perpetuitatem rei transmutabili, ut est corpus humanum*: & alii subsequentes, quos Petrus de Alva fol. 163. vocat, *Errores, propositiones male sonantes, seu hæreses in sana doctrina superseminatas*: & quas ut quilibet invenire possit ad perpetuam S. Thomæ Aquinatis confusionem, dicit fol. 165. extare ad finem fere omnium impressionum Magistri Sententiarum. Sed longe clarius extant Seculo V. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis*, ad annum 1277. folio 433. & sequentibus, sexdecim capitibus seu titulis comprehensi. Vt probet assertum suum Petrus de Alva, affert ipsam condemnationis Chartam ab Episcopo Parisiensi editam, quam fratres Ordinis Prædicatorum ex adverso, spectare ad S. Thomam Aquinatem, constanter negant. Ea igitur hic afferenda est, ut de negotio toto melius iudicetur, quæ legitur in antiquis editionibus ad calcem Magistri Sententiarum. „Ita Codices quos videre potui (inquit Sylvius vir celeberrimus, & facultatis „Duacensis Doctor meritissimus in Apologia „pro Sancto Thoma) *primus* jam olim excusus „Lugduni, per Joannem David absque impressionis nota. *Secundus* Basileæ anno 1513. „*Tertius* Parisiis 1518. *Quartus* etiam Parisiis „impressus anno 1536. apud Joannem Pelit, „*Quintus* ibidem impressus apud Joannem Mare „anno 1539. *Sextus* ibidem Parisiis apud Joannem de Roigni anno 1553. *Septimus* Lovanii anno 1546. *Octavus* rursum Parisiis anno „1574. *Nonus* Coloniæ anno 1576. apud viduam Joannis Birkmanni.

„Vniversis præsentes litteras inspecturis Stephanus permissione divina Parisiensis Ecclesiæ minister licet indignus, salutem in filio „Virginis gloriosæ. Magnarum & gravium personarum crebra, zeloque fidei accensa insinuavit relatio, quod nonnulli Parisiis studentes in Artibus, propriæ facultatis limites transcendentes, quosdam manifestos & execrabiles errores, imo potius vanitates & insanias in votulo seu schedulis his annexo vel annexis contentos, quasi indubitabiles in scholis tractare & disputare præsumunt: non attendentes illud Gregorii, *Qui sapienter loqui nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium vanitas confundatur.* Præsertim cum errores prædictos Gentilium scriptoris muniunt, quos proh pudor, ad suam imperitiam asserunt, sic cogentes ut nesciant eis respondere. Ne autem quod sic innuunt, videantur asserere, responsiones ita palliant, quod dum cupiunt vitare Scyllam, incidunt in charibdim. Dicunt enim ea esse nota & vera secundum Philosophum, sed non secundum fidem Catholicam: quasi sint duæ veritates contrariæ, & quasi contra veritatem sacræ Scripturæ, sit veritas in dictis Gentilium damnatorum, de quibus scriptum est, *Perdam sapientiam sapientum:* quia vera sapientia perdet falsam sapientiam. Vtinam tales attenderent dictum Sapientis seu consilium dicentis, *Si tibi est intellectus, responde proximo tuo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris.* Ne igitur in tantum loquutio trahat simplices in errorem, nos tam Doctorum sacræ Theologiæ, quam aliorum communicato consilio, districte talia fieri & consimilia prohibemus, & ea totaliter condemnamus, excommunicantes omnes illos, qui dictos errores dogmatizaverint, vel aliquem de iisdem dogmatizare aut defendere vel sustinere præsumpserint quoquo modo, & audientes eorum, nisi infra septem dies nobis vel Cancellario Parisiensi duxerint revelandum: nihilominus processuri ad pœnas contra eos pro qualitate culpæ, prout jus dictaverit, infligendas. Librum etiam de amore sive de Deo amoris, qui sic incipit, *Cogit me multum* &c. & sic terminatur, *Cave igitur Gualtere amoris exercere mandata* &c. Item etiam librum Geomantiæ qui sic incipit, *Æstimaverunt* &c. Item libros & rotulos & quaternos nigromanticos, aut continentes experimenta sortilegiorum, invocationes Dæmonum, seu conjurationes in periculum animarum: seu in quibus de talibus & similibus fidei Orthodoxæ & bonis moribus aut operibus evidenter adversantibus tractantur per eandem sententiam nostram condemnamus. Et omnes qui dictos rotulos libros & quaternos dogmatizaverint, nisi infra septem dies nobis vel Cancellario Parisiensi revelaverint, eo modo quo superius est expressum, in his scriptis sententiam excommunicationis ferentes, ad alias pœnas prout gravitas culpæ exiget, nihilominus processuri. Datum anno Domini 1277. die Dominica qua cantatur *Letare Jerusalem*, in curia Parisiensi.

Sequun-

Sequuntur propositiones ab eodem Episcopo de consilio Magistrorum Theologiæ condemnate, & *primo* illæ quæ pertinent ad Deum.

Errores condemnati de Deo.

1. *Quod Deus non est unus & trinus, quia Trinitas non constat cum summa simplicitate.*

2. *Quod Deus non potest generare sibi similem. Quod enim generatur ab aliquo, habet principium aliquod a quo dependet: & quod in Deo generare, non est signum perfectionis.*

3. *Item quod Deus non cognoscit alia a se.*

4. *Item quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili & corruptibili, ut est corpus humanum* &c.

Quod autem articuli isti 222. reprobati & damnati, non spectent ad sanctum Thomam, sed ad alios: probant Thomistæ & Dominicani ex Epistola quadam infra adducenda, quam Universitas Parisiensis scripsit continuo post auditam S. Thomæ mortem, anno 1274. ad Generale Capitulum Ordinis fratrum Prædicatorum, Lugduni celebratum. Primus hanc edidit Epistolam Stephanus de Sampaiici sacræ Theologiæ professor, in libro cui titulus est *Stemma Prædicatorum*, circa annum 1590. Secundus Franciscus Sylvius ejusdem Theologiæ Doctor & professor celeberrimus, olim Duacensis Academiæ seu Universitatis Cancellarius, quem Theologica scripta celebrem reddunt, in *Apologia pro sancto Thoma*. Tertius Egassius du Boulay in *Historia Universitatis Parisiensis*, seculo V. ad annum 1274. fol. 408. extatque Epistola in veteri Codice MS. qui in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis asservatur, cum hoc titulo.

Littera quam misit Universitas Parisiensis Capitulo Generali fratrum Prædicatorum, de obitu Beati Thomæ de Aquino, ubi petit corpus suum & aliquos libros ejusdem.

„Venerabilibus in Christo Patribus, Magistris & Provincialibus Ordinis fratrum Prædicatorum, ac universis fratribus congregatis in Capitulo Generali Lugduni, Rector Universitatis Parisiensis & Procuratores, cæterique Magistri Parisius actu regentes in Artibus, salutem in eo qui salubriter universa disponit, & sapienter toti providet Universo. Singultuoso clamore totius Ecclesiæ universale dispendium, nec non & Parisiensis studii manifestam desolationem lachrymabiliter deplangimus, & his diebus prælegimus in communi non immerito deplorare. Heu, Heu, quis det nobis, ut repræsentare possimus Hieremiæ lamentum, qui supra solitum modum, in mentes deinceps singulorum inauditam extasim causans, & inæstimabilem stuporem adducens, demum viscerum nostrorum viscera transfodit, & quasi lethaliter cordium intima penetravit. Fatemur, vix valemus exprimere. Amor enim trahit, sed dolor & vehemens angustia nos compellit ex communi relatu multorum & certo rumore, nos scire, Doctorem Venerabilem F. Thomam de Aquino, ab hoc seculo fuisse vocatum. Quis posset æstimare, id divinam providentiam permisisse, & stellam matutinam præeminentem in mundo, jubar in luce seculi, imo ut verius dicamus, luminare majus, quod præerat diei, suos radios retraxisse? Plane non irrationabiliter judicamus, solem hunc revocasse fulgorem, & passum fuisse tenebrosam ellypsim, dum toti Ecclesiæ tanti Splendoris radius est subtractus. Et licet non ignoremus Conditorem omnium, ipsum toti mundo ad tempus speciali privilegio concessisse: nihilominus si antiquorum Philosophorum authoritatibus vellemus inniti, eum videbatur simpliciter deposuisse. Namne ad ipsius occulta elucidanda & cor scrutandum, verbis talibus immoremur: cum eum a nostro Collegio, Generali Capitulo vestro Florentiæ celebrato licet requisissemus instanter, proh dolor non potuimus obtinere. Tum ad tanti Clerici, tanti Patris, tanti Doctoris, non existentes ingrati; devotum habentes affectum, quem vivum non potuimus retrahere, ipsius defuncti ossa a vobis humiliter pro maximo munere postulamus. *Quoniam omnino est indecus & indignum, ut altera natio aut locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, quæ ipsum diu educavit, nutrivit & fovit, & postmodum ab eodem doctrinæ documenta & ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat & sepulta.* Si enim Ecclesia merito ossa & reliquias Sanctorum honorat, nobis non sine causa videtur, honestum & sanctum tanti Doctoris corpus, in perpetuum penes nos haberi in honore: ut cujus famam apud nos scripta perpetuant, ejusdem perseverans memoria sepulturæ, ipsum in cordibus successorum nostrorum stabiliat sine fine. Cæterum sperantes quod obtemperetis nobis cum effectu in hac petitione devota, humiliter supplicamus ut cum quædam scripta ad Philosophiam pertinentia & spectantia, Parisius inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta, & ipsum credamus, ubi translatus fuerat, complevisse: nobis benevolentia vestra cito communicari procuretis, & specialiter super Librum Simplicii, super Libros De coelo & mundo, & Expositionem Timæi Platonis, & de aquarum conductibus & ingeniis id est *machinis* erigendis: de quibus nobis mittendis speciali promissione fecerat mentionem. Si quasimiliter ad Logicam pertinentia composuit, sicut quando recessit a nobis, humiliter petivimus ab eodem: vestra benignitas nostro communicare collegio dignetur. Et sicut melius vestra discretio novit, in hoc nequam seculo periculis multis sumus expositi, fraternabiliter

„ter precibus devotis exposcimus, ut in hoc ve„stro Capitulo speciali affectu, nos orationum „vestrarum suffragio supportetis. Hanc au„tem litteram sigillis Rectoris & quatuor Pro„curatorum voluimus sigillari. Datum Pari„siis anno Domini 1274. die Mercurii ante in„ventionem sanctæ Crucis.

Cæterum ex hac Epistola tam insigni ac veneranda, quam scripsit omnis Vniversitas Parisiensis per Rectorem illius & Procuratores quatuor Nationum, ad Magistros & Provinciales Ordinis fratrum Prædicatorum, anno 1274. in Capitulo Generali Lugduni congregatos: *primum* evidenter Thomistæ deducunt contra Petrum de Alva, Doctorem Angelicum nec in uno doctrinæ suæ articulo, reum fuisse illorum ducentorum & viginti duorum articulorum condemnatorum: neque consequenter vel in minimo ab Episcopo Stephano & Vniversitate condemnatum. Excedit enim fidem humanam, ut una eademque Vniversitas, quæ anno 1274. per amplam ac venerabilem Epistolam, tot laudum encomiis tantum Doctorem Thomam Aquinatem extulerat. Hunc eundem hominem tribus post annis, anno nimirum 1277 in ducentis viginti duobus articulis, tanquam erroneum condemnaret. Credat hoc Petrus de Alva, credant Minoritæ cum ipso omnes, nullus opinor invenietur alius, qui hoc ipsum credibile esse fatebitur. *Secundo* ipsa lectio Epistolæ condemnatoriæ, destruit hanc calumniam S. Thomæ Aquinati illatam. In tota enim Epistola Stephani Parisiensis, qua 222. illos articulos sub anathemate condemnat, nec vel ullum verbum quo S. Thomas indigitetur aut nominetur: imo vero declarat condemnationem procedere *contra nonnullos Parisiis studentes in Artibus, propriæ facultatis limites transcendentes, qui quosdam manifestos & execrabiles errores, imo potius vanitates & insanias in rotulo seu schedulis, his annexo seu annexis contentos, quasi dubitabiles, in scholis tractare & disputare præsumunt.* At quis nisi insanus dicat hanc censuram cadere in S. Thomam Aquinatem, qui anno 1256. lauream Doctoralem adeptus, posteaquam cum applausu omnium, dudum Parisiis, Neapoli, Romæ & alibi docuisset: anno 1274. die 7. Martii mortuus erat? Qui anno 1274. die 7. Martii debitum naturæ solverat, cratne studens in Artibus Parisiis anno 1277? Qui anno 1256. factus fuerat Doctor Theologus, & anno 1274. apud Fossam novam erat mortuus: transcendebatne anno 1277. limites propriæ facultatis, Parisius in Artibus studens? Qui ista comminiscuntur, transcendunt facultates sanæ mentis. Nec dicas illos 222. studentium istorum articulos, ex doctrina S. Thomæ usque ad unum desumptos esse: atque ita si non explicite & directe, saltem implicite & ex consequenti Sanctum Thomam & ejus doctrinam, quoad 222. articulos condemnatam fuisse. Scio Petrum de Alva ad effati sui verificationem, seu potius insulsam excusationem, non posse aliter respondere. Cæterum donec in individuo, illas omnes propositiones adduxerit, easque in S. Thomæ scriptis (quod nunquam præstabit) ostenderit: impudens atque impostor, ac merito quidem apud æquos rerum æstimatores, appellabitur. *Tertio* impostura atque impudentia atrocissima est, dicere hos 222. articulos erroneos condemnatos, spectare ad S. Thomam, esse doctrinam ejus, haberi in Operibus ejus, quæ in omnium manibus sunt. Expendamus paucos, ut ex his calumniam detegamus. Primus horum articulorum, *Quod Deus non sit Trinus & unus*: cujus contradictorium 1. parte quæst. 39. art. 2. Secundus, *Quod Deus non potest generare sibi similem*: cujus contradictorium 1. parte quæst. 27. art. 2. Tertius, *Quod Deus non cognoscit alia a se*: cujus contradictorium 1. parte quæst. 14. art. 5. Quartus denique, *Quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili, ut est corpus humanum*: cujus contradictorium in supplemento ex aliis indubiis S. Thomæ Operibus, quæst. 82. art. 1. Ac quisquis omnes discutere vellet, vix unum aut alterum ex ducentis viginti duobus, qui apud S. Doctorem habeatur, inveniret. Vnde mirum, quomodo hæc assertio, in mentem honesti hominis ingredi, atque e lingua egredi potuerit. Ne quid autem dissimulem, nimiumque Divi Thomæ partibus favere videar, inter hos ducentos viginti duos articulos condemnatos, sectione seu cap. 2. in Erroribus de *Intelligentiis*, habetur art. 16. *Item quia Intelligentia non habent materiam, Deus non posset plures ejusdem speciei facere, eo quod materia non est in Angelis, contra fratrem Thomam.* Sed tantum abest, ut articulus iste probet ibidem, in his 222. articulis Sanctum Thomam condemnari: quin potius ipsum, ab aliis omnibus falso, ipsi impositis purgat. Si enim exceptio firmat regulam Juris, qui solummodo in hoc unico articulo designatur, ab aliis eximi censetur. Præterea constat opinionem hanc S. Thomæ non esse damnatam, quæ adhuc hodie vulgo in scholis docetur: quamvis alii sentiant, ut sunt homines, ita esse Angelos omnes, unius atque ejusdem speciei. *Quarto* denique si Stephanus 2. cognomento Templarius S. Thomam in 222. articuli... quod tamen verum non est) condemnavit: Stephanus 3. de Borreto dictus, oblatam incaute S. Thomæ famam atque honorem, cum integritate fidei restituit, Decreto anni 1325. hujus tenoris sequentis celeberrimo.

Epistola Stephani Parisiensis Episcopi, nec non facultatis Theologicæ, qua annullantur quidam articuli doctrinæ, olim Sancto Thomæ Aquinati adscripti.

Vniversis præsentes Litteras inspecturis„ Stephanus permissione divina Parisiensis Epi-„scopus

„scopus, salutem in omnium Salvatore. Magistra rerum experientia certis indiciis evidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinata consulte, novis emergentibus causis, succedentibus temporibus, in contrarium debere consultius immutari. Dudum siquidem felicis memoriæ quidam prædecessores nostri Parisiensis Episcopi, quosdam Articulos, *NE FORSAN EOS MALE INTELLIGENTES CADERENT IN ERROREM*, tanquam erroneos per excommunicationis sententiam damnaverunt, & interdixerunt expresse: quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris D. Thomæ de Aquino, de Ordine Prædicatorum, tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum & sententiarum promulgationem venerabiles viri, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Dominæ nostræ, sicut veritatis zelatores intimius considerantes, *NEC NON DOCTRINÆ ET FAMÆ BEATI THOMÆ PRÆDICTI INIUSTAM DENIGRATIONEM VERITATIS OCCULTATIONEM, ET S. ROMANÆ ECCLESIÆ DEHONORATIONEM*: per venerabilem virum Magistrum Annibaldum Decanum, Attrebatensem Archidiaconum, sacræ Theologiæ Doctorem, & Dominum nostrum Petrum de Flagello Parisiensem Canonicum, eorum propter hoc nuntios ad nos specialiter destinatos, nos requisierunt nobisque supplicarunt, quatenus vocatis omnibus Sacræ Theologiæ Doctoribus, ac cum eisdem communicato consilio & deliberatione habita diligenti, & cum aliis etiam qui de talibus & in talibus possunt, veritatis viam aperiremus: per quam in prædictis articulis, *in quantum doctrinam B. Thomæ prædicti Doctoris egregii tangere possunt, & Sancta Romana Ecclesia & sancti prædicti Venerabilis honorem ac reverentiam servaremus*. Nos igitur attendentes cum eis, quod Sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra fidei & veritatis, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut universalem regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum: *præfatum Doctorem eximium & venerabilem, cujus doctrina fulget Ecclesia ut sole luna*, nuper Sanctorum Confessorum catalogo adscribendum decrevit: diligenti discussione & examinatione habita super vita sancta & doctrina clara ipsius, ipsumque quoad vitam puram & doctrinam salubrem, Orbi terræ dignum & commendabilem prædicavit.

Cupientes igitur gloriosissimum Deum in Sanctis suis apud fidelium devotionem, in terris gloriosius prædicari, exaltari, ac sanctissimæ matris Ecclesiæ nostræ prædictæ desiderantes sancta vestigia imitari, dictumque Confessorem & Doctorem gloriosum feliciter in cœlis regnantem, apud terrigenas devotius & celebrius honorari, præsertim *cum fuerit Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, seu Doctorum, Universitatis nostra Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne ac lucens; per quod omnes, qui vias vitæ & scholas doctrinæ sacræ ingrediuntur, lumen vident: clarissime vitâ, fama clara, & scientia lucida, velut stella splendida & matutina refulgens*. Per venerabiles ac dilectos consiliarios nostros fideles, Magistrum Hugonem de Bisantio, Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de Novavilla, & Dominum Oddonem de Zenonis Canonicum Parisiensem, inquisitione facta super dictis articulis apud Doctores Theologicæ facultatis in eorum Congregatione Generali, Regentium & non regentium, secularium & regularium, ad hoc specialiter convocata: comperto per Dei gratiam, dictum Confessorem beatum & Doctorem egregium, *nihil sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod sanæ fidei vel bonis moribus adversetur*: de consilio venerabilium virorum Decani & Capituli Parisiensis, & venerabilis Patris Domini Guillelmi Dei gratia Viennensis Archiepiscopi, Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia, una cum Reverendo patre supra dicto in litteris, cum earum sigillis per præfatos commissarios nobis missos: nec non & triginta novem Baccalaureorum in Theologia, super hæc per litteras eorum propriis subscriptionibus & sigillis munitas, semper consulentium & rogantium humiliter & devote, & aliorum discretorum: solemni ac maturo consilio super hoc habito, *supra dictam articulorum condemnationem & excommunicationis sententiam, in quantum tangunt vel tangere asseruntur sanam doctrinam Sancti Thomæ prædicti & Doctoris eximii, ex certa scientia, tenore præsentium totaliter annullamus*. In cujus confirmationis testimonium, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum apud Bertiliacum anno 1325, die Jovis ante Sacros cineres."

Quamvis autem omnia in instrumento isto authentico contenta, observatione digna sint, hæc pauca tamen hic adnotanda duximus. *Primum*, quod prædecessores Stephani male forsitan intellexerant articulos, quos condemnaverant. *Secundum* non hic absolute dici, quod 222. articuli doctrinam S. Thomæ tangant, sed *aliquos tangere* ab aliquibus asseratur. *Tertium* quod præfata condemnatio *doctrinæ ac famæ Divi Thomæ injustam denigrationem, veritatis occultationem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliqualem dehonorationem* afferebat. *Quartum* quod Romana Ecclesia, *ad quam velut universalem regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, diligenti discussione & examinatione habita super vita sancta & doctrina clara ipsius: IPSUM SANCTUM THOMAM QUOAD VITAM PURAM ET DOCTRINAM SALUBREM, ORBI TERRÆ DIGNAM ET COMMENDABILEM PRÆDICAVIT.*

DICAVIT. Unde cum sacra facultas Parisiensis agnoscat Romanam Ecclesiam, ad quam pertinet de doctrina sana determinare, *doctrinam sancti Thomæ salubrem* vocasse: in contrarium inferiores irenon possunt, absque aliqua temeritatis nota. *Quintum* sacra facultas Parisiensis, prædictæ Romanæ Ecclesiæ determinationi annuit, dum ait: *Post accuratam discussionem, comperisse sanctum Thomam nihil sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod sanæ fidei vel bonis moribus adversetur: denique supradictum articulorum condemnationem, in quantum tangunt, vel tangere asseruntur doctrinam sancti Thomæ, ex certa scientia totaliter annullare.* Post hæc omnia, qui præfatas propositiones resricant, haud dubie Decreta Romanæ Ecclesiæ, quæ ut sacra facultas Parisiensis ait, *mater omnium Ecclesiarum & magistra fidei est*, infringunt: statutaque præfatæ facultatis tam mature concinnata lædunt. Hæc nos ut debitum Sancto Thomæ honorem servaremus, dicenda habuimus, adversus Petrum de Alva & Asterga, petulantem scriptorem. Qui plura cupit, legat Franciscum Janssens contra eundem in *Solutione nodorum indissolubilium*: & Bernardum Guiard, Ord. fratrum Prædicatorum, Doctorem Theologum in *Responsione* ad primam Epistolam Magistri Joannis Launoii, qui abunde de his loquuntur.

DISSERTATIO SINGULARIS
DE
SCRIPTIS SANCTI BONAVENTURÆ, OLIM PRÆPOSITI SEU MINISTRI GENERALIS FRATRUM MINORUM, ET S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS ET SEXTI ECCLESIÆ LATINÆ DOCTORIS.

CAPUT PRIMUM.
ELOGIUM ET COMPENDIUM VITÆ SANCTI BONAVENTURÆ.

1250 SANCTUS BONAVENTURA, dictus in baptismo *Joannes* & a cognomento paterno *Fidantius*, a Græcis in Concilio Lugdunensi *Eutychius*, ab aliis *Eustadius* (quod Bonaventuræ nomini respondet) appellatus, Balneoregii in Pontificia ditione Etruriæ finitima, natus est. Anno ætatis 21. ob votum a matre pro puero languente emissum, Ordinem Minorum ingressus est, ut ipse scribit in Prologo ad *Vitam sancti Francisci*. Eo morum candore vixit & conversationis suavitate, ut ab omnibus fratribus unice amaretur. Ita etiam in Litteris sub Alexandro Halensi Magistro profecisse dicitur, ut decimo Monachatus anno in Cathedra Theologica Parisiensi, Joanni de Rupella ejusdem instituti, viro doctissimo successerit, tanta insuper prudentia & rerum agendarum dexteritate eminebat, ut Joanni Parmensi in Generalatu anno ab ingressu in claustrum decimo tertio successor datus sit. Ea porro in dignitate, mira fuit humilitate, & erga subditos benignitate, nunquam dedignatus abjecti cujuscunque fratris colloquium. In misericordia potius excedendum, quam justitiæ rigori insistendum, Christi Domini & sui institutoris Francisci exemplo affirmabat: ac esse leniendas non ulcerandas misellarum animas, Prælatorum custodiæ commissas. Etsi vero tam numerosi sodalitii regimini diligentissime invigilaret, bonas horas bene dispensabat sacrarum litterarum studio: subditisque pie instituendis, & religioni ab adversariis defendendæ, supervacaneum tempus impendens; Mirum est, quantum inter tot rerum curas & frequentis itineris tædia, scripserit & docuerit. Factus a Summo Pontifice Gregorio X. Episcopus Albanensis & S. R. E. Cardinalis, ut majori cum pondere authoritatis, Concilio Lugdunensi anno 1274. adesse posset. Literis igitur, sanctitate & miraculis clarus, obiit Lugduni eodem anno, die 14. Julii, apud suos consodales sepultus: etsi Trithenius dicat decessisse anno 1283 & tumulatum fuisse in Ecclesia Cathedrali Lugdunensi. Elatus est autem honorificentissime siquispiam alius, funere. Ejus namque exequias præsentia sua cohonestavit Summus ipse Pontifex. Adfuere etiam Orientis Imperatores, vacante Occidentis Imperio, Michael scilicet per Græcos proceres, Latinos vero Balduinus II. per se ipsum, non autem Jacobus Rex Aragonum, ut scribit Theophylus Raynandus in *Judiculo SS. Lugdunensium* pag. 192. author alias diligens & accuratus: nam prius id est Sessione 2. e Concilio discesserat, ob causas quas referunt Mariana & alii, apud Spondanum. Adfuere idem Patriarcha Constantinopolitanus & Antiochenus, Cardinales quoque quotquot Concilio intererant universi, Archiepiscopi aut Episcopi quingenti, Abbates sexaginta, Sacerdotes secundi Ordinis supra mille: Regum ac Principum Oratores quamplurimi, Tartarorum & aliorum populorum Legati, sacri demum ac politici Ordinis homines innumerabiles. Sacris funeralibus solemniter operatus est, & laudationem panxit funebrem Petrus de Tarentasia Ordinis Prædicatorum, ex Archiepiscopo Lugdunensi S. R. Ecclesiæ Cardinalis & Episcopus Ostiensis, qui postea Innocentii V. assumpto nomine, ad universalis Ecclesiæ

clesiæ regimen elatus est. Porro S. Bonaventura relatus est in Sanctorum numerum a Sixto IV. anno 1482. & a Sixto V. anno 1587. die 14. Martii inter maximos Ecclesiæ Doctores connumeratus: Qui plura cupit, adeat S. Antonium in *Summa Historiali* parte 3. titulo 24. cap. 8. paragrapho 1. Antonium Possevinum in *Apparatu sacro*. Bellarminum & Labbeum in Libris suis *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Trithemium ibidem, Lucam Wadingum in *Annalibus Ordinis Minorum*, & in *Scriptoribus* ejusdem Ordinis. Arturum de Monstier in suo *Martyrologio Franciscano*, Laurentium Surium ad diem 15. Julii. Ludovicum Donium d'Atichy Eduensem Episcopum, in *Floribus Historiæ S. R. E. Cardinalium* tom. 1. pag. 338. & sequentibus, qui omnes citatis locis prosequuntur pluribus, sancti Bonaventuræ Cardinalis & Ecclesiæ Doctoris laudes. Nunc de Scriptis ejus, vel aliorum sub ejus nomine impressis, loquamur: quid de illis alii senserint, adjicientes. Opera ista variis temporibus, variisque editionibus, novis creverunt argumentis: unde forsitan plura edita sunt, quam quæ scripserit. Vnum ante omnia stabilimus, in Opera sub nomine *Divi Bonaventuræ* impressa, fuisse immissa ea omnia Opuscula, quæ sub initium nascentis typographiæ anonyma impressa sunt: dummodo aliquam speciem vel zeli ardentis vel Monasticæ pietatis aut aliqualis doctrinæ habuerint: licet vel expressiones barbaras, vel insanias quasdam aut nugas continuerint. An ista plurium honori conducant S. Bonaventuræ, videant hodierni eruditi, judicio graves, apud quos aliter olere sues, aliter canes novimus. De illis quid sentiremus, diximus Dissertatione præcedenti de *Operibus S. Thomæ Aquinatis* cap. 1. Horum Operum S. Bonaventuræ primus meminit, paucissimis quidem Henricus Gaudarensis in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 47. his verbis.

„Bonaventura natione Italicus, & ipse Ordi-„nis fratrum Minorum, qui etiam Parisiis Theo-„logicæ scholæ præfuit, scripsit *in quatuor Li-„bros Sententiarum* Magistri Petri Opusculum „magnæ subtilitatis, quod sic incipit: *flecto ge-„nua mea ad* &c.. Scripsit etiam aliud quod „vocavit, *Itinerarium mentis in Deum*. Scripsit & „*De Decem præceptis*. Respondit etiam breviter „calumniis præfati Magistri Gullielmi de sancto „Amore.

De illo etiam & ejus Scriptis Bartholomæus Albicius Pisanus in Opere suo *Conformitatum S. Francisci cum Christo*, quod anno 1399. Capitulo Generali fratrum Minorum obtulit, vel qui continuator & ejus est augmentator Jeremias Bucchius *Conformitate 8*.

„Bonaventura de Balneo Regio Seraphicus „nuncupatur ob sui mellifluam doctrinam, qui „quidem scripsit luculenter *super quatuor Sen-„tentiarum libros*, postillavit excellenter *Evan-„gelium Beati Lucæ*. Item *in Evangelia & Epistolas anni*. Scripsit *Apologiam pauperum*, *Breviloquium Theologiæ*. *Expositionem Orationis Dominicæ*. *De Operibus sex dierum*. Librum *De Contemplatione*. Librum *De sex alis Seraphim*. *Regulam novitiorum*. *Legendam majorem & minorem beati Francisci*. Item *Officium beati Patris Francisci*. *Opus de quinque visionibus*. *Itinerarium mentis in Deum*. Item *De interiore homine*. Item prosam illam, *Lauda Sion Salvatorem* &c. Item edidit *Officium de cruce* in gratiam sancti Ludovici Francorum Regis: & multa alia, quibus sua doctrina, quam lata fuerit & alta, apparet.

CAPUT SECUNDUM

TESTIMONIUM JOANNIS TRITHEMII DE SCRIPTIS S. BONAVENTURÆ.

Scribebat Opus suum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis anno Domini 1494. annis ducentis & viginti à morte S. Bonaventuræ Cardinalis, in quo de illius Scriptis cap. 102. ita meminit.

„Eustachius qui & Bonaventura, de Balneo „Regio natus, Ordinis Fratrum Minorum Mini-„ster Generalis, ac deinde Episcopus Albaniensis, „& sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, „Alexandri de Hales quondam auditor & disci-„pulus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & „in seculari Philosophia nobiliter doctus, inge-„nio subtilis & clarus eloquio, vita & conversa-„tione devotus atque sanctissimus, cujus inge-„nium, dotem naturæ & vitæ puritatem præce-„ptor ejus Alexander contemplans dicere sole-„bat: *In fratre Bonaventura Adam peccasse non vide-„tur*. Scripsit multa & profunda & devotissima „Opuscula, quibus ardentia verba proferens, „non minus affectum legentis, in Christi amo-„rem accendit, quàm intellectu doctrinis sanctis „illuminat. Omnes enim sui temporis Docto-„res utilitate Operum facile præcellit, si spiri-„tum divini amoris & Christianæ devotionis in „eo loquentem attendas: profundus est, non ver-„bosus: subtilis, non curiosus: disertus, non va-„nus: flammantia, non inflantia verba proferens: „unde & securius legitur, facilius ab amante in-„telligitur, utilius frequentatur, dulcius & fru-„ctuosius retinetur. Multi doctrinam profe-„runt, devotionem prædicant multi, pauci scri-„bendo libros, docuerunt utramque. Bona-„ventura autem & multos superavit, & paucos „similes habuit: dum ejus doctrina devotio-„nem, devotio instruit doctrinam. Si ergo & „doctus esse vis & devotus, illius Opusculis esto „intentus, quæ sunt. „

Super sententias Libros IV. Profunda fluviorum.

Breviloquium Libris VII. Flecto genua mea.

Soliloquium Lib. I. Dic quæso ò homo.

Iti-

Itinerarium mentis in Deum Lib. I. In principio primum.

Lignum vitæ Lib. I. Christo confixus sum cruci.

Exhortatorium ad fratrem Lib. I. Quoniam dilecte mi frater.

De reductione artium ad Theologiam Lib. I. Omne datum optimum.

Regimen conscientiæ, id est, Parvum bonum, Lib. I. Primum omnium necesse.

Itinerarium mentis in seipsum Lib. I. Malum considerare.

Compendium Scripturarum Lib. I. In conversionis meæ principio.

De instructione Novitiorum Lib. I. Primò semper debes considerare.

Centiloquium Libris III. Ecce descripsi eam tibi.

Pharetra seu Scintillarium, idem cum *Regimine conscientiæ*, suprà.

De paupertate Christi contra Guillelmum Lib. I. Quæstio est de paupertate &c.

De quinque festis infantiæ Christi Lib. I. Cum secundum virorum.

De septem donis Spiritus Sancti Lib. I. Omne datum optimum.

De excellentia Eucharistiæ Lib. I.

De sex alis Seraphim Lib. I.

Ad Blancam Ducissam Lib. I.

Illuminationum insigne Opus Lib. I. In medio Ecclesiæ.

De tribus ternariis peccatorum Lib. I. Tres sunt ternarii peccatorum.

De septem gradibus contemplationis Lib. I. Contemplativorum.

De profectu Religiosorum Lib. I. Collationes meas.

De decem præceptis Lib. I. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Apologia pauperum Lib. I. Summi Legislatoris.

Super Oratione Dominica Lib. I. Pater noster. Oratio hæc &c.

Legenda Sancti Francisci Lib. I. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri.

Constitutiones sui Ordinis Lib. I. Quicunque &c.

In Genesim septem visionum Lib. I. In medio Ecclesiæ.

In Evangelium Joannis Lib. I. In principio &c. Circa &c.

In Evangelium Lucæ Lib. I. Spiritus Domini super me.

De tribus quæstionibus Lib. I. Innominato Magistro.

De Sandaliis Apostolorum Lib. I. Quoniam secundum Apostolum Joannem.

De passione Domini Lib. I. Currite Gentes undique.

Sermones per annum Libros duos.

Epistolas plures ad diversos. Alia insuper edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

CAPUT TERTIUM

TESTIMONIUM MARIANI FLORENTINI, QUI ANNO M D XX. CLARUIT, IN *FASCICULO CHRONICORUM ORDINIS MINORUM* LIB. II. CAP. XXV. QUOD MS. IN CONVENTU MINORITARUM DE ARA COELI, ROMÆ.

NUperus author *Conjecturæ* Romæ anno 1667, editæ, quod Libros *De imitatione Christi* Thomæ Kempensi adscriptos, illos Petro Corbariensi qui assumpto Nicolai V. nomine, anno 1328. Pontificatum Romanum usurpavit & post biennium abdicavit, adscripsit: propendens in Petri Corbariensis partes, ex allato Mariani cujusdam Florentini testimonio, quem an. 1430. floruisse putat, juxta Gerardum Joannem Vossium Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. quæ est *De Historicis Prætermissis* cap. 9. pag. 803. ultimæ editionis. Ac ejus argumenta diluit, ac Marianum integro seculo juniorem esse, demonstrat Daniel Papebrochius in suo *Conatu Chronologico Historico*, ad Catalogum Romanorum Pontificum, parte 2. pag. 82. Ob hanc authoritatem nonnulli Opus istud Joanni Vercellensi, alii Vbertino Casalensi, alii Sancto Bonaventuræ, sed falsò omnes tribuebant. Qua de re ante Opera Divi Bonaventuræ admonere, operæ pretium visum est.

Bonaventura Minister Generalis &c. non« obstante officii pondere, quod egregiè quidem« persequebatur, semper in prædicando, legendo« & libros scribendo, se occupabat. Multa doctè« & piè composuit, ea nimirum. «

Legendam majorem & minorem Sancti Francisci,« Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri &c. «

Itinerarium mentis in Deum. In principio pri-« mum. «

Itinerarium mentis in seipsum. Malum consi-« derare. «

Expositiones pulchras in Regulam Fratrum Mino-« *rum.* Quicunque &c. «

Apologiam pauperum, adversus Magistrum Gi-« raldum de Abbatisvilla, Doctorem Parisien-« sem. «

Tractatum per modum Epistolæ ad innominatum« *Magistrum super articulos Regulæ.* Proponis ca-« rissime. «

Libellum in quo determinat viginti septem quæ-« *stiones super Regulam.* Cum inter alios Ordi-« nes. «

Tractatum determinantem, quare Fratres Minores« *prædicent & confessiones audiant.* Quia plerique« dubitant. «

De paupertate Christi contra Magistrum Guillel-« *mum de Sancto Amore.* Quæstio est de pau-« pertate. «

Quæstionem, utrum Christus & Apostoli incesse-« *runt calceati?* Talis Lector, tali Lectori. «

Commentarios super 4. Libros Sententiarum,« quos

„quos luculenter exprimit, præfertim fecundum „& quartum.

„ *Compendium metricum fuper eosdem libros fen„tentiarum.* Incipit, O fons fplendoris.

„ *Expofitionem copiofam & utilem fuper Evangelia, „Lucæ præfertim.*

„ *Principium in Libros facræ Scripturæ.* Incipit, „Oftendit mihi Dominus.

„ *Librum illuminationum.* Incipit, In medio „Ecclefiæ.

„ *Principium in Libros fententiarum.* Incipit, „Gyrum cœli circuivi &c.

„ *Sententias Sententiarum.*

„ *Librum de reductione artium ad Theologiam.* „Incipit, Omne datum optimum.

„ *Declarationem terminorum Theologiæ.* Incipit, „*Omnipotens Deus.*

„ *Summam de effentia Dei.* Incipit, fi vis ad vi„tam ingredi.

„*Sermones Dominicales fuper Evangelia & Epiftolas „totius anni.*

„ *Tractatum fuper falutationem Angelicam.*

„ *Tractatum De nobilitate Sacramenti Euchariftiæ „& dignâ præparatione ad ejus fufceptionem.* Incipit, „*Ad honorem Gloriofæ &c.*

„ *Tractatum de Expofitione Miffæ.* Incipit, Chri„ftus affiftens.

„ *Tractatum de feptem donis Spiritus Sancti.* Inci„pit, Omne datum optimum.

„ *Meditationes vitæ Chrifti.*

„ *Meditationes de feptem verbis Domini.* Incipit, „Jefus Salutaris hoftia.

„ *Libellum de quinque feftivitatibus pueri Jefu.* In„cipit, Cum fecundum virorum.

„ *Curfus de pasfione Domini.* Incipit, Domine „labia mea &c.

„ *Expofitionem Orationis Dominicæ.* Incipit, Ora„tio hæc privilegiata eft.

„ *Laudifmum Crucis.* Incipit, *Recordare fanctæ „Crucis.*

„ *Libellum de feptem itineribus æternitatis.* Incipit, „Cum qui invenit.

„ *Myfticam Theologiam.* Incipit, Viæ Sion lu„gent &c.

„ *Compendium veritatis facræ Scripturæ.*

„ *Libellum de ftimulo amoris.*

„ *Breviloquium.* Incipit, Flecto genua mea.

„ *Centilogium.* Incipit, Ecce defcripfi eam.

„ *Soliloquium.* Incipit, Flecto genua mea.

„ *De fex alis Seraphim.* Incipit, Hæc tibi fcri„bo.

„ *De fex alis Cherubim.* Incipit, Prima ala eft.

„ *De feptem gradibus contemplationis.* Incipit, „Contemplativorum.

„ *Fafciculanum Myrrhæ.* Scire debes.

„ *Tractatum De quatuor virtutibus Cardinalibus.* „De quatuor virtutibus.

„ *Libellum De gradibus virtutum.* Accedite ad „Dominum.

„ *De vitiis & eorum remediis.* Plurimorum in„ftantiâ.

De tribus ternariis peccatorum infamibus. Inci„pit, Tres funt ternarii. „

De puritate confcientiæ. Incipit, Quoniam„ fundamentum. „

Speculum Difciplinæ. Incipit, Ad honeftatem„ tendentes. „

Viginti quinque memorabilia. Incipit, Quicun„que homini veteri &c. „

De viginti pasfibus bonorum Religioforum. Inci„pit, Si vis in Spiritu proficere. „

De perfectione vitæ. Incipit, Beatus homo. „

Remedium defectuum Religiofi. Incipit, fimpli„ciffimo. „

Libellum Apologeticum. Incipit, Propter„ hoc. „

Libellum cui titulus *lignum vitæ.* Incipit, Chri„ftus confixus fum, cruci. „

Alium qui vocatur, *Parvum bonum.* Incipit, „ Evigilans verò anima. „

Alium appellatum *Pharetra.* Incipit, In con„verfionis meæ principio. „

Pfalterium Beatæ Mariæ Virginis. Incipit, Bea„tus vir qui diligit. „

Pfalterium minus, five *tres quinquagenas.* Inci„pit, Ave Virgo, vitæ lignum. „

Laudes beatæ Virginis. Incipit, Ave cœlefte„ Lilium. „

Coronam beatæ Virginis. Incipit, Cum jucun„ditate &c. „

Speculum beatæ Virginis. Incipit, Quoniam„ ut ait beatus Hieronymus. „

Curfum de compasfione beatæ Virginis. Incipit,„ Domine labia mea &c. „

Canticum fanctorum Ambrofii & Auguftini„ *Te Deum laudamus*, adaptavit laudi B. Virginis.„ Incipit. *Te matrem Dei laudamus &c.* „

Canticum vocatum *Philomela.* Incipit, Phi„lomela prævia temporis amœni. „

Libellum de Ecclefiaftica Hierarchia. Incipit, In„vifibilia Dei. „

Opus contemplationis metricum. Incipit, Jefus„ ineffabilis. „

Opus nuncupatum *Amatorium.* Incipit, Ad„ te Sermo meus. „

Collationes. Incipiunt, Vide anima mea. „

Alphabetum Religioforum. Incipit, Vias tuas„ Domine &c. „

De regimine animæ ad Blancam Hifpaniæ Regi„nam. Incipit, Primum omnium.„

CAPUT QUARTUM.
DE
EDITIONE ROMANA ANNI MDXCVI. OMNIUM S. BONAVENTURÆ OPERUM PRIMA.

EQuidem olim nonnulla Opera feu Opufcula S. Bonaventuræ Seraphici impreffa fuerant. Nam ante annum 1489. Commentaria in 4. Libros Sententiarum Argentinæ in Germania typis mandata fuerant. Nonnulla idem ejusdem Opu-

Opuſcula ſatis pauca, ibidem edita eodem anno 1489. quam editionem citat Heribertus Rosweidus *in Vindiciis Kempenſibus* cap. 18. Itemque plura anno 1495. ibidem, quam allegat Lucas Wadingus *In Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum*, verbo *Bonaventura* fol. 73. Itemque Venetiis anno 1504. impenſis Lucæ Antonii de Giunta, quam vidit Marianus Florentinus, ac juxta quam contexuit Catalogum ſuum *Opuſculorum & Operum divi Bonaventuræ* Lib. 2. *Chronicarum Ordinis Minorum* cap. 25. circa annum 1520. ſcribens. Denique & quarta prodiit editio omnium Opuſculorum *D. Bonaventuræ*, in eadem urbe Veneta anno 1563. cura Franciſci Zamorræ, Miniſtri Generalis, Ordinis Minorum: Et quinta pariter, anno 1609. Moguntiæ apud Antonium Hierat, totidem tomis quibus Romana editio conſtabat. *Sermones* etiam ſub S. ncti Bonaventuræ nomine prodierunt primum Baſileæ anno 1462. & Lugduni & Romæ anno 1495. atque alii etiam Pariſiis anno 1521. typis Jodoci Badii Aſcenſii, quos frater Stephanus Attrebatenſis ex vetuſtis Bibliothecis ſub nomine S. Bonaventuræ collegit, & Antonio Sivetto Franciſcano ut prælo darentur, tradidit. At tandem *omnia Divi Bonaventuræ Opera & Opuſcula* ſollicitante Conſtantio Buccafoco Sarnano, Minorita Conventuali, & S. R. E. poſtmodum Cardinali, ſub Pontificatu Sixti V. Romani Pontificis, collecta ſunt in ſeptem volumina, atque cœpta dari prœlo circa annum 1586. in Vaticana typographia. Nullum ferme Opus ex hac typographia proceſſit, quod his Operibus comparari poſſit ob papyri nitorem atque puritatem, ob prœli elegantiam & emendationem, omnibus in hac editione ad ſplendorem concurrentibus. Cœptum Opus à Cardinale Sarnano, cujus prima duo volumina anno 1588. completa ſunt, quæ *Commentarios in ſacram Scripturam* continent: tertium & quartum anno 1589. *Commentarios in 4. Libros Sententiarum*. Omnia autem *Opuſcula & Sermones ſub ſancti Doctoris nomine impreſſi*, ante annum 1596. haud evulgata ſunt: unde Sarnanus qui Opus incœperat, completum non vidit, correptus morte anno 1595. die ultima anni. Poſt Romanam editionem hanc, prodierunt alibi ejusmodi Opera, ſed quæ nullatenus ad majeſtatem editionis iſtius accedunt. Solus autem huic editioni Romanæ promovendæ non deſudavit Conſtantius Sarnanus, qui *Commentarios in Sacram Scripturam & in 4. Libros Magiſtri Sententiarum* procuravit: ſed & Angelus Rocca doctiſſimus vir ex Ordine Eremitarum D. Auguſtini, cujus curis habentur *Sermones D. Bonaventuræ*: & Franciſcus Lamata Doctor Theologus, qui contulit operam ſuam ordinandis atque corrigendis S. Doctoris Opuſculis, quæ ipſe obtulit anno 1596. Summo Pontifici Clementi Octavo, poſt mortem Sixti V. ad Romanam ſedem electo. Hi ſunt potiſſimi per quos habemus inſignem hanc editionem Romæ factam, cujus hic ordinem repræſento.

Tomo primo continentur.

Principium Sacræ Scripturæ. Oſtendit mihi &c.

Illuminationes Eccleſiæ. In medio Eccleſiæ.

Expoſitio in Pſalterium. Quisquis ad &c.

Expoſitio in Eccleſiaſtem. Beatus vir.

Expoſitio in Sapientiam. Diligite lumen.

In Lamentationes Hieremiæ. Tempus.

Tomo ſecundo.

Expoſitio in caput 6. Matthæi. Pater noſter &c.

In Evangelium Lucæ. Spiritus Domini.

In Evangelium Joannis. Nunquid ad præceptum tuum.

Collationes in Joannem. In principio.

Tomo tertio.

Sermones de tempore per totum annum. His autem.

Sermones de Sanctis per annum. Mihi abſit.

Sermones de communi Sanctorum. Species cœli.

Tomo quarto.

Commentarius in primum & ſecundum Magiſtri Sententiarum.

Tomo quinto.

Commentarius in tertium & quartum Magiſtri Sententiarum.

Tomo ſexto.

Opuſculorum prima pars.

1. *De reductione Artium ad Theologiam.* Omne datum optimum.
2. *Breviloquium.* Flecto genua mea.
3. *Centiloquium.* Ecce deſcripſi eam.
4. *Pharetra.* In converſionis meæ principio.
5. *Determinatio terminorum Theologiæ.* Omnipotens.
6. *Compendioſum principium in Libros Sententiarum.* Gyrum cœli.
7. *Sententia Sententiarum carmine digeſta.* O fons Splendoris.
8. *De quatuor virtutibus Cardinalibus.* De quatuor virtutibus.
9. *De ſeptem donis Spiritus Sancti.* Omne datum optimum.
10. *De reſurrectione à peccato per gratiam.* Paulus Apoſtolus.
11. *De tribus ternariis peccatorum infamibus* Tres ſunt ternarii.
12. *Dicta ſalutis.* Hæc eſt via, ambulate in ea.

Opuſculorum ſecunda pars.

13. *Meditationes vitæ Chriſti.* Inter alia.
14. *Lignum vitæ.* Chriſto confixus ſum cruci.
15. *De quinque feſtivitatibus pueri Jeſu.* Cum ſecundum.
16. *Officium de paſſione Domini.* Domine labia mea aperies.

17. O-

CAPVT QVINTVM.
DE
EDITIONE ARGENTINENSI *OMNIVM S. BONAVENTVRÆ OPVSCVLORVM* ANNI MCCCCXCV.

QVoniam verò nonnulli hominum curiosi sunt, cupientes scire quomodo Opuscula S. Bonaventuræ ad tantam molem & multitudinem processerint, videbunt ex prima illorum editione Argentinensi anni 1495. duobus tomis in folio, quantum integro seculo aucta sint, nempe usque ad Romanam editionem omnium illorum anni 1596. in qua ejusmodi opuscula LXXIII. numerantur, quod nempe sub S. Thomæ nomine, ibidem anteà impressa fuerant. Quod ut palam fiat, hic Argentinensem editionem, quæ in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis Parisiensibus asservatur, repræsentabimus, cujus hæc continet.

Tomus primus

1. *Principium in Libros sacræ Scripturæ.* Ostendit mihi Dominus &c.

2. *Luminaria Ecclesiæ.* In medio Ecclesiæ.

3. *Compendiosum initium in quatuor libros Sententiarum.* Gyrum cœli.

4. *Sententiæ Sententiarum.* O fons Splendoris.

5. *De reductione Artium ad Theologiam.* Omne datum optimum.

6. *Breviloquium* Flecto genua mea.

7. *Centiloquium.* Ecce descripsi eam tibi.

8. *De tribus ternariis peccatorum infamibus.* Tres sunt ternarii.

9. *Formula aurea de gradibus virtutum.* Accedite ad Dominum.

10. Confessionale. *In Dei tabernaculo.*

11. *De modo confitendi & de puritate conscientiæ.* Quoniam fundamentum.

12. *Pharetra.* In conversionis meæ primordio.

13. *De septem donis Spiritus Sancti.* Omne datum optimum.

14. *Declaratio super Regulam fratrum Minorum.* Quicunque.

15. *De paupertate Christi contra Magistrum Guillelmum.* Quæstio est de paupertate.

16. *Epistola, de eo quod Christus & Apostoli & discipuli ejus incesserint discalceati.* Talis Lector, tali Lectori.

17. *Apologia pauperum adversus eorundem calumniatorem, scilicet Gerardum de Abbatisvilla, Doctorem Parisiensem qui cum in Beatum Franciscum & ejus Ordinem linguam relaxasset blasphemam, divinâ ultione percussus, paralysi dissolutus, & lepra percussus, interiit.* Summi Legislatoris.

18. *Determinationes multarum Quæstionum super Regulam Beati Francisci.* Cum inter alios.

19. *Determinatio quare Fratres Minores prædicent & confessiones audiant.* Quia plerique.

20. *De non frequentandis quæstubus, cavendisque discursibus, Epistola una ad Fratres.*

21. *De reformandis Fratribus sui Ordinis Epistola una ad Ministros Provinciales & Custodes.*

22. *Collatio de contemptu mundi.* Nota septem sunt in mundo.

23. *Exercitia Spiritualia.* Vt in virtutibus.

Tomus secundus

1. *Oratio in laudem S. Bonaventuræ*, cum Actis canonizationis ejusdem.

2. *Speculum Disciplinæ.* Ad honestatem tendentes.

3. *Memorabilia viginti quinque vitæ Christianæ.* In Christo suo dilecto.

4. *Viginti passus sive formula novitiorum.* Si vis in Spiritu proficere.

5. *De regimine animæ ad Blancam Hispaniæ Reginam.* Primum omnium.

6. *Epistola ad Magistrum innominatum.* Innominato Magistro.

7. *Expositio Orationis Dominicæ.* Oratio hæc privilegiata est.

8. *Speculum B. Mariæ Virginis.* Quoniam ut ait B. Hieronymus.

9. *Tractatus De præparatione ad Missam.* Ad honorem Gloriosæ.

10. *De instructione Sacerdotis ad se præparandum ad celebrandam Missam.* Ad Missam celebrandam.

11. *Psalterium B. Mariæ Virginis.* Arripe illam & exaltabit te.

12. *Corona Beatæ Mariæ Virginis.* Cum jucunditate &c.

13. *Cursus de Passione Domini.* Domine Labia mea &c.

14. *Cursus de compassione B. Mariæ Virginis.* Domine labia mea.

15. *Rithmus in antiphonam Salve Regina.* Salve Virgo Virginum.

16. *Expositio Missæ.* Christus assistens Pontifex.

17. *Laudismus de sancta cruce.* Recordare S. Crucis.

18. *Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis.* Flecto genua mea.

19. *Itinerarium mentis in Deum.* In principio primum principium.

20. *Parvum bonum* quod aliàs *Incentivum amoris* dicitur. Evigilans vero &c.

21. *De septem itineribus æternitatis.* Eum qui venit ad me.

22. *De quatuor virtutibus Cardinalibus.* De quatuor &c.

23. *Octo Collationes in conventu Tholosano.* Vide anima mea.

24. *Alphabetum parvum boni Monachi.* Vias tuas Domine.

25. *Mystica Theologia.* Viæ Sion lugent.

26. *Fascicularius de exercitiis spiritualibus.* Scire debes, quod &c.

27. *De septem gradibus Contemplationis.* Contemplativorum.

28. *De quinque Festivitatibus pueri Jesu.* Cùm secundum virorum.

29. *De Ecclesiastica Hierarchia.* Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt.

30. *Meditationes vitæ Domini nostri Jesu Christi.* Inter alia virtutum.

31. *Opus contemplationis.* Jesus ineffabilis.

32. *De septem verbis Domini nostri Jesu Christi in Cruce.* Jesu Salutis hostia.

33. *Philomena aptata passioni Domini per septem horas Canonicas.* Philomena.

34. *De vitiis & eorum remediis.* Plurimorum instantia requisivit.

35. *Remedium defectuum Religiosi.* Simplicissimo animo.

36. *De perfectione vitæ ad Sorores.* Beatus homo.

37. *Laus B. Mariæ Virginis.* Ave cœleste Lilium.

38. *Psalterium minus B. Mariæ Virginis.* Ave Virgo, vitæ lignum.

39. *Declaratio terminorum Theologiæ.* Omnipotens Deus.

40. *Summa de essentia, & invisibilitate ab immensitate Dei.* Omnipotens Deus.

41. *Amatorium.* Præsens Opusculum.

42. *Sermones de decem præceptis.* Si vis ad vitam ingredi &c.

43. *Libellus Apologeticus.* Præter hoc quod surripitis Clericis.

44. *Lignum vitæ.* Christo confixus sum cruci.

45. *De sex alis Cherubim.* Prima ala est.

46. *De sex alis Seraphim.* Da occasionem sapienti.

Erant itaque impressa sub nomine Divi Bonaventuræ anno 1495. Opuscula LXIX. quæ cum in editione Romana anni 1596. ad LXXIII. ascendant, intra seculum Opusculis duntaxat quatuor aucta fuerunt, quod in editione levis seu modici momenti est.

CAPUT SEXTUM.

DE QUADAM EDITIONE VENETA ANNI MDCXI. OMNIUM S. BONAVENTURÆ OPUSCULORUM.

POst has editiones omnium S. Bonaventuræ Opusculorum, Argentinensem 1495. & Romanam anni 1596. de quibus anteà, ultimam præsertim in quatuor partes & duos tomos distributam: omnes ferme quotquot illa deinceps impresserunt, eodem modo & eodem ordine processerunt, quo Romana anni citati. Ita egit in Germania Antonius Hierat Moguntiæ, in Gallia Lugduni Antonius Pillehotte, ac Parisiis anno 1647. Nicolaus Vivenai viæ citharæ: Solusque ut opinor Venetiis anno 1611. Hieronymus Scotus vel ejus hæredes, ab hoc ordine Romano recesserunt, hunc sequentem instituentes. Atque ut quantum ab Romano absit, Lectores agnoscant, habeant hic ad marginem cujuscunque Opusculi numerum quem tenent in Editione Romana.

Tomus primus

Opusculorum D. Bonaventuræ juxta editionem Venetam anni 1611.

Numerus editionis Romanæ anni 1596. Opusc.	
	1. *Isagoge in sacras Scripturas* quam *Principium* author vocat.
	2. *Liber de quinque visionibus*, vel aliàs, *Luminaria Ecclesiæ in Genesim.*
7.	3. *In quatuor Libros Sententiarum* libellus carmine expressus.
1.	4. *De reductione artium ad Theologiam* Liber unus.
2.	5. *Breviloquii Theologi i* Libri septem.
3.	6. *Centiloquii Theologici, sive Theologiæ epitomes* Libri 4.
11.	7. *De tribus ternariis peccatorum*, Liber unus.
29.	8. *De gradibus virtutum* Liber unus.
32.	9. *Confessionale, seu De ratione administrandi sacramentum pœnitentiæ*, Liber unus.
Ibidem.	10. *De irregularitatibus & dispensationibus*, Liber unus.
71.	11. *De ratione confitendi peccata & puritate conscientiæ.* Liber unus.
4.	12. *Pharetra seu locorum communium congestorum*, Libri quatuor.
9.	13. *De septem donis Spiritus Sancti*, Libri duo.
50.	14. *In Regulam Fratrum Minorum*, Liber unus.
51.	15. *In dubia quadam ejusdem Regulæ.* Liber unus.
52.	16. *Quare Fratres Minores prædicent et Confessiones audiant.* Liber unus.
55.	17. *De paupertate Christi.* Liber unus.
56.	18. *Quod Christus & Apostoli nudis pedibus incesserunt.*
57.	19. *Apologia Evangelicæ paupertatis*, Liber unus.
58.	20. *De non frequentandis quæstubus, cavendisque discursibus, Epistola una ad fratres.*
59.	21. *De reformandis fratribus, ad Ministros provinciales Epistola una.*
37.	22. *De contemptu seculi.* Libellus.
39.	23. *Exercitiorum Spiritualium libellus.*

Tomus secundus.

	1. *Oratio in laudem S. Bonaventuræ, cum Actis canonizationis ejusdem.*
63.	2. *Speculum disciplinæ, sive de ratione informandi Novitios.* Libri tres.

65. 3.

65. - 3. *De triplici statu Religiosorum.* Libri duo.
66. - 4. *In Regulam Novitiorum.* Liber unus.
64. - 5. *De reformatione mentis.* Libri duo.
Ibidem. 6. *De processu Religionis.* Libri septem.
68. - 7. *De perfectione vitæ.* Liber unus.
45. - 8. *Stimuli amoris.* Libri duo.
31. - 9. *Speculum animæ.* Liber unus.
12. - 10. *Dietæ salutis,* Libri decem.
47. - 11. *Memorabilia viginti quinque vitæ Christianæ.* Liber unus.
28. - 12. *De regimine animæ Epistola una ad Blancam Hispaniæ Reginam.*
54. - 13. *Contra Franciscanæ regulæ calumniatorem quendam innominatum.* Epistola una.
Tom. 2. fol. 1. 14. *In Orationem Dominicam.* Libellus.
21. - 15. *De laudibus Virginis* sive *De speculo B. Mariæ.* Liber unus.
33. - 16. *De præparatione ad Missam,* Liber unus.
26. - 17. *Psalterium Beatæ Virginis.* Liber unus.
21. - 18. *Corona Beatæ Mariæ Virginis.* Libellus.
16. - 19. *Officium de passione Dominica.*
Ibidem. 20. *Officium de compassione Beatæ Virginis.*
23. - 21. *Carmina in Antiphonam,* Salve Regina.
35. - 22. *Commentarius in sacra Missæ mysteria.*
18. - 23. *Laudes S. Crucis.*
41. - 24. *De quatuor mensalibus exercitiis,* Liber unus.
42. - 25. *Itinerarii mentis in Deum,* Liber unus.
44. - 26. *Incendii Amoris* Liber unus.
43. - 27. *De septem itineribus æternitatis,* Liber unus.
8. - 28. *De quatuor virtutibus Cardinalibus,* Libellus.
62. - 29. *Collationum Monasticarum ad Fratres,* Libellus.
53. - 30. *Apologeticus liber in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur.*
61. - 31. *Alphabetum spirituale Religiosorum.*
72. - 32. *Mystica Theologia,* Liber unus.
40. - 33. *Fascicularius de Exercitiis spiritualibus,* Liber unus.
Ibidem. 34. *Passio Christi breviter collecta, per modum fasciculi.*
30. - 35. *De pugna spirituali contra septem vitia capitalia.* Liber unus.
38. - 36. *De septem gradibus contemplationis,* Libellus.
15. - 37. *De quinque festivitatibus pueri Jesu,* Liber unus.
48. - 38. *De Ecclesiastica Hierarchia,* Liber unus.
13. - 39. *De meditatione vitæ Domini nostri JESU CHRISTI.* Liber unus.
17. - 40. *Contemplationis item ejusdem vitæ,* Libellus.
20. - 41. *De septem verbis Domini in Cruce,* Libellus carmine digestus.
19. - 42. *Philomena carmine expressa.*
24. - 43. *De laudibus B. Mariæ Virginis,* Libellus carmine digestus.
25. - 44. *Psalterium minus Beatæ Mariæ Virginis.*
5. - 45. *Libellus de declarationibus terminorum Theologicorum.*
Ibidem. 46. *Amatorium* sive *De his quæ nos ad amorem Christi alliciunt,* Liber unus.
27. - 47. *De decem præceptis Dominicis,* Liber unus.
14. - 48. *Lignum vitæ.* Liber unus.
70. - 49. *De sex alis Cherubim,* Liber unus.
36. - 50. *De sex alis Seraphim,* Liber unus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE MEDIIS SEU MODIS, COGNOSCENDI OPERA ET OPUSCULA SANCTI BONAVENTURÆ LEGITIMA.

QUisquis de legitimis Operibus atque Opusculis Sancti Bonaventuræ, juxta Veterum authoritatem ferre judicium voluerit, absque dubio paucissima huic sancto Doctori concedet: nam qui vetustiores illius Operum mentionem faciunt, de paucissimis loquuntur, Henricus Gandavensis in Opere suo *De viris illustribus* cap. 47. & Bartholomæus Albicius Pisanus in Opere *De Conformitatibus Sancti Francisci cum Christo,* Conformitate 8. quas circa annum 1399. scribebat. Qui autem pluribus agunt *de Operibus & Opusculis S. Bonaventuræ,* Jo. Trithemius & Marianus Florentinus, juniores sunt, quam ut ad faciendam fidem valeant, horum omnium Operum quæ enumerant, juxta justi judicii & Chronologiæ regulas à Viris harũ rerum peritis constitutas, Cũ enim Trithemius a. 1494. ducentis viginti annis ab obitu S. Bonaventuræ, Opus suum *de Scriptoribus Ecclesiasticis* scriberet: & Marianus Florentinus *Chronica sua Ordinis Fratrum Minorum* post annum 1520. annis ducentis quinquaginta, post mortuum Bonaventuram, componeret: neuter eo tantum temporis intervallum, quo impune mentiri apud Scriptores fermè omnes licet, idoneus testis esse potest atque indubius, omnium illorum Operum & Opusculorum, quæ Bonaventuræ accensentur.

Cum itaque juxta recensionem veterum, paucissima sint quæ Sancti hujus Doctoris esse debeant, alia inquirenda est via illorum agnoscendorum, qua suppositititia ab indubiis, istaque ab incertis distinguantur. Horum autem Opusculorum triplex genus est, nam alia certa vel per veterum testimonium, vel per constan-

tiam & uniformitatem veri Sancti Bonaventuræ styli atque ingenii: alia *incerta*, tum quia neque ab antiquis habent testimonium, neque tamen ita ab stylo & methodo aliena sunt, ut projici omnino tanquam spuria mereantur: alia denique *indigna* prorsus, tam ob veterum oblivionem, quam ob causas alias postmodum exprimendas, ob styli nempe barbariem omnino S. Bonaventura indignam, vel ob expressiones quasdam pueriles, hominibus & ingeniis etiam trivialibus horridas. Vt autem de stylo S. Bonaventuræ & dictione, sincerius discrimen haberem, attente perlegi aliquot Opuscula indubia, quò de cæteris sanius censerem: nempe *Breviloquii & Itinerarii mentis in Deum*, quæ duo Opuscula ex authoritate Henrici Gandavensis, certo spectant ad sanctum Bonaventuram. Itemque *Legendæ Sancti Francisci*, quam veteres MSS. Codices servant: denique *Opusculorum omnium contra Guillelmum de Sancto Amore, Gerardum de Abbatisvilla*, quæ cum aliis ad Regulam S. Francisci spectantibus, Divum Bonaventuram authorem indubium habent. His attente lectis, agnovi methodum Seraphici Doctoris, neque plane elegantem, neque omnino neglectam esse: sed media quadam inter elegantiam & negligentiam incedentem via, cujus tamen aliquando phrases ad dejectionem tendant, more Scholasticorum hujus temporis. Quoad ingenium, cognovi illud grave & virile, ac nullatenus infans aut Monachale vel simplex, omnem in expressionibus barbariem ac nugacitatem vitans. Qua ex impressione, accinxi me ad discussionem Operum atque Opusculorum sub illius nomine circumlatorum, quam nullus hucusque aggressus est.

CAPUT OCTAVUM.

DISCUSSIO QUORUNDAM OPERUM SANCTI DOCTORIS BONAVENTURÆ, JUXTA EDITIONEM ROMANAM ANNI MDXCVI.

EXpressimus suprà quantum nobis ex lectione atque judicio datum est, ingenium dictionemque Sancti Bonaventuræ Cardinalis: nunc ex positis capite VII. videndum est, an conveniant assignatæ notæ Operibus atque Opusculis his Bonaventurianis sigillatim. Sunt enim sæpe multa sub nominibus Sanctorum & Ecclesiæ Doctorum impressa Opera, quæ famam doctrinæ eorum haud amplificant, sed imminuunt: ex indiscreto zelo vel deficiente judicio illorum, qui impressionibus & collectionibus præsunt, comparantes & coacervantes obvium quidvis atque anonymum, ac nihil omnino discernentes inter vile ac pretiosum, tenebras & lucem.

Principium Sacræ Scripturæ. Ostendit mihi Dominus fluvium tom. I. pag. I. Romanæ editionis. Conjecerunt Romani Collectores hoc Opusculum in tomum I. Operum Divi Bonaventuræ, quod etiam inter Opuscula censebatur in antiquis editionibus, positum ad frontem omnium Opusculorum in editione Argentinensi anni 1495. Veneta anni 1574. & altera Veneta anni 1611. Qui autem Romanam editionem anni 1596. sequuti sunt, illud Operibus adscripserunt, non Opusculis: ut in editionibus Moguntina, Coloniensi, Lugdunensi, Parisiensibus. Vetustiores in syllabum Opusculorum Divi Bonaventuræ scripserunt, hujus Opusculi non meminerunt, puta Henricus Gandavensis vel Bartholomæus Pisanus, in Opere suo *De conformitatibus S. Francisci cum Christo*, conformitate 8. circa annum 1399. vel 1400. vel Trithemius in libro suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem a. 1494. scribebat. Evulgatum primo sub nomine Sancti Bonaventuræ in editione Argentinensi anni 1495. & Veneta 1574. Romana 1596. & sqq. quod neutiquam sufficit, ut sancto Doctori maneat, si aliunde rationes contra pugnent. Falso itaque hoc opusculum S. Bonaventuræ attributum est, *Primò* ob affectationem quandam vocum superlativarum tanto Doctore indignam, imo infantilem, quæ opus istud Bonaventura indignum, juxta virorum gravium judicium, facit. Nam in legitimis S. Bonaventuræ operibus, de quibus suprà cap. præcedenti egimus, nihil nisi grave, nihil infantile atque affectatum nugaciter extat, licet stylus aliquando tantisper humilis sit. Ita initio hujus operis, *Scriptura Sacra perfectionem* exponit, comparando eam *rebus eminentissimis, affluentissimis, perspicuissimis, efficacissimis, speciosissimis, communissimis.* Hæc sane congeries superlativorum, si Franciscanis in pretio est, cœteris puerititiam & nugacitatem sonat, conveniens miserrimis his temporibus seculi XIV. quibus suas sic mentes exprimebant Clemens VI. in suis concionibus atque alii, quos imitati postea sunt Guillelmus Papinus & Joannes Raulinus, celebres ob pares superlativorum strues. *Secundò* S. Bonaventura in legitimis suis atque indubiis opusculis & operibus, non legitur dictione barbarus, nec barbaries vocum apud Scholasticos invaluit, nisi sequente Doctorem Bonaventuram seculo. At Scriptor hujus opusculi non barbarus tantum, sed barbarissimus est; utque vel unius allegatione loci, leonem ex ungue agnoscamus, audi sequentia.

Est enim (inquit) Sacræ Scripturæ inæstimabilis altitudo, propter authoritatem inviolabilem. «

Inexhaustibilis plenitudo propter profunditatem imperscrutabilem. «
Infallibilis certitudo, propter processum irrefellibilem. «
Impretiabilis valetudo, propter fructum inæstimabilem. «
Incontaminabilis pulchritudo, propter puritatem impermixtibilem. «
Incoarctabilis amplitudo, propter diffusionem irrestringibilem. «

Pos-

Possem afferre plura, quæ hoc Opusculum hominis insantis & barbarissimi probarent. Hoc autem unicum sufficit literatis hominibus, ut illud omnimode abrogent ab Operibus atque Opusculis Sancti Bonaventuræ: nec opinor Minoritas nisi gustu depravatissimos, velle deinceps ejusmodi tenebrosas merces sancto Doctori attribuere. Conferant, si per otium licet, stylum hujus Opusculi cum *Legenda sancti Francisci*, cum ejusdem *Commentario in Regulam*, cum *Apologia contra Guillelmum de sancto Amore*: videbuntque indubie omnes, aliter olere canes, aliter sues. Ostendant nobis seculo isto XIII. in Operibus indubiis virorum illustrium Arabicas istas voces seu Mammelucicas *inexhaustibilis, inattingibilis, imperscrutabilis, irrescibilis, impretiabilis, impermixtibilis, incoarctabilis, irrestringibilis*. Referunt ista Bonaventuram gravem? imo referunt & barbarum & rusticum. Agit equidem Bonaventura in toto prologo *Breviloquii sui* de excellentiis sacræ Scripturæ, nimirum de latitudine, longitudine, sublimitate, profunditate, de modo procedendi ipsius sacræ Scripturæ, de modo exponendi sacram Scripturam: sed verbis gravibus, non puerilibus, latinis utcunque, non barbarissimis: ita ut quisquis utrumque opus conferre voluerit, unum Magistri, aliud Scholastici, utrumque toto cœlo diversum fatebitur. At Opusculum *Breviloquii* certissime ad Bonaventuram spectat, teste Henrico Gandavensi in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 47.

Luminaria Ecclesiæ. In medio Ecclesiæ tom. I. fol. 9. editionis Romanæ anni 1596. & sequentium, itemque etiam inter Opuscula D. Bonaventuræ in editionibus Basileensi anni 1495. Veneta anni 1574. & altera ejusdem loci anni 1611. apud Hieronymum Scotum. Quamvis autem hujus Opusculi meminerint Bartholomæus Pisanus, vel ejus continuator Jeremias Bucchius in Opere *Conformitatum S. Francisci cum Christo*, Joannes Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Marianus Florentinus in *Chronico Ordinis Fratrum Minorum* Lib. 2. cap. 25. & alii, cum editionibus antiquis & modernis: non sunt tamen idonei ad stabiliendum adstruendumque hoc Opusculum S. Doctori, contra stylum reclamantem. Dico itaque contra nomenclatores istos & veteres etiam editiones, hæc *Luminaria Ecclesiæ* non spectare ullatenus ad sanctum Bonaventuram. Barbaries phraseos & styli probant conclusionem, quæ ducentis locis ac vocibus barbaris probaretur, si necesse esset. At viris prudentibus & gravibus ut hoc opusculum S. Bonaventuræ suppositum esse persuadeatur, pauca selecta sufficient. Solus sermo secundus plusquam sufficiens est, ad barbariem scriptoris probandam. Ibi. *Secundus fructus gratiæ est plenitudo justitiæ. Trifurcatur autem justitia, secundum quod homo est justus in se, justus quoad Deum, justus quoad proximum*. Dignane Sancto Bonaventura phrasis, *trifurcari justitiam*? Item postea. *Peccatum est arbor mortis, gratia est arbor vitæ. Stultus esset, qui in horto suo plantaret arborem mortis, in qua deberet suspendi. Peccatum est arbor, in qua debet peccator suspendi.* Digna comparatio Doctore Seraphico! Quis unquam comparavit peccatum arbori? Solus hic scriptor. Item postea, *Elegit Christus in cruce, contraria sapientiæ mundi. Tu magnipendis temporalium suavitates, amaricatus est Christus: tu magnipendis honores, vilificatus est Christus.* Videant Docti, an voces istæ *amaricatus & vilificatus*, sint dignæ Doctore, quem Franciscani appellant Seraphicum, annon digniores rudi & rustico homine? Itane loquitur D. Bonaventura in Opusculis suis certis? Cedam lubens, dum similes in eis phrases conspexero. Vere ut cum Scripturione isto loquar, *amarificant & vilificant* D. Bonaventuram, qui talia, ei Opuscula indiscreti adscribunt. Item dum loquitur *de septem columnis* domus sapientiæ, *Quarta columna & suadibilitas in affectu*. Idem postea postquam docuit sapientiam divinam esse *uniformem, multiformem, septiformem & nulliformem*: subdit barbaro suo stylo loquens de regulis divinarum legum: *Regulæ istæ mentibus rationalibus insplendentes, sunt omnes illi modi per quos ratio dignoscit* &c. tum postea, *Docet autem Divus Augustinus* de vera Religione, *quod hæ regulæ sunt infallibiles, indubitabiles, injudicabiles: judicamus enim sub illas, non de illis, & ideo ista sapientia clara est. Sunt etiam incommutabiles, incoarctabiles, indeterminabiles: & ideo hæc sapientia nunquam marcesset.* Ex his vocibus idem Scriptor horum Sermonum, qui *Principii in Sacram Scripturam* de quo supra, quod est per modum Prologi in sequentes Sermones. Idem postea ait, *quadam imagine Trinitatis sigillari animam, & in hac sigillatione recipere immortalitatem, sapientialitatem, jocunditatem*. Itemque postea loquens de *amore extatico*, ait illum esse *sequestrativum, soporativum, sursum activum, interemptivum*. Quisquis igitur vellet omnes divisiones insulsas atque barbaras voces, scriptore mediocri indignas colligere: haberet hoc ferme Opus integrum verbotenus transcribendum. Scio nonnullos Monachos devotione ignara infartos, hæc Opera velut grandia ac stupenda ad cœlum elevaturos: sed docti gravesque viri aliter opinabuntur, ac judicare consueverunt. Olere itaque mihi videntur hi sermones seculum atque ingenium, Joannis Ruisbrochii & similium contemplativorum, quos extases ad nescio quas phrases & idiotismos aliis ignotos impellunt: quod hominum genus ut ingenue fatear, parum mihi arridet. Sed contra sequentia obstant.

Notandum est (inquit Ludovicus Donius D'Attichi Eduensis Episcopus in *Floribus Historiæ Cardinalium S. R. Ecclesiæ*, tom. I. in *Vita D. Bonaventuræ* pag. 340.) cum Wadingo ad annum 1273. num. 12. ubi subodoratus esset Sanctus Bonaventura Gregorium Papam X. sibi

„sibi Cardinalitiam dignitatem conferre velle, „ut eam declinaret, fugisse in Galliam, ibique le„gisse publice in schola seu Academia Parisiensi „Opus illud insigne quod *Hexameron* dicitur: „ac ne hoc quidem pio dolo, Pontificis Decre„tum eludere potuisse. Revocatus enim ab „ipso in Italiam, cum Tusciam ingressus, hæsis„set paulisper in Monasterio nemoris de Mugel„lo, a Florentia quatuordecim passuum millia„ribus distincto: adfuerunt missi a Pontifice „Cardinalitium galerum *Bonaventuræ* deferen„tes, eo ipso tempore, quo vir sanctus Cœnobii „patinas & lances in culina, pro more lavabat, „atque tergebat a prandio. Qui nihil hoc nun„tio commotus, legationem prius admittere „noluit, quam cœptum abluendi munus exples„set: imo ad id usque tempus oblatum galerum „ad proximæ arboris, Corni dictæ ramusculum „appendi jussit, exaltatæ a Deo & ejus Vicario „humilitatis trophæum clarissimum. Plene „autem functus officio hoc Monastico, ad fra„tres conversus ait: *Postquam fratris Minoris ex„plevimus munia, experiamur ista graviora. Salu„taria hæc mihi credite fratres, illa vero magnarum „dignitatum ponderosa & periculosa.* Post quæ „subjungit & concludit Wadingus: *Et accedens „ad præfatam Cornulum, inde galerum assumpsit, & „Papæ nuntios comiter ac honorifice, ut decuit, exce„pit. Virescit adhuc illo loco hæc arbor, eamque „advenientibus hospitibus fratres nomanter ostendunt.* Hæc quidem Wadingus in *Annalibus* loco citato, & post ipsum Ludovicus Donius D'Attichis. Sed ista ex relatu Franciscanorum modernorum, quorum quam incertæ fidei traditiones ejusmodi Monachales sunt, nullus jam nescit. Avidi rerum stupendarum Monachi, quas quotidie fingunt in gratiam suorum Ordinum & confratrum: verum ut illis fides haberetur, debebant hæc stupenda probare per idoneos testes, omni exceptione majores, id quod in his allegatis non præstitit Wadingus. Nec præstabit, cum nullum habeat Veterum, vel contemporaneum, qui de rebus gestis S. Bonaventuræ scripserit. Itaque nihil ista juvant, ad probandum quod hoc Opusculum ad sanctum Bonaventuram pertineat. Imo qui Opus illud quod *Hexameron* inscribitur, *insigne* vocat: nunquam illud a se lectum testatur, cum in aliquanta quidem doctrina, *barbariem perpetuam* habeat. Ad do de Stupendis istis allatis & non probatis, illud quod habet S. Thomas Opusculo XXI. in responsione ad quæstionem quintam: *Istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, cum nullius authoritatis robore fulciatur.* Itaque juxta Wadingum, hoc Opus factum Parisiis anno 1273. a S. Bonaventura, qui eo confugerat ad declinandam Cardinalitiam dignitatem. Sed videamus annon mentita sit iniquitas sibi? Nam sub finem hujus Opusculi in editione Argentinensi anni 1495. tom. 1. pag. 55. & in editione Veneta anni 1611. apud Hieronymum Scotum tom. 1. fol. 75. hoc contradictorium subditur.

Notandum quod antequam Sanctus Bonaventura complesset visionem quinta diei, fuit a Papa Clemente electus ad Archiepiscopatum Eboracensem: ideo de Parisius se contulit ad præsentiam Domini Papæ, & sic librum incompletum dimisit: & tamen tanto gradui cessit, propter quod ad præsentiam Domini Papæ se contulerat. Tam idem scriptor sibi in mendacio suo inconstans, postquam dixit in dicto Opusculo deesse visiones quintam, sextam & septimam: subdit contraria atque adversantia sibi, his verbis: "Istæ autem tres visiones adhuc plus continerent, quam quatuor prædictæ. Sed heu! heu! heu! superveniente" statu excelsiore, & vitæ excessu Domini & Ma" gistri hujus Operis, prosequutionem prose" quuturi non acceperunt. Hæc autem," quæ de quatuor visionibus notavi, talia sunt" qualia de ore loquentis rapere poteram in qua" ternum. Alii quidem duo socii mecum no" tabant, sed eorum notulæ præ nimia confu" sione & illegibilitate fuerunt inutiles, nisi for" te sibi correcto aut meo exemplari, quod legi" poterat ab auditorum aliquibus: ipse Doctor" Operis de ipso meo exemplari & quamplures" alii rescripserunt, qui pro eo mihi debent gra" tes. Elapsis autem multis diebus, conceden" te mihi copia temporis & libri, Reverendo Pa" tre Fratre Th. Ministro Alemanniæ superioris," rursum respexi quod ego scripseram veloci ma" nu, & nisus sum recolligere ordinate coope" rante mihi memoria, quo loquentis vocem" audieram auditu, & visu quo recordabar ge" stuum loquentis, quæ solent memoriæ coope" rari, secundum Philosophum in libro De me" moria & reminiscentia. Nec tamen apposui" quicquam quod ipse non dixerat, nisi ubi distin" ctiones Librorum Aristotelis, localiter amplius" quam ipse dixerat, distinxi. Alia autem non" apposui, nisi quod etiam loco authoritatum a" liquarum assignavi. Legebatur & compone" batur hoc Opusculum Parisius anno Domini" MCCLXXIV. a Pascha usque ad Pentecosten," præsentibus aliquibus Magistris & Baccalauriis" Theologiæ, & aliis fratribus centum sexaginta." Nullus unquam Monachus majores assumpsit præcautiones, ut fidem apud posteros mereretur, quam Minorita iste: Sed vir bonus non attendit, nimiam præcautionem, in jure esse doli præsumptionem. Ita in hoc facto contingit. Collegit ista ex ore loquentis Bonaventuræ, tam sincere, tam fideliter, ut & gestuum Oratoris, & tonorum vocis, motuumque actoris, hic anonymus apprime recordaretur. O fortunatam memoriam! O felix inventum! Ad absurdissima etiam quæque Opuscula sancto Bonaventuræ adscribenda, credunt Minoritæ Franciscanis suis ita affirmantibus, viri graves non item. Alius itaque vult hoc Opusculum sub Gregorio X. compositum, remansisse imperfectum, Bonaventura redeunte in Italiam ad Cardinalitiam dignitatem assumendum: alius sub Clemente IV. eodem redeunte ad Archiepiscopatum

patum Eboracensem ejurandum. Alius sub Schino, sub primo alius, Danielis 13.

CAPUT NONUM.

DE ALIIS QUIBUSDAM OPERIBUS S. BONAVENTURÆ ATTRIBUTIS.

CUm antea ex lectione indubiorum Divi Bonaventuræ, Operum, animadverterim dictionem ejus etsi interdum simplicem, fuisse tamen congruam: nec profilivisse, multominus affectasse barbaras & insulsas divisiones ac dictiones. Ex hac nota potissimum, incumbit judicandum sincere & aliquo scrupulo, de veris vel falsis Operibus, quæ sancto Doctori passim attribuuntur. Neque standum ut plerique faciunt, doctrinæ quam continent: Opera enim omnia seculi XIII. XIV. & XV. etiam insulsissima, doctrinam habent plurimam, sed nitorem sæpe nullum, barbariem multam. Videamus itaque jam an *Commentarius in Evangelium Joannis*, qui incipit, *Num quid ad præceptum tum elevabitur aquila* &c. cum *Collationibus seu Sermonibus in certa quædam loca ejusdem Evangelii*, spectent ad Sanctum Bonaventuram? Certum autem est, unum & eundem esse authorem & hujus *Commentarii in Evangelium Joannis*, & *Collationem istarum seu sermonum in loca quadam ejusdem Evangelii*: patetque authorem illum fuisse Franciscani Ordinis. Sed censeo ego neque hunc *Commentarium* neque *Collationes* spectare ullatenus ad Sanctum Bonaventuram, sed esse alicujus authoris seculi XIV. quo tempore jam voces barbaræ atque insipidæ distinctiones, passim a doctissimis viris affectabantur. Conclusionem hanc nostram vel lectio solius *Procemii* in hunc Commentarium, facta cum attentione, sufficienter probabit: constat enim S. Doctorem Seraphicum, neque in divisionibus insulsum, neque in vocibus hanc barbariem affectasse. Audiamus sub initium Procmii in Evangelium istud. *Ideo ad figurationem subtilissima limpiditatis Beati Joannis in divinis arcanis speculandis, & ad significationem elevatissimi amoris in eisdem contemplandis & amplexandis &c. in quibus quatuor prænotantur, quorum primum est intellectualis acuminis Beati Joannis irreverberabilis limpiditas, ibi* Aquila: *Secundum est indepressibilis amoris sublimitas, ibi* in arduis ponat nidum. Videant docti an in Operibus indubiis Bonaventurianis invenient voces elegantes *figurationes, subtilissima limpiditatis, elevatissimi amoris. irreverberabilis limpiditatis, indepressibilis amoris:* & ingenue fatebor me perperam denegasse hoc Opus divo Bonaventuræ. Scio viros extaticos, contemplativos, a bono sensu alienos, Enthusiasticos, inventuros has expressiones mirabiles, cœlestes, transcendentes ad quandam divini amoris ebrietatem; sed aliter sentiunt viri doctrina graves, & Historici & Grammatici: nec credam illas Bonaventurianas, nisi easdem voces atque ordinarias in indubiis illius Operibus ostenderint. Tum postea, *Ex dictis ergo patent & subtilis limpiditas Beati Joannis in cælestibus ac divinis speculandis, & elevati sui amoris sublimitas, & a solo Deo ad prædicta elevabilitas.* Tum postea, *Causa vero formalis, quæ est modus agendi, est narrativus & certitudinalis & exquisitus.* Item Commentario in cap. 1. sub initium. *Ait ergo* in principio, *& juxta Bedam ibidem exprimuntur quatuor, primum est Verbi incarnati æternitas, ibi* in principio: *Secundum est ipsius a Patre distinguibilitas sive alietas, ibi* & Verbum erat apud Deum. Et postea, *Ex dictis patet quod Verbum implicat expressionem ejus, quod est apud dicentem: & ejus quod per verbum insinuatur, explicationem: & audientis doctrinationem, & ejusdem verbi per vocem, possibilem notificationem.* Dum igitur aliquis in Operibus Divi Bonaventuræ indubiis, invenerit voces *elevabilitatis, certitudinalis, atque distinguibilitatis, alietatis, doctrinationis*, & similes; poterit & istud sancto Doctori asserere, vel ablatum a me restituere. Hæ enim barbarissimæ voces, in Commentarios seculo XIV. ingressæ sunt, quod barbarissimum in suis expressionibus fuit. Siste gradum in principio hujus Operis, nam qui totum percurrere vellet, ingentem Operis partem transcriberet. Mitto barbaras voces *virtuositatis, odiositatis* quas passim habet: verbum *parvificare*, quo utitur *Collatione 19.* de beato Francisco, aliasque innumeras: nam divisiones similes sunt in *Collationibus* 31. 32. 33. Vidi qui censerent ac dicerent hoc Opus spectare ad Alexandrum de Alexandria, qui circa annum 1320. scribebat, qua de re nihil novi. Hæc autem vocum barbarorum affectatio, huic tempori recte satis competere potest, quo initium habuisse potuit.

Sermones de tempore & de Sanctis, tom. 3. per totum. Mirum est quomodo & quando tot sermones vel habere ad populum, vel scribere S. Bonaventura potuerit? Nam testibus Luca Wadingo & aliis, ingressus est in Ordinem fratrum Minorum anno ætatis suæ 22. vel 21. circa annum Christi 1243. qui Novitiatu completo, anno 1245. Venit Parisios junior & imberbis, ut ibi Philosophicis atque Theologicis studiis operam daret. Quo tempore sane ipsi tantum otii haud fuit, ut Conciones ad populum haberet, cum serie atque assidue scholasticis quæstionibus & controversiis cognoscendis studeret. Inde tantum in literis profecit Scholasticis, ut decimo Monachatus anno, qui septimus vel octavus studiorum Scholasticorum fuit, in cathedra Parisiensi Magistrali successerit Joanni de Rupella, viro ejusdem instituti doctissimo: tandemque tribus post annis eodem teste Wadingo, *assumptus sit ad Generalem Præfecturam Ordinis post Joannem Parmensem, idque omnium suffragiis fratrum.* An autem habens universum Ordinem fratrum Minoritarum regendum, declamandis ad populum concionibus animum intenderet: valde dubium, imo

imo impossibile videtur homini occupatissimo, qui novum Ordinem, multis infinitisque negotiis intricatum, vix plene cognoscere poterat. Ex hoc calculo Minoritarum, vix alibi mansit S. Bonaventura quam Parisiis, quo accessit ad annum 1245. ubi per sex aut septem annos Philosophicis disciplinis ac Theologicis studuit, unde laurea Doctorali auctus, aliquanto post Magistralem cathedram conscendit, quam ad minus per triennium tenuit. Inde ex illa ad primam Franciscani Ordinis Præfecturam elatus est, atque ita semper Parisiis mansit, donec ad præfecturam Ordinis summam eligeretur. Sunt tamen *Sermones multi de tempore & de Sanctis & de communi Sanctorum*, sub ejus nomine olim Basileæ anno 1492. impressi, Lugduni & Romæ anno 1496. Romæ demum cum aliis Operibus anno 1596. At *Sermones tam de tempore quam de Sanctis* qui habentur tomo 3. editionis Vaticanæ, integre discrepant, præsertim qui *de Sanctis* sunt, ab illis quo frater Stephanus Attrebatensis ex vetustis Bibliothecis collegit, & Antonio Siretto docto Minoritæ tradidit, quos hic procuravit imprimi Parisiis in 8. typis Jodoci Badii Ascensii anno 1521. Isti enim *Sermones de tempore* incipiunt, *Emitte manum tuam de alto* &c. *Sermones de Sanctis* incipiunt, *Extendam palmas meas ad Dominum* &c. *Sermones de communi Sanctorum*, de Apostolis incipiunt, *Duodecim fratr s uno patre geniti sunt* &c. Sunt quidem Sermones satis triviales, & minus barbari dictione, & qui Bonaventuræ nec derogare nec conferre multum possint: unde quid de his sentiam, dicere vix possum. Porro quantum ad alios, quos anno 1596. obtulit Clementi Octavo Angelus Rocca, Ordinis Eremitarum divi Augustini, in editione Romana omnium Operum S. Bonaventuræ, cum ingenue fateatur eductos illos ex MS. Codice, ubi tumultuarie positi inveniebantur, cum Sermonibus Petri Aureoli, & aliorum: vix fieri potest cum industria & circumspectione omni, ut distinguere potuerit perfecte & absque dubio, Sermones trium aut quatuor Magistrorum tumultuarie positos, unde major debet esse certitudo eorum, quos anno 1521. Parisiis edidit Jodocus Badius Ascensius, de quibus antea agebamus.

CAPUT DECIMUM.
DE
OPUSCULIS SANCTI BONAVENTURÆ, SECUNDUM ORDINEM EDITIONIS ROMANÆ ANNI MDCXVI.

CUm post editionem Romanam Opusculorum S. Bonaventuræ, omnes ubique illam sequuti sint, nempe Coloniæ, Moguntiæ & Parisiis, ubi postea dicta Opuscula & conjunctim & sejunctim impressa sunt: opinatus sum rectæ rationi conformius, agere de his Opusculis sancto Bonaventuræ attributis, juxta Romanæ hujus editionis ordinem.

Tomus primus Opusculorum.

1. *De reductione Artium ad Theologiam.* Non indignum Sancto Bonaventura est, quamvis non modicum sudet, ut ad intentionem sui finis omnia conveniant. Nonnihil suspicionis habui, posse illud spectare ad Canonicum quendam Regularem divi Augustini, & Victorinum forsan, ob hæc verba circa medium Operis. „Unde tota sacra Scriptura hæc tria docet, scilicet „ Christi æternam generationem & incarnatio- „ nem, vivendi ordinem, & Dei & animæ unio- „ nem. Primum respicit fidem, secundum mo- „ res, tertium finem utriusque. Circa primum „ insudare debet studium Doctorum, circa se- „ cundum studium Prædicatorum, circa tertium „ studium contemplativorum. Primum maxi „ me docet Augustinus, secundum maxime do- „ cet Gregorius, tertium vero docet Dionysius. „ Anselmus sequitur Augustinum, Bernardus „ sequitur Gregorium, Richardus sequitur Dio- „ nysium: quia Anselmus in ratiocinatione, „ Bernardus in prædicatione, Richardus in con- „ templatione. Hugo vero omnia hæc, id est „ omnes sequitur. Affectatio enim hæc attribuendi præstantiora munera Richardo Victorino & Hugoni, olere videtur Victorinum quendam Canonicum.

2. *Breviloquium Theologicum*, genuinum omnino est, attestante Henrico Gandavensi, in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 47.

3. *Centilogium Theologicum*, certum, nempe ejusdem ingenii & styli, quo anterius Opusculum *Breviloquii*, quamvis voces aliquas barbaras habeat, paucas tamen, quas author properans admittere potuit. Appellat hoc Opus idem S. Bonaventura sub initium Opusculi *De Ecclesiastica Hierarchia*, ubi lectorem mittit ad ea quæ scripsit de Angelis in Opere præcedenti, his verbis: *De spiritual. substantia actu & potentia a materia separata est agendum, cujus proprietates & differentias in præcedenti Opusculo traditas, poteris diligentius intueri.* Hæc autem habentur parte 3. *Centilogii* Sect. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. unde sequitur *Centilogium* a Divo Bonaventura ante Opusculum *Hierarchiæ Ecclesiasticæ* compositum.

4. *Pharetra.* Opusculum sat prolixum omnimode ex SS. Patribus & multis quidem lectis collectum, sub certis communibus locis materiarum, quæ singulis quatuor libris præfiguntur. Illud falso attributum est S. Bonaventuræ, quod prologus hujus Opusculi cum iis quæ scribuntur de sancto Bonaventura, conciliari non possit. Author hujus Opusculi in præfatione ait, *hoc a se compositum in conversionis suæ principio, cum ob mentis recreationem authoritates Sanctorum legeret, & legens varias corruptiones perciperet, placuisse ipsi ut ad ipsum fontem Originalium recurreret, & ob majorem certitudinem* &c.

At

At S. Bonaventura narrantibus Wadingo atque aliis Franciscanis, ingressus est impubes quodammodo anno Christi 1243. Ordinem Minorum, ætatis 21. Missus novitiatu completo Parisios anno 1245. iisdem testibus, ut novitius & juvenis disciplinis imbueretur Philosophicis ac Theologicis, quod per septennium præstitit. Non ergo is erat Bonaventura, omnino novus & litterarum expers, qui sub initium suæ conversionis tale Opus conscriberet, qui tot sanctos Patres evolveret, ex quorum lectione atque excerptis, hanc pharetram componeret: ipse nondum imbutus disciplinis Theologicis ac Philosophicis. Sunt tamen satis idonei Minoritæ, qui ista concilient, quæ me fugiunt. Si conjecturis dare aliquid liceret, opinarer hoc esse scriptum Opusculum ab aliquo Monacho, sive Minorita, sive non: qui ex milite quodam veterano ac fracto, factus sancti Francisci miles vel alterius Ordinis, ut tædium otii in conversionis suæ primordio levaret, hanc Collectionem ex sanctis Patribus scribere atque ordinare aggressus esset, ut ipse testatur in præfatione hujus Operis. Vnde hic veteranus miles adhuc memor antiquæ professionis ac bellicæ artis, Opusculum istud militari *Pharetra* titulo insignivit. *Opusculum autem istud Pharetram appellari, quia sicut in pharetra jacula reponuntur, quibus hostis hostem ferit, vulnerat & dejicit: sic & hæ varia authoritates fide dignorum, quas si manu operationis tenemus, hostem antiquum dejiciemus.* Hæc autem neutiquam Sancto Bonaventuræ conveniunt.

5. *Declaratio terminorum Theologiæ.* Quod tot Opuscula Theologica scripserit S. Bonaventura, credere vix possum. Opusculum istud methodicum est & clarum, continens ordine congruo, omnium fere Theologicarum definitiones, atque descriptiones vocum. Sed habet idem barbaras voces quasdam, Theologis scriptoribus medii seculi XIV. longe rectius convenientes, quam XIII. quibus hæ expressiones barbaræ nondum ita placuerant, ut in scholas eorum adhuc ingrederentur. Ita in hoc Opusculo sub initium, agens de essentia divina sic barbare loquitur: *Secundo est summe simplex, id est non composita ex multis rebus distinctis a se invicem re, nec* componibilis *cum rebus a se re distinctis.* Videant critici an vox *componibilis* apud Scholasticos seculi XIII. habeatur, temporibus D. Bonaventuræ. Item *Temperantia est domatio libidinum & omnium malorum motuum, Deo hominem incorruptum conservans.* Denique *Vindicatio est virtus, qua omne injustum repellitur & debite punitur.* Videant an voces istæ *Domationis & Vindicationis*, divo Bonaventuræ dignæ ac familiares sint, an habeantur in Commentariis ejus super 4. Libros Sententiarum?

6. *Compendiosum principium in libros Sententiarum.* Sola lectio hujus Opusculi evincit esse proemium seu prologum alicujus anonymi, qui scripsit Commentarium in 4. libros Magistri Sententiarum. Occasionem prologi sumpsit ab his verbis Ecclesiast. 24. *Gyrum cœli circuivi sola* &c. unde omnem materiam Theologicam & ordinem materiarum in 4. libris Sententiarum contentum, sub variis *Gyri* significationibus a longe quæsitis, complectitur. Hic quisquis est, ostendit ex isto *Gyri* prologo, qui de *Gyris* totus est, gyros se multos in capite habuisse, vel caput gyrovagum: unde si pares ubique capitis gyros Commentarius hujus anonymi continuerit, modicum ex hujus Commentarii jactura damnum, Theologi eruditi passi sunt. Porro ut hic prologus divo Bonaventuræ tribuatur, Minoritæ debent ostendere S. Doctorem fuisse semel atque iterum commentatum in 4. libros Magistri Sententiarum, quorum unus jam impressus Commentarius sit, alter lapsu temporum interciderit, solo restante proemio, quod hoc ipsum sit.

7. *Sententia Sententiarum.* Opus divo Bonaventura ex lectione prorsus indignum, nullius meriti, nullius nitoris: imo barbarum, insipidum, absurdum, risu atque omni despectu dignum. Primos duos versus audiamus, quibus de majestate Operis judicamus.

O fons splendoris, vas dulcoris, sed amoris
Nexus, spes floris, dos roris, dogma saporis.

nullus ambigo, quin gravior fuerit ac prudentior Bonaventura, quam ut tam rusticam & incongruam poesim scriptitaret.

8. *De quatuor virtutibus Cardinalibus.* Opusculum D. Bonaventura non indignum, cujus nonnulla sunt similia atque ejusdem argumenti, in Sermone 6. in *Hexameron* seu Opusculo *De luminaribus Ecclesiæ*, quod a Doctore Sancto supra abstulimus.

9. *De septem Donis Spiritus Sancti.* Doctum atque insigne Opusculum quoad ordinem quem instituit, & Operis argumentum: sed habet voces barbaras, quas indubia sancti Bonaventuræ Opuscula atque Opera non habent, neque seculum quo S. Doctor floruit: quibus seclusis, opus esset dignissimum quod huic Doctori adscriberetur. Ita a capite primo Operis author barbariem suam orditur, *Hæc enim omnia operatur idem Spiritus, ut sic per Verbi incarnati & dati illuminationem, & Spiritus Sancti spirati & donati inflammationem, reducamur ad luminosi & amorosi Patris verum cognitionem.* Item cap. 2. *Nam datio est dantis actio* &c. qua *dationis* voce sæpissime toto capite utitur, quamvis facillime latiniori potuisset uti. Item cap. 3. *Gratia igitur cum sit origo & forma omnium habituum & gaudiorum virtualium, ramificatur in habitus vel gradus virtutum moralium.* Item infra *Ramificatur etiam gratia gratum faciens, & proficit in habitus & gradus virtutum Theologicarum* &c. quam vocem barbaram non legi, in legitimis Divi Bonaventuræ Operibus, quis enim unquam *ramificare* pro *dividere* aut *distinguere* accepit? Ibidem præ-

præterea cap. 2. De dono ſapientiæ, utititur vocibus aliis barbaris *aliqualiter* pro *aliquatenus*: item *guſtu ſpirituali vel ſapientiali*, per *amoroſa ſapientiæ ſaporem* &c. quibus abſtinet in aliis ſuis veris Opuſculis ſanctus Doctor.

10. *De reſurrectione a peccato per gratiam.*

11. *De tribus ternariis peccatorum infamibus.* Vtrumque abjectum & ſimplex, licet Divo Bonaventura non indignum.

12. *Dieta Salutis.* Opuſculum hoc non comparet in antiquis Opuſculorum S. Bonaventuræ editionibus, Argentinenſi anni 1495. vel Veneta anni 1504. ſed conjectum primo inter ejus Opuſcula in editione Romana anni 1596. parte 1. Opuſculo 12. & in Veneta anni 1611. apud Hieronymum Scotum tom. 2. Opuſculo 10. quod plurimi quidem æſtimatur apud ſimplices Monachos. At ego perlecto diligenter Opuſculo, illud omnino indignum Doctore Seraphico cenſeo, ob barbariem quam multis in locis habet, atque abjectas rationes & modos humiles, quibus myſteria Chriſtianæ fidei explicat. Hic author barbariem ſuam ſufficienter in prologo Operis oſtendit, dum ait: *Magnam miſericordiam facit, qui erranti viam oſtendit, maxime de nocte, in terra hoſtium, & tempore guerrarum.* Tum poſtea, *Nox eſt peccatum inſtar nivis frigidum, id eſt, infrigidans dilectionem: obſcurum, id eſt, obſcurans rationem.* Tum poſtea, *Tempus guerra, eſt tempus præſentis vitæ.* Et infra, *Quia igitur omnes peccatores & errores ſumus, per conſequens extra viam veritatis imus, & in nocte & in terra hoſtili & in tempore guerra, mortales ſumus & exiſtimus.* Et quamvis hoc verbum a Scriptoribus ſeculi XII. aliquando uſurpatum ſit: nunquam tamen ab ſcriptore gravi qualis Bonaventura fuit, etiam ſeculo XIII. cum affectatione iſta uſurpatum fuit. Quam autem inſipidus hic ſcriptor fuerit, evidenter patet, dum de gloria cæleſti loquitur, certis quibusdam modis naturalibus ac materialibus, qui caput inſanum produnt. Ita capite 2. tituli decimi loquens de aureolis Sanctorum, aut dari *unam florcam Virginibus, unam gemmeam Martyribus, unam ſtellatam Doctoribus.* Ejusdem etiam tituli cap. 6. & ultimo *De jucundiſſima ſocietate & tripudio cæleſtis Civitatis Jeruſalem*: hic inſulſus ſcriptor affert per inconditam ſeriem *Cantilenas* quas Chriſtus cantabit primo Matri ſuæ, *ſecundo* Angelis, *tertio* Patriarchis, *quarto* Apoſtolis, *quinto* Martyribus &c. quæ omnia ſcriptoris inſipidi & capitis vacui ſomnia ſunt. Hæc quidem apta quæ lacrymas a vetulis mulieribus eliciant, ab eruditis autem viris & prudentibus riſum extorqueant. Quis autem Bonaventuram, tam abjectarum næniarum ſcriptorem putet?

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 1131. in MSS. Codicibus Collegii Caiohonvilenſis, qui ex donatione Magiſtri Guilielmi Mori quondam Collegii hujus ſocii, & quorum Catalogus in MSS. Codicibus Joannis Mori Norwicenſis Epiſcopi Codice 202. inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 9388. In Codicibus ergo Caiohonvillanis Claſſe D Codice 67. num. 1. *Via ſeu Dieta Salutis edita a fratre Wilhelmo de Canicia, Aquitanico, de Ordine fratrum Minorum,* ut conſtat ex fine Tractatus, quem ſub medium ſeculi XIV. claruiſſe opinor. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis Codice 552. in MSS. Codicibus Collegii Mertonenſis Codice 85. num. 2. Liber qui vocatur *Via & Dieta Salutis*, auctore incerto. Ibidem Codice 2341. in MSS. Codd. Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 200. Tractatus qui vocatur *Via Salutis.* Videant quibus id licet, an tractatus idem ſit cum iſto, qui inter Opuſcula Bonaventuræ ponitur.

CAPUT UNDECIMUM.

DE SECUNDA PARTE OPUSCULORUM, QUÆ DIVO BONAVENTURÆ ATTRIBUUNTUR.

13. *Meditationes vitæ Chriſti.* Indignæ prorſus ſunt Divo Bonaventura viro gravi. Qui autem talia Opera, nugacibus ac fabuloſis narrationibus plena, ſub nomine illius in publicam effuderunt lucem, honori Sancti Doctoris impenſe derogant. Hoc Opus compoſitum circa medium vel finem ſeculi XIV, & ſpectare videtur ad Bonaventuram Baduarium de Peraga Auguſtiniani Ordinis Eremitarum, ſub cujus nomine dicuntur Norimbergæ anno 1472. impreſſæ. Porro ſi ſimplices atque aniles ejus expreſſiones referre hic vellemus, ad hoc Opuſculum tanquam abſurdum divo Bonaventuræ auferendum, liber integer tranſcribendus eſſet. Sed ut leonem ex ungue hic omnes agnoſcant, bonam partem capitis 3. referam, ubi ex perſona Beatæ Virginis loquentis, vitam ipſius depingit bonus valde & ſimplex, ſcriptor hujus Opuſculi. Ita loquitur Beata Virgo.

« Volo ego te facere, ut faciebam ego. Surgebam enim ſemper in noctis medio, & pergebam ante altare templi, & tanto deſiderio & tanta voluntate, & tanta affectione quanta poteram, & ſciebam, petebam gratiam omnipotenti Deo, obſervandi tria illa præcepta, & omnia alia mandata legis; & ſic ſtando ante altare, ſeptem petitiones Domino faciebam, quæ ſunt hæ.

« Primo enim petebam gratiam, qua poſſem implere dilectionis præceptum, ſcilicet ipſum diligere ex toto corde &c.

« Secundo petebam gratiam, qua poſſem diligere proximum ſecundum voluntatem & beneplacitum ſuum, et ut me faceret amare omnia, quæ ipſe amat & diligit.

« Tertio petebam ut me faceret odire, & fugere omnia, quæ odit.

Quar-

„ Quarto petebam humilitatem, patientiam, „benignitatem, & mansuetudinem & omnes „virtutes per quas efficerer gratiosa ante con-„spectum suum.

„ Quinto petebam ut faceret me videre tem-„pus in quo esset nata illa beatissima Virgo, „quæ debebat filium Dei parere, & ut conser-„varet oculos meos, ut possem eam videre: „linguam, ut possem eam laudare: manus, ut „possem ei servire: pedes, ut possem ire ad ser-„vitium suum: genua, ut possem adorare Dei „filium in gremio suo.

„ Sexto petebam gratiam obediendi manda-„tis & ordinationibus Pontificis templi.

„ Septimo petebam ut templum & univer-„sum populum suum ad servitium suum con-„servaret.

„ His auditis dixit ancilla Christi: O dulcis-„sima Domina non eratis vos gratia & virtuti-„bus plena? Respondit Beata Virgo, pro firmo „scias, quod ita me reputabam ream & vilissi-„mam, & gratia Dei indignam, sicut tu: pro-„pterea petebam sic gratiam & virtutes. Et „iterum: Filia tu credis, quod omnem gratiam „habui, habuerim sine labore: sed non est ita. „Imo dico tibi, quod nullam gratiam, donum „vel virtutem habui a Deo, sine magno labore, „continua oratione, ardenti desiderio, profun-„da devotione, multis lachrymis & multa affli-„ctione: dicendo, cogitando semper placita ti-„bi, sicut sciebam & poteram: excepta sanctifi-„cationis gratia, qua sanctificata fui in utero ma-„tris. Et addidit: pro firmo scias, quod nulla „gratia descendit in animam, nisi per orationem „& corporis afflictionem. Postquam autem de-„dimus Deo quæ per nos possumus, licet sint „pauca, ipse venit in animam, secum ferens ista „altissima dona: ita quod videtur anima in se „ipsa deficere, & perdidit memoriam, & non re-„cordatur se fecisse vel dixisse aliquid Deo gra-„tum: & tunc videtur ipsi vilior & despectior, „quam unquam fuerit. Si recte & cum judicio legissent hoc Opusculum, qui editioni Bonaven-turianorum Operum præfuerunt, nunquam ei tam propudiosas merces adscripsissent, quas nullus homo gravis absque stupore audire vel legere potest. Hanc autem omnem Oratio-nis & colloquutionis Marianæ texturam hausit iste scriptor verbotenus ex Revelationibus San-ctæ Gertrudis vel Mechtildis, quæ circa annum 1280. florebant: unde clarius meridiana luce patet Scriptorem hujus Opusculi non posse es-se D. Bonaventuram anno 1274. mortuum. Alludit idem scriptor capite 4. ad easdem Re-velationes, dum de Annuntiatione incarnati verbi facta Mariæ Virgini loquitur. *Gaudet pru-dentissima Virgo, & auditis verbis Angeli consensit: & ut in suis Revelationibus continetur, profunda de-votione genu flexit, & junctis manibus dixit: Ec-ce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Idem Scriptor simplicissimus ac Revelationum amans, cap. 88. eodem modo loquitur, dum de tribus Mariis ad monumentum Christi venien-tibus loquitur. *Magdalena vero & aliæ duæ Ma-riæ, ibant sicut dixi ad monumentum cum ungueu-tis. Dum ergo fuerunt extra portam Civitatis, re-vocabant ad memoriam afflictionis & pœnas Magi-stri sui: & in omnibus locis, iu quibus aliquid no-tabiliter coutra ipsum vel per ipsum factum fuerat: aliquantulum subsistebant, genu flectentes & osculan-tes terram, gemitus & suspiria dantes & dicentes: hic obviavimus ei cum cruce super collo, quando mater ejus semimortua est: hic se vertit ad mulieres, hic crucem deposuit fatigatus, & super isto lapide se ap-podiavit parumper* &c. Hæc opinor sufficiunt, ut convincamur harum *Meditationum vitæ Chri-sti* Scriptorem, fuisse seculi XIV. bonum quen-dam hominem contemplativum, in suis cogita-tionibus simplicem, in vocibus rusticum, in ex-pressionibus barbarum; non autem Bonaven-turam, in Opusculis indubiis Doctorem gravem, & in expositionibus suis prudentem, non bar-dum.

14. *Lignum vitæ*, non indignum Doctore Se-raphico ob gravitatem ac dictionem Latinam.

15. *De quinque festivitatibus pueri Jesu.* Indi-gnum omnino est Opusculum sancto Bonaven-tura, habetque plurimas voces barbaras, ut so-lemnitate prima, *pro hominum adhuc iu mundo mundialiter viventium societate.* Item tanta in his quinque homiliis seu sermonibus, affectatio superlativarum vocum, ut nauseam pariant: quod in aliis suis Operibus S. Bonaventura non consuevit, tempusque recentioris authoris o-let. *Tertio* in Solemnitate tertia *De impositione nominis pueri Jesu*, habet divisionem satis abje-ctam & barbaram, quæ Bonaventuram autho-rem mihi non repræsentat: *Hoc est nomen sacra-tissimum a Prophetis prophetatum, hoc est nomen virtuosum, gratiosum, gaudiosum, delitiosum & glo-riosum* &c. unde lubens scriptorem hujus Opu-sculi ablegarem ad initium vel medium seculi XV. Idem mihi suadet maxima illa affectatio divisionum similiter cadentium, quæ ubique in hoc Opusculo sparsa est.

16. *Officium de passione Domini Jesu Christi, cum Officio de compassione Beatæ Mariæ Virginis.* Utrumque Officium unius atque ejusdem au-thoris est, unde utrumque simul impressum & collectum est in antiquis editionibus Opusculo-rum D. Bonaventuræ impressionis Argentinen-sis anni 1495. tomo 2. Opusculo 13. & 14. Ve-netæ 1504. & alterius ejusdem loci anni 1611. apud Hieronymum Scotum, tomo 2. Opusculis 19. & 20. & consequenter neutrum spectat ad sanctum Bonaventuram. Secundum enim quod *De compassione Beatæ Mariæ Virginis*, est indignum prorsus quod viro gravi & prudenti tribuatur, ob pueriles prosopopeias quas in *Lectionibus* ad-ducit, contra Scripturæ authoritatem dicen-tem, *Stabat juxta crucem Jesu, mater ejus* &c. un-de in hoc absurdo officio Lectio prima sic inci-pit: *Prolem in cruce pendentem, mæsta mater aspi-ciens; lachrymatur incessanter, pectus sacrum per-cutiens*

entiens &c. Hoc quidem vir extaticus composuit, magis attendens ad suas meditationes, quam ad verba Scripturæ sacræ, unde Opus illud ad quendam Semidevotum spectare mihi videtur. Scriptor hujus Opusculi adhuc absurdior est in *Responsorio* quam in *Lectione prima*: ait enim Beatam Virginem plus passam esse, quam filium in passione sua, quod falsum & phantasticum est, imo & majorem censuram mereretur. Audiamus Respons. „ *Consolari ma-*„*ter non potuit, sic tractatum videns quem genuit:* „*hac dolorem majorem habuit, quam Salvator qui* „*tot sustinuit.* Quis hoc esse prolatum a sancto Bonaventura ferat, viro docto & gravi? facit idem Scriptor *Lectionibus 2da & 3tia* prosopopeias ridiculas Beatæ Virginis, quæ & risum cuivis etiam mœstissimo commoverent, ita absurdæ sunt. Lectione 2da, *Dum de cruce depositus ad famulum portatur, inter dolores anxios, portantes affatur: sustinete paululum quod dolorem meum plangam, & meum dilectissimum deosculer: Mihi meum dilectissimum nolite subtrahere, si sepeliri debeat, me secum sepelite. Accessit sic exanimis, se super corpus jecit, & sacrum vultum lacrymis, rigando madefecit.* Adhuc absurdior est scriptor hujus Opusculi in Lectione tertia, quam, oro, legant lectores, qui vel modico judicio pollent, ut quantum fuerit simplex & absurdus scriptor hujus Opusculi, nullus ignoret. Lectio tertia, *Filii præsentia mater destituta, Gabrielem Angelum sic est alloquuta; Ave gratia plena, mihi protulisti, nunc amaritudine sum repl. ta tristi.* Subsequenter inquiens, *Dominus est tecum: ben jacet in tumulo, non est ultra mecum: omnis benedictio quam in spopondisti mihi sit contraria propter mortem Christi.* Officium porro, *De passione Christi Domini*, non est equidem tantæ abjectionis aut censuræ, quia nimirum ex propriis sacræ Scripturæ verbis compositum est: attamen quod unius ejusdemque authoris sit, sufficienter patet ex rithmica commemoratione *Compassionis B. Mariæ Virginis* in utriusque vesperis hujus Officii *De Passione Domini*.

17. *Officium de Corona B. Mariæ Virginis.* Hæ preces *Coronarum & Rosarii B. Mariæ Virginis*, temporum novissimorum sunt, nempe seculi XV. inchoantis, unde ad D. Bonaventuram nullatenus spectant.

18. *Carmina in Canticum*, Salve Regina. Hoc Carmen seu rithmus Doctore Seraphico indignus est, quamvis enim prolixus non sit, barbariem satis multam continet. Ita verbo Salve, *O vere* peccaminum vere *dmconina Regina!* Quid enim sibi vult, „*Dmconina Regina?* Quid simplicius sequenti metro? *Regina regnantium Virgo puellaris, peperisti filium mater singularis, sacratum palatium Dei convocaris, divinum auxilium nobis largiaris.* Et sub medium hymni: *In hac valle misera multum tenebrosa, hominum sunt genera multum fædosa: nam eorum opem sunt contagiosa, propter facta scelera & opprobriosa.* Nihil his metris abjectius ac levius esse potest.

19. *Laus Beatæ Mariæ Virginis.*

20. *Psalterium minus Beatæ Mariæ Virginis.*

21. *Opus Contemplationis.*

22. *Laudismus de Sancta cruce.*

23. *Philomena.* Rithmica hæc quinque Opuscula defectus suos habent, nec certum est ad quem pertinere possint: cum nullus Veterum illa spectare ad D. Bonaventuram dicat, in cujus Opuscula fortuitò à Fratribus Franciscanis nihil distinguentibus, conjecta sunt.

24. *De septem verbis Domini in cruce.* Idem judicium, quod de quinque præcedentibus.

25. *Speculum Beatæ Mariæ Virginis*, sub nomine Bonaventuræ Baduarii de Peraga Ordinis Eremitarum Divi Augustini, qui anno 1380. floruit, impressum dicitur Norimbergæ & Argentorati anno 1476. Habetur hoc Opusculum in editione omnium Opusculorum divi Bonaventuræ Argentinensi anni 1495. tomo 2. Opusculo 8. Itemque in editione Veneta anni 1504. atque illud impressum in particulari, ad finem Sermonum Divi Bonaventuræ, Parisiis impressorum anno 1521. in 12. apud Jodocum Badium Ascensium. Tum projectum inter Opuscula Romanæ editionis anni 1596. tomo 1. parte 2. Opusculo 9. & in editione altera Veneta anni 1611. Opusculorum Divi Bonaventuræ, tomo 2. Opusculo 15. Nunc quæstio est, *an Speculum Beatæ Mariæ Virginis*, sit Opusculum Sancti Doctoris Seraphici genuinum? Volunt haud dubiè omnes Franciscani, vel saltem illi qui inter ejus Opuscula *Speculum* hoc impressum voluerunt, eò potissimè quòd illud spiret ac præ se ferat hominem valde zelosum erga cultum & honorem Beatæ Mariæ Virginis, contineatque multam unctionem & multam doctrinam: denique quod reperiatur in omnibus illius Opusculorum editionibus, ab annis ferè ducentis, quemadmodum suprà absque dissimulatione expressimus. Sed quæstio est an hi loci communes sufficiant ad hoc Opusculum Bonaventuræ affirmandum, id quod viri graves negant, unde jam illud examini subjiciendum est. Post attentam illius lectionem, illud ad Sanctam Bonaventuram non spectare censemus. *Primò* enim in prologo hic Scriptor ita loquitur, *hinc est quòd ego pauper ingenio, imò pauperrimus tam scientia quàm eloquentiâ, hoc egregium donum, hoc pauperculum scriptum, ad honorem tantæ Reginæ afferre præsumpsi.* At voces illæ barbaræ, *pauper ingenio, pauperrimus tam scientia quam eloquentia, pauperculum scriptum*, indignæ ob expressionem illatinam divo Bonaventura; sunt, qui pari ac puerili excusatione & humilitate, in aliis suis Opusculis nunquam usus fuisse legitur. *Secundò* hic Scriptor tantam habet affectationem vocum superlativarum à capite à calcem Opusculi, ut similem vix unquam legerim: quam tamen in aliis suis Opusculis & Operibus Bonaventura non habet. Hic autem stylus non est seculi XIII. sed vel sub finem seculi XIV. vel sub initium seculi XV. Ita Lectione 4. sed sub

sub initium potissimè. *Ipsa*, inquit, est *Maria quæ à septem vitiis capitalibus fuit immunissima. Maria enim contra superbiam profundissima per humilitatem, contra invidiam affectuosissima per charitatem, contra iram consuetissima per lenitatem, contra acediam indefessissima per sedulitatem. Maria contra avaritiam tenuissima per paupertatem, Maria contra gulam temperantissima per sobrietatem, Maria contra luxuriam castissima per virginitatem fuit.* Harum vocum nonnullæ barbaræ, ut *immunissima, indefessissima, temperatissima.* Idem author *tertiò* absurdè omninò probat *Mariam fuisse temperatissimam* sub finem hujus capitis, illud ad probationem allegando, *Ecce concipies in utero:* cui subdit, *Nunquam Maria Deum in utero concepisset, si idem uterus contra Deum crapulatus fuisset, & si uterus ille maro astuasset: cùm venter, maro astuans citò despumit in libidinem. Uterus ergo ille qui Deo incarnato gravidandus est, nunquam in cibo & potu gravatus est: unde Joannes Chrysostomus ait, Comessatrix aut vinolenta Maria nunquam fuit.* Cum enim ipsa Virgo junior Christum conceperit, nec soleant modestæ hujus junioris ætatis Virgines in plerisque locis vinum bibere: inde non probatur valdè *Mariam fuisse temperatissimam*, ex eo quod *uterum non habuerit crapulosum*, vel quòd *uterus ejusdem tenera ac junioris Virginis, maro non astuaverit: quia maro astuans citò despumat in libidinem.* Præterea cum esset Divus Bonaventura Italus, atque ea in regione non tantum teneræ & juniores virgines, sed nec honestiores viri vel crapulæ indulgeant, vel mæro æstuent: Italus inde *temperatissima Maria argumentum* sumere non potuit, quod nec istud crapulæ vitium habuerit. Vnde concluderem lubens, scriptorem hujus opusculi fuisse Germanum aliquem, apud quos solent interdum & virgines & maritatæ *uterum habere crapulosum & astuare maro:* unde Scriptor iste sumpserit hoc argumentum *Mariana temperantia* apud Germanos validum, apud nationes minus bibaces, nullum. *Quartò* idem Scriptor hujus Opusculi idem omninò argumentum eodem modo tractat atque repetit Lectione 4. & Lectione 15. integra, quod absque dubio S. Bonaventura non fecisset. Absurdum enim est, ut in Opusculo Lectionum octodecim, Lectiones 4. & 15. ejusdem argumenti sint, solisque ferme verbis different. *Quintò* Lectione 15. barbaras habet voces, quas audire juvat. *Benedicta certe, qua cum Sara & Susanna fuerit casta conjugaliter, benedicta magis qua cum Judith & Anna fuerit casta vidualiter, benedicta maxime qua cum Maria fuerit casta virginaliter.* Videant Grammatici & Critici, an ista adverbia *conjugaliter, vidualiter, virginaliter* latina sint, an usitata unquam vel assumpta à Divo Bonaventura? *Sextò* denique solus epilogus hujus Opusculi refert alium authorem quam Bonaventuram *Sic ergo Carissimi audistis, quomodo benedictus fructus Mariæ necessarius omnino est; primò ad expiandam culpam mortalem, secundò ad pacificandam inimicitiam capitalem, tertiò ad sanandam plagam originalem, quartò ad relevandam inediam mentalem, quintò ad vitandam iram judicialem, sextò ad declinandam pœnam gehennalem, septimò ad contemnendam substantiam temporalem, octavo ad locupletandam animam rationalem, nonò ad consummandam vitam spiritualem, decimò ad multiplicandam Ecclesiam universalem, undecimò ad reparandam ruinam empyrealem, duodecimò ad conservandam gloriam aeternalem.* Videant an hæ voces *judicialem, gehennalem, empyrealem, & aeternalem* latinæ & congruæ sint? an dignæ viro gravi & S. Doctore Seraphico?

26. *Psalterium majus Beata Maria Virginis.* Habetur in antiquis editionibus Opusculorum Divi Bonaventuræ, Argentinensi anni 1495. tomo 2. Opusculo XI. & in Veneta anni 1504. de quo pluribus loquitur Arturus du Montier Franciscanus in *Martyrologio Ordinis Minorum;* Parisiis in fol. a. 1638. fol. 288. & 289. apud Dionysium Moreau, ad diem 14. Julii. Impressum posteà hoc Opusculum in 12. sub nomine Divi Bonaventuræ, anno 1521. die 26. Septembris per Thielmannum Kerver in urbe Belnensi Ducatus Burgundiæ, quod extat in sequentibus omnibus Opusculorum Divi Bonaventuræ editionibus, estque MS. in Bibliotheca Parisiensi Canonicorum Regularium S. Victoris, sub littera KK 7. sed recentis notæ. Indignum porrò mihi videtur, quod Sancto Bonaventuræ Doctori attribuatur, cum nihil succi habeat, atque instar scoparum dissolutarum sit. Illud quivis homo, modicæ etiam litteraturæ, conventiori longè methodo, paucioribusque immutatis, ornatius & gravius composuisset. *Secundò* in prologo voces nonnullas habet, dum de beata Maria Virgine loquitur, Doctore gravi indignas: *Assignat autem vobis affectuosa quatuor dona mirifica, si tam praeclara puella nexu spirituali vobis fuerit conjuncta, & brachiis desideriorum ferventium à vobis cum magna reverentia & devotione, amplexata.* Et posteà, *unde rogo Carissima & desideratissima ne tam nobilem & speciosissimam Virginem repellatis, ne tam admirandam reverendissimam Reginam Virginem Mariam vilipendatis.* Voces etenim istæ hominem gravem & pudicum non præ se ferunt, qui ad pulchritudinem corporis attendere nullatenus debet. *Tertiò* in Litaniis quæ hoc Opusculum claudunt, voces maximè barbaras habet, epitheta infantica, Doctoreque gravi & Seraphico indigna: *Sancta Maria, fluvius sapientialis. Sancta Maria, cæli fenestra crystallina. Sancta Maria fæminarum pulcherrima. Sancta Maria, rosa veris speciosa. Sancta Maria, mamilla orphanorum.* Item postulat liberari instanter *à perclitatione & desperatione, ab inferni horribili cruciamine &c.* nam & *periculum & cruciatus* in expressione promptiores divo Bonaventuræ fuissent, quam *periclitatio & cruciamen.* Opusculum hoc ejusdem temporis esse potest, cujus præcedens. Multa garrit Arturus du Montier loco citato, ut hoc Opusculum Sancto Do-

Doctori afferat, ex nube modernorum authorum allata, qui rem nunquam discusserunt, imò forsitan Opusculum nunquam legerunt, ut legitimè de illo pronuntiare possent.

CAPUT DUODECIMUM.

DISCUSSIO OPUSCULORUM, QUÆ IN TERTIA PARTE, SANCTO BONAVENTURÆ ATTRIBUUNTUR.

27. *Sermones de decem præceptis.* Habentur sub nomine divi Bonaventuræ, inter ejus Opuscula primæ editionis Argentinensis anni 1495. tom. 2. Opusculo 42. & in editione Venetaanni 1504. Illorum etiam meminit Joannes Trithemius in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, dum de Sancti Bonaventuræ Operibus loquitur: sed omisit Marianus Florentinus, dum in *Fasciculo Chronicorum Ordinis Minorum* lib. 2. cap. 25. recenset Opera Sancti Doctoris Seraphici. Habentur etiam in editione Romana omnium Sancti Bonaventuræ Operum tomo 7. parte 3. Opusculo 1. & in editione Veneta anni 1611. apud Hieronymum Scotum tomo 2. Opusculo 47. atque in aliis omnibus juxta Romanam editionem factis, ut Moguntiæ, Coloniæ, Lugduni, Parisiis. Et tamen ut statim dicam, certum est hoc Opusculum ad Sanctum Bonaventuram non pertinere: unde patere potest, quam nullo delectu & absque examine, obvia quæque anonyma Opuscula in primam Argentinensem editionem omnium Divi Bonaventuræ Opusculorum injecta sint, ab illis qui absque dubio ea nunquam legerant. Quod tamen imputare non possum Franciscanis Minoribus, quos non video fuisse editionis istius procuratores. Quod autem non sit divi Bonaventuræ, imò nec ullius alterius authoris gravis: constat ex plurimis fabulis absurdissimis & falsissimis, quibus Opusculum istud instruxit, quas nec mulierculæ scribere ausæ essent. Offeram tantum hic duo exempla fabulosa ejusmodi, de honore parentibus exhibendo, ex fine Sermonis quinti desumpta: ut quàm absurdus, quàm stramineus, & quàm simplex fuerit hic author, Lectores agnoscant.

„Fuit quidam Magister magnus & famosus „Parisiis, & à multis notus & dilectus. Hoc audiens mater sua paupercula, cogitavit ire ad filium suum, accepit baculum, & in tunicella de „burello venit Parisios, & quæsivit à quibusdam „Dominabus pro tali Magistro. Dixerunt illi „matronæ, quid vultis de eo? Respondit, Ego „sum mater sua. Tunc illa matronæ duxerunt „eam in domum suam, & refocillaverunt eam. „Posteà cogitaverunt, quòd ille bonus homo verecundaretur, si videret eam in tali statu, & induerunt ipsam bene, & dederunt ei mantellum, „& iverunt secum ad Magistrum. Tunc illa „dixit, Ego sum mater tua. Respondit Magister, Verè ego non credo, quia mater mea est" paupercula, & consuevit solum habere tunicellam de burello. Et cum nullo modo vellet acquiescere verbis ejus, reduxerunt eam" in domum suam, & reddiderunt ei tunicellam" & baculum. Tunc illa accessit ad filium suum" in congregatione multorum, & cum videret" matrem suam in tali habitu venientem, deposuit capucium suum, & amplexatus est eam, & dixit: Modò scio quòd estis mater mea. Hoc" fuit divulgatū per villam, & reputatum est ei" pro magno bono, & posteà factus est Episcopus" Parisiensis. "

Aliud exemplum dicam malum, de eo qui" non honoravit patrem suum, & vidi illum, qui" novit illum, cui hoc accidit. Fuit quidam homo pauper, qui per industriam suam multa acquisiverat, & habebat unicum filium. Et videntes quidam nobiles, ferunt quòd contraxit" filius cum filia cujusdam nobilis. Et tunc illa" quæ fuit pulchra & nobilis, incœpit abominari" patrem, & tantum fecit cum marito suo, quod" odio habuit patrem suum, & quod pater non" habebat quod comederet, nisi fabas malas, &" semper in convivio expellebatur à domo." Tunc illa dixit marito suo, modo possumus comedere in pace, vade in arcam, & accipe caponem coctum. Et cum aperuit arcam, mutatus est capo in bufonem, qui subito saliens ad" faciem ejus, ponebat duos pedes ad mentum &" duos ad frontem, & operuit totam faciem ejus," & non fuit medicus, qui sciret eum amovere." Tandem venit quidam qui fecit tenellas quasdam, & dixit, quod eum amoveret. Tunc bufo aspexit eum tam horribili vultu, quod ille" cecidit in terram, & amplius non audebat aliquid facere: & nullus fuit qui sciret apponere" consilium, sed mala morte mortuus est. Patet modò præceptum, & promissum quod" promitur."

Nullus opinor lectis his duabus fabulis, etiam Franciscanus erit, qui imposterum tam propudiosum Opus Sancto Bonaventuræ, viro docto & gravi, adscribere velit: nullus nisi omnino insanus, qui tam absurdas narrationes tanquam ipso dignas propugnare velit, vel dicere audeat. Atque hinc clarum est, quam parum accurati & judiciosi fuerint, qui præfuerunt primæ editioni omnium S. Bonaventuræ Opusculorum, Argentinensi anni 1495. unde aliæ sequentes prodierunt. Si enim vel solum legissent Opera ejusmodi, nunquam illa Sancto Doctori inscripsissent, in Bonaventuræ viri prudentis & gravis apertum dedecus & opprobrium.

Objici potest Henricum Gandavensem in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* attribuere S. Bonaventuræ Opusculum *De decem præceptis*, qui cum Sancto Doctori Synchronus esset, ac eum forsitan Parisiis vidisset, & familiariter cum eo versatus fuisset: nullus datur dubitandi locus, quin hoc Opusculum Sancti Bo-

Bonaventuræ sit. Idemque affirmat Joannes Trithemius in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* anno 1494. composito, & editiones veteres. Et si hic palæstram scholasticam instituere non intendanius, quam semper ut puerilem summè despeximus, juvat tamen hic aliquantulum ludere, & cum pueris puerascere, quod lectorem ut opinor offensurum non est. Respondeo 1. hoc nihil facere ad Opusculum Sancto Bonaventuræ attribuendum, tam enim indictione barbarum est, tamque portentosas fabulas & anilia commenta continet, ut nullus sit sanæ mentis, qui lectum illud Bonaventuræ attribuere audeat. Valet equidem authoritas Henrici Gandavensis ad Opusculum *De decem præceptis* D. Bonaventuræ attribuendum, sed ipso dignum, quod neque barbariem homine docto indignam, neque fabulas viro gravi odiosas contineat. Sed nihil facit ad tam propudiosum Opus Doctore gravi plane indignum attribuendum. Respondeo 2. Henricum Gandaviensem loqui de altero Opusculo *De decem præceptis*, quod incipit, *Tria sunt homini necessaria &c.* quod ipse Sancto Bonaventuræ attribuit, alii S. Thomæ Aquinati, inter cujus Opuscula impressum est in editione Romana anni 1570. & sequentibus omnibus. Illud neque S. Bonaventura indignum est, neque Sancto Thoma Aquinate, sed doctum & grave, unde jure ab Henrico illo Gandavenii, Doctori Seraphico attributum est: At Sanctus Thomas in illius possessione ab annis centum & amplius est; etsi pro Bonaventura facit Henricus Gandavensis, consentiunt tamen in gratiam Sancti Thomæ Aquinatis, omnes fere veteres Opusculorum illius nomenclatores, ab anno circiter 1300. quos suprà adduximus in nostra speciali Dissertatione *De Scriptis Sancti Thomæ Aquinatis*. Ac meo quidem sensu refert magis methodum & dictionem S. Thomæ, quàm Sancti Bonaventuræ. Imò Nicolaus Trivethus Anglus, ad annum Christi 1274. dum loquitur de Scriptis S. Thomæ suppositis, in Chronico suo quod circa annum 1310. scripsit, hoc Opusculum *De decem præceptis*, cuidam Petro de Adrian discipulo S. Thomæ Aquinatis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, attribuit: qui nonnulla Opera S. Thomæ Aquinatis imperfecta, complevisse dicitur. Si velint igitur Franciscani suum esse hoc Opusculum *De decem præceptis*, ab Henrico Gandavensi Sancto Bonaventuræ attributum, adeant Fratres Prædicatores atque ea de re conveniant cum ipsis. Nihil mea refert, sub quibus illud obtineant conditionibus. At inde quidpiam pati non debent Fratres Augustiniani Eremitæ, quorum interest, ut Opusculum illud *De decem præceptis* divo Bonaventuræ adscriptum, quod incipit *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata &c.* auferatur, restituendum Fratri Godschalco Hollen Germano, Ordinis Eremitarum, ad quem spectat. Certum enim est ex Bibliotheca Gesneri, verbo *Godscalcus Hollen*, & ex Philippo Elssio *in Encomiastico Augustiniano* ubi De hujus Ordinis Scriptoribus, verbo eodem asserit Godscalcum Hollen Germanum ex Ordine Eremitarum Divi Augustini, concionatorem qui circa annum 1460. floruit, scripsisse *Opusculum de decem præceptis* per modum Sermonum, quod incipit, *Si vis ad vitam ingredi &c.* & hæc omnia conveniunt huic Opusculo, quod inter Opera Divi Bonaventuræ immeritò projectum est: nam & *per modum Sermonum* conscriptum est, & incipit ab his verbis, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Præterea barbaries styli cum farcimine exemplorum absurdorum & fabularum anilium, anno 1460. optimè convenit, quo vixit Godscalcus Hollen: nam tunc temporis impensè merebantur de publico, qui ejusmodi miracula suis inserebant Sermonibus, ad terrorem mulieribus & rusticis incutiendum. Ista ejusdem temporis Scriptor Joannes Heroldus, Germanus pariter, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui sub nomine *Discipuli* omnibus villularum pastoribus innotuit, suos omnes Sermones *Discipuli* inscriptos, paribus fabularum gemmis, cum aliis nonnullis, illustravit. Nisi tamen *Opusculum istud Bonaventurianum* aliud sit, ab Opusculo *De decem præceptis*, quod anno 1497. (duobus annis post editionem Opusculorum divi Bonaventuræ) sub expresso nomine Godscalci Hollen, Ordinis Eremitarum divi Augustini, impressum est Norimbergæ apud Antonium Koburger. Jam ex hoc Opusculo *De decem præceptis*, apertè agnosco malam fidem eorum, qui præfuerunt editioni primæ *Opusculorum Divi Bonaventuræ* Argentinensi anni 1495. Certum enim mihi est, illud nihil esse aliud, quàm laciniam puram quandam (ut conferenti patuit) desumptam verbotenus ex majori Opere quod inscribitur *Præceptorium Gotscalci Hollen*, Eremitæ Augustiniani, estque impressum anno 1481. sub proprii authoris nomine, annis quatuordecim antequam sub nomine divi Bonaventuræ in epitomen redactum ederetur, cujus unum exemplar veteribus characteribus in fol. in Bibliotheca Collegii Choletani Parisiensis, quod ita finitur. *Consummatum est præsens & novum Præceptorium pulcherrimum ac fructuosissimum Domini Gotscalci Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, viri piissimi, satis bene correctum ac emendatum. Impressum autem per me Joannem Guldenschaeff, civem Coloniensem, ad laudem & gloriam Sanctæ Trinitatis, & gloriosæ Dei Genitricis Mariæ, nec non ad utilitatem Ecclesiæ suæ sanctæ, ipso die Sancti Francisci Confessoris, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo primo.* Habent autem hi septem Sermones, eandem methodum quam servat totum *Præceptorium* Godscalci Hollen. Ac licet conjectura nihil omnino juvaret, argumentum istud decretorium est, ad Opusculum istud, de quo tam prolixe egimus, à Divo Bonaventura auferendum, quo prorsus indignum est. Possem plures alias ineptias & barbaries ex lectione hujus Opusculi collectas pro-

proferre, sed nemo opinor adeo plumbeus est, ut Bonaventuræ illud deinceps adscribere velit, nisi in Sancti Doctoris contemptum & probrum.

28. *Tractatus ad Dominam Blancam Hispaniæ Reginam, De regimine animæ.* Falsum est Opusculum istud esse scriptum ad *Blancam Hispaniæ Reginam*, ut titulus præfert, nullumque vel leve indicium, quod ad Reginam aliquam vel ad mulierem directum fuerit unquam. Nec procuratores primæ editionis *Opusculorum S. Bonaventuræ* Argentinensi. an. 1495. inscripsissent, si legissent: quod correxissent Bibliopolæ in aliis editionibus, si tantisper Opusculum volvissent. Est enim *Soliloquium* vel Bonaventuræ vel alterius, *ad suam animam*, quam Scriptor alloquitur. Quod Opusculum istud ad Blancam Hispaniæ Reginam directum non sit, patet 1. ex his verbis quibus excitat author animam vel personam ad quam scribit, *ad justitiam, ordinatam per obedientiam ad superiores, societatem ad pares, & per castigationem ad inferiores.* Hæ voces optime conveniunt vel homini Ecclesiastico, vel Conventuali & Cœnobitico, non autem Reginæ Hispaniarum Blancæ, quæ nec superiores habuit, quibus obediret, nec pares, quibuscum sociaretur, nec inferiores quos castigaret. 2. Hortatur eandem personam *ad pietatem salvationis animarum, nunc adjuvando per orationum frequentiam, per sermonum informationem &c.* Hæc conveniunt & Clericis & Monachis, qui concionantur & Orationi frequentius instant: Reginæ (ut opinor) non conveniunt, quæ concionari non solet. 3. Hortatur eandem personam *ad pietatem divini cultus, attente & devote & reverenter scilicet horas persolvendo Canonicas &c.* an voces istæ, Reginæ Hispaniarum conveniant, quam Bonaventura ad quotidianum breviarium adstringeret: an Clericis vel Monachis, quos per soliloquium istud author alloquitur, vident, opinor, vel viri mediocres. Incertum est, an opusculum spectet ad Sanctum Bonaventuram. Habet etenim quamvis modicissimum sit, voces barbaras sufficientes, ut divo Bonaventura indignum censeatur. Ita sub initium opusculi appellat *misericordiam Dei summè viscerosam* semel atque iterum. Vult posteà *dolere hominem vehementer propter annihilationem omnis boni divinitùs sibi dati &c. vehementissimè propter vilipensionem Dei &c.* Vtitur vocibus *deordinasti*, & aliis minus latinis. Non tanta tamen dictionis rusticitas, quanta in antecedentibus Opusculis, unde Bonaventuræ concedi utcunque potest, & excusari.

29. *Formula aurea de gradibus virtutum.* Non spectat ad divum Bonaventuram, ob absurditates nonnullas, quas continet. Nam cap. 15. de gradibus largitatis, quæ virtus moraliter saltem bona est, hic Scriptor exemplum Herodis adducit: *Item in altum gradum largitatis ascendit, qui dat quidquid ab eo petitur, sicut Herodes facit, qui filiæ dixit, quidquid petieris, dabo tibi.* At nunquam divus Bonaventura, Doctor gravis & Orthodoxus adduxisset hoc exemplum Herodis, tanquam actum largitatis, quod potius fuit factum impudicitiæ, & promissum levitatis & ebrietatis & prodigalitatis & stultitiæ: unde subditur Marci 6. versu 23. *licet dimidium regni mei.* Hic ergo Scriptor adulterat Evangelium, quod Sanctus Bonaventura nunquam fecisset: dum factum Herodis tanquam actum largitatis adducit, quod opus & promissum fuit ultimæ dementiæ. Quis enim Regem non summè dementem aut ebrium putaret, qui pro unicâ ex gratâ puellæ saltatione, dimidium etiam regni sui promitteret? Item cap. 23. *De gradibus confessionis*, hic Scriptor absurdissimus est, dum ait esse *altum gradum confessionis*, confiteri tantum uni Sacerdoti: *altiorem*, confiteri pluribus Sacerdotibus secularibus: sed *altissimum*, confiteri pluribus Sacerdotibus regularibus. Audiamus novum Doctorem: *Item altus gradus est, confiteri tantùm uni Sacerdoti, juxta illud, Vade, ostende te Sacerdotibus: altior est, confiteri pluribus Sacerdotibus Secularibus, juxta illud, ite, ostendite vos Sacerdotibus: altissimus, confiteri pluribus Sacerdotibus religiosis, qui diligentes sunt circa confessionem & confitentes.* Hinc manifeste arguo, istud non spectare ad Sanctum Bonaventuram. Ille enim homo fuisset imprudentissimus, atque Ordinem suum & aliorum Mendicantium Ordines censuræ inevitabili exposuisset, si stabilivisset fuisse majorem gradum vel meritum confessionis fidelibus Christianis, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus religiosis, quàm secularibus. Non ita erat imprudens & arrogans Divus Bonaventura, ut talem doctrinam, nullâ nixam ratione vel authoritate statueret, cujus censura in Ordinem ejus æquissime redundasset. Satis erat tunc temporis Ordinibus mendicantibus, ut conservarent atque defenderent Apostolicas suas delegationes, ad audiendas fidelium utriusque sexus confessiones & absolutiones impertiendas: quam ut concionarentur aut scriberent, *altiores esse gradus confessionis fidelium*, dum confitentur pluribus Sacerdotibus secularibus, quàm uni tantum: *& gradus altissimos*, dum confitentur pluribus Sacerdotibus religiosis, *qui diligentes sunt circa confessionem & confitentes.* Hoc etenim Sacerdotibus secularibus est injuriam facere, quorum *plurimi circa confessionem & confitentes diligentissimi sunt*, & multis Regularibus interdum ac sæpius diligentiores: licet non abnuam aliquos in illis esse negligentes & ineptos. At inde Regulares nihil habent objiciendum secularibus, sicut hic Monachus & Scriptor imprudens facit: cum habeant & Claustra suos etiam negligentes & in confessionibus audiendis ignarissimos, & in absolutionibus impertiendis facillimos. Hæc ergo Presbyter regularis, contra Monachum hunc, novam doctrinam, in his tribus imaginariis confessionis gradibus allegantem.

30. De

30. *De pugna Spirituali contra septem peccata Capitalia.* Hic tractatus legenti simplicior est & dictione suâ humilior, quam ut S. Bonaventuræ adscribi mereatur, licet barbariem in dictionibus non deprehenderim.

31. *Speculum animæ.* Rectius inscriberetur *Arbor cupiditatis seu iniquitatis cum ramis peccatorum mortalium*, estque Opusculum morale, nihil aliud continens, quam definitiones & divisiones peccatorum tam principalium, quam aliorum ex illis nascentium. Non videtur spectare ad Sanctum Bonaventuram, cujus seculo hæc Opuscula quæ casuistas spectant, cognita minus erant. Habet enim *primò* voces quasdam & phrases barbaras, quæ Bonaventuram non decent. Ita in proœmio assumit phrasim *de facili* pro adverbio *facile* : *Quod autem ut jam suprà dictum est, secundum Apostolum rami & fructus ex radice pensantur, satis de facili potest quisque perpendere &c.* Item ibidem ad ultima verba prologi, *Et de hoc ultimo primò est dicendum, tanquam de grossiori, & à quo plures rami onusti fructu & foliis mortiferis oriuntur &c,* quæ barbaræ expressiones olent finem seculi XIV. vel initium XV, non autem seculum XIII. quo divus Bonaventura floruit. Item cap. I. utitur voce *officiare* pro *fungi divinis in Altari*, quam absque dubio D. Bonaventura non adhibuisset, utpote ejus tempore non consuetam, vel nondum ortam: *Qui enim excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, vel in mortali peccato, solemniter in Ecclesia officiat, vel Sacramenta administrat &c.* Possent & aliæ legendo plures inveniri. *Secundò* stylus hujus Operis ita humilis atque abjectus est, ut gravem & doctum hominem, qualis Bonaventura fuit, præ se non referat. *Tertiò* hic Scriptor excusat *duellum*, vel excusare videtur: quod absque dubio Doctor Seraphicus nunquam fecisset, cujus ut institutum rigidum, ita severiorem fuisse doctrinam moralem, dubitandum non est. *Duellum autem nota, quòd secundùm jura est prohibitum ; & secundùm rationem, habet rationem mortalis: & in appellatione, & in Domino cujus authoritate fit, & procuratoribus, & in pugilibus propter pecuniam. Et hoc patet, cùm manifestè habeat rationem tentationis divinæ, & à forti debilis per naturam vincatur. Dicunt tamen quidam, quòd consuetudo excusat in hoc facto, cujus contrarium tenetur communiter à Theologis & jurisperitis.* Denique ex modo loquendi, *cujus contrarium tenetur communiter à Theologis & Jurisperitis :* arguimus hujus Opusculi Scriptorem, esse ultimorum temporum, non seculi XIII. in quo Theologia adhuc recens, & Theologi Scholastici non ita loquebantur, nec loqui poterant.

32. *Confessionale.* Opusculum adhuc de moralibus, quis autem credat tantam multitudinem Operum moralium in idem recidentium, ab uno eodemque homine compositam? Illud autem Divo Bonaventuræ, suppositum certò est. Hoc probatur *primò*, quia author hujus Operis ferme perpetuò & ad verbum allegat & citat *Raymundum de Pennaforti & Bernardum Compostellanum Presbyterum*, qui Divo Bonaventuræ contemporanei erant. At quis credat Divum Bonaventuram, utroque vel doctiorem, vel utrique saltem in doctrina parem, citasse in Opusculis suis, Scriptores Synchronos & recentes, ad faciendam Scriptis suis fidem, qui nec unquam legitur allegasse suum amicum & Doctorem famosissimum, S. Thomam Aquinatem? Nec enim moris fuit seculo XIII. primis Scholasticis, citare vel allegare Scriptores contemporaneos, vel nominare, ut eruditis notum est. *Secundò* allegat etiam perpetuò *Gaufredum de Trano Juris peritum*, cujus Summa circa annum 1290. tantum composita est. At impossibile est omnino, ut S. Bonaventura qui anno 1274. fato functus legitur, allegavit Scriptorem anno 1290. scribentem: unde certum est, illud Opus nullatenus spectare posse ad divum Bonaventuram. *Tertiò* hic author cap. 5. *De irregularitatibus & dispensationibus* particula 58. sic loquitur : *Hanc secundam opinionem tenent Laurentius, Vincentius, Tancredus, Joannes, Raimundus & Bernardus : & notatur in Apparatu illius cap. Extra de Judiciis, at si Clerici.* Qui verò Scriptorum ejusmodi multitudinem citat, se recentissimum Scriptorem prodit.

33. *De præparatione ad Missam.* Quamvis habeatur apud Marianum Florentinum Lib. 2. *Chronicorum Ordinis Minorum* cap. 25. incertum tamen est cum sequenti.

34. *De instructione Sacerdotis ad se præparandum ad celebrandam Missam.* Incertum, quamvis habeatur in antiqua editione Argentinensi Opusculorum divi Bonaventuræ, anni 1495. tomo 2. Opusculo 9. & 10. & in omnibus aliis editionibus.

CAP. DECIMVM TERTIVM
DE ALIIS OPVSCVLIS SVB DIVI BONAVENTVRÆ NOMINE IMPRESSIS.

35. *EXpositio Missæ.* Opusculum nonnulla continens haud spernenda, sed Sanctum Bonaventuram authorem non habet. *Primò* enim absque judicio hic Scriptor sub initium Opusculi, postquam locutus est de Sacerdotalibus indumentis ad celebrandam Missam ab Ecclesia institutis, ait : *Si quis ex his indumentis aliquid per oblivionem amitteret, graviter peccaret.* Hoc enim falsum est, nec rectæ rationi conveniens, ut qui per oblivionem, vel stolam vel manipulum in dicenda Missa omitteret, *graviter peccaret :* quæ enim in his casibus ex oblivione omittuntur, gravia peccata nullus censet. *Secundò* gravem solæcismum admittit, dum ait: *Cingulus designat virginitatem Christi, & suæ castissimæ matris &c.* Nec enim *Cingulus* latina vox, sed *cingulum* neutrum, quod D. Bonaventura non ignorasset. *Tertiò* nugax est hic scriptor in explicatione *Casulæ*, & in etymologia nominis, quam assignat, quæ omnino D. Bona-

ventura indigna est: *Casula, id est parva casa vel domus signat cœlum & terram, quæ Christus & sua majestate implet, sicut ipse dicit per Prophetam, Cœlum & terram ego impleo.* Non ita ignarus fuisset S. Bonaventura, ut etymologiam nominis *Casale* a parva casa seu domo derivasset: nec ita ridiculus, ut diceret, *parvam casam seu domum signare cœlum & terram, quæ Christus sua majestate implet:* nam parva casa seu domus ex se non significat aliquid amplum & magnum, qualia sunt cœlum & terra. *Quartò* dum de sequentiis in Missa cantatis loquitur, ita habet: *Fecit autem sequentias Notherus* (lege Notkerus) *Abbas Sancti Galli. Quidam autem Monachi grisei sequentias non cantant, quia ipsi antiquum usum non sequuntur in cantando.* Vbi absque dubio Scriptor hujus Opusculi *de Fratribus Minoribus* loquitur, qui soli *Monachi grisei* sunt. At divus Bonaventura Franciscanus, non ita cum contemptu de suis confratribus loquutus fuisset, quos ille cum honore *Fratres Minores* vocavisset: vel aliter, non autem *Monachos griseos*. Ergo Opusculum istud non spectat ad Sanctum Bonaventuram, imò nec ad ullum ex Ordine Fratrum Minorum, qui suos confratres vel Ordinem non sic appellassent. *Quintò* dum Scriptor hujus Opusculi *de elevatione hostiæ* in Missæ sacrificio loquitur, *ratione sextæ* sic habet: *O fideles Christi, gaudete & aspicite! hæc est enim cælestis præbenda Angelorum, quam vobis transmisit largissimus Rex cælorum, ut omni gratia & benedictione repleamini &c.* Vnde hic mihi videtur esse Sacerdos aliquis præbendarius, vel Canonicus Collegialis aut Cathedraticæ Ecclesiæ, Scriptor hujus Opusculi: qui suæ memor præbendæ, Sanctam Eucharistiam appellaverit novo epitheto, atque inaudito, *cælestem præbendam Angelorum.*

36. *De sex alis Seraphim*, genuinum & dignum Divo Bonaventura Opusculum, etsi unam aut alteram vocem habeat incongruam.

37. *Collatio de contemptu mundi*, digna quoque quæ eidem attribuatur.

38. *De septem gradibus contemplationis.* Indignum Opusculum quod D. Bonaventuræ tribuatur, ob affectationem quandam vocum insolitarum. Nam *primò* explicans primum gradum contemplationis, ait: *Ignis est vehemens divini caloris vel amoris fervor, ex camino superfulgentis Hierusalem flabellatus.* Quis enim extaticum & entusiasticum hunc authorem, ex hac inflatâ atque affectatâ simul descriptione, non statim nugivendulum agnoscat? Quis hunc Bonaventuram agnoscat, virum judicio gravem, atque ad istas imaginationes non assurgentem? 2. *Habet autem signare infinitissimam Jesu bonitatem &c.* 3. *Nunc autem convenientiùs propter sua humanitatis superpulchrificam claritatem adjectam, dici queat superfulgens candor, & supercandens splendor &c.* 4. postea *Quod enim purificat ignis concremando, hoc unctio mulcet suam pinguedinem perfundendo, ut capificilior sit divinorum & pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditissimè emananium.* Sane non invenio nec lego, Divum Bonaventuram licet probum & devotum virum, abiisse in voces illas extaticas simul & phantasticas. 5. *Ad anteriora empyrei & superlucidissimi tabernaculi se extendit &c.* Omne Opusculum scatet similibus extraordinariis vocibus, quas Scriptor affectavit, ut *superessentialis*, & *Superintellectualis, superclarus, superfulgidus, superfplendens, superactivus, superimmensus, supersanctissimus, Angelificatus &c.* quas dum Monachi audiunt & Contemplativi, magnopere admirantur & extra se rapiuntur omnino: sed aliter censent viri solidi, ex quibus fuisse S. Bonaventuram censeo.

39. *Exercitia quadam Spiritualia.* Opusculum quod ob sui modicitatem, vix censuram meretur, quia tamen, ut breviter dicam, simplicioris atque neglectioris dictionis est, Divo Bonaventuræ tribuendum non videtur.

40. *Fasciculariæ*, cum

41. *Passione Christi.* Hæc duo Opuscula in impressionibus distincta, unicum atque idem sunt, ab eodem authore compositum, qui sub initium secundæ partis primam allegat, seu ex his duobus Opusculis primum. Vtrumque devotum est, dictio tamen non mihi satis gravis apparet, sed simplicior quàm ut S. Bonaventuræ adscribi possit.

42. *Soliloquium*, dignum Opusculum Divo Bonaventurâ, ex anterioribus authoribus collectum.

43. *Itinerarium mentis in Deum*, genuinum teste Henrico Gandavensi, & D. Bonaventurâ dignum.

44. *De septem itineribus æternitatis.* Continet amplum istud Opusculum multam doctrinam, compositum atque excerptum ex sanctis Patribus, quod in antiquiori editione Opusculorum D. Bonaventuræ omnium Argentinensi anni 1495. invenitur, & apud Marianum Florentinum Lib. 2. *Chronicorum Ordinis Fratrum Minorum* cap. 25. ubi Opera S. Bonaventuræ recensest; & in editione Romanâ anni 1596. & omnibus aliis. At indignum mihi prorsus est Divo Bonaventurâ ob barbariem & inauditam *Manerii* vocem, quam hic rusticus Scriptor ubique usurpat, cum facillime Latinam aliam substituere potuisset. Lectio solius Prologi Operis, idonea est, ad id suadendum: *In his verbis ostendit B. Augustinus generaliter æternitatis esse duo maneria.* Tum posteà, *Innuit etiam Augustinus hic in verbis, istorum æternorum maneriorum duo itinera.* Ibique & primis Operis distinctionibus, plus quam centies hic horridus Scriptor affert *manerium* pro loco, domo, mansione &c. affectatione tantâ, ut nihil supra. Item dum concludit Distinctionem quintam præludii, affectat verbum *apportare* barbarum, pro *afferre:* quanquam excusari possit, ex eo quod Hugonem Victorinum exscribat. His demptis, opus eruditione non caret. Stylum autem Scriptoris

ris, ex solo ferme Prologo ac distinctionibus primis expiscari possumus, quoniam ubi ad Operis intentionem pergit, alienis loquitur, illorum nempe Scriptorum, quos excerpit ac delibat.

45. *Incendium amoris.* Plenum multa devotione ac pietate Opusculum, sed quod ex solo prologo non spectare ad sanctum Bonaventuram cognoscitur. Quid enim *primò* magis illatinum, quàm hæc prima verba quibus incipit Tractatum. *Evigilans verò animam meam tanquam frigiditate tenebratam calescere conor, quam devotione desertam scio incendi, & tegenti mirum desiderio super terrigenas elevari.* Illudne Latinum *frigiditate tenebratam calescere conor?* Tum postea, *Donec iterum postpositis omnibus, quibus exteriùs possem detineri, solummodò Salvatoris aspectibus assistere contenderem, in intrinsque odoribus commorare.* An *commorare* Latinum est, pro voce *commorari?* *Secundò* idem Scriptor arguit Theologos Scholasticos & carpit in suo Prologo, quod nunquam fecisset S. Bonaventura, ipse Scholasticus: „Istum ergo librum offero „intuendum, non Philosophis, non mundi sapientibus, non magnis Theologis infinitis quæstionibus implicatis: sed rudibus & indoctis, „magis Deum diligere, quam multa scire conantibus. Non enim disputando, sed agendo „scietur ars amandi. Arbitror autem ea quæ „hic continentur, ab istis quæstionariis & in „omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi: unde nec eis „scribere decrevi, nisi postpositis & oblitis cunctis, quæ ad mundum pertinent, solis Conditoris inardescant desideriis mancipati.„ Nunquam autem hoc modo S. Bonaventura arguisset aut objurgasset Theologos Scholasticos, ipse huic scientiæ per plures annos occupatus, ut summos hujus palæstræ Magistros, appellaret *Quæstionarios & in amore Christi inferiores.* *Tertiò* habet hic Scriptor verba quædam barbara, quæ Gallum illum produnt, ut sunt *rectificandi, rectificandus, habilitans &c.* quæ absque dubio e Gallica lingua procedunt, Gallice *rectifice, habiliter &c.* qualia Italus non adhibuisset, sed Latina magis. *Quartò* adhuc magis barbariem sonant verba ejusdem authoris cap. 1. ubi de stimulo conscientiæ agit his vocibus: *Secundò acuitur, dum considerat homo sanguinem Christi effusum pro humano corde excitando, pro eodem abluendo, & pro ipso mollificando &c. Tertiò acuitur, dum considerat homo faciem judicis, quæ est infallibilis, inflexibilis & infugibilis &c.* Quis autem unquam credat Sanctum Bonaventuram ita fuisse semilatinum, ut *mollificare* pro *emollire* assumpserit, & adjectivum *infugibilis* confinxerit, quod Gallo pronum fuit ob idioma proprium? Atque hinc patet Opusculum istud non esse divi Bonaventuræ.

46. *Stimulus amoris.* Prolixum Opusculum, quod certo ad sanctum Bonaventuram non spectat. Meminit hujus Opusculi antiqua editio omnium D. Bonaventuræ Opusculorum, Argentinensis anni 1495. Joannes Trithemius in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, dum Opera sancti Bonaventuræ recenset. Marianus Florentinus in suo *Chronico Ordinis fratrum Minorum* Lib. 2. cap. 25. Editio Romana omnium Operum Doctoris Seraphici, anni 1596. tomo 7. parte 3. Opusculo 46. & omnes editiones quæ istam secutæ sunt. Atque hæc omnia ab annis circiter ducentis, non sunt idonea ad Opusculum istud Seraphico Doctori attribuendum, reclamante stylo & phrasibus, quæ omnino hunc authorem quidem fuisse devotum probant, sed simplicem atque in expressionibus suis absonum, quod de sancto Bonaventura dicere nequaquam possumus. Habet *primo* absurdissimas expressiones, ut dum prima parte cap. 1. loquitur de Christo in cruce & apertis ejus vulneribus. *Sed certe etsi me peperit, debebit sicut mater lactare me uberibus, levare manibus, portare brachiis, osculari labiis, fovere gremiis: aut certe, quid faciam scio. Quantumcunque me pariat, scio quod semper sua vulnera sunt aperta, & per ea in ejus uterum introibo, & hac toties replicabo, quousque ero sibi inseparabiliter conglobatus.* Quid enim absurdius, quænam expressio ridiculior, ut ita loquar, quam dicere: *Scio quod semper sua vulnera sunt aperta, & per ea in ejus uterum introibo?* Dixissetne Bonaventura, *se per vulnera Crucifixi in uterum ejus introiturum?* Quis tam absurdam unquam expressionem exhibuit? Item ibidem. *O quàm beata lancea, & beati clavi, qui aperetionem ejusmodi facere meruerunt! O si fuissem loco illius lanceæ, extre de Christi latere noluissem, sed dixissem: Hac requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. O stulti & tardi corde, qui ad possidendum aliquod vanum, per incerta foramina introitis, & inde etiam exire multoties non potestis! Sed ad possidendum Dei filium, summum bonum, candorem & splendorem æternum, per apertas vulnerum januas non introitis?* Quid absurdius potest excogitari expressionibus ejusmodi, quæ hujus libri Scriptorem, extaticum aliquem Franciscanum produnt, sed divi Bonaventuræ gravitatem nullatenus referunt. *Secundo* idem scriptor, primæ partis cap. 3. sub initium, loquitur de Beata Virgine Maria cum pari absurditate & simplicitate. *O amaritudine plena, quid fecisti? cur vas fœtalitatis fecisti vas penalitatis? O Domina, quare non es solitaria in camera tua? quare ivisti ad Calvariæ locum? Non est tua consuetudo Domina, ad talia spectacula properare, cur te non retinuit pudor mulieris? cur te non retinuit horror facinoris? cur te non retinuit verecundia virginitatis? cur te non retinuit loci turpitudo, multitudo vulgi, detestacio mali? cur te non retinuit clamoris vehementia stultorum vesania, demoniacorum caterva?* Nihil istis prosopopeiis puerilius, atque sancto Bonaventura indignius esse potest. Omne autem hoc Opusculum, nugis paribus plenum est. *Tertio* ita gravis author

parte 3. cap. 10. superbos zelo plenus alloquitur. *O superbe, O Luciferi imitator immunde, nunquid te cogitas Deum esse, an omnia esse a Deo ignoras? Si ergo a te aliquid esse protestaris, certe Deum te esse fateris. Sed amplius vide, ut tua insania reprimatur. Nonne de alienis stultum est gloriari? cum ergo cuncta sint a Deo, si de aliquo gloriaris, te comprobas esse stultum: Si autem hac ignoras, te comprobas esse cæcum. Audi ergo insane, si gloriari vis, & stultus apparere non vis, exclude, qua non sunt tua, & de reliquis glorieris. Sed certe si omnia non tua excluseris, in nihilum redigeris. Ergo de nihilo gloriare, si non vis incurrere vanitatem.* Quarto idem 3. parte cap. 16. in meditatione super *Salve Regina*, sic loquitur. *Tibi Domine Deus gratias ago &c. quia omnia conservas & regis, & me fœdissimam saniem & turpitudinem detestabilem, & abominatione plenum, & omni vita, imo essentia indignum, dignatus es tantum illustrare, ut sciam ee matrem habere, & hoc mihi indignissimo concessisti, ut ipsam possem & audeam salutare.* Et ibidem postea. *Patientiam habe Domina, quia Angelicam salutationem promo, & Angelice non vivo, sed potius Diabolice. Horrendus sum, & te salutare præsumo.* Et infra, *Igitur ave, o Catenale ave! quod cor constringis cum Virgine, & separas a terrenis, cum misericordissima miserum, cum Domina servum, cum matre filium firmissime ligas. O amabile Ave? Accedat ut salutet, qui vult catenari amore! & cum salutaverit ex corde, amplius fortiusque constringetur; & quanto constringetur fortius, libentius salutabit.* Ibidem cap. 17. *Majus dedecus esset mihi, appetere quantumcunque honorem terrenum, quam filio Imperatoris latrina officium. Quid ultra mihi de terrenis divitiis, qui regni aterni sum hæres? ignominiosius esset mihi, de quantumcunque magnis divitiis terrenis curare, quam primogenitum Imperatoris de fimo equorum?* Et infra, *Ego fœdissimus fimus, & abominabilis peccatorum latrina, valeo esse ex immensa clementia Dei mei, tabernaculum ejus; & qui sum plenus sanie & fœtore, ero Sanctum Dei templum* &c. Viderint qui tantillo pollent judicio, an comparationes istæ & expressiones Bonaventuram præferant, vel Scriptorem alium gravem & eruditum, cujus extases prudentiam habeant comitem? At omne Opusculum puerilibus ejusmodi expressionum absurditatibus plenum est, ut legenti constare potest.

47. *Amatorium*, Collectaneum est ex diversis Sanctorum Patrum excerptis, cujus ex prologo & stylo, colligo esse ejusdem authoris, cujus est Opusculum 45. *Incendium amoris* appellatum. Utrumque enim Opusculum ad extasim, & divinum amorem excitandum, & utriusque nomine ab scriptore, ad prologi utriusque finem, ex affectatione authoris designatum est.

48. *Viginti quinque memorabilia*, ex inscriptione & dictione Operis, certo spectant ad divum Bonaventuram.

49. *De Ecclesiastica Hierarchia.* Opusculum certum ejusdem, cum sub Operis initium allegat alia a se olim scripta, quæ reperiuntur in Opusculis *Breviloquii & Centilogii*, absque dubio ad S. Bonaventuram spectantibus. Præterea istud Opusculum ex lectione, grave simul & eruditum est, nihil habens, quo divo Bonaventuræ subtrahi debeat, sicut in præcedentibus allatum est: unde sancto Doctori sub cujus nomine, ab annis circiter ducentis impressum est, accensendum. Hujus equidem Opusculi non meminit, neque Henricus Gandavensis, neque Bartholomæus Pisanus, neque Joannes Trithemius in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*: sed Marianus Florentinus MS. Libro 2. *Chronici Ordinis fratrum Minorum* cap. 25. ubi Opuscula Sancti Bonaventuræ enumerat. Editio prima *omnium ejusdem Opusculorum*, Argentinensis anni 1495. Veneta anni 1504. Romana anni 1596. *Omnium Sancti Bonaventura Operum*, cum aliis omnibus juxta Romanam editionem factis, Moguntiæ, Coloniæ, Lugduni, Parisiis. Altera Veneta anni 1611. apud Hieronymum Scotum, tomo 2. Opusculo 38.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE OPUSCULIS CÆTERIS QUARTÆ PARTIS OPUSCULORUM DIVI BONAVENTURÆ.

50. *Legenda Sancti Francisci.* Prologus incipit, *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis.* Legenda autem Vitæ capitibus XV, constans, *Vir erat in civitate Assisii Franciscus nomine, cujus memoria in benedictione est* &c. Liber Miraculorum, *Ad omnipotentis Dei favorem & gloriam beati Patris Francisci* &c. capitibus 10. constans. Hoc autem Opusculum cujus Trithemius meminit, licet antea extra Tomos Opusculorum vagaretur, editioni demum Coloniensi 1609. adjunctum est, quantum fieri potuit, nitori suo pristino restitutum ope MS. Exemplaris ex Bibliotheca illustrissimi ac Reverendissimi Cardinalis Sarnani, ex Ordine fratrum Minorum, cui Operum S. Bonaventuræ edendorum cura a Sixto V. Pontifice Maximo commissa fuerat, quique pro emittendis libris auctis & illustratis virorum sui Ordinis illustrium, nec labori nec impensis pepercit. Item Antwerpiæ an. 1597. in 8. cum Henrici Sedulii Commentariis apud Johannem Moretam. Scripsit *Vitam S. Francisci* anno Domini 1261. S. Bonaventura, ut testatur S. Antoninus 3. parte *Summa Historialis* tit. 24. cap. 8. his verbis, *Sequenti anno*, id est 1261. *idem stylo mirabili Vitam beati Francisci compilavit, ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reduxit, in qua nihil posuit, nisi certum & probatum testibus fide dignis:* quibus Antoninus indirecte arguit *Legendam Magnam seu Auream S. Francisci* a Thoma de Ceperano multis absurditatibus ac nugis, ne

ne plura dicam, refertam, ex relatu fratrum Minorum nimis simplicium scripto consignatis, quæ risum potius movent, quam pietatem ac Francisci famam promovent. Ob innumeras igitur nugas huic Vitæ prolixiori inspersas, compendium istud S. Bonaventura vir gravis concinnavit, ut testatur S. Antoninus loco citato. Eandem ob rationem aliud ejusdem compendium fecit Bernardus seu Bernardinus de Bossa, Aquitanus, Ord. Minorum, S. Bonaventuræ socius circa annum 1280. ut supra ad annum 1230. in *Thoma de Cellano* diximus. Ejusdem rationis *Antiquitates Franciscana* seu *Vita S. Francisci & sociorum ejus authoribus Fabiano, Hugelino aliisque Minoritis* cum castigatione Philippi Bosquiarii, Coloniæ Agrippinæ anno 1623. in 8.

51. *Expositio in Regulam fratrum Minorum.*

52. *Determinationis quæstionum circa eandem Regulam.*

53. *Quare fratres Minores prædicent, & confessiones audiant.*

54. *Liber Apologeticus, in eos qui Ordini fratrum Minorum adversantur.*

55. *De tribus quæstionibus, contra calumniatorem Regula Franciscana.*

56. *De Paupertate Christi, contra Magistrum Guillelmum.*

57. *Quod Christus & Apostoli nudis pedibus incesserunt*, sive *De Sandaliis Apostolorum.*

58. *Apologia pauperum.*

59. *Epistola de non frequentandis quæstubus, cavendisque discursibus.*

60. *Altera De reformandis fratribus.* Hæc undecim Opuscula ad divum Bonaventuram spectant, quo digna sunt. Antequam ulterius progrediamur ad discussionem Opusculorum, sub nomine divi Bonaventuræ impressorum, opportunum duxi hic afferre querimoniam quam fecit Lucas Wadingus in *Scriptoribus ordinis Minorum* verbo *Sanctus Bonaventura* pag. 75. contra Julium Nigronium, Theologum Soc. Jesu, virum virtute ac scriptis ad pietatem ducentibus in lucem productis celebrem. Nempe, *quod is aperuerit latissimum ostium ad eliminanda quæcunque libet Opuscula Bonaventuræ, eaque aliis adscribenda, dum uti refert Heribertus Rosvveidus, suspicatus est omnia Opuscula Spiritualia, quæ sine authore circumferebantur in Ordine Minorum, a pio viro collecta, data esse in lucem, sub nomine Sancti Bonaventuræ.* Quod pariter opinabatur post Nigronium, doctissimus Rosweidus. Sed in his audiamus Wadingum loco citato. „Julius Nigronius societatis Jesu, vir alias pius & doctus, „aliquanto incautius sciolis & criticis, qui facilius aliena negant, quam propria scribant Opera, latissimum aperuit ostium, ad eliminanda quæcunque libet Opuscula Bonaventuræ, „eaque aliis adscribenda: dum uti refert Heribertus Rosweidus, suspicatus est omnia Opuscula spiritualia, quæ sine authore circumferebantur in Ordine Minorum, a pio viro, collecta, data esse in lucem sub nomine sancti Bonaventuræ. Atque ipse Rosweidus sex ejusdem„ sancti viri Opuscula in controversiam vocat,„ & tanquam suppositios fœtus aliis patribus„ attribuit, *Alphabetum* scilicet *Monachorum.*„ *Collationes octo. Speculum disciplinæ ad Novitios.*„ *De profectu Religiosorum librum primum. De*„ *profectu Religiosorum librum secundum. De institutione Novitiorum partem primam.* In editio„ne etiam Vaticana anni 1596. in appendice O„perum ad calcem tomi septimi, quinque Opu„scula in dubium revocantur, scilicet *Summa*„ *de essentia, invisibilitate & immensitate Dei. De*„ *puritate conscientiæ. De sex alis Cherubim. Mystica Theologia. Compendium Theologicæ veritatis.* Nos autem alias promisimus (nempe in„ Annalibus an. 1260. num. 19. hæc nos in isto„ *De Scriptoribus* Opere ponderosius examinatu„ros, & spuria a legitimis discreturos, quod qua„ fieri poterit, hic opportune absolvemus. Hæc„ per modum querimoniæ Lucas Wadingus, contra Julium Nigronium & Heribertum Rosweidum viros doctissimos, atque in hac causa nullatenus suspectos, qui plurima ex Opusculis S. Bonaventuræ ab anno 1495. attributis, in editione prima Argentinensi omnium Bonaventuræ Opusculorum, & sequentibus omnibus, spuria opinabantur. Sed Wadingus injustissime. Cum enim Julius Nigronius qui Spiritualia multa Opera composuit, homo judicii gravis atque acris, ut Operibus suis pondus ex authoritate D. Bonaventuræ afferret, attentissime Opuscula ista omnia legisset: invenit in plerisque vel barbariem rantam vel absurditatem atque insulsitatem, ut ea omnia jure merito, collecta indiscriminatim ab anonymo opinatus fit: qui absque delectu, imo absque lectione, obvia quæque dummodo inflammativa ad pietatem essent, in hanc portentosam massam indiscretus immisit. Atque censebunt ita, quotquot Franciscanis dempris, cum judicio atque attentione illa legere voluerint, aliaque conferre gravia & correcta, cum puerilibus & nugacibus aliis. Jam hoc posito agamus de Opusculis restantibus, videamusque an Wadingus qui multa narrat in gratiam horum Opusculorum D. Bonaventuræ attribuendorum, in judiciis ferendis æquus fuerit.

61. *Biblia Pauperum.* Incipit prologus hujus Opusculi, *Tanta pollet excellentia prædicationis officium* &c. Opus autem, *Creatio rerum fuit ita mirabilis* &c. Nullam hujus Operis censuram Lucas Wadingus artulit, quam tamen non omisisset, si sincerus fuisset: atque inde facile ostenditur, quam Franciscani sint semperque faciles fuerint ad obvium quodque Opusculum S. Bonaventutæ levi de causa attribuendum. Ut dicamus ingenue, quod sentimus. Nullus illorum omnium, qui contexuerunt catalogum Opusculorum D. Bonaventuræ, quales sunt Johannes Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Marianus Flotentinus libro 2. *Chronicorum Ordinis FF. Minorum* cap. 25. hujus O-

pusculi mentionem facit, apud Scriptores Wadingi. Neque etiam editio vetus & prima Collectio omnium Sancti Bonaventuræ Opusculorum, Argentinensis anni 1495. quæ amplissima est. Ingressum primo hoc Opusculum in Collectionem Romanam omnium S. Bonaventuræ Operum anno 1596. parte quarta Opusculorum, quam procuravit Constantinus Sarnanus S. R. E. Cardinalis, qui Ordinem Franciscanum, unde ad purpuram assumptus fuerat, impense amans, quidquid potuit, Sancto Bonaventuræ adscripsit. Ne tamen omnino gratis hoc fecisse videretur, hanc Tractatui annotationem præmisit. „*Tractatus iste extra tomos Opusculo-„rum Sancti Bonaventuræ editus vagabatur, cujus „unum tantum exemplar reperiri potuit, vetus illud „quidem ut ex typorum forma apparuit, quod in „principio sic est inscriptum:* Incipit præclarum „Opus, quod Biblia pauperum appellatur, per-„utile omnibus prædicatoribus. *In fine vero „hæc sunt verba:* Expliciunt exempla sacræ scri-„pturæ ordinata secundum Alphabetum,ut pos-„sint, quæ sunt necessaria in materiis sermonum „atque prædicationum, facilius a prædicatori-„bus inveniri. *Editum a sancto viro Bonaventura, Ordinis Minorum.* Mirum vero quod Opusculum ob unicam atque anonymam editionem, falso sub Sancti Bonaventuræ nomine, inter ejus Opera a Constantino Sarnano immissum est: etenim illud idem impressum sub nomine proprii authoris, Nicolai de Hanaph, Galli, Ordinis fratrum Prædicatorum, Hierosolymitani postea Patriarchæ, qui circa annum 1280. floruit. Impressum inquam te, variis locis: primum anno 1533. Tubingæ in Germania apud Huldericum Morhart. Iterum Parisiis in 8. anno 1547. apud Joannem Foucher via Jacobæa sub signo urbis Florentiæ, ac tertio Veneriis anno 1637. Tradit autem Sixtus Senensis in *Bibliotheca Sancta,* extare illud manuscriptum Neapoli, sub nomine *Nicolai de Hanapis.* Non tantum autem Neapoli MS. extat sub nomine proprii authoris Nicolai de Hanaps, sed & in aliis multis Bibliothecis, Cremonæ in Bibliotheca fratrum Augustinianorum Eremitarum, Camerari in Bibliotheca Ecclesiæ cathedralis, pulpeto 6. In Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 3840. in Victorina Parisiensi Canonicorum Regularium divi Augustini, littera f. 15. in Bibliotheca S. Benigni Divionensis, Ordinis divi Benedicti, Codice MS. 135. ubi inscribitur, *Florigerium de Virtutibus & Vitiis Nicolai de Hanapis, Ordinis fratrum Prædicatorum, & Patriarchæ Hierosolymitani.* Nec mihi dubium, quin hujus Operis MSS. Codices plurimos viderit Lucas Wadingus, hoc Opus Nicolao de Hanapis, Ordinis fratrum Prædicatorum, atque Patriarchæ Hierosolymitano adscribentes: sed suppressit conticuitque, ne inde Opuscula sancti Bonaventuræ, Romanæ anni 1596. editionis, damnum aliquod imminutionis paterentur. Ne Sarnanus forsan Cardinalis, hujus editionis amplissimæ procurator, malæ fidei atque nimii in Ordinem suum amoris argueretur, qui ob unicam & indefinitam hujus Opusculi sub divi Bonaventuræ nomine editionem, illud Operibus ejus, audax inseruerit. Reclamantibus contra præcedentibus editionibus, & multis MSS. Codicibus in antiquis Bibliothecis facile obviis, qui indubie & uniformiter attribuunt huic *Nicolao de Hanapis Ordinis fratrum Prædicatorum, Patriarchæ Hierosolymitano,* Opusculum, de quo controvertitur.

62. *Alphabetum Monachorum.* Quod ut Wa-« dingus in *Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 76.« *variis nominibus* in variis editionibus audit, *Al-« phabetum Religiosorum, Alphabetum Monachi, Al-« phabetum parvum Monachi in schola Dei.* In In-« diculo Mariani Florentini inter reliqua Bona-« venturæ Opuscula recensetur, & in editione« Argentinensi anni 1495. cum eisdem prodiit,« *Ordinatum* (inquit codex) *a sancto Bonaventura*« & deinceps in omnibus prodiit subsequenti-« bus editionibus, adjecto insuper alio metrico« *Alphabeto Religiosorum incipientium,* ejusdem fer-« me doctrinæ. Atqui posterius hoc Alphabe-« tum nullus sibi vendicat aut Bonaventuræ esse« negat, inquit Wadingus, unde ergo primum« denegabit? Hæc Wadingus, qui mira se lo-« qui opinatur, dum nihil dicit: certum est enim istas formas seu methodos conficiendi *Alphabeta ascetica,* vel tractandi res asceticas per Literarum Alphabeti ordinem, recte convenire temporibus novissimis, seu seculo XV. in quo vixit Thomas a Kempis: non autem seculo XIII. quo divus Bonaventura vixit. „ Inde, ait Rosweidus, quod author vitæ Thomæ Kempen-« sis illud inter ejus Opera impressit, & omnes« editiones, unaque antiquissima (antequam sub« nomine Divi Bonaventuræ prodiret) illud« Thomæ Kempensi vindicavit. Addo ego« quod Trithemius *De Scriptoribus,* & Franciscus« Sweertius in *Athenis Belgicis,* ac Possevinus in« *Apparatu sacro,* illud annumerant Operibus« Kempensibus. Sed si velimus editiones edi-« ditionibus apponere, & testes testibus, plures« ac vetustiores sunt impressiones nostræ Kem-« pensibus: & Possevinum Possevino, Marianum« Trithemio, Villotum Belgam Belgæ opponi-« mus Sweertio, & Bellarminum alteri cuicun-« que. Translatum itaque potius a Bonaven-« tura ad Kempensem, quam a Kempensi ad Bo-« naventuram, videtur probabilius. Hæc Wa-« dingus in gratiam divi Bonaventuræ, cui repono falsum esse, quod intendit, *Si velit editiones editionibus opponere & testes testibus, plures & vetustiores esse Bonaventurianas Kempensibus.* Nam prius est hoc Opusculum editum sub nomine Thomæ Kempensis, quam divi Bonaventuræ: cujus editio Opusculorum potissima Argentinensis anni 1495. ubi hoc Opusculum primo sub ejus nomine editum est, quæ consentientibus eruditis omnibus absque discessione facta est, Testes etiam testibus comparari haud possunt, nam Trithemius qui hoc Opusculum

Tho-

Thomæ Kempensi adjudicat, & non D. Bonaventuræ, scribebat Opus suum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, anno 1494. Marianus autem Florentinus, qui in *Chronico Ordinis fratrum Minorum* Lib. 2. cap. 25. illud S. Bonaventuræ accenset, scribebat tanrum circa annum 1520. vel circiter. Itemque soli Minoritæ illud Opus sancto Bonaventuræ assignant, qui circa res sui Ordinis aut suorum fratrum ob justam falsi suspicionem, vel nunquam vel raro & cum discussione audiendi sunt, juxta regulam recti judicii, judicem esse neminem in propria causa. At qui Opus illud adscribunt Thomæ Kempensi, Canonico Regulari Ordinis divi Augustini, Augustiniani non sunt; Sed Joannes Trithemius Germanus, Abbas Ordinis divi Benedicti, atque Scriptorum Ecclesiasticorum peritissimus, Franciscus Sweertius Belga, non Augustinianus, Antonius Possevinus Italus, societatis Jesu, Heribertus Rosweidus societatis ejusdem, vir in scriptis discutiendis & adscribendis sagacissimus, Henricus Sommalius Belga, ejusdem Societatis, omnes judicio graves. Quod vero Wadingus *Bellarminum opponit cuicunque alteri*, ostendit se tantum inspexisse Bellarminum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, parte qua sibi savere opinatus est, nempe ad annum 1265 ubi de Operibus divi Bonaventuræ agit: Sed si observationem ad Opera legisset, sibi adversarium invenisset, ubi ita loquitur: *Alphabetum Monachorum tribuunt Thomæ a Kempis, cujus vita author, & multa editiones etiam ex antiquissimis.* Vnde & ad annum 1460. illud idem Opus inter Opuscula Thomæ Kempensis recenset tomo 2. parte 2. Quotquot igitur authores graviores sunt, si Franciscanos excipias, Opusculum istud esse Thomæ Kempensis censent.

63. *Collationes octo ad fratres Tolosates habita.* „De his ita loco citato Wadingus Bonaventuræ porro tribuendas esse, præter omnes editio„nes, confirmant Indiculus Mariani, Villetus, „Bellarminus, Possevinus. Stylus etiam id„ipsum probat, & frequens citatio Patrum & „authorum, ubique Bonaventuræ familiaris, „Ipsum etiam nomen Collationum, quo passim „in aliis Operibus & Opusculis utitur. Octo„ginta & una sunt in Tomo 2do collationes ejus „in Joannem. In tomi septimi prima parte ha„betur ejus collatio *de contemptu mundi*, divisa „in septem partes, his octo collationibus simil„limas, ex Sanctis Patribus, Gregorio præser„tim desumptas. Et in primo prologo, qui præ„mittitur ad Opusculum *De profectu Religioso„rum* (de quo statim) haberur, se consuevisse „Collationes facere ad novitios & alios religio„sos: *Collationes* (inquit) *meas, quas pro exhorta„tionibus ad novicios nostros, vel ad alios Religiosos „aliquando facere solebam.* Hæc Wadingus. Sed sciunt eruditi omnes, quam parum aut nihil conjecturæ ejusmodi valeant, ad aliquod Opusculum scriptori alicui affirmandum. Hinc enim & *Collationes Abbatis Cassiani*, adscribendæ divo Bonaventuræ essent, & multa Opuscula sub nomine *Collationum* apud Augustinum & S. Thomam Aquinatem, adjudicanda eidem quoque essent. Duplici hic conjectator confodiendus est gladio, prosternendus conatu, convincendus argumento, quod in hoc genere demonstrativum est. Cum Collationes istæ octo constent excerptis diversorum authorum, Collatio prima est desumpta ex Vbertino de Casali, cujus ad finem nomen allegatur. At Collationes quæ *Vbertinum* ejusmodi allegant, ad sanctum Bonaventuram anno 1274. die 14. Julii mortuum, spectare non possunt: Collationes ergo istæ nullatenus ad eum pertinent, nec pertinere possunt. Constat id ex ratione Chronologica, cum Vbertinus de Casali annis fere quinquaginta post divi Bonaventuræ mortem floreret & viveret, nempe circa annum 1320. & ultra. Tantumque hoc argumentum, ut omnium sane sapientium os obstruere debeat. At nec ideo conticet Wadingus aut moritur, nam ab vulnere per istum gladium sibi inflicto resurgens, iterum ad conjecturas revertitur, non distinguens inter responsionem atque effugium, inter ratiocinari & loqui. Conjectatur itaque has voces, *Hac Vbertinus*, ex margine in textum irrepsisse: sed ista dicere ac conjectari non satis est apud doctos, & Wadingo probandum incumbit, per testes idoneos vel MSS. Codices omni exceptione majores, voces istas in textum irrepsisse. Cum e contra a prima vel potissima editione Argentinensi anni 1495. omnium D. Bonaventuræ Opusculorum, ad ultimam Parisiensem anni 1647. apud Nicolaum Vivenay, hæ voces textui alligentur. Item quoque ad finem Collationis septimæ, citatus libellus *De Imitatione Christi*, quem sicut omnes spectare ad Thomam a Herapis, ex Bellarmino, Heriberto Rosweido, Henrico Sommalio, & aliis, qui illum egregie Thomæ Kempensi vindicarunt. Vnde paret, has octo Collationes esse farraginem ab anonymo ex authoribus variis, pro gustu scriptoris assutam, nec spectare ullatenus ad D. Bonaventuram.

64. *Speculum Disciplina ad Novitios.* Opusculum in duas partes divisum, cujus prologus incipit, *Ad honestatem sendentes* &c. Pars prima, *Deponendus est secundum Apostolum* &c. de quo sic Wadingus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum*, verbo *S. Bonaventura* fol. 77. *Speculum disciplina ad Novitios*, ut Bonaventuræ esse neget Rosweidus, ita subdubitantem In„troducit Henricum Sedulium nostrum, virum„doctissimum, olim Germaniæ inferioris Mini„strum, in secunda hujus Opusculi editione, ty„pis Plantinianis (anni 1591.) *Te pramoneo Lector, nonnullos opinari sanctum Bonaventuram non„esse hujus Opusculi authorem. Non ago censorem,„sed hic prascribo, quod vetus exemplar Argenti„nense editum anno 1495. in recensu Operum sancti„Bonaventura partis secunda, his verbis prascribit:„* Speculum disciplinæ, quod in hanc formam re„dactum

„dactum est a fratre Bernardo de Bessa, provin„ciæ Aquitaniæ. *Nam ab ore Sancti Bonaventu„ra fuit scriptum, & inordinate relictum, in quo ca„lestes homines mores discerent, quibus proficerent.* „Quibus subnectit idem Sedulius, *Firmamentum* „*trium Ordinum sancti Francisci refert, sub decimo* „*Generali, fratre Hieronymo de Esculo, quendam exi„mium Magistrum inter alia* Speculum disciplinæ, „*composuisse: fitne ille, quem supra dixi, tu cogita.* „Vir ille insignis, qui sub Hieronymo Asculano „floruit, & ad præceptum ejusdem Generalis „Ministri, illa Opera, quæ in *Firmamento* referun„tur, composuit, ipse ille est Bernardus Bessanus, „quem indicat Sedulius, & cui nos suo loco ista „Opera tribuimus. In eo solum est error, quod „Vitam sancti Antonii Patavini dicat scripsisse, „cum ea fuerit *Christophori de Romandiola.* Spec„culum autem quod Bonaventura incomple„tum reliquit, Bernardus ex ore dicentis cala„mo excepit, & novo studio revisum complevit. „Ita habet editio Argentinensis anni 1495. in „*recensu Opusculorum Bonaventuræ*, in limine utri„usque partis primæ & secundæ his verbis: *Spe„culum disciplinæ, quod in hanc formam redactum* „*est a fratre Bernardo de Bessa, provincia Aquita„nia. Nam ab ore Sancti Bonaventura fuit scri„ptum, & inordinate relictum, a quo homines disce„rent celestes mores.* Marianus in suo Indiculo „Operum D. Bonaventuræ, illud commemorat. „Et lib. 3. cap. 3. *Historia sua*, ait Bernardum hoc „Bonaventuræ Opusculum imperfectum absol„visse. Similiter testatur Petrus Rodulphus „*De Scriptoribus*, & Marcus Vlysipponensis 2. „parte *sua Historia* lib. 4. cap. 12. Opus ergo „*Bonaventura* est, ornatus & complimentum „*Bernardi.* Idipsum accidit in laudatissimo ope„re *Hexaemeron* inscripto, quod Bonaventura „dictabat, & imperfectum reliquit, propter in„opinatam assumptionem ad Cardinalatum: & „anonymus discipulus recensuit & absolvit, uti „alias opportune (ad annum 1265. num 14. in „Annalibus Minorum) narravimus, & distincte „sub calcem ipsius Operis narratur. Constan„tissime tamen hoc Opus Bonaventuræ retinet „nomen, ut quid non & *Speculum disciplinæ?* Ita Wadingus verbotenus. At Henricus Sedulius, qui primus Opusculum istud, post editionem Argentinensem anni 1495. iterato excutendum curavit anno 1591. Antwerpiæ, ita solvit dubium quod habuerat, an Sanctus Bonaventura esset scriptor hujus Opusculi. „*Sed* „*hoc dubium nobis eximit ipse Bonaventura, qui pro„logo utroque Operis*, De profectu Religiosorum, „*plane testatur, se conscripsisse formulam priorem De* „*exterioris hominis compositione: quibus verbis* Spe„culum disciplinæ *intelligit.* Vult itaque Lucas Wadingus *Speculum disciplinæ ad Novitios*, de quo loquimur, dictatum esse a sancto Bonaventura, atque expolitum & cultum a Bernardo de Bessa, juxta editionem Argentinensem anni 1495. Vult Henricus Sedulius Belga, qui secundo illud evulgavit & correxit anno 1591.

Antwerpiæ, illud esse Bonaventuræ: quia est ejusdem authoris, cujus est Opus *De profectu Religiosorum*, quod in prologo citat *Speculum disciplinæ*, tanquam suum. Ego utens argumento altero, censeo neque *Speculum disciplinæ* esse divi Bonaventuræ, neque Bernardi de Bessa, sed Davidis de Augusta Franciscani, qui multos asceticos libros ad instructionem fratrum Minoritarum scripsit. Probo contra Sedulium & Wadingum, ex ipsis eorum argumentis, nulla habita ratione editionis Argentinensis anni 1495. quæ imperfectissima est. Ejusdem certo authoris *Speculum disciplinæ*, cujus est Opusculum *De profectu Religiosorum*, quod concedunt & Sedulius atque Wadingus: neque negari potest, cum author Opusculi *De profectu Religiosorum*, in prologo Operis sui expresse dicat, se scripsisse opus *De compositione hominis Exterioris*, quod in *Speculo disciplinæ* legitur. Atqui Opusculum *De profectu Religiosorum* spectat ad Davidem de Augusta, ergo & *Speculum disciplinæ ad Novitios*. Itaque ex eodem principio, quo Sedulius & Wadingus utuntur, aliam omnino conclusionem infero, ex assumpto omnimode alio. Jam ergo restat probandum assumptum, quod statim facturus sum.

65. *De profectu Religiosorum Libri duo.* Hos ex confessione & concessione Henrici Sedulii„ (teste Wadingo) subtrahit D. Bonaventuræ„ Heribertus Rosweidus, & tribuit Davidi Augustano, ejusdem instituti viro, æque pio ac„ docto. Vt ita crederet Henricus Sedulius Franciscanus de quo supra, persuasit Marcus Velse„rus Augustanus, Triumvir Augustanus doctis„simus testimonio Trithemii, & ex MSS. Germa„nicis Codicibus quamplurimis, nomen *Davidis*„ præferentibus, sub quo prodiit primus liber„ Augustæ anno 1596. hoc præfixo titulo, *For„mula interioris hominis.* Idipsum habet Justus„ Lauspergius tom. 2. *Minorum Operum* Lib. 10.„ Epist. 25. At si standum testimonio Trithe„mii fuerit, oportebit immutare ordinem & ti„tulos horum duorum librorum: quem enim„ priorem statuit editio Augustana & Sedulius,„ posteriorem ponit Trithemius: & quem illi li„brum *De interioris hominis reformatione* appella„runt, ille *De exterioris hominis compositione* nun„cupavit. Hæc Wadingus. Quod autem isti„ duo libri *De profectu Religiosorum*, ad Davidem Augustanum spectent, ex *Epistola Davidis de Augustâ ad fratrem Bertoldum Franciscanum* nuncupatoria constat, qua nihil authenticum magis dari potest, ad hos libros Sancto Bonaventuræ contra sententiam Wadingi auferendos. Vnde Sedulius & ipse Franciscanus, absque ulla consideratione Trithemii, qui in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, illos divo Bonaventuræ attribuebat, & veteris omnium divi Bonaventuræ Opusculorum editionis Argentinensis anni 1495. quæ habet primum ex his libris duobus *De profectu Religiosorum*, a cap. 8. editionis Romanæ ad finem, sub titulo *Tractatus De vitiis & eorum*

rum remedii, tomo 2. fol. 281. & sequentibus, cum parvo prologo, qui in editione Romana deest: his inquam non obstantibus, Sedulius sequutus est sententiam Marci Verseri, in editione sua *Speculi disciplinæ Novitiorum*, anni 1591. Antwerpiæ. Nec etiam omnimode abnuit Wadingus, in *Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 78. dum ait: „Persisto proinde in eo quod a„lias scripsi (anno 1272. num. 15. Annalium „fratrum Minorum) primam scilicet horum „Opusculorum texturam *Bonaventuræ* adscri„bendam, incrementum vero & quodcunque in „methodo discrimen *Davidi* tribuendum. Suo „itaque modo & opportuniori Novitiorum di„sciplinæ accommodatum & auctum, additoque „fortassis priori Prologo, misit David fratri Ber„tholdo, aliisque tironibus Ratisponensibus: „unde illi adjudicarunt totum opus, qui aliquot „exempla a Novitiis, vel ab aliis transcripta „conspexerunt. Hæ conjecturæ Wadingi, quas non admisit Philippus Despont Presbyter Parisiensis, qui in editione ultima Lugdunensi *Bibliothecæ Veterum Patrum* anni 1677. apud Anissonios fratres, hos libros sub nomine *Davidis de Augusta* legitimi illorum parentis immisit, non obstantibus Wadinganis in contrarium conjecturis.

66. *Institutio Novitiorum, in duas partes distincta.* Hancidem Rosweidus eidem Davidi Augustano inde dandam putat, quod inter Opuscula ejusdem impressa reperiatur sub hac inscriptione: *Formula Novitiorum de exterioris hominis reformatione*, iique David præfixit Epistolam ad eundem fratrem Bertholdum, quo nihil majus ac validius, ad probandum hujus Operis authorem. Narrat supra citatus Wadingus plura, sed quæ adversus Epistolam ejusmodi nuncupatoriam & authenticam, nihil possunt. Innumera enim in MSS. bibliothecis Opuscula inveniuntur sub nomine divi Bonaventuræ inscripta, præsertim dum devotionem spirant, quæ ad alios pertinent, neque ad ipsum pertinere possunt.

67. *Regula Novitiorum.* Neque legitur in catalogo *Opusculorum divi Bonaventuræ* apud Trithemium vel Marianum Florentinum, neque in editione vetustissima omnium S. Doctoris Opusculorum Argentinensi anni 1495. reperitur. Sed ista Regula conjecta primum est in Opuscula Bonaventuriana editionis Romanæ anni 1596. quam procuravit & amplificavit absque discussione Cardinalis Sarnanus, Minorita: unde postea manavit in sequentes omnes editiones *Opusculorum Sancti Bonaventuræ*. Imprudentes autem fuerunt isti procuratores Romanæ editionis, dum Opusculum istud Doctori Seraphico adscripserunt, quod si legissent vel leviter, nunquam illi adscripsissent. Nam cap. 25. sic loquitur: *In Conventu fratrum Minorum Parisiis, conversante bona memoria F. Bonaventura, tunc Generali Ministro & post Cardinali, frater juvenis studens ibidem* &c. Scripserat igitur S. Bonaventura hoc Opusculum post mortem suam, qui seipsum *bonæ memoriæ fratrem Bonaventuram* appellabat. Quis ad ista non videat? quis Collectores hujus editionis non contundat ut stupidos?

68. *Remedium defectuum Religiosi.* Habetur in editione omnium Divi Bonaventuræ Opusculorum Argentinensi anni 1495. tomo 2. Opusc. 35. & in sequentibus omnibus, usque ad novissimam editionem Parisiensem anni 1647. ubi ad frontem Operis, censura subjicitur, qua citatum Opusculum depingitur, velut farrago desumpta verbotenus ex *Stimulo amoris*, qui Sancto Doctore supra a nobis indignus judicatus est. Audiamus censuram: *Tredecim capita, quibus constat hoc Opusculum, repetuntur paucis immutatis supra hoc eodem tomo, in Opusculo quod inscribitur*, Stimulus amoris: *decem scilicet priora capita in secunda parte* Stimuli amoris cap. 1. *Undecimum caput in prima parte ejusdem cap. 2. in fine. Duodecim & decimum tertium in tertia parte cap. 3. & 13. Et re vera saluberrima documenta sunt, quibus Religiosus sibi & aliis proficere possit.* Hoc igitur Opusculum, teste censore anonymo, cum purissima lacinia sit, videant an Doctorem seraphicum ultimo tandem velint Franciscani efficere lanistam, ut hoc ipsi Opus attribuant?

69. *De perfectione vitæ ad sorores.* Habetur in editione citata Argentinensi anni 1495. & in omnibus sequentibus, in quo cum nihil invenerim, quod Bonaventura indignum sit, immerito de illo ambigerem.

CAP. DECIMVM QVINTVM.

DE OPVSCVLIS IN EDITIONE ROMANA ANNI MDXCVI. AD APPENDICEM REJECTIS.

IN editione quam penes me habeo Parisiensi ultima, Appendix Opusculorum D. Bonaventuræ habet hunc titulum, admiratione atque risu dignum, *Appendix ad septimum tomum Operum sancti Bonaventuræ, complectens ea Opuscula, de quibus an sint sancti Bonaventuræ, controversum est: & nonnulla alia, quorum subjicitur index.* Ex hoc titulo constat juxta procuratores Romanæ editionis Operum atque Opusculorum sancti Bonaventuræ, cætera omnia genuina esse, nec esse licitum de iis ambigere, potissime cum editio ista mandante Sixto V. vel Clemente VIII. procurata sit. Vnde & Lucas Wadingus omnem (ut sic loquar) iram suam exeruit, in quatuor aut quinque hujus Appendicis Opuscula, quæ dubia Sancto Bonaventuræ, & non certo adscribenda duxit. Opinabar primum *Opuscula ista quoque* dicta esse Appendicem in editione anni 1596. Romana, eo quod huic editioni de novo addita fuissent: quod æquum satis fuisset, *Appendix* enim est additio vel adjectio ad aliquid anterius factum. Sed re matu-

rius considerata, collatisque editionibus anni 1495. Argentinensi, & anni 1596. Romana, de quibus potissime agitur: inveni *ex quinque Opusculis*, quæ in editione Romana anni 1596. Appendicem faciunt, haberi quatuor in editione Argentinensi anni 1495. restante unico *Compendio Theologicæ veritatis*, quod Romanæ editioni de novo accessit. Cum autem in censura horum Opusculorum nobis Wadingus consentiat, aliud nihil agam, quam ut ipsum transscribam.

„ 10. *Summa de essentia & invisibilitate & immensitate Dei.* Opusculorum autem quæ in „Appendicem editionis Vaticanæ rejecta sunt, „primum occurrit, quod *Summa de essentia & „invisibilitate & immensitate Dei* nuncupatur. In „præfatiuncula ad istud Opusculum monetur in „editione Vaticana impressum fuisse in tomo 9. „Operum sancti Hieronymi, inter ea quæ illi „falso adscribuntur, sub hoc titulo magis pro-„prio, *De his quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur.* Habetur quidem inter Epistolas spu-„rias, numero quinto decimo. Sed neque epi-„stolæ formam habet, neque a longe stylum aut „methodum redolet Hieronymi. Opus est cer-„te Theologi scholastici, Hieronymo longe re-„centioris, scholæ terminis abundans. Bona-„venturæ tribuendum esse suadet indiculus Ma-„riani, editio Argentinensis anni 1495. aliæque „subsequentes: nec non similis per omnia alter „ejusdem Bonaventuræ tractatus, quem inscri-„psit, *Declaratio terminorum Theologiæ.* Exordi-„um utriusque Operis idem est: *Omnipotens „Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, unus est „Deus* &c. & in utroque per multos periodos „attributa Dei prosequitur, ex quibus sciolus „aliquis, laxum longumque titulum apposuit. „Ita potius ad modum alterius supradicti Opu-„sculi, inscribendum esset, *Declaratio eorum quæ „Deo in sacris Scripturis attribuuntur.* Hæc Wadingus, sed censura Vaticanæ editionis est ejusmodi: *Hoc titulo inscribitur iste tractatus in omnibus impressis divi Bonaventuræ, sed in editione Romana Operum sancti Hieronymi, longe alio & magis conformi rei, de qua in eo agitur:* De his quæ Deo in Scripturis sacris attribuuntur. *In qua quidem editione, illum tanquam Hieronymo falso adscriptum, inter parerga ad tomum IX. rejecerunt. Et vero potius Bonaventuræ, quam Hieronymi videtur, quamvis utrumque incertum sit.*

„ 71. *De sex alis Cherubim.* Secundum Opu-„sculum Trithemius, Franciscus Sweertius & „alii tribuunt Alano de rupe, Insulensi, sed ne-„mo exordium Operis adjungit: licet Trithe-„mius & Gesnerus reliquorum plerumque ejus „operum prima verba, seu initium apponant. „Marianus hoc Opusculum inter reliqua con-„numerat, & prima verba, *Prima ala est confes-„sio* &c. recenset. In editione Argentinensi ita „inscribitur, *Tractatus de sex alis Cherubim, a B. „Bonaventura editus, ab aliquibus Alano adscriptus.* „Non vidi hucusque Opera Alani excusa, neque hoc Opusculum sub ejus nomine circumferri.„ Suspendo itaque judicium.„ Ita Wadingus. Ego vidi Opera Alani edita curis & studio Caroli de Wisch Prioris Abbatiæ de Dunis, Ordinis Cisterciensis in Flandria, collata ad MSS. Codices plurimos, impressa in parvo folio Antwerpiæ anno 1653. ubi extat dictum Opusculum *De sex alis Cherubim* sub nomine ejus. Unde arguitur mala fides Mariani Florentini, qui in *Indiculo suo Opusculorum Sancti Bonaventuræ*, inseruit pro lubitu quidquid placuit, absque ullo judicio. Idemque fecit editio omnium Seraphici Doctoris Opusculorum Argentinensis anni 1495. ut ex hoc facto unico constare potest: quæ proinde, ad aliquod Opusculum Divo Bonaventuræ affirmandum, nullius meriti vel momenti esse potest.

72. *De modo confitendi & de Puritate conscientiæ.* Est LXIV. inter Opuscula S. Thomæ, ei-„que adnumeratur a Trithemio, Gesnero, An-„tonio Senensi: sed & in Indiculo Mariani Flo-„rentini recensetur inter Opuscula Sancti Bona-„venturæ, & in editione Argentinensi anni 1495.„ aliisque impressionibus, sub eodem authore„ prodiit. Et quidem Joannes Gerson illud Bo-„naventuræ adjudicat, & si viderit S. Thomæ ti-„tulum præferre. Etenim in fine Opusculi *De „pollutione nocturna*, parte Operum secunda, ita„ habet: *Notetur item ad intellectum pleniorem„ præmissorum, Tractatulus quem adscribunt aliqui„ Sancto Thomæ, sed magis apparet ex stylo & ma-„teria, quod sit Bonaventuræ, qui incipit:* Quoni-„am fundamentum & janua &c. *& est utilis mul-„tum.* Nihil ausim definire, utrinque video„ adstipulari vetustas editiones & testes. Dis-„crepantia aliqualis est in partitione capitum,„ nam aliter disponuntur apud S. Thomam, ali-„ter apud Bonaventuram.„ Addimus nos Wadingo, hoc Opusculum esse indignum & Sancto Thoma Aquinate, & Bonaventura Doctore Seraphico: de quo abunde loquuti sumus, dum de *Opusculis S. Thomæ Aquinatis* egimus, vel sub ejus nomine impressis, ad quæ lectorem remittimus.

73. *Mystica Theologia.* Argentinensis editio anni 1495. sæpius citata, in Indice Opusculorum tomi secundi, & in exordio ipsius Tractatus, monet illam a quibusdam tribui *Henrico de Balma*, his verbis: *Mystica Theologia quæ licet Henrico de Balma adscribatur a quibusdam aliis, a pluribus tamen Sanctus Bonaventura ejus author asseritur. Nam idem frater Henricus aliam prius confecerat, & quasi eandem materiam tractaverat: sed longe alio stylo, propter quod sibi hæc Mystica Theologia adscripta fuit.* Sed majorem censuram adhibuit editio Romana anni 1596. quam hic integram velut Wadingo sinceriorem, exhibeo. „ Mystica Theologia, a quibusdam ad-„scripta Henrico de Palma, a pluribus tamen ad-„scripta S. Bonaventuræ. Præcedens titulus„ est in antiquis impressis Argentinæ anno„ MCCCCXCV. ex quo apparet jam tum dubi-„ tatum,

tatum, de authore hujus Opusculi. Sed quod nec Sancti Bonaventuræ sit, nec alicujus Ordinis Minorum, videtur colligi manifeste ex antiquo Manuscripto exemplari, cujus hæc est inscriptio: *Jesus Christus, Maria filius. Incipit liber, qui dicitur, Mystica Theologia.* Vbi enim agitur de *Beneficiis* cap. 1. parte 2. loco illorum verborum, *quem maxime ad religionem fratrum Minorum divina clementia provocavit:* manuscriptum sic habet, *qui maxime ipsum ad religionem Carthusiensis Ordinis divina clementia provocavit.* Et subditur: *sed ad ipsam sacratissimam, quam ipsemet elegit, quando ductus est in desertum, ubi quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunavit, & præcursor suus* &c. ubi impressa ut Lectori fucum facerent in gratiam Franciscani Ordinis, inter illa verba *jejunavit,* atque illa *& præcursor suus:* interserunt hæc, *& in maxima paupertate per mundum prædicavit, & saluti omnium ardentissime intendit:* quæ a MSS. Codice desunt. Vnde ab aliquo Carthusiensi compositum Opusculum videtur, & quibusdam immutatis vel auctis, illud Sancto Bonaventuræ adscriptum: nisi quis idem retorqueat argumentum. Stylus vero non esse S. Bonaventuræ persuadet, est enim sanctus is Doctor concisus quidem, sed quantum fieri potest, in brevitate conspicuus. At vero Tractatus iste diffusus est & obscurus, sed ad anagogicos excessus affectui admodum utilis.

74. *Compendium Theologicæ veritatis.* Hoc unicum Opusculum aliis divi Bonaventuræ Opusculis additum est in editione Vaticana anni 1596. de quo sic Wadingus loco citato. „Attribuit Trithemius Ægidio Romano, alii Alberto Magno, alii S. Thomæ Aquinati. Sed neque Trithemius, neque alius quispiam, qui de Scriptoribus agit, opus hoc tribuit Alberto. S. Thomas vere scripsit *Compendium Theologiæ,* quod inter ejus Opuscula est secundum, sed omnino exordio, methodo, quæstionibus, operis partitione, ab isto distinctum. Cohæret principium Opusculi Ægidiani cum isto divi Bonaventuræ, & si cui præter Bonaventuram adscribendum erit, Ægidio debetur. Suffragantur Bonaventuræ Codex MS. Vaticanus, qui ad Opusculi finem charactere recentiori, ita habet, *Compendium Theologicæ veritatis Bonaventuræ.* Et alius extra Vaticanum Codex pervetustus, qui in ipso limine a parte superiori primæ paginæ, depictum habet S. Bonaventuram docentem e suggestu: & a parte inferiori Sanctum Franciscum stigmata Christi suscipientem, ex quo non leve rei componendæ accedit adminiculum. Et quod magis urget, divisus est ille tractatus in libros septem, ad modum *Breviloquii:* & doctrina valde conformis est iis, quæ Bonaventura scripsit in prædicto *Breviloquio,* in *Centilogio,* in *Libris Sententiarum:* sed & verba sæpius eædem utrobique leguntur. Male me tamen habet, quod neque in Indiculo Mariani, neque imprimis duabus editionibus Argentinensibus, quæ sunt reliquis vetustiores, hic tractatus habeatur. Hæc autem ferme eadem, habentur præmissa huic Opusculo, in editione Parisiensi omnium Sancti Bonaventuræ Opusculorum anni 1647. apud Nicolaum Vivenay, tomo 2. Opusculorum eorundem fol. 710. Nos plura de eo diximus supra in *Dissertatione de Opusculis S. Thomæ Aquinatis,* cui etiam attribuitur. Et postea dicemus, verbo *Joannes Rigaldi,* cui etiam in MSS. Codicibus antiquis adscribitur. Atque hæc de Opusculis Sancti Bonaventuræ sufficiant, quæ salvo meliori judicio dicta sunto. Ex his autem omnibus liquet, editionem primam istorum Opusculorum anni 1495. Argentinensem esse portentosam, & absque ullo delectu omnia admisisse anonyma, sub nomine divi Bonaventuræ.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SINGULARES DIVI BONAVENTURÆ SENTENTIÆ QUOAD NUMERUM SACRAMENTORUM, ACCURATIUS EXPENDUNTUR HIC ATQUE EXAMINANTUR.

NOn ita scrupulosus fuisse videtur Sanctus Bonaventura quoad numerum Sacramentorum Ecclesiæ, quam Theologi Pontificii nostræ ætatis sunt, quippe qui Sacramenta duntaxat tria a Christo fuisse immediate instituta, non semel in libro 4. *Sententiarum* profiteatur. Vnde Angelus Rocha a Camerino, Augustinianus, Apostolici palatii Sacrista, in præmissis ad editionem Romæ anno 1596. factam Commentarii Bonaventuræ in 4. Sententiarum, & Clementi VIII. Pontifici Maximo dedicatam, ita ad Lectorem præfatur,

Alterum vero quod dicendum superest, ad Sacramentorum pertinet institutionem in quarto libro conscriptam. Hinc ut sibi Lector caveat, Sancti Bonaventuræ in hanc rem sententiæ, quæ scrupulum injicere possent, una cum earundem explicationibus ab eodem Sancto depromptis, hoc subjicientur loco. Sic itaque divus Bonaventura verbotenus,

Sacramentorum institutio respicit Deum ut Authorem, & Apostolos ut ministros in promulgando, & Deo attribuenda est vel per Filium vel per Spiritum Sanctum. Ita libro 4. Sententiarum Distinct. 23. art. 1. q. 2. in corpore. *Extrema Vnctionis Sacramentum ab Apostolis Spiritu Sancto dictante, fuit institutum, sed per Sanctum Jacobum promulgatum, sicut etiam Continuationis & Confessionis Sacramentum. Apostoli etiamsi Spiritu Sancto dictante, formam Baptismi a Christo institutam & confirmatam, ad tempus mutaverunt: quanto magis quod Christus insinuavit, instituere potuerunt.* Idem ibidem. Sane lib. 4. Sententiarum Distinct. 23. art. 1. q. 2. hoc unum Bonaventura concludit

& intendit, ut probet, Christum non instituisse Sacramentum Extremæ Unctionis: unde in corpore inquit, *Et ideo probabilius alii dicunt, & Magister videtur hoc sentire, imò aperte dicit, quod Spiritus Sanctus per Apostolos hoc Sacramentum instituit, sicut suprà dictum est de Sacramento Confirmationis.* Et postea. *Quædam sunt Sacramenta media, quæ in Veteri lege non fuerunt in veritate, fuerunt tamen in figura & significatione, sicut Baptismus, Eucharistia, & Ordo: & quia Christus legem implevit & figuras evacuavit, hæc tria Sacramenta per seipsum instituit.*

Distinctione 7. art. 1. q. 2. in corpore. *Confirmationis Sacramentum Christus non instituit, quia credentes post Ascensionem ejus erant confirmandi. Formam hujus Sacramenti, dictante Spiritu Sancto, Apostoli instituerunt: elementum Rectores Ecclesiæ, Spiritu Sancto dictante.* Distinctione 17. parte 2. art. 1. q. 3. in corpore. *Confessio fuit a Domino insinuata, ab Apostolis instituta, a Sancto Jacobo promulgata.* Ita autem concludit Sanctus Bonaventura Distinctionem 17. parte 2. art. 1. q. 3. in corpore. *Ex his quæ dicta sunt, quatuor possunt rationes elici, quare Dominus immediate Confessionem & expresse non instituit. Prima quidem, quia non oportuit: Secunda vero, quia in hoc voluntariam esse debere docuit: Tertia, quia est Sacramentum recidivantium: Quarta, quia quantum est de se, est opus humanum. Unde credo, quod non per se instituit, etsi dicatur instituisse, hoc est intelligendum, insinuando & authoritatem dando.*

„ Hæc sunt, quæ scrupulum injicere queunt, „sed in ejusdem Doctoris Breviloquio, Tomo 6. „Operum parte 6. cap. 6. ex hac editione Ro„mana, docte quidem ut omnia explicantur, in „hanc verborum formam: *De institutione Sacramentorum hoc tenendum est, quod Sacramenta legis gratiæ Christus instituit, tanquam Novi Testamenti mediator & præcipuus lator legis, in quo vocavit ad promissa æterna, dedit præcepta dirigentia, & instituit Sacramenta sanctificantia.* Et infra subdit, *Instituit autem prædicta Sacramenta diversimode, quædam scilicet ex eis confirmando, approbando & consummando, ut Matrimonium & Pœnitentiam: quædam autem insinuando & initiando, ut Confirmationem & Unctionem extremam: quædam vero initiando & consummando, & in seipso suscipiendo, ut Sacramentum baptismi, Eucharistiæ & Ordinis: hæc enim tria & plane instituit & etiam primus suscepit.* Hæc idem Bonaventura, qui idem fere docet, Centiloquii parte 3. sect. 47. ejusdem Tomi 6. & Tomo 7. in Appendice in *Compendio Theologico Veritatis* Lib. 6. cap. 3. „Ex hac distinctione diversimode Sa„cramenta instituendi, clare dignoscitur, quo„nam modo dicta Sancti Bonaventuræ de Sa„cramentis, in libro IV. Sententiarum, supe„riori loco proposita, intelligi & explicari que„ant. Is enim Doctor, dum omnia Ecclesiæ „Sacramenta a Jesu Christo Domino nostro, „instituta fatetur ac docet, a Canone 1. Ses„sionis septimæ sacrosancti Concilii Tridentini alienus non est, etiamsi ante dictum Syno„dum tot annorum intervallo floruisse con„stat.„ Hæc Angelus Roccha Augustinianus, ne idem cum Lutheranis aut Calvinistis, Bonaventura sensisse apud posteros videretur. Sed non omnino certum est, an allegata Opuscula ad S. Bonaventuram spectent, quemadmodum de Commentario illius in 4. libros Sententiarum constat, cui Angelus Roccha attendere debuit.

Agunt de Sancto Bonaventura, Henricus Gandavensis *De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus* cap. 47. S. Antoninus in Summa Historiali parte 3. tit. 24. cap. 8. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Sanctus Bonaventura*. Robertus Bellarminus in Opusculo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1265. pag. mihi 351. Lucas Waddingus in *Scriptoribus Ordinis Minorum*, verbo *Sanctus Bonaventura*. Gerardus Joannes Vossius libro 2 *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 488. ultimæ editionis. Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1255. pag. 728. cum aliis innumeris, quos recensere superfluum.

MICHAEL BLANVAGN natione Anglus, 1250 Blanvagnius dictus, non Blanpainus, ut imperite Vossius legit, circa annum MCCL vitam non ingloriam vivebat, Poeta quippe seculis superioribus illis non ignobilis, quem Ravisius Textor in *Cornucopia* sua sæpius allegat, ac *Michaelem Anglicum*, cognomine ignoto, appellat: cujus meminit Gerardus Joannes Vossius, quia & *Historiam Normanniæ* literis mandasse dicitur, quod ego non crediderim. Extant autem Poemata Michaelis Blanvagnii Cornubiensis MSS. in Cottoniana bibliotheca sub effigie Vespasiani litera D. Codice 5. num. 4. sub hoc titulo, *Michaelis Cornubiensis Poemata, in quibus recurrunt versus, de Hugone Claramontensi Episcopo, de Odone Episcopo Bellvacensi, & de Fulcone Episcopo Londinensi, qui anno 1244. floruit.* Et ibidem sub effigie Titi Litera A Codice XX. num. 3. *Versus Michaelis Blavagn Cornubiensis, contra Henricum Abrincensem.* Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 474. editionis ultimæ. Thomas Smithus in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ, quem anno 1696. in folio Oxonii e theatro Sheldoniano edendum procuravit, pag. 113. col. 1. pag. 123. columna 2.

RICHERIUS SENONIENSIS MONACHUS, Abbatiæ Ordinis Divi Benedicti, Episcopatus Tullensis in Lotharingia, hac eadem 1250 tempestate clarus, nomen suum ab posterorum oblivione vindicavit, dum scripsit *Chronicon Senonensis Abbatiæ Libris quinque*, quod diu in pulveribus hujus Monasterii delitescens, ubi illud vidimus, nostris tandem temporibus in lucem publicam erupit. Florebat ille ab anno 1250.

ætate

ætate Henrici hujus Ecclesiæ Abbatis, de quo Libro 4. cap. 20. his verbis: „*De Henrico hujus loci Abbate, quia nostris temporibus oculatâ facie actus ipsius & vidimus & cognovimus, huic pagina adnotare non pigebit.*" Qua quoque Richerius vixerit tempestate, his ipse verbis signat Libro 3. cap. 23. pag. 358. *Ego quidem tunc temporis ab Abbate Henrico Senoniensi ad ipsum Ducem Lotharingiæ missus sum, eo quòd Philippus Dominus de Gillibiertsvillare dictum Abbatem meum in quibuscunque poterat, molestabat, & ei satis periculosè minabatur. Quem cum diu quæsivissem, eum cum Rege in Herbipoli, qua Teutonicè Werseborch dicitur &c.* Acta autem Henrici Abbatis commemorat Lib. 4. cap. 20. & mortem Lib. 4. cap. 22. cui successit Abbas Widericus, de quo Capitibus 22. 23. 24. Widerico Balduinus, de quo cap. 25. & sqq. Studuerat Richerius Argentorati, ut ipse testatur Lib. 4. cap. 34. Loquitur autem cap. 35. de morte & Martyrio Sancti Petri, Ordinis Fratrum Prædicatorum in territorio Mediolanensi, quod anno 1252. contigisse scribitur alibi. Libro 5. cap. 4. loquitur de conflictu inter Ecclesiam Senoniensem & Dominum de Salmis, coram Episcopo Metensi his verbis: „Anno Domini M CC LI. tempore Jacobi Metensis Episcopi, Dominus Balduinus & Conventus Senoniensis convenerunt Dominum Henricum dictum *de Salmis* coram dicto Episcopo, super injuriis quas inferebat Ecclesiæ Senoniensi. Ille verò volens declinare judicium, dixit quòd ipse vel prædecessores sui pro ipso Episcopo vel prædecessoribus ejus, nihil unquam defecerant, & ita à judicio discessum est. Dictus igitur Henricus tali exceptione fultus, multas & graves Ecclesiæ Senoniensi intulit injurias. Habebat enim quendam fratrem, quem pater ejus in partibus Burgundiæ de quadam muliere fertur genuisse, qui ad omnia mala & actus perversos valde exercitiosus erat. Idem quibus poterat machinationibus Ecclesiam Senoniensem sedulò opprimebat, unde Dominus Balduinus Abbas ipsi Jacobo Episcopo dictas molestationes coactus est sæpius intimare. Quapropter idem Episcopus cuidam Præposito suo Therrico nomine, per litteras suas patentes districtè præcepit, ut quoties querimonia Abbatis Senoniensis ad ipsum perveniret, toties de rebus Domini de Salmis acciperet, si gratiam Episcopi vellet retinere, quod & ipse Præpositus facere studuit. Sed de his omnibus, in utilitatem Ecclesiæ Senoniensis nihil devenit. Claruit ad annum usque 1260. & ulterius, Richerius iste, nam libro 5. *Chronici* cap. 16. & ultimo, Vrbani quarti Romani Pontificis meminit, qui post annum 1260. ad hanc sedem electus est. Hoc occasione Comitis Barrensis, qui depositionem Philippi Metensis Episcopi apud Vrbanum IV. procuravit, de quo sic Richerius. „Igitur quia Fallaciæ Comitis Barrensis, pluribus notæ sunt, quædam huic Libello nostro inserere curavimus. Cum igitur Comes Barrensis electioni Philippi Metensis resistere non valeret; mirabilem nocendi viam adinvenit. Et quia Vrbanus Papa IV. de novo Sedem Apostolicam occupaverat; cui idem Comes plurimum confidebat, eo quòd cùm idem Papa Episcopus fuisset Virdunensis, hoc tempore idem Episcopus compater dicti Comitis effectus est. Qui Comes latenter iter arripiens, Romam profectus est, quem ipse Papa libenter excepit &c." Extat *Chronicon* istud impressum tomo 3. *Spicilegii Acheriani* pag. 271. & sequentibus, expressum ex Autographo Abbatiæ Senoniensis, quem olim apud me habui, dum Stivagii haud procul ab hac Abbatiâ, junior Presbyter manerem. Meminit hujus Richerii, Lucas Acherius *in prolegomenis* ad tomum III. dicti Spicilegii, pag. 14. Qui autem scripserunt *Indices Generales Spicilegii Acheriani*, Richerium hunc ubique seculo XII. assignarunt, quasi Chronicon ejus annum 1167. non excesserit, licet ad annum 1260. & ultrà pertingat. Carolus Dufrenius du Cange in Indice authorum, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 143. ubi eum anno 1267. vixisse asserit; quod verum esse potest.

BERTOLDUS RATISPONENSIS dictus 1250
à patria, natione Germanus, ex Ordine Fratrum Minorum, ab anno circiter 1250. & seqq. floruit; doctrina ac sanctitate simul clarus enituit, cujus de concionibus hac ætate famosissimis testimonium multi contemporanei testes perhibent. Illius apud Scriptores laus multiplex, quorum narrationes & verba ipsa si transcripsero, pleniorem apud Lectores me fidem conciliaturum, non dubitaverim. Horum primus Henricus Stero seu *Annales Steronis* apud Henricum Canisium tom. 1. *Antiquæ Lectionis*, ad annum 1253. ita de illo habent: *His diebus quidam Frater Bertoldus de Ordine Fratrum Minorum, de domo Ratisponensi, tantam gratiam habuit prædicandi, ut sæpe ad eum audiendum plusquàm sexaginta millia hominum convenirent.* Multos animarum fructus hac sua prædicatione variis in locis produxisse, ex subjectis constabit authoribus Gaspar Buschius De Monasteriis Germaniæ *in Fabariensi Monasterio*, cujus verba transcripsit Martinus Crusius 3. parte *Annalium Suevicorum* Lib. 2. cap. 12. ita de eo narrat. „Sub Rodulpho à Bernang ejus loci Abbate, venit eò Minorita quidam, Bertholdus nomine, tempore quo adhuc vixerit Imperator Fridericus II. quem anno 1250. mortuum esse suprà diximus. Hunc didicimus Minoritam habuisse concionem contra omnis generis peccata & injurias atrocissimam, ac de vindicta Dei in eos certissima, gravissimam. Qua ratione animum Alberti Junioris Baronis de Saxen (arcis in Rhetia sub Werdenborgo sitæ) ita permotum esse tradunt, ut Warstensteinense Castrum, quod pater injustè Monasterio detraxerat, certis quibusdam conditionibus se restituturum pollice-

retur &c." Et ad annum 1253. Chronicon Augustense Matthæi Marescalli de Pappenchaim, dum subitaneam Ottonis Bavariæ Ducis mortem refert, sic de Bertholdo loquitur. „Otto Dux in principio sui regiminis, „Severus judex & princeps mansuetus, posteà „propter favorem quem Impendere videbatur „Friderico quondam imperatori, & Chunrado „filio ejus, ab Innocentio Papa IV. & Episcopis „jamdiu & sæpe excommunicatus, persequi „cœpit Clerum, & mala malis addens, in vigilia „Sancti Andreæ Apostoli, cum in sero cum uxo„re & familiaribus suis valde jucundus fuisset, „præsentem vitam subitanea morte finivit. „Eodem tempore, mense scilicet Novembri fa„mosus ille prædicator Bertoldus in Lantzhuet „prædicationis officium exercebat, & moraba„tur in castro cum Duce prædicto, cupiens eum „inducere ad obedientiam Ecclesiæ, & suum er„ga Ecclesias & Clerum animum mitigare. „Tunc supervenit quidam pauper rusticellus, „asserens se in nocte præterita Festi S. Michae„lis, raptum & ductum ad tribunal judicii cu„jusdam, ubi audivisset: quod ad querimoniam „Sanctorum sententia mortis data esset in Ot„tonem Ducem, & cæteros principes pacis per„turbatores, & Ecclesiarum ac pauperum vasta„tores. Asserebat etiam, quod sub pœna mor„tis à Sanctis ex parte Dei sibi esset injunctum, ut „hæc Duci & aliis Principibus nuntiare debe„ret: quod si non admitteretur, deberet aliis „propalare. Is igitur homulus cum non fuisset „admissus ad præsentiam Ducis, prædicto Fratri „Bertoldo, & aliis quibusdam talia propalavit. „Sed & sexto die ante obitum Ducis, idem homo „venit ad Monasterium Altahense, & dixit hæc „Abbati, & Alberto Abbati de Metem, ex parte „illius judicii. Quod cum non admitterent ta„lia manifestare dicti Abbates, cum Henrico Ab„bate de Ebersperg, deberent intimare Duci „prænotato: quòd nisi citius destrueret mone„tam novam, & resipisceret à vexatione paupe„rum & Ecclesiarum, mortis esset in brevi sen„tentiam subiturus. Cujus visionis efficaciam „sæpe dictus Dux, Innocentius Papa, Chunradus „Rex, & alii Principes per mortem insperatam „tunc, proh dolor, experti sunt. Hunc illum ipsum fuisse Bertholdum, ad quem *Formulam Novitiorum* direxit vir sanctus & devotus *David de Augusta*, affirmat qui ejus Opuscula edidit, in Prologo eisdem præmisso *in Bibliotheca Veterum Patrum*: de quo tamen dubitare videtur Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* anno 1272. num. 21. Tum quod vetusti Scriptores Bartholomæus Pisanus & Marianus ab eo citati, neque discipulum neque socium hujus Davidis Bertoldum dixerint, imò potius Davidem Bertoldi socium conscribant: tum quod Bertoldi tanquam hominis jam undique celeberrimi, meminerint supracitati Annales ante annum 1250. & Marianus moneat, Bertholdum Minoritam factum in ætate juvenili. Cum itaque juvenis huic Instituto nomen dederit, atque ut loquuntur Annales, ante viginti & plures annos famosus extiterit: eodemque anno quo David Augustanus obierit: colligitur probabilius, Davidem de Augusta potius esse dicendum Bertoldi socium, uti habent Pisanus & Marianus: quàm Bertoldum Davidis de Augusta, qui ei *Instructionem Novitiorum* dicaverit, discipulum. Porrò hujus Bertholdi *Sermones tam de tempore, quàm de Sanctis* extant MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constare potest ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, pag. 150. & 172. impresso Lipsiæ anno 1686. curis Joachimi Felleri Bibliothecarii. In Bibliotheca etiam Jenensi *Bertoldi de Ratisbona Sermones de Sanctis* MSS. ut testatur Burcardus Gotthelfus Struvius *in Introductione ad notitiam rei literariæ & usum Bibliothecarum* cap. 4. §. 31. pap. 181. editionis 1706. Jenæ, in 8 quos tenuit. Hunc Bertoldum suis accensuit Dominicanis Abraham Bzovius *in Annalibus* ad annum 1253. num. XI. quem hac in parte nullus Fratrum Prædicatorum secutus est, qui *De Scriptoribus hujus Ordinis* scripserunt. At Franciscanus ille Bertholdus ab illustribus quibusque Germaniæ Scriptoribus commendatur, & verbis expressis Minoritis adjudicatur, quibus & ipse Bzovius in iisdem *Annalibus* ipso eodem anno, sub numero 8. accedit. Namque paullò ante superiorem narrationem num. XI. signatam, ita habet ex Antonino 3. parte *Summæ Historialis* titulo 24. cap. 9. §. 2. „Per hæc tempora in Ordine di-„ vi Francisci, aliqui viri insignes floruerunt." Fratrem Bertoldum Ratisponensem ajunt insi-„ gnem fuisse divini verbi præconem, quo semel„ verbum Dei ad populum concionante, & con-„ tra vitium luxuriæ vehementius invehente,„ mulier quædam prostituta tantum dolorem„ peccatorum concepit, ut præ contritione Spi-„ ritum exhalaverit. Ibi omnibus ad rei novi-„ tatem obstupescentibus, & justo Dei judicio„ condemnatam esse dicentibus: Bertoldus„ universis, ut in oratione se prosternerent, præ-„ cepit, & divinam voluntatem circa statum mu-„ lieris explorarent. Mirum visu. Ea quæ„ obierat, statim revixit; & se ad divinum ju-„ dicium propter facinora evocatam, propter„ magnitudinem autem pœnitentiæ, ut ea con-„ fiteri ritè posset, ad corpus revocatam dixit.„ Suppleo hic ex Antonino, quod Bzovius omi-„ sit: Et inter cætera manifestavit, quod ea-„ dem hora qua obierat, sexaginta millia homi-„ num fuerant in diversis partibus Orbis ex sæ-„ culo evocata, de quibus tantum tres Purga-„ torium intraverant, cæteris in inferno sepul-„ tis: excepto uno Fratre Ordinis Minorum,„ qui per Purgatorium transiens, subitò acceptis„ secum duabus animabus, quæ sibi erant con-„ fessæ, inde cum eis Paradisum ascendit." Aliud adhuc produco Bzovii testimonium, quo Bertholdum secundò Minoritis reddit, quem semel tantum eripuit. Sub annum 1260. num.

num. 20. *in Annalibus* ita scribit. Eodem anno vixit Bertoldus Ratisponensis, Franciscani instituti. „Is cum à teneris annis, litteris operam „dedisset, & magnam eruditionis laudem ade„ptus esset, pietatis amore Franciscanis sese ad„junxit, atque passim in magna authoritate fuit. „Erat enim integritate vitæ, ac facundia singu„lari nulli secundus. Itaque suis temporibus „populum ad virtutes excitavit, ac vitia quan„tum potuit, extirpavit. Tantus verò homi„minum concursus erat, cum concio habenda „esset, ut sese mutuò vi templo extruderent, „atque per aliquot horas adventum ejus ex„pectarent. Itaque Aventinus Lib. 7. *Anna„lium Bojorum* prodidit, sexaginta amplius mil„lia hominum ejus conciones frequentasse. Non contemnendum hoc Joannis Aventini, hominis in Franciscanos non valde propensi, atque nullatenus blandi, testimonium, quod ex ipso damus heic integrum. *Bertoldus Franciscanus, Reginoburgio ortus, clarus integritate vita, atque Christiana eloquentia Orator insignis fuit, sexaginta amplius millia hominum, ejus conciones frequentasse Litteris proditur. Ejus sepulchrum adhuc non solum incolis, sed & agris venerabile, Reginoburgio in templo Franciscanorum ostenditur.* Non est verò quod Lectorem moveat, eum dicere Bertoldum Reginoburgio ortum & sepultum, quem alii Ratisbonæ natum & conditum affirmant: quam enim vocat urbem vulgus Latinorum *Ratisbonam* ad Danubium fluvium, in Germania sitam, à priscis *Augustam Tiberii* dictam, Aventinus vulgari idiomate *Regensburg*, & tralatitio Latino *Reginoburgium* appellat. Denique Bertholdus anno 1272. mortuus est, ut tradunt Chronica Saxonica MSS. his verbis: *Obiit hoc anno 1272. Frater Bertoldus de Ratisbona, prædicator magnus, qui quasi in Spiritu Helia, verbis tanquam facula ardentibus obcæcata peccatorum corda transverberans, innumeros à via prava ad salutarem vita emendationem perduxit. Super caput ejus cùm in Thuringia aliquando sermonem faceret, à fide dignis utriusque sexus religiosis, plures corona fulgida volitare videbantur.* Catalogus Abbatiarum Bavariæ MS. hæc de illo inquit. Anno Do„mini MCCLI. Frater Bertholdus natione Ra„tisponensis Ordinis Fratrum Minorum prædi„care cœpit, ad cujus prædicationem dicuntur „aliquando centum millia hominum confluxisse. „Hic sepultus est Ratisponæ ad Fratres Minores „hoc habens epitaphium: *M CC LXXII. XIX. „Kal. Januarii obiit Frater Bertholdus, Magnus pra„dicator, hic sepultus, Lucia Virginis.* Hæc ex aliorum fide ac verbis. De illo Bartholomæo Pisanus in Libro *Conformitatum S, Francisci*. conformit. 8. Marianus Florentinus *in Chronica Ordinis Minorum* MS. Lic. 2. cap. 17. S. Antoninus 3. parte *Summa Historialis* tit. 24. cap. 9. §. 2. Abraham Bzovius *in Annalibus* ad annum 1253. num. 8. & ad annum 1260. num. 20. Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* tomo 2. ad annum 1272. num. 16. 17. 18. 19. 20. 21. ubi miracula multa, quæ mihi haud placent.

DAVID DE AUGUSTA VINDELICORUM, THEOLOGUS EX ORDINE FRATRUM MINORUM, vir, ut Trithemius ait in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, in divinis Scripturis exercitatus, vitâ & conversatione insignis, in declamandis ad populum concionibus excellentis ingenii. Claruit eodem tempore, quo Bertholdus cujus socius & amicus singularis fuit. Illum Marianus Lib. 2. *Chronicarum* Ordinis Minorum cap. 17. in omni morum disciplina probatum scribit, quod profectò testantur Opera ejus ascetica ad instituendos Regulares Fratres apprimè accommodata. Scripsit *Formulam novitiorum De reformatione exterioris hominis.* Item *Formulam interioris hominis, & Libellum De septem progressibus Religiosi*, quæ tria Opuscula primum seorsim Augustæ Vindelicorum anno 1593. sub proprii authoris nomine prodierunt, tum posteà anno 1618 à Coloniensibus tom. 13. *Bibliotheca Patrum* edita fuerunt. Habentur quoque passim edita cum Opusculis Sancti Bonaventuræ, cui à Franciscanis attributa sunt. Cujuscunque illa sint, maximè commendantur apud Bibliothecam Patrum citatam in Præfatione, ubi *Medulla perfectionis Evangelica* vocantur, & multiplex ex eisdem fructus ad omnes omnis generis Religiosos latè dimanaturus existimatur: ita enim tyrones in illis docentur, ut & Veterani multa quæ utiliter discant, reperturi sint. Habentur sub nomine Davidis de Augusta Germani inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ in Anglia Codice 779. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuariensis Archiepiscopi litera D. Codice 12. num. 1. Et ibidem Codice 930. litera E. Codice 7. denique 964. litera E. Codice 41. Opuscula eadem in Bibliotheca SS. Patrum editionis Lugdunensis anni 1677. seculo XIII. tomo XXV. pag. 867. Vult autem Lucas Waddingus *in Annalibus Fratrum Minorum* tomo 2. ad annum 1272. num. 15. tollendum prius esse scrupulum, illiusne sint, an S. Bonaventuræ potius, Opuscula quæ in Bibliotheca Magna Veterum Patrum tom. 13. editionis Coloniensis, & alibi excusa circumferuntur: quod alias in sua elucubratione *De Scriptoribus Ordinis Minorum*, largius examinarum se pollicitus fuerat. Huic primam istorum Opusculorum texturam D. Bonaventuræ tribuendam judicat, incrementum verò & quodcunque in methodo discrimen *Davidi Augustano* adscribendum, atque hinc quibusdam visum universi Operis genuinum inscribere authorem: tum subdit, *Ego verò cùm suprà probaverim, informem fuisse indiscriminatim omnium Divi Bonaventura nomine, Opusculorum congeriem: nullus dubito, quin hac tria ad Davidem de Augusta pertineant.* Extat quoque MS. in Basileensi Bibliotheca *Tractatus Fratris Da-*

vi-

vidis de perfidia Religiosorum, Charta in 4. quem non dubito quin ad Davidem de quo hic agimus pertineat. Ita Theophilus Spizelius in Catalogo MSS. Codicum Basileensis Bibliothecæ, quem ex Buxtorfio, anno 1668. in lucem emisit. Asserunt Chronica Saxonica MSS. apud Lucam Wadingum, Davidem de Augusta vitam duxisse innocentissimam, ejusque mortem quæ anno 1272. contigit, fuisse revelatam Beato Bertholdo de quo suprà egimus, optimo ac familiari amico, Ratisponæ è suggestu prædicanti, qui statim eum adstanti populo valde commendasse dicitur, atque in ejus laudem è rostris recitasse illum Hymni Ecclesiastici versiculum: *Qui pius, prudens, humilis, pudicus: sobrius, castus fuit & quietus: vita dum præsens vegetavit ejus, corporis artus.* Hæc ludicra ac risu digna habet commenta, Lucas Wadingus in *Annalibus Ordinis Minorum*, ad annum 1272. n. 15. quo mortuus dicitur. Agunt de eodem Antonius Possevinus tom. 1. *Apparatus sacri* p. 417. Lucas Wadingus *De Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 99. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, pag. seu col. 94. ubi eum a. 1240. vixisse asserit.

1250 GUILLELMUS DE RUBROCK VEL RUYBROCK ex Ordine Fratrum Minorum, florebat post annum 1250. cujus in Collegio Sancti Benedicti Cantabrigiæ Codice 72. Opusculum extat inscriptum, *Itinerarium Fratris Guillelmi de Rubrock de Ordine Fratrum Minorum, anno 1253. ad partes Orientales*, quem Joannes Pitseus Anglum facit, & anno 1293. claruisse male asserit. Convenit maximè huic 1250. anno, nam inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 2429. in MSS. Codicibus Latinis Isaaci Vossii Codice 104. num. 10. inscribitur, *Fratris Willelmi de Rubruc à Sancto Ludovico ad Tartaros missi, ad eundem Ludovicum de Tartaris relatio.* Et inter MSS. Codd. Ecclesiar. Angliæ Cathedral. & aliarum insignium Bibliothecarum Cod. 8324. in MSS. Codd. Jacobæi Bibliothecæ Cod. 602. ubi an. 1253. floruisse dicitur. Inscribitur hoc titulo, *Guilielmi de Rubrock itinerarium ad partes Orientales, floruit anno 1253.* In MS. autem Codice Isaaci Vossii inter MSS. Codices Latinos qui jam in nostra Bibliotheca Lugduno Batava, ab ejus hæredibus enormi pretio comparati extant, Codice 104. adest cum Itinerario altero alterius Fratris Minoris anno 1246. facto, ad finem Codicis Num. 9. *Fratris Joannis de Plano Carpini Ordinis Minorum Historia Mongalorum seu Tartarorum anno 1246.* Num. 10. *Fratris Wilhelmi de Rubruc à S. Ludovico ad Tartaros missi, ad eundem Ludovicum de Tartaris narratio.* Extat quoque idem opus Gulielmi de Rubrock, in aliis duobus MSS. Codicibus, inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1337. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 61. num. 5. Ibidem Codice 1349. in MSS. Codicibus ejusdem S. Benedicti Collegii Cod. 72. n. 1. *Itinerarium Fratris Guilielmi de Rubrock de Ordine Fratrum Minorum, anno 1253. ad partes Orientales.* Impressum fuit hoc Opus ex MS. Codice Latinè & Gallicè inscriptum, *Relation du voiage faict l'an 1253. en Tartarie par Frere Guillaume de Rubruquis: & un autre voiage par Frere Jean de Plancarpin, Frere Ascelin, Freres Mineurs l'an 1246. envoiés par Innocent IV. & S. Louys Roy de France, en Tartarie* A Paris G. Josse 1634. in 8. Denique hæc Itineraria duo, in linguam Batavicam conversa, impressa cum aliis multis itinerariis, anno 1706. in 8. Lugduni Batavorum apud Petrum vander Aa. Illius mentionem faciunt Franciscus Sweertius *in Athenis Belgicis*, ubi hunc authorem suis accenset Belgis, Brabantum illum faciens ac Ordinis Fratrum Minorum. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 474. ultimæ editionis. Lucas Wadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum*, pagina 156.

ODO RIGALDUS SIVE ODO REGINALDUS, ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPUS, circa annum 1236. Ordinem Seraphicum Fratrum Minorum ingressus, celebris jam anno 1241. Parisiis, ubi Magister in Theologia moribus clarus, & magni nominis concionator. Nominatus autem & consecratus ab Innocentio IV. Summo Pontifice Rothomagensis Archiepiscopus, Lugduni mense Martio currentis anni 1247. Quo tempore Fratres Prædicatores Sub-Priore Joanne de Rivieriis, tradunt mense Aprili absque reclamatione ullâ, *Odoni eidem* & Successoribus, domum in qua habitaverant ultra Sequanam. Excipitur solemniter in Ecclesia Beatæ Virginis ipso die Paschæ, anni 1248. Anno autem sequenti circa festivitatem Resurrectionis Domini in Angliam trajicit, ut Henrici III. Regis gratia, reditus ad Ecclesiam pertinentes homagio facto impetraret: quod cum obtinuisset de istis reditibus qui in Anglia erant, teste Matthæo Parisio in Normanniam remeavit. Magnæ imprimis prudentiæ vir fuit, adeo ut à Philippo Rege anno 1270. delectus fuerit cum insignibus quibusdam aliis viris, Stephano Parisiensi, Odone Bajocensi, M. Joanne de Vozeliaco & Joanne de Trecis Ecclesiæ Bajocensis Archidiacono, Gallicanis rebus tractandis & administrandis. Scripsit *Sermones de tempore* seu *Regulam vivendi* inscriptos apud Petrum Rodulphium *in Historia Seraphica*, quos habes MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 109. *Commentaria in quatuor Libros Moysis*, MSS. ibidem in Collegio Sancti Benedicti Cod. 149. *Commentaria* denique *in Psalmos & in Evangelia*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Codd. 36. & 37. Idem scripsit *Sermones de Festis Sanctorum & aliarum Solemnitatum*, qui incipiunt, *Ascendam ad palmam &c.* *Commentaria* denique *in 4. Libros Sen-* 1250

Sententiarum quæ incipiunt, *Quæritur utrum plures sint veritates ab æterno &c.* Itemque *Morales quæstiones*, quæ simul cum prædictis Commentariis, MSS. asservantur Assisii in Bibliotheca Sancti Francisci. Hunc perperam appellat Lucas Vuadingus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum* pag. 304. *Raymundum Rigaldum*, ac Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. pag. 316. *Raymundum Rigault* natione Gallum. Est enim verum ejus nomen *Odo* sive *Oddo Rigaldus*, de quo agit idem Wadingus *in Annalibus* suis Minorum anno 1236. num. 9. & anno 1276. num. 4. Nullum sanè dubium, quin *Odo Rigaldus seu Reginaldus* Ordinis Minorum ac posteà Rothomagensis Archiepiscopus, scripserit *Commentarium in 4. Libros Magistri Sententiarum*, quod allegat Vincentius de Bandolis de Castro novo, Terdonensis Diœcesis, quondam Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, in tractatu *De singulari puritate & prærogativa conceptionis Salvatoris nostri Jesu Christi*, ex authoritatibus ducentorum, sexaginta Doctorum clarissimorum. Sic cap. 24. dum de Doctoribus Ordinis Fratrum Minorum pag. 134. num. 60. „Idem tenet Dominus Reginaldus Archiepiscopus Rothomagensis, Do„ctor Parisiensis Ordinis Minorum, in 3. Senten„tiarum Dist. 3. sic dicens: *Sicut impuritas dero„garet Virgini, si non fuisset in utero matris sanctifica„ta; ita si Virgo Maria sine Originali peccato con„cepta fuisset, derogaret Christo: cujus privilegium „est, ut solus ipse sit sine peccato conceptus. Et ideò „non est hic honor Virgini attribuendus, quia in ve„ritate non est honor, nec decentia.* Hæc ille. Quo ex fragmento potest certò cognosci, an Commentarius de quo loquitur Wadingus, in Bibliotheca Assisii Franciscana Manuscriptus, sit Odonis Rigaldi seu Reginaldi, qui ex Minorita Archiepiscopus Rotomagensis fuit. Nullus porrò toto hoc seculo vel sequenti inter Archiepiscopos Rothomagenses *Reginaldus* vel *Minorita* dictus, nisi hic *Odo Rigaldus*, qui ratione cognominis *Rigault*, à Scriptoribus nunc *Rigaldus*, nunc *Reginaldus* dicitur & scribitur. Obiit autem *Odo Rigaldus* an. 1275. sexto Non. Julii, non autem die 5. Maji, ut in Calendario Dionysiano est. Nam illud intelligendum est *de Odone Clementis* Odonis Rigaldi antecessore, qui anno 1247. die 5. Maji mortuus est. At verò minus rectè is qui Ciacconii Opus supplevit *Reginaldum Minoritam* Rothomagensem Antistitem, tradit Lectorem Sacri Palatii & Cardinalium Collegio à Papa Bonifacio VIII. sub annum 1303. adscriptum. Nec idem esse potest, cum Odone isto, qui jam longè antea, fato cesserat. Plura in ejus encomium collecta apud Fratres Sammarthanos tomo 1. *Galliæ Christianæ* pag. 581. ubi de Archiepiscopis Rothomagensibus. Hic cautè distinguendus est ab Odone Vrsicampi Ordinis Cisterciensis Abbate, tum posteà Sancti Romanæ Ecclesiæ Cardinale Episcopo Tusculano, qui eadem ætate claruit, cujus extant quædam tomo 7. *Spicilegii Dacheriani* pag. 354. qui anno 1249. & seqq. floruisse legitur, de quo nos abunde suprà loquuti sumus.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, non ab Episcopatu sic dictus, ut multi falsò opinati sunt, sed à Conventu Fratrum Prædicatorum Bellovacensium, in quo degebat, ibidem Monasticen professus, atque ibi mortuus est. Hic vel natione vel cognomine *Burgundus*, regnante Philippo Augusto Lutetiam ad studia profectus, sub initia Dominicani Ordinis, his fratribus se adjunxit. Quandonam ille floruerit præcisè, quando mortuus sit, haud leve inter eruditos Criticos dissidium est, aliquibus asserentibus, illum anno 1240. claruisse ut Bellarminus, aliis vel anno 1256. vel inversis numeris anno 1265. mortuum esse, aliis denique usque ad annum 1328. vel 1330. ætatem ejus prorogantibus, quod omnino impossibile putat Natalis Alexander. Ego claruisse utcunque florentem virum anno 1146. certum habeo, atque vitam produxisse usque ad annum circiter 1280. vel 1290. censeo, his conjecturis haud spernendis. Anno 1246. Guarinus Belvacensis Archidiaconus & Frater Vincentius Subprior in domo Fratrum Prædicatorum Belvacensium, mense Septembri *Regulam fratribus & fororibus Nosocomii Belvacensis* condiderunt XXIX. Capitula continentem quam habes tomo XII. *Spicilegii Dacheriani* pagina 68. à Vincentio Bellovacensi ut nos opinamur collectam & compilatam, ad normam Regulæ Nosocomii Noviomensis, quam confirmavit Odo Tusculanus Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, ibidem. Item legebat ille Theologiam Scholasticam anno 1260. apud Regalis Montis Abbatiam, Monachorum instituti Cisterciensis, dum scripsit Opusculum *De Consolatione* ad Margaretam Franciæ Reginam Ludovici IX. uxorem, super morte primogeniti, quæ anno citato contigit. Hoc patet ex Opusculi proœmio, cui nullus est qui contraire audeat. Tunc autem fuisse florentem virum, 40. circiter annorum, verisimile est: atque hanc provinciam suscepisse, ut expensis Monachorum istorum Cisterciensium, bonisque omnibus abundantium, ad ulteriora studia profundasque posthmodum Lectiones viam sibi prudens sterneret, faceretque majora aptitudinis suæ experimenta in animabus Monachorum istorum vilibus. Fugit enim omnem prudentis hominis intellectum, Vincentium Bellovacensem, si jam tunc temporis multis Operibus collectis, in unumque ordinatis clarus orbi Christiano & Galliæ fuisset, ad has abjectæ sortis angustias novercante fortunâ adactum fuisse, ut ignobile satis apud Monachos, occultumque Magisterium Theologicum, canus fractusque laboribus innumeris elegerit. Conveniebat igitur hoc officium Magistro, qui alienis impendiis, ad ulteriora progredi sagax tentabat. Atque id ita fieri apud Belgas, hodie propriis videmus oculis, ubi plurimi sagaces juvenes ex Ordinibus-

Mendicantibus, vel seculares etiam Clerici juniores, postquam ab scholis academiarum Duaci & Lovanii, suorumque Conventuum, emenso cum laude cursu recesserint: ut juvenilem discendi ardorem suum promoveant, ex Scholasticis Magistri facti, procurant sibi cathedras apud potissimas tum Benedictinorum, tum Cisterciensium ac Præmonstratensium nostrorum Abbatias: ubi in otio & quiete, dum regularem aliorum Ordinum ignaviam forent, ignorantiam suam abigunt forasque pellunt. Tum facti jam plurimi experimenti, amplæque Lectionis viri, redeunt ad Academias vel Ordines quos ad tempus reliquerant, scriptisque postea eruditis clari evadunt, exemplis ut innumeris probare possem, anterioris nostrique seculi. Idem itaque contigisse censemus Vincentio Bellovacensi, qui tunc circa annum 1260. Theologiam legens, excerpere incoepit Opusculum *De consolatione ad Margaretam Franciæ Reginam:* tum posteà amplioris Lectionis factus, maxima illa *Specula* complevit, quæ jam anteà ex parte aggressus fuerat, nomenque suum laboribus haud spernendis, licet rapsodista, posteritati venerandum exhibuit. Atque huic quivis hoc posito, inferre poterit, potuisse ipsum prorogasse vitam usque ad annum 1290. quo Septenarius vel circiter erat. Hæc mea de ætate Vincentii Bellovacensis sententia, donec solidiora in contrarium appareant. Quanti autem fuerit ille laboris, indicant quatuor *Specula amplissima* quæ composuit, *Naturale, Historiale, Doctrinale & Morale. Naturale* continet Lib. 33. de rebus omnibus, herbis, arboribus, avibus, locis, temporibus &c. Primum videtur à Vincentio ex 4. Speculis susceptum, nam ubi de temporibus agit, scribere se ista dicit anno M CC L. *Historiale* secundum videtur, libris 32. comprehensum ab origine mundi, usque ad annum 1254. ut rectè Guillelmus Cavus habet, non autem usque ad annum 1244. ut refert Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 477. editionis ultimæ. Joachimus Fellerus Academiæ Lipsiensis Bibliothecarius, in Catalogo MSſ. Codicum hujus Academiæ quem anno 1686. Lipsiæ in 16. edendum curavit pag. 409. notat in MSS. Collegii Principum Majoris Codice 694. haberi *Chronicam brevem & utilem ex Speculo Historiali Vincentii Bellovacensis, & aliorum, Eusebii, Hieronymi, Orosii, Cassiodori, & aliorum Historicorum, collectam & continuatam à Matthia Doringk, Ordinis Fratrum Minorum usq; ad annum Christi 1494.* Inscriptum in MSS. Codicibus nonnullis reperi, Compendium speculi Historialis Vincentii Bellovacensis. Verum istud Opusculum impressum fuit anno 1496. Augustæ Vindelicorum in folio, cujus exemplaria duo extabant in auctione quæ Lugduni Batavorum anno 1702. facta est apud Balduinum van der Aa, Bibliopolam ac venditorem Bibliothecæ Joannis Alberti de Leuvendal, unum pag. 17. num. 233. *Speculum inscriptum Historiale Vincentii, cum additionibus Historiarum annexis, usque ad tempus ferè currens 1496. liber rarus.* Aliud pag. 40. num. 529. *Liber Chronicarum cum figuris & imaginibus ab initio mundi usque nunc temporis, Augusta 1496. Liber rarus.* Hujus autem *Compendii Speculi Vincentiani* Vincentius auctor non est, sed Matthias Doringk Franciscanus, ab anno 1440. celebris, quamvis in impressionibus nomen collectoris seu abbreviatoris non compareat. Idem Opus Norembergæ antea in folio impressum anno 1493. vidimus, quod ultra annum 1493. ab ipso auctore procuratum non excurrebat. Doctrinale tertium, Libros 17. continet, deque omnibus artibus à Grammatica ad Theologiam tractat. *Morale* quartum, Libros 3. complectitur, in partes distinctionesque divisos, & tractat de motibus animi, de Legibus, de gratia, de vitiis & virtutibus: quæ immensa Opera petente & sumptus ministrante Rege Francorum, non Philippo Valesio (ut quidam ridiculè scribunt) sed Ludovico IX. cujus filiorum præceptor atque institutor fuit, composuisse dicitur. Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo XIII. Dissertatione illa singulari *De Summa Theologica S. Thomæ Aquinatis* art. 17. pag. 870. negare videtur *Speculum Morale* spectare ad Vincentium Bellovacensem. Sed eum anteà statim confutavimus in Dissertatione Singulari *De Scriptis S. Thomæ Aquinatis* cap. 14. ubi ostendimus esse genuinum Opus Vincentii Bellovacensis, cujus ingenium perpetuum Exceptoris fuit, ut ipse testatur, atque Opera ejus ostendunt. Abundè de his Operibus agunt Bellarminus & Labbeus, sed scripsit & alia teste Trithemio, nempe Libros IV. *De gratia humana Redemptionis* inscriptos. In impressis ita habent, *Incipit Liber gratiæ venerabilis patris Vincentii Belvacensis, Sacra Theologia professoris, feliciter. Liber generationis Jesu Christi &c. Liber I. De Laudibus Beata Mariæ Virginis.* Incipit, *Quomodo de gestis Beatissima Virginis Dei genitricis admodum pauca in Evangelica reperiuntur Historia &c.* continetque capita CXLII. Liber 1. *De eruditione filiorum Regalium.* Incipit, *Serenissima ac Reverendissima Domina sua, Francorum Dei gratiâ Regina Margareta, Frater Vincentius Belvacensis, de Ordine Prædicatorum qualiscunque Lector, in Monasterio suo de Regali Monte, perpetuam in Domino salutem, & paratam in omnibus ad ejus obsequia voluntatem. Nuper si bene recolitis, vestra sublimitas meam parvitatem rogare dignata est, ut de Scripturis divinis flosculos competentes exceperem, ex quibus compendiosum aliquid ad liberorum vestrorum eruditionem salutarem conficerem &c.* continetque Capitula LI. Denique *Epistolam consolatoriam ad Ludovicum Francorum Regem, De morte filii,* cujus titulus est: *Dilecto Deo & hominibus illustrissimo Domino, in Christo sibi carissimo, divina favente clementia Francorum Principi Ludovico, F. Vincentius Belvacensis, de Ordine Prædicatorum, salutem & post luctum præsentis exilii, consolationem in Regno cœlestis patriæ sempiternam. Regiæ Majestati vestræ, scribendi fiduciam*

& ausum, mihi prabet sublimitatis vestra dignatio &c. Hæc autem omnia impressa in folio Basileæ, veteri Caractere anno 1481. apud Joannem Amerbachium. Cujus apud nos Parisiis unum exemplar, testamento Ludovici Bail, Parisiensis Ecclesiæ Poenitentiarii, nobis datum. Hæc autem omnia primo excepto, Opuscula, MSS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, Cod. 96. Inscribuntur, Vincentius Belvacensis Ord. Prædicatorum 1. De eruditione puerorum nobilium ad Margaretam Francorum Reginam. 2. Epistola vel potius Tractatus ejusdem de morte amici consolatorius. 3. De morali Principis instructione. Et inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 25. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Metropolitanæ Eboracensis. Et num. 1863. in MSS. Codicibus Collegii Etonensis sub arce Windesovia Codice 65. num. 3. Item in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Oxoniensis. Cod. 577. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 110. num. 2. 3. & 4. Item *Flores à Fratre Vincentio Speculi Historialis authore, ex Libris Cassiani excerpti*, MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo illius impresso anno 1686. pag. 128. num. 16. Denique ejusdem *Vincentii Bellovacensis Commentarius in Orationem Dominicam* MS. in celebri Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris ad Muros Parisienses, littera RR. 12. fol. 121. cujus prologus incipit. *Quia frequenter in Evangelio monemur à Domino instanter ac sine intermissione orare &c.* Titulus *De commendatione Orationis Dominicæ.* Incipit, *Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se &c.* Ibidem fol. 141. *Commentarius in salutationem Angelicam*, cujus Prologus incipit, Post elucidatam a nobis utcunque juxta humilitatis & possibilitatis nostræ modulum, *Orationem Dominicam &c.* Titulus. *Incipit salutatio exposita*, cujus initium, *Salutate Mariam quæ multum laboravit in vobis &c.* Certa igitur ætas Vincentii Bellovacensis, qui anno 1250. Speculum Naturale scribebat, & anno 1260. Epistolam Consolatoriam ad Sanctum Ludovicum Francorum Regem super primogeniti sui morte & sepultura, cui Vincentius interfuit.

Miror venisse in mentem Gerardi Joannis Vossii Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 477. editionis ultimæ, Vincentium hunc fuisse Bellovacensem Episcopum. *Ordiar*, inquit, *à Vincentio Gallo, natione Burgundo, Monacho Ordinis Prædicatorum, & postea Bellovacensi seu Belvacensi Episcopo. Hic temporibus Papæ Innocentii IV. &c.* excusandus tamen, cum ita censerent plurimi ante editionem *Galliæ Christianæ* Fratrem Sammarthanorum, ante quam editam scripsit suum Opus atque iterum recudit anno 1651. citatus Vossius. Constat autem ex tomo 2. *Galliæ Christianæ* iis temporibus quibus Vincentius Burgundus in Episcopatu Bellovacensi ob doctrinam & pietatem floruit, duos Episcopos tenuisse Cathedram seu Episcopatum Bellovaci: Robertum nempe de Cressonsart ab anno 1237. ad annum 1248. & Guillelmum de Groz seu de Gressibus ab anno 1248. ad annum 1261. cui, & tertius à Vincentio Burgundo prorsus alter successit. Sed nullà venia dignus est Ambrosius de Altamura Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1264. pag. 21. quam Romæ in folio edidit anno 1677. typis & sumptibus Nicolai Angeli Tinassii, longè post editam Galliam Christianam, hanc adhuc fabulam simplex simul atque audax, positivè scribere ausus est. „Audiri simul ac ridc-„ ri dignus est. Vincentius Episcopus Bello-„ vacensis, Gallus Burgundus, patria Bellovacen-„ sis, vir maximæ Lectionis, memoriæ incredibilis, „ raræ doctrinæ, vitæque admirabilis, ac S. Ludo-„ vico IX. Galliarum Regi, ejusque filio Philippo „ Audaci, qui anno 1270. eidem in regno succes-„ sit, carissimus. Nunquam studiorum labori-„ bus fractus, vigiliis fessus, in discendo, docendo, „ legendo, scribendo assiduus: omnes enim pe-„ ne Gentilium & Christianorum libros diligen-„ tià exactà revolvit. Suppeditabant libros & „ sumptus, pater & filius, Ludovicus & Philip-„ pus. Ab Innocentio IV. Bellovacensis Epi-„ scopus in Gallia sub Metropoli Remensi, crea-„ tus fuit anno 1248. Excessit ab humanis an-„ no 1264. ex Castillo 1. parte Chronici Libr. 2. „ cap. 69. & non secundum Antonium Senensem „ *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* anno 1256. „ neque anno 1240. ut malè scribit Garzias. Ex „ quo ruit argumentum quorundam adstruen-„ tium *Secundam Secundæ* S. Thomæ, desumptam „ esse ex Speculo Morali Bellovacensis. „ Hæc Altamuranus, qui industrius esset quam maxime, si dicit esse anno 1264. mortuum, probaret fuisse Philippo Audaci Galliarum Regi familiarissimum, quem anno tantum 1270. factum esse Regem ibidem fatetur. Sed quod mirum est ac aperti mendacii Altamuranum confundit, eo ipso tempore quo ab illo Episcopus Bellovacensis constituitur, ipse Vincentius circa annum 1254. vel 1256. degebat in Abbatia Regalis Montis Cisterciensis Ordinis, quam S. Ludovicus Galliæ Rex nominis nonus ædificaverat ingentibus sumptibus, ubi & officium Lectoris in Theologia exercebat. Illic enim annis circiter præfatis positus, scripsit ad Margaretam Galliæ Reginam S. Ludovici Regis uxorem, Opus suum *De eruditione puerorum Regalium*, ut ex ejus Prologo constat, quem hic ex parte damus. „ *Serenissimæ ac Reverendissimæ* „ *Dominæ suæ, Francorum Dei gratia Reginæ Margaritæ, Frater Vincentius Belvacensis, de Ordine* „ *Prædicatorum, qualiscunque Lector, in Monasterio* „ *suo de Regali Monte, perpetuam in Domino salutem, & paratam in omnibus ad ejus obsequia vo-* „ *luntatem.* Nuper si bene recolitis, vestra sublimitas meam parvitatem rogare dignata est, „ ut de Scripturis divinis flosculos competentes „ excerperem, ex quibus compendiosum aliquid „ ad

„ad liberorum vestrorum eruditionem saluta-„rem conficerem: quo videlicet eorum tenera „infantia salubriter imbui posset,& quasi vas no-„vum recenter infusum, odorem sapientiæ sua-„vissimum,eorum memoria perpetuò retineret. „Nam quod nova testa capit, inveterata sapit. „Cum igitur in illo articulo temporis, ob amo-„rem &honorem illustrissimi Domini nostri Re-„gis, opus quoddam universale *De statu Principis* „*ac totius Regalis curiæ seu familiæ, nec non & de* „*Republica administratione ac totius Regni guberna-*„*tione*, non solum ex Divinis Scripturis, verum „etiam ex Doctorum Catholicorum sententiis, „insuper etiam & Philosophicis & Poeticis con-„ficere jam cœpissem: ut vestræ petitioni, quæ „apud nos meritò præcepti vigorem obtinet, „citiùs satisfacerem: ordine prætermisso, par-„tem illam præfati operis, quæ ad puerorum „Regalium instructionem pertineret, compo-„nere festinavi. Eamque dignationi vestræ per „manum Simonis Clerici, videlicet eruditoris „Philippi bonæ indolis filii vestri, qui etiam in „hoc ipso valde sollicitus fuit apud me, ut O-„pusculum istud explerem citiùs, destinavi. Quis autem nisi bardissimus homo, credat Vincentium Bellovacensem,si Episcopus hujus sedis fuisset, Episcopatu suo relicto, voluisse tunc temporis exercere officium Lectoris in Theologia, apud Abbatiam Regalis Montis, Ordinis Cisterciensis, in Episcopatu ipso Bellovacensi? Superant ista fidem humanam. Agebat adhuc officium Lectoris in eadem Abbatiâ anno 1260. atque exinde scripsit *Epistolam seu librum consolatorium de morte Ludovici primogeniti* ad S. Ludovicum IX. Galliæ Regem sanctissimum, ut ex hocPrologo constat.„*Dilecto Deo & hominibus illustrissimo Domino, in Christo sibi Carissimo, Divina fa-*„*vente clementia Francorum Principi Ludovico, frater* „*Vincentius Belvacensis, de Ordine Prædicatorum, sa-*„*lutem: & post luctum præsentis exilii, consolationem* „*in Regno cœlestis patriæ sempiternam.* Regiæ Ma-„jestati vestræ scribendi fiduciam & ausum mihi „præbet, sublimitatis vestræ dignatio: qua ple-„rumque cum juxta beneplacitum vestrum in „Monasterio Regalis Montis ad exercendum „Lectoris officium habitarem, ex ore meo divi-„num eloquium humiliter cum Dei reverentiâ „suscepistis: necnon & de Scriptis nostris non-„nulla, prout vestra benignitas retulit, cum di-„ligentiâ perlegistis. Insuper etiam in sum-„ptibus ad eadem scripta conficienda, liberaliter „interdum mihi subsidia præbuistis. Ad hoc „idem me compulit affectus compassionis & do-„lor viscerum, cum sentirem animum vestrum „doloris acerbi, quantum permittit gratia Spi-„ritus Sancti, affectionum animi moderatrix, re-„centi vulnere sanciatum: ut videlicet exce-„pto illo Spiritus interno solamine, plurimos „etiam forinsecos consolatores duntaxat homi-„nes, vobis adsistere non ambigerem. Nihilo-„minus & ego prædictâ confidentiâ fretus & „affectione commotus, collectis paucis rationibus & exemplis atque sententiis, tam ex divi-„nis, quàm etiam ex humanis Scripturis, pro par-„vitatis meæ modulo solatium aliquod adhibe-„rem. Sic enim & in libro qui dicitur *Ecclesiasti-*„*cus*, divina nos admonet Scriptura, *Non desis*," inquit, *plorantibus in consolatione, & cum lugentibus*" *ambula*. Itaq; mox ut de loco sepulturæ reversus" sum ad domum nostram, accelerari conficere" breviter Epistolam præsentem, sexdecim tan-" tummodo Capitula continentem." Cum ergo adfuisset iste Vincentius inhumationi corporis Ludovici Principis primogeniti, quod anno 1260. accidit, hanc ad Regem ex Regalis Montis Monasterio, ubi tunc Lector in Theologia manebat, Epistolam scripsit. Longe serius mortuus credendus est, cum inter MSS. Codices Bodlejanæ in Anglia Bibliothecæ Codice 1846. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera A. Codice 7. num. 5. *Fratris Vincentii Epistola de Antichristo, missa Papæ Benedicto* habeatur, quæ & confirmat sententiam Raphaelis Volaterani, illum temporibus etiam Joannis XXII. Papæ floruisse asserentis. Obiisse vulgò circa annum 1254. dicitur, cujus tamen vitam ad annum 1324. porrigunt, imò alii ad annum 1320. ac isti fortasse ideò, ut plagium *Speculi Moralis*, quod eum ex operibus & verbis ipsis Sancti Thomæ Aquinatis composuisse volunt, conjecturâ verisimili stabiliant. Quàm supra litem in Dissertatione *De Scriptis S. Thomæ Aquinatis* singulari excussimus, ubi Vincentii Bellovacensis ingenium excerptivum, & quæstionem hanc examinavimus. Mihi videtur post an 1280. vel 1290. floruisse Vincentius Bellovacensis, quem etiam & Martinum Carsulanum asserit quoq; floruisse temporibus Joannis Papæ XXII. Raphael Volaterranus initio *Commentarii Urbani* lib. XXII. his verbis: *Pontificum Romanorum seu temporum eorum Historias scripsere Vincentius & Martinus Carsulanus, ambo Ordinis Prædicatorum, Joannis XXII. tempore, cui Landulphus de Columna Carnotensis Canonicus, opus etiam de his dedicavit.* Inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Cod. 8041. in MSS. Codd. Jacobææ Bibliothecæ Cod. 319. extant *Vincentii Sermones*, qui ad Bellovacensem pertinere creduntur. Et in Bibliotheca nostra Lugdunobatava, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice 224. Latino num. 4. *Vincentii Bellovacensis utriusque Alchymiæ libellus.* Agunt De Vincentio Bellovacensi ante Bellarminum & Labbeum, Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* fol. 527. ubi anno 1240. male floruisse vult. Seculum V. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, pag. 713. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 477. editionis ultimæ. Guillelmus Cavus *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo XIII. ad annum 1244. p. 720. sed parce admodum, nec ad Vincentii Bellovacensis Historiam, satis.

GUIL-

1250 GVILLELMVS PERALDVS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, vir suo tempore clarissimus, quem MSS. Codices vocant Guillelmum Perault, Latine *Guillelmum Peraldum*, seu *de Petra alta*, nobilis Theologus anno 1260. floruit, quem aliqui Lugdunensem Archiepiscopum fuisse volunt, alii Episcopum in partibus infidelium, Lugdunensi Archiepiscopo subsidiarium & auxiliarem, cum speciali deputatione & curâ Lugdunensis Archiepiscopatus. Nullum autem indicium hujus Guillelmi in Collectaneo Episcoporum Lugdunensium, quos habent fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tomo 1. pag. 286. & sequentibus. Jacobus Severtius Doctor Theologus Parisiensis atque Lugdunensis Archiepiscopatus Scholasticus, in sua *Chronologica Historia Lugdunensium Archiepiscoporum*, opinatur *Guillelmum Peraldum* fuisse verum Archiepiscopum istius sedis. Affert rationes satis idoneas hujus suæ opinionis, quas consulere ac revolvere curiosi possunt. Assignat illi tempus sedis inter Reginaldum de Foresto nominis secundum, & Robertum de Arvernia, circa annum 1228. Ita paginis 266. & 267. editionis secundæ Lugdunensis, anni 1628. Ego lubentius opinarer fuisse dictum *Lugdunensem Episcopum*, quod in Archiepiscopatu isto functiones Episcopales exercuerit, temporibus Philippi de Sabaudia qui ad Lugdunensem Metropolim anno 1245. à Summo Pontifice Innocentio IV. nominatus seu promotus, nullam Sacerdotii sui partem implevit: imò ut habet Matthæus Parisius in Historia sua, *Philippus hic Romæ vitam egit, Lugdunensi Valentinoque Episcopatibus conspicuus, nullo tamen ordine sacro initiatus, quin militia deditus, patrimonii Sancti Petri gubernator extitit.* Ita apud Fratres Sammarthanos tomo 1. *Galliæ Christianæ* pag. 324. in Archiepiscopis Lugdunensibus. Verisimile autem plusquam est, substitutum fuisse per hæc tempora *Guillelmum Peraldum* ab Innocentio IV. Summo Pontifice, virum probum & doctum, qui hujus Laici ac militis Archiepiscopi loco sacerdotales in Spiritualibus functiones ageret, cum aliquali salario quo viveret, ac vices Archiepiscopales impleret. Huic conjecturæ favet, quod in MSS. antiquis nunquam scribatur hic *Archiepiscopus Lugdunensis*, sed *Episcopus* tantum, quòd nimirum vicibus tantum vel Archiepiscopi absentis, vel non sacerdotis fungeretur. Sed contra hunc Episcopatum facit, quod in MSS. antiquis Codd. sæpe appelletur *frater Guillelmus de Lugduno Ordinis FF. Prædicatorum*, vel etiam *Guillelmus Prior Lugdunensis* absque ullo addito. „Quidquid illud sit, „infula si Guillelmo Peraldo defuit, doctrinam „non defuisse constat, ex *Summa De Virtutibus & „Vitiis* doctissima: quæ sæpius variis in locis „in 4. impressa est, ac ultimò Parisiis anno 1629. „apud Michaelem Soly viâ Jacobæa sub signo „phænicis. Attribuitur eidem Opus *Sermonum „de tempore & de Sanctis*, quod sæpe sub nomine „etiam Guillelmi Parisiensis Episcopi excusum est, ut supra *in Guillelmo Parisiensi* ad annum„ 1240. diximus." Ita nos quidem breviter in Supplemento nostro ad annum 1270. pag. 541. nec plura etiam Guillelmus Cavus in pompatico titulo *Historiæ Litterariæ Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1272. pag. 736. cui nihil deesse debuerat: sed paullò amplius de Scriptis *Guillelmi Peraldi*, quæ sane multa sunt, nobisque non incognita, loquamur. Recensuit omnia illa diligens hac in parte Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1. pag. 710. his verbis. Guillelmus Peralt, quem alii *Peraldum* scribunt sive *de Petra alta*, Gallus Viennensis in„ Delphinatu Diœceseos, ut habet Antonius Se-„ nensis Ordinis Prædicatorum, quem & dein-„ ceps Episcopum fuisse Lugdunensem ferunt:„ reliquit *Sermones de tempore ac de Sanctis*, qui„ Lugduni fuerunt editi anno 1576. *Librum De*„ *proprietatibus rerum*, alterum *De regimine Princi-*„ *pum. Expositionum Regulæ divi Benedicti. Sum-*„ *mam Virtutum & Vitiorum*, à Jacobo de Vora-„ gine redactam in compendium, quemadmo-„ dum testatur Raphael Volaterranus. Peru-„ tilem quidem illam & commodam concionatoribus, quæ olim anno 1492. apud Paganinum„ de Paganinis excusa Venetiis, ibidem quoque„ recusa est anno 1557.. Antwerpiæ autem anno„ 1571. Lugduni verò an 1580. hac inscriptione:„ *Virtutum Vitiorumque exempla ex utriusque legis*„ *promptuario excerpta, nunc ex duobus antiquissi-*„ *mis Exemplaribus reformata.* Porrò quod huic„ authori Opus *De eruditione Religiosorum* adscri-„ pserunt, quod quidem cernitur in Dominica-„ norum Bibliothecis aliquibus, Conventus„ Gratiarum Mediolanensis & Bononiensis MS.„ & alibi, falsi sunt ex iis inscriptionibus: cum„ certò constet, id fuisse Humberti ejusdem Or-„ dinis olim Magistri Generalis, quod & novissi-„ me recuditur Vicentiæ. Obiit autem Peral-„ dus anno 1255." Ita Possevinus accurate, quem opinor falsum esse, dum tam citò mortuum Peraldum dicit. Jam Singula Opera ab Possevino recensita, sigillatim excutiamus: ut exactam Guilielmi Peraldi Historiam literariam quam Guillelmus Cavus non exhibuit, habeamus.

Quantum ad *Sermones de tempore ac de Sanctis*, habentur impressi aliquando sub nomine Guillelmi Episcopi Parisiensis, aliquando Guillelmi Peraldi Lugdunensis Episcopi, imò in Bibliotheca Vallis Lucensis Ordinis Cisterciensis pulpito 24. littera l. inscribuntur, *Sermones fratris Guillelmi de Lugduno super Evangelia & Epistolas anni*, & rectè. Quin & eadem varietas in MSS. Codd. quos bene multos vidimus in diversis Bibliothecis. Opinarer hos Sermones primum compositos *à Guillelmo Parisiensi Episcopo*, cujus ingenium fuit magna & ampla opera conscribere: posteà autem reductos in compendium ab altero *Guillelmo Peraldo* juniore, qui Parisiensem noverat ac specialius dilexerat, ob singularem amorem, quem erga novos Ordines

nes Fratrum Prædicatorum ac Minorum suis temporibus admissos ac florentes Parisiis, ostenderat. Adde non fuisse *Guillelmo Peraldo* insolitum, ut Opusculum ex aliis anterioribus conscriberet, quod postea dicam. Vide quæ diximus *in Guillelmo Parisiensi*, supra. Habentur Fratris Guillelmi Lugdunensis Episcopi Expositiones Sacrorum Evangeliorum & Epistolarum de tempore, Diebus Dominicis & Sanctis & pro Defunctis, Vlmæ 1486. Item Wilhelmi cujusdam Parisiensis Cancellarii Sermones Dominicales ex Epistolis Evangeliis atque de Sanctis juxta Ecclesiæ ordinem, cum Præfatione *Henrici Bebelii*, Tubingæ anno 1499.

Quantum ad Librum *De proprietatibus rerum*, distinguitur in Libros duos, qui ferme semper anonymi in MSS. Bibliothecis inveniuntur. Horum *primus* agit *De proprietatibus diversarum bestiarum & volucrum*, de quibus in Scripturis Sanctis agitur: hic *primus* desumptus est verbotenus ex aliis duobus anterioribus authoribus, qui de hoc argumento scripserant, nempe *Hugone de Folieto & Alano de Insulis*, cognomento *universali*. Qui plura de hac re cupit, revolvat quæ diximus supra *in Hugone Victorino, Hugone Folietano & Alano Insulensi*. *Secundus* autem *liber* procedit ordine Alphabetico, *De Significationibus diversorum nominum*, quæ inveniuntur in Scripturis. Hi autem duo libri *De proprietatibus rerum* habentur impressi inter Opera Hugonis Victorini, suntque *Libri tertius & quartus*, qui *De bestiis* inscribuntur, quorum tertius desumptus omnimodè est ex primo qui ad *Hugonem Folietanum* spectat, & secundo qui *Alani Insulensis* est. Habentur autem semel atque iterum hi duo Libri *De proprietatibus rerum*, manuscripti in Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris Parisiensis, sed sub nomine Hugonis Victorini nunquam, cui malè in editionibus attributi sunt.

Opus *De regimine seu eruditione Principum*, quod composuit Guillelmus Peraldus, prolixum est atque septem libris seu septem partibus constat. Habetur autem editum inter Opuscula *Sancti Thomæ Aquinatis* fol. seu pag. 672. editionis Parisiensis anni 165● apud Sebastianum Hurè via Jacobea sub signo boni cordis, ubi Codex dicitur *in Bibliotheca Vaticana repertus & nunc primùm in lucem editus*. Incipit Prologus, *Cum pars illustris Ecclesiæ sit cœtus fidelium &c.* Liber I. *Cùm inordinatus amor potestatis terrena plurimùm noceat &c.* tantum autem sapit hoc Opus, ingenium ac methodum Guilelmi Peraldi, ut ovum ovo similius esse non possit. Placuit autem Dominicanis, ut Opera *Divi Thomæ Aquinatis* amplius semper inflarent, hoc Opus illi gratis adscribere: sed quomodo ex MS. Vaticano non possum concipere, cum illud anonymum sit? Imò semper fermè MS. istud anonymum in Bibliothecis vidi, atque etiam ita habetur in Bibliotheca Galliarum Regia, Cod. 6306. cujus initium prologi, *Cùm pars illustris &c.* quod ideò tamen quia anonymum, Sancto Thomæ Aquinati, attribui non potest. Idem MS. in celebri Bibliotheca Paulina Lipsiensi sub nomine *Ægidii Ordinis Fratrum Prædicatorum*, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ pag. 303. num. 36. qui Lipsiæ anno 1686. cura Joachimi Felleri Bibliothecarii impressus est.

Expositio Regulæ divi Benedicti quæ spectat ad Guillelmum Peraldum, extat in duobus MSS. Codicibus celebris Bibliothecæ Canonicorum Regularium sancti Victoris ad muros Parisienses, Litteris I. I. 5. & N. N. N. 22. Initium illius, *Tractatus iste qui est de professione Monastica tres habet partes &c.* assertque Peraldus juxta consuetam methodum, distributionem totius Operis atque Syllabum capitum, antequam argumentum aggrediatur. Porrò non tam Commentarius est in Regulam divi Benedicti, quàm *Tractatus de vita Monastica*. Habetur idem Opusculum MS. anonymum in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis, à novissimo aliquo male inscriptum, nomine *Guillelmi Pictaviensis*: nam verum authorem produnt MSS. Codices Victorini, qui bonæ notæ sunt. Hoc annotasse juvat. Idem forsitan Opus est, quod in Catalogo impresso MSS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, pag. 87. num. 49. inscribitur, *Fratris Wilhelmi Prioris Lugdunensis Tractatus De professione Monachorum*. Ibidem autem etiam fol. seu pag. 232. num. 45. *Fratris Guillelmi Prioris Lugdunensis compendium contra vitium proprietatis Monachorum*: quod an à prædicto aliud Opus sit, excutiant hi quibus per otium atque oculum licet.

De Summa Virtutum & Vitiorum, sufficienter & erudite locutus est Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, cui aliquid adjungere, omnino superfluum est. Vnum dicam haberi illam MS. in multis Galliarum Bibliothecis, aliquando anonymam, aliquando sub nomine *Guill. Peraldi*: sed in Bibliotheca Colbertina haberi 4. voluminibus in folio MS. numeris 1146. 1147. 1148. 1149. sub nomine *Guillelmi de Brocia Senonensis Archiepiscopi*, haud dubie ita inscriptam, quia olim hi MSS. Codices ad Guillelmum istum Senonensem Archiepiscopum pertinebant. *Compendium* autem *istius Summæ Virtutum & Vitiorum*, quod factum esse à Jacobo de Varagine Januensi Archiepiscopo refert Raphael Volaterranus, est ipsum *Opusculum de virtutibus & vitiis numero quaternario comprehensis*, quod habetur inter Opuscula S. Thomæ Aquinatis, fol. 666. editionis Parisiensis anni 1656. apud Sebastianum Hurè, & incipit, *Quatuor sunt virtutum species &c.* Quod non spectet ad S. Thomam Aquinatem, evidens est, ex eò quòd voces affectet barbaras, quod nunquam S. Thomas fecisse legitur: semper autem Jacobus de Voragine in suis Operibus, & consequenter in isto argumento, quod per compendium fecisse creditur. Sic itaque author hujus Opusculi cap. 2. *Quatuor sunt quæ doctori guerræ plurimum expediunt &c.* & posteà

postea, *Quatuor sunt quæ gerentibus guerram maximè considerari congruunt &c. Scilicet quis est qui guerram gerit &c. & quis effectus guerræ quæritur. Quatuor mala præcipuè procedunt ex guerra &c.* Quamvis enim S. Thomas Aquinas in Operibus suis indubiis, Latinitatis ornatum atque elegantiam non affectaverit, nunquam tamen aut affectasse barbariem, aut neglexisse latinitatem videbitur: quomodo Jacobus hic de Varagine in omnibus Scriptis suis fecit. *Summa Guillelmi Peraldi de Virtutibus & Vitiis*, cum abbreviatione illius, quam teste Volaterrano fecit Jacobus de Varagine, habetur MS. in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis Codicibus 177. & 178. ut infra etiam in *Jacobo de Varagine* dicemus. Ejusdem *Guillelmi de Lugduno Opusculum De septem donis Spiritus Sancti in tres partes divisum*, MS. in eadem Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, Cod. 128. cum Manipulo Florum Thomæ Hibernici. Tantum autem abest ut Fratres Prædicatores, dum omnia anonyma promiscue S. Thomæ Aquinati attribuunt, honorem Sancti Doctoris promoveant: quin & ipsi in attributione operum infantes appareant, magnoque ejus nomini plurimum detrahant. Agunt *de Guillelmo Peraldo* præter citatum & hic commendatum Possevinum, Antonius Senensis *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum*. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1256. pag. 15. & *in Appendice* pag. 432. ubi quidquid potest, cæco modo illi attribuit.

1260 CLEMENS IV. ROMANUS PONTIFEX, patriâ Narbonensis, e villa Sancti Ægidii, antea Guido Fulcodius appellatus, Jurisprudentiæ laude clarissimus, mortua conjuge quam prius habuerat, Podiensis Episcopus & paullò post Narbonensis Archiepiscopus factus, ex Cardinale omnium acclamatione designatus est Romanus Pontifex, anno Christi 1265. ipsis Nonis Februarii, regnante Richardo Romanorum Rege. Initio pontificatus, habitu mendicantis Perusium usque profectus est, quo Cardinales subsequuti, eum cum debito honore Viterbium deduxerunt. Hic Sanctam Hedwigem Poloniæ Reginam in Sanctorum numerum retulit, post mortem miraculis claram, & Sanctum Bonaventuram intime dilexit. In pauperes liberalis, in DEUM religiosus, apud omnes modestus extitit: atque ut paucis multa complectar, nullis non virtutibus ornatus fuit. Ecclesiæ bona fidelissime, nullo respectu ad humanas considerationes habito, fidelis & prudens administravit. Alteri ambarum filiarum suarum, quas ex legitimo matrimonio ante Pontificatum susceperat, in Monasterio collocatæ, triginta tantum libros: alteri trecentas, dotis nomine obtulit. Clerico nepoti tres præbendas habenti, duas abstulit, dicens se Deo, non carni aut sanguini, velle acquiescere. O Dignam Romano Antistite sententiam! Tanti porro tamque aurei Pontificis *Epistolæ omnes*, quas ex veteri Codice MS. transcribendas curaverat Petrus de Marca olim Tholosanus, nunc Parisiensis successive Archiepiscopus, extant transscriptæ & collatæ ad alios MSS. Codices, in Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Victoris Parisiensis, ex dono Domini Petri de Marca: ut mihi retulit hujus Abbatiæ Bibliothecarius, qui Collectaneum hoc visendum obtulit, proximæ editioni paratum. Illæ primum spectarunt ad clarissimum Carolum de Montchal Tolosæ Archiepiscopum, unde in possessionem Petri de Marca Tolosani itidem Archiepiscopi venerunt, qui eas Bibliothecæ S. Victoris obtulit. Hoc constat *ex Nova Bibliotheca MSS. Librorum* Philippi Labbei pag. 202. Supplemento 4. ubi dicuntur fuisse Codex MS. CXIX. Bibliothecæ Caroli de Montchal, cum *Epistolis Gregorii XI.* Habentur eadem MSS. in Bibliotheca nunc illustrissimi Caroli Mauricii Tellerii Archiepiscopi, Itemque in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, cum *Epistolis Decretalibus plurimorum Summorum Pontificum*: denique in Gemmeticensi, Ordinis divi Benedicti, Littera C. 4. Volumine grandi. Hi autem omnes Manuscriptorum Codices creduntur esse tantum potiores *Clementis IV.* Epistolæ, desumptæ ex integro ejus Epistolarum Regesto, quod MS. extat 5. Voluminibus in fol. in Secretioribus Bibliothecæ Vaticanæ Scriniis seu cubiculis, ut testatur Ludovicus Castaneus de la Rochepozay *in Nomenclatura Scriptorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium* verbo *Guido Grossus* fol. 31. Suntque omnes illæ idoneæ, ad grande unum vel duplex in folio volumen, si simul omnes acervarentur. Clemens autem IV. post tres annos diesque viginti & unum occupatæ sedis Apostolicæ, anno 1268. mortuus Viterbii & sepultus in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis ad gradus, tertio Calendas Decembris. Cumque de novo Pontifice eligendo diutius disceptaretur, annis duobus & novem mensibus sedes Apostolica pastore vacavit. Jacet Viterbii in æde Fratrum Prædicatorum cum hoc Epitaphio, quod in hanc usque diem stetit.

Lector fige pedes, admirans quam brevis ædes
Pontificem quartum Clementem contegit arctum.
En datur in cineres Petri Successor & hæres,
Cujus si memor es, non mundi gaudia quæres.
Hic judex primum, quem sic successus opimum
Reddidit, ut fertur miles probus efficeretur,
Taleque sortitus nomen, jurisque peritus,
Virginis unius fuit unicus ipse maritus.
Qui viduatus ea, mox Christi sorte potitus,
Anicientis ita dignus fuit Archilevita.

Præ-

Præsul ibi factus, post Archiepiscopus auctus.
Vtque Deo gratus, Cardinalibus sociatus,
Papatus nomen clarum suscepit & omen.
Sic sublimatus, sic denique clarificatus,
Perficiendo gradus, censetur ad astra levatus.
Annis sex denis, octo cum mille ducentis
Transactis Christi, Clemens tumulo datur isti:
Vt finalis ei det gaudia summa diei. Amen.

1260 NICOLAVS NARBONENSIS natione Gallus, Magister Generalis Carmelitarum in Europa ordine VII. anno 1265. vel circiter ad hanc Præfecturam promotus est. Cum autem ingens discrimen videret in Carmelitarum moribus, urbs Europæ splendidissimas jam incolentium, qui ab antiqua puritate defecerant, quam in Solitudinibus ac desertis habitaculis tenebant; omnem machinam movit, ut derelictis urbibus ac secularium hominum consortiis, ad pristinas solitudines redirent. Velut Magister ordinis Generalis, ob eam rem sub *Sagitta Ignea* titulo aculeatum librum adversus illos argute ac nervose scripsit, in quo deformatum sui Ordinis statum piis lacrymis deplorat, quod a pristina morum probitate ac sanctis studiis, sui fratres tunc in omnium labyrinthum vitiorum prolapsi essent. Prius enim dum Eremos incoluerant, orationi, lectioni & manuum labori jugiter incubuisse: nunc autem in Vrbibus commorantes, sub hypocrisi matre, omnia in otium, desidiam, inertiam, libidinem, & luxum convertisse. Et postquam privignos, reprobos, cauteriatos, errones, fabulatores, garrulos, inutiles consiliarios, malignos discursores, Sodomæ cives, optimi Testamenti contemptores, præsentium & futurorum seductores, Draconis caudam tertiam Stellarum partem de cœlo trahentem Apocalip. 12. & in terram mittentem, & his similia vocasset eos, in hæc tandem verba cap. 5. prorupit. *Dicite, inquit, quæ & qualis est ista Religio nova, in Civitatibus adinventa? Per plateas civitatum, de mane usque ad vesperum bini & bini discurrentes, vagis gressibus circuitis, ipsum habentes pædagogum, qui rugiendo circuit quærens quem devoret. Et sic in vobis prophetia, in circuitu impii ambulant, ad vestra confusionis cumulum, veraciter est impleta. Est enim causa discursuum hujusmodi principalis ac præcipua, ut visitetis non pupillos, sed puellas: non viduas in tribulatione existentes, sed fatuas juvenculas, Beghinas, Moniales ac Dominas; ubi alter in alterius jactantes lumina vultus, verba quæ adamantis naturam in se habent, & quæ bonos mores destruunt atque corrumpunt, alternatim emittitis, cordium allectiva &c. Non est hæc Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, in qua oportet quemlibet immaculatum ab hoc seculo utique custodiri. Heu me Fratres Carissimi, dum luce seculi estis involuti, cur vos creditis minime maculari?* Opusculum istud MS. extat in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vitellii litera D Codice 4. num. 7. sub hoc titulo *Libellus qui dicitur* Ignea Sagitta *editus a fratre Nicolao Narbonensi, quondam Priore Generali ordinis fratrum B. Mariæ de monte Carmeli, in quo deplorat religionem primariam penitus exstinctam.* Ita Catalogus MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ pag. 90. columna 2. impressus anno 1696. Oxonii in folio in theatro Sheldoniano. Sed cum Nicolaus Narbonensis surdis loqueretur ac scriberet, cum intelligeret se nihil proficere, post annos V. sui regiminis, tædio laboris inutiliter expensi, officio suo cessit, & ad Eremi quietem, illis relictis, anno Domini 1270. in montem Euvatrof reversus est. Cujus mentionem faciunt Johannes Balæus *De Angliæ Scriptoribus* Centuria IV. cap. 42. in Appendice 2. Rodolphus Hospinianus lib. 6. *De origine Monachatus* cap. 3. pag. 387. columna 2. editionis Genevensis 1669. in folio.

GEORGIUS ACROPOLITA, MAGNVS LOGOTHETA CONSTANTINOPOLITANVS, floruit sub variis Imperatoribus Constantinopolitanis, Joanne Duca, Theodoro Lascari & Michaele Palæologo. Crebros pro Imperatoribus Constantinopolitanis legationes suscepit, arduisque regni negotiis adhibitus est, quibus cum laude perfunctus fuit. Missus Larissam a Joanne Duca ad Michaelem Despotam pro pace confirmanda, qui & ab eodem judex datus est Michaeli Comneno insidiarum suspecto. Præpositus est omnibus Occidentalium provinciarum Præfectis a Theodoro Lascari, Joannis successore, pro quo anno circiter 1255 contra Michaelem Angelum Despotam a Theodoro deficientem bellum strenue gessit: donec tandem in Prilapo urbe obsessus, & post fortissimam propugnationem proditione captus, gloriosa quidem Acropolitæ confusione, per provinciam omnem in vinculis ob suum Imperatorem perpessis circumductus est. Liberatus autem anno 1260. a Michaele Palæologo Imperatore, ut Acropolitam amplius ex carcere eductum honoraret, ad Constantinum Bulgarorum Principem legatum misit. Clarus vir Philippus Labbeus in delineatione ad *Apparatum Historiæ Byzantinæ* pag. 49. fuisse etiam hunc Georgium Acropolitam Græciæ Prætorem opinatur: quod inde conjectat, quia Ephræmius in *Chronico suo Metrico*, Acropolitam hunc appellat πρῶτον τιμωθέντα τῇ Πραίτωρος ἀξίᾳ. Deinde quia congruunt tempora, cum uterque nempe Prætor Græciæ anonymus & Georgius Acropolita, suum Chronicon a Theodoro Lascare sit exorsus, idemque argumentum tractaverint: sed omnia sunt liquidiora, ex quo Acropolitam publicavit Leo Allatius. Anno 1267. cum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Logotheta seu Rhetor, juventutem Ecclesiasticam bonis Literis ac moribus per plures annos instituisset, pertæsus oneris, Holobolum successo-

rem 1260

rem habuit. Tanti autem ille meriti, tantique apud Imperatorem Michaelem Palæologum existimationis fuit, ut ab eo delegatus potissimum sit, cum Joanne Vecco Chartophylace Constantinopolitano ad Concilium Generale Lugdunense anno 1274. convocatum, ubi nomine Imperatoris, litteris procuratoriis exhibitis, adhibito etiam juramento, pacem cum Ecclesia Latina atque unionem perpetuam & irrevocabilem, tactis Evangeliis pollicitus est. *Historiam* seu *Chronicon compendiarium Constantinopolitanum*, quod continet annorum LVIII. Historiam, ab anno 1203. quo Balduinus Flandriæ Comes Constantinopoli Imperator coronatus est, usque ad annum 1261. quo Michael Palæologus in Balduini secundi locum intravit, cui erepta Constantinopoli iterum Græcis Imperium vindicavit. Illud Manuscriptum Græce Pera in Belgium Georgius Douza attulit, multis hinc & inde resectis in compendium contractum, quod frater ejus Theodorus Douza latine reddidit, atque abbreviatum hoc Georgii Acropolitæ Chronicon Græce & Latine, cum Nicephoro Gregora & Laonico Chalcocondyla edidit anno 1614. Lugduni Batavorum in 8. Illud autem diffusius ac prolixius, numerisque omnibus perfectum ex versione Leonis Allatii, editum Græce & Latine in folio Parisiis anno 1651. typis Regiis, cum aliis *Historiæ Byzantinæ* Scriptoribus. Idem Allatius Acropolitæ ejusdem opellam quandam edidit tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* pag. 390. inscriptam, *Adversus eos qui dicunt, ideo Spiritum Sanctum dici Spiritum filii, quod habeat eandem atque ille naturam, vel quod dignis ab eo suppeditatur.* Quantus vir hic Logothetes fuerit, cognoscere possumus ex præmisso ei encomio Georgii Cyprii centesimi Patriarchæ Constantinopolitani, quod ab Allatio editioni *Historiæ Georgii Acropolitæ Logothetes* præfixum est. Georgius vero Cyprius ait, „Georgium Logotheten omnibus sua ætate palmam „eruditionis præripuisse, fuisseque alterum in „differendo Aristotelem, & rerum naturalium „cognitione: alterum autem Platonem, si Di„vinorum notitiam & eloquentiam spectes. Hoc profecto non maligne laudare est inquit Vossius, sed Chronicon ejus quod habemus, fidem adimit de tanti præsertim viri facundia. Neque non modica suspicio est, liberale adeo elogium amicitiæ datum, quæ forte huic Cyprio cum Logotheta intercessit: vel id tribuemus seculi vitio, quod quantæ essent Platonis & Aristotelis virtutes, non satis capiebat. Interea quod nulli ait eruditorum seculi sui secundum fuisse, id cur inficias eam, nihil equidem caussæ habeo. Cum insigne ejus elogium hoc, contexuerit Georgius Cyprius ut supra dictum est, & Magnus Latinorum & Vecci Patriarcha postmodum Constantinopolitani hostis, qui una cum Georgio Acropolita ad Concilium prædictum missus fuerat: nonnulli ex elogio nonnihil habent suspicionis, Georgium Acropolitam successu temporum adaptasse doctrinam suam tempori, atque ad elevationem Andronici Palæologi Imperatoris, post annum 1283. mutasse sententiam, factumque fuisse Græcum & Georgio Cyprio ejus laudatori effuso amicum. At obiisse illum anno 1282, postquam ad Joannem Bulgarorum Principem legatione functus, ædes proprias reversus esset, vult Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1261. pag. 733. Agunt de *Georgio Acropolita* Aubertus Mireus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 386. Gerardus Joannes Vossius *De Historicis Græcis* Lib. 4. cap. 21. pag. 500. ultimæ editionis, & Lib. 2. cap. 28. pag. 306. Leo Allatius pluribus in *præludiis* ad editionem Chronici illius.

MANVEL OLOBOLVS, Magnus Rhetor 1260
in aula Constantinopolitana, claruit sub Manuele Palæologo & Andronico Seniore, Imperatoribus Constantinopolitanis, ab anno 1260 & sequentibus. Adfuit disputationibus quæ intercesserunt *De processione Spiritus Sancti* inter Constantinum Meliteniotam & Georgium Cyprium sub Andronico Imperatore, ubi testatur Pachymeres *Historia* lib. V. *τότε γοῦν καθισθέντων, τιμηθέντων δ' ἐπὶ καθέδρᾳ, καὶ ἀμφοῖν τούτοιν ὡς συναγωνιζομένοιν τῷ βασιλεῖ, τοῦ τε ἀρχιδιακόνου Μελιτηνιώτου, καὶ τοῦ πρωταποστολαρίου Κυπρίου, ὁ ῥήτωρ ὁ Ὁλόβωλος ἵστατο προσδοκῶν τὴν ἀπὸ βασιλέως συγχώρησιν. Tunc itaque sedentibus, cum sede cohonestati fuissent, & his duabus una cum Imperatore decertantibus, Archidiacono Melitoniota & Protapostolario Cyprio, Rhetor Olobolus ab Imperatore veniam expectabat dicendi.* Extant autem *Manuelis Holoboli Rhetoris Rhetorum Versus Politici in Michaelem Palæologum Imperatorem*, MSS. Græce in Codice 6044. Bibliothecæ Colbertinæ, ut testatur Carolus du Fresne in *Catalogo MSS. Operum* quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, col. 29. Ibidemque meminit *Apologiæ Manuelis Magni Rhetoris adversus F. Franciscum Prædicatorem*, quam Græce & Latine edidit Stephanus L'Moine anno 1685. in *Variis Sacris* tomo 1. pag. 268. Extat autem Græce inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ num. seu Codice 3377. in MSS. Joannis Seldeni, Codice notato 47. num. 3. Manuel Magnus Rhetor Contra Latinos, Græce. Et num. 6. Manuel Magnus Rhetor contra fratrem Franciscum, Græce. Et in eadem Bodleiana bibliotheca Codice 294. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 115. num. 3. fratris Francisci ex Ordine Prædicatorum Conclusiones Theologicæ & Orthodoxæ decem, quas per literas misit ad *Manuelem Magnum Rhetorem Magna Ecclesia* cum Responso ejusdem Manuelis. Ibidem Codice 125. Barocciano pag. 241. Manuelis Rhetoris versus politici XXV. de vanitate & instabilitate rerum hujus vitæ omnium &c. *Ματαιοτήτων* &c. Ejusdem memi-

meminit Leo Allatius Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 15. paragrapho 12. col. 775.

1260 JOBUS JASITA, HIEROMONACHUS GRÆCUS, claruit post annum 1260. circa annum 1270. temporibus nimirum Josephi Galesiotæ Patriarchæ Constantinopolitani, qui ex Abbate Monasterii in Monte Galesio, hujus reginæ urbis Archiepiscopus anno 1267. die 28. Decembris electus est, atque ipsis anni 1268. Januarii Calendis solemniter inauguratus, anno tandem 1283. mense Martio ineunte, debitum humanæ naturæ solvit. De quo vide Petri Posseni observationes Chronologicas in Georgii Pachymeris *Historiam Imperii Michaelis Palæologi & Andronici Palæologi Senioris:* atque etiam Leonis Allatii Lib. 2. *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* cap. 15. paragr. 1. & 5. columnis 729. & 753. Hinc ergo tempus atque ætas *Jobi Hieromonachi* comparari possunt. Inter MSS. Codices Theologicos Græcos *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, extat Codex CCLXXXI. antiquus in 4. qui ad Joannem Sambucum, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim pertinuit: in quo continetur *Jobi Hieromonachi Apologia pro præceptore suo Josepho Galesiota, Patriarcha Constantinopolitano, contra Primatum Papæ & concordiam Græcorum cum Latinis.* Ipsa tituli Græci verba cum initio Apologiæ, hæc sunt: Ἀπολογία τοῦ παναγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου κυροῦ Ἰωσὴφ ἐπὶ τοῖς προβληθεῖσι ὑπὲρ τῶν Λατίνων ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ Θεομεγαλοδυνάτου καὶ ἁγίου βασιλέως Μιχαὴλ καὶ Θεοδώρας ἐκπονηθεῖσα τῷ ἱερομονάχῳ Ἰὼβ τῷ μαθητῷ τούτου, διὰ τῆς τούτου παρακελεύσεως, καὶ δεικνύουσα μὴ δεῖν εἶναι, μήτε τῶν πρωτείων ὡς Ἀρχιερεῖ τῷ Πάπᾳ παραχωρεῖν, μήτε ἔκκλητον τούτῳ διδόναι, μήτε ἀναφέρειν ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις αὐτόν, ἕως ἂν στέργῃ τὰ καινοτομηθέντα τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης παρὰ τὰς τῶν ἁγίων Πατέρων παραδόσεις, καὶ τὰ θεσπίσματα &c. Κράτιστε, θεόστεπτε, θεογυβέρνητε, θεοδόξαστε, ἅγιε Δέσποτα μου καὶ βασιλεῦ, χάριν, εἰρήνην, ἔλεος, εὐστάθειαν κράτους, καὶ ὑγιείας μακροημεροτάτην ἀπολοντιν ἡ μετριότης ἡμῶν παρὰ τοῦ εἰρηναύχου Χριστοῦ &c. Atque ex his contra Latinos Græcorum tam frequentibus tractatibus allegatis imposterumque allegandis, constat aperte, nullusque sanæ mentis est qui negare audeat, quam parum sincere in concordiis suis tum Græci, tum etiam Latini juxta Græcorum mentem, egerint. Agit de *Jobo Hieromonacho* Petrus Lambecius tomo seu libro 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 227. & in Catalogo pag. 337. Leo Allatius *De consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis* Lib. 2. cap. 15. §. 15. col. 781.

1260 GUILLELMUS DE MORBECTA SEU MORBETA, CLEMENTIS PAPÆ IV. POENITENTIARIUS, claruit anno circiter 1260. cujus ignota mihi patria est, quamvis Italus esse videatur, amplexus Ordinem fratrum Prædicatorum, tunc temporis observantia doctrinaque celebrem. Illius autem Scriptoris teste Petro Lambecio Lib. 3. Commentariorum suorum in Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem pag. 326. legitur inter MSS. Codices Latinos volumen, quo continetur antiqua *Versio Latina Institutionis Philosophiæ Platonicæ a Proclo Diadocho ducentis undecim capitibus comprehensa*, absoluta, Viterbii a fratre Guillelmo de Morbecta Ordinis fratrum Prædicatorum, XV. Calendas Junii, anno Christi 1268. Idem inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis in Catalogo impresso Cod. 1679. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 17. Item in Catalogo MSS. Codicum Basileensis Bibliothecæ quem Theophilus Spizelius edendum curavit in 8. 1668. in MSS. quæ in membrana sunt, pag. 22. litera D legitur *Proclus Diadochus de decem dubitationibus circa providentiam latine Corinthi translatus, per Guillelmum de Morbecta Corinthiensem Archiepiscopum.* Unde sedem hanc mediante Romano Pontifice occupasse videtur. Idem quoque Guillelmus de Morbecta, seu Morbeta, transtulit Latine *Commentarium Simplicii Græcum in quatuor libros Aristotelis de Cœlo & mundo*, quæ versio Latina Venetiis aliquoties impressa est, nempe annis 1540. 1544. 1555. & 1563. in folio, ut videre est apud Joannem Jacobum Frisium in *Bibliotheca Universali*, ubi vocatur *Guillelmus Morbetus.* Idemque apud Philippum Labbeum in *Brevi conspectu Aristotelis & Platonis interpretum Græcorum*, typis hactenus editorum, Lutetiæ Parisiorum ex Officina Cramosiana anno 1657. in 4. edito, ubi *Guillelmus Morbetus* appellatur. Cæterum quod attinet ad Guillelmum de Morbecta seu Morbeta, qui Procli prædicti *Institutionem Theologiæ Platonicæ* a Græca lingua in Latinum idioma primus transtulit: haud mirum est versionem illam anno 1268. ab eo absolutam esse Viterbii XV. Calendas Junii, sive die 8. Maji. Fuit enim iste *Clementis Papæ IV.* qui Viterbii anno jam memorato 1268. die 29. Novembris obiit, Pœnitentiarius, ut videre est ex titulo libri *De arte Geomantiæ*, ab eodem Guillelmo compositi, & hactenus (quod sciam) nondum impressi, qui in amplissima Bibliotheca Cæsarea inscribitur atque incipit hoc modo: *Hic incipit Liber, qui est editus a fratre Guillelmo de Morbeta, Pœnitentiario Domini Papæ.* Et incipit prologus in Artem Geomantiæ, *Ante hoc Opusculum Geomantiæ in Proœmio dicam, quæ fuerit causa inventionis hujus scientiæ* &c. Vidimus nos alterum Codicem MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, hujus versionis qua Proclum Diadochum *De institutione Theologiæ Platonicæ*, idem Guillelmus de Morbecta, transtulit in Latinam linguam. Silent de Scriptore isto, omnes nomenclatores Scriptorum Ecclesiasticorum, atque etiam ipse Antonius Senensis in *Chronico* atque *Bibliotheca Ordinis fratrum*

trum Prædicatorum, editis in 8. Parisiis anno 1585. apud Nicolaum Nivellium. Solus ejus mentionem facit Petrus Lambecius in Commentariis suis *De Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* Lib. 3. pag. 326. in additamento ad librum 1. pag. 147. & 148.

1260 „ANNIBALDUS DE ANNIBALDIS SEU ANNIBALDENSIBUS, de Molaria, nobilis Romanus, Cardinalis secundus ex Ordine fratrum Prædicatorum, natalium splendore illustris, utpote ex Senatoria Romana progenie natus, in Conventu S. Sabinæ Dominicanorum induit habitum, sub quo sanguinis præstantiæ pietatem, vitæque sanctimoniam copulans & scientias, præstantissimi viri in Romana curia sibi obtinuit nomen. Parisios studiorum causa missus, hæc ibi cum laude absolvit: quare Romam reversus, in S. Sabinæ *Sententias* maximo auditorum interpretatus est applausu. Deinde brevi temporis intervallo, vacante Magisterio Sancti Palatii, per assumptionem Bartholomæi de Breganriis Vicentini, Sanctissimi Patris nostri Domini dilecti discipuli ad Nicosiensem Ecclesiam in Cypro, anno 1246. ab Innocentio IV. sacri Palatii Magister renuntiatur. In ea prænobili præfectura, tanquam lucerna super candelabrum positus, pietatis & sapientiæ radiis illuxit Ecclesiæ. His Urbanus IV. commotus, illum S. R. Ecclesiæ Cardinalem sub titulo SS. duodecim Apostolorum anno 1262. creavit. Illum deinde idem Pontifex Maximus una cum Richardo de Anibaldis agnato suo, Joanne Caetano Ursino, & Jacobo Sabello Cardinalibus, in Siciliam cum potestate Legati a Latere, ut Carolum Siciliæ Regem regio diademate coronaret, delegavit. Fuit carissimus nostro Doctori Angelico Thomæ, quare hic illi *Scriptum secundum super quatuor libros Sententiarum* dicavit. Maxima quoque inter Annibaldum & fratrem Petrum de Tarentasia, qui postea sub nomine Innocentii V. rexit Ecclesiam, intercedebat necessitudo. Scripsit *Librum Quodlibetorum*, item & *in 4. libros Sententiarum* præclarissima Commentaria, in quibus D. Thomæ & Petri de Tarentasia doctrinam sequitur quoad omnia, adeo ut videatur quasi eorum sagax abbreviator. Candorem puritatis ita unice amavit, ut potius mori voluerit, quam fædari: nam medicos qui pro salute consequenda ei suadebant puritatis jacturam, a se prorsus indignabundus ejecit. Cardinalis jam institutus, primævum observantiæ rigorem, in victu & vestitu religionis nunquam attemperavit. Excessit e vivis in Urbe Veteri, anno labente 1272. sub Gregorio X. quem ipse in Summum Pontificem anno elapso post diuturnam duorum annorum novemque mensium Apostolicæ sedis vacationem eligi, non modicum insudando curaverat. Jacet in nostra Ecclesia sancti Dominici ejusdem urbis, in cujus tumba hoc brevissimum Epitaphium legitur.

Urbs genitrix, genus Annibalum, sors Presbyter, Ordo
Dominici, fons divinus, prælatio, Cardo
Quem dederat titulo Duodenus Apostolorum.

Ita circiter Ambrosius de Altamura, qui tamen cum Dominicanis omnibus fallitur, dum ait *Commentarium* seu *Scriptum secundum in 4. libros Sententiarum*, fuisse a Sancto Thoma huic Annibaldo dedicatum. Nam hoc *Scriptum secundum* sub Sancti Thomæ Aquinatis falso nomine hucusque impressum, spectat ad hunc *Annibaldum*, fuitque dedicatum alteri *Anibaldo Cardinali* istius avunculo, ut clare antea ostendi in Dissertatione *De Scriptis S. Thomæ Aquinatis*, ad quam nunc Lectorem remitto. Idem fallitur dum hunc Annibaldum an. 1272. mortuum statuit, quem siquidem Sancti Thomæ Summam in compendium redegit, annis aliquot vivendo prætergressus est, atque ad annum forsitan 1280. pervenit. Jam quod *Commentarius alter* seu *Scriptum secundum*, quod sub nomine S. Thomæ Aquinatis *in 4. Libros Sententiarum* inter ejus Opera impressum extat, ad ipsum non spectet, sic probamus. Scriptum secundum quod nunc prodit sub nomine S. Thomæ Aquinatis in Sententias Magistri, extenditur in 4. libros Sententiarum: at Opus quod vere S. Thomas secundo scripserat in Sententias, non extendebatur teste Ptolomæo Lucensi ultra librum primum Sententiarum: ergo Opus seu Scriptum secundum quod nunc prodit sub nomine S. Thomæ Aquinatis, non spectat ad ipsum: Minor tantum probatione indiget, quæ facilis est. Nam Ptolomæus Lucensis S. Thomæ Aquinatis discipulus, & Operum ejus accuratus censor postquam in Historia sua Ecclesiastica loquutus est de primo Scripto Sancti Thomæ in 4. Libros Sententiarum, quod perfecerat antequam Lauream Doctoralem Parisiis assequeretur, de hoc altero Opere loquitur Lib. 23. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 15. his verbis: *Scripsit etiam eo tempore quo fuit Romæ, de quo dictum est supra, jam Magister existens, primum super Sententias, quem ego vidi Lucæ, sed inde subtractum nunquam ulterius vidi.* Confirmat hoc S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, qui in *Chronico* seu *Summa Historiali* parte 3. titulo 18. cap. 10. paragr. 2. ita de hoc Commentario loquitur. „*Idem Doctor fecit super quatuor libros Sententiarum quatuor scripta, cumque post tres annos sui Magisterii rediisset in Italiam, tempore Urbani Papæ existens Romæ, scripsit iterum super primum Sententiarum, sicut testatur in Chronico suo D. frater Ptolomæus Episcopus Torcellanus, qui ex discipulis ejus fuit & auditor asserens se vidisse illud in Conventu Lucano, quod nunc non invenitur.*" Si apud Labbeum authoritas S. Antonini plus valet quam 600. recentiorum, authoritas ista oculati testis & sancti Thomæ discipuli, plus valet quam omnium Dominicanorum contra scribentium, & falsa scripta S. Thomæ sub cacozelo attribuentium. Quod

autem Commentarius secundus seu Scriptum secundum sub nomine S. Thomæ in quatuor Libros Sententiarum, spectet ad hunc Annibaldum, jam supra diximus in Dissertatione *De Scriptis S. Thoma Aquinati attributis*, atque hic quoque repetimus, authoritate Ptolomæi Lucensis S. Thomæ discipuli & synchroni, qui ita Lib. 22. *Historia sua Ecclesiastica* cap. 23. seu rubrica „*De Vrbano IV. & CLXXXIX. Pontifice, qualiter „assumptus de Patriarchatu Hierosolymitano. Hic „duos Cardinales fecit, unum videlicet nepotem suum, & fratrem Annibaldum*, Anno Domini „MCCLX. & ab Vrbe condita MMXIII. Vrbanus IV. in cathedra Petri sedet, assumptus in „Decollatione Beati Joannis Baptistæ. Sedit „autem annos tres, mensem unum, & vacavit „mensibus quinque. Hic Natione Gallicus, de „Civitate Trecensi, Patriarcha Hierosolymitanus erat, quando assumptus est: Vnde & de „ultra mare venit, quando creatus est. Hic „fecit duas ordinationes, in quibus fuerunt „creati duo Cardinales, quorum unus fuit „nepos suus Dominus Anscherius, alter fuit „nepos Domini Richardi de Annibaldensibus, „qui vocatus est frater Annibaldus de Ordine „fratrum Prædicatorum, qui fuit Magister in „Theologia, & fuit vir magnæ humilitatis & „virtutis, & sanctus homo quem frater Thomas multum dilexit. *Fecitque scripta super Sententias, quæ intitulantur Domino Anibaldo, quæ „nihil aliud sunt, quam abbreviatio Dictorum fratris Thomæ.* Quid clarius de authore Commentarii seu Scripti secundi in 4. Libros Sententiarum, quod inter Opera S. Thomæ Aquinatis legitur? Agunt de *Annibaldo* isto Ptolomæus Lucensis in *Historia Ecclesiastica* Lib. 22. cap. 23. S. Antoninus 3. parte *Summa Historialis* titulo 23. cap. 11. Antonius Senensis in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum*, pag. 22. Ambros. de Altamura ibidem, loco citato.

1260 ROBERTVS KILWARDEBY SEV KILWARBIVS, natione Anglus, claruit ab anno circiter 1260, qui postquam Oxonii studiis incubuisset, ad Academiam Parisiensem se contulit, ibique Magister in Artibus institutus est. Cum autem illic institutum fratrum Prædicatorum ob doctrinam ac vitæ sanctimoniam recenter adductum floreret, allectus conversatione illorum Kilwardbius, ex primis Anglis fuit, qui in Gallias transfretantes, Ordini huic florenti nomen dederunt: unde in Angliam reversus postmodum, Provincialis sui Ordinis in his partibus factus est. Incubuisse videtur, antequam huic Ordini nomen daret, erudiendis in lingua latina pueris, quorum a regimine ad fratres Prædicatores se contulit. Successu vero ætatis & temporis ad tantam virtutis & doctrinæ existimationem pervenit, ut anno 1272. a Gregorio X. Archiepiscopus Cantuariensis creatus sit, quem ut jura sua Cantuarienses Monachi tueri viderentur, suffragiis suis legitime esse electum declararunt, licet Gulielmum Chillinden Suppriorem suum nuper electum pronuntiassent, ipsis necessitati temporis cedentibus. Robertus igitur Februarii die 26. anni 1272. consecratus est, qui teste Walsinghanno in Historia Angliæ pag. 50 anno sequente, Thomæ de Cantelupo in Vesperis Comitiorum Oxoniensium gradum suscipienti, disputationis præsidem atque moderatorem agere, Archiepiscopus licet, non dedignatus est. Anno 1277. a Nicolao III. Romam accersitus, Episcopus Portuensis & S. Rufinæ Cardinalis ob eminentiam scientiæ renuntiatur, Archiepiscopatui Cantuariensi ad quem assumptus fuerat cedens. Tandem anno 1280. Viterbium secedens, non sine veneni suspicione obiit tertio Idus Septembris, apud Franciscanos sepultus. Hæc ex Guillelmo Cavo in *Historia rei literaria* ad annum 1272. pag. 735. quem male Ordini fratrum Minorum adscripsit, fratribus Prædicatoribus accensendum. Jam ad Opuscula veniamus.

Extat inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 768. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 301. *Robertus Kylwardeby super libros Prisciani de Constructione*. Q. 3. 3. Art. Et ibidem num. 1586. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 119. num. 1. *Robertus Kylwardby de re Grammaticali*. & *Ejusdem Notula in Priscianum de Constructione*. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1694. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 32. num. 2. *Kilwarby in Prosodiam Prisciani sive de accentu*, *In Donatum de vitiosis Sermonibus*.

Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ num. 1805. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 204. num. 2. Tractatus Kilvardebii de Ordine Prædicatorum, Archiepiscopi & Cardinalis *De ortu Scientiarum*. Inter MSS. Codd. Vniversitatis Oxoniensis num. 728. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 261. num. 4. Kylwarbius *De Ortu Scientiarum* num. 5. *Tractatus ejusdem de Philosophia divisione*. Ibidem num. 747. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Codice 280. num. 2. *Sententia ipsius Kilwardby super libros Priorum*. Ibidem num. 756. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Mertonensis Codice 289. num. 2. *Kylwarby super libros Priorum*. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1696. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 34. num. 1. *Commentarius Rob. Kilwarby in organum Aristotelis*. Num. 2. *ejusdem Commentarius in libros Topicorum*. Ibidem num. 2280. in MSS. Codicibus bibliothecæ publicæ Codice 100. num. 2. *Kilwarby in magno, libri viginti duo pertinentes ad Logicam & Philosophiam*. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 292. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis C. 18. num. 3. *Kilwarby de divisione Scientiarum*. Num. 4. *De natura relationis*. Denique in bibliotheca Cottoniana sub Vitellii effigie litera A, Codice 1. num. 7. *Tractatus F. Roberti de Kilwardeby de ordine Præ-*

Prædicatorum, qui de Ortu scientiarum intitulatur. N. 8. *Tractatus de motu & tempore.* N. 9. *Tractatus De relationibus.*

Quoad Theologica Opera, inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 598. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 131. *Kylvvardeby super Sententias* Q. 3. 2. Art. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum insignium bibliothecarum num. 718. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Wigorniensis Codice 43. *Kylvvarby Lectura in sententias.* Ibidem num. 8007. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 285. *Robertus de Kilvvardeby Cardinalis, de Confessione, Satisfactione* &c. Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ num. 1145. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii litera D 7. Codice 9. num. 1. *Roberti Kylvvarby quæstiones de Conscientia.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1661. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 394. num. 3. *Robertus Kilvvarby de Passione Christi. Quæstio de Mendicitate.*

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 745. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli Codice 55. num. 1. *Conclusiones quorundam librorum beati Augustini secundum capitula eorum compilatorum per Robertum de Killevvardby Archiepiscopum Cantuariensem.* Ibidem num. 1834. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 172. Augustinus de Trinitate. Num. 2. *Cujuslibet libri Capitulorum intentio secundum Kilvvarby.* Num. 3. *Tabula ejusdem super eosdem libros.* Num. 4. Divi Augustini super Genesim ad literam, libri 12. Num. 5. *Cujuslibet libri & Capitulum super Genesim ad literam intentio, per eundem.* Num. 6. *Tabula super eosdem, secundum Kilvvarby.* Et ibidem num. 1839. in MSS. Codicibus Domus ejusdem S. Petri Codice 177. *Tractatus Kilvvarby in multos libros D. Augustini & aliorum.*

Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ num. 2642. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji Super D 1. Art. Codice 43. num. 4. *Constitutiones Kylvvarby.* Et inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 467. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis R. 14. num. 6. *Roberti Kilovarby Archiepiscopi Cantuariensis Constitutiones.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Hiberniæ num. 357. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis litera C. Codice 217. num. 4. *Constitutiones de Redyng per Robertum de Kilvvarby.* Meminit hujus Scriptoris, Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria*, ad annum 1272. pag. 735. Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Catalogo Scriptorum quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 169.

1260 BERNARDVS MONTIS CASSINI ABBAS, ET SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS, quem male in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 611. ad annum 1330. assignaveram, qui postea detexi deceptum me fuisse post Antonium Possevinum loco allegando, & Eisengrenium in assignando tempore *Bernardi Abbatis Cassinensis.* Itaque Bernardus hic, ex cognomine dictus *Aiglerius*, natione Gallus, professione Monachus primum Saviniacensis, Ordinis D. Benedicti, & sacrista, in Diœcesi Lugdunensi. Inde meritis affulgentibus, post mortem Aicardi de Torreves, circa annum 1256. clarissimi Cœnobii Lerinensis Abbas factus est, quam Ecclesiam rexit usque ad annum 1263. quo ob scientiam suam eminentem dotesque animi eximias, ad Abbatiam Cassinensem totius Ordinis Divi Benedicti primariam promotus est, ac denique ad purpuram Cardinalitiam paulo post, jussu Vrbani Papæ quarti. Scripsit *Speculum Monachorum Ordinis Divi Benedicti*, quod impressum est Parisiis anno 1507. in 24. cum aliis Opusculis. Idem composuit *Commentarium in Regulam ejusdem sancti Institutoris*, qui extat MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 196. & in Collegio sancti Benedicti Codd. 85. & 252. & in Bibliotheca Montis Cassini. Habetur quoque MS. in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis Cod. 670. qui transcriptione recens est, sed ex vetusto Cassinensi desumptus. Incipit, *Legitur in Proverbiis cap. 14. quod doctrina prudentum facilis* &c. Ausculta, *multa exemplaria habent* obsculta &c. Idem Opus versum in Linguam Gallicam a Guillelmo de Presby Abbate sancti Germani de Pratis anno 1340. quod ibidem MS. Codice 357. Ejusdem *Bernardi Abbatis Cassinensis Expositio in Regulam S. Benedicti, & Epistola ad Hildegardum Sanctimonialem*, MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo illius impresso pag. 87. num. 49. Denique ut scribit Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. verbo *Bernardus Gallus S. R. Eclesiæ Cardinalis*, scripsit *Collationum, beneficiorum & officiorum Montis Cassini Regestum unum*, itemque *Inquisitionum, jurium & bonorum in Castris & villis Montis Cassini, Regestum alterum:* quæ Manuscripta reperiuntur in Archivis Montis Cassini. Præfuit Abbas Cassini LIX. annis novendecim, multumque profuit usque ad annum 1282. quo pridie Nonas Aprilis obiit Cassini & sepultus est. Vult Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* eum floruisse anno 1347. post Guillelmum Eisengremium, Philippus Labbeus in *Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*, anno 1340. quorum errorem, ut & meum correxi. Plura dabunt de *Bernardo Abbate Cassinensi & Cardinali*, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* locis citatis. Vincentius Barralis in amplissima sua *Chronologia Abbatia Lerinensis* pag. 169. Chronologia Abbatum Cassinensium. Aubertus in *Historia Generali Cardinalium S. Romana Ecclesiæ.* Fratres Sammarthani tomo 4. *Gallia Christiana* pag. 563. in *Abbatibus Lerinensibus* & alii. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 88. illum anno 1282. mortuum esse affirmat.

1260 CONRADUS DE MURE, HELVETIUS, Canonicus, primusque Ecclesiæ Tigurinæ Cantor, ab anno 1260. & sequentibus floruit, de quo diffuse admodum agit Joannes Henricus Hottingerus vir eruditionis eximiæ, quem hic tantum nos exscribere fatemur in Oratione prima *De origine Scholæ Tigurinæ* a Carolo Magno, sive seculo IX. ad Reformationem pag. 17. his verbis: „Aliarum itaque more Ecclesiarum in-
„vitato, anno Christi 1259. Kalendis Maji *Can-*
„*toris* officium Præpositus & Capitulum Tiguri-
„num *Conrado de Mure*, primum demandat:
„Episcopus vero Constantiensis, Eberhardus
„electionem confirmat, & eo quidem privilegio,
„*ut eandem dignitatem, quam Cantores Majoris Ec-*
„*clesiæ Basileensis habuerunt, in sessionibus, processio-*
„*nibus, & aliis, Cantor etiam Tigurinus in Ecclesia*
„*sua obtineret.* Erat hic *Conradus de Mure*, vir pro
„ratione illius ætatis, haud vulgariter doctus,
„cordatus, quique magna apud Rodolphum
„Habspurgicum valebat gratia: nec ullius in
„universo per multos annos, Collegio memini,
„cujus æque fuerit celebrata per orbem fama;
„id quod non modo *Felicis Malleoli*, ejusdem
„Collegii Canonici & Cantoris, adeoque & suc-
„cessoris calculo: sed & monumentis ejus lite-
„rariis a *Gesnero* nostro in *Bibliotheca* recensitis,
„probare perquam facile fuerit. Et ex Gesne-
„ro quidem nostro discimus, scripsisse eum *de*
„*diversis Poetarum fabulis magnum volumen: Car-*
„*men de naturis animalium: Libellum de Sacra-*
„*mentis: Felicis & Regulæ passionem: De propriis*
„*nominibus fluviorum & montium: Cathedrale Ro-*
„*manum: Laudes beatæ Virginis: Clipearium Theu-*
„*tonicum: Catalogum Romanorum Pontificum &*
„*Imperatorum: Commendatitiam Rodolphi Regis*
„*Romanorum Musicam* &c. Utinam vero scri-
„pta ejus omnia religiosiori fide & diligentia, in
„hunc usque diem asservata fuissent, magnam
„sine dubio lucem, & profanæ & Ecclesiasticæ af-
„ferre possent historiæ! Nihil vero quod sciam,
„superest nobis, quam *Fabularium* ejus, sive *Di-*
„*ctionarium MS.* in Bibliotheca Carolina reposi-
„tum: & *Carmina de Rodolpho I. Imperatore Habs-*
„*purgico*, ab Abbate Murensi *Dominico* non ita
„pridem edita, quæ velut in tabella heroicas
„nobis Optimi Principis adumbrant virtutes.
„Cæteris omnibus, si non periculose, ægre cer-
„te nos carere, cur dissimulemus? Idem in *Bi-*
„*bliotheca Tigurina* pag. 151. Obiit hic Conra-
„dus de Mure 1281. 3. Kalendas Aprilis, de quo
„plura in Vita *Felicis Malleoli*, & origine Scho-
„læ Carolinæ. Scripsit *Fabularium*, id est, *De di-*
„*versis Poetarum fabulis*, qui liber adhuc, *Petri Nu-*
„*magen* Trevirensis, Sacellani Tigurini manu,
„anno Christi 1502. descriptus, in Bibliotheca
„nostra Carolina asservatur. De scopo & stu-
„dio juvandi studiosos, ipsum in Præfatione, audire Conradum de Mure placet. Ita autem habet.

In nomine Domini Amen. Incipit Fabularius a Magistro Conrado, Cantore Ecclesiæ Thuricensis, Præpositura Constantiensis Diæceseos, secundum ordinem Alphabeti, cum aliquali diligentia compilatus, & tandem completus an. Domini 1273. in vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis. Cum in Ovidianis & metricis aliorum Poetarum figmentis, non solum quadam propriorum nominum diversa varietas, rara diversitas, & varietas patronymicorum seu nominum habentium formam eorundem; verum etiam actiones seu operationes ipsis propriis nominibus & vocabulis attributa, parvulis studentibus difficilem perplexitatem, perplexam difficultatem, multoties generent & inducant. Ego Magister Conradus, Canonicus Thuricensis, dictus de Mure, nec valens, nec volens ignavia inertis otii tempore, sed communi parvulorum utilitati cupiens deservire: post labores Novi Græcismi *per ejusdem correctionem a me habitos, post libellum* De naturis animalium *metrice compositum, post sudores libelli* De septem Sacramentis, *ad instantem quorundam sodalium meorum petitionem, antiquo iterum ludo inclusos,* Fabularium simplicem, *& cui de integumento vel expositione fabularum nihil sit additum, propter parvulos, & annexum, proposui compilandum* &c. Videtur ergo multos annos *Conradus de Muro* in edocendis Grammaticis occupatus fuisse, & antequam & postquam etiam ad officium Cantoris atque ordinarii in Collegio Canonicorum Carolinorum Scholastici promotus fuit: imo iterum curam hanc in gratiam studiosæ juventutis anno 1273. resumpsisse, ut testatur hæc Præfatio. „Meminit huius scripti Felix Mal-„
leolus in suo *Passionali* his verbis. *Sic similiter eximius Poeta Laureatus, videlicet Magister Conradus de Mure, Cantor Ecclesiæ nostræ Thuricensis, primus in Capella Beatissimæ Virginis, ibidem ad finistram majoris altaris sepultus, cujus Epitaphii cultus his diebus per me fuit renovatus, & ibidem in pariete conscriptus de anno Domini 1281. 3 Kalendas Aprilis. Hic multum gloriosa metrice composuit volumina, quorum omnium per ordinem numerum & nomina conscripsit, & in principio & in fine libri sui, qui dicitur* fabularius, *qui solus inter sua volumina fuit prosaicus, & magna subtilitatis decore redimitus, & fuit duodecimus.* „Initio autem li-„
bri compendium exhibet Historiæ Veteris Te-„
stamenti profanum, cum Synchronismo Bibli-„
co collatum. Subjicit deinde Origines Idolo-„
latriæ Gentilis, Idolorum nomina, *carmine:* ut„
non male Theogonia metrica appellari possit.„
Tum demum accedit ad *fabularium Alphabeti-*„
cum, sive Lexicon eorum nominum proprio-„
rum, quæ apud Poetas potissimum occurrunt.„
Prolixus satis est, non tam in explicandis Ety-„
mologiis, quam rebus gestis enarrandis. In„
Ecclesiasticis quæ rarius adspergit, apocrypha„
nonnunquam admiscuit &c. Pag. 152. 153. 154. 155. 156. & 157. quæ omittimus ab Hottingero relata, utpote instituto nostro, parum convenientia. Idem pag. 158. „Pergo jam„
ad reliqua ejus opera. Idem emendavit *No-*„
vum Græcismum. Tractatum scripsit carmine„
de naturis animalium. Libellum de Sacramentis.„

„*Felicis*

„*Felicis & Regula Passionem. Libellum de propriis* „*nominibus fluviorum & montium. Cathedrale Romanum. Laudes Beatæ Virginis. Clipearium* „*Theutonicorum. Catalogum Romanorum Pontificum & Imperatorum. Commendatitia Rodolphi* „*Regis Romanorum.* Ea ni fallor sunt, quæ Dominicus Abbas Murensis, non ita pridem edidit. „Scripsit etiam *Genealogiam & gesta Caroli Magni*, excerpta ex plurimis Historiis, & Chronicis compilata. Eidem tribuitur *Breviarium* „*Chori Thuricensis*, anno Christi 1260. collectum, „quod in pergameno scriptum, etiamnum in „Bibliotheca Carolina Codice membraneo 34. „Tiguri asservatur. Sed quid si ipsum authorem audiamus, ordine scripta sua enarrantem, „causasque instituti sic exponentem. Ita ille.

Teste Philosopho, quiddam prodire tenus, si non datur ultra. Est enim melius aliquid boni, quam nihil obtinere. Igitur cum ego de Pegaseo fonte potens paulisper, ferventer cupidus, inter alia mei monumenta, de mea penuria & tenuitate aliquid utile, in Grammaticalium iterum projicere apothecam istius Fabularii *compilatione, ordinatione, non solum ætate, sed etiam ruditate parvulis, circa Poetica figmenta, sub spe ad altiora proficiendi, studentibus non inutiliter, sicut spero, laboravimus. Et tandem licet difficulter, tamen per Dei gratiam, a quo cuncta bona procedunt, finem laboris utcunque sum assecutus. Non improvide audituris, ipsum opusculum attente supplico & lecturis, ut dent veniam, si quis in eo propter insufficientiam compilantis vel festinantiam, sive scriptorum ignorantiam, defectus poterit inveniri. Nam inter mortalia, nihil omni ex parte beatum, Præterea exercitium additionis, & limam correctionis, relinquo posteris & committo: quia non dedignor a contemporaneis, seu ipsis posteris, bonum zelum habentibus, in eodem opusculo superfluum eradi, diminutum suppleri, & quocunque modo mendosum emendari. Etsi quis rationabilibus ex causis improbat operis imperfectionem, saltem approbet compilantis intentionem, ad quam summe justi Judicis examine singula referuntur. Juxta illud*, Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes: *item*, Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas. *Item*, Vltra posse meum non me Lex ulla coegit, Nec reor esse reum, qui totum posse peregit. *Item Paupercula in Evangelio pro duobus minutis, quæ in Hierusalem devote projecit in gazophylacium, plus aliis, qui multo majora in re. offerebant, a Domino commendatur. Ipse enim Deus non attendit quid, sed ex quanto. Sed licet in curiis Principum & Magnatum, in regimine Scholarium, in convictu Sodalium, plurimos fecerim versiculos, ut taceam de prosaice dictatis, de quibus omnibus nihil ad præsens, jam enim extra numerum & memoriam sunt: tamen non ex præsumptuosa de meo ingenio jactantia, sed ad gloriam Dei, qui Trinus in personis, unus in essentia; suorum actibus fidelium benigne adspirans, bonum principium, melius medium, finem optimum elargitur misericorditer & affluenter: hic perstringam meorum numerum & ordinem libellorum, versiculis eorundem supputatis opinabiliter & distincte.* Novus Græcismus, habens circiter 10. millia quingent. sexag. versus. Libellus de sacramentis, circiter 4. millia, & forte paulo minus. Passio Sanctorum nostrorum Felicis & Regulæ & Exuperantii, circiter 3 millia, & forte paulo minus. Libellus de propriis nominibus fluviorum & montium, circiter mille quingentos. Cathedrale Romanum, circiter mille & triginta. Laudes B. Virginis, super quinque partes Ave Maria, circiter trecentos. Clipearium Theutonicorum, circiter centum sexaginta. Catalogus Romanorum Paparum & Imperatorum, circiter mille sexcentos, quadraginta. Commendatitia Serenissimi Rodolphi Regis Romanorum semper Augusti, circiter octingentos. *Hæc autem non pono tanquam arrogans, & inanis gloriæ appetitor; sed ut Auditores ad inertiæ otii detestationem, & alicujus boni exercitium sic excitem, traham & inducam. Otia quippe nocent animæ: & alibi, Otia tollas &c. Apostolo tamen non impingitur, quod se narrat raptum usque ad tertium Cœlum, & multa in hunc modum. Item hæc pono, ut iidem Auditores*, habita mei notitia & per consequens memoria, *Deo patri misericordiarum & consolationis me suis precibus ita commendent, ut ipse Deus dare dignetur vitam bonam & exitum beatum, gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, Amen.* His alia subjiciuntur manu. Item finito isto Fabulario composui De vita Martini, plusmille 700. versus. Item De victoria Regis Rodolphi contra Ottocarum Regem Bohemorum, composui plus quam mille octingentos. *Hæc Conradus de Mure de propriis operibus, ex Codice MS.* Quantum autem ad *Novum Græcismum*, composuit illum primus *Eberhardus Bethuniensis* in Arthesia anno 1212. ut supra diximus ad annum 1210. quem licet attribuat sibi Conradus de Mure hic, non tamen author, sed corrector potius & emendator hujus Operis censendus est, unde inquit, *Post labores novi Græcismi per ejusdem correctionem a me habitos.* Non igitur composuisse, sed emendasse & adornasse, carminum adjectione vel immutatione par ivisse creditur, dum pueris informandis incumberet. Alia omnia ejusdem poemata, duobus exceptis, periisse videntur. *Cathedrale Romanum* edidit Parisiis anno 1685. Joannes Mabillon, Ordinis divi Benedicti, tomo 4. *Veterum Analectorum* pag. 535. in 8. inscriptum, *Veteris Poetæ Apologeticum Carmen, interlocutoribus Gaufrido & Aprile, adversus obtrectatores curiæ Romanæ*, constans 1026. versibus, erutum ex MS. Cœnobii Ensidlensis, cui notas pag. 564. paucas adjecit, quibus auctorem sub medium seculi XIII. floruisse docet, id quod Conrado de Mure convenit. Opusculum istud quod Johannes Mabillon, primus in lucem produxisse credebat ex MS. Codice Ensidlensis Cœnobii, annis centum fere antea in publicum eduxerat Joannes Wolphius in Collectaneo *Rerum Memorabilium* ad Historiam Spectantium, quod anno 1600. Lavingæ duobus in folio voluminibus collegit. Editum illic volumine 1. ad annum 1199. Centenario XII.

XII. pag. 408. & sequentibus sub *Gaufredi* nomine, eo quod Gaufredus interloquutorum in hoc poemate primus fit: inscriptumque *Gaufredus, de statu curiæ Romanæ & ejus corruptionibus*, cui adjecit consequenter, *Apocalypsim Goliæ Pontificis, super corrupto Ecclesiæ statu per Gualterum Mapes Oxoniensem Archidiaconum* Centenario XII. ad annum 1100. pag. 430. & seqq. Cujus etiam Operis meminit Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis* Tomo 2. Libro XIV. ad annum 1197. editionis Lugdunobatavæ 1597. duobus tomis in 4. Item *Commendatitia Rodolphi Regis Romanorum*, ea nisi fallor, sunt quæ Dominicus Abbas Murensis, non ita pridem edidit, ut Hottingerus scribit. Extat in eo Opere quod anno 1651. Constantiæ apud Germanos in 8. dictus Dominicus Abbas Murensis edidit, inscriptum *Origo & Genealogia Comitum de Habspurg Monasterii Murensis fundatorum*, quod dictus Hottingerus habuit & profert in *Dissertationum Miscellanearum Pentade*, edita Tiguri anno 1654. in 8. Nam Dissertatione V. *De Methodo legendi Historias Helveticas*, meminit hujus Operis pag. 223. & 224. ubi Guillimannum ab hoc Abbate, erroris argutum in *Hapspurgicis* sæpius affirmat. Ejusdem Operis altera editio facta est in Monasterio Murensi, anno 1702. in 8. Præter allatum *Fabularii* MS. Codicem, inter MS. Codices Collegii Canonicorum Carolini chartaceos Codice 11. num. 3. in Tigurina bibliotheca extantem, de quo supra diximus: extat alius inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium hujus regni bibliothecarum Codice 3264. in MSS. Codicibus Norfolcianæ bibliothecæ, quæ in Collegio Greshamensi extat, Codice 365. *Fabularius a Conrado Turicensis Ecclesiæ Cantore, alphabetico ordine conscriptus.* Edidit quoque Philippus Labbeus Soc. Jesu *Novam Bibliothecam Manuscriptorum Librorum, Latinorum Græcorum & Gallicorum* seu *Specimen antiquarum Lectionum Latinarum, Græcarum & Gallicarum*, Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault, ex Regiæ potissimum Bibliothecæ MSS. operibus nondum impressis. In hoc Opere Labbei, parte IV. Technica & philologica, Sect. prima eorum quæ ad Grammaticam artem spectant, pag. 44. *Fabularius Conradi de Mure* ex MS. Codice Thuano 470. Ejusdem quoque *Græcismus* licet anonymus, inveniri mihi videtur inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis, Codice 1529. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi, Codice 62. *Grammatica Latina, Metrica* in 4. in membrana. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium ejusdem regni bibliothecarum Codice 822. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 147. ubi Poetæ multi atque soli continentur. Nam numero 5. extat *Doctrinale Puerorum* Alexandri de Villa Dei, cujus initium *Informans pueros* &c. Num autem 6. *Græcismus* cujus Prologus incipit *Quoniam ignorantiæ nubilo* &c. Est vero Tractatus poeticus, qui a præcedente distinctus, ad Conradum de Mure, authorem similis operis, pertinere creditur. Porro ut olim Conradus de Mure *Doctrinale* Alexandri de Villa Dei correxerat & adornaverat, ita quoque *Novum Græcismum* Conradi de Mure Cantoris & Canonici Turicensis, quem *Elucidarium* appellavit, imprimendum curavit Petrus Bouherius Sabulensis a se repurgatum & adornatum anno MDXIII. cui carmen elegans præmisit, quod refert Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Præfatione eleganti atque prolixa in *Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis*, paragr. 55. pag. seu col. XLV. quem adeas. Hanc editionem antiquior altera præcessit, ubi nomen scriptoris non exprimitur, opus vero inscribitur *Elucidarius Carminum & Historiarum*, vel *Vocabularius Poeticus*, anno 1500 impressus in 4. Daventriæ typis Richardi Pafraet, cujus exemplar est in Bibliotheca Mauritii Tellerii Remensis Archiepiscopi, inter Theologos in 4. pag. 47. ut constat ex Catalogo hujus Bibliothecæ, quem anno 1693. in folio Parisiis edendum typis Regiis sub nomine suo imprudenter & falso curavit idem Tellerius Archiepiscopus, composuit autem Antonius Faurus, quem in Præfatione sua eximie laudat, Doctor Theologus, & in Archiepiscopatu Remensi Tellerii hujus Vicarius Generalis, cujus laborem immerito Archiepiscopus præfatus sibi usurpavit. Hoc editionis hujus occasione, dictum sit.

Ad eundem Conradum de Mure pertinere videtur *Calendarium de Sanctis Ecclesiasticum carmine conscriptum*, quod extat Tomo 1. Operum Venerabilis Bedæ Presbyteri: ac dubio procul scriptoris est Teutonici, qui circa annum 1260. floruit, ut ex elogio S. Elisabethæ Thuringicæ patet ad Operis finem: & ex mentione SS. Martyrum *Felicis & Regulæ* mense Septembri, qui Tigurinæ urbis patroni & apostoli habentur, quorum Acta sigillatim conscripserat. Idem autem dicendum de *Embolismo*, qui *Calendarium* sequitur. Vide quæ diximus seculo VIII. in Operum Venerabilis Bedæ censura. Inter Scriptores Ecclesiasticos, reperio duos Poetas, qui *De Sacramentis* carmine scripserunt, Hildebertum Cenomanensem Episcopum anno 1120. celebrem, qui argumentum istud carmine breviori tractavit, de quo ad annum 1120. diximus. Illius opus impressum est, quod MS. extat anonymum in Bibliothecis multis, nempe inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ Codice 1294. in Manuscriptis Codd. Guillielmi Laudi, olim Cantuariensis Archiepiscopi, & Codicum MSS. multorum collectoris, litera H. Codice 31. num. 7. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1351. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 74. ubi inscribitur, *Anonymus de Sacramentis*, cujus principium, *Scribere proposui qui Mystica sacra priorum* &c. Inter MSS. Codices Paulinæ bibliothe-

thecæ Lipsiensis Repositorio Theologico II. Serie II. in folio, Codice 29. num. 6. ut habet Joachimus Fellerus in Catalogo MSS. Codicum istius bibliothecæ pag. 109. edito Lipsiæ anno 1686. in 12. Alter *Conradus de Mure* Canonicus & Cantor Tigurinus seu Turicensis, qui circa annum 1260. ad Hildeberti imitationem, Opusculum *De Sacramentis* composuit, sed carmine diffusiori rem aggressus, se enim de hoc argumento *versuum quatuor millia vel circiter* scripsisse affirmat. Quisquis igitur se occupaverit Codicibus MSS. Bibliothecarum Germaniæ præsertim excutiendis examinandisque, si in opus *De Sacramentis* metricum incidat, ad operis vel brevitatem vel prolixitatem attendat: si breve illud sit, ad dictum Hildebertum Cenomanensem: si prolixum atque ad *quatuor millia versuum vel circiter* protendatur, ad Conradum de Mure pertinere necesse est. Hæc pleraque suggessit Joannes Henricus Hottingerus *De Origine Schola Tigurina à Carolo Magno* pag. 17. & *in Bibliotheca Tigurina* pag. 151. ad 160. editionis 1664. Tiguri in 4. Mentionem faciunt *Conradi de Mure* Conradus Gesnerus ipse Tigurinus *in Bibliotheca Universali* apud Christophorum Froschoverum Tiguri in folio 1545. edita, Tomo I. folio 183. Josias Simlerus *in Epitome Bibliotheca Gesneriana*, Tiguri anno 1574. in fol. edita, verbo *Conradus de Mure* pag. 144. Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri*, verbo eodem.

1260 SALLAS MALESPINA, hoc eodem tempore florebat, Scriptor autem omnibus hucusque incognitus mansisset, nisi è tenebris illum eduxisset CL. Stephanus Baluzius Colbertinæ Bibliothecæ custos, qui ex omnibus indiciis *Romanus civis* fuisse conjectatur. Tomo itaque *Miscellaneorum Sexto* quem anno 1713. Parisiis in 8. apud Ludovicum Guerin & socios edendum curavit, opuscula plurima & minuta complectentem, edidit *Sallæ Malespinæ historiam de rebus ad Siciliam spectantibus*, quæ ætate ipsius obtigerunt, hoc est ab anno 1250. ad annum 1276. in quo scribere desinit. De hoc Scriptore occasione Baluzii ejus editoris, *Diarium Eruditorum Parisiense* anni 1714. mense Februario pag. 219. editionis Amstelodamensis, ejusdem anni in 8. vel 12.

1260 MATTHÆUS VINDOCINENSIS, ABBAS SANCTI DIONYSII IN FRANCIA, Vindocinensis dictus, eo quod ex hac urbe oriundus esset, Ecclesiam hanc Sancti Dionysii jam habebat anno 1260. mense Octobri, ut est in veteri Registro Parlamenti, qui Henrico Malet successisse legitur. Carissimus S. Ludovico Francorum Regi, nominis nono fuit, qui Matthæum ut negotiorum in Republica gravioris momenti gerendorum maxime idoneum, cum aliis proceribus Regni moderatorem constituit. Apud Guillelmum de Nangiaco *Custos regni & Regis locum tenens* vocatur, dum in partibus transmarinis Rex ageret. Præterea executor Testamenti ab eodem Sancto Ludovico declaratur diplomate anni 1269. quo abunde testatur Rex, quanti eum ob pietatem & probitatem morum duceret. Scripsit ante assiduas negotiorum curas *Historiam Tobiæ eleganti carmine elegiaco*, invocato sub initium Poeseos suæ, ad auxilium gratiæ, mortuo jamdudum Bartholomæo Vindocinensi, quem non alium puto ab illo Bartholomæo, qui juxta Sammarthanos fratres tomo I. *Galliæ Christianæ* pag. 773. Turonensem Archiepiscopatum ab anno 1175. ad annum 1206. tenuit. Nempe alloquitur illum jamdudum mortuum poeticâ licentiâ, ejusque intercessionem animæ in cœlo agentis invocat. Voluit igitur Matthæus Abbas Sancti Dionysii, honorasse manes ac memoriam consanguinei sui Bartholomæi Vindocinensis, qui jamdudum obierat, appellato illo etiam mortuo, sub libri initium. Nec enim tempora hujus Matthæi Vindocinensis, qui anno 1206. nondum forsitan natus erat, ac Bartholomæi Vindocinensis & Archiepiscopi Turonensis convenire simul possunt. Hinc palam est quantum Guilielmus Cavus erraverit *in Historia Literaria* circa Scriptorem hunc, quem anno 1202. floruisse oscitanter affirmat, quo nondum natus erat, nisi ultra annos 80. vixerit, quod vix crediderim. His verbis Bartholomæum ab anno 1175. ad 1206. Archiepiscopum Turonensem compellat.

Ecclesiæ Turonensis apex, ovium speculator
Ut speculum, præsul Bartholomæe fave.

Quibus decepti omnes qui legerunt, Poema suum dicto Bartholomæo viventi dedicasse & inscripsisse opinati sunt, non attendentes ad Pontificiam doctrinam, qua viros eminentes virtute post mortem invocant Pontificii, auxilium ab illis petentes. Nec Bartholomæum autem solum in poemate, sed alios quoque ante Bartholomæum mortuos salutat, velut viventes. Nam idem Matthæus Vindocinensis *Goffridum seu Gaufridum de Lieres* ab anno 1116. ad 1138. vel 1140. *Episcopum Carnotem* sic alloquitur.

Maxime Pontificum, Romanæ signifer aulæ
Carnotensis apex, & Pater urbis ave.

Alloquitur ergo & invocat viros celebres jamdudum mortuos, quorum memoriam colit & opem exposcit.

Opus istud editum primò fuit anno 1503. Lugduni, secundus edidit Basileæ anno 1563. Joannes Heroldus magnus olim Erasmi amicus, tertius demum Joannes Hetingius Juris Consultus & Syndicus Bremensis anno 1642. Bremæ in 8. Joannes Heroldus Germanus, appellat in præfatione sua *libellum verè aureum, cujus non solum versus singuli, verum etiam unum quodque verbum sententia selectior, & testimonium aliquod singulare æstimandum est*, Quando autem idem He-

Heroldus ait, Historiam illam elegiaco carmine ante 300. annos conscriptam, id est circa annum 1263. stat utique ejus sententia, cum illa qua Matthæus Abbas S. Dionysii anno 1260. electus, & obiisse anno 1286. dicitur. Extant MSS. plurimi Codices hujus Poematis in Bibliothecis, Gallicis, Anglicis, Italicis, de quibus agere superfluum est.

Aliud quoque ejusdem Matthæi opusculum *de doctrina versificandi* Oxonii in Collegio Baliolensi litera K. 20. num. 6. & Cantabrigiæ in Collegio domus Sancti Petri Codice 5. num. 12. Ejusdem *Æquivoca* inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 152. in MSS. Codicibus Sanctæ Trinitatis Dublinensis litera A. Codice 12. num. 1. cum Commentario per Fratrem Johannem Hemoch. De ætate autem Matthæi Vindocinensis contra Scriptores ferè omnes, dubium omne prorsus tollunt, *Epistolæ mutuæ* tum S. Ludovici Regis, tum Philippi Audacis ejus filii, scriptæ ad Matthæum Sancti Dionysii anno 1270. Abbatem, & Matthæi ad illos in partibus transmarinis agentes, quæ impressæ extant tomo 2. *Spicilegii Acheriani* à pag. 548. ad 571. quas quivis legere potest. Mortuus est anno 1286. die 25. Septembris ac conditus in Ecclesia quam rexit de quo plura Guillelmus de Nangiaco qui hominem noverat, in *Chronico* ad annum 1286. ubi mortem ejus desigit, synchronus & oculatus ipse testis, quippe cum in eodem Cœnobio viveret ac scriberet, paucis post mortem illius annis. Fratres Sammarthani Tomo I. *Galliæ Christianæ* pag. 773. *in Archiepiscopis Turonensibus*, nam Archiepiscopatum hunc oblatum sibi Matthæus Vindocinensis ex modestia recusaverat. Et Tomo 4. pag. 336. ubi *de Abbatibus Sancti Dionysii* in Francia. Hujus quoque meminit Guilielmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1201. pag. 700. quo dubio procul nondum natus erat. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 74. pag. 508. editionis ultimæ, ubi illum vixisse anno MCCCXV. malè quoque affirmat. Epitaphio quoque illum anno 1286. obiisse constat, quo quid authenticum magis esse potest, contra Cavum & Vossium aliter sentientes? Extat in Ecclesia S. Dionysii in Francia his versibus.

Hic jacet Abbatum speculum, speciale, probatum,
Qui dedit Ecclesiæ magnum virtute decorem,
Archiepiscopii renuit Turonensis honorem.
Regum Francorum per tempora longa duorum
Regni gessit onus, celeberrimus iste patronus:
Qui transis, Christum rogita pie Lector, ut istum
Salvificet patrem, Christique requirito matrem:
Impetret ut clarum jubar illi Cœlicolarum. *Amen.*
Si sexentenus, quadragenusque dupletur,
Ac annos sanus Domini simul annumeretur,
Septembrisque dies vicesima quinta notetur,
Firmiter inde scies, quando sua mors recitetur.

1260 ROLANDINVS PATAVINVS cognomento GRAMMATICVS, patrem habuit actuarium seu tabellionem, Bononiæ à Boncompagno literarum studia hausit, qui admodum adolescens titulo Magistri insignitus est, ac posteà & ipse in patria actuarii munus sustinuit. Condidit volumen *De gestis Patavinorum*, cujus mentio fit apud Paulum Vergerium in Opere *De Principibus Carrariensibus*, & Flavium Biondum Dec. II. Lib. VII. Præterea descripsit *Tyrannidem Eccelinorum Libris XII.* de Onaria sive de Romano: quam oculis suis viderat, eamque historiam perducit ab anno MCC. usque ad annum MCCLXIII. intra quod tempus Eccelinorum domus maxime claruit. Sed diligenter imprimis Eccelini quarti, quem tertium vulgò appellant, ortum, vitam, mores, tyrannidem, bella atque interitum prosequitur. Ejus *Chronicorum Libri 12.* editi sunt in fol. Venetiis anno 1636. cum Albertino Mussato *De gestis Henrici VII. Imperatoris*, cura & studio felicis Osii Patavini. Ejusdem *Rolandini Patavini Ars Notaria*, edita Taurini anno 1479. deinde Lugduni cum Glossis. Extat autem *Ars Notaria* hujus Rolandini MS. in 4. pergameneo, in Bibliotheca nostra Lugdunobatava, inter MSS. Codices Latinos num. 179. cujus mentionem facit Catalogus impressus Librorum hujus Bibliothecæ in 4. anno 1674. Lugduni Batavorum pag. 408. qui Codex ejusdem ætatis cum Rolandino est. Hujus judicium fecit Gerardo Joanni Vossio Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 8. Ludovicus Molinus Senator ac patricius Venetus, qui & cum illo communicavit, quid de eo Scriptore necdum viso nec lecto, censeret eximiæ eruditionis atque acerrimi judicii vir, Albertinus Batisonus Abbas ac Nobilis Patavinus. Nempe à summis his & honestis viris edoctus est: temporum quidem vitio quibus vixit, illum uti stylo Italicissimis (ut nunc loquimur) referto: sed si rerum potius habeatur ratio, fatendum esse, eum seculi sui Scriptores vincere perspicuitate, ordine, industria, & quod caput est, prudentia. Imo etiam fide incorrupta complures etiam clarioris nominis Historicos longe post se relinquere. Ad hæc undique in eo reluere pietatis atque religionis studium, item quantopere tum in litteris sacris, tum in Gentilium Scriptis, Poetarum imprimis, atque etiam disciplinis minus protritis, versatus fuerit. Itaque non olim tantum magnam ejus viventis admira-

rationem fuisse, sed nunc quoque multis post excessum suum seculis, egregiis ingenii monumentis legentes in amorem ad laudem sui penitus rapere. Cumque in omnium manibus esse mereatur, imprimis tamen Patavinorum illis tractandum esse: qui vetera florentissimæ urbis suæ gesta, familias antiquas, viros olim in illa illustres, cum autem & urbis & regionis mores, ritusque non alibi, quam in cive hoc suo, vel majori voluptate quærere, vel certius invenire possint. Hæc verbotenus ex Gerardo Joanne Vossio, loco citato. Postremo nec prætereundum illud, *Commentariorum Rolandini de Ecelinorum tyrannide Epitomen*, Italico sermone anno 1552. à Fausto Longiano sub ficto *Petri Gerardi* nomine, emissam esse: qua fraude non externis modo, sed ipsi etiam Petro Scardeonio, rerum Patavinarum usque adeo intelligenti fucus factus fuit. Qua de re admonuit Gerardum Joannem Vossium, vir eximius, præclareque de studiis meritus Laurentius Pignorius, qui editionem hanc acceptam referebat Vincentio Pinello, viro maximi quidem nominis, sed majoris tamen & ingenii & doctrinæ. Hic ὑποβολιμαῖον Scriptorem hunc cum ipso Rolandino sedulò conferens, qua sagacitate est, facile deprehendit, ab impostore eo Rolandinum pessimè exceptum fuisse; quippe in quo ille, frequenti nimium more atque exemplo, ut gratiam quorundam seculi sui aucuparetur, multa adeò partim reciderit, partim mutaverit, & ut quod res est dicatur, plane corruperit. Ita Vossius. Meminit Rolandini Patavini ut Scriptoris, Carolus Dufresnius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 145. ubi eum anno 1263. vixisse asserit. Mortuus est autem anno 1276. die 2. mensis Februarii, ut indicant hi quales quales versiculi sepulchro ejus inscripti, quos Scardeonius affert.

> Mille ducentenis Christi currentibus annis,
> Tunc ego natus eram: sed ab his post Septuaginta
> Sex, simul alma piæ redimit dum Festa Mariæ
> In Februi mense, cœli peto fercula mensæ.

1260 LUDOVICUS NONUS GALLIARUM REX, floruit ab anno 1226. multis susceptis laboribus & expeditionibus arduis ad Christianos in fide conservandos, apud Orientales & Africanos: quem magis ob pietatem, quam ob profundam eruditionem hic inserimus. Edidit *Constitutiones aliquas* Rex sanctissimus, quæ habentur in tomis Conciliorum editionis ultimæ Parisiensis anni 1671. Idem *Documenta filio salutaria & Testamentum*, quæ omnia habentur in Collectione *Scriptorum Coætaneorum Historiæ Francicæ* Andreæ Duchesnii, tomo V. &c. Obiit in expeditione transmarina, quam zelo magis ardens, simplexque nimium ac Monachis suadentibus susceperat, anno 1270. die 25. Augusti prope Tunetum in Africa: unde corpus in Galliam posteà allatum, & in Ecclesia S. Dionysii conditum fuit.

BENEDICTUS MASSILIENSIS EPISCOPUS, post Petrum de Montlaur, anno 1229. 1260
creatus Massiliensis Episcopus, unus ex primis alumnis Ordinis Fratrum Minorum, ac S. Francisci Assisiatis (ut creditur) olim ex primis sociis vel discipulis. Anno 1229. à Romano Cardinale sancti Angeli, Legato Summi Pontificis 3. Calendas Februarii eligitur arbiter controversiæ quæ advenerat inter Massilienses & Communiam Civitatis ex una parte, Comitales ac Sancti Victoris Cœnobium ex alterâ: cùm primi Vicecomitum jurisdictionem penitus extinguere decrevissent, alii defenderent seu tuerentur partem quæad eos spectabat, cessione Roncelini Vicecomitis. At Massilienses cùm per vim Abbatiæ bona detinerent, à Pontifice Romano, pœnis interdicti & excommunicationis mulctati sunt. Sed cum Benedictus ablata Cœnobio restitui curavisset, ac nihilominus dominium jurisdictionis penes urbem remansisset: Abbate Sancti Victoris & Monachis consentientibus, publicam Episcopus absolutionem Massiliensibus indulsit in cemeterio Majoris Ecclesiæ, Joanne Tolonensi & Rostagno Regensi Episcopis adstantibus. Anno 1230. Joanni Episcopo Tolonensi pollicitus est se non initurum pacem cum inferiori villa Massiliensi Vicecomitali, donec illi damnum omne illatum restituerent, scripto Massiliæ in castro Episcopi dato. Hoc autem Massiliæ castrum huic Benedicto vendidit Vuillelmus de Signa, Abbas S. Victoris, pretio 300. solidorum Regalium, ut constat ex archivis Capituli: unde anno 1233. quarto Calendas Martii in quadam Charta Carthusianorum Montisrivi, sese nuncupat *Episcopum & Dominum Massiliæ*. Cum verò Raymundus Berengarius Provinciæ Comes, Massiliam suæ potestati subjicere in animum induxisset: ut id negotium ad exitum perduceret, Benedicto Episcopo usus est, qui viginti duo millia & quingentos solidos coronatos à Raymundo accepisse mutuatos se finxit. Episcopus ergo simulans se velle emere Vobis jurisdictionem, idque e re Civitatis esse cum Consulibus proposuisset: illi suæ libertatis amantes, Præsulem quem anteà summo honore coluerant, odio persequi cœperunt. Et inde enatum bellum, quod ab anno 1237. usque ad 1243. gestum est, fusiusque in publicis Ecclesiæ & urbis Massiliensis tabulis, narratur. Ita Sammarthani Fratres tomo III. *Gallia Christiana* pag. 661. His solutus bellis Benedictus, mentem conscribendis libris apposuit, cujus in Bibliotheca Colbertina MS. Codex num. 1454. inscriptus, *Fratris Benedicti Episcopi Massiliensis Tractatus fidei contra diversos errores, super titulo, De Summa Trinitate & fide Catholica in Decretalibus.* Composuit hoc

hoc Opus circa annum 1256. Alexandro IV. Romano Pontifici his verbis inscriptum: *Sanctissimo in Christo Patri ac Reverendissimo Domino, Alexandro Dei providentia Pontifici Summo, Frater Benedictus Dei permissione dictus Episcopus Massilia, cum summa devotione, obedientia & reverentia, pedum oscula beatorum. Cum circa & ultra mare varios errores invenerimus, deviantes ab orthodoxa fidei puritate &c. Incipit Tractatus fidei contra diversos errores super titulum De Summa Trinitate & fide Catholica in Decretalibus. Quoniam fides est totius spiritualis ædificii fundamentum &c.* Pertæsus posteà Benedictus Massiliensium sibi infensorum, quorum iratos animos compescere non potuit, deposito Episcopatu ad Ordinem Fratrum Minorum reversus est, eorum in paupertate divitias amplexatus, ut tradit antiquus Codex MS. Id circa annum 1262. post mortem ut credimus Alexandri IV. Summi Pontificis cui carissimus erat, contigit. Assumpto in Successorem altero Benedicto de Aligniano, quem fuisse ei & nomine & sanguine proximum suspicor, licet idoneis ad id stabiliendum instrumentis destituar. Præter fratres Sammarthanos *in Gallia Christiana* loco citato, meminit hujus Benedicti ut Scriptoris Ecclesiastici Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Authorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columnâ 88. ubi male *Massiliensem Abbatem* vocat. Eodem quoque modo vocatur in MSS. Godicibus Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, Repositorii Theologici IV. Serie 3. in folio Codice 21. num. 1. *Benedicti Abbatis Massiliæ Tractatus duo pro honore & defensione Ecclesiæ Romanæ*, Catalogi MSS Codicum pag. 200. Ita Joachimus Fellerius Lipsiensis Academiæ Bibliothecarius, in Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, pag. 200. quem anno 1686. Lipsiæ in 16. edendum curavit. Tractatus autem isti, qui in Lipsiensi Bibliotheca designantur, unum idemque opus esse videntur, cum eo quod in Colbertina Bibliotheca superius extare dictum est. Stephanus Baluzius edidit Parisiis anno 1713. in 8. apud Ludovicum Guerin & socios, *Tomum VI. Miscellaneorum*. in quo edidit *Præfationes Benedicti Massiliensis Episcopi* in opus illius *De Sancta Trinitate & fide Catholica*, eruta ex MS. Codice Bibliothecæ Colbertinæ quibus illæ multa præmisit de Episcopi hujus zelo ob conversionem Mahumetanorum & aliorum hæreticorum & successum fratrum Christianorum in Terra Sancta, quorum causa peregrinationes duas in Palestinam suscepit, unam anno 1239. & alteram anno 1261. quas illic latius describit. Hæc ex *Diario Eruditorum Parisiensi* anni 1714. mense Februario paginis 219. & 220. editionis Amstelodamensis 1714. in 8. vel 12.

1260 RICHARDUS BARDENIENSIS Monasterii Monachus, circa annum 1260. carmine inculto pro more hujus temporis scripsit, cujus extat in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis litera C. Codice 16. num. 3. Epistola in metro ad Gulielmum Episcopum Lincolniensem *De vita & actibus Roberti Grosthead*, per Richardum Monachum Monasterii Bardeniensis. Et num. 4. *Martyrium Sancti Hugonis pueruli apud Lincolniam à Judæis cæsi an. 1255.* metricè per eundem. Ita Catal. MSS. Codd. Cottonianæ Bibliothecæ p. 74. col. 1.

JOANNES DE ALLODIO, CANCELLARIUS ECCLESIÆ ET UNIVERSITATIS PARISIENSIS, dictus vulgo *de Aurelianis*, quod ex urbe Aurelia oriundus credatur. Claruit anno 1260. & sequentibus, Cancellarius postmodum Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis, vir eximiæ doctrinæ, nec minus inclytæ virtutis. Docebat hic Theologiam cum applausu Parisiis, annis 1266. & 1267. quo anno præfato 1267. cum Decano Magistrorum Parisiis regentium, Rectore Universitatis & procuratoribus quatuor Nationum, appellavit cum aliis Magistris actu regentibus diversorum Ordinum in actu subscriptis, contra Depositionem *Gaufridi* officialis ab officio, factam eodem anno die 21. Junii per sententiam Simonis S. R. Ecclesiæ tituli S. Ceciliæ Presbyteri Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legati. Extat hæc appellatio *in Historia Universitatis Parisiensis* cum sententia Simonis Legati, seculo V. *dicta Historia* ad annum 1267. pag. 384. & seqq. Factus posteà anno 1271. Cancellarius Parisiensis, Nicolao antea Parisiensi Cancellario, ad Archidiaconatum hujus Ecclesiæ promoto. „Quo eodem anno M. Nicolaus„ Cancellarius Parisiensis, libros quos Stephani„ Cantuariensis de Linguatona dicti, in officii sui„ administratione acceperat, M. Johanni de Au-„ relianis successori suo coram officiali Parisiensi„ tradidit, mutuandos pauperibus Scholasticis in„ Theologia studentibus, juxta testamentum &„ vota prædicti Stephani. „ Qua de re extat instrumentum traditionis authenticum apud Hemeræum *De Academia Parisiensi* pag. 55. & apud Cæsarem Egassium Bullæum seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis* ad annum 1271. pag. 399. idemque de eo pag. 398. *anno 1271. cum Magister Joannes de Aurelianis tunc Cancellarius Parisiensis Ecclesiæ & Universitatis, Ferdinandum Aragoniæ Regis Filium Theologica laurea donasset, nullo antecenturatum examine, coactus est ab Universitate dignitatem illam abdicare, aut saltem à licentiis dandis abstinere: eo quod contra Statuta tum Papalia, quàm ipsius Universitatis, solus authoritate propria non vocatis de more examinatoribus, Doctoralem pileum ausus esset imponere. Quod quidem initium fuit magna diuturnaque litis, inter Academicos & Cancellarios Ecclesiæ Parisiensis, etiam apud curiam Romanam, ut suis locis dicemus.* At sive ob singulare & personale Joannis de Aurelianis meritum, seu quod promisisset Universitati imposterum tales a se ausus haud profecturos: certum est ipsum ab officio Cancellarii non fuisse depositum, quod ab ipso servatum pacificeque gestum est, 1260

est, ad eum usque annum, quo ob præclaram nominis & doctrinæ famam, ad Episcopatum Parisiensem anno 1279. electus est, ut infra dicemus. Ardens procurandæ animarum salutis & peccatorum conversionis Joannes de Allodio, prædicationi divini verbi curas atque animum applicuit, quo plurimum valuit, maximè ob insignem morum probitatem nemini non notam. Extant autem illius *Conciones* quas Cancellarius pronuntiavit, immixtæ cum aliis concionibus celebriorum hujus temporis concionatorum, in MS. Codice Bibliothecæ S. Renigni Divionensis, num. 186. Cæteras vitæ Joannis Aurelianensis periodos ita describit seculum V. *Historia Vniversitatis Parisiensis* ad annum 1279. pag. 447. Anno 1279. 13. Septembri obiit Ste„phanus de Aurelianis seu Templarius dictus „ex Cancellario Ecclesiæ Majoris & Vniversita„tis, factus Episcopus Parisiensis an. 1268. Suc„cessorem habuerat in Cancellaria M. Nico„laum, & hic *M. Joannem de Allodio*, vulgò *de Au„relianis* dictum, qui cum Vniversitate liticulas „multas exercuit, rarum tamen & memorabile „exemplum præbuit hoc anno simplicitatis & „Innocentiæ. Nam cum post mortem Stepha„ni de successore ageretur, nec Magistri Odonis „de S. Dionysio Canonici Parisiensis electio, in „quem Canonicorum vota consenserant, Nico„lao Papæ probata fuisset; seque Joannes in „Episcopum postulari animadverteret: tanti „oneris metu correptus ad Dominicanos confu„git, teste Stephano de Sampaio & Chronogra„pho S. Victoris, sumptoque habitu, apud eos „decessit. Idipsum testatur Guillelmus de „Naugiaco in Libro De Gestis Philippi III. „*Magister Joannes de Aurelianis*, inquit, *Cancella„rius Parisiensis per Papam Nicolaum ad Episcopa„tum Parisiensem promotus, seculo valefaciens totum „dimittit, & in domo Fratrum Prædicatorum Parisius „religionis habitum assumens, pauper ibidem cum „pauperibus devotè Domino famulando hujus vita „peregit incolatum.* Idem testatur Joannes a S. „Victore sic scribens, *Hoc anno M. Joannes Au„relianensis, Cancellarius S. Mariæ Parisiensis, in„travit Ordinem Fratrum Prædicatorum Parisius, „cùm post obitum Stephani Episcopi Parisiensis, de „mandato Papæ, ei fuisset collata dignitas Episcopatus „Parisiensis.*" Vixit ille dudum in Ordine FF. Prædicatorum, nam cum aliis Ordinis sui Fratribus, anno 1303. appellationi ad Concilium Generale per Philippum Pulchrum contra Bonifacium VIII. interjectæ, adhæsit & subscripsit. Vide citatam etiam Historiam Vniversitatis Parisiensis *in Catalogo illustrium seculi XIII. Academicorum* pag. 697. verbo *Joannes de Allodio*. Fratres Sanmarthanos tom. I. *Gallia Christiana* in Archiepiscopis Parisiensibus, ubi de electione *Ranulphi de Hombloneria seu Normanni* in Parisiensem Episcopum, loquuntur.

1260 RANVLPHVS DE HOMBLONERIA, PARISIENSIS EPISCOPVS, natione Normannus, & vulgò *Ranulphus Normannus* dictus, claruit ob scientiam in Theologicis ab anno 1260. ac deinceps, unde ob meritum vitæ & doctrinæ factus est aliquanto post Canonicus Beatæ Mariæ Parisiensis. Scripsit pro more hujus temporis anno 1274. Magister Ranulphus Normannus Canonicus Parisiensis *Summam quodlibeticam de rebus Theologicis*, quæ inscribitur: *Quodlibet M. Ranulphi Normanni Canonici Parisiensis, de natali anno Domini 1274.* Incipit autem, *Quærebantur quadam de Deo, quædam de Angelo, quædam de Christo, quædam de homine puro &c. De Deo quærebantur tria &c.* Tractatus alter prolixior sic incipit, *Quædam quæruntur de Deo, quædam de Angelo, quædam de Christo, quædam de homine puro &c. De Deo quæruntur duo. I. Vtrum Deus ab æterno potuerit intelligere vel intellexerit aliud à se, quod non videtur. Quod non erat nec in re, nec in intellectu, non potuit intelligi. Sed ab æterno nec in re, nec in intellectu, erat aliud à Deo &c. Ergo &c.* Hi duo Tractatus habentur MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, cum Operibus Gualteri Prioris de S. Victore, Littera I. I. II. In hoc autem ultimo Tractatu, meminit Magistri Henrici Tornacensis Archidiaconi, vulgò *Gandavensis* dicti, his verbis. *Quæstio est M. Henrici Archidiaconi Tornacensis, utrum in Deo sit compositio ex actu & potentia? Quantum ad hoc est, dicit quod non. Quia omne compositum ex actu & potentia, ab aliquo alio à se informabile, vel alterius rei à se informativum. Sed Deus à nullo à se est informabile, cùm sit actus simplicissimus, perfectissimus: & à nullo dependet, cum non sit ipso aliquid dignius nec majus. Item nullius est forma, quia ipse Deus alicui rei à se potest inhærere.* Agitat quoque hanc quæstionem, an Magistro in Theologia liceat in Philosophia quoque & in aliis litteris liberalibus studere, quæ de re sic habet. "Si Magister sacræ Scripturæ studeat" in scientia Philosophica, ut eam ordinet ad" scientiam pietatis, non peccat. Est autem" scientia pietatis secundum Hieronymum Dist." 37. cap. Si quis, *Grammaticam nosse, legere Scri*"*pturas & intelligere prophetias, Evangelia tradere,*" *Apostolos non ignorare, ad quas Scientia Philoso*"*phica multum valent.* Si autem legat ad vo" luptatem vel ornatum verborum, peccat; & hoc" est quod habetur Dist. 37. cap. Cur ergò, ubi" dicitur, *Quod quidam seculares litteras legunt ad*" *voluptatem, Poëtarum figmentis & ornatu verborum*" *delectantur: quidam verò eas ad eruditionem ad*" *discunt, ut errores Gentilium legendo detestentur, &*" *utilia quæ in eis inveniuntur, ad usum sacræ eruditio*"*nis convertant. Et tales laudabiliter seculares litte*"*ras addiscunt, sicut dicitur ibidem. Ex hoc patet,*" *quod studere in scientia Philosophica, non est per se*" *malum Magistris Sacræ Scripturæ, quamvis ratione*" *alicujus circumstantiæ possit esse malum.*" Successit Ranulphus anno 1279. Stephano Templario, in Episcopatu Parisiensi, pro cujus electionis confirmatione Nicolaus III. Papa commen-

mendatitias ad Regem litteras dedit. Immediatè tamen Stephano non ſucceſſit, ſed ordini de Sancto Dionyſio electo de quo ſic Joannes de Sancto Victore *in Hiſtoria* ſua ad annum præfatum. *Eodem tempore Magiſter O o de Sancto Dionyſio vir magna ætatis & profunda ſcientiæ, electus eſt in Epiſcopum Pariſienſem, curiamque Romanam ob hoc petiit, ſed inefficax redlit, propter ſenii debilitatem & manuum tremorem refutatus à Papa.* Et poſteà, *Ranulphus natione Normannus, Magiſter in Theologia, factus eſt Epiſcopus Pariſienſis.* Inſtitutor fuit Feſti Conceptionis B. Mariæ Virginis & Benefactor Eccleſiæ, referente Necrologio. Eſt autem in Chartulario Epiſcopali diploma ejusdem, anni 1280. quo Abbatiſſæ Hederacenſi jurisdictionis Epiſcopalis, mandavit ut Floriæ puellæ primum locum Monialis in Monaſterio vacaturum conferret. Dedit & anno 1282. facultatem Congregationi Cæcorum Pariſienſium, celebrandi divina in Oratoria Feodi ſui, qui eodem anno alteri ordinationi ad augmentum Religioſarum de Gerciaco, aſſenſum præbuit apud Sanctum Clodoaldum. Legitur & in Paſtorali Pariſienſi, fundatio ejusdem Præſulis, facta anno 1288. die Veneris poſt Feſtum Beati Dionyſii, in memoriam Stephani Templarii prædeceſſoris ſui, quæ Ranulphi probitatem & magnanimitatem probant. H bent plura *de Ranulpho de Homblonería* ſeculum V. Hiſtoriæ Vniverſitatis Pariſienſis, ad annum 1274. fol. 410. & ad annum 1279. fol. 447. Sammarthani Fratres *in Gallia Chriſtiana* tomo 1. pag. 449. & ſeq. *in Archiepiſcopus Pariſi uſibus.*

1260 EVERARDUS PRIOR SANCTÆ CATHARINÆ DE CULTURA, ex Ordine vallis Scholarium, dictus *de Vileleuis* unde oriundus erat, pago agri Pariſienſis, Magiſter Sacræ Theologiæ in Academiâ Pariſienſi, primus fuit ex iſto Ordine, qui Doctoralem lauream in Scholis Pariſienſibus obtinuit, clarus ab anno circiter 1260 & ſeqq. Anno enim 1267. menſe Martio nomen ejus ſcriptum reperitur in tabulis Prioratus Sanctæ Catharinæ Pariſienſis, de Cultura nuncupati, in inſtrumento ſeu Gyrographo, quo tanquam Prior hujus Collegii ſeu Prioratus, beneficii accepti memor, largitur annuatim duos frumenti modios duabus piis fœminis in ſe ſuumque Monaſterium beneficis, in compenſationem, durante vitâ ipſarum. Scripſit autem *Sermonum De ſauſtis & feſtivitatibus per annum volumen*, quod extat MS. in dicti Prioratus S. Catharinæ Bibliotheca, ubi à me inſpectum eſt. Hic titulus minio ſcriptus extat, *Incipit Summa de Feſtis, quam fecit Frater Evrardus Prior Beata Catharina Pariſienſis, Ordinis vallis Scholarium, Magiſter Theologicæ Facultatis &c.* Incipiunt Sermones à Feſto omnium Sanctorum his verbis: *Lætabor ego ſuper eloquia tua. Lætandum eſt triplici ratione, 1. quia ſuas animas caſtas facientia &c.* Idem opus Sermonum de Sanctis, MS. in Codice optimæ notæ, apud Bibliothecam Regii Collegii Navarrici Pariſienſis. Et in Bibliotheca S Benigni Divionenſis Cod. 187. inſcriptum, *Summa Sermonum de Feſtis totius anni, Fratris Evrardi Ordinis Vallis Scholarium.* Itemque in Bibliotheca Claræ vallis Ordinis Ciſtercienſis, eodem modo inſcriptum, ut de illis ambigere nullus merito audeat. Creditur vixiſſe usque ad annum 1280. cujus nullus quem noverim, meminit.

GERARDUS DE FRACHETO, qui & à patria *Gerardus Lemovicenſis* vocatur, Ordinis Fratrum Prædicatorum, poſt annum circiter 1250. claruit. Scripſit juſſu Humberti Ordinis ſui Generalis Magiſtri, qui ad hanc dignitatem anno 1254. elatus huic tandem voluntarius anno 1263. ceſſit. *Libros quinque De Origine ac Viris illuſtribus Ordinis Fratrum Prædicatorum*, quibus Humbertus Generalis cognomento de Romanis præfationem tantum addidit, impreſſos primum Lugduni anno 1585. & Ingolſtadii 1591. denique Duaci anno 1619. Extabat MS. in Monaſterio Rubræ vallis apud Bruxellas, Duaci apud FF. Prædicatores & alibi, quod nec tum Dominicanorum cura typis eſſe divulgatum, immerito obſtupuit Miræus *in Chronico* ad annum 1257. quo Gerardo huic injunctum fuit ut Opus iſtud componeret, de mandato Humberti V. Magiſtri Generalis hujus Ordinis & Comitiorum Generalium. Conſummatum autem videtur circa annum 1260. cum illos Humbertus præfatione ſua tanquam Magiſter Generalis approbaverit, qui oneri anno 1263. renuntiaſſe dicitur. Hæc ratio cur à nonnullis Opus iſtud *Humberto* attributum ſit, maximè autem à Theodorico de Apoldia, qui anno 13 o. vixit, & in Præfatione Librorum Octo *De Vita Sancti Dominici* ſic ſcribit: *Succedens ſanctus pater Humbertus, Magiſter Ordinis quintus, ex prædictis tertiam conflans Legendam, multis ſuperadditis, non modicum ampliavit. Qui etiam Librum qui Vitas Patrum dicitur, ſua devotione & diligentia compilavit.* Idem ſimiliter ſenſit Jacobus Philippus Bergomas *in Supplemento Chronicorum* Lib. XIII. ad annum 1252 & Antonius Senenſis in Bibliotheca Scriptorum ſui Ordinis. Idem quoque Gerardus ſcripſit *Chronicon ab initio mundi uſque ad coronationem Caroli Franci in Regem Sicilia anno 1266.* quod vidi MS. in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Remenſis Cod 281. inſcriptum: *Chronicon Fratris Gerardi de Frachito, Ordinis Fratrum Prædicatorum. In principio temporis ante omnem diem, Deus Pater in Verbo, & per Verbum ſuum fecit ex nihilo rerum omnium materiam &c.* Idem inter MSS. Codd. Bibliothecæ Carmelitarum Diſcalceatorum Claromontenſium in Arvernia Codice 74. qui inſcribitur *Chronica F. Geraldi de Fraſch & Ordinis Prædicatorum.* Idem olim MS. in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis, quod impudens aliquis ab hac Bibliotheca abſtulit, ut ex veteri Catalogo conſtat. Obiit anno 1271. die quarta Octobris

bris in Conventu suo Lemovicensi ætatis 66. professionis 46. De quo loquitur Possevinus *in Apparatu sacro*. Aubertus Miræus in Auctoribus paucis, ad suum Auctarium *De Scriptoribus Ecclesiasticis* additis. Bernardus Guidonis in Historia *De fundatione & progressu Conventus Lemovicensis Fratrum Prædicatorum*. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicanorum Scriptorum* ad annum 1267. pag. 23. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 102.

1260 JOANNES GUALENSIS seu WALLENSIS, natione Anglus, Philosophus ac Theologus Ordinis Fratrum Minorum, claruit anno 1260. & sequentes juxta communem sententiam. Scripsit multa, quorum aliqua impressa sunt, alia in Bibliothecis potissimum Anglicanis adhuc latitant. Indicem prolixum istorum *Joannis Gualensis* Operum ex Pitseo subjicit in sua *Bibliotheca Ordinis Minorum* Lucas Vuadingus pag. 199. quem scimus scatere multis mendis. Nam idem & unum Opus *Galensis* affert in Catalogo sub quatuor aut quinque titulis, quasi quatuor aut quinque Opera distincta sint, quod nobis corrigendum incumbit. Porrò ad istum annum 1260. vel circiter hunc *Joannem Gualensem* collocavimus ex communi potius sententia quàm ex propriâ, ego enim post Lucam Wadingum ibidem censeo ad annum 1360. vel circiter collocandum. Audiamus Lucam Wadingum, cujus sententia mihi plurimum arridet, ac quasi demonstrativa videtur. „Ego (inquit) Joannem Valensem „Anglum Londini docentem invenio in regesto „Vaticano, Doctoratus laureâ donatum à Bern„ardo de Guasconibus Ministro Tusciæ, idque „authoritate Pontificiâ anno 1368. Si hic ille „est, oportet mendum esse in notis numerorum „apud Pitseum & Willotum, & pro 1260. substi„tuendum 1360. Et quidem Possevinus eum „vixisse scribit anno 1300. aliumque affert Joan„nem Gualensem Juniorem anno 1346. qui scri„psit *Lecturam in libros sententiarum & librum al„terum Disputationum*. Fortassis hic ille est, cui „Doctoratum conferri jussit Urbanus V. anno „1368. Ego puto utrumque seniorem junio„remque unum & eundem esse Joannem, duos„que ab authoribus Gesnero, ejus abbreviatore „Possevino & Pitseo, ex temporum confusione „fuisse reputatos. Ita cum judicio Wadingus, licet alii omnes ad annum 1260. assignent, ut Pitseus in Opere *De Scriptoribus Angliæ*, & Gesnerus. At Possevinus *in Apparatu sacro* tomo I. pag. 878. verbo *Joannes Galensis* & pag. 951. verbo *Joannes Valeis* ad annum 1270. allegat, cum Willeto *in Athenis Franciscanis*. Licet idem Possevinus pag. 890. verbo *Joannes Gualensis*, illum anno 1300. collocet, atque alterum anno 1346. ut tradit Lucas Wadingus. Extiterunt in Anglia tres Gualenses, quorum I. Joannes Gualensis Ord. Minorum per vitam omnem Tractatibus moralibus emittendis in lucem incubuit. Secundus Thomas Jorsius vel Gualensis & Anglicus, Commentariis in S. Scripturam & Opuscula quædam Sanctorum Patrum mentem apposuit, factus Ordinis Prædicatorum. Tertius Ordinis ejusdem, dictus Thomas Wateys, Sermonibus & Quæstionibus Scholasticis delectatus, extra hanc Sphæram non excessit. Narrat Cæsar Egassius Bullæus seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium pag. 695. ipsum relictis Oxoniensibus Scholis Parisiensem accessisse academiam, ubi tantam studiis diligentiam & operam adhibuit, ut *Trismegistus & arbor vitæ* testibus Trithemio & Balæo appellaretur, quorum testimonia suspectæ mihi fidei sunt. Addit idem Cæsar Gualensem ibi diu Theologiam maximo auditorum suorum applausu docuisse, ac Minoritarum sumpsisse habitum & paupertatem. Sit in Gymnasio Parisiensi docens, *arbor vitæ* appellatus: fuit etiam ille Jurisconsultus nobilis. Antonius Augustinus Tarraconensis in Hispania Archiepiscopus collegit anno 1575. antiquas *Collectiones Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum* Ilerdæ 1576. in folio impressas, & postea Parisiis anno 1609. apud Sebastianum Cramoisy, quarum prima est *Bernardi Circa Papiensis*, secunda *Joannis Gualensis seu Walensis*, tertia *Petri Beneventani*, quarta & ultima *autoris anonymi*, ut idem Augustinus in suo Prologo docet. Verum alium esse hujus Opusculi parentem, Joannem Gualensem natione Italum, Volaterranum, vult opinio quædam senior, qui antiquior Franciscano, sub Papa Cœlestino 3. floruerit. Idem scripsit *Ordinarium* sive *Alphabetum vitæ Religiosæ*, in tres partes distinctas, cujus prima pars *Diatarium*, secunda *Locarium*, tertia *Itinerarium* dicitur. Item *Breviloquium de Philosophia dignitate, ejusque abusu*. *Breviloquium de quatuor Cardinalibus virtutibus antiquorum Philosophorum & Principum*. *Compendiloquium de Vitis illustrium Philosophorum*. *Margaritam Doctorum*, seu *Communes locos ad omnium generum argumenta*, sive *Summam de regimine vitæ humanæ*: quæ omnia Opuscula prodierunt in folio Lugduni anno 1511. Porrò *Summa Collationum* ejus prodiit Parisiis anno 1516. in 4. quæ an speciale opus à præfatis sit, examinari potest. Ita putavit quidem Guillelmus Cavus, qui illius ut distincti Operis meminit *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1260. pag. 731. Habetur autem hæc *Summa Collationum vel Collectionum* ejus, in Bibliotheca Fratrum Minorum Aræ cœli sub *Joannis Gualensis* nomine, ita inscripta: *Summa Collectionum*, opus varium de re publica, re historica, & Theologica, cujus illic duo vetusta MSS. exemplaria sunt. Incipit, *Cum Collectionis hujus quæ potest dici Summa Collectionum, sint septem partes &c.* Hæc Wadingus. Sed ego dum hæc scribo Parisiis, habeo MS. Codicem optimæ notæ hujus operis in Bibliotheca celeberrima Sancti Victoris Littera

LL.

LL. 15. fol. 1. & alterum quem ex Bibliotheca eductum scio Choletana, ubi habetur Cod. 57. tertium denique quem mutuò accepi ab amico nostro Philippo Despont, qui procuravit ultimam editionem *Maxima Bibliotheca* Veterum Patrum, Lugduni anno 1677. apud Anyssonios Fratres. Incipit ut habet Codex à Luca Wadingo exhibitus, *Cum Collectionis hujus, qua potest dici Summa Collectionum, sint septem partes &c.* Tum Syllogen omnium partium, distinctionum & Capitum in singulis distinctionibus contentorum summariam exhibet, postquam sequitur Prologus Operis, quod incipit: *Cum Doctor sive predicator Evangelicus, sapientibus & insipientibus debitor sit, Salvatore demandante eidem &c.* Post prologum sequitur prima & maxima pars Operis quæ est *De Republica* cujus initium, *Et quoniam Respublica ut dictum est, velut quoddam corpus compaginatum ex membris est &c.* Inde patet opus istud seu *Summam Collectionum* esse unum & idem cum præcedenti quod Lucas Wadingus appellat *Communiloquium & De regimine vita humana libris 7.* incipiens, *Cum Doctor sive Prædicator Evangelicus &c.* quod nos suprà diximus editum sub titulo *Margarita Doctorum*, quam Lucas Wadingus testatur prodiisse anno 1496. Venetiis cum hoc initio, *Quoniam Respublica &c.* Eadem *Summa Collectionum Fratris Joannis Gualensis Ordinis Fratrum Minorum*, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana Cod. 123. & Domus Sancti Petri Codd. 12. & 18. & ibidem in Bibliotheca Publica Cod. 33. *Frater Joannes Vualensis de Republica:* de quibus omnibus titulis, Pitseus *De Scriptoribus Angliæ*, & Lucas Wadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 210. quamvis ad idem Opus spectent. Sed Codex MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus S. Petri Cod. 89 inscriptus, *Summa Justitia* vel *Tractatus de septem vitiis Joannis Gualensis*, cujus initium *Summa Justitia &c.* aliud à prædictis opus esse potest, licet affirmare nolim, possintque experiri & conferre, qui habent Opera impressa *Joannis Gualensis seu Wallensis.* Eadem MS. in Bibliotheca Conventus Assisii, duplicata, ut habet Lucas Wadingus. Sub nomine Joannis Gualensis aliud ejusdem opus videtur, quod inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 789. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Wigorniensis Codice 114. num. 12. *Joan Wallensis Ord. Prædicatorum* (lege *Minorum*) *Summa de Confessione.* Ibidem Codice 8176. in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ Codice 454. *Joannes de Waleys Summa de Pœnitentia.* Denique inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1745. in MSS. Codd. Domus S. Petri Codice 83. *Manipulus Florum, quem inchoavit Jo. Gualensis, qui anno 1260. floruit, ejusque morte imperfectum absolvit & locupletiorem reddidit Thomas de Hibernia, qui anno 1290. claruit.* Ibidem Codice 1741. in MSS. Codicibus ejusdem Domus S. Petri Codice 79. *Manipulus Florum* sive Extractiones Originalium, editæ à Magistro Tho. de Hibernia socio de Sorbona. Inchoavit Joannes Walleys, absolvit Thomas de Hibernia. Ejusdem *Expositiones seu Moralitates Fabularum Ovidii*, impressæ Parisiis anno 1509. apud Jodocum Badium Ascensium, qua MSS. quoque Cantabrigiæ in Domo Sancti Petri Cod. 12. Ejusdem *Postilla in Evangelium Joannis*, quæ incipit, *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila ? &c.* quam testatur Lucas Wadingus haberi MS. Romæ in Bibliotheca FF. Minorum de Ara cœli. Ejusdem *Postilla in Apocalypsim S. Joannis* Lib. 1. qui incipit, *Legimus apud Eusebium &c.* quam vidi MS. anonymam in Regia Galliarum Bibliotheca. Verum hi omnes Commentarii spectant ad Thomam Jorsium sive Joycium, dictum Gualensem & Anglicum, qui Commentariis ejusmodi adornandis vitam consumpsit non Joannes Gualensis. Denique ejusdem *Joannis Gualensis Liber De origine, progressu & fine Mahumetis & quadruplici reprobatione prophetia ejus*, qui incipit, *Ad ostendendum quod Mohametes non fuit Dei prophета &c.* impressus in 8. Coloniæ in Germania anno 1551. apud Martinum Gymnicum, cujus unum exemplar mihi ex Bibliotheca Colbertina exhibuit Stephanus Baluzius illius custos. Josias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Gesneri* quam anno 1574. Tiguri in folio edendam curavit, verbo *Joannes Galensis Anglus* pag. 370. col. 1. aliam hujus Opusculi editionem refert his verbis: „ Joannes Galensis Anglus scripsit librum *De origine & progressu & fine Mahumetis, & quadruplici reprobatione Prophetia ejus*, excusum Argentinæ anno Domini 1550. apud Jacobum Jucundum. Georgius Fabricius, qui eum in dissipatis bibliothecis inventum edidit, in Præfatione & alios ejusdem authoris libros à Trithemio & Jacobo Philippo Bergomate omissos recenset, ut *De vita & moribus Philosophorum libros X. Collationum* seu Locorum communium ex sacris prophanisque authoribus libros VII. Argentorati anno 1550. à Jacobo Jucundo impressos, & Parisiis anno 1516." Hæc Josias Simlerus loco citato. Eidem Joanni Gualensi attribuit Lucas Wadingus *Tractatum de oculo morali*, quem Theophilus Raynaudus edidit Lugduni anno 1641. inter Opera *Raymundi Jordani*; qui anteà sub nomine Idiotæ latuerat. Asseritque sibi esse promissum à Theophilo Raynaudo, *se quantocius curaturum, ut hic libellus integer prodiret & suo restitueretur authori, quo beneficio nostros sibi strictiori vinculo devinceret*, inquit Wadingus. Sed promissis suis non stetit Theophilus Raynaudus, qui suam primam sententiam tenuit in altera editione Operum *Raymundi Jordani*, facta in 4. Parisiis anno 1654. apud Jacobum Quesnel, via Jacobæa sub signo cochleæ & columbarum. Agit de Joanne Gualensi & Thoma Gualensi, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. cap. seu num. 174. pag. 232. Joannes Balæus *De Scriptoribus Angliæ*, cum aliis Josias Simlerus

in Epitome Bibliotheca Gesneri quæ in folio Radulphus Bockingus Tiguri anno 1574. impressa est, verbo *Joannes Gualensis Anglus* pag. 370. col. 1. & verbo *Joannes Valeis natione Anglus*, pag. 423. columna 1. Hæc habui dicenda de Scriptis *Joannis Gualensis*, quem Cæsar Egassius Bullæus seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis* pag. 695. in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, collocat ad annum 1260. Idemque Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58 pag. 475. ultimæ editionis. Sed Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Autborum* quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 121. duos Joannes Gualenses distinguit, unum Seniorem, quem anno 1260. alterum Juniorem, quem anno 1346. floruisse scribit, Lucam Wadingum quodammodo sequutus.

1260 RADULFUS BOCKINGUS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, natione Anglus, patriâ Cicestrensis, claruit post annum 1260. composuitque *Vitam S. Richardi Cicestria in Anglia Episcopi* qui ultimam diem obiit anno 1255. die 3. Aprilis, *Libris duobus* prolixis, quos habes impressos apud Bollandistas *in Actis Sanctorum probatis* ad diem 3. Aprilis tomo 1. hujus mensis pag. 282. Hunc sui Ordinis Scriptorem nescivit Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* quam conscripsit. Sed illius meminit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 475. editionis ultimæ. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Autborum* quem præfixit *Glossario media & infima Latinitatis* columna 140. semel atque iterum, ubi anno 1270. floruisse illum asserit.

1260 ELIAS DE TRICKINGHAM natione Anglus, Monachus Ordinis divi Benedicti in Cœnobio Petroburgensi, hac floruit ætate, cujus *Annales* ab anno 626. ad annum 1268. habentur inter MSS. Codices Ecclesiarum Hiberniæ, in MSS. Codicibus Henrici Clarendoniæ Comitis, Hiberniæ Proregis, Codice 1. num. 2. Præfixa est Chronico Brevis comparatio de sex mundi ætatibus. Principium, *Ab origine mundi in prima parte seculi secundum Hebraicam veritatem, computantur anni mille sexenti quinquaginta sex &c.* Incipit Chronicon ab An. 626. explicit ad Annum 1268. in folio. Mentionem facit hujus Scriptoris Johannes Balæus *De Scriptoribus Anglicis*, ad annum citatum, pag. 320. Gerardus Johannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* c. 58. p. 476. ed. ult.

1260 JOANNES DE HOVEDEN natione Anglus, anno quoque 1260. mihi claruisse videtur, Sacellanus enim extitit Eleonoræ Reginæ, matris Eduardi Primi, qui regnum Angliæ anno 1274. non fine contentione obtinuit: Scripsit Opuscula varia *versibus rythmicis* ad pietatem plurimum conducentia, quæ adhuc MSS. extant in Anglicanis Bibliothecis. Nam inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2000. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera B. Codice 14. num. 1. *Johannis Hoveden Speculum Laicorum.* Item inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 29. in MSS. Codicibus Collegii Universitatis, litera B. Codice 29. num. 1. *Speculum Laicorum per Johannem Hoveden.* Idem opus inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarū Cod. 1081. in MSS. Codd. Cathedralis Sarisburiensis litera S. Codice 155. num. 3. Et ibidem Codice 6561. in MSS. Codicibus Cl. Caroli Theyerii, Codice 191. num. 1. *Johannis Hoveden Speculum Laicorum.* Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1353. in MSS. Codicibus Collegii divi Benedicti Codice 76. *Rosarium Iohannis Hoveden, de Nativitate, Passione & Ascensione Iesu Christi, Gallicanis metris.* Idem opus *Philomela* inscriptum, in MSS. Codicibus Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Cleopatræ Codice 12. num. 9. *Philomela, versus rythmici per Iohannem Hovedenum Capellanum Alionoræ, Reginæ, matris Eduardi I.* id est *Canticum pium de planctu animæ, sub nomine avis istius.* Item sub effigie Neronis litera C. Codice 9. num. 18. Libellus qui *Philomela* dicitur, sive *Meditatio Ioannis de Hoveden, Clerici Alionoræ, Reginæ Angliæ, matris Regis Edwardi, de nativitate, passione & Resurrectione Domini Salvatoris edita.* Num. 19. 20. 21. 22. 23. 24. & 25. alia ejusdem, omnia versibus rythmicis. Opinor esse hæc eadem Opuscula, quæ habentur inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1343. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera I. Codice 3. num. 1. inscripta *Hymni varii Ioannis de Hoveden.* Mentionem hujus Scriptoris facit Thomas Smithus Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter *in Catalogo MSS. Codicum* Cottonianæ Bibliothecæ, Oxonii 1696. in folio edito, p. 55. & 136.

GILBERTUS SEU GUIBERTUS TORNACENSIS, ex Ordine Fratrum Minorum, celebris suâ ætate Theologus Parisiensis, florebat anno 1260. & sequentibus. Hujus mentionem facit Henricus Gandavensis in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 54. affirmans eum scripsisse *Hodegoricon prima profectionis pia memoria Domini Ludovici Francorum Regis ad transmarinas partes:* quod opus intercidisse creditur, vel alicubi etiamnum latet. Scripsit jussu Joannis Tornacensis Episcopi *Vitam Sancti Eleutherii primi Tornacensium Apostoli*, quam edidit Joannes Bollandus *in Probatis Sanctorum Vitis* ad diem 20. Februarii, Tomo 3. pag. 196. quæ jam edita fuerat in Appendice seu Tomo XV. *Bibliotheca SS. PP.* Coloniensis editionis 1618. pag. 167. ab Andrea Schotto Societatis Jesu, unà cum *Sermonibus IV.* sub S. Eleutherii Episcopi Tornacensis ficto nomine quos idem Guibertus confinxit, uti supra jam in *Eleutherio* ad annum 490. & *Henrico Tornacensi Canonico* ad annum 1140. diximus. Idem scripsit Opus *Sermonum de tempore & de Sanctis*, quos olim Parisiis lingua Latinâ concionatus fuerat, dum illic moraretur, impressos quos vidi Parisiis anno 1518. in 8. Vidi 1260

MS. in Bibliotheca Alnensi Ordinis Cisterciensis juxta Thuinum in Belgio, extatque etiam MS. Cantabrigiæ in Collegio Domus Sancti Petri Codd. 63. & 87. ubi perperam appellatur *Gilbertus de Torreno*, & *Guibertus de Tornadia*. Hos *Sermones de Dominicis & de Sanctis*, Alexandro IV. Summo Pontifici, qui eum ad scribendum incitaverat, obtulit: opus quod septuaginta duos sermones continet. Primus prologus incipit, *Rogatus plures ut sermones quosdam quos ad Clerum Parisiensem Latina lingua predicaveram &c.* Secundus Prologus, *Sanctissime Pater &c.* Extant autem hi Sermones MSS. *De Dominicis & de Sanctis* plusquam 72. in Codice MS. insigni Bibliothecæ Parisiensis Choletanæ, quem tenui, incipientes ab his verbis, *Rogatus pluries ut sermones &c.* Item in Bibliothecis Claræ Vallis ac Pontigniaci Cisterciensis Ordinis, *Guiberti de Tornaco Sermones Festivales*. Et apud Auream Vallem ejusdem Ordinis, Cod. MS. 71. *Sermones Guiberti Tornacensis ad omnem statum*, quorum titulus tamen fallere videtur, ut statim dicam. Denique in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis Cod. MS. 186. extant Sermones Miscellanei varii de Dominicis, Festis & aliis rebus, collecti ex variis Authoribus, Joanne de Aurelianis Cancellario Parisiensi, Guiberto de Tornaco, Joanne de Verdy, Francisco Bonæfortunæ, Guillelmo de Luschy, Nicolao Meldensi, & aliis quorum nomina reticentur. Idem Guibertus condidit Tractatum *De Officio Episcopi & Ecclesiæ Ceremoniis*, & Opusculum *De pace & tranquillitate animi*, quæ habentur seculo XIII. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & Lugdunensis anni 1677. apud Anissonios tomo XXV. pag. 378. Hæc de impressis. Scripsit autem & *Sermones septem in Orationem Dominicam* qui incipiunt, *Cum pius mundi factor & Redemptor humana conditionis lagenam lucerna Deitatis intus absconditam suscipiens &c.* qui habentur MSS. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis num. 746. anonymi. Itemque *Sermones in Salutationem Angelicam*, MSS. Coloniæ apud Fratres Minores. Vidi olim sub nomine hujus *Guiberti Tornacensis Minoritæ Libellos duos Miraculorum Sancti Blasii Episcopi & Martyris*, interventu ejus apud Viconienses patratorum: quorum ferme quarta pars lacerata fuerat incuria atque ignorantia nostrorum Viconiensium, unde pars reliqua passim & ubique truncata, me præsente flammis donata est. Attribuit ei Lucas Wadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 146. *Sermones De statibus hominum variis*, quos vult Lovanii, Lugduni & Parisiis fuisse impressos, & incipere, *Elegi David servum meum &c.* itemque Opusculum *De voto*, sed fallitur. Nam utrumque Opus non *ad Guibertum Franciscanum*, sed ad *Humbertum Dominicanum* certò spectat, sub cujus nomine Opuscula ista impressa sunt, teste ipso Possevino *in Apparatu Sacro* tomo 1. pag. 774. verbo *Humbertus familia Romanus*: ubi tradit *Catalogum seu seriem sermonum ejusmodi, ad omne generis hominum pertinentium*, qui cum multos ante annos excusi fuissent, neque verò jam extarent, iterum Venetiis operâ Hieronymi Joanninii è Capuniano, Ord. Prædicatorum impressi sunt, additâ ipsius Humberti Vitâ, & *Epistola de tribus votis & de aliis quibusdam exercitiis*, anno 1603. apud Marcum Antonium Zalterium. Adscribit illi idem Wadingus loco citato, Opusculum *De verbis Domini in Cruce*: sed constat spectare illud ad Arnaldum Bonæ Vallis in Carnutibus Abbatem, Ordinis divi Benedicti, sub cujus nomine, sæpe impressum est. Agunt *de Guiberto Tornacensi* Antonius Possevinus. tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 694. & latiùs in Appendice ad dictum tomum. Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 146. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica pag. 303. editionis 1643. Lovanii in 4. Seculum V. *Historia Universitatis Parisiensis* pag. 682. in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi Ludovicus Ballius *in Bibliotheca Concionatorum* Parisiis in 4. anno 1666. apud Joannem de la Caille, parte 3. cap. 37. *De Gilberto Tornacensi Ordinis Minorum* pagina 159.

GVILLELMVS AFFLIGHEMENSIS ABBATIÆ PRIOR, Ordinis divi Benedicti Monachus, florebat anno 1260. qui præter alia literis commendavit *Vitam Sanctæ Lutgardis Monialis de Aquiria*, quæ Affligemii MS. extat. Hujus meminit Antonius Sunderus *in Bibliotheca Manuscriptorum* parte 2. pag. 149. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 482. editionis ultimæ, ubi eum anno 1260. assignat. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* pag. 305. editionis 1643. Lovanii in 4. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 106. quem malè ad an. 1160. refert, nisi typographiæ sit mendum. 1260

IVSTINVS LIPPIENSIS circa annum 1260. & sequentes florebat, qui condidit *Lippiflorium Chronicon* seu *Lippiense*, carmine elegiaco sane eleganti, pro temporibus quibus vixit. Dicavit hoc *Lippiflorium* suum Simoni primo hujus nominis Episcopo Paderbornensi, qui anno 1274. obiit, ut est apud Gasparem Bruschium. Agit eo *de Comitatus Lippiensis* primordio, ac gesta aliquot Comitum Lippiensium exponit, imprimis verò *Bernardi Comitis*, qui post bella fortiter gesta, Monachus factus est. Prodiit Francofurti in 4. anno 1620. unà cum Chronico Hermanni Lerbekii, quem primus Scriptorem in lucem edidit Henricus Meibomius Lemgoviensis. Extat quoque hoc Opusculum *in Collectaneo Historicorum Germaniæ* Henrici Meibomii 2. in folio Voluminibus Lipsiæ anno 1688. apud Fridericum Gleditsch, Tomo I. pag. 578. cum eodem Hermanno de Lerbeke pag. 495. De *Justino* isto Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. 1260

De

De Historicis Latinis cap. 59. pag. 481. editionis ultimæ. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 126. Henricus Meibonius junior Tomo I. *Germanicarum rerum* pagina 576.

1260 STEPHANUS DE SALAGNACO, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Conventus Lemovicensis in urbe ipsa constituti, circa an. 1260. clarus, composuit Opusculum *De quatuor rebus quibus specialiter Deus Ordinem Prædicatorum insignivit: nimirum de bono & strenuo duce, de illustri & nobili prosapia, de glorioso nomine, de modo professionis.* Extat opus Mediolani inter Monumenta Patrum in Conventu Gratiarum. Teste etiam Jacobo Philippo Thomasino, qui Utini in 4. 1650. edidit Catalogum Bibliothecarum Venetarum Publicarum & Privatarum, extat inter MSS. Codices Bibliothecæ Sanctorum Joannis & Pauli, *Tractatus De institutione Ordinis Prædicatorum Fr. Stephani de Salagnach &c. usque ad annum 1233.* 4. in membrana. Obiisse legitur anno 1290. cujus mentionem faciunt Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Stephanus de Salanacho.* Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 1245. num. 22. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1290. pag. 64. & in Appendice ad eundem annum pag. 459. Joannes Bollandus tomo I. mensis Martii pag. 655. Joannes Malvenda *in Annalibus Prædicatorum* ad annum MCCXL. quædam ex Stephano de Salanaco adducit. Item Godefridus Henschenius Soc. Jesu *in Probatis Sanctorum Vitis* anno 1688. tomo VII. Maji mensis ad diem XXIX. ubi agitur *De Sanctis Martyribus Inquisitoribus*, num. I. cujus verba profert num. 2. & 3. ex MS. Codice Conventus Gratiarum. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 149. ubi cum anno 1290. collocat, quo mortuus dicitur. Stephanus Baluzius *in Additionibus* quas adjecit ad Notas à se factas *De Vitis Paparum Avesionensium* Tomo 2. col. 1411. ubi *Stephanum de Salagnaco* observat, ultra annum MCCLXXVIII. non processisse, quo scribebat.

1270 PETRUS DE TARENTASIA, INNOCENTIUS PAPA V. dictus, ab aliis Longobardus, ab aliis Burgundus creditus, Tarentasiæ prope vallem Moriennam natus, Ordinem Fratrum Prædicatorum anno 1224. ingressus Parisiis, illic in Academia Theologicis studiis incubuit, ubi tandem ob raram doctrinam cathedræ Theologicæ præfici meruit. Anno 1263. in Capitulo Generali Lugduni celebrato, Vicarius Generalis Ordinis & Galliæ Provincialis renunciatus est. Prolixi ejus *Commentarii in 4. Libros* sententiarum editi Tolosæ anno 1652. ex Manuscripto Codice Bibliothecæ Conventus Sancti Thomæ Aquinatis, prælo & charta pessimis. Extat autem S. Thomæ Opusculum in quo Petrus ille vindicatur a censura plusquam centum propositionum, quas adversarii in ejus scriptis annotaverant, fratrique Joanni Vercellensi Ordinis Prædicatorum Magistro Generali obtulerant, quibus Petri de Tarentasia famam proscinderent. Hoc sane temporibus scholasticæ Theologiæ natæ frequentissimum fuit, ut quisque adversarium suum hæreseos accusaret, ac quoquo modo proscinderet. Habentur etiam hi Commentarii MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 54. duobus voluminibus, & in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis binis etiam voluminibus notatis Littera K 9. & K 10. Idem scripsit *Commentarium in Epistolas S. Pauli* MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 49. & Cremonæ in Bibliotheca celebri fratrum Augustinianorum Eremitarum. Ejusdem *Petri de Tarentasia Decreta Abbreviata*, in Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Victoris Parisiensis Littera N. 9. fol. 10. quorum titulus, *Decreta abbreviata a fratre Petro de Tarentasia.* Horum Prologus incipit, *Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet divino jure & moribus* &c. Caput I. *De Jure naturali, Gentium, & Civili* &c. Denique tam *Commentarii in 4. libros Sententiarum Petri de Tarentasia*, quam alii ejusdem *In omnes sancti Pauli Epistolas*, extant MSS. in celebri Bibliotheca Claræ Vallis Ordinis Cisterciensis. Cum igitur doctrina singulari floreret, anno 1271. Lugdunensis Archiepiscopus creatus est, atque anno 1272. ad Ecclesiam Tarentasiensem, & postea ad Episcopatum Ostiensem & Veliternum translatus, Cardinalis etiam factus. Habentur tres ejus Conciones in Concilio Lugdunensi secundo habitæ, *prima* die 7. Junii, *secunda* die 6. Julii, *tertia* in exequiis funeralibus sancti Bonaventuræ, qui in eodem Concilio mortuus est anno 1274. Electus est Aretii Romanus Pontifex die 21. Januarii, coronatus Romæ die 23. Februarii, qui Pontificatum per menses quinque tantum & duos dies obtinuit, a Januarii 21. anni 1276. usque ad 22. Junii, quo Romæ obiit in Basilica Lateranensi sepultus, annum ætatis LI. agens. Plura de eo Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1276. pag. 42. & in *Appendice* pag. 444. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice auctorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 117. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1276. pag. 736.

MICHAEL PALÆOLOGUS ORIENTIS IMPERATOR, ad hunc honorem anno 1261. elatus, stirpem Palæologorum illi hæreditariam, Lascaribus proscriptis, reddidit. Ejus imperium ipso sub initio fortunatissimum, quod res Græcorum magnis atque frequentibus cladibus mactatas collapsasque, Constantinopoli recuperata a Latinis restituit, extulit, maximisque 1270

que acceffionibus auxit. Michael autem Palæologus, five commodis propriis ut Græci tradunt, five finceræ Catholicæ religionis augendæ etiam in Græcia ftimulo excitatus, fedula atque indefeffa diligentia incubuit, idque unum five femper per totum Imperii fui tempus procuravit, ut unitas Ecclefiæ redderetur, & inter Græcos & Latinos ob religionem odia, fedatis animis, licet alii Præfules Ecclefiaftici ut plurimum reluctarentur, finem haberent. Hinc frequentes ab eo ad Pontificem Romanum, & præcipue Gregorium Decimum, quo ante Pontificatum familiariffime ufus fuerat, & Summorum Pontificum ad ipfum Legationes, frequentes Conftantinopoli Synodi, quibus unionis modus inveftigabatur, acerbiffima contra contumaces & renitentes fupplicia, ftatuta eam amplexantibus tot dignitates atque honores erogati funt. Eorum pleraque in Hiftoria retulit Pachymeres, maligne admodum Gregoras tacuit, quorum ex multis nos pauca colligemus. Prima Legatio ad Pontificem fuit, ftatim atque ab ipfo Byzantium debellatum eft, & rebus Vrbis provifum. Legati, Nicephoritzes & Alaburdes, in ipfa Italia deprehenfi, tanquam qui Græcis Latinos prodidiffent, ultimo fupplicio eoque acerbiffimo, pœnas luunt. Quare fruftra illa Legatio fumpta eft, de qua Pachymeres libro 2. fub finem, & Lib. 3. *ὅθεν καὶ συχνάκις μὲν πρὸς τὸν πάπαν πρέσβεις ἐξῆγε, καὶ δώροις ὑπήχετο. αἰεὶ γὰρ ἐκεῖθεν τὸν κίνδυνον καθυπώπτευεν, ὡς μηδ' ἐπισχὼν ἠρεμησάντων τῶν Ἰταλῶν, δι' ὧν κατὰ κεῖθι ὡς ἐνὸν κατασφαλιζόμενος, ἐπεχείρει τοῖς ἄλλοις θαῤῥούντως. συχναῖς γοῦν πρεσβείαις καὶ δεξιώσεσι μὴ μόνον τὸν Πάπαν, ἀλλὰ καὶ πολλοὺς τῶν Καρδηναλίων καὶ τῶν παρ' ἐκείνῳ δυναμένων ἐξευμελίσσετο. Hinc etiam ad Romanum Pontificem frequentes Legationes mittebat, quem fibi muneribus conciliabat femper enim ea ex parte difcrimen adfuturum fufpicabatur, nunquam etenim Italos quieturos exiftimabat: quare illis, uti poterat, in tecto pofitis, ad alia audacter manus admovebat. Frequentibus itaque legationibus & largitionibus, non Papam tantum, fed & multos Cardinalium, & eorum qui apud illum plurimum valebant, demulcebat.* Hæc prima legatio circa annum 1262. Altera legatio ab eodemmet Pachymere, ibidem lib. 5. commemoratur, tum ob Legatorum inter alios Græcos præftantiam, tum ob munera magnifica, & veftes Ecclefiafticas pretiofe textas, quæ Romano Pontifici mittebantur: tum denique propter optatiffimum, quem fortita eft effectum, infignis. Legati fuerunt ex Ecclefiafticis Germanus, Ex Patriarcha, Theophanes Nicænus, ex Senatoribus magnus Logotheta Acropolita, Protoveftiarius Panaretus, & magnus interpres Berræota. Hi ad Malcæ promontorium cum fæva tempeftate deluctati, Senatores, cum vim fluctuum effugere non poffent, in terram delati, ab iisdem fluctibus abforbentur: & munera illa pretiofiffima diro maris gurgiti præda data eft. Ecclefiaftici & Logotheta, qui in altum fe contulerant, non fine magno vitæ difcrimine Methonem rejiciuntur, tandemque Romam ad Summum Pontificem adnavigant, a quo humaniffime excipiuntur, & de unione conveniunt. Poftea amplius præmiis affecti, cum Pontificiis Legatis Byzantium redeunt, & remoto Jofepho Patriarcha, unioni renitenti, & Nicolao Chalcedonenfi in Regia facrum faciente, cum dies feftus pro depofitione catenarum Divi Petri Apoftolorum Principis ageretur: Epiftola ex Apoftolorum Actibus & Evangelium, quidquid alii dicerent, Græce atque Latine recitantur, & fuo loco Papæ mentio fit. Et Notandum eft, Germani hujusce in propaganda unione ftudium, cui etiam antequam legationis munere fungeretur, addictiffimum fuiffe, indeque male apud Schifmaticos audiviffe, ex Schifmaticis ipfis in Patriarchatu & poft Patriarchatum infenfiffimis, planum eft. Auctor MS. apud me *De translationibus Epifcoporum:* Πάλιν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ βασιλέως ὁ Ἀδριανοπόλεως Γερμανὸς ὁ ἐπικληθεὶς Μαλχοῦτζᾶς, ὃς καὶ λατινόφρων γέγονε, καὶ κατὰ τῶν εὐσεβῶν διωγμὸν ἐκίνησε μέγαν, καὶ μετετέθη εἰς Κωνσταντινούπολιν λῃστρικῶς. *Rurfus fub eodem Imperatore* (Michaele Palæologo) *Germanus Archianopolitanus, cognomento Malchutza, qui una cum Latinis fentiebat, & contra pios perfecutionem ingentem movit, translatus eft ad Conftantinopolitanam fedem, prædatorum more.* Pachymeres lib. 4. *Marcutzam* appellat, & cognominis rationem affert. ἦσαν δὲ καὶ τῶν περιττῶν καὶ εἰς κατηγορίας εὐκόλων, οἳ καὶ προσονειδίζοντες Μαρκοῦτζαν προσωνόμαζον, προσάπτοντες ὄνομα περσικὸν ἐξ αἰτίας τῆς, ὅτι ἐκεῖνος τὸ γένος τὸ σύνεγγυς Λαζὸς ἦν: τὸ δ' ἀνέκαθεν, καὶ Γαβρᾶς. *Abundantes autem & ad maledicendum proniores, exprobrantes, Marcutzam nominabant, appellatione Perfica, quod ille proximo genere Lazus erat, prifco autem Gabras.* Plures illius laudes profequitur Pachymeres, ibidem Succeffor *Germani* Jofephus, Galefii Monachus, quod Germanus Latinos fecutus fuiffet, ab Heracleenfi Epifcopo Pinaca, uti moris erat confecrari noluit, cum a Germano fuiffe promotum afferens, fed in Regia a Gregorio Mytilenenfi promovetur. Et Athanafius Patriarcha, fub Andronico, Schifmati adhærens, illius memoriam e templo amovit, ut teftatur Pachymeres *Hiftoria* lib. 13. *οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ ἐς πλέον εὐσεβείας ἥκειν δοκῶν στήλην μὲν ἐκείνην πατριαρχῶν τῶν τριῶν Γερμανῶν, τὴν ἐπὶ δεξιᾷ εἰσιοῦσι τῶν ὡραίων πυλῶν ἱσταμένην, διὰ τὸν ὕστερον, τὸν ἐξ Ὀρεστιάδος μετατεθέντα. ὅτι τῇ πρὸς Ἰταλοὺς εἰρήνῃ αὐτὸς ἐκεῖνος πρεσβεύσας συνήργησε, κατασπᾷ. Sed enim & in pietate crefcere videri volens, columnam illam in memoriam trium Germanorum dextra per pulchras portas ingredientium ftantem, propter ultimum ab Oreftiade* (idem eft ac Adrianopolis) *fede translatum, quod ille unioni cum Latinis, legationis munere fungens, operam navaffet, dejecit.* Et cum fui fceleris imparem

rem, licet ſe plane ad pedes Patriarchæ Arſenii dejiceret, pœnitentia ſvetus, veniam impetrare non poſſet, Michael Imperator a Romano Pontifice, illam ſe impetraturum ſperabat. Ibidem, Καὶ τέλος ἐπετίθει πολλάκις, ὡς ἐπεὶ καὶ κανόνων ὑπερφρόνει ὁριζόντων μετάνοιαν, προσπίπτειν τῷ τῆς Ῥώμης Πάπα καιρὸς, καὶ ἀντιβολεῖν σώζεσθαι. *Et hæc quoque apponebat, quandoquidem Patriarcha, canones qui pœnitentiam præcipiunt ſperneret, tempus jam adeſſe ad pedes Papæ ſe projiciendi, exorandique ſalutem.* Tandem Imperator, Patriarcha Joſepho expulſo, & Joanne Vecco in ejus locum ſubrogato, unionem Eccleſiæ Græcæ cum Romana ſtabilit, concluduntur tria capita quæ ipſe Summus Pontifex popoſcebat. Latini etiam in Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituti, dum Græci celebrant, ſacris in adytis interſunt, & pane benedicto, quod *Antidotum* vocant, una cum Græcis veſcuntur, & in omnibus aliis præ una Sacramentorum communione admittuntur. Extant inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Oxonii in Anglia, Codice 2582. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii Codice 87. num. 9. *Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris Epiſtola quinque ad Gregorium Magnum,* hoc eſt *Papam nominis Decimum* pag. 214. ad finem Codicis, poſt Decreta Concilii Lugdunenſis anno 1274. habiti, unde illas hoc tempore ſcriptas, Latine tantum illic haberi arbitror. Extant quoque lib. 2. *De Conſenſu utriuſque Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 15. paragr. 3. pag. 738 *Epiſtola Michaelis Palæologi Imperatoris ad Papam Joannem XXI.* Et paragr. 4. col. 743 *Epiſtola Andronici Michaelis Imperatoris primogeniti ad eundem Papam.* Et paragr. 5. col. 746. *Epiſtola Joannis Vecci Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Papam eundem,* poſt Memoriale paragr. 2. col. 730. quod anno 1281. tempore Martini IV. factum eſt. Obiit Michael Palæogus anno 1283. a filio vix plebeja ſepultura honoratus, quod Latinis faviſſet, & unionem cum Eccleſia Romana admiſiſſet. Hæc verbotenus ſuppeditarunt Leo Allatius Lib. 2. *De conſenſu utriuſque Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 15. paragr. 1. col. 727. & ſequentibus. Author Catalogi impreſſi MSS. Codicum Bodleianæ bibliothecæ Codice 2582. pag. 138.

1270. „JOANNES VECCUS SEU BECCUS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, floruit anno 1270. Venit ad Concilium Lugdunenſe anno 1274. cum Græcis Epiſcopis, qui & carcerem & mortem ob doctrinam Latinorum quam induerat, & quam publice profitebatur, perpeſſus eſt. Multa ille ſcripſit quæ ex MSS. Codicibus Græcis eruta, Græce & Latine in ſuum Collectaneum *Græciæ Orthodoxæ* immiſit Leo Allatius, Græcorum ſui temporis doctiſſimus. Quo autem anno Joannes Veccus mortuus ſit, mihi reſcire huc uſque non contigit." Hæc quidem pauca ſcripſeram in Supplemento meo priori, quæ cum macilenta nimis parcaque adverterim, pluribus in Joannem Veccum ſeculi XIII. virum illuſtriſſimum inquirere, operæ pretium duximus: ut & tanti viri vita magis clareſcat, & ſcripta plurima atque erudita explicentur. Fuit itaque Joannes Veccus natione Græcus, qui primum inter eruditos ob ſcientiam atque in controverſis inter utramque Eccleſiam Græcam & Latinam quæſtionibus peritiam, clareſcere Orbi Græco cœpit ſub initia Michaelis Palæologi Imperatoris circa annum 1259. quo Imperii Orientalis adminiſtrationem habuit, vel annum 1261. quo Imperator declaratus eſt. Unde multis annis prævertiſſe rerum Chronologiam putamus Henricum Spondanum, ubi ad annum 1233. num. 5. refert tunc temporis Joannem Veccum converſum fuiſſe ad Latinorum amplexendam doctrinam ex operum Theodori Metochitæ lectione, quæ illum ſcripſiſſe putavit ſub Joanne Duca ad annum prælatum: cum tamen oculatus & ſynchronus teſtis Georgius Pachimeres magnus Logotheta, hæc referat & recte, ad tempora Michaelis Palæologi Lib. 5. *Hiſtoriæ* cap. 12. Cum ergo hic Imperator Michael ſub Imperii ſui initium, circa annum 1261. vel 1262 ſincere & acriter contenderet, ut Eccleſiam utramque Græcam & Latinam mutuo dilectionis vinculo, extinctis variarum doctrinarum ſententiis, colligeret atque uniret: unus erat tunc temporis Græcarum opinionum ferventiſſimus zelator Joannes Veccus, Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Chartophylax & ſacriſta: qui juſtitiam cauſæ Græcorum ſibi præſentem ac perſpectam habens, nec urgentibus Imperatoris in contrarium ſollicitationibus occupatus, libera mente coram Imperatore, ut refert Pachymeres, dixit: *haberi viros illuſtres plurimos tanquam hæreticos, qui nuſquam hæretici fuerant; contra vero haud æſtimari tales, qui vere erant hæretici, cujus erant ſpeciei Latini Epiſcopi.* Hæc loquendi libertas Imperatorem unionis cupidum in iras commovit, qui cum accuſatorem in cum quendam ſuſcitaſſet, Joannem Veccum in carcerem conjecit, ut habet Pachymeres Lib. 5. cap. 13. Sed ſalutaris Vecco carcer fuiſſe creditur. Ut enim habet idem Pachymeres Lib. 5. capp. 15. & 16. Joannes Veccus Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Chartophylax, vir excellentis ingenii, doctrinæ & fœcundiæ poſtquam & ipſe Imperatorio Decreto acriter reſtitiſſet, demum in carcere, vi Scriptorum Nicephori Blemmydæ ſacrarum litterarum peritiſſimi, qui non ita pridem multa in confirmationem Latinorum dogmatum collegiſſet, convictus Imperatori adhæſit, a quo poſtmodum in thronum Patriarchalem evectus eſt. Quod ergo tradit Gregoras de contradictione a Becco Imperatori facta, oportet id intelligi de anteriori tempore circa annum 1262. vel circiter, ubi ab eodem Imperatore de unione utriuſque Eccleſiæ agi cœptum eſt: antequam mitteretur una cum cæteris ad Synodum, ubi eum fidem

fidem Romanam pro Antistitibus Græcis, qui eam profitebantur, jurasse vidimus. Factus itaque ut sic loquar, ex lectione Operum Nicephori Blemmidæ, Latinus ex Græco Veccus, ex carcere proripuit, totusque in mentem Imperatoris adveniens, unionem utriusque Ecclesiæ pro viribus promovit. Hinc eodem Imperatore agente, electus est a cæteris unionem amantibus, ut ad Concilium Lugdunense anno 1274. convocatum, nomine potissimorum Græciæ Præsulum accederet: quod & factum est, subscripsitque Weccus, interposito Græcis juramento, his verbis: *Sic Deus ipsum adjuvet, & hæc sancta Evangelia, Scriniarius, Sacrista, Chartophylax, & magnus Sacrophylax sanctissimi ejus qui in Constantinopoli est Patriarchatus, Joannes Lector.* Quemadmodum & Georgius Acropolita & Magnus Logotheta fecerat, nomine Imperatoris Græcorum. At vero majores turbas excitatas esse post Concilium & Vecci reditum Constantinopolim, Gregoras Libro 5. *Historia* narrat. Josephum nempe Patriarcham ea unione repudiata, ubi Imperatorem vidit eam sincere & acriter amplecti, sede cessisse Patriarchali, & ad quoddam Monasterium secessisse, ubi reliquum vitæ ageret: itemque Sacerdotes plebem adversus unionem concitasse, Martyrii tempus advenisse clamitantes. Imperatorem vero conatum esse variis suasionibus, omnes in suam sententiam adducere; eoque maxime, quod non inducendæ studio novitatis, sed ad vitanda imminentia a Latinis mala, hæc prudenter cogitasset. Quos autem neque his suasionibus, neque aliis blandiciis obnoxios sibi reddere valuit, eos publicationibus honorum, relegationibus, carceribus, flagris, excæcationibus, aliisque tormentis persecutus est: quorum e plebe plurimi, religionis prætextu, saccis asperoque amictu induti, hac illacque per varias regiones circumcursabant, novas sectas qua *Arsenii*, qua *Josephi* Patriarcharum nominibus, aliisque seductionibus & imposturis profitentes, & ad sequentia tempora propagantes, sed sacculos interim suos prædis ac latrociniis infartientes. Hæc anno 1275. & sequenti gesta pluribus narrat Gregoras, quæ & fusius tractasse Pachymerem ex ejus Historia intelligitur, quam ex MS. Barbarino recenter editam habemus. Attingit autem summatim tantum Phranzes, omnes Schismati suo immense addicti, & inde non parum Imperatorem criminantes. His ergo ex unione tumultibus ortis, cedente Josepho anno 1276. Joannes Veccus in Patriarcham Regiæ Urbis a Palæologo assumptus est, qui unionem & Latinas partes pro viribus promovit. Hanc Vecci ad Sedem Patriarchalem Constantinopolitanam promotionem, Spondanus in *Annalibus* suis ad annum 1274. num. 15. refert. Sed aperte fallitur ac revincitur, ex ipsius Vecci Epistola, ad Summum *Pontificem Joannem XIX.* anno 1277. data, quem Patriarchatus sui seu Pontificatus Patriarchici secundum vocat, quæ extat tomo XI. *Conciliorum* Labbeanæ editionis ad annum citatum, columna 1033. In hac autem Vecci Epistola, constat ab eodem convocatum fuisse Concilium universale Græcorum anno 1277. sui Patriarchatus secundo, in quo Joannes ipse cum Concilio Romanam fidem profitetur, Romanumque Primatum agnoscit. Idem aliud quoque convocavit Constantinopolim anno 1280. feria sexta ad diem 3. Maii, ubi definitum est de corrupto maligne Sancti Gregorii Nysseni loco, quo Spiritus sancti processio ex filio asseritur: præsentibus Metropolitanis Græcis pluribus, Nicolao Chalcedonensi, Meletio Atheniensi, Nicandro Larissensi, Leone Serrarma, Theodoro Chersonensi, Theodoro Sogdææ, Nicolao Præconensi, Leone Berræensi, adstantibusque piissimis Dominis Principibus. Extat Concilium istud tomo XI. *Collectionis Conciliorum Labbeana* ad annum 1280. columna 1125. Denique nullum non movit lapidem Veccus ad dogmata Latinorum apud Græcos roboranda, tam factis, quam scriptis. Nam præter Sententias a Blemmida, itemque a se ex Patribus collectas, quibus ostenditur Spiritus Sanctus ex filio quoque esse: alias item protulit ad probandum Spiritum Sanctum ex Patre esse per Filium, æqualemque in his existere vim propositionum *Ex* & *Per*. Quæ reperiuntur quidem editæ apud Bzovium in *Annalibus* ad annum 1339. una cum Oppositionibus Gregorii Palamæ Archiepiscopi Thessalonicensis, longe postea factis, & defensionibus Sententiarum Becci compositis a Bessarione Cardinale & Archiepiscopo Nicæno. Sed de his postea inferius, insuperque de Synodo post obitum Michaelis sub Andronico celebrata contra hunc Veccum & alios, qui Romanam seu Latinam fidem amplectebantur. Interim ad scripta veniamus quæ Græce & Latine extant tomo 1. *Græcia Orthodoxa*, quam Leo Allatius 2 tomis in 4. Romæ edidit annis 1652. & 1659. typis sacræ Congregationis de propaganda fide. Sunt autem

Joannis Vecci Episcopi Constantinopolitani De unione Ecclesiarum veteris & novæ Romæ tractatus pag. 61. & seqq.

Ejusdem insigne opus *De processione Spiritus Sancti Capitibus seu Tinctatibus XII.* pag. 225.

Ejusdem *Epistola ad Alexium Agallianum Magnæ Ecclesiæ Diaconum, De processione Spiritus Sancti*, pag. 360.

Ejusdem *Sententia Synodalis De corrupto S. Gregorii Nysseni loco homilia in* Pater noster, quæ incipit, ὅτε προσῆγεν pag. 366. quæ anno Christi 1280. celebrata legitur.

Ejusdem *Testamentum ab ipso in carcere scriptum* pag. 375. Hæc tomo 1. *Græcia Orthodoxa*. Quod porro ad ipsum Joannem Veccum seu Beccum attinet, ille sub Imperatore Michaele Palæologo, Patriarcha CP. anno 1275. die 26. Maji electus est, a filio autem ejus Imperatore Andronico Seniore Palæologo, Patriarchatu dejectus est anno 1283. die 26. Decembris, quoniam

niam a concordia cum Latinis Ecclesiastica inita recedere noluit, eandemque ob causam anno 1295. sub mensis Martii finem in carcere abiit. Qua de re vide Georgii Pachymeris *Historiam Imperii Michaelis Palaeologi* Lib. 5. cap. 24. & ejusdem *Historiam Imperii Andronici Senioris* Lib. 3. cap. 29. cum doctissimis Petri Possini observationibus parte 1. Lib. 3. cap. 6. paragr. 4. & parte 2. Lib. 3. cap. 2. paragr. 8. & 9. quibus observationibus insertum etiam est Græce & Latine *Testamentum ejusdem Patriarchæ Joannis Vecci*, paulo ante mortem in carcere conditum, parte 1. pag. 541. 542. & 543.

Tomo autem *Græciæ Orthodoxæ* secundo continentur, *Joannis Vecci Episcopi Constantinopolitani animadversio de libro suis & confessione Scripturarum* pag. 1.

Ejusdem *De injustitia quam passus est, a proprio throno ejectus*, pag. 11. quod anno 1283. die 26. Decembris contigit.

Ejusdem *Oratio partim apologetica, pro injustitia qua affectus est: partim antirrhetica ad pravas expositiones nonnullarum scripto traditarum anthoritatum.* pag. 36.

Ejusdem *Apologia, nullo modo nostras consuetudines destrui, si Ecclesiarum unionem acceptamus, sed ad conciliandam in Ecclesia patem multum conducere, quod inter se in afferendo dogmate conveniunt.* pag. 84.

Ejusdem *ad Theodorum Sugdæa Archiepiscopum, Libri III. De processione Spiritus Sancti.* pag. 95.

Ejusdem *ad Constantinum Libri IV. de eadem re.* pag. 149.

Ejusdem *in Tomum Cyprii & novas ejusdem hæreses, de improviso dictata oratio prima.* pag. 215.

Ejusdem *in Tomum Cyprii & novas ejusdem hæreses, de improviso dictata oratio secunda.* pag. 252.

Ejusdem *Refutationes Andronici Camateri Viglæ Drungarii, super scripto traditis testimoniis De Spiritu Sancto.* pag. 287.

Ejusdem *Epigrapha seu Præscriptiones, in dicta & sententias Patrum a se collecta de processione Spiritus Sancti*, Libris XIII. pag. 522. Extant illæ MSS. Græce in Codice MS. Theologico Græco CCL. num. 14. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut habet Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 150. his verbis. „Decimo quarto & quidem a fol. 223. pag. 1. usque ad fol. 301. pag. 2. *Joannis Becci seu Vecci Patriarchæ Constantinopolitani Epigrapha in Sanctorum Patrum a se collecta testimonia De processione Spiritus Sancti ex Patre & Filio.* Sunt quoque *Gregorii Palamæ Archiepiscopi Thessalonicensis Antigrapha*, sive *Epigrapharium Joannis Vecci confutationes:* ac tandem *Bessarionis Archiepiscopi Nicæni & Cardinalis Ecclesiæ Romanæ Responsiones pro Joanne Becco contra Gregorii Palamæ antigraphas. Epigrapha Joannis Becci* inscribuntur hoc modo atque incipiunt, τῦ ἁγιωτάτυ Πατριάρχυ Κωνςαντινυπόλεως Ἰωάννυ τῦ Βέκκυ Ἐπιγραφαὶ εἰς τὰ παρ᾽ αὐτῦ συνειλεγμένα ἐκ τῶν ἁγίων ῥητὰ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τῦ ἁγίυ Πνεύματος. χρήσεις διαφοροιγραφεῖ καὶ συλλεγεῖσαι, εἰς ἀπόδειξιν τῦ εἶναι τὸ πνεῦμα καὶ ἐκ τῦ υἱῦ. μεθ᾽ ἕτεραι χρήσεις &c. *Antigrapha* autem *Gregorii Palamæ* inscribuntur atque incipiunt hoc modo, Γρηγορίυ Θεσσαλονίκης τῦ Παλαμᾶ Ἀντεπιγραφαὶ ἀντιρρητικαὶ τῶν τῦ Βέκκυ ἐπιγραφῶν. ὅταν ἐπὶ τῆς Θεολογίας ἰσοδυναμῶσιν ἀλλήλαις ἡ ἐκ καὶ ἡ διὰ &c. *Responsiones* autem *Bessarionis pro Becco contra Palamam* inscribuntur atque incipiunt hoc modo: τῦ Νικαίας Βησσαρίωνος κατὰ τῶν τῦ Παλαμᾶ Ἀντιῤῥήσεων. Ὁ γενναῖος ὗτος ἀνὴρ πρὸς μὲν τὰς καὶ ἐκ τῦ υἱῦ εἶναι λεγύσας χρήσεις &c. Plura de Joanne Becco, Gregorio Palama & Cardinale Bessarione, ut & de tota hac inter illos agitata controversia, vide apud Leonem Allatium Lib. 2. *De consensu perpetuo Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis*, & præsertim quidem cap. 15. paragr. 8. col. 766. ubi inter alia quæ ad rem præsentem maxime pertinent, hæc sunt. *Edita sunt ipsius Joannis Becci seu Vecci Epigrapha in Sententias Sanctorum Patrum, quas de processione Spiritus Sancti collegerat, cum Confutationibus, Gregorii Palamæ, & adversus Palamam Bessarionis Responsionibus, Græce & Latine Romæ interprete Petro Arcadio Corcyræo, inter Opuscula aurea anno 1630. in 4. edita. Ibidem edita sunt eodem interprete, Sententiæ ex Sanctorum scriptis pro hoc eodem argumento ab eodem Becco seu Vecco collecta, quibus Latinorum dogma stabilitur.* Huc usque Allatius.“ Vide etiam lib. 3. cap. 3. parag. 1. col. 930. ubi de Cardinalis Bessarionis Scriptis speciatim agitur. Extat idem Opusculum in eadem Bibliotheca Cæsarea, Codice MS. Theologico Græco CCLXII. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 186. quem hic iterum exscribere superfluum est. His addere possumus, *Sententias a Vecco collectas ex Patribus*, quibus ostenditur Spiritus Sanctus ex filio quoque esse & procedere, reperiri editas apud Bzovium in Annalibus Tomo XIV. ad annum 1339. Itemque *Epistolam Joannis Vecci ad Romanum Pontificem anno 1277. missam*, quam habes Græce & Latine in Conciliis ultimæ editionis Labbeanæ, tomo XI. Colum. 1033. Extat quoque inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 71. pag. 119. *Joannis Patriarchæ Constantinopolitani Apologia contra Calumniantes suum consensum cum Romana Ecclesia.* Πρότεχε ἐυρανέ, καὶ λαλήσω. Et Codice 111. pag. 189. in MSS. Codicibus Baroccianis, quæ ad Joannem hunc spectare potuit.

Atque ut uno eodemque tenore excurrunt Magister & Discipuli, omnes in doctrina, atque in carceribus & constantia Latinæ fidei & confessionis consimiles, omnes in tribulationibus patientes, extant in eodem *Græcia Orthodoxa* tomo 2.

Constantini Meliteniotæ Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylacis, De Ecclesiastica Græcorum

rum & Latinorum & de processione Spiritus Sancti per Filium, Oratio 1. pag. 642.

Ejusdem *De processione Spiritus Sancti etiam ex Filio, Oratio II.* pag. 765.

Georgii Melochitæ, Magnæ Ecclesiæ Diaconi, Refutatio trium Capitum a Maximo Planude editorum. pag. 922.

Ejusdem Refutatio eorum quæ scripsit Manuel Cretensis nepos, pag. 959.

Hæc de Scriptis Magistri ex Discipulorum, simul ob eandem Latinorum doctrinam, incarceratorum atque extorrium. Jam ad alias vitæ Beccæ periodos redeamus. Mortuo ad annum Christi 1283. Manuele Palæologo, atque in ejus locum Andronico filio suffecto, adversam omnino apud Græcos fortunam passa fuit doctrina Latinorum: mutatisque vicibus, qui summi fuerant ad ima dejecti sunt, aliis ex imo loco ad summa quæque ascendentibus adversariis. Ipso itaque Imperii initio, Andronicus omnes illos quos pater ob recusatam ab iis unionem cum Ecclesia Latina expulerat revocans, cum Veccus Patriarcha qui eam amplexus fuerat, sibi in hac præcipiti mutatione timens, clam secessisset: in ejus locum statim *Josephum* illum qui Veccum usque ad annum 1276. præcesserat, morbo licet ac senio confectum restituit. Quem cum multi admittere recusarent, eo quod vivo Arsenio sedem occupasset, ac propterea ab eo excommunicatus fuisset: idem Josephus tum causa concordiæ, tum quod ob senium muneri impar esset, iterum officio cedere maluit, quam onus ambire. Eodemque paullo post defuncto, creatus est Patriarcha Gregorius vel Georgius Cyprius, ex Imperatoris Clericorum collegio, vir egregiæ litteraturæ. Cujus rursum causa, videlicet quod Cyprius esset, diu inter Latinos conversatus, atque ibi etiam ab illis Lector ordinatus fuisset: cum novæ dissentiones inter partes orirentur, visum est ad illas componendas, conventum agere, utrorumque adversantium atque consentientium. Facta hæc Synodus anno 1283. vel 1284. ubi post multa verborum certamina, placuit contrarias opiniones scriptis mandari, ac Deo judicium per ignem committi. Sed igne utrorumque scripta pariter consumente, ac vano disputantium ejusmodi tentamenta deridente: receptus est ab utrisque Gregorius seu Georgius, & Arsenii corpus extra Vrbem sepulti, solemniter intra Vrbem deductum est. Tum illi qui unioni Latinorum adhæserant, variis modis a novo Patriarcha & a restitutis exulibus vexati, afflicti, opprobriis & contumeliis affecti sunt, ac Veccus ipse cum adhærentibus sibi discipulis in exilium deportatus. Prosequitur hæc omnia pluribus Gregoras, subditque crudeles illos novatores justas tandem pœnas luisse divinitus: cum nemo illorum in sua dignitate decesserit, sed omnes turpissime suis sedibus expulsi fuerint. Horum stupendorum fides sit penes Gregoram, quæ magis tribuenda Græcorum animis sibi non satis constantibus crediderim, quam cœlesti vindictæ. Hæc Spondanus ad annum 1283. num. 9. in continuatione Annalium Baronii, ubi num. 10. addit communicatam sibi a viro doctissimo Jacobo Sirmondo Soc. Jesu, ac Regi Christianissimo a Confessionibus, Synodum prædicta occasione habitam sub Andronico Palæologo Imperatore & Gregorio Patriarcha contra eundem Joannem Veccum, ejusque socios Constantinum Meliteniotam & Georgium Metochitam, qui Latinorum dogma De processione Spiritus Sancti profitebantur, *& ab annis octo*, ut Synodi verba innuunt, in eodem docendo perseverabant, videlicet a tempore institutionis Joannis Vecci in Patriarcham Constantinopolitanum, anno Domini 1276. Post præfationem ponitur Confessio fidei, in qua potissimum inculcatur opinio Græcorum De processione Spiritus Sancti, & in fine rejicitur pax in Concilio Lugdunensi facta. Narrat deinde Joannem Beccum ea de causa damnatum antea fuisse, in quadam ipsorum Græcorum Synodo, cui cum Patriarcha Constantinopolitano aderat etiam Alexandrinus: libellumque resipiscentiæ obtulisse, quo damnationi & depositioni suæ acquiescebat, sed postea iterum ad pristinam sententiam rediisse. Tum sequitur Sententia condemnationis trium supradictarum, & refutatio singulorum capitum doctrinæ illorum de Spiritu Sancto, cum iterata detestatione factæ unionis, quam *πεπλασμένην οἰκονομίαν καὶ εἰρήνην πολέμιαν* vocant. Adduntur in fine subscriptiones, primo Imperatoris rubris litteris, nempe *Andronicus in Deo fidelis* βασιλεὺς *& Imperator, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus.* Deinde Patriarchæ, *Gregorius misericordia Dei Archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha. Joannes humilis Episcopus Ephesiorum Metropolis* &c. Subscribunt Episcopi 42. officio Ecclesiastico 28. Quo autem loco habita sit hæc Synodus, neq; ex titulo, qui magna ex parte obliteratus est, neque ex fine deprehendi potest. Quod tamen ex supradictis constat sub initia Andronici Imperatoris celebratam esse, putamus in ipsa Constantinopoli contigisse.“ Quibus autem aptioribus verbis, omnem Joannis Vecci, ejusque fidelium discipulorum, Constantini Meliteniotæ Chartophylacis ac Georgii Metochitæ Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconi, pseudomartyrum tragœdiam puerilem terminare possumus, quam quibus pueriliter usus est Leo Allatius, in præfatione secundi sui voluminis *Græcia Orthodoxa* ad Flavium Chisium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. „Hi cum apud Græcos Orthodoxum dogma & Romanæ Ecclesiæ dignitas, sæpius in controuersiam adducta, plane viderentur nutare: humana omnia inferiora ducentes, tormenta, exilia, carceres, quæ Majores nostri nefariorum ac manifestorum criminum vindices esse voluerunt, honesto-

„rum

„rum & sanctorum hominum habitacula, ante-„actæ vitæ præmia, veram, gravem ac solidam „gloriam reputarunt. Hoc est pro vera fide & „Christo pugnare, non sensuum illecebris ti-„tillari, non voluptatibus frangi, non debilita-„ri molestiis, vim Majestatis atque Imperii, mi-„nantis quoque authoritatem veritati postpo-„nere: & dum,quæ recta sunt,senseris, mortem „non perhorrescere, impendere quoque vitam „& sanguinem, si res poposcerit. Non est qui „neget Schismaticorum etiam calculo, eosdem „extrema quæque perpessos, tandem injustitia „Principum,& multitudinis æstu indignissimi oc-„cubuisse, & in desertis profanisque locis extra „Ecclesiæ aream defossos, ut nec in solo patrio „sepulturæ locū a suis sibi impetrare potuerint. „Et quod dictu horrendum est, Patriarcha duo-„decim, Meliteniota viginti quatuor, Metochi-„ta quadraginta quinque annos, in vinculis at-„que carceribus, siti, fame, vi morborum, me-„dicamentorum, & rerum omnium inopia con-„fecti, sub inimicis atque inhumanis custodibus, „in eadem Romani dogmatis confessione, liben-„ter atque hilari animo vitam profuderunt. Hæc Allatius cum emphasi,quæ ut puerilia cæteri irrident. Vnde conjicimus Joannem Veccum obiisse in carcere anno 1295. Constantinum Meliteniotam anno 1307. Georgium vero Metochitam anno 1328. cum anno 1283. in eum conjecti sint. Agunt pluribus de tragœdia Joannis Vecci seu Becci Patriarchæ Constantinopolitani, Scriptores veteres, Nicephorus Gregoras, Georgius Pachymeres & Georgius Phranzes in *Historiis* suis. Ex recentioribus autem parcissime Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 824. Fusius Henricus Spondanus in continuatione *Annalium Baronii*, ad annum 1274. num. 15. ad annum 1283. num. 9. & 10. Concilia ultimæ editionis Labbeanæ Parisiensis anni 1671. tomo XI. ad annos 1277 & 1280. columnis 1037. & 1125. Leo Allatius passim in Operibus suis multis, sed potissimum in Opere *De consensu utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ*, atque in Præludiis ad *Græciæ Orthodoxæ* tomos duos. Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus *De perpetua Ecclesiæ Catholicæ fide circa Eucharistiæ Sacramentum*, Lib. 3. capp. 3. & 4. pag. 299. & sequentibus. Petrus Lambecius Libro 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 150. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 336. & 366.

GEORGIVS METOCHITA, Diaconus &
1270 Archidiaconus Constantinopolitanæ magnæ Ecclesiæ, Joannis Vecci in omnibus symmista & socius, sub Andronico multa passus est, exilio tandem mulctatus, in carceribus vitam finivit, unionem cum Latinis anno 1272. initam, scripto & opere ad extremum usque Spiritum, post Vecci mortem defendens. De his Pachymeres Lib 7. cap. 32. *ἐκείνους μὲν οὖν τότε τῆς συνόδου διαλυθείσης, τὸν Μελιτηνιώτην, τὸν βέκκον, τὸν Μετοχίτην, ἡ τοῦ Κοσμιδίου εἶχε μονὴ πλὴν ὑπὸ Φρουραῖς, καὶ Φυλακαῖς προσηκούσαις. οἷς δὲ πέμπων ὁ βασιλεὺς εἰρηνεύειν ἠξίου· καὶ πᾶσαν δικαιολογίαν ἀφέντα διάγειν ἀνέδην, καὶ τὴν ἀπ᾽ αὐτοῦ εὐμενείαν ἔχοντας. εἰδ᾽ οὖν ἀλλ᾽ ἐξορίας προσηπείλει, καὶ κακουχίας ἀπαξομένας σφίσι, μηδὲ γὰρ εἶναι ἄλλως ἢ ὡς ἐτάχθη γίγνεσθαι· αὐτοὺς δὲ Φήμην κακὴν ἔχοντας παραπολλυσθαι, εἰ μήγε μετανοήσαντες τῆς εἰρήνης γίνωνται. ταῦτα τοῦ βασιλέως συχνάκις διαμηνυομένου, καὶ ἀγαθὰ προτείνοντος, ἐκεῖνοι οὔτι πρὸς δέος τῶν λυπῶν προήχθησαν, οὔτε πρὸς τὰς τῶν ἀγαθῶν ἐπαγγελίας ἐμαλακίσθησαν. διευτονοῦντες δὲ πρὸς ἀμφότερα ἑτοίμους ἑαυτοὺς, παρεῖχον πρὸς ὅτι δόξει τῷ βασιλεῖ, ὡς ἐκεῖνο μᾶλλον πεισομένους ἡδέως, ἢ τοῖς οὕτω καταδικάζουσι πεισομένους. ἐπὶ μᾶλλον δὲ πρὸς αὐτοὺς ὁ βασιλεὺς παρωξύνετο ἀνενδότως μένοντας τὸ παράπαν. πάντων δ᾽ ἀπορρηθεὶς τῶν μαλαττειν ἐχόντων ψυχήν, τέλος ἐξορίαις δικαιοῦν ἔγνω. καὶ δὴ πρὸς τὸ κατὰ δεξιὰ εἰσπλέοντι τὸν ἀστακηνὸν κόλπον Φρούριον, τὸ οὕπω πως τοῦ ἁγίου Γρηγορίου λεγόμενον προσάσει πλῷ χρησαμένους ἀπάγεσθαι οὓ δὴ καὶ ἐγκλεισθέντας ὑπὸ Φρουροῖς κελτοῖς, καὶ τινι τῶν προκοιτούντων τῷ βασιλεῖ ἀφέωντο, ὅσοι τὰ τῶν ἀναγκαίων ἀπρονόητοι, οὐδὲν πλέον ἀπονάμενοι βασιλέως ὅτι μὴ κατὰ καιρὸν ἐπ᾽ ἀνατολῆς ὁρμῶντος, πατριαρχοῦντος Ἀθανασίου, τοῦ κατὰ τὴν Ἑλενόπολιν περαιωθέντος πορθμὸν, καὶ τὸν μέγαν Λογοθέτην ἐπ᾽ αὐτοὺς πέμψαντος, ὃν καὶ εἰς Πρωτοβεστιάριον ἀνεβίβασεν. ὁ δ᾽ ἑκατὸν χρυσίνους ἱκανοῦτο, ὁ δή γε Μελιτηνιώτης πεντήκοντα. ὁ γὰρ τρίτος Μετοχίτης διὰ νόσον προκατήχθη ἐπὶ τὰ οἴκοι ἐκεῖθεν, βασιλέως προστάζοντος. Illos itaque tunc* (nempe Veccum, Meliteniotem & Metochitam) *dissoluta Synodo, Cosmidii Monasterium habuit, convenientibus carceribus, custodiisque circummunitos. Ad eos mittens Imperator, ut quiescerent hortabatur, & causa sua juribus neglectis, ut libitum foret, vitam traducerent, sua præmuniti benevolentia, sin minus, exilia ipsis minabatur, & malis atque ærumnis affligendos, neque enim fieri posse, ut aliter quam statutum esset fieret: eos autem turpitudine atque infamia notatos, vitam perdere, nisi resipiscentes pacem amplecterentur. Hac Imperatore sæpius denuntiante, & bona promittente, illi neque tristium metu territi sunt, neque bonorum promissionibus deliniti: quin utrique vires assumentes, promptos semetipsos exhibebant, ad omne id quod Imperatori placuisset: libentius enim omnia se passuros, quam cum ita condemnantibus fœdus inituros. Porro magis ac magis in eos concitabatur Imperator, omnino pertinaces & obstinatos. Cum itaque nihil illi reliquum esset, quo delinire eorum animos posset, tandem exiliis agendum esse duxit, sicque ad arcem Sancti Georgii in Astaceno sinu naviganti dextra sitam, jubet navigio impositos abduci, ibique clausos, commissosque Celtis custodibus, & uni nescio cui ex Procitonibus Imperatoris relinqui, rebus necessariis destitutos. Qui nihil aliud ab ipso Imperatore habuere, nisi quod post aliquod tempus, cum in Orien-*

tem proficisceretur, Patriarchatum tenente Athanasio, freto quod apud Helenopolim est trajecto, Manuum Logotheiam in Protovestiarium promotum ad eos transmittens, huic quidem summam centum aureorum assignavit, Meliteniota vero quinquaginta: nam tertius Metochita propter ægritudinem antea inde domum, ita jubente Imperatore, deductus fuerat. Et Lib. IX. τὸν Μελιτηνιώτην δ' ἐξαγαγόντες ἐκεῖθεν, καὶ τῷ κατὰ τὴν πόλιν Μετοχίτῃ συνδιάσαντες. ἐπεὶ οὐκ ἦν σφίσιν εἰρηνεύειν, καθὼς ἀπῄτουν οἵ τε περὶ τὸν βασιλέα, καὶ οἱ τῆς ἐκκλησίας, κατὰ τὸ μέγα παλάτιο κατακλείουσι. *Meliteniotem autem inde extractum, cum Metochita qui in Urbe erat, conjungunt. Qui cum quiete vivere nollent, modo quo quærebant qui erant circa Imperatorem, & Ecclesiastici, in Magno Palatio custodia constringuntur.* Et Lib. XIII. cap. XXXII. μόνος δὴ τῇ φυλακῇ ὁ Μετοχίτης ἐγκαταλέλειπτο, μηδὲν καὶ αὐτὸς ἐνδιδοὺς ἔτι ὧν ἐξ ἀρχῆς ἐξείχετο. *Solus vero in carcere Metochita remanserat, in nihilo cedens ex iis, quibus ipse ab initio inhæserat.* Pro Georgio Metochita *Gregorium* nobis falso Gesnerus in Bibliotheca, & ex Gesnero Possevinus in *Apparatu Sacro* obtrudit. Multa pro asserendo Latinorum Dogmate scripsit, quæ vidit Allatius, hæc sunt.

Σύγγραμμα διαλαμβάνον ἃ μὲν πρὸς τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀντικείμενοι φάσιν εἰρήνην ἐπὶ τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπορεύσει, καὶ λοιπαῖς πατρικαῖς φωναῖς, ὥσπερ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ τοῦτο φωνοῦσιν, ἃ δὲ πατέρες οἱ θεοφόροι, διαλυτοῦντες διδάσκουσιν. *Tractatus partim ea continens, quæ Ecclesiasticæ pacis adversarii, de processione Spiritus Sancti, aliisque Patrum sententiis, illum ex Patre & Filio asserentibus opponunt: partim ea, quæ Deo pleni Patres, dubia dissolventes, docent.* Tractatus dividitur in quinque partes, quas author λόγους, Orationes appellat. Primæ illud est principium, τὸ περὶ Θεοῦ λέγειν οὐχ ὅπως φρικῶδες τοῖς κατ' ἐμέ. Secundæ ἐν ἡμῖν καὶ τοῦτο τῶν ἐγκλημάτων, τὸ θείων ἐκγραφικῶν. Tertiæ Ἐπειδὴ περὶ τάξεως τῆς ἐν Τριάδι διαλαμβάνοντες τῶν θεοφρηρήτων. Quartæ, περὶ τῆς δι' υἱοῦ δημιουργίας Μουζάλων ἐν μέσοις ἐκείνοις δικαστηρίοις τὸ συῤῥεῦσαν πλῆθος ἀνακυκῶν. Quintæ, ἃ μὲν οἱ περὶ τὸ λέγειν ὄντες δεινοὶ τῶν καθ' ἡμῶν ἀφρυωμένων τοῖς θείοις λόγοις ἐναπερεύγονται. Nec alios ab his quinque fuisse existimo, *Libros quinque Georgii Metochitæ de processione Spiritus Sancti*, qui asservabantur in Bibliotheca Antonii Augustini, Cod. 96. Hæc Allatius Lib. 2. *De Consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 15. paragr. 9. col. 769. qui eadem verbotenus repetit in Diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pag. 345. nempe utrobique Opuscula Metochitæ, *Opus de processione Spiritus Sancti* in quinque partes seu Orationes distributum &c. Excerptum satis amplum ex Libro V. *De processione Spiritus Sancti*, Græce & Latine idem Allatius exhibet in libro *De purgatorio* pag. 668. Excerptum aliud ex libro IV. *De processione Spiritus Sancti*, agens de *Epistola S. Maximi*, Græce & Latine edidit Combefisius *Auctarii Novi* ad Bibliothecam Patrum Tomo 2. pag. seu col. 1017. sub hoc titulo, *Georgii Metochitæ Confessoris Expositio Epistolæ S. Maximi ad Marinum de processione Spiritus Sancti, ipsaque S. Maximi Epistola contra Schismaticos.* Denique aliud Excerptum ex Libro V. *De processione Spiritus Sancti* refert idem Allatius in libro adversus Hottingerum pagina 511.

Ἀντίῤῥησις τῶν τριῶν κεφαλαίων, ὧν ἐξέθετο Μάξιμος μοναχὸς ὁ πλανούδης. *Responsio ad tria capita, quæ Maximus Planudes Monachus publicavit.* Principium, Πρὸς ἐρώτησιν ἀπροόπτως ἡμῖν φανεῖσαν χρεὼν ἀποκρίνασθαι.

Ἀντίῤῥησις τῶν ὧν συνεγράψατο Μανουὴλ ὁ τοῦ Κρήτης ἀνεψιός. *Responsio ad ea quæ Manuel Nepos Cretensis, conscripsit.* Principium, προστάξεις ἡ θεόφθογγος τὰς γραφὰς ἡ ἐρευνᾶν ἐπιτρέπουσα. Ambæ hæ refutationes extant Græce & Latine editæ ab eodem Allatio Tomo II. *Græciæ Orthodoxæ.* ac *Refutatio trium Capitum Maximi Planudis* pag. 922. *refutatio* autem *Manuelis Cretensis Nepotis* ib. p. 959. Λόγος διαλαμβάνων τὰ τῆς προβάσης εἰρήνης μέσον ἑκατέρων τῶν ἐκκλησιῶν, τῆς τε πρεσβυτέρας Ῥώμης καὶ τῆς νέας καὶ ἡμετέρας, καὶ τὰ παρηκολουθηκότα καθεξῆς. *Oratio continens concordiam inter utramque Ecclesiam antiquæ Romæ & novæ ac nostræ initam, & quæ deinceps subsecuta sunt.* Principium, οὐκ οἶδα εἰ καὶ ἄλλοτέ ποτε τοσοῦτον. Λόγος ἀντιῤῥητικὸς ἐπὶ τῷ τοῦ Κυπρίου τόμῳ, *Oratio contradictoria in Cyprii Tomum*, cujus principium, ὁ μὲν δὴ διεξοδικώτερον τῶν ἐμῶν λόγων ἔχει περανθείς, ὡς δέοντε, ἀποχρόντως λόγος διαλαμβάνων τὰ κατόπιν τῶν προῤῥηθέντων δύο λόγων, ἐπὶ τῇ αὐτῇ ὑποθέσει λεχθέντα τε καὶ πραχθέντα. *Oratio prosequens ea, quæ post prædictas duas Orationes, in eadem materia disputata & gesta sunt.* Principium, ἦν ἡμῖν ἄρα προτεθειμένον τοῦ κατὰ σκοπὸν, ὡς ἐνὸν ἐκτετραμαλωθέντα. Profert autem Allatius Excerptum ex Oratione Historica *De unione Ecclesiarum* Libro adversus Hottingerum pag. 429. & alia duo ex Oratione Historica *De dissidio Ecclesiarum* ibidem pag. 458. & 462. Quid in postremis hisce tribus Orationibus Metochita contineat, satis nobis indicavit Joannes Chamata, Chius Chartophylax & Archimandrita Magnæ Ecclesiæ. αὕτη ἡ βίβλος Γεωργίου τοῦ Μετοχίτου διαλαμβάνει τὰ αἴτια καὶ τὰς ἀρχὰς, δι' ἃς οἱ γραικοὶ ἀπέκοψαν τὸ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα μνημόσυνον, ὡς ἐγίνετο διὰ φιλαρχίαν, ἧς ἦρξατο Φώτιος. προσέτι δὲ καὶ τὸν τόμον ὃν ὁ Κύπριος πατριαρχεύων, καὶ τὰς τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ἡνίας παρανόμως ἔχων, σὺν τοῖς αὐτοῦ συνθιασώταις κατὰ τῆς δυτικῆς ἐκκλησίας φιλαρχῶν ἀπειργάσατο. ἐφ' ὥπερ παρανόμῳ καὶ ἀθέσμῳ κακίστῳ τόμῳ, ὁ πρώην τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ἀρχιερεὺς Ἰωσὴφ τὺν ἅμα σὺν τῷ μεγάλῳ χαρτοφύλακι τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ τῷ προῤῥηθέντι διακόνῳ τῷ μετοχίτῃ τῇ εἱρκτῇ ἐνεβλήθησαν, διὰ τὸ μὴ ὑπογράψαι αὐτοὺς ἐν τῷ αὐτῶν κακῷ εἰς τὴν

τῶν ἐκκλησίων διαίρεσιν ἐκτεθέντι τόμῳ. ἕ ἕνεκεν ὁ αὐτὸς διάκονος Μετοχίτης ἐν φυλακῇ διάγων οἰκτρῶς, τὸ παρὸν βιβλίον εἰς ἔνδειξιν τῆς ἀληθείας ἀρίςως ἐγράψατο, ϗ τὸ κακῶς παρ᾽ αὐτῶν ἐκτεθέντα ϗ τυπωθέντα ἐντέχνως, ϗ σαφῶς ἀνασκεύασεν. καὶ πρώτιςον τὸν τῆς δυτικῆς ἐκκλησίας πάντων ἀρχιερέων ἀνέδειξιν, ϗ διὰ μαρτυρίας τῶν θείων ϗ ἁγίων προσπελθέντων πατέρων ἀπεφήνατο, ὡς τὸ θεῖον καὶ πανάγιον πνεῦμα ἐκ τῦ πατρὸς καὶ ἐκ τῦ ὑιῦ ἐκπορεύεται. καὶ ἐκ εἰσὶ δύο αἴτια, ἐδὲ ἀρχαὶ δύο, ἀλλ᾽ ἡ μία, καὶ ἡ αὐτὴ τῦ πατρὸς καὶ τῦ ὑιῦ ἀρχὴ καὶ αἰτία ἐκπορεύει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καθ᾽ ὅσον ἕνηται ὁ ὑιὸς τῷ πατρὶ, καὶ ὡς πάντα τὰ τῦ πατρὸς διαβαίνει φυσικῶς πρὸς τὸν ὑιὸν, κατὰ τὸν θεῖον ϗ πνευματοφόρον πατέρα Κύριλλον. *Liber hic Georgii Metochita continet causas & principia, ob qua Graci, Sanctissimi commemorationem Papa exciderunt, idque factum esse propter dominationis ambitionem, cujus primus author fuerat Photius. Item Tomum a Cyprio Patriarcham obtinente, & Orientalis Ecclesia habenas prater jus omne moderante, cum suis sequacibus adversus Occidentalem Ecclesiam dominationem ambiente compositum, cui impio, iniquo, ac pessimo Tomo prior Orientalis Ecclesia Pontifex & ejusdem magna Ecclesia magnus Chareophylax, & dictus Diaconus Metochita, quod Tomus ille in divisionem, Ecclesiarum expositus maligne fecerat, nolentes subscribere, carceribus traduntur. Propterea hic Metochita Diaconus, cum pessime in custodia tractaretur, ad comprobationem veritatis volumen hoc quam optime conscripsit: & male ab illis tradita & constituta, artificiose sapienterque refutavit, primumque reliquorum Omnium Pontificem, Occidentalis Ecclesia Praesulem ostendit. Et authoritate divinorum ac sanctorum, qui praecesserunt. Patrum, demonstravit divinum ac sanctissimum Spiritum ex Patre & ex Filio procedere: nec ideo esse duas causas, nec duo principia, sed unum & idem Patris & Filii principium & causam, effundere Spiritum Sanctum, in quantum unitur Filius Patri, & omnia Patris transeunt naturaliter ad Filium, ut divinus & Spiritum Sanctum ferens pater docet Cyrillus.* Dictio in omnibus dura, compositio aspera, nullo fuco, nullo lenocinio mollita, ubique tamen pietatem redolet. Sententiæ graves, argumenta ad probandum id quod voluit firma, sed elocutione & impositione nominum horrida & confragosa. Indignus tamen author, qui tamdiu cum tineis luctetur, sibique soli sapiat. Jacobus Gretserus hunc Georgium Metochitam confundit cum alio Theodoro Metochita, & Magno Logotheta, de quo prolixius forte quam par erat, Gregoras in *Historia* Sermonem instituit. *Summa* namque *totius Philosophia*, quam Georgio adscribit, Theodori fuit. Errorem Gretseri secuti sunt alii viri docti & eruditi, atque inter alios Gerardus Joannes Vossius *De Historicis Gracis* Lib. 2. cap. 29. pag. 308. dum asserunt Theodorum Metochitam ab Andronico Seniore, una cum Vecco & Meliteniota relegatum fuisse, id quod Georgio convenit. Georgius enim Metochita, Vecci & Meliteniotæ in Dogmate contra Græcos de Processione Spiritus Sancti defendendo, socius fuit, & cum prædictis missus in exilium. Theodorus autem Metochita Gregoræ alius est, qui multo post ab Andronico Juniore ad annum 1328. exilio mulctatus est, ob amicitiam et necessitudinem summam, quam cum Andronico Seniore semper coluerat. Ita Allatius *De consensu utriusque Ecclesia* verbotenus, Lib. 2. cap. 15. §. 9. col. 769. & in Diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pag. 345. Edidit Philippus Labbeus *Novam Bibliothecam MSS. Librorum Gracorum, Latinorum ac Gallicorum*, seu *Specimen antiquarum Lectionum Gracarum, Latinarum ac Gallicarum*, ex Catalogo præsertim Regiæ Galliarum Bibliothecæ MSS. Codicum, impressam anno 1653. Parisiis in 4. apud Joannem Henault. Illic parte 1. pag. 84. *Georgii Archidiaconi CP. De Spiritu Sancto libri tres, cum refutatione trium Capitulorum Maximi Planudis & Scriptorum Mannelis Cretensis*, in Codice Regio 1185. in 8vo. autem dicuntur esse *Georgii Diaconi Metochita De processione Spiritus Sancti libri V. Responsio ad tria capita, qua proposuit Maximus Planudes & Responsio ad ea qua Manuel Cretensis cognatus scripsit.* Item *Supplemento III.* pag. 184. *Georgii Diaconi Metochita de processione Spiritus Sancti Libri V.* Græce MSS. in Bibliotheca Regis Catholici Scorialensi. Denique ibidem *Supplemento III.* pag. 186. *Epistola Gregorii Rethoris Antiocheni 7. Theodori Metochita CXLV.* Hæc de MSS. Codicibus Metochitarum, quos Jacobus Gretserus & Gerardus Joannes Vossius simul confuderunt.

CONSTANTINVS MELITENIOTA ac- 1870
cedit hic tertius commilito, magno æque in propugnanda Ecclesia contra Græcos animo, & tormentis Suppliciisque ferendis, qui Joanni Vecco loco filii fuit, ut in testamento asserit, juxta eundem Allatium quem hic transcribimus, Libro 2. *De consensu utriusque Ecclesia* cap. 15. §. 10. col. 773. De illo Gregoras Libro VI. *ταῦτα ἄρα ϗ ὑπερορίας ἐςὶ πολίχνιον τῶν περὶ βιθυνίαν παραλίων πέμπεται ἅμα τοῖς ἀμφ᾽ αὐτῷ, Μελιτηνιώτης δ᾽ ἦσαν ὗτοι ϗ Μετοχίτης. Quapropter denuo in exilium, in oppidulum quoddam Bithynia maritimum, una cum Meliteniota atque Metochita mittitur.* Scripsisse eum plura pro veritate, verosimile est, ne inferior aliis esset. Ejus tamen ego vidi *λόγον περὶ τῆς ἐκκλησιαςικῆς ἑνώσεως Λατίνων ϗ Γραικῶν, De Ecclesiastica unione Latinorum & Gracorum.* Principium, *Πρόσεχε ὐρανὲ ϗ λαλήσω, ϗ ἀκουέτω γῆ ῥήματα.* Et alium ejusdem Tractatum satis prolixum *De processione Spiritus Sancti*, Initium, *ἐπερώτησαν τὸν πατέρα, ϗ ἀναγγελεῖ σοι· τὺς πρεσβυτέρυς σῦ ϗ ἐρῦσι σοι.* Extant Græc. & Lat. Tomo 2. *Gracia Orthodoxa* pag. 642. & 765. Addo extare quoque in Regia Galliarum Bibliotheca, Codi-

ce MS. Græco 2686. *Versionem Medicamentorum factam ex lingua Persica in Græcam* a Constantino Meliteniota sub hoc titulo, *αὗται αἱ ἀντίδοτοι ἑμεθερμηνεύθησαν ἐκ τῶν Περσῶν εἰς τὴν Ἑλλάδα παρὰ Κωνσταντίνου ἰατροῦ, τοῦ Μελιτηνιώτου:* ex quibus constat eum aliquando medicinæ collocasse operam, atque Linguæ Persicæ eruditum fuisse ac gnarum. De illo Pachymeres *Historia* lib. 13. cap. 23, *τοῦ δ' αὐτοῦ μηνὸς βοηδρομιῶνος κατὰ τὴν καινὴν κυριακὴν, καὶ ὁ Φυλακίτης Μελιτηνιώτης ἐπεὶ κεῖ τῇ ἐξ ἀρχῆς ἐπιμένων γνώμῃ, μηδὲν πλέον πρὸς βασιλέως ἀξιώσας, ἢ τὸ ἐπί τινι τῶν περὶ τὴν πόλιν αἰουμένων νήσων ἀπαχθῆν τὸ ἴδιον σκῆνος ταφῆναι, ὃ καὶ γέγονεν, καὶ εἰς τὴν πλάτην εκκομίζεται, καὶ εἰκαίως θάπτεται.* Hoc eodem mense Boedromione, *nova Dominica*, *Meleteniota qui in carcere erat, moritur in eadem sententia, cui ab initio inhæserat, persistens.* *Ab ipso Imperatore tantum impetravit, ut ad aliquam inhabitatarum insularum, quæ circa Byzantium sunt, cadaver ejus asportaretur, & sepulturæ daretur. Quod & factum est, & ad Platam convehitur, ibique contemptim sepelitur.*

1270 SIMON CONSTANTINOPOLITANUS ex Ordine Prædicatorum quem dum professus est, Græcis relictis ad Latinorum partes transiens, circa hæc eadem tempora suam quoque operam Ecclesiæ Romanæ præbuit, Tractatibus tribus *De processione Spiritus Sancti contra Græcos* conscripsit. Primum Manueli Olobolo, qui postea Monachum induens, Maximus dictus est, inscripsit. Principium, *Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον φιλανθρωπότατον ὄν, διὰ τοῦ σοφοῦ Σολομῶντος.* Secundum Sophoniæ, cujus principium, *μέμνημαι ὡς ὅτε ἡ μεγάλη ἁγιωσύνη σου ἀπέσταλτο παρὰ τοῦ τρισμεγίστου βασιλέως.* Tertium Joanni Nomophylaci, cujus principium, *ἡ δήλωσις τῶν λόγων σου φωτιεῖ.* Et forte non alius fuerit a Simone Episcopo primum Gyracii, & mox Thebarum Archiepiscopo, Græce, Latine & Hebraice docto, & in divinis Scripturis continua lectione exercitato, qui anno 1400. claruit, ut ex Sixto Senensi tradit Possevinus in *Apparatu Sacro*. Sed obstant tempora, neque si mixtus est Disputationi Joannis Vecci circa annum 1270. vel 1280. vitam ad annum usque 1400. extendere potuit. Illius etiam videtur meminisse Georgius Trapezuntius Epistola ad Monachos Cretenses *De processione Spiritus Sancti.* *Σίμων ἱερομόναχος τῆς τῶν κηρύκων τάξεως, ζηλωτὴς ὢν τῶν θείων δογμάτων, ἦλθεν εἰς Ῥώμην, ἵν' ὅσον δυνηθείη ἐν κυρίῳ τοὺς κρῆτας, ὅθεν ἐστὶ καὶ αὐτὸς, ὠφελήσειε. καὶ πρῶτον μὲν τὴν ἐρευνῶντε καὶ κρίσιν τῶν ἐν Ἑλλάδι αἱρετικῶν ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄκρου ἀρχιερέως. ἔπειτα δὲ καὶ γράμματα ἐδόθη αὐτῷ παρὰ τοῦ αὐτοῦ ἀρχιερέως, διαλαμβάνοντα δεῖν πάντας τοὺς Γραικοὺς, ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς μνήμην ποιεῖσθαι τοῦ Πάπα ἐν ταῖς θείαις λειτουργίαις. καὶ τὸ ἅγιον σύμβολον ἀκολούθως τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐκφωνεῖν οὕτω, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Ἐγὼ ἂν κρὴς ὢν καὶ αὐτὸς, ἀγαπῶ ὑμᾶς, καὶ ἐφίεμαι τῆς σωτηρίας ὑμῶν, ὡς ἰδίων, πολλῷ μᾶλλον τῶν ἄλλων. διὰ τοῦτο γράψαι πρὸς ὑμᾶς ᾠήθην δεῖν οὐκ ἐν φιλοσοφίᾳ λόγων ἀνθρωπίνων, ἀλλ' ἐν ἁπλότητι ἀληθείας καὶ ἀκριβείας δογμάτων, ὅσον ἐμοὶ ἐφικτόν.* *Simon Hieromonachus ex ordine Prædicatorum, cum impensius zelo divinorum dogmatum exardesceret, Romam appulit, ut pro viribus in Domino, Cretenses Cretensis ipse adjuvaret. Et primum quidem inquisitionem & judicium Hæreticorum, qui in Græcia sunt, a summo Pontifice obtinuit. Accepit deinde literas ab eodem summo Pontifice, quibus præcipiebatur, ut Græci omnes tam Antistites quam Sacerdotes, commemorationem Papæ inter Missarum sacra solemnia facerent omnino, & sacrum Symbolum, ut in Romana Ecclesia fieri solebat, hunc in modum recitarent,* Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. *Ego itaque Cretensis & ipse diligo vos vestramque salutem, tanquam propriorum, aliis avidius impensiusque cupio. Propterea ad vos scribere necessarium esse duxi, non in sapientia humanorum sermonum, sed in simplicitate veritatis & certitudine dogmatum, quantum mihi concessum fuerit.* Sed quomodo hic qui Cretensis est, Constantinopolitanus fuerit? Non alio, quam quo Georgius Cretensis, Trapezuntinus factus est. Potuit enim in Creta insula nasci, & genus Constantinopolim referre: ideoque Constantinopolitanus dictus, ex celebrioris urbis nomine, nomini suo laudem libans, Hæc Leo Allatius Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis*, cap. 15. §. XI. col. 774. qui eadem verbotenus repetit in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 202. addit autem pag. 203. Legi etiam ipsius in Joannem Cantacuzenum Carmina sic inscripta, *Σίμωνος ἀρχιεπισκόπου θηβῶν.*

> *Ὅπλοις κραταιοῖς ἑλκύσας ζωῆς ξίφη,*
> *Ἀνειδότως. φεῦ, αὐχένας κάμψας κράτει,*
> *Καταλύσας δὲ δυτίκαις εἴδος ἅπαν,*
> *Ἀνδρῶν, γυναικῶν, καὶ τόπων καὶ ταγμάτων,*
> *Νῦν ἐν νικῶν ἔσγηκας ὦ σχίας λάτρι,*
> *Προφητολάτοις χαλινοῖς γνάθους στρέφων,*
> *Ἐν τῷ παθόντι, τῷ νικηθῆναι λόγῳ.*
> *Ἄλλοις χρόνοις ἤκουσε πολλὰ πολλάκις σοι.*
> *Τελεῖον εὐχαῖς ἀλαλαζόντων ἔτι.*
> *Θρυλλεῖτο νῦν δὲ τοῖς ἀπείροις τῶν χρόνων*
> *Ὁ στρατιώτης, ὁ στρατηγὸς, ὁ βρέμων,*
> *Κα τακαζηνὸς ὡς ἄναξ ἰωάννης*
> *Σεπτοῖς τε συζῶν ἁγίοις Ἰωάσαφ.*
> *Τάξει πάσῃ γὰρ ἐξέλαμψεν ἀλόγως.*

Difficile tamen est, ut qui jam scribebat temporibus Manuelis Oloboli, miscebaturque in Joannis Vecci circa annum 1280. disputationibus, cujus causam tuebatur, usque ad tempora Joannis Cantacuzeni, atque ad annum 1355. quo nuntium Imperio misit, idem Symon vitam prorogaverit, nisi Centenarium illum faciamus.

Quid

Quid si duo ejusdem nominis, sibi invicem in eadem Thebarum Metropoli successerint? quorum unus tempore controversiarum Joannis Vecci, alter autem junior temporibus Joan. Cantacuzeni extiterit, qua de re eruditi videant. Denique hujus Symonis Constantinopolitani, extat Græcè & Latinè prolixa *Epistola*, non tamen integra, *ad Joannem Nomophylacem*, *De Conciliis quæ processionem Spiritus Sancti esse à Filio definierunt*, apud Leonem Allatium, Libro *adversus Hottingerum* pag. 314. a quo quidquid hic diximus, verbotenus paucissimis demptis, accepimus.

1270 MATTHÆUS PANARETUS cognomine, officio *Quæstor* in Imperio Orientali, tum *Præfectus Vestiarii* seu *Protovestiarius* in aula Imperiali, claruit anno circiter 1274. Cujus Scriptoris etiamsi hucusque satis obscuri, inquisitione tamen factâ, multi mentionem faciunt. Meminit ejusdem etiam authoris Leo Allatius Lib. 2. *De Ecclesia Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* cap. 17. §. 5. col. 843. ubi cum solo cognomine Panaretum appellat, Lectorique suo dijudicandum relinquit, an ille idem sit atque *Panaretus Præfectus Vestiarii*, quem Georgius Pachymeres Lib. 5. *Historiæ Byzantinæ* cap. 17. & 21. refert an. Christi 1273. ab Imperatore Michaele Palæologo unà cum aliis quatuor Legatis, concordiæ Ecclesiasticæ causâ, missum esse Romam ad Summum Pontificem *Gregorium Decimum*, atque in itinere cum uno ex Legationis suæ Collegis, nempe *Magno interprete Berrhocote*, apud Malcam Peloponnesi promontorium periisse naufragio. Ibi Allatius hunc vocat *Protovestiarium*, quod improbat Lambecius: quod enim ὁ προκαθήμενος τῦ βεςιαρίυ, sive *Præfectus Vestiarii* à Protovestiario diversus fuerit, manifestè indicat Georgius Codinus *De officiis Aulæ & Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, cap. 2. Hujus autem Chronologiæ à nobis stabilitæ veritatem demonstrat solidè ac firmissimis argumentis Petrus Possinus Soc. Jesu *in Observationibus Chronologicis* ad Libri tertii *Historiæ Pachymerianæ* De Imperio Michaelis Palæologi caput sextum pag. 518. Ideoque corrigendus est Leonis Allatii locus suprà citatus, ubi Legationem illam & interitum *Panareti* anno Christi 1247. contigisse legitur. Corrigendus quoque est Joannes Sambucus, qui Codice 258. fol. 116. ubi de Opusculo quodam Matthæi Panareti agere voluit, è regione tituli propriâ sua manu ad marginem annotavit: *Matthæus hic fuit Rhodius, & vixit paullò ante Concilium Florentinum, ut ex Scholario apparet, vir non indoctus.* Hæc Sambucus, qui rectiùs illum vixisse paullò ante Concilium anni 1274. Lugdunense, quam ante Florentinum anni 1439. asseruisset. Scripsit iste *Matthæus Panaretus* Opuscula plurima temporibus suis *contra Ecclesiam Latinam* in suorum gratiam Græcorum. Nam inter Manuscriptos Codices Theologicos Græcos Imperatoriæ Bibliothecæ Vindobonensis, Codex CCLVIII. qui chartaceus in folio & utcunque vetustus est, atque ad Joannem Sambucum, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim pertinuit, nihil aliud continet, quàm Opuscula Polemica ad Matthæum Panaretum spectantia.

Ac primò quidem à folio 1. usque ad 3. habetur *Index Græcus*, quo enumerantur *Matthæi Quæstoris Opuscula XXII. contra Latinos*, ex quibus in hoc Codice MS. nunc tantum *octo priora* supersunt. Ipse Indicis istius titulus Græcus cum initio omnium Opusculorum jam prædictorum, talis est: Πίναξ ἀκριβὴς τῆς παρούσης πυκτίδος. Τά δε πᾶσα περιέχει ἡ βίβλος πονήματος Ματθαίυ Κοιαίςωρος Ἀγγέλυ τῦ Παναρέτυ, συγγραφέντα παρ' αὐτῦ, καὶ πάσης τῆς τῶν Λατίνων δόξης, καὶ κατὰ πάντων, ὧν δογματίζυσι ἐγγραφῶς τε καὶ ἀγράφως. Α'. Κατὰ Θωμᾶ Λατίνυ τῦ Ἀχίνυ.

Secundò à folio 4. usque ad fol. 18 *Matthæi Quæstoris Antithesis contra S. Thomam Aquinatem De processione Spiritus Sancti*, cujus titulus & initium tale est: Θωμᾶ Λατίνυ Φιλοσόφυ τῦ Ἀχίνυ τῆς τάξεως τῶν Φρακηρύκων, ὡς ἐν τοῖς θείοις ληπτέον ἂν εἴη τὴν ἐκπόρευσιν τῦ ἁγίυ Πνεύματος. Ἀντίθεσις πρὸς ταῦτα Ματθαίυ Κοιαίςωρος Ἀγγέλυ τῦ Παναρέτυ. Προοίμιον τῆς Ἀντιθέσεως. Λόγος α'. Ἀνασκευὴ πρὸς ταῦτα τῦ Παναρέτυ. Τὸ τῆς θεολογίας ὑπέρτατον καὶ ἀκατάληπτον χρῆμα μὴ μόνον ἀνθρώπινον ὑπερβαίνει διάνοιαν &c.

Tertiò & quidem à fol. 18. usque ad fol. 69. *Ejusdem Matthæi Quæstoris Antithesis contra S. Thomam Aquinatem, De igne purgatorio*, cujus titulus & initium: Τῦ αὐτῦ Φιλοσόφυ Θωμᾶ τῦ Ἀχίνυ λόγος ἕτερος, πῶς ἐςὶν ὁ εἰδικὸς τόπος, ἔνθα αἱ ψυχαὶ καθαίρονται πρὶν ἀπελθεῖν εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ὅτι μετὰ ἀνταποδόσεως ἅπαντες τῶν ἀνθρώπων, οἱ μὲν παραχρῆμα τῆς αἰωνίυ ἀνταποδόσεως τὰ γέρα κομίζονται: οἱ δὲ παραχρῆμα ταῖς αἰωνίαις τιμωρῦνται βασάνοις, οἱ δὲ καθαίρονται διὰ καρθηρίυ πυρὸς, καὶ ὕτως εἰς τὴν βασιλείαν εἰσέρχονται. ὃ καὶ πρὸς ταῦτα ἡ Ἀντίθεσις Ματθαίυ. Ἡ τῦ λόγυ ἀρχὴ τῦ Θωμᾶ. Νῦν λείπεται θεωρῆσαι περὶ δόξης ἐνίων λεγόντων καθαρτήριον μὴ εἶναι κατὰ θάνατον &c. Ἀντίθεσις. ὄντως παραπεπήγασι ταῖς ἀρεταῖς αἱ κακίαι &c.

Quattò à folio 69. usque ad fol. 91. *Ejusdem Matthæi Quæstoris Dissertatio contra Latinos De primatu Papæ*, cujus titulus & initium: Ματθαίυ Κοιαίςωρος Ἀγγέλυ τῦ Παναρέτυ ἀνασκευὴ τῶν λεγομένων παρὰ Λατίνων, ὡς ὁ Πάπα ἔχει τὴν ἀρχὴν πάσας Ἐκκλήσιας, λαβὼν αὐτὴν κατὰ διαδοχὴν ἀπὸ τῦ μακαρίυ Πέτρυ, καὶ ὡς ἔξεστιν αὐτῷ κατὰ πᾶσαν ἐξυσίαν, καὶ δογματίζειν καὶ ποιεῖν ὅσα καὶ βύλοιτο. Φασὶν οἱ Λατῖνοι, ὡς τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τὴν ἑαυ-

τῆ ἐκκλησίαν ὁ Δεσπότης Χριςὸς ἐνεχείρησε „&c.

„ Quintò & quidem à fol. 91. usque ad fo- „lium 99. *Ejusdem Matthæi Quæstoris refutatio „sex capitum à Latinis editorum, in defensionem pro- „cessionis Spiritus Sancti ex Patre & filio*: cujus „titulus & principium, Τῦ αὐτῦ κατὰ τῆς αὐτῦ „καὶ πνευματομάχυ ἀσεβείας τῶν Λατίνων. „Ταῦτα τὰ ἓξ κεφάλαια προφέρυσιν οἱ Λατῖ- „νοι &c.

„ Sextò & quidem à fol. 99. ad fol. 101. „*Ejusdem Matthæi Quæstoris Demonstratio, in quot „absurditates Latini necessario incidant, dum Spiri- „tum Sanctum etiam ex filio procedere asserunt.* „Ipsa tituli Græci verba cum initio Demonstra- „tionis hæc sunt, Τῦ αὐτῦ Ἀπόδειξις εἰς ὅσα „πίπτυσι ἐξ ἀνάγκης οἱ Λατῖνοι τὰ ἄτοπα, λέ- „γοντες τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τῦ υἱῦ ἐκπο- „ρεύεσθαι Τοῖς λέγυσιν καὶ ἐκ τῦ υἱῦ τὸ Πνεῦ- „μα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι, δύο αἴτια ἐξ ἀνάγκης „ἕπεται λέγειν &c.

„ Septimò & quidem à folio 101. pag. 2. usque „ad fol. 112. pag. 2. *Ejusdem Matthæi Quæstoris „Dissertatio de aliis viginti duobus absurdis errori- „bus Latinorum*, cujus hic titulus atque initium: „Τῦ αὐτῦ περὶ τῶν ἄλλων ἀτοπημάτων τῶν κα- „κοδόξων Λατίνων κβ. ὄντων. Ὅτι θύοντες ἄζυμα, „τὴν νέαν καταλύυσι διαθήκην πολλὴν ἐπρεπεν „ἡμῖν &c.

„ Octavò & quidem à folio 113. pag. 1. usque „ad folium 116. pag. 2. *Ejusdem Matthæi Quæsto- „ris Dissertatio contra Latinos de primatu Papæ*, cu- „jus titulus & initium: Τῦ αὐτῦ πρὸς τὺς Λα- „τίνυς λέγοντας τὸν θεῖον Πέτρον ποιμένα τῶν „Ἀποςόλων καὶ μείζονα καὶ πρῶτον τῷ ἀξιώματι, „διὸ καὶ τὸν Πάπαν ἀξιῦσι πρὸς πάσας οἰκυμέ- „νης ἐκκλησίας τοιῦτον εἶναι, κατὰ τὸν Ἀπόςολον „Πέτρον. Ὅτι μὲν ὁ θειότατος Πέτρος τῶν Ἀπο- „ςόλων ἐςὶ κορυφαῖος καὶ πρῶτος τῇ τάξει, „καλῶς παρὰ τῆς ἐκκλησίας πιςεύεται. ὃ μὲν „δὲ &c.

„ Nonò & quidem à folio 116. pag. 2. usque „ad folium 143. pag. 2. *Ejusdem Matthæi Quæ- „storis Dissertatio contra Latinos de Azimis*, cu- „jus titulus & principium: Ματθαίυ Κοιαί- „ςωρος Ἀγγέλυ τῦ Παναρέτυ κατὰ τῶν Λατίνι- „κῶν ἀζύμων. Ἐγὼ μὲν πολλάκις παρεσκευαζό- „μην πρὸς τὴν κατὰ τῶν Ἀζύμων αἵρεσιν ἀπο- „δύσασθαι &c.

Codice etiam Manuscripto Theologico Græco CCLIX. qui olim ad Joannem Sambucum pertinuit, continentur ex octo præfatis Matthæi Quæstoris Opusculis contra Latinos Theologicis, præcedenti Codice MS. comprehensis, priora quatuor, nimirum, *De processione Spiritus Sancti contra Sanctum Thomam Aquinatem, De igne purgatorio contra eundem Sanctum Thomam, De primatu Papæ & De processione Spiritus Sancti contra sex capita Latinorum.* Atque hic Manuscriptus Codex Cæsareus ultimus, ille ipse est cujus meminit Joannes Jacobus Frisius *in Bibliotheca Universali* his verbis: *Matthæi Quæstoris Refutatio argumentorum Philosophi Thomæ Aquinatis De processione Spiritus Sancti, junctis ejusdem contra eundem Thomam Libellis duobus, quorum altero refutatur Hierarchia sive Imperium Sacerdotum, & præjudicium Romani Pontificis: altero rejicitur & impugnatur Purgatorium, in 8. manuscriptum in Bibliotheca Imperatoria Viennæ.* Hæc Frisius quæ nos distorta correximus, multisque emendat Petrus Lambecius, sed ad nostrum institutum nullatenus spectantibus. Inter autem Manuscriptos Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 3378. in Manuscriptis Codicibus Joannis Seldeni Codice 48. extant *Matthæi Quæstoris, Angeli Panareti contra Thomam Aquinatem & Latinos Tractatus viginti.* Et etiam in Bibliothecarum Hibernicarum Catalogo Codice 274. in Manuscriptis Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinensis litera C. Codice 134. *Matthæi Quæstoris Angeli Panarati Opuscula contra omnes Latinorum errores, præcipuè in Thomam Aquinatem Iohannem Beccum* Græcè in 4. F. 58. Agunt *De Matthæo Quæstore Panaretο* Georgius Pachymeres Lib. 5. *Historia sua Byzantina* cap. 17. & 21. Leo Allatius Libro 2. *De perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 17. §. 5. Petrus Lambecius tomo seu libro 5. Commentariorum *Bibliotheca Cæsareæ Vindobonensis* pagg. 167. 177. 178. & in Catalogo pag. 342.

THOMAS DOCKINGHAM, SEV DOCKINGVS, natione Anglus, anno circiter 1270. claruit, insignis Theologus Anglicæ gentis, atque in Academia Oxoniensi Cancellarius. Scripsit *Commentaria in 4. Libros Sententiarum*, quod opus olim MS. extabat in Bibliotheca Londoniensi, sed tandem emersit è prælis Parisiensibus anno 1505. Ejusdem authoris extant *Commentarii super Deuteronomium, Isaiam Prophetam, Epistolas omnes Sancti Pauli Apostoli & Apocalypsim S. Ioannis*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Codicibus 27. 28. & 199. Affirmare non audeo, an idem sit cum Thoma de Docking Ecclesiæ Oxoniensis Cancellario, cujus extant *Quæstiones LXXXVIII.* Oxonii in Bibliotheca Collegii novi Codice 134. quamvis hoc valde probabile sit. Denique inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 2403. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera F. 4. Codice 9. Thomæ Docking De sufficientia Articulorum in Symbolo contentorum, & quot Symbola sunt, & in quot partes dividuntur, cum aliis eo spectantibus. Hujus meminit Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* pag. 827. verbo *Ioannes Bockingham*, qui ut opinor in prænomine fallitur. Cujus honorificam pariter mentionem facit inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5015. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. seu num. 176. pag. 236. ubi nomina eorum, qui Theologiam in Scholis Franciscanis Oxoniæ docuerunt, & Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 323. ubi cum appellat *Thomam Dochingum*, quem Mi- 1270

ne-

noritam seu Franciscanum facit, quamvis non probet. Ibi videas accuratiorem Operum hujus Thomæ Dockinghami delineationem, quam hic tibi per compendium obtuli.

1270 GVILLELMVS RISHANGER, Anglus, Monachus Ordinis divi Benedicti, ad fanum Sancti Albani, in honore habebatur tum temporibus Henrici Tertii Anglorum Regis, cujus & stipendio Chronographus fuit, post Matthæi Parisiensis mortem quæ anno 1260. contigit conductus, cui in hoc officio successit: tum etiam temporibus Eduardi I. & II. Mos enim & consuetudo Regum Occidentalium ac Anglorum imprimis tunc fuit, ut secum haberent eos, qui gesta eorum veritate præcipua notarent, ut *in Britanniarum Historia* Ponticus Virunnius habet. Hoc certè officium, multis annis Abbatiæ S. Albani Monachis in Anglia delegatum fuit, qui Regum facta per annos singulos scripserunt. In ea functione fuit Guillelmus Rishanger, qui ad Joannem ejusdem loci Abbatem, ab anno Domini ad suam usque ætatem insigni labore composuit.

Chronicorum Opus Lib. I. *Sunt quædam vetustatis indicia &c.* habetur inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 8323. in MSS. Bibliothecæ Jacobeæ Codice 601. *Guilielmi de Risthanger Chronicon.* Accenset Pitseus esse illam *Collectionem*, quæ MS. habetur Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti Codice 317. num. 2. quod Opus Thomas Walsinghamus ad annum 1322. adnotavit extitisse in Monasterio S. Albani.

De bellis Leuves & Evesham Lib. I. *Quamplurimorum malis inolevit consuetudo &c.* Extat in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Claudii litera D. Codice 6. num. 4. *Chronica Fratris Willelmi de Risshanger de duobus bellis apud Lewes & Evesham inter Regem Angliæ & Barones suos infra biennium commissis*, hoc est anno 48. Regis Henrici 3. id est anno Christi 1263. & 1265.

Super Electione Scotorum Regis Lib. I. *Ad regiæ celsitudinis Angliæ &c.*

De Joanne Bolliolo Rege Lib. I. *Convenientibus apud Norham Dominis &c.*

De jure Regis Anglorum ad Scotiam Lib. I. *Sanctissimo in Christo Patri &c.*

Annales Eduardi primi Lib. I. *Anno Domini 1300, septimo Nonas &c.*

Atque censet Pitseus, hæc omnia esse Collectionem eam variorum Tractatuum Historicorum, quæ MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti asservatur, Cod. 317. inscripto in Ecloga Thomæ Joannes Oxonio Cantabrigiensi p. 92. *Guillelmus Rishanger & alii Collectores Historicorum tractatuum* Scripsit etiam *Continuationem Matthæi Parisiensis* ab anno 1260. usque ad ultimos annos Henrici tertii, hoc est ad annum 1273. quo jam scribebat: quam habes ad calcem Historiæ Matthæi istius, in ultimis editionibus annorum 1640. & 1684. Porrò *Opus Chronicorum Guillelmi Rishangeri*, extitisse suo tempore MS. in Monasterio Sancti Albani, annotavit Thomas Wallinghamus ad annum 1322. Claruit ab anno 1270. usque ad annum 1312. quo annos ætatis habens 62. in Monachatu autem 41. sub Eduardo secundo, in suo tandem Cœnobio sepultus est. De illo Joannes Balæus *De Scriptoribus Britanniæ* Centuria 4. Scriptore 94. Joannes Pitseus ibidem ætate 14. Scriptore 458. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi Balæum exscribit. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 9. p. 790. & Lib. 2. cap. 58. p. 473. ult. ed.

THOMAS SPOTTUS VEL SPROTTUS, Monachus Anglus natione, Ordinis divi Benedicti, ad fanum Sancti Augustini, claruit anno 1274. sub Eduardo primo, qui memoriam sui ad posteros transtulit *Historia Cantuariensium ac Vitis Abbatum Cœnobii sui*, ab adventu Augustini Anglorum, ut vocant Apostoli, usque ad annum gratiæ 1272. cujus MS. exemplar habet Bibliotheca Gualteri Copi. Idem argumentum postea tractavit Guillelmus Thornus ejusdem Cœnobii Benedictinorum Monachus, qui pleraque omnia ex Sprotto exscripsit, satis sibi habens pauca de suo adjecisse, quæ eum præcedentem effugerant. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 61. pag. 494. Extat autem hoc Opus MS. in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vitellii Litera D. Codice 11. num. 9. inscriptum *Chronica Monasterii S. Augustini Cantuariensis per Thomam Sprott, Monachum Augustinensem*, id est *ejusdem S. Augustini Ecclesiæ*. Et ibidem litera E. Cod. 4. num. 7. fragmentum Historiæ Thomæ Sprotti, Monachi Monasterii S. Augustini Cantuariensis ab anno 1055. ad annum 1202. secundum seriem Abbatum à Wilfrico ad Rogerum primum. Mentionem facit autem Thomæ Sprotti, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volum. 4. cap. 171. pag. 227. Meminit quoque Thomæ Sprotti Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 152. 1270

PETRUS DE ARVERNIA BEATÆ MARIÆ PARISIENSIS CANONICUS, circa annum 1270. doctrinâ Scholasticâ floruit, quo tempore incredibilis Scholasticorum nubes arva Academiæ Parisiensis operuerat. Hic anno 1275. Rector Vniversitatis Parisiensis à Domino Simone S. Romanæ Ecclesiæ tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinale & Apostolicæ Sedis Legato factus est, per sententiam suam seu ordinationem variarum querelarum, quæ legitur *in Historia Vniversitatis Parisiensis* seculo V. ad dictum annum fol. 411. & sequentibus. Scripsit senior circa annum 1300. *Summam Quæstionum quodlibeticarum*, quam habes in Bibliotheca Colbertina MS. Codice 963. quæ anno 1301. scriptæ leguntur. Incipiunt, *Quærebatur de potentia Dei* 1270

Dei, & primò quantum ad immensitatem ipsius, utrum scilicet Deus sit infinita virtutis in rigore? Et arguitur quod non &c. Tum ad finem, *Expliciunt Quæstiones de Quodlibet disputata à Magistro Petro de Alvernia Canonico Parisiensi, anno MCCC primo.* Hæc Quodlibeta digna legi reputata sunt, siquidem in tabula Scriptorum Originalium, quæ extat in libro Rectoris Academiæ Parisiensis, eorum fit mentio. Hic autem cautè est distinguendus ab alio Petro de Arvernia, celebri quoque ejusdem temporis Theologo, Ordinis Fratrum Prædicatorum, discipulo S. Thomæ Aquinatis, & Claromontano posteà Episcopo, de quo nos infrà pluribus. Agit de hoc Petro nostro Cæsar Egassius Bullæus *in Historia Universitatis Parisiensis* seculo V. ad annum 1275. pag. 411. ubi Rector factus dicitur. Et paucis verbis *in Catalogo illustrium Academicorum* hujus seculi, pag. 705.

1270 GUILLELMUS DE PODIO LAURENTII, Gallice *Du Puis Laurent*, ex partibus Auxitanis in Gallia oriundus creditur, ac floruisse circa annum 1260. usque ad annum 1271. quo *Chronicon* scripsit, atque ultrà forsitan. Composuit opus quod inscriptum est, *Chronica M. Guillelmi de Podio Laurentii super Historia negotii Francorum adversus Albigenses.* Orditur autem ab a. 1099. quo Raymundus Comes Tolosanus adfuit expeditioni & expugnationi urbis Antiochiæ ac Hierosolymæ, usque ad annum 1271. quo Philippus Rex Franciæ venit cum magno exercitu ad partes Tolosanas contra Fuxi Comitem, quem in Franciam captivum adduxit. Hic auchor simplex est, atque in expressionibus suis barbarus, ut dum *podium* pro puteo, *prisionem* pro carcere, aliasque passim horridas voces usurpat. Primus eruit hunc Scriptorem ex tenebris ac pulvere, Guillelmus Catellus, quem adjunxit *Historiæ suæ Gallicæ Comitum Tolosanorum* doctissimæ, quam Tolosæ a. 1613. in folio edidit. Eandem iterum recudit Andreas Duchesnius vel Franc. Duchesnius Andreæ Filius tomo V. Collectanei *Veterum Scriptorum Historiæ Francicæ* p. 666. & sqq. Primus quem sciam Guillelmus Catellus quem indicavi, hujus Scriptoris meminit, quem sequutus est Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 109. ubi floruisse circa annum 1270. asserit.

1270 GAUFRIDUS DE BELLO LOCO, Gallicè de Beaulieu, Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, jussu Gregorii Papæ X. scripsit *Historiam Vitæ Sancti Ludovici IX. Galliarum Regis*, cui annis viginti à sacris Confessionibus & Consiliis fuerat, & cui anno 1270. in Castris apud Tunetum piissimè in Domino morienti, extrema (ut vocant) sacramenta administravit. Cùm autem Gregorius Papa X. anno 1271. die 1. Septembris Viterbii electus & anno 1272. Romæ die 27. Martii coronatus, anno tandem 1276. die 10. Jan. Aretii mortuus sit: Gaufridus inter annum 1272. & 1275. hanc Vitam composuisse censendus est, quam habes impressam & ad MSS. Codices antiquos collatam, tomo V. Collectanei *Veterum seu Coætaneorum Historiæ Francicæ Scriptorum* pag. 444. quos collegit Andreas Duchesnius sæpè à nobis allegatus. Hujus meminit Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 462. & iterum Lib. 2. cap. 59. pag. 478. duos ex unico faciens, atque hunc barbarè appellans *Godefridum Beaglerium.* Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 396. & post ipsum paucis Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana*, ad annum 1276. pag. 46. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 101.

GUILLELMUS CARNOTENSIS, Ordinis 1270
Fratrum Prædicatorum Theologus, & Ludovici IX. Galliarum Regis Capellanus, mortuo eodem Rege, post annum 1270. scripsit *Librum de Vita & Miraculis ejusdem Regis*, quem habes editum ab eodem Andrea Duchesnio, tomo eodem V. Collectanei *Veterum seu Coætaneorum Scriptorum Historiæ Francicæ* pag 432. Cujus meminit Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 396. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 107.

JOANNES DE JOINVILLA, natione Gal- 1270
lus, ex insigni Campaniæ familia, Dominus urbis ejusdem nominis in Campania Gallica, Ludovico IX. Galliarum Regi familiaris extitit, pluriumque illius expeditionum bellicarum comes assiduus, ab illo Campaniæ Senescallus etiam institutus, anno 1269. cum eo in Transmarinam expeditionem profectus est, ut Infideles a Terra Sancta expelleret. Unus fuit ex præcipuis aulæ illius Dominis, vix non inferior calamo & eloquentia Gallicana, quam arte militari & audacia, scripsit *Vitam hujus Sancti Regis* Gallico idiomate, cujus cùm varias editiones habeamus, illa has inter excellit, quam habemus curis Caroli du Fresne, Domini du Cange, Quæstoris Ambianensis, ditatam ab illo Observationibus & Dissertationibus Historicis variis, atque editam anno 1668. Parisiis in folio typis Lupareis præclaris. Sanctus Rex Ludovicus utebatur illo ad justitiam in tentorio Castramotationum suarum faciendam. Ipse ea de re loquitur *in Vita magni hujus Monarcha*, his verbis Gallicis: *Il avoit de coutume de nous envoyer, les Sieurs de Nesle, de Soissons, & moy, ouyr les pleds de la porte. & puis il nous envoyoit querir, & demandoit comme tout se portoit: & s'il y avoit aucune affaire qu'on ne peut despescher sans Luy: & plusieurs fois selon nostre rappore, il envoyoit querir les plaidejants, & les contentoit, les metant en raison*

&

& droiture. Meminerunt *Joannis de Joinvilla* Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Joannes de Joinvilla*. Ludovicus Moreri in Magno Dictionario Historico, Tomo 3. verbo *Joinville* pag. 257. col. 2. editionis 6. Vltrajectinæ 1692. in fol.

1270 JOANNES TAXSTON vulgo Joannes Buriensis dictus, natione Anglus, Ordinis S. Benedicti Monachus in Cœnobio S. Edmundi, quod & Buriense vocatum est in Comitatu Suffolchensi, ubi tandem Abbas etiam factus est, vir multæ eruditionis, ut ex Joanne Lelando colligimus. Multa scripsit de gravi illa controversia quæ inter Robertum Capitonem Episcopum Lincolniensem & Innocentium Papam quartum diu flagravit, ut Lelandus author est. Extat inter MSS. Codices Cottonianæ Bibliothecæ sub effigie Julii Codice 1. num. 2. *Chronicon ab Orbe condito ad Eduardum I. Angliæ Regem* inclusive, Scriptum a Johanne Taxston Monacho de Bury post annum 1267. quo tempore habitum monachalem susceperat, ut patet ex annotatione ejusdem temporis hac de re inserta fol. 37. b. Videtur esse non inaccuratus supputator temporum, & rerum memorabilium in Anglia gestarum diligens collector, qui post annum 1270. scripserit. Electus deinde Abbas, ut in serie temporum Joannes Everisdenus narrat, Romam anno Domini 1279. profectus est, ut electio ejus a Nicolao Papa confirmaretur, qui in Capitulo tandem suo, anno Salvatoris nati 1280. mortuus & sepultus dicitur, dum summa rerum penes Eduardum primum apud Anglos esset. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 5103. illius Chronicon excerpere videtur Joannes Lelandus Vol. 2. *Collectaneorum* cap. 37. pag. 283. Ejusque etiam *De illustribus Angliæ Scriptoribus* mentionem faciunt Joannes Baleus, & ejus exscriptor Joannes Pitseus ætate XIII. Scriptore 401. ad annum 1280. pag. 360. quem secutus sum.

1270 GERARDUS LEODIENSIS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, insignis hoc tempore 1270. Theologus & Concionator exstitit, qui Theologiam tum Parisiis tum Leodii postea docuit, unde nomen ei Gerardi Leodiensis adhæsit, sed maximè quod in hoc Conventu Leodiensi professionem emisisset. Hujus meminit sic Henricus Gandavensis in Opusculo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 53. " Gerardus Ordinis „Prædicatorum, Lector Domus Leodiensis „composuit Tractatum religiosis valde utilem, „sumpto themate ab illo loco libri Regum, *Præparate corda vestra Domino &c.* Septem dispositiones circa cor faciendos docens, multaque „ad ædificationem pertinentia hinc & inde ex „Scripturis colligens. " Hæc Gandavensis. Opus illud inscriptum, *Speculum Concionatorum De doctrina cordis*, septem libris, impressum Neapoli anno 1607. in 4. Habetur MS. sed anonymum Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 148. & in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4540. in 4. Scripsit etiam *Sermones De tempore ac de Sanctis*, quos Aubertus Miræus ad Caput 53. Libri *De Scriptoribus Ecclesiasticis* Henrici Gandavensis, ait MSS. extare apud Belgas in Valle viridi, & Lovanii ad Sanctum Martinum. Extant MSS. Cremonæ in Italia, in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum, quos *Eremitas* appellamus. Agunt de *Gerardo Leodiensi* Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*. Aubertus Miræus loco citato. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* pag. 276. editionis 1643. Lovanii in 4. Ambrosius de Altamura sæpe citatus *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1270. p. 25. Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum*, ad eundem annum: Solo Philippo Bergomensi *in Supplemento Chronicorum*, illum collocante ad annum 1313. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 102. ubi eum anno 1270. vixisse affirmat.

ALBERICUS DE CAPELLA THOSANA MONACHUS, Ordinis Cisterciensis in Flandria, vulgò *Albericus Tholosanus*, florebat anno 1270. vel circiter. Hic conscripsit, seu potius a Monacho quodam Dunensi Gallicè conscriptum, transtulit in Linguam Latinam *Chronicon Terræ sanctæ*, sive *Expeditiones Principum & Baronum Catholicorum in terram sanctam*, primò procuratas a Sancto Bernardo, & postea per centum annos vel circiter continuatas. Huic Operi Albericus sequentem apposuit inscriptionem, *Vox de cælo, per os boni patris nostri Sancti Bernardi, facta in cordibus Principum & Baronum Christianorum, scripta anno 1272. ex antiquo quodam libro matris nostræ Abbatiæ de Dunis, per Fratrem Albericum Religiosum indignum sacri Ordinis Cisterciensis, in nostra Domo Deirin De est.* Porrò quia in Chronico hoc tam exactè recensentur nomina & cognomina præcipuorum quorumcunque virorum Flandriæ nobilium, qui Comites suos in dictis expeditionibus transmarinis sequuti sunt: ideò solet illud familiare esse nobilibus ejusdem patriæ, qui familiarum suarum antiquitatem & nobilitatem ex eo comprobare solent. Extat illud Manuscriptum pluribus in locis, atque nominatim Antverpiæ apud nobilem virum Alexandrum Butkens. Ita verbotenus Carolus de Wisch *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* p. 17. 1270

MARTINUS POLONUS, GNESNENSIS ARCHIEPISCOPUS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, factus Pœnitentiarius & Sacellanus Summorum Pontificum Joannis XXI. & Nicolai III. qui enim ad Archiepiscopatum Gnesnensem in Polonia unde oriundus erat, promovit. Cum Polonus passim nuncupetur, mihi quin Polonus sit, dubium vix esse potest: quem tamen Italum facerer, si Raphae- 1270

lem

lem Volaterranum *in Antropologia* audirem, cui patriam ille assignat Carsulam sive Cassinam in Umbria sitam. Nec desunt qui Scotum fuisse tradiderint, quem ita nominasse videntur, decepti eo quod animo obversaretur *Marianus Scotus*, qui Chronica & ipse scripsit. Nec magis audiendus mihi Gallo est author ineditus Operis *De Hierarchia Subcœlesti*, qui MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, Lib. IV. Cap. IX. eum refert inter nobiles Galliarum Historicos. Credo cum de patria illius paucis Scriptoribus constaret, Gallus iste author, sicut aliæ etiam nationes, eum sibi vindicavit. Jam de Martino Carsulano atque aliis duobus, ita Raphael Volaterranus initio *Commentarii Urbani* Lib. XXII. *Pontificum Romanorum seu temporum eorum Historias scripsere Vincentius & Martinus Carsulanus, Ordinis ambo Prædicatorum. Joannis XXII. tempore, cui Laudulphus de Columna Carnotensis Canonicus, opus etiam de his dedicavit.* Carsulanus itaque Martino isto junior fuit, si verum est quod ajunt, Martinum Carsulanum vixisse tempore Joannis XXII. sive ut alii volunt, XXI. hoc est ad annum 1320. Ad quæ etiam tempora hunc Martinum Polonum Joannes Riochus Minorita refert, in Compendio suo Historico. Fuisse dicitur Archiepiscopus Consentinus ac Innocentii Papæ IV. qui anno 1254. decessit, Pœnitentiarius: quæ sanè sententia defendi posse videtur aliquot MSS. Codicibus, ubi in epigraphe *Cosentinus* nominatur. Alii tamen fuisse Beneventanum Archiepiscopum autumant, quorum apud antiquiores neutrum invenio. Sed Archiepiscopum Gnesnensem in Polonia à Nicolao III. Papa fuisse constitutum, constat ex diplomate Pontificio & Chronicis Poloniæ. Præter alia, tum præcipuè memoratur *Chronicon de Summis Pontificibus & Imperatoribus*, quod habes MS. in variis Angliæ Bibliothecis, Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 212. Mertonensi Cod. 74. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 210. S. Benedicti Codd. 66. & 321. In privata Baronis Lumleji Cod. 76. & Gualteri Copi Cod. 188. Idem MS. plusquam vigesies in celebrioribus Parisiorum Bibliothecis, Regia, Colbertina, S. Germani de Pratis, & Victorina, aliis non recensitis: ut nihil tam frequens sit, quàm hoc MS. *Chronicon*. Incipit à Christo & Cæsare Augusto, atque in aliquibus MSS. usque ad Innocentium Papam IV. sive ad annum 1254. In nonnullis tamen Libris, ac pluribus quidem, quos & Suffridus Petri sequitur in editione illa quam Plantinus anno 1574. Antverpiæ edidit, hoc *Chronicon* producitur usque ad annum 1277. additis nempe quatuor Pontificibus, Gregorio X. Innocentio V. Adriano V. & Joanne XXI. Sed hi tamen aberrant ab antiquo illo Codice MS. quem posteà in Coloniensi editione sua anni 1616. expressit, Joannes Fabricius Cæsar, Canonicus Gladbacensis, Ordinis Præmonstratensis. Contra verò in editione Basileensi anni 1559. additur ex Fuldensi MS. *Appendix* usque ad annum 1320. quo Joannes Papa qui aliquibus XXI. aliis XXII. vocatur, Thomam Herfordensem in Sanctorum numerum retulit. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2402. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera F. 4. Codice 8. Chronicon istud desinit in Joann. 22. anno 1316. Atque in Parisiensi ista urbe, alii MSS. Codices excurrunt tantum ad annum 1251. alii ad annum 1277. alii denique ad annum 1320. ut inquirenti constabit. Hæc res omnino imposuit Volaterrano, qui Libro XXII. ait Martinum Polonum vixisse tempore Joannis XXII. Inciderat nempe in Codices, ubi *Appendix* ea legeretur usque ad annum 1320. Mirumque est Suffridum Petri, istam Appendicem, ut Martinianam agnoscere. Quam parum enim verisimile est, Martinum qui Innocentii IV. anni 1251. erat Pœnitentiarius, superstitem fuisse anno 1320. Cui probandum incumberet quod Martinus Polonus anno 1251. Innocentii Papæ IV. Pœnitentiarius fuerit, id quod non facit. Allegat enim ad id authoritatem Bellarmini faciendæ fidei insufficientem, quam absque ratione amplectitur. Contra autem Bernardus de Compostella erat Pœnitentiarius & Sacellanus Innocentii Papæ IV. Ac sanè si cui hac in parte fides habenda, ipse Martinus Polonus est, qui seipsum vel Nicolai Papæ III. vel Joannis XXI. disertis verbis Pœnitentiarium & Sacellum appellat in præfatione Operis sui, non autem *Innocentii Papæ IV.* ut somniavit Lambecius. Fortiori igitur telo pugnemus, quale illud quod diplomate Pontificio, & Chronicis Poloniæ subnixum est. Cum enim in Poloniæ regno ob Archiepiscopatum Gnesnensem diu inter electos contentio durasset: Nicolaus Papa III. Fratrem Martinum Polonum Ordinis Fratrum Prædicatorum, Pœnitentiarium suum & Capellanum, instituit Gnesnensem Archiepiscopum, quod factum Viterbii anno 1278. decimo Calendas Julii. Sed cum jam itineri ad Ecclesiam gubernandam se accinxisset, Ecce Bononiæ ipso eo anno moritur, atque inibi in templo S. Dominici ante aram majorem, juxta Sacellum Beatæ Thomæ sepelitur. Monumenti inscriptio talis fuit, *Hic jacet Martinus Polonus, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Gnesnensis*: quemadmodum ab Abrahamo Bzovio Polono in *Annalibus Ecclesiasticis* proditum est anno 1278. num. 32. & in libro *De rebus gestis Ordinis Prædicatorum in Polonia* c. 6. Verum quidem in Clemente IV. an in Joanne XXI. vel Joanne XXII. desierit, apertius foret, nisi tantopere discreparent Codices & Manuscripti & editi. Sed sua producere saltem voluisse usque ad Joannem XXI. fateri convenit, ac scripsisse peremptorium mihi est, ob verba illa Martini ipsius in præfatione Operis: *Ego Frater Martinus, Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, ex diversis Chronicis & gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, præsens Opusculum usque ad Joannem XXI. Papam deduxi inclusivè.* Quid clarius his ver-

verbis, *deduxi inclusivè?* unde judicandum est. MSS. Codices qui ultra Clementem IV. anno 1268. mortuum non procedunt, esse mutilos vel a scribis neglectos, ob nimium recentem historiam. Joannes autem XXI. de quo se egisse etiam Martinus fatetur, anno 1277. mortuus est, quo ipso anno Nicolaus III. ei successit, anno tantum uno ante excessum Martini Poloni. Unum contra hoc objici potest; quod Martinus Polonus in præfatione, inter eos ex quibus in Chronico suo concinnando profecerit, *Gervasium* reponat: qui videtur non alius esse, quam Gervasius Ricobaldus Ferrariensis. Atqui Ricobaldum vixisse a. 1300. certum est. Quomodò igitur Martinus Polonus ejus opera proficere potuit, si tanto antè excesserat? Huic argumento rectè ita Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 486. ultimæ editionis occurrit: „Putamus a Martino „intelligi Gervasium Tilberiensem, qui circa an„num 1210. vixit, ac Chronicon conscripsit, cui „titulus erat *De otiis Imperialibus*, unde colligi„mus eo in opere non tam de Pontificibus, quam „de Imperatoribus egisse. Et hæc videtur „causa, cur Martinus &c. Illud autem MS. extat in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 49.7. fol. 85. & Codd. 5224. & 5225. Impressum denique Chronicon Martini Poloni, quem Raphael Volaterranus *Consulanum* appellat, ad fidem MS. Codicis antiqui, cum Notis Suffridi Petri Leovardiensis, anno 1616. Coloniæ in folio, Fabriciò Cæsare Canonico Ordinis Præmonstratensis editionem procurante, ut notat Labbeus in prologo *Canonophii Joannæ Papissæ*, & Severinus Binius in Notis post Vitam Leonis Papæ IV. tomo 8. Conciliorum pag. 153. qua in editione *Historia de Joanna Papissa* non comparet, quam plurimi ex Pontificiis potissimum fabulam puram arbitrantur, eamque in Martioi Chronicon intrusam malitiosè. Hujus occasione controversiæ, movebitur hic

Quæstio Critica.

An Fabula de Joanna Papissa vulgata, in Chronico Martini Poloni & Domini Papæ Pœnitentiarii inveniatur?

Multis utrinque hoc seculo agitatum est, ambas inter partes Pontificiorum atque Protestantium, utrumne verè in *Chronico* Martini Poloni, narratio illa vulgò sparsa *De Joanna Papissa* haberetur. Sed quæstionem hanc nullus opinor est qui solvere possit, cum Historia ista in multis MSS. Codicibus Chronici Martiniani desideretur, in aliis multis & bonæ etiam notæ inveniatur. Pugnant igitur editiones cum editionibus, & MSS. Codices cum MSS. Codicibus, non tantum in Italia, sed in Anglia, Gallia & Germania, qui certè plurimi sunt. Atque ut hoc argumentum melius quis noscat, nec ambarum ulla partium in me ut sibi adversarium irruat, suppressa propria sententia, verbotenus duntaxat referam, agitatam atque indecisam à Petro Lambecio Hamburgensi Imperialis Bibliothecæ Præfecto quæstionem, qui latissime de hoc argumento se fatigat, tomo 2 *Commentariorum suorum Bibliotheca Cæsarea* cap. 8. pag. 860. occasione Codicis MS. arcis Ambrosianæ in Bibliothecam Cæsaream anno 1665. immissæ. Affert utrinque MSS. Codices Imperialis Bibliothecæ atque alios, cum editionibus, ex quibus omnibus licet ille acriter concludat adversus hanc fabulā: nos tamen cum ipso concludere noluimus, ob discrepantiam maximam tam MSS. Codicum, quam impressorum. Jam his præmissis, officio Lambeciani exscriptoris fungamur, quod Lectoribus (ut opinor) haud ingratum fuerit.

CCLIV.

Volumen membranaceum in 4. majori, ante 300. circiter annos, ut ex Scriptura manifeste patet, exaratum: quò continetur *Martini Poloni*, Monachi Dominicani, qui anno 1278 à Papa Nicolao III. Archiepiscopus Gnesnensis creatus est & eodem anno decessit, *Chronicon Pontificum, & Imperatorum Romanorum*: quod ut ipse præfatur, perduxit inclusive usque ad Papam, Joannem XXI. qui anno 1277. obiit. Initium Præfationis, ut in editione Basileensi Joannis Oporini a. 1559. in folio, & in Suffridi Petri editione Plantiniana Antverpiensi a. 1574. in 8. est hoc: *Quoniam scire tempora Summorum Pontificum Romanorum ac Imperatorum, & aliorum Patrum ipsorum contemporaneorum, quampluri mùm inter alios Theologis ac Jurisperitis expedit. Ego Frater MARTINUS Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, ex diversis Chronicis & Gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, præsens Opusculum per annos Incarnationis Domini, ab ipso primo Pontifice JESU CHRISTO & ab Octaviano primo Augusto, sive Imperatore, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad Johannem XXI. Papam deduxi inclusivè &c.* Quod ad finem autem ejusdem Chronici attinet, pertingit illud non solum ut in Præfatione promittitur, usque ad Papam Johannem XXI. sed ab alio quodam Anonymo continuatum est usque ad annum Christi 1320. quo S. Thomas Herefordensis in Anglia Episcopus, à Papa Johanne XXII. in numerum Sanctorum relatus est. Ultima enim totius Chronici verba, sunt ibi hæc: *Anno Domini M CCC XX. V. Kalendas Maji, hic Papa canonizavit Sanctum Thomam Episcopum Erfordensem, Theologiæ & Decretorum Doctorem, cujus meritis Deus multa miracula operatus est.* Hoc igitur modo definit Chronicon illud Martinianum in Codice MS. Ambrosiano, qui nunc adservatur in Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, unà cum aliis septem ejusdem Chronici antiquis Codicibus MSS. qui omnes dignissimi sunt, ut cum editionibus hactenus im-

„impressis accurate conferantur, utpote inter quas est magna quædam & notabilis differentia. Duabus enim illis suprà memoratis editionibus Basileensi Oporinianæ & Antverpiensi Plantinianæ, quæ usque ad Papam Johannem XXII. inclusive pertingunt: inserta est absurdissima illa & impudentissima fabula *de Joanna Papissa*, quæ contra validissimam omnium ejusdem seculi Scriptorum authoritatem, & contra certissimam pariter atque evidentissimam demonstrationem Chronologicam inter Papam *Leonem IV.* & *Benedictum III.* per annos duos, menses quinque & dies quatuor, mentito sexu Pontificatum egisse dicitur. In editione autem ejusdem Chronici, quæ à Joanne Fabricio cognomento Cæsare, Canonico Gladbacensi, ex vetustissimo quodam & ipsi authori fere coætaneo Codice Manuscripto, anno 1616. Coloniæ Agrippinæ typis Gerardi Grevenbruch in folio publicata est, & usque ad *Papam Clementem IV.* inclusive pertingit: omnino deest ineptissimum illud *de Johanna Papissa* Commentum, & *Leoni IV. Benedictus III.* sine ullâ personâ intermediâ, contigue subjungitur. Similem quoque Codicem antiquum MS. eàdem fabulâ carentem, refert vir doctissimus Leo Allatius, tanquam pretiosissimum cimelium, Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ adservari; ideoque sine ullâ hæsitatione affirmat, *Martinum Polonum* immeritò haberi pro authore vel approbatore supra memoratæ fabulæ: nec ipsum fabulam istam Chronico suo inseruisse, sed commentum adeò flagitiosum, nonnisi aliquantò post ipsius obitum, partim ab uno vel pluribus falsariis hæreticis infamandæ Ecclesiæ Romanæ causâ, partim autem ab aliis non quidem hæreticis, sed imprudentibus & nimium credulis hominibus, *Chronico Martiniano* fœda ista macula per se carenti, prava interpolatione esse additum. Ipsa Leonis Allatii verba, quæ dignissima judico ut integre hic inserantur, sunt hæc: *Vnus omnium reliquus erat Martinus Polonus, solus commenti hujus author, ideoque à pluribus Scriptoribus malè habitus, etsi immeritò. Ac Chronicon ejus ab aliis pessimè corruptum fuisse, olim deprehenderat Suffridus Petrus, idque fide MSS. Codicum emendatum, in melioremque formam (ut ipse asserit) redactum, edi curaverat Antverpia apud Plantinum anno 1574. Verùm Joannam Papissam in ejus Historiam ab aliis intertextam fuisse, ope illorum Codicum vel aliorum, nusquam deprehenderat. Quare nihilo immutato, fabellam hanc, ut erat, publicavit. Notavit tamen Codices MSS. (quod & verissimum est) neque excusos omnes, neque singulos, inter se congruere: & in Codice Tongerloensi MS. nec numerum nec nomen haberi in Catalogo Pontificum: sed Leoni præcedenti historiam ejus Joannis, veluti fabulamentum Appendicis loco adjectam. Exemit dubitationem omnem Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, cujus nutu & auspicio omnia sibi felicia faustaque universus terrarum Orbis sentit. Quippe illo auspice prudentia radio omnia collustrante, res humanas divinasque rectissimè regi cerulmus: pleraque etiam temporis vitio vel fraude hominum absumpta, occulta que in apertum venire. Quod multis aliis manifestum fit, sed ex eo præcipuè, quòd dum impostores insolentissimi Libellum de hac fabula in Christianorum perniciem linguâ Italicâ editum publicant: tres authores sub felici tanti Principis auspicio, longo terrarum tractu distracti, dispersique in varias partes, per tot secula in tinels latebrisque latitantes, lucem aspiciunt uno eodemque tempore, ut ita dicam, Romæ: quibus potissimum hac Hæreticorum fraus detegitur, imposturaque disploditur. Martinus Polonus scilicet,* & Photius Patriarcha Constantinopolitanus *inter Libros ab Episcopo Lollino Summo Pontifici Legatos,* & Metrophanes Smyrnæus *una cum Bibliotheca Palatina Romam advectus, qui in Bibliotheca Pontificia anteà minimè reperiebantur. Isti tres ex composito in actum commentum velut conspirantes, & Vrbano Pontifici uno ore applaudentes, Vaticanum ascendunt, Hæreticorum deliria jugulaturi. Vrbanus itaque Bibliotheca Vaticana, quam antea multis peregrinorum authorum manuscriptis Codicibus, iisque vetustissimis optimæque notæ auxerat,* Codicem Martiniani Chronici *asservandum dederat. Erat ille antiquissimus omnium, qui in dicta Bibliotheca ante à erant, caractere non inelegant[illegible], multis tamen in locis propter vetustatem, visum fugiente. In eo Historia Pontificum dextra, læva Imperatorum, ita intersincta legebantur: ut quid quo que anno Pontifices, quid Imperatores, quid exteri egissent, uno aspectu ponerentur ob oculos. Post Præfationem à Natali Christi ad sua usque tempora, Historiam prosequitur. In eo nihil de quatuor majoribus Regnis, Vrbis Romæ excidio: nihil de Vrbis portis, plateis, templis, regimine, aliisque fabulamentis, quibus* Chronicon *illud malè audiit, pessumque dederat authoris nomen, sed omnia plena & recta. Ex quo manifestum est,* Chronica *quæ sub* Martini *nomine vel typis vel scripto circumferuntur, ab sua integritatis gradu, aliorum imperitia vel negligentia, utinam non malevolentia, deturbata fuisse. Vnusquisque enim quæ ipse digna memoria judicabat, addidit; erasitque, quæ sibi indigna lectu videbantur. In integerrimo itaque hoc exemplari post vitam* Leonis IV. *nulla fit* Joannæ Papissæ *mentio, neque ex fama aliorum, neque in margine, eadem vel aliena manu, scripta. Etsi totum perlegeris, nullum de hac re verbum invenies, nec aliorum industria quicquam erasum, quod è serie rerum & pagella tractu clarissimum est: cum Leonis Vita in sua pagina non finiatur, sed alterius sequentis superiorem partem occupet. Postquam immediatè* Benedictus III. *patria Romanus sequitur, & deinceps* Nicolaus I. *Ex quibus jam evidens est; totum hoc ab insimis* Martiniano Chronico *fuisse annexum, tamque Codicis ope, levi suffultum patrocinio mendacium cadere. quod non* Martinum, *sed alios veteratores, quorum nulla fides esse debet, agnoscit.* Locus autem ejus qui hic citatur, extat *in Confutatione fabulæ de Joanna Papissa* pagg. 416. 417."

&

„& 418. inter Σύμμικτα, sive *Opuscula Miscellanea*, „edita Coloniæ Agrippinæ apud Jodocum Kalcovium anno 1653. in 8. Hucusque viri doctissimi Leonis Allatii testimonium, de antiquo „illo & incorrupto Chronici *Martini Poloni* Codice MS. qui adservatur in Bibliotheca Vaticana. Cum igitur is ob unicum illum Codicem „MS. adeo exultet, multo etiam magis est gratulandum augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ „Vindobonensi, utpote quæ inter octo Chronici „*Martini Poloni* antiquos Codices Manuscriptos, „quatuor optimæ notæ ac fidei sunt, qui æque ac „Vaticanus ille sunt incorrupti, & tam in margine quam in ipso contextu, omni prorsus carent *Joanne Papissa* indicio atque vestigio. „Verum enim verò, quoniam contraria juxta se „invicem posita magis elucent: prius indicabo, quales sint illi quatuor Codices MS. in quibus fabulæ *de Joanna Papissa* fit mentio: deinde autem subjungam, quales sint reliqui illi „quatuor Codices; in quibus jam memorata fabula, nec extat nec unquam extitit.

„PRIMUS igitur quatuor illorum *Chronici* „*Martini Poloni* Codicum MSS. Cæsareorum, in „quibus fabula *De Joanna Papissa* fit mentio, est „Chartaceus in folio, & inter Codices MSS. „Historicos Latinos, ordine LVII. Titulus enim est hic: *Incipit Chronica Martiniana.* „Sequitur deinde præfatio, cujus principium: „*Quoniam scire tempora Summorum Pontificum* „*Romanorum ac Imperatorum, nec non & aliorum* „*contemporaneorum suorum, quamplurimum inter* „*alios Theologis, & juris peritis expedit: Ego* „*Frater Martinus Ordinis Prædicatorum, Domini* „*Papæ Pœnitentiarius & Capellanus de regno Bohemia oriundus, patriâ Opimensis, ex diversis Chronicis ac Gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, præsens Opusculum per annos Incarnationis* „*Domini ab ipso Summo Pontifice Jesu Christo, &* „*ab Octaviano primo Augusto sive Imperatore, per* „*Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad* „*quartum Honorium Papam deduxi Inclusivè &c.* „Juxta hunc igitur MS. Codicem, perduxit „*Martinus Polonus* Chronicon suum inclusive „usque ad Papam *Honorium IV.* qui anno 1285. „electus est, & anno 1287. obiit. Hinc in eodem Codice, post vitam ejusdem Papæ Honorii IV. hæc legitur subscriptio: *Expliciunt* „*Chronica Martiniana anno Domini MCCCCLVII.* „*feria tertia ante Festum S. Scholasticæ Virginis.* „Quamvis autem hæc ita legantur in hoc Codice, quam tamen falsum sit, *Martinum Polonum* „perduxisse Chronicon suum ad Honorii IV. „obitum, hoc est, usque ad annum 1287. satis „manifeste ex eo liquet, quod ut suprà jam indicavi, certò constet *Martinum Polonum* obiisse „anno 1278. Ideoque ultra hunc annum, non „potuisse producere suum Chronicon: sed „quæcunque in hoc Codice MS. ab anno 1277. „quo *Papa Joannes XXI.* obiit, usque ad obitum „*Honorii Papæ IV.* sive annum Christi 1287. &

quæ porrò usque ad annum a diversis recentioribus continuatoribus, *Chronico Martini Poloni* paulatim addita esse. In primo igitur hoc„ Codice, qui, ut ex inscriptione paullò ante exhibita apparet, anno 1457. scriptus est, extat fabula *de Joanna Papissa* his verbis: *Joannes dictus*„ *Anglicus, natione Moguncinus, sedit annis duobus,*„ *diebus octo, mortuus est Romæ, & cessavit Episcopatus mense uno. Hic ut asseritur, fœmina fuit, & in*„ *puellari ætate à quodam suo amasio, in habitu virili Athenas ducta, sic in diversis scientiis profecit, ita ut*„ *par sibi non inveniretur: adeò ut post Roma trivium*„ *legens, magnos Magistros discipulos & auditores haberet. Et cum in Urbe vita & scientia magna opinionis esset, in Papam concorditer eligitur, sed in*„ *Papatu per suum familiarem impregnatur. Verum tempus partus ignorans, cùm de Sancto Petro*„ *ad S. Johannem in Laterano tenderet, angustiata,*„ *inter Coliseum & Ecclesiam Sancti Clementis peperit: & post mortua, ibidem ut dicitur sepulta fuit.*„ *Et quia Dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur à multis, quod propter detestationem*„ *facti, hoc faciat. Nec ponitur in Catalogo Pontificum, propter muliebris sexus, quantum ad hoc, deformitatem.* „ Observat autem Petrus Lambecius Cæsareæ Bibliothecæ nuper Præfectus Cap. 8. libro 2. Cæsareæ Bibliothecæ, Martinum ipsum, in Præfatione hujus MS. Codicis, seipsum dicere *de regno Bohemia oriundum patriâ Opimensem*, vel ut in alio MS. & ut in Codice Monasterii Gamingensis rectius legitur, *Opparicensem*. Hinc refellendi, qui Polonum vel Scotum, vel etiam Carsulanum apud Umbros faciunt.

SECUNDUS quatuor illorum *Chronici*„ *Martini Poloni* Codicum MSS. Cæsareorum, in„ quibus fabulæ *de Joanna Papissa* fit mentio, est„ membranaceus in folio, & inter Codices MSS.„ Historicos Latinos, ordine LXVI. Titulus ejus„ hic: *Incipit Chronica Fratris Martini, Domini*„ *Papa Pœnitentiarii & Capellani.* Sequitur deinde præfatio, cujus principium: *Quoniam*„ *scire tempora Summorum Pontificum Romanorum*„ *ac Imperatorum, necnon & aliorum Patrum sanctorum contemporaneorum, quamplurimum inter alios*„ *Theologis ac Iurisperitis expedit: Ego Frater Martinus Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, ex*„ *diversis Chronicis ac Gestis Summorum Pontificum*„ *& Imperatorum, præsens Opusculum per annos Incarnationis Domini, ab ipso primo Pontifice IESU*„ *CHRISTO, & ab Octaviano primo Augusto sive*„ *Imperatore, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad Iohannem XXI. Papam deduxi inclusivè.* Et certe eousque revera pertingit ille„ Codex, utpote cujus ultima verba, post narrationem obitus Papæ Joannis XXI. sunt hæc:„ *Nicolaus III. natione Romanus, anno Domini*„ *MCCLXXVII. sedit annis . . . . .* In„ secundo igitur hoc Codice annectitur fabula„ *De Ioanna Papissa*, narrationi obitus *Leonis IV.*„ hoc modo: *Post hunc Leonem Ioannes Anglicus,*„ *natione Maguntinus, sedit annos duos, menses*„ *quin-*

„quinque dies quatuor, & mortuus est Roma, & cessavit Episcopatus anno uno. Hic, ut asseritur, fœmina „fuit, in puellari ætate à quodam suo amasio, in habitu virili Athenas ducta, sic in diversis scientiis profecit: ut nullus sibi par inveniretur: adeò ut „post Romæ trivium legens, magnos Magistros discipulos & auditores haberet. Et cum in urbe, vita & „scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer „eligitur, sed in Papatu per suum familiarem impregnatur. Verùm tempus partus ignorans, cum „de Sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata „inter Collisæum & Sancti Clementis Ecclesiam, peperit: & post mortua, ibidem ut dicitur, sepulta est. „Et quia Dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur à plerisque quod ob detestationem „facti, hoc faciat: nec ponitur in Catalogo Sanctorum Pontificum propter muliebris sexus, quantum ad „hoc, deformitatem.

„TERTIVS quatuor illorum *Chronici Martini Poloni* Codicum MSS. Cæsareorum, in quibus fabulæ *de Joanna Papissa* fit mentio, est „Chartaceus in folio, & locum obtinet inter „Codices MSS. Historicos Latinos, qui nondum „certis numeris notati sunt. Titulus ejus hic „est: *Hæc est Chronica de Constructione Romæ, tam* „*Summorum Pontificum, quàm Imperatorum Romanorum, de multis Chronicis compilata.* Sequitur „deinde Præfatio, cujus principium: *Quoniam* „*scire tempora Summorum Pontificum Romanorum* „*vel Imperatorum, nec non & aliorum Patrum &* „*gestorum contemporaneorum, quamplurimum inter* „*alios Theologis ac viris peritis expedit: Ego Frater Martinus Ordinis Prædicatorum, Domini Papæ* „*Pœnitentiarius & Capellanus, ex diversis Chronicis* „*ac Gestis Summorum Pontificum & Imperatorum,* „*præsens Opusculum per annos Incarnationis, ab ipso* „*primo Pontifice JESU CHRISTO, & ab Octaviano* „*primo Augusto sive Imperatore, descendendo usque ad* „*Joannem XXI. Papam deduxi inclusivè &c.* „Quod ad finem autem ejusdem Chronici attinet, pertingit illud, non solum ut in præfatione „promittitur *usque ad Papam Joannem XXI.* sed „ab alio quodam anonymo continuatum est, „usque ad annum Christi 1471. quo Papa Sixtus „IV. electus est. In tertio igitur hoc Codice, „annectitur fabula *de Joanna Papissa* narrationi „obitus Leonis IV. æque ut in præcedente Codice secundo, his verbis: *Post hunc Leonem Joannes Anglicus, natione Maguntinus, sedit annis duobus, mensibus V. diebus IV. &c.*

„QVARTVS quatuor illorum *Chronici Martini Poloni* Codicum MSS. Cæsareorum, in quibus fabulæ *de Joanna Papissa* fit mentio, est Ambrosianus ille Membranaceus in 4. cujus principium & finem suprà jam exhibui. In quarto igitur hoc Codice annectitur fabula *de* „*Joanna Papissa* narrationi obitus *Leonis IV.* itidem, ut in duobus proxime præcedentibus Codicibus, his verbis: *Post hunc Leonem Johannes* „*Anglicus, natione Maguntinus, sedit annis II. mensibus V. diebus IIII. &c.*

Gerardus von Mastricht olim Juris Professor & Historiæ Ecclesiasticæ in Academia Duisburgensi, nunc autem in Bremensi cum iisdem muneribus & officio Bibliothecarii Academiæ, in Epistola scripta 1705. pridie Kalendas Octobris ad Clarissimum amicum Burcardum Gotthelfium Struvium, testatur quoque Codicem MS. antiquissimum & optimæ notæ haberi in Bibliotheca Bremensi, *Chronici Martini Poloni*, coævum ipsi auctori, ubi Historia Joannæ Papissæ contineatur. Audiamus. Est mihi quoque manu-„ scriptum exemplar Martini Poloni in membra-„ na, nitidissime scriptum, ut conjicio, tempore„ Auctoris aut paullò post ejus obitum, in quo„ historia, Joannis VIII. Papæ vel Papissæ, affabre„ descripta est. Nitidius aut antiquius exem-„ plar, non superesse credo.„ Epistolam hanc edendam curavit dictus Gotthelfius Struvius in *Introductione ad notitiam rei literariæ & usum Bibliothecarum* cap. 4. §. 19. pag. mihi 167. editionis 1705. Jenæ in 8. Fridericus etiam Spanhemius Academiæ Lugduno Batavæ Professor Theologiæ & Historiæ Ecclesiasticæ, ac Bibliothecarius anno 1691. edidit in 12. doctam Dissertationem Historicam *De Papa fœmina*, in qua §. 13. paginis 66. & 67. diserte habet in Lugduno Batava Bibliotheca extare duos MSS. Codices Martini Poloni antiquos atque optimæ notæ, in quibus hæc Historia *Joannæ Papissæ* totidem verbis contineatur, quibus in impressis legitur: atque eandem extare ibidem MS. in Codice membraneo *Historiæ Romanorum Pontificum* Bernardi Guidonis, quam Joanni 22. Summo Pontifici inscripsit, ejusdem cum authore antiquitatis. In Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Lugduno Batavæ anno 1674. in 4. ibidem impresso curâ ejusdem Spanhemii extat in libris MSS. Latinis *Martini Pœnitentiarii Papæ Chronica & ejusdem Descriptio terræ sanctæ* in folio Codice 58. pag. 474. & Codice 60. pag. 484. ad quem lectores mittimus.

Hucusque indicavi, quales sint illi quatuor„ *Chronici Martini Poloni* Codices MSS. Augustis-„ simæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis,„ quibus fabula *de Joanna Papissa*, vel de industriâ„ vel malitiose, vel imprudenter & nimis cre-„ dule inserta est. Superest ut nunc pariter„ ostendam, quales sint reliqui quatuor Codi-„ ces ejusdem Augustissimæ Bibliothecæ, Manu-„ scripti incorrupti, in quibus jam memorata fa-„ bula, nec extat, nec unquam extitit. „

Horum PRIMVS est membranaceus in folio„ fere quadrato, & inter Codices MSS. Histori-„ cos Latinos, ordine LXVIII. Titulus ejus est„ hic: *Chronica de Summis Pontificibus & Impera-*„ *toribus, ex diversis Gestis ipsorum per fratrem Mar-*„ *tinum compilata.* Sequitur deinde Præfatio,„ cujus principium: *Quoniam scire tempora*„ *Summorum Pontificum ac Imperatorum, nec non*„ *aliorum Patrum ipsorum contemporaneorum, quam-*„ *plurimum inter alios Theologis & Jurisperitis expe-*„ *dit: Ego Frater Martinus Ordinis Prædicatorum,*„ *Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, ex di-*„

ver-

versis Chronicis ac Gestis Summorum Pontificum & Imperatorum præsens Opusculum per annos Incarnationis Domini, à primo Pontifice DOMINO JESU CHRISTO, & ab Octaviano Augusto, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad Gregorium Papam Decimum, deduxi inclusivè &c. Quod autem *Chronicon Martinianum* hic dicitur pertigere usque ad *Gregorium Papam Decimum* inclusive, non est intelligendum de anno *obitus* ejus, qui annus Christi 1276. fuit: sed de initio Pontificatus, sive de anno Christi 1271. quo is post *Papam Clementem IV.* electus est. Hoc enim manifeste apparet ex ipso illo Codice, utpote ubi *de Gregorio X.* nihil aliud antiquâ manu scriptum cernitur, quàm hoc: *Gregorius natus Lombardus de civitate Placentia sedit* . . . . Quæ autem deinceps sequuntur, multo recentiori manu adjecta sunt: In primo igitur hoc Codice MS. incorrupto, qui eodem prorsus modo ac Vaticanus ille, cujus Leo Allatius supra meminit exaratus est, & ad Joannem Dernschwam de Hradiczin olim pertinuit, nulla fit mentio *Joannæ Papissæ*, tam in ipso Chronici contextu, quam in margine: Sed *Leoni IV. Benedictus III.* sine ulla persona intermedia subjungitur.

SECUNDUS quatuor illorum *Chronici Martini Poloni* incorruptorum Codicum MSS. augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ, in quibus fabulæ *de Joanna Papissa* mentio non extat, nec unquam extitit, est membranaceus in folio, & inter Codices MSS. Historicos Latinos, ordine LXXIX. Titulus ejus est hic: *Incipit Chronica Fratris Martini Ordinis Prædicatorum.* Sequitur deinde præfatio cujus principium: *Quoniam scire tempora Summorum Pontificum ac Imperatorum, nec non & aliorum Patrum ipsorum contemporaneorum, quamplurimum inter alios Theologis ac Jurisperitis expedit: Ego frater Martinus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius, ex diversis Chronicis & Gestis Summorum Pontificum, præsens Opusculum per annos Incarnationis Domini, à primo Pontifice JESU CHRISTO, & ab Octaviano Augusto, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad CLEMENTEM IV. PAPAM, deduxi inclusivè &c.* Finis hujus Chronici, ut in supra memorata *Joannis Fabricii* cognomento *Cæsaris* editione Coloniensi, habet se ibi hoc modo: *Conradinus & quidam qui dicebatur Dux Austriæ, & multi Comites & Nobiles in fuga capti, per Regem Carolum decollant me.* Sequitur porrò hæc Subscriptio: *Explicit Chronica Fratris Martini Ordinis Prædicatorum, ex diversis Chronicis ac Gestis Summorum Pontificum.* In secundo igitur hoc Codice incorrupto, æque ac in præcedente primo, nulla fit mentio *Ioannæ Papissæ*, tam in ipso contextu, quam in margine: Sed *Leoni IV. Benedictus III.* sine ulla persona intermedia subjungitur.

TERTIUS quatuor istorum *Chronici Martini Poloni* incorruptorum Codicum MSS. Cæsareorum, in quibus fabulæ *de Ioanna Papissa*, mentio nec extat, neque unquam extitit: est membraneus in folio, & inter Codices MSS. Historicos Latinos, ordine CCCCV. Caret id titulo, præfationis autem principium est hoc: *Quoniam scire Summorum Pontificum ac Imperatorum, nec non & aliorum Patrum ipsorum contemporaneorum, quamplurimum inter alios Theologis ac Jurisperitis expedit: Ego frater Martinus Ordinis fratrum Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius, ex diversis Chronicis ac Gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, præsens Opusculum per annos Incarnationis Domini, a primo Pontifice Domino JEsu Christo, & ab Octaviano Augusto, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad Clementem IV. Papam, deduxi inclusive &c.* Finis hujus Chronici idem est, atque præcedentis Codicis secundi. In tertio igitur hoc Codice incorrupto, æque ac in duobus præcedentibus, nulla fit mentio *Joannæ Papissæ*, tam in ipso contextu, quam in margine: Sed *Leoni IV. Benedictus III.* sine ulla persona intermedia subjungitur.

QUARTUS quatuor illorum *Chronici Martini Poloni* incorruptorum Codicum MSS Cæsareorum, in quibus fabulæ *de Joanna Papissa*, mentio nec extat, neque unquam extitit: est membraneus in folio, & locum obtinet inter illos Codices MSS. Historicos Latinos, qui nondum certis numeris instructi sunt. Titulus ejus est hic: *Chronica de Summis Pontificibus & Imperatoribus, ex diversis Gestis ipsorum, per fratrem Martinum Domini Papæ Pœnitentiarium & Capellanum, compilata.* Sequitur deinde Præfatio, cujus principium: *Quoniam scire tempora Summorum Pontificum ac Imperatorum, nec non & aliorum ipsorum contemporaneorum, quamplurimum inter alios Theologis ac Jurisperitis expedit: Ego frater Martinus Ordinis Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, De Regno Bohemiæ oriundus, Patria Oppaviensis, ex diversis Gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, præsens Opusculum, per annos Incarnationis Domini, a primo Pontifice JEsu Christo, & ab Octaviano Augusto, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad Clementem IV. Papam, deduxi inclusive &c.* In quarto igitur hoc Codice incorrupto, qui eodem prorsus modo, ut Vaticanus ille cujus Leo Allatius supra meminit, exaratus est, non magis quam in tribus prioribus Codicibus, ulla fit mentio *Joannæ Papissæ*: sed & *Leoni IV. Benedictus III.* sine ulla persona intermedia subjungitur.

Fretus ergo ac munitus fide & authoritate jam memoratorum quatuor Codicum MSS. incorruptorum, augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ, & congruentia eorundem tam cum Codice MS. Vaticano, a Leone Allatio laudato, quam cum altero illo Codice, ex quo Joannis Fabricii cognomento Cæsaris editio impressa Coloniensis deprompta est: indubitate & constanter affirmo, Martinum Polonum falsò haberi pro authore vel approbatore absurdissi-

ma

„niæ fabulæ *de Joanne Baptista*: & Chronicon „ejus hac labe ab initio carens, nonnisi aliquanto post illius mortem, partim malitia falsariorum Hæreticorum, partim autem nimia cre„dulitate imperitorum & simplicium quorun„dam descriptorum, commento tam infami & „injurioso, inquinarum & contaminatum esse. „Cæterum quo ad ejusdem jam memorati Chro„nici finem attinet, haud mirandum est, quod „*Præfatio* ejus in diversis Codicibus MSS. ali„quantulum variat, dum videlicet in nonnullis „legitur *illud deduci inclusive usque ad Papam Cle„mentem IV.* hoc est, usque ad annum Christi „1268. In aliis autem *usque ad Papam Johan„nem XXI* hoc est, usque ad annum Christi „1277 Bis enim Martinus Polonus, Chroni„con suum edidit, nempe *primum* quidem post „mortem *Clementis IV.* in principio Pontifica„tus *Gregorii X. Secundo* autem post mortem „*Joannis XXI.* in principio Pontificatus *Nicolai* „*III.* qui die 25. Novembris anni 1277. electus „est. Sequente autem anno 1278. & quidem „X. Calendas Julii, sive die 22. Junii. Idem „*Martinus* Viterbii declaratus est a jam memo„rato Papa *Nicolao III.* Gnesnensis Archiepi„scopus in Polonia: eodemque anno, cum jam „itineri ad Ecclesiam Gnesnensem se accinxisset, „obiit Bononiæ atque ibi in templo Sancti Domi„nici sepultus est, addita hac monumenti inscri„ptione: *Hic jacet frater Martinus Polonus, Ordi„nis Prædicatorum, Archiepiscopus Gnesnensis.* Quæ„cunque igitur in Chronici ipsius MSS. Codici„bus ultra annum 1277. protenduntur, ea post „illius mortem continuationis ergo, ab aliis ad„jecta sunt. Quæcunque etiam in nonnullis „ejusdem *Chronici* Codicibus MSS. *De quatuor* „*majoribus Regnis, & Romana Urbis exordio, in„cremento, ædificiis, & regimine usque ad Impera„torem Augustum*, proemii loco satis prolixe nar„rantur, ea merito pro Supposititiis habenda „sunt. Nec minus desunt in quatuor supra me„moratis Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ „Codicibus MSS. incorruptis, & in uno & qua„tuor reliquis corruptis: quam eadem desue„re in Codice MS. Vaticano, cujus Leo Allatius „meminit, & in altero illo quem Joannes Fa„bricius cognomento Cæsar in editione Colo„niensi sua sequutus est. Extat quoque in Au„gustissima Bibliotheca Cæsarea exemplar *Chro„nici Martiniani* Antwerpiense, ab Illustrissimo „doctissimoque Domino Richardo Streinio, Ba„rone Austriaco in Schwartzenau, collatum „cum antiquo Codice MS. Monasterii Carthu„siani Gamingensis in Austria: in quo is pro„pria manu in margine testatur Codicem illum „pertigisse usque ad *Papam Clementem IV. inclu„sive*: & prolegomena illa *De quatuor majoribus* „*Regnis & Urbe Roma*, ibidem defuisse. In ejus„dem Codicis Gamingensis præfatione, ut idem „Baro Streinius testatur, extiterunt ibidem ut „& in duobus suprememoratis Codicibus MSS. „Cæsareis hæc verba: *Ego frater Martinus de Regno Bohemiæ oriundus, patria Oppaviensis.* Fre„tus igitur fide & authoritate duorum illorum„ MSS. Codicum Augustissimæ Bibliothecæ Cæ„sareæ, & tertii Gamingensis: persuasissimum„ habeo, *Martinum* qui vulgo *Polonus* cognomi„natur, re vera fuisse *Oppaviensem*. Est autem„ *Oppavia* urbs Silesiæ Superioris, in confinio Bo„hemiæ & Poloniæ, sita ad fluvium *Oppam*, qui„ in Viadrum influit. Vulgo nunc is corrupte„ appellatur *Troppa*, quasi *zu der Oppa*: sive se„cundum dialectum Saxoniæ inferioris, *To der Oppa*, hoc est, *ad Oppam*: & est metropolis„ *Ducatus Oppaviensis*, qui itidem corrupte *Trop„paviensis* dicitur. Errant itaque Platina, Ra„phael Volaterranus, & alii non pauci, qui Mar„tinum quamvis *Polonus* cognominetur, vel„ *Italum* vel Scotum fuisse existimant. Hæc„ Lambecius occasione Chronici Martini Poloni, cujus tamen opinione non persuadeor.

Jam ad alia Martini Poloni Opuscula veniamus. Libellus qui ipsi adscribitur *Mirabilia Romæ* nuncupatus, passim in manuscriptis Codicibus, insertus & impressus videtur cum suo *Chronico Martiniano*: suntque nonnulla *De quatuor majoribus Regnis, & Romana Urbis exordio, incremento, ædificiis & regimine usque ad Imperatorem Augustum* huic adjuncta, de quibus antea loquutus est Lambecius prætatus. Addit Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* Tomo XX. cap. 4. art. 5. pag. 569. Scripsisse illum & *Summam Juris Canonici*, quæ *Martiniana* vocatur, quod certissimum est. Excelluit enim Martinus Polonus cognitione Juris Canonici, ob quam factus est successive Pœnitentiarius & Capellanus Joannis XXI. & Nicolai III. Romanorum Pontificum: non autem Innocentii IV. vel Clementis IV. ut male Lambecius scripsit, nam Innocentii IV. erat Pœnitentiarius & Capellanus Bernardus de Compostella, Clementis IV. Guillelmus de Morbecta Ordinis fratrum Prædicatorum, ut supra in utroque diximus. Imo Chronicon suum *De Romanis Pontificibus & Imperatoribus* condidit Martinus Polonus, non tantum in gratiam *Theologorum*, sed *Jurisperitorum* ut in præfatione testatur. Habetur autem hæc *Summa Juris Canonici* MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, multis Codicibus sub variantibus titulis. Ita Littera O 15. fol. 1. habetur inscripta, *De Concordantiis Decretorum & Decretalium*, sic. *Item Incipiunt Concordantia sive Tabula Decretorum & Decretalium, compilata a fratre Martino de Ordine fratrum Prædicatorum, Domini Papa Pœnitentiario & Capellano.* Et Littera N 13. fol. 1. & n. 14. *Incipit Margarita Decreti a fratre Martino, Domini Papa Pœnitentiario & Capellano, compilata secundum ordinem Litterarum Alphabeti.* Prologus. *Inter alia quæcunque ad fidelium Christi doctrinam scripta sunt, Liber Decretorum ad ipsorum doctrinam & consolationem conscriptus reperitur* &c. *Aaron idem quod charitas, Aaron multipliciter insinuatur* &c. Hoc autem Martini Pœnitentia-

til

rii Opus inscriptum *Margarita Decreti*, habetur impressum ad calcem Decretorum Gratiani, editionis præstantissimæ Parisiensis anni 1585. sub signo magnæ navis, cujus unum exemplar penes me est. Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ in Anglia Codice 2460. in MSS. Codicibus ipsius Thomæ Bodleii litera F 9. Codice 7. fratris Martini compositio dictionum in Decreto & Decretalibus, cum suis significationibus secundum ordinem Alphabeti. Vide Bibliothecæ Mertonensis N. 2. 5. art. ubi titulus est, *Alphabetum Decreti & Decretalium quod Tabula Martiniana dicitur.* Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 485. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 17. N. 2. 5. Art. *Tabula Martiniana super Decretum & Decretales.* Ibidem Codicibus 921. 922. 923. in MSS. Codicibus Collegii Cajo-Gonvilensis Codicibus 76. L. 3. 77. L. 7. 78. G. 56. opus idem habetur. Idem scripsit *Sermones de tempore & de Sanctis*, quorum verba citat Vincentius de Bandelis Præpositus seu Magister Generalis Ordinis fratrum Prædicatorum, in opere suo *De Singulari conceptione Domini nostri Jesu Christi* adversus immaculatam conceptionem B. Mariæ Virginis, cap. 23. ubi allegat Doctores Ordinis fratrum Prædicatorum. Hos impressos esse Argentorati, refert Guillelmus Cavus in *Historia literaria scriptorum Ecclesiæ*, ubi de *Martino Polono* ad annum 1277. pag. 740. ex fide Ambrosii de Altamura, de quibus nihil unquam vidi. Denique Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, ad annum 1279. pag. 48. ait, hos Sermones esse impressos Argentorati annis 1486. & 1488. ubi & notat scripsisse eundem *De Schismate Ecclesiæ Græcorum & Historiam de Guelphis*, quæ duo volumina MSS. reperiuntur in Bibliotheca Vaticana juxta eundem, quem valde fragilem censeo, apud quem sit istorum fides. Agunt de *Martino Polono* S. Antoninus 3. parte *Summæ Historialis* tit. 23. cap. XI. Leander Albertus Lib. 3. *De viris illustribus Ordinis fratrum Prædicatorum.* Henricus Spondanus ad annum 1278. num. 18. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. 474. num. 60. pag. 484. Carolus Wischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 238. ubi totis nervis illum fuisse Cisterciensis Instituti clamitat. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1279. pag. 48. & in *Appendice* ad eundem annum, pag. 445.

1270 RAYMUNDUS MARTINI, Ordinis fratrum Prædicatorum, natione Catalonus, florebat anno circiter 1270 & sequentibus, clarus potissimum ob linguas Hebraicam & Chaldaicam, quas apprime noverat. Antonius Senensis in *Chronico Ordinis fratrum Prædicatorum*, & in *Bibliotheca ejusdem Ordinis*, Raymundum Martinum patria *Barcinonensem* facit, unde eum arguit Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* in Appendice ad annum 1283. pag. 451. volens eundem fuisse natione quidem Catalonum, sed patria *Subitarensem*: qui cum Monasticen in conventu Dominicanorum Barcinonensi induisset, inde Barcinonensis habitus est. Atque ita vult Franciscus Diagus in *Historia provinciæ Arragoniæ fratrum Prædicatorum* Lib. 1. cap. 2. & Lib. 2. cap. 28. De Raymundo Martino hæc habet Petrus Marsilius. « Erat multum sufficiens in Latino Philosophus, in Arabico, » magnus rabbinus in Hebraica, & in lingua » Chaldaica multum doctus. Ut ergo Raymun- » dus caput Judaismi gigantis Philistæi exscin- » deret, conscripsit *Pugionem fidei*, cujus vulnera » incruenta sunt. Ferrum enim istud non ani- » mam tollit, sed salvat: non corporis sanguinem » effundit, sed excæcatæ mentis virus educit: » non membra secat, sed velum Mosaicum re- » scindit: guttur non impelit, sed damnatæ gen- » tis perfidiam jugulat & duritiem. Similis hic » *Pugio fidei* plane mucroni divini verbi, ex utra- » que parte acuto. » Istud Opus nobile & arduum scripsit anno 1278. ut ipsemet testatur parte 2. *pugionis* cap. 10. cui titulus, *Quod Messias jam venit.* Aureus hic Codex post quatuor secula e tenebris erutus & cum MSS. variis collatus, novissime Parisiis emersit in folio apud Joannem Henault anno 1651. in folio impressus, cum variis & doctissimis Observationibus eximii viri Joannis Voisin Senatoris Burdegalensis. Ex illo autem Petrus Galatinus optima quæque in sua *Arcana* transfudit suppresso penitus authoris nomine, quod ingenuo homine indignum est. Iterum vero Lipsiæ in fol. anno 1687. cum *Introductione Benedicti Carpzovii*, addito etiam per Appendicis modum, Opusculo *Hermanni Cappembergensis Canonici* ex Judæo Christiani. Dum hæc de Petro Galatino loquor, nihil hic proprio marte affero, sed post doctissimos viros, qui quæstionem hanc diligenti tractarunt lima, audiamus Philippi Jacobi Maussaci prolegomena in *Pugionem fidei* circa finem. « Petrus Galatinus ex Judæo Christianus, anno denium millesimo quingentesi- » mo decimo quinto, post ducentos triginta se- » ptem aut circiter annos, Libros duodecim *De* » *Arcanis Catholicæ veritatis*, Pugione fidei non- » dum edito, publicare ausus est: ex quo quæcun- » que protulit bonæ notæ, in sua Arcana trans- » fudit, suppresso penitus *Martini* nomine: non » paucis dubiæ & incertæ fidei additis, & Gale- » Razeia Rabbini Hakkadosch, id est ex ejus O- » pere *Revelans arcana* dicto, unde forte *Arcano-* » *rum* suorum inscriptio. Et Libro Zohar Rab- » bini Simeonis filii Jochai, qui quidem non est » ejusdem farinæ, sed tamen tempore Raymun- » di Martini nondum in publicum prodierat. » Tum sequutus Porchetus de Salvaticis Genu- » ensis, Monachus Carthusiensis cujus *Victoria* » *adversus Judæos* tandem edita anno millesimo » quingentesimo vigesimo, ab Augustino Justi- » niano Dominicano, Episcopo Nebiensi, parta » est

„est ope *Pugionis Martiniani*: ut ipsemet non
„Galatiniana, sed bona & sincera fide palam
„professus est. Hæc Maussacus Consistorianus
„comes. Idem patet ex quadam Josephi Sca-
„ligeri responsione inter posthumas num. 63.
„scripta 16. Calendas Maji 1604. ad Casaubo-
„num. *De Galatino scito me vere dixisse. Nam non solum ille omnia ex Raymundo Sebone expilatus est, sed & opus ejus nihil aliud est, quam breviarium Pugionis fidei: ita enim opus suum doctissimus Dominicanus ille inscripserat, qui Tolosæ ante annos ducentos, plus minus scribebat. Ejusque Operis duo ingentes tomi in Collegio Fuxensi ejusdem Civitatis, ante annos viginti unum, cum ego ibi essem, extabant* &c. Hæ doctissimus Josephus Scaligerus, qui primus Galatini furta subodoratus est, in quibus tamen erravit, quia facit *Pugionis fidei* authorem Raymundum Sebundum Dominicanum.

Tria præterea, non duo ingentia volumina illius Pugionis extabant, Tolosæ in Bibliotheca Collegii Fuxensis, quorum non tam compendium, epitomen aut breviarium confecit Galatinus in *Arcanis*: quam omnia bona quæ habet, ab eo, suppresso penitus Martini nomine, furatus est. Nec unicum tantum Tolosæ extare *Pugionis* istius exemplar, præter illud quod penes Matthæum Borcaldum fuit, recte se scire Maussacus gloriatur. Nam alium Codicem MS. ejusdem in Conventu S. Dominici Neapoli reperiri, constat ex *Bibliotheca* Antonii Senensis: ac præter hunc, etiam alium ex Conventu Tolosano fratrum Prædicatorum, & alium quartum ex Bibliotheca Barcinonensi, denique & quintum ex Majorica, beneficio Thomæ Turci, Ordinis fratrum Prædicatorum. Magistri Generalis, allatos fuisse constat ad clarissimum virum Josephum de Voisin, qui eos simul contulit. Hic autem Josephus Voisin qui *Pugionem fidei* primus edidit, quædam notatu digna in *Prolegomenis* præfatur. „*Primo* Galatinum non
„omnia ex Raymundo sic desumpsisse, ut nihil
„sit apud Raymundum, quod apud Galatinum
„non extet. Nam Talmudis, Rabbinorum-
„que sententiæ perinde ac scriptæ sunt, Chal-
„daice scilicet atque Hebraice hic referuntur:
„quod Galatinus perdifficile reputans, non præ-
„stitit, etsi id ab ipso Capnione petiisset, tanquam
„necessarium. Singula ergo loca diligenter con-
„tuli cum editis exemplaribus, & ubi discrepant,
„annotavi in margine. Collatoque Fuxensi
„MS. Codice cum Tolosano, Barcinonensi, &
„Maioricano, qui transcriptus est in Civitate
„Maioricarum anno Domini 1381. varias Le-
„ctiones descripsi in margine. Atque hic mo-
„nebo in Fuxensi Codice, & non in aliis tribus,
„extare duo ultima Capitula 22. & 23 quod est
„imperfectum: & in illo ultimo exhiberi cap.
„14. Danielis Chaldaice, quod in Bibliis deest.
„*Secundo* apud Galatinum non referuntur Ray-
„mundi disputationes, eo ordine quo scriptæ
„sunt. Tum in iis referendis multa errata com-
misit Galatinus, quæ in hoc *Pugione* non sunt.«
Iis vero quæ de Lege scripta & non scripta, in«
libro suo primo parum accurate, nec sine mul-«
tis erroribus disseruit: Ego Observationes in«
Proemium Pugionis substitui, quibus præterea«
ostenditur, quomodo Lex Evangelica veteris«
legis complementum sit: & in iis pleraque no-«
vi Testamenti loca difficilia & abstrusa expli-«
cantur. *Denique* Eorum quæ in toto opere«
obscuriora occurrunt, illustrationem & Tal-«
mudicam insuper mythologiam subjunxi, ut«
intelligant Judæi, nos ipsorum dogmata ex«
ipsorummet sensu depromere. Hæc Josephus«
Voisin. «

Jam quæritur quis indubius hujus *Pugionis fidei* author sit? Nonnulli inepte ob similitudinem nominis, opinati sunt S. Raymundum de Peniafort hujusce *Pugionis fidei* fuisse authorem, quod nullatenus esse potest. Hoc enim Opus anno tantum 1278. a Raymundo Martini ad finem perductum est, ut ipsemet testatur parte 2. *Pugionis* cap. 10. cui titulus, *Quod Messias jam venit*. Vnde concluditur S. Raymundum, de Peniafort non esse illius autorem, cum ille quasi centenarius in Domino obdormiverit anno 1275. die 6. Januarii, ut tradit Nicolaus Rosellus in ejus Vita his verbis: *Raymundus Barcinone in die Epiphania anno Domini 1275. non sine multis & maximis miraculis, quievit in pace.* Quod etiam confirmant S. Antoninus 3. parte *Chronici* tit. 23. cap. 12. versu *Tertius Ordinis Magister*. Leander Allatius *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum* in Vita S. Raymundi. Alii hoc quoque Opus, ut Josephus Scaliger, attribuunt Raymundo Sebundio, quem ille perperam Dominicanum appellat. In Epistola Scaligeri respons. 3. Idus Septembris anno 1603. ad Casaubonum data: *Addebas de quibusdam, in Petri Galatini disputationibus. Scito illos libros esse compendium duorum ingentium voluminum, quibus titulum fecit author Raymundus Sebon Dominicanus, eximius Philosophus, sed nimis allegoriis & anagogiis indulgens: ut non solum ille Pugio fidei ostendit, sed & Liber de Theologia Naturali. Hi igitur libri adhuc extant in Collegio Fuxensi Tolosano, ex quibus omnia hausit Petrus Galatinus* &c. Sed stare hæc sententia nullo modo potest, cum ille Raymundus Sebundus anno duntaxat 1430. floruerit. Ita refert Trithemius, & post eum Josias Simlerus Bibliothecæ Gesnerianæ abbreviator, qui de eo scriptisque ejus hæc nobis scripta reliquit: *Raymundus Sebaide, natione Hispanus, scripsit Creaturarum sive De homine Librum unum. Quæstionum Disputatarum Librum unum. Claruit anno 1430. Ejus Theologia Naturalis sive Liber Creaturarum, &c. impressus Parisiis anno 1509. apud Joannem Parvum* &c. Idem Possevinus in *Apparatu Sacro*, verbo *Raymundus Sebaude* &c. Cum ergo *Pugio fidei* ab authore, ut dictum est, anno 1278. completus fuerit, atque anno 1430 Raymundus Sebundus vixerit, immerito Josephus Justus Scaliger hoc ei opus attribuit. Alii

ut

ut Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tom. 2. & Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* pag. 192. & 193. Librum adversus Judæos inscriptum *Pugionem Judæorum*, Petro cuidam Barcinonensi Ordinis fratrum Prædicatorum adscribunt, cujus nullus alius meminit. Sed tandem ambo postea, nimirum Antonius Possevinus eodem tomo pag. 120. & & 121. & Antonius Senensis in eadem *Bibliotheca* pag. 206. & 207. hoc opus Raymundo Martini, vero suo attribuerunt authori. Ita Possevinus ex Antonio Senensi *Raymundus Martini, Ord. Prædicatorum, Catalanus, patria Barcinonensis, alius a sequenti (Raymundo de Peniafort Ordinis Prædicatorum) vir Linguarum Latinæ, Hebrææ, Chaldaicæ, Arabicæ sciens, scripsit contra Alcoranum Saracenorum librum. Item adversus Judæos, quem prænotavit* Capistrum Judæorum. *Alterum quoque contra eosdem, inscriptum* Pugio, *de diversitate errantium a via salutis: quem quidem Latine atque Hebraice propria manu scripsit, qui Neapoli in Cœnobio D. Dominici asservatur.* Idem Possevinus antea verbo *Martinus Raymundus*, hæc habet: *Martinus Raymundus extabat in Bibliotheca Francisci Vatabli, nempe Liber prænotatus* Pugio, *quo perfidos & Judæos jugulat: ex quo Petrum Galatinum plura desumpsisse, qui eum legerint, animadvertent.* Hæc Possevinus, de quo etiam Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, dum de Scriptoribus seculi XIII. Quæ si non sufficiant, legas Ambrosium de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1283. pag. 58. & in *Appendice* pag. 449. usque ad nauseam, de *Raymundo Martini* agentem. Quem paucis expedit Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1278. pag. 742. pro more suo.

1270 THOMAS DE LENTINO VEL LEONTINO PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS, natione Siculus, ex Ordine fratrum Prædicatorum, circa annum 1255. in terram sanctam profectus est, cum antea jam per decennium Prior Conventus Ordinis sui Neapolitani fuisset, ac tunc etiam Lombardiæ Provincialis. Reversus in Italiam, factus postea circa annum 1260. Episcopus Bethleemicus, tum anno 1268. XIV. Calendas Maji ad Cusentinum Archiepiscopatum assumptus. Scripsit circa annum 1260. *Vitam sancti Petri Martyris Ordinis sui* qui anno 1252. necatus est, quam habes apud socios Bollandi tomo 3. mensis Aprilis ad diem 29. pag. 686. Rursum autem Thomas a Gregorio X. anno Christi 1272. remissus in Orientem, ad Patriarchatum Hierosolymitanum cum officio Legati Apostolici administrandum, ibidem anno mihi incomperto, sed juxta Labbeum 1277. mortuus est. De illo Ferdinandus Castillus Granatensis 1. parte *Chronicorum* Lib. 2. cap. 69. & Malvenda in *Annalibus fratrum Prædicatorum* ad annum 1231. cap. 7. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 59. pag. 480. editionis secundæ seu ultimæ. Bollandistæ in suis Præludiis ad *Vitam S. Petri Martyris*, tomo 3. ad diem 29. Aprilis. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana*, ad annum 1276. pag. 45.

MENCO SEU MENKO ABBAS TERTIUS FLORIDI HORTI, in Frisia Ordinis Præmonstratensis, ab anno 1242. ad 1277. claruit. 1270 Hic ut in *Chronico* suo pag. 195. testatur, in Abbatiæ culmen per gradus accessit, nam primum sub Andrea Priore & Emone Abbate; *Frater Menko tum Vestiarius & Cellerarius interior, nec non & parvorum Magister*, id est nisi fallor, Juniorum fratrum: *postmodum vero ejusdem Ecclesiæ Abbas effectus.* Postmodum Andrea mortuo, in Priorem Floridi Horti a Paulo Abbade ac natalibus nobili electus est, ut idem testatur in *Chronico* ad annum 1242. pag. 204. Paulo autem Floridi Horti Abbate mortuo, Prior & Conventus Pastore orbati, Priorem Horti Sanctæ Mariæ, cum Domino Johanne Abbate de Insula Sanctæ Mariæ, qui eo anno ad visitationem Circariæ Frisiæ missus fuerat, convocantes; prædictis Prælatis ad Capitulum ingressis, *fratres omnes unanimiter concordarunt in personam fratris Menconis, qui tunc Prior ejusdem loci erat.* Cum autem literis excultus esset *Menco*, scripsit *Chronicon sui temporis* ab anno 1237. ad 1273. quod ex MSS. Codicibus erutum in lucem edidit Antonius Matthæus Professor Jurisprudentiæ in Academia Lugdunobatava anno 1699. in 8. tomo 3. *Veteris Ævi Analectorum* a pag. 162. ad pag. 275. Inscribitur, *Incipit Chronicon Menkonis Abbatis tertii in Worum apud Omlandos.* Cui Appendix ab anonymo usque ad annum 1297. adjecta a pag. 275. ad pag 309. Ut autem habet Anonymi continuatio pag. 277. *Anno Domini 1276. Dominus Abbas Menko prædictus ad mandatum Domini Præmonstratensis & Diffinitorum, Studium puerorum transtulit ad parochialem Ecclesiam Emetha: id est juniorum fratrum ac novitiorum, studiis incumbentium.* Mortuus est autem ante annum 1288. ut idem Continuator anonymus pag. 277. testatur, Oudgero quodam succedente in ejus locum. Ubbo Emmius in *Historia rerum Frisicarum* Lib. XI. ad annum 1262. *Menconis* mentionem facit, ubi de quibusdam loquitur, *Mencone Antistite tertio Cœnobium regente, cui multa in Annalibus annotata debemus.* Antonius Matthæus in Præfatione ad Tomum 3. *Analectorum Veteris Ævi.*

HERMANNUS ALTAICHII INFERIORIS ABBAS, Ordinis divi Benedicti, quod 1270 cœnobium quoque ipsi Benedicto Patriarchæ dicatum est, tempore Rodulphi II. Imperatoris circa annum 1275. floruit, atque idem Ottonis Bavariæ Ducis & Henrici ejus filii a consiliis, qui res Bavaricas scriptis suis illustrasse legitur. Nam Joannes Aventinus inscriptionibus lib. 3. Annalium præmissis, multum se adjutum fuisse

Commentariis illius testatur: quibus tamen omnem posteritatem carere, Christophorus Gewlodus, præfatione in *Chronicon* Monasterii Reicherspergensis conqueritur. Hæc Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. mihi 489. editionis ultimæ, quem hic expressimus. At Daniel de Nessel bibliothecæ Imperatoriæ Præfectus hoc opusculum nempe *Chronicon Altaichense* seu *Altaichii inferioris* MS. Hermanni, extare inter MSS. Codd. Latinos hujus bibliothecæ affirmat, cujus editionem pollicetur in *Sciagraphia Magni Corporis Historici* in Syntagmate Historiæ Ecclesiasticæ, quam edendam curavit anno 1692. in 4. Vindobonæ typis Johannis Jacobi Manni de qua *Acta Eruditorum Lipf.* ad an. 1692. mense Octobris differunt.

1270 REGINALDUS ANDEGAVENSIS ARCHIDIACONUS, hac ætate floruisse creditur, nam scripsit *Supplementum seu Continuationem* ad Chronicon Flodoardi Remensis Ecclesiæ Canonici ab anno Christi 966. ad annum 1277. quo scripsisse videtur. Extat inter MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ, sub effigie Othonis litera B Codice 3, Num. 3. *Chronicon Frodoardi Monachi S. Albani ab Octaviano Imperatore ad A. Christi 966.* Num. 4. *Chronica Reginaldi Archidiaconi Andegavensis, nempe continuatio Prioris ad annum 1277.* In fine est *Genealogia Regum Francorum a Pharamundo ad Philippum filium Hamonis.* Hæc Thomas Smithus Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ hujus bibliothecæ pag. 69. col. 2. quem anno 1696. in folio edendum curavit Oxonii ex theatro Sheldoniano.

1270 RUDOLPHUS HABSPURGICUS, nominis I. Occidentis Imperator, anno 1273. faustissimis auspiciis electus est, Princeps manu non minus strenuus, quam ingenio valens, qui & antea sub Frederico II. susceptore & altore militans, rerum gestarum magnitudine egregiam sibi famam dudum comparaverat. Prima ejus Imperii cura fuit, ut latrocinia, seditiones, tumultusque populares, quæ diuturni interregni licentia invaluerant, compesceret, bellaque quibus Germania ardebat, ubique locorum restingueret, eamque saluberrimis legibus statutisque ornatam redderet. Ex plurimis ejusdem bellis, insigne maxime illud est, quod cum Ottocaro Bohemiæ Rege, cujus stabulo Rudolphus etiam præfectus fuerat gessit, cum pactis conventis stare nollet. Hunc acie victum anno 1278. occidit, Bohemiamque valida manu ingressus, omnia igne & ferro vastavit, Wenceslao tamen Ottocari filio Bohemiæ regnum sub certis conditionibus restituit, filiamque Gutham raræ pulchritudinis virginem in matrimonium dedit, Rudolphoque filio suo Sueviæ Duci Agnetam Ottocari filiam desponđit; uti & reliquas filias Principibus potentissimis collocando, fundamenta potentiæ suæ validissima posuit. Pseudo-Fridericum, qui se pro Friderico Juniore, Neapoli cum Conradino occiso, Suevis ostentaverat, multasque urbes in partes traxerat, captum, Novasii comburendum jussit. Petrus Lambecius Cæsareæ Majestatis Consiliarius & Bibliothecarius edidit anno 1673. Vindobonæ in 4. *Catalogum Librorum a se compositorum* & in lucem editorum ab anno ætatis 19. Christi 1647. ad ætatis annum 45. Christi 1673. in quo *Syntagma Rerum Germanicarum*, seu *Variorum ad Germaniam spectantium Scriptorum, variorumque Actorum publicorum*, ex Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis MSS. potissimum Codicibus, Voluminibus aliquot in folio edendorum, cum annotationibus necessariis, Chronologia accurata, amplissimis indicibus Geographicis & Genealogicis. In hoc igitur *Syntagmate Rerum Germanicarum* promisit se editurum Petrus Lambecius *Codicem Epistolarum Imperat. Rudolphi I. continentem Epistolas 149. partim & quidem ab ipso præcipue, partim ad ipsum, partim de ipso scriptas, Domini Johannis Seyfridi Abbatis quondam Zovethalensis cura & studio ex antiquis duobus Monasterii Sanctæ Crucis, & Zovethalensis MSS. Codicibus collectas, in tres libros divisas, cum Seyfridianis suisque annotationibus, tabulis item Chronologicis & variis lectionibus.* Hic est autem Johannes Seyfridus, Silesius, Vratislaviensis, Monachus Cisterciensis Ordinis in Cœnobio Claræ vallis Austriæ, tum Abbas Zwethalensis, qui *Arborem Anicianam* anno 1613. Viennæ Austriæ in folio edidit, opus Lambecio doctissimum *De Augustissima Domus Austriaca Origine Romana*, quod a plurimis irridetur & exsibilatur, a Petro Lambecio vero in cassum laudatur & defenditur Lib. 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 6. p. 478. ad 493. & alibi. Idem Lambecius profert *Rudolphi I. Habspurgici diversa duo diplomata de Electorali Archipincernatu*, quæ conciliare simul nititur lib. 2. *Commentariorum allatorum* cap. 8. pagg. 828. & 830. In eodem autem Opere seu *Syntagmate rerum Germanicarum* citato, pollicitus est idem Lambecius *Codicis Epistolaris Imperatoris Rudolphi I librum quartum, continentem Varia ejusdem Diplomata ex diversis Augustissima Bibliotheca Cæsarea MSS. Codicibus antiquis, a se primum collecta & necessariis annotationibus atque accurata Chronologia illustrata.* Rodulphus igitur rebus compositis, cum laboribus jam annisque fractus, terminum vitæ suæ imminere animadverteret, in Comitiis Francofurti Albertum filium suum Imperii successorem designare constituit, sed a Principibus impetrare non potuit. Spiram tandem contendens, mortuos Imperatores invisurus, ut jocose proximæ suæ mortis vates dixerat, Germershemii ad Rheni ripam, anno 1291. fato cessit, Spiræque juxta Philippum Suevum sepultus est. Vitam ejus & res gestas Johannes Henricus Boeclerus descripsit, quam titulo *Rodulphi Imperatoris, Germaniæ instauratoris* solemni examini proposuit Argentorati anno 1671. in 4.

De

De *Epistolis Rodulphi Habspurgici*, præter Lambecium loco citato, Michael Hertzius in *Bibliotheca Germanica* seu *Scriptorum rerum Germanicarum* Erfurti 1679. in folio edita, parte 3. in *Rudolpho Habspurgico*, num. 119. & 120. 121. quem hic excerpsimus.

1270 HELVICUS THURINGUS hoc eodem tempore claruit, annis nempe 1265. 1267. 1273. Ottocari Bohemiæ Regis, Ducis Austriæ & Stiriæ & Marchionis Moraviæ Notarius seu ab Epistolis & Secretis, id enim tunc temporis nomen Notarii indicabat. Hunc quod attinet, Petrus Lambecius Lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. pag. 958. facit mentionem Codicis membranei Bibliothecæ Ambrosianæ Codice 320. quo continetur *Chronicon Antiquum de finibus Austriæ & Stiriæ Germanicum quidem*, cujus principium, Der Hertzog Hainrich mit den Grenn dingt dem Marchgraven Otachern von Steyrsein eigen &c. Aliud ejusdem *Chronici* multo antiquius MS. authenticum extare testatur in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter Codices MSS. Historicos Latinos, Codice 197. Eodem etiam usum olim fuisse Wolfgangum Lazium, ut videre fit Libro septimo *De migrationibus Gentium:* quippe ubi non solum aliquoties citetur, sed & honoris causa, illum *pervetustum Codicem vetustissimorum Annalium Austriatorum* nominat. Extat & tertium ibidem ejusdem Chronici MS. exemplar, inter MSS. Historicos Latinos, Codice 161. Exaratum autem esse illum Codicem anno Christi 1265. manu *Helvici Thuringi*, Ottocari Bohemiæ Regis, Ducis Austriæ & Stiriæ, Marchionis Moraviæ Notarii, Ejusdem *Helvici Thuringi*, Ottocari Regis &c. Notarii aliud opus in *Syntagmate rerum Germanicarum* edere promisit idem Lambecius. Illud est *Rationarium Austriæ & Stiriæ, partim sub ipso Ottocaro Rege annis 1265. & 1267. partim autem sub Imperatore Rudolpho I. post annum 1273. compositum*, inter MSS. Codices Historicos Latinos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice 197. in 4. Cujus præmissa Dissertatione, *De ejusmodi libellorum Rationum utilitate*, principium libri exhibet, idem Lambecius Libro 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 4. pag. 71. & sequentibus. Initium *Rationarii Stiriæ* pag. 75. est ejusmodi. *In nomine Domini amen. Anno Domini MCCLXV. regnante Dno. Ottacharo inclyto Bohemorum Rege, Duce Austriæ & Stiriæ, ac Moraviæ Marchione feliciter ac potenter, ex mandato venerabilis Patris & Domini Brunonis Olomucensis Episcopi, ejusdem Domini tunc per Styriam vicem tunc gerentis, Ego Helvicus Notarius, de terra Thuringia nationis trahens originem, rimatis diligenter & examinatis omnibus prædictæ terræ Styriæ officiis principatui attinentibus* &c. Præter Lambecium locis allatis, imminuit quoque Scriptores hujus Michael Hertzius in *Bibliotheca Germanica*, seu *Scriptorum rerum Germanicarum*, Erfurti 1679. in folio edita, parte 4. num. 61. & 62.

GVILLELMUS DE SANDWICO, ex Ordine fratrum Carmelitarum, quem alii Anglum, alii Gallum, ac dictum *de Samuco* volunt, ex illis Europæanis hominibus fuit & Monachis, qui quamdiu res Latinorum in Orientali imperio obtinuerunt, Monasterium in Monte Carmelo habitarunt. Cum ergo annis aliquot in hoc Monte prærupto & in Terra sancta permansisset, Accone anno 1251. a Saracenis capta, ipse in Cyprum aufugit, unde in Angliam rediit. Scripsit vel post vel circa annum 1270. *Chronicon de multiplicatione Ordinis Carmelitani, per Syriam & Palæstinam, & De vastatione Monasteriorum Terræ sanctæ & adventu Carmelitarum in Europam*. Cum vero in eo Opere faciat mentionem annorum 1267. & 1269. hoc Chronicon parvulum ante annum 1270. aggressus non videtur. Insertum illud Libro IX. Philippi Riboti Catalani *De Rebus Carmelitanis*, qui continentur in *Armamentario Carmelitarum*, quod quatuor in fol. tomis, majoribus expensis, quam fructibus, edendum curavit F. Daniel a Virgine Maria, Carmelitanus, Antwerpiæ anno 1680. apud Michaelem Cnobbarum. Idem Opusculum Guillelmi de Sandvico, insertum & modicum Tractatui Historico *De Patriarchis Hierosolymitanis*, quem Bollandus censuit præmittendum tomo 3. mensis Martii. De illo Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, ubi eum *Guillelmum de Samuco* vocat, quem Gallum facit. Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 485. pag. 272. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 490. editionis ultimæ. 1270

ENGELBERTUS ADMONTENSIS COENOBII IN STYRIA ABBAS, ad Amasum amnem ultra Perium montem, natione Germanus, ex Ordine Divi Benedicti, post annum 1270. Orbi litterario innotescere cœpit, temporibus Rodolphi Hasburgii Imperatoris, qui anno 1273. ad hanc dignitatem promotus est. Scripsit igitur 1273. *Panegyricum coronationis Rodulphi Hasburgici in Romanorum Imperatorem carmine Heroico*, quem habes in Collectionibus Historicorum Germaniæ, quas diversi ediderunt. Extat quoque Opus Engelberti Admantensis *De ortu, progressu & fine Imperii Romani*, quod ex parte quidem historicum est, sed in quo multum philosophatur de fine hujus Imperii, quem juxta Scripturam sacram ipse Mundi finis excepturus est. Impressum primo Basileæ anno 1553 in 8. typis Oporinis cum Odeporico Bavarico Gasparis Bruschii, & cum aliis homogeneis Scriptoribus Offenbachii anno 1610. in 8. cura & studio Joachimi Clutenii. Denique in Bibliotheca Veterum seu Sanctorum Patrum ultimæ editionis Lugdunensis Seculo XIII. tomo XXV. pag. 362. At imperante Adolpho de Nassaw, anno 1297. ob virtutem simul & doctrinam, Abbas hujus Admontensis Ecclesiæ electus est Engelbertus, qui multa composuisse dicitur, quæ 1270

Monasterium præfatum sedulo asserat. Denique *Engelberti Abbatis Admontensis Tractatus quadripartitus, De vita & moribus Beatæ Virginis Dei Genitricis*, MS. in folio in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. hujus Bibliothecæ Codicum, pag. 140. num. 5. impresso Lipsiæ hoc anno 1686. studio Joachimi Felleri ejus Bibliothecarii. De illo Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum*. Antonius Possevinus ejus exscriptor in *Apparatu sacro*, quem tamen rejicit ad annum 1340. quousque vivere vix potuit, cum ab anno 1270. floreret. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. 498. ultimæ editionis. Guilelmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1297. quo Abbas factus est, pag. 756.

1270 GVILLELMVS TRIPOLITANVS, ex Ordine fratrum Prædicatorum, mansit diu in Conventu Acconensi ejusdem Ordinis, unde mores & agendi rationes incolarum hujus regionis didicit. Cum ergo Theobaldus patria Placentinus, Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconus, anno 1270. Edwardo Walliæ Pincipi in Palæstinam exercitum ducenti, se peregrinum atque comitem adjunxisset; hujus expeditionis occasione accepta, hoc eodem anno 1270. Guillelmus iste Tripolitanus obtulit Theobaldo Placentino, postea Gregorio X. Romano Pontifici, *Librum de Statu Saracenorum*, qui MS. extat Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii Eneonensis Codice 3. inscriptus, *De Statu Saracenorum & de Mahomete Pseudopropheta eorum, & de ipsa gente, & eorum lege & fide*. Idem MS. in Bibliotheca Colbertina Parisiensi, Codice 5129. Hujus hic titulus, *De Statu Saracenorum, Mahomete pseudopropheta eorum, & de ipsa gente & eorum lege*. Inscribitur, *Venerabili Patri ac Domino Theobaldo Leodiensis Ecclesiæ Archidiacono digno, sanctæ Terræ peregrino sancto, F. Guillelmus Tripolitanus, Aconensis conventus Ordinis fratrum Prædicatorum, ipsum in Christo peregrinationis adipisci votiva. Quoniam intellexi illuminatam fidem vestram cupere scire, quid gens Saracenorum & Liber eorum de fide sentiat Christiana, votis pia devotionis studia in Domino deservire* &c. Hujus meminit Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 623. Henricus Spondanus in Exceptione *Annalium Baronii* ad annum 1260. num. 5. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 488. ultimæ editionis. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1291. pag. 74. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 110.

1280 GREGORIVS CYPRIVS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, antea Georgius dictus, natione Cyprius, ex parentibus Latinis natus, anno 1283. ita volente Andronico Imperatore Palæologo, factus est ex laico Monachus, ex Monacho post sacrorum Ordinum gradariam simul ac tumultuariam susceptionem, mox Patriarcha Constantinopolitanus consecratus, de quo plura videri possunt in Historia Pachymeris a Petro Possino Romæ nuper evulgata. Aliter tamen censet Spondanus in continuatione *Annalium Baronii* ad annum 1283. num. 9. Juxta quem, Josepho paullo„ post iteratam ad Patriarchatum assumptionem„ defuncto, creatus est Patriarcha Georgius Cy-„ prius Monachus, ex Imperatorii Cleri collegio,„ vir egregiæ litteraturæ. Cujus rursum causa„ (videlicet quod cum Cyprius esset, diu inter„ Latinos conversatus, etiam ab illis lector ordi-„ natus fuisset) novæ dissentiones inter partes„ orirentur, & ad illas componendas visum fuis-„ set e re, conventum utrorumque agere: post„ multa verborum certamina, placuit contra-„ rias opiniones scriptis mandari, ac Deo judi-„ cium per ignem committi. Sed igne utrorum-„ que scripta pariter consumente, deridente vi-„ delicet numine vana litigantium istorum ten-„ tamenta, receptus est ab utrisque Gregorius.„ Admissus haudquaquam Latinismum induit,„ uti Græci metuebant, sed omnimode Græcani-„ cas amplexus est opiniones.„ Totus in sententiam Imperatoris Andronici Palæologi, qui eum ad hanc dignitatem extulerat, abreptus: miris afflixit modis & scriptis eos omnes, qui unioni Latinorum adhærebant: auxit honoribus atque officiis quos antea Latinorum tempestas variis attriverat proscriptionibus, latinizantesque Græcos opprobriis & contumeliis affecit, ac Beccum seu Veccum ipsum adversarium suum ob Latinas opiniones imbutas, in tetrum exilium deportari fategit. Prosequitur hæc omnia pluribus Gregoras in Historia, subditque crudeles istos novatores, justas tandem divinitus luisse pœnas: cum nemo illorum in sua dignitate decesserit, sed turpissime omnes suis sedibus pulsi fuerint. At silentibus etiam Historicis omnibus, ex solo Joanne Vecco, vel ex scriptis solius ipsius, abunde Georgium Cyprium fuisse ipsi infensissimum, nosceremus. De his loquitur paucis Joannes Albertus Fabricius in *Bibliotheca Græca* Tomo VI. cap. 5. pag. 603. ad 605. ubi Catalogum satis prolixum Operum illius tam impressorum quam Manuscriptorum exhibet. Opus autem Fabricii impressum Hamburgi anno 1714. in 4. Jam ad Gregorium sive Georgium Cyprium redeamus. Immodico sane illum sale ubique perfricuit Joannes Beccus in suis Scriptis, tomo præsertim 2. *Græciæ Orthodoxæ* Leonis Allatii. Nam ibi paginis 15. & 216. agit cum illo, tanquam cum extero & crudeli Patriarchatus invasore. Pag. 16. ejus morbum, ne dicam temulentiam exaggerat: pag. 217. effrenem ejus audaciam: pag. 226. & 227. ejus maledicentias: pag. 249. ejus tyrannidem: pag. 150. & 167. arguit illum sibi sæpissime contrarium in iis quæ scripsit: denique vult & male sensisse de Divina essentia pag. 160. & se-

& sequentibus. Hæc effusa bile, ob Patriarchatum amissum forsitan Veccus, ardentiorique zelo, quam par esse videatur. *Sed quid hæc interim narro? ipsius adversus veritatem studium indicare contendens, ex iis qua contra nos in tomis a se compositis digerit, & inter divina colloquia in nostri contemptum declarat, tanquam qui nostram sedem contra jus omne violenter occupat, & liberum habet quacunque sibi libuerit, contra nos fandi libertatem* &c. pag. 248. num. 16. Tum postea pag. 249. *Tandem etiam Tomot componit, & manuum suarum subscriptione munitos admitti cogit, & Codices a se factos subscribere ob pietatem & timorem, ne a veritate aberrent, in aliud tempus differentes, ut sibi placuerit, pœnis mulctat* &c. At quidquid aut juris aut cholera habeat Veccus depositus, in Gregorium seu Georgium Cyprium Patriarcham Constantinopolitanum: certum est fuisse illum virum eloquentem & doctum, plurimisque claruisse Opusculis Philippus Labbeus Soc. Jesu edidit *Novam Bibliothecam MSS. Librorum Græcorum, Latinorum ac Gallicorum* seu *Specimen antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, desumptam præsertim ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ quorum Catalogum in manibus habuit, impressam in 4. anno 1653. Parisiis apud Joannem Henault. Illic parte 3. pag. 100. *Georgii Cyprii Patriarchæ Constantinopolitani ad Andronicum Palæologum Epistola, & plures ad alios* in Codicibus MSS. Regiis 572. 608. 1334. 2180. Ibidem parte 4. pag. 104 *Georgii Cyprii Patriarchæ CP*, quem *Gregorium* quidam vocant, *Proverbia* in Codicibus Regiis MSS. 87. & 1111. In Regio Codice 2088. *ejusdem Sententia ordine Alphabetico*. In 2180. habentur *ejusdem Responsiones ad varias quæstiones. Proverbia* ista a Georgio Cyprio in unum collecta & ordine Alphabetico digesta, seu *Sententiæ*, Græce cum Paræmis Michaelis Apostolii, a Petro Pantino Latine versa, Lugduni Batavorum anno 1619. prodierunt. Itemque anno 1653. in 4. ibidem cum Michaelis Apostolii Paræmiis Græce & Latine apud Elzevirium. Ejusdem quoque *Sententiæ* seorsim in 8. Coloniæ anno 1536. excusæ fuerunt. *Paræmia Georgii Cyprii Patriarchæ* per Alphabetum MSS. in Vaticana, ut idem testatur Labbeus in *Supplemento II.* dictæ Bibliothecæ quod pagina 166. incipit, nempe pag. 170. in Supplemento Librorum nondum editorum, a Scipione Tettio Neapolitano, ante annos 80. confecto. Jam eodem Labbeo teste, in *Supplemento III.* pag. 175. quod continet Catalogum MSS. Codicum Bibliothecæ Hispano Regiæ apud S. Laurentium Scorialensem, quoad *Epistolas Georgii Cyprii* Constantinopolitani Patriarchæ, nullus insignior Codex, quam qui pag. 187. memoratur quasi Epistolas DXCVII. contineat, *Georgii Cyprii Epistola 597.* Z. VI. 10. Vitam illius eximie satis descripsit Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1284. pag. 745. qui de Scriptis ejus omnino silet, & si ea plurima sint, ac nonnulla etiam impressa. Scripsit *Encomium Sancti Georgii Magni Martyris*, quod Græce & Latine legitur apud Successores Bollandi, ad diem 23. Aprilis. Ejusdem *Georgii seu Gregorii Cyprii Patriarchæ Constantinopolitani Encomium Mariæ*, Græce impressum Lugduni Batavorum anno 1591. in 8. Item *Georgii Cyprii Encomium Mariæ seu de universa aquæ natura*, Græce 1698. Franekeræ in 8. Idem Georgius Cyprius scripsit *Elogium Georgii Acropolitæ Logothetæ Constantinopolitani*, quod habetur Græce & Latine impressum ante Historiam præfati *Acropolitæ* impressam tum anno 1614. Lugduni Batavorum in 8. tum Parisiis anno 1651. in folio typis Lupareis seu Regiis. Sed longe plura MSS. Extant enim *Varia Georgii Cyprii Epistolæ* Græce MSS. in Bibliotheca Vaticana, & Hispana Regia Scorialensi 597. Z. VI. 10. & in Bavarica Cod. 96. *Ejusdem Gregorii Cyprii fabula*, MSS. in eadem Bibliotheca Bavarica, Cod. 66. *Ejusdem Georgii Cyprii Orationes* Græce MSS. in Bibliotheca Lugduno Batava, Cod. 22. cum Epistolis Phalaridis chartaceo in 4. ex dono D. Warnerii, ut habet Fridericus Spanhemius in Catalogo hujus Bibliothecæ pag. 397. quem in 4. edi curavit Lugduni Batavorum apud Elzevirios anno 1674. Item ibidem *Gregorii Cyprii Patriarchæ Constantinopolitani Orationes & Epistolæ*, MSS. Cod. 10. in fol. inter Libros Bonaventuræ Vulcanii, ut habet idem Catalogus pag. 413. quem adeas. Itemque teste Petro Lambecio, extant ejusdem *Georgii Cyprii Epistolæ centum nonaginta & una*, inter MSS. Codices Historicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice LXVII. cum præfatione Vitam seu potius laudationem ejus continente, incerti ejusdem authoris Synchroni, cujus nomen ob aliquot foliorum in initio, avulsionem ignoratur. Ibidemque *Ejusdem Decretum aliquod Synodale, & alia quadam formula solemnis de ipsius Orthodoxia adversariis suis præscripta.* Ita Lambecius Libro 8. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, paginis 510. & sequentibus. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 555. Eximius hic Codex extat inter MSS. Codices Historicos 67. chartaceus, antiquus & bonæ notæ in 4. sed negligentia eorum, qui hanc Imperatoriam Bibliothecam curarunt, avulsis in principio aliquot foliis mutilus, quem describit Lambecius Lib. 8. Commentariorum pag. 510. ad usque paginam 523. In eo post præfationem seu laudationem ejusdem Georgii Cyprii sequuntur ipsæ Epistolæ, quarum prima ad *Protosecretarium Manuelem NeoCesareensem* inscribitur atque incipit hoc modo: Ἐπιςολαὶ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου κυρίου Γρηγορίου. α. Τῷ Νεοκαισαρείτῃ Φασί τινες λόγον &c. Dignissimæ profecto sunt omnes illæ Epistolæ, ut tanquam eximium Corporis *Historiæ Byzantinæ* Supplementum Græce & Latine in lucem proferantur. Et quidem potissimum ob Georgii Pachymeris *Historiam Imperii Andronici Palæologi Senioris*, quippe quæ harum bene-

„beneficio Epistolarum, innumeris fere locis illustrari potest. Sunt enim inter eas multæ ad „ipsum illum Imperatorem Andronicum, ad „Georgium item Acropolitam, quem suum appellat *Διδάσκαλον* sive *Magistrum*: ad Melitenniotam Archidiaconum, olim Joannis Becci Expatriarchæ Constantinopolitani in carcere socium: ad Holobolum Rhetorem, qui Synodo „contra Beccum convocatæ interfuit: ad Theodorum Muzalonem, Magnum Logothetam & „Protovestiarium: ad Nicephorum Chumnum, „Muzalonis successorem: ad Theodosium Sapanopulum, ad Raulænam Protovestiarissam, „quæ ipsum jam Expatriareham in Monasterio „lubenter sustentavit: atque ad alios complures, quorum citatus Pachymeres in *Historia* „sua frequenter meminit. Reperit quoque ibi „Lambecius *unam*, nempe *sexagesimam unam*, ad „illum ipsum Georgium Pachymerem, cujus titulus & initium hoc est: Τῷ Παχυμέρῃ, Δέσποτά μου σοφώτατε διέγνων τὸν λόγον πλεῖν „ἢ τετράκις, ἔγνων δὲ οὐδ' εἰς ἅπαξ &c. Tum ibidem Lambecius initium singularum istarum Epistolarum exprimit, quod mihi plurimis aliis occupato, visum est transgredi instituti mei limites. Certe si Petrus Possinus, qui utramque Georgii Pachymeris Historiam, *Imperiorum* nempe *Michaelis Palæologi & Andronici Palæologi Senioris*, ex Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini instructissima Bibliotheca, Romæ primum typis Barberinis annis 1666. & 1669. Græce & Latine duobus tomis in folio, & cum eruditissimis observationibus, edidit: harum notitiam, atque usum Epistolarum habuisset: dubium minime est, quin multa inde haurire necessaria, & tam ardui operis obscuritatem magis illustrare potuisset. Quod etiam ipse curiosissimus & diligentissimus Monumentorum recentioris Græciæ indagator Leo Allatius, primarius Bibliothecæ Vaticanæ custos, haud sufficientem Epistolarum earundem habuerit notitiam: satis ipse clare indicat, in amplissima sua *De Georgiis* Diatriba, ubi de eodem Georgio sive Gregorio Cyprio valde prolixe agens, ita scribit pagina 423. „Epistolæ CCIII. Georgii „Cyprii, partim scriptæ antequam onus Patriarchale suscepisset, partim postquam illius „cura ipsi commissa fuit, extabant in Bibliotheca Antonii Augustini, Cod. 69. Erantque in „Lolliana, & Monachii Bavariæ, sed sine titulis. „In Ambrosiana leguntur CLXVI. Robertus „Constantinus in Bibliotheca, *Georgii Patriarchæ De vita sua & Epistolæ 166. in Ambrosiana*: „licet paulo supra in eodem indice legatur, *Georgii Cyprii Epistola selecta, aliud item exemplar*. „Item *De vita sua, Epistolæ numero CLXVI*. An „opus hoc de Vita sua diversum est ab Epistolis, vel Epistolis ipsis vitam suam exprimit? „mihi adhuc incertum est. Hæc ibi Allatius. Quod tandem restat, notandum maxime est, recensitis supra Epistolis in eodem Codice MS. Cæsareo a folio 146. pag. 2. usque ad folium 148. pag. 2. instar Appendicis subjungi ejusdem *Georgii Cyprii Patriarchæ Decretum aliquod Synodale*, cujus titulus atque initium: Ἀπόφασις. Ἡ μετριότης ἡμῶν σὺν ἅμα τῇ περὶ αὐτὴν ἱερωτάτῃ τῶν Ἀρχιερέων ὁμηγύρει, δῆλον ἅπασι διὰ τοῦ παρόντος καθίστησι γράμματος, ὅτι Ἐπισκόπους, Ἱερεῖς τε καὶ Διακόνους, τοὺς ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἐκκλησιαστικῆς συγχύσεως διώκας ὁμολογουμένους ἀναφανέντας &c. quo finito Decreto Sequitur formula solemnis, qua eidem Patriarchæ Gregorio adversarii ejus promiserunt, ipsum publice declaratum iri Orthodoxum, & liberum prorsus ab omni labe & suspicione pravæ doctrinæ: Si is prius scripto polliceretur, si sine mora throno Patriarchali abdicaturum esse, post acceptum illud innocentiæ suæ testimonium. Narrat quidem totam illam rem prolixe & accurate Georgius Pachymeres in *Historia Imperii Andronici Palæologi Senioris*, Lib. 2. capitibus quinque integris, 6. nimirum, 7. 8. 9. & 10. adeo ut etiam integram formulam abdicationis a Gregorio conscriptam & adversariis traditam, citato capiti 9. ad verbum inseruerit. Formula tamen promissionis adversariorum, quæ in Codice MS. Cæsareo extat, cum illic omissa sit, hic causa supplendæ Historiæ Pachymerianæ, integra post Lambecium subjicitur, quæ cum inscriptione sua talis est. Ἀνακήρυξις τῆς εὐσεβείας αὐτοῦ παρὰ τῶν ὑποσχομένων αὐτῷ. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὅτι οὐδέποτε κακὴν ὑπόληψιν ἔχομεν περὶ τοῦ Δεσπότου ἡμῶν τοῦ Πατριάρχου κυροῦ Γρηγορίου, ὡς ἐστι βλάσφημος, καθάπερ τοῦτο τινὲς τῶν ἀμυήτων ὑπέλαβον. ἀλλ' ὀρθοδοξώτατον τοῦτον γινώσκομεν, καὶ εὐσεβέστατον, μόνον δεόμεθα τοῦ Πατριαρχικοῦ παραιτήσασθαι Θρόνου διὰ τὴν τῶν Ἀνθρώπων εἰρήνην. καὶ ἐπειδὴ παρ' ἡμῶν ζητεῖ τὴν τῆς εὐσεβείας αὐτοῦ ἀνακήρυξιν ἔγγραφον λέγεσθαι, καὶ αὐτίκα κατανένει τὸν Θρόνον παραιτήσασθαι, ζητοῦμεν καὶ ἡμεῖς τινὰ ἀσφάλειον πρότερον γενέσθαι παρ' αὐτοῦ· καὶ εἰ τοῦτο γένοιτο, αὐτίκα καὶ ἡμεῖς πάντες ἕτοιμοι ἐν ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ καὶ ἐγγράφως καὶ ἀγράφως παῤῥησίᾳ τε καὶ ἰδίᾳ τοῦτον ὥσπερ, καὶ τὸν ἅπαντα χρόνον ἦν, εὐσεβέστατον κηρύττειν καὶ ὀρθοδοξότατον, ἐπιτιμᾶν δὲ καὶ τοῖς ἀφρόνως καὶ ἀμαθῶς κατ' αὐτοῦ λέγουσιν. Hucusque formula illa promissionis, quam æque ac formulam abdicationis ab ipso Gregorio compositam, & adversariis fuisse præscriptam, existimare est. Denique totus ille Codex hac subscriptione clauditur: Τέλος τῶν Ἐπιστολῶν τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Πατριάρχου, καὶ τῷ Θεῷ δόξα.

Ejusdem *Georgii Cyprii Oratio in Sanctum Georgium Martyrem*, Græco MS. inter MSS. Historicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Cod. X. num. 6. ut habet Petrus Lambecius Lib. 8. *Commentariorum hujus Bibliothecæ* pag. 71. his verbis. „Sextò & quidem a fol. 91. pag. 1. usque ad fol. 104. pag. 2. *Gregorii Cypri Patriarchæ Constantinopolitani*, qui ante Patriarcha- „tum

„lem dignitatem *Georgius* appellatus fuit, *Oratio* „*in Sanctum Magnum Martyrem Georgium*, cujus „titulus & principium : Γρηγορίȣ Πατριάρχȣ „Κωνςαντινȣπόλεως τȣ̃ Κυπρίȣ εἰς τὸν ἅγιον ἔν„δοξον μεγαλομάρτυρα Γεώργιον. Ἔθος τȣ́το „τῶν λόγοις ἀγωνιζομένων σχεδὸν ἑκάςῳ τȣ̀ς καθ' „ἑαυτὸν ἀγῶνας μεγάλȣς οἴεσθαι ἀξιȣ̃ν, καὶ λαμ„πρȣ̀ς καὶ δυσχερεῖς ἀνῦσαι &c. Meminit hu„jus Orationis Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis*, ubi de hoc *Georgio* five *Gregorio Cyprio*, „a pag. 420. usque ad pag. 425. fuse fatis agit. „Item in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, pag. 87. Eadem autem Græce MS. ibidem Cod. MS. Historico Græco XXXV. num. 3. ut habet idem Lambecius Lib. 8. eorundem Commentariorum pag. 372. ubi hac de re fusius. Ejusdem Codice Historico X. num. 7 *Oratio in Sanctum Martyrem Marinam*, ut habet idem Lambecius loco citato pag. 71. his verbis: „ Septimò & qui„dem à fol. 104. pag. 2. usque ad fol. 116. pag. 1. „*Ejusdem Gregorii Cyprii Oratio in Sanctum Marty„rem Marinam*, cujus titulus & principium : „Τȣ̃ αὐτȣ̃ εἰς τὴν ἁγίαν ἔνδοξον μεγαλομάρτυρα „τȣ̃ Χριςȣ̃ Μαρίναν καὶ τὴν ἐκκλησίαν ἄρα, ἧς „ὁ Χριςὸς κεφαλὴ, παράδεισον κατανοȣ̃μεν. „Cujus meminit Allatius in præfatis Diatribis „duabus. Idem quoque in ea Diatriba quam *De Symeonum Scriptis* composuit, pag. 264. ubi affert Catalogum certorum authorum, qui *Vitas Sanctorum & Encomia* scripserunt, quæ in MSS. Metaphrasticis Codicibus in Bibliothecis occurrunt : hæc habet de Georgio Cyprio, quæ apud *Metaphrastes Sanctorum* sunt: *Georgius Cyprius Patriarcha Constantinopolitanus, in Georg. Martyrem pag. 87. In Sanctum Euthymium Episcopum Madytorum, Thaumaturgum 92. In Dionysium Areopagitam 95 In Sanctum Martyrem Marinam.* Nec id frustra, nam in MS. Codice Bibliothecæ Heidelbergensis Cod. 59. extant *Gregorii Cyprii Patriarchæ Constantinopolitani Orationes in Georgium Martyrem, in Dionysium Areopagitam, in Marinam in Euthym um Episcopum Madytensem. In Mare, seu in universam aqua naturam Encomium. In Andronicum Paleologum, Oratio. In Ioannem Baptistam.* Ibidem Cod. 384. in parvo folio, *Georgii Cypri Patriarchæ CP. Oratio in Georgium Martyrem, in Dionysium Areopagitam, in Marinam Martyrem. in Sanctum Euthymium, in Mare seu universam aqua naturam, in Andronicum Palaeologum Imperatorem.*

Præter ista autem Opuscula, scripsit *tomos duos contra doctrinam Latinorum* de processione Spiritus Sancti ex Filio, & contra unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, anno 1274. in Concilio œcumenico Lugdunensi factam. Hos tomos sæpe vellicat in Scriptis suis Joannes Veccus multo sale, nec minori contemptu, de quibus ipse tomo 2. *Græcia Orthodoxa* Leonis Allatii pag. 217. & 218. 248. & 249. Itemque passim in aliis Scriptis idem Veccus tomo 1. ejusdem Græciæ Orthodoxæ. Vbinam illi laterent, me diu latuit; licet vix tamen dubitarem, quin illos aliquando vidisset Allatius. Hujus ergo *Georgi Cyprii* qui in Monachatu nomen Gregorii assumpsit, at anno 1283. Patriarcha Constantinopolitanus creatus est, *Tomus Synodalis contra Ioannem Veccum seu Beccum Patriarcham Constantinopolitanum ob confessionem processionis Spiritus Sancti ex Patre & Filio, anno Christi 1287. inchoatus, & anno 1288. absolutus atque publicatus*, extat Codice MS. Theologico Græco 269. num. 3. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis ut habet Lambecius tomo 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 216. his verbis: *Tertiò* & quidem à folio 79. pag. 1. usque ad„ fol. 97. pag. 1. *Tomus Synodalis contra Joannem*„ *Beccum Patriarcham Constantinopolitanum, ob*„ *confessionem processionis Spiritus Sancti ex Patre*„ *& Filio*, cujus titulus & principium : Ὁ Τόμος„ τῆς ἁγίας συνόδȣ, ἤτοι ςήλη Ὀρθοδοξίας ἔσχε„ μὲν ἡ ἐπονομᾶσα ταράχῃτε καὶ ζάλῃ τῇ ἐκκλη-„ σίᾳ, Πατέρα οἷον καὶ ἀρχηγὸν &c. Vide Leo-„ nis Allatii Diatribam *De Georgiis & eorum Scriptis*, pag. 423. *Quintò* & quidem à fol. 99. p. 2.„ usque ad fol. 141. pag. 1. *Georgii Cyprii*, qui in„ Monachatu nomen *Gregorii* assumpsit, & anno„ Christi 1283. circa initium mensis Aprilis, post„ Josephi Galesiotæ obitum, Patriarcha Constan-„ tinopolitanus creatus est, *Dissertatio Antirr ctica*„ *contra Joannis Becci seu Vecci Patriarchæ Constan-*„ *tinopol. dogmata, quam ille composuit atque edidit,*„ *priusquam in Patriarcham Constantinopolitanum*„ *electus est*. Ipsa tituli Græci verba cum initio„ Dissertationis hæc sunt, Γεωργίȣ τȣ̃ Κυπρίȣ λό-„ γος ἀντιῤῥητικὸς τῶν τȣ̃ Βέκκȣ βλασφήμων„ δογμάτων, ἐκδοθεὶς πρὸ τȣ̃ ψήφῳ Θεȣ̃ εἰς τὸν„ Πατριαρχικὸν ἀνελθεῖν αὐτὸν θρόνον. ȣ̓κ Ἔγω-„ γε θαυμάζω φιλότης, εἴ τις ἀγροῖκος ὢν &c.„ Vide Leonis Allatii Diatribam *De Georgiis &*„ *eorum Scriptis* pag. 424. & Lib. 2. *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* cap. 15.„ §. 12. col. 777. Notandum autem est, hoc il-„ lud ipsum esse hujus Dissertationis Exemplar„ Manuscriptum, cujus Joannes Jacobus Frisius„ in Bibliotheca Gesneriana à se auctâ meminit,„ his verbis : *Georgii Cyprii Sermones contra blasphemias Becca in 4. MS. in Bibliotheca Imperatoris,*„ *Vienna*. Hæc Frisius, sed ibi pro *Sermones* le-„ gendus *Sermo* est : & *Becci* pro *Becca*. Item„ ibidem Codice Manuscripto Theologico„ Græco CCLXXIII. *Epistola Gregorii Cyprii Pa-*„ *triarchæ Constantinopolitani ad quendam Schisma*„ *ticum*, ut habet Lambecius loco citato pag. 222.„ Γρηγορίȣ τȣ̃ Κυπρίȣ Πατριάρχȣ Κωνςαντινȣπό-„ λεως ἐπιςολὴ πρός τινα τῶν ἀποσχισάντων„ ἑαυτὸν τῆς Ἐκκλησίας, qui Codex in 4. charta„ ceus continens folia viginti tria tantum. „

Tandem Constantinopoli, ut habet Onuphrius in *Chronico*, Gregorius seu Georgius Patriarcha (ut vocant) Schismaticus, & in Beccum Orthodoxum sede pulsum impius & immitis, ulciscente tandem numine accusatus & ipse de bla-

blasphemiâ, ut habet Gregoras *Historia* lib. 6. & ab omnibus tam Ecclesiasticis quàm secularibus derelictus, judicium Dei esse intelligens, dimisso ad annum 1290. Patriarchatu, seipsum Monasterio S. Andreæ inclusit ubi paullò post defunctus est, cum sedisset annos sex & totidem menses. Successit autem alius Monachus Monasterii Xerotophi Montis Gani, nomine Athanasius, vir probæ & austeræ vitæ, sed rudis Litterarum ac morum Civilium. Agunt ex Synchronis de Georgio Cyprio Nicephorus Gregoras *in Historia*, Georgius Pachymeres, *in Historia Andronici Palaologi Senioris*. Georgius Phranzes in Chronico, & Joannes Veccus ipsi Cyprio infensissimus. Ex recentioribus autem Historicis, Henricus Spondanus in Continuatione Annalium Baronii ad annum 1283. num. 9. & ad annum 1290. num. 10. Leo Allatius in Opere suo, *De Georgiis & eorum Scriptis* : itemque in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 264. denique & passim in tomis duobus *Græciæ Orthodoxæ* inter Opera Joannis Vecci. Continuatores Bollandi tomo 3. mensis Aprilis pag. 102. ad finem capitis 2. Commentarii ad Acta Sancti Georgii Martyris. Petrus Lambecius Libro seu tomo 5. Commentariorum *De Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi*, pagg. 216. & 222. & in Catalogo pag. 325. & 366. Lib. 8. eorundem Commentariorum à pag. 510. usque ad 523. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi.

1280 JOANNES METROPOLITA EPHESINUS, claruit iisdem temporibus, quibus Georgius Patriarcha Constantinopolitanus, sed ob implacabile in illum odium, amplexataque Latinorum studia & doctrinas singulares, celebris. Scripsit ille contra Georgium, quem Schismaticum cum suis asseclis appellabat, extatque opus illud prolixum satis, Manuscriptum inter Codices MSS. Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice CCLXXXIII. num. 1. qui chartaceus est in folio, utcunque antiquus, quique olim ad Episcopum Vindobonensem Joannem Fabrum pertinuit, ut ipse solemni sua inscriptione testatur. In hoc ergo Codice ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum suorum *De hac Bibliotheca* pag. 230. extat à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 76. pag. 2. „*Joannis Metropolitæ Ephesini Liber contra* „*Schismaticos, ex sacra Scripturâ, & Apostolicis atque* „*Synodicis Constitutionibus, ut & ex Sanctorum Pa-* „*trum Operibus collectus*, cujus titulus & princi- „pium : Ἰωάννου τοῦ Ἱερωτάτου Μητροπολίτου „Ἐφέσου λόγος συντεθεὶς ἐκ διαφόρων κανόνων „ἀποστολικῶν τε καὶ συνοδικῶν καὶ ἑτέρων ῥήσεων γρα- „φικῶν ἀποδεικνὺς, ὅτι ὀρθοδοξούσης τῆς Ἐκκλησίας, „ἀλόγως ταύτης διΐστανται οἱ νῦν ταύτης ἀποσχιζόμενοι, „καὶ ὡς εἰ μὴ ταύτῃ ἑνωθεῖεν. μεγάλην ἕξουσι τὴν κατα- „δίκην ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως &c. Οὐδὲν ἀγά- „πης ἐν βίῳ ἀνώτερον καὶ ἡδύτερον, καὶ οὐδὲν εἰρή- „νης καὶ ὁμονοίας ἐν κόσμῳ λυσιτελέστερον καὶ τερ- „πνότερον : ἀγάπη γὰρ ὁ Θεὸς αὐτός &c.

Hujus meminit Georgius Pachymeres *in Historia Imperii Andronici Palaologi Senioris*, Lib. 2. cap. 3. 6 7. & 8. Petrus Lambecius *in Commentariis Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* Lib. 5. p. 230. & in Catalogo p. 336.

GUALTERUS DE BRUGIS PICTAVIENSIS EPISCOPUS, origine Flander, professione Minorita seu Franciscani Ordinis, Brugensis à patria cognominatus, florebat anno 1280. & sequentibus. Factus fuit ob meritum doctrinæ & virtutis, Minister provincialis Turonlæ, atque inde à Nicolao III. Summo Pontifice, anno Pontificatus sui secundo, Domini 1279. nominatus Pictaviensis Episcopus, per bullam ex tabulario Pictaviensi pag. 49. relatam in tomum 3. *Galliæ Christianæ* pag. 893. ubi de Pictaviensibus Episcopis. Accepta consecrationis munere, visitatur ejus diœcesis juridicè anno 1284. à Simone Aquitaniæ primate & Bituricensi Archiepiscopo, quod constat ex archivis Ecclesiæ Bituricensis. Eodemque sedente, Ruffiaci anno 1304. in sua Diœcesi Synodus celebratur. Scripsisse dicitur *Commentarios in 4. Libros Sententiarum* MSS. Brugis & Ypris apud Minores, ut audio, fallor tamen nisi jam ex turbine bellorum perierint. Ita quidem ego opinabar, cum incidens in accuratum Catalogum Bibliothecæ Sancti Michaelis in periculo maris, Ordinis divi Benedicti, legi Littera T. 4. *Magistri Gualteri Pictaviensis Commentarios Theologicos*, qui incipiunt, *Ego novissimus omnium evigilavi* &c. Item inter MSS. Codices Theologicos Bibliothecæ Sancti Antonii Patavini, *Tabula Theologia Fratris Gualteri Pictaviensis Episcopi*, ut habet Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo impresso Bibliothecarum MSS. Patavinarum tam Publicarum, quam Privatarum, quem anno 1639. Utini in 4. edidit. Cæterum alia ejus Opera recensentur à Bunderio *in Indice Librorum Manuscriptorum per Belgium*, nempe *Tabula Originalium nominum super universam Scripturam sacram*, MS. in Bodeloensi Cœnobio, & in Bibliotheca etiam Toletana Fratrum Minorum. Incipit, *Abel est nomen significans* &c. in fine autem Codicis Toletani ita habetur, *Explicit Tabula Fratris Gualterii super totam Scripturam*. Ejusdem Gualteri aliud opus reperi MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice Latino 4106. inscriptum, *Excerpta in Sanctis Patribus, Augustino, Gregorio, Hieronymo, Ambrosio, Hilario, Isidoro, Origene, Cassiodoro, & aliis*. Hujus Prologus quantum legere licuit, *Non parvum in Philosophia profectum puto, cùm in comparatione recti verique inveniendi, contemnitur à disputante victoria* &c. Item amplissima Operis tabula, cujus in fine hæc leguntur : *Hanc tabulam composuit Dominus Frater Gualterus Episcopus Pictaviensis de Ordine Fratrum Minorum*. Qui Codex in folio 300. annorum est. Migravit in cœlum anno 1307. die 22. mensis Januarii. Denique idem Gualterus dicitur scripsisse *Catalogum Præsulum* 1280

sua

suæ sedis Pictaviensis, qui habetur in tabulario antiquo Pictaviensis Episcopatus, diciturque *Gualteri Codex*: ut narrant Fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tomo 3. pag. 895. in Episcopis Pictaviensibus, qui pluribus de illo ibidem agunt. Dum autem Gualterus de Brugis esset Episcopus Pictaviensis & Clemens V. Papa Pictavis, ubi anno integro & ultrà mansit, res ibi memoratu digna accidisse narratur. Fuerat longa olim controversia inter Archiepiscopos Bituriensem & Burdegalensem de Primatu Aquitaniæ, quem quisque suæ deberi Ecclesiæ contendebat: sed qui nihilominus variis Romanorum Pontificum Decretis Bituricensi adjudicatus fuerat, tum (ut puto) quod ea Civitas primaria esset Aquitaniæ primæ, Burdegala autem secundæ: tum etiam quod aucta fuisset titulo Patriarchali Biturix: ægrè tamen Archiepiscopis Burdegalensibus ei subesse patientibus, ut patet ex iis quæ de his pleniùs tractavit Joannes Chenu *in Chronologia Archiepiscoporum Bituricensium*, author *Patriarchii Bituricensis*, & alii. Cùm ergo esset Clemens, dictus tum Bertrandus, Burdegalensis Archiepiscopus: Ægidius Bituricensis Archiepiscopus, eum sese Primatum Aquitaniæ indigitare ægrè ferens, *Gualtero Brugensi* Episcopo Pictaviensi Ordinis Minorum, viro doctrinâ & pietate conspicuo mandavit, ut nomine suo Bertrando ejusmodi titulum interdiceret, atque inobedientem excommunicatum denuntiaret. Fecit *Gualterus*, quamvis unus ipse ex Archiepiscopatus Burdegalensis suffraganeus, quod Archiepiscopus Bituricensis injunxerat. Bertrandus factus *Pontifex Clemens*, memor injuriæ *Gualterum* deposuit, & ad claustrum remisit. Hanc enim depositionis ipsius causam, *in Historia Francorum* apud Nicolaum Gillium *in Vita Philippi Pulchri*, ac Franciscum Bellforestium Lib. 4. cap. 47. reperimus. At Sanctus Antoninus istis antiquior, majorique fide dignus, *in Summa Historiali* parte 3. cap. 9. §. 8. hoc tribuit controversiæ cum Bertrando à Gualtero habitæ, pro juribus Ecclesiæ Pictaviensis. Et alioqui fuisse *Gualterum* animosum jurium Ecclesiæ suæ defensorem, constat ex eo, quod in Archivo Burdegalensi reperiatur memoria gravium dissentionum, quæ fuerunt inter ipsum & Henricum de Gebennis Burdegalensem Archiepiscopum Bertrandi decessorem, ob fracturam cujusdam capellæ seu Ecclesiæ consecratæ, ab Archiepiscopo factam, intra clausuram domus Episcopalis Pictaviensis. Cæterum appellante Gualtero à prædicta sententiâ Clementis Pontificis in se lata *ad judicium Dei*, cùm paullò pòst morbo correptus, ad extrema Gualterus devenisset: schedulam appellationis suæ sibi in manum dari voluit, & cum ea sepeliri: cujus ad sepulchrum in Ecclesia Minorum civitatis Pictaviensis, miracula mox sanitatum fieri cœperunt. Accedens autem Clemens Pontifex Pictavo, & audiens id quod Gualterus fecerat, sepulchrum in præsentia sua secretò aperiri jussit ad recipiendam schedulam. Sed mirum accidit, ut nunquam illa è manu *Gualteri* extrahi potuerit, nisi dato prius juramento de illa restituenda. Tunc enim aperta manu schedula accepta est. Nec tamen qui sepulchrum ingressus fuerat, exite inde ullo modo potuit, nisi schedula, postquam lecta fuisset à Pontifice, restituta. Rem miratus Pontifex, memoriam *Gualteri* deinceps honoravit, & sepulchrum ornari jussit. Hæc verbotenus Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1308. num. 7. Lucas Wadingus *in Annalibus Fratrum Minorum* tomo 2. ad annum 1279. num. 13. Stupenda autem ista credant, quibus illa placent, fidem sanè meam illa exsuperant. Ejusmodi miracula per testes contemporaneos atque omni exceptione majores probari deberent, non autem ab authoribus recentibus promiscuè effingi, qui ducentis & amplius annis à rebus quas narrant remoti, ad fidem homini gravi faciendam haudquaquam idonei sunt. Imò multa etiam ejusmodi stupenda, à viris ejusdem ætatis conscripta, quæ nullam apud me merentur fidem, ut sæpiùs de *Thoma Cantypratano* levissimo ad scribendum homine, à me dictum est. Agunt de *Gualtero Brugensi*, S. Antoninus 3. parte *Summa Historialis* titulo 24. cap. 9. §. 8. Jacobus Meierius Libro 11. *Annalium Flandriæ*. Joannes Trithemius in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1308. num. 7. Lucas Wadingus *in Annalibus Fratrum Minorum*, anno 1279. num. 13. & *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 148. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* verbo *Gualterus de Brugis* pag. 300. editionis 1643. Lovanii in 4.

GVILLELMVS WARRO seu GVARRO, natione ut credimus Anglus, professione Monachus Ordinis Fratrum Minorum, claruit anno 1280. & sequentibus. Ita cognominatus ab oppido natalium, quod Londino plus minusve milliaribus viginti distare ferunt. Oxoniensis primum, deinde Parisiis Doctor claruit, præclarosque erudivit discipulos, sed omnium nominatissimum Joannem Duns Scotum: unde & in circuitu sepulchri ejusdem Scoti inter quindecim illos Doctores, quorum nomina & cognomina in ære incisa sunt Coloniæ Agrippinæ apud Minores Conventuales, ita legitur: *Magister Guillelmus Varro præceptor Scoti.* Propter eruditionis soliditatem *Doctor fundatus* à Luca Wadingo cognominatus: sed ea affectatione infantili ac nugatoria, qua omnis Scholasticus ex Ordine Sancti Francisci clarus, bellicis agnominibus (uti ita loquar) vocitatus est. Hunc Joannes Picus Mirandulanus *in Apologia* quæstione 3. *De adoratione Crucis & imaginum*, & quæstione 4. *utrum suppositari possit à Deo natura irrationalis*, allegat, quem perperam *Joannem* vocat: neque *mirificè eum commendat*, neque vocat *excellentem Doctorem*, *Ecclesiæ lumen*, 1280

fidei propugnaculum, uti mendaciter Wadingus ait *in Annalibus Ordinis Minorum*, ad annum 1270. num. 36. Scripsit *Commentarium in quatuor Libros Sententiarum*, ex quo multa hausisse Scotus dicitur, quem habes Manuscriptum in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, pag. 181. num. 19. ubi legitur: *Varro de Anglia Ordinis Minorum, in Libros Sententiarum.* Item Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, *Summaria Recapitulatio totius quarti libri subtilissimi Doctoris, sumpta ex Collectario* Magistri Guillelmi Varrilionis *de Ordine Fratrum Minorum*: quo indicatur Joannes Scotus ex Guillelmo Varrone plurima sua accepisse. Denique Patavii in Bibliotheca Sancti Antonii de Padua, inter Commentatores in IV. Libros Sententiarum, plurimos, *Guillelmus Varro* nominatur, cujus *Commentarius* illic extat *in quatuor libros Sententiarum*, ut refert Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum Patavinarum tam Publicarum quam Privatarum, impresso Utini 1639. in 4. Creditur vixisse usque ad annum 1300. & ultra, de quo loquuntur omnes, qui contexuerunt *De Scriptoribus Ordinis Minorum*, atque post alios Lucas Wadingus *in Bibliotheca Scriptorum hujus Ordinis* atque *in Annalibus* loco citato. Cæsar Egassius Bullæus seculo V. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, pag. 687. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 107. ubi eum anno 1270. floruisse asserit, quem ego paulò serius affixi.

1280 ARLOTUS DE PRATO natione Tuscus, ex Provinciali Tusciæ Ordinis Minorum, anno 1285. Minister Generalis factus, scripsit *Concordantias bibliorum utriusque testamenti*, quibus quantum Theologis & Concionatoribus profuit demonstratur, quæ passim, nomine suppresso Auctoris, tractantur omnium manibus, imò paucis in impressis Hugoni de Sancto Caro Ordinis Fratrum Prædicatorum attribuuntur. Claruit sub Rodolpho Hasburgensi Imperatore, mortuus est anno 1287. Lutetiæ Parisiorum, ut fama est. Has *Concordantias* attribuit Hugoni de Sancto Caro, Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca Sancta* verbo *Hugo Sancti Cari*, his vocibus. „Post hos autem *Commentarios* primus „omnium excogitavit *Indicem magnum in Sacrosancta Biblia, Concordantias Biblia* prænotatum, „laboriosissimum sanè & immensi tædii ac temporis opus, sed sacrorum voluminum studiosis „magnopere necessarium, in quo singulas divinæ „Scripturæ dictiones declinabiles secundum „consequentiam literarum accuratissima diligentia digessit, annotatis non solum libris, sed „etiam librorum capitibus & capitulorum versibus, in quibus unaquæque desiderata dictio „contineretur. Sunt qui existiment, hoc opus „ob immensi temporis laborisq; dispendium, cum unius vita hominis satis esse non poterat, hortatu Hugonis, injunctum fuisse quingentis studiosis Patribus diversorum cœnobiorum, ea ratione ut singuli singulas dictiones in Alphabeticas classes redigerent, sicque brevi tempore, multorum sedulitate perfectum fuisse opus. Quod posteà tam à Græcis, quam ab Hebræis diligentissimè imitatum vidimus opera Rab. Isaac Nathan Judæi, & Euthalii Rhedii Monachi: quorum ille *Hebraicas Biblia concordantias*, hic *Græcas* collegit. Hos Romæ vidimus in antiquis membranis Græca manu descriptas, illas autem Venetiis typis Justiniani excusas." Hæc Sixtus Senensis, quem alii secuti sunt Antonius Possevinus tomo. 1. *Apparatus sacri* verbo *Hugo Sancti Cari*. Guillelmus Cavus *in Historia Literaria* seculo XIII. ad annum 1245. verbo *Hugo de S. Caro* pag. 720. Verum illi eximie falluntur, ac longè ante Sixtum Senensem, *Concordantias* illas adscripsit *Arloto de Prato* Bartholomæus Albicius Pisanus, qui anno 1372. florebat, & seculo nondum emenso ab opere producto, illud *Arloto* adscripsit, in Libro *Conformitatum S. Francisci cum Christo* quem circa annum 1380. inceptum, anno 1389. perfectum Capitulo Generali Ordinis apud Assisium congregato die 2. Augusti obtulit. In hoc Opere folio 80. hæc Bartholomæus Albicius habet. *Frater Gulielmus de Lamara contra Thomam de Aquino scripsit. Frater Aimo Anglicus breviarium Ecclesiæ correxit & rubricavit. Frater Arlotus de Prato Concordantias edidit.* Hæc ex editione Albicii de Pisis facta anno 1510. die 18. mensis Septembris, Mediolani per Gotardum Ponticum apud templum Sancti Satyri. Quæ autem observat de Scriptoribus istis Albicius, verissima sunt, atque non ita ab illorum temporibus remotus erat, quin videre potuisset, qui Scriptores istos cognovissent, in Capitulo illo Generali Ordinis Minorum. Quanto igitur antiquior Bartholomæus Albicius Sixto Senensi, tanto fide majori dignior est. Hæ *Concordantiæ* passim absque Auctoris certi nomine impressæ sunt in Europæ celebrioribus urbibus frequenter in folio. Norimbergæ 1485. Bononiæ 1486. Antverpiæ 1572. & 1585. ex officina Plantini. Hanoviæ 1618. Francofurti 1620. Antverpiæ 1625. aliisque multis in locis. Primus autem qui *Concordantias* istas Hugoni de Sancto Caro adscripsit, Antoninus Florentiæ Archiepiscopus fuit *in Summa Historiali* parte 3. titulo 23. cap. 5. §. 2. pag. mihi 222. ubi de Innocentio IV. Hic etiam fecit plures Cardinales viros egregios de diversis mundi partibus, & inter cæteros *Hugonem primum Cardinalem Ordinis Prædicatorum*, virum utique magnarum virtutum & valde literatum, qui totam Bibliam postillavit, & super Psalterium copiosum fecit Commentarium multipliciter exponendo, *& primus Concordantias Biblia invenit.*" Idem habetur titulo 23 cap. 11. § 3. pag. mihi 682. editionis Lugdunensis 1587. apud Juntas. Hunc secutus est

est Sixtus Senensis *in Bibliotheca Sancta*, cum aliis ex Ordine Prædicatorum Fratrum. Alii autem qui ex hoc Ordine non sunt, Arloto de Prato, Ministro Generali Fratrum Minorum *Concordantias Bibliorum* attribuunt. Jacobus Philippus Bergamensis qui anno 1489. scripserat *Supplementum Chronicorum* lib. 13. ad annum 1290. pag. mihi 208. ubi viros disciplinis excellentes seculi XIII. enumerat, *Arlotus Etruscus ex prato oppido natus, Ord. Minorum Minister Generalis & Doctor tempestate hac Dialecticos sui temporis superavit, & pauc is in Philosophia cedens, magnus Theologus habitus est, qui præter reliqua, qua utiliter scripsit, Concordantias Novi & Veteris Testamenti utilissimè composuit.* Hæc ex editione Veneta 1490. die 15. Maji completa apud Bernardum Rizum de Novaria, quam anno 1485. perfecisse in Cremonæ civitate testatur Bergomas, ad finem operis. Idem testatur Joannes Trithemius in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1290. quem anno 1494. edendum jamtertio curavit. Idem Centuriatores Magdeburgenses *Centuria* XIII. Cap. 10. *De Episcopis & Doctoribus*, col. mihi 1175. editionis Basileensis 1574. ex officina Oporini. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Universali* a. 1545. Tiguri apud Christophorum Froschoverum edita pag. 92. Silet autem *in Hugone de Sancto Caro* pag. 338. Denique Josias Simlerus *in Bibliotheca Gesneri aucta & contracta*, Anno 1574. Tiguri in folio impressa, verbo *Arlotus de Prato* pag. 67. non autem verbo *Hugo de Sancto Caro* pag. 305. Lucas Wadingus tam *in Annalibus* quam *Bibliotheca Ordinis Minorum*, cum multis aliis.

1280 GVIDO EBROICENSIS dictus in Normannia, eo quod ibi Monasticen professus „sit, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, sub Ca„rolo VI. Francorum Rege florebat, clarus ob „doctrinam & concionandi artem, circa annum „1390. Ita quidem in hujus Operis specimine „primo senseram, sed re maturius perpensa, in „tegro me seculo lapsum esse, in assignanda „ætate Guidonis, agnovi. Certum enim jam mihi est ex MSS. Codicibus *Sermonem Guidonis*, alios haberi manuscriptos & transcriptos annis 1320. 1310. 1300. Denique in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, anno 1686. in 12. Lipsiæ impresso, pag. 168. hos Sermones haberi ibidem anno 1293. transcriptos. Itaque floruit ille sub duobus Philippis Franciæ Regibus, ab anno 1280. & sequentibus, usque ad annû 1314. vel circiter, nimirum sub Philippis Audaci & Pulchro, Galliarum successivè Regibus. Scripsit Opus *Sermonum de tempore ac de Sanctis*, quod MS. in variis locis, nempe Neapoli & Regii in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum. In Abbatia Bellæ Vallis Ordinis Præmonstratensis, in Archiepiscopatu Remensi. In Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codd. 388. & 389. qui incipiunt, *Notandum in principio hujus Operis &c.* Incipit Sermo primus Dominicæ primæ Adventus, *Nunc enim propior est nostra salus &c.* In Bibliotheca Vallis lucensis Ordinis Cisterciensis pulpito 23. Littera F. & alibi passim. In Anglia Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 50. atque Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Pembrochianæ, Cod. 182. *Regula Mercatorum authore Fratre Guidone de Ordine Fratrum Prædicatorum*, MS. in eodem Collegio Lincolniensi Cod. 16. Agunt *de Guidone Ebroicensi* Sixtus Senensis *in Bibliotheca Sancta* Lib. 4. verbo *Guido Ebroicensis*, ubi nullam ejus ætatem designat. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 695. Antonius autem Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* fol. 68. ætatem ejus ad annum 1254. assignat, & Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca ejusdem Ordinis*, ad annum 1314. pag 96. omnes absque certis documentis. Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 106. ubi perperam illum, ad Caroli Sexti Francorum Regis circa a. 1390. tempora relegat.

RICHARDVS FLORENTINVS, Ordinis 1280 Fratrum Prædicatorum, claruit iisdem temporibus, circa annum 1280. & seqq. quem Petrus Lambecius tomo seu libro 5. Commentariorum *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* pag. 167. & in Catalogo Scriptorum pag. 354. anno 1295. claruisse asserit, quod & verum esse potest. Hic à nonnullis perperam *Ricoldus* appellatur, sub cujus nomine extat *Refutatio Legis Muhammedanæ sive Alchorani, ex Latina Lingua in græcam à Demetrio Cydonio translata.* Ita legitur hoc etiam nomen in editione Veneta Latina anni 1607. in 4. ubi titulus istius Refutationis est ejusmodi: *Propugnaculum fidei totius Christianæ religionis adversus mendacia & deliramenta Saracenorum, Alchorani præcipuè, maximè utile, authore R. P. Magistro Fratre Ricoldo Florentino, Ordinis Prædicatorum*, impressum denuo & illustratum Opera Marci Antonii Sarafini Veneti, ejusdem Ordinis. Anteà quoque edita fuit *Refutatio ista* Parisiis anno 1511. & Hispali anno 1520. Porrò tanti hoc Opus Græcis quibusdam apud Latinos commorantibus olim visum est, ut *Refutatio illa Legis Muhammedana* sive *Alchorani*, ex Latina in Græcam Linguam à Demetrio Cydonio translata sit. Habeturque inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut habet Petrus Lambecius tomo 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 167. his verbis, ad Codicem MS. Theologicum Græcum CCLIV. num. 2. „Secundò & quidem à fol. 119. pag. 1. usque ad folium 260. pag. 2. *Richardi Florentini Ordinis Fratrum Prædicatorum* qui circa annum 1295. claruit, & à nonnullis perperam *Ricoldus* appellatur, *Refutatio Legis Muhammedanæ, sive Alcorani ex Latina in Græcam Linguam translata à Demetrio Cydonio.* Ipsa tituli Græci verba cum principio *Refutationis* hæc sunt: 'Ανα-"

»τροπὴ κεφαλαιώδης τοῦ νόμου Μωάμεθ ὑπὸ μὲν »Ῥικάρδου τινὸς ἐκτεθεῖσα λατινικῶς, ὑπὸ δὲ Δημητρίου τοῦ Κυδωνίου, ἑρμηνευθεῖσα ἑλληνικῶς. »Πόσαι εἰσὶν αἱ ἡμέραι τοῦ δούλου σου; πότε ποιήσεις μοι ἐκ τῶν καταδιωκόντων μεκρίσιν; Edita »est hæc *Refutatio Alcorani* Græce cum Bartho»lomæi Picæni de Montearduo versione Latina, »Ferdinando Aragoniæ & utriusque Siciliæ Re»gi dedicata, Basileæ typis Joannis Oporini an»no 1543. in folio, & quidem parte secunda »Syntagmatis Theodori Bibliandri Zwingliani, »quo *Alcorani Muhammedani versio Latina* studio »Petri Abbatis Cluniacensis procurata, atque »simul etiam varia diversorum contra Alcora»num & impietatem Muhammedanam scripta, »uno quasi fasciculo comprehenduntur. Plu»ra de eadem *Richardi refutatione alcorani*, & *de* »*Demetrio Cydonio*, sive *Cydoniade*, vide libro I. »horum Commentariorum pag. 145. Agunt *de Ricardo Florentino*, Philippus Labbeus in sua Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos Bellarminus recensuit tomo 2. Littera P. ubi De Scriptis Petri Abbatis Cluniacensis agit. Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum*, pagina 211. quæ Parisiis anno 1585. in octavo, apud Nicolaum Nivellium edita est. Petrus Lambecius in Commentariis suis *De Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* Lib. I. pag. 145. & Lib. 5. pag. 167. & in Catalogo Scriptorum pag. 354. & 366. Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. 5. p. 691. ex editione Hamburgensi 1714. in 4.

1280 MAVRITIVS COGNOMENTO HIBERNICVS, ex Ordine Fratrum Minorum, quem Antonius Possevinus collocat ad annum 1290. tomo *Apparatus sacri* fol. 94. cujus cognomen, natalia & ipsa patria non habentur. Hic natione Hibernicus, ut ex MSS. patet, & anno 1275. constitutus procurator nationis Anglicanæ in Vniversitate Parisiensi, à Simone Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali & Apostolicæ sedis Legato, ut habetur *in Historia Vniversitatis Parisiensis* seculo V. ad annum 1275. fol. 411. unde congruè à nobis post annum 1280. quo Ordini Fratrum Minorum nomen dedit, claruisse ponitur. Composuit *Summam Distinctionum*, *de his quæ in Scripturis Sacris continentur*, quæ juxta eundem Possevinum extat sat vetustis caracteribus in Bibliotheca Patrum Prædicatorum Neapoli, inquiens, *Sunt verò unde nonaginta Distinctiones per alphabeti seriem, concionatoribus utiles*: sed loco *nonaginta* opinor legendum esse *nongenta*. Habetur idem opus MS. in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis pulpito XVII. sinistræ partis, ex illius Catalogo. Itemque in Regia Galliarum Bibliotheca Codd. 4285. & 5674 *Fratris Mauritii de Ordine Fratrum Minorum Distinctiones mille centum undecim, ordine Alphabetico disposita*: quæ incipiunt, *A. Circa abjectionem nota qualiter in Scriptura sumitur &c.* Nec mihi dubium, quin habeatur idem Opus in omnibus Lutetiæ Parisiorum Bibliothecis Manuscriptis, Colbertina, Sancti Germani, Victorina, Sorbonica, & aliis. Sunt MSS. Codices Regiæ Galliarum Bibliothecæ 300. & amplius annorum vetusti, ætati authoris penè suppares. Hæ in MSS. Bibliothecis Distinctiones frequentissimæ, inveniunturque in Bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis, Littera D. 1. Et Sancti Albini Andegavensis Littera Q. 1. in Choletana Parisiensi, Cod. 33. in Bibliotheca Claræ Vallis, & Aureæ Vallis Cod. 62. Ordinis Cisterciensis, & alibi passim. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Mertonensi, Cod. 174. & 201. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri Cod. 76. & in aula Pembrochiana Cod. 48. atque alibi locis innumeris: unde non mirum quod idem Lucas Wadingus ait etiam extare MS. *Librum Distinctionum Mauritii*, Ravennæ & Assisii, in Bibliotheca Fratrum Minorum Conventualium. Fallitur autem graviter iste Scriptor *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 256 & 257. dum hoc Opus Distinctionum cuidam *Mauritio de Portu Fildæo Hiberno* adscribit, quem vult interfuisse anno 1512. Concilio Lateranensi sub Julio Secundo Summo Pontifice, & subscripsisse actis in duabus primis Sessionibus, tandemque obiisse Galiciæ anno &c. In eundem cum Wadingo errorem incidit Henricus Warthon, in exceptione seu continuatione *Historiæ Litterariæ* Guilielmi Cavi ad annum 1501. pag. 198. Nam Distinctiones istius Mauritii, inveniuntur in MSS. Codicibus 300. annorum & ultra, unde ad hunc postremum *Mauritium* spectare nullatenus possunt. Vixit iste noster Mauritius usque ad annum 1300. & amplius, de quo Cæsar Egassius Bullæus *in Historia Vniversitatis Parisiensis* seculo V. ad annum 1275. pag. 418. & in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, verbo *Mauritius Hispanus* pag. 699. Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus sacri* pag. 423. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, ad annum 1277. pag. 47. ubi eum malè Ordini suo adscribit.

IOANNES PECKAMVS CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS, in Ordine Fratrum Minorum, natione Anglus, patria Cistercienfis fuisse dicitur. Ipse certe in Registro Cantuariensi in litteris ad Abbatem Cluniacensem fatetur, se non procul ab Euvensi Cœnobio educatum, ab eodem se liberaliter fuisse adjutum, beneficiique accepti memoriam ingratè non deposuisse, sed paratum se illi gratificari ostendit. Quamvis autem humili natus loco, sublimi tamen ingenio pollens, Ordinem Minorum ingressus ad magna semper adspexit, paulatimque industriæ suæ meritis mactatus est. Oxonii primum studuit, tum Parisios profectus magna cum laude Magister appellatus, sententias pro more temporum istorum cum 1280

ap-

applausu legit, unde Lugdunum profectus quo Juris Civilis & Pontificii studio opportunius vacaret: etiamsi mendicans Franciscanus esset, Canonicatum tamen in hac Ecclesia nactus est, quem sibi egeno ita commodum expertus est, ut nunquam eum dimittere voluerit, sed usque ad mortem tenuerit. Eximiis hunc virum laudibus & incredibilibus ad coelum elevat Martyrologium Franciscanum, quæ parum conveniunt cum iis, quæ Godwinus refert in Opere *De Præsulibus Angliæ* pag. 142. & Guillelmus Cavus *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1278. pag. 740. quod hoc loco transscribendum arbitratus sum. „Joannes Packa„mus Cantuariæ Archiepiscopus, Anglus erat „natione, patria Cicestriensis, non procul ab „Heuvensi Cœnobio educatus, ab eodemque „liberaliter adjutus. Quantumvis autem hu„mili loco natus esset, alto tamen ingenio præ„ditus adspiravit ad magna, paulatimque virtu„tum suarum meritis obtinuit. In prima ado„lescentia Litteris operam dedit. Lutetiæ Pa„risiorum, Magistro præcipuè Sancto Bonaven„tura: qui deinde Oxonii Sacræ Theologiæ „supremam lauream Doctoratus, & primam in „eadem Facultate Cathedram Professoris acce„pit. Demum Parisiis publicè Magistrum Sen„tentiarum prælegir, utrobique Sacram Scriptu„ram exposuit, & irrepentes tunc quasdam vo„cum novitates eruditè confuravit, imò peni„tus exterminavit, illicque à piissima Margareta „Regina Franciæ, vidua S. Ludovici Regis, varia „se accepisse beneficia cognoscit. Post hæc, „provinciæ Anglicanæ creatus Minister, ita se „gessit: ut multa ad religionis argumentum „salubriterque institueret, & ipse omnium pri„mus observavit. Orationibus, jejuniis & vi„giliis cæteros superabat, in septem Quadrage„simas ad exemplum Sancti Francisci integro „anno distributo. In alta specula positus, un„de alios videret, & ab iisdem vicissim videre„tur, non solum ab omni malo exemplo, sed & „a quavis specie mali se cohibebat, & a licitis „sæpe abstinebat, ne videretur nimium sibi in„dulgere. Multas Europæ partes pedibus pera„gravit, & ex Anglia Patavium venit ad Comi„tia Generalia 1278. rediitque absque ullo vehi„culo vel jumento. Tandem cum jam non so„lum Angliam & Galliam, sed & Italiam ce„lebris de eo fama pervagata esset: Romam „accersitur, & Lector Sacri Palatii consti„tuitur. Moribus gravis, religiosa vita & do„ctrina illustris, in hoc officio valde omnibus „placuit, & curiæ Romanæ proceres sibi de„vinxit.

„A Nicolao III. Summo Pontifice ad Archie„piscopatum Cantuariensem erectus est anno „1279. rejecto Roberto Bathoniensi Episcopo, „a Capitulo Cantuariensi electo, prout exprimi„tur ipsis Litteris Apostolicæ suæ assumptionis „ad hanc dignitatem, apud Regestum Vatica„num Epistola 20. *Sollicitudinis Apostolicæ*, sub datum Romæ apud S. Petrum V. Calendas Fe„bruarii, Pontificatus anno 2. *his ductus de cau„sis ad personam suam, scientiarum altitudine„præditam, discretionis maturitate conspicuam, præ„claram meritis, religionis claritate fœcundam &c.*„ quo in munere pastorali multum emicuit.„ Nam confestim Synodos convocavit, majorem„ Angliæ partem per se obivit, ut de statu Cathe„dralium Ecclesiarum, Cœnobiorum, & aliarum„ Ecclesiarum, Cleri & populi reliqui certius in„telligeret. Dedicari fecit Ecclesias sollemni„ ritu, nulla admittens munera. Agit cum Re„ge Anglo, ut idonei præficiantur beneficiis Ec„clesiasticis, ipsumque monet, ut salvam velit„ Ecclesiæ authoritatem, suorum consodalium„ Franciscanorum verus amator & defensor, Ju„rium Ecclesiæ Cantuariensis acerrimus pro„pugnator. Collegium & alia quædam loca„ pia ædificavit, in pauperes liberalis, omnibus„ præsto aderat. „

Tribulationes & adversitates ei non defue„runt, neque enim virtuti sua tinea deest. In„ minoribus agens, nonnullas passus est calu„mnias; fuit namque qui eum aliquando tra„duceret apud divum Bonaventuram Gene„ralem Ministrum, & de quibusdam falsò accu„saret: sed voce Crucifixi consolatus, patienter„ tulit, moxque inimicorum calumniæ & ejus„ innocentia, fuerunt detectæ. Sublimatus in„ dignitatem pastoralem, conqueruntur de eo„ Episcopi, quibus ipse satisfactum cupit. Ab„ aliis falsæ de eo apud Summum Pontificem que„relæ delatæ sunt, quas facilius dissipavit. Por„rò ingenii ejus, eximiæque scientiæ, quædam„ posteris reliquit monimenta. In his *Collecta„nea Bibliorum* & proprium *De Sanctissima Trini„tate officium*, quod incipit, *Sedenti super thronum„ &c.* extatque in antiquo Breviario Romano.„ *Apologia contra obloquentes mendicitatis de perfe„ctione Evangelica*, adest MS, in Bibliotheca Sanct„Victorina Parisiensi, Littera CC. 17. Singulari„ post Christum honore & cultu Beatam Ma„riam Virginem prosequebatur, ad quem &„ alios sedulò provocabat. Ad cujus honorem„ multi, id temporis, quadraginta dies qui Assum„ptionem ejus antecedunt, jejunare solebant;„ quod ille jejunium Anglis accurate commen„dabat, neminem verò illi adstrinxit. Aliaque„ dum in claustris vivebat, jejunia solebat obser„vare, etiam factus Archiepiscopus non relaxa„bat. Parcimoniâ & ciborum abstinentiâ mi„rè delectabatur: unde mensæ assidens insipidis„ reficiebatur cibis, suosque docebat inter epulas„ esurire. Cætera etiam virtutum exercitia„ nequaquam remittebat, imò verò diligentius„ divinæ servituti se totum mancipabat, dicens,„ se subditis propositum in exemplum. Sacra„ templa omni decenti apparatu, per universam„ Diœcesim, sollicitissimè decorabat, otium sum„mè fugitabat. Castæ illibatæque erat con„versationis, mulierum colloquia à longè ab„horrens, mediocri communique vestitu usus.„ Vi-

„Vigilando & orando, omnes quos à sacris ha„bebat, superabat, adeoque se demittebat, ut „sæpe cereos candelasque in Ecclesia ipse ac„cenderet, & cætera infimorum munia obire „soleret.

Hæc amice Lector, non ad fatigandam patientiam tuam verbotenus transcripsimus ex *Martyrologio Franciscano* ad diem 24. Aprilis: sed ut videas, quam faciles sint Mendicantes ad beatitudinem suorum definiendam, ad stupenda confingenda, ad amplificationes pueriles, qualis ista est, conscribendas: quamque vecors & indiscretus fuissem, si pares ejusmodi libellos in hoc Opus adoptare voluissem, quorum messis apud recentes copiosissima est. Vel hæc omnia Peckami vana encomia diffufflat, surreptus ab ipso atque ad mortem detentus, Canonicatus in Ecclesia Lugdunensi, contra paupertatis votum: qui hominem hoc facto suum Ordinem scandalizasse demonstrative evincit. Hic ergo despectis Martyrologii Franciscani mendaciis, ad Scripta Joannis Peckami veniamus, quod nostrum proprie spectat institutum.

Tractatus seu *Collectaneum Bibliorum quinque libris, sententias divinæ Scripturæ ad certos titulos seu locos communes redigens, Joannis Peckami* impressus est primum Parisiis anno 1514. apud Joannem Frelon, & iterum Coloniæ Agrippinæ anno 1541. apud Melchiorem Novelianum, cujus mentionem facit Josias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 482. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* p. 928.

Constitutiones XLVII. de variis argumentis, videlicet *De Summa Trinitate & fide Catholica, De sacra unctione &c.* extant apud Guillelmum Lindwodum *in Provinciali*, quod anno 1505. in folio Parisiis apud Badium Ascensium impressum est, Londini anno 1557. in 8. Oxonii anno 1663. in 8. & a. 1679. in fol. recusum.

Perspectiva Communis Joannis Peckam, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancti Petri, Codice 28.

Tractatus de Numeris, cujus initium, *Quia Domine &c.* editus à Fratre Joanne Peckam Ordinis Fratrum Minorum, cujus titulus *De mystica interpretatione Numerorum in Sacra Scriptura*, MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 16. Illum ad imitationem Odonis Abbatis Morimundi Ordinis Cisterciensis composuit, qui annis centum & viginti vel circiter antea, idem argumentum lato satis opere tractaverat, quod in MSS. Codicibus satis obvium est, ut in Odone isto suprà diximus. Quod autem in MS. Codice Lincolniensi, author ex Ordine Prædicatorum fuisse dicitur, nihil facit contra γνησιότητα Operis & authoris, nam in MSS. Codicibus ejusmodi errores & lapsus à librariis ignaris sæpissime contingunt.

De Sancta Trinitate, sive *Officium Festi Sanctissimæ Trinitatis*, MS. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji Cod. 100. Quod Officium incipit, *Sedenti super thronum &c.* extatque in antiquo Breviario Romano, unde officium istud à Peckamo compositum Franciscus Titelmannus ejusdem Minorum Ordinis, suâ expositione illustravit.

Meditatio de Corpore Christi, MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 392. num. 34. ubi hæc nota additur, *In hoc habetur opus Alcuini Angli, Bedæ discipuli, opus mirum.*

Collationes de omnibus Dominicis per annum, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Pembrochianæ, Cod. 175.

Disputationes Thomæ & Peckami, MSS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi, Cod. 12. Atque isto opere impugnat in plurimis quantum potest Thomam Aquinatem Joannes Peckamus, unde ambigo plurimum, annon Fratres Prædicatores acturi sint contra Beatitudinem Joanni Peckamo a Franciscanis impactam imputatamque, quæ stare nullatenus in homine potest, cum impugnatione doctrinæ S. Thomæ Aquinatis, Doctorisque Angelici, quam esse *Doctrinam Ecclesiæ* Fratres Prædicatores asserunt. Hæ Disputationes Thomæ & Peckami videntur mihi esse illud Opus, quod Antonius Possevinus Peckamo attribuit, *In quatuor Libros Magistri Sententiarum.*

Apologia contra obloquentes mendicitati, de perfectione Evangelica, MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Littera CC. 17. cujus meminit Possevinus loco citato, vocatque *Librum alterum de perfectione Evangelica.*

Mortuus est anno 1292. die 24. Aprilis, cum annis 13. in Archiepiscopatu præfuisset, cujus corpus Cantuariæ jacet in Ecclesia Sancti Thomæ, ubi a Franciscanis dicitur multis fulsisse miraculis. De illo Alvarus Pelagius Lib. 2. *De planctu Ecclesiæ* Cap. 60. post medium. Marcus Vlisipponensis 2. parte *Chronici Minorum* Lib. 4. cap. 13. & Lib. 8. cap. 49. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Scriptorum*. Josias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Gesneri*, pag. 482. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. seu num. 174. pagina 232. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* pag. 928. Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* ad annum 1278. num. 23. 29. ad annum 1279. num. 14. 15. 16. usque ad 27. ad annum 1281. num. 6. ad annum 1292. num. 12. Arturus du Montier *in Martyrologio Franciscano* ad diem 24. Aprilis pag. 159. ubi innumeros alios pro more suo allegat, quos ut supervacaneos hic omittimus. Guillelmus Cavus *in Historia rei litterariæ* Seculo XIII. ad annum 1278. pag. 740.

JOANNES IANUENSIS DE BALBIS, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, quem male unum eundemque authorem cum Jacobo Januensi dicto de Voragine opinatus sum in specimine seu Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1290. pag. 561. Ita quidem 1280

ex

ex conjecturis tunc temporis cenſui; ſed legendo ac volvendo veteres MSS. Codices, invenio Jacobum Januenſem & Joannem Januenſem, utrumque Ordinis Fratrum Prædicatorum, eſſe duos Scriptores. Nam *Catholicon* iſtud Dictionarium in MSS. etiam anni 1286. vetuſtiſſimis, ut in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4688. qui anno 1286. ſcriptus eſt, verbo *Janua*, attribuitur Joanni Januenſi, non autem Jacobo. In antiquiſſimis quoque editionibus anni 1460. Pariſiis, habetur quoque ſub nomine Joannis de Janua, quamvis in aliis multis Codicibus, vel anonymum, vel ſub ſolo nomine *Januenſis* reperiatur. Quis verò fuerit, ipſemet in dicto *Catholicon Dictionario* verbo *Janua* aperte edocet his verbis: *Item à Janua porta, dicta eſt Janua quadam civitas potens, nobilis, pulchra, dives, juxta mare ſita, & eſt quaſi introitus & porta Lombardia, Tuſcia, Provinciæ. Hujus civitatis oriundus fuit Compilator præſentis Libelli, qui dicitur* Proſodia *vel* Catholicon. *Compilator ſiquidem hujus operis, dictus Frater Joannes Januenſis de Balbis, de Ordine Fratrum Prædicatorum modicus, qui etiam compilavit alium libellum in Theologia, qui dicitur* Dialogus de quæſtionibus animæ ad Spiritum: *qui & compoſuit quoddam* opus Paſchale, *ubi ſcilicet de facili reperitur Paſcha, ſcilicet hoc opus Paſchale compoſuis antequam Ordinem intraret.* Quando verò illud abſolverit, hiſce verbis indicat in ipſo fine libri: *Immenſas omnipotenti Deo, Patri, & Filio & Spiritui Sancto gratiarum referimus actiones, qui noſtrum* Catholicon *ex multis & diverſis Doctorum texturis elaboratum atque contextum, licet per multa annorum curricula, in millesimo ducenteſimo octuageſimo ſexto anno Domini, Nonis Martii ad finem uſque perduxit.* Hujus ita meminit Poſſevinus tomo 1. *Apparatus ſacri.* „Joannes Genuenſis Monachus Ordinis „Fratrum Prædicatorum confecit Dictionarium „prænotatum *Catholicon* anno 1286. in quo præ„ter quæſtiones naturales ac Theologicas, præ„ter item ea quæ ad Orthographiam Proſodiam, „Etymologiam, Jurisprudentiam, Conſtructio„nem, regimen, figuras: agit etiam de his ipſis „quatenus in Bibliis & a Patribus uſurpantur. „Opus autem hoc a Petro Ægidio auctum & „anno 1506. Lugduni excuſum prodiit, cum „Venetiis antea ab Octaviano Scoto, anno 1495. „emiſſum in lucem fuiſſet. Porro hoc Dictionarium Catholicon nuncupatum, unum ex primis operibus eſt, quæ unquam in Europa impreſſa ſunt. Anno enim 1459. Joannes Fauſtus arte impreſſoria inventa, edidit primum Moguntiæ Libros *De divinis Officiis* Guillelmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi, tum anno 1460. *Catholicon* in folio Moguntiæ edidit, cujus unum exemplar in Regia Galliarum Bibliotheca, & aliud in Bibliotheca Fulienſium Pariſienſium nos vidimus. Extat autem Manuſcriptum in multis Bibliothecis, vel cum ſolo *Jannenſis* cognomine, vel cum ſolo titulo *Catholicon*, auctore innominato. Ita in Regia Galliarum Bibliotheca Codd. 4688. & 3061. qui 400. annorum ſunt, & in Bibliotheca S. Germani Pariſienſis, Codice MS. 590. in folio maximo, & optimæ notæ. In Bibliotheca Vallis Lucenſis Ordinis Ciſtercienſis, pulpito 17. Littera H. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 1. & Cod. 77. ubique cum ſolo nomine *Januenſis.* Vnde cum Thomas James anno 1600. Eclogum Manuſcriptorum Codicum Oxonio Cantabrigienſem, Londini in 4. edidiſſet, multosque MSS. Codices ſub nomine nudo *Januenſis* haberet inſcriptos, omnia illorum Opera *Antonio Januenſi*, quem Libro 2. hujus Eclogæ ad annum 1418. collocat, attribuit. Conſuluerat abſque dubio Antonium Poſſevinum, qui tomo 1. *Apparatus ſacri* pag. 69. hæc habet: *Antonius Januenſis Ordinis S. Auguſtini, ſcripſit librum quem prænotavit* Compendium Figurarum Moralium, *interfuit* Conſtantienſi Concilio, *Sigiſmundo Imperatore anno 1418.* At Codices Manuſcripti hujus Catholicon, tam in Bibliothecis Gallicis, quam Anglicis & Italicis, ejusmodi ſunt, ut præfatum Antonii Januenſis tempus multis annis excedant, ſuntque certò Seculi XIII. De illo ita Carolus du Freſne Dominus du Cange in Præfatione *Gloſſarii mediæ & infimæ Latinitatis* num. XLVII. col. XXXVIII. his verbis. „Proſtat autem Catholicon Joannis de Janua non ſemel typis editum, Venetiis ſcilicet anno MCCCCLXXXVII. quo Codice uſus ſum potiſſimum, & a Magiſtro Ægidio auctum & recognitum, & denuo ab Aſcenſio Badio auctum, Lugduni per Joannem de Platea anno M D XIV. Cæterum monet Philippus Boſquierus Minorita in Notis ad Gerſonem *De laude Scripturæ*, in Catalogo MSS. Librorum Bibliothecæ Monaſterii S. Ghisleni, *Joannem de Luna* appellari: ſed vereor ne male legerit, de quo hæc ſubdit. *Addo quod etſi Eraſmus Roterodamus* De ratione Studii & in Colloquiis, *Catholicon Januenſis infamet, & velut de gradu dejiciat, quà Latinitas ſpectatur, ego tamen in rebus theologicis non contemnendum ſentio.*" Idem verò ſcripſiſſe dicitur *Poſtillam in quatuor Evangelia ſecundum conſuetudinem Scholaſticam*, ut reſtatur Sixtus Senenſis Libro 4. *Bibliotheca Sanctæ* quæ incipit, *Cur voluit Deus non plures quàm quatuor eſſe Evangeliſtas &c.* quæ dicitur haberi Genuæ in Bibliotheca Conventus Fratrum Prædicatorum, ut & *Tractatus ad invenienda feſta mobilia*, MS. ibidem. De quo ultimo Opere loquitur idem Joannes Januenſis, in ſuo *Dictionario*, ut ſupra diximus. Denique ſcripſit, *Tabulam ſeu Syllabum in Sacram Scripturam*, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi Cod. 166. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Codd. 8. 153. & 216. & in Collegio Sancti Benedicti Cod. 77. ubique cum ſolo nomine *Januenſis.* Agunt de Joanne & Jacobo Januenſibus, tanquam duobus eodem tempore viventibus Scriptoribus, Vincentius Bandellus de Caſtro novo, Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Libello *De ſingulari conceptione Domini noſtri Jeſu*

Christi, ubi profert authoritatem Doctorum sui Ordinis. Sixtus Senensis *in Bibliotheca Sancta* Libro 4. verbo *Jacobus Archiepiscopus Januensis*, & verbo *Joannes Balbus*. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* sub distinctis nominibus & paginis, de *Jacobo Januensi* verbo *Biblia* p. 225. & verbo *Jacobus Januensis Archiepiscopus*, p. 794. *de Joanne Januensi*, pag. 881. verbo *Joannes Januensis*. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* agit *de Joanne Balbo Genuensi* ad annum 1280. pag. 55. *de Jacobo Varaginensi* ad annum 1290. pag. 62. Carolus du Fresne, Dn. du Cange, l. c.

1280 PONTIUS CARBONELLUS, in Ordine Fratrum Minorum, natione Catalanus, claruit anno circiter 1280. & sequentibus. Hic Sancti Ludovici Tholosani Episcopi ex eodem Minorum Ordine Magister & Director, ut habet Lucas Wadingus *in Annalibus Ordinis Minorum* tomo 2. ad annum 1288. num. 33. non autem Sancti Ludovici Galliarum Regis anno 1270. mortui, ut scribunt imperite Possevinus, Villorus, & author *Bibliotheca Hispanica*. Erat vir doctissimus multique laboris, scripsitque *Commentaria in universa Biblia*, *collectis ad singula loca abundè Sanctorum Patrum sententiis*, ita ut non inepte Opus nuncupari possit *Catena Sanctorum Patrum in universam Scripturam sacram*. Habetur MS. octo tomis sat magnis, in Bibliotheca Toletana Fratrum Minorum, Opus istud a viris doctis valde expetitum; qui legerunt, vehementer dolent, in tenebris per tot centurias annorum sepeliri, & summopere cupiunt, ut aliquando lucem aspiciat. De illo Petrus de Alva & Astorga in Opere suo *De conceptu mentis & ventris*, & alibi, contendit *Catenam auream* quæ toties sub nomine *S. Thomæ Aquinatis* hucusque evulgata est *in quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ & Johannis*, a se visam inter ista Opera MSS. Pontii Carbonelli, de quibus supra, ac spectare ad dictum Pontium, qui pari ratione in omnem Sacram Scripturam scripsit. Qua de re diximus in Dissertatione singulari, *De Scriptis S. Thomæ Aquinatis*. Mortem ejus ad annum 1297. consignare videtur Lucas Wadingus *in Annalibus Fratrum Minorum* ad citatum annum num. 35. his verbis. „ Frater Pontius Carbonelli de „Bottingata, doctrinâ & sanctitate illustris, S. „Ludovici Tolosani Episcopi, uti alias diximus, „instructor & Magister, qui ad universa Biblia ex „Sanctis Patribus Commentaria adjecit, quem „inter Sanctos Cataloniæ refert Antonius Vi„centus Ordinis Prædicatorum, conjectus est „in carcerem, quia noluit quos habebat Petri „Joannis Olivi Tractatus, porrigere ut combu„rerentur, ubi ærumnis & quotidianis molestiis „succubuit. Cujus innocentiam Deus multis „miraculis postea contestatus est, deductusque „est ad conventum suum Barcinonensem, ubi „honorificam accepit sepulturam." Hujus ut Scriptoris Ecclesiastici meminit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 296. Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* p. 290. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 139.

GUIDO DE COLUMNA, quem suspicor 1280 fuisse ex familiâ Columnensium Romanâ, licet id affirmare nolim, natione Siculus, patria Messanensis, floruit ab anno circiter 1270. & sqq. qui cum Eduardo I. Angliæ Rege ex Bello Asiatico revertente, in Angliam se contulit, ut Bostonus Buriensis MS. testatur. Suscepit autem expeditionem hanc transmarinam Eduardus anno 1270. ex qua anno 1271. reversus, cum in Siciliâ Guidonem hunc de Columna ad se accedentem cognovisset, multarumque rerum idoneum ex iteratis congressibus credidisset, allexit eum suis beneficiis ac promissis in Angliam, quem regiâ semper gratiâ & benevolentiâ prosequutus est. Scripsit autem Guido de Columna anno 1287. *Libros XXXIV. Histor a Trojana*, *collectos ex antiquioribus Historicis Darete & Dicte*, ad instantiam Matthæi de Porta Archiepiscopi Salernitani: unde verisimile est, tunc temporis relictâ Anglia in Siciliam remeasse. Habetur Opus ejusmodi MS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 121. & Cantabrigiæ in Collegio divi Petri Cod. 228. & in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 5052. inscriptum, *Libri 34. Historia Trojana compositi ex Darete & Dicte, per Guidonem de Columna Messanensem ad instantiam Matthæi de Porta Archiepiscopi Salernitani anno 1287. Scripti verò anno 1444. per Antonium de Confluente*. Incipit Prologus, *Licet quotidie vetera recentibus obruant, nonnulla tamen jamdudum vetera præcesserunt, quæ sic sui magnitudine visa sunt digna memoriâ &c.* Incipit Liber I. *In regno Thessaliæ, de prædicta scilicet provinciis Romaniæ, cujus incolæ Myrmidones dicti sunt &c.* Idem opus in eadem Regia Bibliotheca MS. Codice altero 200. annorum, Num. 4911. Illud invenio editum Argentorati anno 1489. in folio. Hæc Historia translata in linguam Germanicam habetur MS. in Bibliotheca imperatoria Vindobonensi, ut annotat Lambecius tomo 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ, ubi de MSS. Codicibus arcis Ambrosianæ Viennam translatis agit, Cod. 293. Agunt *de Guidone Columnensi* Josias Simlerus in Appendice Bibliothecæ Gesnerianæ. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 491. editionis ultimæ. Philippus Labbæus *in Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine Antiquarum Lectionum Græcarum & Latinarum & Gallicarum* ex Catalogis Manuscriptorum Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecta & Parisiis anno 1653. in 4. edita apud Johannem Henault, parte 4. pag. 54. itemque Supplemento VII. pag. 278. Codice MS. 580. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latini-*

nitatis,col. 106. & Cornelius a Beughem, *De incunabulis typographia* p. 49.

1280 GERARDUS DE ARVERNIA, CENOMANENSIS ECCLESIÆ CANONICUS, scripsit *Chronicon* anno 1288. quod dedicavit Ivoni Cluniacensis Ecclesiæ Abbati, extatque MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 5231. ad cujus finem series Episcoporum Lingonensium & Abbatem Bezuensium habetur. Inscribitur, *Reverendo Patri ac Domino Ivoni miseratione divinâ Cluniacensis Cœnobii humili Ministro, Girardus de Arvernia Canonicus, vitam in præsenti & gloriam in futuro. Omnem quidem Ordinem Sanctum Pater in Christi visceribus diligo, magnifico, veneror & adoro &c.* Sub finem agens de eo cui Opus suum dicaverat, ait, *Ivo de Chasent secundus, ex Priore Sancti Martini Parisiensis in Abbatem Cluniacensem est assumptus, qui cœpit regere Cluniacense Cœnobium anno Domini 1275. mense Octobris.* Finit Chronicon in anno XII. hujus Ivonis, per electionem Nicolai IV. in Romanum Pontificem anno 1288. his verbis: *Anno sequenti in cœna Domini obiit Honorius IV. Anno hujus Ivonis XII. in cathedram B. Petri assumptus fuit in Summum Pontificem Hieronymus, qui fuit de Ordine Fratrum Minorum, qui alterato nomine Nicolaus V. est vocatus.* Nullus quem sciam hujus Scriptoris meminit, præter Carolum Dufrenium du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 101. ubi perperam eum conclusisse Chronicon suum anno 1274. pronunciat.

1280 PETRUS DE ADRIA, VICOAQUENSIS EPISCOPUS, dictus *de Adria* a loco natalium, Italus natione, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, floruit anno 1280. & ultra, de quo hæc Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 235. „Petrus de Adria Sancti Thomæ „Aquinatis sedulus auditor, Ordinis Prædicato„rum, Lecturam ipsius divi Thomæ expressit, ex „ejus ore Sancti Matthæi Evangelium interpre„tantis: quam Divus Thomas perlegens & „suam agnoscens, permisit ut pro suâ legeretur „atque haberetur. Extat verò adhuc, licet „alicubi mutila. Id testatus est Sanctus Anto„ninus 3. parte Historiæ, tit. 18. cap. 10. Albet„tus autem Venetus, ubi agit de Sexto Magistro „Generali hujus Ordinis, ait ab eodem Petro „fuisse conscriptum librum *De perfectione vitæ „Spiritualis.* Vivebat anno 1270. Ita Possevinus, sed longè plura scripsit *Petrus de Adria*, quæ omnia etiamnum habentur sub nomine Sancti Thomæ Aquinatis inverecundè inscripta, atque inter Opera illius inscripta. Audiamus ea de re Scriptorem utrique ferinè supparem, ejusdemque Familiæ Dominicanæ, Nicolaum Trivettum in *Historia* sua, ubi postquam magna & genuina *Sancti Thomæ* recensuit Opera atque Opuscula minora, subdit: „*Alia quidem* (inquit de Sancto „Thoma) *inveniuntur sibi attributa, quæ tamen „ipse non scripsit: sed post eum legentem vel prædicantem, ab aliis sunt collecta, ut puta Lecturam super" Epistolam ad Corinthios, ab undecimo Capitulo usq;" ad finem. Et Expositio super primum de Anima," quas frater Reginaldus ejus socius collegit. Iterum"* (Ecce Opera Petri de Adria) *Lecturam super Joan" nem, & super tertium nocturnum Psalterii. Colla" tiones de Oratione Dominica & Symbolo, item Col" lationes Dominicales & Festivæ. Item Collationes" De decem praeceptis, quas collegit Frater Petrus de" Adria. Item Lecturam super Matthæum completa," quam partim idem Frater, partim secularis quidam" recollegit, ejus studio delectatus."* Ecce quam multa Divo Thomæ Aquinati attribuuntur, quæ *ad Petrum de Adria* spectant, ex fide testis contemporanei, atque ejusdem Ordinis. Idem habet ex parte 3. Antoninus Florentinus Archiepiscopus 3. parte *Chronici* tit. 18. cap. 10. §. 2. qui tamen cum longè abesset à Divi Thomæ Aquinatis ætate, minoris etiam authoritatis est in assertionibus ejusmodi. Fuit Petrus de Adria acceptissimus Cœlestino V. Summo Pontifici, & Carolo II. utriusque Siciliæ Regi. Unde tempore hujus Pontificis ad instantiam Fratrum hujus Regni, divisa fuit provincia Regni hujus à Romana anno 1294. à Cœlestino V. ut constat ex brevi dato Aquilæ Kalendis Septembris, Pontificatus Cœlestini anno primo. Qua divisione peracta, idem Pontifex Summus instituit in provincia Regni Siciliæ Vicarium provincialem eundem Fratrem Petrum de Andria, usque quo in Capitulo provinciali Aquilejæ, in Festo Exaltationis sanctæ Crucis, Regni Siciliæ provincialis electus est: quam divisionem Bonifacius Papa VIII. posteà anno 1296. confirmavit. Denique Petrus de Adria Scriptis & eruditione clarus, promotus est à Clemente V. Idibus Augusti anno 1306. ad Ecclesiam Vicoaquensem, qua in dignitate annos decem circiter vixit. Vide Ferdinandum Vghellum tomo 6. *Italia Sacra*. Agunt de *Petro Adrianensi* Nicolaus Trivethus loco citato. Antonius 3. parte *Summæ Historialis* titulo 18. cap. . 10. §. 2. ubi de Scriptis S. Thomæ Aquinatis. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 235. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1280. pag. 56. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 136. ubi eum anno 1270. vixisse asserit, à quo tempore clarere cœpit, usque ad annum circiter 1316. vel 1317. quo mortuus dicitur.

GODEFRIDUS DE FONTANIS VEL DE FONTIBUS, duplex hoc seculo in Gallia occurrit, alter sub seculi initium, alter sub finem. Primus sub seculi initium, Rogetii toparchæ Condatensis in Hannonia Filius, Cameracensis Episcopus, Remis anno 1220. consecratus, dictusque *bonus Episcopus*, qui scripsit *Libros de divinis officiis*, & obiit anno 1238. Successorem habens Magistrum Guiardum de Lauduno, & iste Magistrum Nicolaum de Fontanis Godefridi nepotem, qui coepiscopum & coadjutorem sibi ad- 1280

adlegit Thomam Cantipratanum. Alter Godefridus de Fontanis florebat post an. 1280. qui aliquantum antimonachus & antiregularis fuit, occasione dissidii quod Prælatos inter & Mendicantes anno 1283. intercessit, cui ipse præsens aderat, ratione privilegiorum quæ a suprema sede Apostolica Mendicantes obtinuerant, contra quos egisse dicitur. Scripsit *Quodlibeta satis prolixa quatuordecim de variis argumentis*, quæ MSS. extant in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 5093. Idemque opus MS. in multis Codicibus celeberrimæ Colbertinæ Bibliothecæ. Denique in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium, Littera L L 4. fol. 57. extant *Decem Quodlibeta hujus Godofridi de Fontanis*, videlicet a quinto Quodlibeto usque ad decimum quartum inclusive. Et ibidem Littera L 6. fol. 87. habetur *Quodlibetum decimum quartum Magistri Godefridi de fontibus* prolixum, quod incipit: *Circa justitiam quærebatur primo utrum justitia sit virtus generalis ab aliis virtutibus distincta* &c. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 335. in Manuscriptis Codicibus Collegii Baliolensis, litera O Codice 19. *Quodlibeta Godofridi de Fontibus*. Ibidem Codice 605. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 138. *Quodlibeta 14. Godefridi de Fontibus* litera O 3. 10. Artium. *Ejusdem Quæstiones Ordinariæ 35*, quæ intitulantur *Quodlibeta Thomæ Sutton*. Ibidem Codice 610. in MSS. Codicibus Collegii ejusdem Codice 143. *Quodlibeta Godefridi de Fontibus*, litera O 3. 15. Artium. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codice 2038. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ, Codice 110. Denique inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ, & celebrium aliarum ejusdem Regni bibliothecarum, Codice 731. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Wigorniensis Codice 56. num. 1. *Quodlibeta Magistri Galfridi de Fontibus, Cancellarii Parisiensis*. De isto utroque Cæsar Egassius Bullæus seculo V. *Historia Vniversitatis Parisiensis* ad annum 1283 pag. 465. & in Catalogo illustrium Academicorum, p. 680. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 103.

1280 PETRUS JOANNES OLIVI, natione Gallus, ex Ordine fratrum Minorum, cujus hic prælibanda paucis nativitas & conversatio, ut æquius de eo judicium efformari possit, quem alias multorum reum egerunt æmuli. Ortus ergo ille in castro S. Mariæ Sivignani in Gallia, Sancto Francisco a parentibus in Conventu Biteroensi anno ætatis XII. & Christi nati 1259. oblatus est. Quare erat maxime Franciscus Penna in Commentario ad *Directorium Inquisitionis* Libro 2. Scholio 25. illum viguisse & emersisse asserens circa initium seculi XIII. & annum 1220. temporibus Celestini tertii: neque enim tunc Celestinus Pontifex tertius præerat, qui anno Christi 1191. Papa creatus est. Factus in Theologia Parisiis Baccalaureus, indefesso studio pietatem, mansuetudinem, humilitatem, & sanctam Francisci paupertatem coluit, aliis norma disciplinæ factus. Qui ad eas tandem animi virtutes ascendit, ut spiritu prophetiæ multa vere prædixerit, & animæ suæ curandæ multos præmonuerit, occultis criminibus æstuantes, teste Mariano Florentino in *Chronico MS. Ordinis Minorum* Lib. 2. cap. 3. Accusatus tamen occasione cujusdam sui *in Apocalypsim Commentarii*, anno 1278. ut habet Spondanus ad annum citatum num. 20. *de quibusdam scriptis tractatibus*, quibus Mariæ Virginis præconia ultra modum efferre voluit, quæ quamvis omni laude nostra superior, falso tamen honore non eget, veris cumulata honorum titulis. Scripta jubente Ministro Generali Hieronymo Asculano, propriis manibus incendio tradidisse fertur, asserens se non majori voluptate pro suo captu hæc scripsisse, quam pro Ministri imperio combussisse. Fassusque est postea Generalis Minister, cum sub nomine Nicolai quarti Romanus Pontifex factus est, ac de hujus Petri vita & doctrina coram eo ageretur, non tam ad supplitium quam ut luxuriantem ingenii subtilitatem amputaret, hoc ei præcepisse: & quæ de Beatissima Virgine disseruisset, non tam erronea, quam nova & singularia fuisse. Hæc Lucas Wadingus tomo 2. *Annalium Ordinis Minorum* ad annum 1278. num. 28. ad excusandum Petrum Joannem Olivi. Accusatus nihilominus sæpius de pluribus aliis postea, habuit explicanda & emollienda quæ nimis periculose & ambigue scripserat, vel etiam revocanda: maxime quæ severe de Evangelica & Franciscana paupertate in Opusculis quibusdam, quibus fratrum Franciscanorum animos in se concitaverat, eo quod a Regulæ suæ vigore ac paupertate deviantes, acrius redargueret: de quibus plenius Lucas Wadingus in *Annalibus Minorum* tomo 2. ad annos 1282. 1283. 1285. 1292. 1297. Nihil enim periculosius viro probo, ac puram & severam virtutem & doctrinam profitenti, nihil hæresi magis affine, quam Ecclesiasticorum abusus & Monachorum corruptorum arguere mores. At Cæsar Egassius Bullæus seculo V. *Historia Vniversitatis* Parisiensis ad annum 1297. pag. 535. opinatur fratrem Petrum Joannem Olivi (quidquid Wadingus dicat) viventem a fratribus accusatum fuisse *ut caput Beguardorum ac Fratricellorum*, quem ut convictum, mortuum tamen ac sepultum postea exhumarunt, cujusque ossa cum Operibus simul combusserunt. Idem sensit Nicolaus Eymericus, in *Directorio Inquisitionis* parte 2. quæst. 15. „ Scribens Petrum Joannem Olivi, Ordinis Franciscani, semetipsum „ divinitus, inspiratum jactitantem, docuisse spi„ritualem statum nuper Orbi Christiano a Fran„cisco invectum esse: cui Novi Testamenti le„ges utpote minus perfectæ, cedere deberent „ Christi & Apostolorum Evangelium, nullum„

„ad perfectionem ducere, ideoque abolendum
„esse, introducta Francisci Regula: eliminan-
„dum Cleri secularis ordinem, atque Ordini cui-
„dam Religioso regimen Ecclesiæ committen-
„dum: Evangelicam paupertatem tam religio-
„se ab omnibus colendam esse, ut neque pro-
„prium aliquid, neque in communi possidere li-
cet. Hujusmodi fere dogmatibus in vulgus ef-
fusis, Joannem Olivi in gentem Franciscanorum
turbam in partes suas traxisse, quibus *Spirituali-
um* nomen inditum fuerit, postea vero *Begnar-
dorum, Begninorum & Fratricellorum*, ex contem-
ptu sectæ istiusmodi. Qua de re licet definire
quicquam nolim, vix tamen mihi persuadere
possum, Petrum Joannem Olivi in tam absurdas
opiniones & stultitias, suasuque tam difficiles,
abire potuisse. Scripsit autem circa annum
1278. *Commentarium in Apocalypsim Joannis*, qui
adhuc extabat temporibus Joannis XXII. Pa-
pæ, sed quem comburi velut hæreticum jussit.
Condemnatio hujus Operis post authoris mor-
tem, legitur apud Stephanum Baluzium tomo 1.
Miscellaneorum pag. 213. & sequentibus, facta a
Magistris duodecim in Theologia referentibus
verba aliqua dicti Commentarii, ad Censuræ
suæ probationem. Obiit in Conventu Narbo-
nensi anno 1297. die 16. Martii, persecutionem
quoque post mortem passus, quem post annos
plures exhumatum Joannes XXII. Pontifex
comburi jussit, quod iis parum favet, qui multa
ab ipso patrata miracula post mortem volunt.
De ejus Postilla in Apocalypsim scribunt aucto-
res, quasi illa dederit initium viris illis qui *Be-
gardi* seu *Beguini* & *Fratricelli* dicebantur. Ita
diserte Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Ave-
nionensium col. 599. „Porro Begardi illi dice-
„bantur etiam Beguini, Fratricelli, vel Fratres
„de pœnitentia de tertio ordine beati Francisci.
„Dederunt autem huic sectæ initium, Postillæ
„Petri Joannis Olivi Minoritæ in Apocalysim,
„ut docet etiam Nicolaus Eymerici in secunda
„parte Directorii Inquisitorum quæstione 15.
„Qua de re vide, quæ a nobis edita sunt ex ve-
„teri Codice MS. in libro primo Miscellaneorum
„pag. 213. & sequentibus. Illud habet diserte
Joannes Canonicus S. Victoris Parisiensis in Vi-
ta Joannis Papæ XXII. apud Baluzium in Vitis
Paparum Aveniensium, col. 117. his verbis.
*Eodem tempore hæresis illa in tantum invaluit in
provincia Narbonensi, quod multi tam Minores
quam Begardi de tertio ordine sancti Francisci, pu-
blice asserebant. Dominum Papam & omnes ei o-
bedientes, hæreticos esse & de secta Antichristi, non
de Ecclesia Christi, sed de Synagoga Sathana, perti-
nentes ad meretricem magnam Babylonem, per Do-
minum reprobatam: & in illis solis Christi ecclesiam
remanere, qui vitam Christi pauperem & humilem
observabant. Dicebant Papam mysticum Antichri-
stum, ac præcursorem veri Antichristi. Et pro isto
errore tenendo, multi permiserunt se comburi, & mul-
ti ad ignem ultronei se offerebant, vocantes jam
combustos Martyres gloriosos. Habuit autem or-
tum hæc hæresis ex doctrina cujusdam fratris Mino-
ris, qui Petrus Johannis Biterrensis diœcesis diceba-
tur, qui quandam Postillam composuit super Apoca-
lypsim, in qua per octo Magistros in Theologia, plus-
quam sexaginta hæreticales articuli sunt inventi.
Fuit autem dicta hæresis multum periculosa, & mul-
torum simplicium infectiva, propter illorum simula-
tam sanctitatem in verbis, victu & vestitu. Sed per
diligentiam Prælatorum & Inquisitorum, in illis par-
tibus dicta hæresis est extincta.* Idem Bernardus
Guido Episcopus Lodovensis in Vita ejusdem
Joannis XXII. apud eundem Baluzium col. 140.
*Hic quoque Summus Pontifex anno Domini MCCC-
XXV. Sabbato primo quadragesimæ, videlicet VI.
Idus Februarii, reprobavit & sententialiter con-
demnavit in Consistorio quandam pestiferam postil-
lam fratris Petri Joannis de Serinhano diœcesis Bi-
terrensis de ordine fratrum Minorum, continentem
dogma pestiferum, & articulos erroneos & hæreticos,
e qua sumebat fomentum secta illa pestifera illorum,
qui Beguini vulgariter appellantur, qui se fratres
pauperes de tertio ordine Sancti Francisci communi-
ter nominabant, ex quibus plures fuerunt tanquam
hæretici condemnati & combusti.* Idemque ite-
rum Bernardus Guidonis ibidem col. 167. *An-
no Domini MCCCXXV. sabbato primo quadragesi-
mæ quod fuit sexto Idus Februarii, Dominus Joan-
nes Papa XXII. reprobavit & sententialiter con-
demnavit in publico consistorio, assidentibus Cardi-
nalibus & Prælatis & magistris in theologia & Do-
ctoribus utriusque juris, quandam pestiferam postil-
lam, quam frater Petrus Johannes Olivi ordinis fra-
trum Minorum, de Serinhano diœcesis Biterrensis fe-
cerat super librum Apocalypsis beati Johannis, tan-
quam continentem pestiferum & hæreticum dogma
contra unitatem Ecclesiæ catholicæ, & potestatem
Summi Pontificis Romani & apostolicæ sedis, conti-
nebat enim plures articulos erroneos & hæreticos.
Ex qua postilla sumebat originem secta quadam pe-
stifera illorum qui Beguini sunt vulgariter appellati,
qui se fratres pauperes de tertio ordine sancti Fran-
cisci communiter nominabant. Ex quibus quam-
plures fuerunt per judicium Prælatorum & Inqui-
sitorum hæreticæ pravitatis, tanquam hæretici con-
demnati, & relicti judicio curiæ secularis, & com-
busti in diversis locis in provincia Narbonensi & ul-
tra Rhodanum, & in aliquibus partibus Tolosanis.*
Tradit Augustinus Oldoinus Cardinali Thomæ
Jorsio, anno 1320. commissam esse curam a
Clemente V. discutiendæ doctrinæ Petri Joan-
nis Olivi Minoritæ, qui nonnulla contra pau-
pertatem evangelicam docebat, quæ tum osten-
debant aures plurimorum. Quod is accepit
ex Waddingo seu potius ex bulla Clementis
V. relata a Waddingo in Annalibus Minorum.
Plurima opera scripsit, quæ commemorantur
a Baleo. Possevino, Pitseo, & aliis. Ita Baluzius
in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col.
583. Idem col. 693. loquens de octo Magistris
qui postillam Joannis Olivi damnarunt, inquit.
Eorum nomina reperiuntur in libro primo Mi-„
scellaneorum nostrorum pag. 213. Meminit„

 „autem

„autem hujus rei idem Guido Helenensis in „summa *De hæresibus*, qui fuit unus ex illis octo „Magistris, in enumeratione errorum Beguino„rum cap. 21. loquens de postilla Petri Joannis „Olivi super Apocalypsim. *Fuit damnata & com„busta per Dominum Papam, consilio Dominorum „Cardinalium, & plurimorum Episcoporum, & alio„rum Doctorum in sacra pagina, & aliorum perito„rum.* Quamvis autem Postilla Petri Joannis Olivi in Apocalypsim combusta sit, attamen ut habet idem Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 752. in Catalogo bibliothecæ Benedicti XIII. qui MSS. extant in Codice 2743. Colbertinæ bibliothecæ, fol. 14. continetur elenchus postillarum a Petro Joannis editarum in varios sacræ Scripturæ libros, his verbis. *Præterea aliqua confessiones & litera edita per eundem ad magistros Parisienses, qui condemnaverunt dicta sua. Item tractatus de usuris. Item tractatus ejusdem de sacramentis, & tractatus emptionum & venditionum & de usuris, & quadam quæstiones & tractatus Logicales. Item opus seu postilla ejusdem super librum beati Dionysii de Angelica hierarchia. Item opus ejusdem quod vocatur* Miles armatus. *Item opus ejusdem quod dicitur*, Exercens. *Item Expositio seu disputatio regula fratrum Minorum per eundem composita. Item quæstio disputata per eundem.* In fol. autem 152. commemoratur *quæstio disputata de paupertate per fratrem Petrum Johannis.* In Codice 56. Colbertinæ bibliothecæ habentur, *Allegationes super articulis tractatus per Dominum Papam de postillis, quam frater Petrus Johannes composuit super Apocalypsim*, missa summo Pontifici, id est Joanni XXII. ut opinor. In Codice vero 1002. extat valde prolixa *refutatio eorum qua in postilla fratris Johannis super Apocalysim, videntur esse hæretica aut erronea vel periculosa, secundum quod sunt ab eo intellecta & declarata, & prout etiam verba sonant.* Scriptus est autem hic liber sub pontificatu Johannis XXII. In libro porro Arnaldi Camerarii ita scriptum est: *Littera Domini Joannis Papæ XXII. continens, quod ipse non commisit finale judicium Apostillarum fratris Petri Joannis de ordine Minorum, sed examinationem tantum & finale judicium de iis sibi reservavit. Datum Avenioni V. Kal. Octobris, Pontificatus sui anno septimo.* Antequam de hac causa finiamus, notandus est insignis error Abrahami Bzovii qui anno 1199. §. 39. ait hunc Petrum Joannis vixisse ea tempestate. Accepit autem ille hanc opinionem, ex elencho hæresum Gabrielis Prateoli, Melius idem Bzovius anno 1310. §. 11. ubi ætatem Petri revocat ad ea tempora quibus Clemens V. cathedram Romanam tenuit, quod accepisse videtur ex Directorio Inquisitorum par. 2. q. 15. Quanquam istud verum non est, Waddingus enim an. 1397. §. 33. illum mortuum esse ante Clementis pontificatum ostendit. Extant in libro primo Miscellaneorum nostrorum pag. 213. opiniones ejus, quas Magistri in theologia hæreticas, erroneas, aut temerarias esse censuerunt. De iisdem hæresibus vide Guidonem Episcopum Helenensem in summa *De hæresibus*: & Nicolaum Eymerici in Directorio Inquisitorum par. 2. q. 9. Apologiam Petri Joannis Olivi scripsit Vbertinus de Casali, cujus exemplar apud se fuisse idem Wadingus anno 1397. §. 36. testatur. Initium ejus fuisse *Sanctitati apostolica* &c. patet ex pagina 294. ejusdem libri primi Miscellaneorum nostrorum. Erudite vero eum defendit idem Vvadingus in loco paulo ante laudato. Hæc Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 751. & 752. Plura de illo ut innocente Lucas Wadingus in *Annalibus Minorum* ad annum 1278. num. 27. & 28. 1282. num. 2. 1283. num. 1. 1285. num. 5. 1290. num. 11. 1292. num. 13. 1297. num. 33. 34. usque ad 51. Et in *Bibliotheca Ordinis ff. Minorum* pag. 284. Laudatur sane ab omnibus, qui ex hoc Ordine scripserunt. Et sanctus Anroninus Florentinus Archiepiscopus in *Summa Historiali* 3. parte tit. 24. cap. 9. parag. 11. & 13. semel atque iterum agens, ait eum Ordini suo satisfecisse, nec repertum fuisse schismaticum & rebellem. Quin imo, eodem ipso tempore, quo memoria ejus ita post mortem exagitabatur, hoc prolixe comprobavit Vbertinus de Casali, Apologia pro ejus doctrina facta: luculenter ostendens articulos ei oppositos, aut omnino calumniose confictos esse ab Adversariis, aut defendi posse: & quidquid erroris latuisset, excusari subjectione opinionum suarum, quam censuræ & correctioni sanctæ matris Ecclesiæ professus est. Quod in defensionem pluribus tractavit, Lucas Wadingus tomo 2. *Annalium Ordinis Minorum*, singulos articulos Petro oppositos, proponens & examinans, hominemque uti Hæresiarcham ab aliquibus accusatum, a labe hæreseos purgans. De illo quoque Henricus Spondanus in *Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 1278. num. 20. & ad annum 1297. num. 7. Cæsar Egassius Bullæus seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1297. pag. 335.

BROCARDUS ARGENTINENSIS, ex Ordine fratrum Prædicatorum, claruit anno 1283. Appellatus *Brocardus* vel *Burcardus de Monte Sion*, forsitan, quod ibidem in itinere suo ad Palæstinam lustrandam, prolixam fecerit moram, etsi patria Argentinensis esset, illic professus Ordinem fratrum Prædicatorum, quem ab anno 1283. ad 1320. vel circiter vixisse asserunt. Illum Guillelmus Cavus in *Historia litteraria Scriptorum Ecclesia* ad annum 1260. pag. 731. assignat. Et *Bonaventuram Brocardum* vocat, Possevinum hac in opinione verbotenus amplexus. Opus illius ita inscribitur in editione facta Magdeburgi anno 1593. in 4. impensis Ambrosii Kirchneri *Reverendi & devotissimi Patris in sacro Canone eruditissimi fratris Brocardi, Alemani, ordinis Prædicatorum liber, qui inscribitur Descriptio terra sancta eidemque adjacentium regionum:* quam dedicavit atque attulit alteri Brocardo ejusdem sui Ordi- 1280

Ordinis, Magdeburgensi in Theologia Lectori. Ambrosius autem de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* an. 1238. eum affigit pag. 15. & in Appendice pag. 431. ubi pro more & levitate sua *Beatum* illum facit. At tempus quo præcise vixerit aut floruerit, definire arduum, imo impossibile est, hoc unico certo, quod anno 1283. Palæstinam lustraverit. Brocardus hic Argentoratensis, dicitur fuisse propagator Ordinis fratrum Prædicatorum in Terra sancta, illuc missus a Generalibus Ordinis Comitiis anno 1222. Lutetiæ Parisiorum celebratis. Ita quidem Antonius Senensis, Castillus, Bzovius, aliique rerum Dominicanarum scriptores tradunt, pro more suo absque idoneis ad id probandum instrumentis ac testibus. Sed tardius missum, ex eo fit verisimile, quod anno 1283. se Palæstinam lustrasse testatur, & in Monte Gelboë pluviam & vovem expertum: quo tempore ex hac supputatione nonagenarius fuisset, etiamsi anno ætatis suæ trigesimo tantum illuc missus fuisset, Itaque constantissimum est, hanc peregrinationem fuisse susceptam anno isto 1283. a Brocardo, ut ipse tradit, non autem anno 1222. ut alii ariolantur. Insanit pro more suo Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Ordinis fratrum Prædicatorum,* ad annum 1238. pag. 7. & in Appendice ad eundem annum pag. 431. dum ait *receptum fuisse ad Ordinem a Beato Reginaldo anno 1218. moratum fuisse in terra sancta anno 1227.* allegans in *Appendice,* Bzovium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1222. num. 25. vix unquam Orbis Christianus habebit tam inpudentem calculatorem. Profectus igitur devotionis, an divagationis ergo in Orientem lustrata Palæstina, reliquit posteris *Descriptionem Terræ sanctæ,* quam habet Henricus Canisius tomo 6. *Antiquæ Lectionis* pag. 295. ad 322. anno 1604. Ingolstadii in 4. Itemque Virtembergæ anno 1554. in 8. Illud opus olim multis in locis mutilum & castratum, tandem integrum ex MS. Codice bibliothecæ Alvenslevianæ Reinerus Reineccius anno 1593. Magdeburgi in 4. editum. Prodiit & postea Coloniæ anno 1624. in 8. Cujus Historiæ MS. Codex in Bibliotheca Paulina Lipsiensi inter MSS. Codices Historicos, ut constat ex Catalogo impresso, pag. 314. Ejusdem Brocardi opus sub titulo *Legationis in Ægyptum,* MS. in Bibliotheca Basileensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, quem anno 1661. misit clarissimus vir Joannes Buxtorfius Bibliothecarius ad Theophilum Spizelium in *Arcanis Bibliothecarum retectis* pag. 18. Idem cum præcedente mihi Opus videtur. Porro *Brocardi Monachi Ordinis Prædicatorum Descriptio terræ sanctæ* inserta etiam Collectaneo Symonis Grynæi pag. 314. impresso Basileæ anno 1555. in folio apud Joannem Herragium, sub titulo *Novus Orbis Regionum & Insularum veteribus incognitarum.* Vnde acceptam iterum recudit Amstelodami anno 1707. in folio grandi Franciscus Halma, ad calcem Libri *De locis Hebraicis,* Græce primum ab Eusebio Cæsariensi, deinde Latine a sancto Hieronymo conscripti, qui in commodiorem ordinem a Bonfrerio redactus, quem recensuit & suis animadversionibus auxit, Joannes Clericus. Scripsit quoque *Summam Casuum conscientiæ,* quæ cum aliis multis MSS. Codicibus Theologorum veterum & Concionatorum, Cremonæ asservatur in Biblioth. ff. Eremitarum Augustinianorum. Hæc *Summa Brocardi* MS. pariter habetur in Regia Galliarum Biblioth. Cod. 4259. distincta in *libros quinque,* quorum *primus* est De diversis vitiis, *secundus* de homicidio, *tertius* de Clericis & ordinationibus, & quales esse debeant, qui ordinandi sunt: *quartus* de pœnitentia, *quintus* de matrimonio. Incipit per Simoniam, quæ libri primi caput 1. *De Simonia. Simonia dicitur hæresis, non quod ipse actus sit hæreticus, scilicet credere, licenter posse emi Spiritualia vel ei annexa* &c. Videtur mihi habere quandam affinitatem cum Summa Raymundi de Pennaforti, *De pœnitentia & matrimonio,* illumque legisse & imitatus fuisse *Brocardus.* Est etiam eadem *Summa Brocardica de vitiis & virtutibus,* MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, Littera SS 10. fol. 110. inscripta, *Summa de Brocardicis vitiorum & virtutum.* Olim multum dubitaveram an *Brocardus* seu *Burcardus Argentinensis* (nam idem nomen est) hanc Summam Casuum scripsisset, cujus non meminit Natalis Alexander Ordinis fratrum Prædicatorum, qui ejus Opera diligenter recenset in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* seculo XIII. tomo XX. cap. 4. art. 5. pag. 566. quam cognitam sibi non omisisset. Sed nutantem me MSS. illi Codices Parisienses confirmarunt, qui sunt ejusdem circiter temporis, quo *Brocardus* vixisse dicitur. Quantum ad *Descriptionem terræ sanctæ* de qua supra egimus, addit Natalis Alexander loco citato: "Illud opus sed mutilum in lucem edidit Canisius tomo VI. *Antiqua Lectionis,* cujus MS. exemplar integrum Coloniæ in Bibliotheca Crucigerorum extare ait Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. quo exemplari usum se profitetur in Hierosolymæ ac Suburbanorum descriptione, *Christianus Adrichomius.* Ejusdem fuisse *Annales de gestis Friderici in terra sancta,* quos apud Wolphgangum Lazium extitisse Simlerus testatur, in Epitome Bibliothecæ Conradi Gesneri, conjicit *Vossius. De sacra expeditione adversus Turcas obeunda,* Commentarium misit ad Philippum Regem Christianissimum anno MCCCXXXII, laudatum a Zurita in Rerum Aragonicarum Indicibus, Lib. 2. pag. 153. De hoc authore legendi sunt *Sixtus* noster Senensis Lib. 4. *Bibliotheca Sancta,* & Malvenda in *Annalibus Ordinis* ad annum MCCXXII. Hæc" Natalis Alexander, quæ mihi valde dubia sunt. Cum enim ex ipso Alexandro & ipso *Brocardi* scripto, *Brocardus* seu *Burcardus* anno 1283. se Palæstinam lustrasse testetur, & expertum rorem & pluviam in monte Gelboë: vix credere possum, eum vixisse usque ad annos quinquaginta

ginta post tot itinera, ac pervenisse ad annum 1332. quo dicitur obtulisse Philippo Francorum Regi *Commentarium de sacra expeditione contra Turcas*. Quod si anno 1222. teste Malvenda Dominicano, in Palæstinam missus est: necessum est, ut anno isto 1332. haberet vitæ annos circiter centum quinquaginta, essetque hic ex familia *Joannis de temporibus*. Denique quantum ad *Gesta Friderici I. Imperatoris in Terra sancta*, ea erant authoris *Friderico* comitis & contemporanei, & consequenter excedebant ætatem hujus *Brocardi* Argentinensis, qui centum annis post *Fredericum primum* vivebat: imo ipso teste Natali Alexandro, centum & quinquaginta annis post *Fridericum primum* adhuc vivens scribebat. Fefellit Natalem Alexandrum manuscriptus codex quem vidit, in quo simul erant *Brocardi Liber de terra sancta, & Anonymi Directorium terræ sanctæ per quendam fratrem Ordinis Prædicatorum ad Philippum Francorum Regem anno Domini 1332. ad passagium faciendum*: qui male utriusque Operis Brocardum scriptorem opinatus est, cum illi tractatus Scriptorum diversorum sint: Extat autem Codex MS. similis, inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 2184. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 43. num. 1. *Directorium terræ sanctæ per quendam fratrem Ordinis Prædicatorum ad Philippum Regem Francorum anno Domini 1332. ad passagium faciendum*. Num. 2. *Brocardi liber de terra sancta*. Opus autem istud *Directorii* non pertinet ad Scriptorem Germanum, sed ad Gallum: non ad Brocardum, sed ad Petrum de Palude, ut ad annum 1330. inferius dicemus, qui anno 1330. plurima apud Philippum Valesium Francorum Regem gratia pollens, illum quoquo modo hortabatur, ut in Palæstinam pro more majorum, expeditionem sacram susciperet, ad *Terra Sancta*, uti appellant, *recuperationem*. Hanc ob causam dictus Petrus Paludanus, a Papa Avenione anno 1329. Patriarcha Hierosolymorum titularis constitutus fuerat, & ob eandem *Directorium* istud opus composuit ad *Passagium faciendum*. Ita frequenter Reges Galliarum a Monachis, ad expeditiones ejusmodi transmarinas & insanas, sub pietatis prætextu suscipiendas, seducti deceptique sunt. Hæc contra Natalem Alexandrum, qui Opusculi hujus scriptorem Brocardum in Germania quæsivit, quem in Conventu suo Parisiensi Petrum Paludanum si recte attendisset, habebat ad manum. Porro de *Brocardo* seu *Burcardo* seniore de quo supra egimus, qui circa annum 1160. Notarius seu ab Epistolis erat Friderici primi seu Barbarossæ, hæc habet Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. 435. *Burcardus Notarius Imperatoris Friderici Barbarossa, ad Nicolaum Abbatem Sigebergensem Opusculum seu Epistolam potius misit*, De victoria ac triumpho Imperatoris sui ac clade Mediolanensium, *quam cum aliquot Rerum Germanicarum scriptoribus, primus edidit Marquardus Freberus*. Cujus meminit etiam Christophorus Sandius in *Notis & Animadversionibus* ad Gerardi Joannis Vossii Libros tres *De Historicis Latinis* pag. 136. editionis Amstelodamensis anno 1677. in decimo sexto. Contigit autem hæc Friderici Barbarossæ contra Mediolanenses anno 1162. victoria, quæ Mediolano urbi cladem omnimodam ac destructionem attulit: quo tempore Brocardus hic seu Burcardus erat a Secretis & Epistolis Friderico Imperatori suo, in Italico hoc bello, non autem in Expeditione illius Saracenica quæ anno 1184. contigit, ut nonnulli perperam scripserunt. Meminit hujus *Brocardi* Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, ubi eum anno 1260. floruisse asserit. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 490. editionis ultimæ. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1238. pag. 15. & in Appendice ad eundem annum, pag. 431. de quo multa mentitur.

PETRVS DE ALVERNIA, CLAROMONTANVS EPISCOPVS, ex Ordine fratrum 1280
Prædicatorum, natione Gallus, vir doctus, Sancti Thomæ dum Parisiis legeret discipulus, claruit anno circiter 1280. post mortem ejusdem Thomæ Aquinatis, quæ anno 1274 die 7. Martii contigit. Hic junior Ordinem fratrum Prædicatorum ingressus fuerat, dictus de Crosso, sanguine nobili ortus, progressus plurimos in Philosophia ac Theologia fecerat, quando scripsit *Appendicem* seu *Supplementum ad Summam Theologicam S. Thomæ Magistri sui*, quod ubivis locorum ad calcem ejusdem Summæ impressum est. Extant ipsius *Commentarii in aliquot libros Aristotelis*, nempe *De motibus animalium, de longitudine & brevitate vitæ, de juventute & senectute, de respiratione, de vita & morte*: qui Venetiis prodierunt anno 1507. una cum ejusdem Sancti Thomæ *Commentarius in Aristotelem De sensu & sensato, ac de memoria*. Item *Appendix ejusdem Petri Commentariorum Divi Thomæ Aquinatis ad Libros Aristotelis de Cælo*, quos divus Thomas absolvere non potuit, nimirum ad partem *tertii* & ad *quartum* integrum, quæ Venetiis anno 1495. apud Scottum impressa sunt. De his operibus ita loquitur Ptolomæus Lucensis Synchronus author, in *Historia Ecclesiastica* MS. Libro XXIII. cap. XI. dum agit de Scriptis sancti Thomæ Aquinatis. *Scripsit etiam super Philosophiam, ut super De cælo, & super De generatione, sed non complevit. Et similiter super Politicam, sed hos libros complevit Magister Petrus de Alvernia, fidelissimus discipulus ejus, Magister in Theologia & magnus Philosophus, & demum Episcopus Claromontanus*. Ejusdem *Petri de Alvernia Commentarii in Libros Physicorum Aristotelis*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi in Anglia Cod. 97. *In parva naturalia ejusdem*, MSS Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri Cod. 54. *In Meteora* Oxonii in Collegio novo, Cod. 245. In Balliolensi Cod. 229. denique *In politica Aristotelis*

flotelis, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri Cod. 40. Hic ob merita probitatis & doctrinæ suæ factus postea Episcopus Claromontanus in patria, de quo loquuntur ita fratres Sammarthani tomo 2. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Claromontanis pag. 530. *Petrus du Cros creatur Episcopus 3. Februarii 1302. sub quo Claromonte 1304. a Præsulibus Bituricensis provinciæ, pro decimis Regi Philippo Pulchro datis, convocatus est cœtus Ecclesiasticus, ex Regesto cameræ Rationum Regiarum Parisiensium. Obiit Petrus die 25. Septembris anni 1307. ex Calendario Claremontensi.* De illo Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri.* Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1273. pag. 28. & in Appendice ad eundem annum, pag. 437.

1280 NICOLAVS DE HANAPIS PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS, ex Ordine fratrum Prædicatorum, natione Gallus, in Diœcesi Remensi natus, ex pago de Hanaps juxta Aubentonium in Thierascia, unde cognomen accepit, florebat anno 1280. plurimis ob doctrinam clarissimus. Scripsit Opusculum inscriptum *Exempla virtutum & vitiorum ex universa Scriptura divina promptuario desumpta*, Parisiis anno 1547. in 8. sub nomine proprii authoris impressum, apud Joannem Foucher via Jacobæa sub signo urbis Florentiæ. Item Tubingæ in Germania anno 1533. apud Vldericum Morhart, denique Venetiis anno 1537. in 16. Constat hoc Opus capitulis CXXXIV. & incipit, *Creatio rerum ita fuit mirabilis* &c. Vocatur vulgo *Biblia pauperum*, falso sancto Bonaventuræ a quibusdam adscriptum, atque in ejus Opuscula impressum, ut ex MSS. Neapolitanis Codicibus Antonius Senensis tradit in sua *Bibliotheca*. Non tantum autem Neapoli extat MS. sub nomine proprii authoris Nicolai de Hanaps, sed in aliis multis Bibliothecis, Cremonæ in Bibliotheca fratrum Eremitarum Augustinianorum, Camerari in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ, pulpeto 6. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 3840. In Victorina Parisiensi Canonicorum Regularium divi Augustini, littera f. 15. Inscribitur autem in Codice MS. 135. Bibliothecæ S. Benigni Divionensis, *Florigerium De virtutibus & vitiis Nicolai de Hanapis Ordinis Prædicatorum, & Patriarchæ Jerosolymitani.* Extat quoque MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi *Dicta Salutis fratris Nicolai de Hanapis Ordinis Prædicatorum*, ut constat ex Catalogo Codicum MSS. hujus Bibliothecæ, pag. 185. num. 41. impresso Lipsiæ anno 1686. studio Joachimi Felleri Bibliothecarii: quod etiam Opus inter Opuscula divi Bonaventuræ a Minoritis, absque scrupulo legitimi authoris conjectum est. Transiit postmodum Nicolaus de Hanaps ex Gallia in Italiam, ubi & teste Spondano factus est Apostolicæ sedis pœnitentiarius, sic enim ille narrat in *Annalibus* ad annum 1278. num. 17. „Hoc eodem anno, „cum post obitum Thomæ Patriarchæ Hierosolymitani, Capitulum illius Ecclesiæ Latinum" elegisset ei successorem Angelum Archiepiscopum Neapolitanum: Nicolaus Pontifex ejus" electionem irritans, *fratrem Johannem Vercellensem*, (non ut quidem habent *Viterbiensem*) Ordinis fratrum Prædicatorum sextum a Sancto" Dominico Ordinis fundatore Magistrum Generalem, Patriarcham creavit. Cæterum Joannes dignitatis pondus horrens, supplicibus" ac instantibus precibus excusationem apud" Pontificem quæsivit, ut tradunt Ptolomæus" Lucensis in *Annalibus* anno 1280. & sanctus" Antoninus 3. parte *Summæ Historialis* tit. 23. cap." 12. ut uni soli curæ sui Ordinis vacaret: qui" acceptis licet gravibus & objurgatoriis a Pontifice Litteris de ejus inobedientia, datis Viterbii Calendis Octobris, perstans nihilominus in" sententia, emissionem tandem obtinuit, datis" ei litteris Romæ pridie Nonas Februarii anni" sequentis 1281. Cui putamus datum esse successorem *Nicolaum de Hanapiis* ejusdem Ordinis Prædicatorum, cujus meminit S. Antoninus" loco citato, titulo 23. cap. 11. paragr. 1. Siquidem Patriarcham, qui Accone fuit, quando" ea civitas anno Domini 1291. capta est, fuisse" nomine Nicolaum, constat ex Epistola Nicolai" Papæ IV. ad eum paullo ante scripta, pro Inquisitionis officio instituendo in Syria & Palæstina contra Hæreticos & Judæos illic grassantes: eundemque ex Ordine Prædicatorum extitisse, legimus apud Walsinghamum in *Eduardo I.* ad annum 1292. Denique reperimus in Opere inscripto *Sanctorale Guidonis* Lib. 7. quod extat MS. in Bibliotheca fratrum Prædicatorum Tolosæ, In Tractatu Bernardi Guidonis *De prælatis Ecclesiarum ex Ordine Prædicatorum*, hunc Nicolaum de Hanapiis, Diœcesis" Remensis, ex Pœnitentiario in curia Romana," virum doctrina & moribus conspicuum, cum a" Nicolao Papa IV. singulis Cardinalibus impositum fuisset, ut nominarent sibi tres viros idoneos ad Patriarchatum: non sine nutu divino" fuisse a singulis nominatum, & a Pontifice pro" motum, obiisse autem anno Domini 1293. vel" circiter, postquam capta est civitas Acconensis." Mentionem Nicolai de Hanapis faciunt Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 448. pag. 294. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1288. pag. 60.

GVIDO DE MIMO, SANCTI GERMANI ALTISSIODORENSIS ABBAS, natione Burgundus ex villa de Mimo Diœceseos Augustodunensis nobili genere oriundus, junior Vitam Monasticam in Abbatia sancti Germani Antissiodorensis, Ordinis divi Benedicti sub Joanne Josnual Abbate consanguineo suo professus est, ut ex Appendice Opusculo ejus subjuncta constat, ipsa consanguinitate allectus. Illic paulatim proficiens in litteris, cum aliquamdiu in cœnobio observantia & ætate profecis- 1280

 fe-

ſet, ad Academias Aurelianenſem & Pariſienſem miſſus, Theologiæ & Juri Canonico per novennium non ignavam contulit operam, unde reverſus ad Cœnobium, variorumque munerum obeundorum jam idoneus, factus primum in Monaſterio de Puſeia Eleemoſynarius, ac Vice-prior ejusdem, tum poſtea Decanus de Recognito, deinde Cœnobii Antiſſiodorenſis ſancti Germani Prior Clauſtralis. Hoc in munere volvens revolvensque Guido Abbatiæ ſuæ monimenta, ſcripſit *De Geſtis Abbatum S. Germani Antiſſiodorenſis* ab anno DCCCCLXXXIX. usque ad annum MCCLXXVII. quod primus in lucem protulit Philippus Labbeus tomo 1. *Novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum Librorum* pag. 570. Mortuo autem Joanne Joſnual anno MCC-LXXVII. quo Chronicon ſuum Guido conclu-dit, in Monaſterii ſui Abbatem electus eſt. Sed coorta mox factione, Monachi adverſæ partis Joannem quendam de Thyengiis Anglum in Abbatem ſibi elegerunt. Hac autem lite multos annos durante, Guido ſemel atque iterum ingentibus & expenſis & laboribus Romam profectus, nec niſi poſt octennium in Guidonis hujus gratiam controverſia definita eſt. Eccleſiam igitur Abbatiæ ſancti Germani pacifice ſuſceptam, ab anno MCCLXXVII. ad annum MCCCIX. gubernavit, quo regimine ſuo ſe ultroneus abdicavit, & in Cellam quandam privatam ſecedens, obiit ſexto Calendas Martii anno MCCCXIII. poſtquam Eccleſiam ſuam per integros fere XXIV. annos gubernaſſet. Plura te docebit Aymo de Bordis ejusdem Cœnobii Monachus in Appendice ad *Chronicon Guidonis*, a nobis citata, quam Guillelmus Cavus contraxit, nosque poſt ipſum, quem ad annum 1290. collocat pag. 751. *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiæ.*

1290 COELESTINVS V. ROMANVS PONTIFEX, antea Petrus Moronus dictus, anachoreta, Eſerninus, qui in monte Marcella non procul a Sulmone ſolitariam vitam agebat, homo ſanctiſſimæ converſationis, a quo Cœleſtinorum Ordo ſumpſit exordium, poſt interregnum biennii & menſium quatuor, divina tandem ordinatione in papam electus eſt Nonis Julii anno 1294. tempore Adolphi Imperatoris, quam dignitatem in Eccleſia primariam humilitate ſumma ac ſingulari, poſt quinque menſes & dies octo abjecit. Suaſerant Cardinales electo ut Peruſium proficiſceretur, ſed quia aliam Caroli Regis voluntatem eſſe ſciebat, Aquilam ſe contulit: ubi incredibili hominum frequentia illuc propter rei novitatem confluente, receptus & coronatus eſt. Creavit duodecim Cardinales, homines maximi meriti, inter quos duo Eremitæ fuerant: Verum cum & propter oneris magnitudinem & rerum inexperientiam, parum idoneus huic faſtigio ſibimetipſi videretur, abdicare ſe Magiſtratu Eccleſiæ conſtituerat. Adeo autem facilis & benignus erat, ut nihil unquam ulli petenti recuſaret, & quandoque duobus idem annueret. Quod abdicationis officium tam vehementer urgebat & promovebat Cardinalis Cajetanus, ut tametſi Carolus Rex ſecum Neapolim Cœleſtinum adduxiſſet, ille tamen ſexto ſui Pontificatus menſe propria ſponte ſuæ dignitati cederet. Ad ſolitudinem excuſſo onere rediens, ſucceſſoris Bonifacii VIII. mandato, in arcem Fumonis conjectus eſt, ubi mærore confectus animi, & cruciatibus illatis, decimo quarto Calendas Junii obiit, a Clemente V. in Sanctorum numerum propter miracula relatus. Hæc Platina & Joannes Trithemius de *Cæleſtino V. cui ſcripta multa* attribuuntur *omnia ex Scriptura ſacra, Canonibus ac Doctorum ſententiis elaborata*, Vita ejusdem addita per D. Cæleſtinum Teleram Abbatem Cæleſtinum, quæ ex MSS. Codicibus prodierunt primum Neapoli anno 1640. in 4. typis Octaviani Beltrani, unde poſtea in *Bibliothecam ſanctorum Patrum* editionis ultimæ Lugdunenſis anni 1677. translata ſunt. Mortuus eſt anno 1296 die 8. Maji, ætatis 87. De quo omnes ferme agunt, qui Hiſtoriam Romanorum Pontificum ſcripſerunt. Sed lectori haud ingratum fuerit, ſi quæ eximia de hoc Pontifice ſcriptor hujus temporis Eberardus in *Annalibus* ad annum 1290 refert, hic verbotenus ſubjungam. "Mortuo Nicolao IV. vacavit ſedes Apoſtolica propter" diſcordiam Cardinalium plusquam tribus an-" nis, & tandem iidem Cardinales ut creditur" nutu divino concordaverunt in quendam vi-" rum rectum & religioſum, qui in Cella ſua per" quadraginta annos & amplius, ſub Regula bea-" ti Benedicti ſtrenue vixerat, qui electus Cœle-" ſtinus vocatus eſt. Et cum educeretur e cel-" la, nullum equum tunc & poſtea etiam aſcen-" dere voluit, ſed tantum aſellum, exemplo Do-" mini venientis Hieroſolymam, equitavit. In" via etiam tranſeundo, Dominus per eum mul-" ta miracula fecit: qui licet miræ ſanctitatis" exiſteret, tamen adeo ſimplex erat, quod pe-" tentibus concedenda & non concedenda con-" ceſſit. Et cum conſideraret, quod conſuetum" ſilentium & abſtinentiam, quæ in clauſtro fer-" vaverat, propter intolerabilem rerum curam," tenere non potuit in Papatu, renuntiare eidem" Papatui cogitavit. Et cum Sapientum eſſet" opinio, quod Papa non poſſet cedere, talem" Conſtitutionem edidit, quod Papæ poſſint ce-" dere, tam præſens quam futuri: dicens, quod" *de plenitudine poteſtatis* eandem Conſtitutionem" facere bene poſſet. Qua facta ſtatim ceſſit, &" electus eſt poſt ipſum Benedictus Cardinalis," qui vocatus eſt Bonifacius: qui ſtatim poſt" creationem ſuam omnes gratias & conceſſio-" nes, quas prædeceſſor ſuus fecerat, revocavit." Et omnis populus propter eminentem ſancti-" tatem, prædictum Cæleſtinum libenter habuiſ-" ſet pro Papa: ſed Dominus Bonifacius ipſum" recluſit, ne ſchiſma fieret, ſi a populo raperetur." Poſt autem duos annos idem Cæleſtinus mor-"

"tuus

„tuus est, & dicitur quod Dominus per eum „multa miracula operetur, & sepultus est in „Monasterio sancti Antonii Ferentini.„ Hæc Eberhardus Altahensis. Omnes de illo, qui nuperis temporibus scripserunt, vel *Annales Ecclesiasticos* ultimorum temporum, ut Bzovius, Spondanus, Raynaldus &c. Vel vitas Summorum Pontificum, ut Bartholomæus Platina, Andreas Duchesnius; Ciacconius, & alii. Bollandistæ Antwerpiani in *Vitis Sanctorum*, ad diem 8. Maji, & in sua *Chronologia Romanorum Pontificum*.

1290 MARCUS PAULUS VENETUS, multis itineribus descriptis cognitus, Nicolai Pauli nobilis Veneti filius, anno circiter 1280. claruit, quo iisdem temporibus, factus est patri comes in itineribus ad partes Orientales. Cum Nicolaus ille triennio & quod excurrit, Orientem lustrasset, Matthæo Paulo fratre suo tunc comite usus, in Italiam rediit: qui nec multo post iterum in Orientem profectus est, Marco Paulo Veneto, filio suo secum assumpto, quorum annis multis permansit in aula Magni Cham Cublai. Hac occasione Marcus filius tot Orientis regiones vidit, nec vidisse ipse contentus, etiam bona fide visas descripsit, sed in gratiam popularium lingua Italica. Interim bene est, quod eadem ætate non defuerit, qui saltem ut potuit Latine verteret, hoc est, Semibarbare, ut illo seculo solent. Sunt qui fidei ejus detractum eunt, quod multa admiranda habeat. Sed quæ prius incredibilia videbantur, ea quotidie magis ac magis firmantur, ab iis qui Orientem lustrant. Quod & de eo tradit Guilielmus Schickardus Libro *De Regibus Persicis* pag. 187. editionis Tubingensis anni 1628. Harum Marcus Paulus Venetus regionum descriptionem fecit anno 1295. juxta MS. Codicem 4264. fol. 27. Bibliothecæ Galliarum Regiæ, inscriptam, *De Regionibus Orientis*, quæ impressa cum itineribus Joannis Mandevilli & Ludolphi de Sucken & aliorum cum variis *Novi Orbis Scriptoribus*, annis 1532. 1537. & 1555. Basileæ in folio apud Joannem Hervagium. Itemque secunda parte *Hierosolymitani Chronici*, seu *De bello sacro*, quod anno 1585. edidit duobus tomis in 4. Helmenstadii Reynerus Reineccius. Denique Coloniæ apud Sprcam in 4. anno 1672. cum indice prolixo Historico, cura Andreæ Mulleri Berolinensis Præpositi. Habetur autem ut supra diximus, hoc Opus MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 4264. fol. 27. cum prologo, qui in antiquioribus quas vidi editionibus deest. Horum Librorum hic est titulus, *Incipiunt Libri descriptionis provinciarum Armeniæ, Persidis, Turchiæ, & utriusque Indiæ, & Insularum quæ sunt in India, editi a Domino Marco Paulo, nobili cive Venetiarum, currentibus annis Domini nostri Jesu Christi MCCLXXXXV.* Incipit prologus nondum quod sciam editus, *Domini Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites & Milites, omnesque gentes volentes scire diversitates & generationes gentium Orbis* &c. Libri primi Caput 1. inscribitur, *Qualiter Domini Nicolaus & Matthæus Pauli fratres, cives Venetiarum, transierunt ad partes Orientales* &c. ad finem, *Explicit liber 1. Domini Marci Pauli de mirabilibus Orientalium regionum.* Item in Catalogo anno 1674. in 4. Lugduni Batavorum bibliothecæ publicæ impresso, pag. 395. in MSS. Græcis & Latinis Legati Scaligeriani Codice 62. *Pauli Veneti Minorita De terra sancta liber.* Verum alius mihi hic Paulus Venetus Minorita esse a præcedenti videtur. Iste enim appellatur *Franciscus Georgius* patria Venetus, ex Ordine fratrum Minorum, Platonicæ Philosophiæ & Talmudicis commentis impense deditus, plurimos erravit errores, quos cum Origene ferme communes habuit. Ex his maxime notari meretur sententia ejus de Paradiso terrestri, cujus integram Historiam, Philonem & Origenem secutus, in Allegoricum sensum detorquet. Scripsit *Problematum in sacram Scripturam Tomos VI.* illos Venetiis 1536. Parisiis 1574. in 4. editos. *Harmoniam Mundi Canticis III.* Venetiis 1525. Parisiis 1545. in folio impressam. Claruit anno 1501. obiit anno 1510. Dabunt plura de *Marco Paulo Veneto* editores istius Operis, quos plures supra adduximus, in Præliminaribus impressionum suarum. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 490. editionis secundæ.

AUGUSTINUS TRIUMPHUS, natione Italus, patria Anconitanus, natus est anno 1299 Domini 1243. sub Pontificatu Innocentii Papæ IV. qui liberalibus deinceps disciplinis eruditus, cum seculo valedixisset, in familiam seu Ordinem Eremitarum Divi Augustini cooptatus est, atque una cum Ægidio Romano seu Columna ejusdem Ordinis, Lutetiam Parisiorum missus, ad audiendos (ut dicitur) sanctos Thomam Aquinatem & Bonaventuram seu Eustachium Balneoregiensem. Cum adhuc esset junior, annorum tantum XXXI, Lugdunensi Concilio II. anno 1274. interfuisse scribitur, vixisseque postea Principibus tum Ecclesiasticis tum secularibus, ac Roberto Regi Neapolitano, ejusque Patri Carolo secundo carissimum. Illorum cum a consiliis esset & amicitia, Cœnobia sui Ordinis non pauca, illorum authoritate in magna Græcia, hoc est, in Calabria excitavit. Quæ porro extant Opera vel edita vel manuscripta in Bibliotheca Vaticana sive alibi, hæc juxta Possevinum sunt.

Commentaria in Ezechielem, in Matthæum, in Marcum, in Lucam, in Joannem, in Acta Apostolorum. Iterum *in Acta Apostolorum Catena Patrum. In omnes Epistolas Pauli, lib. 14.* Iterum *in omnes Epistolas Pauli Catena Patrum. In Apocalypsim. In primum caput Lucæ, super* missus est: *& super* Ave Maria: *Et super Canticum*, Magnificat.

ficat. *De introitu ad terram promissionis. De Cantico Spirituali, sive de decem Chordis. Sermones Dominicales ad Clerum, & ad eundem Sermones de Sanctis.* Hi autem sermones omnes, extant Romæ MSS. in Bibliotheca sancti Augustini, *Milleloquium ex scriptis divi Augustini*, quod supervenientе morte reliquit inchoatum: quodque deinceps Bartholomæus Episcopus Vrbinas perfecit, quare & huic tandem adscriptum est, ut habent Josephus Pamphilus & Joannes Trithemius. *In quatuor libros Sententiarum. De amore Spiritus Sancti. De Spiritu Sancto contra Græcos. De prædestinatione & præscientia. De libero arbitrio. De resurrectione mortuorum. De consolatione animarum beatarum. De potestate Ecclesiastica. De potestate Collegii Cardinalium, mortuo Papa. De potestate Prælatorum. De Thesauro Ecclesiæ. Quodlibeta Parisiis disputata contra Divinatores & Somniatores. Tabula seu Index in Moralia S. Gregorii*, cum aliis suis libris & tractatibus, qui sunt Mediolani in Bibliotheca Augustinianorum sancti Marci. *De ortu Romani Imperii. De Sacerdotio & Regno, ac de donatione Constantini. Super facto Templariorum. De prædicatione generis & speciei. Destructio totius Arboris Porphyrii. De cognitione & potentiis animæ. Expositio & Quæstiones in libros Priorum Aristotelis. Commentarius in libros Posteriorum. Commentatio super duodecim libros Metaphysicorum.* Omnia vero Augustini Triumphi Opera, civium Anconitanorum sumptibus ex archetypis descripta, in magnis & pulcherrimis voluminibus, Romæ in Bibliotheca Vaticana, itemque Bononiæ fere omnia in Bibliotheca sancti Dominici, seu fratrum Prædicatorum asservantur.

Ejusdem *Summa de potestate Ecclesiastica ad Joannem Papam XXII.* edita Augustæ Vindelicorum anno 1473. in fol. Romæ anno 1479. in 4. & anno 1584. in folio. Deinde & *Commentarius in Canticum Deiparæ Virginis Mariæ*, ab Angelo Rocca Camerte editus Romæ anno 1590. in 4. Præterea *Commentarius in salutationem & annuntiationem Angelicam Deiparæ*, ab eodem Angelo Rocca Augustiniano Eremita, emissus in lucem Romæ anno 1592. in 4 cæteris omnibus manuscriptis, ut supra dictum est, existentibus.

Quibus ex omnibus extant in Bibliotheca Cremonensi Ordinis Eremitarum divi Augustini *Quæstiones variæ Augustini Triumphi super Evangelia.* Idem *Super Epistolas Canonicas & de amore Spiritus Sancti*, denique *Commentarius ejusdem super Missus est* &c. Itemque in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex ejus Catalogo impresso Lipsiæ anno 1686. studio & cura Joachimi Felleri Bibliothecarii, extant pag. 73. num. 21. *Augustini de Ancona Ordinis Eremitarum divi Augustini, Expositio in Matthæum*, cum annotatione Alphabetica singularum ac præcipuarum annotationum. Ejusdem *Commentarii super Missus est, & super Magnificat*, in Codice eodem. Ibidem quoque pag. 75. num. 34. *Commentarius super Epistolas Sancti Pauli Apostoli.* Et num. 33. *Commentarius Augustini de Ancona super Epistolas Canonicas.* Idem *Commentarius in Epistolas Canonicas*, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Balliolani Cod. 29. cum *Commentario ejusdem in Apocalypsim.* Nec dubium, quin alia MSS. in aliis Bibliothecis extent.

Denique cum totam vitam pietati, scriptionique Librorum dedisset, pervenit usque ad annum Domini 1328. quo grandævus Neapoli obiit die 2. Aprilis, ætatis suæ octuagesimo quinto. Plura de illo commemorant Joannes Trithemius in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis.* Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca Sancta.* Josephus Pamphilus, Signinus Episcopus *in Chronico Ordinis Eremitarum divi Augustini*, pag. 46. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* pag. 137. Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, sed parcissime uterque, sicut & Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1290. pag. 748. quorum defectus heic supplemus. Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano* verbo *Augustinus Triumphus.*

THEODORICVS DE VALLECOLORVM, Gallice *de Vauxcouleur*, quod est oppidum vel urbecula Campaniæ Gallicæ, proxima Lotharingiæ finibus, natione Gallus, hac ætate floruisse videtur. Scripsit Carmine *Vitam Vrbani IV. Romani Pontificis*, quæ extat MS. Trecis in Campania in *Archivis* Ecclesiæ Sancti Vrbani, ut testantur Andreas Duchesnius *in Vita Vrbani Quarti* inter *Romanorum Pontificum Vitas à S. Petro usque ad Paulum V.* duobus tomis in 4. Parisiis anno 1616. editas, Gallice dedicatas ad *Simonem Marquemontium Archiepiscopum Lugdunensem, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalem.* Et Petrus Frizonius *in Gallia Purpurata*, qui Gallus & Doctor Parisiensis ac Canonicus Rhemensis, edidit ad Eminentissimum Alphonsum Ludovicum Plessæum Richelium Cardinalem, Archiepiscopum Lugdunensem, *Galliam Purpuratam*, hoc est *De omnibus Romanis Pontificibus & Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus è Gallia oriundis*, Latine Parisiis anno 1638. in folio. Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, Cabilonensis, Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo, in sua *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. p. 442. quam Lugduni a. 1643. in 4. edendam curavit. 1290

THEODORICVS DE APOLDIA, natione Thuringus, patria Erfordiensis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, claruit Scriptis circa annum 1290. & sequentibus, usque ad annum circiter 1300. & ultra. Scripsit prolixè & ornatè *Vitam Sancti Dominici Fundatoris Fratrum Prædicatorum Libris VII.* dedicatam Nicolao Magistro Generali Ordinis Prædicatorum Fratrum, de qua Surius ad diem V. Augusti agit. Hic fuit Nicolaus Tarvisinus opilionis filius, qui ex Provinciali Lombardiæ, in Capitulo Generali 1290

Or-

Ordinis anno 1296. Argentorati Magister Generalis Ordinis creatus est, quem rexit ad annum 1300. Ex Magistro IX. Ordinis, à Bonifacio VIII. posteà, Cardinalis tituli S. Sabinæ, mox Hostiensis factus, tandem Cathedram Summi Pontificatus ascendit, & Benedictus IX. vocatus fuit. Hinc ætatem Theodorici de Apoldia agnoscas. Idem contexuit *Vitam Sanctæ Elisabethæ, Andreæ Hungarorum Regis Filiæ, Ludovici Landgravii Thuringiæ Viduæ, Libris VIII.* quos ex MSS. Codicibus Monasterii Sancti Galli in Rhætia, Henricus Canisius primus publicavit tomo V. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 147. quorum compendium Matthæus Raderus tomo I. *Bavariæ Sanctæ* eleganti stylo composuit. Gerardus Joannes Vossius, vir alioqui diligentissimus, ex hoc unico Scriptore duos conflavit, unum *Theodoricum Thuringum* Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 439. Alterum *Theodoricum de Apoldia Erfurdensem* cap. 62. pag. 497. ultimæ editionis. Cæteri omnes unicum constituunt, quem constat floruisse extremis Rodulphi Habspurgensis temporibus, nec vel modica apparet ratio, cur in duos discindatur. Ac primum quidem edidit *Libros VIII de Vita S. Elisabeth, Andreæ Hungarorum Regis filiæ, Ludovici Pii Thuringiæ & Hassiæ Landgravii quinti uxoris*, quæ Marpurgi anni 1231. sanctissime obiit, & in tabulas Sanctorum publicas anno 1235. a Gregorio Papa nono relata est, quos in *præfatione* refert se anno 1289. scribere cœpisse, addens hunc esse annum LIX. a transitu Beatæ Elisabethæ, quam anno 1231. tertio Kalendas Decembris decessisse, author est Trithemius. Ibidem ait, se jam plusquam sexagenarium esse, & annos XLII. in Ordine suo complevisse, cum quos etiam sequutus sit in hoc Opere authores, ut Conradum Marpurgensem, & alios, enarrat. Atque eadem plane methodo, posteà aggressus est *Libris VII Vitam S. Dominici Confessoris, Ordinis Fratrum Prædicatorum institutoris*, ex diversis nempe authoribus seipso anterioribus, Jordano Generali Magistro ejusdem Ordinis, Fratre Constantino postea Urbevetano Episcopo, Humberto vel potiùs Gerardo de Fracheto Lemovicensi, & Gerardo altero Germano, de quo sic in Præfatione hujus S. Dominici vitæ loquitur: *Tandem dilectus Pater noster Frater Geradus, prior Provincialis Teutoniæ, rediens de Generali Capitulo in Luca celebrato, detulit quadam præclara gesta Sancti Dominici de Bononia: quæ ex ore, sororis Cæcilia Romana, quam Beatus Dominicus ad Ordinem receperat, conscripta sunt. Quæ sunt vidit & audivit, plenâ fide sincerissimè enarravit, ac quæ usque ad annum Domini 1290. religiosissimam & honestissimam vitam duxit.* Ex quibus velut demonstrativè ostenditur, vixisse eodem tempore, quo ille qui scripsit Vitam Sanctæ Elisabethæ Hungarorum Regis filiæ. Atque ita etiam censent Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, & Leander Albertus Lib. 4. *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum*, teste eodem Vossio, loco citato. Ejusdem Theodorici *Opuscula alia* MSS. extant in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, nempe *Magistri Theodorici Teutonici de Ordine Prædicatorum, tractatus de beatifica visione Dei per essentiam. Magistri Theodorici de Vriberg tractatus de Iride & Calendarium Metricum*: ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ impresso Lipsiæ anno 1686. pag. 331. de quo nos sæpe egimus. Quorum etiam Opusculorum meminit Leander Albertus, & Antonius Senensis *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum*: denique & Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* verbo *Tidericus de Vriburgh*, ad annum 1277. pag. 46. quem fatetur ab Lusitano *Theodoricum* appellari. Agunt de Theodorico nostro Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* bis, nimirum verbis, *Theodericus de Apoldia*, & *Theodericus Thuringus*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* Cap. 394. pag. 260. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1288. pag. 61. Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 878. ubi refert extare *Vitam S. Elisabeth Thuringicæ* in MS. Codice 267. Latino ex Ambrasiana arce in Cæsaream Bibliothecam allato, qui in fine auctior aliis aliquanto sit, contineatque etiam *Appendicem sex capitum*, quæ in Codicibus MSS. quibus Canisius usus est, defuit: & quæ istius defectus supplendi causa, a Lambecio citato hic evulgatur integrè Lib. 2. *Commentariorum* Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 879. & seqq.

BERTRANDUS VEL BERNARDUS DE TRILLA SEU TRILIA, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, natione Gallus, ex urbe Nemausensi in Occitanis, claruit ob insignem in Theologia Scholastica peritiam, circa annum 1290. & sequentes. Ex unico homine duos fecit pro more suo Antonius Possevinus, tomo I. *Apparatu sacri*, alterum Bernardum de Trillia pag. 217. alterum Bertrandum de Trilla pag. 219. utrumq; ejusdem ætatis & Ordinis. De primo sic p. 217. *Bernardus de Trillia Diœcesos Nemausensis prope Provinciam & Avenionem, Ordinis Prædicatorum Theologus, scripsit Postillas in Ecclesiastem, in Librum Sapientiæ, in Joannem usque ad 12. Caput, in Apocalypsim, in Psalterium, in Canticum Canticorum. Quæstiones de differentia esse & essentiæ, de Anima, de potentia Dei, de Spiritualibus creaturis. Quodlibeta aliqu&c. Quæstiones super totam Astrologiam. De cognitione animæ separatæ &c. Vivebat anno 1291 Antonius Senensis Lusitanus.* De secundo pag. 219. *Bertrandus de Trilla Ordinis Fratrum Prædicatorum, scripsit Commentaria in 4. Libros Sententiarum. Claruit anno 1296.* Hæc Possevinus nomine *Bernardi* mutato tantum *in Bertrandum*, ut ex uno Scriptore duos faceret. Hujus autem Bernardi *Commentarius in 4. libros Sententiarum* sub nomine proprii authoris, extat MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium divi Augustini, ut ha-

1290

habet Joannes Launojus Doctor Theologus in Opere *De regia in matrimonium potestate*, impresso Parisiis anno 1674. in 4. Ibi allegat Bertrandum hunc parte I. pag. XI. quem male tamen collocat inter Thomam de Argentina qui anno 1350. floruit, & Joannem Capreolum, qui a Bellarmino anno 1410. vixisse scribitur, a Trithemio anno 1415. ab Antonio Senensi anno 1424. Hic tamen *Commentarius in 4. Libros Sententiarum* de quo supra diximus ex Joanne Launojo, cum omni diligentia a me in Victorina Bibliotheca inquisitus, inveniri non potuit: ubi tamen latitare certò creditur, cùm talis esset Launojus, ut nec falleretur nec quenquam falleret. Item Codice MS. 4520. Bibliothecæ Galliarum Regiæ, qui 300. annorum est. *Quæstiones de cognitione animæ conjunctæ corpori disputatæ & excellenter determinata à Fratre Bernardo de Trilia, Magistro in Theologia de Ordine Fratrum Prædicatorum. Incipiunt; Quæritur primò utrum anima conjuncta corpori &c.* Hoc ex MS. Codice infero hunc Triliam posse spectare ad annum 1300. vel circiter, ob Codicis vetustatem. Idem cum Possevino censit Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, ad annum 1295. & 1296. paginis 70. & 71. Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columnis 89. & 90. qui corrigendi videntur.

1290 NICEPHORUS CHUMNUS, qui & Nathanael dictus, Monachus factus, Præfectus quoque Caniclæi & rerum potens sub Andronico Seniore, vir disertus hoc tempore floruit, cujus *Opuscula varia & Epistolæ 172.* Græce manuscriptæ habentur in Regia Galliarum Bibliotheca Codice Græco 1754. uti me docuit Carolus du Fresne, du Cange in Catalogo Scriptorum & Manuscriptorum Codicum quibus usus est, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, col. 30. Nec mihi dubium, quin illic reperiatur *Nathanaelis Chumni Confutatio dogmatis Latinorum de processione Spiritus Sancti*, quam Leo Allatius dicit extare in Bibliotheca Regis Christianissimi, Libro 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 18. §. 18. col. 870. At Philippus Labbeus aliter Codicem norat nempe 1751. *in Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecto & edito Parisiis anno 1653. in 4. apud Johannem Henault. Illic enim parte 2. pag. 89. Codice 1751. *habes*, inquit, *Nathanaelis Chumni Tractatus Theologicos, Philosophicos, Ethicos, Chrysobulla & Epistolas.* Et parte 3. pag. 101. iterum *Nathanaelis Chumni Epistolæ CLXXII. in Codice Regio 1751 in quo & alia ejus Opuscula, de quibus nonnihil diximus paulò antè parte 2. pag 89.* Quid autem in hoc Codice contineatur, exponit sigillatim idem Labbeus *Supplemento VII.* pag. 295. Codice 1751. jam dicto. Hoc, ut eruditi sciant, notas seu numeros MSS. Codicum aliquantisper immutatos, ab ultimis, qui Catalogum hujus Bibliothecæ, dum Parisiis eram, recenter ordinarunt. Nam qui Græcos MSS. Codices discusserunt, hi Carolus de Fresne Dominus du Cange, & Joannes Baptista Cotelerius, qui Latinos ac Gallicos, Michael Germain & Placidus Porcheron, Monachi Sancti Germani Parisiensis, Ordinis Sancti Benedicti, ex Congregatione Sancti Mauri: omnes in MSS. Codd. versatissimi.

Ejusdem familiæ seu stirpis extitisse mihi videtur *Georgius Chumnus*, sed longe inferioris ætatis, quamvis enim tempus, quo scripsit, mihi incompertum sit: attamen ad ultima Orientalis Imperii tempora, circa Constantini Græcorum ultimi Imperatoris ætatem & annum Christi 1440. vel 1450. ob styli barbariem referendus videtur. De quo quidquid dicam, suggessit Petrus Lambecius Tom. V. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice MS. Theologico Græco CCXCVII. Num. 2. p. 253. his verbis.

Secundo & quidem a folio 2. pag. 1. usque ad folium 19. pag. 2. *Georgi Chumni Chandacensis*, ex Insula Creta, *Historia Veteris Testamenti, versibus rythmicis Græcobarbaris*, cujus titulus & principium, Τὸ Παλαιὸν διὰ ςίχων ποιηθὲν παρὰ κυρȣ̃ Γεωργίȣ Χȣ́μνȣ, τȣ̃ ἐκ τῆς περιβοήτȣ τῶν νήσων καὶ εὐδαίμονος Κρήτης, ἐκ πόλεως Χανδάκȣ. Δέομαι τρὶς ὑπόςατε Κύριε καὶ Πατέρα, τὴν χάριν σȣ μ' ἀπέςειλε ἐς τȣ́την τὴν ἡμέραν &c. Ejusdem Operis in Bibliotheca Constantinopolitana à Georgio Calaminio Argentorati typis Nicolai Winot A. 1578. in 8. & ab Antonio Verderio Lugduni ap. Bartholomæum Honorati A. 1585. in folio edita, fit mentio his verbis: *Georgii Chumni Byzantini Historia rythmica ab eo dicta* In principio creavit Deus cœlum & terram &c. *usque ad imperium Davidis & Salomonis cum figuris in charta bombycina.* Item Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis & eorum Scriptis* pag. 345. *Georgius Chumnus Byzantinus scripsit Historiam rythmicam ab iis primis Geneseos verbis,* In principio creavit Deus cœlum & terram *usque ad regnum Davidis & Salomonis. Extabat cum figuris in charta bombycina manuscripta Constantinopoli apud Johannem Suzium. Venderius in Supplemento Epitomes Bibliothecæ Gesnerianæ.* Hæc Allatius. In ipso autem istius Bibliothecæ Constantinopolitanæ Codice MS. Græco Cæsareo, legitur hoc modo: Γεωργίȣ τȣ̃ Χȣ́μνȣ τȣ̃ Βυζαντίȣ ἑρμηνεία ῥημάδα ἀπὸ τȣ̃, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ȣ̓ρανὸν καὶ τὴν γῆν, ἕως τῆς βασιλείας Δαβὶδ καὶ Σολομῶντος, καὶ τὸ χαρτὶ ἔνε βιβακίνο Φρυγυράδο. Ubi notandum est, Georgium illum Chumnum ibi cognominari Byzantinum, respectu tantum commorationis præcipuæ in urbe Constantinopolitana, non autem respectu nativitatis. Vera enim ejus patria fuit urbs Insulæ Cretæ, quæ à Joanne Curopolata, Joanne Zonara & Georgio Cedreno appellatur Χανδάκη sive Candace.

In

„In hoc autem MS. Codice Theologico Græco „Cæſareo CCXCVII. vocatur πόλις τῦ Χανδά-„κυ. Hæc *de Chumnis* ex MSS. Codd. Biblio-„thecarum Cæſareæ ac etiam Galliarum Re-„giæ.

1290 MACARIUS CHRYSOCEPHALUS, primum Hieromonachus, poſteà PHILADELPHIENSIS ARCHIEPISCOPUS, Scriptor ætatis incertæ, hic à me ponitur, absque præjudicio illius, qui ætatem ejus certam aſſequutus fuerit. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Oxonii in Anglia Codice 156. Græco Barocciano, Macarii Philadelphiæ Epiſcopi, cognomento Chryſocephali, Expoſitio in Matthæum, ex diverſis Patribus collecta, & in XX. Sermones diſtributa. Sermo I. *Τὰ προλεγόμενα περιέχει τὰς τῶν Ἐυαγγελίων ὑποθέσεις.* II. *Περὶ τῆς γενεαλογίας τῦ Χριςῦ.* III. *Τὴν Χριςῦ γέννησιν καὶ τὴν ἀποκάλυψιν τῦ Ἰωσὴφ περιέχει.* IV. *Ἡ τῶν μάγων προσκύνησις, καὶ δωροφορία.* V. *Ὁ Χρηματισμὸς τῦ Ἰωσὴφ, καὶ ἡ εἰς Αἴγυπτον φυγὴ τῦ Χριςῦ.* VI. *Ἡρώδυ παιδοκτονία καὶ ὁ Χριςῦ ἐξ Αἰγύπτυ ἐπάνοδος.* VII. *Περὶ Ἰωάννυ καὶ τῦ κατ᾽ αὐτὸν κηρύγματος καὶ Βαπτίσματος.* VIII. *Ἡ Χριςῦ βάπτισις.* IX. *Πειρασμὸς Χριςῦ, καὶ νίκη κατὰ τῦ διαβόλυ.* X. *Ἀναχώρησις Χριςῦ εἰς Γαλιλαίαν, καὶ κατοικία εἰς Καπερναύμ.* XI. *Πρόσκλησις Ἀνδρέυ καὶ Πέτρυ καὶ τῶν υἱῶν τῦ Ζεβεδαίυ.* XII *Οἱ μακαρισμοί.* XIII. *Διδασκαλία ἀπλωτέρα τῆς νομικῆς πολιτείας.* XIV. *Περὶ ἀοργησίας καὶ σωφροσύνης, καὶ περὶ τῦ μηδ᾽ ὅλως ὀμνύειν.* XV. *Περὶ τῦ ἀγαπᾶν τὺς ἐχθρὺς.* XVI. *Περὶ ἐλεημοσύνης, καὶ προσευχῆς, καὶ νηςείας.* XVII. *Περὶ ἀκλημοσύνης, καὶ τῦ ἐν ὐρανῷ θησαυρίζειν.* XVIII. *Περὶ τῦ μὴ κρίνειν, καὶ τῦ πάντα ἐκ τῦ Θεῦ αἰτεῖν, μετ᾽ ἀγάπης καὶ ἐγκρατείας.* XIX. *Περὶ τῶν ψευδοπροφητῶν.* XX. *Ἴασις τῦ λεπρῦ.* Et ibidem Codice 211. Machari Philadelphiæ Epiſcopi, Chryſocephali dicti, Catena in loca ſingularia Evangelii ſecundum Lucam, quorum Matthæus haud meminit *Ἐμοὶ κόσμος καὶ πλῦτος* &c. Et inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 5927. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 93. num. 3. Macarii Chryſocephali Expoſitio in Canones Apoſtolicos &c. Jacobus Vſſerius Armachanus Archiepiſcopus in *Prolegomenis* ad editionem Epiſtolarum Sancti Ignatii à ſe factam cap. 18 agens de Damaſceno & Antiocho, qui Epiſtolas S. Ignatii in Scriptis ſuis allegaverint & excerpſerint: adjungit ex Græcis recentioribus *Macarium Chryſocephalum Philadelphanum*, in Catena ſua in *Evangelium Lucæ*: tum ad marginem addit, *Catenæ ipſius in Matthæum pars prima finita notatur in MS. Codice Oxonienſis Bibliotheca, menſis Decembris die 22. anno 6853. feria quarta, hoc eſt anno Chriſti 1345.* Indicat dubio procul Commentarium in Matthæum per modum catenæ conſcriptum, de quo ſuprà diximus. Longè porro diſtat hæc ſupputatio Jacobi Vſſerii ab ea, quam Johannes Millius S. Th. Profeſſor facit de ætate hujus Chryſocephali quem an. 995. floruiſſe vel ſcripſiſſe aſſerit, ex fide hujus MS. Cod. Oxonienſis, quem an. 995. vel ab ipſo authore vel à librario ſcriptum arbitratur. Ita Millius *in Prolegomenis* pag. 103. col. 1. & pag. 158. col. 2. ampliſſimis ad editionem Novi Teſtamenti Græcam quam anno 1707. Oxonii è Theatro Sheldoniano in fol. procuravit. Nam Scriptores *Catenarum ejuſmodi ex antiquioribus Patribus*, anno 995. multo recentiores mihi eſſe videntur, nec excedere ſeculum XII. aut XIII.

Porrò Macarii Chryſocephali *Expoſitio in Canones Apoſtolicos &c.* de quâ ſuprà, opus idem eſt de qua loquitur Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 35. ac *Collectionem Canonum* appellat, in quâ cap. 104. *Symeonem Metaphraſtem* eximiè verbis ſequentibus laudat, unde I. Macarii Chryſocephali ætatem augurari poſſumus. *Πόσυ τοίνυν ἄξιος ἂν εἴη μακαρισμῦ ὁ Συμεὼν, ὁ τὸ καλεῖσθαι Μεταφραςὴς, διαφερόντως τῶν ἄλλων ἀπενεγκάμενος, ὁ τῇ ἐπιπνοίᾳ τῦ ἁγίυ Πνεύματος τὰ τῶν ἁγίων Μαρτύρων ὑπὲρ ἀληθείας σκάμματα πολλοῖς ἱδρῶσι καὶ πόνοις συγγραψάμενος, καὶ δυνάμει λόγυ καὶ σοφίᾳ καλλύνας, εἰς ὕμνον τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ, καὶ δόξαν διαιωνίζυσαν τῶν ὑπὲρ αὐτῦ ἠγωνισμένων ἁγίων Μαρτύρων καὶ πᾶν δυσσεβὴ ἀποφράψας ςόμα, καὶ μηδ᾽ ἡντινῦν πρόφασιν ἀμφιβολίας τοῖς εὐσεβέσιν καταλιπών.* „Quantâ itaque laude dignus erit admirabilis Symeon, qui Metaphraſtæ ſibi nomen ante alios ſingulariter vindicavit, & afflatu Spiritus Sancti, Sanctorum Martyrum pro veritate certantium certamina multis ſudoribus & laboribus concinnavit, in laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & gloriam indeſinentem Sanctorum qui pro eo certamina ſubierunt Martyrum, ore impiorum omni obſtructo, & nulla dubitandi anſa piis hominibus relicta." Cum autem certo certius Symeon Metaphraſtes, medium ſeculi XII. ſeu annum MCL ætate non exceſſerit, ut ſuprà ad hunc annum oſtendimus, hinc evidenter patet Macarium Chryſocephalum illo poſteriorem eſſe, quem ex conjecturis ad annum 1290. aſſignavimus.

2. Laudem hanc Symeonis Metaphraſtæ quam Macarius Chryſocephalus atque etiam Hieromonachus habet, accepiſſe videtur per compendium, ex *Laudatione ſeu Encomio Michaelis Pſelli in Metaphraſtem*, qui anno 1170. & 1180. ætate Euſtathii Theſſalonicenſis Archiepiſcopi vixit & ſub finem ſeculi XII. floruit. Vixit igitur iſte Macarius noſter Chryſocephalus vix ante Seculum XIII. quem anno circiter 1290. collocavimus.

3. Leo Allatius loco citato, iſtum Macarium Hieromonachum, ætati à nobis aſſignatæ vel circiter aſſignare videtur. Illum enim collocat

cat medium inter Theodorum Palſamonem anno 1200. ſcribentem, & inter Nicephorum Calliſtum quem anno 1320. claruiſſe certum eſt. Rectè ergò à nobis circa annum 1290. alligatus fuit.

4. Denique cùm *de Feſto Orthodoxiæ* quod apud Græcos recentis inſtitutionis eſt, nec ab antiquis agnitum, homiliam ſcripſerit: hinc ſe Scriptorem recentis oppido ætatis fuiſſe probat. Extant illius *Homiliæ* Græcè Manuſcriptæ *de diverſis argumentis*, in Bibliotheca Cardinalis Columnæ, numero XIV. quarum meminit ſigillatim Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, nempe pag. 83. *Macarii Chryſocephali Philadelphienſis Archiepiſcopi* εἰς τὸν ἅγιον Ἀπόστολον καὶ Εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην, *In Sanctum Apoſtolum & Evangeliſtam Joannem*, cujus initium Ἀποστολικὴν ἐπιδημίαν ἐν φημῆσαι προθέμενος νῦν ὁ λόγος. Ibidem pag. 83. *Macarii Chryſocephali* λόγος εἰς τὰ ἐννέα τάγματα τῶν αὔλων δυνάμεων, καὶ εἰς τὸν πάμμεγαν ταξιάρχην Μιχαὴλ, τὸν ἀρχιστράτηγον, *In novem ordines Spiritualium virtutum, & in maximum ducem Michaelem, militiæ Principem.* Initium, Ἀρίστη μὲν καὶ ἡ τῶν ὁρωμένων εὐπρέπεια. pag. 88. λόγος εἰς τὴν παγκόσμιον ὕψωσιν τοῦ τιμίου σταυροῦ, *Sermo in ornatiſſimam exaltationem pretioſæ Crucis*, quam Græcè & Latinè ſolam ex omnibus Macarii Chryſocephali homiliis, edendam curavit Jacobus Gretſerus Soc. Jeſu, Tomo 2. *De Cruce* pag. 1289. diffuſiſſimam quidem illam, atque non ineloquentem inquam Notas adjecit columna 2727. editionis 1616. Ingolſtadii in folio apud Eliſabetham Angermariam viduam. Pag. 94. ἰδίως εἰς τοὺς δύο ταξιάρχας, καὶ πρωτοστάτας τῶν Ἀγγέλων Μιχαὴλ καὶ Γαβριήλ. *In duos primarios Angelorum Duces, Michaelem & Gabrielem.* Initium, ἤδη μοι τῷ πρὸς τὰς οὐρανίας δυνάμεις φίλτρῳ. Pag. 96. λόγος εἰς τὴν Μεταμόρφωσιν τοῦ Σωτῆρος. *In Chriſti Servatoris Transfigurationem*, cujus initium, Θεὸς κύριος ἐπ' ὄρους ἐπέφανεν. Pag. 97. εἰς τὴν γέννησιν τοῦ Προδρόμου, *In Nativitatem Præcurſoris*, initium Ἰωάννῃ τῇ φωνῇ τοῦ λόγου τοῦτους ἀνατίθημι. Pag. 99 λόγος εἰς τὴν τρίτην Κυριακὴν τῶν νηστειῶν, ἐν ᾗ καθ' ἐξαίρετον ἡ τοῦ τιμίου σταυροῦ τελεῖται προσκύνησις: *In tertiam Dominicam, in qua præſertim peragitur Adoratio, Crucis.* Initium, Μεγάλη μὲν ἡ παροῦσα ἡμέρα. Ibidem pag. 99. λόγος εἰς τὴν ἁγίαν καὶ πανένδοξον ἀνάστασιν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *In ſanctam & glorioſiſſimam Reſurrectionem Domini & Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Initium, Μεγάλη τῆς ἡμέρας ἡ δύναμις. Pag. 105. εἰς τὴν ἀποτομὴν τῆς κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου, *In decollationem capitis Præcurſoris.* Initium, Πάλιν Ἰωάννης ὁ μέγας, ἡ πρόδρομος τοῦ λόγου φωνή. Pag. 111. εἰς τὰς ἁγίας μυροφόρους γυναῖκας, καὶ Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ἀριμαθαίας, καὶ περὶ τοῦ Κυρίου Ἀναστάσεως, καὶ τῆς δι' αὐτῆς ἐσομένης παγκοσμίου τῶν γηγενῶν ἐξαναστάσεως: *In ſanctas mulieres unguenta ferentes, & in Joſeph ab Arimathæa, & in Reſurrectionem Domini, atque in futuram ex ipſa omnium terrenorum renovationem.* Initium, Τῆς παρούσης ἡμέρας τὰ Εὐαγγέλια. Ibidem pag. 111. λόγος εἰς τὴν παγκόσμιον ἑορτὴν τῆς Ὀρθοδοξίας, *In ſolemnitatem Orthodoxiæ*, initium, τίς ὁ ἦχος τῶν ἑορταζόντων. Pag. 113. εἰς τὴν πανσεβάσμιον ἑορτὴν τῆς ὑπαπαντῆς, *In ſolemnitatem Occurſus*, cujus initium, Φαιδρὰ τῆς ἑορτῆς τὰ προπύλαια. Pag. 114. λόγος εἰς τὴν ἁγίαν καὶ πανένδοξον τοῦ Χριστοῦ ἀνάστασιν, *In ſanctam & glorioſiſſimam Chriſti Reſurrectionem.* Initium, χαρᾶς ὑπόθεσις ἡ παροῦσα πανήγυρις. Ibidem pag. 114. εἰς τὴν παγκόσμιον ἑορτὴν τῶν βαΐων, *In ſolemnitatem Palmarum.* Initium, χαῖρε σφόδρα θύγατερ Σιὼν, κήρυττε θύγατερ Ἱερουσαλήν. Meminit hujus Scriptoris Antonius Poſſevinus Tomo 2. *Apparatus ſacri*, verbo *Macarius Chryſocephalus*. Leo quoque Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 35. profert *Macarium Hieromonachum* cujus *Collectionis Canonum* citat caput 104. quem an alius, vel an idem cum præcedente ſit, neſcire me lubens fateor.

STEPHANARDUS FLAMMA dictus E VICOMERCATO, natione Italus, patria Mediolanenſis, profeſſus Ordinem Fratrum Prædicatorum, claruit poſt annum 1290. de quo ita loquitur Leander Albertus Lib. IV. De viris illuſtribus Ordinis Fratrum Prædicatorum: 1290
Intuere illum Germanum, olim provinciæ Germanicæ præfectum, Conradum nomine portantem Vitam parentis Domini, *claro & non ineleganti ſtilo ab ſe editam circa annum Domini M CC XC. Et cum eo pariter incedentem* Stephanardum ex Vico Mercato, *Mediolanenſem, virum doctrina clarum deferentem* CHRONICAM *metricè ab ſe ſcriptam, qui primus ex Ordine Prædicatorum Theologiam in domicilio Mediolanenſi publico ſtipendio docere cœpit circa annum ſalutis M CC XCII.* Extat MS. *Chronicarum* Stephanardi exemplar apud Laurentium Pignorium, Italiæ antiquarium, & illud inſcribitur *Manipulus Florum*, ut habet Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 62. pag. mihi 498. Inquit autem idem Voſſius inſpiciendum eſſe, an non idem ſit *Stephanardus è Vico Mercato* & *Stephanardus Flamma*; nam præterquam quod nomen convenit, uterque etiam metro hiſtoriam tractavit, nec ætas diſconvenire videtur, ut mox liquebit. Hic *Carmine* hiſtoriam comprehendit *De inſidiis Ottoni Vicecomiti, Papa*, (ut à plerisque creditum eſt) *conſcio, ab Epiſcopo Comenſi ſtructis.* Ita Jovius in Vita Othonis Vicecomitis. *Refert Stephanardus Flamma, qui eam hiſtoriam carmine conſcripſit, Pontificem ipſum (quod vix credibile eſt) nefarii conſilii conſcium fuiſſe: quod fortaſſe pro falſo eſſet omittendum, niſi & tum & poſteà, quantum vita ſuperfuit, Othoni animum, hoſtilem, & quò letaliùs noceret, inſidioſis honeſtorum verborum coloribus convelatum, oſtendiſſet.* Obiit autem Otho Vice-

cecomes anno 1295. ut versiculi isti Mediolani in templo maximo inscripti sepulchro, ostendunt

Mille ducenteno quincto, noviesque deceno,
Quarto hic Augusti bis, liquit gaudia mundi.

Eodem autem tempore claruisse Stephanardum, omnino non verisimile, sed certum fit. Et fortasse hæc Historia a Jovio memorata, portio tantum aliqua *Chronicarum* est, de quibus paulò ante ex Leandro differuimus. Meminit quoque Bostonus Buriensis, ejus tam Scriptoris quam operis, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Hæc verbotenus nobis suggessit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. mihi 497. & 498. quem transscripsimus.

1290 GVALTERVS COVENTRIENSIS, claruisse videtur temporibus Regis Eduardi primi, id est circa annum 1296. & sequentibus, cujus extat in Cottoniana illa Bibliotheca celebri sub effigie Vitellii Litera D. Codice 5. num. 1. *Gualteri Conventriensis Historia Regum Angliæ à tempore Regis Cadwalladri ad tempora Regis Edwardi I. id est annum 1296.* Inter quoque MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ, num. 2444. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji F. 8. Codice 4. num. 3. *Walteri Coventriensis Chronicon* 42. b. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1378. in MSS. Codicibus Collegii Divi Benedicti Codice 101. *Annales Angliæ* vel *Memoriale Walteri de Coventria*: & ibidem num. 1558. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii D. Benedicti Codice 317. num. 3. *Memoriale Fratris Walteri de Coventria.* Meminit hujus Scriptoris inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5102. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 1. cap. seu num. 103. pag. 349. & 364. Et ibidem num. 5103. *Collectaneorum* vol. 2. cap. 33. pag. 270. Ex Annalibus Fratris Walteri Coventriensis, quos vel ab ipso Bruto inchoans, usque ad primos annos Henrici III. deduxit, ferè tamen defloratoris usus officio. Maxime autem secutus est Galfredum Monumethensem, Henricum Huntingdunensem, Marianum Scotum & Rogerum Hovedenum: titulum autem operi *Memoriale* addidit. Cum autem Gualterus in Codice illo manco quo Joannes Lelandus utebatur, deduceret Annales suos ab anno MCCI. in quo Hovedenus Historiæ suæ finem facit, usque ad annum MCCXXV. quem inchoat, ita ut Hovedeni Annalibus quos defloravit, Gesta viginti quatuor annorum superaddat: ex his conjectura ductus est Joannes Lelandus, pag. 275. Gualterum Conventriensem floruisse tempore Henrici 3. Verum uti supra diximus, MSS. Codex Bibliothecæ Cottonianæ ad annum 1296. procedit, unde Gualteri ætatem statuimus. Meminit ejusdem Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. mihi 470.

PETRVS DE ICHAM, Cantuariensis Monachus ad idem tempus refertur, ad annum nempe 1290. qui studuit Parisiis, cumque Lutetiæ Parisiorum circa annum 1280. ageret, ad instantiam Philippi Academiæ tunc temporis Cancellarii *Genealogiam Regum Britanniæ* elucubravit, sed Gallice, quia inter Gallos agebat. Postea in Latinum videtur Sermonem transtulisse opus istud, quod orditur a fabulosi illius Bruti in insulam adventu, atque ad Edwardum primum post Conquestorum ejus nominis Regem perducit. Extat enim in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Domitiani litera A. Codice 3. num. 1. *Chronica de Regibus Angliæ successivè regnantibus à tempore Bruti usque ad annum Domini MCCCI. authore Petro de Icham Cantuariensi Monacho.* Idem creditur auctor cum Petro Priore Ecclesiæ Christi Londinensis, cujus mentionem facit, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. 154. pag. 195. cui inter MSS. Codices Bodlejanæ ejusdem Bibliothecæ num. 769. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera D. Codice 2. attribuuntur *De Remediis Vitiorum libri duo* Latini, sub nomine *Petri Archiepiscopi Londoniensis*. Sed Archidiaconus hic fuit Londinensis Canonicus, cujus extat *Pantheologia* inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 294. litera C. 20. in MSS. Codicibus Collegii Balliolensis. Ibidem num. 658. & 659. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 191. & 192. Ibidem num. 1909. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ Codice 77. Meminit Petri de Icham Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 61. pagina mihi 494. 1290

THOMAS PALMERANVS natione Hibernicus, Socius Sorbonicus, circa a. 1290. claruit, cujus elogium ita contexuit Joannes Balæus *De Scriptoribus Angliæ*. Thomas de Hibernia sic est a Theologis cognominatus, quoniam ab illa gente ac patria originem duxit. Cum esset maximæ spei juvenis Parisios usque relicta patria perveniens, Literas sollicite quæsivit & invenit. Qui postquam in scientiis divinis & humanis longo profecisset studio, *Scholasticæ Theologiæ Magisterium suffragiis Doctorum in magna Sorbona suscepit.* Vir ille fuit facundia atque eruditione clarus, & ex lectissimis authoribus sedulo collegit *Flores omnium penè Doctorum*, qui super sacris litteris hactenus scripserant, necnon quorundam aliorum, & in Capita seu Locos communes alphabetico ordine digessit. Fuerat Opus hoc Joanne Gualense Anglo authore inchoatum, primò sub *Manipuli Florum seu Originalium tabula* titulo, sed sine perfectione & ordine, intercedente morte ab eo relictum, a Thoma verò emendatum & perfectum 1290

Claruit anno 1290." Hæc Balæus. Scripsit alphabetico ordine Opus excerptum ex sanctis Patribus intitulatum *Flores Doctorum* sæpius impressum, ut Parisiis anno 1556. in 16. & *Flores Bibliorum* illic quoque impressos. Sed utrumque Opus postea iterum impressum Parisiis in 12. anno 1662. apud Claudium le Goust & Carolum Fosset via Jacobæa sub signo Resurrectionis. Denique utrumque nuperrime Lugduni anno 1678. & 1679. in 12. tomis duobus, apud Joannem Certum via mercatoria sub signo sanctæ Trinitatis. *Flores Doctorum* vulgò in MSS. Codicibus inscribuntur *Manipulus Florum*, cum Prologo parvo, qui incipit, *Abiit in agrum &c.* deestque in impressis. Habetur MS. in Bibliotheca Cameracensis Ecclesiæ, pulpito 9. num. 8. Cremonæ Fratrum Eremitarum Augustinianorum. Apud Præmonstratenses Bucilienses in Episcopatu Laudunensi. In Bibliotheca Choletana Parisiensi, Cod. MS. 42. & in Bibliotheca S. Benigni Divionensis, Codice MS. 128. & alibi. Item passim in Bibliothecis Anglicis, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Codd. 79. & 83. cum epigraphe ista: *Manipulus Florum sive Extractiones Originalium, edita à M. Thoma de Hibernia, quondam Socio de Sorbona. Inchoavit Johannes Walleys, absolvit Thomas de Hibernia.* Ibidem *Manipulus Florum quem inchoavit Joannes Gualensis qui floruit anno 1260. quam ejus morte imperfectum absolvit & locupletiorem reddidit, Thomas de Hibernia, qui claruit anno 1290.* Idem MS. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi Cod. 27. Orialensi Cod. 33. cum prologo parvo, de quo suprà loquuti sumus. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caji, Cod. 169. Ex his apparet quo tempore Thomas Hibernicus floruerit, quem Codices MSS. *Socium Sorbonicum* appellant, sed fuis accensent Franciscanis Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 326. quemque ad annum 1270. adjicit. Solus tamen est, qui Thomam Hibernicum velit esse amplexum D. Francisci institutum, cujus nec vestigium ullum in MSS. Codicibus quos vidi, qui simpliciter & semper *Socium Sorbonicum* appellant. Plura *De Thoma Palmerano Hibernico* Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi curâ diligenti varias editiones Operum illius in præcipuis Christiani Orbis urbibus recenset. Lucas Wadingus *in Annalibus Ordinis Minorum*, ad annum 1269. num. 13. & 1270. num. 28. Cæsar Egassius Bullæus Seculo V. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, pagina 712.

1290 JACOBUS DE VIRAGINE VEL VARAGINE, GENUENSIS ARCHIEPISCOPUS, dictus *de Vorągine* ut Joannes Trithemius refert, „propter doctrinæ profunditatem quasi libros „vorasset omnes, vir fuit suo tempore clarissi„mus & multifaria rerum cognitione illustris, „Archiepiscopus posteà Genuensis factus. Hæc somnia Trithemii, sed melius ab aliis *de Voragine* dictus, ab Oppido, quod est in territorio Genuensium, vulgò *Varasse* dictum, non longe ab urbe Genua, unde Jacobus oriundus fuit. Factus ob probitatem vitæ potius, quàm *ob omnigena eruditionis præstantiam*, ut vult Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* pag. 62. provincialis Fratrum Prædicatorum Lombardiæ semel atque iterum, annis 1267. & 1281. De illo quoque Gerardus Joannes Vossius 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 491. ultimæ editionis, ubi vult Jacobum de Varagine esse eum cui anno 1291. Bonifacius Pontifex Feria IV. Cinerum, cum illi ad pedes suos provoluto sententiam hanc pro more Romanæ Ecclesiæ, capiti vel fronti cineres immittendo proferre debuisset, *Memento homo, quia cinis es & in cinerem reverteris*: projectis ex indignatione in oculos cineribus, hæc ei verba dixisse, *Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis tuis ad nihilum reverteris*. Vt quidem Blondus refert, & ex eo Philippus Bergomas Lib. 13. ad a. 1291. At nihil de eo Leander Albertus, qui aliquanto fusius vitam ejus persequitur Lib. IV. *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum*, unde cætera peti possunt, quæ nos prætereimus. Verum purum mihi fabulamentum hæc Historia, saltem respectu Jacobi Varaginensis videtur. Anno enim tantum sequenti 1292. à Capitulo unanimiter Archiepiscopus Genuensis electus est à Nicolao IV. confirmatus. Cumque Papa anno 1292. die 4. Aprilis obiisset, Jacobus solemniter à Cardinale Latino Vrsino Ostiensi Episcopo consecratus est, ut habet Vghellus tomo 4. *Italiæ sacra*. Neque etiam Bonifacius VIII. hoc anno 1291. agere potuit, qui anno tantum 1294. Decembris 24. Neapoli semetipsum eligi in Pontificem curavit. Factum ergo istud Bonifacii si verum est, Porchato Jacobi Varaginensis Successori, non Jacobo tribuendum est, ut rectè adnotavit Guillelmus Cavus *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1290. pag. 750. Apud posteros autem nomen suum commisit multis Operibus, sed quæ à viris hujus seculi eloquentibus vel gravibus parum lectitantur & æstimantur, sive species *dictionem* in concionibus quas reliquit, sive in Historiis quas retulit, *fidem probam*. Primus omnium *utriusque Testamenti Libros in Italicum Sermonem summâ fide ac diligentia transtulit*, inquit Sixtus Senensis *in Bibliotheca Sancta* Lib. 4. quod tamen *quantum ad summam fidem ac diligentiam* non concedit Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Biblia* pag. 225. Etsi concederet, non admitterent, qui Opus Italicum Jacobi Genuensis anno 1270. evulgatum nunc legerent, quamvis ætate sua tale forsitan haberetur. Præter duos testes anteà allatos, „ Andreas Rivetus, Jacobus Vsserius, Guillelmus„ Cavus, Richardus Simon, aliique, quos Cheru-„ binus à Sancto Joseph *Bibliotheca Critica Sacræ*„ *Scripturæ* tomo IV. pag. 135. allegat, imminent„ hu-

„hujus versionis. Sed hos omnes Sixti Senensis fide, non ex libri inspectione rem commemorare, ipsa eorum verba luculenter produnt. „Ipsum Jacobi de Voragine silentium, cum ad „annum 1292. *Historia Genuensis*, (quam quidem anno 1295. absolvit) sua fusius opera recenset, quendam hac de versione scrupulum „movet. Cæteris revera tribus annis quibus „supervixit, anno enim 1298. obiit, adornare illam „potuit. Verum si in hoc Opere postremos „vitæ suæ dies insumpsit, cur de eo quoque S. „Antoninus, cum loquitur *De Viris illustribus Ordinis S. Dominici*, & in primis *De Voragine* 3. parte „*Chronici* tit. 23. cap. 11. sect. 2. neque etiam Joannes Trithemius in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, neque Castillus *in Historia Ordinis Prædicatorum* parte 2. lib. 1. cap. 31. hujus versionis meminere. Præterea in Bibliothecis „tum Romanis & Florentinis, tum Mediolanensibus & Mutinensibus, nullus reperitur Codex „Bibliorum MSS. qui Jacobi de Voragine nomen in fronte geret: sicut ad me scripsit „Doctissimus Antonius Muratori, qui ea de re „illustrissimum Antonium Magliabechi consuluit." Hæc Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis *Bibliotheca Sacra* parte 2. cap. 6. sect. 1. pag. 120. editionis Lips. a. 1709. ap. Gleditsch in 8.

Legendas Sanctorum in unum Volumen compilavit, multa illis ex Historia Ecclesiastica & tripartita conjungens, quæ *Legenda aurea De Vitis Sanctorum*, vel *Historia Longobardica* nuncupata est. Abjecta atque anilis Legenda ista, habetur frequentissime in MSS. Codicibus Bibliothecarum Celebrium, ut in Regia Gallica sub falso nomine *Legendæ aureæ*, Codd. 4188. 4189. 4192. 4193. 4194. 4195. 4196. 4555. 4607. nec deest in Colbertina ac Victorina ac Sancti Germani Parisiensis. In ista enim ultima Codd. 171. 282. 283. 287. 597. nec ita obvii optimi Codices sunt, ut straminei isti. Hoc Opus olim antiquis typis, non tantùm semel atque iterum impressum est, ut scripsi in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1290. pag. 558. sed sæpius, cujus editiones recenset Guillelmus Cavus loco citato pag. 750. Norimbergæ 1478. 1493. Daventriæ 1479. 1483. Venetiis 1483. Basileæ 1486. Argentinæ 1495. Lugduni 1510. Argentinæ 1518. Inscriptum *Legenda aurea*, sed quàm meritò alii *Legendam ferream*, alii *plumbeam*, alii *vitream aut stramineam* appellarunt. Illic enim bona malis mixta sunt, vera fabulis, unde ex quo Laurentius Surius aliique in simili argumento suos labores contulerunt, nullatenus typis vel *Legenda aurea Jacobi Varaginensis*, vel *Catalogus Sanctorum Petri de Natalibus* commissa sunt, quæ prœlum nusquam meruerant. Quid de illa Wicelius censeat, audiamus. „Hic in præfatione *Hagiologii* sui, agnoscit istoc opere ob tam multa incerta, atque „etiam fabulosa, Jacobum de Varagine haud optime de Ecclesia meritum esse, atque id satis vel cœco patere: & propterea apud omnes cordatos rantum in contemptum venisse, ac minus sanè sapientes eo cathedras authore per-sonuisse, insuper habitis Actis antiquiorum, quibus majori cum religione & fide, vitæ Martyrioque Sanctorum tradebantur. Imò Ludovicus Vives dicere non dubitat, Legendam illam auream (ita enim vocari diximus) scriptam esse *ab homine oris ferrei, cordis plumbei, animi certè parum severi ac prudentis*. Vt omnino satis laudari non possit eorum industria, qui ex antiquiorum fontibus, quàm talium lacunis, vitas Sanctorum & haurire ipsi, & propinare aliis malunt." Rectè Wicelius. Denique scripsit *Sermones super Evangelia Dominicarum totius anni, Festa Sanctorum totius anni, ac per Quadragesimam integram, cum Sermonibus de Planctu beatæ Mariæ Virginis, & Mariale aureum De laudibus Matris Dei alphabetico ordine digestum & in CLX. Sermones distributum*: omnia hæc impressa Venetiis annis 1575. & 1579. Ita autem nonnullis pravi gustus placuerunt hi Sermones, ut sæpissime impressi sint, quamvis triviales maxime ac simplices sint, ad risum movendum quàm ad pietatem alendam aptiores. Omnes autem simul collecti & in 4. tomos in 4. distributi, Moguntiæ anno 1616. impressi sunt apud Petrum Cholinum, cura & studio Rudolfi Clutii ex Ordine Fratrum Prædicatorum Theologi. Habentur ejusmodi Sermones MSS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, quatuor Tomis, notatis Littera SS. 11. 12. 13. 14. Hæc de impressis. Reliquit etiam inter alia *Chronica Genuensium, ejusque pastorum à fundatione urbis usque ad annum 1293.* quorum testimonio utitur cum alibi Philippus Bergomas *in Supplemento Chronicorum*, tum *Chronici sui* Libro 12. ad annum 1146. ubi ex eo tradit, circa illud tempus primum Genuensibus fuisse concessum, ut pecuniam auream & argenteam cuderent, eamque Cæsaris imagine insignirent, cum Ticinensi anteà moneta uterentur. Hanc Jacobi de Voragine seu Januensis Historiam excidisse putabam, sed teste Jacobo Philippo Thomasino in Catalogo Bibliothecarum Patavinarum Publicarum & Privatarum, Vtini 1639. in 4. in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Augustinianorum, ubi *de Sermonibus Doctrinalibus F. Jacobi Januensis* Ordinis Prædicatorum, qui illic folio in membrana, addit: *Hic est Jacobus de Voragine, qui fuit Episcopus Genuensis, & scripsit Historiam Genuensium, quæ MS. extat in Bibliotheca Jacobi Gaffarelli.* Item inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2214. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera D. 5. Codice 6. *Jacobi Januensis Distinctiones*. Idemque opus inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2034 in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 106. num. 1. Ibidem Codice 1739. in MSS. Codd. Domus Sancti Petri Cod. 77. *Distinctiones, seu Tabula Januensis in S. Scripturam*. Item inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 2243. littera D. 7. in Co-

Codicibus MSS. Thomæ Bodleji Cod. 7. num. 1. *Jacobi Januensis Tabula super Historias Sacræ Scripturæ, habens Distinctiones 60. & Capitula 309.* Idem scripsit *Librum de Opusculis S. Augustini, & Defensionem contra sui Ordinis impugnatores, quod secundum Regulam Apostolicam non viverent.* Denique abbreviavit seu redegit in Compendium *Summam virtutum & vitiorum Guillelmi Peraldi*, quod immissum est inter Opuscula Sancti Thomæ Aquinatis, uti supra diximus *in Guillelmo Peraldo* Lugdunensis Archiepiscopatus administro. Integra autem *Summa Guillelmi Peraldi de Virtutibus & Vitiis cum abbreviatione illius*, quam teste Volaterrano fecit *Jacobus de Varagine*, habetur MS. in Bibliotheca S. Benigni Divionensis, Codd. 177. & 178. quorum ultimus abbreviationem hanc continet. De obitu Jacobi Varaginensis ac Genuensis Archiepiscopi, variant Scriptores pro more suo. Illum obiisse anno Christi 1290. scribunt Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum.* Hippolytus Maraccius *in Bibliotheca Mariana*, & alii. Sed Castillus *Centuria 2.* Libro 1. cap. 31. refert fatis cessisse anno 1314. Cæterum verius est obiisse anno 1298. mense Junio, ut vult Bzovius tomo 13. *Annalium* ad annum 1288. num. 6. & ad annum 1263. num. 11. Ferdinandus Vghellus tomo 4. *Italia sacra* in Archiepiscopis Genuensibus, cujus magnum apud me pondus authoritatis est. *De Jacobo Varaginensi, Archiepiscopo Genuensi*, ejusque Scriptis, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 794. & verbo *Biblia* pag. 225. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1290. pag. 61. & in Appendice ad eundem annum pag. 458. ubi pro privilegio sibi indulto, illum titulo *beati* exornat, ejus opera impense laudat, omnia appellans *aurea*, contra existimationem omnium communem, quæ simplicitatis ac plurimarum fabularum eum accusat.

1290 ARNOLDUS DE VILLANOVA in Catalaunia, unde vulgò etiam *Arnoldus Catalonus* dicitur, professione Medica insignis fuit ab a. 1290. & sqq. Claruit enim temporibus Papæ Bonifacii VIII. qui ab a. 1294. die 24. Novembris electus ad Romanam sedem & anno 1295. die 23. Januarii coronatus, illam usque ad annum 1303. die Octobris XI. mortuus, usurpavit potius, quam obtinuit. Etenim inter ejus Opera Argentinæ anno 1613. edita, sunt *Quæstiones ad Bonifacium VIII.* unde ætatem, qua floruit colligimus. Hujus Opuscula de Medicina multa impressa leguntur in Catalogo librorum impressorum Bodlejanæ Bibliothecæ, editionis 1674. e theatro Sheldoniano in folio, curis Thomæ Hydii Lit. V. p. 234. nimirum.

Arnoldi Catalani sive de Villanova Opera Medica cum annotationibus Nicolai Taurelli Basil. 1585. U. 1. 4. Med.

Liber de Febribus pag. 241. Ven. 1576. F. 1. 9. Med.

Tractatus Chymicus Germanice 1611. 8. B. 29. Med. Et 8. S. 22. Med.

Speculum Alchymiæ p. 584. Argent. 1613. 8. C. 11. Med.

Carmen pag. 614. ibidem.

Quæstiones ad Bonifacium VIII. pag. 616. ibidem.

Eædem Quæstiones de arte transmutationis, & Testamentum pag. 151. 175. Basileæ 1610. 8. A. 24. Med.

Rosarium Philosophorum Augustæ Trebecum 1630. H. 16. Med.

Et cum figuris, Tomi secundi p. 204. Bas. 1593. 8. A. 9. Med.

Novum lumen, flos florum, & Epistola de Alchymia, ibidem.

Liber Perfecti Magisterii Chymici, qui dicitur lumen luminum seu flos florum, & Practica ex libro qui dicitur, *Breviarium librorum Alchymiæ* pag. 118. Vrsellis 1602. 8. C. 10. Med. Et pag. 209. 228. 8. A. 5. Med.

Et hi quinque Tractatus præcedentes Basileæ 1561. M. 5 9. Art.

Epistola ad Jacobum de Toleto, de sanguine humano distillato p. 485. ibidem. Et Basil. 1597. 8. A. 13. Med.

Commentarius in Scholam Salernitanam, Paris 1625. 8. S. 31. Med. Francofurti 1563. 8. S. 1. Med.

Tractatus de conferentibus & nocentibus membris principalibus corporis humani, Basileæ 1560. 8 C. 34. Med.

Ζωοτροφεῖον, animalium naturas, & in medicina usum continens, carmine, ibidem.

Extitit Medicinæ Professor apud Montem Pessulanum, ut habet inscriptio Codicis inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1005. in MSS. Codicibus Ethicis & Politicis Collegii Cajo Gonvilensis Codice 25. num. 4. *Regimen Sanitatis*, vel *Liber de regimine vitæ humanæ per Magistrum Arnaldum de Villanova in præclaro studio Montis Pessulani. Ad Regem Arragoniæ dictat.*

Licet Medica tantum scripsisse legatur, à Medicina tamen corporum, ad artem Medicam animarum transiit, cumque *Ordines Mendicantium* Ecclesiæ plurimum nocivos arbitraretur, acriter calamum strinxit in Fratres Mendicantium Ordinum, quos Pseudotheologos & Pseudopastores animarum appellabat. Extant autem tractatus quatuor Theologici, qui illius dicuntur in Manuscriptis Codicibus Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Vitellii litera E. Codice 2. num. 25. *Apologia de versutiis & perversitatibus Pseudotheologorum & Religiosorum.* Num. 26. *Prophetia venerabilis Joachimi contra Religiones recentes Ordinum Mendicantium.* Num. 27. *Opus Arnoldi de Villanova de generibus abusionum veritatis, & de Pseudoministris Antichristi cognoscendis, & de pastorali officio contra gregem exercendo.* Num. 28. *Philosophia Catholica admobilandi artem & versutias Antichristi, & omnium membrorum ejus, secundùm*

dum Magistrum Arnoldum de Villanova. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Regni ejusdem Bibliothecarum, Codice 7676. in MSS. Codicibus Roberti Burscough Codice 57. num 7. *Arnaldi de Villanova Tractatus de esu carnium pro sustentatione Ordinis Carthusiani, contra Jacobitas.* Et inter MSS. Codices Theologicos chartaceos Basileensis Bibliothecæ extat, *Magistri Arnaldi Medici Tractatus contra eos, qui detrahunt Carthusiensibus perpetuam abstinentiam ab esu carnium* in 4. Ibidem Codice 8760.. in MSS. Codicibus D. Hans Sloane Codice 25. *Epistola Arnaldi de Villanova de arbore Quercina ad Archiepiscopum Cantuariensem scripta.* Hic autem Codex anno 1468. descriptus est. Hæc Nobis suggesserunt Thomas Hydius in Catalogo Librorum impressorum Bodlejanæ Bibliothecæ, Oxoniæ 1674. in folio. Franciscus Bernardus Tomo 2. Catalogi MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ, Oxoniæ 1698. in folio.

1290 GVILLELMVS DE MARA natione Anglus, Ordinis Fratrum Minorum, Professor Theologus apud Minores Oxonienses ab anno 1280. vel 1290. claruit ob eminentiam scientiæ, quem Natalis Alexander *Antesignanum Antithomistarum* vocat, qui togæ inquit suæ nimium amans, alienæ æmulus gloriæ ac nominis, ut ita loquar, doctrinam Sancti Thomæ Aquinatis lacessivit, edito adversus eam libello seu libro, quem *Correctorium Operum Fratris Thomæ* inscripsit. Hoc in libro quem circa annum 1290. composuit, quadraginta novem articulos *ex prima parte* Summæ Theologicæ Sancti Thomæ, duodecim *ex prima secundæ*, sexdecim *ex secunda secundæ* reprehendit ac refellit. Opus istud non periit, sed adhuc MS. extat teste Jacobo Philippo Thomasino *in Recensione MSS. Codicum Theologicorum* Bibliothecæ Venetæ Sancti Antonii de Padua hoc titulo, *Summa F. Gulielmi de Mara Ordinis FF. Minorum contra Divum Thomam* in 4. membrana. Vnde liquet Opusculum istud malè ab Natali Alexandro *Libellum* dici, quod *Summa* nomine designatur, estque primum Opus quod Gulielmus de Mara adversus Fratrem Thomam conscripsit. Cum autem respondisset ipsi F. Johannes Crapuel seu Clapoel Gallus, & qui vulgo Joannes Parisiensis dicitur, aliud Opus contra hanc responsionem suscepit circa annum 1290. vel 1300. Guilielmus de Mara, quod ultimum de hoc argumento est & MS. adhuc extat inter MSS. Codices Theologicos Bibliothecæ Venetæ Sancti Antonii hoc titulo, *Correctorium Guilelmi de Mara Ordinis Fratrum Minorum, secundùm dicta divi Thomæ de Aquino, contra Correctorium Fratris Johannis de Crapuel, Ordinis Fratrum Prædicatorum,* folio in membrana. Scripsit meo quidem judicio Guillelmus de Mara opusculum primum circa annum 1290. jam ab anno 1280. clarus. Innitor testimonio Asteani Astensis, qui anno 1317. *Summam Casuum conscientiæ in 8. libros distributam* scripsit, ut constat ex ipsius Epistola ad Joannem Gajetanum, Cardinalem. Hic autem in procemio Operis recenset *Doctores venerabiles ex quorum Scriptis collationem suam se adornasse profitetur, scilicet ex Ordine Minorum, Fratrem Alexandrum de Anglia, fratrem Bonaventuram, fratrem Guillelmum Anglicum de Mara, fratrem Gualterum Episcopum Pictaviensem, fratrem Richardum de Mediavilla, fratrem Johannem Scotum, fratrem Alexandrum de Alexandria.* Confirmatur calculus meus, ex dispositione Asteani Astensis, qui post Alexandrum Halensem qui anno 1145. & Bonaventuram qui anno 1274. in Concilio Lugdunensi obiit, hunc Guillelmum de Mara Anglicum statim collocat, ante Fratrem Gualterum Pictaviensem Episc. & Richardum de Mediavilla, qui ambo certè ab anno 1280. & 1290. clarescebant. In Catalogo MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ qui duobus in folio voluminibus Oxonii anno 1696. & 1698. editus est, extat Vol. 2. inter Veteres editionis Joannis Mori Norwicensis Episcopi pag. 383. col. 1. Codice 187. *Gulielmi de Mara Sylvarum libri quatuor* in 4. antiquis characteribus, sed nec loco nec anno impressionis antiquæ notatis. Præter Astensem allatum, agunt *de Guillelmo de Mara* seu *Lamarensi*, occasione Ægydii Romani Bituricensis postea Archiepiscopi, Theophilus Raynaudus in Opusculo *De malis & bonis libris* parte 1. Erotem. 10. §. 2. pag. 122. & in Pseudonymorum Catalogo pag. 135. Lucas Wadingus in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum. Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* Tomo XXI. Dissertatione 6. articulis 2. & 3. pag. 797. & 799.

ENGELHARDVS ABBAS IN LANCKAIM claruit circa annum 1290. vel 1300. 1290
qui scripsit stylo mediocri *Vitam* Sanctæ Virginis Mechtildis filiæ Principis Berchtoldi Comitis in Andechs, Abbatissæ in Diessen, deinde in Oetilstetten, quam ex membranis Monasterii Dissenensis primus Latinam inseruit tomo V. *Antiquæ Lectionis* Henricus Canisius, Ingolstadii anno 1604. in 4. Vide quid habeat Henricus Canisius in præludiis ad Lectorem, ante ipsam Sanctæ Mechtildis vitam. Agunt autem *de Engelhardo Abbate* Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Engelhardus* pag. 504. & verbo *Mechtildis* tomo 2. pag. 100. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 55. pag 445. editionis ultimæ, ubi illum circa annum 1200. collocat, sed errore manifesto, cui vir quanquam diligentissimus non attendit. Cum enim Mechtildis, cujus vitam Scriptis consignavit Engelhardus Abbas, post annum 1280. e vivis migraverit: non potest huic labori incubuisse Engelhardus ante annum 1290. vel 1300. post mortem hujus Abbatissæ. Incidit in eundem errorem Carolus

lus Dufrenius du Cange, *in Indice Authorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 97. Vossium sequutus.

1290 BALDVINUS NINOVENSIS in Flandria, Canonicus Ecclesiæ Abbatialis Ninovensis, Ordinis Præmonstratensis, scripsit *Chronicon in Christo nato ad annum 1294.* quo vivebat, MSS. asservatum in Archivis Abbatiæ Ninovensis, ut à Fratribus dum illac transirem accepi, sed quod ob Abbatis absentiam non vidi. De illo Aubertus Miræus *in Chronico brevi Ordinis Præmonstratensis.* Joannes le Page *in Bibliotheca Præmonstratensi* Lib. 1. cap. 17. pag. 306. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 493. editionis secundæ seu ultimæ. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* p. 101. edit. 1643. Lovanii in 4.

1290 RICOBALDUS FERRARIENSIS, ECCLESIÆ RAVENNATENSIS CANONICUS, natione Italus, à patriâ Ferrariensis dictus, florebat hoc eodem tempore circa annum 1295. & sequentes, quem Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. 499. vocat *Gervasium Ricobaldum Ferrariensem*, sequutus Hieronymum Rubeum *Ravennatis Historia* Lib. 6. ad annum 1292. Hic scripsit insigne *Opus Chronicorum* in sex partes distinctum, & Michaeli Ravennatensis Ecclesiæ Archidiacono dedicatum, temporibus Bonifacii Papæ VIII. Harum prima ab Orbe condito ad diluvium progreditur, & inde ad nativitatem Abrahæ & antiquissimos Reges, eorumque Successores, qui juxta temporis seriem referuntur. Altera est ab nativitate Abrahæ, usque ad conditam Romam. Tertia ab Vrbe condita, usque ad natalem Christi. Quarta continet historiam Cæsarum Romanorum, sed ita ut subinde alia admisceat. Quinta describit Orbem terrarum. Sexta tum successiones & gesta Pontificum Romanorum exponit, tum recenset Pontifices illustriorum quatuor Ecclesiarū, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, Alexandrinæ & Ravennatis. Cur autem Archiepiscopos Constantinopolis prætereat, hanc adfert causam, quod non ab Apostolorum ætate, sed à temporibus demum Constantini Magni cœperint. Atque hæc periocha est totius Operis, quod sperabat Vossius quem exscribo, in lucem aliquando producendum operâ Petri Scriverii. Nam præstantissimus ille vir quem dixi, jam diu mente conceperat editionem ejus, una cum Reginone, Sigeberto, atque aliis melioris notæ Chronologis. Omnino Galliarum Bibliotheca in parvo folio, Cod. 5230. illudque ob Scripturam Codicis hujus anno 1433. factam, opinabar authorem sapere ejusdem temporis. Re tamen attentius inspectâ, Codiceque excusso, inveni Ricobaldum floruisse a. 1295. Dum enim Imperatores exprimit, finem imponit illorum *in Adolpho*, in quo ad annum 1295. ita loquitur: *Hoc tempore Guido de Monte Ferrato, Dux bellorum strenuus, quondam contra Bononienses juvenculus ductor belli, & Pisanorum post cladem reparator, depositis honoribus seculi, Minorum Ordinem ingressus est, ubi hodie militat in castris Francisci:* cessatque in anno 1297. Idem parte sexta, dum de Romanis Pontificibus, claudit Opus in Bonifacio VIII. ad annum 1295. Incipit autem Opusculum. *Instantia tua venerande Pater ac Domine Michael, Sancta Ravennatis Ecclesia Archidiacone abnuere nequeo, qui non ut appetitui tuo satis fiat, me ad hoc impellis, sed ut quibusdam mediocriter litteratis elucubrare studeam &c.* ad finem Codicis. *Hic finit Opus Ricobaldi Ferrariensis excellentis Historiographi, quod scriptum fuit Romæ die 27. Mensis Decembris, anno Christi 1433.* Gravis est hic author, multosque alios impressos judicio atque diligentiâ superans. Alium præterea MS. Codicem habuit olim in Bavaria Petrus Scriverius, qui *Gervasii* nomine prætermisso, ut Regius de quo suprà, inscribebatur hoc pacto: *RICOBALDI FERRARIENSIS POMERIUM ECCLESIÆ RAVENNATIS.* Incipit autem, *Instantia tua venerande Pater ac Domine Michael, sancta Ecclesia Ravennatis Archidiacone, abnuere nequeo &c.* De Scriptoris ætate, quam jam dixi, & ex Rubeo & Volaterrano iterùm dicam, ex his quoque Ricobaldi ipsius verbis ad annum 1295. constare potest. *Anno 1295. Adolphus Comes, Alamannus genere, Rex Alemanniæ, Imperator eligitur, qui hodie regnat.* Cur *Pomerium* inscribatur, hæc ejusdem Ricobaldi in præfatione verba ostendunt: *Feci, ut qui ex multis pomeriis potiora eligendo unum conserit, sic tandem ex pomeriis virorum præstantium ista delegerim.* Ajo *ex pomeriis Hieronymi, Prosperi, Mileti, Isidori, Eutropii, Pauli Diaconi, Rufini, Petri Trecensis, Paulli Orosii, & Titi Livii Patavini, quorum celebre nomen habetur.* Hujus Ricobaldi mentionem facit Raphael Volaterranus initio Libri XXI. *Commentariorum Vrbanorum*, seu *Antropologiæ*, quem ait Romanorum Pontificum vitas perduxisse usque ad annum 1300. quo vixit. Meminit ejus his verbis Hieronymus Rubeus Ravennatis Historiæ Lib. 2. *Ricobaldus Ferrariensis, Ravennatensis Ecclesiæ Canonicus Cardinalis, gravissimus Historiarum Scriptor, eo libro quem Pomerium inscripsit: In adventu Attilæ, inquit, de Ravenna sic legi in Commentario Pontificio ejus urbis &c.* Item Libro 3. *Miror Ricobaldum Ecclesiæ Ravennatis Canonicum Cardinalem & Blondum, diligentissimos Scriptores, putare &c.* Idemque plenius de eo Libro 6. ad annum 1292. ubi hæc legas: *Gervasius Ricobaldus Ferrariensis, Canonicus Ravennas, hoc tempore rerum Romanarum Ravennæ scripsit historiam, illiusq. alio libro Epitomen: in qua cum nonnulla tractet de Ecclesia, urbeque Ravennate, illi ticulum ob id fecit,* Pomerium Ravennatis Ecclesiæ. *Adscribuntur autem ad calcem Ravennatum Archiepiscoporum nomina, isque liber in Bibliotheca Vaticana manuscriptus asservatur.* Sanè quod in Vaticanâ extare Biblio-

bibliothecâ hic dicitur, idem quoque monitum ab eo, qui Gratianum cum Glossis edidit Venetiis ex Juntarum officinâ anno 1615. Denique *de Ricobaldo Ferrariensi* Gerardus Joannes Vossius quem hic excerpsi; Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. 499. editionis secundæ. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, pag. seu columna 143.

1290 GUIARTUS DES MOULINS, Ecclesiasticum statum anno 1289. amplexus, anno 1290 *Biblia* Gallice vertenda aggressus est, quæ Canonicus & Presbyter S. Petri Ariensis in Artesia anno 1294. absolvit, vulgò nuncupata *La Bible Historiaux, ou les Histoires Escolastres.* Complectuntur historicos Veteris & Novi Testamenti libros glossis seu postillis in textu insertis, quas in Historiam Scholasticam concinnarat Petrus Comestor, additis in Veteri Testamento Psalmis, librisque Sapientum, & in Novo Epistolis Apostolorum & Apocalypsi. Extat hujus versionis volumen primum, complectens sacros libros à Genesi usque ad Proverbia Salomonis, elegantissime exaratum, in Bibliotheca Regia Codice 6820. Nomen translatoris designatur in Prologo, & est ejus ætatis. Ex plurimis quos manu trivi Codicibus, nullus mihi visus est antiquior illo, qui asservatur in Bibliotheca S. Genovefæ. Codex est membranaceus in folio majori eleganter scriptus, continet omnes sacros libros præter Jobum, cujus historia compendiose duntaxat narratur. Rithmicæ Litaniæ Sanctorum extant ad calcem Psalterii, in quibus nomen S. Ludovici non reperitur inter SS. Confessores, licet in album Sanctorum positus fuerit anno 1297. Ex quo judicare est, Codicem hunc vetustissimum esse, ætatis forsan translatoris. In fine Scripturæ recentiori Gallice scripta hæc leguntur, *Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo post translationem S. Martini . . . fuit natus Herveus de Leonia &c.*

„Ex Prologo translatoris qui sic incipit, Pour „ce que le diables, que chacun jour empesche „&c. Ego Presbyter & Canonicus Ecclesiæ S. „Petri Ariensis Episcopatus Tervannensis, ad „laudem Dei, Virginis Mariæ & omnium Sanctorum, & ad utilitatem eorum qui hoc opus „videbunt, rogatu cujusdam amici necessarii „que mei, profectum animæ meæ multum exoptantis, historicos Bibliorum libros ex Latino „(en Roumance id est) in Gallicum idioma „transtuli, quemadmodum egit Magister historiæ Scholasticæ, omissis iis, quæ non erat necesse convertere, integrum horum librorum textum præbens. Rogo illos qui has historias legerint, ut si qui sint in narrationis dispositione „defectus, habeant me excusatum. Nam per „animam meam nihil scripsi aut addidi nisi meram veritatem, sicut in Bibliis Latinis & in historia Scholastica legitur. Anno MCCXCI. mense Junii, quo natus sum, completo anno „quadragesimo hanc incœpi versionem, perfecique anno MCCXCIV. mense Februario. Anno salutis MCCXCVII. die Festo Sancti Remigii, electus factusque sum S. Petri Ariensis Decanus &c. Post indicem librorum Biblicorum „hæc adduntur.„

Eodem modo ordinati sunt in hoc Indice libri sacri, quo in Historia Scholastica, hujus enim „Magistri vestigia in libris disponendis ubique „premo. Præterea libros Job & Proverbiorum, „qui in illa desunt, hic ob ipsorum utilitatem „adjicio. „

Biblia Gallica ex ejusdem versione, dialecto autem Picardica, in eadem Regia Bibliotheca Cod. 6818. Codex autem Membraneus in folio, cum Litaniis rithmicis, in quibus etiam nomen S. Ludovici desideratur. Concordiam habet Evangelicam, non verò textum singulorum Evangeliorum. Eadem etiam dialecto Picardica ibidem Codd. 6702. 6703. in folio, quorum Litaniis nomen S. Bernardi non legitur.

Biblia ex eadem versione in Bibliotheca Regia Codice 6823. in folio. Codex multis figuris minio depictis ornatus, fuit olim Johannis Ducis Bituricensis & Alverniæ, fratris Caroli V. Regis Francorum, ut patet ex ejus subscriptione JEHAN.

Biblia Gallica ejusdem versionis paululum immutatæ, ibidem Cod. 6704. Codex in folio, complectens duntaxat libros a Genesi usque ad Proverbia Salomonis. Diversæ omnino glossæ a præcedentibus, singulis versibus subjiciuntur in libro Geneseos, Josue, Judicum & Ruth, in cæteris nullæ extant.

Biblia Gallica 2. vel in folio, ibidem Codice 6705. Secundum quod complectitur libros sacros a Proverbiis Salomonis usque ad Apocalypsim, fuit ejusdem Principis, qui tunc erat Dux Burgundiæ, ut initio voluminis his verbis notatur. *Le second volume de la Bible contenant depuis le commencement des Paraboles de Salomon jusqu'à la fin de S. Apocalypse, est à Jehan Duc de Bourgogne & d'Auvergne, Comte de Clermont, de Touraine &c. Chambrier de France, Lieutenant General du Roy & Gouverneur de Languedoc &c.*

Eadem 2. voluminibus in folio, scripta a Gofrido Godion, ibidem Codicibus 6824. 6825.

Biblia Gallica ex eadem versione. Codex membranaceus in folio, perpulchro charactere exaratus, & elegantissimis decoratus picturis, fuit olim CAROLI V. dicti SAPIENTIS, quem nunc possidet Nicolaus Josephus Foucault, Comes Consistorianus ex dono Patrum Collegii Flexiensis Soc. Jesu. Initio voluminis hæc Latine litteris aureis exarata leguntur. *Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo istud opus pictum fuit ad praeceptum & honorem illustrissimi principis Karoli Regis Franciæ, ætatis sua*

sua trigesimo quinto & regni sui octavo &c. Joannes de Brugis pictor Regis praedicti, fecit hanc picturam propria suâ manu.

Biblia ex eadem versione, cujus Codex membrancus in folio maximo, asservatur nunc Parisiis in Bibliotheca Bullioniana. Initio hujus voluminis hæc leguntur manu Nicolai Flamel, literâ variis lineamentis decoratâ, scripta: *Cest une Bible historiale, laquelle est à Jehan fils de Roy de France & Duc de Berry & d'Auvergne, Comte de Poitou & d'Estampes &c.* cum subscriptione N. FLAMEL. *Laquelle Bible mondit Seigneur le Duc donna au mois de Juing lan mil quatre cens & dix, à noble & puissant Seigneur Messire Jehan Harpedenne, Seigneur de Belleville & de Monmigu, Cambellant du Royaume & de Monsieur le Duc de Berry.* Cum subscriptione N. FLAMEL. Ad calcem legitur, *Cette Bible est au Duc de Berry.* Cum subscriptione JEHAN.

Biblia ex eadem versione Gallica, ibidem Codice 6702. cujus in fine legitur. *Le X. Jour de Septembre l'an 1417. Fust ce livre donné à tres haule & tres puissant Prince Humfrey, Duc de Glocester, Comte de Hainault.* Hoc est, *Die decima Septembris datus est hic liber precelso & potentissimo Principi Humfrao Duci Glocestriensi &c.*

Novum Testamentum ejusdem versionis, ibidem Codice 6830. Codex recens in folio, scriptus Papiæ pro Ludovico XII. Rege Francorum circa annum 1510.

Complures alii hujus versionis in eadem Bibliotheca visuntur Codices, quibus appositum est etiam nomen Guiarti des Moulins, ut Codd. 6819. 6820. 6824. & in aliis Galliæ Bibliothecis: qui omnes quamvis ejusdem tractationis sint, non sunt tamen ejusdem dialecti, sed variam exhibent, prout à Notariis diversi temporis, diversisque in regionibus descripti fuerunt. Hæc ad verbum Jacobus le Long Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis *in Bibliotheca Sacra* parte 2. Cap. 5. *De Bibliis Galliis MSS.* pag. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Idem autem iterum pag. 35.

Novum Testamentum Gallicum ex versione Guiarti des Moulins, cujus MS. exemplar extat Parisiis in Bibliotheca Illustrissimi Domini Nicolai Josephi Foucault Comitis Consistoriani. Codex membraneus in folio seculi XV. ad cujus calcem legitur: *Explicit L'Apocalypse & Specialement le Nouveau Testament, lequel à faict copier & metre en cette forme, la tres noble & excellente Dame Magdalene Princesse de Vienne, Filla & Seur de Roy de France.* Id est, *Filia Caroli VII. & soror Ludovici XI. quæ primum Ladislao Hungaria Regi, anno 1457. in matrimonium promissa fuit &c.*

Novum Testamentum Gallicè translatum à Joanne de Rely, circa annum 1483. sub Carolo VIII. juxta Antonium du Verdier *Bibliotheca Gallica* pagina 137. Item Auctor præfationis Bibliorum Genevæ anno 1588. editorum, versionem hanc jubente Carolo VIII. factam fuisse contendit. Verum assertionem hanc duplicem esse valde dubiam, omnino constat, ex Præfatione Epistolarum S. Pauli Gallice conversarum à Jacobo Fabro, & anno 1523. typis excusarum, qua dicitur Joannem de Rely edenda curasse circa annum 1487. jussu Caroli VIII. Biblia olim *à Guiarto des Moulins* in Gallicam linguam translata.

Idem Sectione secunda De Bibliis Glossis illustratis p. 39. hæc habet.

Biblia Gallica, vulgò Bible Historiale vel Historice, charactere Gothico ex versione Guiarti des Moulins, cum ejus glossis ex Scholastica Petri Comestoris historia excerptis, & cum Prologo Joannis de Rely, cujus operâ hæc editio jussu Caroli VIII. Francorum Regis adornata est & recognita, 2. vol. Parisiis in folio, circa annum 1487. apud Antonium Vivard, anno non indicato. Hæc editio quæ rarissima est, extat in membranis exarata in Bibliotheca Regia. Fuit Joannes de Rely Doctor Theologus, Carolo VIII. à Confessionibus, deinde Episcopus Andegavensis anno 1491. institutus. Prologus hujus editionis utpote brevissimus, Latine ex Gallico Sermone redditus, hic integer exscribetur. *Cum tuis obtemperare mandatis ferventissimo perpetuoque studio ardeam, Supremè Carole VIII. Francorum Rex Christianissime, ad laudem Sanctæ Trinitatis tuamque Clarissime Rex, jussu tuo, hac Biblia Historiam* (seu Glossis illustrata) *confeci duobus distincta voluminibus, in quibus Historia Scholastica, quæ olim* (anno scilicet 1294.) *ex Latino in idioma Gallicum à peritissimo Doctore* (Guiarto des Moulins) *translata fuerunt.* Ac sequitur Præfatio altera Guiarti des Moulins, quæ incipit his verbis, *Pour ce que le diables que chacun jour empesche &c.* quæ in omnibus fere MSS. Codicibus legitur.

Daniel Huetius in Libro *De claris interpretibus* pag. 38. hujus Guiarti des Moulins mentionem facit his verbis. „Latent in Bibliothecarum angulis, illis temporibus (Philippi Pulchri scilicet Francorum Regis) concinnatæ interpretationes aliquor, quædam etiam typis editæ sunt, quarum nobilissima ea est, qua sanctæ Scripturæ volumina Gallico Sermone exposuit Guiartus Molinæus. Caroli octavi jussu primum, & aliorum subinde cura prœlo commissa fuit, qua de re decepti nonnulli, Caroli hujus auctoritate non editam, sed lucubratam finxerunt. Id verò quam falsum sit, vel ex eo manifestum est, quod ad Geneseos caput 16. adtexuit Interpres conversionem videlicet illam eo anno sese fuisse exorsum, quo cæsis Christianis Ptolemaidem & Tripolim Barbari diruerunt. Hanc autem cladem anno a Christi Natalibus octogesimo nono supra ducentissimum & millesimum a Mulecho Sapherape Babylonio Saracenorum Soldano, Christianæ Reipublicæ fuisse illatam, memoriæ proditum est: qua scilicet tempestate rerum in Gallia potiebatur Philippus Pulcher. Ejusmodi autem hæc est interpretatio, ut non minus Commentarius, quam

„quam conversio censeri possit: plurimis siquidem additionibus ex Petri potissimum Comestoris Scholastica historia depromptis, variisque mutationibus & infinitis detractionibus inquinata & deformata est. Atque utinam genuini contextus distinctionem a Commentariis, editi Codices & MSS. ita adnotatam præferrent, ut vetustum quoddam Bibliothecæ hujus exemplar: pauciora quippe in ea, quamvis etiam benè multa requireremus. Hæc ille.

1290 JORDANUS NATIONE ET COGNOMINE TEUTONICUS, scribebat circa annum 1290. Opusculum suum *De translatione Romani Imperii ad Germanos*, seu *De commendatione Romani Imperii*. Illud inscribitur *Chronica Magistri Jordani, qualiter Romanum Imperium translatum fuit ad Germanos*, impressa Basileæ anno 1559. in 8. apud Oporinum, cum Æneæ Sylvii tractatu, *De ortu & authoritate Romani Imperii ad Fredericum Romanorum Regem.* Sic autem cap. ultimo scribit, *Novissimè autem diebus istis postquam Imperium per annos XXXV. vacaverat, visitavit Dominus plebem suam, & suscitavit ei principem serenissimum D. Rodolphum Haskenburg Comitem, electione concordi & coronatione solemnissimâ, sicut Dei gratiâ cunctis manifestissimè apparuit, sicut etiam in ipsius promotione divinum auxilium nunquam se subtraxit. Sed ego ad scribendum hujus victoriosi Regis magnalia manum retraho, quoniam ad hoc me insufficientem penitus recognosco.* Quibus ultimis verbis videtur scribere post mortem Rodolphi Imperatoris, quæ anno 1291. die ultima Septembris apud urbem Germeshemium contigit, completis in Imperio 18. annis, nempe ab anno 1273. quo eadem die ultima Septembris electus fuerat. Ex his facilè solvitur dubium de authore prædicti Libelli, quem aliqui malè adscribunt Jordano Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistro quondam Generali, quem scimus ante annum 1240. mortuum esse, de quo nos antea ad annum 1220. Nec etiam, ut quidam malè egerunt, attribui potest alteri Jordano de Quedelingeburg seu de Saxonia, Ordinis Fratrum Eremitarum divi Augustini, de quo nos postea dicemus ad annum 1370. Quippe cum longè Rodolphi temporibus junior sit, mortuus anno 1380. ut ibidem scribimus. Hic creditur plausibilibus satis conjecturis studuisse olim Parisiis, ob singularem quandam studii Parisiensis commendationem in Libello suo passim. Imò cap. ultimo probat plurimum Ecclesiæ interesse, ut Romanus Pontifex studii Parisiensis incolumitati consulat, cui hunc præmittit titulum: *Quod Romanus Pontifex diligentiam debet habere de Studio Parisiensi, & de Imperio & Sacerdotio.* Deinde sic habet: *Insuper ut ego utar opinione singulari, cum verecundia audeo sic sentire, quod ad regnum universalis Ecclesiæ nihil competentius expediat, quàm ut sanctissimus Pater Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit, diligentiam habeat, ut studium Gallicorum in suo vigore floreat, & fructificet ad confutandum Hæreticorum versutias & errores: Et ut Germanorum Imperium in suo honore dilatetur, ad supprimendas Gentes & omnes barbaras nationes: & ut sacerdotium Romanorum in suo robore consistat & firmetur, ad congregandos filios Ecclesiæ ad amorem & obedientiam per gratias competentes & justitiam expeditam.* Extat quoque a Simone Schardio J. C. eo volumine quo complexus fuit scriptores *De justificatione Imperiali ac potestate Ecclesiastica*, hæc Chronica cum hoc titulo: *Chronica Magistri Jordani, qualiter Romanum Imperium translatum fuit in Germanos, & primo, quare Romanum Imperium sit honorandum.* Verùm in hac Schardii editione nonnulla prætereuntur, quæ in aliis editionibus adsunt, sed in compensationem habet alia tria capita, quæ in editionibus aliis desunt. Habuit & Vossius editionem nascente typographia procuratam, ubi nomen authoris prætermittitur, ac simpliciter inscribitur, *De Commendatione Romani Imperii.* Plura de hoc Jordano extat Egassius Bullæus seculo V. *Historia Universitatis Parisiensis* ad annum 1273. pag. 406. unde hæc pauca ad institutum nostrum accepimus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 8. pag. 788. ultimæ editionis. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 125. quem anno 1320. sed serius vixisse asserit.

JACOBUS DE CESSOLIS, rectius autem *de Casulis*, urbe Italiæ, Casali in Lombardia, Ducatus Montisferrati primaria, unde oriundus fuit: atque ab argumento operis, quod composuit, dictus quoque *De Tessellis* ac per corruptionem *De Thessalis* ac *De Thessalonica*, ex Ordine fratrum Prædicatorum, certissime circa annum 1290. florebat, cum inveniantur MSS. Codices Operum ejus, qui antea 1300. & antea scripti legantur, quem etiam ad hunc annum referunt nonnulli nomenclatores, qui illius mentionem faciunt. Hujus non una ratione nomen scribitur, nam aliquando vocatur *Jacobus de Thessalonica*, aliquando *Jacobus de Thessalis, de Cessolis, de Casulis:* cujus tamen proprium assignare cognomen, haud facile cuiquam est. Vnum monebo Lectorem, dictum illum esse *De Thessalonica* vel *de Thessalis*, non, quod ipse origine Græcus fuerit, vel ex Thessalia aut ex urbe Thessalonica oriundus, licet, cujusnam ille nationis fuerit, assignare haud possim. Lubens opinarer, ipsum fuisse Italum, propriumque cognomen fuisse *de Cesolis*, ut sæpe scribitur: dictum autem & corrupte scriptum esse, *de Thessalonica, de Thessalis, de Tessellis:* ab argumento *De ludo Scaccorum*, qui Latine *Tesselli* etiam aliquando dicuntur. Extant in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut ex Catalogo Manuscriptorum Codicum impresso constat, pag. 84. num. 42. *Jacobi de Thessalonica Libri XII. de De moribus hominum & officiis Nobilium ac popularium, argumento sumpto ex ludo Schaccorum, scripti anno 1358. a Joanne Lau-* 1290

rentio Sacerdote de Vtembusen. Idem Opus ibidem pag. 88. num. 51. inscriptum *Informatio morum excerpta ex modo & ratione ludi Schaccorum.* Denique pag. 190. num. 5. *Jacobi de Tessalis Ludus Schaccorum.* Editus autem est iste Liber Mediolani anno 1497. in parvo folio, etiam cum Commentario, ut habet Cornelius a Beughem *De incunabulis typographiæ* pag. 44. ubi eum vult dictum *de Cessolis*, vel *Jacobum Cezoli*, atque extitisse Lombardum origine, quem anno 1295. floruisse affirmat. Hoc opus *De ludo Schaccorum* occurrit frequenter in Bibliothecis quæ manuscriptis codicibus abundant, quarum tibi Anglicanas tantum recensebo. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ Codice 1632. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 31. *Liber fratris Jacobi de Sessolis, Ordinis fratrum Prædicatorum, super Ludo Scacchorum.* Ibidem Codice 2006. in MSS. Thomæ Bodleii littera B 3 Codice 20. num. 2. *Jacobus de Cessolis de moribus hominum & officio Nobilium & popularium super ludo Scacchorum.* Ibidem Codice 4054. in Hyperoo Bodleiano, in MSS. Hattonianis Codice 29. *Jacobi de Cessolis Tractatus de causa inventionis Ludi Scacchorum.* Inter Manuscriptos Codices Oxoniensis Vniversitatis, Codice 1768. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ in Oxonia, litera C. Codice 30. *Jacobi de Cessolis de ludo scacchorum moralia.* Item inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codice 403. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis. Ibidem Codice 719. in MSS. Codicibus Collegii Sidneysussex littera K 3. Codice 11. num. 4. *Jacobus de Cessolis super ludo Scaccorum.* Ibidem Codice 1081. in MSS. Codicibus Collegii Caiohonvilensis, in libris qui ex donatione Magistri Mare, Cod. 17. *Jacobus de Cessolis de ludo Scacchorum*, D 12. Ibidem Codice 1362. in MSS. Codd. Collegii Sancti Benedicti Cod. 85. num. 1. *Jacobus de Casulis de ludo Scaccorum.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium ejusdem regni bibliothecarum, Codice 6566. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 196. *Jacobus de Cassolis de Ludo Scaccorum.* Ludus iste de quo Jacobus loquitur, Latine *Latrunculorum*, Gallice *Des eschecs* dicitur: qui latinitate barbara Theologorum seculi XIII. dictus fuit *Schaccorum, Scacchorum & Scaccorum, Tessellorum ac Thessalorum*; unde *Jacobus de Thessalis & Thessalonica* cognominatus ab indoctis Librariis fuit. Mentionem facit de *Ludo Schaccorum* Carolus du Fresne Dominus du Cange, in *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* Tomo 3. col. 713. voce *Scaci, Scacci & Scacchi*, seu *Scaccorum ludus, le jeux des Eschecs.* Illic ita dictum fuisse vult a voce Arabica vel Persica *Schach*, quæ Regem sonat, quod præcipua Scaccorum, uti vocant, persona, Rex sit: uti observavit idem Ducangius in Notis ad Joinvillam pag. 59. & in Notis ad Alexiadem pagg. 383. & 384. Mentionem facit hujus Scriptoris & Operis Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 8. pag. 848. his verbis.

„Volumen chartaceum 246. in folio, quo continentur hæc. Jacobi de Casulis Ordinis S. Dominici liber Ethico-politicus *De Ludo Latrunculorum, sive De moribus & officiis hominum*, a Conrado von Ammenhusen ex lingua Latina in Germanicam rithmice translatus, & multis *Additionibus* passim insertis locupletatus. Latina ejusdem libri Exemplaria MSS. quæ in Augustissima bibliotheca Cæsarea Vindobonensi hactenus reperi, duo sunt: quorum *primum* extat in Codice MS. inter MSS. Codd. Theologicos Latinos 136. Vbi imprimis notabile est, quod cognomen Authoris ibi eodem modo scriptum legitur, uti ego paulo ante illud exhibui, nempe *De Casulis*, quod idem est ac si Germanice diceretur, *Von Husen.* In altero autem Codice MS. Cæsareo inter MSS. Codices Historicos Latinos 454. anno 1391. exarato, pro *de Casulis* legitur *De Cessolis.* Ego vero priorem lectionem magis approbo, & vocem *Casulis*, negligentia & imperitia librariorum primo mutatam esse arbitror in *Casalis, Cassalis & Cesalis*: quemadmodum legitur in *Descriptione Ludi Latrunculorum* Gustavi Seldeni lib. 1. cap. 2. pag. 25. & 34. Deinde autem transformatum esse in *Cesolis, Cessolis & Cezolis*, ut in supra citato Codice MS. Cæsareo inter Historicos MSS. Latinos 454. liquet. Et in R. P. Antonii Senensis Lusitani *Chronico fratrum Ordinis Prædicatorum*, ubi hæc leguntur. *Frater Jacobus de Cezolis, vir gravis litteraturæ egregia, & multum venerandus, transmisit ad posteros Sermones varios & librum moralem pro Nobilibus de ludo Scaccorum. Claruisse fertur circa annum Domini 1295.* Hæc ille. Ex *Cessolis* porro per mutationem C in T, adspiratione adjecta, factum est *Thessalis*, ut scriptum cernitur in Codice MS. Ambrosiano 246. de quo in præsens agitur. Tandem autem vox *Thessolis* absurde prorsus & inepte mutata est in *Thessalonica*: quem ad modum videre est apud Joannem Jacobum Frisium in *Bibliotheca Vniversali*, ubi hæc leguntur. *Jacobus de Thessalonica, Ordinis fratrum Prædicatorum scripsit opus insigne* De moribus hominum & officiis Nobilium ac popularium, *materiam præ se ferens de ludo Schaccorum.* Meminit ejusdem hominis Carolus Dufresnius du Cange, in Indice Scriptorum, quem *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* præfixit col. CXXXI, ubi ex uno scriptore duos confinxit, *Jacobum de Cessulis* Ordinis Prædicatorum anno 1295. atque *Jacobum de Thessalonica* ejusdem Ordinis, circa annum 1410. viventes, in quibus turpiter fallitur.

HAYTO ARMENVS, Haytonis Armeniæ Regis consanguineus & nepos, post multas bello partas victorias, atque abjecto cingulo secularis militiæ, post nomen Christianæ datam, observantiæ etiam regulari se attulit anno circiter 1290

citer 1290. in Episcopio Cypri, Præmonstratensis instituti Cœnobio. Scripsit haud procul ab ætate ista *Historiam* de rebus a se fortiter gestis, inscriptam alias *Itinerarium & flos Historiarum Ecclesiæ Orientalis*, vel *Passagium terræ sanctæ* &c. quam ex idiomate Gallico Latinam fecit Nicocolaus Falcoin seu Falconius in urbe Pictaviensi an. Dom. 1307. jussu Clementis Papæ V. Habet Haytonis mentionem Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 413. ubi ait Præmonstratenses & Dominicanos adscribere hunc Haytonem utrosque Ordini suo: sed controversiam solvit ipse scriptor, qui in *Historia* hac sua cap. 46. diserte amplexum se fuisse Præmonstratense institutum his verbis narrat. „Ego vero frater Haytonus interfui omnibus „prælibatis, qui dudum proposueram habitum „sumere Regularem: sed propter inconveni„entia discrimina & ardua negotia regni Arme„niæ, cum honore meo non poteram in tantis „necessitatibus derelinquere consanguineos & „amicos. Vnde postquam Deus sua pietate mi„hi concessit gratiam dimittendi regnum Arme„niæ & populum Christianum post multos la„bores meos in statu pacifico & quieto, confe„stim votum quod diu moveram, volui adim„plere. Accepta itaque licentia a Domino meo „Rege, & ab aliis consanguineis & amicis, in „campo illo ubi Deus de inimicis triumphum „concesserat christianis: arripui iter meum, & „perveniens in Cyprum in Monasterio Episco„pii Præmonstratensis Ordinis, suscepi habitum „regularem. Vt qui in juventute mea milita„veram mundo, in servitiis Dei residuum vitæ „meæ pompis hujus seculi relictis, consumerem „anno Domini MCCCV. Gratias igitur ago „Deo, quoniam regnum Armeniæ hodie est in „statu a quo, bono & pacifico reformatum &c. Quid clarius? quid expressius? Si porro ut Casuistæ loquuntur, eo gravius furti peccatum est, quo egenior est is a quo aliquid abripitur: ne dubites amice Lector, gravissimum esse peccatum illius, qui Scriptores aliquos ab Ordine Præmonstratensi abstulerit, quos ipse paucissimos habuit, utpote ob ignorantiam crassam & ignaviam notoriam celebris. Peccavit ergo graviter juxta mentem meam, Ambrosius de Altamura qui in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1307. pag. 87. hunc Haytonem suis adscribens Dominicanis, Præmonstratensibus nobis suffuratus est. Opus istud extat MS. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Mertonensi Cod. 58. cum lemmate isto: *Liber Historiarum partium Orientalium, quem ego Nicolaus Falcon scripsi primo Gallico idiomate, & de Gallico transtuli anno 1300.* Sed fallit hæc inscriptio. Extat etiam MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 3810. sub hoc titulo: *Flos Historiarum terræ Orientis, quem compilavit frater Haytonus Dominus Curchi, consanguineus Regis Armeniæ anno 1307. in civitate Pictavensi regni Franciæ, e Gallico in Latinum versus a Nicolao Falconi.* Et in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, Littera A A A 8. folio primo. Impressa hæc Historia, Haganoæ primum anno 1529. in 4. tum Basileæ inter Novi Orbis Scriptores annis 1532. & 1555. Helmenstadii in 4. anno 1585. parte secunda *Chronici Hierosolymitani* seu *De bello sacro*, quod tomis 2. a Reinero Reineccio procuratum est. Denique Coloniæ Brandenburgicæ anno 1671. in 4. cum aliis, studio & cura Andreæ Mulleri. Mentionem *Haytonis Armeni* faciunt Henricus Spondanus in *Annalibus Ecclesiæ* ad annum 1304. num. 10. & ad annum 1307 num. 2. Joannes le Page in *Bibliotheca Præmonstratensi* Lib. 1. cap. 17. pag. 306. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. 497. editionis ultimæ. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 81. ubi eum ad annum 1290. collocat.

GVILLELMVS DE NANGIACO, sancti 1290
Dionysii in Francia, Ordinis divi Benedicti Monachus, insignis suo tempore Historicus, floruit sub finem seculi XIII. & initium seculi XIV. scripsitque *Chronicon ab initio mundi usque ad annum 1300.* quo florebat, quod postea a duobus ejusdem Abbatiæ fratribus continuatum, usque ad annum 1368. Continuatio prima ab Anonymo Monacho Abbatiæ sancti Dionysii ab anno 1301. ad 1340. pag. 603. Altera ab Anonymo itidem Monacho ejusdem S. Dionysii ab anno 1340. ad 1368. pag. 785. post ipsum Chronicon Guilielmi de Nangiaco Tomo XI. *Spicilegii* pag. 405. At Lectiones hujus Chronici varias ex MS. Codice Cisterciensis Abbatiæ, edidit anno 1677. idem Lucas Dacherius Tomo 13. *Spicilegii* post Indices tres Generales totius *Spicilegii* pag. 200. ad 215. Et tamen Chronici istius editionem nonnisi ab anno MCXIII. evulgaret Lucas Dacherius tomo XI. *Spicilegii* pag. 405. sqq. annotario ipsius Guillelmi persuasit, qui se ab eo anno Chronicon Sigeberti continuasse scribit, tametsi pauca nonnulla ab Anselmo Monacho Sigeberti continuatore mutuetur. Vnicus Dacherio suppetit MS. Codex Chronici Nangiaci atque Continuationis ejusdem in majori folio Chartaceo, trecentis ab hinc vel circiter annis exaratus, quem possidet Bibliotheca sancti Germani de pratis Parisiensibus, donatum Jacobo Breulio ejusdem Cœnobii Bibliothecario, a Jacobo de Lautier, Generali pecuniarum Gallicarum Præfecto. Extat ergo hoc Chronicon Latine impressum tomo IX. *Spicilegii Dacheriani* pag. 405. & sequentibus. Atque ut Nangiacus his qui linguam Latinam minime noverant, & Monasterium sancti Dionysii sæpissime adibant, satisfaceret: hoc suum Chronicon Gallice vertit, quo facilius Regum in ejusdem Abbatiæ Ecclesia sepultorum notitiam præcipere possent, ut ipse in *præfatione Gallica* testatur Nangius: quod antea Latine composuerat ab anteriori distinctum, atque inscriptum, *Chronicon Regum Fran-*

cia usque ad annum 1301. Idem scripsit *Vitam sancti Ludovici noni Francorum Regis, & Filiorum ejus Philippi Audacis ac Roberti Borboniana familia capitis*: quæ omnia continentur tomo V. Collectionis *Scriptorum Historia Francica Coæneorum*, quam doctissimus Andreas Dachenius Parisiis edendam in folio procuravit. MS. autem in Bibliotheca Galliarum Regia, Codice 3964. in folio, a pag. 49. ad pag. 142. qui 400. circiter annorum est. Itemque Codice 4724. in folio, 300. fere annorum. Alterum hoc *Chronicon* quod *Regum Gallia* est, videtur esse Flodoardi continuatio, usque ad annum MCCCI. quod legitur impressum jam in *Annalibus Francorum* a Petro Pithæo Francofurti anno 1596. editis, Wechelianis typis. *Gesta etiam S. Ludovici Francorum Regis*, quæ idem Guillelmus edidit, item *Gesta Philippi III. ejus filii* cognomento *Audacis*, fratris Roberti, ejus, qui familiæ Borbonicæ author fuit: prodierunt ibidem utrumque Opus in Germania ex ejusdem Pithæi Bibliotheca, iisdem typis. Illud vero ad commendationem Dionysiani Monasterii observare juvat, fuisse quondam moris, ut Chronica de Regum Francorum Gestis ibi asservarentur, & (quod in Anglicanis etiam Monasteriis Benedictinis fiebat) periti designarentur ex Monachorum cætu Historiographi, qui res Francorum præcipuas litteris mandarent. Utrumque nobis testatum facit *præfatio Chronici* Gallico idiomate conscripti, quod vulgo *Chronicon sancti Dionysii* appellatur. Illud ipsum confirmant Anonymi Gesta Dagoberti, & Liber Sugerii *De Gestis Ludovici VI.* Gesta Philippi Augusti a Rigardo sancti Dionysii Clerico conscripta. Historia Monachi anonymi de Carolo VI. Latine scripta, aliaque Monachorum Regalis istius Abbatiæ monumenta, quæ in direptione Bibliothecæ Dionysianæ superiorum temporum procellis facta, magna ex parte perierunt, vel certe in exterorum manus venerunt. Ex his Scriptoribus Rigardus, Regius etiam Historiographus esse promeruit, qui se *Magistrum Rigardum Regis Francorum Chronographum, beati Dionysii Clericorum Minimum*, in præfatione Gestorum Philippi Augusti ad Ludovicum ejus filium, ipsemet appellat. Quo nomine a Guillelmo Arremorico, tanquam laudem & vanos Chronographi sive Historiographi titulos ambiret, sine causa reprehenditur. Neque enim qui Historiographus est, modestiæ terminos excedit, si se Regium Historiographum suis in libris appellet: cum aliter aut melius, quam suæ quisque professionis titulis, nemo innotescere possit. Omnes autem faciunt mentionem *Guillelmi de Nangiaco*, qui recenter de Gallicis rebus scripserunt, maxime Sammarthani fratres, qui eum in Historia sua Gallica *Domus seu familia Regia Francorum*, perpetuo allegant. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, qui eum male *Guillelmum Nannium* vocat. Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 987. qui *Guillelmum Mangium* corrupte appellat. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. 503. ultimæ editionis.

HUMBERTUS SEU HIMBERTUS ABBAS DE PRULIACO, Ordinis Cisterciensis Monachus in Gallia ac Doctor Parisiensis florebat anno 1290. & sequentibus. Hic in divinis Scripturis longa exercitatione consummatus, & in Philosophia Aristotelica insigniter doctus, ut testantur præclara Opera, quibus nomen suum apud posteros in benedictione reliquit. Composuit enim diserta *Commentaria in universam Aristotelis metaphysicam & in libros de Anima*: quæ in membranis descripta, adhuc asservantur in Bibliotheca Caroli loci Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Sylvanertensi, ut suis testatur litteris ad Carolum Wischium ex Galliis datis, Claudius Chalemot ejusdem loci quondam Prior, tum postea Abbas de Columba. Idem Philippus Seguinus in *Bibliotheca MSS. Ordinis Cisterciensis*, ipse eorundem inspector. Ejusdem *Commentaria succincta in quatuor libros sententiarum*, quæ hodie adhuc reperiuntur MSS. in Abbatiis Dunensi & Villarii Ordinis Cisterciensis in Belgio, & etiam Lovanii in Valle sancti Martini. Idem Opus inscriptum, *Conclusiones Magistri Humberti, Cisterciensis Ordinis Abbatis*, MS. in Bibliotheca Ecclesiæ Cameracensis pulpito XV. dextræ partis, scriptæ anno 1294. Et in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, MSS. Codice 168. Factus est autem Humbertus Abbas Pruliaci ejusdem Ordinis in Archiepiscopatu Senonensi anno 1296. post Simonis mortem, mortuus ipse anno 1298. De illo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 776. ubi illum anno 1277. floruisse vult, quod verum esse potest. Antonius Sanderus in *Bibliotheca Manuscriptorum* pag. 168. & 217. Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 767. in Abbatibus Pruliacensibus. Carolus Vischius in *Bibliotheca Ordinis Cisterciensis Scriptorum*, pagina 163. 1290

GAUFREDUS DE TRANO natione Italus, in jure Canonico versatissimus, florebat anno circiter 1290. fuitque Papæ Nicolai IV. Capellanus, cujus mentionem facit Henricus Gandavensis in Opusculo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 55. scripsit *Summam in Decretales Romanorum Pontificum*, quæ incipit *Glossarum diversitas* &c. quam habes MS. in Gallica Regis Bibliotheca Codice 4253. qui 300. annorum & amplius est. Itemque in Colbertina sæpius Codd. 552. 1076. 2123. 2176. 2183. In celebri Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, Cod. 52. Denique in Bibliothecis Claræ Vallis & Andreæ-Vallis Cod. 79. utraque Ordinis Cisterciensis, & alibi sæpius. Superiore autem seculo Venetiis anno 1570. apud Christophorum Zanettum impressa est. De *Gaufredo Tranensi* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 648. 1290

648. sed parce admodum. Joannes Trithemius in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Antonius Sanderus in *Bibliotheca Manuscriptorum* pag. 204. Philippus Labbeus in *Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*, illum ad annum 1300. collocat, quousque pervenire potuit. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 101. ubi eum anno 1290. vixisse pronuntiat.

DISSERTATIO

DE

DOCTRINA ET SCRIPTIS JOANNIS PARISIENSIS, ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM.

PROLOGUS

EXtiterunt una eademque ætate, eadem in urbe Parisiensi, Johannes duo Parisienses, doctrina scriptisque operibus insignes, quorum *primus* Ordinem fratrum Prædicatorum amplexus Scholasticis potissimum quæstionibus ac disputationibus mentem applicuit, ab anno circiter 1290. clarus, usque ad annum 1306. quo ad Curiam Romanam Avenione tunc sedentem evocatus ob opiniones singulares, ante litem terminatam mortuus scribitur, de quo Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1290. pag. 749. Alter Canonicus Regularis Abbatiæ sancti Victoris ad Muros Parisienses, qui Historiis scribendis incubuit, ac vulgo *Joannes Parisiensis*, vel *Joannes de Sancto Victore* dicitur, quem ad annum 1320. postea referemus. De *primo* heic agimus Theologo, cujus doctrinæ causa, multæ etiam contentiones hoc seculo nostro natæ sunt, quæ memoriam ejus post fata etiam celebriorem, quam dum in vivis ageret, reddiderunt.

CAPUT PRIMUM.

VARIIS JOANNES PARISIENSIS COGNOMINIBUS DESIGNATUR.

1290 JOANNES PARISIENSIS, Ordinis fratrum Prædicatorum, Doctor Theologus facultatis Parisiensis, floruit sub finem seculi XIII. & initium XIV. Hunc ad annum 1300. pag. 571. in *Supplemento* De Scriptoribus Ecclesiasticis, dixeram suisse cognominatum *Desoardis*, sequutus hac in parte Ambrosium de Altamura in *Bibliotheca Dominicana*: sed & me & Alramuranum deceptum esse docuit, Codex MS. Abbatiæ sancti Germani Parisiensis, num. 602. scriptus anno 1300. & ejus scripturæ cum aliis fere omnibus hujus Joannis Parisiensis Codicibus, qui habentur in Bibliotheca Victorina Regiæ hujus Urbis. Sic autem hic MS. Codex, scriptus vivente adhuc Joanne, inscribitur: *Opus fratris Joannis de Parisius dicti Quidort, De adventu Christi secundum carnem*. Et in fine, *Explicit tractatus De antichristo, editus a fratre Johanne de Parisius, Ordinis fratrum Prædicatorum, anno Domini MCCC.* Itaque certo dictus seu cognominatus est *Quidort* seu *Dormiens*, non Joannes *Pungens asinum* seu *Picquel'asne*, aut *Point'asne*, ut multi volunt & scribunt. Fuit hic Joannes de Parisiis argutus scholasticus, cujus ingenium natum ad nova videbatur, ardens in disputando, in affirmando audax, omnibus sui temporis contestationibus ac discordiis sese immiscens: ut prorsus immerito *Joannes Quidort* seu *Dormiens* nuncuparetur, quamvis tale cognomentum foret. Recte ergo Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo XIV. tomo XX. cap. 5. art. 2. pag. 585. opinatur cognomen *Pungentis asinum* convenisse non huic Joanni Parisiensi, qui anno 1290. vel 1300. floruit, sed seniori alreri Dominicano circa annum 1238. florenti, quod tamen etiam Joanni huic ultimo concedere videtur, juxta plurimos, quos eam ob rem citat idem Alexander ibidem. Quamvis enim ex cognomine proprio appellaretur *Quidort*, juxta MS. Codicem Bibliothecæ sancti Germani Parisiensis: quia tamen maximam in disputando vehementiam & instantiam omnes in Joanne isto experiebantur, quia sæpe & ignaros seu indoctos *ad metam non loqui* compulerat, & doctos etiam conrra propriam opinionem ad abrupta & confragosa adegerat: idcirco volunt cognomen ipsius Dormientis, in *Joannis Pungentis asinum* Gallice *Picquelasne*, commutatum fuisse, vocitatione prorsus gloriosa. Sententiam communem de hoc cognomine amplexus est Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 576. his verbis. „Joannes Paris cognomento Pungens asinum, ut ait Stephanus de Salagnaco. Cum istam historiam ex hoc nostro authore retulisset Henricus Spondanus ad an. 1304. §. 14. ait meminisse ejusdem Joannis cum laude Trithemium & Bellarminum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, sed absque ulla nota erroris: nisi quod observat Bellarminus eum in Tractatu, quem tempore discordiæ Bonifacii VIII. atque Philippi Pulchri scripsit *De potestate regia & papali*, visum esse propensiorem erga Regem. Deinde addit, se in cujusdam Johannis Brehalli ejusdem Ordinis Prædicatorum Opusculo *De auctoritate audiendi Confessiones*, invenisse hunc Joannem Parisiensem, cognomen habuisse, *Pungentis asinum*. Cujus cognominis cum rationem non ponat, existimare licet, ut idem

„Spondanus ait, fuiſſe eum vehementem in diſputationibus & rixoſum. Quod ego minime verum eſſe puto, cum certum videatur, hoc nomen fuiſſe familiæ, non hominis cognomen. Certe in vetuſtiſſimo Codice MS. reperi quendam Guillelmum Pointl'aſne, teſtem productum in inquiſitione facta anno MCCXX. aut MCCXXI. utrum Rex habeat multrum, raptum, & homicidium in Burgo Epiſcopi Pariſienſis. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ait eum ſcripſiſſe *Contra corruptorium doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis*. Ejus Tractatus *De poteſtate Regia & Papali* extat MS. in Codice 3849. bibliothecæ Colbertinæ. Ita Baluzius, qui ſententiam ſuam hanc revocat in *Additionibus* ad has Notas col. 1411. ut ſequitur. „Quanquam valde puto fratrem Joannem Pariſienſem qui vocabatur *Pungens-aſinum*, fuiſſe diverſum ab eo, de quo agimus. Quippe Stephanus de Salagnaco eos tantum fratres ſuos commemoravit, qui in theologia Pariſius usque ad annum MCCLXXVIII. docuerunt, quo ipſe ſcribebat: eumque qui *Pungens-aſinum* vocabatur, collocat inter eos qui anno MCCLV. in ea urbe adepti ſunt dignitatem Magiſtrorum. Ille vero de quo nunc agimus, anno tantum MCCCIV. licentiatus eſt, ut ſupra pag. 579. docet Bernardus Guidonis. Addit alia de eodem Joanne Pariſienſi Stephanus Baluzius, non indigna relatu in Notis ad Vitas Paparum qui Avenione ſederunt, col. 579. cum nempe evocatum anno 1306. ad Curiam Romanam, ubi lite infecta de medio ſublatus eſt. „Evocatus ad curiam Romanam, ubi ut Continuator Nangii ait, *Auditoribus ſibi datis, infecto negotio de medio ſublatus eſt*. Sunt qui putant heic per Romanam curiam intelligi ipſam urbem Romam, quæ eſt Petri ſedes, ac propterea cenſent hunc Joannem Romam profectum, Romæ obiiſſe. Verum alius eſt omnino horum verborum ſenſus. Romana curia eſt, ubicunque Papa eſt. Tum vero temporis, Papa non erat Romæ, ſed Burdegalæ. Ibi ergo obiiſſe Joannem Pariſienſem, teſtatur auctor omni exceptione major Bernardus Guidonis in Additionibus ad Librum Stephani de Salagnaco *De exordiis Ordinis Prædicatorum*, his verbis: *Frater Johannes Pariſienſis licentiatus anno Domini MCCC quarto. Hic obiit in curia Romana Burdegalis, ubi definitivam ſententiam expectabat, anno Domini MCCCVI. in feſto Sancti Mauricii*. Quod autem ait illum fuiſſe anno MCCCIV. Licentiatum, ita intelligendum eſt, ut eo anno dicatur fuiſſe Licentiatus in Theologia in Academia Pariſienſi. Illic enim Bernardus Guidonis enumerat Magiſtros theologiæ facultatis Pariſienſis, aſſumptos ex Ordine fratrum Prædicatorum. Præter Opera vero quæ huic Joanni vulgo tribuuntur, extat in Codice Colbertino 3725. Colbertinæ Bibliothecæ fol. 63. 160. 194. *Sermones tres ab eo Lutetiæ dicti*, quorum primus eſt in Adventu Domini, alius in Dominica ſecunda Quadrageſimæ, tertius in Dominica infra octavas Paſchæ." Hæc eruditiſſimus Baluzius de Joanne Pariſienſi, quem omiſiſſe nefas duximus. Hic ſua ætate magni ſat nominis, nec minoris, ut reor, clamoris Theologus, cujus multa extant Opera MSS. in Bibliotheca ſancti Victoris ad muros Pariſienſes, Canonicorum Regularium. Atque omnium maximum, *Triplex quodlibetum multis articulis & quæſtionibus conſtans*, extantque hæc *Tria Quodlibeta* in hac Bibliotheca Littera I 16. circa medium voluminis, quod olim in duo diſtinctum fuiſſe ex cifris conſtat. Inſcribuntur peſſimo charactere & minutiſſimo, *Quodlibeta Joannis Pariſienſis*, & incipiunt, *Circa ordinem rerum, in noſtro Quodlibet quæſita fuerunt, quædam pertinentia ad ens* &c. Item ſcripſit Tractatum *De Regia poteſtate & Papali*, quem e tenebris oblivionis vindicaſſe falſo aſſerere audet Melchior Goldaſtus tomo 2. *Monarchiæ* pag. 107. Quippe præ manibus habemus excuſum illum Pariſiis anno 1506. in 4. cum Durandi de ſancto Porciano, Petri Paludani, Hervæi Britonis & aliquot aliorum Dominicanorum Opuſculis. Habetur porro MS. hic Tractatus in Bibliotheca Victorina tribus Codicibus, littera M M 7. fol. 13. K 3. fol. 147. & M 12. fol. 84. Itemque in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis, *Joannis de Pariſius Tractatus De poteſtate Papæ & Regis*, Cod. 294. Et in Colbertina Cod. 3849. ut habet Baluzius in notis ad Vitas Paparum Avenionenſium pag. 577.

CAPUT SECUNDUM

JOANNES PARISIENSIS DICTUS DE CLAPOEL VEL CRAPUEL, SCRIBIT ADVERSUS GUILLELMUM DE MARA.

IDem *Contra corruptorium doctrinæ S. Thomæ Aquinatis* ſcripſit, non ſecus atque Richardus Clapuël Anglus, & alii; Illud MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi Codice 10. Extatque etiam impreſſum ſub nomine Ægidii Romani, Ordinis fratrum Eremitarum Auguſtinianorum. Interim obſervandum moneo cum Theophilo Raynando in Libro *Erotematum De bonis & malis libris*, deque juſta aut injuſta eorum confixione pag. 122. *Correctorium corruptorii Doctrinæ S. Thomæ Aquinatis*, ſub nomine Ægidii vulgatum, *Joanni Pariſienſi* Ordinis Prædicatorum ejusdem Ægidii æquali tribui, tum a Joanne Pico Mirandulano *quæſtione 1. Apologetica*, tum a Leandro Alberto Lib. 4. *De viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum*. Verum, ut recte idem ſubjungit, cum addat Leander, Richardum quoque Clapuël Anglum ſcripſiſſe de eodem argumento & titulo Librum: quidni & ipſe Ægidius ea de re ſcribere, & vindex pro Magiſtro exſurgere potuerit? Quare ad Manuſcriptos Codices, & coætaneorum ſcriptorum teſtimonia recurrendum eſt.

Iſtud

Istud *Defensorium Librorum sancti Thomæ Aquinatis contra Guillelmi Lamarensis Thomamastigis corruptorium*, sub nomine *Ægidii Romani* edidit ex Codice MS. ab Italia allato H. Strevesdorff Coloniæ Agrippinæ anno 1624. in 8. haberturque etiam MS. in celebri Bibliotheca S. Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium Divi Augustini, quod spectat ad Joannem de Parisiis. Antea quoque editum fuit sub nomine Ægidii Romani, Venetiis 1501. cum aliis Opusculis ejusdem, in folio. Antesignanus Antithomistarum fuit Guillelmus Lamarensis, Ordinis fratrum Minorum Oxoniensis professor, circa annos 1280. & 1290. celebris: qui togæ suæ (inquit Natalis Alexander) nimium amans, alienæ æmulus gloriæ ac nominis, ut ita loquar, doctrinam sancti Thomæ Aquinatis lacessivit, edito adversus eam libello, quem inscripsit *Correctorium Operum fratris Thomæ*. Opus istud non periit, sed adhuc MS. extat teste Jacobo Philippo Thomasino in Recensione MSS. Codd. Theologicorum bibliothecæ Venetæ Sancti Antonii, hoc titulo, *Correctorium Guillelmi de Mara, Ord. fratrum Minorum, secundum Dicta divi Thomæ de Aquino, contra Correctorium fratris Johannis de Crapuet, Ordinis Prædicatorum* folio in membrana. Illudque videtur Opus secundum Gulielmi de Mara contra Divum Thomam. Nam Primum ibidem in Codice alio ita inscribitur, *Summa fratris Gulielmi de Mara Ordinis Minorum, contra Divum Thomam*, 4to in membrana. Ex his autem Guillelmi de Mara opusculis MSS. constare quodammodo potest hunc Johannem Parisiensem, fuisse cognominatum de Clapoel vel Crapuel. Neque enim verisimile est Guillelmum de Mara non cognovisse nomen & cognomen adversarii sui. Hoc in libro quem circa annum 1290. composuit, quadraginta novem articulos *ex prima parte* Summæ Theologicæ sancti Thomæ, duodecim *ex prima secunda*, sexdecim *ex secunda secundæ* reprehendit ac refellit. Floruit autem Anglus ille Minorita exeunte seculo XIII. & ineunte XIV. quem alii ad annum 1308. collocant, alii ad annum 1310, alii denique ad annum 1340. sed tardius floruisse scribunt. Scripsit mea quidem sententia Guillelmus Lamarensis præfatum Opusculum circa 1290. annum, jam ab anno 1280. clarus. Innitor testimonio Asteani Astensis, quem Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tom XXI. Dissertatione 6. art. 9. pag. 821. floruisse vult anno 1330. ut Possevinus scribit: & scripsisse anno 1317. *Summam casuum conscientiæ in 8. Libros distributam*, ut constat ex ipsius Epistola ad Eminentissimum Cardinalem *Joannem Gaietanum*. Hic autem in procemio Operis recenset *Doctores venerabiles ex quorum scriptis collectionem suam se adornasse profitetur. scilicet ex Ordine Minorum, fratrem Alexandrum de Anglia, fratrem Bonaventuram, fratrem Guillelmum Anglicum de Mara, fratrem Gualterum Episcopum Pictaviensem, fratrem Richardum de MediaVilla, fratrem Joannem sextum, fratrem Alexandrum de Alexandria* &c. Cum itaque jam Asteanus Astensis anno 1317. allegeт inter Doctores Minoritas scriptis illustres *Guillelmum Anglicum de Mara* seu *Lamarensem*, recte credimus eum floruisse circa annum 1290. & circa 1300. vel antea etiam hoc Opusculum scripsisse, vel præter propter. Confirmatur calculus meus ex dispositione Asteani Astensis, qui post Alexandrum Alensem qui anno 1245. & Bonaventuram qui anno 1274. in Concilio Lugdunensi obiit, collocat statim hunc Guillelmum Lamarensem, ante fratrem Gualterum Pictaviensem Episcopum & Richardum de Media Villa, qui ambo certe ab anno 1280. & 1290. claruerunt. Itaque circa annum 1280. vel 1290. scripsit Guillelmus Lamarensis contra sanctum Thomam nimium ipsi ob doctrinam celebrem: quia certum est, quod carpere ejus doctrinam post annum 1322. non ausus fuisset, quo a Joanne XXII. summo Pontifice in album Sanctorum relatus est, summeque celebrata doctrina & Orthodoxia illius. Provocatus, ut opinor, exemplo Joannis Peckani, Ordinis Minorum Oxoniensis Magistri, qui anno 1278. Cantuariensis Archiepiscopus factus, anno 1292. die 24. Aprilis mortuus, reliquit MSS. *Disputationes Thomæ & Peckani*, Oxonii in Bibliotheca Collegii Mertonensis Cod. 12. de quibus jam antea ad annum 1280. diximus. Contra Guillelmum Lamarensem extat *Defensorium fratris Thomæ*, seu *Correctorium Corruptorii fratris Thomæ*, quo in Opere *author* tot defendit loca Doctoris Angelici, quot impugnasse cognovimus *Guillelmum Lamarensem*: nimirum XLIX. articulos *ex parte prima*, XII. *ex prima secunda*, XVI. *ex secunda secundæ*, nonnullos ex *Quæstionibus disputatis*, *ex Quodlibetis*, & *ex primo Sententiarum*. Hanc observat methodum, quisquis ille author est, ut primo repræsentet verba sancti Thomæ, de quibus ipsi cum Guillelmo Lamarensi controversia est, his verbis exempli gratia. *De eo, quod dicit frater Thomas quæstione 24 art. 5. Utrum charitas augeatur per additionem* &c. Postmodum textum corruptorii subjicit, id est rationes & ipsa verba *Guillelmi Lamarensis* in Correctorio Operum sancti Thomæ, quod *Corruptorium* potius appellandum existimavit. Denique impugnat rationes productas ab adversario, earumque confutationem subjicit ex ipsa sancti Thomæ doctrina petitam, adscriptis his verbis: *Responsio ad hæc secundum fratrem Thomam*.

CAPUT TERTIUM

ÆGIDIUS ROMANUS AUTHOR NON VIDETUR *CORRECTORII CONTRA CORRUPTOREM SANCTI THOMÆ.*

JAm quæritur, quis sit author hujus Defensorii contra corruptionem doctrinæ sancti Thomæ imputatam? Natalis Alexander a quo plurima

rima hic accipimus, vult in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XXI. Dissertatione 6. articulis 2. & 3. pag. 797. & 799. authorem esse Ægidium Romanum, olim Præpositum Generalem fratrum Eremitarum divi Augustini ac postea Bituricensem in Gallia nostra Archiepiscopum, sub cujus nomine Coloniæ anno 1624. in 8. ut supra diximus, imptessum est: innixus testimonio Novorum nomenclatorum, qui ei hoc Opus adscribunt. Antea etiam Venetiis anno 1502. in folio inscribitur *Ægidii Romani Castigatorium in Corruptorium Librorum Thomæ Aquinatis*, cum aliis Opusculis Ægidii editum. Denique hoc *Ægidii Columnæ Ordinis Eremitarum S. Augustini Defensorium seu Correctorium Corruptorii librorum S. Thomæ Aquinatis*, edidit Neapoli Franciscus de Thoma 1644. in 4. Alii volunt, spectare illud ad *Joannem Parisiensem*, Ordinis fratrum Prædicatorum celebrem Theologum, ejusdem temporis cujus Ægidius, quem constat floruisse Parisiis ab anno 1290. & seqq. ad annum 1307. quo mortuum eum volunt, quod tamen non omnino constat. His ultimis adhæreo 1mo quia hoc Opus ex argumento suo multo magis spectat ad alumnum quendam Ordinis fratrum Prædicatorum, quam ad quemcunque alium. 2do Tractatus hic olet omnino ingenium Joannis Parisiensis ardens, Ordini suo defendendo affectum, ejusque stylum ac dictiones habet, ut ex collatione illius cum aliis Opusculis constat. 3tio Hoc ingenium nunquam se continuisset in hac celebri discordia inter duos Ordines fratrum Prædicatorum & Minorum, quorum primum profitebatur. Sane se continere non potuit aut tacere, discordia exorta inter Philippum Pulchrum Francorum Regem & Bonifacium VIII. Summum Pontificem, ut constat ex tractatu ejus *De Regia potestate & Papali*, quem composuit his temporibus. Contincre se etiam non potuit in discordia suo tempore excitata, *De Confessionibus, quæ solent fieri fratribus Mendicantibus*, unde ejus Opusculum MS. inscriptum, *Determinatio de Confessionibus fratrum.* 4to Theophilus Raynandus illud ei attribuit in *Erotematibus* pag. 122. editionis Lugdunensis in 4. factæ, atque allegat Antonium Senensem Lusitanum, & Joannem Picum Mirandulanum, qui ei pariter attribuunt, longe antequam ederetur sub Ægidii Romani nomine: imo quod etiam Joannes Picus citat sub nomine *Joannis Parisiensis.* 5to Nullus legitur tam antiquus nomenclator, qui attribuat Ægidio: quem Joannes Picus, qui Joanni Parisiensi tribuit. 6to cœptum est scribi circa annum 1300. vel circiter contra Doctrinam divi Thomæ, ut supra diximus. At tunc temporis Ægidius Romanus erat Bituricensis Archiepiscopus, quem consequenter ista non tangebant Monachalia, nec verisimile est, sese immiscuisse odiis mutuis ac discordiis, inter Minoritas & Dominicanos excitatis. 7mo Illi, qui volunt, Ægidium Romanum scripsisse *Defensorium Doctrinæ S. Thomæ*, illum fuisse discipulum sancti Thomæ supponunt, ac defendisse doctrinam sui Magistri: sed hoc probandum est, non per neotericos nomenclatores, sed per scriptores coætaneos ac bonæ fidei: Extitit quidem contemporaneus sancto Thomæ Aquinati, sed negatur fuisse discipulus. Quot sunt contemporanei Sancto Thomæ, qui eum nunquam audierunt? Non solus docuit suo tempore Sanctus Thomas, nec semper nec ubique Scholarum. 8vo hoc ipso tempore quo Guillelmus Lamariensis *contra Sancti Thomæ Aquinatis doctrinam* scribebat, nempe cira annum 1300. vel paullo ante, Ægidius Romanus Bituricensis Archiepiscopus jam exmonachus, scribebat *contra Privilegia atque exemptiones Regularium*, quem confutavit anno 1311. Jacobus de Thermis Caroli loci Ordinis Cisterciensis in Gallia Abbas, tempore Concilii Viennensis. At qui ejusmodi erat, privatis se Mendicantium discordiis non immiscuisset, ut sanctum Thomam Dominicanum contra Guillelmum Lamarensem Franciscanum defenderet. Ita sane recti Consul vult, cui ut credam facile adducor.

Miror certe, quod tam constanter, tamque positive Natalis Alexander loco jam allegato, hoc *Defensorium* Ægidio Romano Bituricensi Archiepiscopo adscripserit. Absque dubio, quia vel habuit impressum illud sub nomine Ægidii Romani, vel quia credidit majorem Ægidii Romani famam atque existimationem nominis, plus valituram quam Joannis Parisiensis, authoris suspecti & a multis damnati: ad affirmandam S. Thomæ Aquinati tripartitam Summam Theologicam, quam ei denegabat Joannes Launojus, Parisiensis Theologus. Porro si ex hodiernis agendi rationibus & consuetudinibus, de præcedentibus seculorum præteritorum actionibus argumentari licet: omnia in gratiam Joannis Parisiensis tanquam authoris concludent, qui scripserit *Defensorium doctrinæ sancti Thomæ Aquinatis contra Correctorium Guillelmi Lamarensis:* nihil autem in gratiam Ægidii Romani Bituricensis Archiepiscopi. *Quid est, quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est? Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.* Inquit Salomon Eccl. 1. v. 9. Ex hodiernis igitur agendi rationibus, redeamus ad anteriorum seculorum agendi modos & mores, ut concludamus, Joannem Parisiensem Dominicanum fuisse defensorem doctrinæ sancti Thomæ Dominicani: non Ægidium Romanum primitus quidem Eremitam Augustinianum, postea Bituricensem Archiepiscopum. Hodie nostris temporibus Joannes Launojus, Constantiensis in Gallia Presbyter, insignis Theologus Parisiensis, nobile seculi sui ornamentum, mortalium primus anno 1675. dubitavit in eo Opere quod inscribitur, *Veneranda Romana Ecclesia circa Simoniam traditio*, observatione VIII. an *Summa Theologica tri-*

partita

partita quæ sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici nomen præfert, vere integra ad eum spectaret? innixus *silentio Clementis VI. Romani Pontificis*, qui in sermone *De sancto Thoma*, quem exhibet Codex MS. illustrissimi Archiepiscopi ac Ducis Remensis *Mauricii Tellerii*, Opera Angelici Doctoris recensens, *Summæ Theologiæ tripartitæ* non meminit. Quis contra illum scripturus surrexit? Solus Natalis Alexander Dominicanus Theologus, qui Ordinem suum inde offendi credidit, qui tunc novus Sorbonæ Doctor, eodem anno 1675. edidit Opusculum, quod inscripsit *Summam sancto Thomæ Vindicatam*, suarum lucubrationum primam Angelici Doctoris gloriæ faustis ominibus consecratam. Qui solus denuo eandem materiam tractatam anno 1684. accuratius discussit, tomo XXI. *Selectorum Historiæ Ecclesiasticæ Capitum* Dissertatione 6. pag. 783. per integros septendecim articulos, disjiciens Joannis Launoji sententiam ac dubitationem ejus propositam. Nullus Carmelita, nullus Franciscanus, nullus Augustinianus Eremita comparuit, qui sanctum Thomam contra Launojum defenderet. Nullus aliorum Ordinum e re sua esse duxit, ut huic quæstioni sese immisceret: aliis parum curantibus, an Summa præfata spectaret ad S. Thomam Aquinatem, necne. Anno 1660. Petrus de Alva & Astorga Carvatalensis, Ordinis Minorum Lector jubilatus, supremæ inquisitionis in Hispania qualificator, & totius religionis Minorum procurator Generalis in Curia Romana, scripsit Opus inscriptum *Nodus indissolubilis de conceptu mentis & & ventris*, Bruxellis anno 1661. in 8. impressum, ubi plurima S. Thomæ Aquinati adscripta Opera denegat, aliorumque esse authorum asserit. Quis contra illum scripturus surrexit? Solus Franciscus Janssens Ordinis fratrum Prædicatorum, Lovanii Philosophiæ Professor, in Opere inscripto, *Authoritas divi Thomæ Aquinatis, quinti Ecclesiæ Doctoris vindicata*, quod Gandavi in 16. anno 1664. apud Maximilianum Grait impressum est. Cumque Matthias Hauzeur, Ordinis Minorum Lector jubilatus, defendendam suscepisset causam Petri de Alva & Astorga in *Statera appensa* tractatu: Solus Matthiam Hauzeur impugnavit idem Franciscus Janssens Dominicanus, opere edito Antwerpiæ anno 1665. typis Engelberti Gymnici. Nullus ibi Carmelita, nullus Augustinianus Eremita, contra Franciscanos dimicaturus, comparuit. Anno 1664. vel circiter, Joannes Launojus in suis Epistolis testatus est, sanctum Thomam nescivisse linguam Græcam, atque illius omnino peregrinum fuisse. Quis contra eum surrexit, ut sanctum Thomam, Græce doctum faceret? Solus Bernardus Guiardus, Doctor & professor Theologus in Conventu S. Jacobi Parisiensis, Ordinis fratrum Prædicatorum, in Dissertatione *Vtrum Sanctus Thomas calluerit Linguam Græcam*, edita in 8. Parisiis anno 1667. apud Carolum le Cointe. Nullus Carmelita vel Augustinianus Eremita, vel Franciscanus, qui se his quæstionibus Dominicanos spectantibus, immiscuerit. Idem ergo dicendum de quæstionibus, quas Guillelmus de Mara seu Lamarensis Anglus circa annum 1300. movit, quibus solus sese immiscuit Joannes Parisiensis Dominicanus, nullatenus Ægidius Romanus, tunc temporis Archiepiscopus Bituricensis, & antea Eremita Augustinianus. Mendicantes equidem amici ac simul collecti, dum in suis communibus privilegiis impugnantur: sed ubi agitur de singularium Ordinum ac personarum prærogativis? quisque privatis studet commodis, nec videre est unquam, Franciscanos egisse causam fratrum Prædicatorum, vel vicissim. Denique, quando Durandus de sancto Porciano, olim Dominicanus & postea Aniciensis Episcopus, circa annum 1318. vel 1320. scripsit seu complevit Commentarium suum in 4. Libros Magistri Sententiarum, & in eo confutat S. Thomam Aquinatem in multis articulis & opinionibus: Quis contra hunc etiam antea Dominicanum surrexit? Nullus Carmelita, nullus Augustinianus Eremita, nullus Franciscanus: sed solus alter Durandus junior ætate & statura, unde & Durandellus dictus, professione etiam Dominicanus, qui alterum non amplius Dominicanum, sed Episcopum scriptis suis audacibus confutavit ac revinxit. Constat ergo ex dictis *Correctorium Corruptorii Divi Thomæ*, non esse Ægidii Romani, sed Joannis Parisiensis, Ordinis fratrum Prædicatorum, de quo loquimur.

CAPUT QUARTUM.

DE ALIIS OPERIBUS JOANNIS PARISIENSIS.

ITem MSS. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Lincolniensi, Cod. 16. *Determinatio fratris Joannis Parisiensis, De Secta Christiana per Gentilium testimonia*, atque *Determinatio ejusdem De confessionibus fratrum*. Et in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis Codice MS. 602. *Opus fratris Joannis de Parisiis, dicti Quidort, De adventu Christi secundum carnem.* In fine, *Explicit tractatus de Antichristo editus a fratre Joanne de Parisius Ordinis fratrum Prædicatorum anno Domini MCCC.* Ac quamvis ita inscribatur, mea quidem sententia & conjectura unum & idem Opus est cum Opusculo, quod edidit Joannes de Parisiis *De secta Christianorum per testimonia Gentilium Philosophorum probanda*: quod suspicatus sum ex primis hujus Opusculi lineis, quas descripsimus. *Quoniam occasione cujusdem sermonis quem ad Clerum feceram de adventu Domini nostri Jesu Christi ut dicitis, me rogavit vestra dilectio, ut de libris Gentilium testimonia colligerem de Christo, & ejus sacrosancta nativitate de Virgine, & secta ejus: per qua Increduli, qui authoritatem Christi & Evangeliorum, aut etiam sacra scriptura generaliter non recipiunt, disponerentur facilius ad veritatem fidei sti-*

fcipiendam, & firmiter retinendam, & etiam approbandam. Veftra devotioni Licet in aliquibus occupatus &c.

Præter hos duos tractatus, de quibus fupra, attribuit ipfi Stephanus Baluzius in Colbertina bibliotheca Codice 3725. *Sermones tres* ab hoc Joanne Parifiis pronuntiatos, *unum* in Adventu, *alterum* Dominica fecunda quadragefimæ, *tertium* Dominica prima poft Pafcha. Hæc Baluzius, ex MSS. Colbertinis.

Denique *Determinatio fratris Johannis de Parifiis Prædicatoris, de modo exiftendi corpus Chrifti in Sacramento Altaris, alio quam fit ille, quem tenet Ecclefia:* MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parifienfis Littera M M 6. folio feu pag. 70, infcripta ut fupra *Determinatio* &c. tractatus autem, *Intendo defendere veram exiftentiam & realem Corporis Chrifti in Sacramento Altaris* &c. edidit in 8. anno 1686. Londini Petrus Allix cum prævia Differtatione Hiftorica omnino erudita. Hoc Opufculo vult utrumque modum ponendi corpus Chrifti in Sacramento altaris, fcilicet *modum converfionis fubftantiæ panis & vini in corpus & fanguinem Chrifti, & affumptionis ejufdem fubftantiæ a verbo,* effe probabilem, & utrumque ex dictis Sanctorum Patrum aprobari poffe. Vult neutrum effe ab Ecclefia determinatum, & ideo quoque ad fidem haud fpectare & fi aliter dixiffet, minus bene dixiffet: & qui aliter diceret, minus bene diceret: & qui determinate afferent, alterutrum ad fidei fundamentum pertinere, incurrerent fententiam Canonis & anathematis. Non effe tamen quod Reformati hujus Joannis Parifienfis authoritate abutantur, ad opinionem fuam ftabiliendam, cum abfentiæ eorum verbi nullatenus faveat. Nam Catholica Romana dogmata *de vera & reali exiftentia corporis Chrifti in Euchariftia & de transfubftantiatione panis & vini in ejufdem corporis & fanguinis fubftantiam* admittit ac profitetur: non obftante fingulari illa & abfona opinione *de modo exiftendi corporis & fanguinis Chrifti.* Quod hanc veritatem expreffe, luculenter, conftanter propugnaverit, probant ipfius verba, initio ejufdem Determinationis. *Intendo defendere veram exiftentiam & realem corporis Chrifti in Sacramento altaris, & quod non eft ibi folum ficut in figno. Et licet teneam & approbem illam folemnem opinionem, quod corpus Chrifti eft in facramento altaris per converfionem fubftantiæ panis in corpus Chrifti, & quod ibi maneant accidentia fine fubjecto: non tamen audeo dicere, quod hoc cadat fub fide mea, fed poteft aliter falvari vera & realis præfentia corporis Chrifti in facramento altaris. Proteftor tamen, quod fi oftendatur dictus modus determinatus effe per facrum Canonem, aut per Ecclefiam, aut per Generale Concilium, aut per Papam, qui in virtute continet totam Ecclefiam: quidquid dicam, nolo haberi pro dicto, & ftatim paratus fum revocare. Quod fi non fit determinatus, contingat tamen ipfum determinari, ftatim paratus fum affentiri. Probabiliter tamen poteft aliter falvari vera & realis exiftentia corporis Chrifti in Sacramento altaris, etfi quis alium modum inveniat, paratus fum juvare ipfum ad fuftinendum eum: ut fic fides noftra de vera exiftentia corporis Chrifti in Sacramento altaris poffit pluribus modis falvari & defendi.* Statum quæftionis a Joanne de Parifiis excitatæ, eodem modo exponit continuator Chronici *Guillelmi Nangiaci* tomo XI. *Spicilegii Dacheriani* pag. 617. his verbis. *Frater Joannes de Parifiis Ordinis fratrum Prædicatorum, Magifter in Theologia, vir admodum litteratus & ingenio clarus, circa verum exiftentiam corporis Chrifti in Sacramento altaris, novum ponendi modum introducere conatur: dicens videlicet non tantum hoc effe poffibile commutatione fubftantia panis in corpus Chrifti verbo adeffe fuppofitum ipfius, mediante corpore, quod eft pars natura humana: verum etiam hoc effe poffibile, per affumptionem fubftantia panis vel paneitatis in Chrifto: nec credebat primum modum ponendi, quem communis Doctorum opinio tenet, effe ita neceffario tenendum, feu ab Ecclefia deftinatum: quin etiam fecundum teneri poffe tanquam popularis, & fortaffis, ut dicebat Magifter, magis rationalis & congruus veritati facramenti, & per quem falvatur apparentia circa fpecies fenfibiles remanentes. Cæteris Theologia Doctoribus contrarium adftruentibus, primum modum tanquam ab Ecclefia deftinatum, præfertim per Decretalem Papæ, De fumma Trinitate & fide Catholica,* firmiter credimus, *neceffario tenendum: & fecundum tanquam veritati fidei & etiam Sacramenti diffonum, merito reprobandum.* Perperam itaque & mala prorfus fide Calviniani Miniftri authoritatem *Joannis Parifienfis,* contra dogma præfentiæ realis corporis & fanguinis Chrifti in Euchariftia, & transfubftantiationis, objiciunt. Ad hunc modum explicandæ præfentiæ realis & transfubftantiationis, fpectant illa ejus verba in fine Scripti ea de quæftione ab ipfo editi. *In præfentia collegii Magiftrorum in Theologia dictum eft, utrumque modum ponendi corpus Chrifti effe in altari, tenet pro opinione probabili, & approbat utrumque. Dicit tamen, quod nullus eft determinatus per Ecclefiam, & ideo nullus cadit fub fide: & fi aliter dixiffet, minus bene dixiffet: & qui aliter dicunt, minus bene dicunt: & qui determinate affereret, alterum præcife cadere fub fide, incurreret fententiam Canonis & Anathematis.* De illius authoris errore, lege Thomam Waldenfem in *Doctrinali fidei* tomo 2. cap. 65, & Joannem Bacon authorem coævum, ex quibus rurfus colligitur, ipfam novam illam fuam opinionem non afferuiffe, fed velut problema propofuiffe, ut etiam obfervat doctiffimus Cardinalis Perroius Lib. 3. *De Sacramento Euchariftia,* auctore LXIII. difcuffo. Cæterum ab Epifcopo & facra facultate Parifienfi fæpius admonitus, & docendi munere prohibitus, cum ad fedem Apoftolicam, doctrinæ rationem redditurus, acceffiffet, eo interim defuncto, quæftio fopita eft. Hæc ego verbotenus ex Natali Alexandro in *Selectis Hiftoria Ecclefiaftica Capitibus* feculo XIV. tomo XX. cap. 5, art. 1. pag. 580. Agunt de

Joanne

Joanne Parisiensi, Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, sed parce admodum. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 405. pag 263. Theophilus Raynandus in Opusculo *De malis & bonis libris* parte 1. Erotem. 10. §. 2. pag. 122. & in *Pseudonominorum Catalogo* pag. 135. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana*, ad annum 1277. pag. 46. Henricus Spondanus ad annum 1304. num. 14. qui ex Joanne Brehaldo ejusdem Ordinis, narrat cognomine *Pungentis asinum* appellatur fuisse, vulgo *Jean Point l'asne*, unde suppresso cognomine *Joannes Parisiensis* dictus sit. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 123. ubi duos distinguit Joannem de Parisiis dictum, *Quidort*; & alterum cognominatum *Pungensasinum*, ambos eodem tempore viventes, Ordinis ejusdem fratrum Prædicatorum, licet hoc positive de hoc ultimo non scribat, cui tamen hac in parte assensum præbere non possum.

1290 JOANNES ACTONUS vel de ACTONA, quem perperam nonnulli *Athon* vocant, in Anglia natus, Oxonii ad annos bene multos in studiis enutritus, ibidem tandem juris utriusque Doctor renuntiatus est. Factus postea Lincolniensis Ecclesiæ Canonicus, ad alios docendum atque ad scribendum etiam animum applicuit. Edidit certe non pauca, quæ partim Roberto Capitoni, partim Guilielmo de Montibus attributa sunt. Et quoniam hi tres fuerant Lincolnienses, dubium nonnunquam est, quæ opera cuique adscribenda sint: cum tituli libris præfixi sine adjecto, *Lincolniensis* nomen solummodo præ se ferant. Qui titulus licet communiter competat Roberto Capitoni, tanquam quodammodo primo analogato, aliis tamen nonnunquam etiam accommodatus, ambiguitatem parit. Præterea dubium apud me non est, quin Actonus Capitonem imitatus, de quibusdam rebus sub eodem plane titulo scripserit. Verbi gratia scripsit uterque *Summam justitiæ*, & Tractatum *Qui bene præsunt* &c. Tractatum moralem *de veneno* &c. Itaque mihi certo persuadeo, Joannem Actonum scripsisse *Tractatum moralem de veneno*, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. *Summam justitiæ* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. *Tractatum generalem, Qui bene præsunt*, MS. ibidem. *Septuplum & Apparatum super Constitutiones Legatorum Othonis & Ottoboni* Lib. unum. *Ad succidendum palmites pestiferas*, MS. Oxonii in Collegio Novo. *In Statuta Anglicana* lib. unum. *Quoniam domum Dei fortitudo* &c. Scripsit etiam alia multa, quorum titulos non invenio. Claruit anno Redemptionis humanæ 1290. Eduardo primo regnante in Anglia. Hæc Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIII. Scriptore 416. ad an. 1290. pag. 372. Cui addam MSS. Codices Operum Joanis Actoni extantes, ex Catalogis impressis Codicum Manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ, 2. voll. in fol. Oxonii 1698.

Extat inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 2642. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super D 1. Art. Codice 43. num. 1. *Othonis & Othoboni Constitutiones Legatina, cum Apparatu Joannis Actonii Canonici Lincolniensis*. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1178. in MSS. Codicibus Collegii novi Codice 214. num. 1. *Joannes Acton profundissimus Glossator super Const tutiones Othonis & Ottoboni quondam legatorum in Anglia*. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 927. in MSS. Codicibus Collegii Caiohonvilensis, in Jurisconsultis Codice 81. num. 1. *Glossa Joannis Athonis super Constitut. Domini Othonis, Apostolicæ sedis in Anglia Legati*. Num 2. *Ejusdem Glossa super Constitut. Ottoboni*. G 59. Ibidem Codice 1855 & 1857. in MSS. Codicibus Domus Sancti Petri, Codicibus 193. *Joannes Acton in provinciales Constitutiones*. 195. *Joannes Aton super Constitutiones Legatinas*. Inter MSS. Codices ejusdem Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2317 in MSS. Codicibus bibliothecæ publicæ Codice 137. num. 4. *Tractatus Lincolniensis de veneno*, & sequitur censura in fine ejusdem Tractatus. *Explicit Tractatus de Veneno a Domino Lincolniensi compositus, Roberto Grossetest, alii dicunt, quod iste sit Tractatus moralis de veneno Magistri Jo. Acton Canonici Lincolniensis*. Extat quidem inter Opera Roberti Grossetest inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 2656, in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super D 1. Art. Codice 57. num. 4. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 2341. & 2343. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 200. num, 2. Codice 202. num. 3. Et anonymus inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum, Codice 9159. in MSS. Codicibus Henrici Farmeri Cod. 9.

Idem scripsit Summam de Peccatis, quam *Septuplum* inscripsit, quæ MS. extat inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 881, in MSS. Codicibus Collegii Orielensis Codice 29. num. 1. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 1913. in MSS. Codicibus Collegii Etonensis sub arce Windesoria Codice 115. *Septuplum* in folio.

Summam justitiæ MS. inter Codices MSS. Vniversitatis Oxoniensis Codice 109. in MSS. Codicibus Collegii Vniversitatis in theca ad sinistram Codice 16. num. 5. *Tractatus optimus qui dicitur, Summa Justitia* fol. Ibidem Codice 212. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis B 11. num. 3. *Summa Justitia* edita a quodam Lincolniensi.

Scripsit etiam tractatum incipientem, *qui bene præsunt presbyteri* attributum in multis MSS. Codicibus Guilelmo de Montibus, in aliis dictum ex Operibus ejus collectum, atque etiam ab

ab aliis Joanni Actono adscriptum, de quo vide, quæ diximus in *Guillelmo de Montibus* ad annum 1230. supra. Porro inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1750. in MSS. Codicibus Domus sancti Petri Codice 88. ubi Numerale M. Guilielmi de Montibus, habetur. „Notandum quod iste Gulielmus de Montibus, „qui fecit istud *Numerale* & *Similitudinarium*, fuit „Canonicus Lincolniensis: & Joannes de Actona, qui fecit *Septuplum* & *Apparatum super Constitutiones Othonis & Ottoboni*, & *Summam Justitiæ*, & *Generalem Tractatum, qui vocatur, Qui bene præsunt*, fuit etiam Canonicus Lincolniensis. „Sed quando allegatur alicubi *Lincolniensis* absolute, innuitur Robertus Grossum caput, qui „fuit præcipuus omnium. Mentionem faciunt „Joannis Acton inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. 170. pag. 225. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Joannes Acton*. Joannes Pitseus, a nobis antea exscriptus.

1290 PSEVDOHVNIBALDVS quem Joannes Trithemius, Satzius atque alii seculo VI. Ecclesiæ, nempe Clodovæi tempore floruisse putant, ex eo quod in Clodovæi temporibus desinat, maxime falluntur. Hic autem Hunibaldus, uti habet Trithemius & post eum Josias Simlerus in *Appendice Gesneri, ex Carminibus & scriptis flaminum sua Gentis, Wasthali Historiam per annos DCCCCXXVI. usque ad ultimum Clodovai annum continuavit. Scripsit autem Historiarum Libros XVIII.* In primis sex libris tractat res Trojanas, usque ad mortem Antenoris. Hinc aliis sex libris usque ad Faramundum Francorum Regem progreditur, sex autem ultimis pertingit usque ad tempora Clodovæi. Hujus Operis Hunibaldi ultimos duodecim libros in Compendium redegit Johannes Trithemius, quod inter alia ejusdem opera statim ab initio extat. Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 22. scriptorem hunc vocat *ferrei oris, plumbei pectoris, qui non modo promat Romanis indicta, sed plane repugnantia, ut fidem ei habere non possimus, nisi Romanis omnibus detrahamus.* Pontanus *Originum Francicorum* libro II. cap. V. *fabulosum ac barbarum* appellat. Quidquid autem sit, in tanta litterarum luce non desunt, qui pro vero scriptore habeant. Nam Trithemius quidem *solidum Francorum historiographum* ejusdemque opus *insigne opus* dicit, quem Latzius, qui pleraque sua ex Trithemio habet, in Opere *De migratione Gentium* sequitur. Vt dicam quod res est, Historiam ipsam fabulosam esse, certum est. Auctorem autem esse aliquem Germanum ex Franconia, qui gentis suæ laudem tam effronti atque enormi sub titulo prostituere, insano quodam cacoheta voluerit. Scriptor ergo recentior quidam est, qui se sub antiquo Hunibaldi nomine, abscondere voluerit. Quod autem sub Clodovæi temporibus vixerit, hoc doctissimus Pontanus *Originum Francicarum* lib. 3. cap. 3. falsum dicit, partim quod abjecto sermone utatur, cum tamen alii ejusdem ætatis, ut Sidonius Apollinaris & Boethius satis bele loquantur. Imò Pontanus idem multos errores Historicos eidem ostendit, in quos homo ejusdem temporis incidere nunquam potuit. Maxime verò quod Rotherum qui anno Christi LXXXIX. vixit, Roterodami conditorem faciat: cum tamen Hadrianus Junius in *Historia Batavia* pag. 295. quam anno 1588. compositam Franciscus Raphelengius Lugduni Batavorum in 4. edidit, probet extremam urbis Roterodami antiquitatem, ultra trecentorum annorum curriculum, usque ad sua tempora non progredi, eandemque a Rota fluvio accepisse hoc nomen. Vel hoc solum indicat satis, Scriptorem vix ante trecentos annos vixisse, circa annum •MCCLXXXX. Marcus quoque Zverius Boxhornius *in Theatro Comitatus Hollandia & Descriptione nova urbium illius*, edito anno 1632. ex officina Wilhelmi Christiani In folio, vir in inquirendis antiquitatibus diligens, pag. 281. Roterodamum post sex majores Hollandiæ urbes collocat, inter minores urbes illam primam, quam *circa annum MCCLXX. vallo munitam & privilegiis municipalibus ornatam esse* scribit. Dum dicit, *circa annum MCCLXX.* dat intelligendum, illud etiam non esse certum, ac serius accidere potuisse. Anonymus itaque iste Franco, Pseudohunibaldus, anno MCCXC. antiquior non est, cui assignamus. Hæc nobis suggesserunt Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 22. Burcardus Gotthelfius Struvius in Dissertatione *De doctis impostoribus* cap. 6. pag. 12. ad calcem *Introductionis ad notitiam rei litterariæ & usum Bibliothecarum*, editæ Jenæ 1706. in octavo.

NICOLAVS DE FRACTVRA Abbas 1290 Monasterii Sancti Vincentii de Vulturno in Italia, anteà Monachus Cassinensis & Decretorum Doctor, florebat anno 1290. & sequentibus. Hic anno 1298. scripsit *Commentarium doctum seu Expositionem in Regulam divi Benedicti*, quam habes Manuscriptum in Bibliotheca Abbatiæ S. Germani Parisiensis Codice 806. sub hoc titulo. *Incipit Expositio Regula secundum Nicolaum de Fractum Abbatem Monasterii Sancti Vincentii de Vulturno, Doctorem Decretorum, olim Monachum Casinensem, facta & exposita sub annum Domini 1299. die 3. mensis Martii & Pontificatus Domini Bonifacii Papæ VIII. anno V.* Præfatio autem incipit hoc modo, *Venerabilibus in Christo Patribus, universis & singulis Abbatibus & Fratribus in Christo carissimis Monachis, sub Regula Patris nostri Beati Benedicti degentibus, Nicolaus Abbas Sancti Vincentii de Vulturno, Decretorum Doctor salutem, & ad cœlestem Hierusalem, vita hujus decursa feliciter stadio pervenire.* Incipit Prooemium super Expositione Regulæ Sancti Benedicti.

Dies

Dies antiquos dum apud meipsum intempesta noctis silentio cogitarem, & annos Scholasticos Summa cum diligentia memoriter retinerem, deliberavi aliquid ad utilitatem legentium &c. In fine. *Explicit Expositio Regulæ Sancti Benedicti, secundùm Nicolaum Abbatem Sancti Vincentii, Decretorum Doctorem, quam exposuit in Monasterio Cassinensi sub anno Domini M CC XCVIII. sub Abbate Gallardo*, qui eo tempore Cassinensi Monasterio præsidebat.

Hic liber est scriptus, exponens sit benedictus:
Vt rosa flos florum, sic est liber iste Librorum.

Solus quem noverim, hujus Scriptoris meminit, Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præfecit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 133. ubi & citati Codicis 806. Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis, quem etiam tenuerat & volverat, mentionem facit.

1290 RICHARDVS DE SANCTO ANGELO, Monachus Cassinensis, florebat eodem tempore, quo Nicolaus de Fractura ab anno circiter 1290. ad annum 1300. vel 1310. nec enim scimus quonam anno præcise mortuus sit. Idem ad Nicolai imitationem (vel Nicolaus ad Richardi) scripsit *Commentarium in Regulam Beati Benedicti*, Monachorum fermè omnium Occidentalium hodiernorum parentis. Obtulit illud Landulfo cognomine Brancatio, qui factus est Cardinalis à Cœlestino V. anno Domini 1244. tituli Sancti Angeli, mortuusque Avenione anno 1312. die 29. Octobris, ut tradit Auberius *in Historia Generali Cardinalium* tomo 1. fol. 360. Vnde ad hoc tempus inter annum 1294. & 1312. Richardum de Sancto Angelo fiximus. Habetur hoc Opus MS. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, num. 802. Codice optimæ notæ, quod ita incipit. *Reverendo in Christo Patri & Domino, Domino Landulpho divina miseratione Sancti Angeli dignissimo Diacono Cardinali, præcipuo Domino & Benefactori suo, Frater Richardus de Sancto Angelo, Monachus Cassinensis, & Præpositus Monasterii Vallis Lucii, ejus Capellanus ubique devotus, seipsum cum recommendatione. Quia omnis sapientia à Domino Deo est, omnis enim risto superna Scientia, sive terrena creatura ab eo procedit &c.* Commentarius incipit, *Liber iste Regula appellatur, ideo videndum est, quid sit Regula &c.* In fine, *Expliciunt Glossa super Regula patris nostri Beatissimi Benedicti, composita à Venerabili Fratre Richardo de Sancto Angelo, Monacho Casinensi, & Præposito Monasterii Vallis Lucii, scripta per manum Fratris Richardi Monachi de Ambiano, Monasterii de Vlteriori portu, & Prioris Prioratus de Envrevilla, Ordinis Sancti Benedicti, Rothomagensis Diœcesis. Hæc autem Scriptura fuit completa anno incarnationis Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, Indictione septima, die secunda mensis Junii, Pontificatus Domini Innocentii Papæ Sexti anno secundo.*

Idem Opus habetur in eadem Bibliotheca MS. altero Codice 694. qui recens est. Solus quem noverim, hujus Scriptoris meminit. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Authorum*, quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 143. ubi profert citatum Codicem 802. Bibliothecæ S. Germani Parisiensis, sed certam ætatem huic authori non adscribit.

ÆMILIVS STOKVS natione Batavus, quam tamen ex Flandria ortum fuisse, falsò in quibusdam Annalibus memoratur: 1290
cùm illis quæ in suo Chronico de Flandrensibus passim æquâ parum mente scribit, se non Flandrum, sed Batavum extitisse prodat. Auctor antiquissimus, qui linguâ suâ vernacula rythmico stilo *Chronicon Comitum Hollandiæ à Theodorico I. continuata serie ad Guillelmum III.* seu ad annum Christi incarnati 1305. conscripsit. Cum esset inter Sacerdotes Episcopi Vltrajectensis, ad ministerium sacrum apud Hollandiæ Comites assumptus est, ut idem Chronicon pro certo tradit. Itaque Sacellanum illum fuisse Florentii V. Comitis, ipsique vel à Confessionibus vel à Sacris, ex vulgato Chronico, non incongruè colligimus; uti & Monachum fuisse comperti nondum nobis cœnobii, sed Egmundani quidem, non leves conjecturæ faciunt. Temporibus Florentii V. Comitis floruit, cui Chronicon suum viventi inscripsit, sed vitam & Historiam suam usque ad annum 1305. continuavit. Diffusiore autem stilo disseruit Scriptor hic de Comitibus Hollandiæ quibus synchronus extitit, cum de aliis anterioribus, compendio tantum dixerit. Hi autem de quibus diffusè satis, Florentinus V. qui anno 1296. occisus periit: Joannes I. & II. de quibus pluribus, tandemque Guillelmus III. in quo finem Historiæ imposuit, eo anno quo Guillelmus iste annos tantum XIX. natus jam Batavis præerat, quem Christi nati 1305. dicimus. Claruit igitur Æmilius Stokus ab anno 1296. ad annum 1305. quo Chronicon desinit. Prodiit illud primum ex Egmundanis Schedis, Amstelodami anno 1591. apud Bernardum Adriani, cura & studio Jani Douzæ Noordovici toparchæ, sanguine & ingenio nobilis. Verum officina Bernardi casu conflagrata, exemplaria admodum pauca hujus editionis, in eruditorum manus pervenerunt, omnibus fermè ante distributionem igne absumptis. Postea typis Hislebrandi van Wou apud Hagam Comitis 1620. prodiit, sed utraque illa editione sub Anonymi titulo, donec Petrus Scriverius ejus auctorem fuisse Æmilium Stokum probavit, cujus nomen in *fragmento quodam ejusdem Chronici* seu *Epilogo*, quod in pergamento scriptum invenit, compactum cum opere Divi Augusti *De Civitate Dei*. Tandem Lugduni Batavorum anno 1699. in folio, apud Joannem du Vivier & Joannem Severinum hoc opus tertio recusum fuit. Agunt de hoc Scriptore, qui primus

mus edendum illum curavit sub *Anonymi* nomine, Janus Douza Nordovici toparcha, in Dedicatione Chronici ad illustres Hollandiæ & Westfrisiæ Ordines. Petrus Scriverius, qui nomen Scriptoris indicavit in Notis ad Chronicon *Hollandiæ Comitum* 1650. editum Harlemi in folio, paginis 3. 10. 15. & 17. in Theodorico I. II. Arnulpho, Theodorico III.

1290 GUIDO DE CASTRIS Gallicè de Castres, Sancti Dionysii in Francia Abbas, Ordinis divi Benedicti, pietate & doctrina circa annum 1290. florebat, unde meritis exposcentibus & alta voce in ejus gratiam clamantibus, Reginaldo Giffardo anno 1294. denato ad diem undecimum Martii, suffectus est Guido de Castris in demortui locum, sub cujus regimine vixit Guillelmus de Nangiaco, Monachus Sancti Dionysii, Historiarum & Gestorum Ludovici IX. Regis Scriptor, de quo paullo antè diximus. Scripsit ipse Guido de Castris duo volumina satis magna *De vitiis Sanctorum*, quæ MSS. extant in celebri Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Augustinianorum, Litteris EEE. 7. & 8. Inscribuntur, *Guidonis Sancti Dionysii Abbatis Sanctilogium.* Incipit Prologus Guidonis Abbatis in Sanctilogium, sive in Speculum Legendarum: *Legendas Sanctorum, quorum memoria laude digna in Monasterio nostro Beati videlicet atque magni Areopagita Dionysii prope Parisius, per anni circulum recensentur &c.* Cùm autem in omnibus Gallicanis Monasteriis Martyrologium Usuardi Monachi Sancti Germani obtineret, quod pro Romano à multis habitum est: hoc Sanctilogium propriè agit *de Sanctis* qui Usuardi Martyrologio comprehenduntur, quod per modum Martyrologii glossati f. commentati disponitur: unde ad diem primam Januarii, Incipit Sanctilogium Guidonis Abbatis. Kalendis Januarii, ex Martyrologio: *Prima die Januarii Circoncisio Domini nostri Jesu Christi. De eadem ex Legenda aurea, capitulo XIII.* Opus est simplex, variaque modicæ authoritatis amplectitur. Extat quoque inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, Codice 8244. in MSS. Codd. Jacobææ Bibliothecæ Codice 522. Mortuus est anno 1310. die 22. Februarii, cujus cupreæ tumbæ incisum hoc Epitaphium.

Positus fuit hic
Flos, regimen morum, fons, regula, forma bonorum
Religiosorum decus, & speculum Monachorum,
Sub Lamina tegitur præsenti, qua sepelitur,
Guido de Castris Abbas, qui vivat in Astris.
Hæc Lector memor es, Pater hic contempsit honores,
Despexit namque mundum, carnem, Sathanamque:
Mira quidem fecit, Christi detentus amore,
Se sic subjecit, quod se privavit honore
Patris, Pastoris, notum sit hoc omnibus oris.
M CCC quinque dis pone, nihil inde relinque,
Cui Deus in patrem se donet, Virgoque matrem;
In cathedræ festo moritur pastor, memor esto.

Ex his sequentibus se duobus Epitaphiis, constat quanta esset hujus temporis ac sequentium Barbaries, dum tam absonæ laudes primis horum temporum facibus & stellis attribuerentur: quod magis adhuc ex authoris proximè sequentis patebit Epitaphio, Petri de Bella pertica Franciæ Cancellarii lapidi adposito. Faciunt mentionem *Guidonis de Castris Abbatis Sancti Dionysii* Fratres Sammarthani tomo 4. *Gallia Christiana* pag. 337. in Abbatibus Dionysii. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* p. 694. sed parce admodum.

PETRUS DE BELLA PERTICA FRANCIÆ CANCELLARIUS, Gallice de Belle perche, claruit inter primarios ætatis suæ viros in regno Galliæ ob Juris Civilis potissimum, sed & Canonici etiam scientiam, ob quam tandem ad primariam post Regem Regni dignitatem pervenit, Cancellarius Regni Franciæ constitutus. Factus primùm ab anno præterpropter 1290. Philippi Regis Francorum Clericus seu Sacellanus, tum Carnotensis atque Bituricensis Ecclesiarum Canonicus, Jurisconsultus sui temporis clarissimus & Scriptis clarus. Electus autem dicitur posthæc Parisiensis Ecclesiæ Decanus anno 1305. in Originali tractatus Regis cum Archiepiscopo Lugdunensi *pro justitia*, ex chartis Thesauri Regii, inde Episcopus Antissiodorensis creatus. Hæc Fratres Sammarthani tomo I. *Gallia Christiana* pag. 472. in *Decanis Parisiensibus*. Sed de illo Cæsar Egassius Bullæus Seculo VI. *Historia Universitatis Parisiensis* ad annum 1308. quo mortuus est, pag. 118. his verbis. „Eodem anno obiit Magister Petrus de Bella pertica, natione Gallus, de partibus Borbonensibus, de castro Bellæ perticæ super fluvium Aligerim, mediocris generis status parentibus ortus, Decanus olim Ecclesiæ Parisiensis, tunc autem Episcopus Antissiodorensis & Cancellarius Regni. Vir peritissimus in Jure Civili, in quo citra montes pater habebatur peritorum. Hujus enim labor & peritia fuit, versari in dubiorum obscuritatumque Juris Civilis elucidatione, ut patet in libro appellationis hujus *Glossarum*, videlicet *super libro Codicis*, & quamplurimorum aliorum Scriptorum suorum, secundum quæ in studiis generalibus Regni, & potissime apud Aureliam informantur, qui erudiri cupiunt per-

„perfecte. Habuit præceptorem famosissimum „illum Magistrum D. Jacobum de Ravigneio, „qui similiter scripsit *super Digesto Veteri*, quem „Magistrum sedulò sequutus, similis eidem in „Magisterio est effectus. Ita legitur *in Historia veteri Episcoporum Antissiodorensium.* Opera porrò tam *Magistri Jacobi præfati*, quam discipuli *Petri de Bella pertica*, extant MSS. simul in Bibliotheca celebri Canonicorum Regularium Sancti Victoris Parisiensis, Littera S. 9. ubi sic. Item à fol. 146. usque ad fol. 156. *Tractatus de materia octavi Libri prædicti De digestis novi secundum Petrum de Bella pertica.* Item à folio 156. usque ad 166. *Tractatus de materia Libri undecimi ejusdem de Digestu novi, secundum eundem Petrum de Bella pertica.* Et Littera R. 7. fol. 103. *Lectura Domini Petri de Bella pertica super titulo Actionum, &c.* Commentarii autem isti *Petri de Bella pertica, Juris utriusque Professoris in libros novem Codicis Justiniani*, olim Parisiis impressi sunt in folio, charactere insigni anno 1519. apud Petrum Gromorsum, cujus unum exemplar vidi in Bibliotheca Collegii Regalis Navarrici Parisiensis. Cujus etiam *Petri Commentarii* in Codicem MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 160. At longe plura extant Opuscula Petri de Bella pertica in lucem producta, quàm manuscripta sint. Nimirum inter Libros impressos Bibliothecæ publicæ Oxoniensis, Commentarius *De feudu* Hanoviæ 1603. in 8. C. 13. *Juris.* Et inter Tractatus Tractatuum Juris Venetiis anno 1584. editos Tomo X. pag. 2. & seqq. S. 1. 14. *Juris Seldeni.* Item Petri de Bella pertica aliorumque *Tractatus de acquirenda, conservanda & amittenda possessione*, Coloniæ anno 1587. in 8. P. 8. *Juris. Varia Repetitiones in Jus Civile* extant Lugduni in fol. anno 1587. in 8. P. 8. *Juris. Varia Repetitiones in Jus Civile* extant Lugduni in fol. anno 1553. inter octo volumina Repetitionum, quæ ibidem impressa sunt. R. Q. 1, 2, 7, 8. *Juris.* Nempe de Constit. Principum Tomo 1. Repett. Lugduni 1553. in fol. *Comment.* in L. 1. ff de Edendo, Tomo 2. Repett. In Legem *Etsi Severior* C. ex quibus causis infamia irrogetur. Tom. 7. Repett. De Interesse seu *de eo quod interest*, Tom. 8. Repett. Lugd. in fol. 1553. In Legem *Per hanc* C. de tempor. & reparat. appellat. Tomo 8. Repett. In Adriani Edictum Tomo 8. Repett. In Legem *Ab executione* C. quorum appell. non recipitur Tomo 8. Repett. In Legem *Si emancipati* C. de Collat. Tomo 8. Repett. Commentarius in Digestum novum se ad 43. 44. 45. 46. & 49. Pandectarum libros, Francofurti ad Mœnum in fol. 1571. G. 2. 4. *Juris.* Item Explicationes & Repetitiones in aliquot Leges Digesti Veteris & C. Justiniani, ibidem. *Quæstiones & Decisiones aureæ*, Eslingæ anno 1666. in 4. Denique de illo ibidem Sammarthani Fratres *in Gallia Christiana* tomo 2. in Episcopis Antissiodorensibus pag. 315. „Petrus de Belleperche ex Canonico Bituricensi & Clerico Philippi Regis Franciæ, natus Luccnaji ad Elaverim Diœcesis Nivernensis, ante adeptionem infulæ „Antissiodorensis, Monstrolium ad mare anno „1299. & cum Ægidio Præsule Narbonensi, Ambianum missus est anno 1302. pro pace ineunda „inter Angliæ & Galliæ Reges, nec non apud „Benedictum XI. Papam, anno 1. Pontificatus, ex „Chartophylacio Regio. Bullas obtinuit à „Clemente V. Summo Pontifice anno 1306. „Episcopatus Antissiodorensis, Juriumque inter- „pres eximius dicitur 16. Calendas Februarii in „Calendario Parisiensi, cujus Ecclesiæ Decanatum gesserat. Male quidam sepultum volunt in Ecclesia parochiali Villænovæ prope „castrum Bellæ perticæ, cui multa bona contulerit: tale namque habet Epitaphium Antissiodori secus Aquilam in choro Cathedralis, defunctus 17. Januarii anno 1308. quanquam Epigraphe habeat 1307.

Hac jacet in cella, Petrus cognomine Bella
Pertica, perlucidus verbis, factis quoque fidus,
Mitis, veridicus, prudens, humilisque, pudicus,
Legalis, planus, velut alter Justinianus.
Summus Doctorum, certissima regula morum,
Parisinorum Decanus Canonicorum,
Antisiodoricâ dignâ sumptâ sibi sede,
Tempora post media clarus successit ab æde.
Annis sub Mille ter C. septem simul, ille
. Sulpitii Festo migravit ab orbe molesto.
Det sibi solamen Spiritus Almus, Amen.

Illi in Episcopatu & in Cancellariâ Regni, successit Petrus de Gressibus natione Gallus, patriâ vastinensis, in utroque Jure peritus. Paucis agunt de *Petro à Bello pertica* Guillelmus de Nangiaco in *Chronico*, vel ejus Continuator, ad annum 1307. pag. mihi 625. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri*, & Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* col. 136. & alii quos suprà indicavimus.

ROBERTUS GALLUS, ita vulgò dictus, 1290
quod nullum aliud cognomen ipsius habeamus, quantum ex *Revelationibus* ejus assequi datum est, Provincialis fuit, anno 1290. claruit & sequentibus. Porrò ex iis quæ profert ex *visionibus* ejus Wolphius, ipsum Gallum fuisse constat, cum dicat anno 1291. dum in Arausica civitate moraretur, se assumptum è Spiritu, statutumque in Civitate Romana trans fluvium Tiberis, ubi Cathedram ligneam antiquam valde, ubi Pontifices probantur, an mares vel fœminæ sint, vacuam viderit, qua visione cessatio Romanæ sedis, futura aliquando, ipsi significa-

ba-

batur. Item facit mentionem Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis, ubi dum in altari B. Mariæ missarum solemnia celebrasset, depositis sacris vestibus, dum Deo suo gratias ageret, sibi visum esse S. Petrum Apostolum, qui eidem varia de Ecclesia Lateranensi seu Romana ostenderit. Extant *Roberti Galli Sermones & Visiones* editæ Parisiis anno 1513. pag. 19. & 24. Operis apud Henricum Stephanum, in folio Visionum ejusmodi, ubi pag. 28. *Sanctæ Hildegardis Abbatissæ in Monte S. Roberti Scivias, sive Visionum libri duo*, cum aliis ejusmodi nugis. Mentionem facit hujus Scriptoris Johannes Wolphius *Lectionum memorabilium* Volumine 1. ad annum 1291. pag. 577. & 578. unde quædam excerpit.

1290 NICOLAUS ABBAS SANCTI ANDREÆ IN SEXTA, natione Italus, patria Vercellensis, professione Monachus & Abbas Sancti Andreæ in Sexta prope Januam seu Genuam Ordinis Cisterciensis, quæ fundata, legitur anno Domini 1131. in Catalogo Abbatiarum istius Ordinis, claruisse mihi videtur & scripsisse post annum 1290. ob antiquitatem Codicis, quem habui hanc ætatem præ se ferentis, etsi nihil definire velim. Extant MSS. in Bibliotheca Claudii Joli Cantoris & Canonici Beatæ Mariæ Parisiensis, quam huic Metropolitanæ Ecclesiæ vivens donavit, *Sermones Magistri Nicolai de Vercellis Abbatis Sancti Andreæ de Sexto prope Januam, De Festis Sanctorum in 4.* Prologus. *Veniet desideratus cunctis gentibus* Aggæi 2. *Veniet nobis quasi imber temporaneus & serotinus terræ. Loquuturi de adventu dulcissimi Jesu Christi in carnem, præmisimus authoritatem, in qua fit mentio de adventu ejus per gratiam &c.* Ad finem Codicis, *Expliciunt Sermones De Festis Sanctorum, Domini Nicolai Vercellensis, Abbatis de Sexto prope Januam.* Hunc Scriptorem circa hoc tempus, ex conjecturis tantum retulimus, cum manuscriptus Codex ad hanc circiter ætatem spectet. Si quis aliud magis certum de hujus authoris ætate habuerit, lubens amplector, cujus nullus, quem sciam, mentionem fecit.

1300 THEODORUS METOCHITA natione Græcus, Magnus Logotheta Droini, atque ipsi Andronico Imperatori affinitate conjunctus, Joannis quippe Panphypersebasti, Andronici nepotis socer: qui seculo XIII. exeunte una cum Joanne Glyca in Occidentem Legatus, Mariam Germani Imperatoris Sororem, Michaeli Imperatoris Andronici primogenito desponsatam, ad Sponsum Constantinopolim adduxit. Claruit ab anno 1300. qui anno circiter 1314. Logotheta Generalis factus, omnia apud Imperatorem poterat, resque Imperii pro lubitu, summa tamen fide ac diligentia moderatus est. Immani prorsus errore hunc cum Georgio Metochite, Becci Socio, confundit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 29. pag. 308. atque adeo Joannem Beccum & Meliteniotem Theodoro Metochitæ exilii comites, insigni parachronismo adjungit. Georgius enim Metochita Andronico Seniori Palæologo infensissimus fuit, sed Theodorus Metochita amicissimus usque ad mortem. Georgius Metochita ob magnam cum Joanne Vecco unionem, ab Seniore Andronico circa annum 1286. unà cum Vecco deposito & Constantino Meliteniota in exilium pulsus est: contrà Theodorus Metochita, ob magnam unionem cum Andronico illo Seniore, circa annum 1328. ab Andronico Juniore in exilium missus est. Vir erat teste Nicephoro Gregora Lib. 7. *Historiæ* pag. 190. τῶν ὑφ᾽ ἡλίῳ σοφώτατος, ὁ τῇ φύσεως εὐμοιρίᾳ πρὸς λόγους, καὶ καρτερίᾳ πρὸς πόνους καὶ μνήμης ὑγιείᾳ καὶ καθαρότητι, σοφίας ἁπάσης εἰς τὸ ἀκρότατον ἤλασεν. Βιβλιοθήκη γὰρ ἔμψυχος ἦν οὗτος, καὶ τῶν ζητουμένων πρόχειρος εὐπορία· οὕτω πάντας μακρῷ τῷ μέτρῳ παρέδραμον, ὅσοι ποτὲ λόγων ἥψαντο. *Vir omnium quos sol intuetur doctissimus, qui facundia naturali & tolerantia laborum & memoriæ præstantia, summum omnis eruditionis fastigium ascenderat. Viva Bibliotheca & eorum, quæ scire velles, oraculum. Tanto intervallo omnes eos superabat, qui unquam in studiis versati fuissent.* Contemporaneus aliquandiu Nicephoro Callisto Xanthopuli filio hic Theodorus fuit, quippe quem Andronicus Palæologus ejus nominis primus, Magnum Logothetam fecerit, posteà autem Junior Andronicus Didymotichum, quod maritimum Bithyniæ oppidum est, ob servatam Andronico seniori fidem relegaverit. Narrat autem Gregoras loco citato, Theodorum Metochitam, *multiviga virum eruditionis fuisse, & quod de Longino Eunapius dicebat*, βιβλιοθήκην ἔμψυχον: *Sed ingenio suo & naturali facundia contentum, Veterum imitationem neglexisse, atque inde contingere, quod dictio ejus aures radat, & veluti pungat, quemadmodum Spina solent eos, qui rosas carpunt.* Idem de eo judicium habet Spondanus ex Gregora sumptum, in *Annalibus Ecclesiasticis* ad a. 1315. num. 8. Jam ad Scripta procedamus.

Edidit Joannes Meursius sub Theodori Metochitæ nomine *Compendium Historiæ Romanæ* à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum, cum versione sua ac notis impressum Lugduni Batavorum anno 1618. in 4. Sed non aliam esse hanc Historiam, quàm *Glycæ Annalium librum tertium*, Theophilus Raynaudus in Opusculo *De bonis & malis libris* pag. 156. pluribus ostendit, quam ab causam non immeritò vapulat apud eum Meursius. Idem quoque Philippus Labbeus eruditus antiquarius, in editione *Annalium Glycæ* Parisiis anno 1660. Græcolatina ex prœlo Galliarum Regio Lupareo, rectè contra Joannem Meursium, hoc Opus ab ipso Theodoro Metochitæ attributum ait nihil esse aliud, quam partem libri tertii *Annalium Michaelis Glycæ*, verbotenus, ut in editione ista repræsentat: tum in Operis Frontispicio, tum in Notis ad-

adjunctis, quod caute advertendum est. Sed cum temporis recentissimi, anni nempe 1440 vel 1450. Michael Glycas fuerit, dubio procul Glycas accepit Librum suum tertium Annalium à Theodoro Metochita, non Theodorus à Michaele Glyca, cui antiquior fuisse legitur.

Praeterea emisit *Historiæ sacræ libros duos*, itemque *Historiæ Constantinopolitanæ librum unicum*. Vtrumque Opus teste Gerardo Joanne Vossio Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 29. pag. 309. existit MS. in Bibliotheca Joannis Meursii. Alius vulgò censetur *Theodorus Anagnostes sive Lector*, quomodo vocabatur, quia teste Suida, unus fuit ex Lectoribus Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ: quem Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 22. pag. 268. ultimæ editionis, vult reliquisse *Collectaneorum Historiæ Ecclesiasticæ Libros duos*, incipientes a morte Theodosii junioris, ac in temporibus Justini qui anno DXVIII, imperare cœpit, desinentes: unde Judocus Coccius in indice authorum, quem *Catholico Thesauro* suo præmisit, Theodorum hunc Lectorem, anno DXX. vixisse statuit, biennio post mortem Anastasii. Solum igitur agit de Marciano, Leone, Zenone, Basilisco & Anastasio. Loquor autem *de Theodoro*, qualem nunc habemus Græce & Latine *in Corpore Historiæ Ecclesiasticæ*, ac Latine tantum *in Bibliotheca Veterum Patrum* editionis secundæ Parisiensis anni 1589. Sed Theodorus iste quem nunc habemus, idem mihi omnino videtur cum *Theodoro Metochita* de quo loquimur, qui duos istos Libellos ex ore Nicephori Callisti Xanthopuli filii, cui Synchronus fuit, excerpere potuerit. Vnde necessum plane est, ut alter fuerit Theodorus Lector seu Anagnostes, de quo loquitur Suidas, & quo ipse usus est: quippe qui incipiebat a Constantino Magno Historiam suam, non a morte Theodosii junioris, ut hic noster Theodorus Metochita. Nec dicere possumus, ipsum tanto altius orsum dici, quia sub extremum libri, pauca subdit de annis Constantini Magni, Constantii, Theodosii Magni, Arcadii & Theodosii junioris: nam ista tam modica & exilia sunt, ut venire in aliquam considerationem non mereantur, maxime cum extremo addantur loco, unde ab alio potius assuta illa videantur. Imò tam exigui sunt *Libelli duo Collectaneorum*, ut vix digni sint appellatione ἱστορίας ἐκκλησιαστικῆς, quomodo Suidas vocat. Equidem opinor hos solum Excerpta esse quædam, quomodo solebant potissimum Græci exscribere seculo XIV. quod recte Theodoro Metochitæ nostro convenit, non alteri de quo loquitur Suidas, quem anno DXX. floruisse asserunt. Atque istud eo verosimilius est, quod inscriptio Libri secundi sit, ἀπὸ τῦ δευτέρυ βίβλυ *Ex secundo libro*: Ac libro primo hæc præmittentur ἐκλογαὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρυ Καλλίςυ τῦ Ξανθοπύλυ: *Excerpta Historiæ Ecclesiasticæ, ab ore Nicephori Callisti Xanthopuli*. Credo, Nicephorus Callistus qui anno 1320. vixit, non integram Theodoro Historiam, sed ea solum quæ excerptu digniora putavit, ipsi amanuensi dictavit. Et sanè Appendix Possevini ad *Apparatum sacrum* pag. 29. editionis Coloniensis anni 1608. testatur in Veneta Bessarionis Bibliotheca extare, *Epitomen Historiarum Ecclesiasticarum Theodori Lectoris & Philostorgii*. Et Labbeus in Delineatione *Apparatus Historiæ Byzantinæ* pag. 51. habet *Theodori Lectoris compositionem Ecclesiasticam ex variis authoribus*: qui tituli optimè conveniunt Theodoro Metochitæ seculi XIV. Scriptori, non alteri qui seculo VI. circa annum DXX. claruisse dicitur: nec his enim temporibus *Excerptiones* fieri solebant, quemadmodum seculis factum posterioribus. Hæc ita quidem mihi videntur, nec tamen acrius pugnabo, si nodum hunc quis solvere doctis potuerit, in gratiam hujus Theodori Lectoris senioris, de quo Suidas loquitur.

In Regia Galliarum Bibliotheca Codice 800. juxta Labbeum in Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum, Parisiis anno 1653 in 4. edita, extant *Theodori Metochitæ Poemata XX*. Item in Hispana Scorialensi Bibliotheca, juxta ejus Catalogum ab Alexandro Barvoëtio anno 1648. editum, *Theodori Metochitæ Epistolæ ad diversos* CXLV. folio in charta. Ibidem in alio Codice *Theodori Metochitæ varia & plurima*. Latius autem Labbeus de MSS. Codicibus Theodori Metochitæ in Regia Galliarum Bibliotheca latentibus loco citato his verbis. „ Parte 2. „ pag. 91. Theodori Metochitæ Logothetæ va- „ ria habentur in Codicibus Regiis 263. 288. & „ 800. præter Philosophica, quæ continentur in „ Codicibus 846. & 1414. Parte 2. pag. 96. „ Theodori Metochitæ Doxologica encomia xx. „ in Codice Regio 288. Parte 4. pag. 115. „ Theodori Metochitæ, Magni Logothetæ, „ Commentarii in Aristotelem suo loco recen- „ sentur, ex Codicibus Regiis 846. & 1414. Par- „ te 4. pag. 121. Theodori Metochitæ, Compu- „ tus astrorum in Codice Regio 1021. Parte 4. „ pag. 136. Theodori Metochitæ in Codice Re- „ gio 800. 1. Doxologia ad Deum. 2. in Beatam „ Virginem. 3. In Gregorium se gerentem „ pro Episcopo totius Bulgariæ. 4. In Nice- „ phorum Gregoram. 5. In Athanasium Ma- „ gnum. 6. In Basilium Magnum, Gregorium „ Theologum & Chrysostomum. 7. Epitaphi- „ um Irenes uxoris Palæologi Imperatoris. „ 8. Epitaphium Michaelis Regis, filii Andronici „ Palæologi Imperatoris. 9. Epitaphium in „ Cæsarem Joannem Palæologum. 10. De Har- „ monicis. 11. In Xanthopulum Theodorum. „ 12. In Xanthopulum Nicephorum. 13. In „ cognatum primum a secretis. 14. In seipsum „ de adversa ipsius fortuna. 15. Et cætera in „ seipsum. Ibidem in Supplemento VII. p. 269. „ quod inscribitur *Analecta quadam ex divitima gaza Bibliotheca Regia*, pag. 282. Codice 800. „ Theo-

„Theodori Metochitæ Poëmata XX. de quo „jam suprà egit.“ In Supplemento III. pag.189. extare in Regia Hispaniarum bibliotheca Scorialensi, *Metochitæ varia & plurima*, teste Alexandro Barvoëtio, idem testatur. Hæc Labbeus *in Nova Bibliotheca MSS. Librorum*, locis allatis.

Insuper hujusce *Theodori Metochitæ Centum viginti Capita Philosophica & Historica* supersunt MSS. in Bibliotheca ea, quæ est Augustæ Vindelicorum, ut constat ex *Indice* Manuscriptorum Librorum hujus Bibliothecæ pag. 74. apud Possevinum, in Appendice ad *Apparatum Sacrum*. Vide etiam ipsum Catalogum Græcorum Codicum præfatæ celeberrimæ Bibliothecæ Augustanæ, in recensione Codicis CII. pag. 52. à David. de Hœschelio anno 1595. Augustæ Vindelicorum in 4. editum. Habentur autem hæc eadem *Theodori Metochitæ Centum viginti Capita Philosophica & Historica*, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Philosophico Græco LXXVII. ut habet Petrus Lambecius Libro VII. Commentariorum suorum hujus Bibliothecæ pag. 149. 150. 151. 152. 153. 154. ubi addit.

„Extat præterea in eadem Augustissimâ Bi„bliotheca Cæsarea, ejusdem *Theodori Metochitæ* „etiam aliud hactenus ineditum eximium Opus, „ipso illius ævo in membrana exaratum elegan„ter, quo continentur *Orationes Octodecim de va„riis argumentis*, sed præcipuè ad *Historiam de Vitis* „*Sanctorum*; & ad *Historiam Imperii Constantinopo„litani & ipsius Urbis Constantinopolitanæ* pertinen„neotes: ut volente Deo, suo tempore dein„ceps & loco, accuratius à me indicabitur, in ho„rum Commentariorum proximè sequuti libel„lo, quippe quo Catalogus Codicum MSS. Græ„corum Historicorum continebitur. Meminit „præstantissimi hujus Codicis MS. Cæsarei Phi„lippus Labbeus Societatis Jesu, *in Protreptico* „*Historiæ Byzantinæ* pag. 12. ejusque notitiam & „accepisse refert, ex litteris Alexandri Barvoë„tii.“ Item Lambecius in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 302. & 306. Et Daniel de Nessel in *Breviario & Supplemento Commentariorum Lambecianorum* De bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, anno 1690. Vindobonæ in fol. edito, inter MSS. Codices Philologicos Græcos Codice 95. ut habent *Acta Eruditorum* Lipsiæ 1642. mense Oct. p. 496.

Ejusdem *Encomium in Sanctam Marinam Martyrem*, MS. in Bibliotheca Heidelbergensi, Codice 374. Meminit hujus Encomii *in Sanctam Marinam*, Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 88. *Theodori Metochitæ Magni Logothetæ ἐγκώμιον εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ μεγαλομάρτυρα Μαρίναν*, cujus initium, Ἐμοὶ δὲ καὶ ὡραῖος εἶναι δοκεῖ, τὸ τῆς ἐκκλησίας στερέωμα, ἰδεῖν τε κάλλιστον. Et pag. 103. *in Gregorium Theologum Theodori Metochitæ Græci Logothetæ ἐγκώμιον εἰς Γρηγόριον τὸν Θεόλογον*, cujus principium ὅσα μὲν τῷ παρόντι λόγῳ. Atque alia quoque plura Philosophica delitescunt in Bibliothecis Germaniæ, Italiæ, Galliæ & Hispaniæ. Cum anno circiter 1328. Andronicus Senior ab Andronico Juniore, rebelli nepote victus fuisset, atque urbs Constantinopolis capta: Metochites, qui invictâ semper fide, avunculi partes propugnarat, Didymotichum maritimum Bithyniæ oppidum relegatus est, cujus ædes magnificæ, direptis prius opibus, à furente plebe solo æquatæ sunt. Post aliquantum temporis, Turcis Bithyniam populantibus, Constantinopolim reductus est, & in Monasterio Choræ, quod à Justiniano Imperatore olim fundatum, & ruinis pessundatum, ipse restauraverat, degere permissus: gravi tamen interdicto, Andronici Senioris, quem animâ cariorem habuit, colloquio vel qualicunque literarum commercio privatus est. Obiit anno 1332. die 13. Martii, triginta post Andronici mortem diebus, à Nicephoro Gregora discipulo & amico summo, funebri Oratione laudatus. Plurima *de Theodoro Metochita* apud Nicephorum Gregorum *Historia* Libb. 7. 8. 9. de quo & Phranzes Lib. 1. cap. 9. Itemque Joannes Cantacusenus Lib. 1. cap. 59. & Lib. 2. cap. 1. De Scriptis ejus Philosophicis, extat *Paraphrasis in octo libros Physicorum & Parva Naturalia Aristotelis*, quæ à Gentiano Herveto Aurelianensi Latinè versa, prodiit Basileæ anno 1559. in 4. De quibus plenè Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Scriptorum*, pag. mihi 783. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*. Henricus Warthon *in Appendice* ad Scriptores Ecclesiasticos Guilielmi Cavi, quem hic expressimus. Gerardus Joannes Vossius, *De Scriptoribus Græcis* Lib. 2. cap. 19. pag. 308. Vitam verò *Theodori Metochitæ* ex antiquis Historicis Græcis, collegit pluribusque suæque editioni præmisit Johannes Meursius anno 1618. quo Historiam Theodoro Metachytæ falsò attributam, in lucem edidit.

ATHANASIUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, succedit 1300
Gregorio Cyprio, anno 1290. in Patriarchicum solium Constantinopoli, Monachus quidem professione, qui otiosam Gani montibus vitam vivebat, homo quidem ille rudis literarum scilicet, juxta Nicephorum Gregoram, alioqui bonus & admirandus quantum ad monasticam vitam attinet, qui & fortunatus vere dici potuisset, si suum illud institutum per omnem vitam tenuisset. Scilicet male utique tractari & Pontifices & Clericos oportebat, & luere pœnas dignas ea improbitate qua contra Gregorium usi fuerant. Statim itaque zelo divino & exacerbato plenum oculum in eos conjecit &c. Nam qui Constantinopoli inventi sunt, eos in suam quoque Metropolim misit, *Ne*, inquit, *hic desidentes, aliquid mali contra vos ipsos & me consuatis &c.* Rectè sane, dicebat enim æquum esse, ut suam quisque Ecclesiam pasceret, ut Patriarcha suam Constantinopolitanam: & ut præsentes ovium suarum agerent curam, non

au-

autem ut emolumentis inde acceptis, in Vrbe morarentur. Non multo autem post quam ex Oriente reversus fuisset Imperator Andronicus, detruso in carcerem Constantino Porphyrogenito & ejus familiaribus ob affectatæ Tyrannidis suspiciones, anno 1294. scriptam resignationem offert Athanasius, quartum jam annum eo Sacerdotio fungens, cujus caussa erat, omnium Pontificum & Monachorum & Laicorum, spiritualem illius rigorem non ferentium, tumultus. Athanasio Joannes per sexennium successit, post quem Athanasius restitutus, sedem ab anno 1301. ad 1309. inter casus varios occupavit. Extant *Athanasii*, quem Guillelmus Cavus omisit, *Epistola octo de necessaria Episcoporum residentia & aliis argumentis ad Episcopos diversos* in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis primæ Parisiensis anni 1575. apud Michaelem Sonnium tomo 1. col. 458. & sequentibus. Et in editione secunda anni 1589. tomo 3. col. 623. & in tertia editione anni 1610. tomo 3. col. 203. & 204. apud magnam Bibliopolarum societatem, quæ in aliis Bibliothecæ hujus editionibus desiderantur. At Joannes Boivinius vir eruditus, Regis Galliarum Bibliothecæ Præfectus, qui Parisiis anno 1702. & 1705. edidit Græce & Latine *Historiam Byzantinam Nicephori Gregoræ integram*, ex variis MSS. Codicibus, Gallicanis Regiis, Vaticanis & Scorialensibus collectam, 2. in folio voluminibus, apud Joannem Anisson ex typographia Regia: adjecit ad calcem secundi voluminis, seu tomi quarti, Græce & Latine, *Athanasii ad Andronicum Seniorem Epistolas & Relationes selectas; ex MS. Codice Telleriano, nunc Regia Bibliotheca*, ut opuscula ista seculis venturis ab interitu vindicaret. Bernardus quoque de Montfaucon Benedictinus Monachus, in ultima editione Operum S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi anni 1698. Parisiis, parte 2. col. 1009. attribuit *Commentarium in Psalmos* Sancto Athanasio Alexandrino ex conjecturis levissimis, qui sensu meo quidem rectius Athanasio huic Juniori & Constantinopolitano Patriarchæ, sub Andronico Seniore florenti adscriberetur, sicut & alia multa Manuscripta, quæ Bernardus idem in Italicis Bibliothecis se vidisse testatur, de quibus diximus supra in Dissertatione nostra singulari *De Operibus Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi*, capite 4. potissimum & 8. Mentionem facit *Athanasii* istius non contemnendam, Nicephorus Gregoras *Historia Byzantina* Libro 6. capp. 11. 12 & 13. Edidit anno 1711. Anselmus Bandurius Benedictinus Monachus, Opus insigne hoc titulo, *Imperium Orientale sive Antiquitates Constantinopolitana in IV. partes distributa*, quæ ex variis Scriptorum Græcorum operibus & præsertim ineditis adornatæ Commentariis, & Tabulis Geographicis, Topographicis, aliisque quamplurimis Monumentorum ac Numismatum tabellis illustrantur. Opera & studio Domini Anselmi Banduri Ragusini, Presbyteri ac Monachi Benedictini Congregationis Melitensis. Parisiis anno 1711. 2. Vol. in folio, sumptibus Joannis Baptistæ Coignart, Regis & Academiæ scientiarum typographi. De hoc Opere Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1611. Mense Novembri pag. 485. ad 491. Et Anno 1713. mense Februario a pag. 49. ad 54. Referunt autem dicta pag. 54. extare Tomo 2. parte 4. Collectanei illius pag. 992. *Indicem Epistolarum & Operum Athanasii hujus Constantinopolitani*, qui post Gregorium Cyprium anno 1292. Patriarchatum obtinuit, una cum septem illius Epistolis ineditis, quarum versio Latina facta est.

Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Graca* quæ 1714. Hamburgi in 4. prodiit, cap. 5. pag. 322. inter varia Monumenta cum Nicephoro Gregora edenda vel edita refert, *Athanasii Patriarcha ad Seniorem Andronicum Epistolas & relationes selectas*, ex Codice singulari quem cum aliis multis Bibliothecæ Regiæ nuper donavit Carolus Mauricius Tellerius Remensis Archiepiscopus. Et pag. 323. *De Athanasii Patriarcha Constantinopolitani Scriptis* pag. 755. & seqq. 757. & seqq. 758. 760. & seqq. *ubi abdicationis formula*, & 763.

At pag. 582. insignem Catalogum Opusculorum Athanasii hujus exhibet, quem hic describam:

> De Scriptoribus ineditis, quorum fragmenta insignia vel Opuscula integra, Bandurius Commentariis suis ad Antiquitates Constantinopolitanas inseruit.

ATHANASII MACEDONIS qui ab anno Christi 1289. XIV. Octobris, ad 1293. XVI. Octobris, atque iterum ab anno 1304. die 3. Augusti ad 1310. Patriarcha Constantinopolitanus fuit, de quo plura Pachymeres ipsi infestus, & non minus illi amicus Gregoras, *Scripta plerque* sive memorat sive ipsa Bandurius exhibet, ex quo & Clarissimi Boivinii ad Nicephorum Gregoram notis pag. 755. & seqq. notitiam illorum hoc loco tradere licebit.

In Codice Chartaceo quem Regiæ Parisiensi Bibliothecæ donavit Archiepiscopus Dux Rhemensis, Carolus Mauritius Tellerius, habentur hæ Athanasii illius Epistolæ atque Opuscula, quæ descripsisse se, & in Latinum Sermonem vertisse testatur Bandurius, p. 962.

1. Πρὸς τὸν Αὐτοκράτορα, *Ad Imperatorem* (Andronicum Palæologum juniorem) γράμματα sive Epistolæ. 1. περὶ τῶν Ἀρχιερέων τῶν ἐυρισκομένων ὧδε, *De Episcopis Constantinopoli degentibus, cum deberent ad Ecclesias suas redire*. Confer infra 10. & 52.
2. *De incursibus circa Vrbis muros & portas, neq; permittendum esse quempiam cum armis urbem introire.*
3. *De expellendis qui nefariè agunt, non differenda illorum pœna, præcipue in circuitu Sancta Sophia.*

4. Περὶ τοῦ ὀρθοῦ δόγματος, *De recta fidei doctrina.*
6. *De legitimo conjugio.*
8. *De eleemosina, & rogatio consilii circa captivos.*
9. *De non committendis per nuntios certis negotiis, sed eorum significandis.*
10. 13. 15. 16. 17. 31. 44. 45. *De residentia Episcoporum, & quod non debeant plus sex mensibus à suis Ecclesiis abesse, uti legibus & canonibus statutum est, & ne habitent in Regia urbe.* Adde 1. 52. 63. & 75. Ex his Epistolis *tres* Latine vertit, edideitque Franciscus Turrianus ad calcem libri, *De residentia Pastorum*, Florentiæ 1551. Addidit etiam Latine alias *quinque* hujus Athanasi Epistolas quæ ejusdem Argumenti ad Episcopos sunt, quæ in Codice Regis Galliæ non extant.
11. *Propter Chrysobulla*, ubi de rebus temporalibus Monasteriorum administrandis.
14. & 22. *Vt justitia, temperantia, veritas & misericordia, immutabiles serventur.*
20. *Vt instituat liberos & subditos omnes secundum Dei beneplacita.* Græce occurrit apud Bandurium pag. 614.
21. *De conversione ad Deum, & ut cognoscat unusquisque privata & publica, & de strepitu facto.*
23. *Ne bona facere Imperator differat.*
24. Περὶ τῶν θεοκτόνων Ἰουδαίων, *De Deicidis Judæis, ut ex Vrbe discedant.* Græce apud Bandurium pag. 614.
25. 26. *Qualem autem subditorum curam Imperatores gerere debeant.* In principio Sanctorum jejuniorum, Indictione IV. & V.
27. *De festo Nativitatis Christi, rogans venerandum emitti decretum, ne quis à vespera Sabbati & Regia Festivitatis, in balneum aut tabernam ad bibendum intromittatur.*
28. 39. *Adhortatio in Festo Dormitionis Deipara.*
29. *Exhortatio ad misericordiam.*
30. *Quod ii qui cum Imperatore in Catechumeneis conveniunt, non ad preces, sed ad voluptates respiciant.*
32. *Ne per dilationem illa parva delicta qua referuntur, sine remedio maneant, ne ve littera solum in fornulos immittantur.*
33. *De domibus privatis, qua templis conjuncta sunt, & hoc grave esse delictum.* Adde infra, 49.
34. *Vt commiseretur iis, qui Paxeu* (τὸν Παξῶ) *è carcere eduxerunt.* Idem forte quem Pachymeres Κυτζιμπαξῶ appellat.
37. 38. 55. *Adhortatio ad sepulturam Salvatoris concelebrandam.*
40. *De asserenda in libertatem Ecclesia Christi.*
41. *Quod non ex humano affectu, sed tantum charitatis causa hac referat.* Adde, 64.
42. *De iis, qui fitinnt populum Dei devorare sicut escam panis, & quod ipse plus condoleat, quam amici & cognati, de arumnis qua accidunt.*
43. *Ne omittat pro dono sibi collato, conferenti Deo dignos referre fructus.*
46. *Vt Oenaota beneficium impertiat.*
47. *Qua merces ei danda, qui in Sancta Dei Ecclesia Synodicum retulerat.*
48. *Contra turpis lucri cupidos & de Ecclesia privilegiis.* Græce & Latine apud Bandurium pag. 983.
49. *De honorandis & exornandis Divinis Templis, quod neminem deceat in Catechumeneis habitare, neque domos quorundam Divina Templa contingere par sit.*
50. *Vt ne cuivis loquenti aurem Imperator prabeat, nec colonos ab agris colendis coerceat.*
51. *De impudentibus, sanguinariis, & in malitia locupletibus.*
52. *Quod ii quibus gladius à Deo traditus est, non ad tradentis placitum illo utantur, & ut Tyrius & Alexandrinus Episcopus ex urbe discedant.*
53. *Relatio Patriarcha Athanasii & congregata apud eum Synodi ad Andronicum Palaologum Imperatorem, de quibusdam juris capitibus, per modum νεαρᾶς sive* Novellæ, *quam Imperator approbavit.* Profert ex ea locum Perivius in Notis ad Gregoram p. 757.
56. 57. 58. *De fame, qua populus laboravit, ac ne inscio Patriarcha frumentum vaneat, vel pretium augere liceat.*
60. *Quod ii qui amore Dei ducuntur, placita suggerant, & magna vi perficere nitantur, id sibi lucro esse rati.*
61. *Quod Orthodoxis rectè statutum sit, ut Divina Templa exciteat, iis qui in diversis locis ad hoc deputati sunt, concedenda, ut divini Canones enuntiant.*
62. *Vt curet combustibilia ligna suppeditari, qua possit Patriarcha, pulmentum pauperibus coquere.*
63. *Vt quisque Episcopus in sua Ecclesia resideat, & de Clericis qui officiorum & roga causa,* (ὀφφικίων καὶ ῥόγας ἕνεκεν) *contumaces sunt.*
64. *Quod ea qua ad Imperatorem refert, non amicorum, cognatorum, munerum aut gloria causa referat.* Vide supra Num. 41.
66. *Adhortatio ut Ecclesiam componat, & subditos ad vitam secundum Leges deducat.*
67. *De Despota Joanne Palaologo, Imperatoris filio.*
69. *Quod Augusta graviter succenseat filio suo felicissimo Despota,* πανευτυχεστάτῳ Δεσπότῃ. Hortatur Imperatorem, ut permittat filio Matrem adire, ad hujus dolorem leniendum.
70. *De Despota & filio Imperatoris Joanne, ut pro sumptibus & pro dignitate, necessaria ipsi subministrentur.*
71. *De publicorum negotiorum administratore, qui quendam induxit, ut securi imaginem*

Sal-

Salvatoris percuteret ac dejiceret, ac de eo qui frumentum abripere ausus est. Accusat impietatis quendam Operum publicorum redemptorem, qui imaginem Salvatoris, fastigio Templi impositam dejecerat.

72. *De iis qui nolebant festum Divorum Apostolorum celebrari: & quod ipse Imperator non passus sit, ut id permitteretur: & sacra Liturgiæ in donum, miserit pretiosam & pulchram tunicam salorem.*

73. *De Domino Niphone, Cyziceno Episcopo, & de accusationibus ipsi objectis.* Eadem Græce apud Bandurium pag. 984.

74. *Gratiarum actio, quod cùm Imperator in tanta Mundi cura constitutus sit, non alteri primas retulerit, in reducenda ora, quam perisse audiverat.*

76. *Ut post Deum sive in dextris, sive in sinistris, à spiritualis patris nutu dependeat.*

77. *Ut provideat fructuum & panis venditionem justam esse*, ubi de Dermociaca, de fame, & de Latinis Byzantiorum pecunia ditatis. Hactenus Epistolæ πρὸς τὸν Ἀυτοκράτορα, ad Imperatorem Andronicum Palæologum Seniorem.

78. Γράμμα διεγεῖρον βασιλεῖς καὶ Ἄρχοντας, καὶ πᾶν τὸ ὑπήκοον πρὸς ἐπιστροφὴν πρὸς Θεὸν καὶ μετάνοιαν. *Epistola qua Imperatores, Principes, & omnes subditi ad conversionem & pœnitentiam excitantur.*

5. *Epistola ad eum, qui librum dono*, χάριν κοινωνίας *miserat, cui posteà remissus fuit.*

7. *De congregandis in Chora Monasterium Pontificibus, ut ad Imperatorem communis utilitatis causâ conveniant.* Græce apud Bandurium p. 615.

11. *Ad magnum Diæcetam, ut per injuriam ablata restituat.*

16. *Epistola, ne quis Pastor ovile deserat.*

18. Πρὸς τὸν βασιλέα, *Ad Imperatorem Dominum Michaelem, ut inter sexentas curas, etiam de iis qua in baptismate promisimus, sollicitì simus.*

19. *Epistola ad Dominam Mariam Arminam Augustam*, scripta statim post ejus de Armenia adventum. de quo Gregoras Libro VI. Historiæ cap. 8.

35. 36. *Quod oporteat omnes concurrere ad Salvatoris sepulturam celebrandam.*

54. Γράμμα συγκαλῶν βασιλεῖς τε καὶ ἄρχοντας, ἱερεῖς καὶ μονάζοντας &c. *Epistola qua cohortatur Imperatores & Principes, Sacerdotes & Monachos, ut nudis pedibus cum divinis Imaginibus processionem obeant.*

59. *Ad Augustam, quod oporteat eam cum Conjuge concordem esse.* Pertinet ad dissidia, quæ inter Andronicum Imperatorem & uxorem ejus Irenem fuerunt, de quibus Gregoras.

65. Γράμμα στηλιτευτικὸν, *Invectiva, qua perstringitur Johannes quidam* Drimys, *qui execrandam sibi societatem conciliarat contra gregem Christi, contra Ecclesiam & à Deo coronatum Imperatorem.* Græce & Latine, ap. Bandurium p. 970. & sqq.

68. Πρὸς ποιμένας, *ad Pastores, ne Monasteria subdita quasi possessionem propriam sibi attribuant aut vendant, aut aliis tradant, nisi prout Canonica statutum est.*

75. *Epistola de Monachis, qui arbitrio suo sacros Canones conculcarunt, & à Monasterio suo aufugerunt.*

79. Abdicatio prioris Patriarchatus anno Christi 1293. de qua Pachymeres *Historia* lib. 2. cap. 23 & lib. 24. & Nicephorus Gregoras, lib. 6. cap. 7. Quam Græce ex Codice Regio exhibet Joannes Boivinius Notis ad Gregoram pag. 757. quamvis vocetur παραίτησις τῆς δευτέρας πατριαρχείας, per errorem typographi Græce & Latine Bandurius p. 968.

80. *Posterior Patriarchatus abdicatio* anno Christi 1310. de qua Gregoras libro 7. *Historia* cap. 9. Illam Græce Boivinius exhibet in Notis jam laudatis pag. 762. quæ Græce & Latine apud Bandurium occurrit p. 976. & sqq.

81. *Sanctissimis Dei Præsulibus, gloriosissimo Senatui & honoratissimis è Clero Sacerdotibus & Monachis, iis etiam qui militiam exercent, ac Civibus divitibus, pauperibus, viris & mulieribus.* Græce & Latine apud Bandurium ibidem.

81. *Ad Magistrum Libellorum supplicum, de electione qua creatus Patriarcha fuerat*, Nipho, *Cyzici Episcopus*, anno Christi 1310. Græce apud Bandurium p. 985.

83. Γράμμα ἀνεπίγραφον seu *Fragmentum in quo Athanasius accusatus provocat ad Synodum, ut si crimina objecta vera esse putent, deponatur & ignominiosè ejiciatur: sin autem minus, delatores puniantur.*

84. *Quomodo & quare prima & secunda Patriarchatus abdicatio facta sit*, Græce & Latine apud Bandurium pag. 978. & seqq. cujus etiam pars Græce legitur apud Boivinium in Notis ad Gregoram pag. 763. Atque hæc de Opusculis & Epistolis Athanasii Macedonis, Patriarchæ Constantinopolitani.

SIFFRIDUS natione Germanus, Presbyter 1300
Misnensis Ecclesiæ in Saxonia, claruit anno circiter Christi 1307. & sequentibus, scripsitque Chronicon noster hic Siffridus ab Orbe condito ad annum 1307. quod parte priore omissa ab anno duntaxat in impressis Christi 457. editum fuit, ac plurimis in reliqua parte periodis velut inutilibus resectis, usque ad annum 1307. evulgavit Georgius Fabricius Chemnicensis & Historiæ Saxonicæ calci subjunxit editæ Lipsiæ anno 1569. & Jenæ 1598. in folio: unde a Joanne Pistorio Niddano, inter Scriptores rerum Germa-

manicarum collocatur, anno 1583. Francofurti in folio impressos, Tomo I. à pag. 682. ad 704. Itemque ibidem anno 1645. Inscribitur *Siffridi Presbyteri Misnensis Historica Epitomes libri duo, orditur ab anno Christi 458. definit in annum 1307.* Neque hæc editio est opus integrum *Siffridi*, sed excerpta tantum ex opere majori, quod extat ter manuscriptum in MSS. Codicibus Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, ut constat ex Catalogo illorum, quem edendum curavit Joachimus Fellerus hujus Academiæ Bibliothecarius, Lipsiæ anno 1686. in 8. Nondum igitur integrum Chronicon hujus Siffridi editum fuit, sed illius tantum excerpta & Epitome, qualem Georgius Fabricius exhibere voluit. Dabunt Lipsienses integrum, quando voluerint. Alius fuit ejusdem nominis & nationis Siffridus de Arena dictus, annis centum & sexaginta quoad ætatem recentior, Episcopus Cyrenensis intitulatus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, natione Teuthonicus, Vicarius Generalis Theodorici Moguntini Archiepiscopi in Spiritualibus, qui Hebraicæ & Latinæ Linguæ peritus, quædam Lectione digna Opuscula scripsit, ex quibus ad Theodoricum Archiepiscopum prædictum subjecta extant, De Judæorum usura lib. 1. *Quæritur in foro conscientia &c.* De Censibus & reemptione lib. 1. *Quærebatur primò an &c.* Sermones & Collationes lib. 1. Quæstiones variæ lib. 1. & quædam alia. Mentionem ultimi Siffridi hujus faciunt, Joannes Trithemius in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1470. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Universali* verbo *Siffridus* Tomo 2. pag. 598. editionis 1545. Tigurinæ in fol. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri* verbo *Siffridus*. Gerardus Jo. Vossius Lib. 2. de Historicis Latinis. cap. 62. p. 503. edition. anni 1651. Henricus Wharton in Supplemento Historiæ Literariæ Guilielmi Cavi ad annum 1307. pag. 11.

1300 CONSTANTINUS ACROPOLITA, Magnus Logotheta Constantinopolitanus, sub Imperatore Andronico Palæologo Seniore, seculo post Christum XIV, incipiente floruit. Imò ut exactiùs singula dicantur, Constantinus Acropolita Magnus Logotheta claruit sub Michaelis Palæologi & Andronici ejus filii imperio, ab anno 1270. & sequentibus, ad annum 1310. vel 1320. Nam Michael Palæologus anno 1260. imperare cœpit, qui Andronicum filium Seniorem conjugio Annæ filiæ Regis Pannoniæ junctum, Imperii sui consortem anno 1272. ascivit, ipse autem sub finem anni 1281. obiit. Constantinus Acropolita Georgii Acropolitæ filius fuisse planè colligitur, ex Georgii Pachymeris Historia lib. 6. cap. 26. ubi narratur, quomodo *Michael Constantinum Acropolitam, quem à Patre Magno Logotheta acceptum educarat, apud se, informarique optimis artibus curarat*, propter pertinaciam in schismate, *privavit loco gratia quem prius habuerat, & à sua familiaritate removerit*: id quod antepenultimo Imperii anno factum. Verum citò apud filium Andronicum recuperavit Constantinus quod apud Michaelem amiserat: uti & Theodorus ob eandem causam gradu Logothetæ motus: qui cum eundem ab Andronico recepisset, in ipso perseveravit, Protovestiarii titulo insuper auctus usque ad annum 1294. quo obiit, & in ipso Logothetæ munere successorem habuit prædictum Georgii Logothetæ filium Constantinum, Imperatoria mox affinitate, uti suprà diximus, honoratum. Scripsit *Encomium in sanctam Theodosiam Virginem & Martyrem Constantinopolitanam*, quod ex Vaticanæ Bibl. Codice 800. fol. 91. eductum, & à Daniele Cardono in Latinam Linguam translatum, edidit Daniel Papebrochius anno 1688. tomo 7. Maji mensis ad diem 29. pag. 69. Ibi in Commentario prævio num. 11. pag. 68. *Encomium S. Theodosia* ab eo ante annum MCCCVI. scriptum fuisse conjicit, alioqui non omissurum illud celeberrimum miraculum, quod Lib. 5. *de Andronico* cap. 32. à Pachimere narratum, infra Papebrochius profert pag. 87. & quod eodem contigit anno 1306. Quandiu hic postea vixerit, idem Papebrochius se nescire testatur, quem hic exscripsimus, in suo *Commentario* ad hoc Encomium prævio, num. 9. 10. & 11. Meminit hujus *Constantini Acropolita* Joannes Cantacusenus *Historia Byzantina* Lib. 1. cap. 14. ubi refert unum fuisse ex Imperatoris Andronici Senioris Assessoribus, in judicio adversus Nepotem suum *Andronicum secundum seu juniorem*. Ipsa Cantacuseni verba hæc sunt, *Πρὸς τούτοις δὲ καὶ ὁ Ἀκροπολίτης. ἦν Κωνσταντῖνος, μέγας λογοθέτης ὢν καὶ αὐτός.* Scripsit *Orationem in S. Martyrem Theodosiam, patria Constantinopolitanam*, quæ sub Leone Isauro Imperatore pro cultu sanctarum Imaginum, Constantinopoli passa est: nempe inter annum 717. quo imperare cœpit Leo Isaurus, & annum 741. quo obiit. Extat illa MS. Græcè in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CXI. num. 17. ut habet Petrus Lambecius, Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 63. his verbis. „Decimo septimò & quidem a fol. 217. pag. 1. usque ad fol. 236. pag. 1. *Magni Logotheta CP. Constantini Acropolita Oratio in S. Martyrem Theodosiam, patria Constantinopolitanam, qua sub Imperatore Leone Isauro pro cultu Sanctarum Imaginum Constantinopoli passa est.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Orationis, hæc sunt: *Τοῦ σοφωτάτου Μεγάλου Λογοθέτου Κωνσταντίνου τοῦ Ἀκροπολίτου λόγος εἰς τὴν ἁγίαν ὁσιομάρτυρα Θεοδοσίαν, γυναῖκα μὲν ἀνδρείαν, ποῦ τις ἂν καὶ ὅπως εὕροι, ὁ σοφὸς ἠπόρησε Σολομῶν, καὶ μάλα γε εἰκότως ἠπόρησε. πρὸ γὰρ τῆς χάριτος* &c. Meminit etiam hujus Orationis Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, pag. 84. his verbis, *Constantini Acropolita & Magni Logotheta λόγος εἰς τὴν ἁγίαν ὁσιομάρτυρα Θεοδοσίαν*, cujus initium *Γυναῖκα μὲν ἀνδρείαν ποῦ τις ἂν καὶ ὅπως εὕρῃ ὁ σοφὸς ἠπόρησε Σολομῶν.* Pag. 105. *Constantini*

Acro-

„*Acropolitæ Magni Logothetæ* μαρτύριον εἰς τὸν ἅγιον μάρτυρα Νεόφυτον, cujus initium Παραδόξων πραγμάτων δυσπαράδεκτος ἡ διήγησις, ἀλλ' ἐ τοῖς τῦ ἡμετέρε καὶ θείε πληρώματος. Pag. 109. *Constantini Acropolitæ novi Metaphrastæ*, νέε Μεταφραστῦ εἰς τὸν ἐν ἁγίοις Θεόδωρον τὸν Τήρωνα, cujus initium Σὺ μὲν ὦ ἀγαθὲ τῦ ὑπεραγάθε δῦλε Θεῦ. Pag. 112. *Constantini Logothetæ Acropolitæ in Sanctum Joannem Damascenum*, λόγος εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην Δαμασκηνόν, cujus initium Τῷ Ἰωάννῃ τὸν λόγον, τῷ ἐκ Δαμασκῦ τὰ ἐγκώμια." Encomium istud satis prolixum, evulgarunt Græcè & Latinè, Bollandi successores Tomo 2. mensis Maji ad diem 6. pag. 731. sub nomine *Constantini Logothetæ Acropolitæ*, quem Leo Allatius Libro 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 15. §. 14. col. 779. vult fuisse adversarium Romanæ Ecclesiæ, atque adhæsisse Georgio Cyprio quoad doctrinam De processione Spiritus Sancti. „Ad idem studium animum adjunxit Constantinus Acropolita, magnus Logotheta, qui plures *De processione Spiritus Sancti contra Latinos Tractatus* reliquit. Duos tantum ipsius laudatos vidi, alterum cujus principium est, ἄνδρες Ῥωμαῖοι: alterum cujus, ἐμνήσθην καὶ ἄλλε λόγε τῶν ἀντιλεγόντων ἡμῖν: quorum etiam frusta, eaque satis prolixa in Manuscriptis Codicibus reperiuntur. Commentarium Acropolitæ igni traditum a Theodoro Muzalone, quemadmodum & suum quoque eundem Theodorum inflammasse, quod de Dogmatibus solum agerent, Pachymeres Lib. VII. cap. VIII. narrat. Εἰ δ' ἔγγραψε τις περὶ δογμάτων γράψας, ὀ τὸ γραφὲν, τὸν γράψαντα δ' αἰτιώμενοι, καταδίκαις ἐπῆγον ἐσχάταις καὶ προηγεμένως αὐτὸς δὴ ὁ τῶν Λογοθετῶν μέγας, ὁ καὶ πῦρ πνέων ὑπὲρ δογμάτων, ὡς ἐώκει, παρεῖχε τὰ συγγράμματα καίεσθαι, ἐκ ὅτι ἔσφαλταί οἱ, καθὰ δὴ καὶ αὐτὸς ἐνόρκως ἐπὶ τῇ συνόδῳ διωμολογει αὐτόθεν λογογραφῦντι περὶ δογμάτων, ἀλλ' ὅτι γράφειν ἐπῄει. καὶ συντάττειν πατέρων ῥητὰ χρήσιμα πως δοκῦντα οἱ πρὸς τὰ τότε τελέμενα, καὶ ταῦτα καὶ πολλῶν πρώτερον καὶ μεγάλων αὐτοῖς δὴ συγχρησαμένων ἐφ' ὁμοίαις ταῖς ὑποθέσεσιν. ἀλλ' ὅμως ἐπείπερ ἐκ ἐν καιρῷ εἰρήνης ἐλέχθησαν, ἀλλ' ὅτε δεινόν τι κῦμα, καὶ τέρυγος κατεσρόβει τὴν ἐκκλησίαν ἐκ τῆς τῶν πολλῶν ἀνεγέρσεως. ἅμα δὲ καὶ τῷ δοκεῖν περιεῖναι οἱ τῆς εὐσεβείας. ἐχ ὡς ῥητὰ πατέρων ἐδίδε τὰ συνταχθέντα πυρὶ. ἀλλ' ὡς ἴδιον σύγγραμμα. καθεξῆς δ' ἐπὶ τέτῳ, καὶ τὸ τῦ παλαιῦ μεγάλε Λογοθέτε σύγγραμμα ὁμοίως κακεῖνο ἔχον. καὶ ἄλλοις οἷς γράφειν ἐπῄει, καὶ μόνον μεμνῆσθαι δογμάτων ἐπάγοντες μῶμον, πυρὶ παρεδίδεν τὰς τόμες. *Quod si quis aliquid de Dogmatibus scripto insinuasset, non in scriptum ipsum, sed in Auctorem tanquam mali causam, atrocissimis suppliciis animadvertebant. Et ante omnes ipse magnus Logotheta, qui ut videbatur, pro dogmatibus ignem spirabat, exhibuit Commentarium, ut combureretur. Non quod ipse in eo errasset, ut ipse juratus in Synodo asserebat, ac in eo de Dogmatibus verba faceret: sed quod quidquid illi memoria suggesserat scripsisset, recollegissetque Patrum testimonia, aliquo modo ad ea quæ tunc agebantur, peropportuna: & potissimum cùm ante eum multi ac præcipui viri eadem ad similia argumenta usurpassent. Nihilominus cùm non pacis tempore dicta essent, sed cum horribilis unda & perstrepens ob multorum rebellionem Ecclesiam deturbaret, & quod alios pietate superare videretur: in Commentariis digesta, non velut Patrum dicta igni tradebat, sed veluti proprium Scriptum. Præterea & antiqui Magni Logothetæ Commentarium similiter compositum, scripta quoque aliorum, quibus inscriptione vel sola Dogmatum commemoratio incidisset, velut contumelia & execratione digna, in ignem projiciebantur. Hæc Pachymeres.*" De eo Lambecius, Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 63. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi quarti, pag. 228. & 258. Eadem quoque *Oratio Constantini Acropolitæ*, extat iterum Græcè MS. in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Historico Græco XXXV. num. 2. & quidem a fol. 73. pag. 2. usque ad fol. 118. pag. 2. ut habet Petrus item Lambecius Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 63. & in Catalogo Scriptorum hujus Tomi, pag. 549. & 579.

GEORGIUS PACHYMERES, Constantinopoli oriundus, sed Nicææ ortus, sacris atque secularibus Litteris eruditus, tum in Sacerdotum numerum adoptatus, hoc eodem tempore floruit, quippe natus jam ab anno 1242. Florebat jam sub seculi XIII. finem circa annum 1280. sub Michaele Palæologo, cujus a temporibus Historiam suam orditur. Qualis ille fuerit, a nemine melius quam ab ipso rescire possumus, qui in Historiæ suæ limine & sinceritatem suam seu veritatem in scribendo summam protestatur, ac seipsum ita depingit. „Georgius Constantinopolitanus genere, ortus & nutritus Nicææ, Constantinopolim rursum translatus, quando ea sic Deo annuente sub Romanorum dominium rediit. Annos tunc natus undeviginti, Clero adscriptus ac primis Ecclesiæ dignitatibus ornatus, adeò ut usque ad Protecdici honorem eveheretur. In Palatinis quoque officiis Dicæophylacis Magistratu honoratus, hæc litteris tradidit: non rumores longè petitos, nulloque testimonio probatos excipiens, neque solum famæ fidens, uti sæpe scribenti usuvenit, dum nimis facilè creditur, omni qui dicat se audisse vel vidisse. Verum qui per me ipse pleraque viderim sic contigisse, ut refero: vel si ab aliis acceperim, diligenter excusserim, a quibus primum ea sint visa dum fierent: ac nec sic unius testimonio crediderim, sed multorum affirmationi concordi. Scripsi autem ne tempus suaptè naturâ involvens ac tegens multa, crebrisque suis circuitio-

1300

ni-

„ ..bus obruens, hæc quoque deleat fugientia „ ipso de cursu. Necesse quippe est, quæ par est „de his rebus dicentem, mendacio minoris facere veritatem. Historiæ namque uti quis dixerit, anima veritas. Et veritas ipsa, revera „res sacra est. Is igitur, qui plunis facit mendacium, aperte sacrilegus est. At neque propositum nobis est, gestis aliorum pondus addere, quasi vel odio, vel benevolentia moveremur: ut & quod male accidit, plus æque laceretur: & quod bene accidit, impensius celebretur, Historia legentibus imponente. „Quandoquidem enim quæcunque ubivis „terrarum gesta sunt, licet quidem narrare argumenta dicendi, quærentibus; licet & omittere indicta, nulla necessitate cogente: satius enim profecto sit, „ut ego quidem arbitror, silentio præterire, „quam secus ac gesta sunt, tradere. Præstat „enim legentibus nihil eorum scire, quam contra ac vere acta sunt, doceri. Illinc enim inscientia quædam, & simplex illa quidem innascitur, nullam inurens turpitudinem: hinc „duplex aboritur ignoratio, homine scire se putante, quod omnino nescit: quo sane nihil pejus. Hæc quidem Pachymeres, sed aliud polliceri, exequi ac præstare aliud. Fuit tamen haud dubium operæ pretium in hujus publicatione Historiæ, quippe quæ res magnas ac memorabiles per annos fere octoginta seculi obscuri ac testium inopis gestas, si minus semper diserta: saltem prudenti, diligenti, ponderata, & plerumque fideli narratione prosequatur. Quæ postremæ Orientalis Imperii quasi scenæ sub domo Palæologa ita principia exhibet, ut in iis caussas tragicæ catastrophes, qua Turcis & Muhammedi Constantini Regia succubuit, advertere prudens Lector manifestas queat. Quæ plurima, nusquam alibi notata doceat. Quæ a Niceta & Acropolita adCantacuzenum, hiatum quendam explens publicæ memoriæ, viam quasi regiam insternit Historicæ veritatis, qua nostra usque ad tempora; nusquam hærente aut abrupta triumphi pompa, albis velut quadrigis invehatur. Quæ denique negotium omnis ævi maximum & celeberrimum, conciliationis Ecclesiarum Græcæ cum Latina, sic a primis originibus evolvit, sic a deliberationum arcanis verisque rationibus, per anfractus inde fucosarum artium, huic fidei sinceræ, ad suos exitus perducit: ut evulgator Possinus asserere non dubitet, id argumentum ingens, a nullo scriptore Græco plus lucis accipere. Opus hoc sed mutilum, asservatum Græce MS. in Bibliotheca Augustana apud Vindelicos Codice 82. ex quo Hieronymus Wolfius Excerpta quædam breviuscula singulorum librorum XIII. Basileæ ad calcem Nicephori Gregoræ anno 1562. Latine tantum ediderat. Partem autem illorum quæ in Augustano Codice desiderabantur, cum *Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Breviario*, Dionysius Pitanius, Parisiis anno 1616. in 8. evulgaverat. Tandem hæc *Historia integra Libris XIII. Rerum Constantinopolitanarum sub Michaele & Andronico Palæologis*, ab anno MCCLVIII. usque ad annum MCCCVIII. per annos XLIX. ex MS. Codice Barberino, Romæ Græce & Latine evulgata est 2. voluminibus in folio, annis 1666. & 1669. quam Petrus Possinus Soc. Jesu interpretatus est, Glossarioque, Notis & Chronologia ab eodem mirum in modum illustratam, Non me fugit interponi adversus hæc speciosa, & plausibili exceptione posse ab jure conquerentibus, Historiam hanc Pachymerianam, non raro Græcorum schismati favere, Latinorum res & jura deterrere narrando, atque authoris animum in partem sequiorem & pronum multis modis studium ostendere. Non negat, non excusat, & ita factum atque large in hoc a Pachymere peccatum, Possinus confitetur. Contendit tamen illam publico utilem, quin etiam in his læsæ veritati atque Orthodoxæ fidei optabilem esse talis libri evulgationem. Neque ad hoc evincendum utitur Ecclesiæ præjudiciis, Historias Eusebii Cæsariensis legi sinentis & approbantis, quem multi Arrianum censent: Socratis & Sozomeni, palam Novatianorum: Nicephori Callisti, e fæce hæresum licet interdum sua haurientis: & aliorum suspectorum pariter scriptorum. Sed addit, vel si omnes, quos nominavir, exterminarentur, peculiari nomine interesse Apostolicæ Sedis & Romanæ communionis universæ, subjici oculis, & teri omnium manibus, hoc Pachymeris Opus. Quoniam in eo sanitas doctrinæ, *De processione Spiritus sancti ex Patre Filioque, de Primatu Papæ & jure Provocationis ad Romanam sedem, ex quocunque Patriarchatu.* In eo *sincera charitas & vera sanctimonia Gregorii X. aliorumque Romanorum per ea tempora Pontificum.* In eo *Joannis Vecci Constantinopolitani Patriarchæ, partes Latinorum studiosissime amplexi, constantissime tuiti eruditio maxima, liberrimum idemque perspicacissimum ingenium, veracitas intrepida, vita inculpata, mores sancti divinis etiam illustrationibus probati, palam magnificeque prædicantur.* Idque aboculato teste, & quod caput est, ex intimis Adversantium producto, ipsoque haud dissimulanter adversariis nostris studente. Vt quod dicit nobis favens, expressum evidentia veritatis: quod contrarium commiscet, educationis inter insolitum, adulatione subductum, ambitiosis spebus, obnoxiis a vi tyrannica timoribus contra officii conscientiam extortum, merito debeat intelligi. Audet & dicere Possinus, Si totus Orthodoxus esset Pachymeres, minus juvaret. Sunt veneno carentes, & procul innoxii serpentes, sed ii theriacam non faciunt. Viperis opus est exitiali succo turgidis, lethali dente infestis, unde salutare Alexipharmacum possit existere. Adeo malis interdum etiam & pestibus, sua inest utilitas.

Quomodo autem hæc Historia tandem edita sit, paucis amice Lector ad voluptatem, accipe. Vrbanus Pontifex ejus nominis octavus, in suo thesau-

thesauro librario Historica duo Pachymeris Opera, totidem distinctis transmarinæ ac perantiquæ manus exaratæ voluminibus servabat, integra & haud paullo saniora, quam quæ Augustinus Wolfio visus Codex habuit. Prior tomus in sex tributus libros, Michaelis Palæologi vel gestas ante Imperium & in Imperio enarrat. Alter libris septem, magnam partem Actorum longi Principatus Andronici Senioris exhibet. Judicabat utrumque illum a se perlectum, Commentarium, pro ea qua valebat Græcæ linguæ peritia, doctissimus is Pontifex, dignum maxime, qui Latine legeretur: idque ut procuraret, Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino fratris filio, sæpe impenseque commendavit. Quam ad hoc ille per annos viginti, & quod excurrit, diligentiam adhibuerit: infinitum sit minute persequi. Dixisse satis fuerit, nihil in hoc genere quod utcunque tentari posset, ab eo unquam, uspiamve prætermissum. Obtulit, invitavit, rogavit, promisit voce coram, scriptis litteris, viris doctis per amicos conventis: nihil denique non egit, quo Pachymero alicunde Latini interpretis copia suppeteret. Missis etiam procul extra Italiam ipsis archetypis Codicibus, quasi ut suam ipsi per se caussam agerent, & miserationem præsentes ac simplices moverent: quos tali occasione multis annis in viri doctissimi jacuisse scriniis, multi sciunt. Tandem ad Petrum Possinum Societatis Jesu doctissimum virum, atque in Græcis etiam versatissimum, occupatio ista devenit. Qui ad eum se laborem accingens, in recensendo vertendoque, fundum habuit Barbarinum Codicem, omnium qui extant uspiam, integerrimum & optimum: de quo jam antea diximus, in Charta transmarina, vetustate Authori Pachymeri supparem: manus non speciosissimæ quidem aut lectu facillimæ, cæterum eruditæ & exactæ. Consuluit alios duos in dubiis, Vaticanum & Allatianum: quorum primus fuit quondam Aloysii Lollini Bellunensis Episcopi, qui eum moriens cum suis MSS. quæ multa collegerat, Vaticanæ Bibliothecæ legavit. Hunc, ut inde domum auferret Possinus, ibique ad continuum & liberiorem usum multis mensibus teneret, S. D. N. Alexandri VII. insignis benignitas indulsit. Tertium humanissime suppeditavit e privato penu, illustrissimus Leo Allatius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus. Cumque & Barbarinus & alii allati Codices haudquaquam lacunis carerent, ambabus illatum æquandis, usus est opera Philippi Labbei, qui Codicem Regiæ Bibliothecæ Galliarum & antiquum & integrum consuluit. Quantum vero ad interpretationis speciem, non eam amplexus est Possinus, quam nos appellamus Scrupulosam, verborumque reddendorum anxiam: sed alteram in paraphrasim aliquando redundantem, seu liberiorem, juxta authoris sensum; cujus in obscurissimo Scriptore peculiaris excusatio est, quoniam Pachymerem verbatim expositum omnes intricatum atque onerosum experti fuissent, illi præsertim qui linguæ Græcæ indocti sunt. Doctis autem in Græco, si quibus cupida insit, noscendi Pachymerianæ dictionis indolem; id longe facilius isti assequuntur, Græco ipso contextu protinus in visendo ac legendo, quam male tersam & inuitissimam Latinitatem intuentes, per omnia Græcismi vestigia luculento tramite raptantem. Hæc nos multis de hac Pachymeris historia, ex Petri Possini præfatione ad Lectorem, qui huic Historiæ varios adjecit tractatus eruditione insignes, *Glossarium* nempe, *Notas* atque *Chronologicas Observationes*, scitu & lectu dignissimas.

Ejusdem *Georgii Pachymeris Paraphrasis in Opera S. Dionysii Areopagitæ*, edita primum Græce Parisiis, anno 1561. in 8. Græco-latine ibidem, inter Dionysii Areopagitæ Opera anno 1615. in folio, cura & studio Petri Lanssellii Gravelingani, Soc. Jesu Theologi. Antwerpiæ 1634. & Parisiis 1644. in editione Operum Divi Dionysii, quam Græcolatinam præstantissimam Balthasar Corderius Soc. Jesu Theologus curavit. Ejusdem *Libellus de processione Spiritus Sancti*, quem in lucem protulit Leo Allatius Græce & Latine tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* pag. 390. *Epitome Logices Aristotelis*, quæ Græce primum Parisiis anno 1548. Latine Basileæ anno 1560. Græce & Latine Oxonii 1666. in 8. prodiit. Carolus du Fresne du Cange in Indice MSS. Codicum Græcorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 26. inquit in Cod. MS. Colberteo 3946. reperiri Georgii hujus Pachymeris *De Harmonia & Musica* hoc titulo, Περὶ ἁρμονικῆς, ἤγουν μουσικῆς, ἣν σοφώτατος καὶ λογιώτατος Γεώργιος ὁ Παχυμέρης ἐκ πολλῶν παλαιῶν τε καὶ νέων διδασκάλων ἐν ἀκριβείᾳ πολλῇ ἐκλεξάμενος, ξυνετάξατο κάλλιστα, τοῖς τὰ μουσικὰ ἐξασκοῦσιν ὅλως χαριζόμενος. At longe plura extant hujus Scriptoris Philosophica volumina, quæ in Regis Galliæ Bibliotheca asservantur, quorum prolixum satis indicem exhibet Leo Allatius in Diatriba supra citata. Nos autem hic subjiciemus ex Lambecio, quæ inveniuntur Georgii hujus Pachymeris, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi. Habet & plura de Georgio Pachymere Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum* pag. 273. quæ utrumque referri atque examinari, lectoribus haud quaquam inutile fuerit. Narrat ille Georgium Pachymerem, scripsisse *De sex Philosophiæ definitionibus, de divisione Philosophiæ, de quinque vocibus, de decem prædicamentis*, Latine impressa Basileæ per Joannem Oporinum 1560. cum Porphyrii quinque Vocibus & Aristotelis Prædicamentis. Extant autem hæc omnia Græce MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Philosophico Græco XCV. num. 4. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 180. & in Catalogo pag. 287. Extare etiam *Pachymeris in Organum Aristotelis copiosissimas expositiones*, olim Græce MSS. in Bi-

bliotheca Joannis Sambuci, quæ jam adſunt in eadem Cæſarea Bibliotheca, Codice MS. Philoſoph. Græco XXXIII. ut habet Petrus Lambecius loco cit. pag. 70. & in Catalogo pag. 287. Ejusdem *Pachymeris Epitome univerſæ Ariſtotelis Philoſophiæ, diviſa in libros duodecim, Titulos quadraginta ſeptem, & Capita ducenta triginta octo*, ibidem Codice MS. Philoſophico Græco LXVII. ut habet Lambecius ibidem pag. 108. & in Catalogo pag. 287. Eadem autem *Paraphraſis totius Philoſophiæ Ariſtotelicæ Libris duodecim comprehenſa*, Græce quoque MS. in Bibliotheca Auguſtana, in cujus Catalogo *Thergius* pro *Georgius Pachymeres* nominatur. Ejusdem Georgii Pachymeris *Prolegomena in Ariſtotelis libros octo Naturalis auſcultationis ſive Phyſicorum*, extant ibidem Codice MS. Philoſophico Græco XLII. num. 1. ut habet Lambecius ibidem pag. 79. & Codice MS. Philoſophico Græco XCV. num. 2. ut habet Lambecius ibidem pag. 179. & in Catalogo Scriptorum pag. 287. Ejusdem *Expoſitio in octo Libros Phyſicorum*, extat MS. ibidem, Codice Philoſophico Græco XLIII. num. 1. ut habet Lambecius ibidem pag. 84. & in Catalogo pag. 287. Ejusdem *Fragmenta varia de Cælo, Sole, Eclipſi ſolari, Diebus & Noctibus, & de quatuor anni temporibus*, extant ibidem Codice MS. Philoſophico Græco XLII. num. 18. ut habet Lambecius loco citato pag. 82. & in Catalogo pag. 287. Item Codice MS. Philoſophico Græco LXVIII. num. 1. ut habet Lambecius ibidem pag. 10. & in Catalogo pag. 287. Addit Conradus Geſnerus ejusdem *Logica problemata* Græce aſſervari in Bibliotheca Regis Galliæ, itemque *De Anima, de Senſu, Memoria, Somno, Vigilia, Inſomniis*, ibidem. *Commentarios in libros Ariſtotelis de Auſcultatione naturali*, qui jam extant in imperatoris bibliotheca, aſſervari quoque MSS. in Bibliotheca Vaticana: & apud Diegum Hurtadum Venetiis, qui etiam haberet *Paraphraſin* hujus athoris in *Mechanica Ariſtotelis*. Denique ejusdem *Commentarios aut Paraphraſim in libros Ethicorum*, extare Græce apud Hurtadum Mendoſam. Hæc ille de Philoſophicis Operibus.

Mirum eſt quam inconſtans in opinionibus ac judiciis fuerit Leo Allatius. Qui enim producit Tomo 1. *Græcia Orthodoxa* pag 390. Græce & Latine Librum *Georgii Pachymeris De proceſſione Spiritus Sancti* in gratiam & ſenſum Latinæ Eccleſiæ, idem Lib. 2. *De conſenſu utriusque Eccleſiæ* cap. 15. §. 15. col. 780. illum uti Romanæ Eccleſiæ adverſarium, uti hæreticum proſcindit, inconſtans ac vere Græcus Allatius. „Audiamus virum. Georgius etiam Pachy„meres, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam & alia ſcri„pſit, non tantum Jobi, Jaſitæ ad Tomum con„tra Latinos componendum, & re & opera & „conſilio, auxilio fuit. Idemmet Hiſtoriæ Li„bro V. ἐπεὶ δὲ ϗ χρεία ἦν συμφαθῆναι τοὺς „λόγους, ϗ εἰς ἕνα συντεθήσεσθαι τόμον, ϗ ἐζη„τεῖτο ὁ συνθησόμενος, ἀνεδέχετο μὲν τὸ ἔργον ὁ Ιασίτης Ιωβ. εἶχε δὲ ϗ ἄλλους ϗ μᾶλλον τὸν συγγραφέα τῶν τοιούτων ἐμὲ, τῶν ἐννοιῶν συλλήπτορας: καὶ μετ' οὐ πολὺ ὁ τόμος διείργασται. *Quando vero opus erat, rationes has omnes ſimul componi, unoque in tomo digeri, operi ſe ſuppoſuit Jobus Jaſita. Habebat vero & alios, ſed me potiſſimum, qui hæc ſcribo, ſententiarum exponendarum adjutores. & non multo poſt Tomus elucubratus eſt.* Sed etiam ipſe proprio marte compoſuit, πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι διὰ τοῦτο λέγεται πνεῦμα υἱοῦ, διὰ τὸ ὁμοούσιον, ἢ διὰ τὸ χορηγεῖσθαι ὑπ' αὐτοῦ τοῖς ἀξίοις. *Ad eos, qui dicunt, ideo dici Spiritum Filii, quod conſubſtantialis ſit, vel quod tradatur ab ipſo dignis.* Principium κατὰ δύναμιν φυσικὴν καυστικόν ἐστι τὸ πῦρ, ὅτι καύσειεν ἄν. Poſſevinus erga Romanam Eccleſiam non bene affectum fuiſſe tradit, ideoque circumſpecte legendum, idque ex Capitibus Latinis, ex ejus Hiſtoria Gregoræ adjunctis, deprehendit. Petrus Halloix quæſtione 11. De ſcriptis Dionyſii Areopagitæ, vere Catholicum vocat, falſo utique elogio. Non potuit enim eſſe Catholicus, qui Schisma propugnavit, & contra Romanam Eccleſiam, Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere, ſcripto etiam defenderit. Non alium ad hoc probandum, quam illius Hiſtoriam, qua ſe inſenſiſſimum ſemper Eccleſiæ Romanæ prodit, teſtem „advoco. Hæc Allatius loco citato, unde non immerito concludet aliquis, aut illic deceptum Allatium, aut in Græcia Orthodoxa, dum Tomo 1. pag. 390. illi attribuit Opellam Opinioni Romanæ Eccleſiæ *de proceſſione Spiritus Sancti* faventem.

Plurima porro extant Georgii Pachimeris Opera Græce MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, quæ refert Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum Latinorum & Gallicorum*, ſeu *Specimine antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ hujus Bibliothecæ poſſimum collecta, & anno 1653. Pariſiis in 4. edita apud Joannem Henault, locis ſubjunctis. Parte 4. pag. 107. & 108. *Georgii Dicæophylacis & Protecdici Pachymeræ Declamationes* in Codice 963. Bibliothecæ Regiæ, nempe in *Progymnaſmata & ſtatuu cauſarum exercitamenta, fabuloſa narrat.o de Vlyſſe & de zona torrida* &c. quæ paginis duabus exponit. Ibidem parte 4. pag. 113. *Georgii Pachymeræ Protecdici & Dicæophylacis Philoſophica ſynopſis ſeu Epitome, aut Paraphraſis Ariſtotelicæ doctrinæ Libris XII.* in Codicibus Regiis 33. 1198. 1199. Extantque libri illi XII. a Philippo Bechio, latine editi & excuſi Latine tantum anno 1560. Baſileæ in folio. Ibidem parte 4. pag. 117. *Georgii Pachymeræ de quatuor Mathematicis artibus, Arithmetica, Muſica, Geometria & Aſtrologia*, in Codice Regio 859. Ibidem pag. 124. *Heronis Philoſophi florigerium de re medica ex diverſis, in Codice MS. cum Georgii Pachymera Logica.* Ibidem pag. 181. Supplemento IV. ex Bibliotheca Reverendiſſimi & excellentiſſimi Domini Caroli

roli de Montchal Archiepiscopi olim Tolosani, quæ jam in Regiam transiit Bibliothecam, ex dono Mauritii Tellerii Remensis Archiepiscopi ad quem devenerat, Codice XXV. num. 12. *Georgii Pachymeræ, ut colligitur ex fine, Arithmetica*, capp. *od.* Ibidem num. 13. *ejusdem Harmonica.* Ibidem Supplemento VII. quod pag. 269. inscribitur *Analecta quadam ex ditissima gaza Regia Bibliotheca* pag. 278. Codice DLVII. *Georgii Pachymera Historia Constantinopolitana libri XIII. & Nicephori Gregora libri XI.* Denique parte 4. pag. 136. *Manuelis Philo Epitaphium ad Pachymerem cum ejusdem* Pachymeris ex sepulchro responsione, Codice Regio 1779.

Quo anno mortuus sit Georgius Pachymeres, constare non potest. Florebat ille jam ab anno 1280. nec Historiam ultra annum 1308. produxit. Vitam egit diuturnam, quam si calculum recte ponat Petrus Lambecius Libro VII. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 287. & 307. in Catalogo Scriptorum Philosophiæ, ad annum circiter 1340. protraxit, fereque centenarius obiit. De Georgio Pachymere Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali.* Abunde Petrus Possinus in Præludiis ad Historiam illius, quam Græcolatinam edidit. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo XIII. ad annum 1280. pag. 743. Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Graca* cap. 5. pag. 458. ad 460. & 465. ad 469. quæ edita Hamburgi anno 1714. in 4.

1300 CLEMENS V. PAPA ante suam promotionem Bertrandus del Got vocatus, natione Vasco, ex loco Vilandran Burdegalensis diœcesis, ex patre Berando Milite natus est, qui post Benedictum XI. apud Perusium in vigilia Pentecostes Nonis Junii in Romanum Pontificem assumptus fuit. Factus erat primum Episcopus Convenarum per Bonifacii Papæ IX. provisionem in quo annis quinque sedit, quem deinde anno 1299. ipse Bonifacius ad Ecclesiam Burdegalensem transtulit, in qua stetit sex annis. Et tunc ipse visitabat in Pictavia provinciam suam, quando sede Apostolica tunc vacante in Papam absens electus est anno 1305. die 5. Junii, Lugduni die XIV. Novembris consecratus. Adeptus Pontificatum, rem novam aggressus est Italis maxime ingratam, sedem enim Apostolicam ab urbe Roma in Galliam transtulit, modo Lugduni, modo Burdegalis, potissimum autem Avenione commoratus. Atque ut refert Joannes de sancto Victore Parisiensi in *Chronico*, apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium col. 3. & 4. *Clemens V. Papa moram faciens Lugduni ab Episcopis & Abbatibus Francia qui habebant negotiari in curia, innumerabilem pecuniam extorsit. Sed Rex Francia & fratres ejus, Baronesque Francorum, ipsum invenerunt propitium ac benignum. Cleri is Gallicis gratias largas fecit. Circa autem Purificationem anni 1306. idem Dominus venit Cluniacum, ubi multa damna fecit. Similiter apud Bituricas & Nivernum fecit expensas immoderatas. Unde Ecclesia Francia coacta facere subsidium, plurima sunt gravata. Postea Burdegalam urbem adiens, non est benigne receptus.* Idem *In fine anni pracedentis & in principio hujus anni MCCCVI. tres Cardinales venerunt Parisius, Gentilis frater Minor Papa Pœnitentiarius, tituli sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis; Nicolausque frater Predicator, Regis Francia quondam Confessor, tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis: & alius quidam Anglicus natione, multique alii nuntii ex parte Papa, qui Gallicanam Ecclesiam non modicum gravaverunt ob petitam pecuniam vel expensas.* De his Ecclesiarum Galliæ devastationibus a Clemente factis, vide Baluzium in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 578. & 584. Graves enim ob magnas oportuit fuisse querelas Ecclesiæ Gallicanæ adversus exactiones nuntiorum curiæ Romanæ, cum Regem Papæ Clementis amicum coegerint ad eum mittere legatos primarum in re publica partium, qui de his excessibus apud Pontificem expostularent. Misit enim Milonem de Nocriis Mareschallum Franciæ, Guillelmum de Martinhiaco, & Guillelmum dictum Fortehuza Milites, ut docet ejusdem Clementis epistola ad Regem data Burdegalæ VI. Kal. Augusti anno primo. Missis aliis ad ejus vitam pertinentibus, hunc obiisse dicimus apud Roccam Mauri super Rhodanum anno 1314. die XX. Aprilis, Pontificatus sui anno IX. Porro ut notant omnes fere auctores vitæ ipsius, apud Baluzium in *Vitis Paparum Avenionensium* col. 60. 80. & 110. Et in vita Johannis Papæ XXII. col. 137. 157. 171. 174. & 190. *Anno Dominica incarnationis MCCCXIII. circa finem hujus anni, in festo Sancti Benedicti Abbatis, in castro de Montilis prope civitatem Carpentoratem, in qua tunc curia morabatur; Clemens Papa fecit coram se in consistorio publicari constitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decrevevit fieri librum unum, qua dicuntur* Constitutiones Clementinæ. *Capitque exinde agrotare, unde post obiit tricesima die, scilicet XII. Kalendas Maji: & sic Constitutiones illa non fuerunt missa ad studia generalia, ut moris est, nec exposita communiter ad habendum, sed remanserunt sic quadriennio in suspenso, donec postmodum per successorem ejus fuerunt publicata, & sub bulla ad studia generalia missa.* Constitutiones Clementinæ, seu Decretalium liber septimus, jussu Clementis V. ex variis ipsius & Concilii Viennensis Constitutionibus collectus, in libros V. distributus, & a Joanne XXII. post mortem Clementis anno 1317. divulgatus, prodiit Parisiis 1517. in 12. Rothomagi 1519. & Parisiis 1541. in 12. Lugduni 1584. in fol. Francofurti 1586. & Venetiis 1591. in 8. Inquirit autem Baluzius eruditus an Clementinæ vocandæ sint *Liber septimus Decretalium*, in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 682. & 1416. atque illas ita vocitatas esse ab antiquis scriptoribus docet. Quod autem scribit Henricus

ricus Warthon continuator *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi an. 1705. pag. 10. *Denique Epistolarum Regesti Clementis V. volumina IX. in bibliotheca Vaticana MSS. asservata*, unde habuerit, non video. Nam post mortem Clementis, discordia inter Cardinales exorta, omnibusque tumultuantibus passim ut suæ parti adversæ nocerent, Cardinales Vascones ignem in palatium immiserunt, ut tradit Joannes Canonicus Sancti Victoris in Vita Joannis XXII. col. 113. per quem combusta est maxima pars Carpentoratensis civitatis. Observat autem Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 686. & 687. extare in Regesta Joannis XXII. Colbertinæ bibliothecæ, constitutionem ejus adversus istiusmodi incendiarios & spoliatores curialium. Tum vero exusta Regesta ejusdem curiæ, docet ex fide veterum monumentorum Christophorus Browerus lib. 4. Antiquit. Fuldens. num. 52. Certe perierunt omnino Regesta trium priorum annorum Clementis pontificatus, nisi quod in Codice 9919. Regiæ bibliothecæ, extant excerpta plurima illo tempore facta ex Regesto primi anni. Hæc Baluzius, unde ex variis locis collectæ sunt hujus Clementis Epistolæ variæ, nempe *Epistola & Decreta XVIII.* Concil. Tom. XI. col. 1499. *Aliæ XVI.* apud Bzovium in Annalibus ad an. 1307. &c. *Aliæ XI.* apud Waddingum in Ann. Minorum tomo III. ad annum 1306. &c. *Aliæ XLVI.* ibidem in Regesto Pontificum pag. 28. Denique *Ejusdem Clementis V. & aliorum ad ipsum Epistolæ LXXI.* in Collectione actorum veterum, quæ subjunxit Stephanus Baluzius tomo 2. ad Vitas Paparum Avenionensium, col. 55. & sqq. quarum *LIX.* ad Clementem V. pertinent. Abunde idem Baluzius de Clemente V. loquitur, cujus vitas varias ex diversis auctoribus produxit in Vitis Paparum Avenionensium. I. col. 1. ex chronico Joannis Canonici Sancti Victoris. II. col. 23. auctore Ptolomæo Lucensi Ordinis Prædicatorum. III. auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi col. 55. IV. eodem auctore col. 61. quæ prolixior anteriore est. V. col. 85. auctore quodam Veneto coætaneo. VI. col. 95. auctore Aymerico Augerii de Biterris Priore Sanctæ Mariæ de Aspirano, in Diœcesi Helenensi. De eodem in Notis ad Vitas istas Balluzius. Initia Clementis col. 622. qui apud Tolosam mansit col. 655. Diu ægrotavit in urbe Pictaviensi col. 585. Cujus regesta combusta col. 687. Ubi sepultus sit col. 683. An inimicus fratrum Mendicantium col. 615.

1300 RAYNERUS PISANUS, seu de PISIS, natione Italus, ex Ordine fratrum Prædicatorum, Theologus & Jurisconsultus præstantissimus, a me in *Supplemento Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis* pagina 679. ad annum 1410. assignatus erat, quem argumento attentius perpenso antiquiorem opinatus sum, atque ad annum 1300. consignandum, iuxta Joannem Trithemium in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, quem anno 1494. tertio emendatum & completum edidit, & cui *annum 1300.* adscripsit. Eandem illi ætatem assignasse videtur Raphael Volaterranus in *Commentariis Urbanis*, ubi Bartholomæi Pisani opere commemorato, id est *Summa Casuum Conscientiæ* seu *Morali* quam *Pisanellam* vocant, subdit, *Circa eandem fere materiam laboravit Raynerus Pisanus, operibusque suis titulum non inscripsit.* Subdit autem Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 599. col. 2. editionis Tigurinæ 1574. apud Christophorum Froschoverum in folio, *eum vixisse anno 1300.* Quod autem circa annum 1300. floruerit, & antiquior Bartholomæo Pisano fuerit, colligimus, quia juxta Raphaelem Volaterranum, Bartholom. Albicius Pisanus in Summa *Pisanella* dicta, illum imitatus tanquam junior dicatur. At Bartholomæus Albicius Pisanus, suam *Summam Pisanellam* dictam circa annum 1350. scripsisse creditur, imo jam ab anno 1347. conscripsit *Vitam B. Gerardi Laici* anno 1343. defuncti, quam MS. penes se habuit Lucas Waddingus, ut scribit in *Annalibus Minorum*, ad annum 1343. num. 33. Raynerius ergo Pisanus, Bartholomæo Pisano antiquior, vix ac ne vix quidem anno 1300. recentior censeri potest. Hæc de ætate ipsius fusius a me discussa sunt. Res ista clarissima est ex Joanne Trithemio, qui Vitam hujus Rayneri Pisani in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* describit, quam Brixienses in editione sua anno 1580. 2. in 4. tomis apud Thomam Bozzolam retulerunt.

"Raynerius Pisanus, natione Italus, Ordinis fratrum Prædicatorum vir in Scripturis sanctis studiosus & eruditus atque in Jure Canonico satis peritus, ingenio promptus, eloquio Scholasticus, consilio cautus, & non minus religione quam scientia venerabilis, ut fratribus suis in Jure minus expertis, in audiendis Confessionibus præberet iter: scripsit maximam & insignem *Summam de casibus* in duobus magnis voluminibus *secundum ordinem Alphabeti*, quam prænotavit *Pantheologiam*, & quædam alia. Claruit sub Bonifacio Papa octavo & Alberto Imperatore, anno MCCC. Hæc Trithemius."

Videtur *Pantheologiam* suam verbotenus a Petro Londoniensi Archidiacono accepisse, de quo ad annum 1230. actum fuit. Favet huic sententiæ nostræ titulus, qui huic operi inscribitur in editione Brixiensi anni 1581. in 4. nimirum, Pantheologia Summam universæ Theologicæ veritatis complectens, ordine alphabetico disposita, a Raynerio de Pisis, ordinis Prædicatorum recognita, Brixiæ anno 1581. in 4. 2 voll. Hoc enim titulo insinuatur, Raynerium de Pisis non fuisse primum Operis hujus auctorem, sed illud antea ab alio scriptum *Ordine alphabetico tantum disposuisse*, atque *ad priorem Petri Londinensis Archidiaconi compositionem*, de qua ad annum 1230. supra diximus, *recognovisse*. Qua de

re

re fratres Mendicantes Ordinis FF. Prædicatorum videant.

Extat *Pantheologia* seu *Summa universa Theologia* Alphabetice disposita, quam multis additis, multis distractis, & stylo ubique immutato, edidit primum Jacobus Florentinus Ordinis fratrum Minorum, Norimbergæ anno 1473. sed 1477. duobus tomis in folio, quam editionem interpolatam & corruptam, expresserunt eodem modo Venetiis 1486. Lugduni 1519. Brixiensis 1581. 2 voluminibus in 4. Denique Parisienses haud ita pridem 3 in folio voluminibus, quam editionem in Bibliotheca habui, ubi quid *Raynerii* proprium sit, quid ab aliis adjectum distingui nullo modo potest. Longe melius cum Raynerio actum fuisset, si illius opus ad puritatem primigeniam adductum fuisset, collatione MSS. exemplarium. Extat inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 76. 79. 80. 81. in MSS. Collegii Vniversitatis litera E Codicibus 9. 12. 13. & 14. *Rayneri de Pisis, S. Theologiæ Doctoris, Ordinis fratrum Prædicatorum Summa seu Loci Communes ordine digesti Alphabetico*, qui *Pantheologia* dicuntur. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codicibus 215. 216. in MSS. Collegii S. Trinitatis, Classe a Dextra, serie media, Codicibus 37. & 38. *Rayneri de Pisis Pantheologiæ pars 1. Ejusdem pars altera seu 2da.* Item inter MSS. Codices Vltrajectinæ bibliothecæ, ut habetur in Catalogo librorum hujus Bibliothecæ, qui Vltrajecti anno 1670. in folio impressus est, Catalogi parte 1. pag. 98. litera R. *Reyneri de Pisis Panth ologia pars ultima*, a litera P. num. 256. a. Antonius Possevinus hæc de Raynero habet *Apparatus sacri* Tomo 2. pag. 312 editionis Coloniensis 1608. apud Joannem Gymnicum. „Raynerus, qui aliis Reinherus, aliis „Reinerus, Pisanus, Italus Ordinis Prædicato„rum, scripsit duobus libris volumen, quod *Pan„theologiam* inscripsit, quasi cuncta ad Theo„logiam spectantia complectens. Item *Sum„mam Casuum conscientiæ*, quæ *Rayneriana* dicitur, „quæ prodiit Norimbergæ anno 1473. Venetiis „1486. Lugduni 1519. Et quidem Raphael „Volaterranus, dum meminit Summæ Bartho„lomæi Pisani, quæ *Pisanella* inscripta est, *circa „eandem fere materiam* (inquit) *laboravit Raine„rius Pisanus, operibusque suis titulum non adscri„psit.* Cæterum Raynerii Pantheologica Bri„xiæ an. 1580. apud Thomam Bazzolum, & Ve„netiis an. 1585. & 1590. iterum prodierunt. Hæc Antonius Possevinus, ubi absurde errat, dum opera duo Raynerio Pisano attribuit, aliud *Pantheologia* impressum Brixiæ an. 1580. & Venetiis 1585. & 1590: aliud *Casuum Conscientiæ* quam *Summam Raynerianam* vocat, editam Norimbergæ anno 1473. Venetiis 1486. Lugduni 1519. Hæc enim ambo sunt unum & idem Raynerii opus, in multis locis impressum. Hujus mentionem facit Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1301. pag. 4. Cornelius a Beughem *De incunabulis typographiæ* Amstelodami 1688. in 12mo. editis, littera P. pagina 109. ubi illum anno 1240. claruisse perperam affirmat.

THOMAS ANGLICUS, cognomento *Jorsius*, ex Ordine fratrum Prædicatorum, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. Vult tamen cum nonnullis aliis Ferdinandus Vghellus Thomam fuisse creatum ab Vrbano VI. Presbyterum Cardinalem, tituli sancti Petri ad vincula. Sed Auberius in *Historia Generali Cardinalium*, tomo 1. ad calcem voluminis in *Collectione Cardinalium dubiorum* fol. 86. verbo *Thomas Anglicus*, nunquam eum fuisse Cardinalem scribit, innixus authoritate negativa sancti Antonini Florentiæ Archiepiscopi, qui hunc Cardinalem 3. parte *Summæ Historialis* tit. 23. cap. 11. §. 1. non recensuit, dum de *Cardinalibus Ordinis sui* loquutus est, quod accurate præstitit. Sunt qui velint Thomam hunc Anglicum fuisse *Anticardinalem* & Clementis VII. Antipapæ creaturam. Verum author anonymus vitæ Clementis VII. qui diligenter Cardinales ab hoc Antipapa factos recenset, dum hujus Thomæ non meminit, contrarium probat. Adde insuper Richardum II. Angliæ Regem, cui hic Thomas a Confessionibus fuisse dicitur, semper ac constanti animo veris Romanis Pontificibus adhæsisse, ac Antipapis Avenionensibus bellum indixisse: unde idem de Thoma Anglico judicandum est, quem Joannes Trithemius ad annum 1400. allegat, & *plures Lectiones in sacra Biblia scripsisse* asserit, quæ sancto Thomæ Aquinati & Angelico attributæ sunt. Facilis omnino fuit mutatio Thomæ Anglici in Thomam Angelicum, ut ex Sexto Senensi discimus, qui ita libro 4 Bibliothecæ sanctæ loquitur: *Hujus Thomæ Anglici esse creduntur Commentaria in Genesim, in Esaiam, in Jeremiam, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, & in Boëthium De consolatione Philosophica; adscripta Divo Thomæ Aquinati: cum magna esset inter Anglicum & Angelicum vocis similitudo.* Idem censet Labbeus in Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. pag. 435. de *Commentario in Libros Macchabæorum*, & pag. 451. de *Summa totius Logicæ Aristotelis*, quæ est Opusculum XLVIII. sancti Thomæ Aquinatis. Commentarius autem in *Epistolas Canonicas* multa habet similia cum Commentario Nicolai Gorrhami in easdem, qui Antwerpiæ in folio anno 1620. apud Joannem Koerberg impressus est: imo uterque Commentarius unum & idem opus videntur. Porro ut ad oculum ponat, quam belle Mendicantes utrumque Thomam Anglicum & Angelicum confuderint, sicut jam antea allegavit Sixtus Senensis in sua *Bibliotheca Sancta*, hoc unico constare potest. Scripsit Thomas Anglicus *Commentarium in libros Augustini De civitate Dei*, qui in manuscriptis Codicibus ejusdem cum authore temporis extat in Bibliotheca Cremonensi fratrum Eremitarum divi Augustini, & in Anglicis Oxoniensibus, Mer-

1300

tonensi Cod. 169. & Belliolensi Cod. 70. At idem Opus perperam attributum Thomæ Aquinati in Bibliotheca Cameracensis Ecclesiæ Cathedralis pulpito X. Cod. 15. ubi ita inscribitur: *Expositio seu Postilla fratris Thoma de Aquino Angelici Doctoris, Ordinis Prædicatorum, super decem libris De Civitate Dei, beati Augustini, ubi sunt quatuor Tabulæ antepositæ.* Hunc hominem his depingit vir doctissimus Ferdinandus Vghellus in *Additionibus* ad Ciacconium De Cardinalibus ab Vrbano VI. creatis. „Thomas Anglus vir „fuit, cui pietas & eruditio celebrem famam pe„perat. Richardo secundo Anglorum Regi „magno in pretio, ejusque successu temporis „factus est ab arcanis conscientiæ, in iis quæ ad „Deum sunt, & demum inter Purpuratos rela„tus, creatus est S. R. Ecclesiæ Presbyter Car„dinalis, tituli sancti Petri ad vincula. Sane „scripta ejus, quæ adhuc inveniuntur, eminen„tem Philosophum: res gestæ & diversa opera „quæ ab ipso edita fuerunt, eum & optimum vi„rum, & non vulgarem fuisse Theologum, a„bunde testantur. Vixit anno millesimo tre„centesimo octogesimo, sub præfato Angliæ Re„ge Richardo. Hæc Vghellus. Idem censet Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, ubi elogium ejus ita contexuit: *Frater Thomas natione Anglus, Magister in Theologia eruditissimus, qui fuit Regis Angliæ Richardi Confessarius, & postmodum Presbyter Cardinalis creatus sub titulo sancti Petri ad vincula, scripsit super totam Philosophiam Aristotelis, Quodlibeta etiam varia. Hac legi Toleti in Conventu nostro sancti Petri Martyris, in libro perventusto conjuncto Summæ Alberto Brixiensis.* Sed nullus, qui ordine & judicio majori de hoc Thoma Jorsio seu Jorgio loquutus sit, quam Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* verbo *Thomas Jorgius.* Quem proinde perperam & injuste arguit, quasi plurimos in unum confuderit Ambrosius Altamura in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, Appendice ad annum 1311. fol. seu pag. 467. ipse omnium hominum quos viderim confusissimus & intricatissimus, ut ita loquar. Audiamus Possevinum. „Thomas Anglicus, quem pa„tria Galensem Sixtus Senensis, Gualensem Ei„sengrenius, sive item *de Walleis* seu *Walois*, co„gnomento autem Jorgium scribunt, Ordinis „Prædicatorum, ac deinceps Cardinalis S. R. Ec„clesiæ, tituli sanctæ Sabinæ. Scripsit, ut habet „Sixtus Senensis, in sacros libros plurimos Scho„lasticæ methodi Commentationes, ex quibus „in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli Venetiis ha„bentur *Lectura in Genesim* incipiens, *Non recedat* &c. & *in primos viginti quinque Psalmos Postilla*, quæ incipit, *Beatus vir, qui custodit* &c. „Hujus authoris esse creduntur Commentaria „in Genesim, Isaiam, Jeremiam, Epistolas Cano„nicas, Apocalypsim, & in Boethium De conso„latione Philosophica, adscripta divo Thomæ „Aquinati: cui cum honoris causa tributum es„set *Angelici* cognomen, paulatim est factum, ut Thomæ Anglici scripta, Thomæ Angelici ti„tulo notarentur. Ita quidem Sextus Senensis, „ac Antonius De conceptione ejusdem Ordinis „in sua *Bibliotheca fratrum Ordinis Prædicatorum* „reclamat, negans istius esse Opera, sed Thomæ „Aquinatis. Falli inquit Sixtum in eo, quod il„lum anno 1400. claruisse scribit, quem claruisse „inquiunt PP monumenta Ordinis anno 1305. „Scripsisse autem ait, Librum De doctrina Scho„larium. Super quatuor Libros Sententiarum. „Librum de Conceptione beatissimæ Virginis. „Librum multarum Quæstionum Theologica„rum, quem se manuscriptum vidisse testatur. „Super Boethium De consolatione. Contra „Joannem Scotum. Alii item huic tribuunt, „Summam seu Compendium Theologiæ. Duo „Quodlibeta cum multis (ut inquiunt) argu„tiis. Librum De concordia librorum Divi „Thomæ. Alterum De unitate formarum. „Alium de Relatione. Postillam super prover„bia Salomonis. Quædam quæ in divo Thoma „complevit. Summam quoque Logicæ, quæ „sub Aquinatis nomine prodiit. At Eisengre„nius adhuc adscribit huic Commenrarium in „Canticum Canticorum, alteram in Libros de „Civitate Dei. Alii item Commenrarium in to„tum Psalterium. Librum de statu animarum „post mortem. Alium adversus Iconrelastas. „Moralitates in libros Metamorphoseon Ovidii, „sed dubito hunc cum altero confundi, qui „Thomas Wallois iisdem dicitur, quique im„pressus fuit Parisiis anno 1509. ab Ascensio. „Hactenus & recte Possevinus cum aliis fere omnibus, qui censent plurimam partem *Commentariorum in Scripturam sacram*, qui inter Opera S. Thomæ Aquinatis habentur, spectare ad hunc Thomam Walleis, seu Gualensem, cognomento Jorsium seu Joysium. Huius autem Thomæ Anglici, qui sub Richardo secundo Anglorum Rege, anno 1308. floruit, extat *Opus Aureum in triginta septem Psalmos*, impressum in folio Venetiis anno 1611. apud Evangelistam Deuchinum. Extat *Nova bibliotheca Manuscriptorum librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimen Antiquarum lectionum Latinarum, Græcarum & Gallicarum* Philippi Labbei, in 4. Parisiis 1653. apud Joannem Henault editum. Illic Speciminis Antiquarum Lectionum tam Latinarum quam Gallicarum *Supplementum IX.* pag. 337. Veterum editionum ante annum MD Christi breviarium ex Xysto Regiæ bibliothecæ, Codice DCLXXXXVI. dictarum editionum, *Thomæ Waleis & Nicolai Triveth Commentaria in Libros sancti Augustini De civitate Dei* Moguntiæ apud primos typographiæ inventores anno 1473. in folio. Item *la Metamorphose d'Ovide, moralisée par Thomas Walois Docteur en Theologie, de l'Ordre de S. Dominique* translaté par Colart Mansion, en la noble ville de Bruges, à Bruges 1484. in fol. Ita Labbeus loco citato pag. 347. Codice 696. In Bibliotheca porro Claræ Vallæ Cisterciensis Ordinis in Gallia, extat

tat in MSS. Codicibus, *Magister Thomas Anglicus super Psalterium:* an hic Commentarius idem cum impresso sit vel alius, an integer vel mutilus, nescire me fateor. Inquirant, qui potuerint ex otio. Extant etiam multa in Bibliothecis Anglicis sub nomine Thomæ Walleis Anglici, nimirum *Commentarii in Pentateuchum, Josue, Librum Judicum, Ruth & Isaiam*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 30. Mertonensi Cod. 196. Magdalenensi Cod. 47. *Commentarii super duos Nocturnos Psalmorum*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Exoniensis Cod. 52. Cantabrigiæ in aula Pembrochiana Cod. 46.

Hæc quidem paucis de MSS. Anglicanis *Commentariorum Thomæ Jorzii*, sed quia hoc anno 1698. Catalogus omnium MSS. Codicum Angliæ duobus in folio tomis cum Francisci Bernardi, in lucem Oxonii prodiit, hinc indicem ampliorem lectori, Operum Thomæ Waleys dabimus. Nulli enim alteri Operi Thomas hic incubuit, quam Commentariis in Scripturas sacras & Opera Patrum concinnandis.

Extant inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ, Codice 1273. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litera H. Codice 10. num. 12. Lectiones super Exodum, Numeros, Leviticum, Deuteronomium, Judices, Ruth, Ecclesiasticum, Cantica Canticorum, Isaiam, cum tabula. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 653. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 196. Thomæ Waleis Tractatus de naturis bestiarum cum moralizatione. O. 8. 11. Art. Item Wallensis super Numeros. Idem super Deuteronomium. Idem super Exodum. Idem super Leviticum, Josue, Judices, Ruth, Isaiam. Ibidem Codice 994. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 30. Opus fratris Thomæ Waleys de Ordine Prædicatorum, super Isaiam, Numeros, Deuteronomium, Josuam, Judices, Ruth, Exodum, Leviticum. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1975. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 46. Walleys super duos Nocturnos Psalmorum. Et inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 852. in MSS. Codicibus Collegii Exoniensis Codice 52. Wallensis super duos Psalmorum nocturnos.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codicibus 9900. 9901. 9902. in MSS. Codicibus Symonis D'Ewes Baronetti Codd. 40. 41. 42. Opera multa Wallensis, nimirum Commentarii in varios Scripturæ libros, in omnes S. Pauli Epistolas, & varia Opuscula. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 243. in MSS. Collegii Baliolensis E. 8. Thomas Anglicus super Augustinum *De civitate Dei.* Ibidem Codice 498. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 31. Expositio super Augustini libros, *De Civitate Dei, & quidem in primos, secundum Thomam Anglicum.* N. 3. 5. Art.

Ex his Commentariis, qui *Thomæ Anglico*, seu Jorsio vel Jorzio, in MSS. Codicibus Anglicanis attribuuntur passim, fratres Prædicatores Hispani edendos curarunt *Commentarios in Pentateuchum* sub nomine *Sancti Thomæ Aquinatis*, legentes pro *Thoma Anglico* qui horum Commentariorum verus author existit ex fide MSS. Codicum, *Thomam Angelicum*, ut hinc illos Thomæ Aquinati adscribendi occasionem habeant. Plurimi enim Scriptoris hujus in Scripturam sacram labores & Commentarii, S. Thomæ Aquinati temere attributi sunt, ut diximus in Dissertatione nostra prolixa *De scriptis S. Thomæ Aquinatis* cap. 15. & alibi ad annum 1250. supra. Itemque ubi disseruimus de *Commentariis S. Thomæ Aquinati* adscriptis & ejus Opera temere insertis. Ejusdem Thomæ Anglici *Tractatus de figuris Deorum* MS. in charta, in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 5224. Obstupui, dum oculis attentis appofui, mentem discutiendæ *Bibliothecæ Ordinis fratrum Prædicatorum*, quam concinnavit Ambrosius Altamura. Hic enim tanta affectatione multiplicavit in hoc Opere Scriptores sui Ordinis, ut ex uno Thoma Jorgio (vel duobus saltem) qui & Gualensis & Walleis dicitur, stupenda prurigine septem homines fecerit. Horum *primus* ad annum 1311. collocatur pag. 88. cujus & meminit in *Appendice* ad eundem annum pag. 467. *Alter* ad annum 1321. Thomas Anglicus, pag. 100. cui eadem attribuit, quæ Thomæ Jorgio adscribuntur. *Tertius* Thomas de Walleis sive Walensis Anglus, ad annum 1332. pag. 108. *Quartus* Thomas Anglus ad annum 1375. pag. 134. *Quintus* ad annum 1379. pag. 136. quem Thomam Anglum simpliciter vocat. *Sextus* Thomas Jorgius Anglus, ad annum 1398. pag. 144. *Septimus* denique Thomas Anglicus, patria Galensis, ad annum 1400. pag. 147. Ita sane qui ab ipso hunc omissum fuisse Thomam conquereretur, plagis multis castigandus esset. Ita divisis scriptoribus de tempore, quo Thomas Anglicus cognomento Jorzius floruit, nullus qui certiora protulit Baluzio, quem describimus in Notis ad Vitas *Paparum Avenionensium* col. 582. "Thomas Jorzius, sic enim constanter vocatur in veteribus actis illorum temporum, quod etiam agnovit Baleus Centum 4. cap. 89. 90. quamvis ipse malit eum vocare Thomam Joyce. Sed hac auctoritate spreta, Joannes Pitseus nihilominus eum appellat Thomam Jorsium. Fuisse natione Anglicum omnes consentiunt, & institutum fratrum Prædicatorum arripuisse, ac Priorem eorum provincialem in Anglia fuisse. Scripserat Ciaconius illum hoc magistratu functum per annos septem. Sed Godwinus ait, eum in hoc videri lapsum, cum Wasterus Winterburnius, cui in eo munere Thomas successit, hanc provinciam, antequam fieret Cardinalis, non deposuerit, quod anno MCCCIV. contigit. Verum Bernardus Guidonis, illorum omnino temporum scriptor, nobis testis est, Thomam fuisse

Priorem

„Priorem provincialem Angliæ annis septem, „Doctorem sacræ theologiæ eum vocant idem „Bernardus & Thomas Walsinghamus, qui po„stea Eduardi I. Regis Angliæ Confessor evasit „eodem anno, quo laudatus paulo ante Walte„rus ad dignitatem cardinalatus promotus est. „Et anno sequenti MCCCV. die XV. Decem„bris factus est a Clemente V. Presbyter Cardi„nalis tituli sanctæ Sabinæ, post mortem videli„cet Walteri, qui die XXIV. Septembris pro„xime præteriti excesserat vivis. Erravit au„tem Waddingus an. 1310. §. 7. scribens, eum „primo factum fuisse Cardinalem tituli sanctæ „Luciæ, & post mortem Walteri, sanctæ Sabi„næ. Vir maledicentissimus Joannes Baleus „Centur. 4. cap. 89. ait, eum numerata Ponti„fici pecunia mercatum esse hunc honorem, & „ab eo die intrepidum Antichristi militem fa„ctum, rostris, ut ajunt, & unguibus, injustissi„mas quasdam ambitiosi Pontificis causas defen„disse erga Romanos. Contra Joannes Pitseus „cum commendat de morum gravitate, reli„gionis integritate, vitæ innocentia, & erudi„tionis eminentia: ac propterea evocatum a „Clemente V. Lugdunum, & ab eo factum Car„dinalem. Sed quid Baluzius dicat ad Joannem Canonicum sancti Victoris Parisiensis, in Vitis Paparum Avenionensium col. 4. scribentem. *In fine anni præcedentis & in principio hujus anni MCCCVI. tres Cardinales venerunt Parisius, Gentilis frater Minor Papæ Pœnitentiarius tituli sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis, Nicolausque frater Prædicator Regis Franciæ quondam Confessor tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, & alius quidam Anglicus natione, multique alii nuntii ex parte Papæ, qui Gallicanam Ecclesiam non modicum gravaverunt ob petitam pecuniam vel expensas.* Nam Thomas Jorzius seu Jorsius erat unus ex illis concussoribus plebis & pecuniarum exactoribus, uti nec Baluzius ipse diffiteri audet. „Cum vero postea Philippus IV. Rex Franco„rum, memoriam Bonifacii VIII. accusaret, „Thomas a Papa Clemente V. una cum Petro „de Capella Episcopo Prænestino, Berengario „Fredoli Episcopo Tusculano, & Nicolao de „Feauvilla Presbytero Cardinale tituli sancti „Eusebii, delegatus est, ut audiret testes, qui ad„versus eundem Bonifacium producebantur, ut „patet ex collectaneis *De Dissidio ejusdem Bonifacii & Philippi Regis* pag. 562. & sqq. Eodem „anno, ut Odoricus Raynaldus tradit, in Italiam „missus est ad excipiendum Henricum VII. Im„peratorem. Obiit autem in itinere ad eum „proficiscens, in Sabaudia nimirum, ut Godwi„nus putat. In libro obligationum archivi Va„ticani, adnotatum est, eum anno MCCCX. „Legatum factum in certa parte Italiæ, de Ro„mana curia discessisse in legationem die XXV. „Octobris, & die XIII. sequentis mensis Decem„bris, in itinere suæ legationis obiisse. Hacte„nus autem ignotus fuit locus, in quo mortuus „est, quem Bernardus Guidonis in opere, quo descripsit historiam monasteriorum & vitas vi-„ rorum illustrium sui ordinis, docet fuisse Gra-„ tianopolim. Describenda sunt autem illius„ verba, cum nondum edita sint, & cum multa„ notatu digna ad historiam Cardinalis hujus„ pertinentia contineant. *Fratrem Thomam de„ Jorz Anglicum magistrum in theologia, Oxonia de„ ordine Prædicatorum, fecit Presbyterum Cardina-„ lem tituli sanctæ Sabinæ idem Dominus Clemens Pa-„ pa V. in Lugduno, ubi præsentes erant, feria quar-„ ta in jejunio quatuor temporum adventus, XVIII.„ Kalendas Januarii, anno Domini MCCCV. Hic„ frater Thomas fuit Prior provincialis Angliæ annis„ septem, habuitque secum in ordine quinque fratres„ carnales, quos eadem propago & professio vere fe-„ cit esse germanos. Hic cum mitteretur Legatus a„ Domino Clemente V. in Italiam ad Regem Teuto-„ niæ Henricum Imperatorem Romanorum, per Im-„ tiam dirigendum & promovendum in Imperatorem:„ cum pervenisset apud Gratianopolim civitatem, ibi-„ dem infirmitate detentus diem claudens extremum,„ legationis suæ vitam terminavit in festo sanctæ Lu-„ ciæ, quod fuit in Dominica tertia in adventu Do-„ mini, anno ejusdem Domini MCCCX. cardinala-„ tus sui quasi quinquennio consummato. Corpus„ autem ejus fuit inde portatum apud Oxoniam in An-„ glia, in conventu fratrum Prædicatorum tumulan-„ dum.* Illic conditum eum fuisse splendida se-„ pultura, scribit Pitseus. Tradit autem Augu-„ stinus Oldoinus eidem Cardinali commissam„ esse a Clemente V. curam doctrinæ Petri Jo-„ annis Olivi Minoritæ discutiendæ, qui nonnul-„ la circa paupertatem. Evangelicam docebat,„ quæ tunc aures plurimorum offenderunt;„ quod is ex Waddingo accepit, seu potius ex„ bulla Clementis V. a Waddingo in Annalibus„ Minorum relata. Plurima opera scripsit, quæ„ commemorantur a Baleo, Possevino, Pitseo, &„ aliis. Idem Baluzius col. 629. Anno MCCCX.„ Petrus de Capella a Clemente V. delegatus est„ una cum Thoma Jorzio Cardinale, in causa gra-„ vis commotionis inter fratres Minores obortæ,„ cui occasionem dedisse putabatur *Postilla* fratris„ Petri Joannis Olivi in Apocalypsim. Sed cum„ Petrus eo tempore in morbum incidisset, adeo-„ que ab executione delegationis se excusasset:„ Pontifex eam commisit Berengario Fredoli Epi-„ scopo Tusculano, & Guillelmo Arrufati tituli„ sanctæ Potentianæ Presbytero Cardinali, lite-„ ris datis Avenioni XVIII. Kal. Maji, anno quin-„ to. *Waddingus anno 1310. §. 2. & 3.* Idem col.„ 637. Anno MCCCX. Nicolaus de Feanvilla„ delegatus fuit a Clemente V. cum Berengario„ Episcopo Tusculano, & Thoma Presbytero„ Cardinali tituli sanctæ Sabinæ, ut testes audi-„ ret, qui producebantur contra Bonifacii VIII.„ memoriam, ut patet ex Collectaneis Petri Pu-„ teani *De Dissidio Bonifacii* pagg. 564. 566. 568.„ 670. 573." Hæc Baluzius amplissima, quæ nec referre piguit, ut nullus imposterum Thomam Jorsium seu Anglicum, ad tempora Urbani VI. vel Clementis VII. circa annum 1380. vel 1390. adscri-

adſcribat. Ex omnibus quæ Thomæ Wallenſi ſeu Walis attribuuntur, extant illius & Nicolai Triveth Commentaria in S. Auguſtinum *De Civitate Dei*, excuſa Moguntiæ 1473. in fol. Venetiis 1489. & Friburgi 1494. in fol. Commentarius in Boethium *De Conſolatione Philoſophica* Coloniæ 1497. & alibi cum Operibus S. Thomæ Aquinatis, cui a nonnullis aſſeritur. *Moralitates in libros Metamorphoſeon Ovidii*, Pariſiis anno 1509. ab Aſcenſio editæ, quas & Gallice transtulit Conradus Manſion, Brugis 1484. in folio editas. Agunt de Thoma Jorſio ſeu Gualenſi Joannes Pitſeus, in Opere ſuo *De Scriptoribus Angliæ*. Joſias Simlerus in *Epitome bibliotheca Geſneri*, verbo *Thomas Anglicus* pag. 658. col. 2. & verbo *Thomas Gualenſis* ſeu *Walenſis* pag. 662. col. 1. Et verbo *Thomas Jorſius* pag. eadem col. 2. Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus ſacri* verbo *Thomas Anglicus* pag. 476. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, cap. 456. pag. 266. Ambroſius Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1311 pag. 88. & in *Appendice* ejuſdem anni pag. 467. ubi illum appellat *Beatum*, cujus prærogativæ antea pagina 88. citata vir bonus oblitus fuerat. Henricus Whartonus in Continuatione *Hiſtoria Literaria* Guillelmi Cavi, ad annum 1305. pag. 10. & ad annum 1332. pag. 29.

1300 JOANNES MONACHUS S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS, vulgo dictus *Joannes le Moine*, alias cognominatus *Des Cranches*, frater Andreæ Noviomenſis Epiſcopi, e Creciaco pago in Pontivo haud procul ab Abbatisvilla Diœceſis Ambianenſis oriundus, hac tempeſtate inclaruit pietate non minus, quam doctrina. Qui cum Jus Pontificum apprime noſceret, Romam profectus, variis ibidem muneribus cum applauſu functus eſt, ſub Romanis Pontificibus, Nicolao IV. Cœleſtino V. & Bonifacio VIII. ibidem in Collegium Cardinalium ſub titulo ſanctorum Marcellini & Petri admiſſus eſt, ante annum 1298. Hic ex Rotæ auditore ſub Nicolao IV. ſummo Pontifice, in Purpuratorum Ordinem a Cæleſtino V. anno 1294. cooptatus eſt, non autem ut vulgo creditur, a Bonifacio VIII. Dicitur Conſiliarius Philippi Pulchri Francorum Regis anno 1303. cui adverſus Bonifacium Octavum adhæſiſſe cum Clero Gallicano non videtur, & Epiſcopus Meldenſis in Necrologio S. Pharonis. Condidit Lutetiæ Pariſiorum anno 1302. ampliſſimum nominis ſui Collegium dictum *Cardinalitium* a fundatore, juxta ſancti Victoris portam & ſuburbium, quod dotavit & ſtatutis a Bonifacio VIII. diſcuſſis probari obtinuit. Qui tandem tanta de charitate egit in diſſidiis ætate ſua inter Regem & Pontificem motis, ut a Bonifacio VIII. Vicecancellarius Romanæ Eccleſiæ extiterit. Legatus etiam in Gallias ad Philippum Pulchrum ab illi tunc infenſo Bonifacio miſſus, cujus Legationis Acta & Articulos ad ſubſcribendum Regi propoſitos, Spondanus in *Annalibus* ſuis refert. Protulit inſigne peritiæ ſuæ monumentum, *Commentarium in ſextum Decretalium Bonifacii VIII.* quod MS. Cantabrigiæ in Collegio aulæ Sanctæ Trinitatis, Codice 7. ſub hoc titulo: *Apparatus ſexti Libri Decretalium per Joannem Monachum, tituli ſanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem anno Domini 1298.* Hic verò Commentarius Pariſiis anno 1535. ſub nomine *Cardinalis non Monachi* (profeſſione nimirum) impreſſus eſt, qui deinde Venetiis anno 1586. cum Additionibus *Philippi Probi* Biturienſis Juriſconſulti excuſus eſt. De hujus Cardinalis familia, eruditione, ſcriptis & geſtis plene ediſſerit author, qui *Notis* Ciaconium illuſtravit, cujus corpus Pariſiis in Sacello Collegii Cardinalitii ab ea fundati & ſequenti Epitaphio requieſcit. *Hic jacet Dominus Joannes Monachus Ambianenſis Diœceſis, tituli ſanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis, fundator iſtius Domus, qui obiit Avenione anno Domini 1313. die 22. menſis Auguſti, Sepultus fuit hic prima die menſis Octobris, ejuſdem anni.* Videatur de illo Antonius Poſſevinus tom. 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Joannes Monachus*. Fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Chriſtianæ* pag. 701. in Epiſcopis Meldenſibus. Henricus Spondanus *in Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 1303. num. 2. & 3. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum*, quem præfixit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 123.

GVILLELMVS DE MANDAGOTO, R. ECCLESIÆ CARDINALIS ET EPISCOPVS, natione Gallus, patriâ Sebennas, Nemauſenſis primum & Uticenſis Archidiaconus, mox Capellanus Summi Pontificis & Eccleſiæ Toloſanæ Præpoſitus, tandem à Bonifacio VIII. Ebredunenſi Metropolitanæ Eccleſiæ circa annum 1295. præfectus eſt. Celeberrimus fuit Juris utriusque interpres, cujus operâ in condendo ſexto Decretalium libro eundem Bonifacium uſum eſſe, ex Operis præfatione colligitur. Multoque alia Juriſprudentiæ ſcripſit monumenta, uti *Tractatum de Electionibus Prælatorum* ad Berengarium Biterrenſem Epiſcopum, MS. Oxonii in Anglia, in Bibliotheca Collegii novi Codd. 166. & 196. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri Codd. 151. & 158. denique in Victorina Pariſienſi, Littera O. 1. fol. 13. & Q. 9. fol. primo. Sed impreſſum primo Venetiis an. 1584. in Tractatibus Tractatuum Juris Tom. XV. & poſteà Coloniæ anno 1602. in 8. unà cum additionibus Nicolai Boërii, & incipit, *Quia cum Electiones &c.* Hic donis Metropolim ſuam ingentibus locupletavit, legationeque Pontificiâ functus eſt ad Regem Arragoniæ, cum Carolo II. Provinciæ Comite. Creatus autem Cardinalis Præneſtinus Epiſcopus à Clemente V. Summo Pontifice anno 1312. die 14. Decembris, egregiè Bonifacium propugnavit. Tandem Avenione ex hac vita deceſſit menſe Novembri anni 1321. vel ut alii volunt, ſedente 1300

Joanne Papa XXII. anno 1324. Ejus cum laude meminerunt Bernardus Guidonis, Joannes Trithemius, & Abrahamus Bzovius, Ciacconius & Vghellus *in Episcopis Praenestinis*. Quibus adde Aubertum Miraeum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 414. pag. 266. Sammarthanos Fratres tomo 1. *Galliae Christianae* pag. 280. *in Archiepiscopis Ebrodunensibus*. Augustinum Oldoinum Soc. Jesu *in Athenaeo Romano*, quo Romani Pontifices & Ecclesiae Romanae Cardinales Scriptis celebres recensentur, p. 296. editionis 1676. Perusiae in 4.

1300 BERENGARIUS DE FREDOLE, BITERRENSIS EPISCOPUS, TUM CARDINALIS EPISCOPUS TUSCULANUS, Juri Pontificio potissimum incubuit, cujus acquisitione magna ac facilis per hanc aetatem ad munera principalia Ecclesiae, via parabatur. Adhuc juvenis eligitur Canonicus & postea Succentor Sancti Nazarii, deinde successu temporis Abbas Sancti Aphrodisii Biterrensis, & Bonifacii VIII. Capellanus, anno denique 1298. Episcopus Biterrensis renuntiatur, sub quo per Metropolitanum Ægidium Amelinum, duae Synodi Biterris annis 1299. & 1302. celebratae sunt. Fuisse inter Doctores Juris Canonici suo tempore clarissimos, constat ex auxilio, quod Bonifacio VIII. cujus extiterat Capellanus, in condendo libro sexto Decretalium praestitit, adjuvantibus Richardo de Senis Cardinale, ut Guillelmo Mandagoti Ebrodunensi Archiepiscopo. Clarissimus Jurisprudentiae scientiâ, ad Guillelmum de Mandagoto Archidiaconum Nemausensem, à quo libri *De electionibus Praelatorum* nuncupatione honestatus fuerat, vicissim ipse volumen inscripsit, quod *super Summa Ostiensis Elucidarium per seriem alphabeti* composuit. Hanc Elucidationem quam praenotavit *Oculum*, habes cum *Summa Ostiensis* impressa in folio Basileae anno 1573. Extat hoc Opus MS. Cantabrigiae in Collegio Sancti Benedicti Cod. 246 inscriptum, *Inventarium in Jure Canonico per Berengarium Episcopum Biterrensem*. Itemque MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 3671. in fol. & in Bibliotheca Colbertina Cod. 1495. Scripsit idem & *Tractatum de excommunicatione atque interdicto* MS. in Bibliotheca Colbertina Codicibus 249. & 3345. Item in eadem Bibliotheca Sancti Benedicti Codice 290. MS. *Summa Domini Berengarii Cardinalis, Magni Poenitentiarii Domini Papae, De omnibus casibus Juris, in quibus quis est excommunicatus*. Et Cod. 291. *Casus Spectantes ad curiam Romanam, auctore Berengario*. Idem Opus MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Littera N. 18. fol. 334. & sequentibus. Ob eminentiam itaque scientiae, Clemente V. ad Romani Pontificatus apicem electo, ab eo purpurâ insignitur in prima Cardinalium promotione Lugduni anno 1305. facta, sub titulo Sanctorum Nerei & Achillei, qui tum posteà anno 1309. Boncamatio successit Episcopus Tusculanus, perperam à Ciacconio dictus *Berengarius Stedelli* pro *Fredoli*. Tandem Berengarius Avenione quinto Idus Junii anno 1323. obiit, cujus corpus à Guillelmo Fredolio nepote & successore elatum, sepelitur in Ecclesiae Cathedralis Sacello Sancti Stephani. Alia qui cupit, adeat Antonium Possevinum tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Berengarius Biterrensis* pag. 212. Henricum Spondanum *in Annalibus Ecclesiae*, ad annum 1307. num. 14. Fratres denique Sammarthanos *in Gallia Christiana* tomo 2. pag. 422. *in Episcopis Biterrensibus*, cum Augustino Oldoino Soc. Jesu *in Athenaeo Romano* ubi Romani Pontifices & Romanae Ecclesiae Cardinales scriptis celebres recensentur, pag. 119. editionis 1676. Ragusiae in 4.

GVILLELMUS MAJOR ANDEGAVENSIS EPISCOPUS, natione Gallus, ejusdem Ecclesiae Canonicus anteà & Poenitentiarius, vir probus & doctus, communi omnium suffragio anno 1290. Andegavensis Episcopus renuntiatus, qui anno M CCC XI. Concilio Viennensi Generali sub Clemente V. celebrato, in quo de Templariis extirpandis actum est, interfuit & subscripsit. Composuit Gesta sua in Episcopatu ab anno 1290. usque ad 1313. quae ex MS. Codice edidit Lucas Dacherius tomo X. *Spicilegii* sui pag. 247. Ejusdem quoque extant *Statuta Synodalia*, quae in publicam lucem produxit idem Dacherius tomo XI. pag. 211. item Supplementum quoddam in eodem *Spicilegio* Dacherii tomo XIII. post *Indicem* pag. 227. Obiit ipse anno 1314. die 13. Maji, cujus mentionem faciunt Fratres Sammarthani tomo 2. *Galliae Christianae* in Episcopis Andegavensibus. Guillelmus Cavus *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiae*, ad an. 1290. p. 750. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem praemisit *Glossario mediae & infimae Latinitatis*, col 108. 1300

NICOLAUS TRIVETTUS, vulgò *Trevetb* ac *Triveth* Anglus anno circiter 1300. floruit ex Ordine Fratrum Praedicatorum, quem Ambrosius de Altamura appellat *Poetam, Humanistam, Philosophum, Mathematicum, Historicum atque Theologum* maximum *in Bibliotheca Ordinis Praedicatorum* ad annum 1361. pag. 129. quem Joannes de Turre cremata in Tractatu *De conceptione Beatae Virginis* parte 6. cap. 29. *magnum virum* appellat, sicut ex ejus Operibus sanè multis colligitur. Hic scripsit usque ad annum 1307. quem Eduardi Angliae Regis XXXV. supputat, *Chronicon insigne* quod ex MSS. centum habet Lucas Dacherius tomo VIII. *Spicilegii* pag. 438. Lectuque dignissimum est. Idem habetur MS. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Mertonensi Cod. 75. Cantabrigiae in Collegio S. Benedicti Cod. 60. Ejusdem linguâ Gallicâ *De Gestis Imperatorum, Apostolorum, & Regum* MS. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi, Cod. 138. *Commentarii in Beatum Augustinum de Civitate Dei*, MSS. Cantabrigiae in Bibliotheca Domus Sancti Pe- 1300

Petri Cod. 24. & in Bibliotheca Baronis Lumleji Cod. 247. Denique Codice 3786. Regiæ Galliarum Bibliothecæ habetur *F. Nicolai Treveth Ordinis Prædicatorum Expositio De Historiis & Poeticis, quæ in Libro De Civitate Dei referuntur.* Extant quoque hi Commentarii MSS. Neapoli in Conventu Sancti Dominici, & Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Augustinianorum. Cameraci denique in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ. Imò impressi sunt, anno 1489. Venetiis in folio, Afriburgi 1494. in folio. Quantum ad *Commentarios super Divum Augustinum De Civitate Dei*, vult Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* verbo *Nicolaus Triveth*, eum habuisse in illis terendis, collaborantem sui Ordinis socium Thomam Wallensem, dictum Anglicum, testeque Henrico Wartonio, prodiisse Commentarium hunc sub utriusque nomine Tholosæ anno 1488. Itemque *Commentaria Thomæ Waleis & Nicolai Triveth in libros Sancti Augustini De Civitate Dei*, impressa Moguntiæ anno 1473. in folio. Sed videat ipse Possevinus quomodo hoc esse possit, cùm circa annum 1307. Nicolaus Trivethus floreret & scriberet, alter verò circa annum 1380. vel 1400. Nam distantes tanto temporis intervallo, uni simul operi collaborare non potuerunt. Rectius forsitan Possevinus loquutus fuisset, si Commentarium hunc inceptum fuisse à Nicolao Trivetho dixisset, perfectum verò successu temporis à Thoma Wallensi seu Gualensi Anglico. Ejusdem *Flores super Augustini Regulam*, MSS. in eadem Bibliotheca Lumleji Cod. 291.

Super Boethium De consolatione Philosophiæ, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 236. Item in Regia Galliarum Bibliotheca Codicibus 4981. 4982. Inscribitur *Boethii liber de consolatione Philosophica, cum Commentariis Nicolai Traveth, Angli Ordinis Prædicatorum.* Incipit textus *Carmina qui quondam &c.* Incipiunt Glossæ, *Explanationem librorum Boethii &c.* primus Codex 300. annorum est, secundus autem anno 1370. scriptus.

Ejusdem *Nicolai Treveth Ordinis Prædicatorum Commentarius Tragediarum SENECÆ*, MS. Codice 2780. Bibliothecæ Colbertinæ, & in Bibliotheca Galliarum Regia, Codicibus 5351. 5632. cum Epistola Nicolai Ostiensis & Veletiensis Episcopi ad Fratrem Nicolaum Trevereth Ordinis Prædicatorum, quæ incipit, *Licet quorumcunque studium &c.* & Fratris Nicolai Trevereth responsione ad Nicolaum Ostiensem Episcopum, quæ incipit, *Rudis adolescentia &c.* Ibidem Codice 4523. fol. 119. *Nicolai Treveth Ordinis Fratrum Prædicatorum Declamationes Senecæ editæ & moralizatæ cum Tabula.*

Ejusdem *Tabula super allegorias Ovidii*, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi, Cod. 142. Ibidem *Alia quædam Opera Nicolai Triveth*, MSS. Cod. 147. nempe *Ordo Missæ* seu *Speculum Sacerdotale*. Multa de *Nicolao Trivetho* Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri.* Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca sanctæ.* Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1361. pag. 129. & in Appendice ad eundem annum pag. 486. ubi eum affigit. Alium idem Ambrosius de Altamura finxit sibi *Nicolaum de Trajecto*, quem Brabantinum consequenter & falsò appellavit *in Bibliotheca citata* ad annum 1334. pag. 113. cui hallucinatione insigni ea attribuit, quæ *Nicolao Trivetho* indubiè competunt, nimirum *Commentaria super Boethium de Consolatione*, tam egregia ut S. Antonius 3. parte titulo 23. cap. 11. putaverit inter omnes qui de hac materia scripserunt, censendum esse meliorem. Item *super Declamationes Senecæ & super Augustinum De Civitate Dei*, quod ultimum Opus dum scriberet, socium habuisse dicitur Fratrem Thomam de Valleis seu Wallensem, de quo ad annum 1332. idem Ambrosius de Altamura: allegans ob eam rem Conradum Gesnerum *in Bibliotheca Scriptorum*, & Antonium Lusitanum *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum.* Sed Ambrosius Altamuranus & alii isti decepti sunt, legentes in Sancto Antonino loco citato, *Nicolaum de Trajecto*, ubi legere debuerant *Nicolaum de Travecto* seu *de Trivetho*, qui ipse est Nicolaus de quo hic loquimur, in duos homines non dissecandus vel multiplicandus. De eodem *Nicolao Trivetho*, Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum* pag. 180. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 65. p. 513. Henricus Warthon in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1310. pag. 12. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* col. 133. ubi eum cum Pitseo anno 1326. obiisse scribit.

PETRUS CALO natione Venetus, ortu 1300
Clugiensis, ex ordine Fratrum Prædicatorum, circa annum 1300. *Vitas Sanctorum* diffusè conscripsisse, seu collegisse æquius videtur. Tradit Raphael Volaterranus *Antropologiæ* Lib. XXI. *Petrum ex oppido Clodiensi, aliorum Sanctorum à Jacobo Varaginensi prætermissorum historiam scripsisse.* Petrus autem Calotius, non tam præteritorum à Jacobo Sanctorum historiam collegit, quam aliud opus, alia methodo & mole majore conscripsit. De eo Petrus de Natalibus in Prologo *Catalogi Sanctorum* ita habet: *Novissimus omnium Petrus Calo Venetus, ejusdem Ordinis Prædicatorum* nimirum, non *Minorum* ut malè Possevinus & Vossius scribunt, *Sanctorum multorum quorum vitas, passiones & nomina undecumque sumere voluit, grandi volumine & diffuso opere dilatavit, quod ejus prolixitate nedum commendare memoriæ, sed nec intentè legere quis poterit, nisi longinquitate temporis & assiduitate lectionis.* Vixisse eum anno 1300. scribit Leander Albertus *De Viris illustribus Ordinis Prædicatorum* lib. 4. his verbis, *Nec longè abest Petrus Calo Clugiensis cum Vitis Sanctorum suis à se editis anno 1300.* Idem in Descriptione Insularum quæ circum Venetias jacent,

cum *de Fossa Clodia* oppido agit, quod *Chioggia* vel *Chioza* nunc Italis dicitur, ita scribit: *Urbem hanc ortu nobilitavit Petrus Calotius Ordinis Prædicatorum Monachus, qui admodum exactè ingentia duo volumina de vitis Divorum scripsit, quæ in Bibl. Dominicana Bononiæ adservantur.* Suam autem Italiæ descriptionem Henrico II. Galliarum Regi anno 1550. dicavit, quo tempore dictum Petri Calotii opus, MS. in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Bononiæ servabatur. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium hujus regni Bibliothecarum, in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis & Metropoliticæ Sancti Petri apud Eboracum Codice 19. *Petri Calo ex Ordine Prædicatorum Legenda Sanctorum in folio.* Mentionem faciunt hujus Petri Calotii, præter allatos vetustiores, ex recentioribus Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Petrus Calo.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. mihi 499. Joannes Bollandus, in Præfatione generali ad *Vitas Sanctorum* cap. 1. §. 4. pag. 20. quem hic adduximus paucis demptis.

1300 JUNCTA BEVAGNAS natione Italus, ex Ordine Fratrum Minorum, claruit anno 1300. 1310. & sequentibus, a quo Italice scripta est *Vita B. Margarethæ de Cortona,* cujus hic Confessarius fuit, & quæ anno 1297. die 22. Februarii obiit. Dictus *Juncta Bevagnas* sive *Mevenas,* Mevenia nimirum oriundus, quæ est Umbriæ oppidum intra Fulginium ad Tiniæ Clitumnique confluentes, vulgò nunc *Bevagna* dictum. Fuit hic *Juncta* rerum Spiritualium apprime calens, cui Margareta, quod ei delicta sua confiteri soleret, & ab eo præclaris monitis ad absolutionem virtutis identidem instrueretur debere se plurimum declarabat, ac Deum frequenter pro eo orabat. De ea Vita quam Latine redditam edidit *in Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 3. mensis Februaii ad diem 22. pag. 300. & multis sequentibus, Godefridus Henschenius, cum Commentariis prævis, deque ejus scribendæ occasione ac postea approbatione, ista tradit Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* anno 1297. S. 28. „Scripsit Vitam ejus accurate & „diffuse F. Juncta Bevegnatis, sanctæ fœminæ „Confessarius, XII. capitibus distinctam, quam „penes me habeo MS. in qua vel quæ ipse vi„derat, vel quæ ex ore ipsius famulæ Dei, vel ab „ejus Confessariis perceperat, fideliter & since„rè enarravit. Provinciam hanc ei imposuit „Frater Leo de Castilione hæreticæ pravitatis „Inquisitor in Hetruria, quam rectè & ritè obiis„se, & *Vitam* veridice scripsisse dixerunt, & suis „syngraphis comprobarunt, Frater Johannes „etiam Inquisitor, F. Talatus S. Theologiæ Pro„fessor, F. Philipp. Custos de Castillione, F. Ubal„dus de Colle Guardianus, & F. Paulus de Socio, „qui alternis vicibus fuerunt omnes Confessarii „sanctæ fœminæ. Eandem Legendam appro„barunt F. Raynerius Senensis, F. Bartholo„mæus, F. Thomas, & F. Antonius successivi„ Provinciales Tusciæ Ministri. Legerunt ean„dem & commendarunt, plurimi viri docti, „utriusque Status Ecclesiastici & Secularis: „sed & Prædictus Cardinalis Legatus, voluit sibi„ dari unum exemplar, quod devotè asservabat, „& ultrò piis quibusque viris legendam & trans„scribendam offerebat." *Hæc Wadingus.* Cujus hîc meminit Cardinalis Legati, is fuit *Neapoleo Ursinus* sub Clemente V. Apostolicæ sedis in Italia Legatus, qui anno 1288. à Nicolao IV. in sacrum Collegium allectus, Avenione sub Clemente VI. anno 1347. mortuus est. Hanc Vitam necdum Latine vulgatam, quod quidem compertum sibi fuerit, primus edidit Godefridus Henschenius loco citato, sed Prologo carentem, qui alibi extare dicitur hoc initio. *In nomine Jesu Christi, Nazareni, Crucifixi, incipit devotionis Legenda. Satis ferventibus animis fructuosum esse putavi, non totum, quia non erat possibile: sed flores quosdam eligere de Vita mirabili Deo devotissimæ Margaritæ, agentis austerum pœnitentiam in Cortona.* Deest & caput 12. *per decem*, ut infrà cap. XI. dicitur, *divisum capitula*, & signis, quæ Deus omnipotens ad ipsius honorem per propinqua remotaque loca peregit, & agere non desinit. Hæc ad verbum habet Godefridus Henschenius Tomo 3. Februarii mensis, in Commentariis ad hanc Vitam prævis, Paragrapho a. num. 6. & 7. pag. 299.

JOANNES DE JOINVILLA, CAMPANIÆ SENESCALLUS, urbis ejusdem nominis in Campania Dominus, qui S. Ludovicum IX. Francorum Regem in expeditionem Ægyptiacam anno 1248. juvenis sequutus fuerat, *Historiam ejusdem Sancti Regis* idiomate Gallico composuit: quam cum Gaufrido de Belloloco Ordinis Fratrum Prædicatorum, & cum altero Guillelmo Carnotensi ejusdem Dominicanæ Familiæ Theologo & Sancti Ludovici Capellano, qui *de Rebus gestis S. Ludovici* Latine scripserunt, Claudius Menardus Consiliarius Regius & pro-prætor Andegavensis anno 1617. excudendam Parisiis curavit, addita (ut vocant) *Ordinatione à Sancto Ludovico factâ 1228. ad extirpandam hæresim Albigensium:* item addita *Epistola quam idem Rex de captione & libertatione sua scripsit*, cum aliis monumentis illuc spectantibus. Eandem verò *Historiam Joannis de Joinvilla* cum doctis annotationibus edidit in fol. Parisiis anno 1668. Carolus Dufrenius du Cange, Quæstor Regius Ambianensis, cui Operi idem Carolus addidit *Vitam Sanctæ Isabellæ sororis Sancti Ludovici Regis, filiæ Ludovici VIII. & Blanchæ Castellanæ,* quam Agnes Abbatissa Longi Campi simplici Gallico idiomate circa annum 1300. composuit, quam illic legito. Vivebat adhuc valde senex anno 1310. Joannes de Joinvilla, cujus mentionem faciunt Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 903. quem *Joannem Jonvillium* vocat. Aubertus Miræus in 1300

Au-

Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 396. pag. 260. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 164. in Scriptoribus vernaculis.

1300 JACOBUS DE BENEDICTIS, vulgò dictus *Jacoponus*, natione Italus, Tuderti in Umbria ex honesta utcunque familia natus, junior Ordinem Fratrum Franciscanorum ingressus, hunc finem præ oculis habuit, quo majorem sibi ab hominibus & fratribus contemptum arcesseret, ut insaniam simularet. Assecutus fuit institutum suum, revelationes plurimas propalando & scribendo, ac præsertim Bonifacii VIII. vitam & mores palam arguendo, qui illum in urbe Palestrina carceribus concludi, ut revelationes ejus proscriberet, imperavit. In ordinem verò Ecclesiasticorum Scriptorum non immeritò recipitur, ob *Rythmos, hymnos & prosas plurimas*, quas stylo valde rudi qualis insanienti conveniebat composuit, in septem libros distinctas, quos ex MSS. Codicibus in publicam lucem effudit Franciscanus Fresat, Ordinis Fratrum Minorum Romæ anno primum 1558. impressos, & rursum Venetiis anno 1617. Ipsi etiam attribuitur Prosa *Stabat mater dolorosa &c.* cum altera Prosa *De contemptu mundi*, quæ ab his verbis incipit, *Cur mundus militat sub vana gloria &c.* Mortuus fuit anno 1306. Hujus faciunt mentionem Matthæus Raderus, qui in *Viridario Sanctorum*, inseruit Sententias quasdam ac salutaria monita, authori huic attributa. Ludovicus Ellias du Pin *in Nova Bibliotheca Ecclesiastica* seculo XIV. tom. XI. p. 58. editionis, quæ Amstelodami anno 1700. in 4. facta fuit.

1300 JOANNES DU VIGNAY, aliis DU BIGNAY, natione Gallus, anno 1300. claruit, ac nomen posteris commisit, dum *Epistolas & Evangelia ad usum Ecclesiæ Parisiensis*, tanquam Ecclesiastes, *in Gallicum idioma* ex Latino transtulit, rogatu Reginæ Joannæ Ducis Burgundiæ, dein Philippi Valesii Regis Galliarum uxoris, Parisiis anno 1306. cujus opus MS. extat in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Codice 1142. & in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum viæ Sancti Honorati. De hoc codice vide ea quæ referuntur à Richardo Simon *in Novis Observationibus* ad Textum & Versiones *Novi Testamenti* parte 2. cap. 2. Aliud exemplar Evangeliorum, ex eadem versione recognita, & stylo puriori & recentiori Scripta, hoc Gallico titulo, *Les Evangiles de Dominées de tout l'an & des Saincts de toute l'année*, extat Parisiis Codice in folio, in Musæo Dom. Nolin. Hæc verbotenus Jacobus le Long Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis Tomo seu parte 2. *Bibliotheca Sacra* Cap. V. *De Bibliis Gallicis* Sect. I. *De versibus antiquis & MSS. Codicibus* pag. 36. editionis Lipsiensis anni 1709. in 8.

PETRUS CARNOTENSIS ECCLESIÆ CANONICUS ET CANCELLARIUS, hoc ipso anno 1300. clarus ob scientiam & mores, composuit Opus amplum & eruditum inscriptum, *Petri Carnotensis Speculum Ecclesiæ* seu *De officiis Ecclesiasticis*. Extat MS. in duobus Victorinæ Bibliothecæ Codicibus Littera RR. 23. fol. 23. fol. 288. & OOO. 17. fol. 144. cum hac inscriptione, *Incipit Manuale Magistri Petri Cancellarii Carnotensis De mysteriis Ecclesiæ, quod à quibusdam vocatur Speculum Ecclesiæ.* Initium Prologi, *Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum &c.* Item in Bibliotheca Parisiensi Choletana Cod. MS. XI. *Manuale Magistri Petri Carnotensis De mysteriis Ecclesiæ, & eorum quæ fuerunt in Ecclesia &c.* quod idem cum præcedente opus videtur. Denique sub nomine *Petri Cantoris Carnotensis Glossa in Librum Job*, MS. in Bibliotheca Sancti Michaelis in periculo maris, Littera E. 2. De illo ita Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 246. *Petrus Carnotensis Cancellarius scripsit paraphrasim in Psalmos. Vivebat anno 1030.* Sed mendum typographi apertum est, non Possevini ut opinor, uniusque Litteræ transpositione legendum, *Vivebat anno 1300*, non *1030*. Quem eundem errorem admisit Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Authorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 137.

ANDREAS DE NOVOCASTRO in Lotharingia ad Mosam, claruit anno 1300. 1300
factusque Provincialis Fratrum Minorum Franciæ, dictus *Doctor ingeniosissimus* pro more Franciscanorum & Dominicanorum, Doctores suos variis vanisque sæpe nominibus baptizantium. Scripsit prolixum *Commentarium in Librum primum Sententiarum*, quem Petrus Rodulphus Tossinianensis in Opere *De Franciscani Ordinis Scriptoribus*, testatur se vidisse Manuscriptum Bononiæ in Bibliotheca Sancti Salvatoris: quem ego vidi in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, impressum Parisiis in folio anno 1514. in claustro Brunelli apud Joannem Graudjon, anno impressionis in fronte non expresse. Quod autem ait Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* fol. 18. scripsisse eundem Andream *Commentaria in quatuor Libros Sententiarum*, excusa Parisiis in folio, magno volumine, apud Joannem Gratium: hoc falsum est, intelligendumque de *Commentario Andreæ in primum Sententiarum*, qui impressus est, loco & forma supra designatis. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1. pag. 76. & in *Appendice* ad Apparatum, ubi vult, eum vixisse anno 1300. Henricus Whartonus in Appendice ad *Historiam Litterarum* Guillelmi Cavi, ad annum 1301. pag. 3. ubi male illum & genere Anglum, & ex Ordine Fratrum Prædicatorum Doctorem Theologum fuisse pronuntiat. Petrus Rodulphus Tossiniensis, & Lucas Wadingus, locis citatis.

1300 MATTHÆUS WESTMONASTERIENSIS, ita nuncupatus à Westmonasterii Cœnobio, Ordinis divi Benedicti, quod juxta Londinum in Anglia, vel haud procul situm est. Illum alii etiam *Matthæum Florigerum* appellant ab ingenti Opere *Flores Historiarum* inscripto, quod composuit, ubi potissimum persequitur *Historiam rerum Anglicarum*. Vivebat ille florebatque anno 1307. & sequentibus, cujus Historia pro temporis quo scripta est rusticitate, utcunque probata est. Hæc distincta est in tres libros seu partes, quarum *prima* continet res gestas ab initio mundi usque ad Nativitatem Domini nostri Jesu Christi. *Altera* easdem persequitur ab Nativitate Christi usque ad adventum Nortmannorum Ducum, & conquestum Angliæ seu ad annum Christi 1066: *tertia* denique continet gestas res ab hac celeberrima Angliæ epocha usque ad mortem Eduardi I. anno 1307. extincti, in quo Matthæus scribere desiit. Quibus in omnibus, officium potius exceptoris & scribæ, quam Scriptoris exercuit, desumens ferme verbo tenus ab Matthæo Parisiensi, aliisque anterioribus, saltem ab anno 1066. usque ad annum 1250. quo Historia Minor Matthæi Parisiensis definit, vel usque ad annum 1259. quo ejusdem Historia Major terminatur. Ab hoc autem anno 1250. vel 1259. usque ad annum 1307. quod Edwardus I. mortuus est, addidit marte proprio continuationem, cum tanta sinceritate, veritatis cura & studio, ut multam inde laudem apud æquos rerum æstimatores meruerit, quamvis ob dicendi characterem maxime sordescat, pro more hujus seculi. Dicitur præterea nomen suum duplici Chronico extulisse, quorum altero *res gestas Westmonasterii*, altero *Historiam Monasterii S. Edmundi* descripserit. Hi *Flores Historiarum* Matthæi Westmonasteriensis, seu Opus ejusmodi Chronicon, impressum in folio Londini anno 1567. cura Reverendissimi Matthæi Parkeri Cantuariensis Archiepiscopi, itemque Francofurti in Germania in folio, anno 1601. Wechelianis typis. Matthæus Parkerus autem in Præfatione ad Lectorem, opinatus est, *Matthæum Westmonasteriensem seu Florigerum*, circa annum Domini 1375. claruisse, atque Matthæi Parisiensis Historiam Majorem usque ad annum 1066. excerpsisse, non autem usque ad annum 1307. ut malè scribit Henricus Wharton in continuatione *Historia Litteraria Guillelmi Cavi*, ad annum 1377. p. 63. Audiamus Parcherum, in Præfatione citata: *Hanc Historiam ad Guillelmum usque prædictum, ita prope expressit & sequutus est Florigerus, ut parum aut nihil ab ejus scribendi methodo declinaverit: atque hac eadem est prior pars Matthæi Westmonasteriensis dicta Historia, qui circa annum Domini 1375. claruit, quam nunc & in manibus habemus.* Voluit ergo Parkerus Matthæum Westmonasteriensem Florigerum, anno 1375. floruisse, at nunquam dixit aut scripsit illum *Annales hosce usque ad annum 1377. produxisse Florigerum juxta Balæum Centuria 6. cap. 31.* quemadmodum scribit positive Henricus Whartonus in continuatione *Historia Litteraria* Guillelmi Cavi ad annum 1377. pag. 63. *Continuationem verò istam, multo minus Chronica Monasteriorum Westmonasteriensis, & Sancti Edmundi, nondum lucem aspexisse.* Imò si meis oculis fidem debeo, Matthæus Parkerus qui primus hanc Historiam in lucem produxit, licet Matthæum illum Westmonasteriensem male anno 1375. floruisse crediderit, ejus tamen Historiam ultrà annum non extensam fuisse 1307. innuit, dum post annum 1307. subjungit simpliciter *finis*. Tum charactere alio, *Continuationem hujus Historiæ ab anno 1307. ad annum 1377. vide in fine Historiæ Ranulphi, Monachi Cestrensis:* ubi innuit quidem aliqualem hujus Historiæ continuationem inveniri ad finem Ranulphi Monachi Cicestrensis, qui juxta multos MSS. Codices Anglicos, Historiam suam usque ad annum 1377. & juxta alios usque ad annum 1387. continuatam habet, licet anno 1357. finem huic imposuerit, ut Ranulphus ipse in Præfatione totius operis, se Historiam ad istum annum deductam pollicetur. At nunquam Matthæus Parkerus dicit, hanc Matthæi Westmonasteriensis *Historiam esse imperfectam*, vel *re iqua desiderari*, vel *illam ab ipso continuatam esse usque ad annum 1377.* quod rectè notandum est: sed ex male intellectis his ultimis Parkeri verbis de Historia Ranulphi Cicestrensis, hoc perperam intulit, Joannes Balæus, atque post ipsum Henricus Whartonus loco citato, atque omnes in errorem post ipsum induxit. Quærant ergo quantum voluerint Angli *Historiam Matthæi Westmonasteriensis ad annum 1377. usque*, nusquam sane illam invenient, cùm completa illa & perfecta sit cum Regno Edwardi I. Anglorum Regis anno 1307. mortui, quocum Historiam suam finivit. In ea autem sententia firmus persisto, de qua posteà dicam, *Matthæum Florigerum seu Westmonasteriensem* floruisse temporibus Eduardi I. Anglorum Regis, cum quo Historiam ad annum 1307. suam conclusit, uti jam asserueram in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1300. pag. 573. contra communem aliorum fere omnium sententiam, quos Balæus in errorem induxit, post Matthæum Parkerum in Præfatione citatâ. Neque scripsisse aut floruisse usque ad annum 1377. qui fuit annus mortis Eduardi III. & regni Richardi II. ejusdem Edwardi nepotis initium.

Quod autem non sub Edwardo III. circa annum 1377. sed sub Eduardo I. qui anno 1307. mortuus est, vixerit atque floruerit, hic contra Parkerum evinco argumentis. „Ad annum" 1307. sub Historiæ finem, ait, Reginaldum de" Craunford & Thomam de Brus milites, & Ale-" xandrum de Brus Germanum Pseudoregis," sauciatos & femineos Regi præsentes: de qui-" bus Thomas tractus, suspensus & decollatus" est, cæteri similiter suspensi & truncati apud" Caerleolum referuntur. *Testimonium huic*" *per-*

„*perhibent eorum capita super castellum, & super portas urbis confixa.*" Hoc factum refert anno 1307. tanquam ætate sua factum, atque capita ejusmodi Nobilium portis Carleoli suspensa & affixa existentia: quæ sane authorem ejusdem ætatis produnt, neque enim capita ista remansissent usque ad annum 1377. quo floruisse dicitur à Matthæo Parkero, Matthæus Westmonasteriensis. Præterea ad annum 1274. sub anni finem ita loquitur, de Sancto Thoma Aquinate: *In itinere versus Concilium Lugdunense, venerabilis Frater Thomas de Aquino, Ordinis Prædicatorum, in quadam Abbatia Monachorum Cisterciensium, quæ Fossa Nova dicitur, diem clausit extremum. Hic natione Campanus, filius Comitis de Aquino, invitis parentibus qui eum Monachatum suscipere nolebant, Prædicatorum Ordinem est ingressus.* Qui sic loquitur vel scribit, absque dubio loquebatur & scribebat, antequam S. Thomas de Aquino albo Beatorum vel Sanctorum adscriptus esset: aliàs enim longe amplioribus verbis & honoratioribus Thomam honorasset, quem certo certius vel *Beatum* vel *Sanctum* cum honore & reverentià appellasset. At S. Thomas de Aquino, ut omnes harum rerum periti norunt, relatus est *in Album Sanctorum* anno 1322. à Joanne Papa XXII. Qui ergo ita scribebat *Matthæus Florigerus seu Westmonasteriensis*, ante annum 1322. scribebat: unde recte conjicimus eum 1307. vel 1310. ætate Eduardi I. Anglorum Regis floruisse, antequam S. Thomas de Aquino fastis Sanctorum accenseretur. Neque dici potest, hæc transcripta esse à Matthæo Florigero ex Matthæo Parisiensi, à quo pleraque sua hausisse dicitur. Cum enim Matthæus Parisiensis teste etiam Guillelmo Cavo, anno 1259. obierit: neque de morte S. Thomæ de Aquino quæ anno 1274. die 7. Martii apud Monasterium Fossæ Novæ contigit, loqui ullatenus potuit; neque illum consequenter hac in re excerpere potuit Matthæus Florigerus & Westmonasteriensis, qui ab anno 1250. vel 1259. quibus Matthæus Parisiensis Chronicon suum conclusit, ex propriis loquitur usque ad annum 1307. quo scribere & ipse cessavit. Habes ergo Matthæum Westmonasteriensem vixisse ac floruisse sub Edwardo I. non III. neque ad annum 1377. Chronicon suum dilatasse, sed in anno 1307. quo Edwardus I. mortuus est, conclusisse ac finivisse. Hanc nostram sententiam de ætate Matthæi Westmonasteriensis confirmat Henricus Warthon doctissimus rerum Anglicarum Scriptor, jam doctior factus, in Præfatione ad Tomum I. *Angliæ sacræ* pag. XXXI. num. 36. ubi *de Annalibus Ecclesiæ Roffensis* agit, his verbis.

„Annales Ecclesiæ Roffensis accepti sunt ex „Historia amplissima, quæ in Codice Cottoniano „*Nero D. 2.* elegantissime exarato reperitur. „Illi manus recentior titulum apposuit, *Historia* „*Ecclesiastica Monachi Roffensis.* Ab orbe condi„to ad annum Christi 1307. manu perpetua deducitur, dein alia manu subjungitur Continuatio ab anno 1307. ad 1377. multò succinctior. Prima pars eadem plane est cum Historia, quæ Matthæo Westmonasteriensi inscripta prodiit, si demas ea, quæ ad Ecclesiam Roffensem spectantia nos excepimus, & nunc primum publici juris fecimus, Pars secunda, de rebus Ecclesiæ Roffensis nihil omnino habet. *Chronicon istud*, saltem *Addimenta Roffensia*, deberi Edmundo de Hadenham, ex Willelmi Lombardi Collectaneis didici: in his enim multa ex Chronico Roffensi Edmundi de Hadenham ad annum 1307. deducto proferuntur, quæ cum nostris verbatim conveniunt. Chronicon Roffense ab anno 185. ad 1377. aliquis seculo superiore descripserat, manu pessimà & lectu difficili. Codex in Bibliotheca Cottoniana *Nero C. 3.* modò asservatus, Johannis Jocelini olim fuerat, cujus Annotationes frequentes in margine reperiuntur. Multa iste prætermiserat. Jocelinus itaque manu propria omnia Chronici Roffensis quæ de rebus Ecclesiasticis agunt in Collectanea sua transcripsit, de rebus autem Roffensibus nihil omnino dimisit, Hujus Excerpta ad annum 1377. pertingunt, nihil tamen de Roffensi Ecclesia post annum 1397. in iisdem occurrit, ut eodem vel simili plane Codice Jocelinus usus fuerit. Ad calcem ejus Jocelinus ista subnotavit: *Præscripta omnia desumpta sunt ex Historia Roffensi, quam ut verisimile est, tres Monachi ejusdem Ecclesiæ, sese Ordine in opere succedentes, composuerunt. Non est enim unus tonus orationis, non idem stilus, quin etiam triplex constructionis ratio. Horum Monachorum primus deduxit Historiam à mundi initio ad obitum Henrici III. circa annum Domini 1273 quando apparet Monachum claruisse. Alter adjecit historiam Edwardi I. filii præfati Henrici, qui obiit anno Domini 1307. Reliquam persecutus est Monachus tertius.* Ista usquequaque vera non sunt, vix enim fieri potuit, ut author tertiæ partis fuerit Monachus Roffensis, cùm in ea nihil de Ecclesia Roffensi habeatur. Paulò aliter Jocelinus in Libello MS. *De Historicis Angliæ* cap. 77. *Matthæus Westmonasteriensis, ejusdem Cænobii Monachus, qui à collectis Chronicorum floribus, etiam Florigeri nomen est sortitus &c. collegit Historiarum flores in tribus libris usque ad annum MCCCVII. Scripsit etiam Additiones LXX. annorum, quibus Historiam priorem continuavit, quæ sic incipiunt:* Sequuntur tempora duorum Regum. Idem Cap. 78. *Historia Roffensis est omnino eadem cum Historia Matthæi Westmonasteriensis, nisi quando agat de rebus Ecclesiæ Roffensis. Ita uter ab altero Historiam mutuatus sit, difficile mihi affirmare est. Habet hanc totam Historiam Ecclesia Roffensis &c. Post eam Historiam Roffensem, sequuntur Additiones LXX. annorum, quas arbitror esse quæ attribuuntur Matthæo Westmonasteriensi.* Additiones ejusmodi à Matthæo scriptas fuisse, Jocelinus ex unico Baleo Cent. 6. cap. 31. hausit, Baleo non aliud argumentum erat,

quam

„quam quod eas calci Historiæ Matthæi ad annum 1307. deductæ, subjectas in eodem Codice invenerit. Cum verò alia plane manu, methodo diversa, & contractiori stilo scriptæ illæ fuerint, ab alio authore confectas esse verius quis suspicabitur. Baleum sequuntur Pitsius & Vossius, atque ille Additiones hasce à Matthæo, in parte sua priori ad annum 1259. memorari adjicit. Sane Matthæus ad librum Additamentorum lectorem remittit, sed Additamenta ista ad eadem tempora, non ad seculum sequens spectant; & *Matthao Parisio* debentur, cujus verba Florigerus incautus exscripsit. Horum etiam gratia, ætatem Matthæi Westmonasteriensis Baleus & Baleum seculi, ad annum 1377. producunt. Mea autem fert sententia, Matthæum circa annum 1307. claruisse, & in eodem terminasse Historiam suam. Certe hanc quæ sub Matthæi nomine typis edita circumfertur, eo tempore Scriptam fuisse, & in anno 1307. ultimam authoris manum subiisse: constat ex pluribus Codicibus coævis, ex aliorum Continuationibus ab hoc anno deductis. Præsertim autem ex Continuatione Adami Merimuth, qui ab anno 1313. rebus maximis gerendis interfuit, & Historiam Matthæi nomine modò vulgatam ab anno 1307. ad 1343. produxit. Historiam verò suam Matthæus neque a Monacho Roffensi, neque a Wigorniensi, qui multa illi habent communia, accepit. Nihil enim de utrivis Ecclesia intexuit, quod fieri vix potuisset, si utriusvis scrinia compilasset. Neque enim Monachi in describendis in pugillares suos aliorum Annalibus, res ad Authoris primi Cœnobium spectantes subticere solent. Vt alias enim mittam, ipse Matthæus Westmonasteriensis qui mediam Chronici sui partem ex Matthæo Paris hausit, multa in eo de Cœnobio S. Albani dedit: & Monachus Wigorniensis Annalium Wigorniensium author, Annales Wintonienses intexens suo Chronico, amplam Ecclesiæ Wintoniensis historiam simul exhibuit. Restat itaque vero maxime simillimum, Annales suo marte elucubratos Matthæum ad annum 1307. deduxisse, aliisque pro suo lubitu augendos vel ulteriùs producendos transmisisse. « Hæc nobis gratissima fuerunt ad amoliendum errorem ortum inter nomenclatores, de ætate Matthæi Westmonasteriensis, quem ante Warthonum jam detexeram, a quo in sententia firmatus sum. Favet quoque huic sententiæ, quod in MSS. Anglicanis omnibus *Historia Matthai Westmonasteriensis*, nullus Codex MS. reperiatur, qui excedat annum 1307. atque *Appendicem* hanc habeat ad annum 1377. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 1570. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Codice 44. *Matthai Westmonasteriensis Flores Historiarum &c.* Liber μείζω. in anno 1296. desinit. Ibidem Codice 3659. in Hyperoo Bodlejano Codice 193. *Matthai Westmonasteriensis Flores Historiarum ab initio mundi ad annum Domini 1307.* Ibidem Codice 3900. in MSS. Codicibus Domini Thomæ Fairfax Codice 20. num. 1. *Historia Matthai Westmonasteriensis.* Ibidem Codice 4122. in Hyperoo Bodlejano, in MSS. Codicibus Hattonianis Codice 97. num. 1. *Matthai Westmonasteriensis Flores Historiarum*, in folio. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 292. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis à Parte Sinistra, Serie Media Codice 1. *Flores Historiarum à Creatione Mundi, desinentes verò in Regis Edwardi III. coronatione*, hoc est, ad annum 1326. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 1856. in MSS. Codicibus Collegii Etonensis sub arce Windesoria Codice 58. *Flores Historiarum per Matthaum Westmonasteriensem* in folio. Ibidem Codice 2994. in MSS. Bibliothecæ Norfolcianæ Codice 95. *Matthai Westmonasteriensis Historiarum Flores.* Ibidem Codice 5553. in MSS. Collegii Armorum Codice 128. *Matthew Westminster, in English.* Ibidem Codice 6862. In MSS. Codicibus Henrici Worseley Codice 14. *Matthai Westmonasteriensis Flores Historiarum* in membrana. Ibidem Codice 6985. in MSS. Codicibus Henrici Langley Equitis, Codice 32. *Matthai Westmonasteriensis Flores, folio in charta.* Ibidem Codice 7148. in MSS. Codicibus Johannis Ayres, vel in Bibliotheca Publica Mancuniensi Cod. 3. *Flores Historiarum per Matthaum Westmonasteriensem* in 4. Inter autem MSS. Codices Hiberniæ, in MSS. Codicibus Henrici Comitis Clarendonii Codice 1. extant *Flores Historiarum* MSS. in pluribus diversi ab editis Matthæi Westmonasteriensis, collecti, ex conjectura nescio cujus in Operis principio, ab aliquo de Canonicis S. Pauli Londoniensis & cum MS. Loitusiano collati. Explicit Liber ad annum Domini 1341. cum tamen Matthæi Liber editus anno 1307. desinat. Sed Vita Matthæi Westmonasteriensis apud Balæum, asserit continuasse suos *Annales* ab anno 1307. ad annum 1377. Verum hi Annales ab editis diversi & ab anonymo interpolati, ultra annum 1341. non pertingunt, neque Balæo in suo errore favent, cum interpolati apertè detegantur ab anonymo. Denique inter MSS. Codices Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Claudii, litera E. Codice 8. num. 26. *Flores Historiarum secundum Matthaum Monachum Westmonasteriensem*, præfixis metricè prophetiis quibusdam, & historiola de fœmina in Diœcesi Norwicensi, quæ neque comedebat nec bibebat per XXV, annos, quod non fuisse miraculum, sed opus naturæ contendit Auctor, & difficultatem solus præ se fert. Incipit Historia ab Orbe condito, & ad mortem Edwardi I. id est annum Christi 1307. deducitur. Num. 27. *Continuatio Chronicarum Regum Anglia, cum interpositione quorundam casuum contingentium in Curia Romana & Regno Francia, per Adamum Mirimonth, Canonicum Londonia.* Incipit ab anno 1303. & continuatur ad 14. annum Regis Edwardi III.

id

id est annum Christi 1340. cum multis additamentis post annum istum, quæ in aliis exemplaribus non reperiuntur. Hic ergo Adamus Mirimonth, interpolator & continuator est Matthæi Westmonasteriensis, in Codice Clarendoniano, suprà. Hujus meminit Joannes Balæus in Opere *De Scriptoribus Angliæ* Centuria 6. cap. 31. Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri, pag. 592. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Matthæus Florigerus*, & *Matthæus Westmonasteriensis*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 515. pag. 279. Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* pag. 518. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 2. pag. 536. ultimæ editionis. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 130. ubi cum aliis omnibus, qui rem accuratè non examinarunt, cum anno 1377. floruisse asserit.

1300 PTOLOMÆUS LUCENSIS, TORCELLENSIS EPISCOPUS, natione Italus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, claruit ad annos 1294. & 1300. unde postea ad Episcopatum Torcellensem assumptus est. Rectè Ferdinandus Vghellus tomo 5. *Italiæ sacræ* columna 1443. *in Episcopis Torcellanis* appellat illum virum divinis humanisque litteris nobiliter eruditum, qui primum Bibliothecæ Vaticanæ præfectus fuit, annoque 1318. ad Torcellanum Episcopatum assumptus, ad eam dignitatem à Joanne XXII. vocatus, ut in Libro allegato inter Prælatos habetur. Scripsit *Annales continentes gesta ab anno 1060. usque ad annum 1303.* Lugduni anno 1619. impressos in 8. apud Jacobum Roussin, inde translatos in Maximam sanctorum Patrum Bibliothecam, editionis Lugdunensis anni 1677. tomo XXV. pag. 949. Idem scripsit etiam ad Guillelmum Petri Godivum posteà Cardinalem *Historiam Ecclesiasticam Libris XXIV.* usque ad annum 1294. quam continuat alius quispiam usque ad creationem Clementis Papæ Sexti anno 1342. MS. in Bibliotheca Vaticana Codice 3766. Eandem Historiam in XXIV. Libros distributam habet Codex MS. Bibliothecæ Collegii Parisiensis Navarrici, sed quæ desinens in morte Bonifacii VIII. ultra annum 1303. non progreditur. Imò ultra annum 1294. Historia hæc non procedit, quamvis Libros XXIV. integros MS. Codex contineat. Vnde deceptos opinor illos, qui volunt MS. Vaticanum usque ad annum 1342. extendi, seu usque ad creationem Clementis Papæ Sexti, nisi fortè additio ista ab alio facta fuerit. Manuscriptum enim Navarricum non procedit usque ad annum 1342. seu usque ad Pontificatum Clementis Papæ Sexti, ad quem non pervenit vita Ptolomæi Lucensis: sed ad annum tantum 1294. vel circiter, seu usque ad creationem Clementis Papæ Quinti. Stephanus tamen Baluzius vir eruditissimus *in Vitis Paparum, qui Avenione sederunt*, dat *Vitam Clementis V.* pag. 23. ex Ptolomæo Lucensi & *Vitam Johannis XXII.* pag. 133. unde necessario putat vixisse ultra tempus Johannis XXII. cujus etiam traditur *Vita quadam IV.* ex Appendice Ptolomæi Lucensis pag. seu col. 173. Cum ergo Johannes XXII. anno 1334. mortuus sit, ultra hunc annum Ptolomæus Lucensis juxta Baluzium vixisse creditur, vel saltem attigisse Scriptis suis nonnulla Pontificatus illius: ac consequenter scripsisse ultra annum 1294. vel 1303. vel 1313. ut habet Colbertinus Codex 2818. Atque hæc est vera ætas Ptolomæi Lucensis, ac tempus præcisè quo hanc operam primum quidem conscripsit, licet successu temporum ac vitæ ulterioris spatio, nonnullos annos huic suæ Historiæ, iterum eam perpoliendo ac relegendo, addere potuerit, quam tamen usque ad annum 1342. morte occupatus perducere non potuit, ut in MS. Vaticano habetur. Eadem Historia MS. legitur in Bibliotheca Colbertina Codicibus 2818. & 527. cum Appendice alterius forsitan authoris, usque ad annum 1313. Codex 527. ultra annum 1294. non procedit, nec etiam alter optimæ notæ 2818. quamvis uterque habeat Libros XXIV. integros. At huic ultimo Supplementum adjectum est alia & quidem recentiori manu, usque ad annum 1313. quæ omnia confirmant sententiam meam, Historicos XXIV. Libros Ptolomæi Lucensis, annum 1294. quo illos composuit, non excedere. Sunt etiam ejusdem Excerpta quædam, unum *super genealogia & posteritate Caroli Siciliæ Regis*, continuata ab aliis usque ad annum MCCCLXX. quod habes in Collectaneo *Coætaneorum Scriptorum Historiæ Francicæ* tomo V. pag. 893. Aliud *super genealogia Roberti Guiscardi*, Tomo III. *Hispaniæ illustratæ*. Haud autem constat quandonam obierit Ptolomæus Lucensis, nisi quod reperiatur ad sedem Torcellensem fuisse promotus anno 1322. quidam Frater Ægidius, annoque 1328. alter ejusdem Sedis occurrit Episcopus, Bartholomæus de Piscialis: ita ut dicendum videatur hunc Ptolomæum Lucensem mortuum fuisse circa annum 1321. Vel Episcopatui Torcellensi cedentem, vixisse privatum & curis exemptum, ut suum Chronicon ipse etiam potuerit extendere Romæ positus, usque ad annum 1342. seu ad Clementis Papæ Sexti coronationem, ut habet MS. Codex Bibliothecæ Vaticanæ 3766. id quod tamen affirmare nolim. Hæc loco citato Vghellus. Agunt de *Ptolomæo Lucensi Episcopo* Blondus Libro XIII. Volaterranus *Antropologiæ* Libro 22. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. p. 509. ultimæ editionis. Ferdinandus Vghellus tomo V. *Italiæ sacræ* col. 1443. in Episcopis Torcellanis. Ambrosius de Altamura *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* ad annum 1322. fol. 102. cum aliis Henricus Warthon in Continuatione *Scriptorum Ecclesiasticorum* Guillelmi Cavi, ad annum 1303. p. 9.

1300 FRANCISCVS ACCVRSIUS patrem habuit Accursium Juris Civilis Bononiæ Professorem, Azonis Doctoris Bononiensis Discipulum, qui cum admirabili ingenio & multarum rerum cognitione valeret, Reipublicæ moderandæ maximè idoneus, universum *Corpus Juris Civilis* primus Glossis ornavit & explanavit. Hujus autem libros curaverunt Docti semper imprimendos, ubicunque *Corpus Juris Civilis* cum Glossis & Commentariis excusum est: eaque de causa, omnium Jurisconsultorum celeberrimus existimatur, utpote qui primus Jus Civile interpretatus fuerit. Floruitque anno 1236. ut ipse in *Authentica* testatur, obiit verò Bononiæ & apud FF. Minores sepultus fuit anno Christi M CC LXXIX. ætatis 78. At Franciscus Accursius dum pater mortuus est, junior mihi fuisse videtur, qui postea Juris studio incumbens, Bononiæ etiam Juris Civilis ac Pontificii Professor fuit, circa annum 1300. & sequentes, nomen suum posteritati Scriptis operibus commendavit. Extat *Corpus Juris Canonici* 3. tomis in fol. cum Notis Accursii Glossatum 1604. Item *Francisci Accursii Glossa ad Institutiones Justiniani*, Lugduni 1607. in 8. Item Francisci Accursii *Glossa in Joannem antiquum Glossatorem*, Francofurti 1615. in 8. Denique Francisci Accursii *Accursii* filii qui anno 1256. floruit, *Casus longi super V. Libros Decretalium & Casus Summarii super Sextum Decretalium*, editi Basileæ 1479. & Argentinæ 1484. in fol. Item *Casus Breves super Sextum & Clementinas*, Argentinæ 1485. in folio. Vnde liquet, illum floruisse maximè ab anno 1300. & sequentibus, cum *Sextus Decretalium* ante annum 1300. non innotuerit, & *Clementina Constitutionis* seu *Decretalium Liber Septimus*, Clementis V. jussu ex variis suis & Concilii Viennensis Constitutionibus collectus, & in libros, V. distributus, post mortem ejus à Joanne XXII. anno tantum 1317. divulgatus sit. Quo anno Franciscus Accursius decesserit, non satis constat, quamvis usque ad annum 1330. superstes fuisse videatur. Sepultus est ad S. Franciscum Bononiæ, ubi foris juxta ingressum, illius monumentum extat, quod patri etiam commune est, hanc habens simplicem inscriptionem

Sepulchrum Accursii

Glossatoris Legum, & Francisci ejus Filii.

Agunt *de Francisco Accursio* Martinus Lipenius *in Bibliotheca Reali Juridica* pagg. 116. 207. & 349. Paulus Freherus *in Theatro virorum eruditione clarorum* parte 1. sect. 4. pag. 784. Cornelius à Beughem *in Incunabulis typographia* pag. 3. qui tamen absurdè errat, dum illum anno 1236. floruisse asserit, id quod Accursio patri non autem filio competit.

1300 JOANNES CASTORIVS sive FIBER, secundum Gerardum Joannem Vossium, nomen suum in Anglia anno 1306. diffundebat, variè autem vocabatur, sed nomine in idem redeunte, quia qui Germanorum atque Anglorum lingua Bever, Gallicè Bierre vocabatur, is Latinis Castor & Fiber dicitur, unde utroque cognomine ob eandem significationem vocatus est. Fuit autem Westmonasteriensis sub Benedicto Bursino Abbate Monachus, qui *Chronico* suo famam sibi peperit, quamvis istud in eo illaudatum, quod à Bruti illius fabulosi in Britanniam adventu illud ordiatur, quod usque ad annum 1306. contexuit. Ita Gerardus Joannes Vossius Lib 2. *De Historicis Latinis* cap. 61. pag. 495. Sed aliud habetur, Joannis Castoris Chronicon MS. in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vitellii Littera E. Codice 17. num. 4. ubi *Chronicon Joannis Castoris, qui & Fiber, & vulgò Bever dicitur, Monachi Westmonasteriensis, ab Ænea ad Regem Henricum III.* id est *ad annum 1216.* Hæc Thomas Smithus in Catalogo impresso MSS. Codicum Bibliothecæ Bodlejanæ pag. 101. col. 1. Extant etiam MSS. *Chronica Joannis Beveri* in Catalogo MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium, num. 9916. in MSS. Codicibus Simonis d'Ewes Baronetti Codice 56.

ROBERTVS BASTONVS, nobilis Britannus, Scarbeburgensis Carmelitarum Cœnobii alumnus, Rhetor & Poeta laureatus, sub utroque Edwardo Anglorum Regibus, haud aliter quàm luna inter minores, ut Poeta loquitur, ignes micabat. Primum nominis sui decus peperit poemata *De obsidione Strivelinensi*, in qua gesta erant, coram viderat. Nam Rex Edwardus I. ad obsidionem se accingens, Poetam comitari jusserat, ut quam de Scotis jam animo victoriam conceperat, carmine hanc ille consecraret, quod anno 1309. contigit. Sed profectò *mens nescia hominum fati sortisque futura*. Nam bonus Poeta anno sequenti à Scotis capitur, & cruciatibus a Roberto Brussio, cujus magna tunc potentia erat, eo adigitur, ut argumento in contrarium mutato, victoriam celebraret, quam illo Scoti anno de Anglis reportassent. Egit & de aliis Scotorum bellis, sive ut vocant, Guerris. Extat in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Titi A. Codice 20. num. 6. *Robertus Bastonus de Guerris Scotia rithmicè.* Num. 7. *Ejusdem versus rithmici contra Artistas.* Num. 8. *Ejusdem disputatio de divite & Lazaro.* Num. 29. *Exhortatio Roberti Baston ad Anglos versibus.* Num. 38. *versus Bastoni contra Papam, Cardinales, Reges &c.* Horum auctores quæ dicta sunt, Hector Boethius Lib. 14. Historiæ Scoticæ, Joannes Baleus *De Scriptoribus Britannia* Centuria 4. cap. 91. præter quos & Bastoni hujus meminit Nicolaus Triveth, de quo inferius dicemus. Hæc adjectis paucis, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 63. pag. mihi 505. 1308

NI-

1310 NICEPHORVS CALLISTVS XANTHOPVLVS, Callisti Xanthopuli filius, circa annum 1310. claruisse mihi videtur, qui vixit sub Andronico Palæologo Seniore, ejusque filio Michaele, ac nepote Andronico Juniore, uti docet Historiæ ejus amplissima præfatio, quæ est ad Andronicum Palæologum Seniorem. Idem indicat Catalogus Metricus Imperatorum Constantinopolitanorum, in Protreptico Labbeano ad Historiam Byzantinam pag. 34. Græce editus ex Codice MS. Collegii Parisiensis Claromontani, cum duobus Regiis collato, quem Langus aliique etiam adstipulantibus MSS. Codicibus, huicce Nicephoro tribuunt; Non secus ac *Seriem Patriarcharum Constantinopoleos*, oratione soluta fusius conscriptam, in bibliotheca Regiæ membranis, atque a Labbeo pariter evulgatam. *Opuscula Poëtica & Epigrammata Nicephori Callisti Xanthopuli* Græce edidit anno 1536. in 8. Basileæ Joannes Bebelius, omnia Senariis metris conscripta, quæ non quantitatem, sed numerum Syllabarum (ut in singulis versibus duodecim sint) observant, præter Orationem confessoriam, quæ postremo loco soluta oratione habetur. Inscriptiones singulorum sunt hæ. „1. *Totius Sacræ Scripturæ compendiosa synopsis.* „2. *De rebus gestis post Macchabæos ad Christum usque ac captivitatem Hierosolymitanam secundum Josephum.* 3. *Captivitas urbis Hierusalem secundum eundem.* 4. *Genealogia Patriarcharum ad Davidem usque.* 5. *De rebus Mosaicis.* 6. *Catalogus Judicum Israëlis.* 7. *Reges Israelis.* 8. *Solutio captivitatis Babylonicæ.* 9. *Macchabaica.* „10. *Assyriorum Reges.* 11. *Persarum Reges.* 12. „*Reges Ægypti, Syrorum & Macedonum.* 13 *Reges Græcorum.* 14. *Reges Atheniensium.* 15. *Crotensium principes.* 16. *Romanorum Reges & Monarchæ, usque ad Andronicum*, sub quo illum vixisse, verisimile est. 17. *Patriarchæ Constantinopolitani.* 18. *Christi genealogia.* 19. *Patriarchæ duodecim.* 20. *Sexdecim Prophetæ.* 21. „*Decem plagæ Ægyptiorum.* 22. *Decalogus Legis.* „23. *Duodecim Apostoli.* 24. *Discipuli Christi Septuaginta.* 25. *Evangelistæ & Diaconi.* 26. *Discipuli Christi.* 27. *Miracula Christi secundum quatuor Evangelia.* 28. *Parabolæ Christi secundum eadem.* 29. *Acta Apostolorum.* 30. *Epistolæ S. Pauli.* 31. *Enumeratio Librorum utriusque „Testamenti.* 32. *Catalogus Theologorum & Hymnographorum.* 33 *Passiones Christi.* 34. *Nomina Sanctorum secundum dies singulorum mensium.* 35. *Triodii, Libri forte sic dicti, synopsis.* „36. *Versus in duodecim festa*, tandem *Oratio confessoria ad Deum, omnes humanas affectiones continens.* Tum sequuntur Carmina varia Jambica Theodori Prodromi & aliorum, de quibus ad annum 1120. in *Theodoro Prodromo* locuti sumus. Editionis horum Opusculorum Poëticorum Nicephori Callisti Græcæ, meminit Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali* Tomo 2. fol. 516. editionis anni 1545. Basileæ in folio apud Christophorum Froschoverum. Philippus quoque Labbeus Soc. Jesu, in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, parte IV. paginis 136. & 137. diserte loquitur, editionis quæ anno 1653. Parisiis facta fuit apud Joannem Henault. Neque hanc tantum editionem Labbeus observat, sed extare etiam in Regia Galliarum bibliotheca Manuscriptos Codices Nicephori Callisti Xanthopuli, nempe parte quarta pag. 109. *Nicephori Callisti Progymnasmata Rhetorices* Codice Græco 1610. & parte secunda ejusdem Bibliothecæ pag. 78. *Nicephori Xanthopuli Commentarius in Psalmos* in Codice Regio Græco 491

Ex iisdem MSS. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, prodiit Græce & Latine *Catalogus Patriarcharum & Archiepiscoporum Constantinopolitanorum Nicephori Callisti*, quem primus edendum curavit Anselmus Banduri, Benedictinus monachus Congregationis Melitensis, in Collectaneo seu Collectione inscripta *Imperium Orientale* seu *Antiquitates Constantinopolitanæ*, ex Opusculis tam impressis jam, quam manuscriptis adhuc extantibus erutæ, in quatuor partes tributæ, Græce & Latine Parisiis anno 1711. duobus Tomis in folio, apud Joannem Baptistam Coignart, Regis & Academiæ Gallicæ typographum. Extat *Catalogus Nicephori Callisti* in istis *Antiquitatibus Constantinopolitanis* Tomo 1, parte 3. Libro VIII. Sect. 2. pag. 191. ad pag. 201. eductus ex MS. Codice Græco 3502. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, de quo loquitur etiam Volumine seu Tomo 2. Collectionis ejusdem libro VIII. pag. 875. De illo Diarium Eruditorum Parisiense anni 1712. mense Septembri pag. mihi 302. & iterum pag. 310. editionis Amstelodamensis in 12. apud Jansonios a Waesberge. Alii ejusdem *Catalogi* MSS. Codices in aliis bibliothecis alibi, de quibus postea loquemur. Joannes Albertus Fabricius sacræ Theologiæ Professor Publicus & Rector Gymnasii Hamburgensis anno 1714. Hamburgi apud Christianum Liebezeit in 8. pag. 560. procuravit recudendos *Libros tres de vita & morte Mosis a Philone*, Græce & Latine olim jam sæpius editos cum *Gilberti Gaulmini Molinensis* Observationibus, quarum calci adjecit ex MS. Codice Græco tertio loco, *Nicephori Callisti Constantinopolitani Menologium breve Ecclesiasticum*, cum Præfatione dicti Joannis Alberti Fabricii. Hæc *Historia Critica Reipublicæ litterariæ* Tom. VII. Art. XI. *de libris novis* pag. 418. quam adeas. Jam ut ad scripta Nicephori Xanthopuli veniamus, palmare illius opus, est *Historia* sub ejus nomine sæpius impressa, de qua tale judicium Labbeus protulit. „Certe ejus Historiam non sine delectu atque acri judicio legendam,„ monuerunt viri eruditi: ut quæ multas fabulas quisquiliasque contineat, ex incertis dubiæque fidei authoribus conquisitas. Neque tamen iis accedendum, puto, qui fabulosissimum,„ vanissimum, futilissimum, nulliusque in litte-„ ris

„ris judicii, neque *συγγραφία*, sed *μύθων καὶ* „*λήρων ῥαψῳδὸν* putant & appellitant. Illius „enim pannis purpuram aliquando intextam ex „authoribus, qui perierunt, nemo est, qui non „fateri cogatur: & damnare temeritatem Ca„sauboni, qui quicquid apud ipsum legitur, non „pluris faciebat, quam folia farfari. Prudentis „enim lectoris est, pretiosum separare a vili, & „gemmas a sterquilinio colligere. Idem judicium Francisci Combefis ex Ordine FF. Prædicatorum in *Auctoribus recensitis* ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam pag. 31. verbo *Nicephorus Callistus* ubi sic loquitur. „Nicephorus „Callisti Xanthopuli filius, vixit sub Andronico „Seniore Palæologo, ejusque filio Michaële, ac „nepote Andronico Juniore, ut docet illius Hi„storiæ præfatio: ex qua nonnulla quandoque „mutuatus ad fidem Historicam. Quod enim „ex monumentis loquatur, etsi recentior, non „ejus nulla in ea habenda authoritas, etsi non sa„tis eruditis probata omnia.

De Interpretis autem sinceritate & probitate, ita male sentit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* verbo *Nicephorus Callistus*, pag. 140. „At cum hanc Nicephori Historiam pri„mus verterit Joannes Langus Silesius, neque „vero quicquam de erroribus istis, præsertim „quæ de processione Spiritus sancti pertinent, „indigitaverit: ejus autem versio non usque„quaque quadret in quibusdam vocibus, ipsi „Græco contextui, nam & *substantia* non semel „utitur pro *essentia*: sciendum est id contigisse, „quod neque Theologus Scholasticus, neque „adeo Catholicus fuerit. „ Quamobrem in Cle„mentis VIII. Pontificis Maximi postremo Indi„ce librorum prohibitorum, prohibitus est inter „primæ Classis Scriptores. Licet autem Inter„pretes Hæretici permittantur in Patrum ver„sionibus, ubi nihil habeant contrarium fidei: „ipsius tamen Adnotationes in eundem Nice„phorum & Præfatio, sive Dedicatio Operis „ipsius Langi, prohibentur. Eas porro Adno„tationes suis admiscuerant Parisienses illi, qui „ex typographia Sebastiani Nivellii anno 1562. „Nicephorum Latinum Parisiis emiserunt: „quamobrem & Hispani nonnulla in eis expur„ganda notaverunt. Porro Nicephori hujus „Historia Ecclesiastica, quæ duodeviginti libris „continetur, edita primum fuit anno 1553. Ba„sileæ ex officina Oporini, interprete, quem di„ximus Joanne Lango, una cum censura & ap„probatione Theologorum Lovaniensium 19. „Februarii 1551. Et in Privilegio Regis Fran„corum, a duobus Sorbonicis Theologis lectam „eam fuisse, scribitur anno 1552. Sed nondum „ita examinata, quemadmodum procedente „tempore factum est. Nam & cum Antonius „Contius J. C. Collectanea ejusdem Nicephori, „quem ille vocat Constantinopolitanum Archi„episcopum, mendosa & Commentariis non „tam illustrata, quam obtenebrata se emendasse „putasset; non parum falsus est in ipsa putatione temporum, quemadmodum Gilbertus Ge-" nebrandus ad finem suæ *Chronologiæ Veteris Te-" stamenti* observavit. Hæc cum Scrupulo Italo Antonius Possevinus, quæ Nationum aliarum conscientias haud ita movent. Has forsitan ob causas Fronto Ducæus Burdegalensis, Soc. Jesu Theologus, eandem Historiam Græce & Latine ex Interpretatione Langi recognitam, suoque studio Notis illustratam, edidit in folio Parisiis anno 1630. tomis duobus, apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa, sub Ciconiis. Cujus Frontonis Ducæi laboris meminit Philippus Alegambe in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu*, verbo *Fronto Ducæus*: de quo tamen ambigit amicus olim Frontonis ipsius & conterraneus Franciscus Combefis in *Auctoribus recensitis* ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam, verbo *Nicephorus Callistus* pag. 31. his verbis. *Joannis Langi recognoscenda versione, & castigandis Notulis quæ passim aspersa sunt, majorem Frontonis Ducæi diligentiam vellem: ni typographi in eum liberaliores fuere, ejusque præfixo nomine, voluerunt libri pretium augere: nam virum colo, ac de Græcis authoribus optime meritum agnosco.*

Nec illa plura vel gratiora dicit Possevinus, dum ita loquitur de Nicephoro Callisto, tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 139. „Nicephorus Cal-" listus, qui vixit ante annos propemodum tre-" centos & quadraginta, etsi quoad stylum &" dictionem attinet, eleganter Græco quidem" idiomate Historiam suam Ecclesiasticam texuit:" quæ vero antea Sozomenus, Socrates, Theo-" doretus scripserant, continuato magis ordine" expressit: habet tamen quæ tum in Dogmati-" bus, tum in Historiæ veritate, sunt digna, quæ" præcaveantur. Ad dogmata spectat, quod il-" le in Præfatione ad Andronicum Imperatorem" scribit, dum illum commendat, quod quasi alter" Abraham sanctissimam Trinitatem hospitio ex-" cipiens, Spiritum sanctum a solo Patre procede-" re per Synodum a se coactam promulgari cu-" raverit. Quin & quibusdam carminibus ipsum" Andronicum ex eo laudat, quod ejus pater Mi-" chael Imperator ex Byzantio exegerit Latinos," hoc est, Catholicos & Orthodoxos. Ad Hi-" storiam attinent, quæ cum alii, tum ipse Cæ-" sar Baronius, non uno in loco animadverte-" runt. "

1. Existimat enim Lib. 4. cap. 25. Apostolos non ante tertium decimum ab Ascensione Domini annum, ad Evangelii prædicationem, per Orbem fuisse dispersos: quod falsum esse, contendit ostendere Baronius Cardinalis tomo 1. *Annalium*. Sed & videnda Laurentii Susligæ Theoremata Græcii impressa, anno 1605.

2. Tradit Libro 3. cap. 11. Onesimum & Timotheum, & Dionysium Areopagitam, sub Domitiano pro Christi fide Martyrio occubuisse: quod falsum de Onesimo opinatur Baronius, atque alii de aliis.

3. Lib. 7. cap. 35. multis contendit ille conjecturis & ratiunculis, Constantinum Magnum fuisse

fuisse Romæ baptizatum a sancto Sylvestro, non autem Nicomediæ ab Eusebio, contra communem doctissimorum hodiernorum sententiam. Quod autem illi attribuunt Possevinus pag. 140 *ipsum lib. 7. cap. 34. vel 35. asseruisse Crispum Cæsarem una cum patre Constantino fuisse baptizatum:* falsum est ex lectione capitis. Nullusque alius legitur Crispus baptizatus apud illum, nisi Crispus Synagogæ Princeps, una cum conjuge & liberis, Lib. 2. cap. 24. qui alius omnino est a Crispo Constantini filio, quod Possevinum fefellit.

4. Libro 7. cap. 44. dum de Virginibus, quæ sub Licinio passæ sunt, contra omnium opinionem, scribit, fuisse uxores quadraginta Militum, qui Sebastæ in Armenia passi sunt: easque cum Amone quodam Diacono Heracleam Thraciæ abductas, ibi esse agonem passas.

5. Lib. 8. cap. 26. falso credidit & scripsit Nicænum Concilium, annis tribus & paullo amplius celebratum esse: cum constet, quo anno inchoatum fuit, eodem ad exitum perductum fuisse. Atque ut fabulas etiam falsis admisceat, & stupenda narret ad simplicium stuporem & lacrymas a devotis elicіendas: idem libro 8. cap. 23. ait, *eidem a duobus etiam mortuis Episcopis Chrysantho & Musonio subsignatum & subscriptum fuisse.* Addiderat vero antea Lib. 8. cap. 14. Nicænum Concilium sub Julio Papa celebratum esse, quod sub Sylvestro Papa habitum fuisse, Legati ejus testantur.

6. Idem lib. 7. cap. 18. Helenam quæ Britannia fuit, Constantinumque in Britannia peperit, Bithynam genere fuisse scribit, ex urbe Drepano oriundam ad Nicomediæ sinum, quam dum ab Occidente in Orientem navigaret, cognoverit. Ubi fabulas suas methodo Græco exponit.

7. Quæ libro 7. cap. 36. de Disputatione Sylvestri Papæ cum Judæis commemorat, veritati aliqua ex parte repugnant, dum Helenam Constantini matrem post Constantinum filium Christianam fidem accepisse, asserit. Ita periculosum est in antiquis atque a nostris temporibus longe remotis, per phantasiam evagari, ac scribere ad libitum.

8. Inquit Lib. 8. cap. 14. Gregorium Majoris Armeniæ Episcopum, interfuisse Nicænæ Synodo, quem longe antea defunctum fuisse constat.

9. Quæ de Theophilo Indo Lib. 9. capp. 18. & 19. narrat, veritati minime consentanea sunt, eaque deprompta a Philostorgio homine Hæretico ac sublestæ fidei, in vulgus emittit. Quod vero Possevinus ait, citans Nicephorum lib. 10. cap. 25. *Divum Basilium tempore Julii sedisse Episcopum,* quem tamen postea creatum fuisse Episcopum constat: falsum est, ac ne γρῦ quidem ea de re apud Nicephorum Callistum est.

10. Ait libro 14. cap. 44. eodem tempore S. Ignatium Episcopum Antiochenum Roma Antiochiam translatum esse, quo divi Chrysostomi corpus Constantinopolim ex Cucuso delatum. At ex Divi Hieronymi testimonio, corpus Sancti Ignatii aliquot annis ante Antiochia abductum fuisse constat.

11. Idem libro 17. cap. 26. parum honorifice de Vigilio Papa loquitur, quod Constantinopolitanum Episcopum Mennam a communione suspenderit: in quem invehitur acrius, & juxta Possevinum mendacissime asserit, parem sententiam adversus Vigilium ipsum a Menna fuisse latam.

12. Anastasium Episcopum Antiochenum & Martyrem sub Phoca Imperatore, lib. 18. cap. 44. confundit cum Anastasio Synaita, qui Mauricii temporibus mortuus est. Denique procul a veritate recedit, quod Lib. 12. cap. 44. scripsit, Cæsarium Præfectum Prætorii a Theodosio missum adversus Antiochenos, esse illum Cæsarium S. Gregorii Nazianzeni fratrem, quem longe ante hæc tempora, ex hac vita decessisse constat. Quin etiam ejusdem libri cap. 34 plane mentitur, inquiens, *Neque Episcopus, neque alius quisquam in Ecclesia, Romæ ad populum docens, verba facit.*

13. Sed & quæ idem Nicephorus Lib. 10. cap. 15. dicit de nomine *Hypostasis* & *Usia*, a Socrate Lib. 3. cap. 5. & a Sozomeno Lib. 5. cap. 11. accepit: qui authores non tam ipsa nomina reprehendunt, quam novam quæstionem de distinctione earum vocum. Itaque etsi forte Osius primus sit, qui de hac distinctione disseruit, non tamen ipse primus hæc nomina excogitavit: Siquidem inveniuntur apud Dionysium & Justinum, & apud ipsum Paulum nomen *Hypostasis*: Et nomen *Homousii* quod ab ὀυσία descendit, antiquissimum fuit. Quod autem Socrates & Nicephorus addunt vocem ὑποςάσεως barbaram esse, & Philosophis penitus incognitam: inde factum, ut Nicephorus nugamenta appellaret, Disputationes De distinctione horum vocabulorum, quæ parum prodessent. Nam hanc vocem non fuisse incognitam veteribus Philosophis, patet ex Commentariis Budæi, qui citat Aristotelem & Themistium, nobilissimos videlicet Philosophos, qui voce ὑποςάσεως non raro usi sunt. Ac licet nulli Philosophi hac voce usi fuissent, sufficeret, quod ea usi fuissent Paulus, Concilium Nicænum, & omnes Græci Patres. Non autem esse nugamenta, Disputationes de ὀυσία & ὑποςάσει, patet ex Basilio Epistola 43. ubi dicit, *ex ignorantia hujus distinctionis, natum esse plurimorum errorem circa Dei cognitionem:* ac præterea si hæc nugamenta essent, cur Justinus, Cyrillus, Nyssenus, Theodoretus, Damascenus, & alii tam multa de hac re, & tam serio disputassent? Hæc pluribus Possevinus, occasione Historiæ Nicephori Callisti, cujus ad alia jam properemus.

Extat autem hujus Nicephori Historia Ecclesiastica inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Cod. 3040. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji Rotu-

Rotulis in Archivo A Codice 51. Ibidem Codice 59. in MSS. Baroccianis Codice 59. Nicephori Callisti Chronologia Imperatorum a Constantino Magno usque ad Andronicum III. versibus. Ejusdem Chronologia Patriarcharum Constantinopolitanorum CXIV, quorum postremus est Athanasius. Et Cod. 142. num. 23. Nicephori Callisti Catalogus Archiepiscoporum Constantinopolitanorum pag. 288. Catalogus autem iste prout est apud Scaligerum in *Eusebio* suo, in Photio desinit; sed hic Codex exhibet post Photium circiter 42. Episcopos, usque ad tempora Joannis Ducæ, qui A. Domini 1221. imperare cœpit. Utrumque opus in eadem bibliotheca in Adversariis Gerardi Langbaini, Volumine XI. Catalogi dictæ bibliothecæ impressi pag. 270. col. 2. Ibidem Codice 249. in MSS. Godicibus Thomæ Roe Codice 3. Theodori Studitæ Hymni Anastasimi sive ἀναβαθμοὶ LXXV. cum Expositione Anonymi aut Nicephori Callisti. Item Nicephori Callisti Expositio Hymni Cosmæ in B. Virginem, cujus initium, Τὴν τιμιωτέραν pag. 131. atque incipit, ὅτι σε τῦ ὀρέστας ἐπαινεῖν ἔχω.

Extant quoque inter Manuscriptos Codices Historicos Græcos, augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice 8. num. 1. a pag. 1. usque ad pag. 17. ejusdem *Nicephori Callisti Acoluthia*, seu *Officium Festi Dedicationis templi beatissimæ Virginis Deiparæ, quod cognominatur ad Fontem*, uno circiter studio a terrestribus urbis Constantinopolitanæ mœnibus dissiti, cum inserto ejusdem *Nicephori Xanthopuli Synaxario*, sive *Narratione succincta de origine, incremento & miraculis ejusdem templi*. Ibidem vero num. 2. & quidem a fol. 17. pag. 1. usque ad folium 144. pag. 2. Ejusdem *Nicephori Xanthopuli Liber singularis, de Origine, structura & miraculis jam memorati templi Beatæ Virginis Deiparæ ad Fontem*: de quibus haud editis Opusculis Historicis, Petrus Lambecius Libro 8. Commentariorum *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, amplissime a pag. 56. ad 63. & in Catalogo Scriptorum hujus Libri seu tomi, pag. 563.

Auxit etiam idem ille Nicephorus Xanthopulus *Triodium Græcorum Synaxariis*, de quo ita Franciscus Combefis in *Auctoribus recensitis* ante Bibliothecam Patrum Concionatoriam, verbo *Nicephorus Callistus* pag. 31. *Triodium Græcorum Nicephorus pessime habuit, dum Synaxariis augendo, suipsius ac sequioris Græciæ erroribus infarsit, qua de re alibi.* Et ibidem verbo *Isidorus Thessalonicensis*, pag. 25. cujus luculentum extat elogium in *Triodio*, Dominica Orthodoxiæ, id est, prima Quadragesimæ. „Sed quæ ibi sunt „recentiorum valde suspecta elogia, authore Ni„cephoro Callisto, homine Hæretico, quem me„rito queritur Allatius, librum illum Græcorum „Ecclesiasticum adjectis Synaxariis seu Historio„lis, erroribus suis conspurcasse: cum antea „nulla ejusmodi Synaxaria extarent. Vidique „ipse ejusmodi antiquum *Triodium*, ac utendum habui e Tiliana Bibliotheca, solis Canticis seu Canonibus (ut vocant) hymnisque compositum: atque utinam, non mihi, sed communi rei ac fidei, tanta illorum librorum, jactura, ac cum licebat, servassem. *Nicephori Callisti Xanthopuli Synaxaria in præcipua Triodii festa, quibus uniuscujusque eorum indicatur origo, qualitas, atque dispositionis ratio*, habentur in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Græce Manuscripta, inter Codices Theologicos Græcos MSS. Codice CCCXXII. qui Chartaceus antiquus & bonæ notæ in 4. foliorum octoginta: ut habet Petrus Lambecius tomo 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 282. his verbis.

Ipsa tituli Græci verba cum principio Præfationis De compositione Triodii hæc sunt: Νικηφόρυ Καλλίςυ τῦ Ξανθοπύλυ Συναξάρια εἰς τὰς ἐπισήμυς τῦ Τριῳδίυ ἑορτὰς, μίαν ἑκάςην αὐτῶν αἰτιολογῦντα, πῶς πολὲ τὸ κατ' ἀρχὰς γέγονε, καὶ δι' ἣν αἰτίαν ὡς νῦν ἔχυσι, παρὰ τῶν ἁγίων καὶ Θεοφόρων Πατέρων ἡμῶν ἐτάχθησαν μετὰ τινων ἐπιςάσεων μερικῶν. Ἀρχόμενα ἀπὸ τῦ Τελώνυ καὶ Φαρισαίυ, καὶ καταλήγοντα μεχρὶ τῶν ἁγίων πάντων. Ὀφείλει τοίνυν τὸ τῦ Μηναίυ συναξάριον ἐν τῇ ἑβδόμῃ, ὡς ἔθος, πρῶτον ἀναγινώσκεσθαι, μετέπειτα δὲ τὰ παρόντα. ἱερεὺς ἢν μετὰ τὴν ἐκείνυ ἀνάγνωσιν, ὕτως.

Ὁ Δημιυργὸς τῶν ἄνω καὶ τῶν κάτω,
Τρισάγιον μὲν ὕμνον ἐκ τῶν ἀγγέλων,
Τριῴδιον δὲ καὶ παρ' ἀνθρώπων δέχυ.

Κατὰ δὲ τὴν παρῦσαν ἡμέραν σὺν Θεῷ καὶ τῦ Τριῳδίυ ἀρχόμεθα. ὃ πολλοὶ μὲν τῶν ἁγίων καὶ Θεοφόρων μυσαγωγῶν ἡμῶν Πατέρων ἄριςα, καὶ ὡς ἔχρην, ὑπὸ τῦ ἁγίυ κινύμενοι Πνεύματος, συνθέμενοι ἐμελῴδησαν. πρῶτος δὲ πάντων &c. Plura de Triodio Græcorum, & de his Nicephori Callisti Synaxariis, vide apud doctissimum Leonem Allatium in Dissertatione prima *de libris Ecclesiasticis Græcorum* a pag. 69. usque ad pag. 77. Et in Dissertatione secunda, a pag. 113. usque ad pag. 228.

Ejusdem *Nicephori Callisti*, *Xanthopuli cognomine*, *Hymnus encomiasticus in beatissimam Virginem Deiparam*, *inscriptus* χαιρετισμὸς, *ordine alphabetico*, extat ibidem, Codice MS. Theologico Græco CCXCIX. num. 6. cujus principium, χαῖρε ἀνωτέρα τῶν νοερῶν &c. Ejusdem Nicephori Callisti *Troparia duo in beatissimam Virginem Deiparam ordine alphabetico*, quorum primus incipit ab his verbis: ἄχραντε Παρθένε, Μῆτερ Θεῦ, πάσης ἀνθρωπίνης βοηθείας ἀπολυθεὶς &c. Secundum autem, ἄχραντε Παρθένε, Μῆτερ Θεῦ, ἡ δεδοξασμένη ὑπὲρ πᾶσαν φύσιν βροτῶν &c. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum Cæsareæ Bibliothecæ pag. 268. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 346. & 366. Denique inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Viennensis, Codice CLXXXIII. post librum Joannis Climaci ad Pastorem, extat *Nicephori Callisti cognomine Xanthopuli Catalogus metricus præcipuorum Ecclesiæ Christia-*

Christiana Sanctorum Patrum Græcorum, cujus initium: οἱ καλλύναντες ἐν λόγοις ἐκκλησίαν, Μέγας Διονύσιος Ἀρείου πάγου. Μέγας Ἀθανάσιος Ἀλεξανδρείας &c. de quo Petrus Lambecius agit tomo seu Libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 195. & in Catalogo hujus tomi, pag. 249. Scripsit idem Nicephorus Callistus *Glossas in Orationes S. Gregorii Nazianzeni*, quarum mentionem facit Antonius Possevinus ad calcem *Apparatus sacri* pag. 28. ubi loquitur de Manuscriptis Græcis, quæ Bessarion Cardinalis & Nicænus Archiepiscopus reliquit moriens, serenissimæ Venetorum Reipublicæ. Extant quoque *Nicephori Xanthopuli Commentarii in Psalmos Davidis*, MSS. in Bibliotheca Scorialensi Catholici Hispaniarum Regis. In bibliotheca nostra Lugdunobatava, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii curatos, Codice Græco 4. num. 5. *Vita sancti Andreæ Apostoli & primi Episcopi Constantinopolitani auctore Nicephoro Callisto*. Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus ex Congregatione S. Mauri in Gallia, cum ab anno 1693. Codices MSS. Græcos variarum Galliæ & Italiæ Bibliothecarum volvere & examinare cœpisset, multaque & innumera de MSS. Græcis collegisset, anno 1708. edidit in folio Parisiis opus insigne, quod *Palæographiam Græcam* inscripsit, cum applausu omnium acceptam. In hac igitur *Palæographia Græca* recenset quoque Opuscula nonnulla Nicephori Callisti, nempe Lib. 4. cap. 9. pag. 323. Codicem Regium 2458. bombycinum, anno Christi 1286. scriptum Græce, qui Codex continet *Vitas Sanctorum quatuor*, nempe *S. Basilii junioris* auctore Gregorio ejus discipulo: *S. Paisii* a S. Joanne Colobo conscriptam: *S. Andreæ Junioris* a Nicephoro Callisto, magnæ Ecclesiæ Presbytero: *Vitam S. Marci Eremitæ*. Juxta ergo hunc MSS. Codicem, scripsit Nicephorus Callistus *Vitam S. Andreæ Junioris*: quem paulo antea diximus, scripsisse *Vitam Sancti Andreæ Apostoli & primi Constantinopolitani Episcopi*, ex fide MS. Codicis Bibliothecæ LugdunoBatavæ nostræ. Idem lib. 1. cap. 7. in Notis MSS. Græcorum Seculi decimi quarti pag. 70. ad annum 1344. refert hoc circiter tempore Codicem Regium 3271. a Stephano quodam descriptum esse, qui *Nicephori Callisti Rhetorica & aliquot opuscula* exscripsit. Ibidem lib. 1. cap. 7. in Notis MSS. Græcorum seculi decimi sexti ad annum 1568. pag. 91. refert Codicem Colbertinum 5108. bombycinum, in quo *Nicephori Callisti*, *Chrysostomi* & aliorum homiliæ continentur, scriptum manu propria Paphnutii Monachi, Thyepoli die 20. Junii mensis, anno 1568. Hæc de MSS. Græcis Nicephori Callisti, Bernardus de Montfaucon, locis citatis.

Agunt de *Nicephoro Xanthopulo Callisti filio* ejusque scriptis, Bellarminus & Labbeus, uterque in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* Antonius Possevinus, a quo hæc principia accepimus, cujus & errata quædam emendamus, tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 139. Franciscus Combefis in *Auctoribus recensitis* ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam, pag. 31. verbo, *Nicephorus Callistus*, & pag. 25. verbo, *Isidorus Thessalonicensis*. Petrus Lambecius Lib. 4. Commentariorum *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, pag. 195. & in Catalogo hujus tomi pag. 249. Lib. 5. eorundem pagg. 282. 268. & in Catalogo Scriptorum ejusdem tomi pag. 346. & 366. denique eorundem Commentariorum pag. 56. ad 63. & in Catalogo Scriptorum pag. 563. Joannes Albertus Fabricius in *Bibliotheca Græca* Tomo VI. Capite 4. a pag. 130. ad 135. editionis 1714. Hamburgi in 4to. Item ibidem pag. 129. 1310

ANDRONICUS IMPERATOR, COGNOMENTO PALÆOLOGUS, dictus Senior, ad distinctionem ab altero Andronico Juniore Senioris istius nepote, qui cum ipso & post ipsum, Orientale Imperium tenuit. Senior iste anno 1283. factus est Imperator Orientis seu Constantinopolitanus, cum haberet annos ætatis suæ viginti quatuor, ut testatur Pachymeres Lib. 6. *Historiæ Michaelis Palæologi*. Post obitum Patris solus imperium administrare cœpit, quod una cum patre multis annis tenuerat. Remque juxta Romanos seu Latinos, ab impietate seu apostasia inchoans, contra fidem Concilio Lugdunensi Oecumenico a Romanis Pontificibus datam, in schisma seu doctrinam Græcorum relapsus, patrem imperatoria sepultura adeo non honoravit, ut ne plebeja quidem dignatus sit, teste Nicephoro Gregora Libro *Historiæ* 6. cap. 4. eo quod unioni ac doctrinæ Romanæ Ecclesiæ inhæsisset, etiamsi aliquando visus fuerit ob titubationem vel quandam cum Græcis suis simulationem, a Martino Papa excommunicandus. Tantum ergo noctu a paucis procul a castris, patrem multa terra obrui jussit Andronicus, id unicum cavens, ne ejus cadaver a feris discerperetur. Sunt tamen ex Latinis, ut Blondus & alii, qui crediderint, quod si Andronicus auxilia quæ petierat a Romano Pontifice, tunc parata habuisset; unionem conservaturum fuisse, quam postea semper aut omnino recusavit, vel frivole excusavit. Imperator autem constitutus, Ecclesiæ statim Latinæ, opinionumque ejus hostis conjuratus factus est. Unde anno circiter 1282. vel 1283. ut habet Henricus Spondanus in suis *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1288. num. 10. occasione præfata, sub Andronico isto Imperatore & Georgio Cyprio Patriarcha habita Synodus, contra Joannem Beccum, ejusque socios Constantinum Melitenioram & Georgium Metochitam, qui Latinorum dogma *De processione Spiritus Sancti* tum profitebantur, & ab annis octo (ut verba Synodi innuunt) in eo docendo perseverabant: videlicet a tempore Concilii Generalis Lugdunensis anno Christi 1274. celebrati. Post hujus præfationem, ponitur *Confessio fidei*, in qua potissimum inculcatur opinio Græcorum *De processio-*

processione Spiritus Sancti, & in fine rejicitur pax in eodem Concilio Lugdunensi facta. Narrat deinde Joannem Beccum, ea de caussa damnatum antea fuisse in quadam ipsorum Græcorum Synodo, cui cum Patriarcha Constantinopolitano aderat etiam Alexandrinus: Libellumque resipiscentiæ obtulisse, quo acquiescebat damnationi ac depositioni suæ, sed postea iterum ad pristinam sententiam rediisse. Tum sententia condemnationis trium supradictorum sequitur, & refutatio singulorum capitum doctrinæ illorum De Spiritu Sancto, cum iterata detestatione Vnionis factæ, quam πεπλασμένην ὁμονοίαν καὶ εἰρήνην πολεμίαν vocant. Adduntur in fine subscriptiones, primo Imperatoris rubris litteris, *Andronicus in Deo fidelis* Βασιλεύς, *& Imperator Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus*. Deinde Patriarchæ, *Gregorius miseratione Dei Archiepiscopus Constantinopolitanus Nova Roma, & Oecumenicus Patriarcha. Johannes humilis Episcopus Ephesiorum Metropolis* &c. Subscribunt Episcopi 42. Officia Ecclesiastica 28. Hæc Spondanus loco citato, quibus constat quam Latinis infensus, quam Græcis sensibus addictus fuerit Andronicus Imperator. Scripsisse dicitur *Disputationes adversus Judæos*, quæ teste Conrado Gesnero in *Bibliotheca Scriptorum Epitomata* pag. 50. extant Græce MSS. in Bibliotheca Cæsarea Viennensi Codice MS. Theologico Græco CCLV. in folio. Idem (ut opinor) opus sub nomine *Andronici* Imperatoris Constantinopolitani, ex Imperatoria Comnenorum familia oriundi inscriptum, Joannes Livinejus Antverpiensis Canonicus in LXIV. capita divisum Latine reddidit, quod Petrus Stevartius Doctor Theologus edendum curavit in *Supplemento Antiqua Lectionis Henrici Canisii*, anno 1616. Ingolstadii in 4. typis Ederianis a pag. 263 ad pag. usque 405. Hoc Opus non huic Imperatori, sed alteri Andronico patria Constantinopolitano, ex Imperatoria Comnenorum prosapia oriundo, qui circa annum 1327. floruerit, tribuere videtur Henricus Warthonius in *Supplemento Scriptorum* ad Historiam Guillelmi Cavi Litterariam pag. 24. Petrus autem Lambecius attribuit Andronico Comneno Imperatori, qui anno 1185. occisus est, quem nos secuti sumus, ad annum 1180. Etiam huic Imperatori Andronico Seniori Palæologo, magno Latinorum hosti attribuuntur, *Dialogus Imperatoris & Cardinalis De processione Spiritus Sancti. Disputatio Imperatoris cum Doctore Armeniorum Petro, De duabus in Christo naturis, & aliis Capitibus. Scriptum contra Joannem Veccum* &c. Quæ omnia manuscripta Græca extant in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Codice Græco MS. 1201. ut testatur Possevinus in Catalogo hujus Bibliothecæ pag. 62. Verum ex his tribus Tractatibus *duo priores* spectant ad *Andronicum Camaterum* Sebastum, & sub Manuele Comneno Præfectum Regiæ urbis Constantinopolis, de quo ad annum 1156. supra diximus. Solus ultimus *Contra Joannem Veccum* spectat ad hunc Andronicum Seniorem Palæologum, qui illi infensissimus fuisse legitur. Hujus quoque *Andronici Palæologi Senioris*, sicut etiam *Michaelis Palæologi patris* profert *Epistolas ad Romanum Pontificem* Latine tantum, ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Barbarinæ, Leo Allatius Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 15. §. 3. col. 738. §. 4. col. 743. una cum Epistola Joannis Vecci §. 5. col. 746. de quibus ambigendi, rationes non desunt. Extat quoque Codice MS. Historico Græco LI. num. 2. & quidem a fol. 11. pag. 1. usque ad folium 13. pag. 2. ut habet Lambecius Libro 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, "*Expositio Imperatoris Andronici Palæologi Senioris, quem ordinem sive locum tunc tenuerint Metropoles Patriarchali throno Constantinopolitano subjectæ.* Inscribitur ea atque incipit hoc modo, ἔκθεσις νεωτέρα ἐπὶ τῆς βασιλείας τυπωθεῖσα τοῦ βασιλέως κυροῦ Ἀνδρονίκου Παλαιολόγου τοῦ Γέροντος, ὅπως νῦν ἔχουσι τάξεως αἱ ὑποκείμεναι Μητροπόλεις τῷ Πατριαρχικῷ Θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως. α', ὁ Καισαρείας. β', ὁ Ἐφέσου. γ', ὁ Ἡρακλείας. δ', ὁ Ἀγκύρας. ε', ὁ Κυζίκου. ς', ὁ Σάρδεων. ζ', ὁ Νικομηδείας. η', ὁ Νικαίας. Extat quidem etiam hæc Expositio Græce & Latine in supra memorata Jacobi Goar Appendice, ad Georgii Codini librum, *De officiis Aulæ & Ecclesiæ Constantinopolitana*, a pag. 400. usque ad pag. 405. sed valde differenter, ut satis apparet ex solo jam exhibito titulo & principio." Idem Opusculum ibidem, Codice MS. Historico Græco 52. num. 12. ut habet Lambecius ibidem tomo 8. pag. 480. Et Codice 53. num. 16. & 35. ut idem narrat ibidem Lambecius, pag. 483. & 489. Idem denique MS. extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 5932. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 98. num. 2. Anno Christi 1332. Indictione XV. anno mundi sexies millesimo octingentesimo quadragesimo, ut numerant Nicephorus Gregoras in *Historia* Lib. 10. cap. 1. sub finem: & Joannes Cantacusenus Lib. 2. cap. 28. computo Græcanico, nocte diei 12. Februarii Andronicus Senior Græcorum Imperator, jam antea cæcus & Monachus factus, multis pro more Græcorum prodigiis præmissis, repentino obitu mortuus est, ex conchiliorum esu & potu aquæ frigidæ. Cui cum propter noctem intempestam sacra Mysteria suscipiendi facultas non esset, cum lacrymis & genuflexionibus sacram Dei genitricis imaginem, quam in sinu gestabat, loco divinorum Mysteriorum in os inseruit, signo quidem isto pietatis ac pœnitentiæ. Mortuus est autem tot diebus post eclypsim solis, quæ facta est 30. Novembris anni præteriti, quot ipse annis vixit, nempe septuaginta quatuor; anno autem L. postquam Imperium susceperat. Ita Nicephorus Gregoras ei familiarissimus, Lib. 10. cap. 1. Cum tamen Cantacusenus nonnisi septuaginta duos annos

vitæ

vitæ ejus tribuat. Daniel de Nessel in *Breviario & Supplemento* Commentariorum Lambecianorum de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, anno 1690. Vindobonæ in fol. edito, parte 4. quæ MSS. Codices Philosophicos atque Philologicos numero 343. complectitur, habet Codice 245. *Theodori Patacii Monodiam in Imperatorem Andronicum Palaeologum.* Hæc pleraque Henricus Spondanus in Continuatione *Annalium Cæs. Baronii*, seculis XIII. & XIV. Odolricus Raynaldus, Bzovius, & alii omnes, qui scripserunt vel prosecuti sunt *Annales Ecclesiasticos*. Petrus Lambecius Libro 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, paginis 468. 480. 483. 489. & in Catalogo pag. 531. & 579.

1310 THEODULUS MONACHUS, THESSALONICÆ MAGISTER, arte Grammaticus & Rhetor, ut ex inscriptione MSS. Codicum patet, Monasticen professus, a me creditus est circa annum 930. vel 940. floruisse, obscuro hoc seculo. Claruisse enim videbatur eo tempore, quo Tryphon sedem Ecclesiæ Constantinopolitanæ occupavit, Constantini nimirum Porphyrogeniti temporibus, qui anno 919. Imperii habenas in se suscepit, Romano Lecapeno in consortium administrationis assumpto, cujus filiam in uxorem duxerat. Anno autem 944. Patriarcha Tryphone ejecto, Theophylactum Leucapeni Imperatoris filium in sedis Constantinopolitanæ thronum evexit. Extat in Codice MS. Græcæ Regiæ Galliarum bibliothecæ num. 1853. *Sapientissimi Monachi Domini Theoduli, Thessalonicæ Magistri ac Rhetoris, Sylloge seu Collectio dictionum Atticarum, quibus probatissimi utuntur Veterum, & quænam ipsarum significationes & differentiæ ab aliis*, cujus libri titulus ita concipitur. Τῦ σοφωτάτε τῦ Μοναχῦ κυρίε Θεοδόλε Θεσσαλονικέως, τῦ Μαγίςρε ἐκλογαὶ ὀνομάτων ἀττικῶν, οἷς οἱ δοκιμώτατοι χρῶνται τῶν παλαιῶν, καὶ τινὲς αὐτῶν παρασημειώσεις καὶ διαφοραὶ τῶν ἀλλήλων. In eodem porro Codice describuntur *Theoduli*, qui interdum Monachus, interdum Rhetor dicitur, *aliquot Declamationes, Epistolæ & Orationes*, quarum altera extat in *Tryphonem Constantinopolitanum Patriarcham*, qui sub Imperatoribus Porphyrogenito & Lecapeno vixit, unde illius ætatem conjecit, sed cum hallucinatione, Carolus du Fresne, Dominus du Cange. Illic præterea *Encomium in sanctum Joannem Baptistam*, cujus meminit Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 82. Ἐγκώμιον εἰς τὸν μέγαν τῦ χριςῦ βαπλιςὴν καὶ πρόδρομον ἰωάννην, cujus initium ἀλλ' ἔωογε τοῖς σοῖς ἐπιβαλεῖν ἐγκωμίοις, ὦ χριςῦ βαπλιςά, πόῤῥωθεν πειρωμένω &c. Hæc porro *Sylloge seu Collectio vocum Atticarum* prodiit sub nomine *Thomæ Magistri* ex editione Romana anni 1517. atque Parisiensi 1532. Item Franequeræ 1690 in 8. ut habent *Acta Eruditorum Lipsiæ* anni 1690 mense Septembri pag. 439 440. 441. Obtulit autem nobis hunc Scriptorem, sed cum errore temporis, quo floruit non levi, Carolus du Fresne citatus, in Catalogo MSS. Codicum & Operum impressorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 33. & 63. Sed qui ejus Opuscula multa Græce & Latine nobis effudit, Laurentius Normannus, longe aliam nobis ætatem Scriptoris hujus profert. Extant sub hoc titulo Θεοδόλε Μοναχῦ ἤτοι Θωμᾶ τῦ Μαγίςρε λόγος εἰς Γρηγόριον τὸν Θεολόγον, τῦ αὐτῦ λόγοι προσφωνητικοὶ Δ καὶ Ἐπιςολαὶ Η. *Theoduli Monachi sive Thomæ Magistri laudatio Gregorii Theologi, Nazianzeni. Ejusdem Orationes gratulatoriæ IV. & Epistolæ VIII.* Laurentio Norrmanno editore ac interprete, Upsaliæ an. 1693. in 4. apud Henricum Keyser. Illum autem prius Magistrum sive Officiorum sive Scriniorum regiorum & Chartophylacem, tum & Rhetorem fortasse & causarum Patronum egisse vult. Postmodum vero cum Imperator Andronicus Palæologus Senior fortunis opibusque a nepote exutus, suasu potissimum Patriarchæ Niphonis in Monasterium detruderetur, & Antonii Monachi nomen cum cucullo acciperet: alios quoque parem cum hero fortunam fuisse expertos, & Theodulum hunc nostrum abdicato munere publico, rebusque seculi repudiatis, altero nomine *Thomam* appellatur fuisse arbitratur. Hinc ætatem Theoduli nostri perere editor asserit, quod nempe ineunte seculo post Christum narum XIV. floruerit, cujus seculi anno XXXII. extinctum in suo Monasterio Imperatorem, tricesimo mox die secutum Magnum Logothetam Theodotum Metochitam, author sit Nicephorus Gregoras, ad quorum utrumque Epistolas nonnullas miserit. Idem quoque ex προσφωνητικῷ quem Niphoni Patriarchæ Constantinopolitanum thronum recens adepto scripserit, haud parum confirmatur. Non enim audiendum heic esse virum licet celebrem, Carolum du Fresne, dum in Indice Auctorum, quibus ad Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis compositionem usus sit, pro Nicephone *Tryphonem Patriarcham*, quem circa annum 930. vixisse constat, dum substituit & hinc ætatem Theoduli vel Thomæ nostri, percipi existimat. Sententiam insuper supra memoratam ex iis roborari affirmat, quæ ad ipsum Andronicum Imperatorem scripsisse perhibeatur, quæ cum in suo MS. non extiterint, aliunde lucem publicam adspectura sperat. Reliqua interim illius Opera Græco idiomate concepta, primus in lucem protulit, & eleganti interpretatione Latina Laurentius Normannus exornavit. Et inter hæc maximam omnino partem constituit, prolixissima *Gregorii Nazianzeni Oratio*, quam *Orationes aliquot gratulatoriæ* excipiunt, *prima* nempe Angelo magno exercituum Duci, *secunda* Theodoro Metochitæ, *tertia* Niphoni Patriarchæ, *quarta* denique Regi Cypri dicata. *Epistolæ tandem octo* sequuntur, quarum duæ priores cum quinta & sexta ad Theodorum Metochitam, tertia & quarta ad Tricanam ærarii

rii minoris Quæstorem exarata est. Septimam Nicephorus Gregoras ad Magistrum misit, hujusque ad istam responsoria octavo & ultimo loco collocatur. Hæc *Acta Eruditorum Lipsiæ* verbotenus, ad Kalendas Septembris anni 1694. pag. 835. quibus addi nihil potest. De Scriptore isto mentionem honorificam facit Joannes Albertus Fabricius in *Bibliotheca Græca* Lib. 2. cap. 10. pag. 432. his verbis. „Extant denique Epistolæ octo Thomæ Magistri cum versione Latina editæ a Laurentio Nortmanno τῷ μακαρίτῃ Vpsaliæ 1693. in 4. Ne plures ineditos omittam tum Thomæ ejusdem, tum aliorum in Bibliothecis hinc inde delitescentes, ut *Eustathii Archiepiscopi Thessalonicensis & Pselli ad Eustathium*, quas descriptas extare memini apud Clariss. Fridericum Rostgaardum; alias *Joannis Zonaræ, Nicetæ Scutariotæ, Theodori Archiepiscopi Cæsariensis, Nathanaelis Chumni & Georgii Gemisti*, quas memorat Philippus Labbeus *Nova Bibliotheca Manuscriptorum* pag. 98. & seqq. *Georgii sive Gregorii Rhetoris Antiocheni Epistolas*, ab Allatio laudatas, in *Diatriba de Georgiis* p. 858. *Epistolas Georgii Nicetæ, Georgii Lecaponi, & Andronici Zaridæ Epistolas* τεχνολογημένας XXXII, de quibus idem pag. 359. & 363. *Georgii Pachymeræ Epistolas*, quas in Italiæ Bibliothecis delitescere Gesnerus pridem scripserat, licet idem Allatius pag. 369. ullas se ejus unquam reperire potuisse negat. Denique *Michaelis Apostolii Epistolas XLV*, quæ Nesselio teste habentur in *Bibliotheca Vindobonensi.* Hæc occasione Thomæ Magistri Epistolarum, Joannes Albertus Fabricius Libro 2. *Bibliotheca Græca* cap. 10. pag. 432. editionis 1705. Hamburgi in 4. Hic autem accurate distinguendus est ab altero Theodulo seu Theodolo, cujus meminit Sigebertus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 134. qui natione Italus, Græca & Latina lingua eruditus, ac anno 980. claruisse videtur. Cum Athenis studeret, audivit Gentiles cum Christianis altercantes, quorum colligens rationes, reversus *Disputationem allegoricam Eclogam* contulit, introducens duas personas altercantes, & tertiam de duarum dictis dijudicantem. Primam vocans *Pseustin* a falsitate dictam, humana & fabulosa proponentem: secundum *Alethiam* divina & vera opponentem: tertiam *Phronesim* a prudentia dictam, per quam dubia examinantur. Theodolus interpretatur *Dei servus*: titulus hujus libri est. *Ecloga Theodoli.* Hic sub Clericali norma immatura morte obiit, & ideo librum suum non emendavit. Idem Sigebertus ibidem cap. 169 *Bernardus Vltrajectensis clericus, super Eclogas Theodoli commentatus, divinas historias & seculares fabulas allegorica expositione dilucidavit.* Hic Theodolus qui supra D. Carolum du Cange in errorem induxisse videtur, qui non Græcus sed Italus a Sigeberto fuisse scribitur, de quo in *Bernardo Silvestri* ad annum 1110. paucis locuti sumus.

IOANNES DE CLERMENATE, NOTARIUS MEDIOLANENSIS, hoc eodem tempore clarus, scripsit opus Historicum, & quod prolixitate sua anterius editum, multum superat quippe sexaginta & octo integris capitibus constans, *Historiam de situ, origine & cultoribus Ambrosianæ nobis, ac ab Mediolanensium gestis sub imperio Henrici VII. de anno 1307. ad 1313.* quam edidit Ludovicus Antonius Muratorius Tomo secundo *Antidotorum*, quæ ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codicibus nunc primum eruit, Notis ac Disquisitionibus auxit, apud Josephum Pandulfum Malatestam 1699. in 4. Ex qua inter alia cum Mediolanensis populi, tum nobilissimæ Vicecomitum familiæ primordia hauriri, quin eos etiam refelli posse Muratorius existimat, qui Henricum hunc Imperatorem ex venenata hostia obiisse perhibeant, quandoquidem illa potius eundem triduana febri in continuam degenerante, extinctum memoret. Hæc ex *Actis Eruditorum Lipsiæ* anno 1699. mense Julio pagin. 305.

IOANNES DE SANCTO GEMINIANO, 1310
ex Ordine fratrum Prædicatorum, in Theologia Scholastica valde eruditus, in concionibus Ecclesiasticis ad populum declarandis celebris, in Philosophicis quoque exercitatus, hac eadem ætate claruit. Ambrosius de Altamura multa de Joanne isto Geminianensi, in *Bibliotheca Dominicana* loquitur, cui tandem placuit illum ad annum 1244. pag. 9. & in *Appendice* ad eundem annum pag. 432. collocare. Atque inquit contra Antonium Senensem Lusitanum in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* pag. 146. ubi anno 1310. vixisse dicitur. Contra Eisengrenium apud Antonium Possevinum tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 183. ubi dicitur floruisse anno 1319. «Nam juxta Altamuram pag. 432. cum venerit Neapolim sub Gregorio nono summo Pontifice, argumentum est, claruisse circa annum 1235. Gregorius nonus rexit sedem Romanam Apostolicam ab anno 1227. usque ad annum 1241. quo obiit. Idem in *Bibliotheca* pag. 9. adhuc præstantiora narrat, utinam recte probata, ac per synchronos testes. Joannes de sancto Geminiano venit Neapolim cum B. Thoma Aquileontino, illuc a Gregorio IX. ad extinguendas hæreses, per Fredericum II. Imperatorem disseminatas misso. Hujus sanctitate ac eloquentia S. Thomas Aquinas, cum daret ibi operam litteris, illectus seculum abdicavit & nostræ religioni voluit cooptari. S. Thomam qui a matre & fratribus in arce castri sancti Joannis detinebatur, pluries invisens adjuvit, eique de libris atque vestibus benignissime in carcere providebat. Insuper curavit obnixe, ut Ordini restitueretur, illumque feliciter Neapolim e dicto castro per fenestram emissum, reduxit.» Hæc quidem præclara *Joannis de sancto Geminiano* in sanctum Thomam Aquinatem beneficia, sed quæ ab Ambrosio Altamurano per-

ido-

idoneos ejusdem ætatis testes probanda sunt: quia quod de tam remotis temporibus dicitur, contemnitur, dum non probatur, juxta ipsum Thomam Aquinatem: Appellabimus hæc felicia hujus Bibliothecarii somnia, vagasque mendicantis ingenii imaginationes, quamdiu illas non probaverit. Miror sane, quod ob tam insignia in sanctum Thomam Aquinatem officia, hunc Joannem de sancto Geminiano non compensaverit *beati* titulo, qui solus (opinor) ex Ordine fratrum Prædicatorum tot tantaque comminiscitur. Vivebat juxta Labbeum in *Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum* anno 1300. vel circiter. Juxta Antonium Senensem in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* pag. 146. anno 1310. vel si Eisengrenio credimus anno 1319. Cum fuerit eximius Theologus & concionator nobilis *Summam De Exemplis & rerum Similitudinibus* Libris X. quæ prodiit locuples illa & omnibus divini verbi concionatoribus utilis Basileæ anno 1499. Venetiis 1497. in 4. 1577. & 1582. apud Domianum Zonarium. Antwerpiæ anno 1583. in 8. & 1599. in ædibus Petri Bolleri. Lugduni autem 1585. cui adjunctum est *Sophologium Sapientiæ* Jacobi Magni, Ordinis Eremitarum divi Augustini. Et quidem post multas editiones ea præstare videtur, quæ ab Ægidio de Rocha Ordinis Eremitarum divi Augustini emendatur, Venetiis prodiit, cum illa primum in lucem anno 1499. Basileæ apud Petrum Langestein prolata fuisset. Eadem summa *Universum Prædicabile* inscripta, Coloniæ in 4. anno 1670. prodiit, quam Guillelmus Cavus recenset, quasi unum & idem Opus sit cum *Summa Exemplorum & Similitudinum*. Scripsit quoque *Orationes funebres*, quæ Lugduni primum anno 1510. in 4. tum post centuriam annorum Parisiis anno 1611. in 8. editæ sunt. Itemque *Sermones Quadragesimales*, editos Venetiis anno 1584. in 8. & Coloniæ anno 1612. in 8. Ejusdem *Sermones per annum* manuscripti in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, duobus voluminibus notatis Littera SS 15. SS 16. quorum titulus. *Incipit Prologus in Sermones totales Epistolarum & Evangeliorum, secundum fratrem Johannem de Sancto Geminiano Ordinis fratrum Prædicatorum*, Prologus autem, *Si cibi corporalis reliquias colligere jubemur, ne pereant, dicente Christo Apostolis Joannis 6. Colligite fragmenta ne pereant* &c. Iidem *Sermones MSS* in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici, ubi eos cum cæteris MSS. Codicibus maxime neglectis, nomine Bibliothecam hanc curante, vidimus. Item *Joannis de Sancto Geminiano Sermones Quadragesimales & de Festis*, MSS. in Bibliotheca celebri Claræ Vallis, ex ejus Catalogo recenti & accurato, quem penes me habui. Agunt de *Joanne a Sancto Geminiano*, Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* pag. 146. de quo plura Antonius alter Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Joannes e sancto Geminiano* pag. 880. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca sua Dominicana* ad annum 1244. pag. & *in Appendice* ad eundem annum pag. 432. quem sequutus est Guillelmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1244 pag. 720. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 124. ubi eum anno 1300. cum Labbeo assignat.

GVILLELMVS DVRANTI MIMATENSIS EPISCOPVS, Senioris alterius, ejusdem nominis atque cognominis nepos, quem varia Scripta illustrarunt, de quibus Bellarminus & Labbeus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Guillelmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1286. pag. 746. Sammarthani Fratres tomo 3. *Gallia Christiana* pag. 730. in Episcopis Mimatensibus. Hic quartus nomine dictus, ad quandam à patruo suo distinctionem, qui in ordine Episcoporum Mimatensium Guillelmus Tertius fuit. Sub illo primum factus Mimatensis Canonicus ac posteà Archidiaconus, denique Patruo defuncto Episcopus institutus à Bonifacio Papa IIX. anno Christi 1290. Pontificatus ejus 2. ex Epistola regesti Vaticani, & Ferdinandum Vghellum tomo II. *Italia Sacra* columna 501. quam & refert Gallia Christiana loco citato. Hic autem Guillelmus, anno 1297 Capitulo consentiente ordinavit, neminem ad Canonicatus seu Præbendas Ecclesiæ admittendum esse, cujus parentela usque ad tertiam generationem modo aliquo Mimatensem Ecclesiam inquietasset. Anno 1306. arduam admodum litem composuit inter Petrum Ruthenensem Episcopum & Bernardum Comitem, de qua in archivis Episcopatus, ubi in autographo *Guillelmum IV.* sese appellat. Anno 1311. Concilio Viennensi interfuit, *deque rebus in eo tractatis selectam relationem idem Guillelmus Mimatensis recensuit, cujus Acta extant in Codice Vaticano*, Codice 4177. inquiunt Sammarthani Fratres. At vix ac ne vix quidem adduci possum ut credam, hanc Operam à Sammarthanis illi attributam, esse aliud aliquid à *Tractatu De modo celebrandi Generalis Concilii per Guillelmum Durantem Mimatensem Episcopum, jussu Clementis V. Summi Pontificis edito & Concilio Viennensi oblato.* Primus hunc *Tractatum De modo celebrandi Generalis Concilii* edidit, Philippus Probus Jurisconsultus Bituricensis, qui eum Parisiis anno 1545. decimo quinto Calendas Aprilis, *Sanctissimo D. N. Paulo divinâ providentia Papæ III. & Reverendissimis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, ac cæteris in Christo fidelibus, ad universale Concilium in Tridentina civitate celebrandum convocatis*, obtulit. Deceptus autem tam in sua dedicatoria Epistola, quàm in Vitâ Authoris præmissa Philippus probus, qui hoc Opus opinatus est spectare ad Guillelmum Durantum Seniorem seu patrum nomine tertium, quem anno 1296. Romæ mortuum esse, nec seculum XIV. unquam attigisse constat, ex epitaphio sepulchrali ejus lapidi ap-

1319

penso, quod ab ipsis Fratribus Sammarthanis tomo 3. *Galliæ Christianæ* pag. 730. *in Guillelmo Durranti III.* refertur. Impressus etiam posteà Parisiis hic tractatus anno 1635. in 4. una cum libellis diversis, nempe *De corrupto Ecclesiæ statu* Nicolai Clunaugii Archidiaconi Bajocensis, Doctoris Theologi Parisiensis: Libello *De emendatione Ecclesiæ* Petri Alliacensis Cardinalis, Cameracensis Episcopi: *Concilio de emendanda Ecclesia* delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum, Sanctissimo D. N. Nicolao III. exhibito, & ipso jubente conscripto. Denique Parisiis impressus tertio, anno 1671. in 8. cum iisdem adjunctis apud Franciscum Clouzier: in quibus ultimis editionibus, quod perperam patruo attributum fuerat, in gratiam nepotis reformatum est. Et rectè, Opus enim istud ratione temporis quo compositum est, certissimè ad Guillelmum Durantum nepotem seu juniorem spectat, de quo silent Bellarminus & Labbeus, in Opere suo uterque *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Imò plerique non distinguentes inter duos *Guillelmos Durantos*, ambos sibi in nomine & cognomine similes, ambos in Episcopali sede sibi succedentes, atque in eadem Juris Canonici Professione inclitos: posuerunt Durantum patruum seu seniorem usque ad annum 1328. vixisse, quod ipsa epitaphe tumulo appensa falsitatis manifestæ arguit. Est itaque Opus istud Guillelmi Duranti nepotis seu junioris, qui multis etiam eximiis factis insignis extitit. Fundavit enim anno 1312. Collegium omnium Sanctorum, tam de bonis suis, quam Guillelmi Tertii, dicti *Speculatoris*, patrui sui. Expulit Judæos a civitate Mimatensi, domosque Collegii istius in eorum Synagoga ædificavit. Adstitit quoque in Parlamento anni 1316 juxta Guillelmum Budæum in libro ultimo *de Senatoribus*: & anno sequenti 1317. a Rege Philippo Longo ad componendam inter eum & Robertum Flandriæ ac Ludovicum Niverni Comitem ejusque filium, pacem delegatur. Anno quoque 1328. Marinus Sanutus *in Historia Secretorum Crucis*, scribit ei De Statu belli sacri, *Episcopum Mimatensem & Comitem Gabalitanum ac passagii procuratorem* vocitans. Mortuus tandem anno 1326. scribitur, de quo plura habent Tabularia dicti Collegii omnium Sanctorum in civitate Mimatensi. Fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Mimatensibus. Henricus Whartonus in continuatione *Historiæ litterariæ* Guillelmi Cavi, ad a. 1311. p. 13.

1310 JACOBUS DE TERMIS CAROLILOCI ET PONTIGNIACI ABBAS, Monachus primùm Ordinis Cisterciensis, tum Doctor Theologus Parisiensis, Juris utriusque & sacræ Theologiæ peritissimus: unde meritis virtutum ac doctrinæ clamantibus, ab anno circiter 1308. electus Caroliloci Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Sylvanectensi Abbas, anno 1311. Concilio Viennensi interfuit. Plura scripsit, cumque ipse tunc temporis Caroliloci Abbas Concilio Viennensi anno 1311. adfuisset, contra Ægydium Columnam seu Romanum Bituricensem Archiepiscopum, obtulit *Defensorium Juris* Clementi V. Pontifici Maximo, quod habetur impressum inter *Tractatus Tractatuum Juris* tomo 3. parte 2. fol. 122. & attribuitur *Joanni cuidam Abbati Ordinis Cisterciensis*: sed facillimum fuit pro *Jacobo* legere *Joannem* ex sola initiali littera, quæ in MSS. inventa est. Inscribitur etiam *Contra Pseudoprophetas Lib. I.* idemque Opus MS. sub diversis titulis, quod referente Seguino MS. extat in Bibliotheca Caroliloci & apud Cistercium. Lege etiam in Catalogo Bibliothecæ Monasterii Laudensis in Gallo-Flandria juxta Insulas, apud Antonium Sanderum parte 2. *Bibliotheca MS. Belgica*, extare in dicto Cœnobio egregium quoddam Opus ab ipso Jacobo conscriptum, *continens Tractatus varios contra impugnantes exemptiones Religiosorum*, quod opus author exhibuit sanctissimo Pontifici Clementi V. in Concilio Generali Viennensi, anno 1311. estque idem Opus cum duobus diversis præcedentibus titulis, *Defensorium Juris & Contra Pseudoprophetas*, in aliis MSS. appellatur. Hoc *Opusculum contra impugnantes exemptionem & privilegia Regularium*, maximè adversus Ægydium Romanum Bituricensem Archiepiscopum, habetur tomo IV. *Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 261. de quâ sæpiùs egimus. Item *Collationes ipsius super Apocalypsim*, quarum initium est, *Princeps Regum terræ dilexit nos &c.* extant Villarii in Brabantia, teste Bunderio *in Indice*, Littera I. num. 10. & 45. Cæterum *Opus ejus contra impugnatores Exemptionum*, quod sic incipit, *Salvabo gregem meum & non erit ultrà in rapinam &c.* quia valde amplum est, ipsemet in compendium redegit, & Pontifici Clementi V. Viennæ anno 1311. obtulit, cujus initium *Quia in paucioribus via &c.* Hoc compendium nuper edidit Odoricus Raynaldus Presbyter Oratorii, Annalium Ecclesiasticorum Cæsaris Baronii continuator, in Appendice ad tomum XV. desumptum ex Codice MS. Vaticano signato, num. 2109. sub hoc titulo: *Compendium Tractatus Fratris Jacobi Abbatis Cisterciensis Ordinis, Sylvanectensis Diœcesis, contra impugnatores exemptionum Regularium, ab eodem editum in Vienna, tempore Concilii Generalis.* Extat etiam in Laudensi Abbatia de quâ supra jam egimus, *Responsio Fratris Jacobi de Thermis facta Summo Pontifici Joanni XXII. in Avenione, post Concilium in Vienna celebratum, super quibusdam interrogatis concernentibus Ordinem Cisterciensem.* Denique ejusdem in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum regularium Augustinianorum, Littera L. 5. extant MSS. *Quodlibeta duo Magistri Jacobi Abbatis Caroliloci* Ordinis Cisterciensis, fol. 1. & sequentibus. *Quodlibetum primum* continens articulos seu quæstiones plures, quarum prima, *Utrum potentia, qua est differentia entis, sit subjectiva, vel objectiva &c.* *Quodlibetum se-*

secundam continens plures articulos seu quæstiones, quarum prima, *Utrum esse & essentia in Deo minùs differant, quàm in modo significandi &c.* Anno autem 1319. ad regimen Abbatiæ Pontigniaci ejusdem Ordinis Cisterciensis evocatus, haud ita multo post Pontigniaci anno 1321. mortuus est, ipso sancti Lucæ Festo: jacetque in majori sacello Pontigniacensi, insculptis lapidi sepulchrali hisce verbis.

Quem tenet hic fundus, Doctor fuit iste profundus,
Sanctus ut Edmundus, fuit absque libidine mundus.
Illius Ecclesiæ pater & fons Theologiæ,
Vitæ norma piæ, fervens in amore Mariæ.
Cum duplex Jacobus sic fertur ad astra talentis,
In Testamentis, præclarus scriba duobus.
Centum ter decies, septem ter, Lumine Lucæ
Migrans ab hac luce, sit tibi Christe quies.

De illo Carolus de Wisch *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 166. & Gallia Christiana Sammarthanorum Fratrum tomo 4. *in Abbatibus Caroliloci & Pontigniaci*, pagg. 219. & 741. Antonius Sanderus parte 2. *Bibliotheca Manuscripta Belgica* pag. 106. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Authorum*, quem adjunxit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 117.

1310 ÆGYDIUS DE PONTISARA, ABBAS SANCTI DIONYSII IN FRANCIA, Monachus primum Sancti Dionysii in agro Parisiensi, tum ejusdem Ecclesiæ anno 1305. factus Abbas, post mortem Guidonis de Castris, Capellanusque Philippi cognomento Longi Francorum Regis, Basilicam Dionysianam pluribus ditavit ornamentis, cappâ aureâ exquisitæ artis, capsa argentea, necnon Sacellis duobus. Infirmariis & aliis structuris Monasterium renovavit, pro quibus beneficiis memores Monachi, anniversarium ejusdem obitus diem celebrant die 30. Decembris. Scripsit Latinè *Vitam Sancti Dionysii Ecclesia suæ Patroni*, quem vocat *Areopagitam*, dicatam Regi Francorum Philippo Longo, quæ MS. in folio 300. annorum, in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 4298. Incipit prologus, *Excellentissimo &c. Philippo Regi Francorum &c.* Opus autem, *Etsi laude dignas &c.* Mortuus est anno 1325. die 30. Decembris, mandatus terræ sub hoc rustico epitaphio.

Nobis sublatus, morti datur, hic tumulatus
Abbas Ægydius, Actibus egregius.
Justitiam fovit, ac honestè vivere novit:
Nos bene ditavit, inopes per munera pavit.
Christi zelator templi, domuum reparator
Infirmis cameras dedit, Oratoria quæras,
Hoc templo plura, solerti condita cura.
Hinc altare Chori, Christi construxit honori &c.
Ut Jesus hunc capiat, fervens oratio fiat. Amen.
M C ter X binos, pariter conjungito quinos.

De illo fratres Sammarthani tomo IV. *Gallia Christiana* pag. 337. in Abbatibus Sancti Dionysii.

GUILLELMUS BAUFETI, PARISIENSIS EPISCOPUS, natione Arvernus, patria Aureliacensis, hoc nomine quartus inter Parisienses Episcopos, anno 1300. floruit, qui antea Regis Philippi medicus, Simoni de Buciaco anno 1304. in Episcopatu Parisiensi successit. Nam in veteri Regesto legitur Computus Regaliæ ipsius Simonis morte vacantis, a vigilia Sancti Johannis Baptistæ, usque ad Sabbatum ante Festum Sancti Andreæ Apostoli. Meminerunt hujus Guillelmi Chartularia Montismartyrum anno 1305. & Sancti Sacelli Regii anno 1306. Sub quo etiam Antistite Cœlestini Parisiis anno 1318. instituuntur munificentia Caroli V. Regis cognomento Sapientis, singulari quoque illorum benefactore, Jacobo Marcello cive Parisiensi. Scripsit Guillelmus Arvernus Parisiensis Episcopus, hujus nominis quartus *Opusculum de septem Ecclesiæ Sacramentis*, dispositum per modum Dialogi inter Guillelmum & Petrum, qui absque dubio est *Petrus de Bellapertica*, tunc Ecclesiæ Parisiensis Decanus, vir doctus & probus. Incaute hos Dialogos nonnulli attribuunt *Guillelmo Arverno hujus nominis tertio*, Parisiensi etiam Episcopo, de quo loquitur Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis*, tomo 1. verbo *Guillelmus Parisiensis Episcopus*. Itemque Natalis Alexander *in Selectis Historia Ecclesiastica Capitibus* tomo XX. cap. 4. art. 3. pag. 534. Spectant igitur ad Guillelmum hujus nominis quartum, Parisiensem Ep scopum *Dialogi de septem Sacramentis*, sub nomine Guillelmi Parisiensis Episcopi Lipsiæ anno 1512. impressi, & Lugduni anno 1567. apud Guillelmum Rouillium. Illorum enim Author *ex Scriptis Fratris Thomæ & Petri de Tarento seu de Tarentasia*, qui Guillelmo Parisiensi tertio posteriores sunt, sua se deflorasse profitetur. Istud opus alteri Guillelmo Parisiensi Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui ante annos trecentos scribebat, tribuit Theophilus Raynaudus in Opusculo *De bonis & malis Libris*, Erotemate X. pag. 141. Sed repugnant Libri impressi, imò Codices MSS. attribuentes *Guillelmo Arverno* Pa-

Parisiensi Episcopo, quod optime huic Guillelmo nominis quarto convenire potest. Ita habetur MS. in celebri Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Littera GGG. 12. fol. 9. Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 5686. & in Bibliotheca Sancti Germani Cod. MS. 331. Ibi male inscriptum Opus *Dialogus seu Disputatio De Sacramentis inter Gualonem & Petrum*. Incipit, *Quoniam me sæpiùs rogasti Petre &c.* Obiit Guillelmus Arvernus nominis quartus anno 1320. sepultus in Sacello Infirmario C. Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis, cujus mentionem faciunt Fratres Sammarthani tomo 1. *Gallia Christiana* p. 451. in Archiepiscopis Parisiensibus.

1310 GVILLELMVS PARISIENSIS ex Ordine Fratrum Prædicatorum, natione Gallus, & „Generalis fidei per Galliam censor anno 1305. „a Clemente V. Constitutus, anno 1308. jussu „ejusdem Pontificis causam Templariorum & „crimina una cum aliis Prædicatoribus recognovit. Istum, ut videtur, Guillelmum Authorem habent *Dialogi VII. De Sacramentis*, „Guillelmo Arverno Parisiensi falsò tributi, & „sub ejus nomine Lipsiæ 1587. editi, de quibus „paulò fusius supra egimus. Hæc Henricus „Whartonus in continuatione *Historia Literaria* Guillelmi Cavi, anno 1305. pag. 11. qui rectè & prudenter mentem suam cum formidine protulit, ex Theophilo Raynaudo *in Erotematibus* acceptam. Verum cum bona utriusque venia uterque fallitur, neque attendit, fuisse duplicem Guillelmum Arvernum Parisiensem Episcopum, unum anno 1230. clarum & anno 1249. tertio Calendas Aprilis mortuum, alterum ab anno 1304. ad annum 1320. Parisiensem Episcopum: atque ad horum ultimum spectare *Dialogos septem De Sacramentis Ecclesiæ*, institutos interdictum Guillelmum Arvernum Parisiensem Episcopum, cognominatum Baufeti; & Petrum de Bellapertica Parisiensis Ecclesiæ Decanum, huic ultimo Guillelmo intimum amicum. Non ergo Guillelmus iste Parisiensis ex Ordine Fratrum Prædicatorum est Author *Dialogorum septem De Ecclesiæ Sacramentis*, sed scripsit *Postillam quandam in Epistolas & Evangelia totius anni*, Parisiis anno 1509. & Argentorati annis 1513. & 1521. impressam, excerptam quidem illam ex diversis Authoribus seculi XIII. & XIV. ita ut Scriptorem nullum Nicolao Lyrano qui anno 1320. floruit & anno 1340. die 23. Octobris mortuus est, recentiorem excerpat: unde Guillelmus hic Parisiensis circa eadem Nicolai Lyrani tempora vixisse ac scripsisse mihi videtur, & vitam usque ad annum 1340. protendisse & ultrà. Nullus excepto Raynaudo ac Wartono locis indictis, meminit hujus Scriptoris.

1310 JOANNES FRIBVRGENSIS in Brisgoia, cognomine & natione *Teutonicus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, cui Joannes Niderus cognomentum *Rusticus* tribuit, vir fuit multæ eruditionis & doctrinæ. Scripsit autem circa annum 1310. vel 1320. *Summam Confessariorum*, Reutlingæ in Germania in folio anno 1487. apud Joannem Othmarum editam & Lugduni anno 1518. apud Joannem Kobergerum. Hæc extat MS. in celebri Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Littera PP. 9. cujus Prologus primus incipit, *Quoniam dubiorum nova quotidie difficultas emergit &c.* Secundus Prologus, *Saluti animarum & proximorum utilitati secundum Ordinis nostri professionem fraterna charitate semper proficere cupiens &c.* Incipit Liber primus. *Quoniam inter Ecclesiastica crimina, Simoniaca hæresis obtinet primum locum &c.* Ista Summa Opus distinctum est à Glossis ejusdem Joannis de Friburgo in Summam Raymundinam *De Casibus pœnitentialibus seu De pœnitentia & matrimonio*, excusam & in quatuor Libros distinctam Romæ anno 1603. in 4. apud Joannem Tallinum sub hoc titulo: *Summa de Pænitentia & Matrimonio, Raymundi de Pennafortis Ordinis fratrum Prædicatorum, cum Glossis Joannis de Friburgo ejusdem Ordinis Fratrum Prædicatorum.* Extat hæc eadem *Summa Confessariorum* Joannis Teutonici, Ordinis Fratrum Prædicatorum, MS. in Bibliotheca Parisiensi Choletana, Cod. 41. & in celebri Bibliotheca Claræ vallis, Ordinis Cisterciensis. Commentarius autem in Summam Raymundinam in antiquis MSS. Codicibus inscribitur, *Joannis Lectoris Ordinis Prædicatorum Quæstiones Casuales ex Raymundi Summa & ejus Apparatu*, qui ter MS. habetur in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum impresso pag. 243. num. 24. 25. & 26. Rectè meo quidem judicio Natalis Alexander Dominicanus in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XXI. Dissertatione 6. art. 4. pag. 803. distinguit duos Joannes Teutonicos, *unum antiquiorem & seniorem*, cujus honorificè meminit S. Antoninus tertia parte *Chronicorum* seu *Summa Historialis* titulo 23. cap. 11. § 2. quem inter Magistros Generales Ordinis Fratrum Prædicatorum, idem S. Antoninus *quartum* recenset, qui ante susceptam Dominicani Ordinis Præfecturam, Bossunensis in Hungaria Episcopus fuerat, & Episcopatu dimisso ad suscipiendum Prædicatorii Ordinis regimen anno 1241. compulsus est, qui Sanctum Thomam adolescentem è castro in quo à matre & fratribus captivus detinebatur, dimissum Parisios adduxit. Cùmque duodecim annis & dimidio, Ordinem Fratrum Prædicatorum rexisset, ex S. Antonino ad vitam migravit feliciorem, a. 1254. octodecim annis antequam S. Thomas obiisset. At alter *Joannes Teutonicus junior* iste, quem inter Scriptores Ecclesiasticos Ordinis Fratrum Prædicatorum Sanctus Antoninus enumerat, patriâ Friburgensis fuit, nec ut in Supplemento meo de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 583. dixeram, Bossinensis Episcopus extitit, sed circa annum 1310. vel 1320. floruit posterior S. Thoma Aquinate, annis circiter quinquagin-

ginta. Vnde utrumque incaute confudit Possevinus *in Apparatu Sacro*, locis infrà citandis. Iste posterior Joannes, vir multæ fuit eruditionis, qui edidit Opus inscriptum *Summam Confessorum Fratris Joannis Lectoris Ordinis Fratrum Prædicatorum*, cujus suprà mentionem fecimus. Summam autem hanc esse *Joannis hujus Teutonici junioris* constat ex Prologo, qui sic incipit, „Quoniam dubiorum nova quotidie difficultas „emergit casuum, Doctores moderni tam Theo„logi quàm Juristæ, plures casus legendo & scri„bendo determinaverunt, qui in antiquioribus „compilationibus non habentur. Ea, in quæ „priores scripta deliquerunt, à posterioribus „sunt in pluribus emendata, & perfectius decla„rata. Cum igitur quamplurimæ quæstiones „ad consilia animarum perutiles, diversorum „Doctorum per volumina sint dispersæ: ego „Frater Joannes Lector de Ordine Fratrum „Prædicatorum minimus, aliquas ex illis quas „magis utiles judicavi, in unum decrevi collige„re, ad meum & aliorum Fratrum profectum „&c. Judicat subinde, quorum authorum defloraverit libros ad hoc opus concinnandum: „Sunt autem (inquit) hæc collecta maxime de „libris horum Doctorum memorati Ordinis, vi„delicet Fratris Alberti quondam Ratisponensis „Episcopi, Fratris Thomæ de Aquino & Fratris „Petri de Tarentasia, postmodum Summi Pon„tificis Innocentii V. Magistrorum solemnium „in Theologia: item Fratris Vdalrici quondam „Lectoris Argentinensis. Item ponuntur hic „aliqua de Summa Gaufredi, & plura de Summa „Domini Ebredunensis, qui postmodum fuit „Cardinalis Ostiensis. Porrò ut recte annotat Natalis Alexander pag. 806. sub articuli citati finem, ex authoribus, quos laudat Joannes Friburgensis, qui omnes ante annum 1300. vitâ functi sunt, ipsum aliquanto post annum 1300. scripsisse est, unde recte a nobis inter annum 1310. vel 1320. constituitur. Qui plura *de utroque Joanne Teutonico* cupit, utroque Ordinis Fratrum Prædicatorum, sed altero olim Bossinensi in Hungariâ Episcopo, altero Friburgensi in Brisgoia Lectore ejusdem Ordinis: adeat qui eximie utrumque distinguit ac multis laudibus ornat, Natalem Alexandrum *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XXI. Dissertatione 6. art. 4. pag. 803. & tomo XX. cap. 4. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, art. 5. pagg. 567. & 568. Petrus Lambecius Lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. pag. 873. hîc quoque Joanni attribuit Chronicon MS. ex Ambrasiana arce ad Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem allatam his verbis. „CCLV. „volumen membranaceum in 4. quo contine„tur Anonymi cujusdam auctoris Chronicon „a creatione Mundi usque ad annum Christi „MCCLXI. cujus principium hoc est, *In nomine* „*Domini nostri Jesu Christi. In hac compilatione* „*quæ de diversis excerpta est, videlicet de Jure Cano*„*nico & Ecclesiastica historia, de Orosio, de Chronico* *Eusebii, Jeronimi & aliorum. De libro qui dicitur* „Gemma animæ, *de Opusculo quod vocatur* Ordo „Romanus: *ostenduntur legere volentibus, aliqua* „*de gestis sive statutis Romanorum Pontificum, & de* „*statu bono vel malo Imperatorum. Insuper quibus* „*qui successerint, tam in sede Apostolica, quam etiam* „*in Romana Republica. Prætereà quibus qui me*„*morati Principes contemporanei fuerint, à Beato* „*Petro Apostolo & Cæsare Augusto, usque ad annum* „*Domini MCCLXI.* Incipit opus, *Ab orbe condito* „*usque ad diluvium fuerunt duo millia annorum &c.* „De auctore hujus Chronici extat ibidem hæc „recentiori cujusdam manu exarata inscriptio: „*Nihil dubito hujus Opusculi authorem fuisse Joan*„*nem Teutonicum ex Friburgo oriundum, Episcopum* „*Bossinensem & Generalem sui Ordinis quartum.* „Hæc ille. Ego autem de eodem Chronico „ejusque Authore, aliquanto prolixius acturus „sum, quando primum commodior se obtulerit „occasio differendi de duobus augustissimæ Bi„bliothecæ Cæsareæ MSS. Codicibus membra„neis, inter MSS. Historicos Latinos XCII. „& CCCCV. utpote in quibus idem Chronicon „reperi. „Hæc Lambecius, qui hic turpiter fallitur. Hoc enim Chronicon, ad Joannem Teutonicum Seniorem, Bossinensem Episcopum & Generalem Ordinis Fratrum Prædicatorum quartum pertinere nequaquam potest, qui anno 1241. dimisso Bossinensi Episcopatu, ad præfecturam Ordinis sui vocatus, anno tandem 1254. fatis functus est. Nam Chronicon illud diserte usque ad annum MCCLXI. protenditur, quī septimus a morte dicti Joannis Teutonici Senioris extitit: unde necesse est spectet ad Joannem Teutonicum Juniorem, de quo nunc loquimur. Hæc nos ad Petrum Lambecium Lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. pag. 873. observamus. Ejusdem quoque *Joannis Teutonici Junioris* videtur *Commentarius in quatuor Libros Sententiarum* in folio membraneo, qui MS. extat inter MSS. Codices Bibliothecæ Sanctorum Joannis & Pauli Venetiis parte Sinistra, ut habet Jacobus Philippus Thomasinus, in Catalogo MSS. Bibliothecarum Venetarum Publicarum & Privatarum, quem anno 1650. Vtini in 4. edidit. Vtrumque confudit, cujus tamen multis Locis mentionem facit Antonius Possevinus, tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Joannes Bossinensis* pag. 827. ubi perperam illum attribuit Ordini Fratrum Minoritarum. Et verbo *Joannes Friburgensis* pag. 877. & verbo *Joannes Teutonicus* pag. 944. Denique verbo *Raymundus de Pennaforti*. Ejusdem meminit Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 483. pag. 272. Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum*. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis* tomo 2. Verbo *Raymundus de Pennaforti* pag. 280. Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* pag. 131. & 134. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1314. pag. 95. &

& in Appendice ad eundem annum, pag. 468. Henricus Whartonus, in Exceptione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad a. 1302. pag. 9. utrumque cum plerisque aliis confundens.

1310 PORCHETUS DE SALVATICIS, natione Italus, patria Genuensis, anno circiter 1315. floruisse creditur, qui assumpto Carthusiani Ordinis habitu, Opus contra Judæos nobile scripsit, ubi per Scripturas Testamenti Veteris & Libros Thalmudistarum atque Cabalistarum, veritatem Christianæ Religionis probat. Inscribitur *Victoria Porcheti adversus impios Judæos*, quam Augustinus Justinianus Nebiensis Episcopus edidit anno 1520. in fol. Parisiis apud Ægydium Gormontium, præmissa ad Guillelmum Parvum Trecensem Episcopum nuncupatoria Epistola. Hunc Guillelmus Cavus in suo *Cartophylace* ad annum 1512. affixerat, quem Henricus Wartonus in Continuatione *Historiæ Litterariæ* ejusdem Cavi, ad annum 1315. pag. 15. retulit. Hujus quoque meminit Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus Sacri* verbo *Porchetus de Salvaticis*.

1310 HUGO DE PRATO FLORIDO, Theologus & Concionator egregius, Ordinis Fratrum Prædicatorum, anno 1313. floruisse scribitur, quem tamen longe postea ad annum 1486. Eisengrenius rejicit. Edidit *Sermones in Epistolas & Evangelia de tempore*, impressos Parisiis anno 1542. apud Joannem Ragnium. *Sermones de Sanctis per annum*, ibidem apud eundem. *Sermones Quadragesimales*, editas Venetiis anno 1576. apud Joannem Variscum. Idem scripsit *Sermones super Symbolum Apostolorum*, *Orationem Dominicam*, *& Salutationem Angelicam*, qui MSS. asservantur Regii in Italia apud Bibliothecam Fratrum Prædicatorum. Ejusdem autem *Sermones in Orationem Dominicam* MSS. etiam in Bibliotheca celebri Sancti Germani de Pratis Parisiensibus, Cod. 563. qui in Catalogo hujus Bibliothecæ perperam attribuuntur *Serloni* Abbati Ordinis Cisterciensis. Incipiunt, *Carissimi vos scire debetis, quod inter omnia opera, quæ possunt fieri in hac vita &c.* Scriptusque Codex in Monasterio Gemeticensi anno 1470. per Fratrem Valentinum Limachon. Obiisse dicitur Hugo de Pratoflorido anno 1322. cujus mentionem faciunt Josias Simlerus in epitome *Bibliothecæ Gesneri* pag. 363. Antonius Possevinus semel atque iterum tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Hugo de Pratoflorido* pag. 771. & *Hugonius de Pratoflorido* pag. 773. Henricus Wartonus in Continuatione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1313 pag. 15.

1310 NICOLAUS BOTRONTINUS EPISCOPUS, tempore Clementis Papæ V. vixisse mihi videtur circa annum 1313. & sequentes. Cum ille comes esset itineris Henrici Septimi Imperatoris in Italiam, qui cum anno 1309. ad Imperium Occidentale electus fuisset, anno 1312. Romæ coronatus die 29. Junii, in Italia ipsa prope Senas obiit in loco qui *Bonus Conventus* dicitur anno 1313. die 24. Augusti. Hujus itineris *Diarium* ipse socius itineris Nicolaus Botrontinus Episcopus, post dicti Imperatoris mortem, Clementi Papæ V. dedicatum conscripsit, simplici quidem sed narratione admodum fideli, quod Opusculum e tenebris in lucem ex Codice MS. Latino 9920. Bibliothecæ Regiæ, protulit Stephanus Baluzius ad calcem *Veterum Actorum* col. 1147. quæ anno 1693. subjuncta sunt *Vitis Paparum Avenionensium*, quas 2. in 4. tomis procuravit Latine dictus Baluzius Parisiis apud Franciscum Muguet. Quantum liquet ex lectione, author istius Operis ultramontanus fuit, & ut opinor origine Germanus, se instituto Fratrum Prædicatorum addixit, unde Botrontinensis in Albania Episcopus factus fuit. Botrontum autem sive Buthrotum Corcyræ oppidum, uti vocatur lib. 3. Commentariorum Cæsaris *De bello Civili*, cujus celsam arcem commendat Virgilius Lib. 4. Æneidos, colonia fuit olim populi Romani, in ingressu portus Pelodis, testimonio Strabonis & Plinii Borrontinum urbem vocat. Guillelmus Apuliensis, & anonymus Chronici Barensis a Camillo Peregrino editi scripsit, *Corfo* id est Corcyram, *& Bothronto captas fuisse anno MLXXXI. à Roberto duce Apuliæ.* Bothrontum ergo Epiri sive Albaniæ est oppidum, in littore maris Jonii, Episcopale sub Archiepiscopo Naupactensi. Sinceritatem suam ipso Operis initio prodit his verbis: *Sanctissime Pater, infra scripta sunt, quæ acta sunt in Italia postquam Dominus Imperator felicis recordationis montes transivit, prout ego frater Nicolaus Dei & vestri gratia Episcopus Botontinensis possum testimonio mea conscientia meliùs recordari ad præsens.* Et ad finem hujus Opusculi quod ita ab ipso concluditur, *Pater sanctæ testimonio conscientiæ meæ, alia ad præsens nescio relatione digna, nisi quòd per salutem animæ meæ vobis dico, quod non credo quod aliquis vivat hodie inter Principes seculares, qui plus Deum diligat & Ecclesiam Romanam, & omnem probum virum, quam ipse faciebat.* Hæc ex editione Baluzii.

ARNALDUS Ordinis Fratrum Minorum, natione ut credimus Italus, atque à Confessionibus Beatæ Angelæ de Fulginio, tempore Clementis Papæ V, floruit, & scripsit *Vitam B. Angelæ de Fulignio*, quæ anno 1309. die 4. mensis Januarii mortua est. Testatur autem in Prologo se illi fuisse Synchronum & familiarem, vixque ab ea obtinere potuisse, ut ejus res gestas scripto commendaret, quas habet Joannes Bollandus Tomo I. ad diem 4. Januarii pag. 186. & sequentibus. Gesta autem illius Scripta ab Arnaldo Confessario ipsa adhuc vivente, ut testatur in Prologo 2. num. 12. pag. 187. quæ post ipsius mortem complevisse potuit, cum de illius morte cap. ultimo agat. Nullus 1310

quem

quem sciam, hujus Ordinis Minorum Scriptoris meminit.

1310 EPHRÆM POETA ET HISTORICUS initio quoque Seculi XIV. claruit, qui *Vitas Principum Constantinopolitanorum*, jambico carmine conscripsit, ut Raphael Volaterranus *in Antropologia* annotavit, qui & Opus hoc in Bibliotheca Vaticana cerni ait. Ex hoc *Chronico* Ephræmi duodenos versus, ab Leone Allatio in Libro *De Psellis* pag. 113. citari video, quem Romæ elucubravit: nec mihi dubium, quin eos versus ex Vaticano illo Codice hauserit. Hæc Gerardus Johannes Vossius Libro 2. *De Historicis Græcis* cap. 29. pag. mihi 307. editionis ultimæ.

1310 JACOBUS DE LAUSANNA, Theologus Parisiensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vir magni nominis ut illa ferebant tempora, ob declamationes ad populum, pietatis ejus magis quam solidi ingenii testes. Factus Provincialis Franciæ, tandemque juxta Possevinum *Lausanensis Episcopus*, quam tamen nunquam occupasse sedem arbitror. Quonam verò anno ille vixerit, certum omnino non est: Sixtus enim Senensis eum anno 1390. claruisse scribit, author Supplementi Chronicorum ad annum 1375. alii verò ad annum 1362. referunt. Sed illud majorem habet fidem, quod Antonius Senensis Lusitanus scribit, se vidisse in antiquis Scripturis quæ in Barcinonensi Fratrum Prædicatorum Conventu asservantur, eum Parisiis anno 1317. ad Gradum Licentiatus promotum fuisse. Hæc nos ex Antonio Possevino omnia desumpsimus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 787. verbo *Jacobus Lausanensis*. Ambigo tamen maxime, an ille unquam Lausanensis Episcopus fuerit, cujus indicium nullum in Episcopis Lausanensibus, quos Sammarthani Fratres tomo 2. *Galliæ Christianæ* referunt. Scripsit *Opus Moralitatum* in duodecim libros distinctum, quod Concionatoribus commodum, Lemovicis quæ civitas in Gallia est, olim prodiit hoc est anno 1528. à prœlo Claudii Garneri. Illud adhuc MS. in Conventu sui Ordinis (ut vocant) Insulis quæ Belgii civitas est, asservatur. Scripsit etiam *Opus Sermonum* de tempore ac de Sanctis, qui MSS. extant in Cœnobio Sanctorum Joannis & Pauli, Venetiis. Item Rhegii in Italia, in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum; denique Fusniaci in Bibliotheca Cisterciensis Instituti, in agro Laudunensi. Illi autem impressi sunt Parisiis anno 1523. sub hoc titulo: *Sermones Dominicales & Festivales per totum anni circulum, per Reverendum Patrem Fratrem Jacobum de Losanna, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professorem meritissimum declamati*, qui mandantur impressioni per quendam Patrem Professorem Ordinis Minorum Regularis observantiæ. Nec desunt Manuscripti in Galliis, nam isti *Sermones de Dominicis & de Sanctis*, MSS. in Bibliotheca Claravallis Ordinis Cisterciensis, & in Choletana Parisiensi, Codice MS. 43. Opus denique MS. extat in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Ordinis divi Benedicti, Cod. 242. *Sermones de tempore* incipiunt, *Sicut in die honestè ambulemus &c. Rom. 13. Vulgò dicitur curialitas incognita, est pudor: nimis enim emit & mesprend, qui curialitatem accipit & gratias non agit*, ne vend &c. *Sermones de Sanctis* incipiunt, *De Sancto Andrea, Christo confixus sum cruci &c.* Illi sunt simplices, vocesque Gallicas Latinis sæpe mixtas habent, quæ ad risum magis, quam ad compunctionem & gravitatem movere possunt. Latinitas sæpe barbara & impropria, ut dum beneficium seu gratiam alicui collatam, vel obsequium impensum, *curialitatem* Gallicè *courtoisie* appellet. Ejusdem Jacobi Lausanna varii *Commentarii in libros sacræ Scripturæ*, MSS. in Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Parisienses, Littera F. 19. fol. 1. *Commentarii in Genesim* incipiunt, *In principio creavit Deus cœlum & terram &c. In verba prædicta tanguntur quatuor causæ hujus Libri &c. Commentarii in Job* fol. 21. *Super Proverbia* fol. 32. *Super Ecclesiasticum* fol. 69. Item ibidem Littera F. 16. fol. 385. iidem ejusdem *Commentarii in Genesim*. fol. 425. *Super Proverbia*. fol. 457. *Super Ecclesiasten*. fol. 465. *Super Epistolas Canonicas*. fol. 457. *Super Apocalypsim*. fol. 482. *in Evangelium Joannis*. Incipit hoc ultimum opus, *Venit, ut testimonium perhiberet de Lumine, Joannis 1. Ad hoc quod testimonium sit bonum, requiritur quod sint duo testes &c.* Horum ferè omnium meminit Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 787. quem adire qui volet potest. Extant quoque, teste Ambrosio de Altamura in sua *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* ad annum 1334. pag. 112. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Fratrum Prædicatorum Conventus Barcinonensis, hæc *Jacobi de Lausanna Commentaria in Sacra Scripturæ Libros*.

Commentaria in Pentateuchum Libris quinque, quorum initium, *In principio creavit Deus cœlum & terram &c.*

In Job librum unum. Incipit *Sustinentiam Job audistis &c.*

In Proverbia librum unum. Incipit, *Aperiam in Parabolis &c.*

In Cantica Canticorum librum unum. Incipit, *Circa principium hujus Libri &c.*

In sapientiam librum unum. Incipit, *Sapientia clamat &c.*

In Ecclesiasticum librum unum. Incipit, *Iste liber dividitur &c.*

In Isaiam Prophetam librum unum, cujus initium, *Non est bonum &c.*

Ac nisi quidem Commentarii isti sermonibus nugacibus & puerilibus Jacobi de Lusanna loco citato impressis graviores, doctioresque sint: convenientius multo est ut quisquiliæ ejusmodi in Bibliothecis cum pulvere ac tineis luctentur, quàm ut prodeant in publicum, cum authoris proprii dedecore atque subsannatione. Quibus plurimi non attendentes, dum occulto-

rum opera indiscussa vel indiscretè produnt, authores ipsos insigniter traducunt, apud hodiernos posteros, oculatos & graves viros. Agunt multis *de Jacobo Lausannensi* Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus Sacri pag. 787. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1334. p. 112. & in Appendice ad eundem annum pag. 474.

1310 IOANNES DE NEAPOLI, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Italus natione, atque ratione natalium ita appellatus, floruit anno 1310. & sequentibus, ibique Theologiam Scholasticam pro more istorum temporum pluribus annis docuit. Venisse quidem scribitur Parisios, omnium Scholasticæ palestræ pugilum centrum, ubi cum diversas Philosophiæ ac Theologiæ quæstiones publicè disputasset, & solemni ritu *Sententiarum libros* subtilissimè exposuisset, inter Doctores Parisienses connumeratus est. Extabant variæ ejus *Disputationes tum Philosophica*, tum *Quodlibeta ejusdem tredecim Theologica* MSS. in Bibliotheca Sancti Dominici Neapoli, in Codicibus vetustis & characteribus lectu difficillimis, qualia sunt MSS. penè omnia hujus recentioris temporis: sed has *Quæstiones varias Philosophicas ac Theologicas num. XLII.* habemus ex his MSS. Codicibus impressas in folio Neapoli anno 1618. in ædibus Regalibus Sancti Dominici, typis Constantini Vitalis per Secundum Roncaliolum, jussu & sollicitatione F. Dominici Gravina Neapolitani, ex eodem Prædicatorum Ordine, Magistri Sacræ Theologiæ & Provincialis Ordinis in eodem Regno. Frater Antonius Episcopus Acerranus Ordinis Fratrum Minorum qui anno 1606. floruit, in *Elucidario Virginis*, citat *Quodlibetum I. quæstione 12.* Joannis de Neapoli. Et idem locus *Quodlibeti 1. quæstionis 12.* citatur à doctissimo viro Vincentio Bandello, Magistro Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum in Tractatu suo *De singulari conceptione Domini nostri Jesu Christi*, cap. 4. Allegat eandem Joan. Capreolus in 3. Sententiarum Distinct. 6. quæst. 1. & in 3. Distinctione 2. quæstione unica & Distinct. 3. quæstione unica. Joannes Nider *De religione Religiosorum* Lib. 1. cap. 2. dub. 1. Sanctus Antonius parte 1. *Summa Theologica* tit. 8. cap. 2. Joannes de Turrecremata in Tractatu *De conceptione B. Virginis*. Hujus ut Scriptoris Ecclesiastici mentionem faciunt Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum*, quæ Parisiis anno 1585. in 8. edita est apud Sebastianum Nivellium. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, verbo *Joannes de Neapoli*. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1323. pag. 105. Dominus Gravina in Libro *De Sacro Deposito* cap. 22.

1310 ALEXANDER AB ALEXANDRIA, Ordinis Fratrum Minorum, Barcinone insignia Doctoratus adeptus, ab anno circiter 1300. clarus extitit, qui ex Ministro Genuæ anno 1313. Generalis Præpositus Fratrum Minorum, Clementis V. Pontificis Maximi delectu factus est. Scripsit *in Magistrum Sententiarum*, *in Ecclesiasticum*, *in Isaiam & Tobiam*. *Postillam, quæ incipit* Annuntiabo tibi &c. *In Evangelium Johannis, & in Epistolam Pauli*. *Quæstiones Quodlibeticas*, *Tractatum de Usuris*, *in Metaphysicam*, quæ quidem cum nomine Alexandri Halensis circumferantur, nos in nostro *Apparatu ad Aristotelis Philosophiam* in Elencho Interpretum *Metaphysices*, ipsi asseruimus. *Quæstionum variarum librum*. *In libros de Anima*, *& in alios Aristotelis*. Claruit Henrico Imperatore VII. obiit anno 1314. Sepultus Romæ apud Aram Cœli. Hæc verbotenus Antonius ille Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri*, cui addimus, in Bibliotheca Cardinalis Bessarionis Veneta, pluteo X. ubi MSS. Codices authorum qui in Sententias Magistri Lombardi commentati sunt, extare *Fratris Alexandri de Alexandria in 1. Sententiarum*, membrana in folio: ut habet Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. Venetarum, tam Publicarum quàm Privatarum, quem Utini an. 1650. in 4. edidit. Item inter MSS. Codd. Bibliothecæ Sancti Antonii Patavinæ, inter eos qui Scripturam sacram commentariis illustrantes, Manuscripti extant, legitur *Commentarius Alexandri ab Alexandria in Evangelium Ioannis*. Item *Alexandri de Alexandria Generalis Ordinis Minorum postilla in Epistolam ad Romanos*, ut habet idem Thomasinus loco citato. Hæc ad Possevinum addita. Asteanus Astensis qui *Summam* anno 1317. conscripsit, inter eos Scriptores Ordinis Minorum ex quibus Summam suam collegisse se asserit, *Alexandrum de Alexandria* ultimo loco enumerat, quippe recenter mortuum, & quem olim intime noverat. Ejusdem meminit Lucas Waddingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum*, verbo *Alexander de Alexandria*.

PETRUS, EPISCOPUS LODOVENSIS 1310
QUINTUS nominis, hac etiam ætate vixit, cui *Chronicon De gestis Simonis Comitis Montisfortis* attribuitur a Guilielmo Catello *Historia Comitum Tolosæ* lib. 2. cap. 3. Hujus hæc inscriptio est *Præclara Francorum facinora &c. præsertim à Simone Montisfortis Comite gesta &c.* Chronicon illud ab anno 1202. usque ad annum 1311. ut in titulo, ac usque ad annum 1312. ut in opere ipso, quo anno 1312. vel 1313. Petrus Episcopus præfatus obiit. Quod si fuerit, utique author nec anonymus, sicut hucusque creditum est, nec incertæ est ætatis. Illo certe tempore vixisse, hæc ejus verba ad annum 1307. produnt: *res mira, res magna nostris temporibus accidit.* Joannes Fornerius perperam putabat olim, auctorem hujus operis esse *Guilielmum de Podio Laurentii*, qui certe hac ætate aliquanto antiquior est. Prodiit in lucem Opus præfatum typis antiquis, nec nomine typographi

ex-

expresso, sed vitiose & mendose, estque melior editio quam procuravit Guilielmus Catellus *in Historia Comitum Tolosæ* edita ibidem anno 1623. in folio. Ejusdem mentionem facit Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* sub finem Libri pag. 733. & Christophorus Sandius *in Annotationibus* ad Libros Vossii *Historicos Latinos* pag. 269. ubi *Petrum V. Lodovensem Episcopum* Operis anonymi Scriptorem nominat. Vincentius Placcius Hamburgi Professor Theologus in Opere posthumo *De Scriptoribus Anonymis*, quod operis quintum est, p. 281. col. 1. n. 1108.

1310 NICOLAVS DE AQVÆVILLA natione Gallus, patriâ Lugdunensis, Ordinem Fratrum Minorum junior ingressus, anno 1317. inter eximios sui Ordinis viros in prædicatione excelluit, de quo plura rescire concessum mihi non fuit. Ejus conciones non in Galliam solum, sed in Angliam etiam penetrarunt. Extant inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Cod 2760. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super O. 1. Art. Codice 3. num. 1. Nicolai de Aquævilla Sermones Dominicales super Evangelia. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 60. in MSS. Codicibus Collegii Vniversitatis litera D. Codice 7. num. 1. Nicolai de Aquævilla, aliàs Lugdunensis Sermones. Ibidem Codice 1334. in MSS. Codicibus Collegii Lincolniensis in Archivis ex parte Australi Codice 14. Sermones Nicolai de Aquævilla. In fine ita scribitur, *Expliciunt Sermones de Temporali per totum annum, secundum Nicolaum de Aquavilla, alias Lugdunensem.* Ibidem Codice 1623. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 156. *Sermones Dominicales Lugdunensis, alias Aquavilla, Anglicè* Watertow in 4. memb. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codice 2025. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 97. *Nicolai de Aquavilla Sermones super Evangelia. Fuit is de Ordine Minorum Mendicantium.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum, Codice 940. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Codice 14. *Nicolai de Aquavilla Sermones de tempore, collecti ex Patribus.* Ibidem Codice 1638. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Herefordensis Codice 46. *Sermones tres Nicolai de Aquavilla 4.* Ibidem Codice 6905. in MSS. Codicibus Henrici Worsley Codice 57. *Nicolai de Aquavilla Ordinis Fratrum Minorum Sermones pro diebus Dominicis & Festivis per totum annum. Quædam desiderantur in fine.* Ibidem Codice 9972. in MSS. Codicibus Simonis D'Ewes Baronetti Codice 112. *Homilia Nicolai de Aquavilla.* Hujus mentionem faciunt Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Nicolaus de Aquavilla.* Carolus Dufrenius du Cange *in Catalogo Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. CLII. cum aliis.

JOANNES VITALIS A FVRNO, CARDINALIS EPISCOPVS ALBANENSIS, natione Vasco sive Aquitanus, patriâ Vasatensis, junior Ordinem Fratrum Minorum ingressus est, in quo cum ingenio ac disputandi acumine excelleret, Sacræ Theologiæ Professor institutus primum est, qui & posteà Aquitaniæ provincialis factus est. Eisengrenius scribit, eum anno 1310. vixisse, Nicolaus Bertrandus anno 1310. claruisse, & rectè cum anno 1312. ob eminentem scientiæ famam ubique sparsam, Cardinalis Sanctorum Sylvestri & Martini à Clemente V. renuntiatus fuerit. Ediderat scientiæ suæ specimen quoddam anteà, anno nimirum 1305. quo ab ipso authore elucubratum est *Speculum Morale totius Sacræ Scripturæ*, in quo universa fere loca Veteris & Novi Testamenti mystice explanantur, impressum Lugduni anno 1513. apud Joannem Moulin. Venetiis anno 1594. apud Floravantem Pratum, denique ibidem anno 1600. apud Minimam societatem. Sub Joanne XXII. Michaelis Cæsenatis, aliorumque ejus sequacium Fratrum Spiritualium Scripto impugnavit, Sententiam de paupertate Christi & Apostolorum: quo labore imprimis meruit, ut Episcopus Cardinalis Albanensis à Pontifice crearetur, inquit Henricus Whartonus in exceptione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1312. pag. 14. Scripsit & *Commentaria in Proverbia Salomonis, Expositionem in quatuor Evangelia, Postillam in Apocalypsim* incipientem, *Spiritu magno vidi ultima &c.* qui extabat MS. Bononiæ in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum: atque istæc Opera omnia Venetiis studio Cardinalis Savuani impressa in folio dicuntur, quæ non vidi. Ejusdem *Joannis Vitalis Ordinis Fratrum Minorum Sermo de conceptione B. & gloriosæ Virginis Dei genitricis*, MS. in Bibliotheca Colbertina Codice 3971. Incipit, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te &c. Magistri mei reverendi & fratres carissimi, ut gratia almi Spiritus &c.* Juxta Labbeum *in Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*, obiit Avenione anno 1327. die 26. Augusti apud Fratres Minoritas sepultus. De illo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, verbo *Joannes Vitalis à Furno* pag. 953. & tomo 2. verbo *Vitalis è Furno* pag. 532. Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 330. ubi pluribus de eo disserit. Ferdinandus Vghellus tomo 1. *Italia sacra* in Episcopis Cardinalibus Albanensibus.

PHILIPPVS EISTETENSIS IN GERMANIA EPISCOPVS, natione Germanus, patriâ Alsatus à Rodsamshausen, Doctor Parisiensis in Theologia, tum etiam Abbas posteà Parisiensis in Diœcesi Basileensi Ordinis Cisterciensis, denique inde tandem ereptus, & ob virtutis meritum doctrinæque famam Episcopus Eistetensis XXXIX. factus, quo honore à Papa Clemente V. anno 1301. ornatus fuit, dum Romam ab Alberto Austriaco Imperatore miss- 1310

sus foret, ut author est Bruschius in Catalogo Episcoporum Eistetensium. Ut nunc quoque in memoriam hominum veniat, hoc consequutus est, scribendo *Vitam S. Walpurgis Virginis, Abbatissæ Heidenheimensis*, quam tomo IV. *Antiquæ Lectionis* pag. 560. Henricus Canisius exhibet, à Philippo rogatu Annæ Hungariæ Reginæ, Alberti Romanorum Regis Filiæ compositam. Ex hoc Philippi Commentario, alius postea anonymus Epitomen quandam concinnavit, quam Ingolstadii in lucem prodire voluit Petrus Stevartius Leodiensis anno 1616. quod compendium jussu sanctimonialium sanctæ Walpurgis anonymus iste fecerat, quæ & ob Latini Sermonis indoctas, hoc Opus Germanicâ Linguâ conscribi mandaverant, ut ex præfatione liquet, quam ipso Operi præmiserunt. Hæc translatio Germanica ab eodem Stevarto apud Episcopum Philadelphiæ & Eistatensem Proepiscopum extare dicitur. Scripsit etiam *Commentarium de Ecclesia Eystetensis Divis tutelaribus, SS. Richardo, Willibaldo, Wunebaldo atque Walpurga*, quod opus ut & vitam S. Walpurgæ prædictam, cum libris 2. observationum suarum & Catalogo Episcoporum Eystetensium à se adornato, in lucem emisit Jacobus Gretserus Ingolstadii 1617. in 4. Recensent *Philippum Eistetensem* Carolus Wischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. pag. 508. ultimæ editionis. Joannes Bollandus tomo 3. mensis Februarii pag. 553. ubi de Vita S. Walpurgis Virginis.

1310 MARINUS SANUTUS COGNOMENTO TORSELLUS, Patricius Venetus, Marci Sanuti seu Sanudo filius, à prima ætate ardore incredibili invisendæ Palæstinæ seu Terræ sanctæ occupatus, cujus causâ desiderii quinquies in Orientem profectus est, variis occasione oblata temporibus. Ipse etiam in Flandriam, Holsatiam, Slaviam & alias Orbis partes excurrit, Principes hortaturus ad expeditiones in Orientem sacras: qui Pontificem Maximum, Regem Franciæ, Hannoniæ Comitem coram alloquutus est, multosque alios Principes Episcopis compellavit, ut res Christianas in Oriente promoverent. Hanc ob rem reliquit Opus quod inscripsit *Secreta fidelium Crucis*, constans tribus libris, quorum tertius est Historicus, qui exponit Res Syriæ & Ægypti atque imprimis Terræ sanctæ. Hoc volumen inchoavit Marinus anno 1306. absolutum autem Joanni Papæ XXII. anno M CCC XXI. obtulit. Imò & obtulit illud idem Regibus Franciæ, Angliæ, Siciliæ, ad hæc compluribus Cardinalibus & Ecclesiarum Antistitibus, variis denique Principibus & Baronibus, quemadmodum ex ejus Epistolis constat. Hoc autem eductum ex duobus Pauli Petavii Parisiensis Codicibus MSS. atque ex tertio Josephi Scaligeri, sed qui tertium duntaxat librum contineret, prodiit in lucem Hanoviæ primum anno 1611. Wechelianis typis, atque alterum volumen *Orientalis Historiæ* constituit. Evasit itaque seculis superventuris clarissimus Marinus Sanutus per hos tres Libros *De fidelibus Crucesignatis super Terra sancta recuperatione & conservatione, cum ejusdem Terræ descriptione Geographica:* quorum *primo* Saracenos debellandi & in ordinem redigendi media proponit: *secundo* ordinem quem Christiani Duces in sacro bello gerendo observare debeant, describit: *tertio* denique modum conservandi & tenendi Terram Sanctam semel recuperatam exhibet, cujus Historiam à primis incolis ad sua usque tempora deducit, addita Chronographica ejus ac locorum vicinorum descriptione, Mappis aliquot seu Tabulis Geographicis illustrata. Sed quod scribenti Sanuto facillimum visum est speculativè occupandi & conservandi Palæstinam & alia contermina loca à nobis intercapedine locorum remotissima, hoc prudentibus hujus seculi viris, qui vana garrulitate non ducuntur, impossibile apparuit, magnarum expensarum, nullius utilitatis, aliudque nihil quàm corporum & animarum perditionem producens. Idem scripsit *Epistolas plures ad diversos*, in his ad Joannem Romanum Pontificem XXII. Andronicum Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum, Joannem Brabantiæ Ducem, ad varios Cardinales, aliosque Antistites. Impressum ut jam diximus Opus *Sanuti* cum Epistolis in Collectione *Gestorum Dei per Francos* à Jacobo Bongarsio edita Hanoviæ in fol. anno 1611. Wechelianis typis. De illo Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 358. pag. 249. ubi pluribus de eo loquitur. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 9. pag. 797. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1312. p. 13. ubi Marinum Sanutum post annum 1329. mortuum dicit.

FRANCISCUS DE MAYRONIS SEU MAYRONIUS, natione Gallus, Dignæ in 1310
Provincia oriundus, licet Bellarminus & Thom. Dempsterus Scotum affirment, *Doctor illuminatus* à Franciscanis nominatus, ab a. circiter 1310. claruit, Roberto postmodum Regi Siciliæ, S. Ludovici Episcopi Tolosani germano fratri apprimè charus, cujus intercessione Joannes Papa XXII. anno 1323. Cancellario Parisiensis Universitatis scripsit, ut ei jam ab aliquot annis sacræ Theologiæ Baccalaureo, magistralem docendi in Theologia licentiam conferret. Scripsit multa, de quibus Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Lucas Wadingus his longè plenius *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 124. Nempe *Commentarios in Genesim* MSS. in Bibliotheca Fratrum Minorum Conventus Leodiensis teste Wadingo, qui incipiunt, *Quia secundum vulgatissimum &c.* Idem Fran-

Franciscus de Mayronis scripsit *in quatuor libros sententiarum Commentaria. Tractatum De formalitatibus. Quodlibeta varia. De primo Principio. De expositione divinorum nominum. De univocatione entis:* quæ omnia Venetiis edita sunt anno 1526. expensis hæredum Octaviani Scoti. Ejusdem *formalitates de principio complexo, & de terminis Theologicis, & de universalitate entis*, cum annotationibus Hieronymi de Nuciarellis, impressæ Venetiis anno 1517. Itemque *super Universalia & Prædicamenta Aristotelis & in octo libros Physicorum Aristotelis*, ibidem. Ejusdem *Sermones Quadragesimales. Sermones De Festis Sanctorum. De paupertate Christi & Apostolorum. De Virtutibus & Vitiis Capitalibus. De Articulis fidei. De Baptismo. De Humilitate. De indulgentiis. De corpore Christi. De Angelis. De suffragiis defunctorum. De pœnitentia. De jejunio. De ultimo judicio. De septem donis Spiritus Sancti, Super* Pater noster & Magnificat, seu *super Orationem Dominicam & Canticum Beatæ Virginis:* hæc inquam omnia Opera simul edita sunt in folio Basileæ anno 1498. apud Jacobum Pfortzen. Ex quibus *Sermones Quadragesimales* anteà jam editi fuerant Venetiis anno 1491. apud Bernardinum Novariensem. Item *Sermones de Sanctis* Venetiis anno 1493. apud Peregrinum Paschalium, denique Basileæ anno 1598. annis centum post primam illorum editionem. Ejusdem *Explicatio de decem præceptis*, prodiit Parisiis anno 1619. apud Joannem Frelonium. Ejusdem Francisci Mayronis *Theologicæ veritates in S. Augustinum de Civitate Dei*, extant cum Commentariis Thomæ Anglici in eundem impressæ Tolosæ anno 1488. & Venetiis anno 1489. Hæc de Operibus impressis, jam ad MSS. Codices veniamus.

Opusculum *De virtutibus & vitiis Capitalibus Francisci Mayronii*, quod incipit, *Circa multiplices mansiones* &c. habuit Romæ Lucas Wadingus in secretiori sua Bibliotheca, ut ipse testatur.

Composuit insuper Opus inscriptum *Conflatile seu Conflatum*, id est *Varias Quæstiones de distinctionibus, relationibus, signis naturæ, & formalitatibus.* Item *Mille quingentas quæstiones De variis locis sacræ Scripturæ & dubiis Theologicis*, quæ incipiunt, *Utrum Christus secundum humanam naturam* &c. item *Interrogationes secundum varias difficilesque materias*, quæ incipiunt, *Licet multi probatissimi viri* &c. quod utrumque opus apud se MS. habuit in uno volumine Lucas Wadingus, quod Franciscus Ferrariensis in patria sua exscripsit anno 1456. Extat autem istud *Conflatum seu Conflatile* Oxonii MS. in Bibliotheca Mertonensi Codice 38. Lincolniensi Codd. 36. 37. 30. Magdalensi Cod. 154. Balliolensi Cod. 61. Orialensi Cod. 27. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 62. & in archivis Collegii Caji Codd. 3. & 94. Domus sancti Petri Cod. 170. & in privata Bibliotheca Gualteri Copi Cod. 72.

Scripsisse etiam dicitur, *Compendium librorum sancti Augustini de Civitate Dei. Commentaria brevia in libros Confessionum ejusdem sancti Doctoris. In libros De mirabilibus sacræ Scripturæ. In libros Retractationum. In libros diversarum quæstionum veteris & novi Testamenti sub nomine ejusdem divi Augustini. In librum contra Epistolam novi fundamenti, & in alios nonnullos. Itemque Commentarios in aliquot libros divi Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi:* quos ut scriberet, rogavit supradictus Rex Siciliæ. Ex quibus omnibus in Bibliotheca Gallarum Regia Codice 3766. extant MSS. *Libri omnes divi Augustini de Civitate Dei in compendium contracti* fol. 362. cum eorundem tabula. *Flores in eosdem Augustini libros* fol. 381. quorum omnium author ita se in fine indicat: Expliciunt *Conclusiones sive Commentarius Magistri Francisci de Maironis, in omnes Libros de Civitate Dei.* Opus scriptum anno 1449.

Plurima scripsit Opuscula Franciscus Maironius, sed pro ratione temporum accurata parum, ex impetu præcipiti, nec satis, quod scriberet, elimante & attendente: unde vix quicquam cultum perfectumque ex Maironio expectare aliquis potest. Ne tamen huic scriptori videar utcunque durior & infensus, subjiciam hic MSS. Codices multorum Mayronii Operum, præsertim ex Ecloga Oxonio Cantabrigiensi Thomæ Jamesii.

Commentaria in 4. libros Sententiarum MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 60. Mertonensi Cod. 37. *Super 3. & 4. Sententiarum* Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana Cod. 100. *In 4. Sententiarum*, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 45. & Domus sancti Petri Cod. 65.

De Indulgentiis Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 232. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 47. Divi Benedicti Cod. 250. & in archivis Collegii Caii Cod. 40. & in privata Gualteri Copi Cod. 72.

De Dominio Civili Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 47. Sancti Benedicti Codicibus 100. & 391.

De principatu temporali, Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancti Benedicti, Cod. 391.

De conceptu Virginali, Cantabrigiæ in eadem S. Benedicti Bibliotheca, Cod. 391.

Quæstiones & Sermones ejusdem, Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 39.

Cum autem anno 1686. impressus sit Catalogus MSS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis Academiæ, quem in 16. edidit Joachimus Fellerus Academiæ Bibliothecarius Lipsiæ sumptibus Johannis Friderici Gleditsch, multique sint MSS. Codices Francisci Mayronis: hic eos subjicere visum est, notata pagina Catalogi impressi, ubi allegantur.

Francisci Mayronis Tractatus De perfectione Christi in vita sua & Apostolorum ejus. Item *Sermo ejusdem de Laudibus Deiparæ Virginis*, pag. 74.

Sermones Francisci Mayronis, ibidem in fol. pag. 152.

Francisci Mayron super Missus est. Expositio in Pater

Pater noster. *Sermones varii* &c. ibidem pagina 190.

Francisci Mayronis flores ex libris divi Augustini de Civitate Dei collecti. Flores ex ejusdem libris super Genesim.

Item *ex Mirabilibus sacræ Scripturæ*, ibidem pag. 202. cum Tractatu *De vitiis se occultantibus sub ficta specie virtutum*, quem an illius sit ambigo. Nec dubium, quin etiam Parisiis multa Opuscula hujus scripturientis hominis inveniantur, in Bibliothecis Colbertina, & Victorina, quæ Latinis abundant Manuscriptis, sed illa colligere per otium non licuit. Obiit Franciscus Mayronis anno 1325. Placentiæ, cui hoc epitaphium etsi rude apponi curavit Franciscus Samson Minister Generalis fratrum Minorum.

> Conditur, obscuro lumen, res pulchra, sepulchro,
> Doctrinæ hic sacræ gloria, luxque jacet.
> Dogmata flete, quibus Francisci de Mayronis,
> Extremam constat imposuisse manum.
> Vos quibus arma dedit cælestia, flete Minores:
> En cecidit vestri, firma columna chori.
> Qui quanto excellit fulgentia Sydera Phœbus,
> Tanto alios superat lumine: Doctor ave.

Hæc nos ferme verbotenus ex Luca Wadingo in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 123. & seq. qui plurima sua ab Antonio Possevino in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 586. exscripsit.

1320 VBERTINVS DE CASALI, ex Ordine fratrum Minorum, vir pius & doctus, acerrimus paupertatis Franciscanæ & regularis disciplinæ propugnator, plurimos in partibus Vallis Spoletanæ, Marchiæ & Tusciæ ad eandem retinendam & restituendam tam vitæ suæ exemplo, quam multiplici exhortatione incendit. Hic in primo Prologo *Arboris Vitæ Crucifixi*, quam anno 1305. contexuit, ait se anno citato quo opus istud complevit, trigesimum secundum in sodalitio Minorum transegisse: ex quo conficitur, ingressum illum anno 1273. in Ordinem sancti Francisci sub sancti Bonaventuræ Generalatu, eo ipso anno, quo Cardinalis factus est. Natus autem anno 1259. cum in principio Prologi, se anno ætatis suæ quartodecimo Minoribus nomen dedisse asserat. Additus ergo studiis Philosophicis circa annum 1274. vel sequentem, exercitiis spiritualibus magno conatu se applicuit, in quibus confirmatus est in provincia Tusciæ, ubi familiares habuit Petrum de Senis Pectinarium, & Petrum Joannem Olivi, & Cæciliam de Florentia Virginem devotam. Missus deinde Lutetiam Parisiorum, ibidem legit & docuit per novem annos, sed ita laxatis habenis & dimissis spiritualibus exercitiis, ut ei per somnium Christus appareret, ad perfectiorem vitam revocaturus. Regressum in Italiam adjuvit non parum in spirituali profectu sanctissima fœmina Angela de Fulgineo, quam ætatis suæ 25. anno invisit, & illo quoque, quo supradictum Opus scribebat, ab eademque multa spiritualia documenta accepit. Anno 1305. trium mensium & septem dierum spatio in monte Alverniæ scripsit devotum & prolixum, aliquanto tamen pro illius temporis ratione indigestum, & minime ad incudem reductum Opus, quod *Arborem vitæ Crucifixi* inscripsit: in quo *aliqua tamen legenda* tacito authoris nomine, monet Joannes Gerson in Opusculo *De susceptione humanitatis Christi*: sed expresso nomine in alio tractatu, *De cautè legendis quorundam libris*. Scripsit hoc Opus anno ætatis suæ 46. juxta supputationem factam, dum matura ætate ac vegeto corpore gauderet, typis excusum Venetiis anno 1485. in 4. characteribus Gothicis. Extat hoc Opus MS. in bibliotheca Academiæ Vltrajectensis, multis tomis, nempe *Arboris vitæ crucifixæ Jesu* liber primus & secundus N. 257. h. Ejusdem liber tertius N 259. a. cujus in fine legitur *Vbertini liber tertius*. Ejusdem liber quartus & quintus N. 255 t. Item liber quintus *de salvatoris miraculis*, sextus *de parabolis*, septimus *de similitudinibus a Salvatore expositis & assumptis* N. 259. L. liber octavus & decimus quintus *de gestis Salvatoris* N. 259. S. liber undecimus & duodecimus *de disceptationibus & sermonibus Salvatoris* N. 246. aa. Idem scripsit aliud Opus *De septem statibus Ecclesiæ*, Venetiis anno 1516. in 4. impressum. Animose ac pro viribus omnibus Vbertinus de Casali Franciscanam paupertatem amplexus, *Spiritualibus* se ducem adjunxit, Christum & Apostolos nihil nec proprium nec in communi habuisse contendentibus, contra fraterculos *De communitate* dictos, qui nihil quidem ipsos proprium, aliquid tamen in communi possedisse Christum & Apostolos affirmabant. Cum autem anno 1312. Joannem Papam XXII. adversarium sortitus Vbertinus, causa cecidisset: zelo simul & indignatione commotus, ut sibi cum suis perfectiori modo separatim vivere liceret, veniam postulat. Passus repulsam, multisque eam ob rem ab adversariis numero potioribus divexatus, anno 1317. Minoritis Laxioris vitæ relictis, licentiam Benedictinos Monachos adeundi, eorumque institutum sectandi petiit & obtinuit: assignato sibi in quod secederet Gemblacensi S. Petri in Brabantia Monasterio. Extat *Responsio Vbertini circa quæstionem de Paupertate Christi & Apostolorum*, coram Joanne XXII. anno 1321. apud Avenionem in Consistorio facta, apud Wadingum in *Annalibus Minorum* tomo III. ad ann. 1321. contractior, sed integrior una cum *Articulis* a fratre Bonagratia adversus eum adductis, tomo 1. *Miscellaneorum* Stephani Baluzii pagg. 293. & 307. Tandem vero ad asperiora semper aspirans Vbertinus, vel animi levitate ductus, relictis Benedictinis ad Carthusianos secessisse dicitur, cujus annus mortis

mortis incertus est. Hujus mentionem faciunt plurimam Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 329. Et in *Annalibus ejusdem Ordinis* tomo 2. ad annum 1299. num. 4. ac tomo 3. ad annum 1321. quem excusare contra adversarios nititur. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* verbo *Vbertinus de Casali.* Catalogus librorum Bibliothecæ Academiæ Vltrajectinæ anno 1670. in folio impressis Vltrajecti, parte 1. pag. 99. in MSS. Codicibus.

1320 JOANNES XXII. ROMANUS PONTIFEX, juxta communem supputationem, ante electionem, Jacobus de Ossa seu de Eusa Caturcensis dictus, Arnodi de Eusa nobilis viri, non uti vulgo scribitur, sutoris veteramentarii filius; corpore parvus, sed virtute ac scientia eximius, post biennii interregnum, ex Archiepiscopo Avenionensi, mox Cardinalis Episcopus Portuensis, deinde Romanus Pontifex Lugduni creatus, ac ibidem in Cathedrali Ecclesia coronatus est, septimo Idus Augusti anno Domini 1316. Regnante Ludovico IV. Avenionem profectus, octo Cardinales mense Decembri ordinavit. Ludovicum Caroli II. Regis Neapolitani filium, Episcopum Tolosanum anno 1317. inter sanctos retulit, Tolosamque Metropolitanam fecit. Episcopatum Lemovicensem & Abbatiam S. Pontii, Archiepiscopatui Narbonensi attribuit. Novas dignitates, novaque Collegia in Ecclesiis instituit, Ordinem Grandimontensem reformavit &c. Extat in secretioribus Bibliothecæ Vaticanæ & Barbarinæ, *Regestum Epistolarum plurimarum Joannis Papæ XXII.* MS. ex quo plurimas ac potissimas istorum voluminum eduxit, quas suis loco suo inseruit Annalibus Odolricus Raynaldus, in ea continuatione quam fecit pluribus tomis, Annalium Cæsaris Baronii. Allegat etiam interdum tempore Pontificatus ejusdem Joannis XXII. istas Regesti insigniores Epistolas, quas etiam olim Romæ habuit Henricus Spondanus Apamiensis Episcopus, in sua etiam continuatione Annalium ejusdem Baronii. Extabant anno 1650. in Bibliotheca Henrici Suares nobilis Avenionensis num. 40. *Compilationis Epistolarum Summorum Pontificum Joannis XXII. Clementis VI. & Innocentii VI.* tribus voluminibus in folio. Quonam illæ abierint ab hoc tempore, ego jam nescio, quærant alii. Harum Joannis XXII. Epistolarum argumenta & initia habentur *Conciliorum* tomo XI. col. 1643. Integræ autem nonnullæ a multis productæ sunt, nimirum *Epistola VI.* Conciliorum tomn XI. col. 1629. *Epistola alia LXIII.* apud Abrahamum Bzovium in *Annalibus* ad annum 1317. *Epistola alia LXXV.* apud Lucam Wadingum in Annalibus Minorum ad annum 1317. *Alia* denique *Epistola CCXCVI.* apud eundem tomo III. in *Regesto Pontificum* pag. 52. Edidit *Constitutiones XX.* quas *Extravagantes* vocant, quarum unica illa, quæ incipit *Ad Conditorem* contra Nicolai IV, aliorumque prædecessorum suorum sententiam in materia ad fidem non pertinente, positive definivit. Lactantii, Irenæi, aliorumque Patrum Orthodoxorum authoritate fretus, erroneam aliquando sententiam de animabus certo loco ante diem Judicii detentis, ille sustinuit: sed cum illam decreto Parisiensis facultatis improbatam intelligeret quæstionem, illam nihilominus authoritate Pontificia interposita definire statuerat: verum morte præventus, inquit successor ejus Benedictus, istud perficere nequivit. Definivisse tamen quæstionem hanc videtur, quidquid in contrarium dicat successor Benedictus: cum *Retractatio quæstionis, num animæ Sanctorum non fruantur visione Dei ante Judicium ultimum,* extat apud Joannem Villanum *Hist. Florent.* Lib. 2. cap. 19. teste Ludovico Jacob a Carolo Lib. 1. *Bibliotheca Pontificia* pag. 139. Ejusdem *Acta Inquisitionis adversus Petrum de Palude, & Epistola unica,* qua fratri Michaeli Minoritæ committit causam quorundam Minoritarum male de fide sentientium: quæ apud Stephanum Baluzium tomo 1. *Miscellaneorum* pag. 165. anno 1323. Thomam de Aquino Ordinis fratrum Prædicatorum albo Sanctorum adscripsit, ex invidia magis atque odio erga fratres Minores, quam ex persvasione sanctitatis dicti Thomæ Aquinatis, cujus huc usque nullus Acta conscripserat. Arsit autem potissimum ira in fratrem Michaelem Cæsenatem Ministrum Generalem hujus Ordinis, quod ipse sententiæ hujus Pontificis acquiescere noluisset: unde in Codice MS. Colbertino 506. extat *Apostilla Domini Papæ Joannis XXII contra Michaelem de Cesena,* incipiens ab his verbis: *Quia vir certus Michael de Cesena, dudum Minister Generalis Ordinis fratrum Minorum* &c. item *Epistola Domini Joannis Papæ XXII. contra Michaelem quondam Ministrum Ordinis fratrum Minorum,* incipiens, *Joannes Episcopus servus servorum Dei* &c. quæ prolixissima sane est, multisque contra dictum Michaelem ardet. Constitutiones autem istæ Joannes XXII. nec ab ipso Joanne, nec ab ullo alio Pontifice, vulgatæ aut probatæ sunt, sed anno circiter 1340. privata authoritate collectæ, quæ Lugduni cum Glossis anno 1584. in folio impressæ sunt. Ejusdem *Sermones II. in illud,* Mementote operum patrum vestrorum, quæ fecerunt in generationibus suis &c. MSS. in Bibliotheca publica Cantabrigiæ, Cod. 179. num. 1. & 2. Codicem hunc uti valde singularem huc referre non gravabor, prout habetur in Catalogo MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ, qui annis 1698. & 1696. Oxoniæ 2. in folio voll. impressus extat. Ibi tomo 1. pag. 170. inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis 2359. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Codice 179.

Num. 1. Sermo Joannis Papæ XXII. factus an. Domini 1331.

Num. 2. Sermo ejusdem in tertia Dominica Vtraque concio in illud, *Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis.*

Num.

Num. 3. Responsiones Magistri Armandi, Magistri sacri Palatii, de Ordine Prædicatorum, ad 19. articulos ex parte Beatitudinis Apostolicæ missos Armando Rectori sacri Palatii.

Num. 4. Litera Vniversitatis Parisiensis, qua ostenditur approbatio dictorum sancti Thomæ, data Avenione 23. mensis Decembris Anno Dominicæ Nativitatis 1333.

Num. 5. Epistolæ fratris Thomæ Walleys de instantibus & momentis.

Num. 6. Sermo ejusdem. In fine illius sermonis leguntur hæc verba. Ego frater Thomas Walleys Anglicus prædicari publice coram multis, & in meam excusationem dico sic. Aut opinio, quæ dicit, animas Sanctorum ante resurrectionem non videre Deum facialiter, est error manifestus, periculosus & scandalosus, utpote de ejus prædicatione jam tota quasi Ecclesia Dei scandalizatur, aut non. Si sic, videtur quod debeam excusari, quia, urgente me conscientia, talia prædicavi: Si autem non, paratus sum omnem pœnam subire, a quocunque Judice imponendam.

Num. 7. Contra fratrem Tho. Walleys actum quoddam.

8. Aliud contra eundem.

9. Confessio dicti Thomæ coram Inquisitoribus.

10. Articuli hæreticales dicti Thomæ in libello suo de momentis.

11. Responsio ejusdem Thomæ ad articulos sibi objectos.

12. Epistola Magistri Jo. Lotterell, Anglici Doctoris de visione faciali.

13. De 7. quæ opponebantur Domino Papæ & de responsione illius.

14. Epistola Magistri Armandi de Dominica visione.

Videas postea etiam alios, qui cum Joanne XXII. Papa contentiones & inimicitias exercuerunt, Michaelem Cæsenatem Italum, Ministrum Generalem Ordinis Minorum, ad annum 1320. Armandum de Bellovisu Gallum, Ordinis fratrum Prædicatorum, Palatii Apostolici Magistrum, ad annum 1330. Guillelmum Ockam natione Anglum, ex Ordine fratrum Minorum, ejus adversarium, ibidem. Thomam Wallensem seu Walleys, ubi hic idem Codex MS. refertur, ad quem etiam pertinere potest. Nicolaum Minoritam, infra ad annum 1340. qui copiose eodem de argumento in Historia sua scripsit. Sunt quoque varia Joannis Papæ XXII. Opuscula in Anglicis bibliothecis, ut constat ex Catalogis MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ, 2. in folio voll. Oxoniæ anno 1646 & 1698. impressis. Nimirum in Bodleiana bibliotheca Codice 3610. in MSS. Codicibus illustris Baronis Cameronii in Hyperoo Bodleiano, Codice 144. num. 2. *Officium Commemorationum B. Mariæ Virginis, a Joanne 22. concessum* an. 1331. Num. 3. *Officium breve quotidianis diebus compilatum in Venerationе dulcis Domini Jesu & Nominis ejus.* Extat illud ultimum in Breviariis Romano & fratrum Minorum, unde acceptum ab annis 120. vel circiter narrant Præmonstratenses, Jesuitæ, Patres Oratorii Romani & Gallici, cum aliis. Ejusdem *Bulla Sabbatina in gratiam* fratrum de Monte Carmelo, qua Sabbatis singulis purgatorium aperitur, de qua vide Joannis Launoji Parisiensis Theologi Opusculum *De Simonis Stockii viso, de Sabbatinæ bullæ privilegio, de Scapularis Carmelitarum sodalitate*, editum Parisiis 1662. in 8. apud Edmundum Martinum. Magnam igitur nominis famam Joannes 22. post mortem habuit ob devotionum & opinionum singularitatem, quæ authoritatem Pontificis Romani irridendam posteris reliquit. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 9431. in MSS. Codicibus Joannis Mori Episcopi Norvicensis Cod. 245. *Joannis Papæ processus contra Michaelem de Cæsena dudum Ministrum Generalem Ordinis fratrum Minorum, Hæreticum.* Dat. Avenione 16. Kal. Decembris Pontificatus anno 14. folio.

Denique extant MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4163. *Joannis Papæ XXII. sermones reportati per Raymundum procuratorem Ordinis Minorum* in folio 300. annorum. Sed de ingenuitate ac sinceritate hujus Operis dubium mihi non modicum, nec multam ejusmodi *reportatoribus* fidem dare, prudentis judicii est. Potuit enim facillime Raymundus Franciscanus *singulares suas conciones ac sensa specialia* colligere atque inscribere, sub nomine *Joannis Papæ XXII.* ut sub ementito hoc titulo, majorem illis authoritatem adderet. Hæc de Scriptis hujus summi Pontificis, qui Regis Galliarum auxilio fretus, dum expeditioni in Saracenos promulgatæ animum intenderet, pridie Nonas Decembris anno Domini 1334. Pontificatus XIX. mense quarto, ætatis vero suæ anno 90. Avenione animam Deo reddidit, ac in Ecclesia Cathedrali sepultus est, magnum auri pondus relinquens, quod Saracenicæ expeditioni insumendum destinaverat. Agunt de *Joanne XXII. Romano Pontifice*, omnes, qui novissimis temporibus *Vitas Romanorum Pontificum & Concilia Oecumenica* conscripserunt, omnesque *Annalium Ecclesiasticorum* scriptores, ut Spondanus, Raynaldus, Bzovius &c. Stephanus Baluzius in Vitis Romanorum Pontificum, qui Avenione sederunt pag. 113. & in Notis ad Vitas pag. 795. & a col. 687. ad 798. Præterea, quæ dicta sunt, Stephanus Baluzius in *Collectione actorum veterum* ad Vitas Paparum Avenionensium a col. 298. ad 295. habet *Epistolas XXII. Joannis XXII. Papæ, cum aliis aliorum ad ipsum.* Idem Tomo I. edidit plures vitas Joannis ejusdem a col. 113. ad 196. I. auctore Joanne Canonico Sancti Victoris Parisiensis col. 113. II. auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi col. 133. III. eodem auctore col. 151. quæ prolixior est. IV. auctore quodam Veneto coætaneo, col. 170

V. col.

V, col. 173. ex appendice Ptolomæi Lucensis. VI. col. 179. auctore Petro de Herentals Priore Florettiensi ordinis Præmonstratensis. VII. col. 185. auctore Amalrico Augerii, Priore beatæ Mariæ de Aspirano Diœcesis Helenensis. Adjecit Baluzius idem Notas eximias in Vitam Joannis XXII. Col. 795. passim Jacobus de Eusa vocabatur. Col. 689. inquirit an sutoris filius fuerit. Col. 687. & 1416. statura parvus, sed scientia magnus fuit. Col. 796. extitit Cancellarius Roberti Siciliæ Regis. Col 726. quomodo Papa electus. Col. 701. multa agit adversus Ludovicum Bavarum, a quo col. 714. de pontificatu deponitur. Col. 786. ejus sepultura. Sermones de visione beatifica col. 788. Declaratio ejusdem circa eandem materiam col. 798.

1320 JOANNES DE SANCTO VICTORE, Canonicus Regularis hujus Abbatiæ Augustiniani Instituti, ob doctrinam ac pietatem olim celeberrimæ, scripsit Historiam ab initio mundi usque ad annum 1322. quo vixit, *Memoriale Historiarum* inscriptam, cujus fragmentum aliquod impressum ab Andrea Duchesnio tomo I. Collectionis *Scriptorum Historiæ Francicæ Coætaneorum.* pag. 128. ad 134. Hanc autem nondum impressam, habes MS. in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, in duobus optimæ notæ MSS. Codicibus Littera A A A 15. fol. 1. & B B B 1. fol. 5. usque ad folium 494. Inscribitur *Memoriale Historiarum Joannis Canonici sancti Victoris Parisiensis.* Incipit, *Proemium de divisione Regnorum & Gentium. Labilis est hominum memoria, ut sapientes testantur. & in seipso quilibet experitur: visa enim & audita facile excidunt a memoria* &c. Incipit Tractatus De divisione regnorum, Memoriali præmissus, *In hujus Operis initio, primum de diversarum origine Gentium ac Regnorum* &c. Idem opus habetur MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 4916. inscriptum, *Chronicon ab initio Mundi usque ad annum 1322.* qui liber dicitur, *Memoriale Historiarum.* Incipit, *Labilis est hominum memoria* &c. scriptum per Guillelmum le Breton in folio, anno 1484. Idem habetur ibidem Codice 4725. inscriptum, *Chronicon compilatum in Monasterio sancti Victoris, quod & Memoriale Historicum appellatur* &c. Mutilum tamen est, incipiens a morte Moysis, *Moyses cum centum viginti* &c. sed in compensationem, ab aliquo anonymo ad annum 1454. continuatum est, quo tempore hic codex, qui 200. annorum in folio est, conscriptus videtur. Itemque MS. in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 239. & in Collegio sancti Benedicti Cod. 20. Stephanus Baluzius in *Vitis Paparum Avenione sedentium* tradit Vitam Clementis V. col. 1. & Vitam Joannis Papæ XXII. col. 113. ex MS. Cod. Chronici Johannis S. Victoris Canonici. Agunt de eo Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403. pag. 262 .Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis*, tomo 1. pag. 597. Joannes Launoius in Libro *De Scholis celebrioribus per Occidentem renovatis* cap. 59. articulo 4. pag. 202.

LANDVLPHVS COLVMNA cognomento SAGAX, CARNOTENSIS ECCLESIÆ CANONICVS, quem relicto postea seculari statu, Ordinem fratrum Prædicatorum amplexum fuisse arbitror, ob *fratris* appellationem, quæ Commentariis ejus MSS. adponitur. Hic natione (ut credimus) Italus, hoc circiter anno 1320. sub Joanne Papa XXII. in Ecclesia Carnotensi præbendam adeptus claruit. Non vixit igitur Landulphus Sagax Lotharii Imperatoris temporibus, ut perperam scripsit Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 35. pag. 315. editionis ultimæ, de quo etiam cap. 30. pag. 292. ubi de *Paulo Warnefrido* Warnefridi & Theodelindæ filio. Nam recte a Cæsare Orlandio libro *De Vrbe Senensi*, in eo Volumine, quo continentur Scriptores Italiæ illustratæ, vocatur *Landulphus de Columna Sagax, Canonicus Carnotensis*, qui nomen suum posteris commisit, dum *Historia Miscella*, quæ sub nomine Pauli Longobardi *libris XXIV.* prodiit, *octo posteriores libros* a XVII. ad XXIV. adjecit. Debet equidem Paulo Longobardo magnam sui partem *Historia Miscella*, nam primi undecim libri iidem sunt atque decem Eutropii libri, nisi quod aliqua subinde de suo Paulus addat, quod ab eo factum est jussu Adelbergæ sive Adhilbergæ, Beneventi Ducissæ, quæ maritum habuit Arichim, patrem Desiderium ultimum Longobardorum Regem. Exinde quidem Paulus Eutropium continuat, cujus sunt quinque libri sequentes, usque ad XVI. Cæteri, nempe XVII. & sequentes a Landulpho Columna, qui Sagax dictus est, longe postea additi sunt, imprimis ex Theophane sive Anastasio Bibliothecario, qui Theophanem in linguam Latinam verterat. Landulphus autem Columna, vixit ac floruit anno 1314. & infra, ut dicemus. In Syllabo, qui Orlandio adjicitur, legas extare in Bibliotheca Vaticana auctorem incertum, qui ex Landulpho memorato Collectarium excerpsit, ac vixisse dicitur anno 1458. atque etiam *Albertus Sigebergensis Monachus* creditur. Quoad Syllabum autem, sive ejus auctor Cæsar Orlandius sit, sive Andreas Schottus, cujus cura scriptor hic inter *Italiæ illustratæ* auctores prodiit, putat Gerardus Joannes Vossius *Sagacem ac Columnam* una confudisse: ut colligere hinc quidem non possis, utrum *Sagacis*, an *Columnensis* sit illa Epitome, quæ Romæ extat. Verum in unum eundemque hominem convenire cum Orlandio mihi videntur, Landulphus Columna & alter, qui seculo XIV. dictus ob ingenium *Sagax:* quomodo plures aliis cognominibus appellati sunt, post Thomam Aquinatem, Bonaventuram atque alios. Historiæ Miscellaneæ libri XXIV. prodierunt Basileæ 1569. & cum variantibus lectio-

nibus Henrici Canisii Noviomagensis cura, Ingolstadii 1603. in 8. Item cum emendationibus & notis Jani Gruteri, Hanoviæ 1611. denique cum Lindenbrogii observationibus Hamburgi 1611. Idem Landulphus scripsit *Commentarium in quatuor libros Magistri Sententiarum*, qui MSS. extant in Bibliotheca Basileensi in membrana collecti, ut testatur Theophilus Spizelius in *Sacris Bibliothecarum illustrium Arcanis retectis* ab ipso 1668. in 8. Augustæ Vindelicorum editis, in quibus Basileensem profert Bibliothecam, ex Designatione Cl. Buxtorfii ad se anno 1662. missa. Idem *Commentarius* passim in Italiæ bibliothecis manuscriptus, ut in bibliotheca Sancti Antonii Patavini, inter eos scriptores, qui in quatuor libros Sententiarum commentati sunt, *Landulphus* ibi habetur, juxta Jacobum Philippum Thomasinum, in Catalogo Bibliothecarum MSS. Patavinarum, tam Publicarum, quam Privatarum, quem Utini 1639. in 4. edidit. Et in Bibliotheca Sancti Antonii Veneta, inter MSS. Codices Theologicos, extat *Landulphus in primum & secundum Sententiarum*, membrana in folio. Et ibidem Lectura in primum Sententiarum fratris Landulphi Neapolitani, folio in membrana, ut idem Jacobus Philippus Thomasinus loco citato refert. Denique inter MSS. Codices Basileensis bibliothecæ, *Landulphus super IV. libros Sententiarum Magistri Lombardi*, fol. in membrana. *Breviarium Historiale Landulphi de Columna Carnotensis Canonici ab initio mundi usque ad Sigismundum Imperatorem*, ex editione veteri, quæ ante annum 1500. in 8. facta fuit, extat in Bibliotheca Telleriana, ut constat ex Catalogo hujus Bibliothecæ pag. 240. qui anno 1693. in folio Parisiis ex typographia Regia impressus est. Historiam itaque neutiquam diffusam, sed per compendium aggressus fuit, quæ olim impressa fuit, sed sine designatione loci & anni impressionis: accum supplemento, usque ad tempora Sigismundi Imperatoris, ad quæ Landulphus non pervenit. Jam ad Historiam MS. redeamus. Scripsit *Chronicon breve* a Mundi initio ad tempora Clementis V. Pontificis, cujus *prima pars* ab Orbe condito ad Christum, *secunda* a Christo ad Clementem V. seu Joannem XXII. juxta MS. Codicem protenditur. Hujus Operis *prima pars* MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 4103. quæ incipit, *Decet viros virtuosos præcedentium facta sæpe ad memoriam revocare, ut bonis præteritis discant dignis operibus incubare, & in aliis exemplum caveant reproborum* &c. *hoc fine, ut opinor, motus fuit Dominus Landulphus de Columna Carnotensis Canonicus, cum ex dictis Pompeji Trogi* &c. finit autem in Tyberio, cujus proemium ab alio mihi videtur adjectum huic Operi, cum loquatur de Landulpho in tertia persona, nisi hoc ex humilitatis sensu ab ipso Landulpho actum fuerit. *Altera pars* olim etiam MS. in Bibliotheca Thuanea, quam citat Pureanus Regius Bibliothecarius in *Historia Bonifacii VIII.* pag. 619. ut existentem in Bibliotheca Thuani. num. 242. In eadem Joannis Baptistæ Colberti Bibliotheca Codice MS. 4673. extat *Tractatus brevis De Pontificali officio*, compositus a Magistro Landulpho de Columna Canonico Carnotensi, dedicatus Joanni Papæ XXII. his verbis. « Amantissimo Patri ac Domino suo Joanni Dei gratia sacrosanctæ « Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pon- « tifici, ejus humilis & devotus servus Landul- « phus de Columna Canonicus Carnotensis, « cum omni devotione ad pedum oscula beato- « rum. *Diu in me caritas cum distretione pugna-* « *vit, & proprii defectus agnitio longum commisit* « *prælium* &c. » Ex verbis autem, quibus in Chronico Bonifacium VIII. summum Pontificem depingit, satis ostendit, se fuisse ex familia Columnensium huic Papæ infensa. Denique scripsit ad Lambertum de Castello tractatum *De translatione Imperii a Græcis ad Latinos*, qui impressus apud Melchiorem Goldastum, legitur tomo II. *Monarchiæ* pag. 88. cujus meminit Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1290. pag. 749. ubi male contra MSS. fidem illum vocat *Radulphum de Columna Canonicum Carnotensem*, ejusque ætatem tantisper pervenire videtur. Eundem Melchior Goldastus loco citato, male ad annum 1260. assignat, ad marginem citati Tractatus. Hujus scriptoris meminit Raphael Volateranus sub initium Libri XXII. *Antropologiæ* seu *Commentariorum Urbanorum*, ubi loquitur de his qui Summorum Pontificum vitas scripserunt. Pontificum Romanorum seu temporum eo- « rum historias scripsere Vincentius & Marti- « nus Carsulanus, ambo Ordinis fratrum Præ- « dicatorum, Joannis XXII. tempore: cui Lan- « dulphus de Columna, Canonicus Carnotensis, « opus etiam de his dedicavit. » Alludit dubio procul Volaterranus, ad tractatum brevem *De pontificali officio*, ubi forsan vitas Pontificum paucis perstringit. Hujus quoque meminit in sua Præfatione *author Breviarii Historialis*, æqualis Sigismundi, qui anno 1479. floruit, denique Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. pag. 507. editionis ultimæ. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* Tomo 1. verbo *Landulphus Columna*, illius ita paucis meminit: *Landulphus Columna Romanus & Canonicus Carnotensis, Romanorum Pontificum Historiam texuit a Sancto Petro, usque ad sua tempora. Vivebat anno 1298.* Eisengrenius. Philippus Labbeus tomo 1. *Nova bibliotheca Manuscriptorum librorum* pag. 659. Landulphi de Columna meminit, ex cujus chronico MS. ad Joannem XXII. Papam, qui ad annum 1322. protenditur, edidit Elogia Philippi Pulchri Francorum Regis, ejusque filiorum Ludovici Hutini & Philippi Longi. Denique Christophorus Sandius, in *Notis & animadversionibus* ad Historicos Vossii Latinos, ad paginam Vossii 507. pagina 190. *Notarum & animadversionum dictarum*, quæ Amstelodami anno 1677. in 16. editæ sunt.

GUIL.

1320 GVILLELMVS NOTTINGHAMVS, CANONICVS AC PRÆCENTOR EBORACENSIS ECCLESIÆ, natione Anglus, doctissimus ac laboriosus Theologus, circa annum 1320. sub Joannis Papæ XXII. Pontificatu floruit, cujus etsi nihil quod sciam in lucem publicam eductum sit, multa tamen non contemnenda MSS. latent in Bibliothecis Angliæ, Oxonii potissimum literis incubuisse dicitur, ubi cum aliquamdiu effulsisset, Canonicus tandem celeberrimæ Eboracensis Ecclesiæ atque Præcentor evasit. Porro ut testatur MS. Codex 31. Bibliothecæ Balliolensis Oxonii, Nottinghamus iste primum fuit *Canonicus secularis & Præcentor Eboracensis Ecclesiæ, factusque postea frater Ordinis sancti Francisci*. Scripsit *Quæstiones super 4. Evangelia*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 41. Magdalenensi Cod. 51. Balliolensi Cod. 31. Mertonensi Cod. 124. Idem *Quæstiones super textum omnium Evangeliorum totius anni, quæ leguntur in Ecclesia Sarum in Dominicis diebus*, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 166. & in Collegio sancti Benedicti Cod. 214. *Quæstiones* MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana, Cod. 106. *Quæstiones de Oratione Dominica & Regulam vivendi*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 143. *Contra errores Pelagii*, ibidem MS. Codice 219. Obiit Guillelmus Nottinghamus Leicestriæ anno 1336. die 5. Octobris, ut habet Philippus Labbeus in *Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*. Paucis loquitur de illo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*: sed pluribus Thomas Jamesius in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi, quæ Londini in 4. anno 1600. impressa est apud Georgium Bishop & Joannem Northon. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 154. plura de illo & ejus Operibus. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice authorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 108.

1320 JOANNES PIKE, natione Anglus, floruit sub Eduardo II. Anglorum Rege post annum 1320. qui scripsit *De Regibus* Saxonum, Danorum & Normannorum in Anglia, quos libros postea in Compendium redegit Guilielmus Horman Etonensis Collegii Prorector. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 3112. in MSS. Codicibus Norfolcianæ bibliothecæ Codice 213. num. 3. extat *Johannis Pike Supplementum Historiæ Anglicanæ*. Et in MSS. Codicibus Cottonianæ bibliothecæ, sub effigie Julii litera D. Codice 6. num. 1. *Suppletio Historiæ Regum Angliæ, quantum ad Reges Saxonum, Danorum & Normannorum, extracta per Johannem Pike, usque ad annum 13. Regis &c. quo decollatus est Thomas Dux Lancestriæ apud Pontemfractum. Inseruntur Excerpta ex Mariano Scoto, Rogerio de Hoveden, Guilielmo de Malmesbury, de jure Regis Angliæ ad terram Scotiæ sub se & de se tenendam.* Thomas autem Dux Lancestriæ apud proprium de Pontefracto, anno 1321. capite truncatus est, ut tradit Henricus de Knyghton col. 2540. linea 6. & col. 2541. lin. 14. libro 3. *De eventibus Angliæ*, in Edwardo secundo. De Codice Norfolciano, ita loquitur Henricus Warthon in Præfatione ad Tomum 2. Angliæ Sacræ num. 23. fol. 27. „Tertio loco sequitur Historia de Monarchis Angliæ ab Alvredo ad„ Haraldum, quam nota manu recenti addita„ Joanni Pike adscripsit. Amplum hujus libri„ fragmentum de Alfredo Rege Camdenus *Britannia* pag. 367. proferens, id *Joanni Pico scriptori antiquo* acceptum refert." Meminit hujus scriptoris Joannes Balæus Centuria 2. cap. 61. ubi prodit Johannem Pike de Regibus Anglosaxonum Henricô I. regnante commutatum fuisse, in hoc manifeste lapsus. Ejus errorem amplexus est Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 401. editionis ultimæ.

ALFREDVS Anglus circa tempus idem floruisse mihi videtur Beverlacensi in urbe, ubi & sacerdos obiit, & Collegii ut nunc loquimur Thesaurarius. Huic a nonnullis tribuitur *Chronicon Regum Angliæ* a Bruto ad Regem Eduardum III. cujus initium, *Nacto olim otio a tumultu seculi* &c. Cui præmittitur descriptio Angliæ, hoc est, De situ atque incolis, & inseruntur in Præfatione versus Richardi Cluniacensis, in laudem Angliæ: quod extat in bibliotheca Cottoniana sub effigie Julii, litera A Cod. 8. Idemque iterum in bibliotheca eadem sub effigie Vespasiani Litera E Codice 9. num. 3. sub hoc titulo, *Chronicon de primis incolis Britanniæ, de Romanorum gestis in Britannia, de adventu Anglorum in Britanniam, de linea generationis Regum Saxonicorum, de partitione Britanniæ in varia regna, & de Regibus Angliæ, usque ad tempora Regis Edvvardi III, id est ad annum 1327.* Multa interseruntur de rebus Scoticis, videlicet de homagio, quod fecit Joannes Baliol Edwardo I. Regi Angliæ, aliisque ad argumentum idem spectantibus. Mentionem facit hujus scriptor Joannes Wethamsted sive *De loco frumenti* in opere, quod *Granarium* inscripsit, ubi de viris Angliæ illustribus, qui & unde Annales seu Chronicon suum ordine exponit, & quæ potissimum, ac quousque prosequatur. Nam ait, *Chronicon a Bruto, usque ad tempora Northmannorum scripsisse: tractasse quoque de Civitatum nominibus hinc inde seorsum in hoc regno fundatis, ac retulisse quibus nominibus civitas Londoniensis, Cantuariensis, Eboracensis, aliaque urbes variæ, vocatæ fuerint temporibus illis, quibus Britannica gesserunt vocabula, per Britonesque inhabitata erant.* Joannes Lelandus inter MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ num. 5103. *Collectaneorum* vol. 2. num. seu cap. 26. pag. 199. ubi ex Prologo & Historia Alvredi Thesaurarii Beverlacensis Ecclesiæ *Nomina civitatum, quæ Alvredus Britannice citat, adeo conspirant cum Catalogo Henrici Hun-* 1320

tingdunensis, ut verisimile sit, Henricum ab Alvredo mutuo sumpsisse. Hæc Lelandus, qui scribere potius debuerat, *Alvredum ab Henrico mutuo sumpsisse,* quo longe posterior fuit; subdit aliquanto post Lelandus: *Omnia, quæ fere scribit Alvredus de Regibus Britanniæ usque ad Saxonum adventum, e Galfredi Historia, suppresso tamen ejus nomine, desumpta sunt.* Cum ergo ejusdem ætatis fuerint Gualfridus Monumethensis & Henricus Huntingtodunensis, Alvredus ab utroque sua accepisse credendus est. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 393. qui tamen fallitur, dum vult, illum floruisse sub Henrico primo circa annum 1120. quamvis deflorationes Galfridi Monametensis libris V. reliquisse dicat, qui non ante annum 1150. Opus suum aggressus est, qua ætate multum posterior est.

1320 MAXIMUS PLANUDES Monachus Græcus, vir utraque lingua eruditus, atque omnimoda excultus eruditione, ab anno præter propter 1320. floruit, quippe Andronico Seniori Imperatori apprime charus ob industriam atque in agendis rebus sagacitatem, a quo ante annum 1317. una cum Leone Orphanotropho Aquileiam legatus est, ut Venetos Græcis subiratos placaret. His illum verbis exornat Allatius Libro 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 17. §. 4. col. 840. „Maximus etiam Planudes Monachus, tum propriis tum alienis, ex externis linguis in Græcam transvectis, monumentis clarissimus, & prudentia non contemnenda, ideoque Seniori Andronico apprime carus, a quo etiam una cum Leone Orphanotropho Legatus Aquileiam mittitur ob Venetos a Galatæ incolis Byzantii violenter oppressos & mactatos. Pachimeres Libro IX. Historiarum. ὁ δὲ βασιλεὺς ἅμα μὲν τῷ ταῦτα γενέσθαι, δι᾽ ἐννοίας γενόμενος, μὴ αἰτίαν σχοίη ὡς συμπράξειε δῆθεν, πρέσβεις ἐκλεξάμενος τόν τε μοναχὸν Μάξιμον, τον Πλανούδην, καὶ τὸν Ὀρφανοτρόφον Λέοντα, ἄνδρας ἐλλογίμους καὶ συνέτους ἐπ᾽ Ἀκυϊλίας ἀπέστειλεν, ἀπολογούμενος τῷ κοινῷ συνεδρίῳ τούτων, καὶ παριστῶν τὸ νεῖ ἐπὶ τοῖς τετελεσμένοις ἀναίτιον. ὁ καὶ παραγεγονότες ἐν χρῷ κινδύνου κατέστησαν, τῶν προσγενῶν τῶν φονευθέντων σφίσιν, ἐπαναστάντων. μόλις δὲ τοὺς περιόντας οἰχείους ζητήσαντες, καὶ λαβόντες περὶ τῆς μετὰ τῶν Ῥωμαίων εἰρήνης τῆς νῦν, ὡς πάλαι καιρὸν ἐτίθουν βουλεύσασθαι. *Imperator, ut hæc patrata sunt, in seipso considerans, ne suspicionem daret, se impulsore tantum fuisse scelus commissum: Legatos, Monachum Maximum Planudem & Leonem Orphanotrophum, viros conspicuos & prudentes, Aquileiam mittit, Senatui illi respondens & protestans, nihil sibi in factione illa fuisse commune. Legati abeuntes, vix discrimen evaserunt, consanguineis mactatorum contra eos seditiose insurgentibus. Tandem cum propinquos adhuc superstites recepissent, de ineunda pace cum Græcis, ut antiquitus erat, tempus Concilii perscribebant.* Hinc apparet, eum multo ante Concilium Basileense, defunctum fuisse. Hic itaque contra Latinos nonnulla scripta *De processione Spiritus Sancti* publicaverat, an ita sentiens, vel metu Imperatoris, in incerto est. Digna tamen sunt, quæ in eum animadvertit Demetrius Cydonius. Θαυμάσειε τις τὸν ἄνδρα τοῦτον, τὸν διὰ τῶν ὀλίγων τούτων καὶ ἀσθενῶν ἐπιχειρημάτων, πειρώμενον τὸ τοῦ ἁγίου Αὐγουστίνου βιβλίον ἀνατρέπειν, ἐφ᾽ ᾧ πολλὰ ἐμόγησεν, ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα μετενέγκων. εἰ μὲν γὰρ βλάψαι βουλόμενος τοὺς ἀναγινώσκοντας, τὸν ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ πόνον ὑπέστη, ἄτοπος ὄντως, καὶ πολλῆς τοῖς εὐσεβέσιν ἄξιος μέμψεως, πονῶν ἐφ᾽ ᾧ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἄλλων λυμήνασθαι. εἰ δ᾽ ἐπιστάμενος ὠφέλιμον τοῖς ἐντευξομένοις ἔσεσθαι τὸ βιβλίον μετενεγκεῖν, τοῦτο εἵλετο, καὶ τοῖς ὁμοφύλοις χαρίσασθαι, τί πάλιν ὥσπερ ἐκ μεταμελείας, ὡς βλαβερὰ φυλάττεσθαι παραινεῖ, ἃ δι᾽ ὠφέλειαν τῶν ἐντυγχανόντων ἡρμήνευσεν; ἀλλὰ τῆς ἀτοπίας ταύτης αἴτιον, ὁ τοῦ τότε βασιλεύοντος φόβος, ὃν εἰδὼς ἀπαραίτητον ὄντα τοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ λέγουσιν ἐκπορεύεσθαι, ἠθέλησε διὰ τῶν ἐπιχειρημάτων τούτων εἱρκτῆς καὶ δεσμῶν ἑαυτὸν ἀπαλλάξαι. *Miraretur quispiam virum hunc, qui ob hæc pauca & imbecilla argumenta conatur evertere librum sancti Augustini, in quo transferendo in linguam Græcam multum elaboravit. Si enim illum laborem subiit, volens nocere iis qui legerint, absurdus revera est, & dignus inter pios multa reprehensionis, laborare, ut animis aliorum noceat. Sin autem, sciens utilem fore, quibus erit obvius, & nostratibus gratificaturus, vertere illum elegit: quid rursus quasi pænitentia ductus, veluti nocua cavere hortatur, quæ propter utilitatem legentium interpretatus est? Caterum absurditatis hujus caussa est, terror illius, qui tunc imperabat: quem inexorabilem sciens fore his, qui Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere asserunt: hisce argumentis e carcere ac vinculis se ipsum liberare voluit.*" Hæc capita edita sunt Græce & Latine cum Bessarionis Responsionibus, ab Arcadio Romæ 1630. in 4. His iisdem respondet etiam Georgius Metochita, ut supra adnotabamus. „Possevinus dubitat, an fideliter verterit Libros Sancti Augustini *De Trinitate,* ubi de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio diserte scriptum est. Vt imposterum dubitatio ista tollatur, omnibus edico, eum omnia fideliter dedisse. Et quisque id videre poterit ex iis, quæ edidit Arcadius, qui propterea concludit, Planudem Capita contra Latinos metu Principis scripsisse. En etiam Bessarionis verba. Καὶ οὕτω συνηγορήσων Λατίνοις, ἢ ἐλέγξων ἐλήλυθας, ἀνδρῶν ἄριστε καὶ σοφώτατε. οὐ γὰρ ἂν ἐγὼ σου καταγνοίην τὸ ἐναντίον, οὕτω πᾶσαν ἐξησκημένου παιδείαν, οὕτω δὲ βεβαθυσμένου? κότος ἐν φιλοσοφίᾳ καὶ θεωρίᾳ, καὶ διὰ πάντων μὲν μαθημάτων ὁδεύσαντος, εὐδοκιμήσαντος δ᾽ ἐν ἅπασι, πρὸς δὲ τῇ ἑλλάδι, καὶ τὴν Λατίνων γλῶτταν εἰς ἄκρον ἐξησκημένου, καὶ πε-

ρειουσίᾳ

ουσίᾳ δυνάμεως, ἄλλατε πολλὰ θαυμαστά, καὶ τὸ μέγα περὶ τριάδος τοῦ μεγάλου καὶ θαυμαστοῦ Αὐγουστίνου ἔργον, εἰς τὴν ἡμετέραν μετενηνοχόντος φωνήν: ἐν ᾧ πρὸς ἄλλοις πολλοῖς, καὶ ἡ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ τοῦ ἁγίου πνεύματος θεία ἐκπόρευσις, ἄριστα τε καὶ σοφώτατα θεολογεῖται, καὶ ἐνθεώτατα. ὦ καὶ τοῖς τοσούτοις αὐτοῦ λόγοις πῶς ἂν αὐτὸς ἐναντιοῦσθαι δύναιο, τρόφιμος ὢν ἐκείνου καὶ ἐραστής. καὶ ταῦτα τούτοις τοῖς λόγοις ἢ ῥηματίοις, οἷς κἂν παῖς ἐξελέγξειεν. ἀλλ' οἶμαι τῷ τινῶν θυμῷ χαρίσασθαι, ἢ ἐκκλῖναι βουλόμενος ταύτην εὗρες ὁδόν, ἐκεῖνον τε φυγεῖν, καὶ τῇ ἀληθείᾳ μᾶλλον ἀμῦναι τῇ ἀσθενείᾳ τῶν λόγων, καὶ τὴν ἐκείνης περιουσίαν, καὶ τοῖς συνορᾷν δυναμένοις ἀνακαλύπτων. *Atque ita Latinos potius defensurus, quam ut eos redarguas, vir optime atque sapientissime, accessisti. Non enim profecto ego contrarium de te sentiam, qui in omni disciplinarum exercitatione versatus es, qui adeo in Philosophia & contemplatione pratervectus, & omnium bonarum artium curricula emensus, in cunctis splendorem assecutus es. Ulim vero linguam Gracam, etiam Latinam excellenter adeptus, magna facilitate, cum multa alia admiratione digna, tum magnum Opus* De Trinitate *magni & admirandi Augustini, in nostrum linguam transtulisti. In quo prater alia etiam Spiritus Sancti ex Patre Filioque divina processio optime, sapientissime, divinissimeque, Theologice pertractatur. Cui sane & tantis ejus rationibus, quomodo ipse te possis opponere, illius cum sis alumnus & studiosus: prasertim hisce rationibus, seu verbulis, qua vel puer redargueret? Caterum reor, ire quorundam gratificari studens, seu eam declinare volens, banc nactus & secutus es viam, ut & illam vitares, & veritati magis opitulareris, nimiam ejus vim cernere non valentibus, imbecillitate rationum patefaciens.*

Insignis fuit Grammaticus, Philosophus, Theologus, cujus extant MSS. plurima in bibliothecis Anglicis. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 95. pag. 259. Catonis versus in Græcum traducti per Maximum Planudem. Codice 125. pag. 5. Maximi Planudis Grammatica multo auctior ea, quam habet Codex Bodleianus in Archivo A 179. Πρὸς τῶν &c. Codice 159. pag. 182. Maximus Planudes De constructione verborum. Τῶν ῥημάτων τὰ μὲν ἐνεργῆ. Codice 194. Maximi Planudis versio Gnomarum Catonis I. Ἀναπολήσας ἐγὼ κατὰ νοῦν. Codice 2905. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii supra P 3. Artium Codice 122. Maximi Planudis Dialogus de Grammatica. Codice 6553. in MSS. Codd. Henrici Savilii Codice 6. Diophanti Alexandrini Arithmeticorum Libri 6. & de numeris multangulis cum Scholiis Maximi Planudis. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum insignium bibliothecarum Codice 3428. in MSS. Norfolcianæ bibliothecæ Codice 529. Disticha Platonis per Planudem, Codice 8588. in MSS. Jacobææ bibliothecæ Cod. 856. Maximi Planudis Paraphrasis Metamorphoseon Ovidii. Scripsit ab hoc anno 1320. multa Opuscula, qui MSS. in Bibliothecis latirant, usque ad annum circiter 1354. quo e vivis obiisse, credendus est. Cæterum quo magis pateat, quis & qualis ille fuerit *Maximus Planudes*, subjungo hic ex Raphaele Volaterrano Libro XVII. *Commentariorum Orbanorum*, notabile quoddam non solum ipsius, sed & Cardinalis Bessarionis testimonium de eodem Planude, simul & judicium. „*Maximus Planudes*, Monachus Constantinopolitanus, vir plane doctissimus, vehementisque ingenii, ab hinc annos fere centum quinquaginta, Romanæ ab initio fidei favit, ob quam rem ab Imperatore Constantinopolitano multa passus, in custodiam tandem conjectus, contra sentire coactus est, tribus editis contra Romanam Ecclesiam argumentationibus. Quas nostra ætate Bessario Cardinalis Nicænus, perlegens mirari solebat, Virum cæteris in scriptis excellentem, summumque Philosophum, tam ineruditos infirmosque edidisse syllogismos: haud ob aliam putabat causam, quam quod ea quæ metu perscripserit, animo improbaverit, refellendaque vel cuivis facile præbuerit. Hujus plura extant ingenii monumenta. Nam *Ovidii Metamorphoseos Librum*, & Macrobium *De Saturnalibus*, in Græcum sermonem convertit, ambos prosa oratione. *Problematum Volumen* composuit, *Rhetoricos Commentarios super Hermogenem* scripsit, *Epigrammata Veterum Graecorum* resectis lascivioribus, in unum jam vulgo sparsum Volumen coegit.“ Hæc de Maximo Planude Raphael Volaterranus. Bessarion autem in *Responsione ad quatuor argumenta Maximi Planudis, De processione Spiritus Sancti*, ita de illo loquitur. „οὐ γὰρ ἂν ἐγὼ σοῦ ἀνδρῶν ἄριστε καὶ σοφώτατε καταγνοίην, οὕτω πᾶσαν ἐξησκημένου παιδείαν. οὕτω δὲ διαβεβηκότος ἐν φιλοσοφίᾳ καὶ θεωρίᾳ, καὶ διὰ πάντων μὲν μαθημάτων ὁδεύσαντος, εὐδοκιμήσαντος δὲ ἐν ἅπασι. πρὸς δὲ τῇ ἑλλάδι καὶ τὴν Λατίνων γλῶτταν εἰς ἄκρον ἐξησκημένου.“ *Non enim de te, vir optime atque sapientissime, male senserim: qui in omni disciplinarum exercitatione versatus es, ita autem per Philosophiam & Contemplationem pertransisti, per omnes quidem scientias incessisti, & in omnibus approbationem habuisti, tum ad Gracam linguam Latinam quoque perfectissime adjungens.* Quibus ex Adversarii sibi Bessarionis verbis, egregie summa Maximi Planudis eruditio concluditur. Jam Scriptis accingamur enuntiandis.

Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, edidit anno 1708. *Palaographiam Gracam* libris VII. Parisiis in folio, in qua Codices manuscriptos Græcos Operum Maximi Planudis recenset. Nimirum lib. 1. cap. 7. pag. 70. Codex bombycinus Bibliothecæ B. Mariæ Benedictinorum Florentiæ, „*Maximi Planudis Grammatica*, scripta ἐν ἔτει ͵ϛωμθ 6849. Christi 1341. ætate qua ille

„ille florebat. Ibidem cap. 7. pag. 71. Codex „bombycinus Bibliothecæ B. Mariæ Benedictinorum Florentiæ, *Grammatica Manuelis Moscopuli, Planudis, Joannis Patriarchæ, Demetrii Anagnostæ* &c. cujus Codex scriptus legitur anno „mundi 6868. Christi 1360. Indictione tertia. „Ibidem pag. 83. Codex Regius bombycinus, „in quo *Boëtius* Græce versus a Maximo Planude, cujus in fine legitur. ἐτελειώθη ἡ παροῦσα „βίβλος τοῦ Βοετίου διὰ χειρὸς ἐμοῦ Μιχαὴλ τοῦ „Συλιαίρδου ἐκ Ναυπλίου, ὄντος μου ἐν Κυδωνίῃ Κρήτης ἐν ἔτει ϛ ϡ π γ ἰνδ β ἡμέρα κυριακῇ Αὐγούσ. ἀλλ' οὖν γε οἱ μέλλοντες ἐν τῷ πονήματι „τούτῳ ἀναγινώσκειν τῇ &c. Completus est „hic Liber Boetii manu mea Michaelis Suliardi, ex Napio, in Cydonia Cretæ versantis anno mundi 6983. Indict. 2. Dominica die, Augusti 15. Qui hoc in opere lecturi sunt. Hoc autem est anno Incarnationis Christi 1475. At longe plures alios MSS. Codices Maximi Planudis in Regia Galliarum Bibliotheca extantes, recenset Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine Antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collecta, atque Parisiis anno 1653. in 4. edita, apud Johannem Henault. Hæc autem in illa contineri scribuntur. Parte 2. pag. 88. Maximi Planudæ capita de Processione Spiritus Sancti, cum refutatione Bessarionis & Demetrii Cydonæ in Codice Regio 901. parte 4. pag. 105. Maximi Planudæ Grammatica, Orthographia, Syntaxis & Harmenopulo & Christodulo, Dialogus, cui titulus *Neophron & Palatinus* in Codicibus Regiis 1642. 1645. 1911. & 1538. Ibidem pag. 109. Maximi Planudæ Scholia in Rhetoricam Homogenis, in Codice Regio 150. Ibidem parte IV. pag. 118. Maximi Planuda περὶ μεταβατικῶν καὶ ἀμεταβάτων Scholium Geometricum Arithmetica Indica, in Codicibus Regiis 191. 915. 1909. 1213. Ibidem pag. 135. Maximi Planudæ interpretatio Distichorum Catonis in Codice Regio 2216. aliisque quamplurimis. Supplemento 2. pag. 172. Maximi Planudæ varia. Supplemento 3. pag. 189. Maximi Planudis Epistolæ & Orationes. Supplemento 4. pag. 190. Codice XII. Diophanti Alexandrini Arithmetices libri sex cum Scholiis Maximi Planudis in duos tantum Libros. Ibidem Supplemento 4. pag. 203. Maximi Planudis Oratio de Sepultura Christi & lamentatione B. Mariæ. Ejusdem Encomium SS. Petri & Pauli. Ejusdem comparatio hiemis & veris. Ibidem Supplemento 6. pag. 245. Maximi Planudæ Monachi de Processione Spiritus Sancti contra Latinos. Supplemento 7. pag. 280. Codice 683. Ciceronis somnium Scipionis & Commentarius Macrobii Græce per Maximum Planudem. Ibidem pag. 283. Supplemento 7. Codice 917. Boetii de Consolatione Philosophiæ Græce per Maximum Planudem. Ibidem pag. 284. Codice 1036. Maximi Planudæ interpretatio Græca Metamorphoseos & Heroidum Ovidii. Ibidem pag. 300. Codice 1926. Ovidii Metamorphosis Græce per Planudem.

Extat Codice MS. Theologico Græco CLXI. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut habet Petrus Lambecius Libro 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 159. his verbis. „Primo & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 197. „pag. 2. *Sancti Augustini Hipponensis Episcopi De „Trinitate libri quindecim, a Maximo Planude Mo- „nacho Constantinopolitano, in linguam Græcam „translati.* Deest autem in principio unum fo- „lium, quod *S. Augustini Epistolam seu Proœmium „ad Aurelium Episcopum Carthaginensem* conti- „nuit, & priorem partem capitis primi, usque ad „hæc verba: κλίνειν ἐξ ὧν ἀνακλιμακηδὸν πρὸς „τὰ θεῖα καὶ ὑψηλὰ ὁ ἡμέτερος νοῦς οἱονεὶ τρε- „φόμενος ἀναβαίνῃ. καὶ γὰρ καὶ ῥήμασι τῶν σω- „ματικῶν πραγμάτων &c. Hinc enim Codex „ille nunc incipit." Ipsa autem sancti Augustini verba Latina versioni illi Græcæ respondentia, hæc sunt. Ut ergo ab hujusmodi falsitatibus humanus animus purgaretur, Sancta Scriptura parvulis congruens, nullius generis rerum verba vitavit: *ex quibus quasi gradatim ad divina atque sublimia noster intellectus velut nutritus assurgeret. Nam & verbis ex rebus corporalibus sumptis* &c. Ejusdem Græcæ translationis meminit etiam Antonius Possevinus in Apparatu Sacro his verbis: *Maximus Planudes, Constantinopolitanus Monachus, qui tempore Basileensis Concilii vixit, etsi Græce & Latine reddidisse quindecim D. Augustini Libros De Trinitate dicitur, qui quidem Græce MSS. extant in Vaticana Bibliotheca: dubito tamen, an fideliter eos verterit, ubi De processione Spiritus Sancti a Patre & Filio, a sancto Augustino diserte scriptum est. Neque enim id venit in mentem, ut indagarem, dum plures annos Romæ fuissem.* Hucusque Possevinus. Versionis istius nonnulla Capita Græce edita sunt Romæ anno 1630. in 4. Et Græce ac Latine per Leunclavium Basileæ 1578. in 8. Extant libri iidem Græce MSS. in Regia Galliarum bibliotheca Codice 1064. juxta Labbeum in Nova bibliotheca MSS. librorum, quam anno 1653. in 4. edidit, atque in Vaticano ut ex Catalogo MSS. Codd. illius liquet.

Ibidem, Quarto & quidem fol. 198. pag. 2. „usque ad fol. 199. pag. 1. *Maximi Planudis, Mo- „nachi Constantinopolitani, De processione Spiritus „Sancti, Argumentationes tres contra Latinos*, qua- „rum prima inscribitur atque incipit hoc modo: „Τοῦ σοφωτάτου κυροῦ Μαξίμου τοῦ Πλανούδη, πε- „ρὶ τῆς ἐκπορεύσεως, τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ κα- „τὰ Λατίνων. Ἐρωτητέον πότερον ἡ ἐκ Πατρὸς „καὶ Υἱοῦ, τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκπόρευσις, ἄλλη „καὶ ἄλλη ἐστὶν &c. Sexto & quidem fol. 199. „pag. 2. & fol. 200. pag. 1. *Quarta Maximi Pla- „nudis Argumentatio contra Latinos de processione „Spiritus Sancti*, cujus titulus & principium: Τοῦ „Πλανούδη κυροῦ Μαξίμου. ὅτι καὶ ἐν ἅπασι τοῖς „λόγοις

„ὅσπερ ἡ Τριὰς θεωρεῖται. Καὶ γὰρ πᾶν ὁτιοῦν „τῶν ὑπὸ τὴν ὄψιν πιπτομένων &c. Extat autem *Reſponſio Cardinalis Beſſarionis ad quatuor Argumenta Maximi Planudis, De proceſſione Spiritus Sancti ex ſolo Patre*, cum aliis Græce & Latine edita a Petro Arcadio, in aurea ſua Opuſculorum Theologicorum Collectione, quam Romæ emiſit anno 1630. in 4.

Liber autem ſeu *Capita De proceſſione Spiritus Sancti contra Latinos*, Nam hic liber in Capita viginti diſtributus eſt: extat in eadem Bibliotheca Cæſarea Viennenſi, Codice MS. Theologico Græco 269. num. 1. ut habet Lambecius, lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 216. his verbis: „Primo & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 77. pag. 1. *Maximi Planudis, Monachi Conſtantinopolitani Liber contra Latinos de proceſſione Spiritus Sancti ex ſolo Patre, in Capita viginti diviſus*, cujus titulus & principium: Λόγος „περὶ πίστεως, ἐκτεθεὶς παρὰ τοῦ τιμιωτάτου ἐν „Μοναχοῖς Κυροῦ Μαξίμου τοῦ Πλανούδη. Πάσης „ἀγαθῆς πράξεως καὶ παντὸς ἔργου κατὰ Θεὸν „προηγεῖται πίστις &c. Vide Leonem Allatium Lib. 2. *De Eccleſiæ Occident. & Orient. perpetua Conſenſione*, cap. 17. parag. 4. *Argumentationes quidem quatuor* de quibus antea, quaſque confutavit breviſſimas illas quidem Cardinalis Beſſarion, editæ ſunt Græce & Latine cum *Confutatione Beſſarionis*, a Petro Arcadio Romæ, pag. 614. inter Opuſcula Aurea, quæ illic anno 1630. in 4. prodierunt: at prolixius longe iſtud Opuſculum de eodem argumento, nondum quod ſciam, in lucem erupit. Eſſe autem Opuſculum aliud, tum initium Operis, tum major extenſio oſtendit. Idem Opus extat Græce MS. in Bibliotheca Sereniſſimi Bavariæ Ducis Codice Græco CXV.

In eadem Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco 109. num. 12. ut habet Lambecius Libro 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 54. extat & quidem à fol. 158. pag. 1. usque ad fol. 170. pag. ultima, ejusdem Maximi Planudis Oratio ἀκέφαλος, ſive mutila principio, *in Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum*, quæ ibi nunc incipit his verbis, καὶ ὡς πάντας εὐψύχως ἔφερεν &c. Hanc autem Orationem ita mutilam ſub *S. Gregorii Nyſſeni* nomine, ex hoc Codice MS. Cæſareo ſeparatim in lucem edidit Jacobus Gretſerus 1620. Ingolſtadii Græcè & Latinè typis Ederianis in 8. Ibique in Præfatione ad Lectorem, ubi judicium ſuum de eadem Oratione indicat, hujus MS. Codicis Cæſarei unde Orationem hanc eduxit, expreſſè atque etiam nominatim mentionem facit. Licet autem ex Manuſcripti Codicis hujus fide ac titulo, iſtam Orationem S. Gregorio Nyſſeno inſcripſerit, fatetur tamen ſtylum illius a ſtylo S. Gregorii Nyſſeni diſcrepare non mediocriter. Sic revera S. Gregorius Nyſſenus non eſt author hujus Orationis, ſed *Maximus Monachus Conſtantinopolitanus cognomine Planudes*, qui integris circiter 958. annis S. Gregorio Nyſſeno junior eſt. Obiit enim S. Gregorius Nyſſenus anno 395. vel 396. Maximus autem Planudes circa annum Chriſti 1350. floruit, ut non ſolum ex ipſius *Epiſtolis*, quæ in Bibliotheca Cæſarea Viennenſi MSS. extant: verum etiam ex allato Raphaëlis Volaterrani teſtimonio, quod antea exhibitum eſt, luculenter videre licet. Eadem autem *Oratio in Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum*, quam Gretſerus ſub nomine S. Gregorii Nyſſeni mutilam edidit, bis jam a Lambecio integra reperta eſt ſub nomine Maximi Planudis, in duobus MSS. Codicibus Græcis Bibliothecæ Cæſareæ, quorum unus ordine X. inter MSS. Codices Hiſtoricos Græcos, alter autem inter Codices MSS. Philologicos Græcos, locum obtinet. In priori horum duorum Codicum, extant præter *Nicephori Gregoræ* & *Gregorii Cyprii Patriarchæ Conſtantinopolitani* varias Orationes Panegyricas, etiam *Orationes duæ Maximi Planudis*: altera num. 4. altera num. 5. ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 70. quarum prima inſcribitur, *In ſepulturam Chriſti & beatiſſimæ Virginis Deiparæ planctum funebrem*, atque incipit his verbis: Μαξίμου Μοναχοῦ τοῦ Πλανούδη εἰς τὴν Θεόσωμον ταφὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὸν ἐπιτάφιον θρῆνον τῆς Θεοτόκου. Ἃ μὲν ἄν τις εἰκόσι τεκμήριον τὴν παροῦσαν ἔχων κατάστασιν &c. Meminit hujus etiam Orationis Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, pag. 82. Secunda autem *In Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum*, hoc modo: Τοῦ αὐτοῦ εἰς τοὺς ἁγίους, ἐνδόξους, πανευφήμους καὶ κορυφαίους τῶν Ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ Πέτρον καὶ Παῦλον. Ἐδόκει μοι λέγειν τι περὶ τῶν Ἀποστόλων προθυμουμένῳ, μηδὲν εἶναι πάνυ πολλοῦ πράγματος, μηδὲ χαλεπὸν ἐγχειρῆσαι &c. Hæc nempe eſt illa ipſa Oratio, quam Gretſerus, ſub S. Gregorii Nyſſeni nomine mutilatè edidit, his verbis incipientem: καὶ ὡς πάντας εὐψύχως ἔφερεν &c. Ante hæc enim verba, integra tredecim folia in 4. deſunt, minutis litteris compreſſè ſcripta. Eodem modo eadem Oratio ſuppleri poteſt etiam ex altero illo Codice MS. Cæſareo, qui inter *Codices MSS. Philoſophicos & Philologicos Græcos*, ſexageſimus primus olim fuit. In eo enim præter *Maximi Planudis Epiſtolas centum viginti duas*, *Comparationem Veris & Hyemis*, & *Orationem in Sanctum Martyrem Diomedem*: extat quoque ejuſdem Planudis ſupradicta *Oratio in Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum*, quæ inſcribitur ibi atque incipit hoc modo: Τοῦ σοφωτάτου Κυροῦ Μαξίμου τοῦ Πλανούδη ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους ἐνδόξους καὶ πανευφήμους κορυφαίους τῶν Ἀποστόλων Πέτρον καὶ Παῦλον. Ἐδόκει μοι λέγειν τι περὶ τῶν Ἀποστόλων προθυμουμένῳ, μηδὲν εἶναι πάνυ πολλοῦ πράγματος &c. Eadem extat inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 44. num. 3. pag. 304. ſed integra ἐδόκει μοι λέγειν &c. Meminit ejuſdem Orationis Leo Allatius ſub nomine *Maximi Planudis*, in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 87. Hæc ex Lambecio Lib. 4. Commentariorum Biblio-

bibliothecæ Cæsareæ, pag. 54. & seqq. Hæc de Theologicis

Libri VII. Epigrammatum Græcorum, qui Græcè prodierunt Parisiis 1566. in 4. Græcè & Latinè per Lubinum 1603. in 4. & Francofurti 1600. cum scholiis variorum, Maximum Planudem Authorem, seu potius Collectorem habere, vulgò creduntur.

Dionysii Catonis Præcepta moralia & Distichà à Maximo Planude Græcè translata & expositione interlineari illustrata, prodierunt Augustæ Vindelicorum anno 1523. in 8. & Lugduni Batavorum 1598. in 8. Extant autem Græcè MSS. in eadem Bibliotheca Cæsarea, Codice MS. Theologico Græco 267. num. 34. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 215. Et in Codice MS. Philosophico Græco 133. num. 27. ut idem Lambecius Lib. 7. horum Commentariorum, pag. 250. *Ejusdem Maximi Planudis Versio Græca quinque Librorum Boetii de Consolatione Philosophica*, cum Prolegomenis Græcis & Annotationibus Græcis Marginalibus, extat in Codice MS. Philosophico Græco LXXXIV. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum pag. 144. Primus totius Codicis titulus generalis his ibi verbis constat: Βίβλος Ἀνικίου Μαλλίου Σεβηρίνου Βοηθοῦ, ἀπὸ Ὑπάτωνηγίεις τῶν Πατρικίων, ἣν μεθήνεγκεν ἐκ τῆς Λατίνων φωνῆς Μάξιμος μοναχὸς ὁ Πλανούδης. Sequuntur deinde hæc Prolegomena: Βοήθιος ὁ σοφὸς ἦν μὲν ἐκ τῆς τῶν Τυρκουάτων οἰκίας. γέγονε δὲ ἐμπειρότατος τὴν παιδείαν &c. Ibidem Codice MS. Philosophico Græco 133. num. 3. & quidem fol. 22. pag. 2. *Maximi Planudis, Constantinopolitani Monachi Epistola*, cujus titulus & initium: Ἐπιστολὴ κυρίου Μαξίμου τοῦ Πλανούδη. Ἐφίμην πολὲ καλῶδυνασθεὶς &c. In Bibliotheca Hispana Scorialensi extant Græcè *Maximi Planudis Orationes & Epistolæ*. In Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis Codice 96. *Maximi Planudis* Epistolæ 92. non sine lacunis, cum versibus quibusdam ejusdem & comparatione Veris & Hiemis. Plura *De Maximo Planude ejusq; Epistolis*, Lib. 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Lambecius, p. 56. & 57. Denique ejusdem *Carmen De Vrinis & Sanguine Phlebotomia* extat MS. ibidem, Codice MS. Theologico Græco 269. ut habet idem Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 218. his verbis: Nonò & quidem à fol. 312. pag. 1. usque ad folium 319. pag. 1. Maximi Planudis Monachi Constantinopolitani *Carmen de Vrinis & de Sanguine Phlebotomia*. Ipsa tituli Græci verba cum principio Carminis hæc sunt: Διάγνωσις ὑελίων τοῦ ἱερ. περί τε χρωμάτων καὶ ὑποστάσεως αὐτῶν, καὶ αἰτίας ὅθεν συνέβη, καὶ ἐφεξῆς θεραπείας αὐτῶν, ἐκτεθεῖσα παρὰ τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Μαξίμου μοναχοῦ, τοῦ Πλανούδη. Τῶν ἀσθενῶν ὑελίας μάθε τρισκαίδεκα. Τὸ μὲν λευκὸν τὸ πρῶτον &c. Opusculum autem istud, quod in hoc Codice MS. attribuitur Maximo Planudi, in aliis duobus ejusdem Bibliothecæ Codicibus datur & inscribitur *Nicephoro Blemmida*, puta Codice MS. Medico Græco XL. num. 5. & Codice XLII. num. 2. ut habet idem Lambecius Libro 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ, parte 2. pag. 56. & 58. Idem Opus in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice MS. Græco 957. Item *Maximi Planudis Monachi* Ψηφηφορία κατ' Ἰνδοὺς ἡ λεγομένη μεγάλη, in Codice Regio Græco 1304. de qua vide Stephanum Le Moine tomo 2. *Variorum Sacrorum* pag. 797. Ita Carolus du Fresne du Cange, in Catalogo MSS. Codicum Græcorum, quibus usus est in suo *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* concinnando, quem ad calcem subjunxit, col. 29. Item *Scholia in Diophanti priores duos libros*, à Guillelmo Xilandro unà cum Diaphanto edita Basileæ 1575. *Æsopi fabulatoris Vita & Apologia*, Græcè & Latinè Venetiis anno 1521. & innumeris aliis locis. *Ejusdem Dialogus de Grammatica* atque *Tractatus de Syntaxi*, extant MSS. in Bibliotheca Augustana, & ex ejus Indice constat pag. 25. Agunt *de Maximo Planude* Henricus Warthon in Supplemento ad Cavum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1340. pag. 33. Josias Simlerus *in Epitome Bibliotheca Gesneriana*, pag. 498. Petrus Lambecius Lib. 4. Commentarium Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 248. & 258. Lib. 5. pag. 343. & 366. 376. & 380. Lib. 6. parte prima, pag. 207. & 215. Lib. 7. pag. 293. & 307. 318. & 324.

DISSERTATIO SINGVLARIS
DE
VITA ET OPERIBVS NICEPHORI GREGORÆ MONACHI.

PROLOGVS

Collegeram multis ab annis plurima, de vita & Operibus tum MSS. tum impressis Nicephori Gregoræ Monachi: sed cùm nuperrime Joannes Boivin Bibliothecæ Galliarum Regiæ custos, novam editionem *Historiæ Byzantinæ* Nicephori Gregoræ aggressus sit, sub hoc titulo, *Nicephori Gregoræ Historia Byzantina Græcè & Latinè cum notis Johannis Boivini, Parisiis ex Regia typographia anno 1702. in folio:* multaque paucis nota, de vita atque operibus Scriptoris hujus præmiserit splendidissimæ huic editioni multis ab annis promissæ: occasionem hinc

hinc sumpsimus Dissertationis hujus singularis, quam maximâ ex parte, citatâ ex editione, illique præmissis accipiemus.

CAPUT PRIMUM.

VARIA DE VITA ET OPERIBUS MSS. NICEPHORI GREGORÆ, HINC INDE CONGESTA.

1320 NICEPHORUS GREGORAS, floruit ab anno 1320. ob eloquentiam ac mentis dotes, vivens sub Andronico Seniore Palæologo, ejusque ex Michaelis filio, nepote Andronico Juniore, qui verissime pervenit usque ad tempora postrema Joannis Cantacuseni, & ad annum Christi 1360. vel circiter. Multa inseruit de se suisque rebus, Libris 7. 8. & 9. *Historiæ* suæ, de quo non pauca quædam Joannes Cantacusenus Lib. 4. capitibus 23. 24. & 25. ubi *virum levem & mendaciorum plenum* appellat. Georgius Phranzes, & ex recentioribus Wolphius, Lipsius, Possevinus, Vossius, atque et eo ut assolet, Aubertus Miræus. Extitit ille Theodori Metochitæ discipulus, quippe qui & litteras ab eo accepisse se referat, quem ut posteà dicemus & Oratione sua funebri defunctum, honestavit. In rebus Andronici Junioris, cujus in morte impressa ejus Historia desinit, minorem meretur fidem. Sane Cantacusenus Historiæ suæ lib. 4. capp. 23. 24. & 25. maxime illum exagitat, tanquam levem hominem & mendaciorum reum, quod plausibile satis est. Vixerat nempe Nicephorus ille in aulâ Andronici Avi seu Senioris, nec res nepotis tam exacte nosse potuit, quam præsens Cantacusenus. Affectu simul etiam abripiebatur, quominus veritatem cerneret, vel saltem scriberet. Impensè enim favebat avo adversus nepotem, inter quos de Imperio certabatur. Neque de Andronico solum Juniore, sed de Cantacuseno etiam mentitum fuisse censet Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 29. pag. 309. Sed illa quæ de hujus gestis prodidit, vel in Bibliotheca quadam cum blattis tineisque rixantur: vel (quod male putavit Vossius) penitus lapsu temporum interciderunt. Vult tamen Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1250. num. 21. ea fuisse verissima, quæ à Nicephoro Gregora contra Joannem Cantacusenum scripta sunt. Unde nihil non movet Cantacusenus, quo Nicephorum Gregoram denigrare possit, suspectumque hominem reddere: quem & hæreticum fuisse Palamitam narrat, ideoque carceri à se mancipatum. Refert enim Cantacusenus Lib. 4. *Historiæ* suæ cap. 21. „Se confusionem horribilem & turbas in Ecclesia excitatas intuentem, ob secessionem „Sectatorum Barlaami & Acyndini a communione cæterorum, permisisse Callisto Patriarchæ Constantinopolitano, aliisque Episcopis, & „Monachorum primariis contraria sentientibus, circa annum 1350. Synodum congregari, ad examinanda dogmata & conciliandam„ pacem, vocato ad eam imprimis Gregorio Palama Thessalonicensi Archiepiscopo. Coacta„ igitur Synodo apud palatium in Blachernis,„ ipso Cantacuseno præsente & nobilissimis quibusque proceribus, atque in Controversiarum„ quæstione inter Palamam & Acindynianos,„ quorum Antesignani erant Metropolitæ Ephesi & Gani, Nicephorusque Gregoras &„ Dexius: diebus quatuor consumptis, decretum tandem esse, prædictos Ephesi & Gani Metropolitas ab ordine movendos: Barlaamum„ verò & Acindynum jam vitâ functos, a corpore Ecclesiæ resecandos. Illos qui ad Ecclesiæ„ doctrinam reverterentur, sine ulla præteritorum„ exprobratione suscipiendos: qui verò us-„ que in finem in obstinatione permanerent, iisdem pœnis, quibus Barlaamus & Acindynus,„ mulctandos: hisque Decretis subscripsisse„ primò ipsum Cantacusenum Imperatorem,„ deinde Joannem Palæologum Juniorem Augustum, postea Callistum Patriarcham, cum„ Episcopis.„ Hæc ille; extareque dicuntur integra Acta hujus PseudoSynodi, MSS. in Bibliotheca Augustana, a Jacobo Pontano, Lib. 2. *in Cantacusenum* cap. 40. „ Addit Rursus Cantacusenus, prohibitum post hæc fuisse omnibus,„ quicquam amplius de his aut scribere aut disputare: ut cum nihilominus multi quiescere„ non possent, hos carceribus fuisse inclusos.„ Interque eos potissimum Gregoram narrat„ idem Cantacusenus Lib. citato cap 24. Scriptis„ suis ad diversos exaratis, tam contra Ecclesiam„ Constantinopolitanam, ut falsorum dogma-„ tum approbatricem, insanisse: quam contra„ ipsum Cantacusenum, quem uti ejusdem pravitatis, necnon ambitus & usurpationis Imperii„ reum, laceravit: ac denique Monachos Montis Athos non solùm Massalianismi, sed etiam„ multorum aliorum errorum, crapulæque ac„ violentiæ accusasse.„ Hæc verbose ut assolet Cantacusenus, vehementissime in Gregoram commotus, & sese ab ejus accusationibus, quibuscunque potest modis, defendens. Ut mere Propheta Regius Psalmo 143. dixerit, *Tange montes, & fumigabunt.* Nam qui moderatissimum se ubique demonstrare voluit, hic ubi se inre universo Orbi patentissima, usurpatione scilicet Imperii, quam ipse diluere omni conatu semper annisus est, ad vivum nsque tactum persensit: totus extra se raptus, miserum Gregoram nullis non mendacii, seditionis, impudentiæ & calumniæ criminibus exagitavit, exprobrans etiam, quòd & alias ipse de Dogmate controverso secus sensisset. Denique & ipsum adeo in Monasterio *Christi* dicto, vitam in solitudine ducentem Palamam, constringi imperavit: ut nemini aditus ad eum daretur, nec ipse ad quenquam litteras dare permitteretur. Hæc Cantacusenus contra Nicephorum Gregoram hostili plane calamo conscripsit, quibus plurimi parum attendunt.

Historia Nicephori Gregoræ impressa Libris XI. comprehensa, ab anno 1204. quo Balduinus, aliique Franci Venetis juncti Constantinopolim cœperunt, usque ad annum 1341. quo Andronicus Junior obiit, Græce & Latine in fol. Basileæ prodiit anno 1562. interprete Hieronymo Wolfio Oetingensi, ac deinde Genevæ, anno 1615. in fol. cum Nicolao Chalcondila & Georgio Logotheta, apud Guillelmum Roverium. Non tantum autem libris XI. constat *Historia Nicephori Gregoræ*, ut ab Hieronymo Wolphio edita est, neque reliqua ejus pars temporum lapsu intercidit, ut falso putavit Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 29. pag. 310. Gerardus Joannes Vossius: Sed in Regia Galliarum Bibliotheca, inter MSS. Codices Græcos num. 2079. extant adhuc *Libri VI. Historiæ Nicephori Gregoræ*, qui nondum in lucem prodierunt, ita ut Historia illius integra in Libros XVII. extendi debeat, quibus complexus est res annorum CXLV, nempe à Theodoro Lascare priore, usque ad suam ætatem, sive obitum Andronici Palæologi posterioris, qui in annum M CCC LXI. incidit. In his absque dubio extabunt, quæ ille contra Cantacusenum scripsit, & quæ in editis deesse conqueritur Vossius. Integram hujus Operis editionem meditabatur Carolus Dufrenius du Cange, cujus propositum mors abrupit. At in Catal. MSS. Codicum Græcorum Bibliothecæ Hispanæ Regiæ Scorialensis, lego apud Barvoëtium extare Græcè *Nicephori Gregoræ Libros Historiarum viginti novem*, ex quibus *undecim* tantùm excusi sunt. Vnde ambigi possit adhuc, an Codex Regius Gallicus de quo locuti sumus, integer sit. Et extant quoque inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Codice 700. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi atque Oxoniensis Academiæ Cancellarii litera C. Codice 48. *Nicephori Gregoræ Libri decem Historiæ Romanæ & principium undecimi.* Præterea Nicephorus Gregoras *Librum Synesii De insomniis* interpretatus est, cujus Hypomnema seu Commentarium, Græcè edidit anno 1553. cum Synesii Operibus, Adrianus Turnebus. Græcè verò & Latine ex versione Antonii Pichonii, extat in collectione *Operum* Synesii, anni 1613. & 1632. à Dionysio Petavio publicata, ut suo loco observatum est. Extat MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Philosophico Græco 142. num. 1. cum præfatione ad Magnum Logothetam Theodorum Metochitam: de quo Lambecius tomo 7. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ pag. 262. & in Catalogo pag 295. Et inter MSS. Codd. Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ Codice 6558. in MSS. Codicibus Henrici Savilii Codice 11. num. 3. Joannes quoque Meursius anno 1618. post falsò attributum *Theodoro Metochitæ*, Romanæ Historiæ à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum, *Librum singularem*, ut vocat: adjecit *Nicephori Gregoræ Orationem funebrem, in mortem Magni illius Logothetæ Theodori Metochitæ*, Græco-Latinam: quam Labbeus post suos *Commentarios* in Michaelis Glycæ Annales, Græce & Latine recudendam curavit, Parisiis anno 1648. typis Regiis in folio, cum aliis Historiæ Bizantinæ Scriptoribus. Denique sub ejusdem nomine, impressa extat *Passio S. Cordati Corinthii aliorumque Martyrum Achæorum*, Græce & Latine, inter *Acta Sanctorum* ad diem X. Martii, à Godefrido Henschenio & Daniele Papebrochio. Consignavit & scripto *Vitam Joannis Heracleæ Metropolitæ, avunculi sui*, ut ipse in IX. *Historiæ* suæ libro author est.

Non insignis tantum Historicus & Theologus, ut postcà probabitur ex allatis Opusculis, sed Philosophus quoque multa scripsit, quæ MSS. in Anglicis Bibliothecis latent. Nimirum inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Codice Barocciano Græce 48. extant *Nicephori Gregoræ varii Tractatus Philosophici*

1. Vtrum Bruta sint ratione prædita?
2. Visionem non fieri extra mittendo.
3. Aerem non esse naturà frigidum.
4. De fluviis & mari pag. 9.
5. De Sole, an sit natura calidus? p. 10.
6. Vtrum anima sit immortalis secundum Aristotelem?
7. Relata esse simul natura p. 12.
8. Terram esse natura siccam & sphæricam pag. 13.
9. Numerum Septenarium multis nominibus sacrum esse. p. 15.
10. De mensura Arcæ Noë; ex Origene pag. 19.

Ibidem Codice 116. pag. 7. b. Nicephori Gregoræ encomium Patriæ ὅτι μὲν οὐδὲν.

Ibidem Codice 3338. in MSS. Codd. Joannis Seldeni Cod. 8. num. 3.

Nicephori Gregoræ Liber *De Astrolabio* extat Latine, Georgio Valla Placentino, interprete; qui etiam Græce MS. extat inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 8559. in MSS. Jacobææ Bibliothecæ Cod. 837. Jam ad Theologica procedamus.

Extant paucæ Orationes Nicephori Gregoræ impressæ, sed impressis longe plures Græce Manuscriptæ in Vaticana Bibliotheca, nimirum.

Nicephori Gregoræ Protheoria velut in forma Epistolæ, in Synesii Sermonem *De insomniis.* Liber alter cujus inscriptio est, Ἐξήγησις τοῦ σοφωτάτου Γρηγορᾶ, Expositio Sapientissimi Gregoræ *De Divinis.*

Ejusdem ad quendam amicum, De iis, qui conviciantur.

Ejusdem Lepentrino in Cyprum Magno Logothetæ.

Ejusdem Epistolæ, Acclamationes & Sermones. Magno Logothetæ adhortatoria ad Astronomiam.

Ejusdem Monodia in Magnum Logothetam, in mortem Regis Andronici Palæologi.

Altera Monodia in Magnum Logothetam.

Dia-

Dialogus De Curiosis sive de Conviciatoribus.

Ejusdem alii Sermones & Monodiæ.

Ejusdem Epistola ad quendam Josephum.

Ejusdem Poëmata. Ejusdem rursum Dialogus.

Ejusdem de Paschate demonstratio, quomodo aberraverit ante tempora, & quonam modo ejus correctio facienda sit. Idemque opusculum MS. in Bibliotheca Serenissimi Ducis Bavariæ Codice 102. Eædem autem Nicephori Gregoræ Orationes & Encomia in varios, in Bavarica eadem Bibliotheca Codice 211. Jam ad Vaticanam revertamur.

Ejusdem Sermo in Superſanctam Deiparam, continens Nativitatem & ingressum in Sancta Sanctorum.

Ejusdem Nicephori Opus Historicum elaboratum, incipiens à Constantinopoli capta.

Ejusdem de Regibus Christianorum.

In eadem quoque Vaticanâ Bibliothecâ, sed ex Codice MS. Heidelbergensi 299. *Nicephori Gregoræ Orationes octo*, quarum prima continet *Dialogum Theotimi atque Agathangeli:* ultima est *Responsio ad Imperatoris Concionem De fortuna & fato*. Item *Narratio Colloquii, quod cum Palama coram Joanne Palæologo Imperatore Constantinopolitano habuit, divisa in tres libros*, quorum ultimus imperfectus seu mutilus est.

At longe adhuc plura extant ejusdem Gregoræ, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, quorum sibi Catalogum brevem atque sub uno conspectu referam, collectum hinc inde ex variis tomis Commentariorum hujus Bibliothecæ, quos Petrus Lambecius diffusissime conscripsit.

Extat Codice MS. Theologico Græco CXL. num. 7. ut habet Petrus Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 61. his verbis. „Septimò & quidem à fol. 108. pag. 1. „usque ad fol. 128. pag. 2. *Nicephori Gregoræ* „*Oratio in Sanctum Theophanonem; Imp. Leonis* „*VI. cognomine Philosophi vel Sapientis primam* „*conjugem*, de qua vide Card. Baronium *in An-* „*nalibus Ecclesiasticis* tomo X. anno Christi 901. „num. 5. & 8. cujus memoria a Græcis colitur „die decimo sexto Decembris. Ipsa tituli Græ„ci verba cum principio Orationis, hæc sunt: „Τοῦ σοφωτάτου Κυροῦ Νικηφόρου τοῦ Γρηγορᾶ λό„γοι εἰς τὴν ἁγίαν Θεοφανὼ τὴν βασιλίδα. Πολ„λοὶ μὲν πολλάκις τῶν ἀρετῇ καὶ συνέσει διαφε„ρόντων προεστίασιν ἄλλοτε ἄλλοι, παραινοῦντες καὶ „συμβουλεύοντες &c. Idem in Catalogo hujus tomi pag. 249. & 258.

Item inter MSS. Codices Theologicos Græcos ejusdem Bibliothecæ, extat Codex 332. MS. Chartaceus antiquus & lectu dignissimus, qui olim ad Joannem Sambucum pertinuit, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur. Hic fere totus continet *Opuscula complura Nicephori Gregoræ*, de quo abunde Petrus Lambecius tomo seu libro 5. hujus Bibliothecæ Cæsareæ, pag. 288. & sequentibus, atque in Catalogo pag. 346. & 366. Hujus hic Dissectionem facere, Lambeciana compendiosiorem, haud opinor Lectoribus ingratum erit: qui inde colligent, quam multa adhuc Opuscula tam Latinorum Scriptorum, quam Græcorum in Bibliothecis lateant. In hoc ergo Codice Theologico 332. extant.

Nicephori Gregoræ Dialogus de Statu primi hominis ante lapsum, num. 1. pag. 1. seu folio, usque ad fol. 15.

Ejusdem *Epistolæ variæ ad diversos*, num. 2. a fol. 15. ad folium 57.

Ejusdem *Oratio ad Imperatorem Andronicum Seniorem Palæologum, qua illi gratias agit ob singularem humanitatem sibi ægrotanti exhibitam*, ibidem n. 3. a folio 57. ad fol. 65.

Ejusdem *Dissertatio de prærogativa Virginis Deiparæ super Seraphim*, ibidem num. 4. a folio 65. ad 69.

Ejusdem *Prologus in Narrationem de Susanna*, ibidem n. 5. p. seu f. 69.

Ejusdem *Precationes variæ ad Christum & beatissimam Virginem Deiparam*, ibidem num. 6. a f. 70. ad 73.

Ejusdem *Dissertatio contra simulatores Sapientiæ*, ibidem num. 7. a fol. 74. ad 81. cui Dissertationi adjecta est in fine *ejusdem Epistola ad Principem Philosophorum*.

Ejusdem *Ecphrasis sive Descriptio Resurrectionis D. N. Jesu Christi*, ibidem num. 8. a fol. 82. ad fol. 86.

Ejusdem *Monodia sive Oratio funebris in obitum Calliergi*, num. 10. a folio 126. usque ad 131. Item numero 9. a fol. 86. usque ad 126. continetur ejusdem *Nicephori Gregoræ Prologus Encomiasticus in Homerum, atq; Narratio errorum Ulyssis, cum explicatione eorundem Morali*.

Ejusdem *Oratio Parænetica ad Imperatricem, super obitu Theolepti Episcopi Philadelphiensis*, ibidem n. 7. a fol. 131. ad 135.

Ejusdem *Epistolæ tres de diversis argumentis*, ib. n. 13. f. 136.

Ejusdem *Monodia sive Oratio funebris in Imperatricem, super obitu fratris ipsius Joannis Chumni*, ib. n. 15. a f. 146. ad 150.

Ejusdem *Precatio ad Christum in ingressu in urbem Ephesinam*, ibidem num. 18. folio 150. ad 152.

Ejusdem *Excerpta ex duodecim minorum & quatuor majorum Prophetarum Vaticiniis cum Explanatione*, ibidem num. 17. a folio 152. ad folium 245.

Ejusdem *Collectio insignium quorundam locorum, ex libro Jobi cum expositione illorum*, ib. n. 18. a f. 146. ad 277.

Ejusdem *Epistolæ tres*, ibidem n. 19. a f. 278. ad f. 293.

In eadem Imperatoria Vindobonensi Bibliotheca, inter MSS. Codices Historicos Græcos, Cod. X. n. 1. extant quoq; *Nicephori Gregoræ Oratio de Nativitate Beatissimæ Deiparæ Virginis, præsenta-*

tione & educatione in templo: ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, p. 64.

Ejusdem *Nicephori Oratio in Annuntiationem beatissimæ Virginis Deiparæ*, ib. n. 2.

Ejusdem *Nicephori Gregoræ Oratio encomiastica in Imperatorem Constantinum Magnum*, ibidem num. 3. de quibus Lambecius Lib. 8. Commentariorum Cæsareæ Bibliothecæ, pag. 64. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 562. & 579.

Denique in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis extant Manuscripta Græce, Codice 102. *Nicephori Gregoræ Demonstratio de emendando tempore Paschatis*. Cod. 162. *Expositio in Synesium De insomniis* ad Palæologinam. Cod. 212. *Nicephori Gregoræ Orationes & Encomia in Varios &c.* quibus immorari diutius non vacat. Ejusdem quoque Gregoræ diversas Orationes recenset, Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, pag. 82. *In sanctissimæ Mariæ nativitatem & in templo præsentationem*, λόγος εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον, διαλαμβάνων τήν τε γέννησιν, καὶ τὴν εἰς τα ἅγια τῶν ἁγίων εἴσοδον, καὶ ἀνατροφὴν αὐτῆς. Incipit, ἀκήκοα Μωσέα τὸν μέγαν τὸ ξένον ἐκεῖνο τῆς βάτου. Pag. 87. βίος τοῦ ἐν ἁγίοις πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Ἀντωνίου, τοῦ τὴν μονὴν τοῦ Κολέως συστησαμένου. *Vita Sancti Patriarchæ Constantinopolitani Antonii Cauleo Præfecti*, Initium, εἰ δὲ καὶ θνητὴν φύσιν ὁ χρόνος: καὶ πάντων ἐστὶ πατὴρ, ὁπόσα φθορὰ καὶ γένεσις βόσκει. Pag. 88. μαρτύριον τοῦ ἁγίου Κοδράτου, τοῦ ἐν Κορίνθῳ τῆς Πελοποννήσου. *Martyrium Sancti Codrati, apud Corinthum Peloponnesi*. Incipit, Ἐμοὶ δὲ τὸν τοῦ μεγάλου μάρτυρος Κοδράτου βίον διηγεῖσθαι προελομένου. Ibidem pag. 88. λόγος εἰς τὸν Εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. *In Annunciationem Sanctissimæ Deiparæ*. Incipit, Ἐμοὶ δὲ τῶν ζωγράφων ἐκείνους πολλάκις ἐπῆει θαυμάσαι. Pag. 97. εἰς τὸν ἅγιον καὶ ἔνδοξον μεγαλομάρτυρα Μερκούριον. *In sanctum & gloriosum magnum Martyrem Mercurium*. Incipit, καὶ κυβερνήτης μὲν πρὸς ἄνεμον παρατατόμενος βίον. Pag. 100. βίος καὶ πολιτεία καὶ ἄθλησις τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μιχαὴλ τοῦ Συγγέλλου. *Vita & conversatio & certamen Sancti Patris nostri Michaelis Syncelli*. Incipit, Νόμος οὗτος ἤνθησε πάλαι παρ' Ἕλλησι, καὶ μέγα τῷ χρόνῳ τὸ κράτος εἰλήφει. Pag. 107. εἰς τὴν ἁγίαν Θεοφανὼ, τὴν βασιλίδα, *In Sanctam Theophanum Imperatricem*. Incipit, πολλοὶ μὲν πολλάκις τῶν ἀρετῇ καὶ συνέσει διαφερόντων προσίασιν ἄλλοτε ἄλλοι παραινοῦντες.

Ad stylum Historiæ quod attinet, longe vincitur a Niceta Choniate, cujus Historiam excipit: ipse enim redundans est, aliaque vitia ab ævo suo accipit. Mulra enim de se miscet, parum decore, vel inepte potius, totus ad gloriam capessendam anhelans & inhians: licet de causis rerum & eventuum idoneus satis index esse solear. Vide de eo summi viri Justi Lipsii judicium, *Notis* in librum Politicorum. Plura de Gregora quisquis in utramque partem voluerit, legat, quæ ipse de se narrat *in Historia*, Libris VII. VIII. & IX. Joannem Cantacusenum Lib. 4. *Historiæ* capp. 23. 24. & 25. De Scriptis ejus agunt Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Scriptorum* pag. mihi 618. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. verbo *Nicephorus Gregoras* pag. 142. ubi multa ejus Scripta in Italicis latentia Bibliothecis enarrat. Et tomo 1. verbo *Gregoras*, pag. 654. Et Libro 16. *Bibliotheca Selecta* cap. 23. ubi judicium de ejus Historia suum profert. Robertus Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1330. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 29. pag. 309. Philippus Labbeus tomo 2. Dissertationis suæ *in Scriptores Ecclesiasticos à Bellarmino recensitos*, verbo *Nicephorus Gregoras*. Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis* Baronios excipientibus, ad annum 1350. num. 21. Carolus du Fresne Dominus du Cange in Indice Auctorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, col. 30. & in Indice Scriptorum editorum col. 57.

CAPUT SECUNDUM

QUÆNAM JOANNES BOIVIN EXHIBEAT, IN PRÆLUDIIS HISTORIÆ BYZANTINÆ GREGORÆ NOVISSIMIS, QUAM PARISIIS ANNO M DCC II. IN FOLIO E TYPOGRAPHIA REGIA PROCURAVIT.

HÆc nos edocent *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno MDCCIV. mensis Aprilis pag. 173. ad 179. Præmisisse nempe Joannem Boivinium de vita Nicephori Gregoræ enarrationem prolixam, quæ vitæ epochas omnes accurata chronologia recenset. Equidem non ignoravit Boivinius *Martinum Hankium*, virum ipsius quoque judicio doctum, & in Historicis Græcis Latinisque haud mediocriter versatum, vitam Gregoræ non ita pridem vulgasse, satis accurate enarratam. Attamen cum ille libros Gregoræ alios non vidisset, quam Vndecim priores, ab Hieronymo Wolfio editos: Boivinius autem triginta octo integros habuerit, aliaque ejusdem Auctoris anecdota, ac in iis maxime *Dialogum de Sapientia*, qui & *Florentius* inscribitur: fieri inde non potuit, quin Vita Gregoræ ex tot novis Codicum MS. & anecdotorum adjumentis magnam partem amplior a Boivinio adornaretur.

Natus est *Nicephorus Gregoras* noster in Asia, circiter annum Christi 1295. imperante Andronico Seniore. Paphlagonem eum facit Patriarcha Philotheus *in Antirrheticis*, at ipse Gregoras in Dialogo de Sapientia vocat se *Heracleotam*. De parentibus aliisque ejus cognatis, præter avunculum Joannem, Heracleæ Metropolitanum, nihil memoriæ proditum esse, Boivinius com-

commonet. Eum autem præceptores tres habuisse maxime illustres memorat, Joannem avunculum, Glycyn Patriarcham Byzantinum, & Theodorum Metochitem, Magnum Logothetam. Sub Antistite avunculo, *suo* (ut alicubi loquitur) *post Deum ab infantia curatore*, in urbe Heraclea, quæ Heraclea Ponti dicitur, & in finibus Paphlagoniæ sita est, prima puerilis doctrinæ rudimenta posuit. Inde translatus Byzantium, in Rhetoricis se, in Patriarchæ Joannis Glyceos, disertissimi apud illius ævi homines & Attici Sermonis peritissimi Rhetoris, disciplinam tradidit. In Astronomicis verò ibi Magnum Logothetam, magistrum sibi excellentem elegit. De hoc Magno Logotheta scitum est dictum Gregoræ, quo ab Andronico Seniore interrogatus, quo pacto Metochites a tenuibus initiis profectus, Summus Astronomus evasisset? Respondit, *Nihil mirum, ex parva lampade magnam facem accendi.* Jam annos 27. nactus, a Logotheta Magno, in Imperatoris Andronici aulam, omnis eo tempore honestatis & virtutis officinam & literariæ eruditionis gymnasium, Gregoras se contulit. Vbi cum gravi inter cætera oratione, duas in Andronico virtutes, sapientiam & eloquentiam solenniter laudavisset, ultra quam speraverat, benevolum sibi Imperatorem expertus est. Ita quidem, ut ei, acerbissima utur apud Græcos oratorum indignatione, in gratiæ pignus Chartophylacis dignitarem offertet: quem tamen honorem, in Ecclesia apud Græcos primum Gregoras modeste repudiavir. Aliquanto post, anno Christi circiter 1324. nobilis inter eruditos de Paschate controversia orta est. In qua cum & Gregoras suam de Paschatis diei correctione sententiam in Andronici palatio docte explicuisset, & Paschatis Festum proxime ante diem Martii vigesimum, instituendum esse demonstrasset: illius quidem consilium de Paschate corrigendo Imperator probavit, rem tamen ipsam, quod diem vigesimum secundum Martii, toto orbe receptum, vix aut difficulter aboleri posse prævideret, aggredi noluit: usque dum alii Astronomi & Chronologi, & in iis præcipue Isaac Argyrus Gregoræ sententiam defenderunt. Et seculo demum XVI. ap. Latinos, Calendarium ex auctoritate Gregorii XIII. eo fere modo, quem Gregoras designaverar, reformarum fuir. Anno 1326. legatus Gregoras ad Cralem missus est, ut quod etiam persuasionibus suis impetravit, Irenem Theodori Metochitæ filiam ad patrem reduceret, quæ mortuo conjuge Joanne Palæogo, ex Panhypersebasto Cæsare creato, ad Cralem generum suum secesserat. Biennio post, cum Junior Andronicus Constantinopolim noctu per proditionem ingressus esset, Gregoras bonis omnibus spoliatus, non tamen eodem cum Metochite, utpote Didymotichum relegato, infortunio in exilium missus fuit. Auxit eas calamitates mors Johannis avunculi, Heracleæ Archiepiscopi. Non multo post tamen in pristinum gratiæ & honoris locum restitutus est, cum Barlaamum Calabrum, hominem elatum, qui se scire omnia gloriatus fuerat, in conflictu cum eo instituto, magno eorum qui aderant adplausu, ad silentium redegisset. Itaq; ad publicam jam docendi provinciam redire jussus, magnum universo fere orbe sibi nomen fecit, & ut hodie Aristoteles in Scholis, ita ipse tum per antonomasiam *Philosophus* vulgò dictus est. Neque enim verò imberbes solum adolescentes discipulos nactus, sed doctrinæ etiam consummatæ Philosophos, Astronomos, Rhetores, aliosque ætatis provectæ literatos: quos videlicet Gregoræ eruditio omnigena, & supellectili mathematica, librariaque instructissimum musæum, undecunque excitos, alliciebat. Interea anno Christi 1332. Senior Andronicus, & triginta diebus post, Magnus Logotheta decessit: cujus utriusque mortem, Gregoras hortatu cognatorum, monodia publice recitata lamentatus est. Post Andronici Senioris mortem, anno 1333. oblatum a duobus Latinis Episcopis, Joannis XXII. legatis, de componendis Ecclesiarum dissidiis certamen, Gregoræ consilio, a Græcis declinatum fuit. Ille enim longa apud Patriarcham, coram Selectis Episcopis, oratione edisseruerat, non permittendum cuivis disputare cum Italis & Summi Pontificis legatis. Deinde controversias fidei, omnibus Ecclesiæ Præsulibus convocatis oportere definiri, porro munus constituendi judicis ad Græcos pertinere, quædam & alia. Nihilominus Barlaamus pro Græcorum dogmate, mulra tum scripsit adversus Romani Pontificis legatos, quorum pauca typis expressa, pleraque tamen Manuscripta, in Codicibus Galliæ Regiis, extare Boivinius perhibet. Annis ex eo tempore septem elapsis, acres inter Barlaamum & Gregorium Palamam contentiones exortæ, magnas in Ecclesia Græca turbas excitarunt, ex quibus multæ postea in Gregoram molestiæ redundarunt. Palamas enim jam pridem à Gregorâ notatus, quod Divinam substantiam oculis corporeis à se visam jactasset, patrocinium Græcorum Monachorum suscipiebat: quibus Divinum lumen corporeis itidem oculis videri posse affirmantibus, & lumen qui in monte Thabor discipulos Christi circumfulsisset, increatum simul & aspectabile fuisse dictitantibus: Barlaamus Massalianismum & Omphalopsychorum errorem acerrimè objectabat. Itaque anno Christi 1341. mense Junio, litis dirimendæ causâ, Concilio ab Imperatore indicto, lectissimi ac doctissimi Byzantiorum ad S. Sophiæ ædem convenerunt. At Gregoram peramanter & sollicitè invitatum ab Imperarore & Patriarcha, chronicus tum suus, isque vehementissimus capitis dolor, domi detinuit. Triduo vel quatriduo post habitam Synodum, in qua, quid actum sit, nihil certi constare, ait Boivinius: vitam finivit Andronicus Junior Imperator: cujus mortem tertio luctus die Gregoras, hortatu Principum domus Augu-

ftæ, flebili oratione profecutus eft. Poft hæc Byzantii civili bello diftincti, ipfaque Ecclefia dogmaticis Palamitarum & Acindynianorum rixis perturbata fuit. In iis turbis, maximis Theologorum inter fe altercantibus, Gregoras cùm in folitudinem ultroneus conceffiffet, unus filuit, quod tum pacifica fua confilia nihil apud quenquam valere animadvertiffet. Ab Anna autem Augufta, poft convocatam à Joanne Patriarcha circa annum Chrifti 1345. Synodum, quæ Palamam ut hæreticum damnavit, in aulam iterum accitus, & ab Acindyno, ut filentium rumperet, ftimulatus, Palamam & Palamitas omnes qua fcriptis, qua dictis infectari cœpit. Et perftitit in eo Gregoras, in exilium forte ea propter, minis Auguftæ Palamæ reconciliatæ iturus, nifi Byzantium fub illud tempus, anno Chrifti 1347. Cantacuzenus cœpiffet. Hic cum longe antequam ad fupremam dignitatem evectus effet, Nicephorum Gregoram in intimis habuiffet, jus veteris familiaritatis jam quoque integrum ei fervavit, velut plus æquo anteà in Palamitas propenfus. Gregoras proinde de Imperatoris *amici*, ut loquitur, falute follicitus, omnibus modis, ut aberrantem in viam reduceret, annifus eft: atque demum quoque Irenæ uxoris in fuas partes pertractæ fuafu, multis ultro citroque Sermonibus habitis pervicit, ut Ifidori Canones feu Hymnodiæ igne Byzantii delerentur: illique, quibus hucusque adempta erat, loquendi libertatem reciperent. Biennio ferè poftquam hæc gefta funt, fub anni 1349. exitum, obiit ifte Ifidorus Patriarcha Conftantinopolitanorum. Cantacuzenus Imperator & Irene Augufta, Patriarchali dignitate oblata Gregoram jam flectere, & fibi mancipare conabantur. At aliis etiam jam artibus fæpe tentatus Gregoras, nec his pollicitationibus adduci potuit, ut fententiam mutaret, fed honorem oblatum magno religionis zelo repudiavit. Itaque Monacho montis Atho, nomine Callifto anno Chrifti 1351. Patriarcha creato, Cantacuzenus, ut Acindynianis filentium imponeret, Synodum convocare conftituit, at non æcumenicam. Ea re audita Gregoras, privatim illico Cantacuzenum, ne Epifcopis paucis, iisque maximam partem indoctis, judicium in Ecclefia permitteret, graviter admonuit. Sed cum nihil admonitione fua afpera apud eum fe profeciffe intellexiffet, renunciaturus aulicæ vitæ penitus, habitum monafticum citra ullam ceremoniam, unius facerdotis religiofi interventu, induit. Vt indictus Synodi dies advenit, Gregoras tribus Pontificibus, multisque fociis ac difcipulis comitatus, hora circiter diei fecunda palatium ingreffus, ab interioris aulæ aditu per lictores initio exclufus fuit, & epulantibus interim apud Imperatorem Palamitis, diu in veftibulo manere adactus eft. Poft prandium, Palamitis in Alexii tricliniun hora ipfa meridiana introductis, tandem & Acindyniani impranfi intrare juffi funt. Ipfa Pfeudo-Synodus quatuor intra quindecim dies feffionibus abfoluta, totiusque in ea habitæ difputationis, exitus hic fuit. Confirmata Palamæ doctrina, in Barlaamum & Acindynum mortuos anathema pronuntiatum horrendi carminis, adempta per vim dignitatis infignia Ephefi & Gani Metropolitis cum Gregora ingreffis, difcipuli Gregoræ alii in cuftodias dati, alii omnem cum Magiftro confuetudinem ejurare coacti: ipfe tamen Gregoras nullo dicto violatus, cui & aliis quibusdam permiffum eft, ut domum abirent. Paulo poft, in Affumptionis fefto, Cantacuzenus omni ornatu Imperatorio adyta templi ingreffus, & *Tomum Synodicum* feu *Palamiticum* propriis manibus geftans, altari illum impofuit, Palamitis ob meritum iftud, propagationem finium Imperii fpondentibus. Gregoras, novo illo & inufitato Tomum Synodicum confecrandi ritu audito: *Imò*, inquit, *cum videritis abominationem defolationis ftantem in loco fancto, cognofcite, quoniam appropinquavit defolatio Imperii Romani.* Quam ob prædictionem utut Gregoræ illico, cæterisque Orthodoxis, filentium fuit impofitum. Nicephorus tamen Gregoras ne tum quidem linguam calamumve continuit, fed Scriptis ad Trapezuntios & ad Cyprios amicos literis, Byzantinam Ecclefiam perverfæ doctrinæ accufavit, & ab ea ut fecederent, ipfos commonefecit, quin & ipfos Principes criminari aufus eft. Itaque domus fuæ parietibus inclufus, Monachorum cuftodiæ datus eft. Et cum interea nec miffi à Cantacuzeno Senatores, nec Epifcopi, nec Patriarcha ipfe cum Cabafila movere illum potuiffent, ut novis decretis fubfcriberet, ex quibus illi voces fufpectas & litigiofas effe fublatas affirmabant: durior inde illum, quam antea, vigilum Monachorum cuftodia circumclufit. Inter quamplurima quæ in ifto carcere Gregoras paffus eft incommoda, hæc etiam Boivinius refert. Cum frigus hyemis effet acutiffimum, aquæ gelidæ pocula aliter tepefacere non potuit, nifi Solis radiis per feneftram in cubiculum intromiffis. Euchariftiæ facramentum privatim fibi ipfi, cum aliter non liceret, Bafilii Magni aliorumque complurium virorum fanctorum exemplo, adminiftravit. Poftea libri facræ Scripturæ ipfi per vim adempti, demum à Principibus per varios emiffarios, quos αὐθημερινὲς Θεολόγες, feu *unius diei Theologos* appellat, captiofis argumentationibus tentatus. Nihilominus tamen, in his carceris ærumnis, *Libros Hiftoriæ Byzantinæ decem* compofuit, tanta quidem celeritate: ut vix dies quadraginta ei fcriptioni impenderit, eosque librum decimum octavum & novem deinceps continuos effe, Boivinius commonet. Anno Chrifti 1354. à Matthæo Cantacuzeni filio, in Imperii focium à patre cooptato, Gregoras denuo tentatus eft: Sed ille in fententia fua immotus & inexorabilis perftitit, feverius inde quoque cuftoditus; donec exeunte eodem anno, cum Joannes Pa-

Palæologus Byzantio potitus esset, libertatem recepit. Anno proximè insecuto, cum Legato Romani Pontificis Paulo, quod putat Boivinius, Archiepiscopo Smyrnensi, in aula Palæologi, doctè & masculè disputavit. Post hæc Cantacuzeni consilio, variis libellis à Palamitis oppugnatus est & traductus, quorum unum MS. in Bibliotheca Regia Parisiensi, alium in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi extare, Boivinius memorat. Tum quoque à Joasapho, quod Cantacuzeni monasticam disciplinam professi nomen est, aliisque viris Byzantinis, mendacii & maledicentiæ accusatus. Atque horum malis artibus quoque factum, ut libri Gregoræ magnam partem corrupti ac depravati fuerint: imò quidam etiam fortasse, ut plerisque auctoribus, suppositi: cujusmodi maximè esse existimat Boivinius *Somnium* illud Gregoræ *Propheticum*, à Philotheo Patriarcha productum & explosum. Ejus mortis tempus & genus, nondum sibi compertum esse Boivinius fatetur, nisi forte Gregoram eo ipso anno, quo Historiam suam Bisantinam finit, anno nimirum 1359. decessisse, conjecturare liceat. Cæterum corpus ejus, Palamitarum inhumanitate, insepultum diu & ludibrio habitum, Boivinius adhuc commemorat: atque ultimò virtutes æque ac vitia tanti Scriptoris, comparatione simul cum Cantacuzeno instituta, subjungit.

CAPUT TERTIUM

QUID JOANNES BOIVIN IN EDENDA NICEPHORI GREGORÆ HISTORIA IPSA BYZANTINA PRÆSTITERIT, EXPONITUR.

De editione istius Operis, *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno M DCC IV. mensis Januarii pag. 27. ad 30.

Variæ editiones fuerunt *Historiæ Byzantinæ Nicephori Gregoræ* ex interpretatione Hieronymi Wolfii, quæ libros undecim tantum complectebantur. Harum sex numerantur, quarum Græcolatina, quantum conjici potuit, anno 1559. in Germania prodiit, 2. Latine Basileæ 1562. 3. Latine Parisiis 1567. 4. Italice Venetiis 1569. 5. Latine Francofurti 1587. 6. Græce & Latine Coloniæ Allobrogum anno 1615. prodiit, ad quas plerasque editionem suam novissimam contulit Joannes Boivin, Bibliothecæ Galliarum Regiæ custos doctissimus: cujus in egregio hoc opere institutum, librorumque recens additorum Summam, paucis nunc indicabimus. Nimirum olim susceperat Clarissimus Boivinius versionem & editionem adornandam *sex librorum Historiæ Byzantinæ Nicephori Gregoræ*, in Regia Bibliotheca ineditorum, de quibus cap. 1. Dissertationis hujus egimus, suasu & authoritate Caroli du Fresne, Domini du Cange, & Camilli Tellerii Abbatis. In illa autem perficienda, Dufrenii & Tellerii morte impeditus, dilata in aliud tempus editione, per decem annos, ea quæ scripserat, postea correxit & accuravit, aliosque Gregoræ libros præterea è tenebris eruit, & prioribus addidit. Ex Catalogis enim Codicum MSS. & imprimis è Labbeo didicerat, in Bibliotheca Scorialensi libros ejus auctoris undetriginta latere historicos. In Codice autem Regio vigesimum octavum & vigesimum nonum, historicos libros, cum quatuor dogmaticis conjunctos invenit. In Bibliotheca porro Vaticana *Historiam Gregoræ Ecclesiasticam, & Acta Ἀνεφικῆς Συνόδου, ac Narrationem persecutionis in Orthodoxos à Palamitis motæ* asservari, ex Antonii Possevini *Apparatu Sacro*, & ex veteri MS. Catalogo intellexit. Posteà, indicem accuratum librorum viginti & unius Nicephori Gregoræ, in uno Vaticano Codice extantium, à Jo. Mabillione accepit. Cum igitur J. Vivantii & Stephanotii Monachorum Benedictinorum operâ, sumptibus autem Abbatis Camilli Tellerii, novem libros è Codice Vaticano descriptos perlegisset, eam ipsam Historiam Ecclesiasticam, Possevino *in Apparatu Sacro* commemoratam, esse intellexit. Adjectis ergo sex suis ex Regia, & novem his ex Vaticana, ad undecim Wolfianos libros, librorum viginti sex numerus jam conficiebatur: adeo ut post vigesimum sextum vigesimus septimus adhuc deesset, cæteri, exceptis quinque ultimis, quos Friderici Rostgaardi operâ & sumptibus postea impetravit, in Bibliotheca Regia haberentur. Otio igitur dato, jussuque Ludovici Ponchartrain, & Joanne Paulo Bignon id postulante, paratos Gregoræ libros, Regii typographei prælis Boivinius committere cœpit. In quibus ut Wolffium prævium habuit, ita ipse privatim non pauca singulari cum laude præstitit. Ac primo quidem Tomo, ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ chartaceo bonæ notæ & satis antiquo, ea, quæ in libris editis manca & imperfecta erant, quæ plurima equidem non in singulis modo dictionibus, sed longioribus etiam fragmentis: omnia bona fide supplevit, majoraque supplementa in marginibus indicavit, minora cancellis inclusit, & innumera menda sustulit. Præterea monodias, orationes, & alia ejusmodi ad historiam non pertinentia, libris quatuor postremis, ostentandi ingenii causâ forte inserta, in Codice autem Regio, sine contextus historici læsione, omissa, uncis inclusa notavit. Varias lectiones plurimas ex Codice Regio 2558. & alias pauciores ex Codice 2078. item ex Codice Colbertino 4950. à Stephano Baluzio amicè sibi communicato, oræ textus ipsius addidit: nonnullas autem è Codice Vaticano, à Frederico Rostgaardio descriptas, quod seriùs allatæ essent, ad appendicem hujus voluminis rejecit. Porro Latinam Hieronymi Wolffii interpretationem in eo accuratiorem reddere Auctor studuit, ut non sensum modo Gregoræ, sed verba etiam Lectoribus majore religione & fide redderet, & quasi appenderet. Aut ubi Wolffius errasse, vel obscu-

ſcurius paulò auctoris ſententiam reddidiſſe, aut alia minora vitia, quæ tam egregio cæteroquin corpori deeſſe vix poterant, admiſiſſe videbatur: ſummo ſtudio, nec minori tamen modeſtiâ, omnia emendaret. Recognitis ad hunc modum & auctis tam Græcis quam Latinis, novam etiam librorum dividendorum rationem iniit, quæ in prioribus editionibus inconcinnior paulo & ſine numeris erat. Minores ſectiones addidit, ſingulis capitibus argumenta vulgatis accuratiora, & ad Sectionum numeros accommodatá adjecit: annos, menſes, dies, ſyderum ortus & obitus, ſolis & lunæ defectus, & varios temporum characteres ſubinde adnotavit. Notas breves ubi opus fuit adjecit, aliis uberioribus, imprimis Dufrenii, ad calcem tomi II. rejectis. Hic labor Joannis Boivin, ad emendationem Librorum undecim Hiſtoriæ Byzantinæ Nicephori Gregoræ, quos Hieronymus Wolfius in Linguam Latinam translatos orbi literario obtulerat.

In Tomo II. apographis duobus, ex veteribus exemplaribus Romæ deſcriptis, Boivinius uſus eſt, ex quorum primo è Bibliotheca Regia Codice 2079. docta & eleganti manu anno 1543. exarato, ſex priores Tomi II. Libros typis exprimendos curavit. Ex altero autem recentiori, & quod queritur Editor, valde mendoſo, libri ſeptem qui reliquam Tomi II. partem conficiunt, expreſſi: & ex Vaticano exemplari, quantum fieri potuit, caſtigati ſunt: benevolentia id concedente, hujus Bibliothecæ Præfectorum Zaccagnii & Dalmiri, ultimis tribus exceptis, qui diſputationem cum Cabaſila continent. Latinam horum librorum interpretationem addidit ipſe Boivinius, in eaque quantum auctoris evagans & circumducta dictio, in multis haud parum obſcuri ac perplexi permiſit, Scriptoris mentem accuratiſſimè exprimere ſtuduit. Diſputationem autem cum Cabaſila, libris tribus ultimis non totis comprehenſam, quippe à vigeſimo ſecundo inchoato ad vigeſimum quartum ferè medium extenſam, tempore otioque deſtitutus, M. Claudio Chapronico, Theologo Pariſienſi, Græce & Latine doctiſſimo, vertendam dedit. Cæterum tredecim hujus Tomi poſterioris Libri, inde ab exceſſu Andronici Junioris, decem omnino annorum Hiſtoriam continent, quibus Summa rerum penes Cantacuzenum Joannis Palæologi tutorem erat, & diffuſe exponunt, quæ tum in Republica geſta ſunt, de imperio inter Cantacuzenum, Annam Imperatricem viduam, Apocaucum, Joannem Patriarcham, ipſumque adeo Joannem Palæologum: tum verò in Eccleſia, à Cantacuzeno tunc temporis maxime turbata. Concilium certe Palamiticum à Cantacuzeno anno Chriſti MCCCLI. Byzantii coactum, & omnia in eo dicta & transacta, inde à Libro XVIII. ad finem usque hujus Tomi, prolixe deſcribuntur. Omnia inſigni chartæ elegantia, regiorum typorum nitore, & accurata ſphalmatum emendatione, ita adornata ſunt: ut Gregoræ de tanto ſplendore addito maximopere gratulemur, & reliquos ejuſdem Tomos pari ratione, eruditorum uſibus accommodari, communi doctorum nomine optemus. Continebit autem, ut Præfatio tomi I. pollicetur, Tomus III. libros quatuordecim, hiſtoricos quidem octo, ſex verò dogmaticos. Tomum IV. præter Ingens *Poëma Græcobarbarum de bello Sacro*, itemque de Conſtantinopolitanis, Peloponneſiacis & Neapolitanis Francorum expeditionibus, Opuſcula ſelecta quæ Gregoram illuſtrare poſſunt, conſtituent. In quibus erunt 1. *Nicetæ Choniatæ Narratio de ſtatuis Conſtantinopolitanis*, quas Latini capta urbe confractas, in monetam conflaverunt. 2. Theodori Laſcaris Orationes duæ, prima *Encomium patris ejus Joannis Ducæ Imperatoris*, ſecunda *Laus urbis Nicææ*, ex Codice Regio. 3. *Teſtamentum Arſenii Patriarchæ*, editum à Cotelerio. 4. *Athanaſii Patriarchæ ad Andronicum Seniorem Epiſtolæ, & Relationes ſelectæ*, ex Codice Telleriano, in Bibliotheca Regia. 5. *Manuelis Philo Poëma hiſtoricum de Michaelis Glabæ rebus geſtis*, ex alio Regio Codice, olim Telleriano deſcriptum. 6. *Tomus Pſeudoſynodi Palamiticæ*, à Combefiſio editus. 7. *Excerpta* ex Scriptis Nicephori Blemmydæ, Gregorii Cyprii, Theoduli Rhetoris, Nicephori Chumni, Barlaami, Acindyni, Palamæ, Nicolai Cabaſilæ, Philothei Patriarchæ, Medici Taronitæ, Cantacuzeni, Demetrii Cydonii, ipſius Gregoræ & aliorum, omnia pauciſſimis exceptis anecdota. Hæc *Acta Eruditorum Lipſia*, de hoc Opere, ad annum MDCCIV. locis allatis. Hujus autem Operis Tomi III. & IV. editi in folio Pariſienſis anno 1705. uno volumine, apud Aniſſonium allegatum.

Præter autem Scriptores illos, quos Diſſertationis hujus cap. 1. ad finem capitis recenſuimus, alii quoque ſunt, qui latiſſime tum de Nicephori Gregoræ rebus geſtis, tum de Operibus ab ipſo conſcriptis egerunt: inter quos potiſſimi ſunt, Martinus Hanckius, qui Vitam ejus in Opere *De Scriptoribus Byzantinis* pag. 579. & ſequentibus diligentiſſime deſcripſit, quod Lipſiæ anno 1677. in 4. impreſſum proſtat. Joannes Boivin Regiæ Galliarum Bibliothecæ Cuſtos in Vita ejuſdem quam Hiſtoriæ Nicephori Gregoræ Byzantinæ à ſe editæ præmiſit, itemque *Elogia plurima Scriptorum* præmiſit, & *Catalogum prolixum Operum illius impreſſorum ac Manuſcriptorum* quem à Bernardo de Montfaucon Monacho Benedictino, Româ ad ſe transmiſſum acceperat, atque curavit præmittendum editioni Pariſienſi *Hiſtoria ejus Byzantina* Græce & Latine 2. Voll. in folio ex Regia typographia. Hunc quoque *Catalogum Operum Nicephori Gregora* Joannes Albertus Fabricius recudendum verbo tenus voluit Tomo VI. *Bibliotheca Graca* cap. 5. a pagina 300. ad 324. atque *Indicem Scriptorum quorundam in Nicephori Gregora Hiſtoria*

ria Byzantina memoratorum a pag. 324. ad 341. editionis 1714. Hamburgi in 4.

Porro ut habet Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex Catalogis Manuscriptorum Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collegit, ac Parisiis anno 1653. in 4. edendum curavit apud Simeonem Piget via Jacobæa sub signo prudentiæ. In hac inquam Bibliotheca, nonnulli admodum sunt MSS. Codices Græci Nicephori Gregoræ, quos hic pro more nostro recensebimus. Juxta Labbeum igitur parte 2. pag. 85. *Nicephori Gregoræ Patriarchæ Constantinopolitani Sermones tres de Dogmatibus Joannis Becci* Codice Regio 572.

Ibidem parte 2 pag. 89. *Nicephori Gregoræ libri quatuor dogmatici adversus Gregorium Palamam, cum ejusdem Historia*, in Codice Regio 1752. Item in Supplemento Bibliothecæ ejusdem VII. quod pagina 269. inscribitur *Anal. Bib. quadam Bibliotheca Regia*, Codice 557. *Nicephori Gregoræ Historiarum libri XI.* qui jam impressi extant.

Ibidem parte 2. pag. 94 *Nicephori Gregoræ Florentius*, seu *Dialogus de Sapientia* in Codice Regio 2259 Juxta Albertum Fabricium Bibliothecæ Græcæ Tomo VI cap. 5 pag. 303. Dialogus inscriptus Φλωρέντιος, ἢ περὶ τῆς σοφίας, *Flor ntius sive de Sapientia.* Initium, πόθεν ἡμῖν ὁ κάλος Φλωρέντιος, in Codice Regio 3284. item Vaticano 1086. de quo Dialogo Gregoras ipse *Historia Byzantina* libro XI. cap. X. § 2. Lambecius lib. V. Commentariorum Bibliothecæ Vindobonensis pag 90. Codice MS. Theologico Græco 332 N. 7 & quidem a fol. 74. p. 1. ad folium 81. p. 2. cujus ad finem annexa est Epistola ad Principem Philosophorum, cujus titulus & principium, Τῷ ὑπάτῳ τῶν Φιλοσόφων, εἰ σὺ μὲν ὁ τοσοῦτος ἐν ἀνθρώποις ἥρως &c. Inscribitur adversus *Simulatores sapientiæ.*

Ibidem parte 4 pag. 105. *Nicephori Gregoræ de instabilitate Regularum.* in Codice Regio 931.

Item *Nicephori Gregoræ Philosophi de usu Astrolabii*, in Codicibus Regiis 949. 959. 1925.

1320 JOANNES RIGALDI, natione ut credimus, Gallus, ex Ordine fratrum Minorum, circa annum 1320. ætate Joannis Papæ XXII. floruisse videtur, cujus extat insigne Compendium Theologiæ Libris septem distinctum MS. in Bibliotheca Colbertina Codice 1479 inscriptum in Codice præstantissimæ notæ, *Joannis Rigaldi Ordinis Minorum, Compendium Theologiæ pauperum.* Inscriptio ea est, *Reverendo Patri ac suo Domino Spirituali, Domino Bernardo, ac Apostolicæ sedis providentia Archiepiscopo Narbonensi, suus filius, famulus & alumnus frater Joannes Rigaldi Ordinis fratrum Minorum, ejusdem sedis Apostolicæ Pœnitentiarius in ignis promotum obsequium* &c. Alter prologus incipit, *Veteris ac nova legis continentiam Magister Sententiarum in quatuor libros distinxit* &c. Prima Rubrica, *Quod Theologia sit scientia* &c. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 13. verbo *Ægidius Romanus* ait, extitisse olim Romæ MS. sub nomine Alexandri Halensis. Habuit absque dubio hunc Codicem manuscriptum Lucas Wadingus, ut ipse testatur in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, ubi loquitur de Operibus Alexandri Halensis, anno 1405. scriptum, libris septem distinctum, cujus initium fuit, *Veteris ac nova legis continentiam* &c. ut ibidem ipse testatur. Sed ut supra diximus, habetur in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 1479. optimæ notæ, sub nomine *Joannis Rigaldi ad Bernardum Narbonensem Archiepiscopum*, qui ab anno 1311. ad 1338. vel circiter Metropolitanam hanc Ecclesiam rexit: ex quo proinde colligimus ætatem *Joannis Rigaldi*, circa annum præter propter 1320 ætate Joannis Papæ XXII. Aliud *Compendium Theologiæ seu Theologicæ veritatis*, septem pariter Libris distinctum, quod incipit *Veritatis Theologicæ sublimitas*, quod editum primo Venetiis anno 1493. in parvo quarto anonymum; postea autem Joannes de Combis Ordinis Minorum, edidit *Compendium istud Theologicæ Veritatis* cum annotationibus, sub nomine divi Bonaventuræ, Lugduni anno 1560. in 16. apud Guillelmum Rovillium, cum *Declamatione terminorum Theologalium.* Quo de Compendio loquitur Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, dum agit pag. 81. de Operibus sancti Bonaventuræ, Albanensis Episcopi & Cardinalis, ubi probat, quantum potest, spectare illud ad sanctum Bonaventuram: sed cujus argumenta ex aliquibus MSS. Codicibus desumpta, illud recte pertinere ad aliquem Franciscanum probant, non tamen speciatim ad sanctum Bonaventuram. At immemor sui Lucas Wadingus; hoc secundum *Compendium Theologicæ veritatis* Joanni Richardo Theologo Ordinis Minorum circa annum 1298. Episcopo Draconensi seu Draconariensi, in Archiepiscopatu Bonaventano, his verbis tribuit. „Joannes Richardus Episcopus Draconariæ notatur sic in Regesto regio „ Neapolitano anno 1298. quo & ipse decimas a „ Rege petiit. Scripsit *Compendium Theologiæ* „ seu *Theologicæ veritatis*, elegans quidem Opus „ libris septem distinctum, quod habui MS. pul- „ chro caractere, & minio accuratisque maju- „ sculis exaratum, cum tabula Thematum pro „ diversis negotiis applicandorum; quæ legitur „ ad finem dicti Codicis. „ Hæc Wadingus in „ *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 224. Idem ante Lucam Wadingum censuit Vincentius de Bandelis de Castronovo Diœcesis Terdonensis, quondam Magister Generalis Ordinis fratrum Prædicatorum in Opere seu Tractatu *De singulari puritate & prærogativa conceptionis nostri Jesu Christi, ex authoritatibus ducentorum sexaginta Doctorum clarissimorum*, qui Bononiæ anno 1481. & Parisiis anno 1675. impressus est. Allegat cap. 24. pag. 135. hunc Joannem Richardum Minoritam num. 8. sic. „ Idem tenet Dominus Jo-

„annes Richardus, Episcopus Draconensis, Or„dinis Minorum in *Compendio sua Theologiæ* Lib. „4. sic dicens: *Prima sanctificatio Virginis Mariæ „fuit in utero matris, qua habuit duos effectus, vi„delicet culpa originalis jam contractæ expiationem, „& gratia infusionem, & fomitis tantam restrictio„nem, ut non posset in aliquod peccatum actuale de„jici, & propter hoc celebratur festum nativitatis „ejus, non autem conceptionis, nisi ratione sanctifica„tionis in aliquibus partibus.* Hæc ille, habentur autem ista in dicto Compendio ultimo Lib. 4. cap. 4. circa medium. At fallitur meo quidem judicio uterque, primumque ex duobus Compendiis relatis spectat ad *Joannem* Rigaldi Minoritam, ex authoritate duorum MSS. Codicum, secundum vero quod multis passim autoribus tribuitur, incipiens, *Veritatis Theologicæ sublimitas* &c. habetur etiam MS. in Regia Galliarum Bibliotheca sub nomine *fratris Petri Thomæ Ordinis Minorum*, Codice 4517. in 4. qui 300. annorum est. Extat denique *Compendium Theologiæ tertium* quoddam inter Opuscula sancti Thomæ Aquinatis, quod nulli hucusque alteri attributum est, nihilque habet commune cum duobus antecedentibus *Compendiis Theologiæ*, imo ab illis, quoad ordinem ac methodum differt. Hæc occasione *Joannis Richardi* ex Ordine fratrum Minorum Draconariensis Episcopi, de quo loquuntur Franciscus Gonzoga Episcopus Mantuanus in *Historia Seraphica*. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 935. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, pag. 224. Ferdinandus Vghellus tomo 8. *Italia Sacra* col. 404. in Episcopis Draconensibus.

1320 MICHAEL CÆSENAS, MINISTER GENERALIS ORDINIS MINORVM, natione Italus, S. Theologiæ Doctor celebris, anno 1316. pridie Calendas Junii in Comitiis Neapolitanis ad præfecturam Ordinis Minorum electus, nihil potius menti infixum habuit, quam ut disciplinam Franciscani Ordinis dissipatam multis modis restauraret, paupertatemque Evangelicam atque Apostolicam a multis in Ordine isto contemptui factam restitueret. Cum autem inter Minoritas fervente acriter disputatione & controversia *De paupertate Christi atque Apostolorum, & de usu ac dominio rerum*, Joannes XXII. contra potiores Ordinis Minorum pronuntiasset, atque maxime contra Michaelis Cæsenatis Ministri Generalis mentem: ipse Pontificis sententia rejecta, Generale Ordinis sui Capitulum Perusii celebravit, atque Spiritualium Minoritarum sententiam pro rigidiori paupertate pugnantium immunem esse declaravit ab hæreseos nota, quam Joannes Pontifex inusserat. Lite ardentius inter Joannem XXII. Romanum Pontificem, atque Ludovicum Imperatorem accensa, Michael Cæsenas ad Imperatoris partes contempto Joanne accedens, omnem ferme Franciscanorum Ordinem in eandem secum sententiam adduxit, unde Avenionem anno 1327. ad dicendam causam evocatus, carceri mancipatur. Anno 1328. Petro Corbario Minorita in Antipapam subrogato, Ludovici astutia Imperatoris atque authoritate, Joannes Romanus Pontifex toti Minorum Ordini iniquior factus, Michaelem Cæsenatem hæreseos ob Capituli Generalis Perusini definitionem accusat, judices assignat, causamq; agi jubet. Michael a sententia Pontificis appellat, & eventum veritus, ne carcere iterum reconderetur, Avenione clanculum prudenterque se subducit. Fugientem Joannes excommunicat ac Ministerio deponit, commissa Bertrando de Turre Cardinali, fratrum Minorum Præfectura. Interim Michael ad Concilium provocat, & Ludovicum Imperatorem, Nicolaum Antipapam, Guillelmum Occamum, potioremque sui Ordinis partem sibi adjungens, partes suas fortiter agit, & Pontificis minas irridet. Anno 1329. Bertrandus convocatis Franciscanis Pontificis sequacibus, apud Lutetiam Parisiorum mense Junio, Michaelem Cæsenatem ab Ordinis Præfectura submovit, ejusque loco Gerardum Odonis constituit. Innixus tamen gratia Ludovici Imperatoris Michael, nequaquam cessit, imo Joannem Pontificem variorum hæreseon reum palam accusavit. Extant *Tractatus tres Michaelis Cæsenatis contra varios errores & hæreses Joannis Papæ XXII. præcipue vero De utili dominio bonorum Ecclesiasticorum, & abdicatione rerum temporalium in perfectione status Monachorum & Clericorum:* apud Melchiorem Goldastum tomo II. *Monarchiæ* pag. 1236. *Epistola* apud Wadingum in *Annalibus Minorum* ad annum 1317. atque *aliæ duæ* ad annum 1322. Item *Litteræ ejus ac protestationes contra Joannem XXII.* Lugduni anno 1495. prodierunt. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 1969. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii litera B 2. Codice 4. num. 17. Michaelis Cæsenæ Ord. Minorum Generalis, Ministri Provincialis Angliæ, litera, *quod nec Christus nec Apostoli habuerunt aliquid in proprio*, cum Responsionibus ad objecta fratris Michaelis hæretici de Ordine Minorum per Papam Joannem XXII. super proprio vel Communi, vel Speciali in facto Minorum pag. 204. b. Item in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Dublinensis, Codice in 8. mebraneo G. 86. Epistolæ Joannis XXII. Papæ, itemque litteræ Michaelis Ord. fratrum Minorum Ministri Generalis. Vide Joannem XXII. supra. Quapropter nihil mirum est, ipsum a Joanne Pontifice iterum anno 1330. excommunicatum fuisse, atque a Gerardo Ministro Generali in ejus locum substituto, in Comitiis Minorum Perpinianensibus anno 1331. hæreseos damnatum fuisse. Secedens ergo in Bavariam cum potioribus partium suarum columnis, Generalatus titulo ad extremum usque spiritum mordicus retento, Monachii anno 1343. in vigilia S. Andreæ obiit. Agunt de Scriptis ejus pluribus Lucas Wadingus

gus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 259. Henricus Whartonus Continuatione *Historia Literaria* Guillelmi Cavi, ad annum 1316. pag. 19. Lucas Wadingus tomo III. in *Annalibus Ordinis Minorum*, passim annis citatis.

1320 BERTRANDUS DE TURRE, S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS ET EPISCOPUS TUSCULANUS, natione Gallus, patria Aquitanus, ex Cambalio Caturcensis Diœcesis, vir doctissimus, qui pro temporum illorum consuetudine *Doctor famosus* audiebat, ex Ministro Provinciali Aquitaniæ, anno 1319. ad Archiepiscopatum Salernitanum, & anno sequenti 1320. ad Cardinalatum & ad Episcopatum Tusculanum assumptus est. Multas ante & post Cardinalatum in Italia Legationes obivit, circa res fidei stabiliendas & Principes pacificandos, Acta quorum produxit suis locis Lucas Wadingus in suis *Annalibus Minorum*, ad annum 1317. num. 2. & sequentibus, annum 1319. num. 13. 1320. num. 5. ad annum denique 1328. num. 18. In Vitis Paparum Avenionensium, quas duobus in 4. tomis anno 1693. Parisiis apud Franciscum Muguet edidit Stephanus Baluzius, in Vita Joannis XXII. col. 138. „Scribitur Dominum Johannem anno Domini MCCCXX. XIV. Kalendas Januarii feria sexta in jejuniis quatuor „temporum, fecisse unam ordinationem septem „Cardinalium, quos assumpsit, atque ex his *fratrem Bertrandum de Turre, de Cambelico Caturcensis diœcesis, de Ordine fratrum Minorum, magistrum in Theologia, Archiepiscopum Salernitatum*, „auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi. Et in altera ejusdem auctoris, col. 163. & in tertia anonymi scriptoris col. 171. & in quarta auctore Amabrico Augerii Priore B. Mariæ de Aspirano, col. 194. de quo hæc habet Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 745. Cum hunc Cardinalem fuisse „patria Caturcensem certum sit, certum quo„que esse videtur, errare vehementer Trithe„mium in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui „eum ait patria Mediolanensem fuisse, ex nobili „familia natum. Item Nicolaum Toppium in „*Bibliotheca Neapolitana* pag. 48. qui illum fuisse „Italum ex civitate Theatina, pervicaciter con„tendit. Vir fuit ea tempestate insignis, cujus „plurima mentio in *Annalibus Minorum* Lucæ „Waddingi eruditissimis, ad quos lectorem re„mittimus. Illud tantum addimus, Gonzagam in „descriptione provinciæ Aquitaniæ recentioris „cap. 23. scribere, hunc Bertrandum fuisse pro„fessum Ordinem sancti Francisci in Conventu „Figiacensi. Hujus extant duo Volumina ser„monum in Bibliotheca sereniss. Principis & emi„nentiss. Cardinalis Emmanuelis Theodosii de la „Tour d'Auvergne. Item tria in Bibliotheca ce„leberrimi per Europam Collegii Sorbonici. In „uno eorum sic legitur. *Summa Domini Ber„trandi de Turre, Episcopi Tusculani super Epistolas „in prima Dominica adventus Domini usque ad quadragesimam.* In alio autem sic, *Sequuntur Expo„sitiones cum Sermonibus Domini Bertrandi de Tur„re, quondam Cardinalis Tusculani, a prima Domi„nica adventus usque ad feriam quintam Cinerum,„ super Epistolis & Prophetis.* Item Nicolaus Ber„trandi *De gestis Tolosanorum* fol. 52. ita habet.„ *Frater Bertrandus de Turre primo regens in Con„ventu Tolosæ plum opera composuit, signanter super„ Evangelia & Epistolas, cujus opera habentur in„ Conventu. Hic Cardinalis effectus, admodum pro„ Ecclesia dimicavit Tolosana.* Antonius Senensis„ Ordinis Prædicatorum anno MDLXXV. Lo„vanii edidit sermonem, quem Bertrandus de„ Turre Episcopus Tusculanus fecit Avenione„ in die cinerum anno MCCCXXVII. coram„ Papa & Cardinalibus. Vide lib. I. *Miscellaneo„rum* nostrorum pag. 213. „ Hæc Baluzius. Inter Manuscriptos quoque Codices bibliothecarum Angliæ & Hiberniæ, qui annis 1696. & 1698. 2. in folio voluminibus Oxoniæ editi sunt, nempe inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum insignium bibliothecarum Codice 1583. in MSS. Codicibus Hospitii apud Londinum Graynensis Codice 16. num. 8. *Collationes de Sanctis per fratrem Bertrandum.* Et ibidem Codice 8012. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 290. *Bertrandi postilla super Evangelia.* Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 1071. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi litera F. Codice 34. num. 7. *Bertrandi de Turre Sermones mortuorum* pag. 96. Ibidem Codice 1877. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii litera A. 3. Codice 5. ad Codicis calcem post Mauritii Distinctiones, extat *Sermo factus Parisiis in domo Minorum, Scholaribus in festo B. Clementis, per fratrem Bertrandum de Turre.* Scripsit *Sermones in Evangelia & Epistolas, qua per anni totius circulum recitantur*, MSS. in Bibliotheca Vaticana & Varmiensi in Polonia, & in Bibliotheca fratrum Minorum Toletana, in duas partes divisos, qui signantur littera y num. 49. Item *Homiliæ Bertrandi super Evangelia per anni circulum*, Oxonii MSS. in Bibliotheca Balliolensi cum *Ejusdem arte dividendi Themata & dilatandi sermones* Cod. 162. & *Super Epistolas per annum* ibidem Codice 163. Obiit Avenione anno circiter 1334. non ut scribit Gaspar Musca *De Archiepiscopis Salernitanis* anno 1326. Neque ut habet Guillelmus Eisengrenius & Petrus Frizonius in *Gallia Purpurata* anno 1327. Etenim Bertrandus anno 1328. constitutus est Ordinis totius Minorum administrator & rector a Joanne XXII. post Michaelis Cæsenatis depositionem, ut docuit Lucas Wadingus in *Annalibus Minorum*, ad annum 1329. vel 1329. unde corrigendum duxit errorem typographi, quo anno 1324. obiisse innuitur, & substituendum esse numerum 1334. Neminem invenimus, qui certum annum mortis Bertrandi de Turre statuat. De illo Possevinus bis agit, primo sub nomine *Bertrandi*, iterum sub voce *Bertrandi*: in primo eum

eum Cardinalem facit, in *secundo* dubitat, & circa patriam in utroque loco hæsitat: dum quidem eum fuisse Mediolanensem putant, quitoto quidem cœlo errant. Hæc Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 60. quem sequutus sum.

1320 DURANDUS DE SANCTO PORCIANO, MELDENSIS EPISCOPUS, Gallice de sainct Pourcain, natione Avvernus, Ordinem Prædicatorum apud Clarummontem Avverniæ professus, a loco originis, Oppido nempe sancti Portiani sic dictus, magni inter suos nominis Theologus extitit. Litteras sacras summa cum laude professus, unde & Romæ Lector sacri Palatii aliquandiu docuit, quod munus egregie, & cum insigni nominis fama implevit. Inde a Joanne Papa XXII. designatus Episcopus Aniciensis anno 1318. ex Actis consistorialibus, ubi anno 1320. statuta quædam pro Clero condidit. Hinc ad Meldensem Ecclesiam anno 1326. translatus est ex Regesto Vaticano, qui anno 1327. & 1333. recensetur in Chartis Meldensis Ecclesiæ, in cujus choro sepulturam habet atque anniversarium Idibus Septembris. Petrus de Herentals Canonicus & Prior Abbatiæ Florettiensis in Vita Johannis Papæ XXII. quam profert Stephanus Baluzius inter Vitas Paparum Avenionensium col. 179. hæc habet col. 182. „Item iste Papa Johannes propter quædam verba per ipsum allegata in sermone ab ipso facto in festo omnium Sanctorum, quæ beato adscribuntur Bernardo: prædicavit & prædicare fecit, animas Sanctorum non videre divinam essentiam clare ante generalem diem judicii & corporis resurrectionem, & quod visio quam nunc habent animæ de divina essentia, evacuabitur in extremo judicio. Unde Dominus Durandus Episcopus de ordine fratrum Prædicatorum fecit tractatum de hac materia contra opinionem Johannis Papæ prædicti: propter quod citatus fuit, sed per Regem Franciæ defensatus. De Durando Meldensi Episcopo hæc Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 794. De illo hæc habentur apud Bernardum Guidonis in Catalogo magistrorum in theologia Parisius assumptorum ex ordine Prædicatorum. *Frater Durandus de Sancto Porciano Claromontensis diœcesis fuit licentiatus anno Domini MCCXII. fuitque vocatus ad lectionem curiæ sacri palatii infra annum circa quadragesimam proxime subsequentem.* Illum propterea vocat *Excellentem in theologia magistrum* Petrus Bertrandi Cardinalis supra col. 784. professus se ex libello ejus *De origine jurisdictionum* accepisse maximam partem eorum, quæ anno MCCCXXIX. in *Disputatione Adversus Petrum de Cugneriis*, coram Rege Philippo VI. pro defensione Ecclesiæ Gallicanæ dixit. *Ut si imposterum aliqua altercatio oriatur, sicut temporibus meis, dum eram Episcopus Æduensis, orta fuit in regno Franciæ, possit veritas clarius apparere & defendi. Quarum potestatum materiam additis aliquibus sumpsi, ex quodam libello, quem super hoc composuit bonæ memoriæ Dominus Durandus de sancto Porciano, ordinis Prædicatorum, excellent Magister in theologia, Episcopus Meldensis: quem libellum intitulavit De origine jurisdictionum, quibus populus regitur.* Jacobus quoque Presbyter Cardinalis S. Priscæ, qui postea Benedictus Papa XII. dictus est, cum vocat *famosum & antiquum magistrum in theologia* apud Odoricum Raynaldum anno 1333. §. 48. *Bonæ memoriæ Durandus Meldensis Episcopus, famosus & antiquus magister in theologia, qui supra dicta materia scribens, & illud quod scripserat mittens dicto Domino Papæ, conatus fuit ostendere: quod error erat asserere, quod dictæ animæ a carne resolutæ & purgatæ, non viderent divinam essentiam, ante resurrectionem & judicium generale. Quæ Scriptura per dictum Dominum Papam, tradita fuit ad videndum aliquibus Magistris in theologia.* Movit enim ista Durandi audacia bilem Papæ Johannis, cujus jussu scripta ejus acerrime discussa fuisse a theologis, qui in Pontificia curia versabantur, ex Odorico Raynaldo anno 1333. §. LVIII. colligitur. Extat iste Durandi *Tractatus* apud eundem Odoricum Raynaldum an. 1333. §. 49. ubi inscribitur *Libellus Episcopi Meldensis.* Citatum fuisse Durandum a Johanne XXII. scribit Petrus de Herentals. Vidit ista Odoricus Raynaldus, qui ait Durandum propterea gravem passum esse invidiam, a Pontifice nimirum: adeo ut etiam a fidei censore in jus vocatus, Gallorum Regis patrocinio tectus fuerit." Hæc Baluzius de Durando Meldensi Episcopo, in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 784. & 794. Porro, quod pauci sciunt, scripsit Durandus *Commentarios duos in 4. Libros Magistri Sententiarum*, unum nempe dum esset in Ordine fratrum Prædicatorum & junior, alterum ut opinor, dum excusso fratrum Prædicatorum jugo factus Episcopus, liberior fuit ad enuntiandos & scribendos sensus suos singulares. Hic ultimus quidem Durandi Commentarius in Sententias, extat MS. in celebri Bibliotheca Claræ Vallis & Collegii Navarrici Parisiensis, & alibi passim, impressusque est Venetiis anno 1571. in folio. Uterque Commentarius extat quoque MS. in celebri Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Victoris ad muros Parisienses, nempe Commentarius seu Lectura prima Durandi in primum Sententiarum, habetur Littera I. 12. a folio 31. ad 115. quæ incipit, *Circa primum Sententiarum quæritur Imo: utrum Theologia sit scientia* &c. *Lectura prima in secundum & tertium*, habetur Littera I. 11. foliis 121. & 164. usque ad 207. *Lectura prima in quartum*, ibidem MS. Littera I. 13. a folio 159. ad 232. Alter autem *Commentarius in quatuor Libros Sententiarum* semper in his quatuor libris incipit ab his verbis, *Est Deus in cælo revelans* &c. habeturque iterum & tertio impressus sub nomine Durandi, collatusque ad MSS. Codices Sancti Victoris

Victoris & Collegii Navarrici, ubi habetur. Conveniunt in multis uterque Commentarius verbotenus, differunt in multis, estque primo longe amplior alter ultimus, quem publici juris noscimus. In eadem celebri Bibliotheca extat etiam *Durandus de Alvernia MS. in octo Libros Physicorum*, Littera MMM 17. folio 34. ad 91. Itemque Opusculum Durandi *De statu animarum post separationem a corpore*, ibidem fol. 247. ad 257. quod absque dubio post annum 1332. composuit, quo celebris illa quæstio Parisiis agitata ac definita est, Durando juniore seu Durandello ipsi præsente & subscribente cum aliis. Extant denique in Bibliotheca sancti Germani de Pratis Codice 733. *Quæstiones tres celebres & valde bonæ, De origine jurisdictionum, quibus populus regitur, compilata per fratrem Durandum de sancto Porciano Ordinis Prædicatorum, sacra pagina professorem & Episcopum Meldensem* Opus idem MS. inter Codices Collegii, quod S. Emanuelis dicitur, Cantabrigiæ in Anglia, Codice 1. num. 8: impressum ut opinor Parisiis anno 1506. cum aliis ejusdem argumenti, unde nihil omnino Durandi scriptorum extat, quod MS. Parisiis non inveniatur. Adscribit illi Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. fol. 488. *Librum unum De Corpore & Sangvine Domini*, sed fallitur: spectat enim ille liber vel ad Deoduinum Leodiensem Episcopum, qui de hoc argumento ad Henricum Galliæ Regem scripsit; vel ad Durandum Abbatem Troarnensem, qui scripsisse etiam legitur *De corpore & sanguine Domini contra Berengarium Turonensem Archidiaconum*. Agunt de *Durando Meldensi Episcopo* satis parce Bellarminus & Labbeus, uterque in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XX, Cap. 5. art. 3. pag. 601. Cæsar Egassius Bullæus Seculo VI. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum fol. 954. ubi duos Durandos distinguit, (quod omnino improbabile non est) alterum *de Sancto Porciano*, alterum *de Auriliaco*, utrumque ex Ordine fratrum Prædicatorum, utrumque tempore Joannis Papæ XXII. florentem, utrumque Theologum eruditum: alterum Meldensem Episcopum, alterum vero simplicem Theologum, qui a Philippo Valesio cum aliis in castellum Vincennarum anno 1332. evocatus est, ut suam de visione Beatifica, quam Joannes XXII. ad extremum judicii diem differre videbatur, mentem aperiret, ubi commemoratur cum aliis Magistris Theologicæ facultatis, in Decreto ejusdem, quod supra retulimus. De isto *Episcopo Meldensi*, Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*. Fratres Samarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Meldensibus & Aniciensibus. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1334. pagina 112. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 95. ubi ad annum 1333. die 23. Septembris obiisse illum scribit.

SOZOMENUS PISTORIENSIS eodem tempore cum Landulpho de Columna, aut paulo post vixit, qui Romanorum Pontificum Vitas itidem posterius tradidit, ut Raphael Wolaterranus meminit Libro 20. *Commentariorum Vrbanorum* his verbis *Sozomenus Pistoriensis Historiæ Vniversitatis immensum edidit volumen*. Grande hoc opus etiam Ptolomæo Lucensi memoratur in Chronicis, quod tripartitum erat, cujus pars prima (ut ex doctissimo Laurentio Pignorio Vossius intellexit) extat Patavii MS. in bibliotheca inclytæ nationis Germanicæ, habens autem inscriptionem ejusmodi *Sozomeni Presbyteri Pistoriensis ac Florentiæ educati, Præfatio Chronici incipit feliciter*. Idem Raphael Volaterranus de eodem iterum initio libri 22. Commentariorum eorundem. *Post hos* (Vincentium Bellovacensem, Martinum Carsulanum, & Landulphum de Columna Carnotensem Canonicum) *Romanorum Pontificum Historiam scripsit Sozomenus Presbyter Pistoriensis, longum volumen, quod auspicatur ab initio mundi*. Supple ex iis, qui antecesserunt, tractasse eum hoc argumentum, post Damasum, Anastasium, Paulum Diaconum, Guidonem Ravennatem, Hugonem Floriacensem, Sicardum Cremonensem, Godfridum Viterbiensem, Vincentium & Martinum Carsulanos, ac Landulphum de Columna. Quod non ita intelligendum, ac si opere aliquo singulari, Vitas Romanorum Pontificum tractaverit, sed illas in *Historia Vniversali* citata, identidem ex allatis scriptoribus inseruerit. Extat hæc Historia MS. in bibliotheca Fesulana Canonicorum Regularium in Italia, ubi illam vidit Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus, ex Congregatione sancti Mauri in Gallia, uti testatur in *Diario Italico* cap. 27. pag. 393. quod Parisiis anno 1702. in 4. editum apud Johannem Anisson typographiæ Regiæ præfectum. Joannes Mabillon in *Itinerario Italico* Parisiis 1687. in 4. edito apud Joannem Boudot pag. 173. & 174. Idem opus vidit in Fesulana bibliotheca, de quo sic loquitur. "*Præ aliis bibliothecæ codicibus singulare est Sozomeni Presbyteri Pistoriensis & Florentiæ educati chronicon ab orbe condito ad sua tempora, ut in præfatione loquitur*. Constat duobus magnis voluminibus, quorum posterius definit in anno MCCXCII. Quidam tamen auctorem serius vixisse, & ad seculum XVI. pervenisse existimant. In 2. Sozomeni volumine ad annum 853. fit mentio de Johanna Pseudo-papissa, & ad annum MCCXC. de miraculo Eucharistiæ, quod apud Parisios evenit, ubi Judæus quidam pepigit cum fœmina Christiana, ut ad se corpus Christi deferret, quod in ferventem aquam projecit. De Sozomeno Pistoriensi Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 74. pag. 507. editionis ultimæ. 1320

1320 DVRANDUS JUNIOR seu DURANDELLUS, Ordinis fratrum Prædicatorum, vir ingenio acutus, & in palæstra Theologica exercitatus, circa annum 1320. claruit, eadem ætate cum altero, de quo statim agimus. Hic autem scripsit contra *Durandum Seniorem*, qui Ordinis ejusdem professor, sacri Palatii Magister, tum Aniciensium & Meldensium tandem Episcopus, doctrinam divi Thomæ a se primum propugnatam, acerrime postea impugnavit, ut Magistrum hunc Ordinis fratrum Prædicatorum communem, quoad partem ubique nominis famam imminueret. Agit de *Durandello* Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 488. his verbis. „Durandellus Dominicani Ordinis, scripsit adversus Durandum a sancto Porciano suum consobrinum, de quo mox infra, „tanquam contra sancti Thomæ impugnatorem. „Incipit *Sedens adversus fratrem* &c. Et sane in „quibus Durandus cum communi Theologorum sententia sensit, profundior & doctior habetur Durandello. Extabat autem hic liber in „communi Bibliotheca Dominicanorum Neapoli, ut refert Antonius Senensis in Historia „suorum Patrum Dominicanorum. Titulus „sive Prænotatio libet erat, *Solutiones, Responsiones, ad reprobationes rationum S. Thomæ Fratris* „*Nicolai Meldensis.* Ex quibus verbis liquet, „*Durandello* fuisse cognomentum, non nomen. „Scripsit item librum alterum, cui titulus *Correctorium Corruptoris divi Thomæ.* Fuerit autem „hoc quod Egidio Romano adscribitur, necne, „incertum erat eidem Antonio Senensi. Hæc Possevinus, qui opinabatur, Durandellum fuisse dictum *Nicolaum de Meldis seu Meldensem*, quod illic forsan oriundus esset, *Durandellum* ab impugnato adversario appellatum. At Durandellus iste seu Durandus Junior, adfuit celeberrimæ huic Determinationi, quæ Parisiis anno 1332. contra sententiam Joannis Papæ XXII. facta est, *quod nempe visio beatifica non differatur usque ad diem judicii Vniversitatis*, quam seculum sextum *Historiæ Vniversitatis Parisiensis* ad annum 1332. pag. 236. refert, ubi positive *Durandus*, non autem *Nicolaus Meldensis* nominatur. Neque hoc intelligi potest de *Durando Meldensi Episcopo*, qui tunc temporis adhuc in vivis agebat: tum quia in subscriptione nullum hujus prærogativæ Episcopatus Meldensis, judicium habetur, tum quia ultimus omnium subscribit, post simplices multos Doctores Theologos: quod sane nec Durandus Meldensis Episcopus, facere debuisset, nec pati debuerant subscribentes alii. Itaque Durandellus contra Durandum, junior contra Seniorem, Monachus contra Episcopum, frater contra fratrem circa annum 1310. vel 1320. scripsit, absque dubio antequam fastis adscriberetur S. Thomas de Aquino, quod contigit anno 1323. per summum Pontificem Joannem XXII. Nec enim est verisimile, Durandum Seniorem impugnasse ex professo doctrinam S. Thomæ, postquam inalbum Sanctorum relatus est, doctrinaque illius eximie a Romanis Pontificibus laudata fuit: unde & eidem tempori Scripta *Durandi junioris seu Durandelli*, assignanda sunt. Extat *Commentarius Durandelli in 4. libros Magistri Sententiarum* contra Durandum Seniorem, MS. in celebri Bibliotheca sancti Victoris ad muros Parisienses, Littera I. 8. fol. 1. qui quoad prologum incipit, *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam* &c. Commentarius incipit fol. 3. *Circa primam Distinctionem primi Sententiarum est unicus articulus* &c. Impugnat autem in his Commentariis *Durandum* in iis tantum, in quibus Durandus impugnat S. Thomam Aquinatem: unde potius est impugnatio singularium Durandi Meldensis opinionum, quam continuus *Commentarius in quatuor libros Sententiarum.* Extat in eodem Codice MS. aliud Opus *ejusdem Durandelli Contra corrumpentes Doctrinam S. Thomæ Aquinatis*, in quo corruptores hujus doctrinæ, frequentibus testimoniis ex prima parte, ex prima secundæ, & ex secunda secundæ desumptis, revincuntur. Inscribitur hoc Opus ad primam Codicis hujus paginam, *Responsiones contra corrumpentes doctrinam Thomæ, scriptam in diversis partibus Summarum Thomæ, & Quæstionibus disputatis, & in Quodlibetis ab eodem: & sunt ista Responsiones elicita ex dictis ejusdem Thomæ, in eisdem libris.* Incipiunt autem *Responsiones ista* ibidem fol. seu pag. 187. *Sciendum est igitur prima parte Summæ quæstione 12.* &c. Quæ in prima parte impugnata sunt, defenduntur ibi pag. 187. Quæ impugnata in prima secundæ, pag. 226. Quæ in secunda secundæ, pag. 235. Agunt de *Durandello* S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus prima parte *Summæ Theologicæ* tit. 8. cap. 2. quem enumerat inter solemnes Doctores, qui hoc tempore fuerunt, nimirum Herræum, Henricum Gandavensem, Joannem de Neapoli & alios. Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* fol. 76. Ejusque meminit sub nomine *Nicolai Mendensis* seu rectius *Meldensis*, Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Ordinis fratrum Prædicatorum* ad annum 1334. pag. 106.

ALBERTINUS MUSSATUS, Patavinus, 1320
Historicus & Poeta circa annum 1324. floruit, qui præter *Priapeia*, *Ecelinum*, librumque *De fato*, Opuscula non contemnenda, composuit etiam *De gestis Henrici VII. Imperatoris Libros sexdecim*, qui cum aliis authorum variorum Opusculis, editi sunt Venetiis in folio anno 1636. cum Notis Laurentii Pignorii. Obiit exul Clodii an. 1329. pridie Cal. Junii, cujus cadaver Patavium postea relatum fuit. Hujus cum honore Franciscus Petrarcha meminit, ejusque etiam mentionem faciunt Aubertus Miræus in *Mantissa* ad Auctarium suum *De Scriptoribus Ecclesia-*

clesia-

clesiasticis. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. pag. 509. ultimæ editionis. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* col. 81.

1320 PETRVS DE DVISBVRGO natione Germanus, atque Ordinis Teutonici Sacerdos, vir pius, quem in primo hujus Operis molimine ac delineamento, ad annum 1426. vel circiter ablegaveram, ad annum 1325, collocandus est, quo certissime floruit. Scripsit *Chronicon Prussiæ*, in quo Ordinis Teutonici origo & res gestæ continentur, ab anno 1226. potissimum ad annum 1325. quo scribebat, oculatus multorum, quæ retulit, testis. Reliquit nobis centum duntaxat annorum Historiam, quam quidam anonymus continuavit seu excepit, etsi non æquali stilo, usque ad annum 1426. quo vixisse Petrum hunc male opinatus sum. Opus scriptum & completum anno ab Incarnatione Domini 1325. exclusivè, quod nec progreditur ultra caput 347. tertiæ partis, cæteris ad alterum spectantibus. Hanc procuravit editionem Christophorus Hartknochius, vir eruditus & in antiquis patriæ Historiis versatissimus, factam Lipsiæ in 4. anno 1679. & Francofurti venalem, sumptibus Martini Hallervordi, Kœnigsbergensis Bibliopolæ, dum ipse Thorunii in Prussia publicus in Gymnasio ob eruditionem Professor floret. Huic antiquo Chronico addidit *Dissertationes XIX.* solida eruditione refertas, maxime ad Prussicarum rerum & Petri Duisburgensis intelligentiam conducentes, quibus nomen suum ad posteros transmisit. Opus autem Petri de Duisburgo inscriptum Wernero de Orselen Ordinis Teutonici Magistro, cujus hoc initium: *Honorabili viro & in Christo devoto Fratri Wernero de Orselen Magistro Hospitalis S. Mariæ domus Teutonicorum Ord. Hierosolymitani, Frater Petrus de Duisburg ejusdem sacræ professione Sacerdos, obedientiam debitam cum salute. Quam diligenti circumspectione, & circumspecta diligentia &c.* Hæc nos in editione secunda saniores scribimus, ex Inspectione Operis atque Lectione, & ex monitu humanissimo Hartknochii illud evulgantis, per Epistolas suas anno hoc 1686. Thorunii die 12. Dec. scriptas.

1320 THOMAS DE LA MOOR natione Anglus, sub Angliæ Regibus Edwardis primo & secundo, ut Equestri dignitate conspicuus erat, ita à voluntate bene merendi de posteris, non minus laudari dignus fuit. Claruit anno 1320. & seqq. & scripsit *Edwardi II. Regis Vitam ac res gestas*, ab anno 1307. quo regimen suum auspicatus est, ad annum 1326. quo a nefariis Parricidis interemptus fuit. Sane enim Commentarium luculentum elucubravit *De vita & morte Eduardi II.* qui majorem eo meretur fidem, quod huic Regi intimus fuerit, ac sub ejus auspiciis & ductu adversus Scotos stipendia meruerit. At ille quidem Gallicè scripserat, sed ipsius auctoris petitione Opus hoc Latinè vertit Gualterus Baker Canonicus Abbatiæ Osneiensis, Ordinis Canonicorum Regularium divi Augustini. Extat Latine inter Scriptores Anglicos Normannicos a Guillelmo Camdeno, auspiciis Reverendissimi Præsulis Matthæi Parkeri Cantuariensis Archiepiscopi Londini anno 1574. & Francofurti anno 1602. in folio editos. Extat autem MS. Latine in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii litera E. Codice V. num. 34. *Vita & mors Regis Edwardi II. Gallicè conscripta à generosissimo milite Thoma de la Moore, Latinè versa ex vetustissimo exemplari, quod penes Gulielmum Lambard erat, transscripsit Laurentius Noelus.* Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum, Cod. 9990. in MSS. Codicibus Simonis d'Ewes Baronetti, Codice 130. *Vita Eduardi II. per Thomam Moore Militem.* Extat Anglice vel Gallice inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Cod. 3990. in Manuscriptis Codicibus Johannis Ousley Codice 8. Thomas de la Moor Knight a French author of the Life an Death of Edwart II. translated out of French into Latin by Walter de Swinburn. At non tantum *Vitam Eduardi II.* sed etiam *Edwardi I.* scripsit Thomas de la Moore, quæ inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Codice 2535. in Manuscriptis Codicibus ipsius Thomæ Bodleji, litera F. 11. Codice 40. n. 16. *Chronicon Gualteri Baker de Swinebroke, Chronicon de morte & vita Regum Angliæ, Patris & Filii, videlicet Edwardorum de Winchester post Conquestum primi, & de Caernarvan secundi, anno regni Regis Edwardi 3. vigesimo primo, ad rogatum D. Thomæ de la More militis conscriptum* pag. 99. ad 145. Meminit hujus Scriptoris Gerardus Johannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 63. pag. mihi 506. & Henricus Wharton in Supplemento ad *Historiam literariam* Guillelmi Cavi anno 1320. pag. 20. quos heic retulimus. Unde liquet, vixisse Thomam de la Moore, usque ad annum 1347.

PETRVS BABION natione Anglus hoc tempore eodem claruit, qui ab adolescentia humanioribus litteraturæ studiis sollicite sub optimis præceptoribus educatus, postea concionandi arte & commentandi in sacros libros, inter suos nomen comparavit. Nam ex Bostono Buriensi in Collectaneo MS. *De Scriptoribus Angliæ*, scripsit *Commentarium in Evangelium Matthæi* cujus initium *Dominus ac Redemptor noster &c.* Commentarius hic habetur impressus, in editionibus antiquis Operum S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, Coloniæ anno 1573. apud Maternum Cholinum, & sequentibus omnibus editionibus, usque ad eam, quam Lugduni procuravit Theophilus Raynaudus in fol. 1630. extraneis in Scripturam Sacram Commentariis expurgatam. At hic Commentarius non sapit 1320

sty-

stylum vel genium seculi XII. nascentis, quo florebat Anselmus Cantuariensis, unde alii volunt, Commentarium in Matthæum inter Anselmi Opera impressum, spectare ad Petrum Babionem Anglum, qui florebat teste Possevino Tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. mihi 240. ad annum 1360. Hoc autem noscere & experiri facile poterit quispiam, si voluerit, nam indubius Petri Babionis Commentarius cum proprio Auctoris nomine, habetur MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4123. qui incipit, *Dominus ac Redemptor noster ad commendationem Evangelicæ fidei, Evangelium voluit, non solum omnibus prædicari &c.* Quomodo incipit Prologus dicti Commentarii, quem edidit Theophilus Raynaudus, in editione sua Operum divi Anselmi. Vide, quæ diximus supra ad annum 1100. *in Anselmo Laudunensi*, cujus Commentarius credebatur Idem scripsit *Sermones de diversis argumentis* quorum initium, *Dicite, pusillanimes confortamini, &c.* Extant inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 6489. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 119. *Petri Babionis Sermones 70.* & ibidem Codice 6534. in MSS. Codicibus ejusdem Theyeri Codice 164. *Sermones LXXIII. plerique per Babionem.* Claruit anno reparatæ salutis 1320. & seqq. Eduardo 2. in Anglia regnante, cujus præter allatos supra, mentionem facit Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIV. ad annum 1317. Scriptore 462. pag. 406.

1320 ODORICUS DE PORTUNAONO, quod oppidum in Foro-Julii, natione Italus, Ordinis Fratrum Minorum, claruit circa annum 1310. & ulteriùs, qui cum per multum temporis ad remotas regiones iter fecisset, commisit posteris Opus inscriptum, *Itinerarium Fratris Odorici de Ordine Fratrum Minorum, De mirabilibus Orientalium Tartarorum.* Illud edidit Joannes Bollandus in Vitis Sanctorum tomo 2. ad diem 14. Januarii. Præterea scripsisse dicitur Librum *De diversis ritibus & conditionibus hujus Mundi*, qui à Wadingo *Liber de mirabilibus mundi* nuncupatur: sed is liber alius non est ab eo, quem dixi, & quem evulgavit Bollandus, ut facilè videbit, qui legerit. Idem verò MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Codicibus 4. & 72. & in Bibliotheca Baronis Lumleji Cod. 247. Idem scripsit *Chronicam compendiosam à mundi Exordio ad finem usque Pontificatus Joannis XXII.* quo tempore ipse decessit. Hanc ab amico acceptam Lucas Wadingus olim manuscriptam habuit, ex qua plura in rem suam decerpsit, ut ipse fatetur *in Bibliotheca Ordinis Minorum.* Habes Vitam ejus *in Actu Sanctorum* à Bollando editis ad diem 14. Januarii, ubi ea, quæ annotavit Bollandus, facile desiderium explebunt, si quis plura de hoc Scriptore expetit, qui obiit Utini anno 1331. die 14. Januarii. Hujus meminit cum honore ipse Lucas Wadingus *in Annalibus Ordinis Minorum* ad annum 1331. num. 11. & *in Bibliotheca ejusdem Ordinis* pag. 270. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. pag. 510. editionis ultimæ.

JOANNES DE POLIACO, Doctor Theologus Universitatis Parisiensis, & divini verbi concionator celeberrimus, Parisiis anno 1320. & sequentibus floruit. Hic instantibus Mendicantibus, in nonnullis à Joanne XXII. reprehensus est, nimirum quod Magistri Guillelmi de Sancto Amore vestigiis & exemplo insistens, vellet Ordines istos, ab officiis, quibus à Romano Pontifice applicabantur, longius arceri. Arguebant quoque eum Fratres Prædicatores & Minoritæ, quod scripsisset & publice asseruisset; *Episcopos & Pastores seu Curiones habere suam immediatè à Christo potestatem, & ab ejus Apostolis ac discipulis, non à Papa: ac proinde non posse illorum jus infringi aut imminui à Papa, circa curam Pastoralem.* Itemque *Constitutionem Benedicti XI. Inter cunctas*, quæ Monachorum privilegia amplificat in detrimentum Pastorum, non esse juris interpretationem & declarationem, sed subversionem: unde ab Apostolica sede pessime audit, atque à Mendicantibus Fratribus uti hæreticus diffamatus ubique est, nec voces tot clamitantium comprimere potuit. Anno enim 1322. Joannes XXII. constitutionem edidit, perpetuis Ordinum Mendicantium querelis & instantiis actus, quæ incipit, *Vas electionis &c.* & habetur Libro V. Extravagantium communium, tit. *De Hæreticis.* Asserebat Magister *Joannes de Poliaco* 1. *quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, teneantur eadem peccata, quæ confessi fuerunt, iterum confiteri proprio Sacerdoti.* 2. *Quod stante* Omnis utriusque sexus *Edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non possit facere, quod parochiani non teneantur peccata sua semel in anno, proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat esse parochialem Curatum: imò nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.* 3. *Quod Papa non potest dare potestatem Generalem audiendi Confessiones, imò nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti.* Has propositiones Avenione in Consistorio revocavit rationibus objectis victus, quibus respondere non potuit, inquiunt Mendicantes. Summus verò Pontifex articulos *Magistri Joannis de Poliaco* damnavit *tanquam falsos & erroneos & à doctrina sacra devios:* doctrinam contrariam veram & Catholicam asserens, nempe *Quod illi qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si juxta Concilium Generale, ea alias confessi fuissent eorum proprio Sacerdoti.* Scripsit Opuscula nonnulla, quæ extant MSS. in celeberrima Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium divi Augustini, Litera L. 5. cum Opusculis aliorum Scriptorum. Sunt autem *Quodlibeta tria*, quorum quodque varias continet Quæstiones, nempe *Quodlibetum 1.* fol. 58. *Quodlibetum 2.* folio

lio 86. *Quodlibetum 3.* fol. 129. Item *Solutiones ejusdem de Poliaco contra replicationes Fratris Joannis Minoris*, fol. 174. Denique folio 178. *Quaestiones quaedam Theologicae ordinariae numero decem, ejusdem Joannis de Poliaco*, quae incipiunt, *Supposito ex praecedenti quaestione, quod Deus habeat scientiam aliorum à se &c.* Extant autem inter MSS. Codices Chartaceos Basileensis Bibliothecae, *Jacobitarum & Minorum oppositiones contra M. Johannem de Poliaco*, ut habet cl. Buxtorfius in Catalogo Codicum MSS. hujus Bibliothecae, quem anno 1662. obtulit Theophilo Spizelio, qui illum edidit anno 1668. *in Sacris Arcanis Bibliothecarum insignium retectis* Augustae Vindelicorum in 8. Verum haec pugna Joannis de Poliaco, Parisiis non stetit, sed in Angliam quoque & Hiberniam penetrans, de eodem argumento acriter utrinque certatum est, ut refertur seculo VI. *Historiae Universitatis Parisiensis*, ad annum 1359. *De Joanne Poliacensi* Caesar Egassius Bulaeus loco citato *Historiae Universitatis Parisiensis*, in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi sexti, p. 968.

1320 JOANNES DE ANNOSIS, Doctor Theologus Parisiensis, & Magistri Joannis de Poliaco socius, scripsit anno 1327. *Tractatum De obedientia exhibenda Pastoribus à Laicis*, quem MS. asservat Bibliotheca Collegii Choletani Parisiensis, Cod. 2. ubi inscribitur, *Tractatus De obedientia exhibenda Pastoribus à Laicis, compilatus anno Domini M CCC XXVII. à Magistro Joanne de Annosis, Doctore Theologo regente, & consocio Joannis de Poliaco.* Incipit, *Obedite Praepositis vestris & subjacete eis, ipsi enim vigilant rationem reddituri pro animabus vestris. Ista verba scripta sunt in Epistola ad Hebraeos cap. 13. ubi praecipitur subditi ad Praelatum obedientia &c.* Idem anno 1328. Avenione constitutus, composuit tractatum, inscriptum *Tractatus Magistri Johannis de Annosis contra Fratres compilatus Avenione 1328. 7. Septembris*, qui extat MS. in Bibliotheca Bodlejana Codice 1969. in MSS. Codicibus Thomae Bodleji litera B. 2. Codice 4. num. 16. Agit hoc in libro contra Regulares & Sacramentis administrandis sese immiscentes. Ego nullum vidi, qui de hoc Scriptore loqueretur: nisi Carolum Dufrenium du Cange, *in Indice authorum* quem praemisit suo *Glossario mediae & infimae Latinitatis*, columna 118. ubi citat Antonium Sanderum *in Bibliotheca Manuscriptorum Belgicorum* parte 2. pag. 218.

1320 PETRUS DE AQUILA SEU AQUILANUS, ex Ordine Fratrum Minorum, floruit ab anno circiter 1320. ad 1350. Scripsit autem *Commentarium* brevem, sed eruditum, seu *Quaestiones in quatuor Libros Sententiarum*, quae manuscriptae extant in Bibliotheca Fratrum Minorum de Ara Coeli Romae, teste Luca Wadingo ejusdem Ordinis in sua *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 275. vidique etiam scriptum in pergamento in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis Codice 321. suntque vel Commentarius hic vel Quaestiones, anno 1337. conscriptae, uti annotatur initio ac fine Codicis. Unde liquet tempus, quo floruit Petrus de Aquila, nempe circa annum 1320. & sequentes, usque ad annum circiter 1350. Impressum hoc opus primò Spirae anno 1480. in 4. apud Petrum Drach, tum posteà ejusmodi *Brevissima Quaestiones in quatuor libros Sententiarum juxta Scoti doctrinam* impressae operâ & studio Constantii Cardinalis Sarnani tunc in Patavino Gymnasio Lectoris, anno 1584. Venetiis apud Hieronymum Zenarum & Fratres. Ibi in hac impressione vocatus primum est *Scotellus* à Constantio Sarnano cujus cognominis nullum in MSS. Codicibus indicium est, ubi simpliciter dicitur *Petrus Aquilanus*, ut patet ex MS. Codice Sancti Germani Parisiensis. Sed ad majorem hinc famam conciliandam, hoc *Scotelli* cognomentum addidit iste Cardinalis, Sarnanus, vir maximè Franciscanus, pro more eo, quo utuntur, indicendi cognomina suis omnibus Scriptoribus: ut patet ex appellationibus *Doctoris subtilis, Irrefragabilis, Seraphici, Profundi, Ordinatissimi, fundatissimi &c.* Unde anno sequenti 1585. idem Opus impressum Parisiis in 8. apud Nicolaum Nivellium sub insigni Columbarum, cujus unum exemplar in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis sub hoc titulo: *Scotellus* seu *Summa in quatuor libros Sententiarum Petri de Aquila &c. in quo non tantum ad Scoti subtilitates, sed etiam ad divi Thomae, reliquorumque Scholasticorum doctrinam, sternitur via.* Perperam igitur Antonius *in Apparatu sacro* tomo 2. pag. 239. censet, eum fuisse *Scotellum* dictum, nam Petrus Aquilanus habet hujus agnominis obligationem, Constantio Cardinali Sarnano, cui baptismo altero ita eum appellare placuit, nempe in altera editione hujus Commentarioli Veneta anni 1584. quod anteà nusquam auditum fuerat. Idem facit Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum*, ubi pag. 275. Antonium Possevinum exscribit. Ambo denique peccaverunt in ridicula distinctione *Operum Petri Aquilani*, ex uno Commentario in 4. libros Sententiarum brevissimo, tria Opera, nempe *Quaestiones in 4. libros Sententiarum juxta Scoti ejusdem doctrinam*, *Compendium super Magistrum Sententiarum* & Opus dictum *Scotellum* foventes. Haec enim tria unum atque idem Opus sunt, quod modicae molis, quisquis illud vel semel adspexerit. Errat quoque Possevinus *in Apparatu sacro* tomo I. verbo *Joannes Scotus* pag. 869. dum *Petrum Aquilanum* insignioribus doctrinae Scoticae Scriptoribus accenset: dum enim scribebat anno circiter 1320. vel 1330. Petrus Aquilanus, nondum Secta Scotistarum in lucem emerserat, tantum abest, ut ipse Joannem Scotum interpretari somniaret. Factus est anno 1343. die 22. Januarii Sacellanus Joannae Reginae Siciliae & Jerusalem, ut habet Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* tomo 3. ad annum 1343. num. 35.

Tum anno 1344. Inquisitor sanctæ fidei factus, de quo idem Wadingus ad annum 1346. num. 4. 5. & 6. De illo autem Henricus Spondanus ad annum 1345. num. 2. his verbis. „Cum Petrus „Aquilanus, ex Ordine Minorum, inquisitor fidei „apud Florentinos, homo superbus ac pecunio„sus, occasione creditæ sibi Facultatis a Petro „Gomesii Cardinale Hispano, quasdam pecunia„rum summas ibidem Florentiæ sibi debitas exi„gendi, quendam ex debitoribus e palatio publi„co, fide Priorum prodeuntem, a suis & inquisi„tionis apparitoribus comprehendi jussisset: „excitato tumultu, capti apparitores jussu Prio„rum quod Majestatem suam læsam dicerent, „manibus truncati sunt, & exilio decennali pro„scripti. At secedentem Senas inquisitorem, „excommunicationem in Priores, interdictum „in Urbem protulisse, nisi intra sex dies debito„rem a suis apparitoribus captum, & a populo „ereptum restituerent. Facta a Prioribus ap„pellatione ad Papam, missos esse oratores qui „eos excusarent, & Petrum de Aquila multorum „criminum accusarent: atque inter alia decre„visse Priores, in diminutionem authoritatis in„quisitionis sancti officii, ad modum Perusino„rum, Regis Hispaniæ, & multorum aliorum „Principum & Communitatum. Ex alia verò „parte, instigatione prædicti inquisitoris qui „Avenionem abiit, & Petri Cardinalis ipsius fau„toris, diem fuisse dictam apud Sedem Apostoli„cam Episcopo Florentino, aliis Prælatis, qui in„terdictum non servassent, necnon Prioribus, „cæterisque Magistratibus prædictarum turba„rum authoribus seu complicibus: missosque „rursum alios ad Pontificem Oratores, ad hæc „reparanda. Hæc Villanius de Petro Aquilano, cujus meminit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 239. Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* locis citatis, & *in Bibliotheca ejusdem Ordinis* pag. 275. Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Authorum*, quem affixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 136.

1320 GUILLELMUS PELLICERII, PRIMUS ABBAS GRANDIS MONTIS, de Albenca Diœcesis Caturcensis, in utroque jure Doctor, Joanni Papæ XXII. non incognitus, ob eandem patriam, idemque Juris Canonici ingens studium. Hic ex Ordine Grandimontensium, tunc erat Rector seu Corrector domus Beatæ Mariæ de Pinello Diœcesis Tolosanæ, dum ingens illa flamma discordiarum ad annum 1314. & sequentes, in Ordine Grandimontensi arsit, quibus in Ordinis grandem ruinam ac totius Galliæ scandalum, Ordo ferme extinctus est. Huic malo gravissimo mederi volens Joannes Papa XXII. ad quem rixæ illæ ingentes advenerant terminandæ, partibus discordiarum cedentibus, designavit *Guillelmi Pellicerii* in primum Abbatem matricis Ecclesiæ Grandimontensis, erecto in novam Abbatiam (sicut præmittitur) Prioratu, diplomate dato Avenione anno 1317. decimo quinto Calendas Decembres. Unde *Guillelmus Pellicerii* benedictionem Abbatialem cum virga & baculo Pastorali ex more recepit per manum Nicolai Cardinalis Ostiensis Episcopi apud Avenionem in curia Romana, Dominica in octavis Paschæ, anni 1318. die ultimâ Aprilis. Factus itaque primus Cœnobii Grandimontensis Abbas, & Præpositus Generalis totius Ordinis, velut pastor vigilantissimus, suoque munere dignissimus, Ordinem suum lapsu temporum in morum corruptionem & neglectum pristinarum consuetudinum adductum, in omnibus reformavit, novis amplissimisque Constitutionibus editis, quæ MSS. habentur Codice 816. Bibliothecæ S. Germani Parisiensis. Sunt autem *Constitutiones & Rationes officii divini in Ordine Grandimontensi*, quæ continent *Capitula CXXXVII.* quorum Prologus incipit: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, incipit Prologus Domini Guillelmi Pelliceri, Doctoris in utroque, primi Abbatis Monasterii totius Ordinis Grandimontensis, De divinis & Ecclesiasticis officiis in prefato Monasterio, & in membris ejusdem. Quia teste Salomone Proverb 16 hominis est animam preparare, & Domini gubernare linguam &c.* In his autem Ceremoniarum Rituumque collectionibus & præceptis, multa docte & prudenter immixta sunt ex Jure & Scripturis Sanctis, quæ juvant ad informandos animos, fovendamque devotionem, ac Regulares disciplinas manutenendas, quæ non parum tantum, sed doctum fuisse Guillelmum Pellicerium probant. Idem scripsit *Librum de Doctrina Novitiorum*, continentem Capitula XVII. cujus Prologus incipit, *Cùm teste Salomone nihil incertius sit via in adolescentia, & noviter conversus sit sicut titio tinctus de incendio &c.* Huic Opusculo subjunguntur *Statuta Abbatum de Maceriis & de Savigniaco Ordinis Cisterciensis, & Priorum de Ligeto & Glanderiis Ordinis Carthusiani*, pro Reformatione Grandimontensium Monachorum. Initium illorum *Incipit Prologus in Statutis Abbatum de Maceriis & de Savigniaco Cisterciensium, & de Ligeto & de Glanderiis Carthusiensium priorum, factis authoritate Apostolicâ in Ordine Grandimontensium, mutatis nominibus Prioris in Abbatem, & Correctorum in Priores, prout Papa Joannes XXII. ipsa mutat in suo Privilegio, capitulis 2. 6. & 9.* Inde sequitur privilegium Joannis XXII. Papæ, *Joannes Episcopus, servus servorum Dei &c.* seu potius *Collectio aliquot privilegiorum & Statutorum ejusdem Ordinis, ab eodem Guillelmo Pellicerio* facta, quæ incipit a privilegio Joannis XXII. Et hæc Collectio continet capita seu rubricas XXVIII. cum appendice *De potestate priorum Conventualium Ordinis Grandimontensis*, itemque *De casibus quare Priores possunt deponi à prioratibus & à dignitatibus eorum:* denique *quod anno quolibet Dominicâ in Ramis palmarum excommunicati denuntiantur hoc modo per Abbatem & Priores stola ad collum appensa, qui certis fuerint implicati criminibus.* Demum idem Guillelmus Pellicerius

rius antea scripserat *Annotationes in aliquot Plinii Libros*, quæ Manuscriptæ extant in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 5827. & incipiunt, *Quæsitum diu hoc &c.* Cum igitur multa scripsisset, sanctamque nominis sui famam, Abbate hujus Ecclesiæ atque totius Ordinis primo dignam posteris reliquisset, Ordinem suum sanctis statutis & exemplis stabilivisset, obiit anno 1337. conditus apud Ecclesiam Grandimontensem, sub tumba lapidea, in Chori introitu. Agunt de *Guillelmo Pellicerii* Fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tomo 4. pag. 503. in Abbatibus vel Prioribus Grandimontensibus, de cujus Scriptis nullus quem noverim, loquitur.

1320 HENRICVS DE CARETO SEV CARRETO LVCANVS EPISCOPVS, ex Ordine Fratrum Minorum, floruit ab anno 1320. ad 1330. vel circiter, de quo sic loquitur Ferdinandus Vghellus tomo I. *Italia sacra* columna 881. in Episcopis Lucanis. 68. „ Frater Henricus „ex Ordine Minorum subrogatus est anno 1300. „Calendis Augusti à Bonifacio VIII, cassatâ electione Raynerii de Montemagno Canonici, à „Capitulo Lucano celebrata, tanquam vitiose „habita ex Regesto Vaticano, Epistola 211. folio 316. anno citato. Hic relictâ sede Luca excessit, Ludovico Bavaro insectante, quod Antipapæ noxiosissimas partes sequi noluisset. „Hic erat Petrus Corbarius, qui nescio quem „Rochigianum Tadolinum in hanc sedem intrusit, ex Ordine Dominicano assumptum, qui „anno 1327. hanc tyrannicè administrabat Ecclesiam. Excessit autem Henricus circa an„num Domini 1330. cujus Wadingus meminit „ex Vaticano regesto. Juxta Lucam Wadingum *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 163. *Hic Henricus de Careto Lucanus Episcopus scripsit super visionem rotarum Ezechielis Propheta volumen mediocre, quod habetur Membranis exaratum & figuris perpulchris ornatum, nulla sui parte vitiatum, Tolosa in Bibliotheca Collegii Fuxensis, Scriptum anno 1316.* Hæc Wadingus aliena fide. At Codex Manuscriptus Collegii Fuxensis temporum successu in Colbertinam Bibliothecam allatus, quem vidimus num. 781. cujus hac inscriptio. *Logica & Modus atque Resolutio Sacra Scriptura in Ezechielem Prophetam &c. edita à Fratre Henrico de Careto, de Ordine Minorum, Lucano Episcopo.* Incipit, *Sanctissimo in Christo Petro & Domino suo, Domino Papa Joanni Romano & Universalis Ecclesia Summo Pontifici, Frater Henricus Lucanus Episcopus, licet indignus, seipsum ad pedes &c. Quoniam secundum Apostolum oportet Episcopum irreprehensibilem &c.* Opus autem incipit, *Cum opera omnia Dei perfecta sint &c.* Neque Opus, ut ait Wadingus, mediocre est, sed prolixum satis: & quas appellat *Figuras perpulchras*, Myrmidonem quendam Franciscanulum vidimus, anno 1316. Opus suum Joanni Pontifici offerentem: nec aliæ comparent in Codice Manuscripto, quem doctissimus & humanissimus Stephanus Baluzius nobis utendum obtulit. Præter Ferdinandum Vghellum & Lucam Wadingum locis suprà allatis, mentionem quoque facit hujus Scriptoris Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum*, quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 111. ubi *Henricum de Caleto* eum vocat, Gallum forsitan atq; ex Vrbe Caleto in Morinis oriundum, quod excutiant, quibus ex otio licet.

FRANCISCVS DE MARCHIA, ex Ordine Fratrum Minorum, Joannis Scoti Discipulus, eruditus pro tempore isto Theologus, circa annum 1320. vel præterpropter, scripsit *Commentaria in 4. Libros Sententiarum*, quæ Parisiis publicè hac ætate legisse, verisimile plusquam est. Extant *Commentaria ista MSS.* in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ pag. 184. num. 25. impresso, qui Lipsiæ prodiit hoc anno 1686. curis & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii. Estque Codex iste scriptus Parisiis anno 1329. unde in promptu est concludere, quonam tempore floreret ille Theologus, quem Scoti discipulum facit Lucas Wadingus tomo 3. *Annalium Ordinis Minorum* ad annum 1308. num. 61. De illo Josias Simlerus in Epitome *Bibliotheca Conradi Gesneri* pag. 240. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* ex Gesnero, quem ut opinor non obliti sunt, qui *De Scriptoribus Ordinis Minorum* scribunt, ut Lucas Wadingus *in Bibliotheca Scriptorum hujus Ordinis*, & alii. 1320

BERNARDVS GVIDONIS, LODOVENSIS EPISCOPVS, Ordinis Fratrum Prædicatorum, natione Gallus, patriâ Lemovicensis, humili loco natus, in vico qui *Rocca* seu *Rupes* dicitur, anno ætatis suæ decimo nono Ordinem Fratrum Prædicatorum ingressus est. Natus anno 1261. Ordini Prædicatorum anno 1280. se adjunxit. Cumque diligenter simul ac modestè litteris Theologicis ac Philosophicis animum suum imbuisset, variis perfunctus egregiè in claustro muneribus, factus est inquisitor Generalis in Aquitania adversus Albigenses à Clemente Papa V. Anno 1294. ex Lectore Conventus Albiensis, Ord. FF. Prædicatorum, ibidem Prior factus est, Carcassonæ 1297. Castrensis 1299. ac Lemovicensis Prior annô 1303. constitutus. Anno 1305. Inquisitor contra Albigenses Tolosanos renunciatus est, & anno 1312. Ordinis sui in Curia Romana seu potius Avenionensi Procurator electus. Inter cæteras legationes, à Joanne XXII. Pontifice Maximo, anno 1317. missus est Apostolicus Legatus cum Fratre Bertrando de Turre Franciscano, in Lombardiam & Etruriam, ad pacem inter Robertum Regem & urbes Confœderatas sanciendam. Qui cùm inducias ad sex tantum menses inter partes consequuti fuissent, Joannes Papa anathema in eos, qui eas violare imposterum aude- 1320

rent, pronuntiavit. Hujus Commiffionis Literas Papales refert Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* ad annum 1310. num. 2. ita infcriptas, *Dilectis filiis Fratribus Bernardo Guidonis de Ordine Prædicatorum, Inquifitori hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, per Sedem Apoftolicam deputato: & Bertrando de Turre Ordinis Fratrum Minorum, Miniftro Provinciali Aquitaniæ, falutem & Apoftolicam benedictionem. Ifti pacis hoftis &c.* ex tomo I. Regefti Vaticani Epiftola 87. Hoc munus cum in maximum Catholicæ fidei incrementum annos plures adimpleviffet, Epifcopus tandem Tudenfis in Gallæcia fub Metropoli Compoftellana inftituitur anno 1323. ac confecratur. Inde cum ob linguæ vulgaris imperitiam, fedi forfitan huic effet minimè idoneus adminiftrandæ: ob doctrinam & pietatem non vulgarem factus Epifcopus Lodovenfis anno 1324. poft Joannem de Taxandria Cadurcenfem, ex Ordine FF. Minorum. Scripfit & dedicavit Joanni Papæ XXII. *Speculum Hiftoricum Romanorum Pontificum, Imperatorum & Regum Francorum usque ad annum 1322.* item *Speculum Sanctorum feu Sanctorale*, quod utrumque Manufcriptum affervari dicitur in Bibliotheca FF. Prædicatorum Avenionenfium. *Speculum* verò *Hiftoriam Bernardi Guidonis*, continens Summos Pontifices, Imperatores & Francorum Reges, extat etiam MS. in Bibliotheca Colbertina ex MSS. Codicibus Thuaneis, in folio & in 8. cum Libro ejusdem *De Conciliis*. Extabat quoque olim ejusdem *Chronicon Romanorum Pontificum & Imperatorum*, Avenione in Bibliotheca Henrici Suarez nobilis Avenionenfis, Cod. 47. tandemque extant *ejusdem Bernardi Guidonis Vitæ Romanorum Pontificum à Chrifto ad Joannem XXII. Romanum Pontificem*, MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 4204. chartaceo, qui anno 1409. fcriptus legitur.

Teftatur pariter Natalis Alexander Ordinis FF. Prædicatorum, *in Selectis Hiftoriæ Ecclefiafticæ Capitibus* feculo XIV. tomo XX. Cap. 5 art. 1. pag. 578. hujus *Sanctorale* feu *Vitas Sanctorum* ab illo fcriptas, extare Manufcriptas Tolofæ, magnis quinque voluminibus in Bibliotheca FF. Prædicatorum, quarum Collector potius quam compofitor dicendus eft, vel Antiquiorum abbreviator. Ibi plura ad laudem & gloriam *Bernardi Guidonis* congerit, quem legere per otium quisque poteft. Hujus quoque laboriofiffimi hominis hoc *Sanctorale*, vel ejus compendium extabat olim MS. Avenione in folio, in Bibliotheca Henrici Suares nobilis Avenionenfis, num. 3. Ejus *Epiftolam nuncupatoriam & Præfationem* edidit in publicum Labbeus tom. II. *Novæ Bibliothecæ Manufcriptorum librorum* pag. 513. qui *Nomina & Gefta Epifcoporum Lemovicenfium à Sancto Martiali usque ad annum 1273.* inde excerpta exhibet pag. 265. Itemque *Hiftoriam de Sancto Thoma Cantuarienfi Archiepifcopo & Martyre*, pag. 515. atque alibi fparfim *Vitas aliquot Sanctorum*. Inde quoque Francifcus Bosquetus Montispeffulani Epifcopus, *Vitas Romanorum Pontificum Clementis V. & Joannis XXII* feu potius *Joannis XX.* edidit. Condidit idem *Chronologias Epifcoporum Tolofanorum & Lemovicenfium, cum Catalogo Epifcoporum Lodovenfium, librumque de fundatione & progreffu Conventus Lemovicenfis Fratrum Prædicatorum*, quæ MSS. apud Dominicanos Avenione & Lemovicibus, de quibus Labbeus excepit aliquid *in Nova Bibliotheca MSS. Librorum*, quam duobus tomis in folio Parifiis anno 1657. apud Sebaftianum Cramoify edidit, nimirum tomo II. pag. 265. *Nomina & Gefta Epifcoporum Lemovicenfium*, de quibus jam fupra. Itemque *De fundatione Ordinum Grandimontenfis, & Artigiæ, & Monafterii Sancti Auguftini Lemovicenfis Hiftoria brevis* ad annum 1313. deducta, extat ibidem apud Labbeum pag. 275. Item *Gefta Comitum Tolofanorum*, à Guilelmo Catello edita Tolofæ anno 1623. in folio, cujus *& Vitam Sancti Fulchranni, Lodovenfis Epifcopi*, habes apud Joannem Bollandum *in Actis Sanctorum* ad diem 13. menfis Februarii. Porrò multi Codices MSS. Operum Bernardi Guidonis in Bibliotheca Colbertina, quorum præcipuus 735. in quo hujus Bernardi.

Catalogus Romanorum Pontificum.

Ejusdem *Catalogus Imperatorum Romanorum & Regum Francorum.*

Ejusdem *Tractatus brevis De temporibus & annis Generalium & particularium Conciliorum*, qui etiam habetur in ejusdem Bibliothecæ Codicibus aliis, puta 1521. & 1858.

Ejusdem *Tractatus de officio Miffæ*, itemque *De cafibus qui contingere poffunt in celebrando.*

Ejusdem *De præceptis Decalogi.*

Item *Nomina Apoftolorum & Nomina LXXII. Difcipulorum.*

Ejusdem *Catalogus Epifcoporum Lemovicenfium.*

Ejusdem *Nomina Sanctorum Diœcefis Lemovicenfis.*

Ejusdem *Catalogus Epifcoporum Tolofanorum.*

Ejusdem *Liber De Fundatione Ordinis Grandimontenfis.*

Ejusdem *Defcriptio Galliarum.*

Ejusdem *Dicta Sanctorum Patrum atque Doctorum Ecclefiæ De peccato originali loquentium.*

Ejusdem Bernardi Guidonis MS. Codex, inter MSS. Codices Vniverfitatis Cantabrigienfis num. 269. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis, Claffe à Siniftra, Serie Suprema Codice 14. ubi *Bernardi Guidonis* extat *Catalogus Imperatorum Romanorum. Catalogus Regum Francorum. Tractatus brevis de temporibus Celebrationis, tàm particularium, quàm Generalium Conciliorum, Catalogus 70. Difcipulorum, atque Catalogus Pontificum Romanorum usque ad Joannem XXII.*

Ejusdem Varia Codice Colbertino 1901. fub ordine fequenti. *Chronologia Romanorum Pontificum*, quæ continuatur usque ad annum 1330.

Joan-

Joannis Papæ vigesimi secundi. Incipit, *Sanctissimo Patri ac Domino suo, Domino Joanni, munere divino sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici & pastori, Vicario Domini Jesu Christi, sua servulus Sanctitatis, frater Bernardus Guidonis Ordinis Prædicatorum, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ per Sedem Apostolicam deputatus, seipsum ad devota pedum oscula, ex voto debita servitutis. Jampridem ex pluribus antiquis Chronicis &c.* Stephanus Baluzius *in Vitis Paparum, qui olim Avenione sederunt*, dat ex hoc opere ut opinor *Vitam Clementis Papæ V*, auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi, sc. *Vitam tertiam* col. 55. & *Vitam quartam* col. 61.

Imperatores Romanorum. Quoniam Sanctorum Martyrum & Confessorum ac Virginum tempora & anni, in quibus floruerunt &c. Ubi procedit usq; ad annum 1319. inclusivè &c.

Arbor Genealogia Regum Franciæ. Franci ex sua prima origine fuerunt Trojani, sicut ex Gestis Francorum & Chronicis antiquis cognoscitur &c. cessatque in a. 1330. quo scribebat.

Reges de origine Francorum, Franci origine fuere Trojani, pagano ritui dediti. Post famosum autem & cunctis seculis ac Gentibus notum Trojanæ Civitatis excidium &c. cessatq; ad a. 1330.

Ejusdem Tractatus De tempore celebrationis Conciliorum. De Sacrosanctis Synodis seu Conciliis Generalibus seu Universalibus tractans Gratianus in Decretis Distinct. 15.

Nomina Apostolorum & Discipulorum Christi Domini. Nomina duodecim Apostolorum Domini Jesu Christi, scripta sunt in Evangeliis; prout sequitur seriatim &c.

De ordinatione officii Missæ facta à Domino Jesu Christo, & sanctis ejus Apostolis, ac demum per Summos Romanos Pontifices successive Dominus noster Jesus Christus, primus & Summus Pontifex & Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech &c.

Casus, qui possunt contingere in celebrando. Consequenter autem & convenienter &c.

Libellus brevis & utilis De articulis fidei & Sacramentis Ecclesiæ & preceptis Decalogi, cum quibusdam annexis aliis, in fine, pro Rectoribus & Curatis Ecclesiarum nostræ Diœcesis, ad erudiendum plebes fidei commissas. Quoniam ut ait Apostolus Hebræorum XI. sine fide impossibile est placere Deo &c.

Idem Bernardus Guidonis scripsit *libris duobus Vitam Sancti Thomæ Aquinatis*, desumptam fermè verbotenus ex Opere Guillelmi de Thoco, qui prius eandem vitam scripserat, & ex processu Actuum inquisitionis pro canonizatione ejus. Cujus titulos habent Socii Bollandistæ ad diem 7. Martii tomo I. fol. 716. quam MS. variis in locis designant fol. 656. num. 3. præludiorum ad eandem Thomæ Aquinatis vitam.

Item *Acta omnium Capitulorum Generalium Ordinis Dominicani* ab Ordine condita ad sua usque tempora, *Aymerici Generalis jussu*, à Bernardo Guidonis collecta ac digesta habentur MSS. apud FF. Ordinis Prædicatorum Tolosæ. Deniquc *Collectaneum variarum Sententiarum* ab anno 1307. ad annum 1323. inclusive, in multos hæreseos accusatos, atque, ut putant, convictos prolatarum, ibidem in folio MS. quod Collectaneum apud Guillelmum Cavum, vel potius illius continuatorem Henricum Warthon, *Practica Inquisitionis* intitulatur, *in Historia rei literaria*, ad Seculum Wicklefianum, an. 1323. pag. 23. Cum ergo fuisset ab anno 1305. institutus *Inquisitor hæreticæ pravitatis* in Tolosanis partibus à Clemente Papa V. atque in isto munere assiduus severusque extitisset usque ad annum 1323. quo ob provinciam istam rectè administratam, multosque sub hæreseos prætextu condemnatos, Tudensem in Gallæcia Episcopatum hujusce militiæ præmium retulit: *Acta ista à se potissimum scripta vel dictata*, ab aliis autem atque aliis Secretariis in unum volumen comportata, meritò ab anno 1307. ad 1323. quo huic officio Inquisitoris incubuit, collegisse atque composuisse creditur, licet in MS. Codice illius nomen diserte non præferant. Authenticum illud volumen, aliquis à Fratribus Dominicanis Tolosâ ad Batavas partes aufugiens, secum abstulit, unde in manus venit Philippi à Limborch Sacræ Theologiæ inter Remonstrantes Professoris, qui illud summa fide, anno 1692. Amstelodami in fol. apud Henricum Wetstenium edendum in lucem publicam curavit. Procedit contra Albigenses usque ad folium 91. in quo occurrit Sententia Stephani Porcherii, qui primus Valdensium fuit, quorum in hoc volumine mentio fit. Exinde Albigensium & Valdensium mixtæ inter se sententiæ leguntur. Cum autem anno 1318. a Papa Johanne XXII. Beguini hæreseos condemnati essent, Inquisitores jussu Papæ contra eos procedere inceperunt. Atque ita fol. 150. b. & seqq. sententiæ contra Beguinos extant. Hinc variæ rursum contra Albigenses & Valdenses occurrunt, & contra Petrum Lucensem Hispanum, unicum in toto hoc volumine, ex eorum genere, qui illo tempore *Apostolici* vocati fuerunt. Ac tandem in fine libri, aliquot rursus contra Beguinos sententiæ, prout plenius ac distinctius hæc omnia in tabella Præfationi subjecta repræsentantur. A prima Sententia foliis 1. & 2. nomen Fratris *Bernardi Guidonis*, de Ordine Fratrum Prædicatorum, Inquisitoris hæreticæ pravitatis in regno Franciæ authoritate Apostolica constituti apparet, quæ anno 1307. data est. Idemque nomen frequenter, usque ad folium 394. & impressionis ultimum, ubi Sententia lata anno 1323. per eundem *Bernardum Guidonis*, contra Bernardum Baronis de Maseriis, Diœcesis Mirapicensis. Ipsum autographum, quod possessoris benevola voluntate, integro quadriennio in manibus viri nobilis integerrimi Philippi à Limborch extitit, scriptum & ubique subscriptum est manu Notariorum inquisitionis: indiciisque constat indubitatis, esse authenticum exemplar ex archi-

„chivis Inquisitionis Tolosanæ vel Fratrum „Prædicatorum, qui illic Inquisitorum munere fungebantur, depromptum. Authentices „indicia adeò manifesta sunt, ut sola voluminis „inspectio, mox omne dubium inspicienti adi-„mat. Volumen ex pergameno constat, & in-„ter duas laminas ligneas compactum est: qua-„rum laminarum alteri titulus hic inscri-„ptus est, L. Sententiarum. Ipsæ sententiæ „quantum ex characterum similitudine colligi „potest, manu Petri de Claveriis, usque ad Ser-„monem 8. qui folio 97. incipit, conscriptæ sunt. „Reliqua libri pars ad finem usque, manu Gui-„lielmi Juliani scripta est. Sententiis ubique „ferme Jacobus Marquesii subscripsit, atque ut „subscriptiones Notariorum curiosus lector fa-„cilius agnoscat, eas alio charactere imprimi „curavit dictus Limburgius: ut exinde constet, „quæ & quot unusquisque Notarius verba, suâ „manu singulis locis scripserit.

Hæc ex Præfationibus Philippi Limburgii, operis hujus rarissimi & autographi editoris, qui præmisit *Historiam Inquisitionis* libris quatuor, multâ eruditione refertis à se compositam, quibus Rempublicam literariam argumento novo plurimùm sibi devinxit. Qui scripsit *Appendicem* ad Partem 2. *Historiæ Literariæ* Guilielmi Cavi Londini anno 1698. in folio impressam, ubi de Operibus Bernardi Guidonis seculo XIV. loquitur, addit Historicis à se allatis, extare *Sermones Bernardi Guidonis de Tempore & Sanctis*, MSS. in Bibliotheca Bodlejana Classe *Laudi* litera H. Codice 24. iterumque Classe Bodleji litera C. VI. 4. Verum hic fallitur, nunquam enim legimus *Bernardum Guidonis* adposuisse animum vel calamum Sermonibus conscribendis, sed hos sermones esse alterius *Guidonis Ebroicensis* in Gallia, ejusdem Ordinis Fratrum Prædicatorum, de quo ad annum 1280. locuti sumus, cujus Sermones sunt frequentissimi ubique locorum, in Bibliothecis, quæ Manuscriptis Codicibus abundant. Hic Ebroicensis in MSS. Codicibus *Guido* simpliciter appellatur, alter autem *Bernardus Guidonis* vocatur, nec nisi Historicis colligendis vel conscribendis incubuisse videtur. Excussi eam ob rem Catalogos Manuscriptorum Codicum Anglicarum Bibliothecarum, atque inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ reperi Codice 1287. in Manuscriptis Codicibus Guilielmi Laudi Cantuariensis olim Archiepiscopi, litera H. Codice 24. *Guidonis de Ordine Prædicatorum Sermones de Tempore & Sanctis in 4.* Ibidem etiam Codice 2114. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera C. 6. Codice 4. *Guidonis de Ordine Prædicatorum Sermones Dominicales & de Sanctis.* Hæc dubio procul ad *Guidonem Ebroicensem* anno 1280. clarum concionibus conscribendis pertinent, non ad *Bernardum Guidonis*, de cujus Operibus hic agimus.

Ejus creditur esse *Compendium fidei Catholicæ*, quod habetur MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 5687. cujus Prologus fol. 20. incipit, *Dum solus in Cella sederem, & aliqua de Catholica fide mente revolverem &c.* Dividitur in tres Libellos Libellus I. De articulis fidei. *Occurrit itaque primò discutere, utrum sit necesse ponere, Deum esse, nulli enim hoc debet verti in dubium, cùm sit originale fidei fundamentum &c.* Libellus 2. De sacramentis fol. 41. *Postquam antem auxiliante Christo &c.* Libellus tertius, De Virtutibus. *In præcedentibus duobus Libellulis, De fidei nostræ articulis & Ecclesiæ Sacramentis &c.* Sanè hoc Opus suum agnoscit, in altero adhuc breviori ejusdem rationis quod habetur ad finem Cod. 1901. Colbertinæ Bibliothecæ jam allegati. Sic enim concludit hunc libellum in fine Codi-„cis, Hæc de Articulis fidei & de Sacramentis Ec-„clesiæ & de præceptis moralibus Decalogi, &„ de quibusdam annexis in fine, sub brevitate„ conscripsimus, ut faciliter possit haberi à Sacer-„dotibus & memoriæ commendari. Ad aliqua-„lem autem intelligentiam pleniorem, Libellum„ quendam specialem de prædictis articulis, Sa-„cramentis & præceptis, repetendo ea altius, du-„ximus conscribendum." Alludit ergo ad prædictum Opus plenius, quod in tres libros sub designatis materiis, distinctum est. Cum ergo ex hac luce usura anno 1331. die 13. Decembris, anno ætatis 71. discessisset in Castro Laurosio ditionis Episcopalis, translatus ad fratres Lemovicenses Ordinis Prædicatorum, hoc epitaphio insignitur.

Sub hoc humili loco jacet
F. Bernardus Guidonis Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Post nonnullas per Italiam, Galliam & Flandriam Legationes Apostolicas,
Primum Tudensis in Gallæcia
Deinde Lodovensis Episcopus in Gallia Narbonensi
Qui animam cœlo reddidit
Anno Salutis Domini MCCCXXXI. Die XIII. Decembris.
Requiescat in pace.
Amen.

Hoc quidem recens est monumentum Bernardi Guidonis, ut ex contexturâ patet. De illo plures pluribus agunt, Castillus *in Historia Ordinis Fratrum Prædicatorum* Cent. 1. Lib. 3. cap. 57. Antonius Senensis Lusitanus *in Chronico ejusdem Ordinis.* Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* ad annum 1317. num. 2. 3. 4. & 5. Abraham Bzovius *in Annalibus Ecclesiasticis* ad eundem annum 1317. num. 27. Spondanus *in Annalibus* ad annum 1330. num. 7. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. 499. editionis secundæ. Imò quæ habet idem Vossius cap. sequenti 63. fol. 505. sub nomine *Bernardi de Castris Sancti Vincentii*, spectant indubiè ad Bernardum Guidonis, qui similes ibidem allegatis tractatus edidit. Fefellit Vossium, Leamer Albertus Libro IV.

De Viris illustribus Ordinis Prædicatorum, qui legit *Bernardum de Castris* pro *Bernardo Guidonis*: unde duos Scriptores distinctosque Vossius opinatus est.

DISSERTATIO
DE
BARLAAMO HIERACENSI SEU LOCRENSI EPISCOPO.

CAPUT PRIMUM.

VITA BARLAAMI MONACHI ET HIERACENSIS SEU LOCRENSIS EPISCOPI, PAUCIS PERSTRINGITUR.

1330 BARLAAMUS HIERACENSIS SEU LOCRENSIS EPISCOPUS, natione Calaber, professione Monachus Ordinis divi Basilii, utraque linguâ Latinâ pariter ac Græcâ insigniter eruditus, relictâ Italia ad partes tandem Orientis secedens, ob doctrinam atque in agendis industriam, ab Andronico Seniore Imperatore, ab anno jam 1330. magni habitus est, unde & posteà constitutus Abbas Monasterii Sancti Salvatoris Constantinopolitani. Cum Græcis Græcos ille induit mores, Græcas opiniones, nihilque omisisse videtur versipellis Monachus, quo Principibus sub quibus & quibuscum vivebat, animum aptavit. Nullatenus autem fide dignum est, quod scribit Henricus Spondanus ad annum 1332. *in Annalibus Ecclesiasticis* num. V. eum in Græcia novum atque adventantem; *Cùm videret Græcos ignoratione mali, quo laborabant, vehementiùs peccare, illud primùm eis aperire noluisse variis Epistolis, si per eorum docilitatem licuisset.* Nam Epistolæ istæ Scriptæ ab eo sunt, post annum 1341. quo damnatus in Concilio Constantinopolitano, posteà in Italiam reversus est. Noster itaque in Italia Græcus, multa scripsit, quibus nomen posteritati commendavit, in utramque partem, nunc Græcæ, nunc Latinæ Ecclesiæ, pro commodis privatis vel necessitate temporum, amplexatus partes. Cum autem Andronicus uterque & Senior & Junior Palæologus, doctrinam Ecclesiæ Latinæ omnimodis execrarentur Græcis opinionibus adversam, eamque ob rem Senior atque Junior Joannem Beccum, Georgium Metochitam & Constantinum Melitembram in exilium & carcerem emisissent: validiores atque elevationi convenientiores amplexatus Imperatorum animos, scripsit contra Latinam Ecclesiam *Tractatum unum aut alterum de Processione Spiritus Sancti*, qui cum *libris V. Arithmetica vel Geometrica demonstrationis*, *de Numeris cum Theologica speculatione Festi Paschalis*, extant MSS. Romæ in Bibliotheca Vaticana. Idem Barlaam Monachus scripsit *Contra Primatum Papæ*, & *De Spiritus Sancti processione* juxta Græcorum mentem, quæ MSS. extant in Imperatoria Viennensi Bibliotheca, teste Josia Simlero *in Epitome Bibliotheca Gesneri*, pag. 101. Cum autem ut habet Spondanus ad annum 1337. num. 11. circa hæc tempora Gregorius quidam Palamas, genere Asiaticus & in aula Imperatoris educatus, cæteris quoque scientia eminentior, acposteà Thessalonicensis Archiepiscopus, defendendam suscepisset caussam Monachorum Montis Atho, affirmantium, *Lumen, quod in Christo ad montem Thabor coram Apostolis resplenduerat, fuisse divinam ipsam essentiam, eamque sese cùm in Oratione suâ incalescerent, oculis corporeis cernere & contemplari*: adversarium sensit Barlaamum Monachum & Constantinopolitanum Abbatem, qui multis Disputationibus Constantinopoli exagitatus & exagitans, errorem hunc seu Monasticam phantasiam vehementissimè insectatus est. Seu veritatem ille defendendam esse attenderet, seu nomen inde sibi, comparandum fore arbitraretur: quod in plerisque controversiis hodiernis ultimum, fermè semper potissimum est. Cessit tamen pessime Barlaamo caussa æquissima, atque Theologis nostris Latinis evidens, ut postea dicemus. Interim otium aliquod ab his controversiis Barlaamo factum est. Anno enim 1339. ut Henricus Spondanus & Abraham Bzovius ad eundem annum referunt, Barlaamus Monachus & Abbas S. Salvatoris Constantinopoli, missus ex Oriente ad Benedictum XII. Romanum Pontificem, unà cum nobili Stephano Dandulo Venetiis oriundo, Avenionem usque, ubi Pontifex morabatur. Hic ex parte Andronici Junioris Imp. modos proposuit, quibus concordia inter Ecclesias Latinam & Græcam iniri posset: nimirum si quatuor præcipuæ Civitates Imperii quas Turcæ occupaverant, ope Latinorum Turcis eriperentur, & Græcis restituerentur. Si Concilium Generale à Pontifice indiceretur, ad quod vocatis quatuor Orientis Patriarchis, vel de communi eorum consensu missis viris doctis & unionem amantibus, rursus Disputatio *De processione Spiritus Sancti*, agitaretur. Sic enim fere, ut tam reliqui Orientis Episcopi quam universi populi, Decretis Synodi facile acquiescerent: qui Lugdunensi tempore Michaelis Palæologi celebratæ restiterant, eo quod qui ex Græcis ei interfuissent, non à Patriarchis, sed ab ipso tantum Michaele delegati fuissent. Quibus respondit Pontifex non ex re esse tot Conciliis & Collationibus, decisam de ipsorum etiam Græcorum sententia quæstionem, Ephesino primo, Toletano, Lugdunensi, aliisque: iterum retractare aut in du-

dubium revocare. Non tamen se contradicere, quin Imperator Patriarchas aliosque Metropolitanos convocaret, & cum illis ageret, ut aliquos in Occidentem mitterent, qui de omnibus instituerentur. Accepta verò à Græcis unione, tunc curaturum Pontificem, ut Principes Occidentis totis suis viribus, Imperio Græcorum adversus Turcos, aliosque hostes succurrerent. Cum autem Barlaamus, nullum se de iis, quæ proponebat, mandatum à Patriarchis alisque Episcopis, nec ab Imperatore aut Principibus habere, sed tantum secretò se ab Imperatore ad ea tacitè proponenda missum profiteretur: remissus ad eum est, res cum ipso & Patriarcha accuratius tractaturus. De his omnibus constat, tàm ex litteris Benedicti Papæ XII. ea de re ad Philippum Galliæ & Robertum Siciliæ Reges scriptis: quàm ex Actis rerum ab eodem Barlaamo cum Pontifice & Cardinalium Collegio gestarum, quæ hactenus extant *in Regesto Benedicti:* unde Bzovius hoc anno exscripsit, quamvis à Græcorum Historicis penitus ignorata aut silentio contecta fuerint. Porrò ut habet Spondanus ad annum 1341. num. 7. habitus tunc temporis Constantinopoli Conventus Episcoporum ac Senatorum & Procerum in templo Sanctæ Sophiæ, præsente ingenti populi multitudine, atque ipso Imperatore Andronico una cum Joanne Patriarcha præsidente, *De controversiis* quæ inter Barlaamum & Palamam Monachos agitabantur, quas supra retulimus. Nihil tamen tanto apparatu dignum peractum est. Nam Imperator ea, quæ ad Theologiæ tractationem pertinerent, agitari non permittens, ne Palamas impietatis reus convinceretur: de adulterinis precibus de quibus etiam impetebatur, agi tantum voluit. Habitaque postmodum ab ipsomet Imperatore Oratione, ac tam Patriarchæ satis ad fidem & Catholicam communionem proclivi, quam cæteris Præsulibus adempta quæ vellent agendi libertate, necessitatem imposuit in suam sententiam eundi. Quod graviflime ferens Barlaamus, & judicium valde claudicasse clamitans, Imperatore mox defuncto, relictis ejusmodi Græcis in Italiam rediit, Latinorum instituta in quibus educatus erat, libere iteratoque professurus. Ita Nicephorus Gregoras, quæ paullò aliter quoad gesta, in Synodo narrat Cantacusenus Lib. 2. cap. ultimo, sequioti in Barlaamum animo. Redditus ergo suis Italis, quo magis in adversam Græcis partem tenderet, factus ille est Hieracensis seu Locrensis in Calabria Episcopus sub Regiensi Metropoli: unde postea lapidem movit omnem, ut Græci Latinis reconciliarentur, Romanæque tanquam omnium matri Ecclesiarum, obedirent. De zelo isto abunde Spondanus ad annum 1332. num. 5. *in Annalibus Ecclesiasticis*, sed anno male assignato, cum facta ista sint post prædictam Synodum & annum 1341. Hac de re doctam Alexio Calocheto scripsit Epistolam, qua multis authoritatibus & rationibus ostendit, Græcos Romanæ Ecclesiæ non obedientes, esse non tantum schismaticos, verum etiam hæreticos: scilicet ut illi gravitate peccati cognita, tanto citius ad communionem & obedientiam Ecclesiæ Romanæ redire festinarent. Deinde binis ad Amicos suos in Græcia constitutos scriptis litteris, quanti Primatus & unio Ecclesiæ Romanæ æstimanda essent, diffuse docuit. Prioribus quidem disputans, quæcunque veram Ecclesiam veramque doctrinam & unionem Catholicam constituere possunt, in Ecclesia Romana reperiri; contraria vero quæcunque, in societatibus ab ea distinctis ac divisis, vigere. Neque ullam unquam causam Romanam Ecclesiam dedisse, propter quam Orientales ab ea separari debuissent: cum e contra ex ea divisione factum esset, ut illæ ab invicem distractissimæ viverent, adeo ut ex quinque Patriarchis (Bulgariensi numerato) & insuper Tribellensi Archiepiscopo, Nullus horum sex vel de jure vel de facto talis esset: ut reliqui quinque, ipsum ut caput suum habere vellent. Quin imo nec quicunque sub quolibet eorum essent, ita devote se haberent ad eum, ut metu non temporalis damni, sed perditionis animæ, mandata ejus implere vellent. Quin & Pontificatus cujuslibet penderet a Principibus regionum, in quibus siti erant, puta Bulgariensis & Tribullensis a suis propriis: Antiochenus a Rege Armeniæ: Hierosolymitanus & Alexandrinus a Sultano Ægypti: ab Imperatore Constantinopolitanus: nullumque horum omnium, Pontificatum recipere, non probanti & decernente suo seculari Principe: his omnibus longe aliter se habentibus in Romana Ecclesia. Posterioribus autem litteris, multis aliis argumentis & authoritatibus demonstrans, Ecclesiam Romanam divinitus esse institutam Matrem Ecclesiæ Catholicæ, Spiritumque sanctum a Patre Filioque procedere. Hæc Barlaamus prædictis litteris, quæ Latine extant tomo 6. *Antiquæ Lectionis* Henrici Canisii, & apud Abrahamum Bzovium in *Annalibus Ecclesiæ* ad annum 1330. ex Codice MS. Vaticano 4068. contra ea omnia, quæ cum Græcis ipse Græcus factus scripserat. Præter quas aliæ alio tempore scriptæ sunt, quibus respondens quamplurimis dubiis ad se a Demetrio Thessalonicensi viro apud Græcos non postremo, *super processione Spiritus Sancti a Filio*, missis: aliis rursum argumentis & authoritatibus ex sacra Scriptura & sanctis Patribus petitis, tam diserte & erudite, quam prolixe processionem illam demonstravit, ejusque oppositam opinionem valide confutavit, denique Primatum Romanæ Ecclesiæ pariter probans, nutantem Demetrium ad ejus obedientiam invitavit. Rursumque alio scripto ad eundem Calochetum exarato, sexdecim argumentis ex Scriptura petitis, eandem doctrinam *De Spiritu Sancto* solidissime probavit, & qui eam non crederent, Hæreticos esse conclusit. Cujus etiam ibidem extat *Compendiosa tractatio Ethica secundum*

dum doctrinam Stoicorum, ex eorum scriptis collecta. Atque hæc de Barlaami Vita modo satis fuit, de quo tamen adhuc pauca dicenda restant: nempe doctrinam ejus in Concilio quodam Constantinopolitano anno 1350. habito damnatum fuisse, juxta eundem Spondanum in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum præfatum num. 20. prævalentibus licet injustissimo decreto, adversus Barlaamitas & Acindynitas, Palamitis cum suis deliriis atque extasibus. De hujus *Barlaami Monachi Calabri* vita, studiis, moribus & varia fortuna, prolixe & copiose agit ipse Imperator Joannes Cantacusenus, sub nomine Josaphati Christoduli Monachus Libro 2. *Historiarum Byzantinarum sui temporis* cap. 39. & 40. Lib. 3. cap. 98. atque lib. 4. capp. 23. & 24. Notabile autem imprimis est, & maxime ad rem præsentem pertinet, initium istius narrationis, utpote ubi Librorum ab ipso contra Latinos compositorum expressa mentio fit his verbis: Μοναχός τις ὁρμώμενος ἐκ Καλαβρίας, τοῖς Λατίνων ἤθεσι καὶ νόμοις ἐντραφεὶς, ὄνομα Βαρλαὰμ, ἄλλως δὲ νοῆσαί τε ὀξὺς, καὶ τὰ νοηθέντα ἐξηγῆσαι ἱκανώτατος, καὶ τὰ Εὐκλείδου καὶ Ἀριστοτέλους καὶ Πλάτωνος ἐκμελετήσας, καὶ διαβόητος περὶ ταῦτα ὤν, ἐπὶ κακῷ τῶν Ῥωμαίων ἐπεδήμησε βασιλείᾳ· πολλῶν γὰρ ἐνέπλησε καὶ μεγάλων στάσεων εἰρήνην ἄγουσαν τὴν Ἐκκλησίαν· ὑποκρινάμενος γὰρ τὰ Λατίνων ἀποσείεσθαι, λόγους τε συνεγράφετο καθ᾽ αὐτῶν, καὶ ἐπεδείκνυε λογικῶς περὶ τὴν πίστιν σφαλλομένους, καὶ τοῖς ἡμετέροις ἔχαιρεν ἤθεσι, καὶ νόμοις, καὶ ὅλως σαφεῖς ἐδόκει παρεσχέσθαι τὰς ἀποδείξεις τοῦ κατεγνωκέναι τὰ Λατίνων ἀληθῶς. *Monachus quidam e Calabria oriundus, Latinorum moribus & legibus educatus, nomine Barlaam, acutus alioqui & perspicax, & ad ea quæ intellectu perceperat, explicanda disertissimus: insuper in Euclide, Aristotele & Platone volutatus, & ob id illustri fama, ad calamitatem Romani Imperii Thessalonicam advenit. Quippe qui Ecclesiam pacatam multis & magnis implevit seditionibus: simulans enim se Latinorum dogmata profligaturum, libris contra illos compositis conclusione rationum demonstrabat, eos in doctrina religionis hallucinari & errare, nostrisque gaudebat institutis ac Legibus: & omnino manifesta videbatur dare indicia, se Latinorum dogmata atque Ceremonias vere & ex animo damnare.*

CAPUT SECUNDUM

QUID LEO ALLATIUS DE BARLAAMO ISTO SCRIPSERIT?

Omnium autem, qui de *Barlaamo* scripserunt, nullus majori cura, amplioribusque verbis id fecit, quam Leo Allatius, in Libro 2. *De Consensu utriusque Ecclesiæ*, capitibus 16. & 17. Nam non tantum Cap. 16. §. 2. col. 787. refert Epistolam Papæ Benedicti XII. ad Robertum Siciliæ Regem illustrem, prolixam illam de *Barlaamo* isto Calabro Abbate Monasterii D N. Jesu Christi Salvatoris Constantinopolitani agentem, anno 1339. scriptam, cum ille unionem apud Latinos accedens urgeret: sed insuper præclarissima atque accuratissima de illo habet ibidem cap. 17. §. 1. col. 824. quæ non duos fuisse, sed unicum Barlaamum, modo cum Græcis, modo cum Latinis sentientem, demonstrative ostendunt. Loquentem igitur ita præclare, licet prolixum, atque omnia fere Barlaami Opuscula recensentem, audire operæ pretium est.

Barlaamus præterea Monachus, Latinorum dogmatibus enutritus, nec Græcarum literarum jejunus, quamvis propitium Imperatorem nactus, rebus tamen Græcorum & Monachis iniquior, quos acerrimo odio prosecutus exagitavit, ideoque celebrata Synodo in magno sacræ sapientiæ templo, præsente etiam Imperatore cum Senatus principibus, & aliis doctissimis viris, condemnatus est. Hujus meminit Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus *De quinque capitibus Synodi Florentinæ*, cap. De primatu Papæ: *Vidi & recte memini, cum interfuerim Disputationibus cujusdam Monachi Barlaam, quæ habita sunt Constantinopoli coram quodam Legato Apostolico, de Primatu Papæ, ubi concludens Legatos dicit* &c. Si Gennadius vidit interfuitque, ut postea rei gestæ meminisse possit, necesse fuerit, ad minus viginti aut viginti quinque annos natum disputationes illas audisse, quæ omnino ante annum MCCCXL. factæ fuerant, vel paulo post. Tum progrediens mecum Lector, ab anno MCCCXL. ad annum MCCCCLII. cum Constantinopolis a Mahumetanis excisa est, anni CXII. intercurrunt, quibus si addas viginti quinque, erunt anni CXXXVII. Quare necesse est, dum illa Gennadius scriberet, cum post excisam Constantinopolim scribat, ad minus, annis plus CXXX. natum, opus illud *De quinque Capitibus* concepisse & composuisse, quod plane ridiculum fuerit. Sed Græca Gennadii verba ab errore, in quem nos parum prudens Interpres inducit, liberant. εἶδον καὶ καλῶς μέμνημαι ἐν ταῖς διαλέξεσι τινὸς Βαρλαὰμ μοναχοῦ γενομέναις ἐν Κωνσταντινουπόλει μετά τινος λεγάτου Ἀποστολικοῦ, περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα. *Vidi ipse*, non corpore rei gestæ præsens, sed oculis in Commentariis scriptis, quod idem est ac si diceret, *Legi ac recte memini in Disputationibus cujusdam Barlaami Monachi, in quibus id vidi, quæ habita sunt Constantinopoli cum quodam Legato Apostolico de Primatu Papæ.* Si Græca Gennadii verba non essent ad manum, quisnam unquam ineptiarum finis esset? Quid non recentiores Critici, ad expiscandam veritatem ausi essent? Scripsit multa, quibus Græcorum dogmata, & de processione potissimum stabilire conatur, Latinorum evertere. Eorum, quæ ipse perlegi, catalogus hic fuerit. I. περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, *De processione Spiritus Sancti.* Principium, Τῇ τῶν θείων Ἀποστόλων, καὶ τῶν τούτους διαδεξαμένων. II. ὅτι κα-

κειμένου ἐκ μόνου τοῦ πρώτου αἰτίου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔχειν τὴν ὕπαρξιν, οὐκ ἀναιρεῖται ἡ κατ' οὐσίαν ταυτότης πατρὸς καὶ υἱοῦ. *Supposito, ex prima sola causa Spiritum sanctum existentiam habere, non tollitur identitas secundum essentiam, Patris & Filii.* Principium, εἰμεὶ κριτὴς τινα ἀμφότεροι ἔχομεν. III. ὅτι ὑποκειμένου ἐκ μόνου πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἀναιροῦνται αἱ προσωπικαὶ διαφοραὶ τῶν τριῶν προσώπων πρὸς ἄλληλα. *Supposito, ex solo Patre Spiritum S. procedere, non tolluntur personales differentia trium personarum ad invicem.* Principium, ἑπομένως δὲ τοῖς καὶ περὶ τῶν προσωπικῶν διαληπτέον ἰδιοτήτων. IV. ὅτι ὑποκειμένου, ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἀναιροῦνται τὰ περὶ θεολογίας ῥητά. *Supposito, ex solo Patre Spiritum sanctum procedere, non tolluntur Theologica dicta.* Principium, ἴσως ὦ ἄνδρες Λατῖνοι ὑπολαμβάνοντες ὡς καθ' ὑμῶν. V. ὅτι ὑποκειμένου, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πολλὰ τῶν ὁμολογουμένων ἀναιρεῖται, καὶ πολλοῖς ῥητοῖς τῶν ἁγίων ἐναντίας εἴη ἡ τοιαύτη ὑπόθεσις. *Supposito etiam ex Filio procedere Spiritum Sanctum, multa ex iis, qua confitemur, tolluntur, & multis dictis Sanctorum adversatur hoc argumentum.* Principium, ὅταν εἰς λόγους ἀλλήλοις ἐρχόμεθα. VI. ὅτι ὑποκειμένου, ἐκ μόνου πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐδὲν ὅλως ἀδύνατον ἕπεται, οὐδέ τι τῶν ὁμολογουμένων τῆς ἐκκλησίας ἀναιρεῖται δογμάτων. *Supposito, ex solo Patre procedere Spiritum Sanctum, nullum omnino absurdum sequitur, neque aliquid ex iis, qua confitetur Ecclesia, dogmatibus destruitur.* Principium, ὁ θεῖος Ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας ἐπιστολῇ. VII. ὅτι οὐχ ἁπλῶς ὑπόθεσις, τὸ νομίζειν ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἀνάγκη πᾶσα τοῖς εὐσεβεῖν αἱρουμένοις ἐκ μόνου τοῦ πρώτου αἰτίου προάγειν τὰ ἐκεῖθεν ἀχρόνως ἐκλάμψαντα, καὶ κεφαλαιώδης ἔκθεσις τοῦ ἡμετέρου δογματος. *Quod non sit simplex argumentum, existimare ex solo Patre procedere Spiritum Sanctum, sed necesse esse, qui pius dici vult, ex sola prima causa educere, qua inde sine tempore eluxerunt; & compendiosa nostri dogmatis expositio.* Principium, ὅτι μὲν οὖν ὑποκειμένου ἐκ μόνης τῆς πρώτης αἰτίας. VIII. Δόγμα Λατίνων γραφὲν ὑπὸ τῶν πρέσβεων τοῦ Πάπα, εἶτα τοῦ αὐτοῦ ἡ τούτου ἀνασκευή. *Dogma Latinorum scriptum ab Oratoribus Papa, tum deinde ejusdem confutatio.* Principium, ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς μία εἰσὶν ἀρχὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος. IX. Λέγατος, ἢ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Legatus sive De Spiritu Sancto.* Principium, τεθέασαι τὴν ἐπιστολὴν ἣν ἔναρχος τῷ τε πατριάρχῃ. X. Κατὰ θωμᾶ λέγοντος, ὅτι οὐ κατὰ μόνα τὰ πρός τι διαφέρουσιν ἀλλήλων τὰ θεῖα πρόσωπα. *Contra Thomam dicentem, non per solam relationem differre inter se divinas personas.* Principium, Θωμᾶς μὲν οὐδένα τρόπον διαφορᾶς ἐν τῇ τριάδι οἴεται εἶναι. XI. πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι μόνη ἡ πατρότης συστατικόν ἐστι τῆς ὑποστάσεως τοῦ πρώτου αἰτίου, τὸ δ' ἀγέννητον οὐδαμῶς. *Ad eos qui dicunt, solam paternitatem constitutivam esse hypostaseos prima causa, ingenitum vero nequaquam.* Principium, οἱ περὶ τὸν Θωμᾶν κατὰ μόνην τὴν τῶν πρός τι διαφορὰν διακρίνουσιν. XII. Πρὸς τοὺς πρέσβεις, ὅτι ἐναντίαις περιπίπτουσι δόξαις. *Ad Oratores, contrariis eos implicari sententiis.* Principium, ὃ μάλιστα τῶν ἡμετέρων θαυμάζω, τοῦτ' ἐστιν. XIII. πρὸς τοὺς πρέσβεις, κοινὴ ἀνασκευὴ πάντων τῶν συλλογισμῶν, οὓς ἐκτίθενται οἱ Λατῖνοι, περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Ad Oratores communis refutatio omnium Syllogismorum, quos afferunt Latini de processione Spiritus Sancti.* Principium πᾶς ὀρθῶς ἔχων συλλογισμὸς, ἢ ἀποδεικτικὸς τυγχάνει. XIV. Πρὸς τοὺς πρέσβεις ἀπόδειξις, ὅτι καὶ οἱ μετὰ τοὺς Ἀποστόλους θεῖοι πατέρες ἡμῶν, ἐκ μόνης τῆς πρώτης αἰτίας, καὶ ἄμφω τὰ αἰτιατὰ ἔχειν τὸ εἶναι ὑπελάμβανον. *Ad Oratores demonstratio, Sanctos Patres nostros, qui Apostolos subsecuti sunt, ex sola prima causa, causata habere esse, existimasse.* Principium, ἐκεῖνο δὲ πάντως οὐκ ἀγνοούμενον, ὅτι καὶ οἱ μετὰ τοὺς ἱεροὺς. XV. ἀπάντησις πρὸς τὰ ἐπιχειρήματα ἃ πρὸς αὐτὸν εἶπεν ὁ ἀρχιεπίσκοπος βοσφόρου, περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Responsio ad argumenta, qua ad ipsum protulit Archiepiscopus, Bosphori, de processione Spiritus Sancti.* Principium, φῂς ὅτι πατρὸς καὶ υἱοῦ θέλημα ἕν. XVI. Λόγος συντεθειμένος ἐκ διαφόρων τμημάτων τῶν τοῦ θεολόγου λόγων. ἔτι δὲ καὶ τοῦ μεγάλου βασιλείου, ἁρμόδιος καὶ πρὸς τοὺς σοφοὺς τῶν Λατίνων λέγεσθαι. *Oratio composita ex diversis Orationum Theologi sectionibus, nec non magni Basilii: opportune etiam ad sapientes Latinorum recitabitur.* Principium, ἐπειδὴ τὸ ἁπλοῦν καὶ ἀπερίεργον τῆς θείας ἡμῶν. XVII. πρὸς τοὺς ἀντιλογητὰς τῶν Λατίνων. ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν αὐτοῖς πρὸς Γραικοὺς διαλεγομένους, διὰ συλλογισμῶν ἀποδεῖξαι, ὅτι οὐ μόνος ὁ πατὴρ ἀρχὴ καὶ πηγὴ τῆς θεότητος. *Ad contradictores Latinos, impossibile esse, dum ipsi cum Gracis sermonem conferunt, per Syllogismos demonstrare, non esse solum Patrem, principium & fontem Deitatis.* Principium, ὅτι μὲν οὖν ἡ ὑμετέρα ὑπόθεσις, πολλοῖς τῶν ἁγίων ῥητοῖς ἐναντίως ἔχει. XVIII. πρὸς τὰς κυριωτέρας τῶν Λατίνων ὑποθέσεις, ἐξ ὧν οἴονται δεικνύναι, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἔχει τὴν ὕπαρξιν. *Ad pracipua Latinorum argumenta, quibus se demonstrare existimant, Spiritum S. etiam ex Filio existentiam habere.* Principium, ἐπιτιμῶντων ἄλλων τῶν κατὰ τὸν βίον ἀγώνων. XIX. συμβουλευτικὸς περὶ ὁμονοίας πρὸς Λατίνους καὶ Ῥωμαίους. *Consultoria Oratio de concordia ad Latinos & Gracos.* Principium, ὅτι μὲν πάντες, οἱ ἀπὸ χριστοῦ ἐπωνυμίαν ἔχοντες. XX. πρὸς τὴν σύνοδον, περὶ τῆς πρὸς Λατίνους ἑνώσεως. *Ad Synodum, de unione cum Latinis.* Principium, εἰ μὲν εὑρεῖν ἡμᾶς, ὅταν περὶ τῶν πραγμάτων συμβουλεύεσθαι

αἰσθαι

εσθαι. XXI. πρὸς τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Νικόλαον, περὶ τοῦ Πάπα. *Ad Archiepiscopum Nicolaum, de Papa.* Principium, μὴ τοῦτο οἴου σεβάσμιε πάτερ, ὅτι τοῦ Πάπα. XXII. πρὸς τὸν αὐτὸν περὶ τῆς τοῦ Πάπα ἀρχῆς. *Ad eundem, de Primatu Papæ.* Principium, Φῂς, ὅτι ἀδύνατόν ἐστι, τὸν Πάπαν μὴ ὀρθόδοξον εἶναι. XXIII. Ejusdem alius Tractatus περὶ τῆς τοῦ Πάπα ἀρχῆς, *De primatu Papæ*, editus est Græce & Latine, Joanne Luydo interprete, ad Franciscum quendam, Hanoviæ 1608. opera & studio Claudii Salmasii. Cantacuzenus Lib. 2. cap. 39. de Barlaami contra Romanam Ecclesiam scriptis, hæc habet. *Barlaamus cum se Latinorum dogmata profligatorum simulasset, libellis adversus illos compositis, conclusionum ratione demonstrabat, eos in religionis doctrina hallucinari & labi, nostrisque gaudebat institutis & legibus, & a se Latinorum ceremonias atque dogmata ex animo damnari, apertissime dabat indicia, ut apparebat.* Hinc corrigendus est Stapletanus Lib. 2. *De magnitudine Romanæ Ecclesiæ*, cum refert Barlaamum Monachum Constantinopolim profectum, ***heresim Græcanicam De processione Spiritus Sancti, tribus totis annis publice exagitasse nemine resistente, donec Palamam quendam Græci illi opponerent.*** Vt enim libri Barlaami de hoc argumento, veluti jam vidimus, testantur, pro Græcis contra Latinos, non pro Latinis contra Græcos disseruit. Nec de ea re fuerat unquam quæstio inter Barlaamum & Palamum, sed de *lumine Thaborico, deque substantia & operatione divina.* Subdit Lib. 2. Gregoras, Barlaamum infamiam qua affectus fuerat, cum ferre non posset, in Italiam unde venerat abiisse, & ad Latinorum instituta ac decreta, in quibus erat educatus, rediisse. An scilicet mutata sententia, Latinorum dogma, quod tantopere exagitarat, ut verum amplexatus, agnoverit & foverit? Vellem ipse equidem. Ad hæc usque tempora Græci Monachi Itali, suo modo utrique viventes in Italia & præcipue Regno Neapolitano, Monasteria occupabant, Orientalis Ecclesiæ dogmatibus addictissimi: ut de nonnullis supra observavimus, qui licet inter Italos agerent, eorumque ministerio alerentur, Græcis potius quam Latinis obsecundabant. Tollit dubium Joannes Cantacuzenus *Historia* Lib. 2. cap. 40. qui tradit Barlaamum haud longum tempus Byzantii moratum, Imperatori brevi defuncto, æque ut prius de dogmatibus litem movisse, judicium valde claudicasse claudicantem, & aufugientem in Italiam cum Latinis ut antea sensisse, ab eisque Hieracii Episcopum creatum. Idem Allatius ibidem §. 3. col. 839. de Barlaamo iterum. Barlaamum hunc Græci quandoque Italum, tanquam ex Italia oriundum: quandoque Calabrum, tanquam in ea provincia natum, nuncupant. Oritur enim in urbe Seminaria, ex reliquiis Tauriani clara & populosa. Post Hieracensis Episcopus, Hieracium autem in eadem provincia, Locrus olim dicta, edito atque saluberrimo ac natura munitissimo loco sita est, inter duos amnes Mericum & Novitum. Scripsit adversus Græcos Epistolas, primam ad amicos in Græcia *De unione Sacrosancta Romana Ecclesia.* Secundam ad eosdem *De primatu Ecclesiæ Romanæ & de processione Spiritus Sancti.* Tertiam *ad Demetrium Thessalonicensem*, ubi respondet ad illius petita, hortaturque eum ad unionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Quartam ***ad Alexium Calochetum***, in qua ostendit, Græcos non obedientes Romanæ Ecclesiæ, esse non solum Schismaticos, verum etiam hæreticos. Quintam in qua probat per sacram Scripturam, ***Spiritum Sanctum ex Filio esse, quemadmodum ex Patre.*** Hinc plane nugari videntur, qui cum non intelligant, quomodo unus idemque & pro Romana Ecclesia contra Græcos, & pro Græcis contra Romanam Ecclesiam scripserit, Barlaamos duos constituunt, & ea, quæ contra Latinos sunt, ab Hieracensi isto semovent, & aliis, nescio quibus, quos nec ipsi sciant, vendicant. Distinguant tempora. Barlaamus Constantinopoli degens, doctrina & favore Principum, & spe rerum novarum lactatus, Græcorum erroribus favens, Latinos oppugnat: . cietus diffamatusque in Græcia, & in Italiam reversus, & dignitatibus auctus, ne ingratus esse videretur, & forte etiam vere firmiterque sapiens, in defensos a se primum Græcos invehitur, & Latinos, a se lingua scriptoque prius laceratos, defensat. De eo Nicolaus Selengia ad Esaiam Cyprium. ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ δίδοσθαι λέγεις αὐτὴν τὴν ὑπόστασιν, αὐτὴν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ὁ Μασσαλιανοὶ αἱρετικοί τινες ἐδογμάτισαν, καὶ ὁ καλαβρὸς Βαρλαὰμ ἑλληνικαῖς δόξαις ἐντραφεὶς, καὶ τὰ τῶν λατίνων φρονήσας, καὶ δόλῳ μεγίστῳ κατὰ τὸν πάλαι ὄφιν τῇ ὀρθοδόξῳ ἐκκλησίᾳ παρεισφθαρεὶς· καὶ διὰ τοῦ ἀνατρέπειν τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, καὶ τὴν δωρεὰν, αὐτὸ δὲ τοῦτο οἰκονομῶν, τὸ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἰπεῖν τὸ πνεῦμα, ὡς μὴ χάριτος οὔσης καὶ δωρεᾶς, ἀλλὰ τῆς αὐτοῦ ὑποστάσεως. ταῦτα δὲ Ἑλληνικῆς εἰσι παμπονήρου δόξης, φρονήματα, πρὸς ἀνατροπὴν τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεώς τε καὶ ἐνεργείας. *Sed hoc ipsum exhiberi dicis ipsam hypostasim, ipsamque essentiam Dei, quod Massaliani heretici statuerunt, & Barlaamus Calaber, gentilium opinionibus innutritus, & ea, quæ Latinorum sunt sentiens, & ingenti fraude ut serpens antiquus in orthodoxam Ecclesiam irrumpens. Propterea; gratiam Spiritus & donum evertens, hoc ipsum procurans firmensque, ut ex Filio Spiritum affirmaret, quasi non esset gratia & donum, sed ex ipsa ipsius hypostasi, hypostasis. Hæc porro Gentilismi sunt perversissima sententia, cogitationes ad divinam facultatem operationemque destruendam.* Hæc amplissima Allatius atque eruditissima, quæ duos Barlaamos demonstrative destruunt.

CAPUT TERTIUM.

DE

SCRIPTIS BARLAAMI MONACHI.

SAne quam multa Barlaamus ſcripſerit, atque in utramque inconſtans homo ſententiam, nunc Græcus, nunc Latinus: quam dives ſit Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis in Manuſcriptis illius Operibus, ex Commentariis Petri Lambecii Bibliothecarii, audiamus. Extat inter Manuſcriptos Codices Theologicos Græcos, Codice LXXXVII. num. 3 a fol 10. pag. 1. usque ad fol. 23. pag. 2. *Barlaami Liber*, quem Lambecius *Hæreticum* vocat, *contra Primatum Papa*, cujus titulus & initium, dubio procul a ſcriptore adpoſitum: Τοῦ ματαιοτάτου βαρλαάμ, τοῦ ἐκ Καλαβρίας, περὶ τῆς τοῦ Πάπα ἀρχῆς. οἱ περὶ τὰς ἐπιστήμας δεινοί, ὦ χρηστὲ Φραντζίσκε, λέγουσιν, ὅτι ἑκάστος ἐπιστήμων &c. Edidit hunc librum primus Græce & Latine Joannes Luidus, Oxonii anno 1592. in 4. deinde prodiit cum Salmaſii adhuc pueri Notis, Hanov. 1603. in 8. tandemque ab eo ætate provectiori ſubnexus ad calcem libri *De Primatu Papa*, Lugduni Batavorum 1645. in 4 Edidit autem Salmaſius Græce & Latine anno 1608. Hanoviæ typis Wechelianis in 8. una cum *Nili Archiepiſcopi Theſſalonicenſis libris duobus de Cauſis diſſenſionum Eccleſiaſticarum inter Latinos & Græcos*, ejusdem argumenti. Sed in hac editione titulus libri Barlaami extat hoc modo: Τοῦ σοφωτάτου βαρλαὰμ λόγος περὶ τῆς τοῦ Πάπα ἀρχῆς Vide Lambecium Libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ, pag. 194. & 220. Sed præcipue Libro 5. Commentariorum, pag. 181. in examine Codicis MS. Theologici Græci CCLX. numero 6. his verbis.

„Sexto & quidem a fol. 281. pag. 1. usque ad fol. 289. pag. 1. *Barlaami Calabri Demonſtrationes duæ ad Legatos Papæ De proceſſione Spiritus Sancti ex ſolo Patre*, quarum prima inſcribitur atque incipit his verbis: Βαρλαὰμ μοναχοῦ πρὸς τοῦ Πάπα πρέσβεις ἀπόδειξις, ὅτι ὑποκειμένου ἐκ μόνου Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα ἅγιον, οὐδὲν ὅλως ἀδύνατον ἕπεται, οὐδέ τι τῶν ὁμολογουμένων τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀναιρεῖται δογμάτων. ὁ θεῖος Ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας ἐπιστολῇ τοὺς τοῦ Θείου καὶ ζωαρχικοῦ πνεύματος καρποὺς ἀπαριθμούμενος &c. Idem autem Opuſculum habetur Codice MS. Hiſtorico Græco XXXVII. num. 2. & quidem a fol 97. pag. 1. usque ad folium 123. pag. 2. ut narrat Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, in examine citati Codicis. Secunda autem incipit: Τοῦ αὐτοῦ. ὅτι οὐκ ἁπλῶς ὑπόθεσις τὸ νομίζειν ἐκ μόνου Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἀνάγκη πᾶσα τοῖς εὐσεβεῖν ᾑρημένοις, ἐκ μόνου τοῦ πρώτου αἰτίου προάγειν τὰ ἐκεῖθεν ἀχρόνως ἐκλάμψαντα· καὶ κεφαλαιώδης ἔκθεσις τοῦ ἡμετέρου δόγματος. ὅτι μὲν οὖν ὑποκειμένου ἐκ μόνης τῆς πρώτης αἰτίας, καὶ ἄμφω τὰ αἰτιατὰ ἰσοτίμως ἔχειν τὴν ὕπαρξιν &c.

Septimo & quidem a fol. 289. pag. 2. usque ad fol. 295. pag. 1. Ejusdem *Barlaami Calabri Dialogus, contra Legatos Papæ, De proceſſione Spiritus Sancti*, cujus titulus & principium: Δόγμα Λατίνων γραφὲν ὑπὸ τῶν πρέσβεων τοῦ Πάπα, εἶτα τοῦ αὐτοῦ ἡ τούτου ἀνασκευή Λατῖνος. ὁ Πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς μία ἐστὶν ἀρχὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐπεὶ &c.

Octavo & quidem a folio 95. pag. 1. usque ad fol. 297. pag 1. ejusdem *Barlaami Calabri Epiſtola ad Nicolaum Archiepiſcopum de Primatu Papa*, cujus titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Νικόλαον. περὶ τοῦ Πάπα. Μὴ τοῦτο οἴου σεβάσμιε Πάτερ, ὅτι, τοῦ Πάπα τῶν ὀρθῶν ἐκπεσόντος δογμάτων, τὸ πᾶν ἀπώλετο τῆς Ἐκκλησίας, καὶ ἡ τοῦ θείου Πέτρου πίστις ἐξέλιπε, καὶ οὐκέτι Βικάριος τοῦ χριστοῦ ἐστὶν ἐν τῇ γῇ ἕκαστος γὰρ τῶν ὀρθοδόξων Ἐπισκόπων Βικάριος ἐστὶ τοῦ χριστοῦ καὶ τῶν Ἀποστόλων διάδοχος &c."

Extat quoque inter MSS. Codices Bodleianos bibliothecæ num. 3177. in MSS. Joannis Seldeni Cod. 47 num. 1. Barlaamus Monachus de Primatu Papæ & proceſſione Spiritus Sancti. Et inter MSS. Codd. Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 5943. in MSS. Codd. Thomæ Galei Codice 109. Barlaami Monachi ad Nicolaum Archiepiſcopum De primatu Papæ & proceſſione Spiritus Sancti. Et ibidem num. 6067. in MSS. Thomæ Galei Codice 233.

„Nono & quidem a fol. 297. pag. 1. usque ad fol. 299. pag. 1. ejusdem *Barlaami Calabri Diſſertationes duæ contra S. Thomam Aquinatem, de Sancta Trinitate:* quarum prima inſcribitur atque incipit his verbis: Τοῦ αὐτοῦ κατὰ Θωμᾶ λέγοντος, ὅτι κατὰ μόνα τὰ πρός τι διαφέρουσιν ἀλλήλων τὰ θεῖα πρόσωπα. Θωμᾶς μὲν οὐδένα τρόπον διαφορᾶς ἐν τῇ Τριάδι οἴεται &c. Secunda autem incipit, Τοῦ αὐτοῦ κατὰ Θωμᾶ λέγοντος, ὅτι μόνη ἡ Πατρότης συστατική ἐστι τῆς ὑποστάσεως τοῦ πρώτου αἰτίου: τὸ δὲ ἀγέννητον, οὐδαμῶς. Οἱ περὶ τὸν Θωμᾶν κατὰ μόνην τῶν πρός τι διαφορὰν &c.

Decimo & quidem a fol. 299. pag. 1. usque ad fol. 305. pag. 2. ejusdem *Barlaami Calabri Diſſertationes tres contra Legatos Papa, De proceſſione Spiritus Sancti*, quarum prima inſcribitur atque incipit his verbis: Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τοὺς Πρέσβεις, ὅτι ἐναντίαις περιπίπτουσι δόξαις. Ὃ μάλιστα τῶν ὑμετέρων θαυμάζω, τοῦτο ἐστιν, ὅτι ἐπ' οὐδεμιᾶς ἀκινήτου ἐννοίας ὁρᾷ ὑμᾶς ἱδρυμένους, ἀλλ' ἀτάκτως &c. Secunda ſic incipit, Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τοὺς Πρέσβεις κοινὴ ἀνασκευὴ πάντων συλλογισμῶν, οὓς ἐκτίθενται οἱ Λατῖνοι περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Πᾶς ὀρθῶς συλλογισμὸς, ἢ ἀποδεικτικὸς τυγχάνει ὤν, ἢ διαλεκτικὸς &c. Tertia incipit, Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τοὺς Πρέσβεις ἀπόδειξις, ὅτι καὶ οἱ μετὰ τοὺς Ἀποστόλους θεῖοι Πατέρες ἡμῶν ἐκ μόνης

τῆς

„τῆς πρώτης αἰτίας καὶ ἄμφω τὰ ἄτρωτα ἔχειν „τὸ εἶναι ὑπελάμβανον· Ἐκεῖνο δὲ πάντως οὐκ „ἀγνοοῦμεν, ὅτι &c.

„ Vndecimo & quidem a fol. 305. pag. 2. us„que ad fol. 307. pag. 1. ejusdem *Barlaami Ca„labri Responsio* ad Archiepiscopi Bosphorani ar„gumenta. De processione Spiritus Sancti, cujus „titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ ἀπάντησις πρὸς „τὰ ἐπιχειρήματα, ἃ πρὸς αὐτὸν εἶπεν ὁ Ἀρχι„επίσκοπος Βοσφόρου περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ „ἁγίου πνεύματος. Φὴς ὅτι Πατρός καὶ Υἱοῦ θέ„λημα ἓν &c.

„ Duodecimo & quidem a fol. 307. pag. 1. us„que ad folium 309. pag. 2. ejusdem *Barlaami „Calabri Oratio contra Latinos, ex variis variarum „Orationum Sancti Gregorii Nazianzeni, & S. Ba„silii Magni fragmentis coagmentata*, cujus titulus „& principium: Λόγος συντεθειμένος ἐκ δια„φόρων τμημάτων τῶν τοῦ Θεολόγου λόγων, ἔτι „δὲ καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου, ἁρμόδιος καὶ πρὸς „τοὺς σόφους τῶν Λατίνων λέγεσθαι. Ἐπειδὴ τὸ „ἁπλοῦν καὶ ἀπερίεργον τῆς θείας ἡμῶν ἀτιμάσαν„τες πίστεως &c.

Hæc Opuscula Barlaami extant quoque Græce MSS. in aliis Bibliothecis, in Hispania Scorialensi *Barlaami Monachi libri V. sermone Logistico*. In Bibliotheca Veneta SS. Joannis & Pauli, & Cardinalis Bessarionis extant Opuscula Barlaami Monachi *De processione Spiritus Sancti*.

Multo etiam plura de eodem *Barlaamo* ex variis aliorum recentiorum Græcorum monumentis doctissime & accuratissime refert Leo Allatius *De perpetua Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione* Lib. 2. cap. 16. §. 3. & 5. & cap. 17. §. 1. 2. 3. ubi inter alia quoque Catalogum omnium Scriptorum ejus a se inspectorum exhibet, solideque etiam demonstrat: quomodo unus idemque Barlaamus diversis temporibus & locis, tum *pro Græcis contra Romanam Ecclesiam*, tum *pro Ecclesia Romana contra Græcos*, scripserit. Denique quod Barlaamus hic, in urbe Calabriæ Seminaria, ex reliquiis Tauriani clara natus, haud diversus sit a Barlaamo in eadem Calabria Hieracii Episcopo, quæ olim urbs *Locri Epizephirii* dicta, edito, saluberrimo, ac natura munitissimo loco, inter duos amnes *Mericum & Novitum* sita est, quæ omnia late satis in capite præcedente ipsis Allatii verbis retulimus. Hunc anno saltem 1350. jam cum Acindyno fuisse mortuum, refert Henricus Spondanus ex Cantacuseno in *Historia* lib. 4. cap. 23. penes quem istorum omnium sit fides. Fridericus Spanhemius in Disquisitione Historica *De Papa fœmina*, quæ in 8. Lugduni Batavorum anno 1691. impressa est, Num. 56. pag. 263. multis contendit, unum & eundem Barlaamum non pro & contra Romanam Ecclesiam scripsisse: sed Latinum unum & Calabrum pro ea scripsisse, alterum autem Genere Græcum, contra eam: ita, ut duo fuerint Barlaami sibi e diametro oppositi, quorum Græcus Latino longe antiquior fuerit. Idem asserit in altera Exercitatione Historico-theologica, *De Ecclesiæ Græcæ & Orientalis a Romana & Papali perpetua in hunc usque diem dissensione*, parte 4. num. 56. quæ Lugduni Batavorum in 4. anno 1694. impressa est. Huic autem adhærere non possum, contra alios omnes, quos ipso loco citato allegat. Ejusdem videtur fuisse opinionis cum Spanhemio, multo ante Philippus Labbeus de *duobus Barlaamis* eodem tempore viventibus, quorum alter fuerit Calaber & Italus, qui Romanæ Ecclesiæ partes & doctrinam acriter tuitus fuerit: alter natione Græcus & Agri apud Constantinopolim cœnobii Abbas, qui non segnius altero partes ac doctrinam Ecclesiæ Græcæ seu Orientalis propugnaverit. Nam in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum* ex Catalogo MSS. librorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecta, quam edendam fategit Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault, Barlaamos duos distinguit sibi maxime adversos, quibus ex Regia Bibliotheca, quæ sequuntur attribuit. Barlaamo Græco Monacho & Agri apud Constantinopolim Abbati hæc parte 2. p. 83. Barlaami Monachi de processione Spiritus Sancti contra Latinos libri novem, & de controversiis Græcorum & Latinorum Libri viginti. Item Refutatio dogmatis Latinorum, in Codicibus Regiis 800. 1026. 1290. 1377. 1897. Quod Barlaam & Acyndinus auctores sunt divisionis Divinitatis, Codice 1378. Alius est a Barlaamo de Seminaria Hieracensi Episcopo, de quo Henricus Canisius Tomo VI. *Antiquæ lectionis*. Item parte 4. pag. 117. Barlaami Monachi Logistica & refutatio trium capitulorum, quæ addita sunt ad Harmonica Ptolomæi, in Codicibus Regiis 1213. & 2236. In Supplemento III. seu Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Scorialensis Hispano Regiæ quem ex Alexandro Barvaelio hic subjecit, pag. 183. Barlaami Monachi Logistica libris quinque. Item in Supplemento IV. MSS. Codicum illustrissimi Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani, qui jam ad Regiam bibliothecam devenerunt, Codice CXI. pag. 202. Barlaami Monachi Logistica, & quomodo ex Mathematica Ptolomæi constructione, Eclypsim solis liceat deprehendere. Hæc Labbeus de Barlaamo Monacho Græco atque Latinorum adversario. De altero autem Italo ac Calabro, his verbis. "Barlaamus de Seminaria, Episcopus Gyracensis seu Hieracensis, Supplemento" 1. quod est sex Tomorum Henrici Canisii, ubi" pag. 161. Tomo VI. Barlaami de Seminaria Epi-" scopi Gyracensis seu Hieracensis Epistolæ ad" Græcos, de Vnione cum Romana Ecclesia &" processione Spiritus Sancti, & aliorum Græco-" rum Alexii Calocheti, Demetrii Thessalonicen-" sis &c. Tomo 6. pag. 4. Ethica secundum Stoi-" cos per Dominum Barlaamum de Seminaria" Episcopum Gyracensem composita sub com-" pendio, Tomi 6. pag. 80." De *Barlaamo* Nicephoro

phorus Gregoras *Historiæ* Lib. 11. cap. penultimo. Joannes Cantacuſenus Lib. 2. *Historiæ* capp. 39. & 40. & Lib. 4. cap. 23. Joannes Bocacius de Cartaldo in præfatione operis ſui doctiſſimi, *De genealogia Deorum*, & Lib. 15. cap. 6. paſſim. Atque iſti erant Barlaamo Synchroni, vel hoſtes aperti, vel amici. Ex recentioribus autem, Conradus Geſnerus vel ejus Epitomator Joſias Simlerus, in *Bibliotheca Scriptorum* pag. 101. Antonius Poſſevinus, in *Apparatu Sacro*. Robertus Bellarminus in libro *De Scriptoribus* Eccleſiaſticis, ad annum 1303. cujus tempora prævertere tantiſper videtur. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *De iisdem Scriptoribus*, verbo *Barlaamus*. Jacobus Pontanus doctiſſime in Notis ſuis ad Librum 2. cap. 40. Cantacuſeni, ubi eum fuiſſe Orthodoxum multis probat contra Prateolum *De Hæreſibus* & Stapletanum Lib. 2. *De magnitudine Eccleſiæ Romanæ*, qui eum hæreticis adſcripſerant. Gerardus Joannes Voſſius in Libro *De Mathematicis* cap. 18. paragr. 78. Abrahamus Bzovius in *Annalibus Eccleſiaſticis*, ad annum 1339. Henricus Spondanus ibidem, ad annum 1332. num. 4. 1337. num. 11. 1339. num. 8. 1341. num. 7. 1350. num. 20. Petrus Lambecius Libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, pag. 194. & 220. Lib. 5. eorundem pag. 181. 182. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 315. & 1366. Libro 8. eorundem, in examine Codicis Hiſtorici Græci XXXVII.

1330 MATTHÆUS BLASTARES, Juriſperitus Græcus & Hieromonachus, ſeu Monachus Sacerdos, quem in editione Opuſculi ſeu Supplementi *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ad annum 1360. rejeceram. De illo loquitur Jacobus Goar Ordinis fratrum Prædicatorum in *Notis* ſuis ad Georgii Codini Librum, *De Officiis Magnæ Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopolitanæ*, pag. 8. & pag. 38. 39. & 40. cui etſi certam omnino non deſignet ætatem, ad noſtram tamen ſententiam accedere videtur priorem, eumque circa annum 1360. collocare, quibus eum depingit verbis. Sic autem ille: „Non adeo notus Matthæus, „ut patriam, parentes, ſociosque laudabiliores reddat: ætatem conjicimus, & ob memoratos Imperatorem & Imperatricem, nondum „capta a Turcis urbe. Ob laudatum etiam Chumnum & Metochitam poſt Andronicum Seniorem cujus hi fuere Miniſtri, ſcripſiſſe vitaque functum eſſe conſtat. Præſens Opuſculum verſibus Politicis compoſuit, in quibus „numerus Syllabarum ad cantum, non ad exacta Poetices proſodia obſervatur. Claruit „anno 1335. quo *Alphabeticum Canonum Syntagma* compilavit, quod a Gulielmo Beueregio Græce & Latine cum Notis editum in *Pandectis Canonum* Oxonii in folio 1672. tomo 2. parte 2. pagina 1. Hujus *Matthæi Hieromonachi Syntagma Juris Canonici ordine alphabetico digeſti, cum præfixa Hiſtoria ſuccincta omnium Conciliorum, aliarumque nonnullarum notitiarum, ad Jus Canonicum pertinentium*, extat MS. ſæpius in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, inter MSS. Codices Hiſtoricos, Codicibus LI. num. 10. LII. num. 1. LIII. num. 1. LIV. num. 1. & 2. LV. num. 1. Opus iſtud editum eſt ex duobus MSS. Codicibus, uno Bodleianæ bibliothecæ, altero Iſaaci Voſſii, ſed nunc Lugdunobatavæ bibliothecæ, Oxonii Græce & Latine inter *Pandectas Canonum Apoſtolicorum & Conciliorum aliorum ab Eccleſia Græca receptorum* Guilielmi Beveregii anno 1672. tomo 2. parte 2. conſcriptum fuit anno Chriſti 1335. ut recte probat idem Beveregius in *Prolegomenis* ad has Pandectas Canonum capp. 34. & 35. ubi latiſſime de iſto *Syntagmate* diſſeritur. Extat quoque MS. in Bibliotheca Regis Catholici Scorialenſi, in Regia Gallica ſæpius, Colbertina ex illis Codicibus, quos nuper emptione ſibi comparavit Colbertus, ex Bibliotheca doctiſſimi Auguſti Thuani. Ejusdem *Opuſculum de Cauſis ſeu Quæſtionibus Matrimonii*, quod Græce & Latine legitur tomo 1. *Juris Græco-Romani* pag. 478. a Joanne Leunclavio in folio Francofurti anno 1596. apud Fiſcherum impreſſi. Extat in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, ejusdem *Matthæi Synopſis Nomocanonis Sancti Joannis Neuſteta ſive Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani*, inter MSS. Codices Hiſtoricos Græcos, Codice LI. num. 11. LII. num. 3. LIII. num. 3. ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 472. his verbis. "Vndecimo & quidem a fol. 265. pag. 1. usque ad fol. 270. pag. 1. *Matthæi Hieromonachi Synopſis Nomocanonis S. Joannis Neuſtetæ, ſive Jejunatoris, Patriarchæ Conſtantinopolitani*, quæ inſcribitur atque incipit hoc modo: Κανονικὸν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ. ἤμειψε πρὸς Σύνοψιν Ματθαῖος ταῦτα. Πρόλογος. Ἀλλὰ γὰρ κατὰ τὸν Νηστευτὴν θεῖον Ἰωάννην, τὴν θεραπείαν τῶν ἡμῖν συμβαινόντων, θεωρητέον παθῶν. καλῶς ἔχειν δοκιμάσαντα ὡς οἷον τε ταυτὴν ἐπιτεμεῖν &c. Περὶ τῶν ἑκουσίως ἀρνησαμένων τὸν Χριστόν. Ὁ τοίνυν ἀλογίστως ἠρνημένος ἑκοντὶ τὸν Χριστὸν &c." Vide eundem Lambecium, ibidem pag. 479. & 481. Ejusdem *Matthæi Hieromonachi Capita triginta duo, ſelecta ex Joannis Epiſcopi Citri reſponſis Canonicis ad Epiſcopum Dyrrachii Conſtantinum Cabaſilam*, ibidem Codice Hiſtorico Græco LI. num. 14. ut habet Lambecius ibidem pag. 473. Extant Græce & Latine in *Jure Græco-Romano* tomo I. pag. 3231. quarum tamen Interrogationum & Reſponſionum alius ordo eſt, quam in MS. Cæſareo. Ejusdem *Capita viginti quatuor, ex Joannis Epiſcopi Citri Reſponſis Canonicis*, ibidem Codd. LII. num. LIII. num. 6. ut ibidem Lambecius pag. 479. & 481. Denique ejusdem *Matthæi Hieromonachi Carmina duo verſibus Politicis de Officiis Magnæ Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopolitanæ*, extant ibidem Codice MS. Hiſtorico Græco LI. num. 6. & quidem a fol. 27. pag. 2. usque ad folium 30. pagina 1. quorum primum quod Expoſitionem pro-

prosaicam subjunctam habet, hoc modo inscribitur, atque incipit.

Οἰκτρῦ Μοναχοῦ ταυτὶ Ματθαίυ θύτυ
Τῆς Ἐκκλησίας τὰς τιμὰς καὶ τὰς διακονίας,
Αἳ διαιροῦνται Πνεύμασι κατὰ τὸν μέγαν Παῦλον,
Ἀπαριθμεῖ πρὸς ὄνομα νῦν μοναχὸς Ματθαῖος.
Πεντάδος πρώτης πέφυκεν ὁ μέγας, Οἰκονόμος,
Ὁ μέγας Σακελλάριος, καὶ &c.

Alterum autem ita incipit.

Οἰκτροῦ Μοναχοῦ ταυτὶ Ματθαίυ θύτυ.
Ἀξιωμάτων ἀριθμὸν τῶν ἐν τοῖς βασιλείοις
Ὀνομαςὶ σκοπήσωμεν τὴν τάξιν τε τὴν τύτων.
Μετὰ τὸν Αὐτοκράτορα, πρῶτός ἐςι Δεσπότης.
Σεβαςοκράτωρ μετ᾽ αὐτὸν, καὶ &c.

Vtrumque illud Carmen edidit quidem Græce & Latine ex Codice quodam MS. Bibliothecæ Cardinalis Mazarini, Jacobus Goar Ord. Præd. in *Notis* suis ad Georgii Codini librum *De Officiis Magna Ecclesia & Aula Constantinopolitana* pag. 8. & pag. 38. 39. 40. Sed culpa Codicis, quo usus est, mendose ac mutile. Nam pag. 8. & 38. pro Οἰκτρῦ Μοναχῦ ταυτὶ Ματθαίυ θύτυ hoc est, *Miseri Monachi hac sunt Matthai Sacerdotis:* bis perperam legitur, Ἰατρῦ Μοναχῦ ταυτὶ Ματθαίυ θύτυ, hoc est, *Medici Monachi hac sunt Matthai Sacerdotis.* Carolus du Fresne in Catalogo Scriptorum, quem subjunxit *Glossario media & infima Gracitatis*, col. 55. notat *Catalogum officiorum Palatii*, a Goaro editum cum Codino, citat Matthæi Blastaris his verbis: *Is Matthaus Blastares dicitur in Codice MS. hoc titulo,* Ματθαίυ ἱερομονάχυ τῦ Βλαςάρεως αἱ τῆς βασιλείας τιμαὶ, καὶ τὰ ὀφφίκια κατὰ τὸν ἀριθμὸν καὶ τάξιν ἣν ἔχυσιν οὕτως. Verum plura longe extant MSS. Opuscula Matthæi Blastaris in Anglicis Bibliothecis latitantia, quorum multa nondum impressa sunt, alia autem jam prælum experta fuerunt. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice Barocciano 33. num. 1. Matthæi Monachi contra Judæos libri quinque, Incipiunt, οὐδὲν οἶμαι τὴν ἀπὸ τοῦ χριςοῦ &c. Ibidem Codice 63. pag. 184 Matthæi Blastaris de appositione cocti frumenti in officio pro mortuis Ἡ θεοειδὴς τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἐκκλησίας ἱεραρχία. Codice 158. Barocciano pag. 1. ad 137. Matthæi Blastaris Monachi Syntagma Alphabeticum rerum in sacris Canonibus comprehensarum, Τὸ τῶν ἱερῶν καὶ θείων χρῆμα κανόνων. Ibidem Codice 3379. in MSS. Codicibus Joannis Sheldeni Codice 49. num. 1. Matthæus Blastares Hieromonachus contra Latinos. Num. 2. idem contra Judæos. Num. 3. idem de usu calidæ in Eucharistia, aliisque capitulis contra Latinos controversis, Græce. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium ejusdem regni Bibliothecarum, Codice 5901. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 67. Matthæi Blastaris libri quinque contra Judæos. Ejusdem Conciliorum Ecclesiasticorum Synopsis. Ejusdem ex Tractatu contra Latinos, septem Oecumenicorum Conciliorum Synopsis. Ibidem Codice 5962. in MSS. Thomæ Galei Codice 92. Matthæi Monachi Synopsis Canonum Joannis Jejunatoris. Alia ejusdem. Denique in Bibliotheca nostra Lugdunobatava, in MSS. Codicibus ab Isaaci Vossii hæredibus emptis, Codice Græco 17. Matthæi Blastaris Hieromonachi hoc est Presbyteri, Scholia in Concilia Generalia. Nec desunt etiam MSS. Codices Matthæi Blastaræ in Regia Galliarum Bibliotheca juxta Philippum Labbeum in *Nova Bibliotheca MSS. Gracorum, Latinorum & Gallicorum, seu Specimine antiquarum lectionum Gracarum, Latinarum & Gallicarum*, collecta potissimum ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quam edendam curavit Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault. Illic enim parte 4. pag. 109. Matthæi Blastaræ Rhetorica in Cod. Regio 604. Item parte 4. pag. 130. Matthæi Blastaris Hieromonachi Syntagma seu Collectio Canonum juxta ordinem Alphabeticum in Codicibus Regiis 394. & 912. ac in Naadæano 12. Item in Supplemento IV. Librorum MSS Græcorum & Latinorum illustrissimi Domini Caroli de Montchal olim Tolosani Archiepiscopi, qui jam ad Regiam Bibliothecam accesserunt, ex Dono Mauritii Tellerii Remensis Archiepiscopi Codice 225. pag. 205. *Supplementi* citati, *Matthai Blastaris Nomocanon.* Hæc Blastaris in Regia Galliarum Bibliotheca. Ad hunc eundem Matthæum Blastarem spectant, quæ habet Philippus Labbeus in Nova Bibliotheca jam citata sub nomine *Matthai Monachi* simpliciter, vel *Matthai Monotropi*, id est *Monasterii procuratoris.* Ita parte 2. pag. 88. Matthæi Monachi, ejusdem, alteriusve, perinde mihi est, „*Libri quinque adversus Judeos*, in Codicibus Regiis 788.“ & 1816. in quo & tractatus, *Quid sibi velit pa-*“ *nis, qui offertur in memoriis defunctorum, & in San-*“ *ctorum feriis.* Item *Matthai Monotropi contra*“ *Latinos*, ibidem Codice 1307. An idem sit cum“ Matthæi Monachi Libro contra Latinos in Co-“ dice 1026. Regio, nondum mihi perspectum“ est. In Supplemento VII. quod pag. 279. in-“ scribitur *Analecta quadam ex ditissima Regia bi-*“ *bliotheca gaza* pag. 281. Codice 788. *Chrysosto-*“ *mi, Matthai Monachi, Theophanis Metropolita &*“ *Gennadii Scholarii Opuscula adversus Judaos.*“

Agunt de *Matthao Blastare Hieromonacho*, Jacobus Goar in *Notis* ad Codinum, locis citatis. Joannes Leunclavius, qui in Jure Græco-Romano edidit ejus Opusculum *De Causis seu Quastionibus Matrimonii.* Philippus Labbeus soc. Jesu, in *Specimine Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum*, pag. 130. Lambecius tomo seu libro 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsa-

reæ

reæ Vindobonensis, pag. 479. 471. 472. 473. & multis sequentibus, tum in Catalogo pag. 560. & 561.

1330 JOANNES CALECAS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, a patria sua Apro Thraciæ urbe cognominatus Aprius & Aprenus, seu potius Apræus, clarus hac pariter ætate, anno Christi 1331. studio atque opera Joannis Cantacuzeni tunc temporis sub Imperatore Andronico II. sive Juniore Magni Domestici, ad sedem Regiæ urbis Constantinopoleos promotus est. Sequor hic Chronologiam Philippi Labbei, quam vide parte pag. 182. Onuphrius autem Panvinius in *Chronico Ecclesiastico*, & Marquardus Freherus in *Chronologia Juris Græco-Romani*, initium Patriarchatus Joannis Calecæ perperam ad annum Christi 1341. referunt, quo Imp. Andronicus II. seu Junior obiit die 15. Junii de cujus promotione Joannes Cantacuzenus *Historia* lib. 2. cap. 21. Vide quoque Catalogum Græcum Patriarcharum Constantinopolitanorum, in *Propemptico Corporis Historiæ Byzantinæ* pag. 37. & in Carmine Iambico Græco *De Patriarchis Constantinopolitanis*, pag. 36. appellatur idem Patriarcha, ὁ κακοδαίμων Καλέκος Ἰωάννης. Factus Patriarcha Joannes Calecas, sectarores Barlaami & Gregorii Acindyni condemnavit in Synodo Constantinopolitana anno Christi 1341. mense Augusto convocata, cujus Acta extant MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Juridico Græco VI. num. 15. ut habet Lambecius libro 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 30. his verbis. „Decimo quinto & quidem a fol. „216. pag. 1. usque ad fol. 223. pag. 1. *Synodi „Constantinopolitanæ sub Imp. Andronico Palæologo „II. sive Juniore celebratæ, Tomus eandem nationis „errorum Barlaami Calabri & Gregorii Acindyni*, „promulgatus paulo post mortem jam memo„rati Imperatoris, nempe *mense Augusto Indictio„nis nonæ*, anno mundi 6849. hoc est Christi „1341. Ipsa inscriptionis verba Græca cum „principio tomi hæc sunt. Συνοδικὸς Τόμος, „γεγραμμένος ἐπὶ ταῖς ἐξελεγξάσαις καὶ ἀπο„βαλομέναις τὴν τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου δυσ„σεβείαν μεγάλαις Συνόδοις, ἐν αἷς οὐχ ἡ Ἐκκλη„σία πᾶσα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ Σύγκλητος καὶ „οἱ καθολικοὶ παρῆσαν τῶν Ῥωμαίων κριταὶ, „προκαθημένου τοῦ καὶ θειοτάτου βασιλέως, ἕως οὗ „περιῆν. Ἐπαινετὸς ἀληθῶς ὁ εἰπὼν τὴν ταπεί„νωσιν ἀληθείας εἶναι ἐπιγνώσεως. αὐτὴ γὰρ „καὶ τῶν οἰκείων μέτρων ἐστὶ κατάληψις, καὶ δι' „αὐτῆς &c. Finis autem ejusdem tomi cum „subscriptionibus talis est: χάριν γὰρ τοῦ μηκέτι „μηδένα ταῖς ὁμοίαις πλάναις περιπετεῖν ποιού„μενοι πρόνοιαν, καὶ τὸ παρὸν εἰς ἀσφάλειαν ἐκ„θέμενοι γράμμα, ταῖς οἰκείαις ὑπογραφαῖς ὑ„πεσημηνάμεθα κατὰ μῆνα Αὔγουστον τῆς ἐνάτης „Ἰνδικτιῶνος τοῦ, ςωμθ ἔτους, Εἶχε καὶ ὑπο„γραφάς.

Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, Νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης.

ὁ Κυζίκου Ἀθανάσιος. ὁ Σάρδεων Γρηγόριος.
ὁ Δυῤῥαχίου Γρηγόριος. ὁ Λακεδαιμονίας Νεῖλος.
ὁ Μαδύτων Ἰσαάκ. ὁ Μηθύμνης, Μαλαχίας, καὶ ὁ Βιτζήνης.

Meminit hujus tomi Imperator Joannes Cantacuzenus *Historia Byzantina* Lib. 4. cap. 23. p. 799. editionis Græcolatinæ Parisiensis, & ejusdem libri cap. 24. pag. 805. Consule etiam librum quintum Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 202. 203. 204. 205. & 206. & librum sextum pag. 29. & 30. Hic idem ille Patriarcha Constantinopolitanus Joannes Calecas, licet in hac Synodo contra Barlaamum & Acindynum præsedisset, eorumque condemnationi sua manu subscripsisset, posteà tamen in alia Synodo anno Christi 1347. celebrata, etiam ipse tanquam eorundem sectator & defensor, condemnatus & exauctoratus est. Hoc enim Imp. Joannes Cantacuzenus Lib. 4. cap. 23. pag. 799. expresse testatur his verbis: ὁ πρώτως ἐπὶ τῇ διαγνώσει βασιλέως Ἀνδρονίκου τοῦ νέου γεγενημένος Τόμος, ἡνίκα καὶ ὁ Πατριάρχης Ἰωάννης τῆς Συνόδου προεστάτης ἦν, ὃν καὶ αὐτὸς ὑπεσημήνατο χερσὶν οἰκείαις, οὐ μόνον Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνον καταψηφίζεται &c. Extat sane in eodem suprà allato MS. Codice, num. XI. ut habet Lambecius Libro 6. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 27. & quidem à fol. 206. pag. 1. usque ad fol. 207. pag. 2. *Septem Archiepiscoporum Occidentalium*, nempe« *Matthæi Metropolitæ Ephesi, Athanasii Metropolitæ« Cyzici, Laurentii Metropolitæ universæ Alaniæ« & Soteriopoleos, Macarii Metropolitæ Christopo-« leos, Charitonis Metropolitæ Apri, Josephi Metro-« politæ Gani, & Hierothei Metropolitæ Lopadii*,« Epistola *ad Imperatricem Constantinopolitanam*« *Annam*, Imp. Andronici II. sive Junioris viduam,« *contra Patriarcham Constantinopolitanum Joannem« Calecam, tanquam errorum Barlaami Calabri &« Gregorii Acindyni sectatorem*, & ob alia gravissi« ma crimina, excommunicandum, atque throno« Patriarchali dejiciendum, data mense Septem-« bri ineuntis Indictionis decimæ quintæ, anno« mundi 6855. sive anno Christi 1346. Ipsa in-« scriptionis verba Græca cum initio Epistolæ,« hæc sunt. Ἀναφορὰ τῶν Ἀρχιερέων πρὸς τὴν« κρατίστην καὶ ἁγίαν ἡμῶν Κυρίαν καὶ Δέσποιναν.« Κρατίστη καὶ ἁγία ἡμῶν Κυρία καὶ Δέσποινα,« ἡμεῖς οἱ Ἀρχιερεῖς οἱ καθεζόμενοι ἐν τοῖς κελλίοις« ἡμῶν ἀποκεκλεισμένοι, ὁ Ἐφέσου, ὁ Κυζίκου, ὁ« Ἀλανίας, ὁ Χριστουπόλεως, ὁ Ἄπρω, ὁ Γάνου, ὁ« Λοπαδίου, δεξάμενοι παρὰ τῆς χάριτος τοῦ πα-« ναγίου Πνεύματος τὸν τοῦ Εὐαγγελίου ζυγὸν, καὶ« χρέος ἔχοντες ἀντιτάττεσθαι τοῖς ἀντικειμένοις τῷ« Εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ νοητοῖς τε καὶ αἰσθητοῖς« δαίμοσι, καὶ ὑπομιμνήσκειν τῇ Εὐσεβεστάτῃ καὶ« ἁγίᾳ Βασιλείᾳ σου, καὶ παρακινεῖν &c. Finis« autem Epistolæ cum Subscriptionibus talis est:« Ταῦτα ὡς χρέος ἔχοντες, καὶ ὡς εὐχέται καὶ« δοῦ-

„ὐδέσι ἀναφέρομεν, καὶ διὰ τὸ ἀξιόπιστον, καὶ „οἰκείαις ὑπογραφαῖς ὑπετημηνάμεθα μηνὶ „Σεπτεμβρίῳ Ἰνδικτιῶνος ιέ. Ἔχει καὶ ὑπογρα-„φάς.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἐφέσου, Ματθαῖος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Κυζίκου, Ἀθανάσιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης πάσης Ἀλανίας καὶ Σωτηριουπόλεως Λαυρέντιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Χριστουπόλεως, Μακάριος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἄπρω, χαρίτων

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Γάνου, Ἰωσήφ.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Λοπαδίου, Ἱερόθεος.

„Meminit hujus Epistolæ accusatoriæ ipse Imp. „Joannes Cantacuzenus *Historiæ Byzantinæ* lib. 3. „cap. 92. pag. 670. editionis Græcolatinæ Pari-„fienfis, fed fatis obfcurè his verbis. ὅσων δὲ „ἐκεῖ (ἐν Ἀδριανουπόλει) διὰ τὴν ἑορτὴν συνειλεγ-„μένων τῶν Ἀρχιερέων, καὶ λόγου περὶ Πατριάρχου „τοῦ Ἰωάννου γεγενημένου, εἰ χρὴ αὐτῷ καλεῖ τὰ τὴν „ἱερωσύνην εἶναι κοινωνὸς τοιαῦτα τολμῶντι, ἐπεὶ „καὶ παρὰ τῶν ἐν Βυζαντίῳ Ἀρχιερέων οἱ ἐν ταῖς „οἰκίαις ἀπρόϊτοι διῆγον, ἐπελέγοντο πρότερον „ἀποχέσθαι τῆς ἐκείνου κοινωνίας. Hoc eft: „*Congregatis illic, (fc. Adrianopoli) propter diem „Feftum Archiepifcopis, mentio facta eft Joannis Pa-„triarcha Conftantinopolitani, an facerdotium ejus „revereri, & cum illo communicare oporteret? „Cum tam fceleratè egiffet, & illi etiam Archiepifco-„pi, qui Byzantii in ædibus fuis inclufi commora-„rentur, prius conceffiffent, ab ejus communione ab-„ftinere.*

„ Duodecimò & quidem à fol. 207. pag. 2. „usque ad fol. 212. pag. 2. *Synodi Conftantinopo-„litanæ* fub Imperatrice Anna Imperatoris An-„dronici Palæologi II. five Junioris viduâ cele-„bratæ, *Tomus excommunicationis & exautoratio-„nis Patriarcha Conftantinopolitani Joannis Caleca*, „promulgatus menfe Februario Indictionis de-„cimæ quintæ, anno mundi 6855. five anno „Chrifti 1347. cujus Infcriptionis ipfa verba „Græca cum principio tomi, hæc funt. Τό-„μος ὁ γεγονὼς ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τοῦ πατριαρ-„χεύσαντος Ἰωάννου τοῦ Καλέκα. Ὄντως οὐδεὶς „οὕτως ἀρχιτέκτων οὐδενὸς τῶν ποιηθέντων, ὡς περι-„ττῆς καὶ προσφάτης παντοδαπῆς δυσσεβείας ὁ ἀντι-„κείμενος. πάλαι μὲν γὰρ ὅτος τῷ Θεῷ διηγὰς &c. „Finis autem Tomi cum Subfcriptionibus talis „eft: γραφθεὶς καὶ ὑπογραφεῖσα ἀξίως μηνὶ „Φευρουαρίῳ Ἰνδικτιῶνος ιέ. Ἔχει καὶ ὑπογρα-„φὰς ταύτας.

„ Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Κυζίκου, ὑπέρτι-„μος καὶ Ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου, Ἀθα-„νάσιος.

„ Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Φιλαδελφείας, καὶ „ὑπέρτιμος, Μακάριος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης πάσης Ἀλανίας« καὶ Σωτηριουπόλεως, καὶ ὑπέρτιμος Λαυρέν-« τιος. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Διδυμοτείχου καὶ« ὑπέρτιμος, Θεόληπτος. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Μηθύμνης, καὶ« ὑπέρτιμος, Μαλαχίας. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἄπρω, Χαρίτων, καὶ« τὸν τόπον ἐπέχων τῶν Εὐχαΐτων. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Μαδύτων, καὶ ὑπέρ-« τιμος, Ἰσαάκ. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ῥωσίου καὶ ὑπέρτι-« μος Θεόδουλος. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Βάρνης καὶ ὑπέρ« τιμος, Μεθόδιος. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Σηλυβρίας καὶ ὑ-« πέρτιμος Ἡσαΐας. «

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Πομπηιουπόλεως,« Γρηγόριος καὶ ὑπέρτιμος. «

Meminit hujus excommunicationis & ex-« autorationis Patriarchæ Joannis Calecæ, Jo-« annes Cantacuzenus Imp. *Hiftoria Byzantina*« Lib. 4. cap. 3. ubi ipfum Patriarcham alloqui-« tur his verbis: Νυνὶ δὲ εἰ μὲν μὴ πρὶν αὐτὸν« εἴσω γενέσθαι Βυζαντίου ὑπὸ τῶν Ἀρχιερέων τοῦ« θρόνου καθῃρεῖτο, περὶ τοιούτων μὲν οὐδεὶς ἂν ἠνώχ-« λει μὴ μένειν ἐπὶ τοῦ προσχήματος. Hoc eft:« *Nunc autem nifi ante meum ingreffum in ur-« bem Conftantinopolitanam, ab Archiepifcopis de-« fede tua dejectus effes, nemo tibi de his quæ prete-« xis, moleftiam exhiberet.* Item ejusdem Libri« cap. 24. Βασιλεὺς τε γὰρ Ἀνδρόνικος ὁ ἀοίδιμος« μετὰ τῆς Συνόδου κατεδίκασεν ἁπάσαις ψήφοις,« οὐ Βαρλαὰμ τότε μόνον, ἀλλὰ καὶ εἴ τις ὕστερον« φαίνοιτο φρονῶν τὰ ἴσα· καὶ μετὰ ταῦτα, ἐμοῦ« ἀπόντος Ἄννα ἡ Βασιλὶς μετὰ τῶν Ἀρχιερέων,« ἡνίκα Πατριάρχην τε καθεῖλον τὸν Ἰωάννην διὰ« τὴν κακοδοξίαν, καὶ τοὺς φρονοῦντας τὰ ἴσα αὐ-« τις, ἢ φρονήσοντας. Hoc eft: *Nam & glorio-« fus ille Imperator Andronicus Junior cum Synodo,« non Barlaamum folum, fed, etfi quis impofterum fi-« milia fentire reperiretur, penitus damnavit: &« poftea me abfente, Anna Imperatrix cum Archie-« pifcopis, quando Joannem Patriarcham propter opi-« nionis errorem, fimulque omnes eadem fentientes aut« fenfuros exautoravit.*

Decimo tertio & quidem fol. 213. pag. 1. &« 2. extat *Edictum Imperatoris Joannis Cantacuzeni,*« quo poft fuum in Vrbem Conftantinopolita-« nam reditum, qui in diem octavam Februarii« incidit, præfatum *Tomum excommunicationis &« exautorationis Patriarcha Johannis Caleca* confir-« mavit, menfe Martio Indictionis decimæ quin-« tæ, anno mundi 6855. five anno Chrifti 1347.« quo non multò pòft, die nempe 21. Maji Con-« ftantinopoli fecundò folemniter coronatus« eft. Infcribitur atque incipit illud Edictum« Græce hoc modo: Τὸ ἐπὶ τούτῳ Πρόσταγμα.« Εὐσεβέστατοι καὶ πιστότατοι τῇ βασιλείᾳ μου οἰκεῖοι« πρὸς ἅπαντες τῆς Θεοδοξάστου, Θεοφυλάκτου καὶ« Θεομεγαλύντου Κωνσταντινουπόλεως, οἵτε κληρικοὶ,« μο-

„μονάζοντες, καὶ ὅσοι τῆς πολιτείας, καὶ ὁ κοινὸς ὁ ἅπας λαός. Τὰ κινηθέντα παρὰ τοῦ Βαρλαὰμ ἐκείνου κατὰ τῆς εὐσεβείας, καὶ ὅπως &c. Denique Decimo quarto & quidem à fol. 213. pag. 2. usque ad folium 216. pag. 1. *Monachorum Mesychastarum Tomus apologeticus contra Barlaami & Acindyni Sectatores*, cujus titulus & principium: Ἁγιορειτικὸς Τόμος ὑπὲρ τῶν ἱερῶν ἡσυχαζόντων, διὰ τοὺς ἐξ ἰδίας ἀπειρίας &c. Τὰ μὲν ἀρτίως καθωμιλημένα, καὶ κοινῇ πᾶσιν ἐγνωσμένα, καὶ παῤῥησίᾳ κηρυττόμενα δόγματα &c. Hæc nos multis de malâ Joannis Calecæ fortuna, qui quamvis anno 1341. Barlaamum & Acindynum in Synodo sua damnasset, ob eorundem tamen partes affectatas anno 1347. damnatus est instigante Joanne Cantacuzeno. Ita attestatur Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 87. „Cùm autem an. 1345. Joannes Cantacusenus imperium usurpasset, sese quoque ut talem Adrianopoli existentem à Lazaro Patriarcha Hierosolymitano una cum plurimis aliis Episcopis solemni Imperatorum ritû coronari obtinuisset: sentiens Joannem Calecam Patriarcham Constantinopolitanum, acerbissimum sibi adversarium, atque Juniori Joanni Palæologo fidelissimum: curavit eum excommunicari, nomenque ejus ex sacris omnibus expungi, facto Decreto, ne quis de cætero eum pro Patriarcha agnosceret. Hæc sors Joannis Calecæ, ob integram ergo Principem suum atque illibatam fidem, quem ipse Joannes ille Cantacuzenus ad sedem Patriarchalem extulerat. Jam ad Scripta veniamus. Extant *Joannis Caleca Commentaria in quatuor Evangelia, MSS. in Bibliotheca Imperatoris Viennensi*, ut constat ex Catalogo hujus Bibliothecæ: inquit Possevinus. Per hos tamen *Commentarios* haud intelligendum est opus aliquod magnum & continuum in 4. Evangelia: sed juxta Petrum Lambecium tomo seu libro 5. Commentariorum suorum in Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem, inter Manuscriptos Codices Theologicos Græcos hujus Bibliothecæ extant Codice 263. num. 1. *Joannis Caleca Homilia quinquaginta, sex in Evangelia Dominicalia totius anni*, ut habet Lambecius, Lib. 5. citata pag. 187. Et Codice 264. Ejusdem *Joannis Caleca, Patriarcha Constantinopolitani homilia una & viginti, in eadem Evangelia Dominicalia anni*, ut habet idem Lambecius loco citato pag. 191. & in Catalogo Scriptorum dicti tomi, pag. 336. Horum tibi MSS. Codicum Syllabum ex Lambecio hic pag. 187. subministramus.

„Ducentesimus sexagesimus tertius Codex MS. Theologicus Græcus est chartaceus mediocriter antiquus, sed bonæ notæ in fol. constatque foliis ducentis quindecim, qui ad Joannem Sambucum, ut ipse folita propriæ manus inscriptione testatur, olim pertinuit. Continentur eo hæc, primò & quidem à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 169 pag. 2. *Joannis Caleca* à patria sua Apro Thraciæ urbe cognominati *Aprii* & *Apreni* seu potiùs *Aprai*, qui anno Christi 1331. studio atque opera Joannis Cantacuzeni, tunc temporis sub Imp. Andronico II. sive Juniore Magni Domestici, *Patriarcha Constantinopolitanus* electus est, *Homilia quinquaginta sex in Evangelia Dominicalia*, quarum prima inscribitur atque incipit his verbis: Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Ἰωάννου τοῦ Καλέκα. Κυριακῇ τοῦ τελώνου καὶ τοῦ Φαρισαίου. Ὁμιλία εἰς τὸ ῥητὸν τοῦ Εὐαγγελίου τῆς παραβολῆς τοῦ τελώνου καὶ τοῦ Φαρισαίου. Ἡ εἰς τὸν τελώνην καὶ τὸν Φαρισαῖον παραβολὴ καὶ ὑπόθεσις ὥσπερ γυμνασία τις καὶ παραίνησις ἐπενοήθη τοῖς ἁγίοις Πατράσι &c. Secunda incipit, Κυριακῇ τοῦ ἀσώτου. Ἀγαθὸς μὲν ὁ Θεὸς πρὸς πάντας &c. Tertia, Κυριακῇ τῆς Ἀπόκρεω. Φοβερὰ ἡ ἡμέρα ἐκείνη τῆς δευτέρας τοῦ Χριστοῦ παρουσίας &c. Quarta, Κυριακῇ τῆς τυροφάγου. Ἰδοὺ τὸ τῆς τεσσαρακοστῆς στάδιον &c. Quinta, Κυριακῇ πρώτῃ τῶν ἁγίων νηστειῶν. Ἡ τεσσαρακονθήμερος αὕτη νηστεία &c. Sexta, Κυριακῇ δευτέρᾳ τῶν ἁγίων νηστειῶν. Ὁ τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς καιρὸς &c. Septima, Κυριακῇ τρίτῃ τῶν ἁγίων νηστειῶν. Προτυπῶν καὶ διαγράφων ὁ μακάριος Μωυσῆς &c. Octava, Κυριακῇ δ' τῶν νηστειῶν. Μεσάσαντες τὸ πέλαγος, ἀδελφοὶ, τῆς ἐγκρατείας &c. Nona, Κυριακῇ ε' τῶν νηστειῶν. Παρῆλθεν μὲν ὁ χειμὼν &c. Decima, Τῷ Σαββάτῳ τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Λαζάρου. Τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ τὰς κατὰ γῆν διατριβὰς ποιουμένου &c. Undecima, Τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ Κυριακῇ τοῦ Πάσχα. Χαρᾶς ἡ ἡμέρα καὶ εὐφροσύνης &c. Duodecima, Κυριακῇ τοῦ Θωμᾶ. Ἐπὶ τῇ λαμπροφόρῳ Κυριακῇ &c. Decima tertia, Κυριακῇ τῶν μυροφόρων. Καὶ ἡ παροῦσα κυριακὴ καὶ ἁγία ἡμέρα &c. Decima quarta, Κυριακῇ τοῦ παραλύτου. Πολλῶν καὶ μεγάλων κακῶν ἡ ἁμαρτία πρόξενος γίνεται &c. Decima quinta, Κυριακῇ τῆς Σαμαρείτιδος. Καὶ σήμερον ἡμῖν τῶν Εὐαγγελικῶν Φρεάτων &c. Decima sexta, Κυριακῇ τοῦ τυφλοῦ. Τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διαλεγομένου τοῖς Ἰουδαίοις &c. Decima septima, Κυριακῇ τῶν ἁγίων τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ Πατέρων. Μετὰ τὴν ἑορτὴν τῆς ἐνδόξου ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μνήμην ἑορτάζομεν &c. Decima octava, Κυριακῇ τῆς πεντηκοστῆς. Τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς. Decima nona, Κυριακῇ πρώτῃ τῶν ἁγίων πάντων. Εἶπεν ὁ Κύριος, πᾶς ὅς τις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων &c. Vigesima Κυριακῇ δευτέρᾳ. Ἐπειδὴ τῆς πρώτης καὶ θείας καὶ μακαρίας ζωῆς &c. Vigesima prima, Κυριακῇ τρίτῃ. Τῆς φιλαργυρίας οὐδέν ἐστι χαλεπώτερον &c. Vigesima secunda, Κυριακῇ τετάρτῃ. Οὐδὲν ἐστι τῆς ἀδιστάκτου καὶ καθαρᾶς πίστεως ἰσχυρότερον &c. Vigesima tertia, Κυριακῇ πέμπτῃ. Πηγὴ πνευματικὴ καὶ σωτήριος περικλύζει ἡμᾶς &c. Vigesima quarta, Κυριακῇ ἕκτῃ. Εἰ τῶν μεγάλων

λιστῶν τὸ φιλόπονον. Vigesima quinta, Κυριακὴ ἑβδόμη. Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ παράγοντι τῷ Ἰησοῦ ἠκολούθησαν αὐτῷ &c. Vigesima sexta, Κυριακὴ ὀγδόη. Ὁ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας φροντίζων καὶ κηδόμενος Κύριος &c. Vigesima septima, Κυριακὴ ἐννάτη. Καὶ οἱ τοὺς ἑαυτῶν φίλους σωματικῶς τρέφειν βουλόμενοι &c. Vigesima octava, Κυριακὴ δεκάτη. Ὑπὲρ τῆς ἡμῶν σωτηρίας ψυχικῆς ὀφείλοντες σπουδάζειν &c. Vigesima nona, Κυριακὴ ἑνδεκάτη. Ποτὲ μὲν φανέρως διαλέγεται ἐν τοῖς ἁγίοις Εὐαγγελίοις &c. Trigesima. Κυριακὴ δωδεκάτη. Οὐδὲν οὕτως οἶδε θολοῦν, ἀγαπητοί, καὶ σκοτίζειν ἀνθρωπίνην διάνοιαν &c. Trigesima prima, Κυριακὴ τρεῖς καὶ δεκάτη. Τὴν ἐκ τῆς διδασκαλίας ὠφέλειαν &c. Trigesima secunda, Κυριακὴ δεκάτη τετάρτη. Εἶπεν ὁ Κύριος τὴν παραβολὴν ταύτην Ὁμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὅς τις ἐποίησε γάμους τῷ υἱῷ αὐτοῦ &c. Trigesima tertia, Κυριακὴ δεκάτη πέμπτη. Οἱ τοὺς ἀγροὺς τῶν ἀνθρώπων φυλάσσοντες γεωργοὶ &c. Trigesima quarta, Κυριακὴ δεκάτη ἕκτη. Τὴν ἐκ τῆς διδασκαλίας ὠφέλειαν &c. Trigesima quinta, Κυριακὴ δεκάτη ἑβδόμη. Μέγα ἀγαθὸν εὐχὴ &c. Trigesima sexta, Κυριακὴ δεκάτη ὀγδόη, καὶ ἀρχὴ τοῦ Λουκᾶ. Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἑστὼς ὁ Ἰησοῦς παρὰ τὴν λίμνην τὴν Γενησαρὲτ &c. Trigesima septima, Κυριακὴ δεκάτη ἐννάτη. Πασῶν τῶν ἀρετῶν ἀνωτέρα ἐστὶν ἡ ἀγάπη &c. Trigesima octava, Κυριακὴ εἰκοστή. Τὸ τῆς ἀναστάσεως μέγα μυστήριον &c. Trigesima nona, Κυριακὴ εἰκοστὴ πρώτη. Ὥσπερ παράδεισος ἄλλος ἐστὶ πολυανθὴς &c. Quadragesima, Κυριακὴ εἰκοστὴ δευτέρα. Ἀγαθὰ μὲν πάντα τὰ θεῖα λόγια &c. Quadragesima prima, Κυριακὴ εἰκοστὴ τρίτη. Ὥσπερ τὰ σώματα ἡμῶν αἱ χρονικαὶ τῆς γῆς καρποφορίαι &c. Quadragesima secunda, Κυριακὴ εἰκοστὴ τετάρτη. Καὶ μεγάλη ἀνάγκη πολλάκις καὶ σφοδροτάτη θλῖψις. Quadragesima tertia, Κυριακὴ εἰκοστὴ πέμπτη. Μέγα πρὸς ἀρετὴν ἐμπόδιον ἡ ὑπερηφανία, καὶ ἡ ἔπαρσις &c. Quadragesima quarta, Κυριακὴ εἰκοστὴ ἕκτη. Ἡ πλεονεξία μέγα τοῖς ἀνθρώποις κακὸν &c. Quadragesima quinta, Κυριακὴ εἰκοστὴ ἑβδόμη. Ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς διεξάγων τὸν Ἰουδαϊκὸν λαὸν &c. Quadragesima sexta, Κυριακὴ εἰκοστὴ ὀγδόη. Ὁ μακάριος Εὐαγγελιστὴς Λουκᾶς, προτίθησιν ἡμῖν σήμερον διὰ παραβολῆς &c. Quadragesima septima, Κυριακὴ εἰκοστὴ ἐννάτη. Πολλοὺς καὶ διαφόρους τρόπους ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς, εἰς τὸ κατεργάζεσθαι τὴν σωτηρίαν ἡμῶν &c. Quadragesima octava, Κυριακὴ τριακοστή. Ὥσπερ ἐξ ἀηδηφαγίας μὲν γίνεται φλεγμονὴ &c. Quadragesima nona, Κυριακὴ τριακοστὴ πρώτη. Ἥλιος δικαιοσύνης ἐστὶν ὁ Θεὸς &c. Quinquagesima, Κυριακὴ τριακοστὴ δευτέρα. Πᾶσα μὲν ἀδικία, καὶ ἁρπαγὴ καὶ πλεονεξία κακὴ &c. Quinquagesima prima, Κυριακὴ πρὸ τῆς ὑψώσεως. Εἶπεν ὁ Κύριος, οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν &c. Quinquagesima secunda, Κυριακὴ τῶν προπατέρων. Οἱ μὲν παλαιοὶ ἐκεῖνοι, καὶ πρὸ τοῦ νόμου θεῖοι ἄνδρες &c. Quinquagesima tertia, Κυριακὴ πρὸ τῆς Χριστοῦ γεννήσεως. Ὁ θεῖος Ἀπόστολος καὶ Εὐαγγελιστὴς Ματθαῖος, πρῶτος πάντων τῶν ἄλλων Εὐαγγελιστῶν &c. Quinquagesima quarta, Κυριακὴ μετὰ τὴν Χριστοῦ γέννησιν. Ἀναχωρησάντων τῶν Μάγων, ἰδοὺ Ἄγγελος Κυρίου φαίνεται κατ' ὄναρ τῷ Ἰωσὴφ &c. Quinquagesima quinta, Κυριακὴ πρὸ τῶν φώτων. Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς Προφήταις. Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν Ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου. Denique Quinquagesima sexta & ultima, Κυριακὴ μετὰ τὰ φῶτα. Εἰ καὶ ἡ ἑορτὴ παρῆλθεν ἡμᾶς &c. Notandum autem est *quinquagesimam primam* harum Orationum, quæ inscribitur, Κυριακὴ πρὸ τῆς ὑψώσεως, sive *Dominica ante exaltationem Sanctæ Crucis*, atque incipit his verbis: Εἶπεν ὁ Κύριος, οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν &c, esse eandem prorsus, quam Jacobus Gretserus tomo 2. *De Sancta Cruce* a columna 1363. usque ad col. 1372. Græce & Latine cum hac annotatione edidit: *Hæc Oratio Viennâ Austriæ ad me venit beneficio R. P. Georgii Sturni, ex societate nostrâ. Nomen præfert Joannis Caleca Patriarchæ Constantinopolitani, sed quis & quoties iste Calecas? Epilogus hujus Homiliæ ab his verbis*, ταῦτα τοίνυν εἰδότες καὶ *ad finem, desumptus est ex Oratione Joannis Xiphilini, quam habes infra, cujus initium est:* Πάλαι μὲν οὖν ἡ τοῦ Μωσέως ῥάβδος *&c. Vel certè Xiphilinus hinc exscripsit, si fortè Joannes Caleca Xiphilino antiquior est.* Hæc Gretserus. At Joannes Xiphilinus qui anno 1078. obiit, integris ducentis quinquaginta tribus annis Joanne Caleca antiquior est, utpote qui anno 1331. in Patriarcham electus est. Unde sequitur, Calecam illa a Xiphilino, non autem Xiphilinum a Caleca descripsisse.

Ducentesimus sexagesimus quartus Codex MS. Theologicus Græcus est chartaceus, mediocriter antiquus in 4. constatque foliis centum quinquaginta septem. Continentur eo *Joannis Calecæ Patriarchæ Constantinopolitani homiliæ viginti & una, in Evangelia Dominicalia*, quarum prima inscribitur atque incipit his verbis: Ἀρχὴ σὺν Θεῷ ἁγίῳ τοῦ Διδασκαλίου. Κυριακὴ τοῦ τελώνου καὶ Φαρισαίου εἰς τὸ Εὐαγγέλιον λόγος διδασκαλικός. Ἡ εἰς τὸν τελώνην καὶ Φαρισαῖον παραβολὴ καὶ ὑπόθεσις, ὥσπερ γυμνασία καὶ παρακίνησις &c. Secunda incipit, Κυριακὴ τοῦ ἀσώτου, λόγος διδασκαλικὸς εἰς τὸ Εὐαγγέλιον τῆς ἡμέρας. Ἀγαθὸς μὲν ὁ Θεὸς πρὸς πάντας &c. Tertia, Κυριακὴ τῆς δευτέρας καὶ φρικτῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας, εἰς τὸ Εὐαγγέλιον τῆς ἡμέρας. Φοβερὰ ἡ ἡμέρα ἐκείνη &c. Quarta, Κυριακὴ εἰς τὴν ἐξορίαν τοῦ Ἀδὰμ, λόγος διδασκαλικὸς εἰς τὸ Εὐαγγέλιον τῆς ἡμέρας &c. Ἰδοὺ τὸ τῆς τεσσαρακοστῆς στάδιον &c. Hæ priores quatuor homiliæ extant etiam in proxi-

me præcedenti Codice CCLXIII. & ibi simi„liter prima, secunda, tertia & quarta sunt: un„de patet revera eas esse Joannis Calecæ, non „autem Gennadii Scholarii, ut in posteriori „hoc Codice CCLXIV. recentiori manu in „margine perperam his verbis annotatum est, „Γενναδίȣ Σχολαρίȣ. Quinta incipit, Τῇ δευτέρᾳ τῆς ἁγίας Τεσσαρακοςῆς λόγος ἐκλελεγμένος ἐκ πολλῶν βιβλίων διδασκαλικός. Ἔφθασε „καιρὸς ἡ τῶν πνευματικῶν ἀγώνων ἀρχὴ &c. „Sexta, Τῇ δ' τῆς πρώτης ἑβδομάδος διδασκαλία „ὠφέλιμος πάνυ ἐκ πολλῶν βιβλίων. Νηςεύοντες „Ἀδελφοὶ, σωματικῶς &c. Septima, Τῇ παρασκευῇ τῆς πρώτης ἑβδομάδος λόγος διδασκαλικὸς εἰς τὸν μέγαν Θεόδωρον τὸν Τύρωνα. Δίκαιον ἡμῖν σήμερον, ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, μετὰ τȣ̃ „Δαβὶδ ἀναφθέγξασθαι &c. Octava, Κυριακῇ „πρώτῃ τῶν ἁγίων νηςειῶν τῆς ὀρθοδοξίας Μακάριοι γὰρ φησὶν οἱ ἀκȣ́οντες τὸν λόγον τȣ̃ Θεȣ̃ „καὶ φυλάσσοντες αὐτὸν &c. Nona, Τῇ δευτέρᾳ „τῆς δευτέρας ἑβδομάδος λόγος διδασκαλικὸς ἐκ „πολλῶν βιβλίων. Η' ἁγία τεσσαρακοςὴ, ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, παρόμοιος ἐςὶ κλίμακος &c. „Decima, Τῇ δ' τῆς δευτέρας ἑβδομάδος λόγος „διδασκαλικὸς περὶ τȣ̃ Ἐυαγγελίȣ. Γράφει ὁ „Κύριος ἡμῶν Ἰησȣ̃ς Χριςὸς ἐν τῷ εἰκοςῷ τε„τάρτῳ κεφαλαίῳ τȣ̃ Ἐυαγγελιςȣ̃ Ματθαίȣ „παραβολὴν &c. Vndecima, Τῇ παρασκευῇ „τῆς δευτέρας ἑβδομάδος, διδασκαλία ἐκ τȣ̃ „Ἐυαγγελίȣ. Γράφει ὁ Ἐυαγγελιςὴς Ματθαῖος, „μᾶλλον δ' ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησȣ̃ς Χριςὸς διὰ τȣ̃ „Ἐυαγγελιςȣ̃ λέγοντος. πᾶς ὁ ἄνθρωπος ὅςις μȣ „ἀκȣ́ει τȣ̀ς λόγȣς τȣ́τȣς καὶ ποιεῖ αὐτȣ̀ς. ὁμοιώσω „αὐτὸν φρονίμῳ ἀνδρὶ ὅςις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν „αὐτȣ̃ ἐπὶ τὴν πέτραν &c. Duodecima, Κυριακῇ δευτέρᾳ τῶν ἁγίων νηςειῶν λόγος διδασκαλικὸς εἰς τὸ ἅγιον Ἐυαγγέλιον τȣ̃ Ἐυαγγελιςȣ̃ „Μάρκȣ. Ὁ τῆς ἁγίας τεσσαρακοςῆς καιρὸς, „ἀδελφοί μȣ &c. Hæc est in proxime præce„denti Codice CCLXIII. Homilia sexta. De„cima tertia, Τῇ δευτέρᾳ τῆς τρίτης ἑβδομάδος „τῶν ἁγίων νηςειῶν λόγος διδασκαλικὸς ψυχω„φελής. Ἰδȣ̀ χάριτι Χριςȣ̃ εἰς τὴν τρίτην ἑβδο„μάδα &c. Decima quarta, Τῇ δ' τῆς τρίτης „ἑβδομάδος λόγος διδασκαλικὸς, καὶ εἰς τὸν „Προφήτην Ἱερεμίαν, νεώσατε ἑαυτοῖς νεώματα. „Ἧκεν ἡμῖν σήμερον Ἱερεμίας ὁ Προφήτης, ὁ τȣ̀ς „νέȣς παρασκευάζων. Decima quinta, Τῇ πα„ρασκευῇ τῆς τρίτης ἑβδομάδος λόγος διδασκα„λικὸς εἰς τὸν ἅγιον Ἐυαγγελιςὴν Λȣκᾶν. Φέρε „τοίνυν εἰς μέσον τὸν Ἐυαγγελιςὴν Λȣκᾶν λέγον„τα &c. Decima sexta, Κυριακῇ τρίτῃ τῶν ἁ„γίων νηςειῶν λόγος διδασκαλικὸς εἰς τὴν προσκύ„νησιν τȣ̃ τιμίȣ καὶ ζωοποιȣ̃ ςαυρȣ̃, καὶ εἰς τὸ Ἐυαγ„γέλιον. Προτυπῶν καὶ προδιαγράφων ὁ μακά„ριος Μωυσῆς τὸν ζωοποιὸν καὶ θεῖον ςαυρὸν &c. „Hæc est in proxime præcedenti Codice CCLXIII. „Homilia septima, & attribuitur Philotheo Pa„triarchæ Constantinopolitano, ut ibidem in „margine annotavit Lambecius. Decima se„ptima, Κυριακῇ τετάρτῃ τῶν ἁγίων νηςειῶν, διδασκαλία εἰς τὸ ἅγιον Ἐυαγγέλιον τῆς ἡμέρας. „Οὐδὲν ἐςὶ τῆς ἀδιςάκτȣ πίςεως καὶ καθαρᾶς „ἰσχυρότερον &c. Hæc est in proxime præce„denti Codice CCLXIII. Homilia vigesima se„cunda. Decima octava, Κυριακῇ ἕκτῃ τῶν ἱε„ρῶν νηςειῶν λόγος διδασκαλικὸς εἰς τὸ ῥητὸν τȣ̃ Ἐυ„αγγελίȣ περὶ ταπεινώσεως καὶ ἐπάρσεως. Ἀγα„θὰ μὲν πάντα τὰ θεῖα λόγια τȣ̃ Θεȣ̃ &c. „Hæc in proxime præcedenti Cod. CCLXIII. „Homilia quadragesima. Decima nona, Κυριακῇ ἕκτῃ λόγος διδασκαλικὸς ἐκ περιττῶν βι„βλίων εἰς τὰ βάϊα, καὶ εἰς τὸν Ἰησȣ̃ν. Ὁ μακά„ριος Ἀπόςολος καὶ Ἐυαγγελιςὴς Ἰωάννης, ὁ „ἐπιςήθιος φίλος, ὁ τὴν Θεολογίαν ὡς σπόγ„γος ἀναλαβόμενος ἐκ τȣ̃ Κυριακȣ̃ σώματος „&c. Vigesima, Τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ Κυριακῇ τȣ̃ „Πάσχα, λόγος εἰς τὴν ἁγίαν ἀνάςασιν τȣ̃ Κυ„ρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. Τὴν ἀνάςασιν τȣ̃ Κυρίȣ „ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ ἑορτάζομεν σήμερον &c. Vi„gesima prima, Ἕτερος λόγος διδασκαλικὸς εἰς „τὴν αὐτὴν ἁγίαν ἀνάςασιν τȣ̃ Κυρίȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. „Ἡ ἀνάςασις τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. Πα„τέρες καὶ ἀδελφοὶ, τὸ γένος ἔσωσε τῶν ἀνθρώ„πων &c." Item in bibliotheca Lugdunobatava nostra, ex MSS. Codicibus carissimo pretio ab Hæredibus Isaaci Vossii emptis, Codice 129. num. ultimo, *Calecæ ad Joannicium Epistolæ*. Agunt *de Joanne Calcca*, Joannes Cantacuzenus Lib. 2. *Historiæ* cap. 21. & 24. Nicephorus Gregoras, Lib. 10. *Historiæ* suæ. Atque ex recentioribus post alios, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 831. cum aliis. Jacobus Gretserus in Opere suo *De Cruce*, Notis ad Orationem Joannis Calecæ *in Exaltationem Sanctæ Crucis*. Henricus Spondanus in continuatione *Annalium Baronii*, ad annum 1331. num. 16. ad annum 1345. num. 11. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, pag. 87. Petrus Lambecius, Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 187. & 191. quem hic expressimus. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 336. & 366.

MANVEL PHILES natione Græcus, Philosophus, Poeta & Theologus hac ætate non ignobilis claruit ab anno circiter 1280. ad 1330. & ultra, sub imperiis Manuelis Palæologi atque duorum Andronicorum Senioris ac Junioris Palæologorum, usque post Georgii Pachymeris obitum; unde vitam longævam duxisse illum concludimus. Dixi claruisse sub Manuelis Palæologi imperio, qui anno 1282. vitam & imperium reliquit, nam juxta Conradum Gesnerum *in Bibliotheca Vniversali*, fol. 554. verso, *Manuelis cujusdam Græci, cujus cognomentum Phyles, Carmina Jambica* de animalium proprietatibus *περὶ ἰδιότητος τῶν ζώων ad Michaelem Imperatorem. Scripsit versus senarios observato certo numero syllabarum magis, quàm prosodia.* Impressi sunt Venetiis olim Græce in 8. cum Arsenii Monembasiæ Archiepiscopi præfatione 1330

ad

ad Carolum Quintum Imperatorem, chartis V. & dimidia. Item Philus *De proprietate animalium* Græce & Latine Lipsiæ anno 1575. in 4. Iidem Græce & Latine Heidelbergæ apud Commelinum per Bursmannum cum Joachimi Camerarii auctario 1596. in 8. pag. 68. qui in Oxoniensi Bibliotheca publica, inter Libros Artium Seldeni. Meminit hujus Operis Philippus Labbeus *in Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* seu *Specimine Antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ præsertim collecta & Parisiis anno 1653. in 4. impressa apud Joannem Henault, *Supplemento IV.* pag. 201. Codice MS. 136. his verbis. *Multa continet de diversis rebus, Jambica carmina quædam dicata Michaeli Imperatori. Poëma de Elephante sat longum, videtur Scriptum Leoni Augusto. Ad Michaelem verò spectant Jambi περὶ ἰδιότητος ζώων, qui à Bersmanno Latinitate donati & sapienti Phile tributi, cujus forsitan omnia illa carmina sunt.* Item *Supplemento VII.* pag. 287. Codice 1267. *Manuel Phile de Animalibus cum figuris.* Idem parte 4. ejusdem Bibliothecæ pag. 135. *Phile Versus inscripti in templo Domini Evergesii* in Codice Regio 2216. & in Cod. 1779. *Ejusdem Epitaphium ad Pachymerem cum Pachymeris responsione ex sepulchro.* Meminit hujus Epitaphii Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis & eorum Scriptis* verbo *Georgius Pachymeres*, qui & Opus istud Græcè ex MS. Codice pag. 373. refert, ab his verbis incipiens, Ἄλλον μὲν ἄνδρα ζωγραφεῖν ἴσως θέλων &c. quo Pachymeræ obitum Manuel Phyle in carminibus non ineleganter deploravit. Ejusdem meminit Petrus Lambecius Tomo seu Libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice MS. Theologico Græco LXXX. pag. 184. & 185. ubi *Philæ Hypotheses & Epigrammata Jambica in Orationis octodecim Sancti Gregorii Nazianzeni*, ab Oratione illic prima ad decimam octavam. Meminit operis ejusdem Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum* jam ante citata, sed quem *Eumolpum Phylem* ex fide Catalogi MSS. Codicum Sancti Laurentii Scorialensis appellat. Ita parte 4. Bibliothecæ citatæ pag. 107. *Eumolpi Phile expositio in quatuor Orationes Sancti Gregorii Nazianzeni, latet alicubi in membranis, cum Orionis Grammatici libro περὶ ἐτυμολογίας; de quo Suidas & auctor Etymologici sæpiusculè.* Item Supplemento X. ejusdem Bibliothecæ pag. 385. seu Appendice ad Supplementum IV. Labbeus inquit: *Vidi manu viri Clarissimi Nicolai Rigaltii in Supremo Mediomatricum Senatu Consistorii scriptum schediolum, ex quo hæc quæ sequuntur in Bibliotheca Hispanica Sancti Laurentii, latere didici. In iis Eumolpus Phile in quatuor Orationes Sancti Gregorii Nazianzeni.* Dictum Phylum *Eumolpum* arbitror, non quod esset prænomen proprium, sed quod ille præclare canendi artem sciret, unde *Eumolpus* vocaretur. Denique juxta eundem Lambecium Libro V. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Cod. MS. Theologico Græco CCXLVI. num. 15. pag. 117. extant *Tetrasticha in Psalterium Davidicum*, quæ inscribuntur, *Tetrasticha* τοῦ Φυλῆ, quorum principium, Τοῦ κιθαρῳδοῦ μὴ παρόντος ἐνθάδε &c. Alter fuit Joannes Phile, qui Manuelis Synchronus fuisse videtur, ac floruit sub Joannis Cantacuzeni ætate, de quo loquitur ipse Cantacuzenus libro 4. Historiæ cap. 31. pag. mihi 839. qui cum aliis assumptus fuit ad discordias sedandas inter Andronicum Juniorem Imperatorem Irenem matrem & Manuelem filium juniorem. « Hæc ubi præcepit, cum conjuge (Irenem matrem) dimisit, & paulò post uxorem suam Irenem ad filium generumque in concordiam redigendos Didimotichum se conferre jussit, cui Philotheum Heracleæ & Metrophanem Melenici Metropolitanos adjunxit, viros ob vitæ sanctitatem & eloquentiam venerabiles. Præter hos Joannem Philen claro genere prognatum, qui Christianæ Philosophiæ desiderio, excussis negotiis omnibus, domi res suas agebat, vitamque sobriam ac justam studiose excolebat: simul ut eam in illa filiorum pacificatione adjuvarent: simul ut ei testes fierent, nisi par in utroque studium adhibuisset. « Præter allatos Scriptores, meminit quoque Carolus du Fresne Dominus du Cange in Glossario Mediæ & infimæ Græcitatis, *in Indice Auctorum Manuscriptorum Græcorum* ad calcem Glossarii subjuncto, col. 55. & in Indice Scriptorum Græce editorum col. 59. quem sub Michaele & Andronico Seniore Palæologis Imperatoribus floruisse affirmat.

GREGORIUS PALAMAS florebat multo 1330
scientiarum nomine apud Græcos ab anno circiter 1330. qui gente Asiaticus & in aula Imperatoris educatus, cæterisque tunc temporis scientia eminentior, postea tandem Archiepiscopus Thessalonicensis designatus est. Cum autem circa hæc tempora Barlaamus Monachus Calaber de quo Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1332. num. 4. & 1335. ad finem, multis disputationibus Constantinopoli exagitatus & exagitans, insectaretur imprimis Monachorum Hesychastarum seu Quiescentium Montis Athæ errorem, eorum patrocinium suscipere Gregorius Palamas dignatus est. Illi percursè asserebant, lumen illud quod in Monte Thabor Apostoli in transfiguratione Domini viderant, fuisse *Increatam lucem*, hoc est, *Divinam ipsam essentiam*, quam ipsi quoque sæpius, dum in Oratione sua inarderent, oculis corporeis conspicerent & contemplarentur. Hanc ob rem cum eos Massalianismi Barlaamus accusaret, probeque & catholice argumentaretur, si lumen illud corporeis oculis visum esset, increatum non esse: quandoquidem quidquid oculis corporeis videri potest, crea-

tum esse necesse est, indeque graves turbæ concitatæ fuissent: suscepit eorundem Monachorum, dogmatisque defensionem Gregorius Palamas, cumque utpote homine erudito, & verbis & Scriptis Barlaamo multo tempore colluctandum fuit. Hanc ob causam Synodi inde Constantinopoli anno 1341. & sequentibus, plures habitæ, quibus favente potissimum Joanne Cantacuzeno, Dogma Palamæ perversum ab Episcopis ignaris comprobatum est: ficut referunt, qui viderunt & audierunt Nicephorus Gregoras *in Historia* Lib. XI. cap. penultimo, & Joannes Cantacuzenus Lib. 2. *Historiæ* capp. 39. & 40. Ille quidem dogma Palamæ palam damnans, hic verò ipsum Palamam præconiis magnis extollens, utpote ejusdem cum illo perfidiæ sectator: quem & Græci recentiores ut Sanctum colunt, eoque titulo insigniter, in ipsius Commentario quodam, qui *in Bibliotheca Sanctorum Patrum* legitur. Quæ verò de prædicta quæstione ultrò citroque scripta fuerint, tum ab iisdem Barlaamo & Gregora, atque insuper ab Acindyno Monacho contra partes Palamieas, tum ab ipso Palamâ & Philotheo Patriarcha Constantinopolitano, pro lumine Thaborico: quàm multiplices Synodi ea de re celebratæ, quæ Græcorum argumentationes, quæ denique Catholicæ Ecclesiæ sententia: & an Sententiæ Palamo Barlaamus unquam verè & fictè assensum præbuerit, vel etiam Græcorum sententiæ *De processione Spiritus Sancti à Patre solo*, ut Cantacuzenus significat: diffusè disputat Jacobus Pontanus *in Notis* ad Cantacuzenum Lib. 4. cap. 40. Fuisse verò Gregorii Palamæ doctrinam & discussam & approbatam anno 1341. in Concilio quodam Constantinopolitano, non tantum constat ex iis, quæ suprà diximus *in Joanne Caleca*: sed narrat Nilus olim Monachus ac Nicææ Metropolita, ipso Palamæ Sectator ac discipulus, *in Synopsi Novem Conciliorum*, his verbis. „Sancta & œcumenica Synodus nona, imperante „beatæ memoriæ & celebri Imperatore D. Andronico Palæologo, & Joanne ejus filio, adversus „Barlaamum & Acindynum, habita est. Docebant enim isti, modò nullam esse distinctionem „inter divinæ naturæ substantiam, & ejus actum, „sed unum idemque esse: modò distinctionem „aliquam esse dicebant, verum ita ut substantiam increatam, substantiales verò atque naturales ejus actus concederent diversos esse, non „increatos, sed creatos. Prætereà divinum il„lud lumen, quod in Thaborio monte refulsit, „omnino phantasma & creaturam fuisse orientem ac intercedentem dicebant at neq; Divinæ „naturæ naturalem splendorem & Divinitatem, „& lumen quod est & vocatur, inaccessum. Adversus hos igitur ista docentes, congregata est „hæc sancta Synodus, quæ convicit eos insaniæ, „omnigenique mendacii & impietatis, quâ cæteros Hæreticos superarent. Interfuerunt „huic Synodo Isidorus Constantinopolitanus, „Lazarus Hierosolymitanus, tum Alexandrinus & Antiochenus per Legatos. Gregorius Pa-„lamas, Philetheus Coccinus, & alii Monachi „multi virtute insignes ac Selecti, qui etiam hos „anathemate percusserunt. *Traditione accepimus, Dei nomine significari Operantem Divinitatis Operationem: nullo autem nomine, trium actum significari. Traditione accepimus, quod nullam virtutem aut operationem habet, nec aliquid esse, neq; poni tollive posse: quod autem habet, omnino ab eo, quod habet, esse diversum.* „ Itaque inter Gregorii Palamæ errores, quibus hodieque Ecclesia omnis Græca infecta est, hi fuerunt duo: *alter* quòd distinctam esse naturam divinam diceret ab ejus ἐνέργεια sive Actu, quo nomine Dei proprietates sive attributa intelligebat: ut ex Demetrio Cydonio constat, & manifeste ostendit Dionysius Petavius *Theologicorum Dogmatum* Lib. 1. cap. 13. *Alter* lumen illud aspectabile, quo in Thabore monte circumfusus est Christus, minime creatum fuisse, sed æternum ac divinum, ipsumque, quo Deus induitur. Quem cum oppugnarent, Barlaamus Monachus, ejusque adjutor Acindynus, sedandæ causa controversiæ, coacta est Constantinopoli Synodus in templo S. Sophiæ, in qua præsente Andronico Imperatore qui Gregorio Palamæ favebat, Catholica Barlaami & Acindyni doctrina, & duobus illis Palamicæ hæreseos capitibus contraria, damnata est. Quam Pseudo-Synodum tres aliæ consecutæ sunt, eidem hæresi suffragantes, quas ibidem Petavius explicat. Anno circiter 1345. vel sequenti fervente inter Cantacuzenum & Palæologum ob imperum bello, Joannes Calecas Patriarcha Imperatori pupillo summe addictus, Palamæ, quem throno suo insidiari suspicabatur, Joannem Cantacuzenum anathematizare jussit, quem obtemperare recusantem, communione ejecit & carceri inclusit. Capta autem anno 1347. à Cantacuzeno Constantinopoli, Palamas ab Anna Imperatrice carcere eductus est, & ad victorem Cantacuzenum missus, ut iras ejus adversus Palæologorum gentem monitis leniret. Joanne Patriarcha ejecto, ac statim defuncto, ipse à Cantacuzeno Palamas designatur ad Constantinopolitanorum sedem occupandam, in carceris ob causam sui passi compensationem: qui tamen Patriarchatu excidit, Episcopis illi potius Isidorum præferentibus. Inde Palamæ majus otium ad scribendum, quàm si tale onus subiisset. Extat in Bibliotheca Augustana Cod. 73. *Prosopopeia corporis & animæ*, continens nimirum *Orationes duas judiciales mentis Corpus accusantis, & Corporis contrà se defendentis, itemque Judicium sententiam.* Prodiit illa Græce à Turnebo edita, Parisiis anno 1553. in 4. Latine autem inserta est, tomo 9. *Bibliothecæ Veterum Patrum* editionis Secundæ anni 1589. Extant tomo 2. pag. 106. ultimi Auctarii Bibliothecæ Patrum anni 1672. *Homilia II.* Græce & Latine impressæ, *Gregorii Palamæ in Venerabilem Domini & Dei ac Salvatoris Jesu Christi transformationem*: quorum *prima* probat lumen montis Tha-

Thabor fuiſſe increatum : *aliem*, vult non fuiſſe divinam eſſentiam. Ibidem quoque pag. 135. ſubjicitur *Concilium Conſtantinopolitanum in gratiam & protectionem Palamæ habitum*, opus de novo ex MS. Codice Regio editum, de quo dictum anteà, *in Joanne Caleca*. Ejuſdem *liber contra Joannem Veccum Patriarcham Conſtantinopolitanum De proceſſione Spiritus Sancti, cum refutatione Cardinalis Beſſarionis*, MS. in Bibliotheca Bavarica, Codice MS. Græco 115. Inſcriptus eſt, *Refutatio Expoſitionum ſeu Epigraphorum Joannis Vecci*, in Codice MS. Theologico Græco Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, CCL. num. 14. & quidem à fol. 223. pag. 1. usque ad fol. 301. pag. 2. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 150. Verum Liber iſte prodiit Græce & Latine, inter *Opuſcula Aurea* quæ Petrus Arcudius Romæ anno 1630. in 4. edidit. Extant quoque in Bibliotheca Bavarica, Cod. 125. *Gregorii Palamæ conſideratio plenior in Transfigurationem Domini. Epiſtola Palamæ & Acyndini. Expoſitio Hæreſum Palamæ & Acindyni. Varia Apologia contra Palamam & Acindynum.* Ejuſdem *In aliquot Evangelii loca* MS. in 4. Græcè in Bibliothecâ Sfortianâ, Cod. 68. Extat *Gregorii Palamæ Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Homilias & Epiſtolas* continens Codex MS. Græcus 2404. in Bibliotheca Galliæ Regia, ut ſcribit Carolus du Freſne du Cange *in Catalogo MSS. Codicum* quem ſubjunxit *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 27. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 637. in MSS. Codd. Guillelmi Laudi olim Cantuarienſis Archiepiſcopi Cod. 156 *Gregorii Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Sermones*, Græcè in folio. Ibidem Codice 25. Barocciano pag. 262. ad 273. *Metropolitæ Theſſalonicenſis Reſponſum ad quærentem, quis ſit finis Incarnationis Divinæ.* Ἠρωτηθαι τίς ὁ σκοπός. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 9120. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Dunelmenſis Codice 49. *Gregorius Theſſalonicenſis de Spiritu Sancto contra Latinos*, & Varia ex Variis Patribus de Spiritu Sancto, Græce in folio. Fruſtratus autem Patriarchatu Conſtantinopolitano Gregorius Palamas, poſteà Archiepiſcopus Theſſalonicenſis ab Iſidoro Patriarcha juſſu Cantacuzeni Imperatoris, circa annum 1354. conſecratus eſt; qui à Præfectis Urbis non admiſſus, ſedem hanc nunquam obtinuit. Plura *de Gregorio Palamâ* Nicephorus Gregoras Lib. 11. *Hiſtoriæ* ſuæ cap. penultimo. Joannes Cantacuzenus Lib. 2. *Hiſtoriæ*, capp. 39. & 40. Conradus Geſnerus *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 294. Henricus Spondanus in Continuatione *Annalium Baronii*, ad annum 1274. num. 16. 1337. num. 11. & ad annum 1350. num. 20. Dionyſius Petavius eruditiſſimus Soc. Jeſu Theologus tom. 1. *Theologicorum Dogmatum* Lib. 1. capp. 12. & 13. cum aliis. Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pagina 150. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 319.

PETRUS AUREOLUS, Gallice *Oriol*, ex 1330
Ordine Vallis Scholarium, natione Gallus, ex oppido quod Verberia dicitur, unde vulgò *Petrus de Verberia* nuncupatur, Theologus Scholaſticus, in quo ſcientia circiter annum 1330. plurimum excelluit. De cujus Scriptis nihil mihi aliud dicendum occurrit, ab ipſis quæ dicta ſunt à Philippo Labbeo, in Diſſertatione Hiſtorica *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quos Bellarminus recenſuit. At de conditionibus vel dignitatibus ab omnibus nomenclatoribus vel Hiſtoricis Eccleſiaſticis, attributis: multa hic mihi dicenda ſunt, contra omnes unicus ſtans, paratus tamen communem omnium hactenus ſententiam ſequi, ſi quis eam argumentis fultam idoneis oſtenderit. Volunt igitur omnes poſt Sanctum Antonium *in Summa Hiſtoriali* ſua lit. 24. cap. 8. §. 2. qui primus *de Petro Aureolo* loquutus eſt, fuiſſe illum *Ordinis Fratrum Minorum, Aquenſem factum Epiſcopum anno 1314 tandemque Tuſculanum Epiſcopum & S. R. Eccleſiæ Cardinalem, anno circiter 1322.* Ita poſt S. Antoninum Joannes Trithemius in Opere ſuo *De Viris illuſtribus*, Sixtus Senenſis Lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, Fratres Sammarthani *in Gallia Chriſtiana* tomo 1. pag. 17. *in Aquenſibus Archiepiſcopis*. Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, uterque in opere *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Cæſar Egaſſius Bullæus Seculô ſexto *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* in Catalogo illuſtrium Academicorum pag. 985. Natalis Alexander *in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus* tomo 2. cap. 5. art. 2. p. 597. Henricus Warthon in exceptione *Hiſtoriæ Litterariæ Guilielmi Cavi*, ad annum 1321. pag. 22. quorum teſtimonia quædam potiſſima referre verbotenus hic juvat, ad clariorem dicendorum poſteà intelligentiam.

S. Antoninus *in Summa Hiſtoriali* tit. 24. cap. 8. §. 2. dum de viris ſcientia illuſtribus Ordinis Fratrum Minorum loquitur. Celebris quoque opinionis fuit Petrus Aureolus (alia editio legit *Aurelius*) ſcripta relinquens ſuper Librum Sententiarum, in quo quia manus ejus contra omnes, vertens in dubium firmata per alios & in quæſtionem vertens, manus omnium contra eum. Aſſumptus fuit ad Archiepiſcopatum. Ita ex editione Nurembergenſi anni 1484. per Antonium Koberger, & Lugdunenſi anni 1586. in officina Juntarum.

Fratres Sammarthani tomo 1. *Galliæ Chriſtianæ* in Archiepiſcopis Aquenſibus, folio 17.

Petrus Aureoli Verberiæ oppido ad Eſiam Fluvium in Picardia natus, cùm diu in Pariſienſi Schola publice ſacras Literas docuiſſet, ex Ordine Franciſcano, ad regimen Archiepiſcopatus Aquenſis evehitur anno 1321. ut patet ex Actis Conſiſtorialibus Vaticani. Male ab aliquibus Minoritis refertur fuiſſe creatum

„tum Cardinalem, qui authoritate Sancti Antonini Fulri lit. 24. cap. 8. & ex Possevino, adlectum in Purpuratorum collegium autumant: cum ipse Antoninus meminerit quidem *Aureoli*, ut celebris viri, sed nihil de Cardinalatu asserere videatur. Plura de eo scribunt Bernardus Guidonis, Sixtus Senensis Lib. 4. Robertus Cardinalis Bellarminus. Author vitæ ipsius *Aureoli*, præfixæ in editione Romana, Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum*, ac Vghellus Abbas in Episcopis Prænestinis. Bernardus autem Guidonis ad annum 1312. Guillelmum de Mandagoto Aquensem perperam appellat, cùm fuerit potius Archiepiscopus Ebredunensis. Ciacconius ipse non minus fallitur, dum Arnaldum Auxium Pictaviensem Præsulem pro ipso *Aureolo* exhibet, & insulis Aquensibus decorarum fuisse observat: qua de re videndæ Notæ Francisci Bosqueti ad Clementis V. Pontificis Max. vitam. Hujus & meminit Benedictus Vernerius Sancti Sulpirii Bituricensis Monachus, in libro, qui inscribitur: *Magnum & universale Concilium Ecclesiæ Militantis, super veritate divinissimi Ecclesiæ Sacramenti.* Scripsit item Aureolus super Sententias, Bibliorum breviarium, Sermones, De beatæ Virginis conceptione, & alia quædam Opuscula reliquit.

Seculum sextum Historiæ Vniversitatis Parisiensis *in Catalogo illustrium Academicorum* pag. 985.

„Petrus de Verberia dictus Aureolus, Minorita, Doctor Parisiensis, in divinis Scripturis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelica secundum consuetudinem sui temporis valde peritus, ingenio subtilis & disputaror acutus, in declamandis ad populum Sermonibus egregius. Hæc ex Trithemio. Ex Provinciali Aquitaniæ Archiepiscopus Aquensis factus, floruit anno 1317. Scripsit Commentaria in 4. Libros Sententiarum. Breviarium Bibliæ. De conceptione beatæ Mariæ Lib. I. Sermones de tempore, Sermones de Sanctis Librum I. & alia Opera, quæ nondum publicâ luce donata creduntur. Reperio & alium ejusdem cognominis, sed Ordinis Vallis Scholarium, qui cum aliis Doctoribus à Philippo Valesio advocatis interfuit determinationi *De visione beatifica* apud Vincennas anno 1332. Alium dico, nam Petrus Aureoli seu de Verberia Picardus, Franciscanus fuit, factus Aquensis Archiepiscopus anno 1321.

Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* tomo XX. cap. 5. articulo 2. pag. 597.

„Petrus Aureolus Vermeriæ oppido ad Isaram Fluvium in Francia natus, Ordinis Minorum Professor & Theologus Parisiensis ad Narbonensem Archiepiscopatum anno 1321. promotus, ob ingenii perspicuitatem *Doctor Facundus* appellatus, cujus cum laude meminere Sanctus Antoninus, Trithemius Abbas" &c. *Breviarium Bibliorum*, sive *Epitomen universæ Scripturæ Sacræ juxta Litteralem sensum*" edidit, Compendium Theologiæ, *Commentarios in quatuor libros Sententiarum*, *Librum de conceptione beatæ Mariæ*, *Tractatum De paupertate & usu paupere rerum*, *Sermones &c.* obiit" die 27. Aprilis M CCC XXII." Ex his aliisque aliorum testimoniis, tria *de Petro Aureolo* ex Verberia oriundo quæruntur: 1. an fuerit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Episcopus Prænestinus? 2. an fuerit Archiepiscopus Aquensis vel Narbonensis, ut habet Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, loco citato? 3.° an fuerit Ordinis Fratrum Minorum, vel Vallis Scholarium? Quibus quæstionibus usu Scholastico tribus conclusionibus sequentibus respondemus, vel respondeo unus fere contra omnes, imitatus *Petrum Aureolum*, qui teste Antonino hac ratione processit in Commentariis suis Theologicis. Sit itaque.

1. *Petrus Aureolus ex Verberia oriundus, nunquam fuit Episcopus Prænestinus, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.* Primi hujus Cardinalitiæ dignitatis *in Petro Aureolo* inventores, testibus Sammarthanis Fratribus tomo 1. *Galliæ Christianæ* in Archiepiscopis Aquensibus pag. 17. sunt Franciscani, qui suos ultra rationem sæpius amantes atque elevantes, omnem sæpe lapidem movent, ut indebitis illos titulis inflent, honoribus officiisque locupletent. Amet quisque Monachus suum Ordinem, vestem, qua contegitur, moribus potissimum bonis, dignâque instituto, quod professus est, conversatione, honestet: at cavendam ne excutiat, itulrescarque variis, suos contubernales & vaticolas, honoribus ac titulis falsis afficiens. Audiantur Sammarthani loco citato: Male ab aliquibus Minoritis re-" fertur fuisse creatum Cardinalem, qui Autho-" ritate Sancti Antonini Fulti titulo 24. cap. 8." & ex Possevino, adlectum in Purpuratorum" Collegium autumant: cum ipse Antoninus" meminerit *Aureoli* quidem ut celebris viri, sed" nihil de Cardinalatu asserere videatur." Hanc quæstionem optime ac diligenter excussit Ferdinandus Vghellus Florentinus, Abbas Sanctorum Vincentii & Anastasii ad aquas salvias Ordinis Cisterciensis, tomo 1. *Italiæ Sacræ* in Episcopis Prænestinis columna 245. num. 45. ubi sic. Petrus de Prato, Gallus" Diœcesis Cadurcensis, Episcopus Regiensis," mox Aquensis, à Joanne XXII. electus est" Episcopus Cardinalis Prænestinus anno 1323." Cancellaria Sanctæ Romanæ Ecclesiæ functus" est, subque Clemente Sexto legatus ad Philippum Gallorum Regem atque Odoardum" magnæ Britanniæ Regem, ut in unum pacis" fœdus coirent. Avenione templum Divo" Petro sacrum ædificavit, eidemque Collegiatæ

„tæ Ecclesiæ magnam dotem attribuit. Ef„fetæ ætatis Avenione decessit 1361. men„se Majo.„ Dubitavi in nostris *in Ciacconium „notis* , an idem hic cum Petro Aureolo „Ordinis Minorum , Archiepiscopo Aquensi „fuerit , quem nonnulli Minoritæ authorita„te Sancti Antonini Freti , Cardinalem adle„ctum referunt , deceptus : cum nullum „alium repererim Archiepiscopum Aquensem, „à Joanne XXII. sub Petri nomine inter Pa„tres relatum , præter hunc solum *de Prato*. „At Frison hunc diversum ab Aureolo fuisse „scribit, cum *Aureolus* eidem *Petro de Prato* in „Archiepiscopatu Aquensi successisset. Sed „non minus ipse decipitur, dum *Aureolum* in„ter Cardinales à Joanne XXII. electum re„fert anno 1327. ut bene elenchus Sanctæ „Romanæ Ecclesiæ Cardinalium notat, asse„ritque *in libris Sacri Collegii Aureolum inter „Cardinales non reperiri*. Ad authoritatem „Sancti Antonini respondi, meminisse quidem „Antoninum *Petri Aureoli* ut viri celebris opi„nionis, sed nihil de ipsius Cardinalatu asse„rere. " Ita quidem verè, nam Antoninus nunquam loquitur de Cardinalatu *Petri Aureoli*, quem falsò ei addixerunt Franciscani ex authoritate hujus Scriptoris. Nihil ergo constat de hoc Cardinalatu, quem Scriptores hujus seculi, illi absque examine adscripserunt. Jam videant celebres duo Scriptores Galli, quomodo inter sese conveniant, Petrus Frizonius in opere suo *De Cardinalibus Gallis* seu *Gallia Purpurata* , ubi vult *Petrum Aureolum* factum esse Cardinalem à Johanne XXII. anno 1327. & Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* loco citato, qui vult *Petrum Aureolum* esse mortuum Aquensem Archiepiscopum anno 1322. die 27. Aprilis. Quomodo qui factus est Cardinalis & Episcopus Prænestinus anno 1327. à Joanne XXII. mortuus est die 27. Aprilis anni 1322 ? Quomodo qui mortuus est anno 1322. die 27. Aprilis, factus est Cardinalis anno 1327 ? Ita universim cæcutiunt omnes qui *de Petro Aureolo Verberiensi* scripserunt hoc nostro seculo, nihil examinantes, neminem interrogantes. At neque anno 1322. ut vult Natalis Alexander, neque anno 1327. ut habet Frisonius, *Petrus Aureolus* mortuus est, cum anno 1345. non Cardinalis aut Archiepiscopus, *Breviarium Biblicum* scripserit, ut ex ejus inspectione constat.

2. *Petrus Aureolus, nunquam fuit Aquensis Archiepiscopus.* Hæc contra omnes quotquot hucusque scripserunt de *Petro Aureolo* authores, qui ex sancti Antonini authoritate, fecerunt Petrum Aureolum Aquensem Archiepiscopum. Ita Sixtus Senensis, Bellarminus & Labbeus, Sammarthani seculum 6. Historiæ Vniversitatis Parisiensis. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Ferdinandus Vghellus in *Italia sacra* tomo 1. in Episcopis Prænestinis, columna 245. Lucas Wadingus in *Annalibus ordinis fratrum Minorum*, & in *Bibliotheca Scriptorum hujus Ordinis*. Natalis Alexander loco citato, & omnes Franciscani. Evincitur. Nam iis temporibus, quibus Archiepiscopatus Aquensis ab omnibus omnino scriptoribus *Petro Aureolo Verberiensi* assignatur, anno nempe 1320. vel 1321: alter *Petrus de Prato* occupabat Aquensem sedem, unde consequens est, *Petrum Aureolum nunquam fuisse Aquensem Archiepiscopum*. Ita se res habet. Joannes Papa XXII. amabat impensè *Petrum de Prato*, filium Raymundi Domini de Prato, nobilem Gallum, patria Caturcensem, unde etiam idem summus Pontifex oriundus erat. Amabat autem *Petrum de Prato* tum ob eandem patriam, tum ob quandam affinitatem, unde factus Pontifex Romanus, contulit huic Petro de Prato Raymundi filio, anno 1318. Episcopatum Reiensem, ut constat ex Actis consistorialibus Vaticanis, atque ut habent Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 3. pag. 939. in Episcopis Reiensibus. Inde aliquanto post, ut impensiorem dilectionem suam in *Petrum de Prato* compatriotam & affinem testaretur Joannes XXII. Pontifex, contulit eidem *Aquensem Archiepiscopatum* circa annum 1319. vel 1320. ut testatur Ferdinandus Vghellus tomo 1. *Italia sacra* in *Episcopis Prænestinis*. At eodem attestante, transiit ex beneficio ejusdem summi Pontificis singulari ac tertio dilectionis ejusdem argumento, idem *Petrus de Prato* anno 1321. vel serius 1322. *ab Aquensi Archiepiscopatu in Episcopatum Prænestinum & S. R. Ecclesiæ Cardinalitiam dignitatem*. Sed eodem anno testibus fratribus Sammarthanis tomo 1. *Galliæ Christianæ* fol. 17. in Aquensibus Archiepiscopis, *Jacobus de Concos* ex nobili familia de Cabrairez in Cadurcensi provincia, primum Ordinis fratrum Prædicatorum alumnus, ad eundem Archiepiscopatum Aquensem evocatus est, anno 1322. die 10. Julii, Joanne XXII. Pontifice Maximo, ut constat ex Regesto Vaticano: qui mortuus est anno 1329. vel 1330. Calendis mensis Maii. Ergo nullus locus datur Petro Aureolo ad Aquensem Archiepiscopatum, quem tenuerunt *Petrus de Prato* ab anno 1319. ad 1322. ac post eum *Jacobus de Concos* usque ad annum 1330. nobilis nobili succedens, Cadurcensis Cadurcensi, ambo noti atque ejusdem ditionis ac Joannes Papa XXII. qui Cadurcenses impensè amavit atque ad Ecclesiasticas dignitates promovit. Frustraneus ergo est *Petro Aureolo Verberiensi & Minoritæ*, atque imaginarius Aquensis Archiepiscopatus. Occasionem acceperunt Franciscani ab Antonino Florentino Archiepiscopo, attribuendi Archiepiscopatum Aquensem fictitio suo *Aureolo*, uti de Cardinalitia dignitate contigit. At hoc pessime. Nam sanctus Antoninus loco citato hoc tantum dicit, non plura: *Assumptus fuit ad Archiepiscopatum*. Vnde illi ex his paucis, a genere ad speciem, vel a specie ad individuum trans-

currentes, audaci manu, absque ulla discussione vel authenticis instrumentis, ex authoritate sancti Antonini indeterminata, fecerunt *Petrum Aureolum* Verberiensem, non tantum Franciscanum, qui nunquam fuit, sed etiam *Aquensem Archiepiscopum*. Solus Natalis Alexander communem hanc sententiam deserens, abiit in alteram hucusque inauditam, an veram, ipse videat. Vult enim loco citato, *Petrum Aureolum* fuisse factum *Narbonensem Archiepiscopum*, nec quibus id adstruat fundamentis, aperit. Ego credo *Petrum illum Aureolum*, cui alterum Archiepiscopatum ac ditiorem attribuit Natalis Alexander, magis non gavisum Narbonensi quam Aquensi, ne utrumque reali ac vero titulo possedisse, cum emolumentis annuis. Certo enim tenuit tunc temporis Metropolim Narbonensem Bernardus de Fargis, ab anno 1311. ad 1340. ex permutatione contra Archiepiscopatum Rotomagensem, quem Bernardus antea possidebat. Jam itaque *Petrus Aureolus de Verberia* ad Haram in insula Franciæ natus, Episcopatu Prænestino & S. R. Ecclesiæ Cardinalatu spoliatus est, jam Archiepiscopatibus Aquensi & Narbonensi spoliatus: videamus, an adhuc vestra Minoritana spoliabitur, numque ad calvitiem usque nudabitur?

3. *Petrus Aureolus de Verberia, fuit Ordinis Vallis Scholarium, non fratrum Minorum.*

Sane si reverteretur ad vitam Petrus Aureolus non multum conquereretur de hac conclusione, quæ in illius commodum tendit. Quem enim Minoritæ & Franciscani nudipodem volunt, hunc calceatum reddo: & quem ad mendicitatis angustias adigunt, hunc dotatum, annuisque reditibus victitantem constitui. Stant contra me omnes, qui de *Petro Aureolo* scripserunt, ego contra omnes, paratus tamen mutare sententiam, dum quis idonee probaverit, duos eodem tempore fuisse *Petros Aureolos de Verberia*, ambos Theologos, alterum Franciscanum, alterum ex Ordine Vallis Scholarium. Probatur fuisse *ex Ordine Vallis Scholarium*, authentico instrumento, quod extat *seculo sexto Historia Universitatis Parisiensis* ad annum 1332. pag. 236. quo contra sententiam Joannis Papæ XXII. definitum est a Doctoribus celeberrimis Parisiensibus, *Visionem beatificam non differri usque ad diem Universalis judicii*. Huic enim Instrumento subscribit cum aliis, *Petrus de Verberia, Ordinis Vallis Scholarium:* cujus hoc initium duntaxat hic damus. „Serenissimo Principi ac Domino, Philippo Dei gratia Regi Francorum illustri, sui devoti Capellani, Petrus Dei miseratione Patriarcha Hierosolymitanus, Petrus Archiepiscopus Rothomagensis, Guillelmus Bernardus Cancellarius Parisiensis, Joannes de Blargiaco Archidiaconus Vulcassinus in Ecclesia Rothomagensi, Nicolaus de Lyra Ordinis fratrum Minorum, Joannes de Menrorio Ordinis divi Benedicti, Marthæus de Archis, Petrus de Palma Prior Provincialis Ordinis fratrum Prædicatorum in Francia, Joannes de Caricampo Ordinis Cisterciensis, Petrus de Casa Prior Generalis fratrum beatæ Mariæ de Carmelo, Simon de Menestris, Guillelmus de Castrore. ginaldi Ordinis Prædicatorum, Germanus Cesari, Hiacinthus de Giaco Ordinis Prædicatorum, Guillelmus de Brana Ordinis Minorum, Guillelmus Calco Ordinis Prædicatorum, Oliverius Saladini, Gerardus de Pergamo Ordinis Eremitarum S. Augustini. Petrus Herse Ordinis Carmelitarum, *Petrus de Verberia Ordinis Vallis Scholarium*, Nicolaus de Alexandria Ordinis Eremitarum S. Augustini, Nicolaus Boneti Ordinis fratrum Minorum, & Durandus de Auvilliaco Ordinis fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magistri, cum sui humillima recommendatione, per temporalis regni regimen sic transire, ut perveniat ad perpetui regni culmen. Placuit Regiæ vestræ Majestati &c. Datum Parisius apud sanctum Mathurinum in nostra Congregatione Generali Magistrorum in Theologia, regentium, & non regentium, die 2. Januarii anno Domini 1332." Nisi igitur probent fratres Minoritæ authenticis instrumentis vel authoritatibus Synchronis *Petrum Aureolum de Verberia* fuisse Ordinis Franciscani, debet quisque vel modici judicii ex isto, credere illum fuisse ex Ordine Vallis Scholarium. 2do idem probatur ex Necrologio pergameneo, quod ejusdem ferme temporis est quo ætatum instrumentum, Prioratus sanctæ Catharinæ de Cultura Parisiensis, qui olim fuit Ordinis Vallis Scholarium. Ibi in Necrologio, quod 300. annorum est, *Item debemus orare pro anima Magistri Petri de Verberia, Magistri in Theologia, qui fuit frater de Regali loco, & quondam Prior Trecensis.* Erat itaque alumnus seu Professus *de Regali loco*, Gallice *Royaulieu*, qui Prioratus est Ordinis Vallis Scholarum: unde factus est *Prior Trecensis*, nimirum in Prioratu ejusdem Ordinis, qui Trecis ab antiquo fundatus est. Incumbit ergo Franciscanis, ut nobis adducant vel testimonia majoris meriti & antiquitatis, vel saltem æqualis, quibus probent vel duos fuisse Petros Aureolos de Verberia, unum Minoritam, alterum Vallis Scholarium, vel extitisse eodem tempore alterum sui Ordinis. Quod cum non fecerint, opinabor, semper fuisse unicum insignem Theologum, temporibus Joannis Papæ XXII. celebrem, sed istum ex Ordine Vallis Scholarium, uti me allata instrumenta authentica docent.

Allegabunt in contrarium Minoritæ, authoritatem S. Antonini Florentini Archiepiscopi, qui in *Summa Historiali* tit. 24. cap. 8. §. 1. agens de viris illustribus Ordinis S. Francisci, profert *Petrum Aureolum seu Aurelium*, ut habet alia editio Lugdunensis. Hoc fateor. Sed dico 1. authoritatem S. Antonini scribentis circa annum 1440. & ultra, esse longe inferiorem instrumentis authenticis, quæ ego produxi. Quid enim authoritas Sancti Antonini contra publicum instru-

ſtrumentum, quod anno 1332. confectum eſt? 2 Facillime potuit falli S. Antoninus in rebus Gallicis, ipſe qui ſcribebat in Italia & annis centum ab obitu *Petri Aureoli de Verberia*, & qui forſan de Ordine Vallis Scholarium in Gallia incluſi, nihil unquam audierat. 3. Cum hanc rem non ex profeſſo ſed tranſitorie, & per occaſionem tractaverit, authoritas illius non eſt majoris ponderis in aſſignato Ordine S. Franciſci, quam in Archiepiſcopatu deſignato. Omnes autem poſtea velut grues S. Antoninum ſequuti ſunt, ut Raphael Volaterranus, Sixtus Senenſis, Robertus Bellarminus, Antonius Poſſevinus, & alii: qui cum majorem patrono ſuo authoritatem non habeant, recte deſeruntur, donec firmum aliquid ab aliquo ſcriptore allatum deinceps fuerit.

Allegabis in oppoſitum Petrum Friſonium in *Gallia Purpurata* Lib. 3. De Cardinalibus Avenionenſibus pag. 309. ubi ſic de *Aureolo* loquitur. „Antequam initiaretur Presbyterio, Pariſiis adoleſcens Scoti diſcipulus gradum Doctoratus eſt „conſequutus. Præclarum edidit libellum in „gratiam immaculatæ conceptionis Deiparæ: „ita notus, ut ſummus Pontifex Joannes ad Can„cellarium Eccleſiæ Pariſienſis miſerit litteras in „eum finem, ut Aureolus publice doceret, qua„rum hic tenor.

Dilecto filio Cancellario Pariſienſi.

„Sicut partim experientia, partim fide digna „relatione didicimus, & teipſum etiam latere „non putamus: Dilectus filius Petrus Aureo„li Ordinis Minorum, ſic in ſtudia Theologicæ „facultatis diebus inſudavit & noctibus, ſic per „continuationem ſtudii & exercitium Lectio„num profecit laudabiliter in eodem: quod di„gnum ſe reddidit ut credimus, ad obtinendam „docendi licentiam in hujuſmodi facultate. „Quia igitur ipſum honeſtate conſpicuum, & „tantum theſaurum ſcientiæ divina ſibi ſuffra„gante gratia aſſequutum, dignum eſt, ut bene„volentia proſequamur gratioſa: diſcretioni „tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quate„nus eidem Petro juxta morem, qui ſervari con„ſuevit in talibus, licentiam hujuſmodi autho„ritate noſtra, remoto cujuſlibet tarditatis ob„ſtaculo, largiaris. Per hujuſmodi vero licen„tiam eidem Petro dandam de noſtro ſpeciali „mandato, nolumus fratribus prædicti vel alte„rius Ordinis, jam præſentatis per eundem vel „alium Ordinem, vel impoſterum præſentandis „ad hujuſmodi licentiam obtinendam, aliquod „generari præjudicium, vel promotionem eo„rum quomodolibet retardari. Datum Ave„nione, ſecundo Idus Julias, anno ſecundo.

Tum poſtea ſubdit ſcripſiſſe illum *in Libros Sententiarum Opus inſigne Joanni Papa XXII. dicatum. Plurima hujus Operis ex Petro Aureolo citare Capreolum Dominicanorum*, illudque impreſſum duobus in folio tomis anno 1596. Romæ apud Aloyſium Zannettum, cum *Quodlibetis Aureoli* ad calcem ſecundi voluminis, opera & ſtudio Conſtantini Sarnani Franciſcani, qui *Aureolum* pro conſuetudine Minoritarum, confidenter & *Archiepiſcopum Aquenſem & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem* appellat atque inſcribit. Certum prorſus eſt apud eruditos æquosque rerum æſtimatores, nullo loco magis exceſſiſſe Petrum Frizonium in *Gallia Purpurata*, quam cum de Petro Aureolo loquutus eſt, de quo ita orator indiſcretus loquitur. *Lauro itaque Doctoralis Theologica redimitus, vulgo* Doctor facundus, *inter omnes ſui ævi Theoſophos emicuit: vir ſane præſtantiſſimus, ingenio ac eruditione admirandus, facundia Neſtor. Licebat intueri in verbis flumina, pondera in ſenſibus, nervos in argumentis.*

Promptius imponam glaciali Pelior oſſæ,
Si partem tacuiſſe velim: quodcunque relinquam,
Majus erit &c.

Etſi enim fuerit ille doctus Theologus Scholaſticus: at eo tempore, quo floruit, tanta erat Scholaſticorum nubes in multis ſæpe nugacirer argutantium, ut tunc temporis nihil communius ac trivialius iſta ſcientia. Quod patere poteſt in Petro Paludano, Durando de ſancto Porciano, Petro Aquilano, & aliis, quorum Commentarii in 4. Libros Sententiarum ſuperſunt. Præterea contendo ob multas rationes reſcriptum iſtud Pontificium eſſe confictum vel a Petro Friſonio, ut ſupra modum elevaret Petrum Aureolum, vel ab aliquo Minorita, qui ei inſtrumentum iſtud ſubminiſtrare potuit. 1mo quia nomen Romani Pontificis a quo reſcriptum datum eſt, non apponitur: quod tamen in reſcriptis ſemper fieri ac præponi conſuevit, ut omnes iſtarum ſcriptionum periti noſcunt. 2do quia Reſcriptum iſtud repugnat manifeſte iis, quæ prius *de Aureolo* dicta ſunt: ait enim Frizonius, *Antequam initiaretur Presbyterio, gradum Doctoratus eſt conſequutus*. Si igitur *Pariſiis etiam antequam Presbyterio initiaretur, gradum Doctoratus eſt conſequutus:* fruſtra datur ei per reſcriptum Pontificium *Licentia docendi*, cum conſtet, eos, qui Doctorali laurea Pariſiis & ubique inſigniuntur, poſſe publice docere & profiteri, maxime apud Ordines Mendicantes, ubi annis centum ante hoc reſcriptum, habebant hanc licentiam. Nam ante annum 1238. licentia iſta advenit Franciſcanis & Prædicatoribus in urbe Pariſienſi conſtitutis, temporibus Guillelmi Awerni Pariſienſis Epiſcopi, ut docet ſcriptor *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, ſeculo XIII. Quomodo igitur tanquam gratiam ſingularem, hanc docendi licentiam poſtulaſſet Joannes XXII. Aureolo, quam jam ab annis centum habebant in eadem urbe fratres Minoritæ & Prædicatores? 3tio Quisquis ille fuit hujus *reſcripti Joannis Papa XXII.* figulus, non ſatis attendit uſitatæ reſcriptorum formæ: dumque Aureolum hoc reſcripto elevare voluit, illum depreſſit atque oppreſſit. Non ait, *Sicut partim experientia, partim*

sim fide digna relatione didicimus &c. Nullum autem rescriptum inveniet Frizonius, ubi summus Pontifex his utatur vocibus, quasi vero potuerit Joannes Pontifex *experientia novisse Aureolum*, qui tunc temporis erat junior & paucis cognitus. 4to Laudes eximiæ & Romanis Pontificibus in suis rescriptis insertæ, arguunt istud apertæ suppositionis, imo & Monachalis adulationis figmentum olent: uti dum dicitur, „sic in „studio Theologicæ facultatis diebus insudavit „& noctibus, sic per continuationem studii & „exercitium Lectionum, profecit laudabiliter in „eodem &c. quia igitur ipsum honestate con„spicuum, & tantum thesaurum scientiæ divina „sibi suffragante gratia assequutum &c. Nec enim solent Romani Pontifices, appellare hominem & mendicantem & Franciscanum in suis rescriptis, *tantum Thesaurum scientiæ* &c. quas vix quidem laudes sanctis Ecclesiæ Patribus corporis sarcina solutis, & Doctoribus antiquis, quorum sanctitas notoria est, assignant. Absurdæ igitur istæ voces, & indignæ summis Pontificibus, in expressione sua suisque rescriptis, (ut omnes sciunt) prudentibus, arguunt illud manifestæ suppositionis. 5to Voces illæ *Dignum est, ut benevolentia prosequamur gratiosa*, allusionem faciunt ad rescripta Romanæ curiæ *in forma gratiosa:* unde cum hæ formæ nonnisi postea in usu fuerint, dicendum, est illius rescripti consarcinatorem fuisse posterioris temporis, atque falsitatem & iniquitatem fuisse sibi mentitos. 6to Confictor hujus rescripti inconstans sibi est, nam interdum vult, quod Aureolus *dignum se reddidit ad obtinendam legendi licentiam*, unde rescriptum est *De indulgenda Aureolo licentia docendi Parisiis:* qui tamen statim insinuat ibidem agi *de præsentatione quadam vel ad Licentiam vel ad Doctoratum*, seu ad aliquos scholæ gradus, dum subdit: *Nolumus fratribus prædicti vel alterius Ordinis jam præsentatis per eundem vel alium Ordinem, vel imposterum præsentandis, ad hujusmodi licentiam obtinendam, aliquod generari præjudicium, vel promotionem eorum quomodolibet retardari* &c. Est ergo istud rescriptum, crassum Franciscani alicujus vel Frizonii figmentum, pessime assutum, & cum pauca attentione ad ordinem rerum & congruitatem verborum. 7mo Hoc rescriptum non dicitur undenam acceptum, imo non invenitur in Regesto Epistolarum Joannis XXII, cujus inventarium seu Syllabus habetur in editione novissima Conciliorum Labbeana anni 1671. apud Societatem magnam Bibliopolarum Parisiensium. 8vo Denique Lucas Wadingus, qui amplissime illius meminit tum in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 276. tum in Annalibus ejusdem Ordinis ad annum 1316. vir maxime ad laudandos Ordinis Minorum authores effusus, qui plurimas ad calcem Voluminis congessit bullas atque rescripta summi Pontificis Joannis XXII. ad Ordinem vel personas Ordinis Minorum spectantia, nullam istius mentionem facit: nempe quia suppostititium opinatus est, atque in regesto hujus Pontificis non inveniri cognovit. Illud idem conticuit Cæsar Egassius Bullæus, qui de illo agit in Catalogo illustrium Academicorum, seculo XIV. *Historiæ Universitatis Parisiensis.* Illud denique confictum omnes censebunt judicio graves, qui propius introspexerint atque legerint.

Porro ut errores erroribus a Frizonio adderentur, adjungit scripsisse Petrum Aureolum *Commentarium insignem & prolixum in 4. libros Sententiarum Joanni Papæ XXII. dedicatum.* Hic impressus Romæ est tomis 2. in folio anno 1596. quem si vel leviter inspexisset, nunquam tam aperte hoc incertum pronuntiasset. Nam nulli omnino hominum hi Commentarii dicati sunt, & nec vel modicum inest vestigium, fuisse illos olim alicui dicatos. Hæc contra Petrum Frizonium, qui quot verba, tot ferme menda in *Aureolo* admisit. Cujus ætatem hinc venamur, quod certo constat *Petrum Aureolum de Verberia Ordinis Vallis Scholarium* adfuisse anno 1332. ac subscripsisse Congregationi Generali Doctorum Parisiensium apud sanctum Mathurinum die 2. mensis Januarii, ad instantiam Philippi Valesii. Ætatem autem prorogasse ad annum 1345. ex Breviario Bibliorum quod hoc anno composuit, constat. Quoad MSS. Codices Operum Petri Aureoli, hæc paucis aperiam. *Commentarius in 4. libros Sententiarum* extat MS. cum aliis ejusmodi Theologis, in bibliotheca S. Antonii Patavina, ut habet Jacobus Philippus Thomasinus in Tractatu peculiari *De Bibliothecis publicis & privatis Patavinis*, anno 1639 Utini in 4. edito. Ejusdem *Compendium Bibliorum*, ibidem MS. eodem Thomasino teste, ibidem. Ibidem in Bibliotheca Sancti Francisci opus idem inscriptum *Compendium Sacræ Theologiæ Magistri Petri Aurelii Ordinis Franciscanorum.* Denique inter MSS. Codices Bibliothecæ Sanctorum Joannis & Pauli Venetiis, in MSS. Codicibus Latinis a parte sinistra existentibus Pluteo primo, cum aliis multis, *Quodlibeta Magistri Petri Aureoli*, folio in membrana. Plures possent produci MSS. Codices, sed hi sufficiunt, cum Opuscula impressa sint. Attamen inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii Codice 2231. litera D 6. Codice 10. num. 1. *Petri de Aureolis Tractatus de 10. Præceptis.* Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium hujus regni bibliothecarum Codice 8193. in MSS. Codd. Bibliothecæ Jacobææ Codice 471. extant ejusdem *Commentarii in Sententias.* Et Codice 8233. in MSS. ejusdem Bibliothecæ Codice 511. *Petri Aureoli compendium super Biblia.* De tractatu autem imputato ipsi *De conceptione B. M. Virginis*, uti *de Sermonibus ejusdem de tempore ac de Sanctis*, nihil legi in Catalogis a me lectis Manuscriptorum Codicum: nisi quod Antonius Reiserus in *Indice librorum MSS. Bibliothecæ Augustanæ* pag. 52. num. 13. *fratris Petri Aureoli Ordinis Minorum in Tholosa Tractatum de Conceptione*

B. Vir-

B. Virginis Mariæ haberi advertat. *Index* editus in 4. Augustæ Vindelicorum an. 1675. Agunt de *Petro Aureolo* Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, uterque in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Lucas Waddingus in *Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 2-6. Henricus Whartonus in exceptione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1321. pag. 22.

1330 ARMANDUS DE BELLOVISU, natione Gallus, ortu Provincialis, ordinis fratrum Prædicatorum, anno circiter 1330. claruit in Gallia & Italia ob theologicam scientiam, unde meritis appellantibus, lector sacri palatii Apostolici a Joanne XXII. constitutus est. Extant ab eo scripta *Postilla in Psalmos cum meditationibus & precibus* Moguntiæ anno 1503. Itemque *Collationes* seu *Sermones*, qui Brixiæ anno 1610. in 4. impressi leguntur. *Collationes* autem, quas fecit pro diversis festivitatibus Sanctorum & aliis occurrentibus per annum, dedicavit Raymundo Sancti Papuli Episcopo, quem anno MCCCXXVII. die XVIII. Decembris, Joannes XXII. fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Eusebii. In fine vero Epistolæ dedicatoriæ, in qua eum de peritia divinarum literarum & sacrorum canonum commendat, testatur se hanc dedicationem fecisse in novitate assumptionis ejus ad Cardinalatum. *In novitate vestra assumptionis tam digna, tam utilis, & tam grata ad cœli cardines, ad tantum collegium, ad tantum cœtum planetarum cœlestium, quos cuncta veneratur Ecclesia* &c. Et paulo post, *Devotus offero tanto Patri, ut vestra paternitas rev·renda perfecta divinarum peritia literarum, qua summum tenet apicem in canonum notitia, & quam cæterorum utpote humanarum scientiarum penetrone intelligentia non evadit* &c. Unde liquet vel anno 1328. vel 1329. has Armandum absolvisse *Collationes* seu *Sermones*. Ut hoc quoque obiter dicamus, erat Armandus natione Provincialis, ut ipse de se testatur initio Collationum 66. 67. 75. 81. 84. 86. 91. 93. ubi refert quædam proverbia suæ nationis, quæ frater Joanoes de Vero, qui anno MDXIX. heic Parisiis in 4to apud Lodium Ascensium, Collationes illas in lucem edidit, in Gallicam linguam vertit, atque ita non leguntur Provinciali sermone, uti dicta a se esse docet Armandus. Præterea in Codice 1288. bibliothecæ Colbertinæ, in quo aliquot earum Collationum habentur, pro verbis Gallicis a Vero suppositis, ita scriptum est initio Collationis 84. *In nostro vulgari Provincialico dicitur tale proverbium, Moix vol amics en rocha, que deniexs en forca, Hoc est dictum: Melior est amicus in casu gravi, quam thesaurus in conclavi.* Ex quo facile colligitur errare eos, qui Armandum fuisse patria Barcinonensem scribunt. Errant etiam, qui eum in tres homines secant, ut Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana*, quorum primus sub Bonifacio VIII. anno 1296. vixerit, alter sub Benedicti XII. pontificatu anno 1325. clarus, circa annum 1340. mortuus sit: tertius denique natione etiam Hispanus, Monachus Barcinonensis, & in Academia Bononiensi apud Dominicanos Regens, anno 1530. clarus, cuique *Tractatum de conceptione beatæ Virginis* tribuit. Extat quoque Armandi de Bellovisu *Explicatio terminorum difficilium tam in Philosophia quam Theologia*, edita Venetiis 1586. & Wittenbergæ 1623. in 8. quam hunc Armandum eidem Raymundo Cardinali sancti Eusebii, quo maxime familiariter utebatur, dedicasse etiam scribit Ambrosius de Altamura, qui multa ejus alia opera recenset. Hæc verbotenus Stephanus Baluzius in Notis ad *Vitas Paparum Avenionensium* col. 759. qui etiam in *Additionibus* ad has Notas col. 1419. adjicit hæc. Thomas Jamesius in *Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi* pag. 64. refert extare in Bibliotheca publica Cod. 179. num. 3. academiæ Cantabrigiensis *Responsiones Magistri Armandi, Magistri sacri palatii, de ordine Prædicatorum ad XIX. articulos, ex parte Beatitudinis Apostolicæ, eidem Armando Lectori sacri palatii missos, ac præterea num. 23. ejus Epistolam de Dominica visione, seu de visione beatifica.* Mota est autem controversia de Visione beatifica a Joanne XXII. annis 1331. vel 1333. ut testatur Vitæ Paparum Avenionensium, quas edidit Stephanus Baluzius Parisiis 2. in 4. tomis anno 1693. in Vita Joannis Papæ XXII. col 175. 177. 182. & in Notis Baluzii col. 788. Unde liquet circa id temporis Armandum scripsisse Responsiones istas ad instantiam Joannis Papæ XXII. Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo librorum MSS. Ecclesiæ Patavinæ, scribit in ea Bibliotheca extare *Metaphysicam fratris Armandi de Bellovisu, ordinis Prædicatorum, sacri palatii Magistri*. esse autem hoc opus *declarationem difficilium dictorum in theologia*, unde liquet non esse aliud ab eo, quod supra jam impressum bis diximus, Venetiis & Wittenbergæ. Ejusdem Armandi frater aut consanguineus fuisse videtur, Jacobus de Bellovisu, cujus Commentarium in libris feudorum laudat Ægidius de Bellamera in cap. *Cæterum de Judiciis*. Agunt de *Armando de Bellovisu* Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana*, sed cum multis erroribus, dum ex uno homine & scriptore Gallo tres statuit, unum Bononiensem anno 1296. alios duos Hispanos annis 1325. & 1530. Eosdem errores, licet non omnes Guillelmus Cavus admisit, quia nullus ipsi facem prætulit, in *Historia rei literariæ* ad annum 1296. pag. 755. licet ambigue loquatur, ac veram Armandi ætatem ignorare fateatur.

GUILELMUS EGMONDÆ PROCURATOR anno 1330. claruit, ac posteris famam suam commisit *Continuatione Chronici Egmondani*, ab anno 1205. ad annum 1332. quo desiit. Equidem Philippo Imperatore Monachus Egmondanus anonymus, non ignobile industriæ suæ monumentum reliquit, dum *Chronicon Egmundæ & Hollandiæ* potissimum condidit. Incipit 1330

pit ab anno Christi DCXLVII. desinens in annum MCCV. quo vixit, ut ex operis fine satis liquet. Scriptor hic ex bibliotheca cl. viri Andreæ Schotti Antwerpiensis prodiit in lucem Francofurti in fol. anno 1620. una cum Joanne a Leidis Carmelita, Reinero Snoio Gaudano, & Ægidio de Roya: sed magno rei historicæ & Bataviæ imprimis damno, a typographis pessime habitus est. Vsque adeo multa in eo vel prætérita sunt vel corrupta, perturbata etiam planè temporum ratione: quod partim ex antiquo Codice cœnobii Egmondani membranaceo, partim ex ingenio deprehendit, vir summus Petrus Scriverius, qui occasione prima publico exhibiturum se promiserat. Qui & *Continuatorem ejusce Chronici* hactenus ineditum, longeque fusius cuncta prosequentem, quippe qui ultra Florentii V. tempora producatur, comitem se illi daturum ex Codice paris vetustatis promiserat. Quoad autem *Chronicon Egmondanum* attinet, Monachum Egmondanum esse ejus auctorem, non tam ex vulgatis elicias libris, quam ex ejusdem Scriverii membranis. Nam vulgo quidem ad annum MCLXXVI. legitur, *Hoc ex ejus relatione dictum ac certificatum sit, qui ejus peregrinationi interfuit & idem mortis periculum timuit. Postea moritur.* Vbi in Scriverii manuscripto est, *timuit, postea monachus noster.* Ætatem autem anonymi hujus, ex verbis istis Chronici extremi, puta ad annum MCCV. agnoscere licet: *Ecce longam gestorum seriem qualicunque stilo examinavimus, alia præter hæc si forte supervenient, quæ ad præsens negotium spectant, alterius executioni committimus.* Ita Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 55. pag. 446. ultimæ editionis. De *Guillelmo* autem *Procuratore* silet, de quo inferius dicturum se accuratius pollicetur. Itaque Libro eodem 2. cap. 64. pag. 511. Iisdem 1330. temporibus sub Guillelmo Hannonio, Hollandiæ Comite, cognomento Bono, *Guillelmus* quoque *Procurator* floruit, quod nomen a cura Cœnobii Egmondani temporalium rerum adeptus est, qui *Chronicon Egmondanum*, de quo supra egimus, continuavit. Itaque incipit ab Adæ Principis & Ludovici Comitis de Loone infelicibus nuptiis, hoc est ab an. MCCV. ubi Chronicon Egmondanum vetus terminari cap. 55. huiusce libri diximus, definit autem in anno MCCCXXXII. Ipse ad annum MCCCXXIV. eo in Chronico se Monachum fuisse Egmondanum, & quondam Capellanum in Brederode testatur. Atque eodem pertinent hæc verba ad annum MCCCXXI. *Capellaniæ meæ locum, Brederodè videlicet duxi attollere, & modis omnibus honorare.* Ad annum autem MCCCXXX. hæc annotat, *Ego Wilhelmus Procurator ut nunc Ecclesiæ Egmondensis, fatis adfui, ea quoque experientia didici.* Annis autem XII. & amplius, conscribendo paulatim huic Chronico intentus fuerit, si recte in Florentio ad annum MCCLXXXVII. legitur, *Sicut per eundem hactenus possidetur, scilicet anno MCCCXXII.* Sed numerum denarium excidisse suspicor, ac verisimile est, signasse annum in quo scribere desiit, qui annus est ut dixi, MCCCXXXII. Chronicon hoc non contemnendum, ex optimo Codice & antiquissimo membranaceo, Petrus Scriverius vir præcellentis doctrinæ & summus assertor ac vindex patriæ antiquitatis, daturum se in lucem promiserat, quod non præstitit. Erat autem adjuncturus eum Scriptorem Anonymo monacho Egmondano, antea quidem edito a clarissimis & doctissimis viris Andrea Schotto & Francisco Sweertio, sed plurimis nunc a se mendis repurgato. Atque idem Scriverius de hoc *Guillelmo Procuratore* ista habet fol. 127. quod Epitaphium rude & incultum ejusdem Guillelmi apud Egmondam extitisse videtur.

Egmondæ Monachis, quibus assunt munia pacis
Ante Thomæ festum lux terna locum dat honestum.
Atque Chori grata propter nova tecta negata,
Mense quasi deno fit honor, fit copia pleno
Cornu Wilhelmo, cui labor explicit almo
Tegmine constructo. Dispensator fuit iste,
Cuncta Deo teste, dispensans ordine recto.
Sique Thoma dubites, hyemis vice subtraho lites:
Quis. fuga sit nostris, per eum qui præsidet astris,
Sive poli stellis, decor Egmondæ Domicellis.

Hujus *Chronici* Willelmi Procuratoris excerpta plurima profert Petrus Scriverius Harlemensis in *Historia Principum Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ* ab Christi anno 862. & Theodorico I. Comite usque ad ultimum Philippum Hispaniarum Regem, impressa Harlemi anno 1560. in fol. amplissimo, cum figuris præstantissimis, ubi inquit ordiri anno 1206. a tumultu ob Adæ Principissæ nuptias cum Ludovico Comite Lossensi. Excerpta autem extant, in Willelmo I. Comite XIII. pag. 54. Florentino IV. Comite XIV. pag. 57. Willelmo II. Comite XV. p. 59. 60. 61. Florentio V. Comite XVI. p. 65. 66. 67. Johanne I. Comite XVII. p. 70. 71. Joanne II. de Hannonia dicto, Comite XVIII. p. 74. 76. Willelmo IV. Comite XIX. p. 77. 78. 79. 80. 81. quo ad annum 1332. *Chronico* finem imposuit. Extat MS. Codex hujus Operis Oxonii in Collegio Corporis Christi, sed αὐτόγραφον in Carthusia Moguntiæ est, teste Bostio *De viris illustribus* cap. XI. Vtrumque *Chronicon* tam *Anonymi Monachi Egmondani*, quam *Guillelmi Egmundæ Procuratoris*, ab anno DCXLVII. ad annum MCCCXXXIII. edidit hoc anno 1700. Lugduni Batavorum in 8. cum Notis Antonius Matthæus Juris Professor in Vniversitate Lugduno Batava, ex MS. Codice Petri Scriverii, quem ab illius hæredibus habuit. Meminit & Philippus Bergomas, uti Sanctimonia insignis viri, in *Supplemento Chronicorum* lib. XIII. Hæc verbotenus Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. pag. mihi 511. editionis ultimæ. Ex hoc rudi epitaphio, qualia sunt fere omnia Abbatum

batum Egmondanæ Ecclesiæ, pro ratione temporis, quo composita sunt, constat *Guillelmum Procuratorem* ob insignem rerum temporalium curam atque œconomiam prudentem, obtinuisse apud suos honorificam sepulturam, mortuum die tertia ante festum S. Thomæ Apostoli mense Decembri, atque construxisse spatio decem mensium nova tecta *Chori Ecclesiæ*, quam ob causam illi bene precatur. Si quis autem cum Thoma dubitet, ob hyemis tempora se litigaturum esse negat: *qua fuga sit suis*, per eum, qui præsidet astris sive poli stellis, vel *decor Egmondæ Domicellis*, seu nobilibus Dominis monachis, qui *Domicelli*, Gallice *Damoiseaux* vocabantur. Hic mihi sensus hujus Epitaphii videtur.

1330 GVIDO TERRENI ELNENSIS EPISCOPUS, e Perpiniano oriundus, Ordinis fratrum de Monte Carmelo, Doctor & Lector Theologus Parisiensis, claruit circa annum 1330. ut ex quibusdam publicis instrumentis, quibus subscripsit, constat. Florebat ille inter Carmelitas ab anno circiter 1300. ob singularem scientiam, ubi tanta Doctorum urbis admiratione ob eminentem & inauditam viri sapientiam, Laurum Doctoralem acceperat, ut per excellentiam in Ordine suo *Doctor Parisiensis* vocaretur. Vir teste Wernero Rollowinck de Lare Carthusiensi Monacho in *fasciculo temporum* ad annum 1314. *inter sapientissimos sui temporis Patres sapientior, virtute simul & religione lucidissima insignis*. Cum autem jam circa annum 1304. ob doctrinam non vulgarem Guido apud homines vulgaretur, factus circa hoc tempus jam Lector sacri Palatii Romæ, venit in eam sententiam, *quod sacramentum Eucharistiæ*, quam istis temporibus Joannes Parisiensis ex Ordine FF. Prædicatorum dictus *Quidort*, ut supra diximus, multo cum scholæ tumultu propugnandam aggressus est: quam tamen ab eo, quantum potest, amovet Thomas Waldensis in libro *De Sacramentis* cap. 64. pag. 116. his verbis. *Credi potest similiter deliquisse Joannem Paris in verbo, quando scripsit in tractatu suo determinato, hanc viam impanationis ad tantum placuisse Doctori Guidoni nostri Ordinis fratrum Carmelitarum, quidem Lectori sacri Palatii, ut si foret Papa, ipsam determinaret eligendam.* Utrum autem in hac sententia permanserit, merito jure ambigi potest, cum ipse in *Concordia sua Evangelica* pagg. 477. & 876. expressim transsubstantiationem in Eucharistia probet, explicando caput 6. sancti Joannis & 26. sancti Matthæi. Idemque in Catalogo Hæresum *De hæresi Armenorum* cap. 22. pag. 63. examinans 21. errorem Armenorum corpus Christi in Eucharistia tantum per figuram affirmantium, argumentis a transsubstantiatione ductis contrarium probare nititur. Factus postmodum Generalis fidei inquisitor per Ecclesiam universalem a Joanne XXII. Pontifice Maximo, tum anno 1318. Magister seu Prior Generalis Ordinis fratrum Carmelitarum in Capitulo Generali Burdigalæ, non Coloniæ habito, ut quidam scribunt. Anno 1321. cum vix annum Generalatus sui tertium compleret, a Joanne XXII. nominatus est Maioricensis Episcopus in Hispania, sub Metropoli Valentinensi. Qui ubi nova hujus Episcopi dignitate auctus est, convocato Capitulo Generali fratrum de Monte Carmelo, ubi in Actis Maioricensis Episcopus vocatur, electionem alterius Magistri procuravit. Cum anno adhuc 1330. composuisset *Librum quendam De paupertate Christi & Apostolorum* Episcopus Maioricensis, inde eodem anno ab eodem Joanne Pontifice ad Helenensem Episcopatum in Catalaunia, unde oriundus erat, translatus est. De illo Bellarminus & Labbeus, quibus addo eundem Guidonem Carmelitam scripsisse prolixum & nobile opus *De Virtutibus*, quod appellavit *Ethica seu Commentaria in 8. libros Ethicorum Aristotelis*, quod MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 3914. Incipit, *Negotium ergo, quod est circa mores, pars est* &c. opus utrumque ornatum atque accuratum, quantum ad materiam, quam discutit. Ad finem voluminis, quod ad minus 300. annorum est, subjicitur: *Expliciunt hic duo volumina sive Opera moralium Aristotelis quæstionum compilata a mellifluo sacra pagina Doctore Elnensi Episcopo, quondam universalis Ecclesiæ fidei inquisitore, fratre Guidone Ordinis Christiferæ de Monte Carmeli.* Ibi plenissime ac rectissimo ordine agit de actionibus humanis, de virtutibus & vitiis. Constat insuper scripsisse ad Gantzelinum, seu ut legit Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum, qui Avenione sederunt pag. seu col. 724. Gaucelinum Episcopum Albanensem & S. R. Ecclesiæ Cardinalem *Commentarium in Decretum Gratiani*, quod MS. an. 1672. in Bibliothecam Regiam Gallicam allatum est, ut Stephanus Baluzius in *Notis* suis in Gratianum pag. 642. tradit, ubi illud habetur Codice 3673. optimæ notæ in folio. Item *Summa ejusdem De hæresibus & earum confutationibus*, edita fuit primum Parisiis anno 1528. in fol. typis Jodoci Badii Ascensii, tum postea Coloniæ Agrippinæ anno 1631. impressa est, ad cujus calcem adjecta *Concordia quatuor Evangelistarum cum perpetuis Commentariis*, Opus ejusdem Guidonis, de quo siluerunt Bellarminus & Labbeus, apud quos plura vide de ipso. Idem *Opus Guidonis in 4. Evangelia*, ex Ordine Carmelitarum Episcopi, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca semel atque iterum, Codd. 3674. & 3675. Denique idem frater Guido cum esset Episcopus adhuc Maioricensis, scripsit anno 1330. *Tractatum de perfectione vitæ*, quem Manuscriptum habes in Bibliotheca Colbertina Codice 506. cum aliis Tractatibus multis tempore Joannis Papæ XXII. compositis occasione contentionum in Ordine Minorum exercitatarum, *De paupertate Christi & Apostolorum.* Nec importunum erit, aut Lectori opinor ingratum, hic occasione hujus ultimi Tractatus *Guidonis Terreni*

reni, subjicere contenta in hoc volumine 506. Bibliothecæ Colbertinæ. Sunt autem primo.

Extravagantes Constitutiones Romanorum Pontificum, tam super declaratione Regni Francorum, quam super quæstione de Paupertate Christi. Nimirum Nicolai 3. *Exiit qui seminat, seminare semen suum* &c. Clementis V. *Exivi de paradiso* &c. Joannis XXII. *Quorundam exigit cæca scrupulositatis ambiguum* &c. Ejusdem *Gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* &c. Ejusdem *Quia nonnunquam conjectura quod profuturum credidit* &c. Ejusdem *Ad conditorem Canonum, non est dubium pertinere* &c. Ejusdem *Cum inter nonnullos viros Scholasticos* &c. Ejusdem, *Quia quorundam mentes sic pater mendacii dicitur excæcasse* &c. Bonifacii 8. *unam sanctam Ecclesiam Catholicam* &c. cum Commentario brevi hujus ultimæ Decretalis.

Tractatus anonymi contra Articulos inventos ad diffamandum sanctissimum Patrem Dominum Dominum Bonifacium Papam sanctæ memoriæ, & de commendatione ejusdem. *Dixisti Domine Jesu Christe per Spiritum sanctum tuum* &c. qui factus est vivente Bonifacio octavo.

Item Brevis Tractatus ejusdem anonymi super facto temporalium, & ad quem pertinet inquirere & judicare de Hæresi. Incipit ut supra, *Dixisti Domine Jesu Christe per Spiritum sanctum tuum* &c.

Item Tractatus De duplici potestate Prælatorum & Laicorum, & qualiter quælibet se habeat: *Quoniam Isaia Propheta attestante* &c.

Tractatus De potestate Collegii Cardinalium mortuo Papa, *Quia nonnulli dubitare videntur* &c.

Tractatus Fratris Petri de Palude De paupertate Christi & Apostolorum contra Michaelem de Cæsena. *Constitutionem contra Conditorem Canonum, quidam nituntur multipliciter impugnare* &c.

Quæstio de paupertate Christi & Apostolorum particularis. *Quaritur, utrum Christus & Apostoli habuerunt aliqua bona temporalia in communi* &c.

Libellus de paupertate Christi editus a fratre Bonagratia. *In quastione qua quaritur, utrum asserere quod Christus & Apostoli non habuerint aliquid* &c. *sit hareticum* &c.

Tractatus editus a Rege Roberto Jerusalem & Siciliæ de Christi & Apostolorum ac eos præcipue imitantium Evangelica paupertate. *Cum nobis ad curiam venientibus audiremus, quod vulgariter fingitur, quastionem qua queritur, utrum dicere Christum & Apostolos habuisse aliquid in communi, sit hareticum* &c.

Rationes fratris Francisci (de Mayronis) de paupertate Christi. *Primo arguitur, quod Christus & Apostoli nihil habuerint, nec in proprio nec in communi* &c.

Apostilla Domini Johannis Papæ XXII. contra Michaelem de Cæsena. *Quia vir certus Michael de Casena, dudum Minister Generalis Ordinis fratrum Minorum* &c.

Epistola Domini Joannis Papæ XXII. contra Michaelem quondam Ministrum Ordinis fratrum Minorum. *Joannes Episcopus servus servorum Dei* &c. quæ prolixissima est, multisque contra dictum Michaelem de Cæsena invehitur.

Tractatus anonymus de paupertate Christi. *Perquisita sapientia antiquorum, Incide intellexi* &c.

Originalia pro Quæstione, quod Christus nihil habuit in proprio vel in communi. Act. 3. *Argentum & aurum non est mihi* &c. *Glossa memor illius precepti, nolite possidere aurum neque argentum* &c.

Littera fratris Michaelis, missa universis Christi fidelibus.

Altera Littera, missa Johanni Papæ XXII.

Littera Decretalis, seu Epistola Joannis Papæ XXII. universis Christi fidelibus,

Littera Capituli Generalis Ordinis fratrum Minorum anni 1322. directa toti Ecclesiæ Catholicæ, De paupertate Christi, & ejus Apostolorum.

Tractatus de potestate Ecclesiæ per fratrem Franciscum de Perusio, Ordinis fratrum Minorum. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis* &c.

Alius Tractatus anonymi De potestate Ecclesiæ. *Circa Ecclesiasticam potestatem & secularem, & earum comparationem & ordinem ad invicem* &c.

Determinatio fratris Roberti Bononiensis de Ordine fratrum Prædicatorum. *Utrum Christus dederit nobis exempla perfecta paupertatis* &c.

Incipit Tractatus *De perfectione vita* editus a Domino fratre Guidone Dei gratia Episcopo Majoricensi. *Sanctissimo ac Beatissimo Patri in Christo & Domino, Domino Johanni divina providentia Papa XXII. ac universalis Ecclesia summo Pontifici, suus devotus & humilis frater Guido, Dei ejusdem permissione suique gratia Majoricensis Episcopus, cum devota Reverentia ad vestrorum pedum oscula provolutus. Unigenitus Dei filius in sinu Patris existens* &c. Dividitur in tres partes seu libros, ad cujus finem subjungitur, *Factus fuit iste Tractatus & completus die Mercurii post exaltationem sancta Crucis anno Domini MCCCXXX.*

Tractatus De potestate Ecclesiæ. *Si qua dubitatio ascendit cor alicujus, de origine Ecclesia* &c.

Item Terminatio compendiosa De jurisdictione Imperii & authoritate Domini summi Pontificis, constans capitulis XXXI. Incipit *Quoniam apud multos* &c.

Epistola Joannis Papæ XXII. De conversione fratris Petri de Corbario, Ordinis fratrum Minorum.

Tractatus anonymus De potestate Ecclesiæ, qui creditur spectare ad Joannem de Janduno, vel ad Guillelmum Okamum Ordinis fratrum Minorum. *Contingit, quod vitare volens errorem aliquando dilabitur in errorem contrarium* &c.

Opusculum *De regimine Christiano* continens tractatus duos, compilatum a *fratre Jacobo de Viterbio, Ordinis Eremitarum sancti Augustini*. San-

Sanctissimo

ctissimo in Christo Patri ac reverendissimo Domino, Domino Benedicto divina providentia sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ Pontifici summo, frater Jacobus de Viterbio Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Theologicæ facultatis professor licet inutilis, cum summa devotione, obedientia & reverentia, devota pedum oscula vestrorum. *Opusculum subditum De regimine Christiano, quod aggredi me induxit filialis devotio* &c.

Libellus *De præeminentia Spiritualis Imperii*, dicatus Joanni Papæ XXII. ab Opiano de Caniris, missus etiam Joanni Cabassole Juris utriusque Professori &c. Incipit, Sanctissimo & Clementissimo in Christo Patri & Domino, Domino Johanni divina providentia sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Opianus de Canisseris, Papiensis, humillimus & extremus omnium Sacerdotum, seipsum ad pedum oscula beatorum. *Sanctitatis vestra Beatissime pater, cujus in omnem exiens terram, sanctitas fama laudabili resonat: cujus* &c.

Tractatus *De Jurisdictione Ecclesia super Regnum Apulia & Sicilia, in quo ostenditur quintuplici titulo, ad ipsam solam Romanam Ecclesiam pertinere.* Incipit, *Quæstio movetur ab aliquibus* &c.

Tractatus *De potestate Ecclesia* ab Alexandro de sancto Elpidio. Incipit, *Sanctissimo in Christo Patri ac Reverendissimo Domino, Domino Johanni divina providentia sacrosancta Romana ac universalis Ecclesia summo Pontifici, frater Alexander de sancto Elpidio* &c.

Nullum sane Collectaneum, quod tot tamque diversos Tractatus de his argumentis complectatur, quale illud Colbertinum, quod 300. & amplius annorum est. Horum plerique tractatus & Opuscula habentur etiam MSS. in Bibliotheca Vaticana Cod. 4008. quorum quædam retulit Bzovius in continuatione Annalium Cæsaris Baronii, dum refert res gestas Joannis Papæ XXII. contra Michaelem Cæsenatem & Guillelmum Okamum, aliosque Franciscanos Joannis XXII. adversarios.

Sed ad Guidonem Terreni Helenensem Episcopum redeamus, quem male vult esse mortuum a. 1330. Marcus Antonius Alegrius in *Paradiso Carmelitici Decoris* ad annum 1318. pag. 283. Nam ex Annalibus Raynaldi ad annum 1331. num. 7. & ad annum 1332. num. 28. cum Bernardus Fischerius Franciscanus sub prætextu Evangelicæ perfectionis, in Episcopatu Helenensi, nova quædam doctrinæ sparsisset semina: Guido Episcopus anno 1332. captivum cum constituit, cujus ex Epistolis 32. errores collegit, quos ad Joannem XXII. misit. Mortuus autem est anno 1334. in Diœcesi Helenensi apud *Villam claram*, non autem apud *Claram Vallem*, ut male scripserunt fratres Sammarthani tomo 2. *Gallia Christiana* in Episcopis Helenensibus. Longe autem distat Clara Vallis, & Villa Clara, hæc in Burgundia, ista in Ruscinonensi Comitatu posita est.

GVILIELMVS DE PAGVLA natione Anglus, vir propter pietatem & eruditionem magni suo tempore nominis, hoc anno claruisse legitur. Qui post acquisitam insignem Juris utriusque ac Theologiæ scientiam in Academiis Angliæ, Vicarius in Ecclesia Winfeldensi prope Forestam Windeshoriensem factus est. Vbi nonnihil à secularium tumultuum turba remotior, se totum lectioni & scriptioni dedit. Scribit Bossonus in suo *Catalogo majore*, fuisse virum gravem, modestum, aurhoritate plenum, sed in reprehendendis & castigandis maxime Clericorum vitiis, cum modestia severitatem, & cum innata mansuetudine temperatum rigorem adhibuisse. Scripsit teste Pitseo infra allegando, a quo hæc habemus, ex Jure Canonico *Summam Summarum libris quinque.* Ad honorem Trinitatis omnipotentis. *Oculum Sacerdotis dextrum, librum unum.* Cum Ecclesiæ, quibus præficiuntur. *Oculum Sacerdotis sinistrum, librum unum.* Ignorantia nescientem non excusat. *Speculum Religiosorum, librum unum.* Accipe disciplinam meam, & non &c. *Speculum Prælatorum librum unum. Ad Regem Eduardum tertium, librum unum.* Ex Catalogis autem MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ, qui annis 1696. & 1698. duobus in folio voluminibus Oxoniæ impressi prostant, quibus in Bibliothecis hæc Opera Guilielmi de Pagula MSS. extent & occultentur, aperiri potest. 1330

Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 1416. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera I. Codice 76. *Summa Summarum*, seu *Speculum Juris Canonici* &c. fol. Ibidem Codice 2448. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii litera F 8. Codice 8. Ibidem Codice 2618. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 848. in MSS. Codicibus Collegii Exoniensis Codice 48. Ibidem Codice 2275. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 134. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2060. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 132. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 566. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Dunelmensis litera S. Codice 501. *Summa Summarum sive Repertorium Juris Canonici*, in folio. Ibidem Codice 806. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Wigorniensis, Codice 131. num. 2. Attribuitur autem in MSS. Codicibus multis Guillelmo Durando Mimatensi Episcopo, ut examinanti constare potest.

Oculus Sacerdotis in plurimis Angliæ bibliothecis absque authoris nomine reperitur. Extat inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 2695. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii super D. 1. Art. Codice 96. num. 1. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 414. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis M 7. num. 1. Ibidem Codice 1256. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 292. Ibidem

Codice 1948. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis, Codice 11. Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis, Codice 475. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Classe 24. serie tertia Codice 6. Ibid. Codice 824. in MSS. Codicibus Collegii Caiohonvilensis inter libros Theologicos & Miscellaneos Codice 11. ubi inscribitur Liber, cui titulus *Oculus Sacerdotis*, vel *Dextra & Sinistra pars oculi Sacerdotis, compilatus per Gualterum Parker Anglum*. Ibidem Codice 1129. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Classe B. Codice 65. Summa quæ vocatur *Oculi sacerdotum dextra & sinistra pars, auctore Gualthero Parker Cornubiensi*, E. 26. Frisius, item Baldus, *Guillelmi de Pagula*, & Pitseus pag. 476. Ibidem Codice 1176. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Classe D. Codice 112. num. 7. Ibidem Codice 2332. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Codice 152. num. 1. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 1207. in MSS. Codd. Ecclesiæ Cathedralis Westmonasteriensis Codice 117. *Guilielmi de Pagula Oculus dexter & sinister Sacerdotis*. Ibidem Codice 6652. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 282. *Guilielmi de Pagula dextra & sinistra pars Oculi Sacerdotum*. Ibidem Codice 7165. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Cantuariensis Codice 5. Ibidem Codice 6592. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 222. num. 2. Ibidem Codice 9242. in MSS. Codicibus Johannis Mori Episcopi Norvicensis Codice 56. num. 4. Et Codice 9262. in MSS. Codicibus ejusdem Codice 76.

Speculum Religiosorum, Prælatorum ac Parochialium Sacerdotum, Anonymi inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 684. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis P. 1. 14. Art.

Tandem Guilielmus de Pagula apud Ecclesiam suam mortuus & in eadem sepultus dicitur circa annum Gratiæ 1350. sub Angliæ Rege Eduardo tertio, ut scribit Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIV. scriptore 573. ad annum 1350. pag. 476. quem hi expressi. Unum autem eundemque scriptorem arbitror Guilielmum de Pagula cum Gualtero Parker, cui idem opus *De Oculo Sacerdotum* Pitseus attribuit, quamvis hunc sigillatim referat in *Appendice* ad scriptores suos *Centuria secunda*, scriptore 10. pag. 848.

1330 PETRUS BERTRANDI SENIOR sic dictus ad distinctionem ab altero juniore, habuit enim nepotem Petrum Bertrandi Presbyterum Cardinalem tituli S. Susannæ, deinde Episcopum Ostiensem, de quo plura Stephanus Baluzius ad Vitam Clementis VI. in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 733. 853. 870. 920. Ortus erat iste è vico Annoniaci in diœcesi Viennensi, patre Matthæo Bertrandi, matre Agnete cognomento Imperatrice. Hæc tantum vetus lapis. Postea Frizonius quem Oldoinus secutus est, Matthæum scripsit fuisse nobilem, quod minimè verum est. Extant enim in regesto LXX. archivi regii Parisiensis cap. 67. literæ Philippi VI. Regis Francorum, datæ in abbatia regali beatæ Mariæ prope Pontisaram anno 1339. mense Martio, quibus Guillelmum Bertrandi, aliàs Maletonis, Dominum Castri Sancti Romani & ejus posteritatem, perpetuo nobilitat & nobilitatis titulo decorat, concedens ei ut militiæ dignitatem à quocunque recipere possit: & ut gaudeat omnibus omnino privilegiis, libertatibus & juribus, quibus gaudent nobiles regni Francorum. Et in regesto LXXIV. cap. 16. habentur literæ ejusdem Philippi, datæ apud Sanctum Germanum in Laia anno Domini MCCCXLII. mense Februarii, quibus Joannem Bertrandi de Columbario filium quondam Guillelmi Bertrandi, ejusque liberos utriusque sexus, in perpetuum nobilitatis plenariæ beneficio decorat, ut proinde quoad omnia tam præterita quam futura, ipsius nobilitationis juribus integrè potiatur, ac si in nativitate fuisset ex nobilibus genere parentibus procreatus. Itaque anno M CCC XLIII. die XXI. Januarii idem Joannes Bertrandi vocatur *Domicellus* in veteri instrumento quod Andreas Duchesnius edidit inter probationes Historiæ Comitum Valentinensium pag. 25. in quo idem Joannes dicitur nepos Petri Cardinalis tituli Sancti Clementis, & Petri Episcopi Attrebatensis. Juri Canonico & Civili operam dedisse Petrum Bertrandi satis constat, extatque in Codice Bibliothecæ Colbertinæ 2672. tractatus *De Ecclesiastica & seculari potestate*, in cujus calce adnotatum est, auctorem illius esse Petrum Bertrandi Doctorem Aurelianensem. Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 782. qui col. 976. annotat circa annum M CCC III. celeberrimum illum Petrum Bertrandi Cardinalem Æduensem, juris utriusque doctrinam professum esse in Montepessulano, ut ipse docet in Præfatione Operis, quod *Scrinium juris* vocavit, quæ edita est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 326. Hinc in literis Philippi V. Regis Francorum datis apud boscum Vincennarum die lunæ in crastinum Nativitatis beati Joannis Baptistæ anno M CCC XIX. nominantur inter testes *Magister P. Bertrandi*. Editæ sunt ab eodem Duchesnio inter probationes historiæ Comitum Valentinensium, pag. 28. In Codicibus 241. 242. Bibliothecæ Colbertinæ habetur *Lectura istius Petri Bertrandi in Decretales*. Item ejusdem *Apparatus in sextum Decretalium & in Clementinas*, Codice 446. Lecturam ejus *super sextum* commemorat Ægidius Bellamera in cap. *Quod sicut*. de elect. famosa est annalium monumentis concertatio quæ anno MCCC XXIX. Lutetiæ inter Episcopum & Petrum de Cugneriis Advocatum regium fuit, acriter conquerentem, quod jurisdictio Ecclesiastica cunctas causas absque delectu ad se traheret. Inclaruisse autem multum, ea occasione Petrum Bertrandi

con-

constat. Sed tamen maxima pars hujus egregii facinoris debetur Petro Rogerii electo Senonensi, qui unus pro omnibus respondit, argumentis allatis à Petro de Cugneriis adversus jurisdictionem Ecclesiasticam. Chronicon Rothomagense editum a Philippo Labbeo ad a. MCCCXXIX. *Hoc anno facta convocatione Prælatorum totius regni Franciæ coram Rege fuerunt, multi articuli propositi contra jurisdictionem Ecclesiasticam. Sed virtuosissimè Prælati responderunt, & viriliter restiterunt: & magister Petrus Rogerii electus Senonensis, magister in theologia responsionem fecit solemniter pro Prælatis.* Patet etiam istud ex actis istius disputationis, quæ Parisiis anno MCCCXCV. edita sunt, & dein *in Bibliotheca Patrum* recusa, quæ MSS. reperiuntur in quinque antiquis Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ. Quoniam verò in his actis nomen electi Senonensis non proditur, fuit qui putaret ista referenda esse ad Guillelmum de Brocia, hoc ipso anno electum Senonensem Archiepiscopum. At Spondanus rectè observat disertè scriptum esse in antiquis chronicis, hunc electum fuisse Petrum Rogerii, eaque Chronica sibi Parisiis exhibita fuisse ait ab Andrea Duchesnio. Habemus nos præ manibus illa ipsa chronica, quæ Duchesnius Spondano ostendit, ab ipso Duchesnio descripta ex veteri Codice Petaviano, in quo oratio electi Senonensis, quæ incipit, *Quia Dominus Petrus de Cugneriis pridie proponendo contra Ecclesiam Gallicanam*, hanc inscriptionem habet. *Propositio sive responsio per Dominum Petrum Rogerii Senonensem electum, facta coram Rege pro Prælatis apud nemus de Vicennis anno Domini M CCC XXIX. die Veneris ante Natale, quæ fuit dies XXII. mensis Decembris.* In Codice verò 1324. Bibliothecæ Colbertinæ scriptum est a manu coætanea in initio istius orationis: *Iste electus Senonensis, ut audivi, fuit Papa Clemens VI. niger Monachus.* Præterea Bernardus de Rosergio Præpositus Tolosanus in libro *De Ecclesiastica libertate*, qui servatur in Bibliotheca Regia ita scribit fol. 79. *Ergo ex Doctrina Evangelica & exemplo Christi, videretur per Ecclesiasticos advitandum scandalum, tributum quod de præsenti petitur, pariter esse solvendum. Super hoc passu Dominus Petrus Rogerii Archiepiscopus Rothomagensis coram claræ memoriæ Domino Philippo Sexto Francorum Rege, pro libertate Ecclesiastica tunc proponens Parisius solemniter, respondit sic evidenter. Christus Dominus solvit tributum, non ad præstandum exemplum Ecclesiasticis ut solverent, imò probavit eos non teneri, concludendo quod filii sunt liberi &c.* Quæ sunt ipsissima verba electi Senonensis in oratione de qua heic nobis Sermo est. Sunt autem in his actis nonnulla quæ Petrum Bertrandi auctorem habent, ut illic disertè scriptum est. Præterea ipse Petrus Bertrandi in Lectura super sextum librum Decretalium & super constitutiones Clementis V. & Joannis XXII. quam sub Pontificatu Benedicti XII. composuit, scribit in initio se decrevisse nonnulla scribere De potestate temporali & spirituali quibus regitur populus: *Ut si imposterum*, inquit, *aliqua altercatio oriatur, sicut temporibus meis, dum eram Episcopus Æduensis, orta fuit in regno Franciæ, possit veritas clariùs apparere & defendi. Quarum potestatum materiam, additis aliquibus, sumpsi ex quodam libello, quem super hoc composuit bonæ memoriæ Dominus Durandus de Sancto Porciano, Ordinis Prædicatorum, magister in theologia, Episcopus Meldensis, quem libellum intitulavit, De Origine Jurisdictionum quibus populus regitur.* Et in fine ait: *Istas rationes proposui ego coram Domino Rege Philippo, qui nunc est in illa prosecutione quam habuit Ecclesia Gallicana, quæ per Dei gratiam fuit sopita sine scandalo.* Anno M CCC XXXI. factus est Presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis a Joanne XXII. interventu precum Regis & Reginæ Francorum. *Odor. Raynaldus anno 1331. §. 34.* Eodem anno Joanna Regina Franciæ & Comitissa Attrebatensis & Burgundiæ Palatina, commendavit illi & Nicolao de Lyra, fundationem Collegii Parisiensis *de Burgundia* vulgo vocati, quod ipsa incœperat, sed perficere propter mortem non potuit. Vide tom. IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, pag. 235. Anno M CCC XXXIV. die tertia Decembris, interfuit solemni declarationi quam Joannes XXII. moriturus, circa opinionem de visione beatifica edidit. *Odor. Raynaldus anno 1334. §. 36.* Anno MCCCXXXIX. eum fuisse Decanum Aniciensem & impetrasse ne corpora Canonicorum Aniciensium sepelirentur intra Ecclesiam, reperio adnotatum ab Odone Gisseyo, lib. 3. *Historiæ Aniciensis* cap. 22. In secundo chartulario Ecclesiæ Carnotensis fol. 293. reperio hunc Petrum Bertrandi Cardinalem tituli S. Clementis, fuisse Capicerium ejusdem Ecclesiæ. Anno MCCCXL. condidit Monasterium *Montisfalti* prope Villam novam Avenionensis diœcesis, *Franciscus Nougier in Hist. Ecclesiæ Avenionensis pag. 131.* Anno M CCC LXI. die XXIX. Julii, Guido de Sancto Germano Episcopus Cassinensis, olim Canonicus Aniciensis, ita in suo testamento scripsit: *Item recognosco & confiteor me teneri ex causa veri & puri mutui, Reverendissimo Patri & Domino meo præcipuo, Domino Petro tituli Sancti Clementis Presbytero Cardinali, in centum florenis auri de florentia.* Anno MCCCXLIII. die XXI. Januarii Aimarus Dominus Rossilionis & Annonaji, villam de Columbario ac mansa de Gurino magno & parvo, donavit Joanni Bertrandi de Columbario domicello, contemplatione Petri S. Clementis Cardinalis, ac Petri Episcopi Attrebati, patruorum dicti Joannis. *Preuves de l'Histoire des Comtes de Valentinois pag. 25.* Anno MCCCXLVI. die XXII. Aprilis Petrus Bertrandi Cardinalis interfuit solemni juramento quod Carolus Marchio Moraviæ, futurus Imperator, præstitit apud Avenionem, de tuendo jure Ecclesiæ Romanæ. *Odor. Raynaldus an. 1346. §. 19. 26.* Anno M CCC XLVII. X. Kal. Maji, Clemens Papa VI. concessit Petro Presbytero Car-

Cardinali tituli S. Clementis, ut in castro Annoniaci dioecesis Viennensis, originis suæ loco & fundo proprio, Monasterium monialium Sanctæ Claræ ædificare posset. Extat bulla apud Waddingum tom. 3. in regesto pag. 352. Nescio quod magnum scelus adversus regiam majestatem, commiserit eodem anno hic noster Cardinalis. Et tamen, si Waddingus aliis magis intentus non erravit, illum & alios quosdam Cardinales & familiares eorum, Rex Francorum Philippus anno MCCCXLVII. in custodiam conjecit, ut in regesto Clementis VII. invenisse se ait idem Waddingus. Ait enim anno 1339. §. 2. invenisse se in eo regesto, instrumenta legationis Pastori de Sarrescuderio Archiepiscopo Ebredunensi, & Guillelmo Episcopo Carnotensi ad Philippum Regem Galliarum commissæ, super relaxandis seu liberandis Petro Cardinale Presbytero tit. S. Clementis, aliisque Cardinalibus & eorum familiaribus, quos Rex sub custodia detinebat. Obiit tandem anno MCCCXLVIII. die XXIII. Julii, ut ex libro obligationum scribit Contelorius. At in veteri inscriptione Collegii Augustodunensis, adnotatum est cum decessisse in prioratu Montisalti anno MCCCXLIX. die XXIV. Junii, hora V. vesperarum. Ita Stephanus Baluzius quem transcripsimus, in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 382. & seqq.

Ex omnibus opusculis Petri Bertrandi duo impressa sunt, unum quod inscribitur *Libellus pro Ecclesia Gallicana libertate super facto Prælatorum* seu *De jurisdictione Ecclesiastica contra Petrum de Cugneriis*, editum ut anteà diximus, anno 1495. Parisiis in 4. & hinc immissum in Bibliothecam Patrum primæ editionis anno 1575. Parisiensis tom. V. p. 881. & secundæ editionis Parisiensis anni 1589. tomo VI. p. 1205. & tertiæ item Parisiensis anni 1610. tom. V. pag. 1055. & in alias quoque hujus operis impressiones. Alterum inscriptum *De spirituali & temporali seu Ecclesiastica & seculari jurisdictione*, vel *De origine & usu Jurisdictionis*, editum quoque in Bibliotheca Patrum editionis anni 1589. tomo VI. pag. 1225. & editionis anni 1610. tomo V. pag. 1091. Et Venetiis anno 1584. inter *Tractatus Tractatuum Juris* tomo 3. fol. 29. & tomo 12. fol. 408. Denique tomo 2. *Monarchia* Melchioris Goldasti. Agunt verò de Petro Bertrandi Antonius Possevinus Tomo 2. Apparatus Sacri, verbo *Petrus Bertrandus*. Thomas Hidius in Catalogo Bibliothecæ publicæ Oxoniensis, verbo *Bertrandus Petrus*. Henricus Warthon in continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1325. p. 24. atque alii.

1330 SIMON BORASTON SEU BURNESTON, natione Anglus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in his partibus anno circiter 1330. Provincialis Minister, claruit tam in Theologicis palæstris, quam in Jure Canonico, atque in declamandis ex suggestu frequenter ad populum sermonibus, quos plurimos habuit. Florebat juxta MSS. Codices anno 1335. & scripsit *Alphabetum de vocabulis prædicabilibus*, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 161. *Contemplationem de ordine judiciario circa crimina corrigenda*, MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 16. & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 140. *Distinctiones* MSS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 190. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 82. Pembrochiana Cod. 102. & in archivis Collegii Caji, Cod. 220. *De mutabilitate mundi*, MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 16. & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 140. *De unitate & ordine Ecclesiæ*, MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 16. Hujus Opera recenset Antonius Possevinus tomo 2. *sui Apparatus sacri*, quem *Simonem Bruneston* appellat. Illius quoque eum honore meminit Joannes Balæus, *De Angliæ Scriptoribus*, Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 755. verbo *Simon Burneston*. Joannes Pitseus *De Scriptoribus Angliæ*, ætate 14. Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 147. ubi eum anno 1337. vixisse scribit.

MONALDUS JUSTINOPOLITANUS, natione Dalmata, Ordinis FF. Minorum, alius ab Archiepiscopo Beneventano ejusdem nominis, vir doctus & devotus florebat an. 1330. 1330 qui cum in Jure Canonico versatissimus esset, sicut & in Theologia, scripsit *Summam Juris Canonici*, *Quæstiones in quatuor libros Magistri Sententiarum*, & *Sermones varios*: cujus *Summa Juris Canonici Aurea dicta*, Lugduni anno 1516. prodiit apud Petrum Baletum. Florebat anno 1332. juxta Lucam Wadingum in *Annalibus Minorum*, ad annum præfatum num. 8. ubi illum distinguit ab altero Monaldo, qui Argenzæ, quæ urbs est Saracenorum, glorioso martyrio coronatus est anno 1314. de quo ipse ad dictum annum, num. 10. Hæc *Summa Juris Canonici*, incipiens *Quia ignorans ignorabitur &c.* quam Lucas Wadingus haberi in Bibliotheca Vaticana Manuscriptam dicit, eadem mihi videtur cum impressa, quæ hoc prologo caret. Habetur quoque MS. in Italia apud Cæsenates, & in Belgio in Bibliotheca Ecclesiæ Cameracensis pulpito XVI. dextræ partis. Denique eadem MS. in Bibliotheca S. Pauli Lipsiensis, ex Catalogo MSS. Codicum illius impresso in 16. anno 1686. pag. 227. Cod. 21. Item in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium, Littera Q. ij. ubi ex Prologo *Quia ignorans ignorabitur &c.* & ex initio Operis, quo ab officio Abbatum incipit, veram esse conjecturam meam agnovi, quâ olim dixeram, *Summam Juris Canonici* & *Summam Casuum* quas *in Bibliotheca Ordinis Minorum* p. 261. tanquam duo opera Lucas Waddingus distinguit, esse unum atque idem Opus. Extant quoque *Commentarii illius in Libros Sententiarum* MSS.

MSS. cum aliis multis Commentatoribus ejusmodi, Patavii in Bibliotheca S. Antonil de Padua, uti habet Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. tam Publicarum quam Privatarum Patavinorum, quam Vtini in 4. anno 1639. edidit. Arturus du Montier Rotomagensis *in Martyrologio Franciscano* ad diem XV. Decembris, rectè notat non posse esse unum illum & eundem, Monaldum Beneventanum Archiepiscopum, & Monaldum Martyrem apud Saracenos, cum Monaldo Scriptore summæ, quæ *Monaldina* dicitur. Sed ex tribus Monaldis distinctis, unum esse confectum & confusum, optimè docet in suis Notis ad diem Decembris undecimam. Quorum *primus* & antiquior Monaldus Martyr, mortuus est anno 1288. vel 1289. die 2. Martii, ex Sancto Antonino, Marco Vlysipponensi, Bozio & aliis. *Alius* Monaldus Archiepiscopus Beneventanus, mortuus est anno 1333. die 11. Decembris: Sed *Tertius* Scriptor *Summæ Monaldinæ* mortuus esse possit circa annum 1340. die 9. Novembris. Cum autem paucissimi sint, qui Monaldos istos tres rectè distinxerint, juvabit hìc singulari discussione singulos distinguere, quos etiam utcunque confudit Wadingus, ut infrà patebit. *Primus* itaque Monaldus de Ancona, qui cum Francisco de Petriolo seu Firmano & Antonio Mediolanensi, martyrium à Saracenis in urbe Arghensa vel Arzenza anno 1288. subiit, quòd Christi fidem publicè prædicaret, asserens nonnisi in ea quenquam salvari posse: & Mahometem ut falsum Prophetam, & legem ejus iniquam esse ac damnabilem, quibus irritati verbis adversarii, mille vulneribus eos confodiunt: Sicque frustratim cæsi feria quarta Quadragesimæ anno 1288. ad cœlos evolarunt. Agunt de iis S. Antoninus 3. parte *Historiæ* tit. 24. cap. 9. §. 10. *Speculum Fratrum Minorum*, & *Firmamentum trium Ordinum* tract. 1. *in Memoriali Ordinis* sub Ministro 12. seu 12. Generali Minorum, Matthæo de Aquasparta, Gonzaga parte 1. *Originis Seraphici religionis*, ubi de Beatis viris hujusce Ordinis. Marcus Vlysipponensis parte 2. *Chronici* Lib. 15. cap. 13. & 14. Wadingus tom. 2. *Annalium Minorum* anno 1288. num. 36. Bozius tom. 1. *De signis Ecclesiæ* Lib. 7. cap. 3. seculo 13. a. 1289. Codex MS. Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis, ubi de Beatis Martyribus Ordinis Minorum in Oriente pro Christo passis. Bartholomæus Pisanus Lib. 1. *Conformitatum* fructu 8. parte 2. qui tamen ab aliis dissentiens, ea accidisse dicit anno 1318. sub Generalatu Alexandri ab Alexandria. Idemque immemor sui Lucas Wadingus, refert ad annum 1314. num. 9. & 10. *in Annalibus Minorum*, quamvis suprà jam retulisset ad annum 1288. num. 26. Dictus autem Monaldus de Ancona est omnino diversus à Monaldo Justinopolitano, qui scripsit *Summam Juris Canonici*, mortuusque est circa annum 1340. die 9. Novembris, & à Monaldo Beneventano Archiepiscopo, qui anno 1333. mortuus est die 11. Decembris. *Secundus* Monaldus fuit Beneventanus Archiepiscopus, de quo habet Ferdinandus Vghellus, in Archiepiscopis Beneventanis. „ *Monaldus de Monaldeschis Vrbevetanus Ordinis Minorum anteà Episcopus Soanensis, transfertur ad hanc sedem 16. Calendas Februarii anno 1303. à Nativitate Christi ex Regesto Vaticano Epistola 418. fol. 260. Pontificatus Bonifacii anno 9. Pallium ei datum fuit per Matthæum S. Mariæ in Porticu, Neapolionem Sancti Adriani, Jacobum S. Georgii, Franciscum Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Guillelmum Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Richardum S. Eustathii, & Lucam S. Mariæ in via latâ, Cardinales. Confirmavit Monaldus die 29. Novembris 1331. Constitutiones Collegiatæ Ecclesiæ sancti Spiritus, & cùm sedisset laudabili famâ virtutum, annis plus minus 29. ultimum vitæ diem clausit in partibus Tusciæ, circa annum Domini 1333. ut habetur in Epistola Confirmationis Successoris, Regesti Vaticani.* “ Hunc fuisse Archiepiscopum Beneventanum admittimus, cum Antonio Possevino tomo 2. *Apparatus Sacri.* Salazario *in Defensione pro immaculata conceptione Virginis* cap. 42. seculo 14. Bellarmino in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* sub annum 1320. Villoto *Athenarum Orthodoxorum Franciscanorum* Littera M. At quæ adduntur mox ab ipsis, videlicet, *eundem Martyrio coronatum in Arghensa urbe Saracenorum anno 1332. & alia cætera*, quæ aliis conveniunt, haudquaquá admittere possumus. Tum ob dissonantiam temporum, nam beatus ille Monaldus qui eo loci apud Saracenos passus est, Martyrium subiit anno 1288. seu 1289. ut habet Arturus du Montier *in Martyrologio Franciscano* ad diem 2. Martii, ex Sancto Antonino, Marco Vlyssiponensi, Bozio & aliis. Igitur Martyr ille Monaldus, Arghensæ pro Christo occisus, non est iste Archiepiscopus, sed alius ab eo. Tum ob differentiam locorum, qui enim Arghensæ Martyrium complevit, ibidem à Græcis sepultus est: at Monaldus cui varia attribuuntur Opuscula edita, quievit in pace, apud Conventum Justinopolitanum provinciæ Dalmatiæ, prout constat ex iis quæ habet *Martyrologium Franciscanum* ad diem 9. Novembris. Igitur nec Monaldus Martyr, nec Monaldus Archiepiscopus præfatus, authores fuerunt istorum Operum, quæ in lucem prodierunt. Sed alter ab ipsis diversus & *tertius*, nempe *Monaldus Justinopolitanus* nuncupatus, quamvis Picænus esset, quemadmodum posteà dicemus. Quare hi tres Monaldi, sunt tres viri omnino distincti, loco, dignitate, sed non tempore: labunturque in errorem, qui ex tribus unum faciunt: aut quæ tribus divisim conveniunt, huic uni Archiepiscopo conjunctim attribuunt. Hoc modo deceptus Spondanus, *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1332. *Monaldus Dalmata Ordinis Minorum, insignis Theologus, Martyrio vitam finit:* Sed apertè fallitur, Martyrem & Confessorem pro uno usurpans. *Tertius* Monaldus cujus ita meminit Joannes Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. *Monaldus Ordinis Fratrum Mi-*

norum, Theologus & Jurista eruditissimus, ingenio subtilis, scientia clarus, Sermone Scholasticus, in declamandis Sermonibus ad populum excellentis industria vir, edidit pro utilitate simplicium, etiam Doctis non spernenda Opuscula, quibus & tunc præsentibus, & longè posteà futuris utiliter providit. De quibus subjecta feruntur, necessaria & perpulchra

Summa Juris Canonici, Lib. 1. Quoniam ignorans ignorabitur &c. de qua suprà.

Quæstiones Sententiarum Libros 4. de quibus quoque antea.

Sermones varii Lib. 1. & alia multa, quæ ad notitiam nostram minime pervenerunt.

Hæc ille Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1330. unde Conradus Gesnerus *in Bibliotheca*, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro.* Hic igitur Monaldus, doctrinâ & sanctitate præditus, Justinopoli decessit è vita atque tumulatus est in Conventu Sanctæ Mariæ de Angelis, nunc Sanctæ Annæ matris Mariæ Virginis, qui provinciæ Dalmatiæ primus est. Cujus meminerunt Bartholomæus Pisonus Lib. 1. *Conformitatum* fructu 8. & 11. parte 2. in Fratribus Minoribus provinciæ Dalmatiæ sanctitate illustribus, Codex MS. Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, suprà citatus. Marcus Ulyssipponensis 2. parte *Chronici Minorum* Lib. 8. cap. 42. & Lib. 9. cap. 10. §. 2. sub annum 1348. Wadingus tomo 3. *Annalium Ordinis Minorum* ad annum 1305. num. 4. 1314. num. 10. & 1332. num. 8. tom. 4. ad annum 1399. num. 55. quem è Picano fuisse oriundum inquiunt: unde si Justinopolitanus seu Dalmata nonnunquam dicitur, hoc ideo fit, quod Justinopoli in provincia Dalmatiæ commoratus sit, atque conditus jaceat.

1330 JACOBUS GAIETANUS, natione Italus, de Stephaniscis cognominatus, Diaconus Cardinalis Sancti Georgii in Velo aureo seu Velabro, à Bonifacio Octavo creatus fuit, cujus & ipse nepos erat. Composuit autem anno 1301. vel 1302. *Tractatum de Jubilæo* seu *de anno centesimo*, quem Roseus cum Notis in lucem emisit, editum Tomo XXV. *Bibliotheca Sanctorum Patrum*, pag. 936. editionis ultimæ Lugdunensis. Item librum metricum & prosaicum simul anno MCCCXIX. Idem Jacobus Cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum, sub Joanne Papa XXII. velut his quæ ab avunculo suo Bonifacio VIII. in Sanctum Celestinum Papam facta fuerant infensus, illaque detestatus, scripsit *De vita S. Cælestini Papæ, De coronatione Bonifacii Papæ VIII. De Canonizatione Sancti Cælestini ejusdem*, dedicatum Religiosis viris, amicis carissimis, Abbati & Conventui monasterii Sancti Spiritus de Sulmone, Ordinis S. Benedicti, Valvensis diœcesis. Hæc opus Daniel Papebrochius ex duobus MSS. Codicibus eductum in publicam lucem Antverpiæ produxit apud Michaelem Cnobarum inter *Probatas Sanctorum Vitas* anno 1685. tomo IV. Maji mensis, ad Maji diem XIX. pag. 437. cum Officio ejusdem Sancti ab eodem Cardinali composito, ad pag. 484. Cujus Scriptoris meminit idem Papebrochius ibidem *in Commentario* ad Acta Sancti Petri Cœlestini Pontificis Romani prævio, Num. 2. pag. 417. Denique scripsit librum, quem appellavit *Ordinarium Cæremoniarum seu rituum Romanæ Ecclesiæ*, unde liquet, eum floruisse ac enituisse in purpura Cardinalitia sub multis Pontificibus Romanis nimirum sub Pontificatu Benedicti XI. Clementis V. Johannis XXII. Nicolai V. Benedicti XII. & Clementis VI. sub quo vivere desiit. Scripsit autem *Ordinarium* istud rituum vel temporibus vel post tempora Benedicti Papæ XII. nec ante annum 1340. cum cap. 126. pag. mihi 432. mentionem faciat anni 1339. quo die 16. mensis Januarii, ritus apertionis oris factus est à Domino Papa Benedicto XII. eminentissimis Cardinalibus Ebredunensi, & Albano, atque Montis Olivi. Itaque jam provectum ætate, multisque annis Cardinalitia perfunctum dignitate, condidisse hoc Opusculum constat. Hoc liquebit, si legatur cap. 127. pag. 435. *Ordinarii* sequentis, in quo multa referuntur de Cardinalium quorundam creatione, qui a prædictis Pontificibus, teste ac spectante (ut videtur) Jacobo Gaïetano creati sunt. Editum Opusculum istud ab Joanne Mabillione Tomo 1. pag. 243. *Musæi Italici*, Parisiis anno 1689. in 4. ex MS. Codice illustrissimi Ciampini, a quo suum exemplar accepit, licet nullum auctoris nomen *Ordinario* isti præfixum extaret. At quoniam in Cæremoniali Petri Amelii, quod huic proxime succedit, *Liber Jacobi Gaytani* multis in locis laudatur, nempe in capitibus XXIV. & XXV. LIII. LXXVII. & LXXXVI. quæ leguntur *in Ordinario* Jacobi Gaïetani capitibus LXVI. pag. 324. LXVII. pag. 325. LXX. pag. 328. LXXI. p. 331. LXXII. pag. 340. XCIII. pag. 369. & alibi. Hæc loca omnia *in Ordinario* subjecto reperiuntur, nec dubito, quin prædictus Jacobus Gaïetanus ejusdem *Ordinarii* author seu scriptor sit, quod proinde *Jacobi Gaietani* appellabimus, suffragante præter Amelium Augustino Patricio, qui eundem Jacobum Gaïetanum in Libro 2. cap. 80. *De lectione Græca prophetia prima in Sabbato Sancto* laudat, de qua hîc in cap. XCIII. Nec obstat quod *in Ordinario* sequenti aliqua afferuntur passim ex Cæremoniali Cardinalis Rotomagensis de Stoutavilla, qui ab Eugenio IV. creatus est. Hæc enim postmodum addita sunt ex Cæremoniali Petri Amelii Episcopi Senogalliensis, cujus exemplari, quod olim fuerat in potestate Guillelmi Cardinalis de Stoutavilla, usus auctor prædictarum additionum. Hunc verò de prædicto Cæremoniali Petri Amelii; sub nomine Cardinalis Rotomagensis sæpius hic citato, sensum esse, patet ex ultimâ additione apographi Ciampiniani: in quo ea, quæ apud Petrum Amelii leguntur cap. CXLIII. *de Pontifice agrotante*, referuntur *ex Cæremoniali Domini Cardinalis Rotomagensis de Stoutavilla, quem edidit Dominus Petrus Senogalliensis Episcopus*, ex quo li-

libro sunt omnes postilla posita superius in marginibus in diversis locis. Nullum itaque dubium relinquitur, quin pleræque ex illis additionibus excerptæ sint ex Cæremoniali Petri Amelii, id est, ex illo ejus exemplari, quod olim fuerat Cardinalis Rotomagensis. Hæc nos verbotenus ex Joanne Mabillone paucis immutatis, qui mentionem facit *Jacobi Gaitani* cujus Opusculum edidit Tomo 2. pag 243. *Musei Italici in Admonitione* ad Lectorem pag. 241. tum *Commentario in Ordinem Romanum* num. 2. pag. IX. Augustinus Patricius qui a. MCCCC LXXXVIII. Calendis Martii, *Caremoniale Romanum* Innocentio VIII. nuncupavit, *Jacobum Gaitanum* laudat lib. 2. c. 60. ut supra jam diximus.

1330 LVPOLDVS DE BEBENBVRG, qui nonnullis LVDOLFVS, atque etiam LVIPOLDVS dicitur, de quo ita Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri.* „Ludolfus Bebemburgius Germanus, Juris Pontificii Professor, scripsit olim Rudolpho Saxoniæ Duci librum mole „exiguum, pietate grandem, quo veterum Germaniæ populorum in fide & religione constantiam multis historicis, Civilis ac Pontificii juris „testimoniis comprobat. Sunt & multa quæ „Christianissimi Gallorum Reges præclare in „amplificandis Religionis Catholicæ finibus „gesserunt. Parisiis anno 1540. apud Joannem „Foucherium, atque anno 1564. recusus est. „Vivebat ex Eisengrenii sententia 1225. qui „eum Lupoldum nominat. Sed a vera Lupoldi ætate, annis centum & amplius errat Possevinus post Eisengrenium. Recte autem Henricus Warthon in Continuatione *Historia Literaria Gulielmi Cavi*, illum anno 1340. assignat pag. 36. his verbis. „Lupoldus Bebenburgius „sive Babenbergius, a nonnullis Ludolphus & „Liutolfus dictus, natione Germanus, ex nobili „familia de Bebenburch, Juris utriusque Professor & in Academia Bononiensi Joannis Andreæ „auditor, ex Canonico Moguntino, Herbipolensi „& Babenburgensi, Episcopus Bambergensis factus est anno circiter 1340. Sic Trithemius „& Henricus Pantaleon *De viris illustribus Germania* parte 2. pag. 328. Sunt tamen qui „Episcopalem apicem Lupoldo prorsus denegant. Extat *Liber* ad Rudolfum Saxoniæ Ducem, *De zelo veterum Regum Gallia & Germania* „*Principum* in Bibliotheca Patrum edit Lugdunensis anni 1677. tomo XXVI. pag. 88. Item Liber *De Juribus Regni & Imperii* ad Balduinum „Trevirensem Archiepiscopum, Argentinæ 1508. „in 4. Prodiit uterque Tractatus simul *Parisiis* „*1540. Colon 1564. in 8 Basilea 1497. 1566. Argentina* „*1603. 1609.* Sane si his temporibus quibus Lupoldus de Bebemburg vivebat, nomina *Ludolfi, Liutolfi* atque etiam *Ludovici* confundebantur, uti fieri his temporibus potuit: Lupoldus *Bambergensis Episcopus* esse potuit: nam Gabriel Bucelinus in Catalogo Episcoporum Bambergensium quem Notitiæ suæ Germaniæ inseruit, inter Episcopos Bambergenses profert *Ludovicum de Bebenburg*, qui ab anno 1531. assumptus anno 1363. vivere desiit, quod recte quadrat in tempora nostri Lupoldi de Bebenburg. Adde non contemnendam Joannis Trithemii authoritatem, atque Henrici Pantaleonis *De viris illustribus Germania*, qui Basileæ anno 1565. in folio impressus est. Sed vera ætas & eruditio Lupoldi Bambergensis vel de Bebenburg, ex instrumentis authenticis hæc constat. Lupoldus de Bebenburg, natione Germanus, claruit proprie ab anno circiter 1320. atque decadibus aliquot sequentibus ad annum 1340. quem Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* antiquiorem quam conveniat, annis circiter centum constituit, qui cum esset adhuc *Decretorum Doctor*, varia in Imperii gratiam ad Rudolphum Saxoniæ Ducem opera conscripsit. At Henricus ille Warthon, qui appendicem *Historia literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* Gulielmi Cavi adjecit, hunc errorem Vossii correxit, antea emendatum a Christophoro Sandio, ubi *in Observationibus* ad Vossii Historicos Latinos, pag. 158. Lupoldum a. 1330. vel 1340. scripsisse arbitratur, atque Episcopum Bambergensem fuisse omnino inficiatur: quamvis ex Joanne Trithemio *de Viris Germania illustribus* ac Pantaleone, observet Lupoldum nostrum fuisse. Juris utriusque Professorem, & in Academia „Bononiensi Joannis Andreæ auditorem, ex Ca„nonico Moguntino, Herbipolensi & Babembergensi, Episcopum Bambergensem anno circiter „1340. factum esse.“ Constat autem ex monumentis authenticis, a. 1330. claruisse, nam judicium Lupoldi in Chartis Reinhartbornensibus observatum. A. 1327. Matthias Archiepiscopus Ecclesiæ Moguntinæ incorporavit dicto Cœnobio Ecclesiam de Boilstete, cui Capitulum Moguntinum assensit, *ad rogatum honorabilis viri Domini Luppoldi de Bebinburg Canonici nostri.* Ita habet Ernestus Tentzelius Historiographus Saxonicus, *in Supplemento Secundo Historia Gothana* pag. 103. editionis Jenæ a. 1702. in 4. sumptibus Jo. Bielkii. Nullum etenim apud me dubium est, quin ille Ludolphus de Bebenburg idem sit, cum Scriptore celebri, qui *Jura Regni & Imperii Germanorum adversus Papa Clerique Romani pratensiones* eleganti libro vindicavit, alteroque *zelum Catholica Religionis Veterum Principum Germanorum fortiter asseruit.*

Anno quoque 1337. Henricus de Kintheleben instituit Vicarium Novi Alraris SS. Petri & Pauli atque Apostolorum aliorum, id quod nomine Henrici Moguntinensis Archiepiscopi confirmant Lupoldus de Bebenburg, Præpositus S. Severi Erfurtensis, & Conradus de Spilgelberg Canonicus Aschafenburgensis chartâ authenticâ, ex quorum Scripto privilegio nonnulla profert, quod datum Erfordiæ feria tertia ante Nativitatem Domini 1337. Caspar Sagittarius *in Historia Gothana pleniore* cap. 9. pag. 220. edita in 4. a. 1700. Jenæ sumptibus Jo.

Jo. Bielckii; ubi instrumentum integrum refertur. Sufficiat observasse ex instrumento authentico, Lupoldum nostrum, præter Canonicatus illos divites, præposituram quoque S. Severi Erfordiensem tenuisse, & Comissarium Henrici Archiepiscopi fuisse Moguntini, qui Ecclesiæ Imperiique Germanici libertatem & jura, contra Papæ molimina defenderit. Enimverò Henricus ille Archiepiscopus, Ludovico Bavaro Imperatori fideliter adhæsit, à Papa licet excommunicato Friderici Landgravii socero: unde Lupoldus meritò inter primos illos Scriptores ponitur, qui tyrannidem Pontificiam tunc impugnaverit.

1330 FRANCISCUS TOTI de Perusio Ordinis Minorum, ea tempestate florebat, ac circa annum 1325. vel 1328. scripsit tractatum *De potestate Ecclesiæ*, quem se scripsisse ait jussu Domini *Johannis S. Theodori Diaconi Cardinalis*, sic enim legitur in Codice 506. Bibliothecæ Colbertinæ *Ego Frater Franciscus Toti de Perusio, professione Minor, de mandato Reverendi Patris & Domini mei Domini Johannis S. Theodori Diaconi Cardinalis & Legati Sedis Apostolicæ in Tuscia, prædicta juxta ingenii mei tenuitatem zelo urgente honoris Domini ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sui veri pastoris Sanctissimi Patris & Domini Domini Johannis Papæ XXII dictavi & scripsi.* Joannes hic fuit Johannes Gajetani, qui factus est Diaconus Cardinalis tituli Sancti Theodori, anno MCCCXVI. à Johanne Papa XXII, & a. tandem MCCCXXVI. Legatus in Italiam missus est ad comprimendam audaciam Bavari & Antipapæ, & ad compescendas aliorum Italiæ rebellium motus. Vide Tomum XI. Spicilegii Dacheriani p. 718. Joannem Villanium lib. 9. cap. 342. 349. Boninsegnium pag. 191. 193. 194. Cyprianum Manentem pag. 217. Historiam Parisiensium p. 97. & Odoricum Raynaldum a. 1326. §. 1. 4. Hinc enim colligitur, quo tempore scripserit dictus *Franciscus Toti*, de quo Stephanus Baluzius in Notis *ad Vitas Paparum* qui Avenione sederunt, pag. seu col. 734. & 735.

1330 GENSELINUS DE CASSANHIS claruit iisdem temporibus, de quo ita in Vita Benedicti Papæ XII. inter *Vitas Paparum Avenionensium* quas Baluzius edidit tom. 1. col. 208. *Item in Montepessulano Genselinus de Cassanhis, Doctor notabilis Decretorum, qui super Clementinis scripsit notabiliter, & Extravagantes Johannis Papæ XXII. glossavit.* Nicolaus Bertrandi in libro *De gestis Tolosanorum* fol. 50. *Eadem tempestate Gaucelinus de Cassanhis magnus Canonista, qui etiam super Clementinis scripsit, atque Extravagantes Johannis XXII. glossavit, in Tolosano floruit studio.* In actis fundationis Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ de Villanova contra Avenionem anno MCCCXXXIII. editis, nominatur inter testes *Genselinus de Cassagnies Canonicus Biterrensis, Domini Papæ Capellanus, & ipsius sacri Palatii Causarum auditor.* Vide Gariellum in Serie Præsulum Magalonensium pag. 471. Extat ejus *Apparatus in Decretales* in Codice 2747. Bibliothecæ Colbertinæ. *Apparatus in Sextum Decretalium* in Cod. 2680. *Apparatus super Clementinis* in Codice 1407. Denique in Codicibus 367. & 562. *Apparatus in Constitutiones extravagantes Johannis XXII.* quæ unà cum ipsis Extravagantibus in Corpore juris editæ sunt. Hæc Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium tomo 1. col. 809. qui col. 738. notat Genselinum dedicasse Glossam in extravagantes Johannis XXII. quæ in vulgatis editionibus glossarum juris Canonici edita est, *Arnaldo de Diacono Cardinali Sancti Eustachii*, Johannis XXII. ex sorore nepoti.

ALEXANDER DE SANCTO ELPIDIO, 1330
natione Italus, ex Ordine Eremitarum Divi Augustini, oriundus ex oppido ejusdem cognominis quod in Vmbria ditione Romanæ Ecclesiæ est, quem errore amanuensium vel typographiæ *Alexandrum de Sancto Clipido* appellatum puto. Hic humanis divinisque litteris imbutus, vir rari ingenii & miræ experientiæ, post potissima in Ordine Eremitarum Augustinianorum officia administrata, anno 1312. Viterbii die 14. Maji electus est Generalis Prior totius Ordinis. Anno 1315. cum pro reformatione Ordinis haberentur Comitia Generalia Patavii, instante Alexandro Generali plurima Monasteria sese justæ submiserunt disciplinæ, maximè quæ Venetos & Lombardos spectabant. A. 1318. idem tertio Alexander confirmatur in Generalem Ordinis, Comitiis Arimini habitis, ubi ordinantur multa, quæ ad Ordinem maximè promovendum spectabant, Constitutionibus inserta postmodum. A. 1321. Capitulum Generale 7. Idus Junii Tarrisii habitum, ubi Alexander quartò in Generalem eligitur, denique & quintò a. 1324. apud Galliæ Narbonensis urbem Montempessulanum. Claruisse creditur circa & post annum 1330. quem perperam volunt a. 1325. fuisse electum Amalphitanum tandem Archiepiscopum. Extat opus ejus *De Ecclesiæ potestate, unitate, paupertate ad Summum Pontificem* MS. Cremonæ, in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum, & in Bibliotheca Colbertina Cod. 506. Impressus autem est *Alexandri à Sancto Elpidio olim Ordinis Augustinianorum Eremitarum Generalis Tractatus de Ecclesiastica potestate*, Arimini a. 1624. curâ & studio Angeli Vantii Ariminensis, Sacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Eremitarum divi Augustini. Idem forsitan cum præcedenti, *Tractatus de Jurisdictione Imperii & authoritate Summi Pontificis per Fratrem Alexandrum de S. Elpidio*, qui MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis Cod. 1. Denique Codice MS. 4160. Bibliothecæ Galliarum Regiæ habetur sub ejusdem Alexandri Elpidiani Nomine *Commentarius in Evangelium beati Joannis cum Compendio brevissimo Librorum divi Augustini,*

ni De civitate Dei. Hujus Codicis titulus, *Incipit Expositio Evangelii Beati Johannis cum compendio Librorum Beati Augustini De civitate Dei, edita à Fratre Alexandro de Sancto Elpidio Sacrosanctæ paginæ professore, Fratrum Eremitarum Ordinis divi Augustini.* Prologus. Venerabili in Christo Patri & Domino speciali, Domino Francisco Gaitani divinâ providentiâ Sanctæ Mariæ in Cosmedin Cardinali, Frater Alexander Prior Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis divi Augustini, licet indignus, seipsum ad omnia obsequia in Domino præparatum. *Vestræ celsitudinis reverenda cupiens ex toto mentis affectu parere mandatis &c.* Ibidem fol. 15. *Compendium Librorum divi Augustini De Civitate Dei:* quorum Operum non meminit Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* pag. 36. ubi de Alexandro de Sancto Elpidio loquitur. „Narrat Philippus Elssius Ordi-„nis Eremitarum divi Augustini *in Encomiastico* „*Augustiniano* pag. 29. Alexandrum istum anno „tandem regiminis sui 14. Domini autem 1325. „à Joanne XXII. creatum fuisse Archiepisco-„pum Ravennatensem, post Archiepiscopum „Cretensem, inde Archiepiscopum Amalphita-„num, illique Ecclesiæ non minus utiliter, quam-„vis non ita diu ut Ordini Augustiniano, præ-„fuisse: præclaro relicto exemplo, suique me-„moriâ, quæ adhuc ibidem extat, inter alios Ar-„chiepiscopos non postrema. Hæc quidem „Elssius pro zelo sibi innato erga Ordinem suum. Sed ex tribus quas ei perperam assignat Archiepiscopatibus, nullum unquam possedisse legitur Alexander. Nam ut habet Ferdinandus Vghellus *in Italia sacra* tomo 2. columna 385. Aymericus de Castro Lucii Gallus Archidiaconus „Turonensis, provinciæque Æmiliæ rector, „renuntiatus est Ravennatensis Archiepisco-„pus a. 1322. à Joanne Papa XXII. cui Eccle-„siæ præfuit annos decem, translatusque est „deinde ad Episcopatum Carnotensem in Galliis „a. 1332. ac paullò post Cardinalitiâ purpura „sub titulo S. Martini in Montibus, nobilitatus „est. Post ipsum autem Vido Albaisius defun-„ctus a. 1333. post quem electus immediatè „Franciscus Michaelius. Nullus ergo locus Alexandro de Sancto Elpidio, inter Archiepiscopos Ravennatenses a. 1325. Nullum pariter indicium vel leve vestigium, quod unquam ad Archiepiscopatum Cretensem promotus sit. Denique ex septimo tomo *Italia sacra* col. 309. in Archiepiscopis Amalphitanis, usque ad col. 313. *Andreas de Alaneo* erat Archiepiscopus Amalphitanus ab a. 1295. ad 1330. post quem electus est a. 1331. Laudulphus Neapoli ortus ex illustri familiâ de Coracciolis, ut habet idem Vghellus. Vnde liquet tres istos Archiepiscopatus Alexandro Elpidiano affixos, esse phantasticos, quorum nec vel unicum habuisse cognoscitur. Meminerunt *Alexandri de Sancto Elpidio,* pluribusque de illo agunt, Jordanus de Saxonia Lib. 4. *De vitis Fratrum* cap. 8. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* p. 36. verbo *Alexander de S. Elpidio.* Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano* p. 29.

JOANNES DE JANDUNO natione Gallus, 1330 patria Campanus, ita appellatus à loco natalium, qui pagus est medius inter duas Campaniæ urbes, Rethelium ad Axonam & Macerias ad Mosam. Non autem Gandavensis, ut imperitè Whartonus post alios scripsit. Illuc sæpiùs annis 1657. & 1658. recreationis causâ accessi, dum Rhetoricæ junior operam darem, tunc Præceptor studiorum Primogeniti Viduæ cujusdam nobilis, Dominæ Castrorum & territoriorum *de Jandun & Modignu* unica itineris hora à se distantium. Neque fuit *Doctor Perusinus,* sed *Parisinus,* ubi doctrinam suam hauserat, de Regibus neminem quoad temporalia superiorem agnoscentibus, uti eandem habuerat Marsilius de Padua seu Patavinus, ab Academia Aurelianensi, jurisprudentiæ illic clementis imbutus. Primus Joannem de Janduno *Gandavensem* dixit, Matthias Flaccius Illyricus *in Catalogo Testium Veritatis* Basileæ a. 1556. in 8. edito, cujus hæc verba sunt. Joannes de Janduno, Ganda-„viensis, vir longe eruditissimus, circiter ante„annos 230. eadem plane dogmata cum Marsi-„lio Patavino defendisse contra Papam dicitur,„præcipue verò Primatum Papæ oppugnavit,„damnatusque est eodem Decreto Joannis XXII.„cum Marsilio. Sic autem Decretum incipit,„*Licet juxta doctrinam Apostoli &c.* Scripsit„quoque multa philosophica super Aristote-„lem & Averroem, quæ & olim in pretio fue-„runt, & adhuc hodie sunt. An verò aliqua„ejus Theologica usquam terrarum invenian-„tur, ignoro: si quæ tamen alicubi adhuc ex-„tent, haud dubie eximia sunt.„ Post Illyricum omnes universim Nomenclatores Scriptorum, Joannem de Janduno *Gandavensem* absque discussione scripserunt. Docuit ille Philosophiam Parisiis per annos plures, cujus & Opuscula mentionem faciunt philosophica, quæ Parisiis edita sunt. Extant illius Philosophica pleraque emissa, quibus incubuisse potissimum dicitur. *Joannis de Janduno Peripatetici Quæstiones in Libros Physicorum Aristotelis quas Parisiis edidit, recognita,* cum 3. Quæstionibus Heliæ Hebræi Cretensis Philosophi & Medici annexis *De primo motore, de efficientia mundi, de esse, essentia, & uno.* Item *Annotationes aliquot in plurima Commentatoris dicta, per singulos sparsim Physicorum Libros, notatu dignissima.* Opus Janduni impressum Florentiæ 1485. & Venetiis 1501. & 1506. ab eodem Helia castigatum. Ejusdem *Commentarii in Libros 12. Metaphysicorum Aristotelis,* impressi Venetiis 1525. *Quæstiones in tres libros de Anima,* excusæ Vincentiæ 1486. Venetiis 1497. 1561. Denique *in Libros de Cœlo & Mundo, & in Averroem De substantia Orbis,* Venetiis 1488. 1501. & alia forsan in alios quosdam Aristotelis Libros. Operam quoque suam Theologicis cum applausu publico, Joannes de Janduno, adhibuit. Hen-

Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad a. 1338. pag. 32. falsò illi attribuit *Tractatum* seu *Informationem de nullitate processuum Joannis XXII. Papæ contra Ludovicum Bavarum Imperatorem, pro superioritate Imperatoris in Temporalibus*, quem Goldastus habet *Monarchiæ* Tomo 1. pag. 18. Si rectè Wharton legisset Goldasti Præfationem *De Scriptoribus hoc volumine comprehensis*, non hunc errorem admisisset. Inscripserat quidem Melchior Goldastus Tomo 1. Monarchiæ pag. 18. *Magistri Johannis de Ganduno, Doctoris Perusini Tractatus seu Informatio de nullitate processuum &c.* Sed in Præfatione ad Tomum, admissum a se errorem agnoscit, ad Tractatum præfatum attribuit doctior factus, *Henrico de Chalhem, Ordinis Fratrum Minorum, ac Ludovici Bavari Cancellario*, seu Secretario. Ista agnoscit Goldastus lubens in Præfatione his verbis: „Porrò in MS. Membraneo, „quod ex Bibliotheca Freheri nostri habemus, „huic *Informationi* hæc tantum præscribuntur „*De nullitate processuum Papæ Joannis contra* „*Ludovicum Bavarum*, sine ullo Auctoris in„dicio. In fine autem quæ adduntur, notatu „digna sunt: itaque non præterire placet, sic „enim eleganter argumentum totius Informa„tionis proponitur.

„*Nota quod Processus non valent, ex eo, quod à non* „*suo judice manaverunt, & quia Imperium est à Deo,* „*non à Papa. Facti fuerunt ex notoriè falsis causis,* „*& juris ordine non servato, absente Imperatore, &* „*aliis quorum intererat, nec citatis legitimè nec monitis.* „*In causa propria voluit Pontifex & judex & actor* „*esse, quia dicit, se habere plenitudinem potestatis in* „*Spiritualibus, & super Imperatorem & totum Impe*„*rium, quod falsum est.* Est ergo gratis & temere additum *M. Johannis de Ganduno Doctoris Perusini* pag. 18. cùm in MS. Codice titulus incipiat, *Informatio de nullitate processuum &c.* Attribuerat primùm quidem hanc operam *Joanni de Janduno* Melchior Goldastus Haiminsfeldius, authore Henrico Rebdorfiensi *in Chronico*, cujus verba *in Rationali Constitutionum Imperialium* produxit. At ejus amicus quidam, Canonicus, vir doctissimus & antiquitatum industrius amator, hac de re secum dissentiens, illum ad contrariam sententiam impulit, ut in Præfatione testatur.

„Non rectè inquit opinaris, nec Henrici ver„ba ad hanc Informationem trahenda sunt, „quæ in hypothesi ad Controversiam Im„peratoris & Papæ decidendam scripta „fuit. At verò Johannes de Gandavo in thesi „& generatim Tractatum *De potestate Ecclesiastica* „edidisse legitur, hoc est, in quæstione indefinita, „non (ut hæc informatio est) in causa definita. „Et simul explicato *Catalogo Testium Veritatis* „Basileæ 1556. in 8. edito, recitavit hæc verba, „*Joannes de Janduno Gaudavensis &c.* ut suprà. „Sed & ante Flaccium diu olim Bernardus Lu„xemburgius *in Catalogo Hæreticorum* editionis 1523. in 8. scripsit. „ *Joannes de Janduno fuit ejusdem Secta cum Marsilio de Padua, & eorum errores damnantur in Extravag. Joannis XXII. quæ incipit*, licet juxta doctrinam Apostoli &c. *Error primus, quòd id quod legitur in Matthæi Evangelio de statere ex ore piscis sumpto &c. quod hoc Christus non fecit ex liberalitate, sed necessitate coactus. Secundus, quod Apostolus Petrus non plus fuit caput Ecclesiæ, quàm quilibet Apostolorum aliorum.* Tum & *Quodlibetum hujus auctoris* à Marsilio„ Ficino evulgatum, & *Commentarios suprà Sen*„*tentias* protulit, quibus inspectis, & diligentius„ considerata tam styli universitate, quam tra„ctandi ratione sive πραδεία: non difficulter„ persuasit, ut conjecturam meam de auctore„ hujus *Informationis* revocarem, μεγάλη χάρις„ αὐτῷ. „ Hæc Goldastus, quæ si Henricus Whartonus legisset, *Informationem* hanc Joanni de Janduno nunquam attribuisset, sed Henrico de Chalhem cui Goldastus disertè adscribit. Plura autem Melchiori Goldasto deberemus, si hujus Canonici nomen nobis non subticuisset, atque ubi & *Commentarium Joannis de Janduno in 4. libros Sententiarum*, & *Quodlibetum illius* à Marsilio Ficino evulgatum viderit. Hæc enim nos omnino fugiunt. Inter MSS. Codices Colbertinæ Bibliothecæ, Codice 506. extat Opusculum seu Tractatus anonymus *De potestate Ecclesiæ*, qui creditur ad *Joannem de Janduno* pertinere. Incipit, *Contingit quod vitare volens errorem &c. aliquando dilabitur in errorem contrarium &c.*

Claruit Joannes de Janduno anno 1330. qui ab a. 1320. jam celebris ob Philosophiam apud Gallos audiebat Parisiis, creditus autem *Doctor Perusinus* ab illis, qui cum authorem *Defensoris Pacis* opinati sunt, id quod *de Marsilio de Padua*, non *de Janduno* intelligendum est, quamvis ambo, operâ collatâ Opusculum istud spatio duorum mensium composuerint. Quam etiam ob rationem noster *Joannes de Janduno*, ab Johanne XXII. Papa excommunicatus fuisse dicitur, quod ex multis monumentis authenticis atque ex Annalibus Bzovii ad a. 1337. num. 7. ex bulla Joannis XXII. probari possit. Marsilius autem de Maynandrino, de Padua claruit a. 1324. quo Majestatem Imperatoriam à Pontificia tyrannide conculcatam indignatus, insigne illud opus *Defensorem Pacis* unà cum Johanne de Janduno evulgavit, editum 3. libris Tomo 2. *Monarchiæ* Goldasti pag. 154. & seqq. quamvis plurimi opus istud Marsilio Menandrino soli attribuant.

Illud autem etiam à Joanne Jandunensi compositum fuisse, evidenter constat ab *Examine judiciali Francisci Veneti asseclæ Massilii de Padua*, quod extat tomo 1. *Miscellaneorum* Stephani Baluzii pag. 311. descriptum ex Codice MS. veteri Inquisitionis Carcassensis, quod ut omne hujusce rei dubium amoliamur, hic subjicimus.

Exa-

Examen judiciale Francisci Veneti, asseclæ Massilii de Padua.

„ Anno à Nativitate Domini MCCCXXVIII. „die 20. mensis Maji. Cum ad audientiam Sanctissimi Patris & Domini nostri Domini Johannis divina providentia Papæ XXII. pervenisset, quod Franciscus filius dictus Dominæ Johanne de Contrata, Sanctæ Mariæ Matris Domini de Venetiis Castellanensis diœcesis, hactenus fuisset in servitio perfidi hominis Massilii de Maynardino de Padua, & cum eodem Massilio moram traxisset diutius in Civitate Parisiensi & alibi, eundem Massilium associando, coadjuvando, & dirigendo in diversis & enormibus actibus & excessibus multiplicibus commissis per Massilium supradictum.

„ 2. Item quod eidem Massilio & Johanni de Janduno perfidis in componendo seu compilando quendam libellum, continentem errores varios & diversos ac multiplices contra præfatum Dominum nostrum Summum Pontificem, sanctamque Romanam Ecclesiam & fidem Catholicam; ipse Franciscus & plures alii, ipso sciente & consentiente & ratum habente, serviverant, consuluerant, & faverant in Civitate Parisiensi prædictâ.

„ 3. Item quod ipse Franciscus dictum Massilium associasset, & eidem Massilio & Johanni de Janduno astitisset in publicatione quam fecisse dicebantur de libello & erroribus supradictis in Civitate & extra Civitatem Parisiensem prædictam.

„ 4. Item quòd in prædictis & circa prædicta, & in multis aliis & diversis excessibus per dictos Massilium & Johannem de Janduno enormiter perpetratis, præsertim in transcribendo libellum prædictum, & de eodem libello copiam aliis pluribus faciendo, dederat eisdem auxilium, consilium, & favorem.

„ 5. Item quòd in recessu dicti Massilii, quando de Civitate Parisiensi dicitur ad Ludovicum de Bavaria accessisse in Alamanniam, associavit eundem Massilium, & sibi libros portavit & alia, & specialiter libellum continentem errores supradictos.

„ 6. Item quod de præmissis & multis aliis delictis & excessibus, ipse Franciscus erat & fuerat principaliter culpabilis, & etiam adhæserat Massilio & Johanni de Janduno prædictis, ac multis aliis complicibus eorundem: & in compositione & compilatione libelli & errorum prædictorum & publicatione eorum, dederat eis auxilium, consilium, & favorem.

„ 7. Item quod multas litteras scripserat & miserat dicto Massilio in Alamanniam, & ab eodem Massilio plures litteras receperat in Civitate Parisiensi prædicta, & in Romana curia & aliis locis diversis eidem favendo. Et etiam sibi pecuniam mutuavit, & multas sciebat homines, qui dicto Massilio pecuniam mutuando, & aliàs eidem & dicto Janduno & complicibus suis & eisdem adhærentibus in præmissis, dederant auxilium, consilium, & favorem. „

Unde cum præmissa non debeant impunita conniventibus oculis pertransire, dicto Francisco in præsentia venerabilis patris Domini Gasberti Dei gratia Arelatensis Archiepiscopi, memorati Domini nostri Papæ Camerarii, apud Avenionem infrà palatium ejusdem Domini nostri personaliter constituto, processit dictus Dominus Camerarius, virtute commissionis sibi factæ, ut dixit, per præfatum Dominum nostrum Papam oraculo vivæ vocis, ad inquirendum cum dicto Francisco super omnibus supradictis, super quibus juravit idem Franciscus dicere puram & simplicem veritatem quam sciret inquirere, sicut sequitur. „

1. Interrogatus dictus Franciscus per præfatum Dominum Camerarium super contentis in primo articulo, juramento suo præstito, dixit se nunquam fuisse servitorem dicti Massilii, nec cum eo moram traxisse in eodem hospitio, nisi duntaxat serviendo sibi ut scholaris, parando mensam & dando vinum aliquotiens, & rarò, sicut & nonnulli alii Scholares Italici faciebant. „

2. Item super contentis in secundo articulo interrogatus suo juramento, negavit omnia in eo contenta fore vera, dicens quòd si ipse errores hujusmodi scivisset, eos revelasset Domino Episcopo Parisiensi. Nec scivit vel audivit aliquos interfuisse compositioni seu compilationi dicti libelli, exceptis dictis Massilio & Johanne de Janduno; de quibus audivit dici post recessum dicti Massilii, per duos menses quod dicti Massilius & Johannes de Janduno tantum compilaverunt dictum libellum. Et istud audiverat dici à Magistris Legentibus Parisius, & ab aliquibus religiosis heremitis. Et de hoc etiam dixit, tunc esse famam publicam Parisius, tempore quo ipse Franciscus erat ibi, post recessum videlicet Massilii supradicti. Quo tempore dicebatur, dictum libellum continere multas hæreses & errores contra catholicam fidem. Sed quid in particulari seu speciali contineret libellus prædictus, dixit se nihil scire, nec dici audivisse tunc, nisi quod suprà asseruit. „

3. Item super contentis in tertio articulo, interrogatus juramento suo prædicto, respondit ut proximè, non credens, ut dixit, quod dicti perfidi viri fuissent ausi in Civitate Parisiensi talia publicare. „

4. Item interrogatus per juramentum suum super contentis in quarto articulo, negavit contenta in eo penitus vera esse. „

5. Item interrogatus super contentis in quinto articulo, negavit etiam omnia contenta in eo fore vera, asserens se nunquam vidisse, cognovisse, vel alias associasse aliquem prædictorum Massilii & Johannis extra Civitatem Parisiensem: tamen aliquotiens associavit dictum Massilium, tantum eundo videlicet spatiatum, „ &

„& etiam visitando aliquos infirmantes Parisius; „quia idem Massilius sciebat in medicina, & in„terdum practicabat.

„ 6. Item super contentis in sexto articulo „interrogatus, juramento suo, negavit omnia „contenta in eo vera esse.

„ 7. Item super contentis in septimo articulo „interrogatus, dixit, se nunquam scripsisse alicui „dictorum Massilii & Johannis, nec ab ipsis etiam „litteras recepisse, vel ab altero eorundem. De „pecuniæ mutuatione dixit, quod ipse quandoque tradidit dicto Massilio de pecunia sua, non „mutuando: sed ut eum sibi custodiret, & inde „sibi bursas ministraret, sicut interdum sibi „unum vel duos florenos tradebat: & adhuc „idem Massilius tenetur dicto Francisco ratione „dicti depositi in XIII. solidis Parisiensibus. Item „dixit, quòd dictus Massilius fingens cautelose se „lecturum Parisius cursum in Theologia, recepit „pecuniam mutuò à quibusdam amicis suis. „Videlicet à Domino Roberto de Bardis studente Parisius, recepit novem florenos auri mu„tuò. Item à magistro Andrea de Reate Sirur„gico, recepit decem libras Parisienses. Item „à magistro Petro de Florentia Physico, decem „florenos vel decem libras Parisienses. Item „audivit dici, quòd Dominus Andreas de Flo„rentia magister Regis Franciæ mutuavit „dicto Massilio pecuniam, tamen nescit sum„mam.

„ Interrogatus si prædicti mutuaverunt di„ctas pecunias memorato Massilio in recessu „suo, videlicet de Parisius in Alamanniam, dixit, „quòd non credit: sed bene per unum vel duos „menses ante recessum prædictum, fuit factum „dictum mutuum.

„ Item interrogatus, quomodo sciebat prædi„cta, dixit, quòd pro eo quia ea dici audierat à di„ctis mutuantibus: qui dum sciverunt recessum „ipsius Massilii, conquerebantur de ipso, ac eun„dem publicè de prædictis receptis per eum mu„tuò pecuniis diffamabant.

Agunt *de Johanne Jandunensi* qui nobis hæc contulerunt, Matthias Flacius Illyricus *in Catalogo Testium Veritatis* lib. 18. editionis 1562. & editionis 1608. lib. 18 col 1759. Josias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Gesneri* editionis 1574. verbo *Johannes de Janduno* p. 386. Melchior Goldastus Haiminsfeldius, in Dissertatione ad Tomum 1. *Monarchiæ*, ubi de Auctoribus loquitur. Franciscus Sweertius *in Athenis Belgicis* pag. 440. editionis Antverpiensis 1628. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* p. 504. editionis 1643. Lovanii in 4. Stephanus Baluzius amicus noster Tomo 1. *Miscellaneorum* pag. 311. editionis 1678. in 8.

1330 BONAGRATIA natione Italus, ex Ordine Fratrum Minorum, omnium Michaelis Cæsenatis partium & itinerum comes individuus extitit, cum ipso Avenionem ad causam dicendam coram Joanne XXII. Papa profectus est anno 1327. & anno 1328 cum eodem clam Avenione discedens, Monachium in Bavariam ad Ludovicum Bavarum Imperatorem aufugit, unde anno 1330. cum Michaele Cæsenate, Guilielmo Okam & Henrico de Chalhem Michaelis fautoribus excommunicatus est. Extant *Articuli probationum contra fratrem Vbertinum de Casali, a Bonagratia inductarum* tomo 1. *Miscellaneorum* Stephani Baluzii pag. 293. cum *Responsione fratris Vbertini de Casali* pag. 307. ex Codice MS. veteri Carcassonensis inquisitionis. Inter MSS. Codices Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ Codice 290. num. 3. *Tractatus fratris de Bonagratia.* Principium *Religiosi.* In MSS. Colbertinæ bibliothecæ Codice 506. *Libellus de paupertate Christi editus a fratre Bonagratia.* Incipit, *In quæstione, qua quæritur, utrum asserere, quod Christus & Apostoli non habuerint aliquid* &c. *sit hæreticum* &c. Hæc de *Bonagratia* Epistola Joannis XXII. Papæ apud Goldastum in Præfatione ad *Monarchiæ* tomum 1. Stephanus Baluzius *Miscellaneorum* tomo 1. pag. 293.

JACOBVS DE VITERBIO, ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS, claruit temporibus Benedicti Papæ XII. qui anno 1334. Avenione die XX. Decembris Pontifex Romanus electus, anno 1335. die Januarii octava consecratus est. Ordinem fratrum Eremitarum ingressus, in illo ob doctrinam ac disputandi subtilitatem emicuit, unde Viterbii per annos aliquot summa cum laude Theologicæ facultatis Professor famam sibi comparavit non ignobilem. Scripsit *Commentarios in 4 libros Sententiarum,* nondum quod sciam impressos, sed in Italicis bibliothecis apud Eremitas Augustinianos adhuc latentes. Extat inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis in Anglia, Codice 238. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis litera E 3. *Jacobi de Viterbio super 3. librum Sententiarum.* Injunxit illi Benedictus Papa XII. ut in gratiam Ecclesiæ Romanæ calamum exerceret, cui obtemperans Opusculum scripsit, quod MS. extat in Bibliotheca Colbertina Codice MSS. 506. Inscribitur, *Opusculum de regimine Christiano, continens tractatus duos, compilatum a fratre Jacobo de Viterbio, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.* Incipit, *Sanctissimo in Christo Patri ac Reverendissimo Domino, Domino, Benedicto divina providentia sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, frater Jacobus de Viterbio Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Theologicæ facultatis Professor licet inutilis, cum summa devotione, obedientia & reverentia, devota pedum oscula vestrorum.* Opusculum subditum de regimine Christiano, quod aggredi me induxit filialis devotio &c. Inter MSS. Codices Hiberniæ, Codice 504. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis litera I. Codice 364. num. 1. *Opusculum extat Jacobi de Viterbio,* quod an idem cum superiore sit, an aliud, ignoro. In 4. membrana, notato G. 78. Cum igitur bene meruisset de Benedicto XII. 1330

citca

circa annum 1340. ad Archiepiscopatum Neapolitanum promotus est. Mentionem faciunt hujus scriptoris Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri*, verbo *Jacobus de Viterbio* pag. 315. columna 1. ubi male ait, eum anno 1310. vixisse atque ad Clementem V. scripsisse *De regimine Christiano lib. 1.* Hujus Jacobi de Viterbio opus *De regimine Christianitatis libris 2.* extat quoque MS. Romæ in Bibliotheca Vaticana, & Cremonæ in Augustinianorum Eremitarum bibliotheca. Idem scripsit *Sermones per annum*, qui MSS. asservantur Romæ in Bibliotheca Canonicorum sancti Petri, & Cremonæ in bibliotheca fratrum Eremitarum divi Augustini. Dabunt plura Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Jacobus de Viterbio.* Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano* Bruxellis in folio 1654. apud Franciscum Vivienum, qui ambo eundem cum Simlero errorem admiserunt, circa ætatem & Opuscula Jacobi de Viterbio, quem Clementi V. coævum constituunt. Quonam autem anno Jacobus de Viterbio factus sit Archiepiscopus Neapolitanus, quonam mortuus sit: edocebit te Ferdinandus Vghellus in *Italia sacra*, ubi de *Neapolitanis Archiepiscopis* loquitur, eorumque Catalogum & tempora regiminis refert.

1330 JACOBUS II. REX MAIORICÆ, pius princeps ac vere Christianus, hac eadem tempestate clarus, vel scripsit ipse vel scribendas alteri injunxit *Leges Palatinas*, sibi ac familiæ suæ & ministris præscriptas ac promulgatas, inque iis, unumquemque officii sui admonuit, quarum Codicem MS. primo nunc impressum dederunt, Jesuitæ Antwerpienses in *Actis Sanctorum Junii* collectis, digestis, Commentariis & observationibus illustratis, ad frontem Tomi III. Antwerpiæ anno 1701. in folio apud Viduam H. Thicullier, Originem earum ad A. 1337. illi referunt, sanctissimasque eas vocant, & dignas, quæ in omnium Principum palatiis proponantur atque observentur. Hæ *Jacobi Maioricensis Leges* in capitali cujusque rubricæ litera depictam in Codice MS. referunt figuram, quæ repræsentat personas, de quibus agitur, cum suo habitu, operi quod exercere debent intentas. Illæ ipsæ figuræ modo singulis classibus præfiguntur, modo simul collectæ, & quatuor grandioribus laminis æreis incisæ, in præsenti quoque editione sistuntur oculis curiosorum antiquitatis æstimatorum. Præter istas vero figura ejusdem habetur magnitudinis, ubi Rex in throno considens, coram aliquot Magnatibus suis *Leges* promulgat: denique specimen scripturæ originalis, qua Codex exaratus est, spectandum proponitur. Eas, si quis forte imprimendas seorsim curare voluerit, id ipsis haud invitis futurum Jesuitæ perhibent, & exhibituros sese præterea similis alterius Codicis MS. ecgraphum pollicentur, quo Petrus IV. alias III. Arragoniæ Rex anno 1344. digesserit *Constitutiones & Ordinationes Palatii* sui Catalona lingua, quod ex autographo Barcinonensis archivi nunc demum nacti fuerint: cum antea Prologum solum, & eum quidem huic operi pag. 7. insertum habuerint, ac de cætero multum exinde lucis *Maioricensibus Legibus* affundi posse spondent. Monent tamen eum, qui edendi consilium initurus sit, ut ab ipsis petat expectetque exemplar *Maioricensium* nova diligentia ad autographum collatum, expurgatumque a mendis typographiæ non paucis, & quibusdam in locis, quæ per transcribentis incuriam vitiata fuerint, integritati suæ genuinæ restitutum. Hæc *Acta Eruditorum Lipsiæ*, anno 1702. Kalendis Augusti, pag. 321. 322. & 324.

GERARDUS ODONIS, PATRIARCHA ANTIOCHENUS, natione Gallus, patria Ruthenensis de Castro Rodulphi, Ministri Generalis Ordinis Minorum, Parisiis anno 1329. in Capitulo Generali renuntiatus, post depositionem Michaelis de Cæsena Joanni XXII. Pontifici adversarii. Intimus fuit Gerardus ac perquam familiaris huic Romano Pontifici, a quo legatus fuit primum in Siciliam, secundo in Angliam, tertio in Bosniam Croatiæ, quarto iterum in Siciliam, demumque anno 1342. creatus Patriarcha Antiochenus, atque administrator perpetuus Ecclesiæ Catanensis in Sicilia. Cujus insignium expeditionum atque factorum sæpe meminit Lucas Wadingus tomo 3. *Annalium Ordinis fratrum Minorum.* Scripsit *Commentarios in libros decem Ethicorum Aristotelis*, impressos Venetiis anno 1500. per Simonem de Luere impensis Andreæ Torresani, qui MSS. etiam habentur in Bibliotheca Vaticana. *De figuris Bibliorum* morale opus, quod Lucas Wadingus testatur haberi MS. in Conventu fratrum Minorum Mirapicensi. Vidi autem Opus istud MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4523. fol. 1. Incipit, *Ecce spiritus grandis & fortis, subvertens montes & convertens petras* &c. ad cujus finem, *Expliciunt figuræ fratris Gerardi Odonis sacræ paginæ Professoris, de Ordine fratrum Minorum, necnon Ministri quondam Generalis eorum.* Habetur etiam in Bibliotheca Vaticana, MS. *quæstio, utrum Continuum componatur ex indivisibilibus & resolvatur in indivisibilia*, post quæstionem præviam aliam, *Utrum Lumen augeatur per adventum novæ partis ad partem, utraque remanente.* Denique composuit *Officium de Stigmatibus sancti Francisci*, quod hodie a Minoritis recitatur. Obiit Catanæ in Sicilia anno 1349. conditus in Ecclesia Cathedrali in tumulo marmoreo, absque ullo epitaphio. De illo Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 145. ubi pro more suo Antonium Possevinum exscripsit in Apparatu sacro tom. 1. pag. 635. Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri pag. 281. Henricus Spondanus in continuatione *Annalium Baronii*, ad annum 1329. num. 6. & alii. 1330

BENEDICTUS PAPA XII. antea dictus Jacobus Fornerius, Gallice *Fournico*, natio- 1330

ne

ne Gallus, S. Theologiæ Doctor, Ordinem Cisterciensem professus in Bolbona Abbatia Dioecesis Mirapicensis, in provincia Tholosana, tum postea Abbas fontis Frigidi in Dioecesi Narbonensi, hinc Episcopus Apamiensis & Mirapicensis, postmodum ab avunculo suo Joanne Papa XXII. Avenione tunc residente anno 1327. in quarta creatione factus fuit S. R. Ecclesiæ Cardinalis, titulo sanctæ Priscæ, tandemque anno 1335. ad summi Pontificatus apicem evectus, nomen Benedicti duodecimi assumpsit. Illud constantissimum est, Benedictum XII. in Monasterio Bolbonæ Ordinis Cisterciensis juvenem educatum. Et tamen sunt, qui cum fuisse Carmelitam velint, nimirum antequam Cisterciensium institutum acciperet. Petrus Lucius, ut hanc sententiam suam confirmet, auctoritatem Catalogi theologorum Vniversitatis Tolosanæ affert, ubi istum inter Carmelitas recenseri ait: tum Epitaphium ejus sepulchro adscriptum, ut testatur Claudius de Ville in libro *Heroicorum Epitaphiorum* secundo, quod sic habet: *Hic jacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Cassinus aluit, Vaticanus coronavit.* Verum hæ probationes, nullius momenti esse videntur. Catalogus enim theologorum Tolosanorum non ostenditur, & licet ostenderetur, adhuc tamen investigandum superesset, an ævo Benedicti scriptus foret, & a qua manu. Quoad Epitaphium vero, merum commentum est, in quo nihil verum occurrit. Præterea certum est, illud adscriptum non fuisse ejus sepulchro. Adde testimonium ipsius Benedicti, qui in literis, quas in exordio sui Pontificatus ad Cistercienses scripsit, quas Vghellus in tomo primo *Italiæ sacræ* edidit: & in bulla *De reformatione ordinis Cisterciensis*, testatur, se ab adolescentia sua sustulisse iugum ejusdem Ordinis, & in eo juventutis suæ tempora peregisse, ejusque effectum fuisse alumnum. Confirmatur istud ex Vita secunda & ex quinta ejusdem Benedicti, in quibus scriptum est pag. 213. & 229. eum tempore pubertatis suæ ingressum esse Monasterium Bolbonense Cisterciensis Ordinis, & ibidem fecisse professionem. Et ex Nicolao speciali Lib. 8. cap. 5. qui ait, eum fuisse nutritum in Ordine Cisterciensi, *quem Cisterciensis ordo nutriverat.* Denique non factus fuit magister in theologia in academia Tolosana, sed in Parisiensi, ut legitur in quinta vita ipsius pag. 229. Ex quibus argumentis insimul collectis certo colligi videtur. Eum admodum juvenem fuisse Monachum Cisterciensem, adeoque non fuisse Carmelitam. Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 796. Scripsisse dicitur, *Commentaria prolixa & erudita in Evangelium sancti Matthæi*, quæ asservantur MSS. in Clara Valle, testibus Sylvestro Maurolico in *Mari Oceano*, & Philippo Seguino in sua *Bibliotheca Scriptorum Cisterciensium* MS. quam apud se habuit Carolus Vischius. Sane ex Catalogo accuratissimo MSS. Codicum Bibliothecæ Claræ Vallis, quem apud me habeo, extat ibidem hic Commentarius in 4. voluminibus MSS. comprehensus. „Extant apud Odolricum Raynaldum in Annalibus Ec„clesiasticis quædam ejus lucubrationes theolo„gicæ *De paupertate Christi & Apostolorum & de vi„sione beatifica Sanctorum.* Testatur autem Ca„rolus de Visch in Bibliotheca Scriptorum Or„dinis Cisterciensis, scriptam ad se fuisse ab Vg„hello epistolam, quæ docet *Opus de visione bea„tifica*, & aliis controversiis Theologicis divisum„in sex tractatus, extare in Bibliotheca Vatica„na, quod etiam testatur Odolricus Raynaldus„an. 1342. §. 4. Dicitur etiam *Commentarium„in Matthæi Evangelium* scripsisse, quod extitisse„olim in Bibliotheca Benedicti XIII. docet Cata„logus librorum, qui in ea olim extabant. Cen„setur ille hodie in Bibliotheca Colbertina Cod.„2743. in quo folio sic legitur. *Prima pars po„stillæ Domini Benedicti XII. super Matthæum, quæ„distincta est per CXXXII. tractatus, & hoc volu„men continet a primo usque L. tractatum inclusive.„Item aliud volumen ejusdem Postillæ continuum præ„cedenti consimilis litera & forma, continens a LI.„tractatu usque ad LXXXIX. inclusive. Item se„quuntur sex volumina ejusdem postillæ, alterius for„mæ & literæ, quæ quidem videntur ejusdem manu„& in meliori ordine posita.* Et hæc quidem de„Postilla in Matthæum. Et in fol. 9. additur: *Item responsiones ejusdem Domini Benedicti contra„dicta Magistri Echardi, Magistri Guillocani, de O„kam, fratris Petri Joannis, Abbatis Joachim super„Apocalypsim, & Magistri Michaelis de Sezena.*„Item fol. 109. *Item dicta fratris Jacobi tituli san„ctæ Priscæ Presbyteri Cardinalis super articulis tra„ditis contra Patrem Acardum Magistrum in Theo„logia.* Et fol. 108. *Item dicta Jacobi Cardinalis„Albi ad articulos Guillelmi Okam.* Hæc Baluzius„de Scriptis Benedicti XII. in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium pag. 797. Ejusdem *Epistola ad Robertum Siciliæ Regem* præclara, apud Allatium *De consensu utriusque Ecclesiæ*, lib. 2. cap. 16. §. 2. col. 787. Ejusdem *Sermones super omnes anni festivitates*, asservari dicuntur MSS. in Bibliotheca Vaticana, teste Ludovico Jacob a sancto Carolo Carmelita Cabilonensi in *Bibliotheca Pontificia*, Lugduni anno 1643. in 4. impressa. Extat denique etiam MS. in Bibliotheca Vaticana, teste doctissimo Ferdinando Vghello, in speciali Epistola ad Carolum Wischium data anno 1654. quarto Nonas Augusti, amplissimus Codex in sex tractatus dispositus a *Benedicto XII.* compositus *De visione beatifica & aliis controversiis Theologicis:* quorum omnium cum nihil viderim, sit fides penes authores, quos produxi viros sane eximios, nec ad fallendum natos. Porro quod certissimum est, & omnem dubitationem excludit, habetur *Regestum magnum Epistolarum & Constitutionum ab ipso editarum*, quod X. tomis distinctum extat in folio regali in Secretioribus Bibliothecæ Vaticanæ Scriniis, ut referunt Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo I. pag. 209. Aubertus Miræus in *Chronico*

Cister-

Cisterciensi, quarum Epistolarum potissimas afferunt interdum in continuatione *Annalium Cæsaris Baronii*. Extant *Epistola* seu *Constitutiones III.* satis prolixæ tomo XI. Conciliorum, columna 1793. *Alia quinque* apud Bzovium ad annum 1336. *alia XXIX.* apud Lucam Waddingum tomo 3. *Annalium Minorum* ad annum 1335. *Alia XLII.* ibidem in Regesto Pontificio pag. 241. *Extravagantium & Constitutionum Libri II.* editi Parisiis anno 1517. in 4. ex quibus nonnullæ in Collectione Romana anni 1579. prodierunt. Has inter Constitutiones hæ potissimæ, *Una de reformatione nigrorum Monachorum*, quæ appellatur *Benedictina*, quæ item MS. cum Commentariis Petri Boerii Abbatis sancti Aniani, asservatur in Bibliotheca sancti Benedicti de Mantua, & in Bibliotheca Cœlestinorum Parisiensium. Dividitur autem Ordo sic reformatus in XXXVI. provincias, quas refert seu recenset Miræus supra, fol. 275. editionis suæ Coloniensis. Habetur in Bullario magno Romano, incipitque *Benedictus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Summi Magistri dignatio* &c. Altera inscripta *Constitutiones Benedicti Papæ XII. pro reformatione Ordinis Canonicorum Regularium divi Augustini*, editæ Idibus Maji anno 1339. quæ incipit, *Ad decorem Ecclesiæ Sponsæ Christi* &c. atque legitur in conciliis ultimæ editionis Parisiensis Labbeanæ tomo XI. parte 2. seculo XIV. pag. 1799. Illa etiam manuscripta extat in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis Littera Q. 6. fol. 19. Itemque in Bibliotheca Colbertina, Codice MS. 3747. Tertia denique *Constitutio ad reformationem Ordinis Cisterciensis*, quæ incipit, *Benedictus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Fulgens sicut stella in medio nebula* &c. quam habes folio 586. *Nomastici Cisterciensis*, quod in folio edidit ~~Parisiis Julianus~~ Paris Abbas Fulcardi Montis anno 1664. apud Viduam Gerrasii Alliot. At illæ omnes in Magno Bullario Romano impressæ extant. Idem scripsit *Vitam sancti Johannis Gualberti, Ordinis Vallis Umbrosæ fundatoris*, quæ extat inter Legendas Sanctorum a Laurentio Surio editas, ad diem 12. Julii. Denique in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4491. extat MS. *Novum formularium Pœnitentiarum, correctum & reformatum jussu Benedicti Papæ XII. R. R. P. P. Ganzelinum Episcopum Albanensem, Gotium Patriarcham Constantinopolitanum, Jacobum Brixiensem Episcopum & Abbatem Montis Olivi*, Codice in 4. qui 300. annorum est. Obiit hic Pontifex anno 1342. septimo Calendas Maji Avenione, ibique sepultus est in Cathedrali Ecclesia sanctæ Mariæ de Donis. Plura dabunt de illo omnes, qui sigillatim vel Vitas Romanorum Pontificum scripserunt, vel Annales Ecclesiæ, excipiendo Cæsarem Baronium, qui sane multi sunt. Agunt præterea de Scriptis ejus Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 209. Carolus Wischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 35. & 36. Cæsar Egassius du Boulay seculo sexto *Historia Universitatis Parisiensis* passim, & in Catalogo illustrium Academicorum hujus seculi, verbo *Jacobus de Furno*, alias *Fornerii*, pag. 994. Plura Stephanus Baluzius in Vitis Paparum Avenionensium pag. 297. Et in Notis ad Vitas pag. 796.

GALVANUS DE LEVANTO, Januensis, 1330 olim Medicus Benedicti Papæ duodecimi, factus postea Presbyter, rebusque asceticis ac spiritualibus addictus, cum antea corporum extitisset, voluit & esse postmodum medicus animarum. Scripsit *Diversos tractatus Morales ad ædificationem fidelium*, quorum unum dedicavit *Benedicto Papa*, alios aliis viris doctrina vel pietate illustribus. Claruit igitur tempore hujus Papæ Benedicti circa annum 1336. vel 1340. omnesque extant hi *Tractatus Galvani de Levanto* MSS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 5654. quorum primus ita incipit, *Sanctissimo in Christo Patri & Domino, Domino Benedicto Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Galvanus de Levanto Januensis, olim Medicus corporis solo nomine, nunc autem vermis terræ Jesu, osculum ante pedes, Qui regis Israel intendis, & qui corporis mystici regimen* &c. Habet solitam huic seculo simplicitatem, quæ tamen in Asceticis ejusmodi contemnenda omnino non est, quæ ad compositionem morum ac spiritus compunctionem plurimum conducit. Nullus quem sciam, meminit hujus *Galvani Januensis*, nec Antonius Possevinus Italus, qui aliorum hujus nominis meminit tomo 1. *Apparatus sacri* fol. 613. quos omnes fuisse Italos constat, atque scripsisse de variis argumentis. Hic autem caute distinguendus est a Galvano Flamma, Mediolanensi, Ordinis fratrum Prædicatorum, qui eadem ætate anni 1336. floruit, cujus laudantur *Chronicon majus & Manipulus florum* a Puricello & aliis, de quo loquuntur Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. pag. 498. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Authorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 101. Antonius Possevinus loco citato.

PETRUS DE SITTAVIA, AULÆ REGIÆ 1330 ABBAS, ordine tertius, Instituti Cisterciensis in Bohemia juxta Pragam, vir sanctitate & litteratura nobilis, ac dignissimus qui posteritati commendetur. Floruit anno 1330. & postea, nam huic Abbati dedicavit Guillelmus de Baldenzel anno 1337. librum suum inscriptum *Hodoporicon ad terram sanctam*, quod evulgavit Henricus Canisius tomo V. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 96. Scripsit sub titulo *Chronici Aulæ Regiæ* Historiam Regi Bohemiæ usque ad sua tempora, quæ manuscripta asservatur in dicto Cœnobio, impressaque dicitur tomo 1. *Scriptorum Bohemicorum*. Scripsit & *Librum Miraculorum Beatæ Virginis Aulæ Regiæ, aliorumque sanctorum Monachorum & Conversorum*, quem librum

brum inscripsit, *Volumen Secretorum Aula Regia*, MS. ibidem. Idem denique scripsit insigne volumen in folio, quod inscribitur *Sermones Petri Abbatis in Aula Regia de festis principalibus*, MS. in bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum Codicum pag. 150. num. 35. impresso Lipsiæ anno 1686. studio atque cura Joachimi Felleri Bibliothecarii. Meminerunt *Petri de Sittavia* Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 424. & Carolus Wischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, a quo paucis exceptis hæc habuimus.

1330 PHILIPPUS DE MONTE CALERIO, Ordinis fratrum Minorum, quorum Institutum apud Tolosanos Franciscanos professus est, ubi cum in humanis divinisque studiis profecisset, Lector Conventus sacri loci Paduæ ante annum 1330. factus est. De ejus ætate dubitat Philippus Labbeus, qui aliquando eum anno 1344. cum Possevino allegat, aliquando in annum 1390. rejicit, quousque tandem senex valde pervenire potuit. Erat autem hic Philippus de Monte Calerio urbis seu Pontificius Pœnitentiarius anno 1336. teste Luca Waddingo in *Annalibus Minorum* ad hunc annum num. 1. Ejus extant *Conciones per totius anni Dominicos dies*, quæ in Epitomen redactæ a Jansemo Canova Custode Cumano Franciscani Ordinis, impressæ Lugduni fuerunt anno 1510. apud Balthasarem e Gobiano, quæ cum *Quadragesimali illius Concionibus de Eucharistia & Sermonibus de Sanctis*, iterum prodierunt Lugduni anno 1515. apud Jacobum Myth. Scripsit anno 1330. Postillam super Evangelia totius anni, quæ manuscripta extat Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Codice 32. sub hoc titulo, *Postilla super Evangelia Dominicalia edita a fratre Philippo de Janua, alias de Monte Calerio, Ordinis fratrum Minorum, tunc Lector Conventus sacri loci Padua anno 1330.* Eadem Cantabrigiæ MS. in publica Bibliotheca Cod. 48. & in Pembrochiana, Codicibus 51. & 52. Mentionem hujus facit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Philippus a Monte Calerio*. Lucas Waddingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 294. & in *Annalibus Minorum* ad annum 1336. num. 1. & ad annum 1344. num. 9. ubi eum vocat *Philippum de Montecastello*. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem adjecit *Glossario media & infima Latinitatis*, columna 139.

PETRUS DE PALUDE SEU PALUDANUS, PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS, Ordinis fratrum Prædicatorum. De illo Stephanus Baluzius *Miscellaneorum* lib. 1. pag. 165. & 213. & in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 696. quem sequimur. Fuit hic Petrus vir ea tempestate celeberrimus, ideoque notus. Addam tantum ista, quæ sequuntur reperiri in Opere Bernardi Guidonis de historia ordinis Prædicatorum. *Frater Petrus de Palude fuit licentiatus*, nimirum in theologia & in academia Parisiensi, *die Jovis post festum B. Barnaba anno Domini MCCCXIV.* Et alibi, *Anno Domini MCCCXVI. fuit celebratum a Diffinitoribus capitulum generale Pampilonia in provincia Arragonia, absente prafato Magistro Berengario quem Dominus Johannes Papa XXII. miserat in Franciam tunc Legatum. Fecerunt que Diffinitores ex se ipsis Vicarium magistri Ordinis in ipso duntaxat capitulo juxta tenorem constitutionum, fratrem Petrum de Palude, Diffinitorem provincia, magistrum in theologia.* Anno MCCCXVIII. Papa Joannes XXII. alios iterum nuntios in Flandriam misit, fratrem Petrum de Palude ordinis Prædicatorum, & alios duos fratres Minores portantes litteram papalem bullatam, cujus series continebat, quod securitates quas Rex flamingis offerebat, sufficientes reputabat, consulens ut eas pacifice acceptarent, sin autem eos reputabat perjuros, & impeditores passagii transmarini. Ita Joannes de Sancto Victore in Vita Joannis XXII. apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium col. 122. Continuator Nangii ad annum MCCCXXIX. *Petrus de Palude, de ordine Pradicatorum, vir utique magna vita & fama, Doctor in theologia, Avenioni existens, Patriarcha Ierosolymitanus per suum Pontificem ordinatur.* Præter ejus lucubrationes, quæ vulgo commemorantur, extat in Codice 506. Colbertinæ bibliothecæ *tractatus fratris Petri de Palude, De paupertate Christi & Apostolorum contra Michaelem de Cesena.* Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 696. Anno autem MCCCXXXIII. VII. Kalendas Augusti in publico consistorio, quod habuit Johannes Papa apud Avenionem in palatio suo, ad petitionem Philippi Francorum Regis, passagium generale prædicavit, constituendo eum ducem illius exercitus, & decimus illi regni sui per sex annos concessit in subsidium terræ sanctæ & passagii prædicti. In prædicto autem consistorio Petrus Archiepiscopus Rothomagensis concionem habuit coram Papa Joanne, in qua inter alia sic locutus est. *Modo Pater sanctissime, devotissimus filius vester Rex Francia, qui nos sanctitatis vestra servos ad pedes ejusdem sanctitatis suos nuntios destinavit, Spiritu Sancto instigatus, de divino auxilio confisus, de vestro & Ecclesia consilio, adjutorio & patrocinio non dubius, devotione motus, vestra salubri exhortatione admonitus, Pralatorum & Baronum suorum, & etiam Domini Patriarcha instantia opportune & importune pulsatus, & etiam voto & obligatione & crucis assumpcione astrictus: pradecessorum suorum inharendo vestigiis, sicut alias sanctitati vestra scripsit, opus grande, opus meritorium, opus valde virtuosum, opus omni laude assumpsit dignissimum, ire personaliter in Hierusalem & terram sanctam Christi sanguine consecratam. Sepulchrumque dominicum de impiorum & blasphemorum manibus liberare.* Patriarcha autem memoratus erat Petrus de Palude tunc Patriarcha Hierosolymitanus. Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum

parum Avenionensium col. 787. de vita Petri de Palude, quem descripsimus. *Acta inquisitionis a Johanne XXII. anno 1318. instituta adversus Petrum de Palude, Ordinis Prædicatorum, cum responsionibus ejusdem*, extant apud Baluzium Tomo I. *Miscellaneorum* pag. 165. ad 195. ex veteri membrana MS. Prædicatorum Virdunensium. Idem Petrus de Palude ad petitionem Philippi Valesii Francorum Regis, scripsit *Directorium Terræ sanctæ anno 1332.* ad expeditionem in Palæstinam quam Rex Francorum meditabatur promovendam & adjuvandam, tanquam Patriarcha Hierosolymitanus Avenione anno 1329. a Papa institutus, cujus expeditionis author potissimus erat apud dictum Regem Petrus ille Paludanus. Opus istud anonymum inter MSS. Codices Magni Conventus Parisiensis Prædicatorum, ut audio, quem male Natalis Alexander *Brocardo Germano*, Argentinensi anno 1283. florenti adscripsit, eo quod in MSS. Codicibus reperiatur simul compactus cum Libro *Brocardi de terra sancta*, de quo supra ad annum 1280. disseruimus. At constat Petrum Paludanum esse scriptorem hujus *Directorii*, quod MS. quoque extat Oxonii in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 43. num. 1. *Directorium terræ sanctæ per quendam fratrem Ordinis Prædicatorum ad Philippum Francorum Regem Anno Domini 1332. ad passaginm faciendum.* Num. 2. *Brocardi liber de Terra sancta.* Extat *Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimen lectionum antiquarum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, Philippi Labbei Soc. Jesu, Parisiis 1653. in 4. apud Joannem Henault. Illic Speciminis antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum *Supplementum VIII.* pag. 308. nempe *Analecta quædam ex Catalogo manuscriptorum Codicum, qui continentur in parte seu Xysto Bibliotheca Regiæ & in fasciculis nondum compactis.* Ubi Codice 413. *Les passages des Francois outre mer contre les Sarazins par Sebastian Mamerot, chantre de Troyes, 1454.* Est enim Opus istud translatio in Gallicam linguam Operis Petri Paludani, quod Latine anno 1332. conscripsit, atque Cantor Ecclesiæ Trecensis Sebastianus Mamerot anno 1454. Gallice transtulit. Claruit anno 1330. quo circiter tempore Patriarcha Hierosolymitanus institutus est, de cujus scriptis sufficienter Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1341. pag. mihi 370. & Philippus Labbeus in *Dissertatione Historica* de iisdem tomo 2. pag. 209. & sequentibus, tum in Addendis ad tomum 2. pag. 785. quibus adjicimus teste Labbeo in *Addendis citatis*, se reperisse in Codice 874. se primitus notato littera EEE 4. pag. 200. Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis, libellum hujus Paludani ita incipientem; *Quoniam sicut dicit Isidorus in libro De summo bono, ad conversionem & correctionem Moralium, multum prosunt exempla Sanctorum: idcirco ego qui sum de Ordine fratrum Prædicatorum, cogitavi ordinare ad utilitatem peccatorum & consolationem Prædicatorum Tabulam per alphabetum super Legendas Sanctorum compilatas a fratre Jacobo de Voragine Januensi, de Ordine Prædicatorum, ita quod prædicatores suis prædicationibus exemplo magis convenientia citius & levius inveniant* &c. tum ad finem operis, *Explicit dicta Tabula super Legendas Sanctorum, edita a Domino Patriarcha Hierosolymitano, de Ordine Prædicatorum. Amen.* Opus sane non magni meriti, quod indicat Paludanum satis obtusi palati extitisse, qui tempus suum adornandis ejusmodi & ordinandis in Tabulas alphabeticas Jacobi de Varagine fabulis impenderet. Extat insuper *Tractatus Fratris Petri de Palude, De paupertate Christi & Apostolorum contra Michaelem de Cesena*, MS. in Bibliotheca Colbertina, Codice 506. ubi inscribitur, *Tractatus fratris Petri de Palude, De paupertate Christi* &c. ut supra. incipit, *Constitutionem contra conditorem Canonum, quidam nituntur multipliciter, ut sequitur, impugnare* &c. Idem scripsit Tractatum egregium *De Causa Immediata Ecclesiasticæ potestatis*, MS. Patavii in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis, ut habet Ludovicus Jacob a sancto Carolo in *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. pag. 424. editionis Lugdunensis anno 1643. in 4. Quo anno decesserit, liquet ex ejus Epitaphio, quod legitur Parisiis in Ecclesia fratrum Prædicatorum ante aram Beatissimæ Virginis, quæ *De pietate* dicitur, in hunc modum: *Hic jacet Petrus de Palude Ordinis Prædicatorum, Doctor in Theologia, quondam Patriarcha Hierusalem, cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace. Obiit autem anno 1341. ultima die Januarii.* Hoc est more Romano, 1342. Multa habet de *Petro Paludano* Labbeus, itemque Possevinus in *Apparatu sacro*, sed Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana*, inconditam de eodem habet Cartoginem, ad annum 1353. pag. 110. & in Appendice ad dictum annum ibidem pag. 472. quam ex Labbeo & Possevino fere omnem desumpsit.

ALVARUS PELAGIUS, SILVENSIS IN LUSITANIA EPISCOPUS, natione Hispanus, patria Gallæcus, natalibus non solum infimis sed & pudendis, ex Compostellanæ Dioecesеos Clerico & Decretorum Doctore Bononiensi, vir in utroque Jure valde eruditus, quem Joannis Scoti auditorem appellat Lucas Waddingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, ubi latissime de scriptis illius loquitur, post Bellarminum in opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* seculo XIV. pag. 369. & Labbeum ibidem tomo 2. pag. 176. sub titulo *Pelagii Alvari.* Natus itaque in Hispania, sed in Gallia & Italia litteris operam navavit. In illo volumine *De planctu Ecclesiæ*, quod anno XIV. Pontificatus Joannis Papæ XXII. edidit, anno 1330. vel circiter, quodque mihi eximium semper visum est, interserit nonnulla de suis Gestis, quæ deprompsimus, tum maxime in Proemio, cum libro 2. cap. 18. ante medium. cap. 28. post medium. cap. 34. in fine. 1330

cap. 43. post initium. cap. 45. in fine. 51. sub finem. 52. post initium, itemque ibidem in errore Beguardorum 3. & 8. Item cap. 67. in medio, 70. sub initium, 73. & 78. sub medium. Primum quidem Parisiis sub Joanne Scoto Doctore subtili, auditor fuit in Theologicis ac Philosophicis studiis: inde ad utriusque Juris & reliquarum disciplinarum accuratam exercitationem divinas conjungens litteras, eruditissimus evasit. Gallia Philosophum ac Theologum eximium reddidit, Italia Juris utriusque peritissimum fecit. Bononiæ studens, Licentiam & Doctoratum in Jure Canonico accepit a Domino suo & Magistro, Domino Guidone de Baysio Archidiacono Bononiensi, auditore Contradictoriarum in Curia: sicque non solum Bononiæ publice Decretum docuit, sed & Perusii apud fratres Dominicanos, & alibi passim. Testatur, se Ordinem Minorum assumpsisse in provincia sancti Francisci, temporeque sui novitiatus, multas pertulisse Dæmonis insidias. Hoc contigisse sub Ministro Ordinis Gondisalvo, testatur Waddingus in *Annalibus Minorum* ad annum 1304. num. 13. Ita enim ipse Alvarus aperte insinuat, dum lib. 2. *De planctu Ecclesiæ* cap. 33. ab hoc Ministro Generali Gondisalvo in civitate Assisii se initiatum scribit: ad quam ex fama Capituli Generalis in quo novitii potissimum recipi solent, credibile est Bononia venisse, ubi sub celeberrimo Archidiacono Jurisprudentiam discebat. Hinc Civitatis, Tuderti, Perusiæ &c. moram contraxit, exinde montem Alvernum incoluit. Lucam, Florentiam, &c. provinciæ Tusciæ urbes lustravit. Postea Romam perrexit, illicque in Monasterio Sanctimonialium sancti Laurentii Panispernæ, dehinc in Conventu sanctæ Mariæ de Ara Cœli, aliquo tempore mansit. Prædicationi igitur interea ac Lectioni incumbebat, tum apud Regulares & Sanctimoniales, tum apud seculares & populos, cultus ab omnibus ob conjunctam pietati insigni eruditionem. Ferventissimus etiam extitit zelator vitæ Monasticæ ac perfectionis religionis Franciscanæ, cujus rei gratia, multas frequentissime gravissimasque a religiosis fratribus & Clericis æmulis, ante & post ipsius evocationem ad onus Episcopale, passus est. Hanc ob causam scripsit ad eum Joannes Papa XXII. Epistolam, quam refert Lucas Wadingus tomo 3. *Annalium Ordinis Minorum* ad annum 1329. num. 9. Tum denuo Galliam invisit, cujus præstans doctrina cum apud omnes magno in pretio esset: illum Joannes XXII. summum Romanæ curiæ Pœnitentiarium instituit, tumque postea anno 1332. decimo sexto Calendas Julii per bullam, quæ incipit, *Quam sit honesta.* &c. Coronensem Episcopum sub Principe Achaiæ, & Archiepiscopo Patracensi, per Alberti Episcopi obitum. Ita Lucas Wadingus in *Annalibus Minorum* anno 1332. num. 7. Plurima interim eximiæ virtutis, raræque Lectionis Opera orbi litterario obtulit, quæ Ordini fratrum Minorum perpetuo ornamento futura sunt. Aliquanto post, factus est Episcopus Silvensis in Lusitania, certe ante annum 1335. quo jam se Præsulem fuisse tradit, vix autem ante annum 1334. renunciatus illic Episcopus. Qua ratione coactus est potius timore, quam humilitate (ut ipse fatetur) osculari dexteram Regis Portugalliæ, quanquam ab eo Regalia non teneret. Idem ait, se anno 1340. iterum correxisse Compostellæ, opus *De planctu Ecclesiæ*, præmissa jam altera correctione anno 1335. in villa Ramræ Regni Algarbiorum, ubi sum Præsul, inquit. Errat itaque Gonzaga, dum eum obiisse anno 1335. prædicto scribit, nisi forte incuria typographi, numerum notæ universæ sint, & pro 1353. apposuerit 1335. Constat enim ex ipsius propria subscriptione, ad Operis calcem, correxisse denuo volumen *De planctu Ecclesiæ* an. 1340. Hic subticemus de Operibus *Alvari Pelagii*, de quibus Bellarminus & Labbeus, addentes eundem authorem composuisse aliud Opus inscriptum, *Collyrium fidei adversus Hæreses*, de quo Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 15. loquitur, quodque manuscriptum in Bibliotheca Vaticana asservari dicit, quod nos quoque vidimus MS in Bibliotheca Parisiensi Colbertina, Codice 2071. ex illius Catalogo. Habetur etiam teste Wadingo, MS. in Bibliotheca Toletana fratrum Minorum Littera Y, num. 66. sermo prolixus ab eo habitus coram Pontifice Joanne XXII. ita inscriptus, *Sermo fratris Alvari Hispani Decretorum Doctoris, Episcopi Coronensis & Pœnitentiarii Domini Papæ, factus in die Jovis Cœna Domini, in præsentia Domini Papæ Joannis XXII.* In quo totus opinioni Joannis circa visionem animarum adhæret, de quo late disserit idem Wadingus in *Annalibus Ordinis Minorum*, anno 1332. num. 10. atque etiam Historiæ Universitatis Parisiensis, seculo XIV. Sunt qui prolixum hunc sermonem, de quo statim egimus, idem opus esse velint cum *Apologia contra Marsilium Patavinum & Guillelmum Ockamum*, quam scripsisse dicitur: id quod me latet. Vixit post annum 1340. quo ipse ait, se Compostellæ correxisse Opus *De planctu Ecclesiæ*. Imo volunt Lucas Waddingus in *Annalibus Minorum* tomo 3. ad annum 1340. num. 11. & Arturus du Monstier Rotomagensis in *Martyrologio Franciscano* ad diem 5. Julii, eum esse anno 1353. mortuum. Cujus corpus sepultum in Monasterio S. Claræ Hispalensis, quod provinciæ Bæticæ primum est, in cujus choro jacet non longe a sepulchro beatæ Leonoræ Gusmaniæ Virginis, ejusdem Ordinis alumnæ. Agunt de illo Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum*, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri.* Bartholomæus Pisanus Lib. 1. *Conformitatum* fructu 8. parte 2. in viris doctrina illustribus Ordinis Minorum. S. Antoninus 3. parte *Summæ Historialis* titulo 24. cap. 8. paragr. 2. Chronicon Citizense sub annum 1363. Marcus Ulyssiponensis 2. parte *Chronici Minorum* Lib. 8. cap. 42. Henricus Villotus in *Athenis Orthodoxis Franciscanis.*

1330 CONRADUS DE MAGENBERG, seu DE MONTE PUELLARUM, Germanus, Ratisponensis Ecclesiæ Canonicus, anno 1330. & sequentibus, ob scientiam clarus fuit, quam posteritati testatam reliquit, dum scripsit ad ejusdem temporis celebrem Antistitem Lupoldum de Bebenberg, grande Opus inscriptum *Oeconomicam* libris tribus. Incipit, *Omnes mortales* &c. *Monasticam ad Ducem Austriæ* librum 1. Item *Politicam lib. 1. Quæstiones varias lib. 1.* Licet de Operibus istis nihil audiverim aut viderim, extare tamen adhuc in Germaniæ bibliothecis, alicubi, nec excidisse, arbitror. Edidit Philippus Labbeus *Novam Bibliothecam MSS. Librorum Latinorum, Græcorum & Gallicorum*, seu *Specimen antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum atque Gallicarum*, anno 1653. in 4. Parisiis apud Joannem Henault. Hujus autem *Speciminis antiquarum lectionum Supplementum V*, pag. 211. ex Catalogo MSS. librorum Renati Moræi Doctoris Medici Parisiensis, cujus inter Codices ibidem pag. 235. *Planctus Ecclesiæ in Germania, auctore Conrado de Magenberg, id est de Monte Puellarum, anno Domini Jesu Christi 1337. ætatis suæ 28.* Præmittitur præfatio gemina prior Gloriosissimo vice Christi in Alemanniam Legato, Domino Arnaldo de Virdello &c. Altera ad Capellanum Domini Papæ Joannem de Piscibus, Legum Doctorem. Sequitur deinde Opus istud metricum, in cujus primo capite Auctor Papam alloquitur.

Flos & apex mundi, qui totius esse rotundi,
Nectare dulcorum conditus aromata morum,
Orbis Papa stupor, clausor cœli & reserator,
Tu Sydus clarum, thesaurus deliciarum
Sedes sancta polus, tu mundo sol modo solus &c.

Continet Opus illud partes duas, quarum prima est *De planctu Ecclesiæ in Germania, ob discordiam inter Papam & Ludovicum Bavarum Imperatorem.* Altera vero *Clericos* & maxime *Mendicantes ordinis* exagitat, quod sub habitu simplici fundant venenum in Ecclesiam Dei, & prænotatam illam nutriant inter fideles discordiam. Hæc vero pars postrema his versibus clauditur.

Tu Virginis ipse Mariæ
Fili, sicque Dei, meretrices & pharisæi
Non dedignati sunt a te, sed venerati,
Cum sua flevere peccata: mei miserere. Amen.

Mentionem faciunt scriptoris hujus Joannes Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem anno 1390. claruisse inquit, sed parum consentanee cum iis, quæ antea scripserat de *Lupoldo*, quem claruisse anno 1330. vel 1340. inquit. Cum enim in *Conrado de Monte Puellarum* scribat, illum ad Lupoldum illum Bambergensem Episcopum obtulisse *Oeconomicam libris tribus, opus ingens*, atque anno 1340. claruisse; Synchronus ipsi Conradus de Monte Puellarum, anno 1390. claruisse non potuit: imo juxta MS. Codicem Renati Moræi citatum, tunc temporis erat 81. annorum, atque ita decrepitæ senectutis, si ad hunc annum usque pervenit. Eundem hunc errorem amplexus est Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*, quam anno 1545. Tiguri in folio apud Christophorum Froschoverum edendam curavit, verbis *Conradus de Monte Puellarum* fol. 183. verso & *Lupoldus de Bebenberg Bambergensis Episcopus* fol. 488. verso, quem anno 1340. claruisse inquit, & ad quem *Conradus de Monte Puellarum Oeconomicam* conscripserit. Ejusdem meminit Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* verbo *Conradus*, sed qui prudenter ætatem omisit.

DOMINICUS GRENERIUS APPAMIENSIS EPISCOPUS, Ordinis fratrum Prædicatorum, ex Conventu Tolosano, Doctor Parisiensis. Post diversas in sua provincia obitas Præfecturas, Apostolicus Pœnitentiarius instituitur, ac anno 1326. mense Januario Magister Sacri Palatii a Joanne XXII. renuntiatur, cui muneri duobus tantum mensibus præfuit. Nam ab eodem summo Pontifice die 13. Martii ejusdem anni 1326. ad Ecclesiam Appamiensem in Gallia evectus est, post mortem Jacobi de Furno, ut constat ex Manuscripto Codice Regesti Vaticani. Nicolaus Bertrandus in Commentario *De Gestis Tolosanorum*, capite *De Doctoribus Conventus Tolosani fratrum Prædicatorum*, ait extitisse Magistrum & Doctorem in Theologia valde nobilem, deinde Magistrum sacri Palatii, postea Episcopum Appaminensem, scientia & virtute magnum, *fecisse Postillas multum utiles & solemnes super Pentateuchum & super omnes Libros historiales Bibliæ.* Has habes Lector manuscriptas quinque voluminibus in folio in celebri Bibliotheca Colbertina, Codd. 114. 115. 116. 117. & 118. Item Cod. 2521. inscriptas, *Lectum Litteralis super sacram Scripturam fratris Dominici Grenier, vulgo Tolosani, ordinis fratrum Prædicatorum.* Extat in Conventu Prædicatorum Tolosano Litteræ Joannis XXII. anno 1330. & Benedicti XII. anno 1335. ad eundem datæ. Idem Nicolaus Bertrandus loco citato ait, ipsum jam Episcopum fecisse construi Cemeterium in claustro Conventus Tolosani fratrum Prædicatorum, in quo Fratres illius Conventus sepelirentur, cum Sacello ad honorem sancti Antonini Martyris; Itemque Cameras hospitum & infirmorum prædicti Conventus. Fuit autem consummata prædicta Capella, ut legitur in ejus inscriptione, anno 1341. die 7. Novembris, ipso adhuc superstite, cum his versibus. 1330

Frater Dominicus, Domini cultor benedictus,
Doctor mirificus, & Episcopus Appamiensis,
Sumptibus immensis, Opus hoc fabrefecit amicus,
Inde Deo gratus, regnat sine fine beatus.

Invenitur & in instrumento Confirmationis privilegiorum civitatis Appamiensis anno 1342. in festo sancti Barnabæ Apostoli, una cum Gastone Fuxi Comite, Condomino prædictæ Civitatis. Hæc nos ex *Gallia Christiana* Sammarthanorum fratrum tomo 2. pag. 164. in Episcopis Appamiensibus, qui annum mortis ejus utpote sibi ignotum præcise non designant. Aut audacior fuit Ambrosius de Altamuta in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1347. pag. 119. ubi ait, *Viginti annis huic Ecclesia optimum pastorem præfixisse & anno 1347. in Domino quievisse.* Et annum quidem mortis & tempus prælaturæ fingit, sed hoc el probandum erat, quod supponit, & quod Sammarthani diligentiores non noverant. Legendus de illo Joannes Michael Pius parte 2. lib. 2. *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum* Ambrosius de Altamura, loco citato. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice authorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* pag. 95. ubi eum *Dominicum Tolosanum* vocat, *Ordinis Prædicatorum Theologum*, quem anno 1314. floruisse asserit. Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium, Tom. 1. pag. seu col. 798.

1330 GUILLELMUS OCKAM, natione Anglus, Ordinis fratrum Minorum, ambitionem ac tyrannidem Joannis Papæ XXII. scriptis acriter impugnavit, Petri Corbarii Antipapæ partes fovit, & Imperatorem nulli nisi Deo in temporalibus subesse palam edocuit: quibus nominibus anathematis fulmine a Joanne Papa anno 1330. percussus, ad Ludovicum Bavarum Imperatorem confugit, à quo benignissime susceptus, eiusque secretioribus consiliis adhibitus, in ejus aula consenuit, cujus partes non minus erudite, quam constanter, quoad vixit, tuitus est: adeo ut Imperatorem sic affari soleret, *Tu me defende gladio, & ego te defendam calamo.* De illo pluribus loqui nihil juvat, quippe quem multis hinc atque illinc corrogatis sugillandi Romanos Pontifices occasionibus celebrem satis extitisse constat. Melchior autem Goldastus Haiminsfeldius tomi 1. & 2. *Monarchia* suæ summa cura collegit, quidquid Guillelmi Ockami Opusculorum *contra Romanos Pontifices* inveniri posset. Observandum est autem, inter MSS. Codices Oxoniensis Universitatis, Codice 1902. extare MSS. *Dialogos M. Ockani* in MSS. Codd. Collegii S. Joannis Baptistæ Codice 70. litera O. Inter MSS Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 918. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 74. *Sermones Occham.* Item extant sub nomine Ockami in Bibliotheca Colbertina Codice 731. *Tractatus Guillelmi Ockam, quod Benedictus Papa XII. nonnullas Hæreses Johannis Papæ XXII. amplexus est & defendit.* Item *Ejusdem Epistola ad fratres Minores in Capitulo apud Assisium congregatos anno 1334.* Item *Defensorium Venerabilis inceptoris Wilhelmi O kam adversus errores Papæ Johannis XXII.* edidit *Edonardus Broun* Parochus Sundrigiæ in agro Cantiano in *Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum*, quem recudendum Londini 1690. in folio duobus Tomis curavit apud Richardum Chiswel. In Tomo 2. quem Operi huic addidit pag. 439. ad 464. præfationem pag. 436. adjecit, qua observat inter MSS. Codices Collegii Magdalenensis Oxoniæ, recenseri in Catalogo Thomæ James *Defensorium* Ockami num. 52. quod idem cum isto forte fuerit: atque importunum inquit a præsentibus Collegii nobilissimi quærere possessoribus, a futuris aliquando spectandum esse. Effugisse hunc Tractatum *Goldastum*, si excusus unquam fuerit, valde miratur. Ex Collectaneo autem *Veterum & recentium MSS. contra Ecclesiam Romanam facientium* Crashavii, certissime habuisse. Testatur Joannes Trithemius *Ockamum* scripsisse *Contra Joannem 22. De paupertate Christi & Apostolorum*, & libellum hunc eundem plane esse Edouardus Broun non dubitat. "Confer hæc cum *Compendio errorum Johannis 22.* &c. in Goldasti Collectaneis, & hæc" illius esse tu etiam nullus dubitabis, quin etiam" mecum gaudebis Opusculum aliud tanti viri e" tenebris emersisse. Vale." Hæc in Præfatione Eduardus Broun. Extant quoque Opera Ockami potissima, alibi quam in Collectaneo Melchioris Goldasti, impressa. Nempe Magistri Guill. de Ockam *Annotationes super IV. libros Sententiarum*, & ejusdem *Centilogium Theologicum*, Lugduni apud Joh. Treschel 1495. in fol. Guilelmi Ockam *Quodlibeta VII. & Tractatus de Sacramento altaris*, Argent. 1491. in folio. Ejusdem *Super potestate summi Pontificis octo quæstionum Decisiones*, Lugduni apud Joh. Trechsel 1496. in fol. *Guillelmi Ockam Dialogorum pars prima & secunda*, item *Compendium errorum Joannis Papa XXII.* Lugduni 1494. in folio. *Ejusdem Opus nonaginta dierum, sive Dialogi pars tertia*, Lugduni 1495. in folio. Atque alia alibi. Obiisse dicitur in Conventu Ordinis sui Monachii an. 1347. die X. Aprilis, quamvis Lucas Wadingus contendat Capuæ potius tumulatum esse, neque mortuum fuisse ante annum 1350. Plurima de Ockamo in utramque partem inventa referunt Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag 368. Labbeus ibidem tomo 2. pag. 407. & 408. & in *Addendis* pag. 787. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, verbo *Guillelmus Ockam*. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 155. & in *Annalibus ejusdem Ordinis* tomo 3. annis 1322. 1323. 1347. quem omnimode excusare, ac pœnitentiam egisse suæ in Romanam sedem oppositionis & contumaciæ, ostendere conatur.

JOANNES RIDEWAL, Anglus ordinis D. Augustini anno 1330. inter Theologos claruit, 1330
eruditione profana simul & sacra celebris. Nam extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum

rum Codice 764. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Cod. 89. n. 2. Johannes Risdewal super Ovidii Metamorphoses, id est Expositio moralis fabularum. Ibidem Codice 829. in MSS. Codicibus ejusdem Ecclesiæ Codice 154. n. 5. Ridewallis Commentarius super Mythologiam Fulgentii. Vtrumque Opus F. Joannis de Ridewal Ordinis allati inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Cod. 2293. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ, Cod. 113. n. 3. & 4. Denique inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Cod. 1653. & 1654. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi, Codd. 186. & 187. membraneis in folio, Commentarius Johannis Rydeval super libros 1. 2. 3. 6. & 7. Augustini *De Civitate Dei.* Meminit hujus Scriptoris Carolus du Fresne Dominus du Cange in Catalogo *Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* col. 141. ubi eum an. 1330. floruisse asserit.

1330 THOMAS GVALENSIS seu WALLENSIS, qui etiam Thomas Anglicus & Walleys dicitur, natione Anglus, anno 1333. claruit, distinctus à Thoma Jorzio, qui temporibus Clementis V. Papæ circa annum 1304. multorum in Scripturam sacram Commentariorum Scriptor extitit. Hic autem addixit mentem tum Sermonibus ad populum declamandis, tum Quæstionibus Scholasticis agitandis ac solvendis, ob hanc etiam disputandi calliditatem & artem Joanni XXII. Papæ non ignotus. Cui cum adversus esset in sententia de Visione Dei, quâ post mortem Justi sine dilatione fruerentur, suam sententiam Avenione coram omni Pontificia aula in Solemnitate Sancti Johannis Evangelistæ concionem habens, fortiter asseruit, & Joannem XXII. præsentem illic, hæreseos accusavit. Mercedem Christianæ suæ Orthodoxiæ carcerem habuit, unde Galliæ Regis & Academiæ Parisiensis eadem secum sentientis precibus, eductus est. Hic scripsit *Librum de arte Prædicandi ad Theobaldum de Vrsinis Panormitanum Archiepiscopum*, qui extat MS. Bibliothecæ Bodlejanæ Cod. 1847. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera A. Codice 8. & inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis. Codice 1388. in MSS. Codicibus Theologicis Collegii Lincolniensis Codice 67. qui inscribitur, *Tractatus Doctoris Waleys de theoria prædicandi.* Et inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1761. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 99. Thomas Walleys sive Gualensis de arte prædicandi. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 9423. in MSS. Codd. Joannis Mori Nortwicensis Episcopi. Codice 237. Thomas Walleys de modo componendi & dilarandi Sermones, cum specialibus aliis documentis.

Cum autem arte concionandi & disputandi calleret & excelleret, scripsit quoque *Conciones de tempore & de Sanctis* Latinè, quæ MSS. extant inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 847 in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi Litera D. Cod. 8. Denique inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2359. in MSS. Codicibus bibliothecæ publicæ Cod. 179. n. 1. Sermo Joannis Papæ XXII. factus anno Domini 1331.

Num. 2. Sermo ejusdem in tertia Dominica. Vtraque concio in illud 1. Machabæorum 2. v. 51. *Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis.*

Num. 3. Responsiones Magistri Armandi Magistri Sacri Palatii de ordine Prædicatorum, ad 19. Articulos ex parte beatitudinis Apostolicæ missos Armando Rectori S. Palatii.

Num. 4. Litera Vniversitatis Parisiensis, qua ostenditur approbatio dictorum S. Thomæ, data Avenione 23 mensis Decembris, anno Dominicæ Nativitatis 1333.

Num. 5. Epistola Fratris Thomæ Walleys, De instantibus & momentis.

Num. 6. Sermo ejusdem. In fine illius Sermonis hæc verba leguntur: Ego frater Thomas Walleys Anglicus prædicavi publicè coram multis, & in excusationem meam dico sic. Aut opinio quæ dicit animas SS. ante resurrectionem non videre Deum facialirer, est error manifestus, periculosus & scandalosus, utpote de cujus prædicatione jam tota quasi Ecclesia Dei scandalizatur, aut non. Si sic, videtur quod excusari debeam; quia urgente me conscientia prædicavi: si non, paratus sum omnem pœnam subire, à quocunque iudice imponendam.

Num. 7. Contra fratrem Thomam Walleys Actum quoddam.

Num. 8. Aliud contra eundem.

Num 9. Confessio dicti Thomæ coram Inquisitoribus.

Num. 10. Articuli hæreticales dicti Thomæ, in libello suo *De momentis.*

Num. 11. Ejusdem Thomæ Responsio ad Articulos sibi objectos.

Num. 12. Epistola M. Johannis Lattexell Anglici Doctoris, De visione faciali.

Num. 13. De septem quæ opponebantur Domino Papæ, & de Responsione illius.

Num. 14. Epistola Magistri Armandi de Dominica visione.

Peritiam quoque insignem in Theologicis Disputationibus hujus Thomæ Anglici ostendit Opus inscriptum *Thomæ Anglici Ordinis Prædicatorum liber propugnatorius Sancti Thomæ super primum sententiarum, contra Joannem Scotum* quod edidit in fol. anno 1523. Venetiis Octavianus Scotus, cujus unum exemplar in Bibliotheca CL. Mauritii Tellerii Remensis Archiepiscopi inter Theologos in folio pag. 38. ut constat ex Catalogo hujus Bibliothecæ anno 1693. Parisiis in folio typis regiis edito, quem composuit Antonius Faure hujus Archiepiscopi Vicarius Generalis, sibi autem arroganter & falso adscripsit

 dictus

dictus Mauritius Tellerius Archiepiscopus post mortem Antonii.

Amplum satis Catalogum Operum Thomæ Wallensis texunt Joannes Balæus *De Scriptoribus Angliæ* Centuria V. cap. 35. & ex eo Joannes Pitseus *De illustribus Britanniæ Scriptoribus* ætate 14. pag. 429. quos allegat Guillelmus Cavus *in Historia rei literariæ*, vel ejus Exceptor Henricus Wharton seculo 14. an. MCCCXXXII. pag. 29.

1330 JOANNES DE BACONE seu BACONTHORPIUS, natione Anglus, ex Baconthorpa pagovili agri Nordovelgiensis otiundus, *Doctor Resolutus* dictus, ab ineunte ætate Carmelitis cœnobii Nigeriensis, seu Blaenciensis prope Walsinghamiam se adjunxit, à quibus Oxonium primum, deinde Lutetiam missus, Juris utriusque & Sacræ Theologiæ laureas adeptus est, tantam insuper famam consecutus, ut Averroistarum princeps vulgò haberetur. Reversus domum, post aliquot annos, Provincialis Carmelitarum in Anglia, ordine 12. in Conventu Fratrum Generali Londini anno 1329. habito electus est. Post quadriennium evocatus Romam, ut super gravissimis de matrimonio quæstionibus sententiam suam proferret, cum nimium authoritati Pontificiæ circa enervandas dispensationibus leges de matrimonio divinas inter disputandum ille tribuisset, sibilis exceptus est. Erroris admonitus Bacanus, rei veritatem diligentius investigavit, culpam agnovit, palinodiam modestè cecinit, Pontificem in gradibus consanguinitatis lege divinâ prohibitis, dispensare non posse confessus est, & sophisticen velut perniciosissimam fidei Christianæ pestem deinceps detestari cœpit. Obiit anno 1346. Londini sepultus.

Hæc Henricus Warthon in Supplemento *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1329. pagg. 24. & 25. Grandem autem Operum ipsius seriem & syllabum recensent Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis, in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum M CCC XL. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Joannes de Bacone:* ex quibus omnibus Henricus Whartonus impressos recenset tantummodo *Joannis Bachonis Commentarios seu Quæstiones Quodlibetales in quatuor Libros Sententiarum*, quorum ad calcem adjunguntur *alii tres Libri Quodlibetorum:* quæ edita omnia Cremonæ in folio 1618. apud Marcum Antonium Belpierum. Num. autem 3. notat *Tractatus 2. de regula Ordinis Carmelitani, & Compendium Historiarum ac jurium pro defensione ejusdem Ordinis:* quos adhuc nescit, an in lucem exierint. Quæ autem Manuscripta reperiantur Scriptoris hujus Opuscula in Anglicanis Bibliothecis, hic subjungere non incongruum fuerit. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium ejusdem regni Bibliothecarum Codice 6555. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 185. *Joannes Bacondorpe super lib. I Posteriorum.* Ibidem Codice 6656. in MSS. Codicibus ejusdem Theyeri Codice 286. num. 2. *Johannes Bacondorp super Ecclesiasten & librum sapientiæ.* Omittimus *Commentarium ejus in 4. libros Sententiarum*, utpote sæpius impressum, qui MS. etiam extat loco citato Codice 8294. in MSS. Theologicis Jacobææ Bibliothecæ Codice 572. Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 538. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis. Classe 25. serie tertia Codice 13. *Postilla Johannis Baconthorp*, dubio procul *in Evangelia quæ legebantur per annum.* Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 1174. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi, litera G. Codice 9. num. 11. *Johannes Bacon seu Baconthorp Speculum Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli* pag. 118. ad 127. Hæc ex Catalogis Manuscriptorum Anglicorum. Cum autem Opuscula plura in defensionem sui Ordinis scripsisse legatur, aliud reperio in Catalogo Manuscriptorum Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, quem edidit Joachimus Fellerus hujus Academiæ Bibliothecarius anno 1686. Lipsiæ in 16. Nam inter Manuscriptos Codices Collegii Principum Minoris, qui in Paulina Nova Bibliotheca unà cum impressis reponuntur, extat dicti Catalogi pag. 420. Codice 71. Num. 10. *Compendium Historiarum & jurium pro defensione institutionis & confirmationis Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli, edita à Magistro Johanne Bachone, Ordinis Carmelitarum*, non *Prædicatorum*, ut ibi legitur. Qui alia ab istis Opuscula viri hujus cupit, habet Johan. Trithemium & Antonium Possevinum, qui locis citatis ea longo agmine recensent.

JOANNES EVERISDENUS natione Anglus, professione Monachus Ordinis Sancti Benedicti in Cœnobio S. Edmundi Buriensis anno 1336. claruit, qui nomen suum posteris reliquit, dum Chronicon *Seriem temporum* inscriptum literis consignavit, cujus initium, *fructuosum arbitror seriem temporum &c.* Extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 5539. in MSS. Codicibus Collegii Armorum apud Londinum Codice 114. num. 6. Et inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, juxta Catalogum impressum pag. 258. b. in Collectaneis Richardi Jamesii Codice 7. n. 6. describitur *Chronica Joannis Everbesden qui fuit Cellarius Buriensis Cœnobii* pag. 58. ad 74. Illius mentionem faciunt Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* capite 65. pag. 515. Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIV. Scriptore 511, ad an. 1336. pag. 435. 1330

MARTINUS DE ALVEWICK, ex oppido Alvewico Comitatus Northumbrensis 1330

fis in Anglia prope Scotiam natus, institutum S. Francisci in Conventu Novocastrensi, adolescens adhuc amplexus est. Ad studia deinde tum Philosophica tum Theologica, Oxoniam missus, ad insignem in utrisque pervenit scientiam, & illic supremam in sacra theologia lauream accepit, deinde ibidem inter Minoritas, XXXII. in Scholastica Theologia prælector constitutus est. Pauca admodum habemus ex ejus monimentis litterariis, quæ posteritati reliquit: *in Magistrum Sententiarum libros IV. Disputationum librum 1. Chronicorum ejus Librum unum.* In Novocastrensi cœnobio in vivis esse desiit, & ibidem sepulcuram accepit, anno Christi 1336. sub felicissimo in Anglia Regis Eduardi III. regimine. Hæc Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus*, ætate XIV, Scriptore 507. pag. 431. editionis Parisiensis anni 1619. in 4. apud Sebastianum Cramoisy. Dictus etiam aliis *Martinus Minorita*, ex instituto S. Francisci quod junior amplexus fuerat: cujus ex Operibus nihil restat præter *Chronicon* quod *flores temporum* inscripsit, in quo cum Anglis aliis, refert *Joannæ Papissæ Historiam*, atque *Joannæ huic aliquando dæmonem conjunxit, & quando egressurus esset, sciscitanti, responsum his versibus*

> Papa Pater patrum, Papissæ pandito partum:
> Et tibi nunc edam, de corpore quando recedam.

Scribebat is circa annum M CCC XXX. & Chronicon Martini Minoritæ impressum Vimæ anno 1486. de illo mentionem faciunt, Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Martinus Alvewick*. Philippus Mornæus Plessiaci Dominus, *in Mysterio iniquitatis* seu *Historia Papatus* ad annum 854. pag. 165. editionis Salmuriensis anni 1611. in folio apud Thomam à porta. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 65. pag. 515. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. Carolus Dufresne, Dominus du Cange in *Catalogo Scriptorum*, quem *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* præmisit, verbo *Martinus Alvewick*, columna CXLIX.

1330 GVIDO DE MONTEROCHERI, natione Gallus, Theologiæ Professor, scripsit a. 1333. Opus prænotatum *Manipulus Curatorum ad Raymundum Valentiæ Episcopum, Opusculum* (ut verbis ejus utar) *de instructione Neophytorum Curatorum, rudi quidem stylo sed utili, non curans de verborum ornatu, sed de animarum commodo & profectu.* Extat MS. in Bibliotheca Parisiensi Choletana, Cod. 8. & in Bibliotheca Bellævallis, Ordinis Præmonstratensis, Diœcesis Remensis. Impressum autem Venetiis anno 1491. apud Maximum Butricium Papiensem, emendatum à Troino Zane Sacerdote & Professore Decretorum. Idem quoque sub latis mendis pristino decors restitutum diligentiâ docti cujusdam Theologi, & anno 1580. editum Antverpiæ apud Joannem Bellerum. Scripsit præterea *Ritum celebrandi Officium Missæ pro instructione novitiorum Sacerdotum*, quod Venetiis & Antverpiæ prodiit anno 1570. Hæc ex *Apparatu sacro* Antonii Possevini tomo 1. pag. 695. verbo *Guido de Monte Rocheri*, cujus meminit quoque Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Authorum* quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 106. ubi malè eum anno 1030. vixisse scribit.

GVILLELMVS DE RVBIONE, Ordinis 1330 Fratrum Minorum Theologus & Minister quondam in Provincia Arragoniæ, circa annum 1333. floruit, scribens *Commentarios in 4. Libros Sententiarum*, qui prodierunt olim duobus voluminibus Parisiis in folio annis 1517. & 1518. apud Judocum Badium Ascensium. De illo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 712. ubi plura his non habet. Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* p. 156. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 109. ubi eum anno 1333. vixisse asserit.

HENRICVS DE WRIMARIA SEV FRI- 1330 MARIA, Ordinis Eremitarum divi Augustini, natione Germanus, sic dictus à Wrimaria pago Thuringiæ prope Gotham, ex provincia Saxoniæ. Huic elogium contexuit Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano* pag. 274. sed infantile atque nugax, quale Monachum debet. Ibi dicitur adsuisse anno 1290. Capitulo Ratisponensi sui Ordinis, anno 1300. Neapolitano, & anno 1318. Generali Ariminensi. Factus deinde Provincialis Saxoniæ & Rector Studiorum Ordinis sui in urbe Pragensi, ubi litteras in multis promovit, viros literatos eximiè coluit. Vixit post annum 1334. valde senex, usque ad annum 1340. vel circiter, quo mortuus creditur. Scripsit *Additiones ad Libros Sententiarum*, quæ cum Ægydii Romani Commentariis prodierunt Coloniæ anno 1513. *Librum De quadruplici instinctu*, incipientem *Semen aliud cecidit in terram bonam &c.* olim Venetiis anno 1498. impressum cum libro *De deliciis Paradisi* Bartholomæi Rimbertini Coronensis Episcopi, sed sub alterius Henrici Ordinis Prædicatorum titulo. Cornelius Dielman Ordinis Eremitarum divi Augustini Monachus, hoc Opusculum *De quatuor instinctibus Henrici de Vrimaria*, Antverpiæ anno 1652. in 8. apud Viduam Joannis Knobbari edendum curavit, ex fide MS. Codicis Crucigerorum Gandavensium, quod inscripsit *De discretione Spirituum*, cui præmisit Vitam Henrici de Vrimaria ex diversis collectam ab ipso. Denique ejus *Sermones De Passione Domini, de Sanctis & de quadruplici instinctu*, impressi sunt Parisiis anno 1514. apud Jodocum Badium Ascensium, & Haganoæ anno 1517. ex officina Henrici Gran, & alibi. Sunt qui Henrico Vrimariensi,

Præ-

Præceptorium nomine Nicolai Lyrani editum, attribuunt. Porro præter ista impressa, Henrici Vrimariensis Opera, extant adhuc multa sub ejus nomine manuscripta in diversis Europæ Bibliothecis. *Commentaria* nempe *copiosissima in Decem Libros Ethicorum Aristotelis* Annibaldo Canonico Attrebatensi dicata, quæ Bononiæ in Bibliotheca Sancti Jacobi, Ordinis Eremitarum divi Augustini asservantur. At cum ipse esset Saxo, opuscula etiam ejus plurima extant MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi in Saxonia nobilissima, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, impresso anno 1686. Lipsiæ in 15. cura & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii, cujus hic tibi paginas indicabo, ubi MSS. Codices Henrici de Vrimaria designantur.

Sermones de Sanctis Henrici de Vrimaria, Ordinis Augustinensium p. 168. n. 35.

Tractatus Henrici de Vrimaria De decem præceptis pag. 415. Idem pag. 339. inscriptum *Dicta decem præceptorum edita à Magistro Henrico de Vrimaria, Ordinis Eremitarum*.

Magister Henricus de Vrimaria super Decretali, cum Marthæ &c. p. 136.

Henricus de Vrimaria De occultatione vitiorum p. 195.

Tractatus Magistri Henrici de Vrimaria Ordinis Eremitarum, De libertatibus Ordinis Minorum p. 426.

Non tantum autem in Saxonicis Bibliothecis, sed etiam in Anglicis extant MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 823. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariæ Archiepiscopi celebris, littera D. Codice 56. num. 9. *Henrici de Wrimaria Expositio Orationis Dominica*. Num. 10. *Expositio salutationis Angelica*.

Ibidem Codice 1199. in MSS. Codicibus ejusdem Guilielmi Laudi littera G. Codice 34. *Henricus de Wrimaria De perfectione Spirituali* seu *Expositio super Orationem Dominicam & super Ave Maria*. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium regni hujus Bibliothecarum, Codice 743. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Wigorniensis Codice 68. num. 3. *Expositio in decem præcepta, per F. Henricum de Wrimaria*.

Ibidem Codice 3078. in MSS. Codicibus Norfolcianæ Bibliothecæ Codice 179. *Henricus de Wrimaria De perfectione Spirituali*, seu *Expositio Orationis Dominicæ*. Habentur hæc Opuscula tria, quæ tam constanter in MSS. Codicibus attribuuntur Henrico de Wrimaria in Germaniæ & Angliæ Bibliothecis, impressa cum Opusculis Sancti Thomæ Aquinatis, in omnibus Opusculorum hujus Doctoris editionibus, ab Opusculo 4. ad 8. Unde non in vanum conjicio, Opusculum IV. V. VI. VII. & VIII. certò pertinere, ad eundem Henricum de Wrimaria, cum eundem Scriptorem referant. Horum Opusculorum primum, *De articulis Fidei & Ecclesiæ Sacramentis*. Secundum *Expositio in Symbolum Sanctorum Patrum, seu Apostolorum*. Tertium *Expositio de duobus præceptis charitatis & decem præceptis Decalogi*. Quartum *De perfectione Spirituali* seu *Expositio Orationis Dominicæ*. Quintum *Expositio Salutationis Angelicæ*. Nonnulla tamen ex his Opusculis, etiam in Anglicis Bibliothecis, utpote incerta quoad authorem, Alexandro Halensi celebri inter Anglos viro, attributa sunt. Nam inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 663. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi littera C. Codice XI. num. 1. *Alexandri Halesii Expositio decem præceptorum Legis*. Num. 4. *Alexander Halesius de Symbolo Sanctorum Patrum*. Hæc ex MSS. Codicibus Bibliothecarum Angliæ, de quibus vide *Catalogos Manuscriptorum Codicum Angliæ & Hiberniæ* editos a. 1698. Oxonii in folio è theatro Sheldoniano. Imò unum ex his Opusculis, sub nomine *Nicolai de Lyra Ord. Minorum Præceptorium seu Expositio in Decalogum Legis divinæ*, editum Parisiis in 8vo, apud Gandoul, literis Gothicis, anno incerto: cujus editionis exemplar unum in Bibliotheca Caroli Mauritii Tellerii Remensis Archiepiscopi inter Theologos. *De Sacramentis* in 8. ut constat ex Catalogo hujus Bibliothecæ p. 92. editionis Parisiensis anni 1693. in folio. Hæc autem editio circa a. 1490. facta videtur.

De illo Jordanus de Saxonia, qui eum intimè noverat, Libro 2. *De Vitis Fratrum Eremitarum* capp. 4. 11. 12. & 22. Joannes Trithemius in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 433. pag. 261. De citatis autem tractatibus MSS. loquuntur tum Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 334. tum Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1. pag. 733. tum denique Philippus Elssius, Ordinis Eremitarum divi Augustini *in Encomiastico Augustiniano* p. 276.

DANIEL DE TARVISIO Archiepiscopus Bostraensis in Arabia, Ordinis Fratrum Minorum, claruit anno 1330. & ultrà, qui post multas peregrinationes & aliquantam in regno Armeniæ mansionem, missus à Leone Rege Armenorum Romam tempore Benedicti XII. circa annum 1338. Cum ibi ingens quæstio *de Erroribus Armenorum* verteretur, atque eruditi utrinque de hoc argumento altercarentur, scripsit ad defensionem Armenorum, opus inscriptum, *Responsio Fratris Danielis de Tarvisio, Ordinis Minorum & Legati Leonis Regis Armeniorum, ad errores Armenis impositos, tempore Benedicti XII.* MS. in Bibliotheca Colbertina, Cod. 1653. Remissus autem ad eundem Armeniæ Regem Leonem à Benedicto XII. Papa, anno 1341. qui se excusat apud Regem hunc, quod Danielem & nobilem virum Thorosium nuntios suos dudum apud se retinuisset, ob gravem infirmitatem, qua tunc temporis visitante eum misericorditer Domino afflictus fuerat, corpusque suum imminutum: unde nuntiis suis hucusque re- 1330

spon-

ſponſum dare non potuerat. Epiſtolas refert Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum* tom. 3. ad annum 1341. num. 1. 2. & 3. Reverſus autem in Armeniam cum ibi per annos circiter tres remanſiſſet Daniel, iterum legatus miſſus eſt anno 1344. Romam à Guidone Armenorum Rege, qui Leoni in Regno ſucceſſerat. Clemens VI. tunc Summus Pontifex honorificè gratanterque Danielem accepit, quem vocat *Armenum* Ordinis Fratrum Minorum, & nobilem virum Georgium de Sargiis militem, Regis Armeniæ Guidonis Ambaxiatores & nuntios, quos eò remiſſos eſſe anno 1345. conſtat ex reſponſalibus litteris Clementis VI. ad Regem Guidonem. Denique Daniel iſte anno ſequenti 1346. factus eſt Archiepiſcopus Boſtraenſis in Arabia majore ſub Patriarcha Antiocheno, haud dubiè ob linguarum Orientalium peritiam, unionemque Orientalium cum Romana ſede, ſubjectionemque procurandam. De illo Lucas Wadingus tomo 3. *Annalium Minorum* ad annum 1341. num. 1. 2. 3. 1344. num. 1. 1346. num. 10.

1330 RVDOLFVS DE FRAMEINSBERG, nobilis Bavarus, Paſtor in Sucken anno 1336. arripuit iter in Terram Sanctam, quam per quinquennium luſtravit, illiusque *Deſcriptionem oblatam Balduino Comiti Steinfordenſi, Epiſcopo Paderbornenſi* compoſuit. Habet hanc Opellam editam cum Itineribus Marci Pauli Veneti & Joannis de Mandevilla, & tomo 6. *Antiquæ Lectionis* Henrici Caniſii, cum Deſcriptione Terræ Sanctæ ab Anſelmo Ordinis Fratrum Minorum, qui anno 1505. floruit. De illo Gerardus Joannes Voſſius Lib. 3. *De Hiſtoricis Latinis* c. 1. p. 528. ult. edit.

1330 GREGORIVS ARCHIEPISCOPVS THESSALONICENSIS, SENIOR dictus, ut diſtinguatur ab altero ejusdem nominis & ſedis Archiepiſcopo, qui anno 1430. vixit, Synchronus fuit Gregorio Palamæ, unde ejus ætatem circa annum 1330. aſſignamus. Videtur ille fuiſſe, qui ſedem Theſſalonicenſem Metropoliticam occupavit, dum Gregorius Palamas qui ad eam occupandam appellatus fuerat, ipſa adverſariis agentibus, remotus fuit, ut in Palama diximus. Scripſit hic Gregorius multa quorum Catalogum recenſet Philippus Labbeus Soc. Jeſu *in Nova Bibliotheca Manuſcriptorum librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, ſeu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potiſſimum collectam, edendam ſategit Pariſiis in 4. a. 1653. apud Joannem Henault. Nimirum parte 2. pag. 85. Gregorii Theſſalonicenſis Archiepiſcopi de proceſſione Spiritus Sancti in Codd. Regiis 692. & 1408. Ejusdem Capitula CL. Phyſica, Theologica & Ethica, Practica. Adverſus Barlaamum in Codice 1213. Ejusdem de doctrina Acyndini ad Athanaſium Archiepiſcopum Cyzicorum liber unus, & Confutationum Acyndini libri ſepteni in Codice 1408. Ibidem parte 2. p. 89. Nicolai Pepagomeni ad Gregorium Theſſalonicenſem & ad Gregorium Palamam in Codicibus Regiis 1379. & 1408. Parte 2. pag. 93. Gregorii Theſſalonicenſis Archiepiſcopi ad Xenam Monacham de paſſionibus & virtutibus, & de iis quæ per otium cogitatio parit in Codice Regio 615. in quo & ejusdem Homiliæ in Demetrium Martyrem, de mutuâ concordiâ, in Publicanum, in Prodigum, de ſecundo adventu Domini, de miſericordia & beneficentia. Ejusdem poſt adventum Chriſti, præmia bonorum majora & ſupplitia malorum graviora fuiſſe, in Codice 1379. cum aliis, ubi additur, recitari in Dominica πρὸς τὺς τῶν προπατέρων. Parte 3. pag. 101. Nicolai Pepagomeni ad Gregorium Theſſalonicenſem in Codice Regio 1379. & ad Gregorium Palamam in 1408. in quo & alia opuſcula ejusdem. Parte 3. pag. 100. Gregorii Theſſalonicenſis Epiſtolæ ad Annam Palæologam Imperatricem, ad Joannnem Gabram, ad Danielem Ævi & Acyndinum in Codice 1408. Parte 4. pag. 134. Gregorii Theſſalonicenſis Jambi adverſus carmina Acyndini, in Codice 1408.

CYRILLVS CYZICENVS ſuppar ſeu æqualis Gregorio Palamæ de quo ſuprà diximus, 1330
in Eccleſia Cyzicena claruit illa ætate, qua Athanaſius ei in Metropolitam ſuffectus fuit, hoc eſt, circa annum 1330. 1340. &c. Ætatem ejus agnoſcimus ex Philippo Labbeo *in Nova Bibliotheca MSS. Codicum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, ſeu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex Catalogo MSS. Regiæ Galliarum Bibliothecæ collegit, de qua ſtatim diximus. Nam illic parte 2. pag. 86. *Gregorii Palamæ in Cyrillum* extat MS. in Codice Regio 507. unde ætatem Cyrilli certam habemus. In eadem Bibliotheca parte 2. p. 83. *Cyrilli Solutiones quæſtionum dogmaticarum Tiberii Diaconi*, in Codice Regio 1026. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ in Anglia Bibliothecæ, in MSS. Baroccianis Codice 25. poſt *Gregorii Palamæ* pag. 262. *Metropolitæ Theſſalonicenſis* Reſponſum ad quærentem, quis ſit finis incarnationis divinæ, pag. 273. *Cyrillus Cyzicenus de Sancta Blandula & figulo*, τὶ τὸ ἱερὸν τῦτο: *Ejusdem* pag. 275. *Sermo alius*, ἐπαινῶ τὸν νόμον τῆς ἐκκλησίας: *Ejusdem Sermo in Feſtum Epiphaniæ* pag. 279.

GREGORIVS ACINDYNVS, Monachus Græcus ac Theologus, florebat eodem 1340
tempore, quo Barlaamus Calaber, de quo anteà, eandemque cum ipſo palæſtram ingreſſus eſt, eandem cum ipſo fortunam ſortitus. Cum enim juxta Spondanum *in Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 1337. num. XI, Gregorius quidam Palamas, genere Aſiaticus, & in aula Imperato-

ris educatus, doctrina cœteris eminentior Monachis, qui & postea Thessalonicensis Archiepiscopus factus est, suscepisset defendendam Doctrinam seu errorem Monachorum *Hesycastarum* seu *Quiescentium*, in Monte Atho habitantium, qui perverse asserebant *Lumen illud quod in monte Thabor Apostoli in Transfiguratione Domini viderant, fuisse lucem increatam, hoc est, essentiam divinam: eamque sese dum in Oratione sua incalescerent, oculis etiam corporeis cernere & contemplari:* opinatus hoc sensus esse hæreticos Gregorius Acindynus, cum Barlaamo Calabro, adversarium se Palamæ objecit. Accusabat Acindinus Palamam Monachosque, quorum hæresim ille tuebatur, Massalianismi, probeque & Catholicè argumentabatur: Si lumen illud corporeis oculis visum est, increatum non esse, quandoquidem quidquid oculis corporeis videri potest, creatum esse necesse est. Inde ergo graves turbæ & disputationes excitatæ sunt, sed Adversariorum argumenta copiosè, & quoad materias tunc controversas orthodoxè confutavit jam præfatus Gregorius Acindynus, qui una cum aliis ejusdem argumenti omnibus, simulque relatione totius hujus dissidii à Daniele quodam Monacho conscriptâ, extare MSS. dicuntur in Bibliothecis Bavaricâ & Augustæ Vindelicorum in Germania, teste Jacobo Pontano in *Notis* suis ad Cantacuzeni Historiam, Lib. 2. cap. 40. Attandem agente Joanne Cantacuzeno Imperatore, Barlaamus & Acindynus, post mortem suam damnati sunt. Narrat enim Cantacuzenus *in Historiâ* lib. 4. cap. 23. confusionem horribilem & turbas in Ecclesia excitatas suo tempore, ob secessionem Sectatorum Barlaami & Acindyni, à communione cæterorum: atque hinc permisisse Callisto Patriarchæ, aliisq; Episcopis & Monachorum primariis contraria sentientibus, Synodum congregari ad examinanda dogmata & conciliandam pacem, vocato ad eam imprimis Gregorio Palama, Archiepiscopo Thessalonicensi. Coacta igitur Synodo ad Palatinum in Blachernis, præsente ipso Cantacuzeno, & nobilissimis quibusque proceribus, & in Controversiarum quæstione inter Palamam & Acindynianos (quorum antesignani erant Metropolitæ Ephesi & Gani, Nicephorusque Gregoras & Dexius) dictus quatuor consumptis: Decretum esse prædictos Ephesi & Gani Antistites ordine amovendos, Barlaamum verò & Acindynum jam vita functos, à corpore Ecclesiæ resecandos: qui ad Ecclesiæ doctrinam reverterentur, sine ulla præteritorum exprobratione suscipiendos &c. ut jam suprà diximus *in Gregorio Palama* ad annum 1330. Ita Cantacuzenus. Dicunturque à Jacobo Pontano in *Notis* suis ad *Cantacuzenum* lib. 2. cap. 40. extare integra Acta hujus Pseudosynodi, MSS. Græcè in Bibliotheca Augustana. Damnatus itaque est Gregorius Acindynus in hoc Concilio, quod refert Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 1350. num. 20. Sed immeritò ac post mortem damnatus, dum non esset, qui amplius loqueretur, agente ejus adversario Imperatore vel tyranno potius Joanne Cantacuzeno, hujus Concilii capite ac magistro. Quæ tantum abest juxta Pontanum, ut Gregorii Acindyni memoriæ noceant, quin ipsi è contrà magno Orthodoxiæ & probitatis argumento sint. Opusculum *Gregorii Acindyni de Essentia & Operatione Dei adversus imperitiam Gregorii Palamæ & aliorum Græcorum*, quod Græcè MS. erat in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, interprete Jacobo Gretsero Societatis Jesu Theologo, impressum posteà Græcè & Latinè, anno 1616. in 4. *cum Epistolis decem diversorum Pontificum ad Petrum Gnapheum Eutychianum Græcolatinis*, Ingolstadii apud Angermariam. Ejusdem Gregorii Acindyni Epistolæ, & alia, Græcè in eodem Codice 124. extant Serenissimi Bavariæ Ducis, unde Gretserus nonnulla edidit. Item in Regia Galliæ Bibliotheca Codice 1379. Refutationes Acyndini pro Palama, ut habet Philippus Labbeus *in Nova Bibliotheca MSS. Librorum* Bibliothecæ Regiæ parte 2. pag. 86. Codice 1379. Extat ejusdem *Gregorii Acindyni Carmen Jambicum De hæresibus Palamæ*, tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* Leonis Allatii à pag 756. ad pag. 770. sub hoc titulo: Γρηγορίε τῦ Ἀκινδύνε &c. Incipit autem Σπυδὴ Παλαμᾶν εὐσεβὴς πᾶς φεύγετο, ὅθεν γὰρ ἐκεῖ &c. Agunt *de Gregorio Acindyno* Nicephorus Gregoras *Historia* Lib. 11. cap. penultimo. Joannes Cantacuzenus ejus hostis *Historia* Libro 2. capp. 39. & 40. Et Libro 4. cap. 23. Jacobus Pontanus Notis suis in Cantacuzeni Historiam, Libri 2. cap. 40. ubi pluribus de illo, atque cum laudibus non paucis. Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 1337. num. 11. & ad annum 1350. numero 20.

NILUS CABASILAS THESSALONICENSIS ARCHIEPISCOPUS, author ejusdem temporis est, Patruus Nicolai Cabasilæ, qui ipsi in Episcopatu Thessalonicensi successit: magnus Romanorum Pontificum hostis, ut ex ejus Operibus constat. Scripsit enim *Volumen de Primatu Papæ & Orationem, quâ docet totum utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ dissidium pendere ex eo, quod Episcopus Romanus solus arbiter omnium Controversiarum esse velit:* quod primum editum Græce & Latine Basileæ anno 1544. in 4. typis Oporinis cum Flacio contra Brunum, tum per Matthiam Flacium Illyricum Græcè & Latine Francofurti 1555. in 8. Idem Græce & Latine, cum aliis ejusdem Nili Opusculis, per Claudium Salmasium, Hanoviæ 1598. in 8. Idemque cum Salmasio *De Primatu Papæ*, Lugduni Batavorum 1595. in 8. & ibidem 1645. in 4. cum Notis Claudii Salmasii & Bonaventuræ Vulcanii nonnullis. Omnia autem Opera *Nili Thessalonicensis Archiepiscopi* Græce MSS. extant ex MS. ille Codice 2. Bonaventuræ Vul- 1340

Vulcanii, in Bibliotheca Lugduno Batava, Volumine magno majoris folii, ut constat ex hujus Bibliothecæ Catalogo in 4. impresso anno 1674. pag. 412. Addit Leo Allatius in Dissertatione sua *De Nilis & eorum Scriptis* cap. 14. pag. 49. plurima alia ejusdem Nili MSS. opera, omnia contra Latinam Ecclesiam. Hæc quidem in editione prima hujus Operis per compendium dixeram, quæ latius diffundi ex Dissertatione Leonis Allatii *De Nilis* cap. 14. pag. 45. Lectori non ingratum fore arbitror. De illo igitur quatuor notanda esse arbitror.

PRIMUM pro studio partium Nilum Cabasilam nunc laudari, nunc injuriis opprimi. Laudant illum Græce fere omnes, quòd contra Latinorum opiniones acri animo scripserit: dejiciunt e contra ut Schismaticum atque hæreticum, Latinis addicti doctrinis & studiis. Atque ex Latinis Romani vel à Romani Pontificis partibus stantes, plurimis in hunc Nilum diris invehuntur, quem e contrario Reformati Calvinistæ, Lutherani, aliique Anti-Romani dilaudant, quod eximie ut opinantur, fastum ille atque ambitum Romanæ sedis impetierit, impugnaveritque. Michael Neander de eo scribit, vocatque *Nilum Cabasilam, quem fuisse Archiepiscopum Thessalonicensem legit, virum eruditum & Papatui minimè æquum: propterea quòd plurimis ejus scriptis, tum idolomaniam, tum etiam superbiam, quâ se supra Deum & Ecclesiam extulit, acerrimè confutarit.* Ita hic Antipontificius, contra verò Joannes Matthæus Caryophilus præfatione in Nili Junioris vitam: *Sed utinam post duos hosce inclytos Nilos, non extitisset tertius, qui post egregium virtutis nomen, bonis omnibus affluentissima, fontem falsarum exhiberet aquarum, Thessalonicensis Antistes, & vaniloquentia Schismaticorum Antesignanus. Hujus perniciosissima dicta & sententias, unà cum suis Confutationibus (Deò dante) post Sancti Patris Historiam videbis edenda: ut palam fiat omnibus, quid intersit inter Nilos & Nilum, denique inter avitam Græcorum Theologiam & Schismaticorum absonas novitates.* Hæc ille Romanus vel a partibus Romanis stans. Quid verò Thessalonicenses in Synodico Manuscripto, quod novi illius editores uti prophanum & impium rejecerunt, de Nilo isto scripserint, hæc sunt. *Nili sanctissimi Archiepiscopi Thessalonicensis, qui Sermonibus simul & actionibus, & Commentariis divinis pro Ecclesia Christi, & Barlaami & Acindyni vanos strepitus, à Deo datis Sermonibus quibus resisti non poterat; demonstrationibus dilucidavit, & in vituperationem adduxit, & in crimine posuit, sempiterna memoria.* Quid illustrius dici potest? Nec alio pacto Symeon Thessalonicensis Archiepiscopus, *in Dialogo contra hæreses*, dum de athletis loquitur. *Nec non cum alio Nilo viro divinissimo, & urbis Thessalonicensis æquè summo Antistite, cujus tamen sedem adipiscendi potestas non fuit: licet contra Latinorum novum facinus, splendida & fidei plenissima & valde robusta Commentaria concinnaverit, nec non contra infelicem hanc Barlaami & Acindyni hæresim.* Hæc igitur in utramque partem, pro partium studio.

SECUNDUM. De Nili hujus Thessalonicensis ætate, haudquaquam omnes conveniunt. Nam Bonaventura Vulcanius in Epistola ad Lectorem præfixa Opusculo quod edidit, sic loquitur. *De authore hujus Scripti variant Doctorum sententiæ. Varietas hinc nata, quòd Nili multi fuerint cognomines.* Subdit Michael Neander, *Nilus quando vixerit, non satis constat: vixit sinè post Caroli Magni, primi Germanorum Imperatoris tempora, septimæ namque Synodi aliquoties mentionem facit.* Esto vixerit post Caroli Magni tempora, cum septimæ Synodi nomen attingat, non satis interim constat, quo tempore ille vixerit. Salmasius *De Opusculis Nili Thessalonicensis* ad Lectorem, scribit *sibi constare hunc Nilum esse recentissimum: Thoma enim Aquinatis, in aliis suis scriptis, qua nondum edita sunt, meminit: & Thomas ille recentissimus est.* Poterat tamen certiora præfinire tempora, quia a S. Thoma Aquinate ad hunc Nilum, non breve temporis spatium intercedit. Hunc ergo Nilum nos sub Joanne Cantacuzeno vixisse figimus, una cum Nicolao Cabasila cujus *Patruus* fuit, ad quem uti πρὸς τὸν αὐτȣ̃ ἀνέψηλον, ejusdem Nili extat Epistola Theologica in Codice MS. Vaticano 632. cujus initium Περὶ ἐννοίας τῶν συγγραμμάτων σȣ. Ibidem Epistolæ Demetrio Chrysoloræ, Demetrio & Prochoro Cydoniis fratribus, pro quo Prochoro extat Demetrii Oratio ad Philotheum Patriarcham: cujus initium. Νῦν μόλις ἔργον ἀνδρὸς ἀποδείξαι, μὴ μέχρι πολλȣ̃ &c. Et quod magis rem probat, legitur etiam modo in Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus 673. 674. & 1222. Joannis Cantacuzeni ad dicta Prochori, Περὶ ȣ̉σίας καὶ ἐνεργείας Θεȣ̃, *De essentia & operatione Dei*, cujus initium: Περὶ μὲν ȣ̃ν τῶν τῆς ἐνεργείας τȣ̃ Θεȣ̃ εἰδῶν, κατὰ τὴν ἐν προοιμίοις ἐπαγγελίαν. *Antirrhetica ad dicta Patrum allata à Prochoro Cydonio*, quorum initium: Ὅλως μὲν ȣ̉κ ἔδη τὸ ἔτως ἀπολογήσασθαί με πρὸς τὰ λεγόμενα &c. Probant etiam eandem ætatem aliæ Commentationes eodem tempore concinnatæ uti Demetrii Chrysoloræ, Κατὰ Λατίνων λόγος συνοπτικὸς, ἀφ' ὧν ἐποίησε Νῖλος Ἀρχιεπίσκοπος Θεσσαλονίκης. Initium Ἀρχαία δόξα τῆς Ἐκκλησίας, ὡς ȣ̉κ τȣ̃ Υἱȣ̃ τὸ πνεῦμα. Idem ejusdem Διάλογος ἀναιρετικὸς τȣ̃ λόγȣ ὃν ἔγραψεν Δημήτριος ὁ Κυδώνης, κατὰ τȣ̃ Θεσσαλονίκης Κυρίȣ Νείλȣ τȣ̃ Καβάσιλα: cujus initium Μέγας μὲν ὁ τῶν ὁμοφύλων καθ' ἡμῶν πόλεμος &c. Tandemque ne plura huc aggeram, extat ibidem Demetrii Cydonii Πρὸς τȣ̀ς τȣ̃ Καβάσιλα ἐλέγχȣς. κατὰ τῶν περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τȣ̃ ἁγίȣ Πνεύματος κεφαλαίων τȣ̃ μακαρίȣ Θωμᾶ, cujus initium: Ἡ μὲν καὶ τὰ Λατίνων προθυμία τȣ̃ ἀνδρὸς τȣ́τȣ μεγάλη καὶ θαυμαστὴ &c. Confirmatur opinio nostra ex MSS. Codicibus Nili Cabasilæ, qui

qui extant in Regia Galliarum Bibliotheca. Illic enim parte 2. pag. 89. Nili Cabasilæ Thessalonicensis Archiepiscopi *Enchiridion Disputationum adversus Latinos* Codice MSS. 1377. & parte 3. pag. 101. *Nili Thessalonicensis Archiepiscopi ad Nicolaum Cabasilam, ejusdemque Nicolai ad Nilum Epistolæ* in Codice Regio 1759. Et parte 4. pag. 136. *Nicolai Cabasilæ Chamaëta, Epitaphium Nili Thessalonicensis Archiepiscopi avunculi sui*, in eodem Codice Regio 1759. Ita Philippus Labbeus *in Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, collecta potissimum ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quam Parisiis anno 1653. in 4. edidit apud Jo. Henault.

TERTIVM. Edita sunt *Nili Archiepiscopi Thessalonicensis Græcè & Latinè Oratio demonstrans non aliam dissidii Ecclesiarum Latinarum & Græcanicarum esse causam, quàm quòd Papa, ejus quod controversum est cognitionem ac judicium, ad Oecumenicam Synodum deferre detrectat: Sed ipse solus controversiæ Magister ac judex sedere velit, reliquos verò discipulorum instar, dicto audientes habere: quod quidem Apostolorum & Patrum legibus, actionibusque est alienum.* Item ejusdem *De primatu Papa*, quibus accesserunt alia nonnulla de controversiis à Græcis, opera & studio Claudii Salmasii & Bonaventuræ Vulcanii, cum Notis nonnullis, Hanoviæ typis Wechelianis apud Claudium Marnium & Hæredes Joannis Aubry 1608. in 8. Hoc Schismatici Opus negari non potest, a veneno eoque pestifero suffusa lingua dictatum fuisse, inquit Leo Allatius Romanorum Pontificum conductitius, idcoque acceptissimum hæreticis accessisse. Tum subjungit idem Leo quæ ipse vidit in Bibliotheca Vaticana, MSS. Nili Casabilæ Opera, quæ perperam sub nomine Nicolai Cabasilæ Conradus Gesnerus, vel ejus Epitomator Josias Simlerus *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 621. col. 2. Βιβλίον κατὰ Λατίνων, ἐν ᾧ περιέχονται Ἀπάντησις πρὸς Λατίνους ὥσπερ ἐγχειρίδιόν τι προκείμενον τοῖς βουλομένοις ἀγωνίζεσθαι πρὸς ἐκείνους. Cujus initium, Τῶν ἐν τῇ Θεολογίᾳ δογμάτων, τὰ μὲν ἐστι ῥητῶς κείμενα &c. Extat quoque sub nomine *Nili Cabasilæ*, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCLX. n. 4. & quidem a fol. 22. pag. 2. usque ad fol. 26. pag. 1. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 180. post Opus ipsum a Salmasio editum, quod ibidem extat n. 2. & quidem a fol. 5. usque ad fol. 26. p. 1. ut habet idem Lambecius ibidem p. 179. Itemque *Libellus de primatu Papa*, ibidem n. 3. & quidem a fol. 11. usque ad fol. 22. p. 2. Denique *Ejusdem Nili Archiepiscopi Thessalonicensis Responsio compendiaria adversus Latinos, velut Enchiridion quoddam cum illis disputandi*, ibidem n. 4. & quidem a fol. 22. p. 2. usque ad folium 26. p. 1. juxta Lambecium Lib. 5. Commentariorum p. 180.

Ibidem in Vaticana, *Argumenta Latinorum De Spiritu sancto, quibus se demonstrare putant, Spiritum sanctum ex filio quoque procedere:* Περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος λόγοι Λατίνων ἐξ ὧν οἴονται δεικνύναι τὸ ἅγιον Πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενος. Cujus initium Πρῶτον μὲν ἀρχαία τῆς ἐστι δόξα τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας &c.

Ad conclusionem sive *De Spiritu Sancto:* Πρὸς τὸ συμπέρασμα ἢ περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.

Orationes quinque quarum prima λόγος α', cujus initium, καὶ ταῦτα μὲν ἡ τῶν Λατίνων Ἐκκλησία συνηγοροῦσα τῇ δόξῃ τῆς ἑαυτῆς &c. Secunda, λόγος β', cujus initium, ὅτι καὶ ἡ τῶν Ἀποστόλων παράδοσις. Tertia λόγος γ', cujus initium, Ἔτι γε μὲν καὶ οὐκ τῶν ἀποφάσεων &c. Quarta λόγος δ', cujus initium, οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς τρίτης συνόδου. Quinta λόγος ε', cujus initium, καὶ μὲν καὶ ἐκ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἕκτης συνόδου.

Λύσεις τῶν Προτάσεων τῶν Λατίνων ἐξ ὧν συνάγειν οἴονται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Initium, Πάντα μᾶλλον ἢ καὶ τοιαῦτα γένοιτ' ἂν ἀληθῆ. Τοὐναντίον γὰρ &c. *Solutiones Latinorum Propositionum, quibus se concludere opinantur, Spiritum Sanctum ex Filio etiam procedere.* Hæc autem quoque omnia extant in MS. Codice Theologico Græco CCLX. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, n. 5. & quidem a fol. 26. pag. 2. usque ad folium 279. pag. 2. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 180.

Ibidem in Vaticana, Ejusdem *Nili Cabasila, Non posse Latinos suis syllogismis demonstrare Spiritum sanctum ex Filio procedere:* Ὅτι οὐκ ἐστι Λατίνοις συλλογισμοῖς χρωμένοις ἀποδεῖξαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον: cujus initium, Λοιπὰ καὶ οἱ Συλλογισμοὶ οἷς τοσοῦτον ἰσχὺς μέτεισιν &c.

Solutiones Argumentorum Latinorum, De processione Spiritus sancti: Λύσεις τῶν Συλλογισμῶν τῶν Λατίνων περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, quarum initium, Τοῦτο καὶ ἀναντιῤῥήτων λόγων δῆλόν ἐστιν. Denique ejusdem *Excerpta de processione Spiritus Sancti:* Τοῦ αὐτοῦ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματός τινα &c. De cujus Niliaci voluminis immensa mole, Bessarion Cardinalis apud Syropulum in *Historia Concilii Florentini* sectione 6. cap. 12. ad Græcos. *Nec enim nos oportet Latinos expavescere, siquidem Cabasilas cum de Additamento scriberet, tantum unius libri folia implevit: qua nos hic de eodem argumento fudimus, surgunt ad volumen. Ergo ubi Cabasilas ipsum dogma illustrando integrum Codicem confecit, nunquid nos in illud item dogma non poterimus multo præclariora, quam qua hactenus, emulgare?* Plura de hoc Nili Opere vide apud Leonem Allatium in Diatriba *De Nilis & eorum scriptis*, pag. 49. 50. & 52. subjuncta *Epistolis S. Nili Asceta, sancti Joannis Chrysostomi discipuli*, Romæ typis Barberinis Græce & Latine, anno 1668. in folio editis. Item Lib. 2.

De

De Ecclesia Occidentalis & Orientalis consensione perpetua cap. 18. paragr. 8. ubi perperam hoc Opus *esse divisum in libros quadraginta novem* traditur, cum illi re vera tantum sint tot capita unius Libri: ut ex inspectione Codicis MS. animadvertit Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum *Bibliotheca Cæsareæ* pag. 181. Ibidem quoque Codice MS. Theologico Græco CCLXVII. num. 8. pag. 84. ut habet Lambecius ibidem pag. 208. extat *Nili Cabasilæ Archiepiscopi Thessalonicensis Epistola, ad sororis suæ filium Nicolaum Cabasilam, De proxime præcedenti Oratione in Laudem sancti Demetrii Martyris, tanquam ipso S. Joanne Baptista majoris.*

Quartum denique annotatione dignum, plures confudisse Nilum Thessalonicensem Archiepiscopum, cum Nicolao quodam Methones Episcopo, qui annis centum circiter ante Nilum vivebat: alios cum Nicolao Cabasila Thessalonicensi Archiepiscopo, Nili nepote & in sede successore, qui eodem cum illo tempore vivebat, ac scientiæ fama illustris apud Græcos divulgabatur. Notat igitur & recte Salmasius, qui Nili Opuscula quædam edidit, non mediocriter errare virum alioquin eruditissimum, Bonaventuram nempe Vulcanium, qui Nilum Thessalonicensem eundem facit cum Nicolao quondam Methones Episcopo, ubi Nilum hunc fuisse dicit binominem. Fefellit Vulcanium, quod usus esset Codicibus, qui tractatus quosdam ejusdem Nicolai Methonensis continebant, nec multum ob similis argumenti, quibus interdum Νικολάυ Καβασιλᾶ nomen additum refert. Nec alio argumento Nilum & Nicolaum eundem putat. Argumentum autem ponit in fabulas Salmasius, & non dissimili exemplo explodit: ~~nimirum se quoque~~ in Codice Palatinæ bibliothecæ, Disputationes Nicolai Methonensis aliquot adversus Latinos, itemque Dissertationem Basilii Thessalonicensis Metropolitani invenisse: & hoc eodem usum argumento, ex his tribus Nilo, Nicolao, & Basilio, Gerionem unum tricipitem ac triplicem creare potuisse. Nam quod idem adstruere ex styli affinitate conatur, argumentum illud infantile est ac nugax. Cum seculo isto XIV. in simili argumento, similem pariter omnes Græci scriptores habuerint dictandi & scribendi rationem. Eruditissimus hic vir, cujus nomen subticuit, & conjecturas de Nilo & Nicolao Methonensi redarguit, a nobis nominatus est, Bonaventura Vulcanius: cujus dicta accuratiori examini supponenda sunt, atque hic non gravabor apponere nonnulla ex ejus *Præfatione ad Lectorem*, præfixa tractatui Nili Thessalonicensis Archiepiscopi, *De Papa Romani primatu.* Codex „meus MS. in fonte libri expresse præ se fert nomen Νείλυ Ἀρχιεπισκόπυ Θεσσαλονίκης, sed cum in eodem Codice sint alii non absimiles ab hoc argumento tractatus: in iis reperio interdum nomen Νικολάυ τῆς Μεθώνης Ἐπισκόπυ, interdum etiam additum nomen τῦ Καβασιλᾶ. Quo fit, ut mihi pene persuadeam binominem hunc nostrum Nilum fuisse, hoc est, Nilum & Nicolaum, hunc unum atque eundem authorem fuisse. Neque hoc me a sententia dimoverit, quod hic Methonensis Episcopus, alter vero Thessalonicensis Archiepiscopus fuerit: usitatum enim & olim & hodie, ut Episcopi ab uno ad alium digniorem Episcopatum, aut alioquin ad Archiepiscopatum promoveantur. Accedit huc, quod quæ hodie extant Nicolai Methonensis lucubrationes, vel typis excusæ vel manuscriptæ, plane cum stylo & filo hujus Nili Orationis conveniant. Excusus autem extat Nicolai Methonensis tractatus inter Liturgicos authores: ex manuscriptis vero Operibus, quæ in nonnullis Italiæ & Hispaniæ Bibliothecis extant, vidi illius *Orationes septem De vita in Christo*, quas nonnulli, quod quidem pro me maxime facit, Nilo adscribunt: neque mea quidem sententia falluntur. Extat etiam apud me præclarum ejusdem Nicolai Methonensis Opus, quo *Theologiam Platonicam Procli*, quæ constat Propositionibus CCXI. in quarum plerisque, dubium accuratione ille Philosophus, an acrior Christi hostis, principia religionis Christianæ Philosophicis rationibus & demonstrationibus evertere conatur: doctissime confutat. Titulus Libri sic habet, Νικολάυ ἐπισκόπυ Μεθώνης ἀνάπτυξις τῆς θεολογικῆς στοιχειώσεως Πρόκλυ τῦ Λυκίυ Πλατωνίκυ Φιλοσόφυ, *Nicolai Episcopi Methonensis Confutatio Theologicæ informationis Proclii Licii Platonici Philosophici:* hi inquam libri a Nicolao Methonensi conscripti, Nili hujus nostri stylum tersum sane atque elegantem proxime referunt. Horum te candide Lector monitum volui, liberum tibi de tota re judicium relinquens.

Eruditissimus hic vir quisquis ille fuit, cum Nicolaum Cabasilam & Nilum, unum facit & postremum oblitus est a Cabasilæ memoria; mirum non est, si Methonensem in locum ejus intrusetit. At inter Nicolaum Cabasilam & Methonensem magnum intercedit temporis intervallum, Methonensis siquidem multo est Cabasila antiquior. Si Methonensis, ut Epitomator Gesnerianus tradit, florebat anno 1230. sub Lascaribus, qui scripsit pleraque contra Pontificios, quæ in Bibliothecis manuscripta leguntur: Cabasilas vero anno 1314. imo 1340. florebat: inter Methonensem atque Cabasilam intermedii sunt anni 84. si quæ statuit Epitomator, vera sunt: & centum atque decem, juxta nos. Atque ut liquidius res diluceat, Joannes Veccus florebat sub Michaele Palæologo anno 1271. & sequentibus. Sed Veccus multo antiquior Cabasila, scribit & plane dissolvit argumenta Nicolai Methonensis contra Processionem Spiritus sancti etiam ex Filio, post tot annos: ergo Nicolaus Methonensis & Nicolaus Cabasila, non possunt esse unus & idem author. Adde, Nicolaus Cabasila, licet sententiam Nili

Mmm 3 *De*

De processione Spiritus Sancti adversus Latinos secutus sit ac foverit: Nihil tamen de eo argumento adversus Ecclesiam Romanam, ad hunc diem ab eo scriptum & concinnatum, inveniri in Bibliothecis, quod ipse sciam. Hæc contra Vulcanium, Nilum Archiepiscopum Thessalonicensem cum Nicolao Methonensi Episcopo, & Nicolao Cabasila, Thessalonicensi pariter Archiepiscopo confundentem: atque ex tribus omnino distinctis hominibus, unicum conflantem. Nilum autem Thessalonicensem Archiepiscopum, ac Nicolaum ejusdem in hac sede successorem distingui aperte patet, ex Labbæo, qui in *Conspectu Nova Bibliotheca MSS. Librorum*, ait extare *Nili Thessalonicensis ad Nicolaum Cabasilam Epistolam* in Codice Græco 1759. Regiæ Galliarum Bibliothecæ: nec non in eodem Codice Regio 1759. *Nicolai Cabasila Chamaata Epitaphium Nili Thessalonicensis Archiepiscopi avunculi sui & aliquot ejusdem Epigrammata.*

De *Nilo Cabasila* præter citatos, Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum* pag. 636. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, tomo 2. Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 179. & 180. 208. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 350. & 366. Plenissime omnium Leo Allatius in Dissertatione singulari *De Nilis & eorum scriptis*, pag. 49. 50. & 51.

1340 CONSTANTINUS HARMENOPULUS, SEBASTUS, NOMOPHYLAX ET JUDEX THESSALONICENSIS, circa seculi XIV. medium claruit. Errarunt fere omnes, atque cum omnibus ipse ego, in editione Supplementi Bellarminiani *De Scriptoribus Ecclesiasticis* in ætate *Constantini Harmenopuli* designanda, quæ tandem nunc primum certo cognita fuit, ex MS. Codice Græco Juridico XI. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ubi num. 8. fol. 195. pag. 2. extat testimonium certum Philothei Patriarchæ Constantinopolitani, de ætate Constantini Harmenopuli. Nam Theodoricus Swallembergius in præfatione primæ editionis Græcæ *Promptuarii Juris*, ætatem Constantini Harmenopuli prorsus incertam esse, his asserit verbis. „Quo tempore floruit, ex historiis „non liquet, cum nusquam (quod sciam) illius „fiat mentio. Nisi quantum conjectura conse„qui possumus, author est recentior: cujus rei „hoc mihi fidem facit præcipue, quod illorum „Imperatorum Constantinopolitanorum *Νεαρὰς* sive Novellas in hanc Epitomen deduxe„rit, qui inter postremos fere fuerunt. Ad „hæc quædam etiam hic habentur, quæ ab Ir„nerii Placentini, Azonis & Accursii divinatio„nibus non differunt: dum inquit Libro quinto, „Legem *Falcidiam* quibusdam a falco deductam „videri: cum omnibus notum sit, a Falcidio Tri„buno plebis, hanc legem sic vocatam fuisse. Marquardus autem Freherus in Chronologia Juri Græco Romano præfixa, refert illum ad annum 1143. Christi, utpote ubi de eo sic scribit: *Constantinus Harmenopulus, judex Thessalonicensis hoc avo vixisse videtur, qui hucusque Principum Novellas allegat.* Eandem opinionem tanquam verissimam confirmat Josephus Maria Suaresius, doctissimus Vasionensis Episcopus, in *Notitia Basilicorum* his verbis: *Harmenopuli Prochirum conscriptum fuit, anno a Christo nato 1143.* Jacobus etiam Gothofredus in *Manuali Juris* & Philippus Labbeus in *Bibliotheca Chronologica Scriptorum Ecclesiasticorum*, eandem Freheri opinionem secuti, eundem Constantinum Harmenopulum circa annum 1150. floruisse tradunt. Verum enim vero quod illi omnes parachronismum ducentorum annorum admittant, nec Constantinus Harmenopulus anno Christi 1143 vel 1150. sed anno 1345. revera *Promptuarium Juris Civilis & Epitomen Juris Canonici* composuerit: nunc demum certo constat ex statim memorando Philothei Patriarchæ Constantinopolitani testimonio, quod eam ob rem heic exhibeo integrum. Desumptum est ex tomo seu libro 6. Commentariorum Petri Lambecii *De Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi*, pag. 40. quod est ejusmodi: Τὸ παρὸν ὅλον τοῦτο βιβλίον τῶν τε θείων καὶ φιλευσεβῶν νόμων, καὶ τῶν ἱερῶν καὶ θείων κανόνων συνετέθη πολλῷ πόνῳ, καὶ οὕτως ὠργανώθη παρὰ τοῦ πανσεβάστου νομοφύλακος τοῦ εὐαγοῦς βασιλικοῦ σεκρέτου, καὶ κριτοῦ τῆς θεοσώστου πόλεως Θεσσαλονίκης κυροῦ Κωνσταντίνου τοῦ Ἁρμενοπούλου, ἐπὶ τῆς βασιλείας τῆς εὐσεβεστάτης καὶ φιλοχρίστου δεσποίνης ἡμῶν καὶ αὐτοκρατορίσσης κυρᾶς Ἄννης τῆς Παλαιολογίνης, καὶ τοῦ ἐρασμιωτάτου Ῥωμαίων κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Παλαιολόγου, ἐς ἔτει ἀπὸ κτίσεως κόσμου ϛωνγʹ, ἰνδικτιῶνος ιγ! Hoc est: *Præsens hic Libellus totus Divinarum ac piarum legum, & sacrorum ac divinorum Canonum multo labore compositus, & ita instructus est, ab admodum venerabili Nomophylace sacri Imperatorii secreti, & Judice a Deo servata urbis Thessalonica. DOMINO CONSTANTINO HARMENOPULO, sub imperio pijssima & Christum amantis Domina nostra atque IMPERATRICIS ANNÆ PALÆOLOGINÆ, & dilectissimi filii ipsius, piissimi & Christum amantis Regis nostri atque IMPERATORIS ROMANORUM, DOMINI JOHANNIS PALÆOLOGI, anno a creatione mundi 6853. Indictione decima tertia*, sive anno Christi 1345. Hucusque illud insigne Philethei Patriarchæ Constantinopolitani, *de ætate Constantini Harmenopuli* testimonium, Venerat in eandem cum aliis sententiam Petrus Lambecius Libro 5. Commentariorum suorum *Bibliotheca Cæsarea*, variis passim locis pag. 31. 365. 373 & 381. sed ex hoc testimonio authentico eandem correxit, lib. 6. pag. 39. & 40. ubi pro his antecedentibus, *floruit circa annum Christi 1150.* vult esse legendum, *qui floruit circa annum Christi 1345.* Idem confirmatur ex *Commonitione Philothei Patriarcha Constantinopolitani De anathematismis ad Constantinum Harmenopulum*, quod extat Græce & Latine

tine editum libro 4. *Juris Græco-Romani* pag. 288. apud Joannem Leunclavium. In hac enim *Commonitione ad Harmenopulum directa*, ipſum velut nunc venientem alloquitur Philotheus ille Patriarcha, ut poſtea etiam in *Philotheo* obſervabimus.

Scripſit Promptuarium Juris Civilis, impreſſum primo Græce Pariſiis anno 1540. in 4to Wechelianis typis, Latinum autem factum a Joanne Mercero, & Lugduni impreſſum anno 1556. in 4. Sed *Harmenopuli iſtud Prochiron Juris Civilis* ſive *Promptuarium*, Græce & Latine cum ſcholiis per Joannem Mercerum, & cum Paratitlis, variis Lectionibus & Nomenclatore per Dionyſium Gothofredum, Genevæ anno 1587. in 4. Ejusdem *Epitome Canonum divinorum & ſacrorum* legitur Græce & Latine tomo 1. Collectionis *Juris Græco-Romani* pag. 1. quam Joannes Leunclavius Hamelburgenſis, anno 1596. Francofurti in folio edidit, de qua Labbeus verbo *Theodorus Balſamon*. Ejusdem *Liber de Sectis hæreticis, cui ſubjicitur Confeſſio de opinionibus Hæreticorum & De fide Orthodoxa*, habetur Græce & Latine ibidem pag. 547. Item in Auctario Ducæano, tomo 1. pag. 533. Eadem Græce & Latine cum Legatione Manualis Comneni Imperatoris, anno 1578. Baſileæ in 8. Opera Conſtantini Harmenopuli extant MSS. Græce in variis Bibliothecis, Conſtantinopoli olim apud Principem Jacobum Marmoretam, in Vaticana variis Codicibus, atque ex Palatinis Heidelbergenſibus, num. 256, & 369. Ejusdem *Epitome Divinorum Canonum* MS. extat in Bibliotheca Cæſarea, Codice MS. Hiſtorico Græco LI. num. 24. ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 476. cum ejusdem Libello *De Hæreſibus ſeu Sectis & Confeſſione Orthodoxæ fidei*, ibidem num. 25. & 26. ſequentibus. Eadem *Epitome divinorum Canonum*, ibidem Codice LIII. num. 20. ut habet Lambecius ibidem pag. 483. Ejusdem *Conſtantini Harmenopuli Catalogus Officiorum Aulæ Imperatoriæ Conſtantinopolitanæ*, MS. in Bibliotheca eadem Cæſarea, Codice MS. Juridico Græco X. num. 7. & quidem a fol. 218. pag. 2. usque ad folium 219. pag. 2. ut habet Lambecius tomo 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 36. Item ibidem num. 9. *Catalogus Officiorum Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, S. Sophiæ*, ut idem Lambecius ibidem. Item Codice MS. Hiſtorico Græco LI. num. 28. & quidem a fol. 365. pag. 1. usque ad folium 366. pag. 1. *Conſtantini Harmenopuli Catalogi duo Officiorum Magnæ Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopolitanæ*, ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum eorundem pag. 476. Vide Lambecium paſſim in Commentariis Bibliothecæ Cæſareæ, in Catalogo partis primæ tomi ſexti, ubi de Libris Juridicis, pag. 64. & 72. Et in Catalogo Scriptorum tomi 8. pag. 550. & 579. Extant quoque Harmenopuli Opuſcula non contemnenda in Anglicis bibliothecis manuſcripta. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Oxonii in Anglia, in Baroccianis MSS. Codice 68. pag. 1. Harmenopuli Lexicon Verborum Synonymorum. Ejusdem Lexicon Verborum tranſitivorum atque intranſitivorum, Alphabetice. Et Codice 159. pag. 1. Harmenopuli Proemium de Syntaxi Verborum τῶν ῥημάτων τὰ μὲν. Harmenopuli Lexicon Verborum oſtendens, quæ ſunt ἀμετάβολα, quæ μεταβατικά. Ἀγάλλομαι, τὸ χαίρω pag. 203. De vocabulis, quæ pro variatione accentus aut ſcripturæ, ſenſum variant. Ἀβρὸς, ὁ λαμπρὸς pag. 262. ad 293. Ibidem Codice 149. pagina 17. Harmenopuli Nomophylacis & Judicis Theſſalonicæ Πρόχειρον νόμων, ſive Manuale Legum. Βιβλίον νόμων πάλαι. Poſt Præfationem ſequitur Index in ſingulos ſex libros ſequentes. Ibidem Harmenopuli Epitome Sacrorum Canonum pag. 168. Τῶν Κανόνων οἱ μὲν &c. Idem de fide Orthodoxa & de hæreſibus pag. 194. Πιστεύειν δεῖ τὸν ὄντως &c. Officia ſacri Palatii Conſtantinopolitani α' ὁ Δεσπότης. β' ὁ σεβαστοκράτωρ. Officia Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pag. 199. quæ omnia ejusdem Conſtantini Harmenopuli ſunt. Præter allatos ſupra authores, meminit hujus ſcriptoris Joannes Seldenus De Synedriis lib. 1. cap. 10. pag. 393. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo XII. ad annum 1150. pag. 672. quem hic uti & ſæpius emendavimus.

RICHARDUS DE HAMPOOLE, quem 1340
Sixtus Senenſis Libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ* Pampolitanum nomine, Angloſaxonem natione facit, juxta Whartonum in continuatione *Hiſtoriæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1340. pag. 35. vero cognomine *Rollus*, gente Anglus, patria Eboracenſis, Theologiæ Doctor, Eremita Ordinis S. Auguſtini, prope Cœnobium Sanctimonialium Hampolenſe, quatuor Milliaribus a Doncaſtro in agro Eboracenſi diſſitum, vitam egit Eremiticam. Claruit anno 1340. obiit anno 1349. juxta Codicem MS. Sorbonicum, in feſto ſancti Michaelis, in Monaſterio Hampolenſi ſepultus; qui *Sancti* titulum apud populares ſuos poſt obitum ſortitus videtur. Habetur enim in Bibliotheca Cottoniana ſub effigie Tiberii A. 15. *Officium S. Richardi Hampole Eremitæ MS.* in quo de Vita & miraculis ejus agitur. Scripſit ille plurima, quorum multa latent MSS. in Anglicis Bibliothecis & Gallicis, aliqua edita ſunt in folio Coloniæ anno 1536. ex officina Melchioris Noveſiani ſub hoc titulo,

D. Richardi Pampolitani, Anglo Saxonis Eremitæ, viri in divinis ſcripturis, ac veteri illa ſolidaque Theologia eruditiſſimi, in Pſalterium Davidicum, atque alia quædam ſacræ ſcripturæ monumenta, compendioſa, juxtaque pia enarratio. Scripſit autem *Commentarium in Pſalmos univerſos*, MS. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti Cod. 313. impreſſum Coloniæ loco indicato pag. 1. & ſequentibus.

In

In Cantica Veteris Testamenti, qua cum Psalmis in Ecclesia leguntur, impressum pag. 84. Hic autem Commentarius *Richardi Hampolitani in Psalterium & in Cantica Ecclesia usitata*, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 5663.

Ejusdem *Commentarius specialis in Psalmum CXX.* Domine in virtute tua lætabitur Rex &c. impressus ibidem pag. 130. cum *Commentariis in aliquot Capitula libri Job, in Threnos Jeremia, in Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum & Symbolum Athanasii*, quæ omnia impressa sunt Coloniæ, ut supra diximus.

Commentarius in Lectiones novem, qua leguntur in exequiis Mortuorum, MS. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi Cod. 58. Cantabrigiæ in publica Cod. 137. Domus sancti Petri Cod. 78. in Sorbonica Parisiensi, Cod. notato 1065. impressus autem loco citato *Commentarius duplex in novem Lectiones Jobi a dicto Richardo* pag. 89. & alter pag. 113. ex puris sancti Papæ Gregorii primi verbis conflatus. Idem MS. cum tractatu *De emendatione peccatoris* ejusdem aurhoris, in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 4419.

Tractatus de emendatione peccatoris, seu *Regula vivendi*, vel *De emendatione vita*, incipiens *Non tardes converti ad Dominum* &c. impressus loco citato pag. 135. MS. in Bibliotheca Sorbonica, Cod. notato 1065. qui fuisse dicitur olim Cardinalis Richelii. MS. etiam Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 135. Balliolensi Cod. 201. Cantabrigiæ in archivis Collegii Caji Cod. 40. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii Cod. 124.

Commentarii in aliquot versus Cantici Canticorum, MSS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 20c. & impressa folio 142. *Encomium* nempe *nominis Jesu* ad illud Canticorum, *Oleum effusum nomen tuum:* & Opusculum *De amore summo, eodemque singulari*, fol. 144. ad illud Canticorum, *Adolescentula dilexerunt te nimis* &c.

Ejusdem *Annotationes in Apocalypsim & Tractatus De vita activa & contemplativa*, extant MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii A. 15.

Stimulus Conscientia, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 143. & Cantabrigiæ in archivis Collegii Caii, Cod. 195.

De resurrectione Lapsi, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 242 Attribuitur ejusdem tituli Liber, Helinando Frigidi Montis Monacho Ordinis Cisterciensis in Gallia, ut supra diximus in *Helinando*.

Tractatus, Judica me Domine &c. MS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi, Cod. 201.

Scala mundi, MS. Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti Cod. 50.

Incendium amoris incipiens, *Admirabar amplius quam enuntio* &c. MS. in Bibliotheca Sorbonica Cod. notato 1065. & integrum, cujus Operis breve tantum Compendiolum habetur in impressis Coloniensibus, pag. 144.

Commendatio Castitatis incipiens, *Cum enim secundum beatum Hieronymum* &c. Cum Opusculo *De contemptu mundi*, Quoniam Mundanorum insania &c. in eodem Codice Sorbonico habentur.

Item *Cursus* seu *Hora breves De aterna Sapientia, & formula componendi sermonem*, MSS. habentur Cantabrigiæ, in privata Bibliotheca Baronis Lumleii Codicibus 124. & 281.

Codex MS. Cantabrigiæ in archivis Collegii Caii Cod. 40. habet, *Richardus Hampole De emendatione peccatoris. Obiit apud Hampoole anno Domini 1399. Richardus Eremita.* Errore majori vult Eisengrenius eum vixisse circa annum 1420. quem sequutus est Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* verbo *Richardus Hampole* tomo 2. pag. 324. & Conradus Gesnerus vel ejus Epitomator in *Bibliotheca Scriptorum* pag. 714. ad annum 1430. assignat. Ar MS Codex Sorbonicus, de quo supra ad finem Opusculi *De emendatione Peccatoris*, hæc habet verba: *Explicit Libellus sancti Richardi Eremita* De emendatione peccatoris, *qui obiit anno MCCCXLIX. apud Sanctimoniales de Hampolo, juxta Dancastiis in Comitatu Eboracensi.* Et sane Codices manuscripti Operum Richardi Hampoolitani annum 1420. antiquitate multa excedunt, quem proinde recte ad annum 1340. collocavimus, cujus meminit quoque Carolus Dufresnius du Cange in *Indice authorum*, quem præfixit *Glossario media & infima Latinitatis*, columna 142. ubi eum anno 1349. mortuum esse scribit.

CLEMENS VI. ROMANVS PONTIFEX, 1340
antea Petrus Rogerius, variis honoribus & Sacerdotiis amplissimis gradatim auctus est. Primum enim post professionem regularem in Abbatia Casæ Dei in Awernis emissam, Ordinis divi Benedicti, missus postea Parisios, ubi studia Philosophiæ ac Theologiæ cum omnium admiratione peregit. Inde Petri Cardinalis de Mortuomari, qui ipsum unice diligebat, Epistolis ad Romanam curiam vocatus, Joanni XXII. Papæ innotuit. A quo factus sancti Bandilli Nemansensis Prior, inde Abbas Fiscamnensis, tum Episcopus Attrebatensis. Hinc postea ad Senonensem Archiepiscopatum, atque ab isto, anno 1330. ad Rotomagensem provectus. Anno autem 1330. quo Rotomagensem Archiepiscopatum tenebat, eodem erat Sorbonæ provisor, ejusque privilegia & jura pro viribus tuebatur. Idem anno 1329. seu præcedenti Ecclesiasticorum causam contra Seculares judices fortiter defenderat, sic enim de eo Chronicon Rotomagense vetus: *Hoc anno facta convocatione Prælatorum totius Regni Francia coram Rege, fuerunt multi articuli propositi contra jurisdictionem Ecclesiasticam: sed Prælati virtuosissime responderunt & viriliter restiterunt. & Magister Petrus Rogerii Clericus Senonensis, Magister in Theologia responsionem fecit solemniter pro Prælatis.* Anno 1332. interfuit Determinationi Doctorum Parisiensium *De visione beatifica* apud Vincennas contra doctri-

doctrinam Joanni Papæ XXII. factæ, cui & firmus subscripsit. Ad Cardinalatum anno 1337. a Benedicto XII. promotus, decimo quinto Kalendas Januarii sub titulo Sanctorum Nerei & Achillei: quo Nonis Maji anno 1342. mortuo, assumpto Clementis VI. nomine, summam Pontificatus apicem conscendit. Anno primo Pontificatus sui, nutricis suæ Universitatis Parisiensis memor, Universitati privilegium indulsit, redituum ex beneficiis percipiendorum, etiam dum Parisiis Doctores & Professores residerent. Hunc Petrarcha literatissimum Pontificem appellat, tam felicis hominem memoriæ, ut quod semel legisset, oblivisci nullatenus posset: *Et quod mirabilius est*, inquit, *hac memoria magno quondam capitis ictu, cujus ingens supremo vertice capitis cicatrix remanserat, ei provenerat.* De illo ita Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 732. „Clemens sextus, Gallus, „patria Lemovicensis, ex Monacho Benedicti„no Pontifex Maximus multa scripsisse fertur, „quorum hæc sunt præcipua. *De canonizatio„ne sancti Ivonis*, quem ipse in Sanctorum nu„merum retulit. Vide Surium tomo 3. ad „diem 19. Maji. *De Approbatione Caroli Regis. „Sermonum Lib. I. De collatione Beneficiorum Lib. 1. „Epistolarum ad diversos Libr. 1. Missam pro mor„talitate*, Recordare Domine Testamenti tui. „Extant Romæ in Bibliotheca Vaticana Episto„larum & Decretalium ejus plura Volumina „MSS. quæ in cubiculo secretiori asservantur, „quod est ad lævam ingredientibus Bibliothe„cam. Hæc Possevinus, cui addo ista volumina *Epistolarum Decretalium* sæpissime allegari atque ex iis interdum potissimas quasdam Epistolas referri integras, ab illustribus illis *Annalium Cæsaris Baronii* exceptoribus, Abrahamo Bzovio Ordinis fratrum Prædicatorum, & Odolrico Raynaldo Presbytero Oratorii Domini Jesu. Itemque interdum citari ab Henrico Spondano, in continuatione *Annalium Baronii*: ut nullum omnino sit dubium, quin ibi dormiant hæc volumina Decretalium Epistolarum Clementis Papæ sexti. Extant eductæ ex hoc Regesto Epistolarum Clementis Papæ sexti, *Epistola decem* apud Bzovium ad annum 1342. &c. *Alia XXX.* apud Wadingum in *Annalibus Minorum* tomo 3. ad annum 1342. &c. *Alia CCXII.* ibidem in Regesto Pontificum pag. 263. *Alia XVII.* apud eundem tomo IV. ad annum 1351. 1352. *Alia XXXIX.* ibidem in Regesto Pontificum pag. 1. Jam ut ad *Sermones* illius veniamus, extant illi, quos volvimus ac tenuimus, MSS. in Bibliotheca illustrissimi Caroli Mauritii Tellerii, Archiepiscopi Remensis, Codice in folio parvo, notato 22. sub hoc titulo: *Sequuntur diversa sermonum themata Festorum Dei, Beatæ Mariæ Virginis, & aliquorum Sanctorum, & aliqua alia secundum diversos eventus rerum ac temporum, facta, ordinata & prædicata diversis temporibus per Dominum Clementem Papam sextum, temporibus suorum Archiepiscopatus, Cardinalatus ac etiam Papatus, ut, qui legerit, poterit invenire.* Primus sermo. Sequitur *in Solemnitate Purificationis beatæ Mariæ semper Virginis, factus per Dominum Clementem Papam sextum.* Tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, Luc. 2. *In Evangelio hodierno videtur mihi & Scriptura docet, & ratio & experientia habent* &c. Extant iidem Sermones quoque MSS. in Bibliotheca Parisiensi Choletana, Codice MS. 38. inscripti, *Sermones varii seu Collationes a Clemente VI. Papa edita.* Aymeticus de Peyraco Abbas Moykiacensis in suo chronico fol. 93. cum vocat *maximum sermocinatorem verbi Dei.* Continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 739. *ultra modum communem hominem eloquentem.* Thomas Walsinghamus, *virum insignis literaturæ.* Insignis est locus in vita Caroli IV. Imperatoris, ubi vocatur *homo facundus & literatus, omnique morum honestate circumseptus.* De sermone, quem ipse dicitur habuisse post electionem suam, vide Albertum Argentinensem pag. 133. ex editione Christiani Urstisii. Ex Catalogo bibliothecæ Benedicti XIII. apparet, eum habuisse plurima volumina sermonum ejusdem Clementis VI. Præter hos sermones & *Tractatum de paupertate Christi & Apostolorum* de quo supra pag. 836. notum est, Waddingus anno 1328. §. 13. mentionem facit Tractatus ejusdem *adversus Michaelem de Casena*, an censendus esset hæreticus, ab eo editi. Hæc Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 909. Idem vero col. 836. Magister in theologia anno ætatis suæ XXXI. ut legitur supra pag. 266. vel XXX. ut pag. 280. Extat apud me vetus codex MS. in quo legitur. *Scripsit lectura magistri Petri Rogerii Prioris sancti Baudilii, Doctoris in theologia, super Decretali per sanctissimum Patrem Dominum Johannem Dei gratia summum Pontificem edita, qua incipit, quia quorundam mentes* &c. Eum publice tum in academia Parisiensi interpretatum esse librum quartum *Sententiarum*, legimus apud Ægidium Bellomerum in cap. *Quarto* de consuetud. Hæc Baluzius de doctrina Clementis VI. & dotibus ingenii. Idem in *Collectione actorum veterum* ad Vitas Paparum Avenionensium a pag. 615. ad 750. *XLV. Epistolas Clementis Papa VI.* edidit cum aliis Regum & aliorum virorum illustrium ad ipsum. Hæc Baluzius. Extant autem *Petri Rogerii Rothomagensis Archiepiscopi sermones* inter MSS. Codices Universitatis etiam Oxoniensis Codice 2023. in MSS. Codicibus Collegii Jesu Cod. 4. num. 5. de variis sanctis & festis. Et inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 2017. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 89. num. 1. 2. & 5. Denique MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Pembrochianæ Cod. 89. *Propositiones Petri Rotomagensis Archiepiscopi facta in præsentia Domini Papa & Cardinalium in publico Consistorio, cum ejusdem sermone, quem fecit in die Cinerum, anno Pontificatus sui tertio.* Impressa

pressa quoque ejus *Epistola Encyclica adversus Hæreticos flagellantes*, tomo XI Concil. columna 1876. atque altera *De Episcopatu Ostiensi* tomo 4. p. 508. *Miscellaneorum* Stephani Baluzii. Idem in *Collectione Actorum Veterum*, quam subjunxit in 4. anno 1693. *Vitis Paparum Avenionensium* pag. seu col. 615. & sequentibus plures alias Clementis VI. Bullas & Epistolas tum ex variis archivis tum ex MSS. Bibliothecæ Colbertinæ produxit. Ejusdem Vitam seu Vitas plures ex diversis auctoribus synchronis edidit in *Vitas Paparum Avenionensium* pag. 265. & sequentibus, ejusque meminit in Notis ad *Vitas*, columna potissimum 783. his verbis ad argumentum nostrum spectantibus. „Famosa est Annalium monumen„tis concertatio, quæ anno MCCCXXIX. fuit „Lutetiæ inter Episcopos & Petrum de Cogne„riis Advocatum regium, acriter conqueren„tem, quod jurisdictio Ecclesiastica ad se trahe„ret cunctas causas absque delectu. Inclaruis„se autem multum ea occasione constat Pe„trum Bertrandi. Sed tamen maxima pars hu„jus egregii facinoris, debetur *Petro Rogerii*, ele„cto Senensi, qui unus pro omnibus respondit „argumentis allatis a Petro de Cugneriis, ad„versus jurisdictionem Ecclesiasticam. Chro„nicon Rothomagense editum a Philippo Lab„beo ad annum MCCCXXIX. *Hoc anno facta „convocatione Prælatorum totius regni Franciæ, co„ram Rege fuerunt multi articuli propositi contra ju„risdictionem Ecclesiasticam. Sed Prælati virtuosissi„me responderunt, & viriliter restiterunt, & Magi„ster Petrus Rogerii electus Senonensis, Magister in „theologia, responsionem fecit solemniter pro Prælatis.* „Patet etiam istud ex Actis istius disputationis, „quæ edita sunt Parisiis anno MCCCCXCV. & „dein recusa in *Bibliotheca Veterum Patrum*, & „Manuscripta reperiuntur in antiquis quinque „Codicibus bibliothecæ Colbertinæ. Quoniam „vero in his Actis nomen electum Senonensis „non proditur, fuit qui putaret ista referenda „esse ad Guillelmum de Brocia, electum hoc „ipso anno Archiepiscopum Senensem. At „Spondanus recte observat diserte scriptum esse „in antiquis Chronicis, hunc electum fuisse *Pe„trum Rogerii*, eaque Chronica sibi Parisiis exhi„bita fuisse, ait ab Andrea Duchesnio. Habe„mus nos præ manibus illa ipsa Chronica, quæ „Duchesnius ostendit Spondano, ab ipso Du„chesnio descripta ex veteri Codice Pataviano, „in quo oratio Senonensis electi, quæ incipit, „*Quia Dominus Petrus de Cuigneriis pridie pro„ponendo contra Ecclesiam Gallicanam* &c. Habet „hanc inscriptionem, *Propositio sive Responsio per „Dominum Petrum Rogerii Senonensem electum, fa„cta coram Rege pro Prælatis apud nemus de Vicen„nis anno Domini MCCCXXIX. die Veneris ante „Natale, qua fuit dies XXII. mensis Decembris.* In „Codice vero 1324. Bibliothecæ Colbertinæ, „scriptum est a manu coætanea in initio istius „orationis; *Iste electus Senonensis, ut audivi, fuit „Papa Clemens sextus, niger Monachus.* Præterea Bernardus de Rosergio Præpositus Tolosanus„ in libro *De Ecclesiastica libertate*, qui in Regia„ Bibliotheca servatur, ita scribit fol. 79. *Ergo„ ex doctrina Evangelica & exemplo Christi, vide„ retur per Ecclesiasticos ad vitandum scandalum,„ tributum quod de præsenti petitur, pariter esse sol„ vendum. Super hoc passu Reverendus Dominus Pe„ trus Rogerii Archiepiscopus Rothomagensis, coram„ claræ memoriæ Domino Carolo sexto Francorum Re„ ge* (lege *Philippo*) *pro libertate Ecclesiastica tunc„ proponens Parisius solemniter, respondit sic eviden„ ter: Christus Dominus solvit tributum, non ad præ„ standum exemplum Ecclesiasticis ut solverent: imo„ probavit eos non teneri, concludendo quod filii sunt„ liberi* &c. Quæ sunt ipsissima verba electi Se„ nonensis in oratione de qua heic nobis sermo„ est. Sunt tamen in his Actis nonnulla, quæ au„ ctorem habent Petrum Bertrandi, ut illic di„ serte scriptum est; & præterea ipse Petrus„ Bertrandi in lectura super sextum librum De„ cretalium & super Constitutiones Clementis„ V. & Johannis XXII. quam sub Pontificatu Be„ nedicti XII. composuit, scribit in initio, se de„ crevisse nonnulla scribere de potestate tempo„ rali & spirituali, quibus regitur populus: *ut„ si imposterum*, inquit, *aliqua altercatio oriatur,„ sicut temporibus meis, dum eram Episcopus Ædu„ ensis, orta fuit in regno Franciæ, possit veritas cla„ rius apparere & defendi. Quarum pro statum ma„ teriam, additis aliquibus, sumpsi ex quodam libello,„ quem super hoc composuit bonæ memoriæ Dominus„ Durandus de sancto Porciano, ordinis Prædicato„ rum, excellens Magister in theologia, Episcopus Mel„ densis, quem libellum intitulavit* De origine juris„ dictionum, quibus populus regitur. Et in fine„ ait: *Istas rationes proposui ego coram Domino Re„ ge Philippo, qui nunc est in illa prosecutione, quam„ habuit Ecclesia Gallicana, quæ per Dei gratiam fuit„ sine scandalo.*„ Nullus qui pluribus agat de Clemente VI. quam Stephanus Baluzius Tomis 2. in 4. *De vitis Paparum Avenionensium* Parisiis anno 1693. Illius enim I. vitam profert ex anonymo tom. 1. col. 243. II. ex anonymo col. 265. III. ex anonymo col. 279. IV. ex appendice Ptolomæi Lucensis col. 299. V. auctore Petro de Herentals Priore Florettiensi col. 309. VI. ex anonymo col. 317. Eruditissimas autem vitæ ejus Notas adjicit, nam genealogiam ejus recenset col. 829. Quomodo factus Monachus anno ætatis suæ decimo col. 835. Quando factus magister in theologia 836. Sorbonæ provisor 836. Electus Papa anno ætatis suæ quinquagesimo 835. Vir in concionibus declamandis eloquentissimus 909. memoriæ mirabilioris 910. Quomodo laboraverit gravi morbo 727. Denique corpus ejus fuisse translatum ad Monasterium Casæ Dei col. 322. 927. & 1433. Observat autem Stephanus Baluzius in Notis citatis col. 909. Albertum Argentinensium pag. 157. scribere, *infirmatum autem Papam obiisse in die Sancti Nicolai anno LII & positum in calce pro destructione carnis in monasterio*

Casæ

Casa Dei, in quo olim Abbas fuerat, jussisse se sepeliri. Sed errare Albertum, dum facit illum *Abbatem Casa Dei*, cujus quidem monachus olim fuerat, sed abbas nunquam. Sublatus e vivis est Avenione anno 1352. octavo Idus Decembris, cujus laudes late explicantur apud fratres Sammarthanos tomo I. *Gallia Christiana* pag. 592. in *Archiepiscopis Rothomagensibus.* Edidit Vitam ejus Franciscus Bosquetus Montis pessulani Episcopus, cum *Vitis Summorum Pontificum, qui Avenione sederunt*: atque alii omnes recentiores, qui scripserunt *De Vitis Romanorum Pontificum.*

1340 ROBERTUS COUTON seu COTHON, natione Anglus, ex Ordine fratrum Minorum, claruit anno 1340. scribens insignem *Commentarium in 4. libros Magistri Sententiarum* MS. in multis Angliæ Bibliothecis, Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 181. Mertonensi Codd. 11. & 48. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri Cod. 75. & in aula Pembrochiana Cod. 107. Cujus etiam *Compendium* seu *Abbreviationes super easdem Sententias*, MS. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 34. & Magdalenensi Cod. 146. Hujus meminit Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri pag. 728. ubi ipsum anno 1240. vixisse ait, absque dubio centenarii unius omissione, vel typographiæ menda, cum legendum sit anno 1340. Lucas Waddingus in *Annalibus Minorum* ad annum 1334. num. 27. & in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 308. ubi de illo loquitur & pluribus quidem. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice Authorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 144. ubi anno 1340. vixisse tradit.

1340 JOANNES DE BEKA ULTRAIECTENSIS ECCLESIÆ CANONICUS, conscripsit *Chronicon Episcoporum Ultrajectensium & Comitum Hollandiæ a temporibus sancti Willibrordi usque ad annum 1346.* quod continuavit Guillelmus Hedam Harlemensis Decanus & Præpositus Arnhemiensis, usque ad annum 1524. ac post Guillelmum usque ad seculi hujus initium Suffridus Petri & Lambertus Hortensis. In hoc Chronico res Ecclesiæ Ultrajectinæ, cujus Canonicus erat, posteritati commisit, ac Chronicon illud dicavit Episcopo ejusdem Ecclesiæ Joanni de Arkel & Guillelmi Hollandiæ Comiti. Nec tantum prosequitur gesta Ultraiectensium Episcoporum, sed & Hollandiæ Comitum, orsus ab hinc Ecclesiæ primo Episcopo S. Willebrando, usque ad annum 1346. quo ipse tunc inibi vivebat. Illud ad tres MSS. Codices correxerat Suffridus Petri Leovardiensis, quod in lucem primus protulit Bernardus Frumerius, itidem Leovardiensis. Sed Opus hoc Joannis de Beka ita corrupte a Frumerio editum est, etsi id cum tribus Codicibus a Suffrido Petri & cum quarto a se collatum dicat: ut pene satius fuisset ab edendo abstinere, quam adeo vitiose in lucem dare: uti factum est, Franeckeræ in Frisia anno 1612. apud Robertum Doyema. Sed integrum & ab innumeris erroribus illud repurgavit Arnoldus Buchellius Ultrajectinus, qui tantum allaboravit, ne novam hujus Scriptoris & annexorum editionem diutius publico invideret: ut qui Belgicæ Historiæ veteris amantes sunt, iteratam ab eo editionem in folio habeant, Ultrajecti anno 1643. pulcherrimam. Horum ergo utrique hoc nomine non parum debent, omnes Historiæ amantes, Ultrajectini imprimis, ac post eos Hollandi & Frisii. Hausit verò Beka Historiam suam potissimum, ex Bibliotheca Monasterii Egmundani, quemadmodum ipse profitetur: ubi Acta publica Hollandiæ & vicinarum provinciarum, sedulò asservabantur. Meminit hujus Operis Trithemius in Libro *de viris illustribus*, itemque Jacobus Meyerus *in Historia Flandria* ad annum 1313. & alibi sæpius. Joannes Chapeaville in Collectando *Historicorum Leodiensium*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 436. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. pag. 528 ultimæ edit. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* pag. 456. editionis 1643. in 4.

ÆGIDIUS MUISIUS SANCTI MARTINI TORNACENSIS ABBAS, Ordinis divi Benedicti, scripsit *Chronicon De rebus gestis Comitum Flandrensium* ab anno 972. usque ad annum 1348. quo vivebat, quod MS. ibidem adservatur, itemque MS. Lovanii in Monasterio S. Martini. Verùm longe plura posteris mandavit Ægidius Muisius, quæ Manuscripta propriis oculis vidit Valerius Andreas, ut testatur *in Bibliotheca Belgica* Lovanii in 4. anno 1643. edita, verbo *Ægidius Mucidus* pag. 27. & 28. his verbis. 1340
Ægidius cognomento *Mucidus*, Gallicè *Muisis*, « Tornaco oriundus, Abbas XVII. Cœnobii Benedictini ad Sanctum Martinum in eadem Tornacensi urbe, reliquit *Chronicon* à Christo nato ad annum 1348. quo vixit. Multa ille memorat, jam inde à Sancti Ludovici Galliæ Regis temporibus, ad res Gallicas atque etiam Belgicas spectantia, itemque ad Episcoporum Tornacensium Vitas. Vidi id Manuscriptum in dicto D. Martini Cœnobio, ubi & alia ejusdem *Muisii* Opuscula, Latinè & Gallicè Scripta adservantur, quatuor Tomis comprehensa. «

Latinè quidam Tractatus *De his, quæ temporibus suis, ante & post promotionem suam, in dicto Cœnobio Martiniano acciderunt.* «

Tractatus *De consuetudinibus approbatis antiquitus, in eodem Cœnobio observari solitis.* «

De rebus gestis annorum 1349. 1350. 1351. & 1352. quo prolixa narratio continetur *De destructione Judæorum, & de secta Flagellantium &c.* «

Gallico autem metro sive rythmo conscripta sunt *Liber Lamentationum*, in quo suas plangit offensas. «

„ Tractatus *De quolibet hominum statu, tam seculari, quam Ecclesiastico, aut Regulari.*

„ *Catalogus Antistitum Cœnobii Martiniani ad sua usq; tempora*, rythmo Latino & Gallico.

„ *De Pontificibus Romanis, qui suo tempore præfuerunt.*

„ *De vita & obitu Andreæ de Florentia & Joannis de Pratis Episcoporum Tornacensium.*

„ Vivere desiit inter mortales laudatissimus „Præsul & de Ecclesia sua optime meritus, anno „Domini 1353. ætatis suæ 83. Monachatus 64. „Regiminis 22.

Mentionem illius facit Antonius Sanderus in Bibliotheca Manuscriptorum Belgicorum pag. 128. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. pag. 529. editionis secundæ Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 80. ubi eum anno 1343. floruisse scribit.

1340 RICHARDUS DE BURY DICTUS DE ANGERVILLE, EPISCOPUS DUNELMENSIS ET ANGLIÆ CANCELLARIUS, Richardus Angervilli Equitis aurati filius, natione Anglus, patriâ Suffolciensis, in Burgo S. Edmundi natus, litteris in Universitate Oxoniensi incubuit, vir fuit meriti singularis, doctrinæ eximiæ, ob præclaras animi dotes ab Eduardo tertio Anglorum Rege ad primariam tandem Regni dignitatem, Angliæ Cancellariatum paulatim promotus. De illo Cæsare Egassius Bulæus *in Historia Universitatis Parisiensis* pag. 988. seculi sexti, in Catalogo Illustrium Academicorum hujus seculi: ubi tamen ingenue fatetur, non illum à se commemorari atque Academicis Parisiensibus ideo accenseri, quod certum sit illum studuisse in Universitate Parisiensi: sed quod eam sæpe inviserit, illius mentionem valde honorabilem in suo *Philobiblio* fecerit, & cum nonnullis ipsius Magistris accuratissimam necessitudinem contraxerit. In Academia Oxoniensi educatus, doctrinâ adeò insignis effulsit, ut dignus haberetur, qui regendæ Eduardi Walliæ Principis, posteà Angliæ Regis, juventuti præficeretur. Inde Eduardo anno 1326. rerum potito, Summas Aulæ dignitates obtinuit, primum Arcarius Regius, dein Thesaurarius Garderobæ, ac mox privati Sigilli Custos constitutus, bis etiam ante annum 1333. ad Pontificem legatus missus. Ineunte anno 1333. Decanus Wellensis, exeunte anno Dunelmensis Episcopus die 19. Decembris renuntiatus est, ab Adamo Vintoniensi Episcopo Chertseiæ consecratus. Anno 1334. Magnus Angliæ Cancellarius, & post biennium anno 1336. Magnus Thesaurarius factus est. Amicus fuit in his dignitatibus constitutus virorum omnium Doctorum & Mecænas liberalissimus, Librorum amator singularis (inquit Trithemius) & celeberrimus multis expensis & laboribus. In Universitate Oxoniensi insignem Bibliothecam fundavit, quam ad publicam utilitatem inibi studentium, incredibili studio instituit atque ditavit. Scripsit anno 1344. *De amore librorum & institutione Bibliothecæ pulcherrimum Tractatum*, quem *Philobiblon* appellavit impressum Spiræ anno 1483. in 4. cujus exemplaria hodie rarissima sunt. Idem *Philobiblion* seu *De amore librorum* impressum Parisiis anno 1500. in 4. apud Ascousium. Et Oxonii anno 1598. in 4. à Clarissimo viro Thoma Jamesio, Idem denique editum à Melchiore Goldasto Francofurti anno 1610. in 8. Habetur Opus istud MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 4107. fol. 169. cum Prologo, quem nescio an impressi Codices habeant. Incipit, *Universis Christi fidelibus ad quos Scriptura præsentis tenor pervenerit, Richardus de Bury miseratione divina Dunelmensis Episcopus, salutem in Domino sempiternam &c.* Scripsit etiam *Epistolas plures & nonnullas ad Franciscum Petrarcham.* Hujus autographum Operis haberi videtur inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1634. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 167. ubi hæc nota in fine MS. Codicis. *Explicit Philobiblon Domini Richardi de Aungervile, Cognominati de Bury, quondam Episcopi Dunelmensis. Completus est autem Tractatus iste in Manerio nostro de Aukeland XXIV. die Januarii, anno Domini M CCC XLIIII. ætatis nostræ quinquagesimo octavo, præcise completo, Pontificatus verò nostri anno undecimo finiente.* In numeri hujus Operis MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Cod. 1704. in MSS. Codd. Kenelmi Digbæi Cod. 103. num. 1. *Catechismus collectus ex Operibus Guillelmi Parisiensis Operâ Magistri Richardi de Burgo Cancellarii Cantabrigiæ.* Obiit teste Walshingamo anno 1345. die 24. Aprilis, anno ætatis suæ LIX, cum omnium proborum & eruditorum luctu. Hujus præclaram mentionem facit Franciscus Patrarcha, Lib. 3. *Epist. Familiarium* Epist. 1. cujus meminit quoque Epitomator Gesneri Bibliothecæ pag. 724. & Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 323. Henricus Whartonus in exceptione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1333. p. 29. quem hic imitamur, & alii nomenclatores Scriptorum Angliæ.

GUILLELMUS DE SANCTO LAUDO, 1346
ABBAS SANCTI VICTORIS PARISIENSIS, oriundus ex inferiori Normannia, regularem divi Augustini vitam in Cœnobio Sancti Victoris ad muros Parisienses professus, Theologiæ Scholasticæ Doctor haud ignobilis fuit, iis temporibus quibus à palæstris scholasticis elegancia annis atque verborum ornatus procul abscesserant. Hic nihilominus doctrina insignis ætate sua audiit, Lutetiæ concionator celebris & assiduus: unde ob comparatum sibi Doctoris nomen atque concionatoris, post mortem Auberti de Malliaco quæ anno 1345. pridie Idus Aprilis contigit, ad regimen insignis hujus Abbatiæ Sancti Victoris vocatus est. Scripsit ille

Ille *Sermones plurimos*, qui MSS. habentur in Bibliotheca Sancti Victoris, Littera SS. 22. scripti partim Latine, partim Gallice *De variis argumentis in Dominicas anni & Festivitates Sanctorum potissimas*. Incipiunt in hoc volumine, *Elegit te Dominus ut ædificares domum Sanctuarii &c. Beatus Gregorius 2. libro Moralium loquens de Prædicatoribus & Doctoribus Ecclesiæ &c.* Item alia ejusdem *Guillelmi de Sancto Laudo Opera & Sermones*, Littera SS. 24. fol. 180. & sqq. incipiunt, *Dedit illi cor ad præceptum Eccl. 45. Pro introductorio nostro Thematis, syllogisticè sic procedo &c.* Imò quidquid in hoc Codice legitur, ad istum Abbatem spectare videtur, eximie olens hujus seculi barbariem horrendam. Incipit Codex à Tractatu *De Confessione*, cujus hoc initium est: *Imprimis veniens ad Confessionem, coram suo confessore, qui locum Dei tenet, humiliter genua flectat &c.* Transegit hic Abbas anno 1346. cum Abbate Sancti Geremari Flaviacensis de quibusdam bonis temporalibus, tandemque anno 1349. die 8. Junii mortuus legitur. De illo Fratres Sammarthani tomo 4. *Galliæ Christianæ* pag. 927. in Abbatibus Sancti Victoris Parisiensis. Joannes de Tolosa amplissime *in Historia Manuscripta* Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis.

1340 CLEMENS FLORENTINUS, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, Theologus Parisiensis floruit anno 1340. atque composuit *Catenam auream in omnes Sancti Pauli Apostoli Epistolas*, cujus MS. extat in Medicæa Florentina Bibliotheca, apud Sancti Laurentii ædem. Idem *Concordantias ad Annibaldum Cardinalem sui Ordinis protectorem*, quæ MSS. in Bibliotheca Servorum Florentiæ asservantur. Perfunctus probe variis Ordinis sui muneribus, obiit anno ætatis suæ 78. & in eadem urbe Florentia, cum cæteris Fratribus suis in Ecclesia divæ Virginis Annuntiatæ sepultus est. Hæc nos habuimus ex fide Antonii Possevini tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Clemens Florentinus* p. 363.

1340 ROGERUS CICESTRENSIS, WESTMONASTERII MONACHUS, Ordinis divi Benedicti prope Londinum, qui etiam Richardus in MSS. Codd. aliquando legitur, scripsit *Polycraticon* seu *Chronicon Anglo-Saxonum* quod exemplaria MSS. ad annum 1348. adducunt, quo floruit. Habetur integrum in Bibliotheca Cantabrigiæ publica Cod. 248. & in Collegio Sancti Benedicti Cod. 6. Prioris Codicis hic titulus est: *Richardus Chichester Monachus Westmonasterii, Chronographus, incæpit ab Hengisto Saxone anno Christi 449. cujus primus liber incipit. Post primum insulæ Britanniæ Regem &c. & hanc partem vocavit* Speculum Historiæ, *& continet quatuor libros. Secunda pars vocatur* Anglo-Saxonum Chronicon, *& est continuatio prioris ad annum Domini 1348. id est ad annum Edwardi Tertii XXII.* Compendium verò seu Epitome ejusdem Chronici, MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Codd. 66. & 342. Hunc Scriptorem primus divisit in duos Joannes Balæus *De Scriptoribus Angliæ* seculo XIV. Ipsum sequutus est Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Scriptorum*, appellans unum *Richardum Castrensem*, alterum *Rogerum de Cestria*, ambos eodem tempore ob scripta Chronica Anglicarum rerum celebres. Meminit primi in hunc modum *in Bibliotheca* pag. 724. *Richardus Cicestrius, Benedictinus Monachus Anglus, scripsit Anglo-Saxonum Chronicon Libris V. Vixit anno 1348. Balæus.* Secundi autem pag. 735. *Rogerus de Cestria, Monachus Benedictinus, scripsit Polycratica temporum Libris 7. Additiones 15. annorum. Claruit anno 1339. Balæus.* In eundem impegit, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, qui paucos vel nullos authores ex professo discussit. Itemque Gerardus Joannes Vossius, qui *Rogeri seu Roberti Cestrii*, Monachi Benedictini mentionem facit Lib. 2. cap. 65. *De Historicis Latinis* pag. 516. *Richardi Cestrii* autem, Monachi Benedictini Lib. 3. *De Historicis iisdem Latinis* cap. 2. pag. 532. ultimæ editionis. In MSS. verò Codicibus vel *Richardus* vel *Robertus*, nunquam *Rogerus* dictus est: contrà, quàm Vossio visum est. Balæum quoque expressit atque Gesnerum loco citato, Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Authorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 142. verbo *Richardus Cicestrensis Westmonasterii Monachus*: & columna 145. verbo *Rogerus Cestrensis Monachus Anglus*.

THOMAS BRADWARDINUS CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS, 1340 quem ex Ordine Fratrum Minorum extitisse male scripseram in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 630. clarus ob doctrinam anno 1340. & sequentibus. Nec illum equidem fuisset oblitus *in Scriptoribus Ordinis Minorum*, qui virum hunc celebrem rectè noverat Waddingus, sed prudenter omisit, quem fuisse unquam Minoritam haud credidit, quamvis nonnulli id scripserint. Porrò ut magnorum sæpe virorum principia obscura sunt, quorum sunt notissimi exitus: ita quemadmodum, quove anno natus sit, nihil pro certo affirmaverim. Cùm autem constet, eum anno 1325. fuisse procuratorem Universitatis Oxoniensis, natum circa annum Domini 1290. crediderim, mediis *Edwardi primi* temporibus. De loco nativitatis, putabat aliquando Henricus Savillius, apud Bradwardin castrum & vicum natum fuisse, quod castrum situm est attestante doctissimo & diligentissimo Cambdena Anglo, ad ripam Vagæ fluminis aliquot supra Herefordiam milliariis: quem ab hac sententia non improbabili revocarunt, expressa ipsius Bradwardini verba Lib. 3. cap. 22. pag. 559. hujus ultimæ editionis, ubi non obscure, ut mihi videtur, innuit se Cicestria oriundum. Hujus sunt hæc verba. *Per similem etiam rationem, quidquid nunc scribo Oxoniæ,*

 scri-

scriberet pater meus Cicestria, quia genuit me scribentem, imò & avus & proavus. Vt non multum aberrasse videantur Joannes Balæus, & Antiquitatum Britannicarum author, qui Hartfeldiæ natum asserunt in Diœcesi Cicestrensi, quibus authoribus, aut quibus permoti argumentis, nescio. Post emensa Oxonii puerilia studia, admissus est ad Collegium Mertonense, temporè *Edwardi secundi*, ubi, ut dixi, procurator fuit Vniversitatis. Sic enim in Catalogo Cancellariorum & Procuratorum ejusdem Vniversitatis scriptum reperitur: *Willielmus de Alburwike Cancellarius Oxoniensis, & Richardus de Kamshall Commissarius ejus: Procuratores Willielmus de Herington & Thomas de Bradwardina.* In qua Vniversitate *ad tantum* (inquit Balæus in prima editione, quam totam putant quidam ex Joanne Lelando descriptam) *doctrina pervenit incrementum, ut supremæ Facultatis Magister ac Summus demum Cancellarius constitueretur: in quo officio ita se gessit, ut ab omnibus magnam commeruerit laudem.* In hoc curriculo litterario solidam ex Aristotelis & Platonis fontibus hausit Philosophiam, sed in artibus Mathematicis ac Theologia, illius potissimùm illuxit industria: qui in Mathematicis quidem ita excelluit, ut parem illa ætas tulerit fortasse neminem. Testes sunt *Tabula Astronomica* exquisite descriptæ æquationum Planetarum, & conjunctionum ac oppositionum luminarium, quas penes se habuit Savillius, magnâ cum diligentiâ manu exaratas, volumine satis crasso. Testes Libellus *De proportionibus velocitatum*, alius *De Arithmetica Speculativa*, alius *De Geometria Speculativa*, omnes olim Parisiis excusi. Nam plurimos alios conscripsit in omni Disciplinarum genere, si Balæo credimus, mihi non tractatos. In Theologiâ verò palmam facile obtinet liber iste, quem ex MSS. sex *adversus Pelagianorum perfidiam* edidit, quem ex lectionibus Oxoniensibus magnam partem concinnatum & contextum, ut ipse in Prœmio docet, ad petitionem suorum Mertonensium limavit & edidit in lucem, cùm esset Cancellarius Londinensis. Ἐπιγραφὴ est ea, quam proposuit Savillius, in omnibus fere, quos vidit, MSS. Codicibus. At in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii titulus est: *Summa Doctoris Profundi De causa Dei contra Pelagianos, & De virtute causarum, virtute Dei causa Causarum.* Cognomen hoc *Profundi* sive à Papa impositum, ut reperitur in antiquo Regesto Mertonensi, *Bradwardin Doctor profundus nominabatur per Papam, & ita usque nunc appellatur:* Sive communibus Doctorum per orbem Christianum suffragiis receptum, adeò de illo invaluit: ut non minus *Doctoris profundi* cognomine notus sit Bradwardinus, quàm *Doctoris subtilis* Scotus, aut *Doctoris Angelici* Thomas de Aquino. Jam ut civilem publicamque ejus vitam paucis attingam, post gestum in Vniversitate Oxoniensi procuratoris munus, etsi Balæo credimus, Summi Cancellarii administratam ibidem magna cum laude dignitatem, post professionem Theologicam Oxonii per annos bene multos, adhæsit *Richardo de Bury* Episcopo Dunelmensi de quo nos anteà, viro illius ætatis facilè doctissimo, & Doctorum omnium Patrono singulari, & quod ipse de se in Libello quodam à se edito, cui titulus *Philobiblos*, testatur: insano quodam amore, librorum undique prout illa ferebat ætas corrogandorum, impotenter abrepto. In hujus itaque, ut dixi, familiâ vixit *Bradwardinus* per aliquod tempus, unà cum aliis septem ex sodalitio ferè Mertonensi profectis, maximi ingenii, maximæque doctrinæ viris. Qua de re operæ pretium fuerit, verba Dunelmensis Historiæ audire, non unam ob causam memoratu dignissima. „*Plures semper Clericos habuit Richardus de Bury Episcopus Dunelmensis in sua Comitiva, de quibus fuit Thomas Bradwardin postea Cantuariensis Episcopus, & Richardus Fritzrause postea Archiepiscopus Armachanus, Walterus Burley, Johannes Manduit, Robertus Holcot, Richardus Kilwington, omnes Doctores in Theologia. Richardus Bentworth postea Episcopus Londoniensis & Walterus Seagrave postea Episcopus Cicestrensis. Et quolibet die in mensa solitus erat habere lectionem, nisi forte ad adventum Magnatum impediretur: & post prandium singulis diebus disputationem cum Clericis prænominatis, nisi major causa impediret.*" Ibi scripsit nobile opus *De Causa Dei contra Pelagium & de virtute causarum*, variâ sacræ atque prophanæ, antiquæ & novæ Philosophiæ ac Theologiæ doctrinâ locuples, quod multis in locis MS. asservatur. In Anglicis autem præcipuè Bibliothecis, Opus *De Causa Dei contra Pelagium & De virtute causarum*, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 22. In Orialensi Cod. 55. Mertonensi Cod. 203. Cod. 203. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Cod. 146. Domus Sancti Petri Cod. 276. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji Cod. 267. Extat quoque MS. in Vaticana, & nunc pariter in insigni Bibliotheca Clarævallis Ordinis Cisterciensis in Gallia, cujus etiam MS. Codicem habuit olim in Germania Matthias Flacius Illyricus. Impressum autem ex Manuscriptis Anglicanis, curâ & studio doctissimi viri Henrici Savillii, anno 1618. Londini in folio, ex officina Northoniana, de quo abundè Ludovicus Cellotius *in Historia Gottescalci Prædestinationis* Libro 5. cap. 19. pag. 390. Ejusdem Opus *De Arithmetica Speculativa* impressum Parisiis anno 1502. apud Dionysium Rosæ. *Geometria Speculativa* Parisiis anno 1530. & utraque simul, Parisiis a. 1511. *Tractatus proportionum* editus Venetiis anno 1505. Factus est deinde Thomas Bradwardinus Cancellarius Londoniensis, quod forte ansam præbuit errori Joannis Balæi, qui eum inde credidit factum esse Cancellarium Vniversitatis Oxoniensis. Tantæ autem fuit integritatis & innocentiæ, ab avaritiæ opinione tam remotus, ut huic non optimo sane beneficio, vix & ægre Canonicatum Lincolniensem passus sit adjungi.

Quo tempore non ob eruditionem solum, sed multò magis ob morum vitæq; sanctimoniam, à Stratfordo Cantuar. Archiep. dilectus est, ut *Regi Edwardo III.* à sacris Confessionibus esset. Cui comes cum esset assiduus in Bello Gallico, quod tantis duorum potentissimorum Regum opibus, tantis animis, tanta eventuum varietate gestum est, rebus plerumque ad Anglos inclinantibus: ita & Regis ferocientes impetus victoriis temperavit, & militarem insolentiam compescuit, habitis sæpe coram exercitu concionibus ea prudentia & verborum lenitate: ut non desuerint inter Scriptores temporum illorum, qui insignes illas *Edwardi* victorias hujus potius sanctitati ac virtutibus acceptas ferendas existimarint, quàm cujusque sive fortitudini sive prudentiæ. Post Staffordi mortem, Monachi Cantuarienses in Archiepiscopum, Thomam nostrum postularunt, quæ tamen postulatio frustra fuit, *Edwardo Rege* talem virum de suo comitatu dimittere recusante. Sed Joanne Uffordo, renuntiato, eoque statim defuncto, cum Monachi Bradwardinum iterata electione postulassent: annuente Rege ac Papa simul, summa omnium Ordinum consensione, sine ambitu, ac refragante nemine, quod illis moribus rarum, Archiepiscopus declaratus, in Ecclesia Fratrum Minorum Avenione sacratus est. Vbi cum mores curiæ non satis nosset, homo in scholis ab ineunte ætate castrisque versatus, a comptulis illis aulæ Pontificiæ assectis, non tamen sine virorum gravium & modestorum stomacho, irrisus est, ut ἀγροικότερος. Post consecrationem domum reversus, temporalia sibi restituta habuit, faciens pro more Regi fidelitatem, ut ex Actis ~~constat anno 1349.~~ Edwardi 3. anno XXIII. die XXII. Augusti. Nec multas postea septimanas superstes, moritur Lambethæ Octobri sequente, non expletis inthronizationis ritibus. Vir longiore vita dignissimus, sive morum probitatem spectemus, sive eruditionem, ut in illo seculo, singularem. Hæc nos fere omnia, partim ex Henrico Savillio in Epistola sua ad Lectorem, quam præmisit editioni Operis *Thomæ Bradwardini De Causa Dei contra Pelagium & De virtute Causarum ad suos Mertonenses*: partim ex Francisco Godwino Landavensi Episcopo in Opere suo *De Præsulibus Angliæ* pag. 158. & sequentibus, ubi *de Archiepiscopo Bradwardino* inter Cantuarienses agit. Appellatur in nonnullis Manuscriptis Codicibus *Cancellarius Londoniensis*, quod an recte conveniat Franciscano seu Conventuali Ordinis Minorum, mihi plusquam suspectum est. Porrò quem ut nunquam Monachum, prudenter omisit *Bradwardinum* in suis *Scriptoribus Ordinis Minorum* Lucas Waddingus: hunc avide atque injuste suis adscripsit Fratribus Prædicatoribus, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1373. pag. 133. & *in Appendice* ad eundem annum, pag. 489. allegans Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* pag. 248. Ea est magna Fratrum Mendicantium charitas, ut quem Franciscani juste sibi non admiserant, injuste Dominicani amplectantur, suumque inscribant. Agunt *de Thoma Bradwardino*, post modo laudatos Savillium & Godwinum, Conradus Gesnerus vel ejus epitomator *in Bibliotheca Scriptorum* p. 793. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*. Joannes Balæus & Joannes Pitseus *De Scriptoribus Angliæ*. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1348. pag. 41.

GVALTERVS HEMINGFORDENSIS, atque etiam dictus HEMINGBVRGENSIS, Canonicus Gisburnensis Cœnobii, Ordinis divi Augustini, anno 1340. ad tempora Edwardi tertii Anglorum Regis, clarus apud Britannos, scripsit *Chronicon*, quod extat MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii Codice 4. num. 4. inscriptum *Chronica Walteri de Gysburne de gestis Regum Angliæ à Rege Gulielmo primo ad XXVII. Regis Edwardi I. annum*, hoc est, *ad annum 1300*. Desunt autem multa de Rege Edwardo. Inter MSS. autem Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 2194. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Mariæ Magdalenæ Codice 53. extat quoque *Gualterus Gisburne de Gestis Eduardi tertii*. Meminit hujus Scriptoris inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 5103. Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 2. cap. 32. pag. 268. ubi excerptum, Ex libris Annalium Gualteri Hemingburgi, Canonici Gisburnensis Cœnobii. Observat Historiam ordiri a Gulielmo Magno & usque ad tempora Joannis Regis, fidem Gulielmi Neubrigensis sequi, ex cujus opere, suppresso tamen nomine, multa fere ad verbum desumpsit. In hoc tamen Gulielmo Parvo superior, quod operi causam præposuerit, cur Gulielmus Magnus in Angliam cum exercitu venerit, & præsertim contra Haraldum Regem, qui vivente Edwardo Rege, Eustachium Comitem Bononiensem Dovari seu apud Douvre male tractaverat, cum tamen Regis Edwardi sororem Eustachius in uxorem accepisset. Perduxit Annales suos usque ad annum 1297. & volumen in quod Lelandus incidit, in trecenta fere capita divisum fuit. Hæc ibi Lelandus. Sed ex aliis MSS. Codicibus, usque ad annum XX. Edwardi tertii, hoc est ad annum Christi 1346. pertexuit Historiæ suæ telam. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium num. 5526. in MSS. Codicibus Collegii Armorum Londini Codice 101. extat *Chronicon Gualteri Hemingford Canonici de Gisborn, in tribus libris*. Et ibidem num. 7012. in MSS. Codicibus Henrici Jones, Codice 9. *Chronica Walteri de Gisburne, Prioris de Hemingford, ad annum XX. Edwardi tertii*. Ad hanc ergo ætatem usque, Gualterus hic floruisse censendus est, hoc est, ad annum Christi incarnati 1346. quo pervenit. 1340

In

In Catalogo MSS. Codicum Vniversitatis Cantabrigiensis num. 291. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis, Classe dextra Serie suprema Codice 36. *Chronica Gualteri Heming ford Canonici de Gysburne, de Gestis Regum Anglin.* Et ibidem num. 547. in iisdem MSS. Collegii Trinitatis Classe 25. Serie tertia Codice 22. *Chronica Gualteri Hemingford.* Et ibidem num. 1408. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 131. *Chronica Walteri Hemingford Canonici de Giburne, de gestis Regum Angliæ.* Principium, *Ne fastidiosus.* Liber Chartaceus, nec valde antiquus. Hujus meminit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 65. pag. mihi 517. ubi observat, Historicum Monasterii de Abbington exscribere istum authorem, uti annotavit is, qui in Matthæum Florigerum seu Westmonasteriensem præfatur. Cæterum curtiore exemplari usus est Thomas Galeus, qui in annotatiuncula *Historiæ* isti ab ipso nuper evulgatæ præfixa, nonnisi ad annum 1300. Historiam a Gualtero esse productam meminit. Aliud autem ejusdem exemplar vidisse se testatur Henricus Warthon, Cantabrigiæ ut scribit, in Collegio Corporis Christi, quod ad annum usque 1313. progreditur, & in his verbis desinit, *Terra siluit & quievit.* Cæterum *Historiæ* illius partem priorem videlicet ab anno 1066. ad 1273. inter *Historiæ Anglicanæ Scriptores quinque*, Oxoniæ 1687. in fol. evulgandam curavit Clarissimus Galeus, reliquam se propediem editurum pollicitus. Nam ibidem MS. extat *Ejusdem Historia Edwardi II.* quæ tamen nisi male meminit Galeus, haud aliud est, quam postrema prædictæ Historiæ pars, quæ ad annum 1313. progressa, res primo Edwardi II. Sexennio gestas enarrat. Præter Annales istos, ut antea diximus, habentur MSS. *Gesta Edwardi III.* a Gualtero nostro conscripta, in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Neronis litera D. Codice 2. num. 22. & in MSS. Collegii B. Mariæ Magdalenæ Oxonii Cod. 53. *Gualterus Giburne de gestis Edwardi III.* Verum ut priores Edwardi III. annos duntaxat attingant necesse est, cum triginta circiter ante Regem annis, Gualterus diem suum obierit, in Cœnobio suo Gisburnæ anno 1347. sepultus. Agunt de Gualtero Hemingburgensi, seu Hemingfordensi, Joannes Baleus *De Scriptoribus Angliæ* Centuria 5. cap. 71. Thomas Galeus in Præfatione quam præmisit *Angliæ Scriptoribus* anno 1687. Oxonii a se editis. Henricus Warthon in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1330. cap. 28. quos hic expressimus. Joannes Pitseus de Scriptoribus Angliæ ætate 14. Scriptore 547. ad annum 1347. pag. 456.

1340 ADAMVS MVREMVTHENSIS seu MIRIMVTHENSIS, Canonicus Ecclesiæ Sancti Pauli Londinensis, atque ut ex Lelando Balæus refert, *Chronicon* scripsit *de Anglorum Regibus, & iis, quæ in Romana quoque curia & in Gallia contigerunt*, ab anno 1303. usque ad annum 1343. quo floruisse credendus est. Extat autem inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 2194. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 53. num. 7. *Adami Myrimouth continuatio Historiæ Anglicanæ ab anno 1303. ad annum 1342.* Et in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Claudii litera E. Codice 8 num. 27. *Continuatio Chronicarum Angliæ Regum, cum interpositione quorundam casuum contingentium in curia Romana & Regno Franciæ, per Adamum Mirimouth, Canonicum Londoniæ.* Incipit ab anno 1303. & continuatur ad decimum quartum annum Regis Edwardi III. id est ad annum Christi 1340. cum multis post annum illum additamentis, quæ in aliis exemplaribus non reperiuntur. Atque forsitan hoc exemplar a Balæo visum cum additamentis istis, præbuit illi occasionem scribendi, quod Adamus Mirimuthensis duplex Chronicon contexuisset, unum usque ad 1343. annum, alterum usque ad annum 1380. quo viveret. Sed hoc falsum est, atque emendatum illud exemplar *additamentis* apertissime prodit. Ibidem sub effigie Neronis litera D. Codice 10. num. 4. *Tractatus seu Continuatio Magistri Adæ de Merymouth, ad annum 1346. inclusivè.* Ibidem sub effigie Galbæ litera A. Codice 1. *Continuatio Chronicarum Regum Angliæ, cum interpositione quorundam casuum contingentium in curia Romanâ & regno Franciæ, per Adamum Merimouth Canonicum Londoniensem: sive Chronica tractantes acta & contingentia tempore Edwardi I. II. & III.* hoc est ab anno 1303. ad annum 1342. Denique ibidem sub effigie Cleopatræ litera A. Codice 16. num. 10. *Annales ab anno 28. R. Edwardi I. ad annum 41. R. Edwardi tertii, hoc est ab anno 1299. ad annum 1367. Nempe ad annum 1325. per Robertum de Reading Monachum S. Petri Westmonasteriensis, cum continuatione ad annum 1345. per Merimourh, & inde per Joannem de R. Monachum Westmonasteriensem ad annum 1367.* Meminit Adami de Merimouth inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5103. Joannes Lelandus *Collectanearum* volumine 2. cap. 44. Excerpta e Chronico cujusdam, ut videtur, defloratoris Matthæi Parisiensis, sed incerti nominis, qui tamen multa interserit, quæ nusquam in Matthæo comparent, pag. 299. Orditur historiam ab ipsa Richardi I. coronatione. Ab anno 1325. usque ad annum 1346. defloravit Adamum Muremutensem, Canonicum Sancti Pauli Londoniæ: deinde innititur auctoritate cujusdam Fratris I. de R. Monachi Westmonasteriensis, cujus Chronicon anno Christi 1367. desinit. Gerardus Joannes Vossius, Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 3. pag. mihi 542. quem tamen male a. 1380. assignat.

THOMAS WICKE seu WICCIVS, 1340
gente Anglus, non Monachus Augustinianus ut scribit Gulielmus Cavus *in Historia rei litteria* ad annum 1299. pag. 756. sed ex Ordine

ne Canonicorum Regularium in Cœnobio Osneiensi, qui claruit non anno 1299. sed anno circiter 1340. & sequentibus, bonis artibus a pueritia imbutus, qui & Academiæ Oxoniensis vicinitate fretus, non mediocrem sibi in literis comparavit famam, ac præsertim illustrandæ Historiæ Anglicæ studio animum addixit. Scripsit *Chronicon Angliæ* ab adventu Conquestoris, id est ab anno 1066. non ad suam usque senectutem & Eduardi I. obitum, ad annum MCCCIV. ut imperite scribit Cavus loco citato, sed ad annum 1347. ut constat ex MSS. Codice hujus Chronici, quod extat in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Tiberii litera A. Codice 9. num. 6. ubi *Annales de gestis Brittonum, Saxonum, Danorum & Normannorum ad annum 1347. per Thomam Wicke Canonicum de Osneya.* Num. 7. *Indiculus Vasorum & supellectilis sacræ Monasterii de Osneya*, qui ejusdem esse creditur. In hoc Opere Guilielmum Neoburgensem sibi imitandum proposuit, quod nuper e tenebris eruit vir doctissimus & de re literaria bene meritus Thomas Galeus, inter *Historiæ Anglicanæ Scriptores* tomo 2. Oxonii in fol. anno 1687. editos. Cum autem MS. Codice non integro Galeus usus fuisset, hinc occasio errandi facta Gulielmo Cavo, qui Thomam Wiccium assignavit anno 1299. eo quod Chronicon illius editum ultra annum MCCCIV. non procederet. Extat aliud hujus Chronici MS. exemplar in eadem Cottoniana Bibliotheca, quod imperfectum pariter, ultra annum 1289. non procedit, nempe sub effigie Titi litera A. Codice 14. *Chronicon Thomæ Wykes, ab expugnatione Angliæ per Guilielmum I. anno Christi 1066. ad annum 18. Regis Edwardi I. id est annum Christi 1289.* Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 61. pag. mihi 495. Guillelmus Cavus in citato loco Historiæ literariæ ad annum 1299. pag. 756. ubi Vossium descripsit, atque errantem secutus est.

1340 JACOBUS FOLQUERII, Ordinis Eremitarum divi Augustini, Doctor Tolosanus atque ibi in Theologia Lector, scripsit ad Clementem Papam Sextum, opus inscriptum *Viridarium Gregorianum* seu *Allegorias in omnes Libros Sacræ Scripturæ, ex puris Sancti Gregorii Papæ primi verbis desumptas*, anno Domini 1345. in mense Aprili, huic Pontifici oblatas, ut author ipse indicat. Floruit Jacobus Folquerii anno 1348. & sequentibus, cujus Opus Manuscriptum in Bibliotheca Eremitarum Augustinianorum Parisiensium, Majoris (ut vocant) Conventus. Nullus quem noverim hujus Scriptoris meminit.

1340 FRANCISCUS PETRARCHA PARMENSIS ARCHIDIACONUS ET PATAVINUS CANONICUS, Aretii in Tuscia ex Florentinis parentibus, vel ut cum Gerardo Joanne Vossio quidam alii volunt, circa Ancisam Florentini agri vicum, majorum suorum sedem, patre Florentino exule natus die 20. Julii feria secunda anno Christi 1304. Claruit circa & ultra annum 1340. qui (ut inquit Labbeus) ingenio, eloquentia, Latinæ patriæque linguæ cultu, ac poetica etiam utraque facultate seculi sui princeps, literas a multo ævo sepultas, primas e Gothicis excitavit tenebris. Factus ob meritum eloquentiæ & eruditionis ubique cognitum, Archidiaconus Parmensis, tum Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ Canonicus: sed potissimum illius encomium, quod jure merito literarum bonarum atque eloquentiæ jam olim defunctæ suscitator appellari possit. Sane cum sub extrema Ludovici Bavari ætate, tum præcipue sub Carolo IV. Imperatore, studiorum humaniorum & disertæ orationis honos restaurari cœperit: Laus inprimis ea eximio viro Francisco Petrarchæ debetur, qui eloquentiam a seculis saltem duobus miserrimè sepultam, è tumulis erumpere, iterumque ex cineribus renasci exemplo suo procuravit, ut æquissimè de illo ait Paulus Jovius *in Elogiis Doctorum virorum.* Idemque judicium est Leandri *in Italia* sua, Scaligeri *in Arte Poetica*, virorumque omnium hujus hominis gloriæ non invidorum. Nec exiguum ad eam rem momentum paulò pòst attulit Joannes Grammaticus, insignis Orator, quem Leonardus Aretinus dicebat (ut apud eundem Leandrum in ejus, quæ nunc Romanula dicitur, descriptione legitur) *primum in Italia studium eloquentiæ reparasse, unà cum Imperii majestate prorsus ferè deperditum.* Est Joannes hic author ἀδιαπεγράφ, quo ad facundiam sternere viam, ut potuit, studebat. Sed quod Aretinus ajebat, primum in Italia fuisse Joannem Grammaticum, qui ad bene sperandum de literis, facundiaque, signum attolleret, illud non sine invidia Petrarchæ dictum videtur: unde longè justius & auspicatius, novum quasi revirescentis eloquentiæ initium, à Petrarcha hoc loco accipiemus.

Omnia Francisci Petrarchæ Florentini Opera in unum satis crassum volumen collecta sunt & impressa Basileæ anno 1496. apud Johannem Amerbach in folio, tum Venetiis 1501. pariter in folio, sunt autem illa

Bucolicum carmen in 12. eclogas distinctum.

De vita solitaria Libri 2.

De remediis utriusque fortunæ, Libri 2. per Dialogos 154.

Liber quem *Secretum*, vel *De conflictu curarum suarum* inscripsit.

Dialogi duo De vera Sapientia.

De rebus memorandis Libri 4.

Invectivarum contra imperitum medicum Libri 4. cui præmittitur authoris Epistola ad Clementem V. Romanum Pontificem, qua hortatur ut Medicorum turbam fugiat.

Epistolarum de rebus familiaribus Libri 8. qui Epistolas 122. continent.

Epistolarum 21. quæ sine titulo sunt, liber unus.

Epistola ad Carolum IV. Romanorum Regem, il-

 lum

lum accusans quod tardius Italicis rebus providerit.

Epistola ad posteros, originem, conversationem, morumque & studiorum suorum successus explanans.

Septem Psalmi pœnitentiales ab ipso compositi & ad Deum effusi.

Epitome vitarum quorundam virorum illustrium, ad Franciscum de Carraria Ducem Parmensem ad calcem hujus editionis adjectus est *Benevenuti de Rambaldis Liber Augustalis*, qui breviter complectitur Vitas omnium Augustorum usque ad suum tempus: qui etiam editus est Argentinæ anno 1505. in 4. chartis 3. cum S. Augustino. Ex præfatione autem L. Amstemii, libuit adjicere Benevenuti Imolensis librum, non ob aliquam viri elegantiam vel eloquentiam, utraque enim illi non ingenii sed temporum culpa defuit: sed quia Cæsarum vitas mita brevitate & veridica narratione complexus est. Fuit enim harum rerum investigator egregius, quem Æneas Sylvius tanti fecit, & ipse testatur in suæ *Europa* principio, ut huic libello *Vitas 4. Imperatorum* non dedignatus sit adjungere, qui post Benevenuti obitum imperarunt, qui sub Venceslao Caroli IV. filio mortuus est. Henricus tamen Gundelfingius, Constantiensis, in Præfat. *Chronici* sui ad Sigismundum Archi-ducem Austriæ apud Petrum Lambecium libro 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 6. pag. 470. hunc librum *Augustalem* dictum, quem utiliter ad opus suum perlegisse inquit, Francisco Petrarchæ attribuit. Sed ibi fallitur, dubium autem minime est, quin significetur Benevenuti de Rambaldis patriâ Imolensis *Liber de Imperatoribus Romanis*, qui *Augustalis* dicitur, & cum Francisci Petrarchæ operibus conjunctim Basileæ anno 1496. & Venetiis 1501. in folio impressus est. De hac prima editione Operum Francisci Petrarchæ, latissime disserit in *Bibliotheca Universali* pag. 254. Conradus Gesnerus Tigutinus, editionis Tigurinæ 1545. apud Christophorum Froschoverum in fol.

Omnia autem Petrarchæ Opera, in 4. tomos distincta, prodierunt Basileæ 1554. & 1581. in folio, apud Sebastianum Henriepetri, quas editiones repræsentat Robertus Bellarminus & Antonius Possevinus, cum Henrico Warthon, *in Supplemento Historia literaria* Guilielmi Cavi seculo 14. ad annum 1350. paginis 42. & 43. editionis Londinensis 1688. in fol. Extant autem

Tomo primo.

De vita Solitaria libri 2.

De remediis utriusque fortunæ libri 2. Impressi seorsim Francofurti 1546. in folio, item Lugduni anno 1577. in 8. quos antequam corrigantur, legi prohibet Index Romanus librorum prohibitorum.

De otio Religiosorum libri 2.

De vera Sapientia Dialogorum libri 2.

De contemptu mundi sive secretorum Dialogi 3.

Psalmi Pœnitentiales septem.

De Republica optimè administranda liber.

De officio & virtutibus Imperatoris, liber.

Rerum memorandarum libri 4. Prodiit cum opere subsequente, Basileæ a. 1563.

Epitome vitarum virorum illustrium.

De pacificanda Italia exhortatio.

Ad veteres Romanæ Reipublicæ defensores Oratio.

De libertate capessenda hortatoria.

De obedientia & fide uxoria.

De avaritia vitanda Oratio.

Itinerarium Syriacum.

Tomo secundo.

De rebus familiaribus Epistolarum libri 8.

Epistolarum ad quosdam ex veteribus illustriores, liber.

Epistolarum variarum liber unus.

De sui ipsius & aliorum ignorantia, liber, qui seorsim Genevæ prodiit a. 1609. in 12.

Apologia contra Gallum quendam.

Invectivarum contra Medicum quendam libri 4. quibus præmittitur Epistola Petrarchæ ad Clementem VI. Romanum Pontificem, qua hortatur ut Medicorum turbam fugiat.

Tomo tertio.

De Laurea recipienda Consolatoria Epistola, libris V.

Recepta Laureæ privilegium.

Bucolicorum Ecloga duodecim, quæ Basileæ etiam 1546. in 8. prodierunt.

Africa sive De bello Punico libri 9. qui Venetiis etiam excusi 1570. in 4.

Epistolarum Metricarum libri 3.

Testamentum Francisci Petrarcha.

Tomo quarto.

Poemata plurima lingua Thusca, quæ ob amorem Lauræ, juvenis adhuc lusit. Venetiis 1515. 1545. in 4. 1553. in 4. 1595. in 8.

Nova autem editio adhuc perfici & amplificari posset, collatione MSS. Codicum Francisci Petrarchæ, qui in Bibliothecis sunt plurimi, tam Operum jam editorum, quam adhuc ineditorum: reperiuntur enim.

Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 498. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 31. num. 3. 5. Artium, *Franciscus Petrarcha de vita Solitaria*, num. 3. Item Codice 2282. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Cod. 141. n. 1.

De remediis utriusque fortuna, inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1520. In MSS. Codd. Collegii S. Benedicti Codice 253. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 6996. in MSS. Codicibus Henrici Langley Equitis, Codice 43. in 4.

Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Co-

Codice 11. 24 in MSS. Codicibus Collegii omnium animarum Cod. 23.

Item inter MSS. Codices Vniverfitatis Cantabrigienfis 1675. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 13. *Secretum* vel *de fecreto conflictu curarum fuarum*, inter MSS. Codices Vniverfitatis Oxonienfis Codice 406. in MSS. Codicibus Collegii Baliolenfis, litera L. 21. num. 1. Inter eosdem MSS. Codices, Codice 1555. in Manufcript. Codicibus Collegii Corporis Chrifti Codice 88. num. 1.

Inter MSS. Codices Ecclefiarum Hiberniæ Codice 553. in MSS. Codicibus S. Trinitatis Dublinenfis litera L. Codice 413. num. 17. *Refponfio devotiffima Francifci Petrarcha poeta de Florentia ad Epiftolam D Sacmoru de Pomeriis, imprimis militis, nunc Ordinis Ciftercienfis Converfi.* Num. 18. *Septem Pfalmi ejufdem Francifci ad Militem fuprà dictum.*

De amore & fide uxoria inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Codice 1245. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuarienfis Archiepifcopi litera G. Cod. 80.

Quantum autem ad *Epiftolas Francifci Petrarcha*, illæ tam ope MSS. Codicum, quam impreflorum plurimæ addi poffunt editionibus præcedentibus. Nam anno 1601. in 8. Genevæ apud Samuelem Crifpinum, editæ funt *Francifci Petrarcha Philofophi, Poeta & Oratoris clariffimi Epiftolarum Familiarium libri XIII. ac libri XVI. Epiftola prima* à pag. 1. ad 469. *Epiftolarum variarum liber unus* pag. 470. *Epiftolarum qua fine titulo funt, liber unus* pag. 587. *Epiftolarum ad quosdam ex veteribus illuftriores liber unus* pag. 657. ex vetufto Codice Bibliothecæ Joannis Chalafii Nemaufenfis Jurisconfulti. Ex Epiftolis etiam Petrarchæ, XV. quæ de juribus Imperii contra Papam agunt, habentur apud Goldaftum *Monarchia* tomo 2. p. 1345. quæ feorfim anno 1555. Argentinæ in 4. prodierunt. Ejusdem *Epiftola ad Carolum 4 Imperatorem* edita apud Petrum Lambecium lib. 2. *Commentariorum Bibliotheca Cafarea Vindobonenfis*, cap. 8. pag. 962. 963. 964. 965. 966. Idem Lambecius ibidem cap. 8. pag. 936. Codice Latino 285. num. 23. ex Ambrafiana Bibliotheca allato, meminit *Epiftolarum Francifci Petrarcha duarum ad Tribunum civitatis Romana, qui eam liberaverat ab iis, qui tyrannizabant.* Sed Epiftolæ longè amplius accrefcere poffunt ex Manufcriptis Codicibus. Extant enim inter MSS. Codices Vniverfitatis Oxonienfis Codice 175. in MSS. Codicibus Collegii Baliolenfis H. 10. *Francifci Petrarcha Epiftola* nitido charactere, fol. in membrana. Inter eosdem MSS. Codices, Codicibus 1231. 1232. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codicibus 267. 268. *Francifci Petrarcha Epiftolarum rerum Senilium libri II. Ejusdem Epiftolarum rerum familiarium libri II. priores.* Inter MSS. Codices Vniverfitatis Cantabrigienfis Codice 1676. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 14. num. 1. *Libri 17. Epiftolarum rerum familiarium Francifci Petrarcha.* Num. 2. *Libri 17. Epiftolarum rerum Senilium.* Num. 3. *Tractatus Epiftolarum fine nomine, ejusdem auctoris.* Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebriorum Bibliothecarum Codice 3036. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamenfi apud Londinum Codice 137. num. 1. *Francifci Petrarcha Epiftolarum libri.*

Inter MSS. Codices Vniverfitatis Oxonienfis Codice 391. in MSS. Codicibus Collegii Baliolenfis litera L. 6. *Francifcus Petrarcha in objurgantem Medicum.* Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium & aliarum infigniorum Bibliothecarum Codice 1368. in MSS. Codicibus Collegii B. Mariæ prope Wintoniam Codice 31. *Francifci Petrarcha invectiva contra procacem Medicum.*

Bucolicorum Ecloga 12. extant MSS. in Bodlejana Bibliotheca Codice 2190. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera D. 3. Codice 13. Inter MSS. Codices Vniverfitatis Oxonienfis 1233. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 269. cum ejusdem *fabulis Æfopi carmine redditis.* Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebriorum Bibliothecarum Cod. 1129. in MSS. Ecclefiæ Weftmonafterienfis Cod. 39. n. 1.

Africa Francifci Petrarcha, inter MSS. Codices Vniverfitatis Cantabrigienfis Codice 2049. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Cod. 121 num. 1.

Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium & aliarum infigniorum Bibliothecarum Codice 9343. in MSS. Codicibus Johannis Mori Epifcopi Nortvicenfis Codice 158. *Poemata Francifci Petrarcha*, quæ linguâ Hetrufca fcripta funt, Codex membraneus nitidiffimus. Hucusque de Manufcriptis à me notatis operum editorum.

Atque juxta Antonium Poffevinum *in Apparatu facro* tom. 1. verbo *Francifcus Petrarcha*, Manufcriptum fertur *Itinerarium ad Sanctum Sepulchrum* ad Joannem Mandelfum Mediolanenfem Medicum. Incipit *Rarò admodum fpes noftra.* Non extat Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Novi Codice 181. ut fcripfit perperam Thomas Jamefius *in Ecloga Oxonio Cantabrigienfi*, fed inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2342. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 2. Codice 3. num. 5. fol. 67. cum Eclogis Joannis Bocacii.

Inter MSS. Codices Vniverfitatis Oxonienfis Codice 2164. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 23. *Comœdia fex Terentii cum Annotationibus Francifci Petrarcha.* Et inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium, aliarumque infignium Bibliothecarum, Codice 3605. in MSS. Codicibus Francifci Bernardi Codice 36. Inter MSS. Codices Latinos ex Ambrafiana arce ad Cæfaream Bibliothecam allatos, Codice Latino 285. num. 31. *Vita Terentii per Francifcum Petrarcham & Paulum* Oro-

Orosium, & argumenta omnium ipsius quæ supersunt, comœdiarum. Ibidem num. 38. *Francisci Petrarchæ Descriptio casus Medeæ miserrima, postquam à Jasone in insula desolata derelicta fuit*, cujus principium, *Æterni throni non verentes justitiam &c.* Ita Petrus Lambecius libro 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 8. pag. 936.

Ars punctuandi ejusdem MS. in Bibliotheca Augustana, juxta *Indicem Manuscriptorum Bibliotheca Augustana* pag. 50. quem edidit Antonius Reiserus Augustæ Vindelicorum 1675. in 4to.

Agunt de illo Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, pag. mihi 362. Philippus Labbeus ibidem tomo 1. pag. 323. De eo plura Poggius, Joannes Trithemius, Paulus Jovius, Lilius Giraldus, Leander Albertus, Gerardus Joannes Vossius: sed præ cæteris Jacobus Philippus Thomasinus, Episcopus Æmoniensis *in Petrarcha Redivivo*, qui anno 1650. iterata editione Patavii impressus est. Cum ergo & ipse Ecclesiasticus fuerit, Canonicus nimirum Ecclesiæ Patavinæ & Parmensis Archidiaconus, ratio *Supplementi De Scriptoribus vel Scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino ad annum 1460. omissis*, exigit: ut de Petrarcha non taceam, si quid vel jam editum atque à Bellarmino omissum, vel in Manuscriptis tantum Codicibus inveniatur. Extant sub ejus nomine MSS. *Fabulæ Esopi versibus redditæ*, Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 269. cum ejusdem *Eclogis in Virgilium*.

Ejusdem *Tractatus De Gualtero Marchione & Grisildâ ejus uxore*, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii S. Benedicti Codicibus 4. num. 12. 85. num. 9. Item in Bibliotheca Cottoniana sub Vespasiani effigie litera E. Codice 12. num. 4. Oxonii in Collegio Magdalenensi Codice 39. num. 2.

Gerardus Joannes Vossius attribuit eidem Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. pag. 525. *Itinerarium ad Domini sepulchrum*, quod ait inveniri MS. in Anglia, Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi. Sed Opus istud non comparet in Syllabo Operum MSS. Francisci Petrarchæ in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi Thomæ Jamesii pag. 97. quamvis in Bibliotheca citata habeatur Cod. 181. cum Eclogis Joannis Bocacii. Extat modò inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 2342. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 2. Cod. 3. n. 5. fol. 67.

Hujus etiam *Liber de casibus virorum illustrium* MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 840. forsan Bocacii.

Itemque ibidem ejusdem *Epistolarum libri viginti quatuor Rerum familiarium*, MS. Cod. 842. quorum novem tantum impressi hucusque leguntur. Iidem *libri XXIV. Epistolarum De rebus familiaribus*, MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 4990. quarum index & initia in primis foliis habentur. Liber I. Epistola I. ad fratrem ipsius est, quæ incipit, *Quid verò nunc agimus &c.*

Obiit in Arquado, sive ut alii volunt, Arquada agri Patavini pago, anno 1375. ætatis suæ septuagesimo. Ubi & magnificum habet sepulchrum, quatuor quippe porphyreticis columnis subnixum, imò quantum quantum est, eo lapide constans. Vitam Petrarchæ paucis retulit Raphael Volaterranus *Antropologia* Libro XXI. & Jacobus Bergomensis *in Supplemento Chronicorum* Libro XIII. ad annum 1341. ubi eum celebrem virum meritò appellat. At fusè vitam ejus descripsit, imò librum penè integrum illi impendit Xicco Polentonus. De ejus autem Operibus Conradus Gesnerus seu Josias Simlerus *in Epitome Bibliotheca* pag. 242. Antonius Possevinus tom. 1. *Apparatus sacri*. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. pag. 525. Henricus Whartonus in Exceptione *Historia Literaria* Guillelmi Gavi ad a. 1350. p. 41.

MATTHIAS VON BEHEIM, natione Germanus, ex partibus Saxoniæ, hac quoque ætate post annos 1340. & 1350. inter suos clarus extitit, qui strepitu secularium contempto, Eremiticam conditionem ac solitudinem apud Hallam Saxoniæ seu Magdeburgicam, ut vocant, elegit & exercuit. Factus autem Eremita seu solitarius, uti decebat devotum virum, mentem apposuit Scripturis Sacris meditandis, imò etiam in Germanicam linguam vertendis. Nam in Catalogo Manuscriptorum Codicum Bibliothecæ S. Pauli Lipsiensis, quem edendum procuravit Joachimus Fellerus ejusdem Academiæ Bibliothecarius anno 1686. Lipsiæ apud Joh. Fridericum Gleditsch, Repositorio Theologico I. Serie IV. MSS. in 4. num. 12. pagina Catalogi 79. *Quatuor Evangelista verteutsche von Matthia von Beheim Clusenern in Halla, anno 1343*; de quo ita Jacobus Le Long Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis, *in Bibliotheca sacra* Tomo seu parte 2. Cap. 9. Sect. 2. *De antiquis MSS. Codd. Bibliorum Germanicorum* pag. 183. edit. Lipsiensis 1709. in 8. 1340

Codex hic membranaceus in 4. in quo ipsis« Evangeliis varia præmittuntur, ac 1. quidem« descriptio formæ Christi, 2. præfatio de digni-« tate hujus Libri, 3. Prologus Hieronymi in IV.« Evangelistas, 4. Ejusdem Canones Evangelio-« rum, 5. Indices Evangeliorum seu lectionum« Evangelicarum, quæ per annum leguntur.« Evangelium S. Matthæi sic incipit, Das buch« der geburt Jesu Christi sun Davidis &c. Evan-« gelium Lucæ, Wan sich lichen vile haben sic« geulet zu ordnen die sprechunge der dinge di« in uns erfult sint &c. quæ prolixius refert Ja-« cobus Longus allatus pag. 183. quæ hucrefer-« re Germanicam linguam nescientibus, onero-« sum esset. Quatuor Evangelia Germanice,« excipit Passio Christi ex quatuor Evangelistis« harmonicè composita. Subscriptio autem in« fine

„fine Operis hæc eft. Dife dutunge des latines „in das dutfche ift gemacht, Matthiæ von Be„heim dem Clufenern zu Halle. Nach unfirs „herin geburt tufent jar und dri hundert, und in „dem dri und virzigften jare &c.

Ejusdem quoque Scriptoris creditur, quod eodem tempore confcriptum fuit & in Germanicam Linguam converfum, Pfalterium Davidis Germanicum anno 1356. cum nonnullis aliis, de quo eadem Bibliotheca Lipfienfis in Catalogo MSS. Codicum Repofitorio Theologico I. ferie 2. in folio pag. 68. Num. 24. *Pfalterium Germanicè redditum anno 1356. ut & Magnificat, & Symbolum Athanafii.* At longè ante hæc tempora tam Vetus quam Novum Teftamentum feu facros Codices, fuiffe in Germanicam linguam converfos, ex multis MSS. Codicibus, qui in diverfis Germaniæ Bibliothecis reftant, confpicuum eft. *Vetus Teftamentum Germanicis verfibus redditum à Rudolpho ab Hohen Ems anno MCCL. juffu Conradi Regis, quodque paraphrafibus poëticis annumerandum eft*, in membranis non femel occurrit, ut & in Bibliotheca Guelferbytana. Ita Johannes Fridericus Mayerus in Differtatione quam fcripfit accurata *De verfione Bibliarum Germanica Martini Lutheri* pag. 158. ac poft illum Jacobus Longus allatus anteà, *Bibliotheca facra* Tomo 2. cap. 9. fect. 2. p. 179. quos adeas.

1340 DVRANDVS CAMPANVS feu GALLVS, *De Campania* dictus, quod in hac Galliæ provincia ortus effet, Ordinis Fratrum Minorum, atque à Confeffionibus Reginæ Galliæ & Navarræ, tefte Wadingo floruit fub annum 1340. ut habet *in Bibliotheca Ordinis Minorum*. Scripfit *Summam Confeffariorum*, quæ infcribitur *Directorium Confefforum vel Confeffionum in quatuor partes diftinctum*, quod habetur Manufcriptum in celebri Bibliotheca Colbertina, Cod. 451. Item eodem tefte Wadingo, *Opus infigne in quatuor Libros Sententiarum*, quod extat MS. in Bibliotheca Fratrum Francifcanorum Bononiæ. Videndum tamen, an non idem Opus fit, quod fub nomine *Durandi de Sancto Porciano* Ordinis Fratrum Prædicatorum impreffum eft, quod etiam in Bibliothecis Patrum Francifcanorum fæpè Manufcriptum legitur. Agunt *de Durando Campano & Minorita*, Lucas Wadingus *in Annalibus Ordinis Minorum* tomo 3. ad annum 1344. n. 9. & *in Bibliotheca Scriptorum ejusdem Ordinis*, p. 104. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Authorum*, quem præfixit *Gloffario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 95. ubi eum ad annum 1340. collocat.

1340 JOANNES HOCSEMIVS SANCTI LAMBERTI LEODIENSIS CANONICVS, ex ditione Leodienfi orinndus, anno 1277. Hutgardiæ in eadem Diœcefi natus, tum ob eruditionem ac probam converfationem factus Canonicus & ad Sanctum Lambertum Scholafticus. Vnde ob doctrinam & in rebus agendis prudentiam, pro Jurisdictione Leodienfi varias obiit Legationes ad Papam, Galliæ Regem, & Brabantiæ Ducem. Reliquit *Hiftoriam* feu *Res geftas Epifcoporum Leodienfium*, feu potius *Chronicon Epifcoporum ab Ægidio Aurea Vallis Monacho ad annum 1251. deductum, ad annum 1348. continuavit*, quo fcribebat. Vtrumque in lucem editum eft Leodii anno 1613. in 4. cura & ftudio Joannis Chapeavilli Canonici, & in fpiritualibus Epifcopatus iftius Vicarii Generalis, tomo 2. *Hiftoricorum Leodienfium* pag. 373. Hujus mentionem facit Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 519 editionis 1643. Lovanii in 4. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice authorum*, quem præmifit *Gloffario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 122. Henricus Whartonus in continuatione *Hiftoriæ literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1348. pag. 41.

NICOLAVS MINORITA, cognomento *Specialis*, fcripfit *Hiftoriam Siciliæ* ab anno 1282. ad 1337. Hic claruit circa annum 1330. vel 1340. hiftoriamque fcripfit ad fua usque tempora, quæ MS. extat in Codice 678. Colbertinæ bibliothecæ, cujus nobis excerpta quædam dat Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenfium col. 598. his verbis. „*Hanc Hiftoriam narrat fic Nicolaus Minorita tum vivens in Codice 678. bibliotheca Colbertinæ.* Anno Do„mini MCCCXXI. fratre Michaele de Cefena „facræ theologiæ magiftro, exiftente Ordinis „fratrum Minorum generali miniftro, fui mini„fterii anno fexto, quidam Beguinus feu Bizo„tus fuit captus in civitate Narbonæ pro facto „hærefis per Archiepifcopum Narbonenfem & „fratrem Johannem de Belna Ordinis fratrum „Prædicatorum, Inquifitorem hæreticæ pravi„tatis. Qui Beguinus inter alia afferebat, quod „Chriftus & Apoftoli viam perfectionis fequen„tes, nihil habuerunt jure proprietatis & domi„nii, in fpeciali nec etiam in communi. Qui „Inquifitor volens judicare dictum Beguinum, „convocavit ad confilium omnes Priores, Guar„dianos & Lectores religioforum, & quamplu„res alios fapientes: inter quos affecit frater Be„rengarius Taloni Lector in conventu fratrum „Minorum de Narbone. Et inter cætera præ„fatus Inquifitor fecit legi præfatum articulum „de paupertate Chrifti & Apoftolorum ejus, „pro quo volebat Begardum hujusmodi tan„quam hæreticum, judicare. Prælibatus fra„ter Berengarius Lector, fuper dicto articulo „requifitus, refpondit, quod hoc dicere, non „erat hæreticum: fed dogma fanum, catholi„cum & fidele, maxime cum hoc effet per Ec„clefiam in Decretali *Exiit, qui feminat* diffini„tum. Quo facto ac fi afferuiffet hærefim di„ctus Lector, præfatus Inquifitor eidem præce„pit, ut dictum fuum ftatim in præfentia omni„um revocaret, qui Lector revocare noluit quo„que modo. Sed quia cogebatur revocare il„lud, quod erat fanum & catholicum, & tan „quam 1340

„quam tale per Ecclesiam diffinitum, & timens „ex hoc contra justitiam multipliciter aggravari, ad sedem Apostolicam solemniter appellavit: & cum appellatione sua venit apud Avenionem, ubi prædictus Dominus Johannes Papa cum sua curia residebat: & in consistorio coram eo, jam tamen informato de opposito, comparuit & proposuit dictus Lector. Qui Dominus Papa præfatum Lectorem fecit in sua curia arrestari, & publice hanc proposuit quæstionem, videlicet utrum pertinaciter affirmare Dominum Jesum Christum ejusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali, nec etiam in communi, foret hæreticum censendum: & formam ipsius quæstionis in scriptis, omnibus prælatis & magistris in theologia in sua curia existentibus, tradi fecit. Volens igitur dictus Dominus Johannes Papa de dicta quæstione & quibusdam aliis diffinire, oppositum eorum, quæ in dicta decretali *Exiit* extitit diffinitum, ut postea patuit per effectum. *Historiam hanc Odoricus Raynaldus ad an. 1322. § 53. suis, non Nicolai verbis recitat, quamvis cum laudet auctorem. Nos ipsa Nicolai verba describere maluimus.* Idem Baluzius col. 704. Quærit Albericus a Rosate in verbo *Privilegium* & in l. *Ea quidem* Cod. de accusationibus, an propter Antipapam Romæ creatum tempore Joannis XXII. Ecclesia Romana & urbs Romana potuerint per Papam privari eorum privilegiis. Idem in verbo *Papa* sub finem ita scribit: *Papa Joannes XXII. satis animose, scilicet dici, & voluntarie contra jura imperii fecit unam constitutionem extravagantem, in qua divisit regnum Alemaniæ a regno Franciæ, & subtraxit & exemit provinciam Italiæ ab Imperio. Quod an facere potuit, Deus novit.* Constitutiones istius verba referuntur a Nicolao Minorita in Codice 678. Colbertinæ bibliothecæ fol. 337. hoc modo: *Nos ad quem ex speciali prærogativa pertinet præeminentis potestatis, evellere atque destruere, plantare & ædificare, dividere & unire: de omnipotentis summi patris, & Apostolorum ejus Petri & Pauli spe certa confisi, eorumque munici suffragio, de fratrum nostrorum consilio & assensu perpetua deliberatione firmato, ex præmissis rationibus & causis ac aliis, quas præsentibus inseri prolixitas oblivionis nostra non suasit, provinciam Italiæ ab eodem Imperio & regno Alamaniæ totaliter eximentes, ipsam a subjectione communitatum & jurisdictionum eorundem regni & imperii separamus, dividimus, ac per partes scindimus, ac de potestatis nostræ plenitudine liberamus, decernentes ut nullo unquam tempore opere conjungantur & uniantur, aut in uno corpore existere censeantur: ex eo præcipue, quod earundem provinciarum longa diffusaque protensio sic confundit & impedit, ut unius regnantis viri sanctionis & gubernationis officium non sufficiat, quapropter ipsorum causa læsa negligitur; & dum imperantis animus ad plus extenditur, ad singula per consequens minuitur, de regimine & gubernatione cum providentia Regis æterni & eorundem fratrum nostrorum consilio & deliberatione solemni cautius provisuri. Ac declarantes regnum prædictum Alamaniæ a regno Franciæ, claris distingui terminis & notis finibus limitari, distinctis per nos de ipsorum fratrum nostrorum consilio, paterno amore provide distinguendis. Hoc nos exemplum Christi ac rat·o instruit, qui propter peccata regnantium regna divisit. Hoc docet præmissa ratio, quia malum separat, ut unita malitia gravius non offendat. Nulli ergo omnino hominum* &c. Verum Baluzius ut vere sententiam suam promat, valde suspicatur hanc, quæ relata est Joannis XXII. constitutionem falsam esse ac suppositiam. Sic enim tunc consuevisse nonnullos, docent affixa eidem Joanni epistola in chronico *Aula Regia* pag. 35. & duæ Clementi VI. attributæ de reductione jubilæi, quæ extant apud eundem Albericum: & alia etiam proferri exempla possent. Hæc Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 704. nec immerito, nam Nicolaus iste iniquior fuisse videtur in Joannem XXII. ex iis, quæ idem habet col. 788. his verbis. Quoad Joannem Papam, testatur Nicolaus Minorita fol. 253. illum cœpisse prædicare de animabus Sanctorum, quod non viderent gloriam Dei & faciem Christi, ante diem judicii universalis, anno MCCCXXIX. Dominica tertia adventus. Referenda sunt autem ejus verba, licet paulo prolixiora, nondum enim typis edita sunt. Sic ergo ait Nicolaus. *Inprimis anno Domini MCCCXXIX. Dominica tertia de adventu. qua incipit,* Gaudete in Domino semper, *dixit: Beati in patria videbunt magnam novitatem, scilicet Deum trinum & unum. Et est mirabilis novitas videre tres personas ad invicem non distinctas. Nam Filius non distingvitur a Patre, neque Spiritus Sanctus a Patre & Filio, qui procedit ab eis. Et tamen tres personæ sunt, & in tres unum sunt. Et hæc est magna novitas, de cujus visione gaudebunt beati.* Idem fol. 255. sic persequitur istam materiam *Item anno Domini MCCCXXXI. in festo omnium Sanctorum, fecit unum sermonem publice, qui incipit,* Mementote operum vestrorum &c. *Et in sequenti tertia Dominica de adventu eodem anno fecit unum sermonem publice, qui incipit,* Gaudete in Domino semper &c. *Quem sermonem fecit in scriptis redigi, & mandavit omnibus volentibus accipere, copiam dari. Et in anno Domini MCCCXXXII. in vigilia Epiphaniæ, fecit alium sermonem publice, qui incipit,* Tolle puerum & matrem ejus &c. *In quibus sermonibus publice & pertinaciter contra fidem Catholicam, quam sancta Romana Ecclesia tenet, dicit, asserit, & dogmatizat in hæc verba: Merces Sanctorum ante Christi adventum erat sinus Abrahæ, post adventum vero Christi & ejus passionem & ascensionem in cælo, merces Sanctorum est & erit usque ad diem judicii, esse sub altare Dei: quia animæ justorum usque ad diem judicii erunt sub altari, id est, sub protectione & consolatione humanitatis Christi. Sed postquam Christus venerit ad judicium, erunt sub altare, id est, super Christi huma-*

„*humanitate, quia poſt diem judicii videbunt Sancti „& contemplabuntur, non ſolum humanitatem Chri„ſti, ſed etiam ejus divinitatem, ut in ſe eſt. Vide„bunt enim Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. „Animæ ergo Sanctorum ante diem judicii ſunt ſub „altari, id eſt, conſolatione & protectione humani„tatis Chriſti: ſed poſt diem judicii, ipſe elevabit „eos, ut videant ipſam divinitatem, & ſecundum „hoc dicentur aſcendere ſub altare.* Idem Baluzius Nicolaum eundem excerpit in Notis ad dictas Vitas Paparum Avenionenſium col. 892. Sed hæc ſufficiunt, ut ejus ætatem agnoſcamus, qui circa annum 1340. floruiſſe creditur. Edidit *Hiſtoriam hanc* dictus Baluzius in *Additionibus*, quas fecit *Marca Hiſpanica*, quam anno 1688. Pariſiis in ſolio typis præclaris edendam curavit. Ita *Diarium Eruditorum* Pariſienſe anni 1714. pag. 219. editionis Amſtelodamenſis in 12mo.

1340 GVILLELMVS DE BOLDENSLEVE, ſeu potius OTTO DE RIENHVSZ, natione Germanus, & ordinis fratrum Prædicatorum in conventu Mindenſi, ordinem ſuum e conventu S. Pauli ſecedens, anno 1315. deſeruit. Claruit vagus anno 1336. quo rogatu Talayrandi Comitis Petracoricenſis, cujus acta deſcribit Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium col. 770. & ſqq. ſcripſit *Hiſtoriam itineris in Terram ſanctam a ſe ſuſcepti*, quæ una cum *Epiſtola* ad Petrum Abbatem Aulæ Regiæ Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Pragenſi, extat apud Henricum Caniſium Tomo V. *Antiquæ Lectionis* pag. 96. De hoc opere, ejusque auctore, ita in Chronico anonymo Mindenſi ad annum 1315. apud Meibomium legitur. *Per idem tempus Otto de Rienhusz de conventu Mindenſi recedens, nomenque ſuum mutans, Guillelmum de Boldensleve ſe nominavit. Ex parte enim matris, quæ erat de genere illorum de Boldensleve, nobilis erat. Acceſſit ad curiam Romanam, & abſolutione pro apoſtaſia accepta, ad Terram ſanctam perrexit, quam ad inſtantiam unius Cardinalium, gratioſe ſic legenti poſt deſcripſit. Hic poſtea in ſui reverſione, ad ordinem redire diſponens, Colonia apud fratres Prædicatores defunctus eſt.* Cum igitur anno MCCCXXXVI. Benedictus XII, adverſus inimicos Chriſtiani nominis crucem prædicaſſet, Rex Francorum & alii, qui tum Avenione erant crucesignati ſunt, ac præterea multi alii viri nobiliſſimi & Cardinales quidam, inter quos Froiſſartus vol. 1. cap. 28. nominat Petragoricenſem. Ea occaſione Talayrandus Guillelmo de Boldensleve nobili Germano impoſuit laborem deſcribendarum earum regionum, quæ vulgo Orientales & Aſiaticæ vocantur, præcipue vero Terræ Sanctæ. Sic enim legitur in fine operis apud Henricum Caniſium tomo V. *Antiquæ lectionis* pag. 142. *Explicit tractatus de quibusdam ultramarinis partibus, & præcipue de terra ſancta, compilatus per nobilem virum Guillelmum de Boldenſele, ad inſtantiam Reverendi Patris & Domini Thalayrandi Petragorici tituli ſancti Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis, anno 1336.* Extat in Codice 8392. Regiæ bibliothecæ verſio gallica hujus Operis, in cujus calce ita ſcriptum eſt: *Explicit une traitiés de la terre ſaincte, & auſſy en partie de Egipte, fais par noble homme, Monſieur Guillaume de Boldeſele, Chevalier de Allemaigne, à la requeſte de tres Reverent Seigneur Monſieur Thalayrant de Pierregort, Cardinal au titelle ſainct Pierre a vincula, fait l'an de grace MCCCXXXVI. environ la Penthecouſte, & translatè par frere Jehan d' Yppre, Moine de ſainct Bertin en ſaint Aumer, l'an de grace mil trois cent cinquante & un acomplis.* Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum, qui Avenione ſederunt, quibus, quis fuerit Guillelmus de Boldenſel, agnoſcitur.

FRANCISCVS DE TVDERTO R. E. CARDINALIS, ab anno circiter 1340. floruit. 1340
Fratrem habuit Andream Epiſcopum Tudertinum, quo factum eſt, ut iſte a Matthæo Villanio lib. 7. cap. 46. & lib. 10. cap. 73. vocatus ſit per errorem Andreas. Illum fuiſſe Pœnitentiarium majorem Eccleſiæ Romanæ patet ex tomo VI, Spicilegii Dacheriani pag. 494. & ex Joanne Avenione pag. 796. *Annalium Boiorum* prioris editionis. Fuit ille primo Epiſcopus Corfienſis, circa annum 1340. ut videtur, & hinc tranſlatus anno MCCCXLVIII. XV. Calendas Octobris ad Eccleſiam Cluſinam, ex qua tranſiit ad Caſſinenſem anno MCCCLIII. die XV. Junii, ut Ferdinandus Vghellus docet. Eo tempore, quo Eccleſiam Cluſinam regebat, ſcripſit tractatum *De quarta canonica piorum legatorum debita Epiſcopo*, cujus exemplum ſe vidiſſe Oldoinus teſtatur. Ejusdem duo vetera exemplaria MSS. extant in Codicibus 763. & 2672. Colbertinæ bibliothecæ. Secundum exemplar ſcriptum eſt, antequam e Cluſio migraret, ſic enim illic legitur: *Ego Franciſcus Epiſcopus Cluſinus indignus & decretorum Doctor minimus, prædicta omnia putans eſſe vera de jure, ſcripſi & ex Doctorum ſcriptis collegi, ne curioſi de quibus in principio dixi, aſſerentes me quartam indebito petere, injuſte lacerent famam meam, quam ſi negligerem, crudelis eſſem* &c. Primum reſcriptum ac recuſum eſſe, poſt dignitatem Cardinalatus adeptam, neceſſe eſt, cum in eo ita legatur: *Ego Franciſcanus Epiſcopus Cluſienſis olim, nunc ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis indignitatus, & decretorum Doctor minimus prædicta omnia* &c. ut ſupra. Citat hoc opus Baldus de Peruſio conſil. 134. his verbis: *Et iſtud relictum, licet ſit factum in quadam devotione, non tamen eſt ad pias cauſas. Et ſic nec ratione perſonarum nec ratione cauſæ. Epiſcopus debet habere quartam, licet Cardinalis de Tuderto dixerit contra, & male.* Citat etiam, ſed ex auditu tantum, Abbas Panormitanus part. 1. conſ. 37. ubi de eadem quarta loquitur. *Et idem*, inquit, *dicitur tenuiſſe quondam Cardinalis de Tuderto in quodam ſuo tractatu.* Anno MCCCLII. eidem Franciſco cum Epiſcopo Cluſino & Philippo Ferrarienſi,

rantensi, Clemens VI. imposuit onus revocandæ concordiæ inter Carolum Delphinum Viennensem & Amedem Comitem Sabaudiæ. *Odoricus Reynaldus anno 1352. §. 9.* Postea Innocentius VI. illum anno MCCCLV. ad Ecclesiam Florentinam migrare jussit, cum Angelum Acciaiolum e Florentina ad Cassinensem transtulisset. Quare certus error est Ughelli asserentis hunc Franciscum an. 1345. promotum fuisse ad Ecclesiam Florentinam. Nam cum constet, eum esse factum Cardinalem ex Episcopo Florentino, ac propterea dictum Cardinalem Florentinum: consequens est, eam Ecclesiam fuisse postremam, ex iis quas ante Cardinalatum occupavit. Factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Marci, anno MCCCLVI. dic XXIII. Decembris. Ex quo colligitur falsum esse, quod ait Augustinus Oldoinus in Tomo 2. *Historia summorum Pontificum & Cardinalium* pag. 533. illum sancte administrasse Ecclesiam Florentinam annis undecim: illam enim nonnisi per sexennium regere potuit. Anno MCCCLIX. delegatus ab Innocentio VI. tulit mense Octobri sententiam pro Archiepiscopo Rigensi adversus Teutonicos beatæ Mariæ milites, qui bona nonnulla illius Ecclesiæ occupaverant. *Bzov. anno 1359. §. 16.* Anno MCCCLX. cum Petrus Archiepiscopus Viennensis ab eodem Innocentio gradu motus fuisset, Ecclesiæ Viennensis administratio ad beneplacitum apostolicæ sedis, data est Francisco tituli sancti Marci Presbytero Cardinali. *Bzovius anno 1360. §. 3.* Postea cum iste extinctus esset, ea administratio tradita est Ludovico de Villars Episcopo Valentinensi & Diensi, ut constat ex regesto Caroli V. in archivo regio Parisiensi. Obiit autem Franciscus de Tuderto anno MCCCLXI. die quarta Septembris apud Pontem Sorgiæ haud procul Avenione. Ex quo rursum intelligi datur, Ughellum errare tom. 2. *Italia Sacra* pag. 739. & tom. 3. pag. 1033. ubi scribit, illum obiisse anno MCCCLV. Hæc verbotenus ex Baluzio, in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 933. quem exscripsimus.

1340 THOMAS ECKLESTON natione Anglus, ex ordine fratrum Minorum, regnante in Anglia Edwardo III. circa annum 1340. & sequentes claruit, qui præter librum, quem edidit De propugnatione ejusdem Ordinis contra Dominicanos scripsit *Historiam sui Ordinis in Anglia*, in qua primo de B. Francisco & primis ejusdem Ordinis exordiis agit, deque adventu Agnelli Pisani, qui primus in Anglia Franciscanum Ordinem instituit. Perduxit autem id opus ad sua usque tempora, quibus Guilielmus Nortinghamus, Franciscanorum in Anglia Magister generalis erat, opusque Simoni Effebio amico suo, Ordinis sui professori dicavit, quod extat MS. in bibliotheca Metropolis Eboracensis, Codice 46. De eo Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 65. pag. 518 editionis ultimæ. Opus istud, de quo dixi Thomæ de Eccleston extat in Catalogo MSS. Codicum Anglici & Hiberniæ Tomo 2. inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 46. sub hoc titulo *Frater Thomas de Eccleston, De adventu Minorum in Angliam*, in 8. Ambigo tamen, an Opus Thomæ Ecclestoni integrum illic sit, annon potius aliqua pars ex Opere integro excerpta vel transcripta, cujus integrum opus MS. extat in Cottoniana Bibliotheca, sub effigie Neronis litera A Codice IX. num. 4. sub his titulis, *Regula, institutiones & res gesta fratrum Minorum in Anglia.* Num. 5. *De modo, die, & hora apparitionis Domini in forma Semphica Beato Francisco, & impressione Sacrorum stigmatum.* Num. 6. *Martyrium quinque fratrum Minorum apud Marochium.* Num. 7. *Martyrium trium fratrum Minorum de Armenia majori.* Num. 8. *Martyrium quatuor fratrum Minorum apud civitatem Tana, cum serie sacri Martyrii.* Num. 9. *De locis fratrum Minorum & Prædicatorum in Tartaria.* Num. 10. *Nomina generalium Ministrorum ordinis fratrum Minorum, & Ministrorum generalium Anglorum.* Mentionem faciunt hujus scriptoris Johannes Lelandus inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Codice 5103. *Collectaneorum* volumine 2. cap. 43. pag. 296. ubi excerpit *Ex Chronico cujusdam Thomæ Franciscani ad Simeonem de Esseby Franciscanum*, De rebus Ordinis Minorum & præcipue in Anglia gestis. Et Codice 5105. *Collectaneorum Lelandi* volumine 4 capite 170. pag. 226. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* editionis 1574. verbo *Thomas Eccleston* pag. mihi 661. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo eodem. Quem dubio procul Lucas Wadingus omnium diligentissimus, in *Bibliotheca Ordinis Minorum* non omisit, licet præ manibus eum non habeam. De illo Rodulphus Hospinianus lib. 6. *De Origine Monachatus* cap. 13. *De propagatione Ordinis fratrum Minorum* pag. mihi 443. editionis Genevensis 1669. in folio. "Thomas Eckleston Franciscanus scripsit De origine, incremento" & successibus sui Ordinis, præcipue autem eo-" rum, qui in Anglia sedes posuerunt. Quæ" Historia plena est mendaciis, ac blasphemiis." Tractat enim de Francisci tunica, corda, vulne-" ribus & braccis, de fratrum abstinentiis, jeju-" niis, ciliciis, vigiliis, castrationibus, ædificiis," precibus horariis, visionibus, portentis, pro-" digiis, studiis, doctrinis & lecturis. Idem ibi-" dem pag. 242. columna 2. Refert Thomas Eckelstonus in Libro *De adventu Minorum in Angliam*, quosdam Franciscanos, post primum eo" rum introitum, virilia sibi amputasse, ut in hoc" mundo sanctiores haberentur, & ob vitæ" castimoniam in admiratione essent. Hæc" post Johannem Balæum, qui hunc authorem legerat Centuria 5. cap. 58. *Scriptorum Britannia*, Rodolphus Hospinianus, paginis citatis. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 8563.

8563. in MSS. Codd. Antonii a Vood Cod. 110. fo-
lio 151. habetur Excerptum ex Ecclestono de
primo adventu fratrum Minorum in Angliam.

1340 BARTHOLOMÆUS URBINI EPISCO-
PUS, Ordinis Eremitarum divi Augustini,
Augustini Triumphi, quem de Ancona vocant
discipulus, cum Lutetiæ Parisiorum atque Bo-
noniæ studiis Philosophiæ ac Theologiæ ope-
ram dedisset, atque ibidem scholis cum summa
laude præfuisset, Sanctorum Patrum lectioni in-
tegrum se contulit. Apprime charus Clementi
VI. fuit, a quo ob eruditionem omnibus notam
atque probitatem morum eximiam anno 1347.
die 2. Decembris, factus urbis suæ natalis Vrbi-
ni Episcopus. Hujus elogium ita contexuit Jo-
sephus Pamphilus Ordinis Eremitarum divi Au-
gustini, & Episcopus Signinus in *Chronica Ordi-
nis* sui ad annum 1343. „Bartholomæus de
„Vrbino, Augustini Anconitani alumnus, suæ-
„que Vrbis postea dignissimus Præsul, in publi-
„cis scholis Parisiis præsertim, Bononiæque ver-
„satus, inter viros nostri Ordinis clarissimus ef-
„fulsit. Qui etsi multa ediderit memoratu di-
„gna, illa imprimis admiranda sunt atque profe-
„cto stupenda, quibus tam Divi patris Augusti-
„ni mare, quam Ambrosii supernatavit flumen.
„Vtriusque enim Doctoris singula dicta, magna
„plane diligentia in alphabetum redegit, & O-
„pus in unum collectum nominavit *Milleloqui-
„um Augustini*, *Milleloquium Ambrosii*. Scripsit
„item Opus aliud titulo, *De Bello Spirituali*.
„Præterea cum tempore Ludovici quondam Ba-
„variæ Ducis, quidam contra Ecclesiam, Christi-
„que Vicarium Joannem XXII. insurrexissent, qui
„falsis opinionibus veritatem occultare, vel po-
„tius destruere conarentur: adversus ejusmo-
„di opiniones edidit Opusculum, cui titulus est,
„*Tractatus contra errores, qui inventi fuerunt tem-
„pore Ducis Bavariæ*. Incipit, *Domine labia mea
„aperies, & os meum detestetur mendacium*. Re-
„degit præterea in compendium *Librum De re-
„gimine Principum*, ab Ægidio Romano editum.
„*Evangelia quoque Quadragesima* egregie inter-
„pretatus est, & *Tractatum* composuit *De qua-
„tuor donis*. De fratre Bartholomæo mentio-
„nem facit Joannes Andreæ, celeberrimus Ju-
„risconsultus & Decretalium expositor, ubi ait,
„*Augustini Epistolam sollicitudine non parva, denique
„quæsitam cum invenire non possem, novissime vir
„devotione sincerus & fervidus charitate, grandis
„scientia, nec minor facundia frater Bartholomæus
„de Vrbino Ordinis Eremitarum, qui Augistinia-
„num composuit, per quod Dictorum Augustini cupi-
„dos, in singulis materiis copiosos fecit: mibi Epi-
„stolam illam sibi notam exhibuit, in quo me latifi-
„cavit*. Hæc ille. *Milleloquium Ambrosii* com-
„pilavit, dum esset Episcopus Vrbini, jubente
„Clemente VI. Pontifice, a quo fuerat Episco-
„pus institutus. *Milleloquium Augustini & Mil-
„leloquium Ambrosii* fuerunt his nostris tempo-
„ribus Lugduni excusa, maxima eorum, qui sa-
„cris litteris delectantur, utilitate. Hæc Jose-
phus Pamphilus in *Chronica sui Ordinis* impres-
sionis Romanæ anni 1581. pagg. 53. & 54. *Mil-
leloquium D. Augustini dedicatum Clementi Papæ
sexto* impressum Lugduni in fol. anno 1555. sub
Salamandra apud Suetonios fratres. Ibidem-
que *Milleloquium Ambrosii* anno 1556. in folio,
juxta veritatem manuscripti Codicis. Sed
Milleloquium Augustini iterum Parisiis impressum
anno 1645. apud Carolum Rovillard in folio.
Vtrumque autem hoc Opus, nimirum *Millelo-
quium Divi Augustini & Ambrosii* extant multis
MSS. voluminibus in Bibliotheca Paulina Lipsi-
ensi, ut constat ex Catalogo manuscriptorum
Codicum hujus celebris Bibliothecæ, pagg.
137. & 138. num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Tracta-
tus contra errores, qui inventi fuerunt, tempore Lu-
dovici Bavariæ Ducis*, MS. habetur in Bibliothe-
ca Conventus Augustinianorum Eremitarum
Romæ. Philippus Elssius in Encomiastico Au-
gustiniano, verbo *Bartholomaus de Vrbino* pag.
115. dum loquitur de *Milleloquio Divi Augustini*,
incipit. "Quod hoc Opus Joannes quidam
Gastius, deleto veri authoris nomine, & in"
ejus locum proprio in ipsius fronte nomine"
præposito, sibi satis impudenter usurpavit: &"
quod gravius est, transpositis, detruncatis,"
ac derectis quibusdam ejusdem Operis locis,"
utilissimum ac piissimum Catholici Doctoris"
laborem contaminavit, ac hæreseos suspicione"
notavit. Sed ista censura nihil est iniquius"
aut falsius. Nunquam enim Joannes Gastius
evulgavit ullum opus sub nomine *Milleloquii Au-
gustiniani*, quod idem esset cum Milleloquio Bar-
tholomæi Vrbinatis, solaque authoris hujus sibi
impositi fronte differret. Hic Joannes Gastius
natione Germanus, ortu Brisacensis, Minister
Ecclesiæ Basileensis edidit quidem Commenta-
ria in utrumque Testamentum collecta verbo-
tenus ex Operibus divi Augustini Hipponensis
Episcopi, impressa Basileæ anno 1542. in folio
apud Hervagium, ut habet Conradus Gesnerus
in *Bibliotheca Scriptorum* pag. 442. Quæ qui-
dem conveniunt in multis, cum Excerptis Bar-
tholomæi Vrbinatis Episcopi in *Milleloquio suo
Augustiniano*, quod mirum esse nullatenus po-
test: cum ambo pariter Bartholomæus Vrbi-
nus & Johannes Gastius, ab eodem fonte sua
hauserint, Augustino Episcopo. Sed aliud lon-
ge est, duos authores istos convenire in multis,
quod ab eodem Augustino fonte sua hauriant,
aliud Gastium sua omnia, si solum nomen au-
thoris excipias, accepisse ab Bartholomæo Vr-
binate, quod falsum est. Vterque igitur ab
eodem Augustino accepit, non Gastius ab Vrbi-
nate, qui ei aliquando consentit, aliquando
quoad sensus & doctrinam, omnimode adversa-
tur. Hæc contra Philippi Elssii censuram in-
justam. Mortuus dicitur *Bartholomæus Vrbini
Episcopus* sub anni 1350. initium, de quo Josias
Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ* pag.
107. ubi tamen male eum anno 1410. floruisse
putat. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus*

facri. Ferdinandus Vghellus tomo 2. *Italia sacræ* columna 865. in Episcopis Vrbinatibus. Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano*, pag. 114.

1340 GVILLELMVS DE MONTE LAVDVNO, professor Juris Canonici in Academia Tolosana, vir sua ætate ob peritiam Juris celeberrimus, circa annum 1340. claruit. Recensetur inter Doctores, qui claruerunt temporibus Benedicti XII. in Vita hujus Pontificis, quam refert Stephanus Baluzius in *Vitis Paparum Avenionensium* col. 208. his verbis. *Item Tolosa Guillelmus de Montelanduno, Abbas Monasterii Novi Pictaviensis, Doctor elegantissimus Decretorum, qui super Clementinis lectionem perutilem edidit & Sacramentale composuit.* Vnde Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 808. „Necrologium ejusdem Monasterii Novi. „*Quarto Nonas Januarii, depositio Domini Guillel„mi de Montelanduno hujus Monasterii Abbatis.* In „calce Codicis 349. Bibliothecæ Colbertinæ ita „scriptum est, *Explicit Sacramentale compositum „per Dominum Guillermum de Montelauduno, Mo„nachum & Doctorem excellentissimum in Decretis „Abbatem Pictavinum.* Trithemius in libro De „Scriptoribus Ecclesiasticis ita inquit, *Guillelmus „de Montelanduno, ut ferunt, Abbas Monasterii Pi„ctaviensis, Ordinis divi Patris Benedicti* &c. Ni„colaus Bertrandi in libro *De gestis Tolosanorum* „fol. 50. *Temporibus quoque Benedicti Papa XII. „legitur, quod Tolosa floruit Guillermus de Monte„lauduno, Abbas Monasterii Novi Pictaviensis, & „Decretorum Doctor elegantissimus.* Quare emen„dandus est vulgatus a Sammarthanis catalogus „Abbatium Monasterii Novi Pictaviensis, in quo „Abbas iste post annum MCCCC. collocatur. „Tractatus ejus *De Cardinalibus* laudatur ab „Ægidio Magistro in tractatu *De Regalibus* cap. 7. „Et in Additionibus ad notas allatas col. 1420. „In statutis academiæ Tolosanæ anno MCCC„XIV. factis, reperio Dominum Bertrandum de „Sancto Genesio Licentiatum in utroque jure, „qui postea Patriarcha Aquileiensis fuit, legisse „tunc temporis in Academia illa pro Domino „Guillelmo de Montelauduno Doctore decre„torum. Interfuit Guillelmus iste coronationi „Clementis V. anno MCCCV. Lugduni facta, „uti supra col. 624. dictum est. Idem Baluzius „in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium ita „probat col. 624. Bonifacius de Amanatis in „Clement. *de immunitate Ecclesiarum*, notat „Clementem statim post suam coronationem „edidisse hanc constitutionem, idque se legisse, „apud Guillelmum de Montelauduno videlicet. „Hæc sunt Bonifacii verba: *Concordat Guillel„mus, qui asserit se fuisse præsentem hujus constitu„tionis revocationi, quam fecit Lugduni iste Cle„mens statim post suam coronationem, præsente Re„ge Franciæ: & fuit prima constitutio, quam pu„blicavit.* At in Commentariis Guillelmi de „Montelauduno in Clementinas, uti quidem in Collectione repetitionum juris canonici ha„bentur, nihil istiusmodi reperitur. In iis vero,„ qui manu exarati sunt, & in editione Parisiensi„ anni MDXVII. ita legitur: *Hac fuit prima con„stitutio, quam post suam coronationem promulga„vit iste Papa Lugduni, Rege Franciæ ibi præsen„te, & qui vidit, testimonium perhibet de hoc.* Jo„annes Andreæ in eandem Clementinam scribit,„ illam fuisse de primis constitutionibus Clemen„tis editis a principio promotionis suæ, & inci„piebat *Pastoralis*, cujus decidit exordium, post„ quod sequebatur *Sane quoniam* &c.„ Hæc Baluzius locis citatis, quæ in unum comportata, ut quo tempore Guillelmus de Montelauduno clarueri, certius innotescat. Hujus Opera frequenter laudarunt Richardus Armachanus Archiepiscopus in Tractatu MS. *De audientia Confessionum.* Bernardus Lauretus Præses Tolosanus in Tractatu *De potestate seculari in Ecclesiasticos.* Arnulfus Rufæus in Tractatu *Juris Regaliæ.* Glossator *libri sexti Decretalium*, & alii. Quoniam vero, quod sciam, nullus hactenus Opera hujus viri recensuit: utar hac occasione, & ea promam quæ Stephano Baluzio, a quo hæc accepi, comperta sunt. Scripsit itaque Guillelmus de Montelauduno *Lecturam in librum sextum Decretalium*, quam laudant Rufæus & Probus, ad quam Apostillas vel Additiones scripsit Blasius Aurioli Doctor Tholosanus. Extat MS in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis cum Apparatu Hostiensis in Decretales. Item in celebri bibliotheca Canonicorum Regularium sancti Victoris Parisiensis, MS. Codice notato littera P 5. fol. 79. ad 115. quamvis inscribatur *Guillelmi de Monte Luiduno* quod mendum est. Scripsit præterea *Apparatum Constitutionum Clementis V.* qui frequenter item laudatur a Rufæo & Aufrerio in *Repetitionibus* ad Clementinas. Hujus autem Apparatus tria Exemplaria manuscripta extant in Bibliotheca sancti Sergii Andegavensis, itemque aliud in Bibliotheca sancti Albini Andegavensis. Denique ejusdem *Guillelmi de Montelauduno Apparatus in Decretales*, MS. in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, Cod. 35. & *in Clementinas*, Cod. 34. In Codice autem MS. citato sancti Albini Andegavensis, extat *Apparatus ejusdem Guillelmi super Extravagantes Joannis Papa XXII.* qui etiam ab iisdem Rufæo & Probo laudatur. Idem scripsit *Librum De Sacramentis*, qui extat manuscriptus in Bibliotheca Ecclesiæ Helenensis, ejusdemque Operis duo MSS. Codices extant in Bibliotheca Monasterii Rivipullensis apud Catalanos. Item alius quoque in Archivo Ecclesiæ Narbonensis. Ejusdem *Guillelmi de Monte Lauduno Sacramentale* MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4266. in fol. *Pontio de Villamuro* dedicatum, his verbis: *Carissimo filio Pontio de Villamuro* &c. *Dilecte fili cum in juventutis* &c. Eundemque *Tractatum De Sacramentis* vidi ego Manuscriptum in Bibliotheca Bellæ Vallis Ordinis Præmonstraten-

sis

fis in Episcopatu Remensi. Horum nihil est editum, quod sciam. Hæc ut plurimum Baluzius additione ad caput 4. libri 6. *De concordia Sacerdotii & Imperii*, pag. mihi 76. Hujus quoque meminit Carolus Dufrenius du Cange in *Indice authorum*, quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 108 ubi perperam illum facit *Abbatem Majoris Ministerii*, & circa annum 1210. floruisse affirmat.

1340 JOANNES VITODVRANVS vulgo WINTERTHVR, natione Helvetius, ex Ordine fratrum Minorum, claruit anno 1348. ut scripsit Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* cap 9. quem licet modice sibi notum, ab anno 1215. ad annum 1348. scripsisse asserit. Ejus *Chronicon* editum ultra obitum Rodulphi Hasburgici Imperatoris non pertingit, unde ætatem illius veram, qua scribebat, male collegeram. Rodulphus autem I. nominis, qui ex Comite Habspurgico, quod castrum inter Basileam & Tigurum in Argowia situm extat, Francofurti in Imperatorem die ultima Septembris anni 1273. electus fuit. Victo autem Ottacaro Bohemico Rege, Austriam Alberto filio suo concessit, cujus nomen successores illius sibi assumpserunt. Obiit autem Germeshemii inter Spiram & Erfordiam anno 1291. ultimo die Septembris post annorum 18. imperium. Godefridus Guilielmus Leibnizius edidit *Accessiones Historicas, quibus utilia superiorum temporum Historiis illustrandis scripta, monumentaque nondum hactenus edita, inque iis Scriptores diu desiderati continentur* Lipsiæ apud Nicolaum Forsterum bibliopolam Hanoveranum 1698. in 4. Inter quatuor Historicos tomo I. comprehensos, Tertius est *Johannes Vitoduranus* ~~auctor Chronici~~, quo suorum ac paulo superiorum temporum res gestas descripsit. Refert vero Editor, a Vossio quidem tradi hunc Ludovici Bavari ac Caroli IV. ætate vixisse, & Historiam, quæ MS. in Monasterio S. Galli extaret, ad annum usque 1348. produxisse, sed Codicem suum eo usque non produci, quippe qui ultra obitum Rodulphi Habspurgici, de quo varia narrantur, non porrigitur. Et cum apud San Gallenses de MS. Codice inquisivisset, responsum fuisse, non reperiri. Memorat quoque obiter Gerhardum Meierum, insignem apud Bremenses Theologum, a quo sibi hujus *Chronici* MS. exemplar suppeditatum fuerat, qui hortatu suo præclarum opus *Glossarii Saxonici* titulo aggressus est, quod Eruditis gratissimum fore, neque nos dubitamus. Hæc verbotenus *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1698. mense Martio pag. 149. & 150. de quo etiam Gerardus Johannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. pag. mihi 799. editionis ultimæ. Sententiam autem de Chronico Joannis Vitodurani, quam habet Vossius, confirmat vir maximi nominis Hottingerus in *Bibliotheca Tigurina* litera V. pag. 175. his verbis. „Joannes Vitoduranus ita κατ' ἐξοχὴν vocatur, Franciscanus quidam Monachus, patria Vitoduranus, qui Historiam scripsit ab anno Christi 1215. ad 1348. Autographum extat in nostra Bibliotheca Civica, Codice 31. in 4. cujus Apographo pridem instruxi meam bibliothecam, quod multa haberet author, quæ ubique obvia non sunt, & quæ non patriæ tantum sive Helvetiæ, sed & Ecclesiasticæ Historiæ magnam afferunt lucem. Hæc αὐτολεξεὶ Johannes Henricus Hottingerus in *Bibliotheca Tigurina* pag. 175. verbo *Vitoduranus Joannes*, quæ Tiguri anno 1664. in 4. est edita, atque hoc posito scriptor hic ad annum 1348. rejiciendus videtur, quem imperfectum duntaxat Leibnizius allatus ediderit. Dictus autem *Joannes Vitoduranus* ab Hottingero, eo quod Ordinem fratrum Minorum in *Sancto monte* prope Vitodurum in Helvetia professus fuerit, de quo idem Hottingerus etiam loquitur, *in Dissertationum Miscellanearum Pentade*, Tiguri anno 1654. edita in 8. Dissertatione V. *De methodo legendi Historias Helveticas* pag. 212. Cujus etiam verba profert pagg. 249. 250. 256. & seqq. 259. & seqq. Joannes Jacobus Hottingerus Hottingeri præfati filius, ac post patrem sacræ Theologiæ Tiguri Professor atque Bibliothecarius, qui MS. Codicem *Chronici Joannis Vitodurani* in manibus habet, hoc anno 1703. scribens ad filium suum Lugduni Batavorum studentem, in Epistola ad eum data, quæ communicata mihi est, testatur, *Chronicon hoc* a Leibnizio jam editum, esse interpolatum in multis ac mutilum, nec editionem hanc attingere ad Chronici totius tertiam partem: cujus rei admonere meos lectores, operæ pretium duxi, ne Chronicon integrum atque sincerum editum fuisse, sibi arbitrentur.

JOANNES DE OXENEDES, Monachus 1340
Sancti Benedicti de Vlmo, anno mihi 1290. claruisse quoque videtur, nam in bibliotheca Cottoniana sub effigie Neronis litera D. Codice 2. num. 3. *Chronica Johannis de Oxenedes, Monachi sancti Benedicti de Hulmo, ab adventu Horsa & Hengisti Saxonum in Britanniam, ad annum Domini 1293. multis de fundatione & dotatione istius Monasterii præmissis*, extat.

BARTHOLOMÆVS DE GLAVNVILLE, 1350
Anglicus a patria cognominatus, ex Ordine fratrum Minorum, tum natalium splendore, tum doctrinæ nomine, gloriam insignem pro tempore quo scripsit, consequutus est. Nam seu familiam spectes, prognatus erat ex nobili genere Comitum Sudvolgiorum in Anglia: seu præclara litterarum studia attendas, præter volumen *De proprietatibus rerum*, de quo postea latius, *Postillas item & Sermones*, de quibus nihil vidi, nec etiam *Chronicon de Sanctis*, composuisse dicitur. Apud Joannem Pitseum in *Catalogo Scriptorum Angliæ*, lego librum *quoque edidisse adversus Laurentium Vallam*, ac Vallam pro se composuisse

posuisse Apologiam: quod utrumque Opus, MS. superest Oxonii in collegio Balliolano, Cod. 112. Unde occasionem nonnulli acceperunt, ut Bartholom. Glaunvillum ad tempora Laurentii Vallæ ad an. circiter 1410. vel 1420. rejicerent, veræ Bartholomæi Glaünvilli Chronologiæ stupendo parachronismo. At MS. Codex Bibliothecæ Balliolanæ, nomen Bartholomæi Glaünvilli appictum non habet, sed Bartholomæi tantum, absque ulla designatione cognominis. Unde homines male feriati, Bartholomæum fortasse Glaündville Anglum, & Bartholomæum Facium Ligurem, Laurentii Vallæ adversarium, in unum confuderunt. Nam Bartholomæus Facius *Orationem invectivam* adversus Vallam composuit, cui Valla respondit *quatuor recriminationum Libris*, eximio sale conditis. Apud Joannem quidem Balæum, de istoc opere Bartholomæi Glaündville, altum silentium est: unde quidquid est, multum timendum, ne Pitseus aberraverit. Nam Laurentius Valla annis circiter LX. claruit post Bartholomæum Glaünvillum, temporibus nimirum Eugenii Papæ IV. Sed Bartholomæus Anglicus circa annum 1350. scripsit *Libros Novendecim De proprietatibus rerum*, quorum *primus* De Deo, *secundus* De Angelis bonis & malis, *tertius* De anima rationali, *quartus* De substantia corporea, reliqui de cæteris rebus creatis agunt. Excusi fuerunt ut placet Antonio Possevino in *Apparatu sacro Argentorati* anno 1488. atque etiam 1505. in 4. Addit Balæus, ipsum scripsisse *Postillas Scripturarum*, ex quibus Henricus Whartonus in continuatione *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1360. pag. 56. scribit, se vidisse in Bibliotheca Regis Angliæ Westmonasteriensi, *Postillas ejusdem manuscriptas in Evangelia sanctorum Matthæi & Marci*, binis Codicibus, quorum alter nonnisi Postillam in Matthæum apposito authoris nomine, alter Postillas in utrumque Evangelium tacito authore, continebant. Sunt autem *Libri XIX. De proprietatibus rerum*, MSS. in variis Bibliothecis. In Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 4764. qui 300. annorum est. 4974. cum Indice authorum, ex quibus compilatus est: atque Cod. 5404. In Bibliotheca sancti Benigni Divionensis, Ordinis divi Benedicti, Cod. 123. Cremonæ in Bibliotheca fratrum Eremitarum divi Augustini, & Rhegii in Bibliotheca fratrum Prædicatorum. Oxonii in Anglia in bibliotheca Balliolensi, Cod. 238. & Cantabrigiæ in bibliotheca publica, Cod. 107. Mentionem faciunt *Bartholomæi de Glaünvilla* Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*, pag. 104. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Joannes Balæus & Joannes Pitseus, *De Scriptoribus Angliæ*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 2. pag. 533. ultimæ editionis. Lucas Waddingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 49. & 50.

1350 PETRUS DE PATERNIS, Ordinis Eremitarum divi Augustini, circa annum 1350. clarus, scripsit opus inscriptum *De necessitate & sufficientia vitæ humanæ*, quod extat MS. Codice 1517. Bibliothecæ Colbertinæ *Tractatum contra Judæos* MS. ibidem Codice 978. Hujus Scriptoris nullam mentionem facit Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*, nec ullus alius nomenclator, quem noverim. Illius meminit Ludovicus Ellias du Pin *in Nova Bibliotheca Ecclesiastica* Seculo 14. tomo 11. p. 79. editionis quæ a. 1700. Amst. in 4. prodiit.

RAYMUNDUS DE SALIGNAS PARISI- 1350
ENSIS ECCLESIÆ DECANUS, natione Gallus, vir multæ probitatis, nec vulgaris in utroque jure Canonico & Civili eruditionis, ob quam ætate sua satis illiteratâ atque horridâ, celebris fuit. Evocatus Avenionem ob hanc scientiam à Romano Pontifice, auditor sacri Palatii Apostolici cùm aliquandiu fuisset, Vitale de Pruliaco Legum Professore, Cantoreque Cathedralis Ecclesiæ Parisiensis, sub finem anni 1349. vel sub sequentis initium, vita functo: suffectus in ejus locum est Raymundus de Salignas, qui in instrumentis publicis annis 1350. & 1355. subscriptus legitur. Scripsit ille *Casus in Libros quinque Decretalium* succinctè editos, quos in Regia Galliarum Bibliotheca MSS. vidi, etsi Codicis numerum non adnotaverim. Compositis autem per ordinem Alphabeticum Manuscriptorum Codicum hujus Bibliothecæ Catalogis, quibus eruditi plures viri insudarunt, hoc opus facilè inveniri poterit ex nomine authoris, quod in iis potissimum exprimitur. Extat autem & istud idem Opus MS. in Bibliothecâ Paulinâ Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. hujus Bibliothecæ Codicum, impresso Lipsiæ anno hoc 1686. pag. 425. num. 72. sub hoc titulo: *Casus Librorum V. Decretalium, succinctè editi per Raymundum de Salignas, Decanum Parisiensem & Auditorem sacri Palatii Apostolici.* Decanatum tenuit circiter usque ad annum 1360. quo ei successit Stephanus Parisiensis, posteà S. R. Ecclesiæ Cardinalis. Is ipse mihi idem esse videtur cum *Raymundo Senilis*, quem corruptè absque dubio sic vocat Conradus Gesnerus, vel ejus epitomator Josias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 719. quemque ait scripsisse in Librum 2. ff. novi *De verborum significatione*. Leg. *Eum qui vectigal*. De illo Fratres Sammarthani tomo 1. *Galliæ Christianæ* pag. 472. in Decanis Parisiensibus, ubi eum vocat *Raymundum de Salgues*. Nullus autem non videt, quàm promptum fuerit ex *Raymundo de Salignas*, tempore illo corruptissimo ac stupido, scribere & legere *Raymundum Senilis* vel *Raymundum de Saligues*. Nullus, quem sciam, hujus Scriptoris meminit.

JOANNES DE SAXONIA, dictus etiam 1350
De Erfordia, ex Ordine Fratrum Minorum, Juris Canonici & Sacræ Theologiæ Doctor, claruit circa annum 1350. testibus Luca Wadingo *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 226. atque An-

to-

tonio Possevino tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 938. Atque primùm quidem inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedtalium & aliarum celebrium hujus regni Bibliothecarum, Codice 3101. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Nortfolcianæ Codice 202. legitur *Glossarium seu Vocabularium, Latinarum vocum, quæ in Bibliis habentur, collectum per Johannem de Erfordia, ex Britone, Latinum.* Nempe ex Guillelmo Britone Anglo, qui *Vocabularium Biblicum* hoc eodem tempore composuit, de quo statim. Habetur eodem Waddingo teste in Bibliorheca Sancti Francisci Assisiatis, volumen in fol. magnum inscriptum, *Summa Confessorum Joannis de Saxonia*, quæ incipit, *Rogatus à Fratribus &c.* Et hæc ipsa summa est, quam sub duplici titulo nunc appellat *Summam Juris*, nunc *Summam Confessorum* Lucas Wadingus. Hoc mihi constat ex MS. Codice celebris Bibliothecæ Victorinæ Canonicorum Regularium divi Augustini, ubi dicta Summa habetur MS. Litera PP. 7. fol. 1. sic minio seu rubricatis literis inscripta: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, incipit Summa Confessariorum edita à Fratre Johanne de Saxonia Ordinis Fratrum Minorum, Doctore: utriusque Juris.* Incipit Prologus, *Rogatus à Fratribus, quod eis formularium de Confessionibus audiendis traderem, negare non pravalens &c.* Titulus I. De Confessoribus. *De Confessoribus decem consideranda sunt &c.* Constat igitur tam ex titulo Operis *Summæ de Confessoribus*, quàm ex initio Prologi *Rogatus à Fratribus &c.* esse unum atque idem Opus, *Summam Juris & Summam Confessorum*, quam duobus titulis ampliavit Lucas Wadingus loco citato. Idem Opus inscriptum *Summa Juris Canonici & Civilis Joannis de Saxonia*, MS. in folio in Bibliotheca Sanctæ Trinitatis Vindocinensis, Ordinis Sancti Benedicti. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 890. in MSS. Codd. Collegii Orielensis Codice 38. *Joannis de Saxonia Legum Doctoris Summa Confessorum.* Et Codice 924. Ibidem Codice 72. *Joannis de Saxonia sive Alemanni Tabula Juris Civilis & Canonici.* Ejusdem *Joannis de Erfordia Commentarii in 4. Libros Sententiarum*, MSS. tribus voluminibus in folio in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum pag. 184. impresso Lipsiæ anno 1686. curis Joachimi Felleri Bibliothecarii. Attribuit etiam illi idem Waddingus, *Sermones de tempore & Sermones de Sanctis, Glossas supra Consuetudines Turonenses &c.* Sed clausula prima omnium ferè Scripturum communis est, quos Waddingus enumerat. Quantum autem ad secundam *De Glossa super Consuetudinibus Turonensibus*, non video, quid convenientiæ aut verisimilitudinis sit, ut Saxo seu Teutonicus *in Consuetudines Turonenses* scripserit? Quid enim illi *cum Consuetudinibus Turonensibus?* Descripsit pro more suo, in hac parte seu nomenclatura Wadingus, Antonium Possevinum *in Apparatu sacro* tomo 1. pag. 938. ut utrumque authorem conterenti constabit. Quod nulli mirum esse debet, cùm ea sit fermè consuetudo eorum, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis scripserunt, omnium: ut alter ab altero, junior à seniore verbatim, ac quod prius est, indiscriminatim, & absque ulla discussione argumenti, accipiat. De illo præter citatos, Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 433. verbo *Joannes de Erdfordia.* Lucas Wadingus *in Annalibus Ordinis Minorum* ad annum 1344. num. 9. & annum 1350. num. 17. quem vocat *Joannem de Saxonia.* Antonius Sanderus *in Bibliotheca Manuscripta Belgica* p. 204. Carolus Dufresnius du Cange *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 137. Alius mihi videtur à præcedenti Joannes de Saxonia, incertæ mihi ætatis, qui Astrologiæ scientia clarus extitit, nam *Novus computus Joannis de Saxonia*, MS. in 4. in Bibliotheca Lugduni Batavorum Cod. 53. ut habet Fredericus Spanhemius in Gatalogo impresso hujus Bibliothecæ pag. 394. Item Joannis de Saxonia extat *Commentarius ad Alchabitii Isagogen in Astrologiam* editus Venetiis 1485. & 1491. in 4to. Item *Tabulæ* extant *Astronomicæ*, quæ dictæ sunt *Alphonsinæ* ab ipso authore Alphonso Rege Castillæ & Legionis qui anno 1270. claruit, seu *Tabula motuum cœlestium*, & in eas Tabulas *Joannis Saxoniensis Canones* Augustæ 1488. & Venetiis 1492. in 4. & absque loco editionis 1483. & 1490. in 4. Ita Cornelius à Beughem *De incunabulis typographiæ*, verbo *Alchabitius* pag. 7. & verbo *Alphonsus* p. 10.

HENRICUS DE HERVORDIA ita di- 1350
ctus, quia ex urbe Hervordia in Westphalia oriundus fuit, non autem in urbe Erfordia, quæ in Thuringiâ est, ut malè à plerisque Scriptoribus post Trithemium hujus erroris fontem, litteris prodirum fuit. Ordinem Fratrum Prædicatorum in Conventu Sancti Pauli apud Mindenses Professus, Theologus eximius atque Erfordiensis Gymnasii in ejus primordiis magnum decus & ornamentum, unde etiam occasio nata ut Erfordiensis crederetur, anno MCCCL. clarus fuit. Scripsit *Chronicon Generale* ab orbe condito ad annum MCCCLV. quod *De factis memorabilibus* inscripsit. Hujus partem aliquam *Magni Chronici Belgici* author Operi suo inseruit, idemque laudat Jacobus Vsserius Armachanus Archiepiscopus, ac *Æterni Evangelii errores* exinde profert *Gravis. Quæst.* cap. 9. pag. 279. sicut & Flacius Illyricus *in Catalogo testium veritatis*, lib. 18. pag. mihi 1720. seu columna. Ferdinandus de Furstenberg Episcopus Paderbornensis & Monasteriensis *in Monumentis Paderbornensibus* pag. 115. & 116. primæ editionis & pag. 202. secundæ, allegat hoc *Chronicon* his verbis, *fontes Pyrmontanos describit Henricus de Hervordia in Codice MS.* de temporum memorabilibus, ætate secunda cap. 112. *Illic plura de hoc Scriptore singularia notanda refert, edita partim* ex Chronico Mindensi *quod edendum Meibomius curavit. Ita opinor MS. hujus Historiæ*

Codicem, Paderbornæ vel in vicinia reperiendum. Mihi etiam in Bibliotheca Imperatoris reperiri videtur. Hæc ad me Godefridus Leibnitius, Epistola Hanoveræ data anno 1712. Aprilis die 12. Wernerus Rollevinck Carthusianus Coloniensis in Opere *De Laudibus Antiquæ Saxoniæ* tribus libris seu partibus distincto, libro seu parte 2. cap. 3. meminit hujus Chronici *Henrici de Hervordia*, quem per errorem *Hermannum* vocat pag. mihi 621. his verbis: *Hoc in Chronicis Gregorii Turonensis habetur, quod etiam testatur Dominus Johannes de Essendia Sacræ Theologiæ Professor & Frater Hermannus de Hervordia Ord. Prædicatorum qui hanc expeditionem diligenter prosequuntur, & hos pront in plurimum sequor.* Procul dubio incidit in MS Codicem Henrici de Hervordia Wernerus Rollewinck, ubi littera tantum prima *H. de Hervordia Chronicon* expressa fuit, quam *Hermannum* significare arbitratus est, licet *Henricum* designaret.

Quoad autem Dominum Johannem de Essendia, quem Wernerus Rollevinck Henrico de Hervordia adjungit, titulum singularem de illo ejusque Opere facere non potui, quippe nesciens quid propriè scripserit, quo ab anno scribere incœperit, & quo scribere desierit: brevius, nesciens an albus, vel niger sit: cujus mentionem facit solus Rollewinck loco citato. Hoc unum scio Essendiam, Germanicè *Essen* vel *Essend*, esse oppidum in Westfalia, ubi celebris Abbatia extat, cujus Abbatissa Imperii Germanici Principissa est, quo ex loco dictus Johannes oriundus fuit. De eodem Guillelmus Godefridus Leibnitius *in Introductione* ad Tomum III. *de Scriptoribus Brunsuicensia illustrantibus* Num. XXV. pag. 21. his verbis, *Illum* (Joannem de Essendia) *Magnæ vir doctrinæ Joannes Albertus Fabricius Hamburgi, Scriptorem suppeditavit.* Hæc ex fide duorum doctissimorum virorum Leibnitii atque Fabricii dicta sunto, absque præjudicio illius, qui Scriptorem hunc cum Opere singularius depinxerit. Opinor esse hoc ipsum opus Henrici de Hervordia anonymum, cujus meminit Joachimus Fellerus in Catalogo Manuscriptorum Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, quem velut Academiæ hujus Bibliothecarius anno 1686. in 16. Lipsiæ edidit. Nam pag. 301. dicti Catalogi, inter MSS. Codices Philosophicos in Libris Historicis in folio Codice 34. num. 1. extat *Chronicon ab orbis initio usque ad Carolum IV. Imperatorem, cui & dedicatum est.* Hæc mea conjectura. Opus etiam *De Ente* composuit, in quo de quolibet ente, more problematico, secundum veram Entium cohærentiam disputat, quod *Catenam Auream* inscripsit, quam in decem partes præcipuas distribuit, in cujus Prologo Opusculorum à se conscriptorum meminit, quæ Possevinus, qui opus habuisse in manibus videtur, singulatim recenset. Nimirum *De Diis Gentium, De invectivis in Hebridam metricum. In illa verba Evangelii* super cathedram Mosis *Sermones plures. De metris & eorum pedibus. De proverbiis. De principio Oratorum & Poëtarum:* quæ opuscula omnia spectasse videntur ad humaniores literas, quas Henricus in Schola seu Collegio Herfordiensi docuit. Quoad autem hunc MS. Codicem, juxta Possevini fidem, extat Neapoli in Bibliotheca Conventus Sancti Dominici, Ord. Fratrum Prædicatorum. Attribuit quoque Possevinus huic Henrico de Hervordia tractatus tres, *Tractatum de conceptione Beatissimæ Virginis*, alterum *de ornatu Clerici, Summam de casibus conscientiæ:* quæ dubio procul ad ipsum non spectant, sed ad Joannem de Erfordiâ Ordinis Fratrum Minorum, virum Jurisperitiâ insignem, ac Scriptis Ecclesiasticis clarum, qui eodem loco & tempore claruit. Nam contrà *conceptionem Beatæ Virginis* semper Fratres Prædicatores scripsisse leguntur, quam cum ardore omni & zelo Fratres Minores propugnabant. Adde quod Philosophicis, Historicis, aliisque humanioris litteraturæ opusculis Henricus de Hervordia incubuerit, Joannes autem de Erfordia Theologicis ac Juridicis seu Moralibus. Reversus igitur Erfordia Mindam, ubi monastiíen professus fuerat, illic obiit & in Ecclesia Fratrum suorum sepultus est. Hujus Henrici de Hervordia mentio apud Anonymum *in Chronico Mindensi* quod Henricus Meibomius edidit pag. 569. his verbis. *Eodem anno* (1370.) *recolendæ memoriæ pater Henricus de Hervordia post labores, quos in studendo dictandove desudaverat, anno Domini 1370. ipso die Sancti Dionysii migravit ad Dominum, sepulturque ante ostium Chori, ambitum versus. Deinde anno Domini MCCCLXXVII. de voluntate & mandato Caroli Bohemi Romanorum Imperatoris exhumatus, & ante Altare majus penes candelabrum stannatinum denuò sepultus est, cujus anima requiescat in pace.* Hæc ad nos, quem de Scriptore isto inquisiveramus, Godefridus Gulielmus Leibnitzius, litteris Hannoverâ scriptis anno 1710. Kalendis Martii. Leander Alberti Ordinis Fratrum Prædicatorum eruditus Scriptor, hunc Henricus de Hervordia laudat Libro 4. *De viris illustribus Ordinis sui*, post Joannem Trithemium in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum MCCCL. qui male illum *Henricum de Erfordia* nuncupat, quem recentiores alii secuti sunt. Mentionem etiam *Henrici de Erfordia* faciunt Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* pag. mihi 697. Joannes Wolfius *Lectionum memorabilium* tomo 1. ad annum 1350. pag. 639. qui Operis ejus historici symbolas paucas illic profert, vel ex MS. Codice inspecto, vel ex editione illius alicubi facta. Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. pag. 529. editionis ultimæ. Ferdinandus de Furstenberg *in Monumentis Paderbornensibus* pag. 115. & 116. editionis primæ, & pag. 202. Editionis secundæ, ubi illum velut MS. profert.

THOMAS SAREPTENSIS EPISCOPUS, Ordinem Præmonstratensem professus, tem- 1350

tempore hoc eodem clarus fuit, qui animabus corporibusque curandis studia & mentem applicuit, has frequentibus ad conversionem procurandam concionibus ad plebem habitis, hæc practica Medicinali fortunata & assidua. De Sermonibus quod sciam, nihil superest. At in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, quem edidit anno 1686. Lipsiæ in 16. Joachimus Fellerus hujus Academiæ Bibliothecatius, inter MSS. Codices pag. 271. Repositorio I. Medico Serie II. in folio & in 4. Codice MS. XI. num. 1. extat *Thomæ Episcopi Sareptensis, Ord. Præmonstratensis & Medici Wratislaviensis, Practica Medicinalis, scripta anno 1360.* Num. 2. *Ejusdem tractatus de febribus.* Nec aliud mihi de Thoma isto notum est, quem hic adjunxi, quod *Episcopus* nominetur.

1350 GVILLELMVS PRIOR ABBATIÆ CAROLILOCI, ORDINIS CISTERCIENSIS IN SILVANECTENSI EPISCOPATU METROPOLEOS REMENSIS, anno 1350. inter Cistercienses suos pietate magis, ut arbitror, quàm Gallicæ poëseos excellentia enituit. Extat inter MSS. Codices Bibliothecæ nostræ Lugduno-Batavæ Codice 66. Guillelmi hujus *Le Pelerinage de vie humaine Opus Gallicis versibus conscriptum* in folio & membrana, quod dedit Joachimus Noïnius Bibliopola Lugduno-batavus cujus mentio fit in Catalogo hujus Bibliothecæ anno 1674. in 4. Lugduni-Batavorum impresso, inter MSS. Codices Bibliothecæ Latinos, pag. 403. Opus distinctum in tres Libros Gallico carmine rudi & barbaro, quale ætas illa habuit, quod visum magis quàm pietatem lectoribus hodiernis pareret. Se autem anno 1352. scripsisse in Prologo Operis seu Libri primi testatur, unde ætas Scriptoris constat. Edidit anno 1653. Parisiis in 4. apud Joannem Henault, Philippus Labbeus Soc. Jesu *Novam Bibliothecam MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum,* seu *Specimen antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum.* Hujus *Speciminis* antiquarum Lectionum &c. *Supplementum VIII.* pag. 308. & seqq. inscriptum *Analecta quædam ex Catalogo MSS. Codicum, qui continentur in secundâ parte seu Xysto Bibliothecæ Regiæ & in fasciculis nondum compactis.* Ibi pag. 317. Cod. 577. Regio, *Le Pelerinage de L'Ame composé par Dom. Guillaume Prieur de Chalu & mis en prose Françoise par Jean Galopes.* Opus ergo impolitum quamvis, ex versu Gallico, in linguam Gallicam solutam translatum fuit. Mentionem facit hujus Scriptoris Carolus de Wisch seu Wischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, edita Duaci a. 1649. in 4. & Colon. 1656.

1350 INNOCENTIVS VI. ROMANVS PONTIFEX, natione Gallus, patria Lemovicensis, Stephanus Alberti anteà vocatus, ut ait Trithemius, *vir bonus & amator Religiosorum & Canonista Maximus*, successit Clementi VI. anno 1352. decimo sexto Calendas Decembris, ex Episcopo Noviomensi & Claromontano, tum Cardinali Episcopo Ostiensi, Summum Pontificatum adeptus. Hic Carolum IV. Imperatorem posteà coronavit, multas reformationes à Prædecessoribus suis allatas abrogavit, Prælatis & beneficiatis, ut in suis locis residerent, injunxit, expensas curiæ Romanæ, familiamque domesticam nimiam imminuit, domi suæ non alios viros quam peritissimos alere voluit, idemque Cardinalibus ut facerent, injunxit. Palatii Apostolici Auditoribus annua stipendia constituit, ne se præmiis ac muneribus corrumpi paterentur. Vir fuit Juris Civilis & Canonici callentissimus, sinceræ vitæ & magnæ constantiæ, qui beneficia nullis nisi eruditis sufficienter, unquam contulit. Extat *Regestum Epistolarum ejus Decretalium* XV. voluminibus, MS. in Bibliotheca Vaticana, reconditum in cubiculo secretiori ad Lævam ingredientis Bibliothecam, testibus Raynaldo, Bzovio, Waddingo, Spondanoque *Annalium Cæsaris Baronii* exceptoribus, qui nonnullas ex illis allegant. Ex quibus extant *Epistolæ duæ* De celebrandis Festis S. Augustini, & S. Eduardi Regis in Anglia, Conciliorum tom. XI. col. 1930. *Aliæ XXII.* apud Bzovium ad annum 1353. *Aliæ XXX.* apud Wadingum *in Annalibus Minorum* ad annum 1353. *Aliæ LXXX.* ibidem in Regesto Pontificum pag. 27. *Aliæ* apud alios passim. Cùm verò pacem inter Gallos & Anglos nervis omnibus in vanum componere studeret, mortem oppetiit anno 1362. pridie Idus Septembris, postquam sedisset annis novem, mensibus octo, diebus sex. Agunt *de Innocentio Sexto* omnes Continuatores Annalium Baronii, & omnes moderni qui Vitas Romanorum Pontificum scripserunt. Stephanus Baluzius *in Vitis Paparum Avenionensium* col. 321. & seqq. ad 363. & in Notis ad *Vitas* col. 918. ad 974. & in Additionibus ad has Notas col. 1433. ad 1436. Rectè vocatur à Trithemio *Canonista maximus*, & ab anonymo qui vitam ejus scripsit *Doctor Legum*. Nam ut Baluzius habet in Notis citatis col. 923. Joannes de Cardolhaco in Sermone facta in exequiis Clementis Papæ VI. & solemnitate inthronizationis Innocentii VI. inquit. *Secundo dico, quòd ipse est plusquam Salomon propter nobilitatem scientiæ clarioris. Ipse enim est sapientia & scientia nobilis, quæ secundùm legem civilem homines nobilissimos facit. Ipse enim est Doctor legum excellentissimus & prudentissimus.* Ipse Innocentius in bulla fundationis Collegii Sancti Martialis, testatur se doctoralis in jure civili eminentiæ titulo insignitum fuisse in civitate Tolosana. Vocatur *Legum Professor* in veteri parlamenti Tolosani regesto, in alio domus communis ejusdem urbis, & in archivo Collegii Sancti Martialis. Idem Baluzius col. 970. ubi de studiis hujus Innocentii, ita scribit. Hujus rei testis est omni exceptione major, ipse Innocentius VI. in literis apostolicis de fundatione Collegii Sancti Martialis Tolosæ, ubi inquit. *In civitate Tolo-*

sa-

sanensi in qua viget dictorum jurium studium generale, quamque diligere præcipuis affectibus obligamur, dum grata memoratione recolimus, quod civitas ipsa nos ab annis teneris suæ doctrinæ lacte aluit, ac succedente ætate, post receptos per nos plurimos honores in eadem, doctorali in jure civili eminentiæ titulo insignivit &c. Fuit nempe Professor legum in Academia Tolosana, uti suprà pag. 913. dictum est. Ita Baluzius. Ejusdem profert *Epistolas duas in Collectaneo actorum veterum* ad Vitas Paparum, qui Avenione sederunt pag. 752. & 753. Vitam autem ejus I. ex anonymo tom. 1. col. 321. II. auctore quodam anonymo Canonico Bennensis Ecclesiæ in Diœcesi Coloniensi col. 345. III. ex Appendice Ptolomæi Lucensis col. 357. IV. ex Petro de Herentals Priore Floreffiensi col. 361.

1350 JOANNES CANTACUZENUS IMPERATOR, claruit ab anno 1320. cujus Vitæ compendium ita paucis eximiè simul ac breviter describit Henricus Warthonus in Supplemento *Scriptorum Ecclesiasticorum* Guillelmi Cavi, seculo 14. ad annum 1342. pag. 37. his verbis. „Joannes Cantacuzenus, patria Byzantinus, illustrissima Cantacuzenorum prosapia oriundus, patrem habuit Præfectum Peloponnesi, quem XXI. annos natum, adhuc puer amisit: matrem verò Theodoram Palæologinam lectissimam fœminam, cui Michael I. Palæologus Imp. avunculus erat magnus. Postquam juventutem literis & militaris disciplinæ scientia haud vulgariter imbuisset, rebus Imperii summis tractandis admotus, in aula & urbe enitere cœpit. Uxorem duxit Irenem Andronici Asanis, Magni Ducis filiam, Andronici Senioris Imp. ex sorore neptim: ex qua liberos sex, tres mares, totidemque fœminas suscepit. Qui sub initium ab Andronico Seniore Imp. Præfectus fuerat Sacro Cubiculo, cum sequenti tempore Andronici Junioris, quo cum singularem ab unguiculis amicitiam coluerat, partibus deprehenderetur addictus: circa annum 1320. Imperatoris gratiam amisit, qui posteà ab Andronico Juniore Magnus Domesticus & Thraciæ Præfectus constitutus est. Arreptis tandem Imperii fascibus, anno circiter 1328. & exauctorato avo, Andronicus Junior Cantacusenum honoribus atque opibus cumulavit, toti militiæ præfecit, Imperii collegam sibi expetiit, quem reluctantem non obtinuit. Verum nil unquam eo inconsulto aut refragante egit, quem moriens denique anno 1341. ad Joannis Palæologi filii sui, pueri novennis, simul & Imperii tutelam designavit. Non minus strenuè quam fideliter demandatam sibi provinciam obiit Cantacusenus: donec Anna Imperatrice Joannis Imp. matre, Joanne Caleca Patriarcha, aliisque Proceribus CP. diffidia excitantibus: exeunte eodem anno Aula relicta in Macedoniam secesserit, perduellis statim ab Anna pronuntiatus. Ingens interim procerum ac militum numerus ad Cantacuzenum confestim accurrunt, eumque (ut ipse inquit) diu reluctantem, purpuram Didymotichi induere compellunt. Anno sequente 1342. die 21. Maji à Lazaro Patriarcha Hierosolymitano, Imperator Adrianopoli solemni pompa coronatur. Bello per quinquennium gesto, Cantacuzenus victor evasit, captaque ineunte anno 1347. Constantinopoli, Joanni Palæologo non iniquas pacis leges dedit: ut uterque Imperium, dispari tamen, donec ad maturam ætatem perveniret Joannes, jure retineret, deinceps pari. Die XIII. Maji, ab Isidoro Patriarcha CP. quem Joanni subrogarat, Imperator coronatus est: qui post dies aliquot Helenam filiam, Joanni Imperatori cui olim desponsata fuerat, uxorem dedit. Parvo sane tempore, inter Imperii collegas concordia illibata mansit. Suspicionibus in inimicitias utrinque exacerbatis, iterum ad arma deventum est. Victor Joannes Constantinopolim anno 1355. in potestatem redegit. Quartò post die Cantacuzenus, qui abdicationem Imperii jam dudum cogitaverat, & bellum civile diutius protrahere noluit, cui nondum ita attritæ vires erant, ut nulla resistendi copia daretur: in Monasterio Manganensi prope Constantinopolim sese ultrò ac lubens inclusit, mutato Joannis in Joasaphi seu Josaphati nomen, comam totondit, vestemque Monachalem induit. Bellum posteà usque adeò detestatus, ut Matthæum filium Peloponnesi Despotam cum Joanne Palæologo armis de Imperio certantem, authoritate paterna incœptis abduceret, susceptoque in Peloponnesum itinere, Joanni reconciliaret. Ad Monasterium redux, pietatis & literarum studio se totum dedit, qui Historia rerum à se gestarum conscribenda, aliisque Operibus componendis senectutem infelicem oblectavit. Scripsit hortante Nilo, & assumpto sibi *Christoduli* nomine fictitio, *Historiam Libris IV. de rebus ab Imperatore Andronico Juniore & à seipso gestis*, ab anno 1320. quo inclaruit ad annum 1357. præmissa Historico huic Operi, Genealogia Imperatorum Andronicos antecedentium, ab anno 1195. ad 1320. Prodiit hæc Historia Latinè ex Jacobi Pontani versione, unà cum Notis ipsius atque Gretseri, Ingolstadii anno 1603. in folio. Græcè & Latinè Parisiis anno 1643. tribus tomis in folio cum utriusque Notis. Extat autem Græcè MS. in Bibliotheca Vaticana, & in Bavarica Cod. 184. necnon in Regia Galliæ. Bernardus etiam de Montfaucon Monachus Benedictinus Gallus, Congregationis Sancti Mauri, *in Itinerario Italico* edito Parisiis anno 1702. in 4. apud Joannem Anisson, Cap. 27. ubi Bibliothecam & MSS. Codices Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononiensis refert, pag. 408. narrat ibi Codicem XIV. seculi bombycinum, in quo *Christoduli Historia Imperatorum CP.* cui præit Epistola Nili ad Christodulum, sequitur Christoduli responsio. Historia sic

sic incipit, ὁ βασιλεὺς τοίνυν Ἀλέξιος ὁ τὴν ἐπωνυμίαν Ἄγγελος τῷ Θεοδώρῳ &c. Ejusdem quoque *Joannis Cantacuzeni Imperatoris contra Saracenos Apologia quatuor & contra Mahumetem Orationes tres, pro fide Christiana*, Græcolatinæ editæ sunt à Rodolpho Gualtero in folio Basileæ anno 1543. typis Oporinis. Extant autem hæ *Contradictiones seu Apologia quatuor contra Mahumetem*, MSS. Græcè in Bibliotheca Bavarica, Cod. 189. In Bibliotheca Vaticana, MSS. *Joannis Cantacuzeni Imp. Apologia quatuor seu Contradictiones, pro Christiana religione*: itemque *Contradictiones adversus Prochorum Cydonium*, ut testatur Antonius Possevinus in Catalogo MSS. Bibliothecæ Vaticanæ, quem subjunxit ad finem *Apparatus sacri*, verbo *Johannes Cantacuzenus*, his verbis: *Joannis Cantacuzeni, Josaphati Monachi Refutationes, sive Contradictiones adversus Prochorum Cydonium*. Itaque hæc non tantum extant Manuscripta in Vaticana Bibliotheca sed etiam in Lugdunobatava nostra in libris MSS. Græcis ad Bibliothecam antiquam spectantibus, adsunt Num. 20. *Joannis Cantacuzeni, deinde Monachi Christoduli cognominati Sermones contra Judæos*, Græce fol. in charta ex legato Warneriano, ut habet Fridericus Spanhemius in Catalogo anno 1674. in 4. impresso, librorum istius Bibliothecæ tam impressorum quàm MSS. pag. 297. Item in Bibliotheca Tigurina, Codice MS. 16. in folio, extat *Cantacuzenus contra Saracenos, contra Muhammedem, contra Judæos*. Idem teste Conrado Gesnero scripsit *Paraphrasim in libros V. Ethicorum Aristotelis*, quæ Græce Manuscripta asservatur Venetiis, in Bibliotheca Sanctorum Joannis & Pauli. Item inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut habet Lambecius lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ ~~pag. 206. his verbis~~: „ Decimo octavo & quidem à fol. 359. „pag. 1. usque ad fol. 388. pag. 1. *Excerpta non-„nulla ex Imp. Joannis Cantacuzeni Capitibus contra „Paulum natione Latinum, Episcopi Constantinopo-„litani titulo præditum*: quorum titulus & prin-„cipium. Τοῦ βασιλέως τοῦ Καντακουζηνοῦ, ἀπὸ „τῶν κεφαλαίων, ὧν ἔγραψε πρὸς τὸν ἐκ Λατί-„νων Παῦλον, Ἐπίσκοπον καλούμενον Κωνσταντινου-„πόλεως. Ὅτι καθ' οὐσίαν ὁ Θεὸς ἐπίσης ἐστὶ καὶ „Ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις καὶ ἀψύχοις, καὶ οὐ τοῖς „μὲν μᾶλλον &c. Decimo nono & quidem à „fol. 388. pag. 1. usque ad fol. 392 pag. 2. *Ex-„cerpta nonnulla ex ejusdem Imperatoris Joannis „Cantacuseni Capitibus contra Monachum Isaa-„cum Argyrum*, quorum titulus & prin-„cipium: Τοῦ αὐτοῦ ἀπὸ τῶν Κεφαλαίων τῶν „πρὸς τὸν μοναχὸν Ἰσαὰκ, τὸν Ἀργυρόν. Περὶ „τῶν ἑπτὰ πνευμάτων, ἤτοι τῶν Θείων ἐνεργειῶν „τοῦ παναγίου πνεύματος, ἅπερ οἱ ἀντιλέγοντες „τῇ Ἐκκλησίᾳ κτίσματα φασὶν εἶναι. αὐτίκα τοίνυν „ὁ μέγας Βασίλειος &c. In eadem quoque Bibliotheca, Codice VI. Juridico Græco num. 13. ut habet Lambecius Lib. 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ, parte 1. pag. 29. Extat & quidem fol. 213. pag. 1. & 2. *Imperatoris*„ *Joannis Cantacuzeni Edictum*, quo post reditum„ suum in urbem Constantinopolitanam, qui in„ diem 8. Februarii incidit *Tomum excommunica-*„ *tionis & exauctorationis Patriarchæ Joannis Calecæ*„ confirmavit mense Martio Indictionis decimæ„ quintæ, anno mundi 6855. sive anno Christi„ 1347. quò non multò pòst, nempe die 21. Maji„ Constantinopoli, iterum solemniter coronatus„ est. Inscribitur atque incipit istud *Edictum*„ Græce hoc modo: Τὸ ἐπὶ τούτῳ Πρόσταγμα.„ Εὐνοϊκοὶ καὶ πιστότατοι τῇ βασιλείᾳ μου οἰκεῖοι„ ἱερεῖς ἅπαντες τῆς Θεοδόξου, Θεοφυλάκτου καὶ„ Θεομεγαλύντου Κωνσταντινουπόλεως, οἵτε κληρικοὶ„ μονάζοντες, καὶ ὅσοι τῆς πολιτείας, καὶ ὁ κοινὸς„ ἅπας λαός. Τὰ κατηθέντα παρὰ τοῦ Βαρλαὰμ„ κατὰ τῆς εὐσεβείας, καὶ ὅπως &c. „ Extant quoque inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 193. Barocciano, num. 5. Joannis Cantacuseni Epistolæ sex de Sancta Trinitate, & lumine in monte Thabor, ad Paulum Archiepiscopum: & ejusdem Pauli Epistolæ duæ, ad Cantacuzenum Imperatorem. Inter MSS. Codices Græcos Bibliothecæ Medicææ Florentinæ *Christoduli Sermo contra Palamam Hæreticum*. In Regia Bibliotheca Scorialensi Hispana inter MSS. Codices Græcos, *Christoduli Monachi Sermones novem contra Judæos*. Δ. III. 5. Et inter MSS. Codd. Bibliothecæ Venetæ Bessarionis, extat *Anonymus contra Agarenos & Judæos*, cujus tractatui secundo *Christodulus Monachus* adnotatus videtur, Pulpito 34. seu Pluteo. Quot annos depositæ purpuræ superfuerit Joannes Cantacuzenus, parum liquet, quas tamen plures superfuisse constat: ut aliqui etiam sint, qui eum ad annum usque 1374. pervenisse volunt. Utcunque illi iniquiores sunt Nicephorus Gregoras, Georgius Phranzes, & recentiorum alii nonnulli Græci. Nec suarum ipse parcus fuit Laudum Cantacuzenus, in Historia quam conscripsit: nam suimetipsius gesta magnifice ut plurimum depingit, & in proprias laudes aliquoties excurrere non erubescit: ut observat Joannes Bona, *in Notitiâ Auctorum*, Libro *De Divina Psalmodia* præmissa. De Joanne Cantacuseno Josias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ* pag. 418. Antonius Possevinus in suo *Apparatu Sacro* tomo 1. pag. 881. verbo *Joannes Cantacuzenus*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 430. pag. 269. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 29. pag. 310. Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 1345. num. 11. & 12. atque in Continuatione Annalium Baronii, variis passim locis & annis, Vitam Cantacuzeni sic depingit. Quod res Imperii Constan-„ tinopolitani spectat, hoc eodem anno ut colli-„ gimus ex Cantacuzeno Lib. 3. Historiæ cap. 92.„ (qui alioqui annos ratò distinguit) duodecimo„ Kalendas Junias, idem Cantacuzenus, quem vi„ dimus in Imperio occupando occupatissimum,„ cum jam majorem partem obtinuisset, qui„ olim

„olim Didymothici propriis manibus tiaram
„Imperatoriam fibi impofuerat: modò Hadria-
„nopoli exiftens,cum adeffet Lazarus P. Hiero-
„folymitanus unà cum pluribus aliis Epifcopis,
„voluit ab eodem Patriarcha folemni Imperato-
„rum ritu coronari. Ipfeque mox, ut mos te-
„nebat, Irenem conjugem fuam coronavit.
„Habitoque cum Epifcopis tractatu contra Jo-
„annem Patriarcham Conftantinopolitanum,
„acerbiffimum ipfius adverfarium, eum excom-
„municari curavit,nomenque ejus e facris omni-
„bus expungi: facto Decreto,ne quis de cætero
„illum, pro Patriarcha agnofceret. Qui &
„poftea intra ipfam urbem Conftantinopolim,
„paullò antequam illam Cantacuzenus ingre-
„deretur, pravorum Dogmatum infimulatus
„(quippe qui veritatem amplexus in Dogmate
„de quò fuprà ad annum 1337. num. 10. & Pa-
„lamam aperte damnaverat, ac pro Barlaamo
„& Gregorio Azyndino fententiam dixerat) à
„Pfeudo-Synodo Epifcoporum Schifmatico-
„rum in Palatio congregata, damnatus eft ac
„throno depofitus, prout narrat Joannes Can-
„tacuzenus Lib. 3. capp. 98. & 99. Cui præ-
„fuit Anna Augufta una cum filio, Calo-Joan-
„ne adolefcentulo. Hoc fcilicet fupererat
„miferæ Græciæ ac perituræ, ut fœminæ ac
„pueri, tantum non in Gynæceis, præfiderent
„Synodis Epifcoporum ac quæftiones fidei de-
„cernerent. Qui & Cantacuzenus per idem
„fere tempus unam ex filiabus fuis nomine
„Theodoram, Orchani Turcorum Regi uxo-
„rem fe dediffe fcribit, Lib. 3. cap. 95. ceremo-
„nias recitans, quas in nuptiis filiarum Impe-
„ratorum fervari confueviffe tradit, quas vix
„ab alio quocunque authore defcriptas repe-
„rias. Ex hujusmodi autem nuptiis fatis in-
„telligas, quantæ effet religionis Cantacuze-
„nus prædictus, qui filiam fuam impio Turco,
„Mahometanæ infidelitatis propagatori fævis-
„fimo collocare non dubitaverit. Et fi fupe-
„ris placet, excufat fe, ab Amurio alio Turca-
„rum Satrapa perfuafum fuiffe, in nullum fe
„crimen hac affinitate incurfurum. Egre-
„gium facinus & homine dignum, Imperii pu-
„pilli fui ufurpatore: qui vaniffimis fuis lo-
„quacitatibus nihil aliud tota Hiftoria à fe con-
„fcripta quæfiffe videtur, quam ut abfolutiffi-
„mum fefe numeris omnibus pietatis religio-
„nis, prudentiæ, fapientiæ, fcientiæ, fortitudi-
„nis, omniumque aliarum virtutum exemplar
proponeret. Cæterum de hac affinitate, ficu-
„ti nec de multis aliis rebus hujus Orchanis,
„quas idem Cantacufenus variis locis refert,
„quæque ab aliis authoribus Græcis confir-
„mantur, nihil haber Hiftoria Mufelmana a
„Joanne Leunclavio compilata. Ex Phranza
„autem obferves Hiftoriæ Lib. 1. cap. 15. ex
„his civilibus motibus factum effe, ut tunc
„primum Turci in Europa, adeoque in ipfa
„Thracia firmas fedes conftituerint, cum an-
„tea per excurfiones tantum eas attigiffent.
Quæ omnia pofthabuit mirificus ifte Canta "
cuzenus, præ effrænata Imperandi libidine: "
miratique fæpiffime fumus, impiiffimum hunc "
veteratorem, invenire poffe viros religiofos, "
qui ejus facinora excufarent, aut etiam lau- "
darent."

Ad annum 1347. num. 1. & 2. Anno "
Christo 1347. Indictione XV. fexto Idus Fe- "
bruarii (ita enim tempus defignat Cantacuze- "
nus Lib. 3. *Hiftoriæ* cap. 100. in fine) idem "
Cantacuzenus rem toto fere fexennio maxi- "
mopere concupitam, totisque nifibus con- "
quifitam, tandem adeptus eft: ut fcilicet "
intra urbem Conftantinopolim perfoffo mu- "
ro a fuis Fautoribus receptus, imperio Græ- "
corum plene petitus fit; quæ fufius nar- "
rat anno ac numeris citatis Spondanus. I-
dem ad annum 1349. num. 8. narrat ejus va-
nitatem, quanta illa fuerit: dolum & pro-
ditionem Imperii, atque cum Turcis affinita-
tem & unionem. Ad annum 1352. num. 4.
quomodo Joannes Junior Græcorum Impera-
tor, cum matre Anna & Latinis Johanna,
fugerit Theffalonicam, ab infidiis Joannis Can-
tacuzeni. Et ibidem num. 6. quantam ille
habuerit in fuis geftis enarrandis vanitatem.
Ad annum 1353. num. 16. quomodò fimula-
verit unionis & concordiæ defiderium cum
Ecclefia Latina. Ad annum 1355. num. 5.
quodammodò & a quo deturbatus Imperio
Græcorum, unde vel invitus factus Mona-
chus fit, & ejus uxor ingreffa etiam in Mona-
fterium. Tum num. 6. ibidem *De Scriptis ejus
differit.* Denique ad annum 1375. num. 1.
quomodo Joannes Cantacuzenus Eximperator
& Bafilianus Monachus, feu vere feu ficte
Romani Pontificis Primatum agnoverit. Hæc
nos hic fummatim in utramque partem retu-
limus, cum noftro proprie non conveniat
inftituto, Scriptorum vel geftas, plene at-
que ad omnem effufionem digerere, neque
motas ea de re controverfias disquirere,
multo minus definire. De *Joanne Cantacuze-
no* Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bi-
bliothecæ Græcæ* cap. 5. p. 469. ad 474. editæ 1714.
Hamburgi in 4.

NICOLAUS CABASILAS THESSALO- 1350
NICENSIS ARCHIEPISCOPUS, Nili Cabafilæ Theffalonicenfis Archiepifcopi ex forore nepos, quantum augurari licet, communibus Græcorum recentiorum opinionibus adhæfit, qui primum Sacellii Imperialis Curator, tum poftea Theffalonicenfis archiepifcopus, circa feculi XIV. medium floruit. Ejus meminit Joannes Cantacuzenus Imperator lib. 3. Hiftoriæ cap. 73. & 99. ac potiffimum lib. 4. cap. 16. ubi narrat Imperator *fe moleftiis exfolvi cupientem, ac genus vivendi placidum, minimeque negotiofum fufpirantem, cum ftatuiffet tranflato Imperio Monachorum inftituta fectari: ad hanc fecefsionem focios addidiffe Nicolaum Cabefilam & Demetrium*

Cy-

Cydonium, qui externa sapientia fastigium attigerunt, & moribus philosophantes, vitam cœlibem conjugaliumque perturbationum expertem amplexi fuerunt. Quocirca præcipuum gratia, amicitiæ & familiaritatis locum apud Imperatorem obtinebant. Cum Sacellii Curatoris munere fungeretur, missus est a Joanne Patriarcha Constantinopolitano anno circiter 1346. ad Cantacuzenum Imperatorem, ut Imperium deponere ei persuaderet. Anno autem 1347. Cantacuzeno Constantinopolim recens expugnatam, ingresso, ad Annam Imperatricem in Palatium legatus a Cantacuzeno est, ut pacis conditiones ei a victore latas proponeret. Hujus etiam cum laude meminit inter antiquiores Symeon Thessalonicensis Archiepiscopus Dialogo adversus hæreses: *τῶν δὲ Πατέρων αἱ ἱερόταται συγγραφαί. καὶ ἔτι τοῦ μακαρίου Καβάσιλα τοῦ τὴν καλὴν νίκην ἐπὶ εὐσεβείᾳ καὶ ἁγιότητι βίου συστησαμένου Νικολάου κατὰ τὴν κλῆσιν. καὶ Θεοφάνους δὲ τοῦ Νικαίας ἄλλου σοφοῦ, καὶ ὁμολογητοῦ νέου, καὶ Ἰσιδώρου Θεσσαλονίκης οὐδὲν ἀπολειπομένου τοῦ σοφοῦ τὰ θεῖα Πηλουσιώτου ἐκείνου, καὶ ὁμώνυμα τὰ τῆς εἰρημένης αἱρέσεως ἀκριβῶς παριστῶσιν.* Quorum Patrum divinissima scripta. *Adde his & beati illius Cabasilæ, qui ob pietatem & vitæ integritatem, a victoria præclaræ nomen obtinuit Nicolai. Et Theophanis quoque Nicæni sapientis, novique Homologetæ:. & Isidori Thessalonicensis in divinis rebus exponendis præclarissimi, qui Pelusiota antiquo, in nulla re inferior fuit: qui omnes de dicta hæresi sagaciter & ad vivum pervestigant atque expendunt.*

Sunt autem Opuscula ejusdem *Ἑρμηνεία κεφαλαιώδης εἰς τὴν θείαν λειτουργίαν, Compendiosa interpretatio in divinum Officium seu Liturgiam,* Gentiano Herveto Aurelianensi & Canonico Remensi interprete, Latine tantum excusa Venetiis anno 1545. apud Alexandrum Bruniolum. Græcus vero textus ex Regiis Bibliothecæ Gallicanæ Codicibus primum prodiit in Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum anno 1624 tomo 2. pag. 200. cura Frontonis Ducæi Soc. Jesu Theologi, unde postea transiit in tomum XII. editionis Morellianæ Parisiensis, anni 1644. Hervetus in ea quam in hunc librum præfationem præfixit, excusare nititur Cabasilam, sed Antonius Possevinus dealbare illum Æthiopem contendit. „*Constat enim*, ut adnotat Hervetus, *manifestissime illum fuisse schismaticum, & „odio in Romanam Ecclesiam incensum, librum hæreticum De processione Spiritus Sancti contra Sanctum Thomam Aquinatem composuisse, & multa „fundi sui ubique indicia prodidisse.* Et in *Apparatu sacro*, Antonius Possevinus. „De processione Spiritus sancti cæcutiit, quæ quidem cæcitas illum adegit, ut temere atque imperite „ausus fuerit de eodem argumento scribere adversus divum Thomam Aquinatem, virum cujus corrigiam calceamenti in rebus Theologicis, ne posset quidem, ut ita dicam, solvere. „Quamobrem liber omnino commendandus est.

Idem dicimus de Libello, qui in Bibliotheca Vaticana prænotatus est, *Ἔλεγχος κατὰ Λατίνων*. In libro autem, *De divino sacrificio altaris*, id commode fuit, quod contra Hæreticos nostri temporis, Divini sacrificii testimonium ab ipsis Latinæ Ecclesiæ hostibus inde apparuit. Attamen pleraque in eo libro dicta sunt, quæ hominem solidæ Theologiæ imperitum satis arguunt. Quem cum Gentianus, qui eum vertit, voluisset cum Catholicis Theologis conciliare, pietatem quidem suam ostendit: verum enim vero etiam suos errores quadantenus indicavit, sed non omnino profligavit. De quibus vide Gentiani Herveti Præfationem ad suam versionem, & adeo eam vigesimum nonum & trigesimum caput ejusdem libri Cabasilæ: ex quibus imprudens quispiam posset facile colligere, aliud sentire Græcos *De verbis Consecrationis*, quam Latina Ecclesia sentiat. Laudo (inquit Allatius) quæ de verbis Consecrationis, in Nicolao Cabasila adnotavit Possevinus. Eadem verbis Nicolai adductis funditus evertit & profligavit Petrus Arcadius in *Concordia Sacramentorum* Lib. 3. cap. 28. Sed eundem Nicolaum *De processione Spiritus sancti contra S. Thomam & Ecclesiam Romanam* commentatum fuisse, usque adeo dum non comperi, licet id curiosius investigaverim. Restituatur igitur ab infamia in integrum. Et licet Nili scriptorum adversus Ecclesiam Romanam argumentum brevissime operi præfixerit, non tamen ipsum in eos injurium fuisse fatebimur. Quare demonstrandum est, eum contra sanctum Thomam & Ecclesiam Romanam scripsisse, ne ut affinis sceleri condemnetur. Tum & antea pag. mihi 53. Nihil itaque Nicolai Cabasilæ est, quod Principatum Papæ invadat. Et Demetrius ipse Cydonius, non scripsit pro sancto Thoma contra Nicolaum, qui nunquam in dictum Sanctum linguam exacuit: Sed contra Nilum, qui id egerat, ut ex titulis librorum, qui ad hunc diem supersunt, colligitur. *Δημητρίου τοῦ Κυδώνη πρὸς τοὺς Καβάσιλα ἐλέγχους κατὰ τῶν περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος κεφαλαίων τοῦ μακαρίου Θωμᾶ.* Cui postea pro Nilo Cabasila, respondet Demetrius Chrysolora, *Δημητρίου τοῦ Χρυσολωρᾶ κατὰ Λατίνων λόγος συνοπτικὸς, ἀφ' ὧν ἐποίησε Νεῖλος Ἀρχιεπίσκοπος Θεσσαλονίκης.* Et iterum, *τοῦ αὐτοῦ διάλογος ἀναιρετικὸς τοῦ λόγου, ὃν ἔγραψε Δημήτριος ὁ Κυδώνης, κατὰ τοῦ Θεσσαλονίκης Κυροῦ Νείλου τοῦ Καβάσιλα.* Alius itaque est Nilus Cabasila, qui scripsit contra S. Thomam, alius Nicolaus. Et Nilum ante Nicolaum susceptum in lucem, Nicolaum postea, certum est: cum Nilus Nicolaum *Epistola Theologica ad eundem Nicolaum*, ipsum *ἀνεψιὸν* nocet, & Nicolaus semetipsum Nili *ἀνεψιὸν* nominet. Hæc quidem & vere & modeste Leo Allatius contra Hervetum, Possevinum, & alios plurimos, qui asseruerunt hunc Nicolaum Cabasilam *scripsisse De Spiritu Sancto contra sanctum*

ctum Thomam Aquinatem. Sed eandem ille non tenuit modestiam contra Spondanum, qui idem cum aliis istis asseruerat in continuatione *Annalium Cæsaris Baronii* ad annum 1355. num. 7. his verbis. *Fuit postea Nicolaus Cabasila factus Episcopus Thessalonicensis, cujus extant plura scripta, sed fuligine schismatis Græcanici perfusa: adversum quem idem ipse Demetrius Græce Latineque doctus, scripsisse dicitur pro Sancto Thoma Aquinate, quem Cabasilas primus impetierat: cujus & aliqua Opera in Latinum sermonem vertit, sicut & Augustini, & alia: quem & Volaterranus & alii uti virum doctum, atque ac Sanctum laudant. Sunt autem, qui prædictum Nicolaum cum Nilo confundunt, itidem dicto Archiepiscopo Thessalonicensi, qui hac eadem ætate vixit. Qui sive fuerit idem, sive alius: sive ante, sive post Nicolaum, eam sedem occupaverit: de quo video controverti, nec tamen ad modum refert. Scripsisse reperitur duos Tractatulos contra Primatum Romani Pontificis, quos Heretici exosculantur.* Nihil hic a Spondano dictum fuit, quam quod a Gentiano Herveto, Antonio Possevino, Bonaventura Vulcanio & Claudio Salmasio, per conjecturas dictum fuerat, quos modeste Allatius correxit: at contra Spondanum eadem cum illis dicentem, effusa bile totus extra se Leonis instar, rapitur in injurias Leo Allatius. Unde nullus dubito, quin aliam ejusmodi in Spondanum irarum causam habuerit, quam nobis cautus absconderit. Audiamus iratum hominem, qui nobis & risum moveat. "Vides „Lector scriptoris Annalium Ecclesiasticorum „in pauxillulis verbis imperitiam. Non inter- „distinguit, etiam quod oculorum sensu percipit. Videt titulum libri, quem exosculantur „Hæretici, & nomen authoris præfixum & „promptissimum oculis, non internoscit. Hoc „est in sole caligare, & ipsa cæcitate cæciorem „esse. Libelli contra Romani Pontificis Pri- „matum, author Nilus est. Alia pleraque sub „Nicolai Cabasilæ nomine prostant, passim & „ubique. Perperam ergo judicant, qui Nico- „laum cum Nilo confundunt, & Spondanus „cum illis. Et cum alius Nicolaus, alius Nilus sit: „Si Historicus expertus esse vis, quanam illi æ- „tate vixerint, & qui ante sedem Thessalonicen- „sem, & qui post eedem Constantinopolitanam „occupaverit, enodandum tibi erat: Sed tu sa- „tis ampliter controversiæ respondisti, *id parum „admodum referre.* Acute admodum, sed ridi- „cule. Quicunque deinceps futurus, si incer- „tus alicujus sententiæ fuerit, ad evellendum „scrupulum, responso hoc Spondanico, ampli- „ter & ex oraculo satisfaciet: *id parum admo- „dum referre. Nicolaus plura, sed fuligine schis- „matis Græcanici perfusa.* Plura scripsisse verum „est, quæ Catholici in linguam Latinam versa, „uti Catholicis contra Hæreticorum delira- „menta, oportuna atque conducibilia edide- „runt. Etsi quid illi excidit incauto, quod non- „nullis visum est, non satis ab omnibus ictibus „tutum, iidem ipsi Catholici excusare conati sunt. Sed dixit nescio quis, *non dealbarent Æthiopem.* "

Non semper feriet, quodcunque minabitur arcus. "

Et Spondanus ipse in his suis *Annalibus*, quot" mendacia, quot falsa, quot perperam & ex in-" genio insimulata, maligne atque calumniose" conspersit, quæ volumen requirant: & nescio," an etiam expurgata, existimationem comme-" reantur." Egregie sane dedolatum Spondanum! Eximie laudatum Cabasilam, quem Leo Allatius vult Catholicissimum fuisse! Certum tamen mihi est, fuisse Nicolaum ejusdem sententiæ atque Nilum, Avunculum atque Nepotem: & quamvis forsan Nicolaus Cabasila contra S. Thomam Aquinatem non scripserit, hoc non impedit, quominus in eandem cum nepote *De processione Spiritus Sancti*, sententiam ingressus sit. Istud ex ipso Leone Allatio concluditur, qui ingenue fatetur, Nicolaum Cabasilam, *Nili Scriptorum contra Romanam Ecclesiam argumentum brevissime Operi suo præfixisse:* præfixisse autem, & non confutasse vel improbasse, approbasse est. *Præterea* quis recti sensus credat, Nepotem alium induisse doctrinam ab avunculo, quem in vita & post mortem imitatus haud dubie est: unde cum illi in Archiepiscopatu Thessalonicensi successerit, eundem etiam quoad opiniones Græcas secutus est. Ex Nili ergo nepotis opinionibus, de Nicolai mente judicandum est: qui cum atrociter in Romanam Ecclesiam invectus sit ratione Processionis Spiritus Sancti, idem de Nicolao Cabasila credendum est. *Tertio* amicissimus fuit Joanni Cantacuzeno Imperatori, sub quo ad Cathedram Metropoliticam Thessalonicensem promotus est Nicolaus Cabasilas: unde cum Imperator iste sectaretur apprime singulares Ecclesiæ Græcæ sententias, idem dicendum absque dubio est de Antistitibus ab ipso promotis, vel sub ejus imperio florentibus. *Quarto* denique quis credat Græcos ita fuisse bardos ac stipites, ut ad primarias ac præcipuas Ecclesiæ suæ sedes promoverent viros, singulari suæ doctrinæ non addictos? Manifestum ergo est, ita fuisse Orthodoxum Nicolaum Cabasilam, ut tamen specialem Ecclesiæ suæ Græcæ doctrinam absque scrupulo ullo complecteretur. Unde non est quod tanto æstu contra Spondanum Leo Allatius clamitet, dum ait Nicolaum Cabasilam fuisse Schismaticum, ac scripsisse contra S. Thomam Aquinatem: quod facere quidem potuit, etsi forsitan id non fecerit.

Scripsit Nicolaus Cabasilas *Expositionem in sanctam Liturgiam, seu Compendiosam interpretationem in Divinum Officium*, quam Gentianus Hervetus Latine vertit, Venetiis editam anno 1545. & Antwerpiæ anno 1560. Extat autem Græce & Latine, ex MSS. Codicibus Regiis, in Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum, editionis Parisiensis anni 1624. tomo 2. pag. 200. MS.

MS. quoque tum in Bibliotheca Vaticana ex multis Codicibus, tum ex Heidelbergensi Codice 361. Et in Bavarica, Codd. 59. 107. 112. 113. 128. In Bibliotheca Imperatoria Vindobonensi, inter Manuscriptos Codices Theologicos Græcos, Cod. 267. num. 18. & 268. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 211. 216. & 348. Idem Opus in Regia Galliarum Bibliotheca sæpius, Seguierana & Colbertina. Eadem inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Oxonii in Anglia, in MSS. Codicibus Baroccianis Codice 75. num. 2. *Nicolai Cabasilæ Expositio Missæ Capp. XLV.* διὰ τί μὴ ἐξ ἀρχῆς. Codice 91. num. 10. pag. 63. *Nicolai Cabasilæ Expositio Liturgiæ* Μετὰ δὲ τὴν δοξολογίαν, ad pag. 70. Codice 107. num. 2. pag. 24. ad 70. *Nicolai Cabasilæ Expositio Liturgiæ.* Διὰ τί μὴ ἐξ ἀρχῆς.

Ejusdem *Nicolai Cabasilæ de vita in Christo Libri sex,* in quibus præcipue agitur de vi & virtute trium Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ, Latine tantum prodierunt anno 1604. in 4. Ingolstadii Interprete Jacobo Pontano Soc. Jesu Theologo, cum *Philippi Solitarii Dioptra seu Regula fidei Christianæ ad Callinicum Monachum,* qui etiam adjecit *ejusdem Cabasilæ Orationem contra Feneratores,* Latine tantum. Desumptum autem utrumque Opus, tam *Libri sex De Vita in Christo,* quam *Oratio contra Feneratores,* ex Codice 39. Bibliothecæ Bavaricæ, ubi MSS. Græce extant, quemadmodum ipse Pontanus refert. *Oratio* autem *contra Feneratores,* edita Græce cum *Oratione Sancti Epiphanii in Sepulturam corporis Jesu Christi,* per Stanislaum Phœnicium Samoseii anno 1604. in 4. Ejusdem *Nicolai Cabasilæ Liber primus, secundus, tertius, quartus & sextus De vita in Christo,* extant MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Cod. MS. Theologico Græco CCLXVI. num. 2. & quidem a fol. 3. pag. 1. usque ad fol. 85. pag. 2. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 199. *Liber* autem *quintus ejusdem Operis,* in eodem MS. Codice num. 10. & quidem a fol. 139. pag. 1. usque ad fol. 146. pag. 2. ut habet Lambecius ibidem pag. 200. Item iidem *Libri quinque De vita in Christo Nicolai Cabasilæ,* nempe *primus, secundus, tertius, quartus & sextus,* MSS. ibidem Codice CCCXXXVI. ut habet idem Lambecius ibidem, pag. 298. & in Catalogo 349. At in eadem Bibliotheca, Codice MS. Theologico Græco CCLXVII. num. 20. extant *Nicolai Cabasilæ Libri septem De vita in Christo,* ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 211. his verbis. „Vigesimo „& quidem a fol. 244. pag. 1. usque ad fol. 341. „pag. 1. Ejusdem *Nicolai Cabasilæ Libri septem* „*De Vita in Christo,* quorum *sex priores* eodem „ordine ac modo hic extant, ut a Jacobo Pon„tano Soc. Jesu Latine tantum editi sunt. Se„ptimus autem sive ultimus, qui, quod ego „sciam, nec Græce nec Latine hactenus unquam editus est, inscribitur atque incipit in hoc Codice MS. Cæsareo his verbis: Περὶ τῆς ἐν χριστῷ ζωῆς λόγος ζ, ὁποῖος γίνεται ὁ μεμυημένος τὴν ἀπὸ τῶν μυστηρίων χάριν φυλάξας τῇ παρ' ἑαυτοῦ σπουδῇ Ἐπεὶ δὲ εἴρηται, τίς γενόμενος ὁ μυηθεὶς, καὶ τίνα τὴν ὁδὸν ἐλθὼν ἃ παρὰ τῶν μυστηρίων ἔλαβε σώσει, σκόπειν ἀκόλουθον, τίς γένοιτο σεσωκὼς &c. In fine demum ejusdem libri, hæc subscriptio extat: Τέλος τῶν περὶ τῆς ἐν χριστῷ ζωῆς λόγων ἑπτά. Quibus Lambecii oculati testis oculis, constat opus istud a Jacobo Pontano mutilum, & non integrum editum fuisse: non ex affectatione, sed quia Codex Bavaricus sex tantum libros continebat, quos integrum Opus esse Pontanus opinatus est.

Ejusdem *Nicolai Cabasilæ Encomium sanctæ Theodoræ Viduæ,* edidit Græce & Latine ad diem 5. Aprilis, Godefridus Henschenius Bollandi successor ex MS. Codice Bibliothecæ Cæsareæ Viennensis: nec dubium, quin ex Codicibus de quibus statim loquemur. Hujus meminit Leo Allatius *De Symeonum scriptis,* pag. 88.

Quam porro dives sit Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis, in Manuscriptis Codicibus Opusculorum Nicolai Cabasilæ, hic referre juvat summatim ex Petro Lambecio tomo seu Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 199 207. & Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 347. & 348. Quæ enim sub illius nomine, produxit ex Bibliotheca Vaticana & aliis a se inspectis Leo Allatius in Diatriba *De Nilis & eorum scriptis,* modica sunt in comparatione eorum, quæ huc afferenda sunt. Præter jam igitur allegata & impressa Nicolai Cabasilæ Opuscula, quæ locis etiam indicatis extant in Bibliotheca Imperatoris, ad alia nondum edita, illic latitantia veniamus. « Extant Codice MS. Theologico Græco CCLXVI. num. quinto. Et quidem a fol. 104. pag. 1. usque ad fol. 112. pag. 2. *Ejusdem Nicolai Cabasilæ Expositio in visionem Prophetæ Ezechielis, in qua super quatuor animalia similitudo throni, & super similitudinem throni similitudo velut hominis.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Expositionis hæc sunt: Τοῦ αὐτοῦ σημασία εἰς τὴν ὅρασιν τοῦ Προφήτου Ἰεζεκιὴλ, ἐν ᾗ ἐπὶ τῶν τεσσάρων ζώων ὁμοίωμα θρόνου, καὶ ἐπὶ τοῦ ὁμοιώματος τοῦ θρόνου ὁμοίωμα ὡς εἶδος ἀνθρώπου. Πᾶσα Προφητεία καὶ θεωρία, καὶ ὅρασις &c. Sexto & quidem a fol. 112. pag. 2. usque ad fol. 117. pag. 2. *Ejusdem Nicolai Cabasilæ Expositio in visionem Prophetæ Ezechielis, in qua ossa hominum arida priorem recuperant speciem.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Expositionis hæc sunt: Τοῦ αὐτοῦ σημασία εἰς τὴν ὅρασιν τοῦ Προφήτου Ἰεζεκιὴλ, ἐν ᾗ τὰ ὀστᾶ ξηρὰ τῶν ἀνθρώπων τὸ πρότερον ἀπολαμβάνουσι εἶδος. Τὴν τοῦ θεοῦ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν &c. Hujus utriusque meminit Allatius in recensione Operum Nicolai Cabasilæ Manuscriptorum, quæ Romæ in Vaticana & alibi viderat: Sed præter

ter hunc Codicem, cujus meminit Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 200. alter quoque extat ibidem Codice CCLXVII. num. 9 10. & 11. ut habet Lambecius ibidem pag. 209. ubi non duæ tantum, sed tres Nicolai Cabasilæ in Ezechielem prophetam Expositiones leguntur his verbis: „Nono & „quidem a fol. 85. pag. 2. usque ad fol. 93. pag. 2. „*Ejusdem Nicolai Cabasila Expositio in visionem „Propheta Ezechielis, De similitudine throni super „quatuor animalia, & de similitudine velut homi„nis super similitudinem throni:* itidem ut in pro„xime præcedenti Codice CCLXVI. num. 5. „Decimo & quidem a fol. 94. pag. 1. usque ad „fol. 99. pag. 1. *Ejusdem Nicolai Cabasila Expo„sitio in visionem Propheta Ezechielis, De ossibus „hominum aridis:* ibidem ut in Superiori Codi„ce CCLXVI, num. 6. Vndecimo & quidem a „fol. 99. pag. 2. usque ad fol. 103. pag. 1. *ejusdem „Nicolai Cabasila in Propheta Ezechielis visionem „Expositio tertia*, cujus titulus & principium: „Τῦ αὐτῦ ἐις τὴν τῦ Προφήτυ Ἰεζεκιὴλ ὅρασιν, „σημασία ἐξ αὐτῶν τῶν θείων γραφῶν ἔχυσα „τὴν μαρτυρίαν. Πᾶσα προφητεία καὶ ὅρασις „εἰκόνες ἦσαν τῆς τῦ Σωτῆρος ἐπιδημίας, διὰ „τῦτο φησὶν ὁ Κύριος: πάντες οἱ Προφῆται „ἕως Ἰωάννυ προεφήτευσαν &c.

Ejusdem *Oratio in sanctam & salutarem Passionem Domini nostri Jesu Christi*, MS. Codice 266. num. 3. ut habet Lambecius pag. 199. Cod. 267. num. 4. ut idem Lambecius pag. 208. Cujus meminit Leo Allatius, inscribiturque *Τῦ αὐτῦ λόγος ἐις τὰ ἅγια καὶ σωτήρια πάθη τῦ Κυρίυ καὶ Θεῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ χριστῦ. Ἄκυε ὐρανὲ, καὶ ὁ τῶν Ἀγγέλων ἅπας κύκλος* &c. Ita Allatius in Diatriba *De Symeonum scriptis*, pag. 82.

Ejusdem *Oratio in Ascensionem Domini nostri Jesu Christi*, Codice 266, num. 4. ut habet Lambecius pag. 199. Cod. 267. num. 5. ut idem Lambecius, pag. 208. *Τῦ αὐτῦ λόγος ἐις τὴν ἀνάληψιν τῦ Κυρίυ καὶ Θεῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ χριστῦ. Αἱ χάριτες μὲν ἐπὶ τῶν προτέρων χρόνων ἐξ ὐρανῦ* &c. cujus meminit idem Allatius loco citato, *De Symeonum scriptis* pag. 82.

Ejusdem *Nicolai Cabasila Oratio in Nativitatem sanctissima Domina nostra Deipara* Codice 266. num. 7. & quidem fol. 118. pag. 1. usque ad folium 130. pag. 1. cujus titulus & principium: *Τῦ αὐτῦ λόγος ἐις τὴν γέννησιν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκυ. Καὶ πρῶτα μὲν τὸν Θεὸν ἐνταῦθα καλῶμεν* &c. ut habet Lambecius pag. 200. Et Cod 267. num. 1. & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad folium 13. pag. 2. ut habet Lambecius ibidem pag 207. cujus & citato loco meminit Allatius, pag. 88.

Ejusdem *Oratio in Annuntiationem beatissima Virginis Deipara*, Codice 266. num. 8. Codice 267. num. 3.

Ejusdem *Oratio in obitum & Assumptionem beatissima Virginis Deipara*, Codice 267. num. 6.

Ejusdem *Oratio Encomiastica in sanctam Theodoram Thessalonicensem*, Codice 266. num. 11. Cod. 267. num. 13. de qua supra locuti sumus, quamque ex hoc MS. Codice erutam edidit Godefridus Henschenius.

Ejusdem *Oratio de Usura sive Contra fœneratores*, Cod. 266. num. 12. Cod. 267. num. 23.

Ejusdem *Oratio in sanctum Nicolaum Myrensem Episcopum*, Cod. 267. num. 2.

Ejusdem *Oratio in sanctum Martyrem Demetrium*, Cod. 267. num. 7. ut habet Lambecius ibidem pag. 208. his verbis: "Septimo & quidem a fol. 56. pag. 1. usque ad fol. 84. pag. 1." *Ejusdem Nicolai Cabasila Oratio encomiastica in" sanctum Martyrem Demetrium*, cujus titulus &" principium: *Τῦ αὐτῦ ἐγκώμιον ἐις τὸν ἔνδοξον" τῦ χριστῦ μεγαλο[illegible]ρτυρα καὶ θαυματυργὸν" καὶ μυροβλύτην Δη[illegible]. Πολλῶν ὄντων καὶ" μεγάλων ἐμοὶ συνιδεῖν ῥᾳδίων* &c. " Hujus eadem verba, eundemque titulum refert loco citato Leo Allatius, pag. 107.

Ejusdem *Alloquutio ad sanctum Martyrem Mercurium*, Codice 267. num. 15. Item Allatius loco citato pag. 97.

Ejusdem *Oratio Encomiastica in sanctum Andream Juniorem, qui Martyrium consummavit Hierosolymis*, Cod. 267. num. 12.

Ejusdem *Oratio in sanctos tres Hierarchas & Oecumenicos doctores, Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum & Joannem Chrysostomum*, Cod 267. num. 14. Eruditos tamen Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. pag. 114. advertit *Orationem in tres Theologos, Basilium Magnum, Gregorium & Joannem Chrysostomum*, non esse hujus Cabasilæ factum, sed Philothæi Patriarchæ Constantinopolitani, de quo nihil observavit Bellarminus. Legitur in Codice Vaticano 809. pag. 100. *Φιλοθέυ Πατριάρχυ λόγος ἐγκωμιαστικὸς ἐις τὺς τρεῖς Ἱεράρχας, βασίλειον τὸν Μέγαν, Γρηγόριον τὸν Θεολογον, καὶ Ἰωάννην τὸν χρυσόστομον.* Initium, *τὺς διδασκάλυς ἡμῶν ἐπαινέσωμεν* &c. Sed Labbeum confundit Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 209. his verbis. "Decimo quarto & quidem a fol. 120. pag 2. usque ad" fol. 124. pag. 2. *Ejusdem Nicolai Cabasila Oratio" in tres magnos Hierarchas & Oecumenicos Docto-" res, Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum" & Joannem Chrysostomum*, cujus titulus & prin" cipium: *Τῦ αὐτῦ εἰς τὺς ἁγίυς τρεῖς μεγάλυς" Ἱεράρχας καὶ οἰκυμενικὺς διδασκάλυς βασίλειον" τὸν Μέγαν, Γρηγόριον τὸν Θεολόγον καὶ Ἰωάν-" νην τὸν χρυσόστομον. Οἶμαι γε τῶν ἐννομωτά-" των καὶ δικαιοτάτων ἐιναι, τὴν γινομένην τοῖς Πα-" τράσι, πᾶσαν νέμειν τιμήν. Εἴπερ δὲ τίνας τῶν" ἁπάντων Πατέρας* &c. Vbi notandum est er-" rare Philippum Labbeum Soc. Jesu, in Disser-" tatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis*," atque illius exemplo etiam Leonem Allatium" in Diatriba *De Nilis & eorum Scriptis:* dum" uno ore asserunt, *Orationem in sanctos Patres" Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum &" Joan-*

„*Joannem Chrysostomum.* quæ sub nomine Nicolai Cabasilæ extat, non esse re vera Nicolai Cabasilæ, sed Philothei Patriarchæ Constantinopolitani. Ex solo enim supra exhibito principio, manifeste patet Orationem Nicolai Cabasilæ in præfatos tres sanctos Patres, omnino diversam esse ab Oratione Philothei in eosdem sanctos Patres, a Jacobo Pontano Soc. JEsu Ingolstadii anno 1604. Græce & Latine in 4. edita typis Sartorianis, cujus principium hoc est: Τὺς διδασκάλυς ἡμῶν ἐπαινέσωμεν, τὺς Πατέρας οἱ παῖδες κατὰ χρέ☉ τιμήσωμεν, τὺς τρεῖς Φιλοσόφυς καὶ σοφὺς τῆς Ἐκκλησίας ῥήτορας &c.

Ejusdem *Nicolai Cabasila Oratio ad Christum* Codice MS. Theologico 267. num. 19. & quidem a fol. 242. pag. 1. usque ad fol. 243. pag. 1. cujus principium & titulus: Τῦ αὐτῦ Εὐχὴ εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησῦν χριςὸν, τὸν μονογενῆ Υἱὸν τῦ Θεοῦ καὶ Λόγον. Ὑμνοῦμέν σε, εὐλογοῦμέν σε, δοξολογοῦμέν σε, εὐχαριςοῦμέν σε κύριε, ὁ Πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν Ἰησοῦ χριςὲ, ὁ θεὸς ἡμῶν, ὑπὲρ τῶν ἀγαθῶν, ὧν &c. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum, pag. 211.

Ejusdem *Nicolai Cabasila Liber De Magistratuum Civilium iniquis ausis circa res sacras,* Codice 267. num. 22. Et quidem a fol. 344. pag. 1. usque ad folium 369. pag. 2. ut habet loco citato Lambecius, cujus titulus & principium: Τῦ αὐτῦ Νικολάυ Καβάσιλα περὶ τῶν παρανόμως τοῖς ἄρχυσιν ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς τολμώντων. Τὺς μὲν πονηρὺς τῶν ἀρχόντων. οἱ γνώμης μοχθηρίᾳ λύυσιν τὺς νόμυς. καὶ δικαίων ὑπερορῶσιν, ὡς ἂν μὴ τῷ ἀγνοεῖν ὅ τι δεῖ ποιεῖν ἁμαρτάνοντας, ἀλλ' ἑκόντας πονηρευομένυς καὶ κακυργῦντας &c.

Ejusdem *Oratio ad Imperatricem Annam, Imperatoris Andronici Palæologi Junioris uxorem,* Cod. 267. num. 24.

Ejusdem *Oratio ad Athenienses de Arca misericordiæ apud ipsos,* Cod. 267. num. 25.

Ejusdem *Oratio encomiastica in Imperatorem,* Cod. 267. num. 30.

Ejusdem *Oratio altera ad Imperatricem Annam Paleologinam,* Cod. 267. num. 32.

Ejusdem *Dissertatio contra Nicephorum Gregoram,* Cod. 267. num. 26.

Ejusdem *Dissertatio De Criterio veritatis,* sive *De facultate & instrumento judicandi, quid sit verum: contra Pyrrhonem Scepticorum Principem,* ibidem num. 27.

Ejusdem *Solutiones argumentationum quinque contra Rhetoricam sive artem dicendi,* ibidem num. 28.

Ejusdem *Epigrammata tredecim versibus Heroicis,* ibidem num. 29.

Ejusdem *Epistola tres* Codice 266. num. 9. *Epistola sexdecim,* Codice 267. num. 31.

Ejusdem *Libellus de Syllogismo* Codice 266. num. 21. Meminit quidem hujus libri etiam Leo Allatius, in Diatriba *De Nilis & eorum Scriptis* pag. 56. ubi Catalogum recenset Operum Nicolai Cabasilæ, quæ in Bibliothecis manuscripta vidit. Inter quæ meminit istius *De Syllogismo* libelli, tanquam Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana sub Nicolai Cabasilæ nomine extantis, ubi incipit hoc modo, περὶ συλλογισμῶν. Σκοπός ἐςι τῷ συντάγματι διδάξαι τὸ εἶδος τοῦ Συλλογισμοῦ &c. At Libellus, qui legitur in hoc Codice MS. Cæsareo 266. num. 21. & quidem a fol. 398. pag. 2. usque ad 407. pag. 1. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 207. sic inscribitur atque incipit: Τῦ σοφωτάτυ Κυρῦ Νικολάυ Καβάσιλα, περὶ Συλλογισμῦ. Ἄτοπόν ἐςὶ, τὸ ἐν ἀριθμῷ οἷον ὅδε ὁ ἄνθρωπ☉ &c. Hæc ergo Opuscula omnia Nicolai Cabasilæ, extant Codd. MSS. Theologicis Græcis 266. & 267. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, quorum seriem latius explicat Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 189. & sequentibus, 207. & sequentibus, atque in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 347. 348. & 349. sed alia adhuc extant in aliis hujus Bibliothecæ Codicibus. Extat Codice MS. Theologico Græco CCVII. num. 22. *Nicolai Metropolitæ Thessalonicensis Responsio ad interrogationem, Quis sit scopus Incarnationis Dominicæ.*

Ejusdem *Expositio quorundam verborum sancti Gregorii Nazianzeni,* ibidem num. 23. de quibus agit Petrus Lambecius ibidem Libro V. Commentariorum suorum, pag. 12. quem omittimus.

Denique ejusdem *Fragmentum De sancta Trinitate & De processione Spiritus sancti ex solo Patre,* Codice MS. Theologico Græco 232. num. 4. ejusdem Bibliothecæ, ut habet Lambecius pag. 65. his verbis. „ *Quarto* & quidem fol. 272. pag. 1. *Nicolai Cabasila Archiepiscopi Thessalonicensis fragmentum De Sancta Trinitate & De processione Spiritus Sancti ex solo Patre,* cujus titulus & principium: Νικολάυ Ἐπισκόπυ θεολογία περὶ τῆς ἁγίας Τριάδ☉. Τίς ὅλως ἀνάσχοιτο τῶν ἐν χριςιανοῖς πλάνων &c. " Sed hoc fragmentum si viveret, Nicolao Cabasilæ denegaret Leo Allatius, qui ejus orthodoxiam graviter amplexus est: maxime cum ibi tantantum *Nicolaus Episcopus* legatur; quod æque intelligi potest, de Nicolao Methonensi Episcopo, ac de Thessalonicensi Archiepiscopo, Nicolao Cabasila, qui diserte illic non nominatur.

Hæc quidem de MSS. Codicibus Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Petrus Lambecius, at Philippus Labbeus plurimos recenset in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum,* seu in *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum,* ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum, ejusque Catalogo collecta, quem anno 1653. in 4. Parisiis edendam curavit apud Joannem Henault. Nimirum parte 1. pag. 75. Nicolai Cabasilæ in Assumptionem Domini & in Annuntiationem beatæ Virginis in Codice Regio 1379. Parte 2. pag. 89. Nicolai Caba-

silæ

filæ Chamætæ de Gregoræ nugis in Codice Regio 1759. in quo præter cætera, An fit κριτήριον τῆς ἀληθείας adversus Pyrronios extat. Item parte 2. pag. 94. Nicolai Cabafilæ Chamaïtæ, Sacelli curatoris, quatuordecim fermones & alia opuscula in Codicibus Regiis 1033. 1305. 1759. 1379. cum Ejusdem Epiftolis. Ejus Expofitio Liturgiæ jam edita eft. In Codice jam dicto 1759. dicuntur effe Septem libri eiusdem Cabafilæ de Vita in Chrifto, quorum fex duntaxat Jacobus Pontanus Latinos fecit. Parte 3. pag. 102. Nili Theffalonicenfis ad Nicolaum Cabafilam, ejusdemque Nicolai Epiftolæ, in Codice 1759. Parte 4. pag. 114. Nicolai Cabafilæ de Syllogifmis in Codice Regio 1039. Ibidem parte 4. pag. 136. Nicolai Cabafilæ Chamaïtæ Epitaphium Nili Theffalonicenfis Archiepifcopi avunculi fui, & aliquæ Epigrammata ejusdem, in Codice Regio 1759. Ibidem Supplemento VII. pag. 296. Codice Regio 1359. Nicolai Cabafilæ Chamaïtæ in Nativitatem Beatæ Virginis, in Nicolaum Thaumaturgum, in Annuntiationem beatæ Virginis, in Demetrium Martyrem, in Vifionem Ezechielis Prophetæ de Throno Dei, in ejusdem Vifionem de offibus arefactis. Encomium S. Andreæ Junioris Hierofolymis paffi. Encomium in Theodorum Martyrem. In Bafilium Magnum, Gregorium Theologum & Joannem Chryfoftomum. Allocutio in laudem Demetrii Martyris. Ejusdem Cabafilæ Liturgia. Oratio ad Chriftum. De Vita in Chrifto libri feptem. De Principibus, qui impie fe rebus facris immifcere audent. De feneratoribus, de fenore ad Auguftam. Athenienfibus de Ara mifericordiæ. De Gregoræ nugis, an fit κριτήριον τῆς ἀληθείας adverfus Pyrronios, Confutationes eorum, qui afferunt effe inutilem τῶν λόγων σοφίαν. Ejusdem Epitaphium Nili Theffalonicenfis Archiepifcopi Avunculi fui verfibus, & aliquot Epigrammata ejusdem Encomium ad Imperatorem, nec non Epiftolæ. Adduntur Demetrii Cydonæ &c. ut in Demetrio Cydonio poftea dicemus.

Michael Neander Epitomator Gefnerianus & alii, inter tractatus Nili Theffalonicenfis, etiam *Libros Nicolai Cabafilæ de vita in Chrifto* reponunt: quos & alia omnia fe vidiffe fcribit apud amicum, in amplo & antiquo volumine, quæ vel ipfi vel alii, quibus id negotii datum erat, aliquando cum ftudiofis communia facere ftatuerant. Quidquid de eorum editione fuerit, quæ nunquam apparuit: noftrum eft Lectores eximere ab errore Neandri & aliorum. Libri fiquidem *De vita in Chrifto*, funt Nicolai, non Nili Cabafilæ: cùm in MSS. omnibus Nicolai nomen præferant. Et hæc annotavi, ne Cabafilarum cum cognomine, unum quoque Scriptorem, five Nilotalum, five Nilum conftituas: quemadmodum vir alter eruditiffimus apud Salmafium Bonaventura Vulcanius ut fuprà vidimus, ex Nilo Theffalonicenfi & Nicolao Methonenfi unum Nilum fingebat. Plura *De Nicolao Cabafila* dabunt Michael Neander, Gefneri Bibliothecæ epitomator, pag. 621. Antonius Poffevinus *in Apparatu facro*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclefiæ* capite 239. pag. 262. Philippus Labbeus in Differtatione Hiftorica *De Scriptoribus Ecclefiafticis* à Bellarmino recenfitis, tomo 2. verbo *Nicolaus Cabafilas*, pag. 114. At pleniffimè omnium Leo Allatius, qui Nicolai Cabafilæ Opufcula fibi nota recenfuit, in Diatriba fua *De Nilis & eorum Scriptis* Cap. 14. pagina 55. Petrus Lambecius, quem paffim illic allegavimus.

DEMETRIUS CYDONIUS, patriâ Theffalonicenfis, vel ut alii volunt, Byzantinus, in 1350
Theologicis præclarè eruditus, Græcâ Latinaque facundia inftructus, floruit anno circiter 1350. vel 1340. nec enim annum definire poffibile eft. Qui tandem in Italiam fe contulit, jam provectioris ætatis factus, non *ut Litteras quafi toto orbe fugientes perfequeretur*, quod de Platone fcribit S. Hieronymus: Sed ut fortunam aliam quàm in Græcia poft Cantacuzeni Imperatoris abdicationem experiretur. Ipfum vita functum fuiffe ab annis ferè ducentis fcribit Raphael Volaterranus Lib. XV. *Commentariorum Vrbanorum* pag. mihi 537. quos Commentarios Julio II. Summo Pontifici, qui Papa creatus eft anno Domini 1503. nuncupavit. Quo ab anno retro gradiendo ad annos ab hinc ducentos, annus invenitur 1303. & ætas confequenter Demetrii Sydonii, inquit Natalis Alexander *in Selectis Hiftoriæ Ecclefiafticæ capitibus*, tom. XXI. Differtatione VI. *De Summâ Theologiæ Sancti Thomæ contra Launoium afferta*, art. 6. pag. 418. & fequentibus, ut inde contra Launoium concludat. Sed apertè fallitur, neque Demetrius Cydonius, ante Clementem 6. qui anno 1342. factus dicitur Romanus Pontifex, ob fcientiæ famam floruit. Atque ubi Volaterranus dixit *fermè*, haud dubium quin annos circiter 40. vel 50. ex hoc calculo, quem præcifè nefciebat, demere voluerit: unde rectè ad annum 1340. vel 1350. vel circiter, conjiciendus videtur. Sed æquum eft, ut pluribus de Vita Demetrii Cydonii agamus, quo magis quiddam folidum de variante ejus doctrina hinc addifcere poffimus. Itaque Demetrius ifte, ut probabilius eft, ortu Theffalonicenfis fuit, cujus nomen vix auditum ante annum 1340. quo ille ob fcientiam clarefcere cœpit, Joanne Cantacuzeno Magno Imperatoriæ domus Domeftico, Imperium Orientale gubernante, ob juniores annos Joannis Palæologi. Amplexus eft ille opiniones Theologiæ Græcas *De proceffione Spiritus Sancti*, quamdiu in Oriente inter Græcos fuit: unde Barlaamus Calaber & Epifcopus Hieracenfis poftea in Calabria, qui

qui anno circiter 1241. vel 1242. mortuo Andronico Juniore, in Italiam patriam reversus fuerat ob factiones Palamitarum prævalentes, scripsit Epistolas ad hunc Demetrium Thessalonicensem, virum apud Græcos non postremum, quibus respondet quamplurimis dubiis ad se ab eo *De processione Spiritus Sancti à Filio*, missis: atque aliis rursum argumentis & authoritatibus ex Sacra Scriptura & Sanctis Patribus tam Latinis quàm Græcis petitis: quibus tam disertè & eruditè, quàm prolixè Processionem illam demonstravit, ejusque oppositam opinionem validè confutavit. Denique & in Romana Ecclesia inesse Primatum pariter probans, Demetrium ad ejus obedientiam invitavit, *non nutantem* ut inquit Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1332. num. 5. *sed contradicentem & reluctantem, imò contrà scribentem*, more aliorum Græcorum. Nec dubium quin Cydonius in his opinionibus Græcorum fuerit, nimirum, *Nec Spiritum Sanctum à Filio procedere, nec Romanæ Ecclesiæ competere Primatum ac superioritatem jurisdictionis in Ecclesiam Orientalem*, quamdiu saltem in Græcia fuit. Vnde & tam carus administratori omnium Imperii negotiorum, posteaque Imperatori, Joanni Cantacuzeno, fuit: qui ejus mentionem facit in *Historia* sua Libro 4. cap. 16. ubi narrans se molestiis exsolvi cupientem, ac genus vivendi placidum minimeque negotiosum suspirantem, cum statuisset translato Imperio Monachorum instituta sectari: *ad hanc secessionem sacros addidisse Nicolaum Cabasilam & Demetrium Cydonium, qui externæ sapientiæ fastigium attigerant, & moribus philosophantes, vitam cælibem conjugaliumque perturbationem expertem amplexi fuerant. Quocirca præcipuum gratiæ, amicitiæ, & familiaritatis locum apud Imperatorem obtinebant.* Mansit igitur in Græcia atque intimus Joanni Cantacuzeno Demetrius Cydonius, ad annum 1355. usque quo destitutus Imperio Monasticam ille vitam amplexus est, vel ultroneus vel invitus. Nec quidquid Cantacuzenus cantet, probabile est ipsum secutos & ejus exemplum imitatos fuisse, Nicolaum Cabasilam vel Demetrium Cydonium. Imò Imperatoria protectione amissa, spebusque omnibus ex novo Imperii regimine privatus Demetrius, Inde transfretandi in Italiam occasionem scripsit, novam novi Imperatoris ac sibi forsitan parum æqui vindictam vel indignationem ob factas Cantacuzeni partes, metuens. De illo ita Volaterranus Lib. 15. *Anthropologiæ* pagina mihi 537. „Demetrius Cydonius Thessalonicensis, vir doctus æque ac sanctus, Græca Latinaque facundia præditus, patria discedens Mediolanum venit: ubi Litteris Latinis pariter & Theologiæ operam dedit. Thomæ Aquinatis libros in Græcum vertit Sermonem, qui hodie in Bibliotheca Vaticana cernuntur. Scripsit & contra Eunomium, De Divinitate Filii. Postremò revertens in Creta substitit, ubi erogatis in pauperes bonis, in quodam ibi Cœnobio persancte, citra tamen professionem vixit, pariterque defunctus est, annis ab hinc fere ducentis. Hæc Raphael Volaterranus.« Veniens ergo post annum 1355. Mediolanum, ut idem Scriptor habet, *ibi Litteris Latinis pariter ac Theologiæ operam dedit*: Ibique pariter mutata regione in Latinas dubio procul abiit sententias, *De processione Spiritus Sancti & Primatu Romanæ sedis in Orientales Ecclesias*. Nec mirum illud, cum Græci facillime sensus suos regionibus, in quas advolant, adaptent: pluresque Orientales intra Græciam Græcos, in Occidente Latinissimos legamus. Ergò cum dudum Mediolani substitisset, ad insulam Cretensem Reipublicæ Venetæ subjectam se transtulit, ubi inter Græcos, sed Romanæ Ecclesiæ subjectos, cujus singularem doctrinam, adveniens in Italiam amplexus fuerat: reliquum vitæ tempus in Monasterio exegit, & mortuus est, anno mihi incomperto.

Juvat audire quæ de Demetrio Cydonio habet Allatius Libro 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 18. paragraph. 5. columna 856. his verbis. „Alter est Demetrius Cydonius Byzantinus, alii Thessalonicensem faciunt, Imperatoris Cantacuzeni familiarissimus, & qui una cum eodem, Monachorum albo adscriptus est, qui externæ sapientiæ fastigium eodem referente attigerat, & moribus philosophabatur. Raphael Volaterranus eum Mediolanum venisse, ubi literis & Theologiæ operam dedit: & revertentem in Creta substitisse, demum erogatis in pauperes bonis, in Cœnobio quodam sancte vixisse & obiisse. Præter ea quæ ex Latino vertit in Græcum Sermonem, scripsit inter alia plura *Librum contra Palamam*, in quo omnes illius hæreses ex Commentariis illius excerptas, digerit refellitque. Item *De processione Spiritus Sancti Librum* in Capita XIII. distributum, quæ Opuscula edidit Græce & Latine, Romæ cum Notis anno 1630. Petrus Arcudius, Corcyrensis, Theologus eruditus. Ex Catalogis Bibliothecarum, constat eundem quoque scripsisse 1. *De processione Spiritus Sancti contra Cabasilam*, sive *Contra elenchos Cabasilæ pro Sancto Thoma*, adversus quem Cabasilas antea scripserat. Titulus est, *Πρὸς τοὺς τοῦ Καβάσιλα ἐλέγχους κατὰ τῶν τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος κεφαλαίων τοῦ μακαρίου Θωμᾶ.* Principium, *ἡ μὲν κατὰ Λατίνων προθυμία τοῦ ἀνδρὸς τούτου μεγάλη τε καὶ θαυμαστή.* Meminit illius Gennadius Scholarius Patriarcha in Responsione ad VI. Syllogismum pro Græcis contra Latinos Marci Ephesii, prope finem. 2. *Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος πρός τινα τῶν φίλων ἐρόμενον περὶ τούτου.* *De processione Spiritus Sancti ad ami-*

„*cum*, *qui id ab eo perquisierat*. Principium', „Ἐπὶ πολλῶν τῆς σῆς φιλομαθίας, καὶ φιλαληθοῦς τρόπου πεῖραν λαβών. 3. *Orationem* „*in Pentecosten*, *nempe in Spiritum Sanctum*, „εἰς τὴν πεντηκοστὴν, ἤτοι εἰς τὸ πνεῦμα τὸ „ἅγιον, cujus principium οἱ μετὰ τοὺς γενναίους „ἀγωνιστὰς εἰσιόντες, ἂν μὴ πολὺ τοὺς Φθά„σαντας: cujus meminit quoque idem Alla„tius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 101. „4. Vertit quoque ex Lingua Latina in Græ„cam, *Librum Anselmi Cantuariensis Episcopi*, „De processione Spiritus Sancti contra Græ„cos. Principium, Ἀρνεῖται τῶν Γραικῶν ἔθ„νος, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον „ἐκπορεύεσθαι. 5. Item *Epistolam ejusdem ad* „*Valerianum Naumburgensem Episcopum*, de tri„bus quæstionibus, ac præsertim de fermento „& Azymo. Principium, Εἰδότι βραχέα λέγω, „καὶ βέβαιος ἣν περὶ τῆς σῆς φρονήσεως, ὡς „οὐ συμμαχεῖς. Eundem Bessarion, Epistola ad Alexium Lascarim, σοφὸν, sapientem vocavit. Hæc Allatius loco citato. Extat autem *Demetrii Cydonii Oratio deliberativa ad Græcos de non reddenda Callipoli*, Græce & Latine cum Notis, apud Franciscum Combefisium *Auctarii Novi* Tomo 2. columna 1221. Item Oratio deliberativa ad eosdem de non reddenda Callipoli, postulante Amurate Turcorum Rege, Græce & Latine ibidem columna 1283. Item *Demetrii Cydonii Occisorum Thessalonicæ Monodia*, Τοῦ Δημητρίου Κυδονίου Μονῳδία ἐπὶ τοῖς ἐν Θεσσαλονίκῃ πεσοῦσιν, Græce & Latine edita ab eodem Combefis ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, ad calcem Continuatoris Theophanis columna 385. ex prælo Regio Parisiis in folio 1685. Jam ad alia procedamus.

Extant autem inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ Codice 90. Num. 2. Demetrii Cydonii defensio Thomæ Aquinatis contra Cabasilam pagina 27. Ἡ μὲν κατὰ Λατίνων. Pagina 63. Ejusdem Sermo in Sanctum Laurentium. Οἱ σώφρονες τῶν ἱερῶν Pagina 102. Ejusdem Sermo in Annunnationem B. Virginis ὅσαι τῶν πόλεων βούλονται Pagina 131. Ejusdem alia Homilia. Τοῖς ὑπὲρ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν &c. Pagina 144. Solutio argumentorum quorundam, circa Christi incarnationem. Τὰ ἀνωτέρω πρὸς τοῦτο &c. Pagina 154. ad 162. Ejusdem Epistolæ novem ad Manuelem Imperatorem. Ἔυ καὶ ἄρχων &c.

Cum ergo Cydonius animum scribendo applicuisset, nihil mirum, quòd plurimi illius MSS. Codices in Bibliothecis supersint. Nimirum in Regia Bibliotheca Hispana Scurialensi extant Demetrius Cydonius *De filii Dei deitate & processione Spiritus Sancti*. *Ejusdem Orationes & Epistolæ*. E. VI. 5. *Ejusdem in Demetrium Martyrem & Gratiarum actio ad Beatam Virginem*. Denique Demetrius Cydonius *De processione Spiritus Sancti contra Cabasilam*.

In Bavarica Serenissimi Ducis Bibliotheca Codice 112. *Demetrius Cydonius de contemnenda morte* charta in folio. In Romana seu Vaticana Bibliotheca, *Libri quindecim Divi Augustini De Trinitate*, quos in Græcam linguam transtulit Demetrius Cydonius. Ibidem *Demetrii Cydonii versio Capitum aliquot Sermonum Divi Augustini, in Græcam linguam*. Ejusdemque *versio Tractatus Richardi Ordinis Prædicatorum adversus legem seu Coranum Mahumetis*. In Bibliotheca Veneta Sanctorum Joannis & Pauli, *S. Thomas contra Gentes* in Græcam linguam translatus, a doctissimo Demetrio Cydonio, in 4to membrana. Et in bibliotheca Cardinalis Bessarionis, in MSS. Græcis extra pluteos existentibus, *Demetrius Cydonius contra Cabasilam pro Divo Thoma & de processione Spiritus Sancti*. Hæc Jacobus Philippus Thomasius in Catalogo Bibliothecarum Venetarum MSS. tam Publicarum quam Privatarum, quem Vtini anno 1650. in 4. edidit.

Cum itaque Demetrius Ecclesiæ Latinæ doctrinam amplexus esset, cum ad partes Latinorum apud Græcos fovendas, Libros Latinos in Linguam Græcam operosò simul ac inutili labore verteret: nihil mirum, plurimos illius MSS. Codices in Bibliothecis inveniri Latinis, ac præcipue in Regia Galliarum Bibliotheca, juxta Philippum Labbeum *in Nova Bibliotheca MSS. Codicum Græcorum, Latinorum ac Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum ac Gallicarum* ex Catalogo potissimum MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collecta, quam anno 1653. Parisiis in 4. edendam curavit apud Joannem Henault. Ibi parte 2. pag. 87. Demetrius Cydonius adversus Palamam Libri 8. item Libri quinque adversus eundem, octo quoque Apologiæ & in Palamitarum Apostasiam libri tres in Codice Regio 1412. Sed vide quæ paulò ante de Demetrio Cydonio diximus parte 2. pag. 83. Verum ne quid dissimulem, tribuitur quoque Joanni Cyparissiotæ. Ejusdem Demetrii vanum esse mortis metum, in Codice 1759. & 2016. Contra Planudem in Codice 911. Symbolentici duo ad Romanos, & Proœmia duo in Chrysobullum Monasterii in Didymoteicho, in Codice 1759. De ejusdem Epistolis suo loco. Nonnulla hujus Auctoris opuscula edidit Arcudius Romæ anno 1630. Ibidem parte 2. pag. 87. quæ de Joanne Cyparissiota supra diximus, Codice 1412. Ibidem parte 2. pag. 88. Maximi Planudis Capita de processione Spiritus Sancti, cum refutatione Bessarionis & Demetrii Cydonæ ex Cod. Regio 901. Nec prætereundus Codex 911. ex quibus nonnulla edidit Romæ Petrus Arcudius anno 1630. Parte 3. pag. 99. Demetrii Cydonæ duæ Epistolæ ad Philotheum Patriarcham Constantinopoli in

in Codice Regio 1334. Aliæ quoque visuntur & longe plures Epistolæ ejus in Codice 1759. in quo & alia ejusdem Scriptoris opuscula. Demetrii Epistolæ in Codice Regio 1327. In Supplemento III. Bibliothecæ Scorialensis quod pag. 175. incipit, ibi pag. 186. Demetrius Cydonius de filii Deitate & processione Spiritus Sancti. Ejusdem Orationes & Epistolæ E. VI. 5. In Demetrium Martyrem, Gratiarum actio ad Beatam Virginem. Demetrius Cydonius de processione Spiritus Sancti contra Cabasilam. In Supplemento VII. pag. 296. Codice 1359. Adducuntur Demetrii Cydonæ Opuscula, vanum esse mortis metum. In Annuntiationem beatæ Virginis Symbulentici ad Romanos. Proëmia duo in Chrysobullum Monasterii in Didymoticho. Epistolæ, Lamentatio Calamitatum Thessalonicensium. Epistola ad Isidorum Glabam Episcopum Thessalonicensem, pro Caucadeno Theodoro, ad quendam, qui plurimum poterat apud Imperatorem. Epistolæ quinque ad Manuelem Imperatorem & alios. Hæc Manuscripta in Regia Galliarum Bibliotheca Græce, juxta Labbeum.

Cum itaque Demetrius Cydonius Theologiæ Scholasticæ in Italia constitutus animum adpossuisset, ex occasione studii sibi defixi, Summam S. Thomæ Aquinatis ex parte Latinam fecit, ut supra Volaterranus dixit, quo eam magis sibi familiarem haberet. Multum tamen errat Natalis Alexander, qui hoc Opus ab ipso Græce factum ad annum circiter 1300. refert, ut inde Joannes Launoïus vapulet, quem tamen in deneganda Sancti Thomæ Summa Scholastica, non amplector. Opus istud, vix ante annum a Cydonio susceptum videtur, ac serius forsitan. Omnem quidem Summam Sancti Thomæ in Græcum transtulisse non dicitur, sed *Secundam secunda*, seu *secundum secunda partis librum* ex Latina Lingua in Græcam, quæ versio teste Volaterrano extat MS. in Bibliotheca Vaticana, ubi eam vidit. Extat etiamnum Manuscriptum in Bibliotheca Veneta Sancti Marci, ut Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri*, & Ferdinandus Castillus Lib. 3. *Historia Ordinis Fratrum Prædicatorum* capite 31. testantur. Sed habetur Opus istud pariter in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 1778. inscriptum, *Theologici voluminis secundi primum compositum à sapientissimo Thoma, Ordinis Fratrum Prædicatorum:* etsi desint in eo Codice Quæstiones, *De donis & fructibus*, & nomen Interpretis adscriptum non sit. Itemque ibidem Codice 708. *Sapientissimi Thoma de Aquino apud Latinos Theologia Magistri, secundi rerum moralium secundum*, sive, *Secunda secunda*. Opus integrum est usque ad quæstionem 187. & nomen Interpretis desideratur: certum tamen videtur, interpretationes ejusmodi ad Cydonium pertinere, ex Volaterrani allato testimonio. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ Codice 65. & 105. Quæstiones priores 49. Summæ Sancti Thomæ Aquinatis Theologicæ in Græcum dicuntur traductæ per Maximum Planudem, sed rectius sane per Demetrium Cydonium, nam liber ipse ἀνεπίγραφος est, qui Planudi tamen in Catalogo impresso, Authore nescio quo, tribuitur. Sed Demetrium Cydonium vertisse libros Thomæ Aquinatis, post Volaterranum testatur Possevinus. Idem *Libros quatuor S. Thoma Aquinatis contra Gentiles* reddidit Græco idiomati, quod opus extat in duobus Codicibus Galliarum Bibliothecæ Regiæ, nimirum Codice Manuscripto Græco 1388. ubi titulus *Beati Thoma Ordinis dicti apud Latinos Fratrum Prædicatorum De fidei Catholica veritate contra Gentes libri quatuor, translati ex lingua Latina in Græcam à Demetrio Cydonio.* Et Codice MS. Græco 1610. *Sancti Thoma Aquinatis contra Gentes ex Latina Lingua in Græcam*, in quo Codice paucula ex proœmio desunt, nec Opus integrum, nec ullius interpretis nomen adscriptum est, quamvis idem opus cum præcedente sit. Extant autem ex ejusdem *Sancti Thoma Aquinatis Libris quatuor De veritate Catholica fidei contra Gentiles* & ex ejusdem *Summa Theologia Græcè translata, Capita Miscellanea quadraginta quinque*, in Codice MS. Theologico Græco CCLVII. num. 4. & CCLXXVII. num. 3. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut habet Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pagina 173. 225. & in Catalogo pagina 360. Quartò & quidem a fol. 4. pag. 1. usque ad fol. 76. pag. 1. *Ex Sancti Thoma Aquinatis Libris quatuor De veritate Catholica fidei contra Gentiles, & ex ejusdem Summa Theologia, Capita miscellanea quadraginta quinque*, quorum primum inscribitur atque incipit his verbis: Θωμᾶ Ἀγχίνε λόγοι περὶ τῆς Θείας σαρκώσεως. Ἀντιθέσεις κατὰ τῆς Θείας παρυσίας. Ἀλλ' οἱ τῇ πίςει ἀντικείμενοι τοιαῦτά τινα ἀντεπάγυσι τῇ θεία σαρκώσει. Θεὸς ἔτε σῶμά ἐςιν, ἔτε δύναμις ἐν σώμαλι &c.

Enchiridion etiam *Divi Augustini Hipponensis Episcopi* Græce versum à Demetrio Cydonio, extitit Constantinopoli MS. ut constat ex Catalogo Librorum MSS. in variis ejusdem extantium, qui est ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini, pagina 47. Et apud Joannem Suzi Constantinopoli, ibidem pagina 48.

Idem fertur transtulisse in Linguam Græcam *Alcoranum Turcarum*, itemque fecisse ex Latino Græcum *Librum Richardi cujusdam ex Ordine Fratrum Prædicatorum contra Muhameticam sectam:* de quo Richardi Libro Labbeus agit in Dissertatione Historicâ *De Scriptoribus Ecclesiasticis* quos Bellarminus recensuit, tomo 2. verbo *Petrus Abbas Cluniacensis*, qui etiam in Alcoranum scripsit. Extat Opus istud

istud Manuscriptum in Bibliotheca Cæsareâ Vindobonensi, Codice Manuscripto Theologico Græco CCLIV. num. 2. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 167. his verbis. „Secundò & quidem à fol. 119. pag. 1. usque ad fol. 260. pag. 2. *Richardi Florentini Ordinis Fratrum Prædicatorum*, qui circa annum Christi 1295. claruit, & à nonnullis perperam *Ricoldus* appellatur, *Refutatio Legis Muhammedanæ sive Alcorani, ex Latina in Græcam Linguam à Demetrio Cydonio translata.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Refutationis hæc sunt: Ἀνατροπὴ κεφαλαιώδης τοῦ νόμου Μωάμεθ, ὑπὸ μὲν Ῥικάρδου τινὸς ἐντεθεῖσα λατινικῶς, ὑπὸ δὲ Δημητρίου τοῦ Κυδωνίου ἑρμηνευθεῖσα ἑλληνικῶς. Πόσαι εἰσὶν αἱ ἡμέραι τοῦ δούλου σου; πότε ποιήσεις μοι ἐκ τῶν καταδιωκόντων με κρίσιν &c. Edita est hæc *Alcorani Refutatio* Græcè cum Bartholomæi Piceni de Monte Arduo versione Latinâ, Ferdinando Aragoniæ & utriusque Siciliæ Regi dedicata, Basileæ typis Joannis Oporini anno 1543. in folio & quidem parte secundâ Syntagmatis Theodori Bibliandri Suingliani, quo *Versio Alcorani Muhammedani Latina* studio Petri Abbatis Cluniacensis procurata, simul etiam variorum *contra Alcoranum & impietatem Muhammedanam* scripta uno quasi fasciculo comprehenduntur. Plura *De eadem Richardi Refutatione Alcorani*, & *De Demetrio Cydonio seu Cydoniade*, idem Lambecius Libro 1. Commentariorum hujus Bibliothecæ pagina 145. Cùm porrò diu inter Latinos ille moratus sit atque mentem suam scholasticæ trutinæ applicuisset, variis Sancti Thomæ Aquinatis in Latinam Linguam vertendis Opusculis incubuit: ut qui apud Latinos tanti famâ nominis claruerat, apud Græcos etiam ex Operum interpretatione Græcâ innotesceret. Nam ad eundem Demetrium Cydonium spectat, *Thomæ Aquinatis De præcipuis Religionis articulis Opusculum contra Cantorem Antiochenum*, in Linguam Græcam translatum, Græcè Manuscriptum in eadem Bibliotheca Cæsarea, ut habet Petrus Lambecius tomo 2. Bibliothecæ istius pagina 146. his verbis. „Alterum autem ejusdem *Sancti Thomæ Aquinatis Opusculum contra Psaltem Antiochenum*, continetur ibidem Codice chartaceo in 4. inter Historicos Græcos Manuscriptos XIV. Inscriptio hæc est istius Codicis, Κεφάλαια συντεθέντα περὶ τῶν λόγων τῆς πίστεως παρὰ τοῦ μακαρίου Θωμᾶ τοῦ Ἀκίνου πρὸς τινα ψάλτην Ἀντιοχέα. Atque hæc omnia Opuscula, qui Opusculis Sancti Thomæ Aquinatis eximiè delectabatur, in Hellenicam transtulit linguam Demetrius Cydonius. Extat hic Tractatus inter Opera Sancti Thomæ Aquinatis tom. XVII. Editionis Romanæ anno 1570. in folio. Valeat itaque Frisius cum fictitio suo Thoma Anchino &c.

At longè plura Manuscripta Opera hujus Cydonii extant in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, teste eodem Lambecio tomo seu Libro 5. Commentariorum suorum in hanc Bibliothecam, pagina 321. Extant potissimum Codice MS. Theologico Græco CCLXI. ut habet Lambecius Libro citato pag. 183. his verbis.

„Ducentesimus sexagesimus primus Codex Manuscriptus Theologicus Græcus est chartaceus mediocriter antiquus in quarto, constatque nunc foliis ducentis septuaginta octo, qui primum quidem ad Marcum Mamunam Cretensem, posteà autem ad Joannem Sambucum, ut ipsi solita propriæ manus inscriptione testantur, olim pertinuit. Continentur

Primò & quidem à folio 1. pagina 1. usque ad folium 210. pag. 1. *Demetrii Cydonii Syngramma De processione Spiritus Sancti pro Latinis contra Græcos, compositum rogatu cujusdam amici, & divisum in Capita quinquaginta & unum.* Proœmium istius Operis inscribitur atque incipit hoc modo: Σύγγραμμα τοῦ μακαρίτου κυρίου Δημητρίου τοῦ Κυδωνίου περὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, πρός τινα τῶν φίλων, ἐρόμενον περὶ τούτου. Προοίμιον. Ἐπὶ πολλῶν τῆς σῆς φιλομαθείας καὶ φιλαληθοῦς τρόπου πεῖραν λαβὼν &c. Sequitur deinde caput primum, cujus titulus & principium: Κεφάλαιον α΄. Τίσι δεῖ μαρτυρίαις χρῆσθαι περὶ Θεοῦ διαλεγόμενον. Τὸ μέγα τοῦτο τῆς εἰς Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα πίστεως χρῆμα &c.

Secundò & quidem à folio 210. pag. 1. usque ad fol. 268. pag. 1. Ejusdem *Demetrii Cydonii Apologia, pro Sancto Thoma Aquinate contra Nilum Cabasilam Archiepiscopum Thessalonicensem*, cujus titulus & principium: Τοῦ μακαρίτου κυρίου Δημητρίου τοῦ Κυδώνη κατὰ τῶν συγγραμμάτων τοῦ Καβάσιλα, ἐν οἷς ἐκεῖνος, ὡς ᾠήθη, ἐπελάβετο τοῦ ἁγίου Θωμᾶ τοῦ Ἀγχίνου. Ἡ μὲν κατὰ Λατίνων προθυμία τοῦ ἀνδρὸς τούτου μεγάλη καὶ θαυμαστὴ &c.

Tertiò & quidem à folio 268. pagina 1. & 2. Ejusdem *Demetrii Cydonii Epistola ad Amicum quendam, communicationem proximè præcedentis Libri à se petentem*, quæ inscribitur atque incipit his verbis: Τινὶ τῶν φίλων αἰτήσαντι τὸν λόγον. Τὴν μὲν οὖσαν αἰτίαν εἰ βούλει μαθεῖν τοῦ μὴ μέχρι νῦν ἐλθεῖν σοι τὸν λόγον &c.

Quartò & quidem fol. 268. pag. 2. usque ad fol. 277. pag. 2. Ejusdem *Demetrii Cydonii Epistolæ tredecim*, quarum *prima ad Imperatorem Manuelem Palæologum*, inscribitur atque incipit his verbis: Ἐπιστολαὶ Δημητρίου τοῦ Κυδώνη, τοῦ ἀπὸ Θεσσαλονίκης. Τῷ βασιλεῖ Μανουήλ. Σὺ καὶ ἄρχειν οἶσθα, καὶ ὑπακούειν ἐπίστασαι &c. *Secunda* ad eundem, Τῷ αὐτῷ. Ὁρμῶν

Τι

„τι γράφειν σοι βασιλεῦ, ἵησι μὲν μοι τὴν „παραθυμίαν ἡ λύπη &c. *Tertia* ad eundem, „Τῷ αὐτῷ. Οὐχ οἷον δ' ὅ τι παρ' ἡμῶν ἠδι„κημένος τὴν ἐμὴν ἐλευθερίαν ἠθέλησας ἀφε„λέσθαι &c. *Quarta* ad eundem, Τῷ αὐτῷ. „Οὐχ ὥστε τῶν παραδόξων, ἢ τῶν ἄλλως ἠ„δέων ἀπαγγεῖλαι σοι βουληθεὶς ἐπιστέλλω ταυτὶ, „ἀλλ' ἵνα &c. *Quinta* ad eundem, Τοὺς ταῖς „ἐνεργείαις τάχιστα συνάπτοντας δὶς ἤδη διδό„ναι φησὶ ἡ τῶν Λατίνων σοφία &c. *Sexta* „ad Chium Medicum, Τῷ χίῳ Ἰατρῷ. Καὶ „τὰ παρὰ τῆς τέχνης &c. *Septima* ad Ma„gnum Chartophylacem, Τῷ μεγάλῳ Χαρ„τοφύλακι. Ἔπεμψά σοι τὸν λόγον αἰδὼς με „συκοφαντίας ἐξαιρησόμενον. *Octava* ad Joan„nem Tarchaniotam, Τῷ Ταρχανειώτῃ Ἔ„γημεν ὁ Χρηστὸς Ἀπληστφάρης μιμήσασθαι τὸν „Δαβίδ. &c. *Nona* ad Despotam Theodo„rum, Τῷ Δεσπότῃ Θεοδώρῳ Ἀεί με διὰ „πάντων ἐνεργετῶν &c. *Decima* ad Imperato„rem Manuelem Comnenum, Τῷ βασιλεῖ - „- καὶ αὐτὸς, ὅτι μετὰ λόγε τοὺς λόγους. „*Undecima* ad eundem. Ὁ μὲν Λοῖζος ὡς „εἴρηται &c. *Duodecima* ad eundem, Τῷ αὐ„τῷ βασιλεῖ - - - - νομίσαι τὸ σόφισμα, ἢ εἰ „βούλει &c. *Decima tertia* ad eundem, Τῷ „αὐτῷ - - - - καὶ δέσμα καὶ τυράννους &c. „Notandum autem hic præcipuè est, in ex„hibita superiùs harum tredecim Epistolarum „inscriptione generali, Demetrium Cydoni„um, cognominari τὸν ἀπὸ τῆς Θεσσαλονί„κης: iisque verbis significari, Demetrium „hunc licet *Cydonius* appelletur, *Thessalonicen„sem* revera tamen fuisse, idque testatur Ra„phael Volaterranus *Commentariorum Urbano„rum* Lib. XV. quem suprà adduximus.

Item Codice Manuscr. Theologico Græco CCLXVII. num. 16. ut habet Lambecius Libro quinto Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 210. his verbis. „ Decimo sextò „& quidem à folio 131. pag. 1. usque ad fol. „151. pagina 1. *Demetrii Cydonii Oratio, quâ „demonstratur metum mortis esse irrationalem.* „Ipsa tituli Græci verba cum principio Oratio„nis hæc sunt: Δημητρίε τῦ Κυδώνη λόγος „ὅπως ἄλογον τὸ τῦ θανάτε δέος ἀποδεικνύων. „Τὸν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τῦ σώματος χωρισμὸν „&c. Edidit quidem hanc Orationem Græce „& Latine Valentinus Thilo in Variorum „Authorum veterum *Compendio Vitæ & Mor„tis* impresso Basileæ typis Conradi Waldkir„chii anno M DLXXXVI. in octavo. Sed o„peræ pretium fuerit editionem illam ob va„riantes lectiones cum hoc Codice MS. Cæsa„reo accurate conferri. Extat quoque inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 1840. in Manuscripto Collegii Etonensis Codice 42. *Cydonii Oratio de metu mortis irrationabiliter*, Græce in fol. Jam redeamus ad Cæsaream illam, quam reliquimus bibliothecam.

Decimo Septimò & quidem à fol. 152. pa„gina 1. usque ad fol. 184. pag. 1. Ejusdem„ *Demetrii Cydonii Oratio in Annuntiationem beatissi„ma Virginis Deiparæ*, cujus titulus & princi„pium: Δημητρίε τῦ Κυδώνη λόγος εἰς τὸν„ Ἐυαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκε ὃ μὲν„ ἐπ' Ἐκκλησίᾳ ἀναγινωσκόμενος, διὰ τὸ τῇ„ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἀποδοκιμασθῆναι. Ὅσαι„ τῶν πόλεων βέλονται τοῖς βασιλεῦσι χάριν ἐκ„τίνειν, ὧν ἐνεργέτηνται &c. „

Denique ibidem in eodem Codice CCLXVII.„ num. 32. ut habet ibidem Lambecius pagina„ 214. his verbis. Trigesimo secundo & qui„dem fol. 404. pagina 1. & 2. *Demetrii Cydonii*„ *Epistola ad Nicolaum Cabasilam*, cujus titulus„ & principium: Ὁ Κυδώνης τῷ Καβάσι„λα Τὴν μὲν ἔσαν αἰτίαν εἰ βέλει μα„θεῖν τῦ μὴ μέχρι νῦν ἐλθεῖν σοι τὸν λό„γον &c.„

Ejusdem *Demetrii Cydonii Liber De execrandis Dogmatibus Gregorii Palamæ*, in quo omnes illius hæreses ex Scriptis ejus excerptas recenset. Itemque *Liber De processione Spiritus Sancti in capita tredecim distinctus*, prodierunt Græce & Latine à Petro Arcudio Corcyrensi editi, inter Opuscula Aurea, quæ cum Notis Romæ anno M DC XXX. in 4to evulgata sunt. Sed Opusculum istud *De processione Spiritus Sancti*, aliud est ab eo, quod Manuscriptum in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi asservatur. Editum enim ab Arcudio capitibus tredecim completur brevissimumque est, istud autem Capita quadraginta & unum continet, valdeque prolixum est. In Lugduno-Batava nostra Bibliotheca, inter Codices emptos ab hæredibus Isaaci Vossii: Codice 129. num. 10. Gabrielopuli ad Cydonium & Cydonii ad Gabrielopulum Epistola cum Canonibus ad captandas umbras æquales & inæquales.

Agunt *De Demetrio Cydonio* Joannes Cantacuzenus Imperator in *Historia* Lib. 4. cap. 16. Raphael Volaterranus Libr. XV. Anthropologiæ pag. 573. Conradus Gesnerus vel ejus Abbreviator *in Epitome Bibliotheca* pagina 189. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro.* Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 1332. num. 5. & ad annum 1355. num. 7. Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, tomo XXI. Dissertatione 6. art. 6. pag. 813. Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum *Bibliotheca Cæsarea Viennensis* pag. 145. 146. 147. Libro 5. eorundem pagina 167. atque à pag. 183. ad 186. pag. 210. & 214. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 320. & 366.

CALLISTUS PRIMUS PATRIARCHA 1350
CONSTANTINOPOLITANUS, primum

Montis Atho Monachus, Cœnobii Iberorum sodalis, fervente adhuc inter Palæologum & Cantacuzenum bello, a Monachis legatus est Constantinopolim, ut pacem suaderet, ubi ab Anna Imperatrice & Joanne Patriarcha, velut Cantacuzeno nimium favens, male exceptus est. Anno autem 1349. vel 1350. Patriarcha Constantinopolitanus a Joanne Cantacuzeno rerum potito & Imperatore renuntiatus est, cujus Patriarchatum male refert ad annum 1354. Henricus Warthonius in Supplemento *Scriptorum Guillelmi Cavi*, ad annum 1354. pagina 46. Multo magis errat Marquardus Freherus, qui in Chronologia sua Patriarchatum a Callisto inchoatum ad annum 1360. refert. Anno enim 1351. præsedit Concilio Constantinopolitano contra Barlaamum & Gregorium Acindynum convocato, cui cum plurimis aliis Archiepiscopis & Episcopis subscripsit, de quo postea dicemus. Extant sub nomine *Callisti Patriarchæ Constantinopolitani*, *Orationes tres* Græce MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CXI. num. 13. ut habet Petrus Lambecius Libr. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 62. his verbis. „Decimo tertio & quidem a folio 191. pagina 1. usque ad fol. 196. pag. 2. *Callisti Patriarchæ Constantinopolitani Oratio in Obdormitionem seu Assumptionem Beatissimæ Virginis Deiparæ*, hactenus quod ego sciam nondum edita, cujus titulus & principium: Τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Κυρίου Καλλίστου Ὁμιλία εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. Μέγα καὶ παράδοξον, Ἀδελφοὶ, καὶ πάντων οὐχ ἡμῶν μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ τῆς τῶν Ἀγγέλων αὐτῶν φύσεως ὑπερβαῖνον πάντα καὶ νοῦν καὶ διάνοιαν, ἐκτετέλεσται σήμερον &c. Τὰ γὰρ ὑπὲρ φύσιν τελούμενα &c. Decimo quarto & quidem a folio 196. pag. 2. usque ad fol. 204. pagina 2. *Ejusdem Callisti Patriarchæ Constantinopolitani Oratio in decollationem Sancti Joannis Baptistæ*, cujus titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ Ὁμιλία εἰς τὴν ἀποτομὴν τῆς κεφαλῆς τῆς τιμίου Προφήτου, Προδρόμου καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου. Πάλιν ἑορτὴ, Ἀδελφοὶ, καὶ πάλιν πανήγυρις, πάλιν συνδρομὴ στιχηδὸν &c. Decimo quintò, & quidem a fol. 204. pag. 2. usque ad fol. 212. pag. 1. *Ejusdem Callisti Patriarchæ Constantinopolitani Oratio in exaltationem Sanctæ Crucis*, cujus titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὴν ὕψωσιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ. Ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, βουλόμενος δεῖξαι πρὸς ἡμᾶς τὴν ἄκραν αὐτοῦ ἀγάπην καὶ ἀγαθότητα &c. Orationem hanc unicam ex hoc Codice MS. Cæsareo primus Græce & Latine in lucem edidit Jacobus Gretserus tomo 2. Operis *De Sancta Cruce*, a columna 1347. ad columnam 1364. Editionis Ingolstadiensis Ederianæ, anni 1616. in folio." Inter Opera quoque Callisti Patriarchæ Constantinopolitani reponimus, Concilium Constantinopolitanum ipso præside anno 1351. habitum in Blachernis, quo Barlaamus Calaber & Gregorius Acindynus damnati sunt: quod MS. extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCLXVI. num. 15. ut habet Petrus Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 102. his verbis.

„Decimo quintò & quidem a fol. 318. pag. 1. usque ad fol. 353. pag. 2. *Tomus condemnationis Sectatorum Barlaami Calabri & Gregorii Acindyni, à Synodo Constantinopolitana in Palatio Blachernensi habita, compositus & editus anno mundi secundum vulgarem Ecclesiæ Constantinopolitanæ supputationem 6859. sive Anno Christi 1351. mense Augusto Indictionis quarta, nec solum Callisti Patriarchæ Constantinopolitani aliorumque multorum Metropolitarum, verum etiam ipsorum Imperatorum Joannis Cantacuzeni & Joannis Palæologi Subscriptionibus confirmatus.* Ipsa tituli Græci verba cum principio tomi hæc sunt: Τόμος ἐκτεθεὶς παρὰ τῆς θείας καὶ ἱερᾶς Συνόδου, τῆς συγκροτηθείσης κατὰ τῶν Φρονέντων τὰ τοῦ Βαρλαὰμ τε καὶ Ἀκινδύνου, ἐπὶ τῆς βασιλείας τῶν εὐσεβῶν καὶ ὀρθοδόξων βασιλέων ἡμῶν Καντακουζηνοῦ καὶ Παλαιολόγου. Οὕτε τὴν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας τοῦ κοινοῦ πολεμίου μανίαν ἀγνοεῖν νομίζομεν, οὔτε τὴν παρὰ τοῦ Σωτῆρος ῥοπὴν &c. In fine autem judicatur tempus compositionis & promulgationis ejusdem Tomi his verbis: Ἔτους ςωνθ' κατὰ μῆνα Αὔγουστον τῆς δ' ἐπινεμήσεως ἐγένετο ὁ Τόμος. Sequuntur deinde ibidem subscriptiones Imperatorum Joannis Cantacuzeni Joannis Palæologi, ut & Patriarchæ Constantinopolitani Callisti & variorum Metropolitarum, nec non præcipuorum Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sanctæ Sophiæ Ministrorum; quarum notitia cum Historiæ illorum temporum multum lucis afferat, eos hic integras subjungo. Εἶχε (ὁ Τόμος) καὶ ὑπογραφὰς δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων, τῶν Βασιλικῶν καὶ θείων χειρῶν, τό.

Ἰωάννης ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστὸς Βασιλεὺς καὶ Αὐτοκράτωρ τῶν Ῥωμαίων, ὁ Καντακουζηνός. καὶ

Ἰωάννης ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστὸς βασιλεὺς καὶ Αὐτοκράτωρ τῶν Ῥωμαίων ὁ Παλαιολόγος.

Ἀλλὰ δὲ καὶ τὴν τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου.

Κάλλιστος ἐλέῳ Θεοῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Νέας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης.

Εἶτα τὰς τῶν ἱερωτάτων Ἀρχιερέων.

ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἡρακλείας, Πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων καὶ Ἐξαρ-

ἀρχος πάσης Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας, Φιλόθεος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Θεσσαλονίκης, ὑπέρτιμος καὶ Ἔξαρχος πάσης Θετταλίας Γρηγόριος.

Ὁ Κυζίκου Ἀρσένιος ὁρίσας ὑπέγραψα.

Ὁ Μητροπολίτης Φιλαδελφείας, ὑπέρτιμος καὶ Ἔξαρχος πάσης Λυδίας, καὶ καθολικὸς Κριτὴς τῶν Ῥωμαίων, Μακάριος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Χαλκηδόνος, ὑπέρτιμος ϗ Ἔξαρχος πάσης Βιθυνίας Ἰάκωβος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Μελενίκου, ὑπέρτιμος καὶ καθολικὸς Κριτὴς τῶν Ῥωμαίων, Μητροφάνης.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἀμασείας ϗ ὑπέρτιμος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ποντοηρακλείας, ϗ ὑπέρτιμος Μεθόδιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Πηγῶν ϗ Παρίου, ὑπέρτιμος, Γεώργιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Βεῤῥοίας, ὑπέρτιμος καὶ τὸν τόπον ἐπέχων Τυάνων, Διονύσιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Τραπεζοῦντος καὶ ὑπέρτιμος, Νίφων.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Τραιανουπόλεως, ὑπέρτιμος καὶ Ἔξαρχος πάσης Ῥοδόπης, Γερμανός.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Σηλυβρίας, ὑπέρτιμος ϗ τὸν τόπον ἐπέχων Κοτυαείου, Ἡσαΐας.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἄπρω, ὑπέρτιμος ϗ τὸν τόπον ἐπέχων τῶν Εὐχαΐτων, Γαβριήλ.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἀμάστριδος, ϗ ὑπέρτιμος Καλλίνικος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Αἴνου, ϗ ὑπέρτιμος Δανιήλ.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Σουγδαίας, ϗ ὑπέρτιμος Εὐσέβιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Βρύσεως, ϗ ὑπέρτιμος Θεοδώρητος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Μαδύτων ϗ ὑπέρτιμος Ἰάκωβος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Βιζύης, ϗ ὑπέρτιμος Νεόφυτος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Γαρέλλης ϗ ὑπέρτιμος, Ἰωαννίκιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Μηδείας ϗ ὑπέρτιμος, Εὐθύμιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Τενέδου ϗ ὑπέρτιμος, Ἰωσήφ.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Καλλιουπόλεως, ϗ ὑπέρτιμος Ἰωσήφ.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἐξαμιλίου.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Σωζοπόλεως, Θεοδόσιος.

Ἦσαν ϗ διὰ γνωμῶν οὗτοι, ὁ Ἀδριανουπόλεως, ὁ Χριστουπόλεως, ὁ Διδυμοτείχου.

Παρῆσαν τῇ Συνόδῳ ϗ Ἐπίσκοποι.

Τοῦ μὲν Ἡρακλείας, ὁ Πανίου, ὁ Χαριουπόλεως, ὁ Παμφίλου, ὁ Ἀθύρας.

Τοῦ δὲ Θεσσαλονίκης, ὁ Καμπανίας.

Τοῦ Σάρδεων, ὁ Σινάου. Τοῦ Τραιανουπόλεως, ὁ Ἐλευθερουπόλεως.

Διαλαθόντα τὰ ἑξῆς δύο, ὕστερον προσετέθη.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Διδυμοτείχου, καὶ ὑπέρτιμος Θεόληπτος.

Ὁ Λιτίτζης Μητροπολίτης, βεβαιῶν ὑπέγραψα.

Αἱ Ὑπογραφαὶ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν.

Ὁ μέγας Χαρτοφύλαξ τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας, καὶ ὕπατος τῶν Φιλοσόφων, ὁ Ἄμπαρις.

Ὁ μέγας Σκευοφύλαξ, Εὐθύμιος, ὁ Ἀπόκαυκος.

Ὁ Σακελλίου τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας καὶ Ἀρχιδιάκονος, Μιχαὴλ ὁ Καβάσιλα.

Ὁ Ῥαιφερενδάριος τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας, Μανουὴλ ὁ Σίλβεστρος.

Ὁ ἐπὶ τῶν Δεήσεων τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας, Θεόδωρος Διάκονος ὁ Περδίκης.

Ὁ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς καταστάσεως τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας, Μιχαὴλ Διάκονος ὁ Μανιάκης.

Ὁ Ἄρχων τῶν Μοναστηρίων, Διάκονος ὁ Χωνειάτης.

Meminit hujuſce Tomi ipſe Imperator Joannes Cantacuzenus *Hiſtoriæ Byzantinæ* Lib. 4. cap. 23. ubi refert tres diverſas Synodos contra Barlaamum & Azindynum, eorumque ſectatores Conſtantinopoli eſſe habitas, totidemque tomos condemnationis contra eosdem eſſe editos, quorum ille de quo in præſens agitur, tertius fuerit. Cæterùm quid Latini de Synodis illis & Tomis Græcorum contra Barlaamum & Acindynum habitis atque editis cenſeant, videre potes apud Leonem Allatium Lib. 2. *De Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ perpetuo conſenſu* cap. 16. & 17. & apud Philippum Labbeum Societate JEſu, *in Synopſi Hiſtorica Conciliorum omnium* anno 1347. & *in Chronologia Eccleſiaſtica Vniverſali*, ad annum 1350. Jam ut ad Calliſtum Patriarcham Conſtantinopolitanum a quo tantiſper aberravimus, redeamus: cum anno circiter ineunte 1354. a Cantacuzeno Imperatore ut Matthæum filium primogenitum imperiali corona indueret, rogatus eſſet: Cantacuzeni exceſſum atque in poſteris imperandi libidinem effrænem admiratus, obſequium ad id ſuum denegavit, cujus ut irati furorem declinaret, in Xamantis Monaſterium ſeceſſit.

Cum-

Cumque sibi timens a Cantacuzeni insidiis, ad munus Patriarchale redire renuisset, substituto ipsi Philotheo antea Heracleæ in Thracia Metropolita, Patriarchatu submotus est. Joanne autem Palæologo paulo post rerum potito, sedi suæ restitutus est, atque anno sequente 1356. ad Elisabetham Cralis Serviæ Principis Viduam, pacis confirmandæ causa legatus, illic apud Pheras Serniorum Metropolim diem supremum obiit. Agunt *De Callisto Patriarcha Constantinopolitano* Lambecius Libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 62. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 227. & 258. Libro 5. eorundem pag. 202. & 205. atque in Catalogo Scriptorum hujus Libri pag. 319. quem hic ob singularia exscripsimus.

1350 MATTHÆVS CANTACVZENVS Joannis Cantacuzeni Imperii Orientalis usurpatoris filius fuit, qui patrem quem sangvine attigerat, moribus quoque, scientia atque ambitione expressit. Joanne porro Cantacuzeno ad Imperium Orientale elevato, ad annum 1345 ut in *Joanne Cantacuzeno* supra diximus: Matthæo filio ad summa quæque Imperii munera & officia promptus gradus fuit, in quem ut in dilectam progeniem propendebat impense pater. Joanne itaque Cantacuzeno sollicitante atque omnia gubernante, nupsit Matthæus Cantacuzenus splendide. Nupsit quoque filiæ Cantacuzeni Joannes Palæologus imperator, quem in subjectione tenebat hic usurpator, ut hac matrimonii sorte, jus amplius Matthæo postea ad Imperium obtinendum accederet. Nec hujus rei fortuna contentus Joannes, ut scelus sceleri adiungeret, videns se a legitimo ejus Domino Joanne Palæologo jam adolescente, vehementer urgeri: anno 1354. etiam Matthæum filium suum æque Imperatorem proclamari & coronari curavit. Eo namque tempore ingentem terræ motum contigisse, ipse hæc prolixe narrans Lib. 4. *Historiæ Byzantinæ* capp. 37. & 38. ac de more gestorum suorum æquitatem prædicans, scribit. Memorans etiam quomodo Callistus Patriarcha, quod Matthæi coronationi & electioni consensum præbere noluerit, abdicatus fuerit: Philotheo Heracleæ Archiepiscopo in ejus thronum suffecto, qui Matthæum coronavit. Matthæus autem Joannis Cantacuzeni filius, ab hinc se quoque pro Imperatore gerens, a Palæologo confestim armis impeditus, atque in arctum redactus: post aliquantum inter eos transactam conventionem, revocata mox dissentione, imitatus patrem, cum Turcorum auxilia evocasset: in quadam fuga apud Philippos in paludo latitans, & a canibus venatoriis quæsitus captusque, certo auri pretio a Principe Triballorum venditus est Joanni Palæologo. Vt frater uxoris suæ, humaniter ab eo tractatus est, abnuente acquiescere suis omnibus, qui eum excæcari suadebant, ne quid deinceps turbarum moliri posset. Inde Matthæus in Lesbum deportatus est, paulloque post instante eius patre Cantacuzeno jam Monacho liber factus, & in amplissimo conventu Imperatoris, & Patriarcharum Constantinopolitani & Hierosolymitani, aliorumque Episcoporum, totiusque Senatus, omni viri Imperii ejusque insignibus cedens, proximos Imperii honores obtinuit: ita ut & filios Imperatoris, Andronico primogenito excepto, præcederet. Quæ quidem omnia, licet præsenti anno 1355. gesta esse non constet, quinimo & ultra biennium producta esse non dubitemus: sub unum tamen conspectum a nobis proposita sunt, ne forte incertiori loco exhibentes, magis a vero cum nonnullis aliis, qui distinctius de his agere præsumpserunt, aberraremus. Quomodo autem ex se habuerint, longiori narratione idem Cantacuzenus prosequitur libro 4. *Historiæ* cap. 42. usque ad 50. de rebus suis, filiorumque suorum magnifice semper loqui gestiens. Extant vero Matthæi Cantacuzeni Joannis filii *Commentarii in Cantica Canticorum* Romæ Græce & Latine editi anno 1624. in fol. ex typographia Stephani Paulini, cura & studio Vincentii Richardi Clerici Regularis, ex duobus MSS. Codicibus, altero suorum Clericorum Regularium, & altero Joannis a sancta Maura, quem ex Insula Creta attulerat. Extat quoque MS. Græce inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 294. in Manuscriptis Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 115. pag. 1. ad 88. Recensenturque alii ejusdem MSS. *Commentarii in Sapientiam Salomonis ac monita salutaria quædam:* quæ ipsum scripsisse post otium ab Imperio, probabile est. Hoc MS. Græce extat in Bibliotheca Monasterii Pathmos, ex Catalogo ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini, pag. 42. Hæc nimirum Deus, utrique patri & filio otia contulit, quibus laudabilius quam imperandi libidine, nomina sua posteritati consecrarunt. Joannem vero Cantacuzenum etiam in Monachatu positum, cum Matthæo filio in Imperatorem conspirasse, & præsto filio in bello fuisse, pro certo habitum, Joannes Villanius narrat, Lib. 4. cap. 46. Quod ipse, si quidem verum fuerit, Cantacuzenus dissimulat ac studio pacis componendæ contegit: haud tamen abnuens, quin uxor ipsius Eugenia Monacha ejusmodi proditionis insimulata fuerit. Sed de istis modo satis, ex Spondano. Agunt *De Matthæo Cantacuzeno*, Scriptores fere omnes *Annalium Ecclesiasticorum*, seculo XIV. Joannes Cantacuzenus Lib. 4. *Historiæ* capp. 37. & 38. Joannes Villanius Lib. 4. *Historiæ* cap. 46. Henricus Spondanus in suis *Annalibus Ecclesiasticis* Baronium continuantibus, ad annum 1354. num. 20. & ad annum 1355. num. 6. quem hic exscripsimus.

JOANNES DE RVPESCISSA, natione Gallus fuit, professus Ordinem fratrum Minorum

rum in provincia Aquitaniæ, Custodiæ Ruthenensis, quem eximie commendant Joannes Trithemius, Villotus & alii Scriptores rerum Franciscanarum, Spiritu prophetiæ clarior, quam felicior fuit, inquit Lucas Waddingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 225. Etenim non ab Innocentio VI. conjectus est in carcerem, ut male ibidem Lucas Wadingus habet, sed a Clemente VI. Neque hoc contigit anno 1357. ut idem perperam in suis *Annalibus Minorum* ad dictum annum num. XV. scribit: sed anno 1348. vel 1349. ut ex argumentis infra allegandis patebit. *Conjectus ergo in carcerem quod vitia illius temporis aliquanto acrius perstringeret, & imminentia vindicta divina supp.itia vehementius prænuntiaret. Quid de hoc homine sentiendum hac in re, & quid illius temporis dixerint authores, alias diffusius examinabimus tomo 4. anno 1357. num. 15. Multa quidem vaticinatus est, quorum clarus eventus divinum quiddam in homine latuisse, probavit.* Hæc verbotenus Lucas Waddingus in *Scriptoribus Minorum* loco citato. Modicum refert, fueritne verus an falsus propheta, Joannes de Rupescissa, quem ego fuisse Prophetam valde imprudentem arbitror. Amant equidem prophetiæ donum Summi Reges & Principes, sed dummodo Prophetæ fausta atque grandia personis suis, statibus, ditionibus, negotiationibus, bellicis expeditionibus prænuntient. Idem amant & summi Ecclesiæ Pontifices, quibus cum dira atque incommoda præfaretur Joannes de Rupescissa, quid mirum, quod ab illis in carcerem, duraque vincula conjectus sit? Fuisset illi longe felicior prophetiæ spiritus etiam mendax, si læta fortunataque præcinuisset, quam prophetia verax, atrocia atque luctuosa prænuntians. Si prudens extitisset, zelum ille suum occultasset, bilem compressisset, revelationes suas indoli Romanorum Pontificum adaptasset, a quibus haud dubie aliud omnino quam carcerem accepisset. Jam satis Minoritam prophetam vidimus, ad illius scripta veniamus. Composuit Opus satis prolixum infelix propheta, nempe *Commentarium super Prophetiam Cyrilli Eremitæ*, qui extat MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 5695. sub hoc titulo. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, incipit Commentum super Prophetiam Cyrilli Eremita Presbyteri, simul cum Commento Joachim, editum a fratre Johanne de Rupescissa, Ordinis fratrum Minorum.* Incipit, *Omnipotentis Jesu Christi misericordiam & auxilii lumen vivificum, & intervenditum postulando, ad arcana Mysteria* &c. Edidit & aliud Opusculum per formam Epistolæ ad Guillelmum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, in vinculis scriptum & inscriptum, *Visiones seu Revelationes Joannis de Rupescissa*, MS. in celebri Bibliotheca Colbertina Codice 4356. cujus hic titulus: *Reverendissime in Christo Pater & Domine, Domine Guillerme sacrosancta Romana Ecclesia Cardinalis, titulo Quatuor coronatorum. Ego frater Johannes de Rupescissa Ordinis fratrum Minorum, provincia Aquitania, Custodia Ruthenensis, & conventus Aurelbiaci. Ad mandatum vestrum descripsi seriem notabilium eventuum futurorum, mihi in carceribus apertorum, prout melius & verius, potero recordari.* Incipit liber. *Modus revelandi fuit iste. Cum anno Domini 1345. multis diebus flerem vinctus ferro, in carcere Suni, in Conventu Figiaci, stupens & mirans, quare cum tanta crudelitate missus essem per fratrem Guillelmum Farmena tunc Ministrum. Aquitania, in carcerem* &c. ad calcem Operis: *Scripta sunt hæc per me fratrem Johannem de Rupescissa, Ordinis fratrum Minorum, provincia Aquitania, Custodia Ruthenensis, conventus Aurellaci, in Romana curia, in Avenione, in carcere Domini Papa Clementis sexti, Pontificatus sui anno octavo: qui carcer vocatur* Carcer Soldani, *anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi M CCC XLIX. in mense Novembri, in festo sancti Martini, ad gloriam Dei. Amen.* Hinc clare apparet, hunc Prophetam fuisse semel atque iterum in carcerem conjectum, nimirum apud Minoritas Figiacenses, & Avenione in carcerem *Soldani* ut vocant. Secundo non fuisse conjectum in carcerem anno 1357. ut vult Waddingus, sed anno 1345. vel 1344. primum, deinde iterum anno 1349. quod infausta Romanæ Ecclesiæ vaticinaretur. Tertio, non vexatum fuisse ab Innocentio VI. sed a Clemente VI. ut Spiritum suum Prophetiæ extingveret, qui huic Pontifici non arridebat. Denique verisimile valde est, conjectum quoque fuisse in carcerem, Joannem de Rupescissa ob suum *Commentarium in Prophetiam Cyrilli Presbyteri & Eremita*, ubi multa contra Romanæ Sedis Antistitem mentem & gloriam exposuisse dicitur. Denique scripsit *Libros duos de quinta essentia*, qui extant MSS. in celebri Bibliotheca Colbertina Cod. 1412. cujus hæc inscriptio: *Incipit Liber primus De consideratione quinta essentia omnium rerum, tradendus pauperibus & Evangelicis viris, servis Jesu Christi, a Magistro Johanne de Rupescissa sacra Theologia professore compositus.* Liber 1mus Dixit Salomon Sapientiæ capitulo 7. Deus dedit mihi horum scientiam veram, quæ sunt &c. Liber 2dus De remediis generalibus quintæ essentiæ. *Licet primus liber, qui est de consideratione quinta essentia, tanta virtutis* &c. Opus autem egregium Joannis de Rupescissa *De consideratione quinta essentia duobus libris distinctum*, Basileæ anno 1561. editum est, de quo loquitur Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneriana* pag. 492. ubi tamen egregie fallitur, dum ait eum floruisse anno 1240. cum anno 1340. vel 1350. vixerat, nisi mendum quoddam typographiæ fuerit. Præclara nostroque instituto convenientia habet de illo Stephanus Baluzius Tutelensis in *Vitis Paparum Avenionensium* col 602. & in Notis ad *Vitas Paparum Avenionensium* col. 942. his verbis, Johannes de Rupescissa Jean de la Rochefaillade, ut eum vocat Froissartus vol. 1. cap. 211. ubi de eo magnifice loquitur, „de quo

„& vide Continuatorem Nangii pag. 822. in „tomo XI. *Spicilegii Dacheriani*, Waddingum „an. 1357. §. 15. & Spondanum an. 1356. pa„ragr. 20. Illius *Revelationes seu Prophetia* ex„tant in Codice 4356. Bibliothecæ Colberti„næ, ex quo constat, hunc librum ab eodem „Johanne scriptum esse jussu Guillelmi Curti „Presbyteri Cardinalis Sanctorum quatuor Co„ronatorum. Sic enim incipit: *Reverendissime „in Christo Pater & Domine* &c. ut supra. Idem „scripsit librum inscriptum, *Vade mecum in tri„bulatione*, cujus meminit Continuator Nangii, „habeturque etiam in Codice 4650. bibliothe„cæ Colbertinæ. Item librum *De consideratio„ne quinta essentia*, qui extat in Codice 3412. „ejusdem Bibliothecæ. Item librum *De famula„tu Philosophia ad Theologiam* seu *Evangelium*, „qui reperitur etiam inter MSS. Codices Bod„leianæ bibliothecæ Codice 1644. in Manuscri„ptis Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 43. „num. 6. & in Codice 3987. Colbertinæ Biblio„thecæ. Præterea varia fragmenta Revela„tionum ejus reperiuntur in Codice 2835. & „in Codice 3786. ubi leguntur extracta ex vi„sionibus Johannis de Rupescissa, per Magistrum „Lucam de Molendinis, Doctorem in theologia. „Nescio autem, undenam Cæsar Nostradamus „accepit illum anno MCCCLXII. Avenione „publice combustum fuisse judicio Papæ. Ita „enim scribit in *Historia Provincia* pag. 411. „Post mortem sepultus est in Conventu Ordi„nis sui apud Villamfrancam in diœcesi Lugdu„nensi, in quo regulam sancti Francisci profes„sus fuerat, ut docet Jacobus Fodera in histo„ria Provinciæ sancti Bonaventuræ pag. 318. 322. Et in Additionibus ad istas notas col. 1430. & 1434. In *fasciculo Rerum expetendarum & fugiendarum*, qui Londini anno 1690. apud Richardum Chiswell 2. in folio voluminibus editus, extat tomo 2. *Prophetia Johannis de Rupescissa, Ord. Minorum provincia Aquitania, Custodis Ruthenensis & Causidici Aureliaci, in Romana curia Avenione capti, in carcere Papa Clementis VI. pontificatus sui anno 8. qui carcer vocatur Carcer Soldan A. C. 1349.* Ejusdem authoris liber inscriptus, *Vade mecum in tribulatione*, pag. 494. ad 518. qui prodeunt ex fasciculo Crasharii continente varia scripta Romanæ Ecclesiæ opposita, quem Manuscriptum possidet Gulielmus Asheton, a quo illum Brown mutuo accepit. Vide Joannem Froissartum Vol. 1. cap. 211. ubi eum vocat *Johannem de la Rochetaillade*, ac de eo magnifice loquitur. Continuatorem Nangii pag. 822. in tomo XI. *Spicilegii Dacheriani*. Wadingum anno 1357. §. 15. Et Spondanum anno 1356. §. 20. Usque ad annum circiter 1360. vixisse creditur, nisi ante hunc annum, Franciscanum hunc vatem carcere quo detentus est, extinxerit. De illo paucis Antonius Possevinus, post Gesnerum & Simlerum allatos, tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 936. plura dabit curiosis Joannes Wolphius *Lectionum Memorabilium* Vol. 1. ad annum 1340. pagg. 623. 624. 625. Lucas Waddingus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum*, pag. 225. Hujus quoque meminit Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum*, quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, columna 124. ubi recte eum non anno 1240. sed 1340. vixisse annotat. *Acta Eruditorum Lipsiensia*, ad annum 1691. mense Martio pag. 139.

NICOLAUS ROSELLI, S. R. ECCLE- 1350
SIÆ PRESBYTER CARDINALIS, ex provincia Cataloniæ oriundus, quem Tarracone natum vult Ciacconius, alii autem Catalanum tantum absque ulla loci natalium speciali mentione, enuntiant. Hic ab adolescentia professus Ordinem fratrum Prædicatorum, paucis post annis Magister in sacra Theologia renuntiatus, postea Catalaniæ Conventuum sui Ordinis provincialis, tum sanctæ fidei in his partibus inquisitor factus est. Inde ob officium eximie impletum, ab Innocentio VI. in Italiam evocatus, anno 1356. mense Decembri Presbyter Cardinalis tituli sancti Sixti creatus est. Illic *Gesta Romanorum Pontificum* grandi volumine complexus est, cujus exemplar tineis sulcatum, vidit Romæ in Bibliotheca Collegii Capranicensis, Ludovicus Rupispezius Pictaviensis Episcopus, præter alia duo exemplaria integra, quæ in bibliotheca Vaticana asservantur. Habetur in eodem volumine Collegii Capranicensis, ejusdem *Commentarius De quadruplici Jurisdictione Romana Ecclesia in Regnum Sicilia*. Obiit anno 1362. sepultus Majoricis in Conventu seu Ecclesia fratrum Prædicatorum. Hujusce rei testes fide idoneos & qui oculis Opera Nicolai Roselli conspexerint. Hic in medium verbotenus ad inconcussam fidem allegari convenit, Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1073. num. 15. „Habet Vaticana Bibliotheca res gestas Gregorii Pa„pæ VIII. seorsim scriptas ab Auctore ejusdem„ temporis, quas Nicolaus Arragonius in *Com„mentario, quem de Romanis Pontificibus* scripsit,„ incipiens a Leone IX, ut se habent, intexuit.„ Idem anno 1097. num. 136. de eodem hæc ha„bet. Ejusdem vero Innocentii Papæ VI.„ temporibus, Nicolaus de Arragonia S. R. Ec„clesiæ Cardinalis, *Commentarium scripsit de ju„risdictione quadruplici demonstrata Romana Eccle„sia in Regnum Sicilia*. Extat volumen antiqui„tus scriptum in Vaticana bibliotheca, una cum„ aliis ejusdem Auctoris Commentariis.„ Henricus Ludovicus Castaneus de Rupepozæa, Episcopus Pictaviensis in *Nomenclatura S. R. Ecclesia Cardinalium*, qui ab anno 1000. Christi hucusque quippiam commentati sunt, pag. 62. editionis 1614. Tolosæ in 4to apud Dominicum de la Case. „Nicolaus Roseel seu Roselli Tarraconensis, Hispanus, Ordinis Prædicatorum„ Cardinalis, antiqua Pontificum Romanorum„ gesta prægrandi volumine complexus est, cu„„jus

„jus exemplar tineis sulcatum, Romæ vidi in „Bibliotheca Collegii Capranicensis, præter alia „duo exemplaria, quæ in Bibliotheca Vatica„na servantur. Eodem etiam volumine *Com„mentarius habetur de quadruplici jurisdictione Ec„clesiæ Romanæ in Regnum Siciliæ.* Obiit anno „1362. sepultus Maioricis in Ecclesia Prædica„torum. Denique Ludovicus Jacob a sancto Carolo, Gallus, Cabilonensis, Ordinis fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, in *Bibliotheca Pontificia*, quam anno 1643. Lugduni in 4. imprimendam curavit, lib. 2. littera N. pag. 405. hæc habet. „Nicolaus Rossellius Tarraconensis, „Arragonius, unde vulgo dictus *de Arragonia*, „Ordinis fratrum Prædicatorum Theologus, „ex Provinciali & Inquisitore Generali Arra„goniæ, S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tit. „sancti Sixti, deinde Sanctæ Sabinæ, scripsit *Ro„manorum Pontificum Vitas*, quæ extant MSS. in „Bibliotheca Sfortiana Romæ, in Vaticana et„iam Codice 498. ac in ipsa Bibliotheca Collegii „Capranicensis. Obiit anno salutis 1362. 5. „Kalendas Aprilis sub Innocentio Papa sexto, „sepultus Maioricis in Ecclesia fratrum Prædi„catorum. Hoc ad fidem Operum istorum indubiam. Extat ejus Collectaneum insigne inter MSS. Codices Cortonianæ in Anglia bibliothecæ sub effigie Neronis littera C. Codice 2. pag. 51. col. 2. in quo nulla ex diversis collegit spectantia ad temporale Dominium Ecclesiæ Romanæ, hac ordine.

1. Infeudatio regni Siciliæ per D. Clementem Papam IV. D. Carolo S. Ludovici Franciæ Regis filio, cum conditionibus & pactis diversis, facta Perusii 2. Nonas Novembris, indictione IX. An. Domini 1265. Pontificatus anno primo.

2. Modus faciendi homagium D. Papæ de regno Siciliæ, quando conferrur Regi.

3. Tractatus de jurisdictione & titulis Ecclesiæ super regnum Apuliæ & Siciliæ.

4. Litera Domini Caroli Regis Siciliæ, missa D. Gregorio Papæ IX. super solutione census pro regno Siciliæ.

5. Forma confirmationis factæ per D. Bonifacium I. Papam super tractatu pacis inter spectabiles viros; D. D. Carolum de Francia, Comitem Alensonensem, Robertum primogenitum illustris Regis Siciliæ, Ducem Calabriæ, ex una parte, & R. Fridericum ex altera, super insula & regno Siciliæ, & jure, quod Ecclesia habet in eisdem.

6. Responsio D. Bonifacii Papæ VIII. facta D. Carolo, Regi Siciliæ, super successione dicti regni.

7. Litera quam D. Carolus Rex Siciliæ misit D. Clementi Papæ IV. super dilatione solutionis census debiti.

8. Infeudatio facta per D. Bonifacium Papam VIII. de regno Siciliæ & Corsicæ, Illustrissimo Principi D. Jacobo Regi Arragoniæ.

9. Donatio facta per Regem Joannem Innocentio Papæ III. de toto Regno Angliæ & Insulæ Hiberniæ: pro quibus debent facere de censu Ecclesiæ Romanæ annuatim mille marcas Sterlingorum. Hæc donatio facta fuit Londoniis apud sanctum Paulum tertia die Octobris A. D. 1213. regni vero Regis Joannis anno decimo quinro.

10. Forma homagii, quod fecit dictus Rex Angliæ, & quod debent & tenentur facere Domino Papæ & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, omnes & singuli Reges Angliæ, perpetuis temporibus regnaturi.

11. De Dane laye sive lege Danorum, & denariis beati Petri.

12. De valore diversarum monetarum.

13. Statutum D. Nicolai Papæ IV. de divisione fructuum, redituum & proventuum Ecclesiæ, inter Papam & Cardinales.

14. Instrumentum donationis factæ Cardinalibus per D. Benedictum Papam XII. anno Domini 1334. de medietate omnium censuum, visitationum, & denariorum S. Petri.

15. Revocatio facta per D. Gregorium Papam X. de eleemosyna Ribaldorum &c.

16. Privilegia Imperatorum & Regum concessa Ecclesiæ, hoc est, Constanrini Imperatoris P. Sylvestro, Ludovici Imperatoris tempora Papæ Paschalis, super regalibus B. Petro concessis, & Henrici I. Imperatoris.

17. De denario B. Petri in Francia.

18. De regnis pertinentibus ad Ecclesiam.

19. De proprietatibus pertinentibus ad Ecclesiam.

20. De processibus Paparum contra Principes inutiles.

21. Qualiter D. Adrianus Papa III. recipere noluit ad osculum pacis Imperatorem Fridericum primum.

22. Juramentum fidelitatis, quod fecerunt & faciunt Romani Imperatores, Reges & Principes, Senatores Romani, Archiepiscopi, aliique.

23. De Mirabilibus Romæ.

24. De ordinationibus & gestis Paparum, circa statum Ecclesiasticum.

25. De descriptione Italiæ ex historia Ecclesiastica.

26. Liber locorum sanctorum terræ Ierusalem.

27. Nomina Episcoporum & Patriarcharum Ierusolymitanorum.

28. De divisione totius orbis.

29. De designatione locorum totius Vniversi, secundum beatum Ambrosium.

30. De ortu, operibus, morte & sepultura illustrium virorum, qui in sacra Scriptura commemorantur.

31. Arbor generationis Machometi, qui descendit de stirpe Ismaelis.

Præsentem librum ordinavit & scribi fecit Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, frater Nicolaus, Cardinalis Aragoniæ, quem compila-

pilavit ex diversis regiſtris, & ex libris Cameræ Apoſtolicæ, & ex aliis etiam libris & Chronicis diverſis, cum magna diligentia & labore.

Agunt de illo ut ſcriptore Eccleſiaſtico, Ludovicus Caſtaneus de la Rochepozay, Epiſcopus Pictavienſis in *Nomenclatore Scriptorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium* pag. 63. Auberius in *Hiſtoria Generali Cardinalium* tom. 1. ad annum 1356. fol. ſeu pag. 512. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice authorum*, quem præfixit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 133. ubi eum anno 1362. mortuum quoque poſt alios ſcribit. Stephanus Baluzius in *Vitis Paparum Avenionenſium* tomo 1. col. 331. & 359. in Vita Innocentii ſexti. Et in Notis ad hanc Vitam col. 941. Auguſtinus Oldoinus Soc. Jeſu in *Athenæo Romano*, ubi Romani Pontificis atque Eccleſiæ Romanæ Cardinales ſcriptis celebres recenſentur, pag. 503. editionis 1676. Raguſiæ in 4to.

1350 GVILLELMVS BRITO, natione Anglus, antiquorum Britonum ſtirpe in Cambria natus, cujus laudes quamplurimas Lucas Wadingus profert in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 150. quas ex induſtria omiſimus: cum nullo eas teſtimonio authoris alicujus contemporanei fulciri videamus, quas puros junioris alicujus Rhetoris flores opinati ſumus, ab eodem Luca Waddingo vel altero confictos, ad comminoritæ ſui & coinſularis Guillelmi vel Petri Britonis commendationem & gloriam Scriptorum etiam *Guillelmi Britonis* longam adducit ſeriem idem Wadingus, quam ab Antonio Poſſevino tomo 1. *Apparatus ſacri* pag. 700. ſuffuratus eſt, ubi legitur. Nos ut paucioribus, ita quoque certioribus utemur. Floruit ergo Guillelmus Brito anno circiter 1350 ſcripſitque *Summam vel Expoſitionem vocabulorum Biblicorum*, quæ incipit

„Difficiles ſtudeo, partes quas Biblia geſtat,
„Pandere, ſed nequeo, latebras niſi qui manifeſtat,
„Auxiliante Deo, qui cum vult, ſingula præſtat,
„Dante juvamen eo, nihil inſuperabile conſtat &c.
„Propria ponuntur hæc nomina pauca, ſed oro,
„Qui legis, indulge mihi, qui brevis eſſe laboro.
„Si quem profectum retines, hoc opus eſt Deitatis.
„Quidquid non rectum patet hic, quidquid ruditatis:
„Supplens defectum lector, ſtudio pietatis,
„Corrige, correctum ſit in uſum poſteritatis.
„Schematis ignarus ſtylus eſt, non abnuo limam,
„Nam pollere facit operam correctio primam.
„Deſuper irradia ſcribenti gratia dia,
„Sis dux, ſis ſocia mea lux & vera Sophia.

Ad calcem vero libri iſti alii leguntur verſus

„Hic ego Doctorum compegi ſcripta ſacrorum
„Floribus auctorum loca certa notando librorum,
„In ſerie quorum textus patet hic poſitorum.
„Prævia cunctorum, confirmatorque bonorum
„Lux occultorum, via veri, lux dubiorum:
„Sit tibi, cœlorum Rex, gloria, culmen honorum.
„Quod completorum datur hic mihi meta malorum
„Egis egenorum miſer ô, quia dego Minorum
„Te precor, ipſorum comitem me fac meritorum.
„Sorte beatorum, quod ſim velut unus eorum.

Ejus etiam fortaſſe ſunt *Synonima*, quæ Britonis nomen præferunt, olim edita Pariſiis anno MDVIII. apud Dionyſium Roſſeum, ut habet Philippus Labbeus in *Specimine novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum librorum* pag. 205. Hanc eandem lucubrationem alii perperam adſcribunt cuidam Joanni Ægidio ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, quam ob cauſam neſcio. Ut autem ad MSS. Opera Guillelmi Britonis redeamus, atque ad *Vocabularium Biblicum*. Hoc opus vidiſſe ſe teſtatur manuſcriptum in pergameno in Bibliotheca Auguſtinianorum prioratus Montis ſancti in Lotharingia: quod agit *De etymologiis vocabulorum ſacræ ſcripturæ*, & licet proſa ſeu ſoluta oratione ſcripta ſit, habet tamen initium ſeu Prologum verſu Rythmico hexametro expreſſum. At Summa iſta eadem habetur MS. in Bibliotheca ſancti Germani Pariſienſis, Cod. 564. inſcripta, *Petri Britonis Vocabularium Biblicum*, in operas *Difficiles ſtudeo partes, quas Biblia geſtat* &c. ut ſupra. Eadem denique MS. in Bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis, littera H H 15. inſcripta, *Guillelmi Britonis Vocabularium ſacræ Scripturæ*. Idem ſcripſit *Commentarium ſuper omnes prologos ſacrorum Bibliorum a ſancto Hieronymo editos*, incipientem *Ad evidentiam hujus Epiſtolæ* &c. qui MS. etiam habetur in eadem Bibliotheca Victorina Canonicorum Regularium, Littera H H 14. pagina ſeu fol. 110. Obiiſſe dicitur *Guillelmus Brito* apud Grimmesby anno 1356. de quo loquuntur poſt Joſiam Simlerum in *Epitome Bibliothecæ Geſneriana* pag. 300. Wadingus in Annalibus Minorum ad annum MCCCLVI. num. 31. quo ille obiit, ubi & viri elogium perſtringit. Joannes Pitſeus *De Scriptoribus Angliæ*, & Poſſevinus locis citatis. Carolus Dufrenius du Can-

Cange *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 118. Latius autem in præfatione ad dictum *Glossarium* num. 48. pag. 39. ubi vitam ejus ex aliis describit.

1350 JACOBUS DE ALTAVILLA, EBERBACENSIS ABBAS, natione Germanus, patriâ Ringhoïus, Abbas Ordinis Cisterciensis, Cœnobii Eberbacensis in Archiepiscopatu Moguntino, Sacræ Theologiæ Doctor, & in Academia Parisiensi Professor quondam celeberrimus, floruit temporibus Caroli IV. Imperatoris & Innocentii VI. Summi Pontificis, anno circiter M CCC LVIII. vel M CCC LX. Scripsit *Commentaria amplissima & subtilissima in 4. Libros Magistri Sententiarum*, quæ etiam nunc MSS. in membranis studiosè asservantur Brugis Flandriæ, in Bibliotheca Cœnobii De Dunis, Monachorum Cisterciensium, quam vidimus. Itemque extant in celebri Bibliotheca Claræ Vallis, ex Catalogo diligenti & recenti Manuscriptorum illius Codicum anno MDCLXIV. confecto, quem apud me habui. Item *Jacobus de Altavilla in tres priores Libros Sententiarum*, Manuscriptum in Basileensi Bibliotheca, charta in folio. Joannes Bunderius *in Indice Manuscriptorum Codicum Belgii* vocat hunc Jacobum de Altavilla *Jacobum Barbas* pro *de Eberback*, aitque Commentaria ipsius in Sententias, extare etiam Manuscripta in Rubro claustro juxta Bruxellas. Scripsit & *Librum variarum Quæstionum*, & plura alia ut *Sermones & Epistolas*, teste Cæsare Egassio Bulæo *Seculo sexto Historiæ Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum istius Seculi, pag. 994. ubi honorificam illius, etsi brevem mentionem habet. Mortuus est anno M CCC XCIII. sepulturam inter prædecessores suos in Capitulo Monasterii Eberbacensis assequutus, quam se vidisse sæpius testatur Carolus Wischius. De hoc quoque *Jacobo de Altavilla* Guillelmus Eisengrenius *in Catalogo testium veritatis*, ubi eum *Theologum vere profundissimum & Rhetorem insignem* nominat. Carolus Wischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 163. a quo hæc ferè omnia accepimus.

1350 CAROLUS QUARTUS, IMPERATOR OCCIDENTIS, anteà Bohemiæ Rex, Johannis Bohemiæ Regis & Elisabethæ filius, Henrici VI. Imperatoris nepos, Princeps religiosus, literis linguarumque cognitione imprimis instructus, anno M CCC XLVII. Imperium obtinuit, Gunthero Schwartzburgico quem Electores quidam Imperatorem salutaverant, post sex menses è medio sublato, magno Caroli gaudio. Cum solus rerum potitus esset, Italiam ingressus, Imperialem coronam non sine pactione ignominiosâ ab Innocentio VI. Pontifice Romano accepit. Paucos ibi dies Romæ moratus, sub prætextu venationis ex Urbe se subducens, Mediolanum veniens, illius Vicecomitibus perpetuum Imperii Vicariatum aureâ bullâ confirmavit. Eberhardum Comitem Wurtenburgensem ingenti exercitu oppressit, Reussum Plavensem bello agressus, arcibus aliquot exuit. Maximam regni sui Bohemiæ rationem & curam, magisque ferè quàm Imperii ipsius habuit: unde Silesiæ Ducatum, Lusatiam aliasque regiones, Bohemiæ adjiciendo, illud labefactavit. Pragensem Ecclesiam erexit, Gymnasiumque publicum instituit, multa Canonicorum Collegia & Monasteria fundavit, lateque ditavit. Wenceslaum Filium Romanorum Regem, assensu Principum Imperii quem amplissimis pollicitationibus emercatus fuerat, anno M CCC LXXVI. designavit. *Caroli IV. Imperatoris & anteà Bohemiæ Regis Vita* à seipso scripta, extat inter *Bohemicarum rerum Scriptores antiquos* Hanoviæ M DC II. in folio typis Wechelianis apud Claudium Marnium editos, à pagina 86 ad paginam 107. *Auream ipsius bullam anno M CCC LVI. Christi* promulgatam exhibet Melchior Goldastus *Constitutionum Imperialium* parte 1. ex Archivis illustrissimi Principis Electoris Palatini acceptam, Latinè quidem pag. 105. & Germanicè etiam pagina 121. Promisit etiam Petrus Lambecius *in Syntagmate rerum Germanicarum* edito cum *Catalogo Operum ipsius* impressorum & imprimendorum, Viennæ Austriæ 1673. in 4to. *Aurea Bulla Imperatoris Caroli IV.* editionem novam ex antiquo Codice membraneo, anno Christi M CCCC. jussu ipsius filii Wenceslai scripto, & multis imaginibus inauratis elegantissimè exornato, qui inter Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Manuscriptorum Codices ex arce Ambrasiana allatos, Codex 138. est, cujus amplissimam mentionem facit dictus Lambecius Libro 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. pag. 814. & sequentibus ad paginam 824. Item *Ejusdem bullæ primam omnium atque authenticam versionem Germanicam*, quæ extat in antiquo Codice MS. Bibliothecæ Cæsareæ, inter Codices MSS. Historicos Latinos num. 73. quo inter alia continentur etiam *Rudolphi I. & Alberti I. Imperatorum Constitutiones quadam Germanica, & Eberhardi de Windeck Historia vitæ & rerum gestarum Imperatoris Sigismundi*, quo familiariter ipse usus est. Meminit aliorum MSS. Codicum *Bullæ Aureæ in Germanicum Sermonem primùm translatæ*, Petrus Lambecius lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap 8. inter MSS. Codices ex arce Ambrasiana allatos, Codice 143. num. 2. & Codice 321. num. 9. de quibus loquitur pagg 834. & 960. Item R. Carols des Vierdren *Cassationem omnium Privilegiorum contra Rottwilanum judicium Imperatorum*, exhibet Melchior Goldastus *Constitutionum Imperialium* parte 1. pag. 138. Inter MSS.

MSS. Codices allatos Ambrasianos Codice 285. num. 59. *Epistola Imperatoris Caroli IV. ad Rempublicam Florentinam*, qua illam monet, *ut ab omnibus novitatibus & rebellionibus popularibus abstineat*. ac simul etiam *Reipublica responsum excusatorium*: de quibus Lambecius Libro 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea* Cap. 8. pag. 939. Porrò Carolus IV. Romanorum Imperator, anno 1378. Pragæ Bohemorum adversa valetudine correptus, ibidem obiit anno Imperii sui 33. honorifice à filio sepultus. Præter Lambecium locis citatis, mentionem illius facit Michael Hertzius *in Bibliotheca Germanica* seu *Scriptorum rerum Germanicarum*, quam Erfurti anno 1679. in folio edidit, parte 3. in *Carolo IV.* numero 131. & 132.

1350 JOANNES GRANDSON sive GRANDISONUS, OXONIENSIS EPISCOPUS, ut eum Joannes Lelandus appellat, natione Anglus, Eduardo III. Anglorum Regi à Sacellis primum fuit, ab eoque tandem Episcopus Oxoniensis factus est. Præter *Conciones* edidit Opus *De vitis Sanctorum* circa annum 1337. quod idem *Ordinale Oxoniense* seu potiùs *Martyrologium* appellari opinor, & habetur MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancta Benedicti Cod. 26. anno 1337. scriptum: unde in promptu est colligere tempus, quo Joannes Grandisonus floruit. De quibus Operibus tanquam distinctis agit Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 2. pag. 534. secundæ editionis, quæ ego Opus unicum & idem arbitror. Extat inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium num. 2068. in Manuscriptis Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Exoniensis Codice 14 *Joannis Grandisoni Episcopi Exoniensis Ordinale a Decano & Capitulo approbatum anno Domini 1337.* in folio. Et ibidem num. 2077. in MSS. Codd. ejusdem Ecclesiæ Codice 23. num. 3. *Statuta Joannis Grandisoni.* Et ibidem num 2082. in iisdem MSS. Codd. Codice 28. extat *Legenda Joannis Grandisoni in usum Ecclesia Cathedralis Exoniensis* in 3. voluminibus in folio. Idem ad hæc scripsit *De vita & miraculis Sancti Thoma Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris*, quod ibidem MS. extat, Codice 259. Ejusdem Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ, & inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ n. 2097. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera C. 5. Codice 3. num. 1. *Joannis De Grandisono Exoniensis Episcopi Vita Beati Thoma Beckit Martyris, compendiose & historicè collecta.* Obiit anno M CCC LXIII. ut Thomas Walsinghamus *in Auctario* Polychronici vult. Sed falso In eundem errorem Chronologicum impegerunt omnes, qui de Scriptoribus Angliæ illustribus Commentati sunt, Joannes Baleus & ejus Exscriptor Joannes Pitseus ætate 14. Scriptore 619. ad annum 1369. quo mortuum illum asserit. Nam in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Claudii litera A. Codice XI. pag. 39. columna 1. extant *Epistola integra B. Amselmi*, hoc est dum curam Prioris gessit, dum erat Abbas de Becco, & quæ post ejus consecrationem in Archiepiscopum Cantuariensem, numero CCCC XVI. Liber olim erat Joannis de Grandisono Episcopi Exoniensis, ut ille in folio, post titulos & argumenta, propria manu annotavit. *Registrum B. Anselmi. Epistolas B. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, do & lego cuicunque Archiepiscopo Cantuariensi, ut memor sit miseri Joannis de Grandisono Exoniensis, qui hoc manu sua scripsit. Hic infrà potest videri status tam Ecclesia, quàm regni Anglia. Utinam revocetur per Christum Dominum nostrum, qui vivit & regnat, Rex Regum, & Summus Sacerdos & Pontifex in æternum. Amen, Amen. Anno Domini M CCC LXXIV. ætatis mea LXXIII. & officii mei XXXVIII. mense Aprili, die nono.* Posteà habuit Thomas Cantuariensis, fortasse Thomas Arundelius, fuitque etiam liber Collegii de Maidestone. Qui ergò hæc manu propria Codici MSS. Epistolarum Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi anno 1374. die 9. mensis Aprilis adscripsit, dubio procul anno 1369. mortuus non erat, ut perperam scribunt Nomenclatores Scriptorum Anglicanorum. De illo Conradus Gesnerus vel epitomator ejus Josias Simlerus *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 448. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri.* Joannes Balæus *De Scriptoribus Anglia*, & alii Scriptorum nomenclatores. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum* quem præposuit *Glossario media & infima Latinitatis* col. 121.

CONRADUS HALBERSTATENSIS, natione Germanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, publicus Theologiæ Professor, & in divinis Scripturis usque adeò eruditus, ut universum Vetus & Novum Testamentum memoria teneret, composuit ad imitationem Hugonis tit. S. Sabinæ Cardinalis, facili labore *Concordantias Bibliorum*, in quibus & dictiones declinabiles, quod prius Hugo fecerat, atque *omnes indeclinabiles partes orationis juxta Alphabeti ordinem* adjecit, signatis non solum libris ac librorum capitibus, sed quoque capitulorum versibus, in quibus quæcunque quæsita vox facile inveniri posset. Opus istud cum Opere Hugonis conjunctum est, in omnibus editionibus fere *Concordantiarum Vulgata editionis*, quæ innumeræ sunt. Scripsit quoque in Job *Scholasticam postillam*, quæ incipit *usque ad tempus sustinui.* Idem *Tripartitum Opus morale juxta Alphabeti seriem*, quod extat MS. in Bibliotheca Sancti Mauricii Magdeburgensis Ecclesiæ Metropolitanæ, ut αὐτόπτης testatur Burcardus Gotthelfius Struvius, *in Introductione ad notitiam rei literaria & usum Bibliothecarum* cap. 4. §. 38. pag. 191. editionis in 8. Jenæ factæ 1706. Memoratur quidem à Trithemio, sed qua vixerit ætate non additur: interea quia lo- 1350

cus

cus aliquis illi deberetur, illum inter eos quos anno M CCC XC. vixisse constaret, medium interferit, quod nempe vel tunc temporis, vel non multo post, vixisse arbitraretur. At Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliotheca Sancta*, illum sub Adolpho Imperatore anno M CCC XC. vixisse aperte scribit. Quæ sententia parum mihi probatur. Nam apud Leandrum Albertum in Opere *De Viris illustribus Ordinis Prædicatorum* Lib. IV. fol. 147. reperio, illum Glossemata in Josua dedicasse Carolo Imperatori, qui alius quam Carolus IV. esse non potest: non Carolus V. cum Leander illud opus anno 1517. Bononiæ ediderit, triennio antequam Carolus V. Maximiliano in imperio succederet. Vnde colligo, vixisse temporibus Caroli IV. qui anno MCCXLIIX. imperare cœpit, atque annis XXXII. usque ad annum M CCC LXXX. imperavit. Claruit igitur Conradus Halberstatensis anno MCCCL. & sequentibus. Mentionem illius faciunt Sixtus Senensis Lib. IV. *Bibliotheca Sancta* verbo *Conradus Halberstadius*. Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri* verbo *Conradus Halberstatensis*, qui illum male anno M CCCXC. sub Adolpho assignat. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. De Historicis Latinis cap. 9.

1350 NICOLAVS EYMERICVS, natione Hispanus, Gerundæ natus, quæ Cataloniæ Civitas est, Ordinem Fratrum Prædicatorum professus, ob scientiam & morum integritatem, sub Romanis Pontificibus, Innocentio VI. Vrbano V. & Gregorio XI. Romanis Pontificibus & sub Petro IV. Aragoniæ Rege floruit. Hic Theologus & Juris utriusque scientiâ clarissimus, qui ab anno Domini 1356. ab Innocentio VI. Romano Pontifice, Inquisitor Generalis fidei per omnem Regis Aragoniæ ditionem creatus est. Avenionem postea ubi tum Apostolica sedes erat, ad Summum Pontificem Gregorium XI. anno 1370. profectus, *De Summis rebus judex & Capellanus* (ut ipsemet loquitur) illius constituitur, a quo multa sæpe sanctæ Inquisitionis officio necessaria administrando, obtinuit. Addictus fuit postea contra Vrbanum Sextum, Clementis Septimi partibus tempore Schismatis, ut ex inscriptionibus Opusculum ejus constat. Scripsit Volumen magnum, Christianæ Reipublicæ (ut a multis creditur) utile, nempe *Directorium Inquisitorum*, quo regulas tradit, quibus Inquisitores ad hæreses pernoscendas & evellendas seclusâ omni personarum acceptione, optimè instituuntur. Impressum primò Opus Barcinone anno 1503. cujus omnia exemplaria ita erant locis innumeris depravata, & dum sub Gregorio XIII. Pontifice Maximo hoc Opus Romæ excudendum esset, Franciscus Penna Theologus & Jurisconsultus, amplius bis mille loca suæ integriti restitueret. Habetur igitur iterum expressum Romæ in fol. anno 1578. ac tertio ibidem anno 1587. ex officina populi Romani: Tandemque Venetiis anno 1595. in folio. Idem scripsit ingentem, imò immensum, ut ita loquamur, *Commentarium in Evangelium Sancti Joannis*, qui extat MS. in maximis duobus voluminibus in folio, in Bibliotheca Colbertina Codd. 387. & 388. inscriptum Clementi VII. Vrbani VI. adversario, cujus partes sequebatur. Quem tenuimus ac vidimus incipientem, *Sanctissimo ac beatissimo in Christo Patri & Domino, Domino Clementi Dei providentia sacrosanctæ Romanæ & Vniversitatis Ecclesiæ hujus nominis Papæ Septimo, Frater Nicolaus Aymerici Ordinis Fratrum Prædicatorum, sua Sanctitatis Capellanus indignus &c.* Scripsit etiam multitudinem ingentem diversorum Opusculorum, Manuscriptum in duobus aliis voluminibus Bibliothecæ Colbertinæ. Hujus igitur Bibliothecæ Codice 2846. sequentia Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum habentur.

Epistola ad Cardinales adversus electionem Vrbani Sexti.

Ejusdem Epistola ad Regem Francorum ut videtur, pro Clemente VII.

Ejusdem Metra super Schismate.

Ejusdem Tractatus, An tres personæ Trinitatis sint in Sacramento Eucharistiæ.

Ejusdem Tractatus adversus Opera Raymundi Lulli, ab eodem Nicolao, Clementi VII. oblatus. Infensus autem doctrinæ Lullianæ Aymericus, anno 1375. multa Raymundi Lulli dogmata ab eodem Pontifice damnari hæreseos procuravit.

Ejusdem Dialogus contra Lullistas.

Ejusdem Tractatus intitulatus, Fascinatio Lullistarum.

Ejusdem Tractatus contra Dæmonum invocationem. Idem hic tractatus *super invocatione Dæmonum*, habetur etiam MS. in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici, cum *Mariali* quod Alberto magno tribuitur.

Incipit, *Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mihi &c.*

Sequenti autem Codice 2847. Bibliothecæ Colbertinæ, *Ejusdem Tractatus contra calumniantes præeminentiam Christi & Virginis ejus matris.*

Ejusdem Confessio fidei Christianæ.

Ejusdem Tractatus contra emissum in Conclavi per Papam & Cardinales, præmissorum juramentum post mortem Clementis VII. Papæ, & contra Epistolam Parisiensium Magistrorum.

Ejusdem Tractatus contra Alchymistas.

Ejusdem Correctorium Correptorii.

Ejusdem Tractatus contra præfigentes certum tempus fini mundi.

Ejusdem Tractatus contra Astrologos atque contra Necromanticos, de occultis perperam judicantes.

Ejusdem Elucidarius Elucidarii.

Ejusdem Tractatus contra hæreticaliter asserentes, Beatum Johannem Evangelistam fuisse Virginis Mariæ filium naturalem.

Eju-

Ejusdem Tractatus De admiranda sanctificatione Genetricis Dei & hominis.

Ejusdem Incantationis studii Ilerdensis super XX. articulis per quendam Antonium Riera studentem Valentinum, ut defertur, ibi seminatis.

Ejusdem Tractatus super declaratione XXII. articulorum Magistri Sententiarum, in quibus à multis communiter non tenetur.

Ex tractatibus allatis nonnulla profert Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium columna 1115. 1235. 1286. 1289. 1368. Extat Codex Manuscr. *Directorii Inquisitionis*, in Bibliotheca Sancti Salvatoris Bononiensis Canonicorum Regularium, ut testatur Bernardus de Montfaucon, Monachus Benedictinus, Congregationis Sancti Mauri in Gallia, *in Diario Italico* capite 27. pagina 410. editionis Parisiensis anno 1702. apud Joannem Anissonium in 4to. Philippus Labbeus in Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum Latinorum & Græcorum seu Specimine Antiquarum Lectionum Latinarum & Græcarum edito Parisiis anno 1653. in 4to, apud Johannem Henault *Supplemento X.* pag. 376. Extabant porrò apud Henricum Suarem Avenione anno 1646. inter Manuscriptos Codices Tractatus duo, quorum Primus compilatus Avenione per fratrem Nicolaum Aymerici S. Theologiæ Doctorem, Ordinis Fratrum Prædicatorum ad mandatum S. D. N. Papæ Clementis VII. anno 1378. Secundus Tractatus, Vtrum Papa possit vel debeat Papatui renuntiare, compilatus ex mandato Domini Benedicti XIII. in fol.

Cum autem strenuus & præclarus fidei Catholicæ propugnator multâ jam ætate esset gravis, cupiens in sanctis occupationibus & quietis ultimam diem claudere; strepitu judiciorum dimisso, Gerundam reversus ad Conventum Fratrum Prædicatorum, postquam *super Epistolas Beati Pauli ad Galatas & ad Hebræos Commentaria* scripsisset, & *Epistolam ad Romanos* enarrare cœpisset, ab humanis ereptus est anno Dominicæ nativitatis 1399. die 4. Januarii, sicut docet vetustum epitaphium ejus sepulturæ incisum, Gerundæ in eodem Sancti Dominici Conventu. *Innumera præter jam dicta composuit doctissimus Eymericus, quæ undecim tomis servantur in Conventu Gerundensi:* inquit Altamura *in Appendice* ad Bibliothecam Dominicanam pag. 494. Qui plura voluerit, adeat Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum.* Antonium Possevinum tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 149. ubi pluribus exponit, quid Opus illius inscriptum atque sub nomine *Directorii Inquisitorum* impressum contineat. Ambrosium de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1392. p. 142. & *in Appendice* ad citatum annum, pag. 492. & seqq.

RANULPHUS HIGDENUS seu HIKEDEN, CICESTRENSIS MONACHUS, natione Anglus, Ordinem divi Benedicti in Cœnobio Castriensi professus, nomen suum posteritati commendavit, compositione *Chronici Historiarum ad Angliam spectantium*, quod usque ad annum 1357. adduxit, quo scribendo floruisse legitur. Hujus hic titulus in Manuscripto Codice Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Codice 188. *Chronica Ranulphi Hikeden Libris septem, erat is Monachus Cicestrensis. qui obiit in senectute bona anno Domini M CCC LXIII.* Vt autem adnotat Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1357. pag. 48. Cum ingentem Anglicorum præsertim Historiarum multitudinem multis sibi comparasset laboribus & expensis, ipse Historiæ ab Orbe condito conscribendæ animum apposuit. Illam itaque cum ex proprio fonte nullus possit, ex variis Historicis eleganter admodum concinnavit, integras ac prolixas aliorum seipso antiquiorum lacinias intexans, appositis tamen singulorum, à quibus acceptæ sunt, nominibus, adjunctâque ab Abrahami temporibus marginali annorum supputatione: unde vix aliam quam Compilatoris gloriam meruit, nisi quod libro ultimo in rebus ætati suæ proximis, multa è suo penu inseruerit. Compilatoris tamen munus tam egregiè præstitit, ut pauci admodum ex Historicis Anglis, fide, gravitate ac judicio cum eo conferendi veniant. Quanti autem Opus istud, licet excerptum ab anterioribus aliis, meriti apud Anglos fuerit, judicent Lectores ex multitudine manuscriptorum Codicum, qui ad viginti assurgunt in Anglia. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 113. in Balliolensi Codicibus 236. & 237. Lincolniensi Cod. 44. Mertonensi Codd. 42. & 60. Magdalenensi Codice 140. Ædis Christi Codice 3. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Codicibus 188. 221. 238. In Collegio Sancti Benedicti Codd. 6. 45. 81. & 341. Domus Sancti Petri Cod. 232. Collegii Caji & Gunvilli, Codd. 20. & 26. Privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji Cod. 247. & Gualteri Copi Cod. 180. Rarius autem in aliis Orbis partibus, quod habetur tantum Parisiis in Bibliotheca Galliarum Regia, Codice 4915. inscriptum, *Historia Polychronica* anonyma, divisa in VII. Libros ab initio mundi ad annum 1377. quæ incipit, *Post præclaros.* Operi suo *Polychronici* nomen indidit, rectè quidem & cum modestiâ, quia nimirum uti Collectaneum quoddam ex multis aliis Chronicis exceptum est, quod aliorum quidem est quoad res contentas, Ranulphi autem quoad ordinem atque enarrationes rerum ultimæ ætatis. Pessimam nobis hujus Chronici analysim exhibuit Gerardus Joannes Vossius Libr. 3. *De Historicis Latinis* cap. 2. pag. 532. ultimæ editionis, quod tamen in erudito homine rarum est,

est, unde eum referente alio deceptum fuisse arbitror, cùm Opus nunquam impressum sit. Narrat Ranalphum Higdenum vel Hygedenum Anglum, gloriam non minimam reportasse, *Mappa mundi*, itemque *Polychronico*, quod opus sex constet libris, pro numero tum sex dierum, quibus operatus est Deus: tum sex ætatum, in quas universa mundi Historia dispescitur. Ab orbe creato exorsum, processisse tantum usque ad annum M CCC XLIII. Rectius ex inspectione MSS. Codicum Henricus Whartonus loco citato. Omne Opus in septem libros juxta numerum ætatum mundi, ac dierum quibus Orbis creatus est, distribuit: quorum *primus* nonnisi topographicam Orbis descriptionem exhibet, quam Vossius *Mundi mappam* nuncupat, atque aliud à Polychronico Opusculum falsò opinatus est, quamvis primum illius librum constituat. *Secundus* ab Orbe condito ad Babylonicam Judæorum captivitatem progreditur. *Tertius* à transmigratione Babylonica ad Christi adventum. *Quartus* à Christo nato ad Saxonum in Angliam adventum. *Quintus* à Saxonum appulsu usque ad adventum Danorum. *Sextus* ad irruptionem Normannorum, seu ad annum 1066. *Septimus* ad ætatem ipsam authoris seu Compilatoris, atque an. Christi M CCC LVII. Quod si nonnulli Codices Historiam hanc ulterius producant, qualis est Codex Galliarum Regius, qui ad annum usque 1377. protenditur, ut suprà dictum est, qualesque nonnunquam in Whartoni manus inciderunt: id ab aliena manu processisse censendum est, præsertim cum ipse Ranulphus in præfatione totius Operis, se ad istum annum Historiam suam deducturum esse tantummodò profiteatur: atque etiam in hoc anno 1357. Versio vetus Operis Anglicana, paullò post Ranulphi obitum confecta, terminetur. Thomas Galeus *in Collectaneo Scriptorum Historiæ Anglicanæ*, quod in folio anno 1691. Oxonii è theatro Sheldoniano edidit, habet citatum *Polychronicon Ranulphi Higdeni Chestrensis, De rebus Britannicis & Hibernicis, Libru VI. usque ad Conquestum*, à pag. 179. ad pag. 287. ex fide MSS. Anglicorum. Idem scripsisse dicitur *Distinctiones Theologicas & Speculum Curatorum*, quod Manuscriptum extat Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 69. Et in MSS. Codicibus Joannis Mori Nordwicensis Episcopi Codice 571. Et in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Dunelmensis Codice 492. Inter Codices MSS. Bibliothecæ Bodlejanæ, Codice 2752. in Manuscriptis Codicibus ipsius Bodleji, supra num. 2. Art. Codice 10. num. 1. Ranulphi Higdeni Polichronicon definit, sed ex abrupto in Annum Domini M CCC LXXXVIII. 11. Richardi II. Ibidem num. 2. *Ejusdem ars componendi Sermones*. Item ibidem Codice 2674. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji, super D. 1. Art. Codice 75. num. 13. *Ranulphi Monachi Cestrensis termini naturales* pag. 195. & 207. Item *Expositionem super Job, in Cantica Canticorum, Sermones per annum*, & alia quædam à Joanne Balæo enumerata *Centuria 6.* cap. 12. Jam ætate confectus, obiit anno *Edwardi Regis* XXXVII. Christi 1353. cum annos LXIV. Monachus fuisset Benedictinus. Hoc posteà Polychronicon Anglicè transtulit Joannes de Trevisa jussu Domini de Barkeley, atque illud additis XXX. annis continuavit usque ad annum 1387. quo claruit, vel juxta Vossium usque ad annum 1398. Denique & in hoc Chronicon Tabulas concinnavit Joannes Rochefort, circa annum 1406. De illo Joannes Balæus & Pitseus, quisque in Opere suo *De Scriptoribus Angliæ*. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Epitomata* pag. 716. ubi tamen immani parachronismo ait, illum anno 1542. claruisse, annis ducentis recentiorem faciens, quam verè fuerit. At ibidem verbo *Ranulphus Hygden* errorem suum utcunque emendat, dum illum ait anno 1363. floruisse, quamvis errore altero, alterum esse hominem *à Radulpho Hygeden* opinetur. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Radulphus Hygeden*.

Alii plures, recentiores potissimum *Chronici Ranulphi hujus* Hygdeni mentionem faciunt, quos hic retulisse verbotenus, non pigebit lectorem curiosum. Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* pag. 306. & 307. *Historiam Ranulphi multum quæsitam, nunquam inventam, & mihi non visam fateor. Scripsit igitur nobilissimum illud opus quod dixi, in cujus prima pagina, ut in quodam vetusto Codice scriptum reperi, Capitales literæ hæc sequentia verba continent:* Præsentem Chronicam compilavit Frater Ranulphus Cestrensis Monachus. *Titulum autem operi præfixit auctor*, Polychronicon libros septem. *Incipturs*, Post præclaros artium Scriptores. *Manuscriptum Oxonii in Collegio Novo, Balliolensi, Mertonensi, Magdalena, Lincolniensi, Ædis Christi Cantabrigia in publica & in Collegio S. Benedicti, S. Petri, Caji. Item in privatis Baronis de Lumleio & Gualteri Copi.*

Christophorus Sandius in Notis ad Vossii Historicos Latinos pag. 102. *Ranulphus Hygden scripsit* Polychronicon. *Ab orbe creato exorsus, procedit usque annum M CCC XLIII. seu potius usque ad initium anni 1344. quod in quibusdam Codicibus ab alio usque ad annum 1377. reperitur continuatum. Initiales literæ capitum libri primi, usque ad caput 52. coacta, ita leguntur referente Seldeno:*

Præsentem Cronicam compilavit Frater Ranulphus Cestrensis: *unde & in fronte operis scriptum*

Grammata dant primæ capitalia nomen Agentis.

Eadem ratione nomen suum orbi notum fecit præter alios, & Guilielmus Corentrius,

Henricus Wharton in Auctario Historiæ Dogmaticæ Jacobi Vsserii *De Scripturis & Sacris Vernaculis* pag. 438. hæc scripsit. *In Dialogo inter Patronum & Clericum, præfixo versioni suæ Anglicæ* Polychronici *Ranulphi Hygdeni à Caxtono excusæ Londini 1482. De utilitate translationum, præsertim verò sacra Scriptura, multis agit. Pauca quadam describam.* Item pag. 349. *Trevisa autem CL. Vsserius à Caxtono deceptus, malè posuit. Quæ enim ex fine translationis* Polychronici *citat*, a Caxtono *fæde corrupta sunt. Namque versionem passim emendare & pro libitu mutare in se recepit, quod in Præfatione editionis suæ fatetur. Cum itaque Historia* Polychronici *anno 1357. desierit, ille versionem illo anno finitam esse, aut imprudenter credidit, aut forsan etiam sciens substituit. Propius ad veritatem accedunt bini Codices MSS. ab* Vsserio *memorati, alter* D. Forsteri, *alter* Cottonianus, *quorum ille* Aprilis die, anno Domini 1387. decimo Richardi II. post Conquestum anno, anno autem trigesimo quinto ætatis Patroni mei Domini Thomæ Baronis de Berckely, qui me translationem istam aggredi fecit. *Crassius adhuc hallucinatur* Seldenus *in fine Præfationis ad X. Scriptores Anglicos, qui* Trevisam *Higdeni Polychronicon in linguam Anglicam convertisse, & ad initia Edwardi I. annum scilicet 1460. continuasse scribit. Qui enim versionem Polychronici primus edidit* Cartonus, *continuationem ejus ab anno 1357. ad 1460. non à* Trevisa, *sed à* semetipso conscriptam fuisse diserris verbis affirmat.

Post Gerardum Joannem Vossium Lib. 3. cap. 2. *De Historicis Latinis*, ubi plura de Vita & Scriptis Ranulphi Hygdeni, unde pauca huc pertinentia dedimus, consule Sandium in Notis & Observationibus ad Historicos Vossii Latinos pag. 202. adde *Acta Eruditorum Lipsiensia* anno 1694. pag. 4. ubi de editione hujus *Polychronici* quam Thomas Gale procuravit è Theatro Sheldoniano anno 1661. in folio, Num. V. pagina 177. deque versione illius Anglica Johannis Trevisæ, cum continuatione illius ad annum usque 1389. latè differit. Vincentium Placcium Hamburgensem Professorem, in Opere *De Anonymis* cap. 5. *De Scriptoribus Historicis* num. 1175. pag. 299. editionis, quæ Hamburgi anno 1708. in folio procurata est, à quo hæc additamenta accepimus.

1350 RICHARDUS FITZ-RALPH SEU RICHARDUS RADULPHUS, natione Hibernus, Dundalkensis patria, quem alii tamen Anglum malè putant, in Academia Oxoniensi Theologiæ Professor, Joannis Bacondorpii discipulus fuerat, Eduardo 3. Angliæ Regi summo in pretio habitus, à quo Decanus primum Lichfeldensis, dein anno 1333. Cancellarius Oxoniensis constitutus est. Anno 1347. Archiepiscopus in Hibernia Armachanus à Clemente VI. Papa jure Provisionis renuntiatus, Oxoniæ à Joanne Grandisono Episcopo 8. Idus Julii consecratus, ante & post Episcopatum susceptum graves cum Fraterculis Ordinum Mendicantium inimicitias aluit, tum authoritate tum Scriptis, quorum vanam paupertatem ac superbam Oxonii in lecturis Theologicis falsè vellicare solebat, Episcopus autem factus calamo acriori confixit. Quin & in Angliam trajiciens anno 1356. habitis Londini concionibus, novem contra eos Conclusiones evulgavit. Fraterculi illum confestim apud Pontificem hæreseos accusant, & Avenionem citari curant, quo profectus per triennium hæsit, nondumque lite definita, illic anno 1360. XVI. Kalendas Decembris decessit. Hæc Henricus Wharton in Continuatione *Historia rei literaria* Guillelmi Cavi, ad annum 1347. p. 40. & 41.

Opera Richardi Armachani fere omnia, inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis, Codice 1054. in MSS. Collegii Novi Codice 90. nimirum Richardi Radulphi Armachani, Hiberniæ Primatis, *Sermones tam de tempore quam de Sanctis. Item alia materia proposita coram populo contra Fratres Mendicantes in causa Ecclesia. Ejusdem Libri XIX. Quæstionum contra errores Armenorum.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1517. in MSS. Codicibus Collegii Divi Benedicti Codice 250. num. 4. Armachanus de Quæstionibus Armenorum. Ibidem Codice 2152. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 224. Scriptum Armachani de quæstionibus Armenorum. Et inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 149. in MSS. Codicibus Sanctæ Trinitatis Dublinensis litera A. Codice 49. Richardi Armachani libri 19. Quæstionum adversus Armenos. Porro *Sermones IV. ad Crucem Londinensem anno 1356. habiti, atque alii de laudibus S. Deipara. Summa sive Libri XIX adversus errores Armenorum.* Paris 1612. *Defensio Curatorum adversus Fratres Mendicantes*, seu *Oratio coram Papa & Cardinalibus Avenione anno 1357. habita*, prodiit Parisiis 1496. 1625. in 8. 1633. & cum *Rogeri de Conway Defensione Mendicantium adversus Armachanum* apud Goldastum 1612. *Monarchia S. Romani Imperii* Hanowiæ 3. voll. in folio, Tom. 2. p. 1392. Denique prodierunt simul ista tria Opuscula cura Joannis Sudoris, Parisiis 1511.

Præter jam recensitum MS. Codicem *Sermonem tam de tempore quàm de Sanctis Richardi Armachani*, in MSS. Codicibus Collegii Novi Oxoniæ Codice 90. extant ejusdem *Sermones* inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1914. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera A. 5. Codice 8. num. 1. hoc titulo *Richardi Radulphi, id est Fitz-Rauf Sermones varii.* Ibidem Codice 1926. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera A. 6. Codice 5. *Richardi Sarmachani Sermones 13.* quorum primus factus est ad populum in Aula Episcopi Londinensi anno 1356. Dominica quarta Adventus. Inter MSS.

MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1843. in MSS. Collegii S. Johannis Baptistæ, in Abaco tertio, litera A. Codice 11. Sermones Richardi Armachani. Inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 103. in MSS. libris Henrici Clarendoniæ Comitis Codice 5. Sermones Richardi filii Radulphi, Archiepiscopi Armachani in 4. grandi charta, qui obiit 1360. 16. Decembris. Ibidem Codice 714. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis litera S. Codice 574. Sermones Richardi filii Radulphi de Dundalk Archiepiscopi Armachani. Teste etiam Whartono loco citato, ejusdem *Sermonum liber* MS. extitit penes Jacobum Waræum, ut ipse testatur in Commentario *De Præsulibus Hiberniæ* pag. 21. Dublini anno 1664. in folio impresso. Codex autem MS. Woræanus nunc penes Clarissimum Tenisonum Cantuariensem Archiepiscopum servatur, qui Sermones ferè innumeros de tempore & de Sanctis continet, ab anno 1345. ad 1351. habitos. Calci autem Voluminis, præter Orationem præcedentem adnectuntur, *Propositio* ex parte Regis Angliæ in Consistorio pro gratia Jubilæi Anglis obtinenda, anno 1344. mense Augusto. *Propositio* ex parte Prælatorum & omnium Curatorum totius Ecclesiæ coram Papa in Consistorio, anno 1350. die V. Julii adversus Ordines Mendicantes. *Responsio* ad Objectiones Mendicantium. *Informationes ad motiva* Domini Armachani super declaratione de illa Extravagante Joannina *Vas Electionis*.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 867. in MS. Codd. Collegii Orielensis Codice 15. *Sermo in Opus Armachani prævius, &* *Armachani* (ut conjicitur) *Quæstiones in Sententias Petri Lombardi*.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1914. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera A. 5. Codice 8. num. 2. Richardi Armachani *Propositio* ex parte Regis Angliæ in Consistorio pro gratia Jubilæi, ejusdem Domini Regis populo obtinenda anno 1349. mense Augusti. Num. 3. Ejusdem *Propositio* in Consistorio coram Papa & Cardinalibus, super materia Mendicitatis & Privilegiorum contra Fratres de ordinibus Mendicantium quibuscunque, Avenione 8. Novembris 1357. Num. 4. Ejusdem *Responsiones* ad Objectiones contra materiam de Mendicitate & Paupertate, quod Christus nunquam spontanee mendicavit. Num. 5. Richardi Armachani *Propositio* ex parte Prælatorum & omnium Curatorum totius Ecclesiæ coram Papa in publico Consistorio anno 1350. 5. Julii. Totus liber est contra Ordines Fratrum Mendicantium. Ibidem Codice 1997. in MSS. Thomæ Bodleji litera B. 3. Codice 12. num. 9. Richardi Armachani *Propositio* coram Papa &c. Avinione 8. Novembris 1357. super materia Mendicitatis & Privilegiorum contra Fratres. Num. 10. *Solutio* Objectionum contra Propositionem per eundem. Num. 11. Ejusdem *Libellus* contra Fratres. Num. 12. *Instrumentum* in præsentatione ejus Libelli, cum Supplicatione ejusdem. Num. 13. *Informatio brevis* per Clerum & populum contra Fratres. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 2179. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 38. ad calcem Voluminis, *Propositio* Richardi Armachani facta in Consistorio coram Papa & Cardinalibus, supra materiam Mendicitatis & Privilegium Fratrum Mendicantium, Avenione. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 727. in MSS. Codicibus Collegii Sydnei-sussex K. 4. Codice 2. Richardus Armachanus contra Mendicantes Fratres, & Mendicantes contra Armachanum. In hoc volumine continentur multa ad istam controversiam spectantia, in folio. Ibidem Cod. 1699. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Cod. 37. n. 2. *Armachanus contra Mendicantes*. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 118. in MSS. Codicibus Cathedralis Dunelmensis Codice 53. *Armachanus contra Fratres Minores*, in 4.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2618. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super D. 1. Art. Codice 19. Excerpta varia ex Richardo Fitz-Rauf. Num. 4. Excerpta ex Testamento *S. Francisci* contra Fratres Minores. Num. 5. Excerpta notabilia ex quodam libro qui vocatur *Summa Summarum*. Num. 6. Excerpta ex libro *Copiosa Charitatis*, quæ pars continet capita 185. cum indice copioso & exacta totius Operis.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2737. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji supra M. 4. Artium, Codice 138. Richardi Armachani Hiberniæ Archiepiscopi, Sermone habiti contra Mendicantes Londini, quorum 1. habitus est ad Crucem S. Pauli, Dominica tertia Quadragesimæ anno Domini 1356. & Confectationis decimo. 2. Sermo alius coram Innocentio Sexto Papa & Cardinalibus, Avinione, Novembris 8. A. D. 1357. contra Mendicantes pag. 26. b. 3. Ejusdem libellus contra Fratres Mendicantes, pag. 79. b. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1723. in MSS. Codd. Domus S. Petri Codice 61. num. 2. *Sermo ad Crucem*, Armachani, ex conjectura. Incipit, *Nemo vos seducat*. Num. 3. *Sermo ejusdem* coram Pontifice, *Nolite judicare*. Num. 4. *Responsio* ad objecta Mendicantium. Num. 5. *Processus & controversia* Mendicantium. Num. 6. Armachanus etiam (ut creditur) contra Pseudoprophetas.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1926. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera A. 6. Codice 5. num. 1. Richardi Armachani de Paupertate Salvatoris libri septem. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 580. in MSS. Codd. Collegii Mertonensis Cod. 13. O. 1. 7. Art. num. 5. Richardi Archiepiscopi Armachani libri septem de paupertate Salvatoris. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis

ſis Codice 1415. in MSS. Codd. Collegii S. Benedicti Cod. 138. Armachanus de paupertate Salvatoris & de mendicitate Fratrum & eorum Privilegiis, libris novem. Ibidem Codice 1582. in MSS. ejusdem Collegii Codice 315. Armachanus de Paupertate Salvatoris. Et inter MSS. Codices Eccleſiarum Hiberniæ Codice 188. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinenſis litera A. Codice 48. Richardi Armachani opus quoddam initio carens, & ejusdem *de Pauperie noſtri Salvatoris*, quod fine caret. In folio, membrana D. 21.

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis, Codice 1396. in MSS. Codicibus Collegii Lincolnienſis, Codice 75. ad calcem voluminis in folio, Richardi Radulphi Armachani Primatis; Dialogus vel Diſputatio de rebus ad S. Scripturam pertinentibus. Hæc de MSS. Anglicanis. De cujus Scriptis honorificam mentionem faciunt Joannes Baleus *De illuſtribus Angliæ Scriptoribus* Centuria 5. cap. 94. & Centuria 14. cap. 97. Jacobus Waræus in Commentario *De Præſulibus Hiberniæ* citato pag. 21. & *De Scriptoribus Hiberniæ* lib. 1. cap. 10. Joannes Foxus Tomo I. *Martyrologii Anglici* pag. 381. Henricus Wharton in Continuatione *Hiſtoriæ literariæ* Guillelmi Cavi a. 1347. p. 40. & 41.

1350 ROGERUS CONOWÆUS, Anglice de CONOWAY vel CONWAY, natione Anglus, patria Cambrenſis, ex Connovio ſ. Conowæo oppido littorali antiquiſſimo originem & cognomen ſortitus eſt. Juvenis adhuc in Ord. FF. Minorum adſcriptus, ad ingenii literis apti culturam à conſodalibus Minoritis ad Academiam Oxonienſem miſſus eſt, ubi Theologiam & Philoſophiam Scholaſticam probe edoctus, infulas Doctorales & egregiam eruditionis famam retulit. Quo nomine Primarius Theologiæ Profeſſor circa annum 1350. claruit, ac Miniſter tandem Provincialis totius Angliæ à ſuis conſtitutus eſt. Cum autem tunc temporis ingens inter Clerum ſecularem atque Ordines Mendicantes controverſia exardeſceret, de Confeſſionibus audiendis, aliisq; Paſtoris muneribus, quæ Mendicantes conculcatâ Canonum auctoritate, ſibi paſſim arripuerant: quemadmodum *Cleri* cauſam egit Richardus Radulphus Armachanus Archiepiſcopus: ita pro *Mendicantibus* Rogerus noſter in arenam deſcendit, qui *De Confeſſionibus per Regulares audiendis contra informationes Armachani librum* edidit, impreſſum unà cum Opere *Armachani*, Pariſiis 1496. 1511. & apud Goldaſtum *Monarchia* Tomo 2. pag. 1392. Cæterum Rogerus Londini anno 1360. obiit, in Conventu Minoritarum ſepultus.

Hæc verbotenus Henricus Whartou in Continuatione *Hiſtoriæ rei literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1350. pag. 45. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis Codice 1649. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Chriſti Codice 182. num. 2. *Tractatus Rogeri Conewey* qui dicitur *Confeſſio & Pulchritudo, pro fratribus contra Armachanum.* Inter MSS. Codd. Vniverſitatis Cantabrigienſis Cod. 1557. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 290. num. 4. *Frater Rogerus de Conway contra Armachanum.* Ibidem Codice 2320. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Codice 140. num. 5. *Conway contra Rich. Armachanum, De Confeſſionibus audiendis.* Ejusdem *Quæſtiones III. De Chriſti Paupertate & dominio temporali* MSS. penes Waddingum extiterunt. Reliqua illius ſcripta recenſent Joannes Baleus *De illuſtribus Angliæ Scriptoribus* Centuria VI. cap. 7. Lucas Waddingus *De Scriptoribus Ordinis FF. Minorum* p. 312.

PHILIPPUS CABASSOLUS, S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS ET EPISCOPUS SABINENSIS, natione Gallus, ac primùm Cavellicenſis Epiſcopus & Joannæ Reginæ Neapolitanæ Cancellarius, ab an. 1340. claruit, de quo Raynaldus ad an. 1344. §. 30. his verbis. Anno MCCCXLIV. IV. Calendas Maji à Clemente" Sexto delegatus eſt, ut inducias inter Maſſili-" enſes & alias Provinciæ & Comitatus Folkar-" querii urbes adverſus ipſos fœderatas, promul-" garet. Idem ad annum 1349. §. 10. Per eas tem-" peſtates ſcripſit Libros ſuos, *De vita & miraculis*" *beatæ Mariæ Magdalenæ*, dicatos Henrico de Vil-" lars Archiepiſcopo Lugdunenſi, Galliarum Pri-" mati, in quibus multum exagitat Vezeliacenſes," quod auderent dicere *Corpus ejusdem Magdale-*" *næ exiſtere apud Vezeliacum*" Extat hoc Opus Philippi Cabaſſoli MS. in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis, Littera EEE. 6. Inſcribitur, *Libellus Hiſtorialis Beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ.* Incipit, *Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Henrico de Villariis Dei gratiâ primæ ſanctæ ſedis Lugdunenſis Archiepiſcopo, Galliarum Primati, Domino ſuo cariſſimo, Philippus ſolâ Dei permiſſione Cavellicenſis Epiſcopus, ſalutem in eo, in quo & per quem eſt vera remiſſio peccatorum, & ſe totum tuum præſenti libello &c.* Factus anno 1359. Apoſtolicæ Sedis legatus, unde colligitur de illo intelligenda eſſe, quæ de Epiſcopo Cavellicenſi Sedis Apoſtolicæ Legato habet Nicolaus Serarius, Libro quinto *Rerum Moguntinarum*, pag. 858. factus poſtea Philippus Patriarcha titularis Hieroſolymitanus, tum Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Petri & Marcellini, ac demum Epiſcopus Sabienſis, annoque 1382. die 27. Auguſti mortuus eſt: cujus teſtamentum quoque editum eſt à clariſſimo viro Franciſco Ducheſnio *in Hiſtoria Cardinalium Francorum.* Agunt *de Philippo Caballo Cavellicenſi Epiſcopo*, Raynaldus locis citatis, in Continuatione *Annalium Eccleſiaſticorum* Cæſaris Baronii. Sammarthani Fratres tomo 2. *Galliæ Chriſtianæ* in Epiſcopis Cavellicenſibus. Ferdinandus Vghellus tom. 1. *Italia ſacra* in Epiſcopis Sabinenſibus. Omnes alii, qui de Cardinalibus noviſſime commentati ſunt. 1350

MICHAEL DE BONONIA, AYGRIANUS dictus, ſeu *Aiguanus*, Ordinis fratrum 1350

trum

trum Carmelitarum, natione Italus, Conventus Bononiensis alumnus, ab anno circiter 1350. ob Theologiæ scientiam clarus, obscura hac ætate enituit inter suos. Anno enim 1354. in Capitulo sui Ordinis Ferrariensi, anno 1358. in Capitulo Burdegalensi, & anno 1362. in Capitulo Treverensi, designatus est lector Publicus in Conventu fratrum suorum Parisiensi, ubi & inter legendum composuit *Commentarios in quatuor Libros Sententiarum*, qui primum quidem Mediolani anno 1510. apud Leonardum Vegii in folio impressi leguntur, atque iterum Venetiis anno 1623. in folio typis Joannis Guerilii, emendante F. Leone Priolo Ordinis Carmelitarum. Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* pag. 503. verbo *Michael de Bononia*, recte *Commentarium ejus in 4. libros Sententiarum* Mediolani excusum esse prodit, qui pleraque alia Michaelis scripta, & in his insigne opus *De purissima conceptione Virginis Mariæ* enumerat. Extat enim in folio volumen antiquo charactere impressum & inscriptum, *Quæstiones Michaelis de Bononia Disputata in quatuor libros Sententiarum* Mediolani 1510. in folio, inter Veteres editiones Bibliothecæ Joannis Mori Nortvicensis in Anglia Episcopi, Codice 196. ut habetur Tomo 2. Codicum MSS. Angliæ & Hiberniæ, in Catalogo MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum, pag. 383. col. 2. num. 196. Extat quoque hujus Michaelis de Bononia *Commentarius in libros Sententiarum* MS. inter alios ejusmodi Commentatores, in Bibliotheca Patavina *Sancti Antonii de Padua*, ut habet Jacobus Philippus Thomaſſinus in Catalogo Bibliothecarum Patavinarum, tam publicarum quam privatarum, quem Vtini anno 1693. in 4. edidit. Itemque in Bibliotheca Veneta ejusdem Sancti Antonii de Padua, *Michael de Bononia, Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo in sententium Sententiarum*, folio in membrana; ut habet idem, qui supra Thomaſſinus, in Catalogo Bibliothecarum Venetarum publicarum & privatarum, quem Vtini anno 1650. in 4. protulit. Denique in Bibliotheca sanctæ Justinæ Patavina inter MSS. Codices *Lectura super Psalterium composita per fr. Michaelem de Ayguanis de Bononia*. Bernardo autem Olensi, Præposito seu Magistro Generali fratrum Carmelitarum in Capitulo Ordinis Brugis in Flandria deposito, Michael Ayguanus ibidem Vicarius Generalis totius Ordinis factus est, tum anno 1381. in Comitiis Ordinis Veronam convocatis, declaratus & electus Magister Generalis seu Propositus Ordinis, quem perdoctè rexit usque ad annum 1386. Quo ab Vrbano sexto Genuam adventante Ayguanus ibidem depositus est, ex plenitudine Apostolicæ potestatis, nulla ratione allegata, vel juris forma producta. Hac autem destructione non obstante, anno 1394. factus est a Bonifacio Papa IX. Vicarius Generalis provinciæ Bononiæ, cum plena eam gubernandi potestate ac reformandi, adfuitque Capitulo Ordinis Generali anno 1396. Placentiam convocato, velut ejusdem provinciæ Definitor. Idem anno 1397. scripsit nobilem *Commentarium in Psalmos*, sæpius sub nomine, *Incogniti in Psalmos* impressum, Compluti nimirum anno 1524. Lugduni anno 1588. & ibidem anno 1603. in folio: sed nostris temporibus, sub nomine proprii authoris ibidem impressum annis 1652. & 1673. Opus eximium, profundum, ab omnibus quos hucusque viderim laudatum. Obiit Bononiæ in suo Conventu, anno 1400. decimo sexto Kalendas Decembris. Hoc aperte constat ex ejus Epitaphio, quod legitur in Ecclesia Carmelitarum Bononiensium in Italia, lapidi marmoreo sepulchrali impressum, ante majus Altare hujus templi.

Michael Doctor hic est, Ayguana Bononias illum
Stirps dat, Carmeli quem tulit Ordo, caput.
In David ejus ovat calamus, stupor estque Latinis,
Et Gallis virtus, ingeniumque Senis.
Bis septingentos annos, patet ecce Novembrem,
Atque bis octenos, explicuisse dies.

De illo Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri*, verbo *Michael Angrianus*, pag. 503. Petrus Lucius in *Bibliotheca Carlitana*. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*. Antonius Alegre in *Paradiso Carmelitici Decoris* pag. 316. Ludovicus de S. Therasa in *Successione Elia Propheta* Gallice scripta, cap. 241. pag. 550 amplissime omnium. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice authorum*, quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 131.

PETRVS DE CEFFONA CLARAVALLENSIS MONACHVS, claruit circa annum 1350. dictusque *de Ceffona* ex fide MSS. Codicum. Vir ille impense devotus fuit, qui cum corruptissimam in multis Ecclesiam intueretur atque lugeret, sub nominibus etiam ementitis, aliqua Opuscula ad morum correctionem & Ecclesiæ in moribus emendationem tendentia composuit. Extant in Bibliotheca Colbertina Codice manuscripto 1502. hujus Petri sequentia. 1350

Epistola Jesu Christi ad Innocentium sextum anno 1353. divisa in Capita centum, authore Petro Monacho Claræ Vallensi.

Epistola Luciferi ad Mundanos, scripta anno Christi 1351. quam edidit Joannes Wolphius *Rerum Memorabilium* Tomo 1. Centuria 14. pag. 654.

Ejusdem Petri Claræ Vallensis tractatus De potestate summi Pontificis.

Extat præterea *Centilogium Jesu Christi contra Epistolam Luciferi*, in Abbatia Alnensi Ordinis Cisterciensis juxta Thurinum in Ditione Leodiensi, ut habet Catalogus MSS. Codicum hujus Abbatiæ, apud Sanderum parte 2. *Bibliotheca*

theca Manuscripta, pag. 25. Omnia denique ferme hujus Petri Opera, extant MSS. in insigni Bibliotheca Abbatiæ Claræ Vallis, cujus Monachus extitit, nimirum *Petrus de Cessona in tertium & quartum Sententiarum*, itemque *Centilogium Jesu Christi a fratre Petro de Cessona Monacho ClaraVallensi* editum, & *Ejusdem liber de auctoritate summi Pontificis*. Ita accuratus ac recens Bibliothecæ hujus Catalogus anno 1664. a Bibliothecario compositus, quem apud me habui. Claruit is temporibus, quibus hæc Opuscula inscripta sunt, de quo videre potes Carolum Wischium in *Bibliotheca Scriptorum Cisterciensium*, ubi nullum vel paucos omisit.

DISSERTATIO
DE
VITA ET OPERIBUS JOHANNIS WICLEFFI.

PROLOGUS

Accuratam dogmatum Wicleffianorum cum hodierna Ecclesiæ Anglicanæ doctrina concordiam fuse demonstravit prolixa Wicleti Apologia Anglico sermone edita Oxonii 1608. in 4. vir doctissimus Thomas Jamesius, qui Parsoni aliorumque absurdas opiniones Wiclefo summa injuria affluentium, calumnias invicte diluit. Post cujus Confessoris clarissimi obitum, in sanctissimos ejus manes, Pontificii maxima ut solent insania debacchati sunt. Conclusiones 18. ex Trialogo ejus desumptas, habita Londini anno 1396. Synodo, hæreseos damnavit Thomas Arundelius Cantuariensis Archiepiscopus, librosque illius omnes comburi jussit. Sint licet argumenta, quæ Synodum illam ad annum 1410. referendam esse suadeant, non contemnenda. Inprimis vero, Cancellarii totiusque Academiæ Oxoniensis testimonium, solemni decreto anno 1406. Wiclefo redditum, quod ad calcem Operum Johannis Hussi reperitur. Postquam enim præclarum probitatis ac pietatis elogium illi reddidisset, *fortemque fidei athletam singulos mendicitate spontanea Christi religionem blasphemantes, S. Scripturæ sententiis Catholice expurgantem* appellasset, hæc subinfert. *Nec fuerat prædictus Doctor pro heretica pravitate convictus, aut per nostros Prælatos post ejus humationem traditus incendiis. Absit enim, quod nostri Prælati tanta probitatis virum pro Hæretico condemnassent, qui in Logicalibus, Philosophicis & Theologicis, ac Moralibus & Speculativis, inter omnes Universitatis nostræ, ut credimus, scripserat sine pari.* Ejus tamen *Conclusiones* XLV. partim hæreseos, partim erroris damnavit Constantiense Concilium, libros flammis comburi, ossaque sepulchro educta ignibus cremari decrevit, ac Decretum Concilii ex Mandato Martini V. anno 1428. Richardus Flemyng Lincolniensis Episcopus exequutus est. Hæc Henricus Warton in Continuatione *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1360. pag. 52. Hæc sors illorum omnium, qui Romanæ Ecclesiæ errores, fabulas, abusus, corruptiones arguere voluerint, qui reformandam illam in melius scripserint, qui in superstitiones & humanas ejus inventiones, quarum pars maxima in illis est, divino zelo accensi insurrexerint. Huic tamen de comburendis Wicleffi libris eruditi non obtemperarunt, Decreto, quod injustissimum illi noverant, quam ob rem hic occasione data, de plurimis Operum Wiclefi MSS. Codicibus, quanta prolixitate licuerit disseremus: ut celeberrimi illius Doctoris memoriam, quam Romani Pontifices atque Pontificii variis insusserunt calumniis, posteritati, recensione Opusculorum ejus adhuc ubique in bibliothecis extantium, conservemus.

CAPUT PRIMUM.

DE VITA ET OPERIBUS MSS. JOANNIS WICKLEFFI.

JOANNES WICKLEFUS, natione Anglus, 1360
Oxonii in Collegio Mertonensi educatus, cujus primum Scholasticus, deinde socius fuit, ab anno circiter 1360. clarissimus ob doctrinæ famam Philosophus, atque Theologus audiit. Non procul enim ab hoc tempore Joannes Wiclefus, secundum statuta a Simone Islip Cantuariensi Archiepiscopo Collegii Cantuariensis apud Oxonienses fundatore, paucis ante annis data, Præfectus hujus Collegii rite a sociis secularibus electus fuerat: ægre tamen id ferentibus quibusdam Monachis tumultuantibus, qui cum huic Collegio pedem non ita pridem intulissent, aliquem e suis Monachis ad Præfecturam Collegii hujus promovere, omni studio & industria contenderant. Clamitantibus igitur perpetuo ad aures Cantuariensis Archiepiscopi Monachis, Wiclefum Præfectum ægris oculis intuentibus, illum a Præfectura ejusmodi injuste submovit Simon Langhamus Cantuariensis Archiepiscopus ac Cardinalis anno circiter 1367. Passos hanc injuriam a Simone Wiclefo, ad Urbanum V. Romanum Pontificem appellatione interjecta, contestatio mota Andruyno Cardinali iudicanda committitur. Qui partibus tandem auditis sententiam tulit, solos Monachos secularibus exclusis Collegium possidere debere, Wiclefum sociosque facta prius Monachis injuriarum compensatione, expellendos esse: quam Cardinalis sententiam Urbanus Papa V. ratam habuit,

buit, bulla anno 1370. data, cujus litis integer processus MS. asservatur in archivis Bibliothecæ Archiepiscopalis Lambethanæ. Nulli vero dubium, quin ex hac lite maxima odia Wiclefo adversus Monachos enata sint, a quibus tali præfectura orbatus est. Nihilo Segnius tamen Theologiam in Academia Oxoniensi publice professus est, doctrinamque imprimis sectabatur, atque Libros volvebat Roberti Lincolniensis Episcopi & Richardi Armachani Archiepiscopi, quibus supra modum delectabatur. Nullam vero occasionem elabi patiebatur, quin contra Monachos Ecclesiasticis officiis sese immiscentes loqueretur, eorumque corruptiones atque turpitudines privatim ac publice propalaret, quos ab Ecclesia eliminandos esse omni modo docebat. Contra Monachi clamabant & scribebant adversus Wiclefum, quem Hæreticum appellabant, omnibusque occasione data diris ac criminibus accusabant: idque circa doctrinam potissimum, cum circa mores viri integerrimi nihil possent. Sub ultimis igitur Edwardi Regis senio jam debilis ac tantum non delirantis temporibus, Simon Sudburius Archiepiscopus Ecclesiæ Cantuariensis, interpellatus potissimum importunis precibus ac instantiis Monachorum, præcipueque Mendicantium Ordinum, itemque Romanæ curiæ, quarum expilationes perpetuasque pecuniarum Anglicarum emunctiones palam arguebat Joannes Wiclefus, Synodum anno 1377. mense Februario Londini cum præcipuis Angliæ celebravit, ut a Wiclefo quem vulgo jam plerique Hæreticum dicebant, doctrinæ suæ rationem exigeret, procacitatemque linguæ vel carcere vel silentio indicto refrænaret. Adfuit Wiclefus, qui causam suam intrepide egit, & Joannis Lancastriæ Ducis, partibus suis addictissimi, aliorumque procerum, qui præsentes Concilio huic aderant auxilio fultus, Episcoporum ictus ac censuras, Romanæ Ecclesiæ corruptionibus & exactionibus occulte faventium, salvus evasit. Anno 1382. Guillelmus de Curtenaco seu Curtenacio Cantuariæ recens Archiepiscopus, adversus Wiclefi dogmata Synodum Londini celebravit, ubi Joannis Wiclefi doctrinam magna ex parte Orthodoxam & hodie in Reformatis Ecclesiis receptam, inquit Godwinus *De Episcopis Angliæ* pag. 172. in Archiepiscopis Cantuariensibus, quæ non modo inter Doctos, sed in ipsum vulgus late sparsa fuerat, velut hæreticam urgente Romano Pontifice damnavit. Inter defensores doctrinæ Wicleffianæ Robertum Rugg Oxoniensis Academiæ Cancellarium, & Thomam Brightwell Theologum doctorem, ad palinodiam protinus adegit. Nicolaum vero Hereford & Philippum Repingdon Theologiæ etiam Doctores ac Joannem Ashton artium Magistrum, cum a sententia dimoveri nollent, pronuntiatos hæreticos excommunicavit, quos tamen postea Wiclefianis renuntiare dogmatibus juramento compulit, ex quibus Repingdonus Episcopus postea Lincolniensis & Cardinalis etiam creatus est. Inde postmodum ut narrat Walshinganus cum circa festum S. Johannis ante portam Latinam quod die 6. Maji celebratur, convocati fuissent ad Parlamentum cuncti Proceres & Maiores Regni: „Scripsit ad illos Joannes Wiclefus, aliquas propositiones„ ad tutelam Regni necessarias: videlicet quod„ nulli sedi aut Prælato obediretur, nisi quantum„ scriptura jubet in obedientiam Christi. Nec„ curiæ Romanæ aut Avenionensi aut alicui ex„ tero, pecunia Regni mitteretur, nisi debita„ ex Scriptura ostenderetur. Nec Cardinalis„ nec quivis alius perciperet fructus Ecclesiarum„ Angliæ, nisi vel resideret, vol occuparetur in„ causis Regni a proceribus approbatis. Quod„ Communitates Regni non onerarentur subsi„ diis insuetis, antequam omnia bona Ecclesiasti„ corum defecissent: & quicunque eorum in„ contemptum Dei incidisset, ejus bona fisco ad„ dicerentur. Quod Rex nullum Episcopum„ aut Curatum manciparet ministerio suo secu„ lari &c.„ Quibus excitatus Guillelmus Curtenaius Cantuariensis Archiepiscopus, in locum Simonis anno præcedenti a seditiosis necati suffectus, collecta Episcoporum & Doctorum Synodo, cum prædictas, tum assertiones damnavit, quæ sigillatim a Walsinghamo in *Richardo II.* recensentur. Harsfeldius autem in *Historia Wickleffi* cap. 5. habet, ad hæc tempora Richardum Regem fecisse potestatem Episcopis, includendi in carcere omnes de hæresi suspectos, præcepisseque Libros Wickleffi & sectatorum ejus inquiri, & ad Episcopos ad ignem deferri. Scripsit autem innumeros ferme tractatus tam lingua Anglica quam Latina, utpote vir doctus atque ad scribendum & adversariis respondendum, promptissimus. Nec dubium, quin ex tali mandato, de inquirendis ac destruendis Wiclefi Operibus & scriptis, plurima illorum ruinam & flammam passa sint. Ingentem autem illorum fuisse multitudinem, aperte constat ex Joanne Balæo, qui titulos illorum profert in Opere suo *De Scriptoribus Angliæ*, cum compendio vitæ Joan. Wicleffi. Idemque videri potest in *Bibliotheca Conradi Gesneri*, & in *Epitome Josiæ Simleri* pag. 510. ubi Balæum refert. Horum autem omnium nullus est, qui aliquid impressum fuisse referat, præter Josiam Simlerum loco citato, asserentem *Libros IV. Dialogorum Joannis Wicleffi De rebus sacris*, fuisse alicubi impressos anno 1525. in 4. quamvis locum designare non potuerit. Non ita tamen omnia flammis tradita sunt, etsi de illis tradendis & comburendis mandatum accesserit, quin aliqua MSS. supersint. Nam teste Thoma Jamesio in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi, extant adhuc in Anglicanis Bibliothecis.

Joannis Wicleffi varii & acerbi tractatus Anglice scripti contra Clericos & alios Monachorum status, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti Cod. 362.

Unum volumen Homiliarum Anglice scriptarum, ib. Cod. 120.

Ejus-

Ejusdem Tractatus de actibus animæ, ib. Cod. 394.

Ejusdem Determinatio contra Kilingam Carmelitam, ibidem Cod. 394.

De Incarnatione Verbi, MS. in Bibliotheca Baronis Lumleji, Cod. 297.

Ejusdem Confessio de Corpore Christi, MS. in eadem Bibliotheca, Cod. eodem.

Controversia inter Johannem Wicleff & Monachos, Cantabrigiæ in Bibliotheca ejusdem Lumleji Cod. 104.

Speculum secularium Dominorum, MS. in Bibliotheca Regis Westmonasteriensi.

Ejusdem *Lectiones in Apocalypsim* MSS. in 4. asservantur Viennæ in Bibliotheca Imperatoris, ut testis est Josias Simlerus, qui a Bibliothecario, Catalogum omnium hujus Bibliothecæ MSS. Codicum apud se habuit. In eadem Bibliotheca Imperatoris Viennensi exrat *Joannis Wicleffi* Opus *De abominatione in loco sancto* Latine MS. chartaceum in 4. num. 44. ex his MSS. Codd. quos anno 1665. ex Bibliotheca arcis Ambrosianæ prope Ænipontem induxit in Imperialem Bibliothecam Petrus Lambecius, cujus Operis initium, *Audite hac Sacerdotes & attendite* &c. de quo vide Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem tomo 2. pag. 777. num. 44.

In Italia quoque Florentiæ in Bibliotheca Laurentiana celebri, ut testatur oculatus testis Joannes Mabillon, in *Itinere Italico* suo pag. 169. exrant MSS. Joannis Wicleffi opera sequentia.

Tractatus Magistri Joannis Wiclef De fundatione Pseudo-fratrum.

Tractatus de Christo & Antichristo.

De contrarietate duorum Dominorum.

De citationibus frivolis & aliis versutiis Antichristi.

De nova prævaricantia mandatorum.

Speculum Ecclesiæ militantis.

Dialogus inter veritatem & mendacium.

Alius Trialogus quatuor libris inter aletbiam, pseustin & phronesin.

De Dominis & servis, aliaque fortitan alibi, inquisita invenirentur.

CAPUT SECUNDUM

DE MANUSCRIPTIS OPERIBUS WICKLEFFI EX CATALOGO MSS. CODICUM ANGLIÆ.

CUm anno 1698. 2. in folio voluminibus Franciscus Bernardus Oxonii e theatro Sheldoniano, Catalogum omnium fere vel potissimarum Angliæ & Hiberniæ bibliothecarum ediderit, in quibus extant plurima Opuscula MSS. Johannis Wickleffi, quæ flammis olim ab iniquissima Synodo damnata fuerant, inde nobis illa eruere certis capitibus distincta operæ pretium visum est, ut quam male a populis Synodo obtemperatum fit, hinc erudita posteritas agnoscat. Primum itaque transtulit Wickleffus.

Omnes sacræ Scripturæ libros ex versione Latinæ editionis vulgatæ Divi Hieronymi in linguam Anglicam, cujus versionis multa extant exemplaria in MSS. Angliæ Bibliothecis. Inter MSS. Codd. Bodleianæ bibliothecæ Cod. 2124. in MSS. Codd. Thomæ Bodleii litera C. 7. Cod. 1. John Wicliffe Translation of the Bible. Inter MSS. Codd. Universitatis Cantabrigiensis Cod. 2. in MSS. Codd. Collegii S. Emmanuelis Cod. 2. Biblia Anglicana longe omnium pulcherrima, quæ licet absque nomine authoris sint, tamen teste Wharthono in Continuatione *Historiæ rei literariæ* Guillelmi Cavi in Joh. Wickleffo ad annum 1360. pag. 53. ad Wickleffum pertinent, quam versionem concinnavit anno 1383. prout Codex MS. in Collegio Emanuelis Cantabrigiæ asservatus in frontispicio adscriptum habet. Inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedr. & aliarum celebrium bibliothecarum Cod. 3002. in MSS. Codd. bibliothecæ Norfolcianæ Cod. 103. The Bible in Englisch, translated by John Wicliff 2. vol. Ibidem Codice 9341. in MSS. Codd. Joannis Mori Nortwicensis Episcopi, Cod. 155. Johannis Wicliffi Biblia integra, grandi folio. Codex membraneus pulcher. Inter MSS. Codd. biblioth. Cortonianæ sub effigie Neronis litera E. Cod. 2. Biblia sacra Anglice, ex versione Joh. Wicliff cum annotationibus marginalibus. Liber mutilus est ab initio, incipit enim ab ultima parte capitis 9. libri Geneseos. Liber sane bene & accurate scriptus.

Hujus Wicleffi librorum S. Scripturæ Anglicanæ versionis, exemplaria quoque per parres multa, in MSS. Codd. Bibliothec. Angliæ. Inter MSS. Codd. Universitatis Oxoniensis Cod. 1892. in MSS. Collegiis. Johannis Baptistæ Abaco secundo, lit. W. Cod. 94. Wicliffi Biblia Anglicana, quæ continent omnia a Geneseos cap. 1. ad finem libri secundi Machabæorum. Inter MSS. Codd. Bodleianæ biblioth. Cod. 2467. in MSS. Codd. Thomæ Bodleii litera F. 10. Cod. 4. Wiccliffs Translation of rhe old Testament as far as the Proverbs.

Quod autem Novum Testamentum, inrer MSS. Codd. Bodleianæ biblioth. Cod. 3553. in MSS. Codd. Hyperoi Bodleiani Codice 62. Jo. Wicliffe Translation of the New Testament. Ibidem Codice 3891. in MSS. ejusdem Hyperoi Bodleiani, in MSS. Codd. Dni. Thomæ Fairfax Cod. 11. Wiclefi Translatio Novi Testamenti. Ibidem Cod. 5141. in MSS. Codd. Francisci Junii Cod. 29. Novum Testamentum Anglicanum MS. ex Wiclefi translatione, cui præfigitur tabula Epistolarum & Evangeliorum in Dominicis diebus, & in Commemorationibus Sanctorum per totum annum legendorum. In 4to in pergameno. Ibidem Codice 8179. in MSS. Codd. Eliæ Ashmolii, in Theologicis Anglicis, Wicliff Translation of the New Testament, Membrana in folio. *In hoc Codice primum folium cujuslibet libri desideratur 1517. dubio procul a possessore in Wicleffi abominationem, avulsum.* Inter MSS. Codd. Universitatis Cantabrigiensis Cod. 102. in MSS. Codd. Collegii Emanuelis, Classe secunda, Codice 102. John Wickliffe Translation of the New Testament, with a Church Calendar

lendar above 300. years old, in Vettum. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium bibliothecarum, Cod. 916. in MSS. Codd. Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Cod. 82. Wicklefs New Testament, delicately written en fine velum, and embellisch d with guildel Lettres. Written about 1381. Ibidem Cod. 6750. in MSS. Codd. Samuelis Pepysii Cod. 31. Wickliffes Translation of the New Testament, in pergameno 2. vol. in 16. Hæc quoad translationem Librorum S. Scripturæ in Anglicam linguam a Wicleffo factam. *Prologus* autem *ad integrum versionem Anglicam Bibliorum* ab ipso adornatam, Anglice Londini anno 1550. in 8. impressus est. Jam ad Commentarios Anglice ab ipso editos veniamus.

Inter MSS. Codices biblioth. Bodleianæ Cod. 3021. in MSS. Codd. Thomæ Bodleii, Rotulis in Archivo A. Cod. 32. Joan. Wicleffus de veritate sacræ Scripturæ 1378. in 4. Ibidem Codice 2438. in MSS. Codd. Thomæ Bodleii litera F. 7. Cod. 10. The Psalms in Latine with a Comment in old English, by Wiccliff. After the Psalms follow the several Canticles of Holy Scripture &c. with a like Comment. Ibid. Cod. 3085. in MSS. Codd. ejusdem Thomæ, Rotulis in Archivo A. Codice 96. The Psalms in old English with a Comment, forsitan *Wicklefi*. Idem *Commentarius in Psalmos, aliosque Scripturæ ac Liturgiæ Ecclesiasticæ hymnos* ab Henrico Whartono dicitur MS. in Collegio S. Trinitatis Cantabrigiensis in folio, qui tamen mihi Catalogum hujus bibliothecæ evolventi ac sæpius legenti, non comparuit. Ejusd. Comment. Anglice in Psalmos LXXXIX. priores Anglice, habetur MS. in Lambetana Archiepisc. Cantuar. biblioth. Denique inter MSS. Codices Vniversit. Oxon. Cod. 96. in MSS. Codd. Collegii Vniversitatis in theca ad sinistram Cod. 2. De libris Vet. Testamenti, quid in singulis contineatur: & aliquorum capita, quæ pro Evangeliis leguntur. In Dominica Palmarum &c. Translatio idiomate Anglicano veteri, quæ *Wicklefi Elucidarium Bibliorum* in 8.

CAPVT TERTIVM.

DE OPERIBVS ALIIS JOANNIS WICKLEFI MSS. EXTANTIBVS.

Henricus Warthon in *Auctario Historiæ Dogmaticæ de Scripturis & sacris vernaculis* pagg. 424. 425. & 426. rationes quasdam refert, quibus quanquam infirmis contendit, Versionem integram S. Scripturæ Anglicam, quæ in Bibliothecis Anglicis tanta multitudine MSS. Codd. continetur, non pertinere ad Wickleffum, sed ad Joannem de Trevisa, ejusdem ætatis virum, qui hoc opus aggressus sit. Ita autem pag. 426. „Rejecto itaque Wiclefo, restat ut alium Au„thorem quæramus. Duo solummodo quod „sciam, media ætate fuerunt interpretes integræ „sacræ Scripturæ Anglicani, Wiclefus & Joan„nes Trevisa, de quo plura ad annum 1387. „Huic itaque dictam versionem libenter adscriberem, optime enim illius ætas versioni convenit. Quum in Præfatione enim *Richardi Armachani Summa adversus Armenos* citetur, illam post medium seculum XIV. scribi necesse est. Obstat equidem, quod in ipsamet versione nonnulla reperiuntur, quæ seculum Trevisa anterius prima fronte demonstrare possent." Huc usque Henricus Warthon.

Biblia Anglice versa per Johannem Trevisa, ad petitionem Domini sui Thomæ de Barkeley, cum præfatione cujus initium, *Ego Joannes Trevisa Sacerdos* &c. Hic author, qui *Polychronicon* usque ad annum 1397. continuavit, in fine hujus libri, tempus quo scripsit, his verbis proponit: *Versio ista finita est die Jovis* (legepotius die Martis) *die 18. Aprilis, anno Domini 1357. anno autem 35. ætatis Patroni mei Domini de Barkeley, qui me versionem istam adornare fecit, atque anno 31. regni Regis Eduardi post conquestum Angliæ tertii*. Hæc Jacobus Vsserius in *Historia Dogmatica de Sacris & Scripturis vernaculis*. Quæ refert Jacobus le Long Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis *Bibliotheca Sacra* Tomo seu parte 2. Cap. 10. Sectione 4. *de Bibliorum Anglicorum antiquis MSS. Codicibus* pag. mihi 315. Verum, quæ afferuntur a viris istis duobus Henrico Warthono & Vsserio Armachano, responsione & confutatione non egent, cum Whartonus ipse diserte fateatur *Biblia omnia in Anglicam linguam a duobus viris eadem ætate viventibus Joanne Wicklefo & Joanne Trevisa*, translata fuisse. Non enim impedit Joannis Trevisani opus, quod in Anglia rarissimum, quominus tempore eodem vel tantillum antea, idem Joannes Wickliffus præstiterit. Clare id constat ex incredibili multitudine *Bibliorum Anglicorum*, quæ Wicklefi nomen præferunt, atque accurate recenset Jacobus le Long citatus *Bibliotheca Sacra* Tomo 2. cap. 10. sect. 4. pagg. 316. 317. 318. 319. 320. quorum multitudo tanta, ut demonstrationem in Joannis Wickleffi gratiam faciant. Hæc contra Warthonum & Vsserium nihil probantes.

Inter MSS. Codices Bodleianæ biblioth. Cod. 1279. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi lit. H. Cod. 16. Johan. Wickliffi Commentarius in Concordiam Evangelicam Anglice, nempe a Clemente Langtoniensi Presbytero, Latine conscriptam & Anglice versam. Idem Opus ibidem Anglice, Cod. 2553. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji lit. F. 11. Cod. 58. num. 1. A Boac made of the four gospellers by *Clement* a Priest of the Churgh of Lantony in 12. parts. This beginneth with a Kalendar of al the Gospels that beread in the Church. Num. 2. Fragmens of S. Paul's Epistles, the Canonical Epistles, part of the Acts of the Apostles, and several places of the old Testament, translated in old English. The whole containes 40 leaves. Ibidem Cod. 1580. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi lit. L. Cod. 54. Johan. Wickliffe Commentarius in Matthæum cum altero in Apocalypsim, Anglice. Ibidem Cod. 661. in MSS. Codd. ejusdem Guilielmi Laudi

di lit. G. Codice 9. *Omnes Epistolæ Apostolorum, nec non Commentarius in Apocalypsim per Johannem Wickliff.* Anglice.

Inter MSS. Codices Bodleianæ biblioth. Cod. 2245. in MSS. Codd. Thomæ Bodleii lit. D. 7. Cod. 9. num. 9. Compendium 10. Mandatorum editum a Magistro Johanne Wickliffe Doctore Evangelicæ veritatis. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Cod. 98. in MSS. Codd. Collegii Vniversitatis in theca ad sinistram Cod. 5. Expositio in decem Præcepta Dei Anglice, How men that been becle Schude visite secke folke. Item Sermones idiomate Anglicano, & Expositio in Decalogum & Orationem Dominicam. A Sentence fulc good and proficable to rede, wich is ycleped the mirrour af Synneres, by Wicleve.

Inter MSS. Codices Cottonianæ biblioth. sub effigie Titi lit. D. Cod. 19. num. 25. Observationes piæ Joannis Wickliff in Præcepta decem, in Christi concionem in monte habitam, videlicet in *festo omnium Sanctorum*, sive, De octo beatitudinibus. De duodecim impedimentis Orationis. Item de decem mandatis, sed compendiosius. De 7. operibus misericordiæ. De quinque sensibus corporalibus & spiritualibus. De Cardinalibus virtutibus. De tribus gratiis. De septem peccatis mortalibus, & virtutibus oppositis. Anglice. In MSS. Codd. bibliothecarum Hiberniæ Cod. 812. in MSS. Codd. Collegii S. Trinitatis Dublinensis lit. W. Cod. 672. Discourses of Jo. Wickliffe touching the 10. Commandements. the Pater Noster of perfect life, ghostly battle, to loue Jesus, of a contemplative life, and of Chastitie, in old English. In 8. parchment H. 75.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Cod. 737. in MSS. Codd. Collegii Sidnei-Sussex lit. K IV. Cod. 12. num. 1. *Wicliff's Sermons*, in fol. Ibidem Cod. 1397. in MSS Codd. Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ Cod. 120. *Homilia Anglice per Magistrum Jo. Wicklef.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Cod. 6908. in MSS. Codd. Henrici Worseley, Cod. 60. *Wickliff's Postills in English*, velum. Inter MSS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ Cod. 813. in MSS. Codd. Collegii S. Trinitatis Dublinensis litera W. Codice 673. *Joan Wickliffe's Postills in old English*, in folio, Parchement. C. 35. Inter MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ, sub effigie Claudii lit. C. Cod. 8. num. 2. *Postills of John Wickliff upon the Gospels, and oter festival days.*

Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Cod. 2262. in MSS. Codd. Thomæ Bodleii litera E. 1. Codice 15. *Joannis Wicklefi Ecclesia regimen in Articulos digestum &c.* Anglice. Ibidem Cod. 3072. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji, Rotulis in Archivo A Cod. 83. num. 1. *Jo. Wickliffi of the 7. deadly Sins*, pag. 1. Num. 2. Idem de tribus blasphemiis Monachorum, pag. 37. Num. 3. Idem de vita Sacerdotum pag. 57. Num. 4. Ejusdem fides de Sacramento Altaris pag. 63. 64. Num. 5. Eclogæ Sententiarum ex Scriptoribus variis, de vitiis Cleri &c. pag 65. Num. 6. The Protestation of *Nicol Hercfort* and *Philip Repindon* in Prison at *London* an. Dom. 1382. pag. 70. Num. 7. the Protestation of John *Aston*, ibidem. Num. 8. The Rude of St. Francis pag. 71. Num. 9. The same in Latine pag. 79. Num. 10. Joan. Wickliffe contra Monachos, pag. 86. Inter MSS. Codices Vniversit. Cantabrig. Cod. 1630. in MSS. Codd. Collegii S. Benedicti Cod. 363. *Quidam Tractatus Johannis Wickleffi contra Clericos & alios Statu*, Anglice in 4. Nota margini Codicis isthæc Anglice inscribitur. In isto volumine habentur collecti Tractatus omnes mordaces, de erroribus ac corruptionibus, quæ suo ævo Joannes Wiclefus deprehendit, præsertim autem in Clero, in Monachis, & in mundi Ordinibus. Inter MSS. Codices Cottonianæ biblioth. sub effigie Titi lit. D. Cod. primo. Articles XXXVII. of John Wickliff in wich he inveighs against the errors, and the Ecclesiasticks of those times, in old English. *Quæstiones ejusdem varia contra Clerum*, extant Anglice MSS. in bibliotheca Lambethana in 12.

CAPUT QUARTUM.

DE OPUSCULIS DIVERSIS ALIIS JOANNIS WICKLEFFI.

Joannis Wicklefi Tractatus de incarnatione Verbi, inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Cod. 8075. in MSS. Codd. Jacobææ bibl. Cod. 353.

Propositiones Joannis Wiclefi, inter MSS. Codices Bodleianæ biblioth. Cod. 3849. in MSS. Codicibus Hyperoi Bodleiani, in Codd. Richardi Jamesii Theologiæ Doctoris, Cod. 12.

Joannes Wiklef de ente universali & attributis divinis, inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Cod. 326. in MSS. Codd. Collegii S. Trinitatis, Classe sinistra, serie infima, Cod. 8.

Ejusdem de actibus animi, inter MSS. Codices ejusdem Vniversitatis, Cod. 1661. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Cod. 394. num. 2. Ibidem num. 11. *Determinatio Joannis Wicklef contra Kylinguam Carmelitam.*

Item *Determinatio Joannis Wickliff facta anno 1379.* inter MSS. Codices Hiberniæ, Cod. 148. in in MSS. Codd. Collegii S. Trinitatis Dublinensis, lit. A. Cod. 8. num. 6.

Ibidem *Johannis Wickliff's Works to of the Duke of Lancaster anno 1368.* in 4. in iisdem MSS. Codicibus, Cod. 814. in MSS. Codd. ejusdem Collegii S. Trinitatis Dublinensis, lit. W. Cod. 674. Parchement H. 17.

Item *Protestatio, Quæstiones, Epistola & Determinatio Domini Joannis Wickliff*, inter MSS. Codd. Bodleianæ biblioth. Cod. 3340. in MSS. Codd. Johannis Seldeni, in Archivo B. Cod. 10. num. 7.

Item *Magistri Joannis Wicklefi Confessio de Sacramento Altaris in festo Sanctorum Gordiani & Epimachi anno 1380.* pag. 57. Inter MSS. Codices Bodleianæ ejusdem bibliothecæ Codice 2766. in

in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super O 1. Artium Codice 9. num. 3.

Et ibidem num. 6. *Joannis Wicklefi Determinatio contra unum Monachum de Dominio*, p. 66. b.

Etiam in *Fasciculo zizaniorum Magistri Joannis Wickleffi cum Tritico*, quem Thomas Waldensis collegit, extant Opuscula Wicklefi quædam, ut in Thoma Waldensi nos postea observabimus. Nempe num. 2. *Joannis Wicklefi Conclusiones de Sacramento Altaris* pag. 28. Num. 4. *Joannis Wicklefi Confessio* pag. 29. Num. 9. *Joannis Wicklefi Libellus Parliamento Richardi II. exhibitus contra statum Ecclesiæ*, pag. 57. Num. 10. *Responsio Joan. Wickliffe ad dubium a Rege & Parliamento propositum anno 1. Richardi secundi*, p. 59. Num. 12. *Joannis Wicklefi Defensio post damnationem suam in Concilio Londinensi*, p. 64. Num. 26. *Joannis Wiclefi litera ad Papam Urbanum VI*, p. 76.

Denique in Catalogo impresso manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ Codicum, Oxonii 2. in folio voluminibus anno 1698. e theatro Sheldeniano Tomo 1. pag. 258. col. 1. extat Catalogus Collectaneorum Domini Richardi Jamesii S. Theologiæ Doctoris & antiquarii celeberrimi. Horum Tomo 3. in 4. extat Tractatus in Anglicana lingua Vet. Ecclesiæ Christi Cantuariensis, forsitan a Wicklefo juxta Franciscum Bernardum conscriptus, in quo opuscula sequentia continentur.

1. Wicklifus De mandatis.
2. De septem peccatis infestis Ecclesiæ Christi, Anglice.
3. Vita Sacerdotum, Anglice.
4. Confessio Philippi Repington, Anglice.
5. The Rule of St. Fraunceys and his observations thereon.
6. Wickliff's Bileve.
7. Tractatus parvus de Schismate.
8. Opus Catecheticum.
9. Of the Pater Noster, and Ave Mariæ.
10. The matter of the poor Caitif.
11. Of the seven Sacrementis. Of Wedlock. Of the life of the Virgin Marie.
12. Proloque to the Bible.
13. Confessio de Sacramento Altaris.
14. Determinatio quædam Joh. Wicliff de Dominio contra unum Monachum.
15. Articuli Wiclefi ex Ms. Thomæ Allen.
16. Contra bullam Papalem.
17. Articles of Wicliff, ex MS. Doctoris Hackwell.
18. Wickliffi Dialogus ex MS. Regio.
19. Tractatus de Diabolo & membris ejus.
20. Speculum Secularium Dominorum.

Hæc de MSS. Wicklefi Operibus dicenda habui ex citatis Catalogis MSS. Codd. Anglicarum & Hiberniarum bibliothecarum.

Condemnatus autem multis erroribus Joh. Wicklefus in Concilio Londinensi a Guillelmo de Courtenay Cantuariensi Archiepiscopo an. 1382. die 17. Maji mensis, quinque vel sex Episcopis, & multis Theologiæ Doctoribus ex Ordinibus Mendicantium omnibus adstantibus & clamantibus, quorum mores & errores in Dialogo & Trialogo suis confixerat, de quo Conciliorum Generalium ultimæ editionis Tomo XI. col. 2052. prolixe agitur. Sed Concilium illud paucorum Episcoporum fuit, partibus Wicleti judicibus constitutis, a quibus ille provocavit. Non damnatus autem Wicklefus proprie ob provocationem ad Concilium factam, ante Concilium Constantiense an. 1415. sessione 8. die 4. Maji, quod doctrinam & libros Joannis Wicklefi damnavit, expressis ex ejus Dialogo & Trialogo articulis XLV. quos illic damnat: cujus etiam libros Archiepiscopus Pragæ, Sedis Apostolicæ hac in parte Commissarius comburendo fere solus sententialiter judicavit, & eorum qui supereslent, lectionem prohibuit. Id quod in Bohemia tantum obtinuit, unde *Ducenta plusquam illius Operum volumina*, pulcherrime conscripta, bullis aureis, integumentisque pretiosis ornata, a Subincone Lepore Archiepiscopo Pragensi, paulo etiam ante Concilium Constantiense publice concremata esse, narrat Æneas Sylvius *Historia Bohemorum* cap. 35. Huic autem Decreto de Wicleffi libris comburendis solus Subinco Lepus Pragæ Archiepiscopus author fuit, aliis hac in parte judicibus Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi tacentibus, qui præsentes aderant. Unde nihil mirum, quod tot Wicklefi MSS. exemplaria, ubique bibliothecarum Anglicanarum occurrant.

Testem hujusce rei hostem etiam Wicklefi apertum damus, Thomam Walsinghamum in Edwardo 3. & Richardo 2. & in Historia Concilii Constantiensis Tomo XII. Conciliorum pag. seu col. 4. litera D. his verbis. "Incitabat illum, præter negotium schismatis, aliud maximum" "Ecclesiæ detrimentum, quod eodem tempore" "impendebat. Cum enim Joannes Wiclefus" "Anglus, homo sceleratus, multas hæreses dis-" "seminasset, easque variis libris complexus es-" "set: tantam perniciem hujusmodi scriptis et-" "iam mortuus attulit, ut multi venenum illud" "mortiferum libenter haurirent, ac tanquam" "curiosi, amentiaque præcipites periculum sum-" "mum, quod in illis latebat, quamvis admoniti" "vitare nollent. Quin etiam (quod mirum est)" "cum in Bohemiam jam libri pervenissent, tan-" "ta fuit illorum hominum stultitia, ut cum pri-" "mo jussu Pontificis Romani, Archiepiscopi tum" "Cantuariensis tum Eboracensis in Anglia, &" "Pragensis in Bohemia, eos libros damnassent," "ac deinde Pragensis eos palam comburi jussis-" "set, postea vero Patres in Synodo Romana eos" "libros iterum condemnassent: multi tamen" "plus Johanni Huss, qui illorum librorum erro-" "rumque patrocinium susceperat, quam reli-" "quis omnibus crederent, nec solum domi re-" "tinerent, verum etiam auro atque argento" "Codices pestilentissimos exornarent." "

Jacobus le Long seu Longus Presbyter & Biblio-

bliothecarius Oratorii Parisiensis, *in Bibliotheca sacra* parte 2. cap. 10. Sect. 4. p. m. 312. 313. ad 319. ut jam cap. 2. Dissertationis hujus diximus, multis contendit *Biblia Anglicana* quæ plurimis in locis hujus Regni magno numero extant, ad ipsum non pertinere, quamvis plurimi MSS. Codices, nomen Joannis Wichleffi disertè in fronte appictum habeant. Innititur auctoritate Henrici Warthon, qui rationes quasdam profert *in Auctario Historiæ dogmaticæ de Scripturis & sacris vernaculis*, pag. 424. & 425. At tantæ non mihi sunt productæ a Warthono rationes, quas in gratiam Joannis Trevisa Sacerdotis affert, quin idem Opus eodem circiter tempore a Jo. VVichleffo & Jo. Trevisano aliquanto post, susceptum fuerit: maximè, cum tanta multitudo MSS. Codd. constanter Joanni VVichleffo asserat, ut Angli etiam ipsi ingenuè fatentur.

Scribunt nonnulli Jo. VViclefum obiisse anno 1384. alii anno 1385. die 30. mensis Decembris: verum hæc sententia certior, quæ illum Lutterworthæ ubi pastor erat, ex paralysi, qua integro ferè biennio laboraverat, anno 1387. die ultima Decembris in pace obiisse, in Ecclesia sua parochiali sepultum; quousque post triginta annos jussu Concilii Constantiensis exhumatus combustusque est, ac cineres in Fluvium projecti, ut passim ab Historicis scribitur. Decretum Concilii ex mandato Martini V. exequutus est Richardus Flemyng Lincolnienfis Episcopus, anno 1428. De illo Josias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 510. Henricus Spondanus in exceptione *Annalium Baronii* ad annum 1377. n. 5. 6. 7. 8. & 10. 1382. n. 12. 1384. n. 13. Amplissimè omnium Henricus VVhartonus, in Continuatione *Historia Literaria* Guil. Cavi, ad a. 1360. p. 50.

1360 JOANNES DE TAMBACO, natione Teutonicus, patria Alsatus, Diœceseos Argentinensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ab anno circiter 1360. floruit, qui & primus Regens seu Lector Studii Pragensis ejusdem Ord. in Provincia Bohemiæ, ac demum Sacri Palatii Magister ab Urbano V. Romano Pontifice, anno 1366. institutus est. Hoc eodem anno 1366. opus suum *De consolatione Theologiæ* perfecit, ut constat ex MSS. Codd. variis, & ex Burcardo Gotth. Struvio, *in Introductione ad notitiam rei litterariæ & usum Bibliothecarum* edita Jenæ an. 1706. in 8. Illic cap. XI. De typographia §. XIV. pag. 551. inquit. Extat in Bibliotheca nostra Jenensi Joannes de Tambaco *De consolatione Theologiæ*, in cujus fine hæc verba habentur. *Explicit liber de consolatione Theologiæ per fratrem Joannem de Tambaco Ordinis FF. Prædicatorum, provinciæ Theutoniæ S. Theologiæ Professorem, consummatus A. D. M CCC LXVI. in die Ambrosii.* Sed hæc intelligenda sunt, de tempore quo Codex iste Manuscriptus, quem ad impressionem adhibuerant, finitus fuit. Scilicet mos erat typographis quibusdam rudioribus, ut singula prout in MSS. repererant, æquè exprimerent. Quare cum in Codice MS. hanc clausulam reperirent, eundem exactè quoque impresserunt: quod animadvertere licet in variis. Est ergo compositus anno 1366. Liber *De consolatione Theologiæ* à Joanne de Tambaco. Claruit præsertim post annum 1360. scripsitque Opus quoad molem mediocre & stylo suo simplex, in quindecim libros partitum, quod intitulatum *Consolatio Theologiæ*, ab aliis *Speculum Sapientiæ*, anno 1366. absolutum, impressum extat Parisiis anno 1493. Coloniæ 1502. Norimbergæ 1509. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1072. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera E. Codice 104. Ibidem Cod. 2288. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera E. 2. Cod. 14. *Joannes de Tambaco de sensibilibus deliciis paradisi.* Idem scripsit Opuscula diversa, quæ juxta Ambrosium Altamuranum *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* extant MSS. in Bibliotheca Barberina Romæ, eujus *Bibliotheca Librorum Catalogus* seu *Index tam MSS. quam impressorum*, Romæ impressus anno 1681. 2. tomis seu voluminibus in folio. Suntque *De culpa & gratia. De amore virtutum. De beatitudine. De Simonia Claustralium. De ingrato commodo Sacerdotum. De proprietate Fratrum Mendicantium &c.* atque hæc omnia opinor esse, tractatus singulares unius magni Operis, quod *De gratia & culpa* inscripsit, licet affirmare nolim. Idem Opus inscriptum *De culpa & gratia*, in Codice MS. optimæ notæ, testatur haberi apud se ex Bibliotheca Majoris Conventus FF. Prædicatorum Parisiensium, Natalis Alexander ejusdem Ord. & Collegii seu Conventus alumnus. Atque istud *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo XIII. parte 2. art. 8. pag. 819. ubi ex authoritate Joannis de Tambaco, *Summam Theologiæ* S. Thomæ vulgò attributam, contra Joannem Launoïum negantem affirmat. Licet meo quidem judicio, floruisse Joannem Tambacensem anno 1320. perperam Alexander velit, quem omnes ad annum 1390. vel 1400. collocant. Unde quoad hoc punctum, in suscepto sibi negotio argumentum Natalis Alexandri non concludit contra Joannem Launoïum. Ejusdem Opusculum *De Simonia Claustralium* MS. in Basileensi Bibliotheca, ut ex Catalogo illius constat, qui in omnium manibus est, apud Theophilum Spizelium *in sacris Arcanis Bibliothecarum retectis*, Augustæ Vindelicorum anno 1668. in 8. impressis. Agunt de illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro.* Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 448. pag. 264. Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum.* Ambrosius Altamura *in Bibliotheca Scriptorum ejusdem Ordinis*, ad a. 1360. p. 128.

PHILOTHEUS COGNOMENTO COCCINUS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, quem Nilus Metropolita Rhodius tradit adfuisse cum multis aliis Synodo Constantinopolitanæ anno 1351. quam nonam vocat in libello *De novem Synodis*: quod tamen intelligendum est, dum esset Heracleensis Archiepiscopus tunc, non autem Constantinopolitanus Patriarcha, ut ex ipsis Synodi Subscriptioni- 1350

nibus clarum est: quas suprà retulimus *in Callisto Constantinopolitano*. De eodem Philotheo consulendus imprimis sed cautè legendus Joannes Cantacuzenus, Historiæ Byzantinæ Lib. 4. cap. 16. ubi eum propter eximiam eruditionem tam prophanam quàm sacram, cum singulari sanctimonia vitæ conjunctam, vehementer laudat: & ex Abbate Monasterii Montis Atho in Archiepiscopum Heracleæ Thraciæ electum fuisse memorat. Item cap. 29. ubi summâ cum laude prædicat Episcopalem ipsius sollicitudinem, & diligentiam in liberandis captivis Heracleensibus. Tum cap. 37. ubi refert electionem ipsius in Patriarcham Constantinopolitanum, & modestissimam sanctissimamque Patriarchatus administrationem maximis effert laudibus. Præterea cap. 40. ubi narrat fugam ipsius ad Latitationem metu Imperatoris Joannis Palæologi. Cum enim Joannes Cantacuzenus Imperii Constantinopolitani usurpator, anno 1354. videns se à legitimo ejus Domino Joanne Palæologo vehementer urgeri, addens scelus sceleri, Matthæum etiam filium suum, eo anno quo terræ motu Thracia omnis concussa est, æque Imperatorem proclamari & coronari procuraret: atque huic injustissimo operi Callistus Patriarcha Constantinopolitanus reluctaretur: in ejus sedem suffectus est Philotheus Heracleæ anteà Archiepiscopus, qui Matthæum in Imperatorem coronavit. Fuit ergò Philotheus ex eo genere hominum, quidquid sanctitatem ejus prædicet Cantacuzenus, qui elevationem virtuti, tempus præsens æternitati, applausum aulicum debitæ in Principem fidelitati prætulit: satisque infirmi animi, ut Matthæum hujus usurpatoris filium coronaret. Anno autem 1355. cum Joannes Cantacuzenus ut afflictis rebus consuleret, Irene ejus uxore Monachismum profitente, tandem ipse ascesin induisset, primum quidem in Mangarensi, ac postea in Batopediensi Montis Atho Monasterio: fugiente Philotheo a facie Joannis Palæologi Legitimi Imperatoris, Callistus Papa qui fuerat ab illo ejectus, sedi suæ restitutus est. Non diu ergo Philotheus Patriarchatu pessime parto fruitur: quo privatus, hic vel in exilium deportari vel quovis alio modo horrendi criminis pœnas luere debuerat, vel ex singulari Imperatoris benignitate ad sedem suam Heracleam reverti: quem tamen Joannes Cantacuzenus cap. 50. narrat restitutum in Patriarchatum Constantinopolitanum, post Patriarchæ Callisti mortem, his verbis. . Πυθόμενος δὲ ὁ Βασιλεὺς Ἰωάννης ὁ Παλαιολόγος περὶ Πατριάρχου Καλλίστου ὅτι τελευτήσοι κατὰ τὴν πρεσβείαν, αὐτός τε ἐσκέπετο, ὅν τινα δεῖ τοῖς Πατριαρχικοῖς θρόνοις ἐγκαθιδρύειν, καὶ τοῖς Ἀρχιερεῦσιν ἐπέτρεπε συνελθοῦσι κατὰ τὸ ἔθος, καὶ διασκεψαμένος τὸν προσιστάμενον αὐτῷ δηλοῦν. δόξαν δὲ πᾶσι τὸν Πατριάρχην Φιλόθεον ἐπανάγειν εἶναι δίκαιον, ἐπεὶ καὶ Βασιλεῖ τὰ ἴσα συνεδόκει. συνῄδει γὰρ αὐτῷ μὴ διὰ κακίαν ἀποστάντι τῆς ἀρχῆς, ἀλλ᾽ ἑκόντι παραχωροῦντι, ἵνα μὴ διὰ φιλονεικίαν ταραχῆς πολλῆς καὶ διχοστασίας ἐμπλησθῇ ἡ Ἐκκλησία. δι᾽ ἃ δὴ καὶ φιλίας εἶχε πρὸς αὐτὸν, καὶ γινομένῳ τε ἐν βασιλείοις, ἡδέως συνῆν καὶ συνωμίλει, καὶ αὐτὸς ἐν ᾗ κατῴκει μονῇ γινόμενος, συνδιενυκτέρευεν αὐτῷ· πέμψας τοὺς υἱεῖς, Ἀνδρόνικόν τε Βασιλέα, καὶ τὸν Δεσπότην Μανουὴλ, καὶ τῶν συγκλητικῶν πολλοὺς, ἐπανήγαγεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τοῖς Πατριαρχικοῖς ἐνίδρυσε θρόνοις. καὶ νῦν οἷα λύχνος ἐπὶ τὴν λυχνίαν τεθεὶς, ἐπὶ τὸ ἀληθινὸν φῶς τὴν πιστευθεῖσαν, ἐκκλησίαν χειραγωγεῖ τοῖς τε ὑγιέσι τῆς Εὐσεβείας δόγμασιν ἐντρέφων, καὶ εὐεκτεῖν ὡς μάλιστα ποιῶν, καὶ τὰ ἤθη ῥυθμίζων, καὶ ὡς εἶναί γε τῆς ἀνιέρου ζωῆς ἐπανάγων ταῖς συχναῖς διδασκαλίαις καὶ παραινέσεσι. Hoc est: „Cum autem Imperator Joannes Palæologus intellexisset, Patriarcham Callistum in legatione mortuum esse, & ipse circumspexit, quem in vacuâ sede Patriarchali collocaret, & Archiepiscopis de more congregatis præcepit, ut habitâ deliberatione, sibi significarent, quis Ecclesiæ præficiendus esse videretur. Censuerunt autem omnes Patriarcham Philotheum jure ac meritò reducendum esse in pristinam sedem, cum & ipsi Imperatori id placeret. Conscius enim illi erat, quòd non ob crimen aliquod Patriarchatu esset dejectus, sed sponte cessisset, ne per æmulationem, Ecclesia turbis & seditionibus repleretur: quare etiam amabat eum, & quoties in Palatium veniret, jucunde cum eo colloquebatur: vicissimque cum ipse in Monasterium veniret, ubi ille degebat, noctem cum eo sermonibus transigebat. Missis igitur filiis suis Andronico Collega Imperii & Manuele Despota, multisque Proceribus, reduxit eum in Ecclesiam, & in solium Patriarchale restituit: ubi ille nunc tanquam Lucerna super candelabrum posita, commissam sibi Ecclesiam ad verum lumen perducit, salutaribus pietatis dogmatibus eam enutriens, ac velut bona corporis habitudine corroborans, simul & mores reformans, & quantum fieri potest, assiduis doctrinis & admonitionibus a vitâ hâc prophanâ ad cœlestem provehens.“ Hæc de Patriarcha Philotheo ipse Joannes Cantacuzenus Imperator, sub Joasaphi Christoduli nomine Monachus. Atque juxta Joannis Baptistæ Riccioli Chronologiam reformatam, ab anno Christi 1362. usque ad annum 1375. annos tredecim & menses sex, illam Patriarchalem sedem tenuit. Juxta autem veriorem Chronologiam, cum paucis mensibus Callistus primus restitutus vixerit, Philotheus ab anno 1354. ad annum 1371. per annos circiter sexdecim administrasse hanc Ecclesiam supputandus est, quidquid in contrarium sentiant alii.

Paucissima sunt Opuscula Philothei Patriarchæ Constantinopolitani, prælo dàta, plurima autem MSS. extant. Ex Impressis *Sermo encomiasticus in tres Hierarchas, Basilium Magnum, Gregorium Theologum & Joannem Chrysostomum*, Græce & Latine a Jacobo Pontano una cum *Dioptra*

fidei

fidei Philippi Solitarii editus, Ingolstad. 1604. in 4. & a Frontone Ducæo in Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum, editionis Parisiensis anni 1624. tomo 2. pag. 313. Extat autem Græce MS. in Bibliotheca Vaticana, & in Bavarica Codd. 39. & 177. Ejusdem *Oratio de Cruce* Græce & Latine ad Jacobum Gretserum tom. 2. *De Cruce* pag. 1255. atque *Oratio in tertiam jejuniorum Dominicam*, Græce & Latine ibidem pagina 1477. Denique *Liturgia & Ordo instituendi* Diaconum, quæ Latine sæpius extat in editionibus variis Bibliothecæ Veterum Patrum. Atque hæ quidem Orationes duæ *de Cruce* ut jam dixi Græce & Latine editæ fuerunt a Jacobo Gretsero Societatis Jesu in Opere *De Cruce* Tomo 2. columna 1255. & columna 1477. editionis primæ, quam Gretserus procuravit in folio. Sed & postea ibidem eodem modo prodierunt in editione secunda, *Prima nempe in venerationem Sanctæ Crucis* Προτυπῶν καὶ προδιαγράφων ὁ μακάριος Μωυσῆς, Philothei Petrarchæ Constantinopolitani Græce & Latine Tomo 2. *De Cruce* pag. 360. *Secunda in exaltationem S. Crucis die 14. Septembris*, Ἐπειδὴ τῆς πρώτης καὶ θείας ibidem pag. 174. Atque ut observat Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. V. pag. 322. quæ anno 1714. Hamburgi in „4. edita fuit, fuere & nonnulla Nicephoro „Gregoræ falso adscripta ut *Somnium Propheticum*, quod ex Philothei Patriarchæ Constantinopolitani *Antirrhetico XII.* Codicis Galliarum „Regii 1996. folio 279. Græce & Latine Joannes „Boivinus *Vita Nicephori Gregoræ* inseruit, editionis Parisiensis 1702. in folio. Item inter „Elogia ab editore Tomo primo præmissa, quæ „maximam partem ex Græcis ineditis antea monumentis constant, *unum* Græce & Latine *ex* „*Philothei Patriarchæ Antirrhetico XII.* ex Codicibus Regiis. Denique in Notis idem Boivinius, inter plura fragmenta vel monumenta „nondum edita, in Codicibus Regiis iisdem, *Ex* „*Philothei Patriarchæ CP. Antirrhetico XII.* p. 786. „& ex *Antirrhetico primo* paginis 792. & 798. de quibus idem Joannes Albertus Fabricius loco allato pag. 323. & 324. quæ tamen Philothei Patriarchæ excerpta prolixa non sunt. *Philothei Patriarchæ Constantinopolitani refutatio Anathematismorum de Harmenopulo Scriptorum*, Græce & Latine apud Leunclavium *Juris Græco Romani* Libro IV. pag. 288. & seqq. Francofurti 1596. in folio. Circumcurrunt quoque *Philothei Symbola Christiana, quibus Idea hominis Christiani perfectè describitur*, sub cujus nomine impressa leguntur Francofurti anno 1677. in folio cum figuris. Sed opus istud Scriptoris Germani anonymi est, qui sub *Philothei* nomine latere voluit, quod pietate ductus labori anonymo imposuit: neque modo ullo spectare potest ad *Philotheum Constantinopolitanum Patriarcham* hominem Græcum, de cujus MSS. operibus nunc agere instituimus, postquam ea quæ Guillelmus Cavus habet in Dissertatione prima *De Scriptoribus incertæ ætatis* retulerimus, quæ Londini anno 1698. in folio ad calcem Partis secundæ *Historiæ literariæ* edita fuit. Ita igitur illic. „*Philotheus*, quisquis fuerit, *Sancti* nomine insignitus, scripsit *Sermonem*„ περὶ τῶν ἐντολῶν. *De mandatis Domini nostri*„ *Jesu Christi*, quem Græco-Latine extulit Petrus„ Possinus Soc. Jesu *in Thesauro Asceticorum*, Paris„ anno 1684. in 4. pag. 326. Suspicari quis pos„ sit, hunc fuisse Philotheum illum Patriarcham„ Constantinopolitanum, qui anno M CCC L.„ claruit. Verum præter alia quæ notat Possi„ nus, reclamat ipse Codex MS. unde desumptus„ est hic Sermo, qui annorum saltem quingento„ rum ætatem præ se fert.„ Hæc Cavus, Dissertationis cit. p. 26.

Extant *Homiliæ MSS. Philothei Patriarchæ Constantinopolitani in Evangelia Dominicarum totius anni, & alia ex Sancto Joanne Chrysostomo potissimum desumpta*, in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Codd. 83. & 94. Itemque in Bibliotheca Regis Hispaniarum Scorialensi, ex Catalogo illius edito.

Inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ in Anglia Oxonii, extat Cod. 711. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi olim Cantuariæ Archiepiscopi & Oxoniensis Academiæ Cancellarii, Cod. 59. num. 1. Philothei Patriarchæ CP. Scripta adversaria contra ea quæ Nicephorus Gregoras Philosophus ediderat adversus sacrum Ecclesiæ Tomum, scilicet libellum Excommunicationis suæ. Et de divina operatione & gratia, & de apparitione divina in monte Thabor, Græce fol. 2. Ejusdem Orationes sive libri alii tres, & ipsi de eodem cum præcedentibus argumento, contra Nicephorum Gregoram scripti, antequam ipse Dialogos illos suos vulgaverat, quibus in præcedentibus respondetur, Græce fol. pag. 219.

Ejusdem *Philothei Patriarchæ Constantinopolitani Libri quindecim, contra Nicephorum Gregoram, De divinâ substantia, operatione, potentia, de Lumine in Monte Thabor & id genus aliis:* MSS. in eadem Bibliotheca Bavarica Cod. 111. qui etiam Græce habentur in Vaticana, ut ex ejus Catalogo constat apud Possevinum, ad calcem Apparatus sacri. Horum fragmentum Latine exhibet Bzovius ad annum 1337. Fragmenta duo Græce Leo Allatius, alterum Lib. *De purgatorio* pagina 770. alterum Lib. *De libris Ecclesiæ Græcæ*, pag. 218.

Ejusdem *Encomium in Sanctam Anysiam Thessalonicensem*, Οὐδὲν ἀρετῆς τιμιώτερον, apud eundem Allatium, in Diatriba *De Symeonum Scriptis*.

In Bibliothecâ etiam Sfortianâ in Classe Theologorum Cod. 112. *S. Philotheus in Gregorum Philosophum, in folio.* Excerpta Nonnulla ex ejusdem libro quinto contra Nicephorum Gregoram Acindynianæ causæ strenuum & constantem defensorem, extant in Cod. MS. Theologico Græco Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis CCLXVI. num. 17. ut habet Lambecius Lib. 5.

Com-

Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 206. his verbis, „ Decimo septimo & quidem à fol. 356. pag. 2. usque ad fol. 358. p. 2. *Excerpta nonnulla ex Philothei Patriarchæ Constantinopolitani Libro quinto contra Philosophum Nicephorum Gregoram, Acindyniana causæ strennum & constantem defensorem:* quæ inscribuntur atque incipiunt his verbis. Τῦ μακαριωτάτε Πατριάρχε Κωνςαντινεπόλεως τῦ Φιλοθέε ἀπὸ ς ἕ τέλυς τῦ πέμπτε λόγε αὐτῦ, τῦ πρὸς τὸν Φιλόσοφον τὸν Γρηγορᾶν. Ἐν μὲν δὴ καὶ πρῶτον διακρίσεως εἶδος, ὁ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱερᾶς Συνόδυ Τόμος φησὶ τῆς θείας ὐσίας, δηλονότι πρὸς τὴν θείαν ἐνεργείαν &c. Fallor autem, nisi unum atque idem Philothei Patriarchæ CP. Opus sit, quod in Bibliotheca etiam Augustanâ Cod. MS. Græco 78. inscribitur, *Sermones Dogmatici de Haresi Barlaami atque Acindyni, scripti à Philotheo Heraclea Metropolitano & ab Hagioritis Hierosolymam missi. Item Gregorii Palama Thessalonicæ Metropolitani Expositio fidei orthodoxa, & Confessio fidei exposita ab Heraclea Metropolitano Philotheo.* Edidit Philippus Labbeus Soc. Jesu *Novam Bibliothecam MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum,* seu ut appellat *Specimen antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum atque Gallicarum,* ex Catalogo potissimum MSS. Codd. Regiæ Galliarum Bibliothecæ sibi concesso collectam, quam anno 1653. in 4. Parisiis edidit, apud Joannem Henault. Illic multa extare MSS. Opuscula Philothei Patriarchæ Constantinopolitani testatur locis citandis, nempe parte 2. pag. 89. Philothei Patriarchæ Constantinopolitani adversus Gregoram libri XV. in Codice Regio 80. Ejusdem Confutatio Anathematismorum in Codd. 816. 1149. 1307. 2023. Parte 2. pag. 92. Barsanuphii Responsa ad variorum quæsita per Epistolas in Codice Regio 932. in quo Philothei de præceptis divinis, & theoremata Ethica, Physica, Theologica atque excerpta ex variis. Parte 2. pag. 95. Philothei de præceptis Domini capita XXI. in Codice Regio 853. Ejusdem quoque dum Monachus esset Synaita, capitula XL. de continentia & sobrietate: de quo etiam loquitur ibidem *Supplemento III.* pag. 189. & *Supplemento VII.* pag. 285. quem adeas.

Jam ad ea quæ ipsius Philothei singularia, Græcè MSS. extant in Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi, ut ex Lambecii Commentariis constat, veniamus. Extant ergo, Cod. MS. Theologico Græco 232. n. 7. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 65. & quidem à fol. 274. pag. 1. usque ad fol. 279. pag. 2. „*Philothei Patriarchæ Constantinopolitani Doctrina collecta ex S. Joanne Chrysostomo & aliis Patribus super Evangelio de Publicano & Pharisæo.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Doctrinæ hæc sunt: Διδασκαλία ἀπὸ διαφόρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, ἀπότε τῦ χρυσοςόμυ καὶ ἑτέρων, εἰς τὰ τῦ Κυρίε ἀναγινωσκόμενα ἅγια Εὐαγγέλια, συλλεγεῖσα παρὰ κυρῦ Φιλοθέε Πατριάρχε Κωνςαντινεπόλεως. Ἡ εἰς τὸν τελώνην καὶ τὸν Φαρισαῖον παραβολὴ καὶ ὑπόθεσις ὥσπερ γυμνασία τις &c.“ Prima quoque est ex iis homiliis, quæ Joanni Calecæ Patriarchæ etiam Constantinopolitano attributæ sunt, Codice MS. Theologico Græco 263. ut habet Lambecius ibidem pag. 187. Et Codice 264. ut habet idem Lambecius pag. 191. unde magis Joanni Calecæ quàm Philotheo attribuenda mihi videtur.

Codice MS. Theologico Græco 234. n. 23. ut habet Lambecius ibidem pag. 69. Extant & quidem à fol. 99. pag. 1. usque ad fol. 105. pag. 2. *Philothei Monachi Sinaitæ Capita ascetica quadraginta,* quorum quinque priora ob defectum unius folii desunt, sextum autem incipit his verbis: Ὅταν ἐν ἕξει τινι γενώμεθα ἐγκρατείας &c. Ibidem num. 14. & quidem à fol. 105. pag. 2. usque ad fol. 110. pag. 1. *Philothei Monachi Sinaitæ Oratio ascetica, quod custodiâ cordis observentur etiam præcepta Christi.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Orationis hæc sunt, Τῦ αὐτῦ ἁγίε Φιλοθέε λόγος πάνυ ὡραῖος καὶ πᾶσιν ὠφέλιμος, μάλιςα δὲ τοῖς ἡσυχάζεσι, περὶ, τῦ ὅτι τῇ τῆς καρδίας φυλακῇ φυλάττονται αἱ θεῖαι ἐντολαὶ τῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ. Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησῦς Χριςὸς, ἡ τῦ Πατρὸς τῦ ἀϊδίε σοφία καὶ δύναμις, φησὶν, ὁ ἀγαπῶν με &c.“

Codice MS. Theologico Græco 238. num. 20. ut habet Lambecius ibidem pag. 99. his verbis. Vigesimo & quidem à fol. 292. pag. 2. usque ad fol. 304. pag. 2. *Fragmenta sermonum quorundam asceticorum* τῦ ὁσίε Πατρὸς ἡμῶν Φιλοθέε, sive *Sancti Patris nostri Philothei,* qui libro 4. horum Commentariorum in Codice CLVI. n. 13. appellatur *Monachus Sinaita,* & idem videtur esse atque Philotheus ille qui ferè à pueritia vitæ Monasticæ addictus, eruditione & sanctimoniâ vitæ adeò inclaruit, ut primum quidem Abbas seu Præpositus Monasterii in monte Atho, deinde autem Archiepiscopus Heracleæ in Thraciâ, ac tandem Patriarcha Constantinopolitanus electus sit.

Codice MS. Theologico Græco 111. num. 4. ut habet Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 60. his verbis. „Quarto & quidem à fol. 53. pag. 1. usque ad fol. 86. pag. 2. *Philothei Patriarchæ Constantinopolitani Oratio in omnes Sanctos,* cujus titulus & principium: Τῦ ἁγιωτάτε Πατριάρχε Κυρίε Φιλοθέε λόγος εἰς τὺς ἁγίυς πάντας, ἐν ᾧ καὶ τῆς περὶ τὸν ἄνθρωπον τῦ Χριςῦ οἰκονομίας, ἐπιτομή: *in quo etiam compendium œconomia Christi circa hominem.* Καὶ τὸ λόγοις μὲν ἄλλως τὰ τῶν ἁγίων ἑκάςυ διεξιέναι, καὶ θαύματα καὶ ἀγῶνας ἐκείνων &c.“ Extat quoque in MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, simul cum *Encomio in magnum Christi Martyrem Demetrium.* Meminitque hujus *Orationis in omnes Sanctos,* Leo Allatius in Diatriba, *De Symeonum Scriptis,* pag. 97. cum eodem titulo & initio. Ibidem autem mentionem facit trium aliarum Homiliarum ejusdem Philothei, nempe pag. 91. *In exaltationem Sanctæ Crucis,*

εἰς

εἰς τὴν ὕψωσιν τοῦ τιμίου σταυροῦ, quæ incipit ἐπειδὴ τῆς πρώτης καὶ θείας καὶ μακαρίας ζωῆς ἀπερῥάγημεν. Pag. 108. *In adorationem sanctæ Crucis, Dominica tertia jejuniorum*, λόγος εἰς τὴν τρίτην τῶν νηστειῶν Κυριακὴν, ἤ τῆς σταυροῦ προσκυνήσεως, quæ incipit, Προτύπων καὶ προδιαγράφων ὁ μακάριος Μωσῆς. Pag. 112. *In tres sanctos Patres Basilium, Gregorium Theologum & Joannem Chrysostomum*, εἰς τοὺς ἁγίους τρεῖς ἱεράρχας Βασίλειον τὸν μέγαν, Γρηγόριον τὸν Θεολόγον καὶ Ἰωάννην τὸν Χρυσόστομον, quæ incipit, Τοὺς διδασκάλους ἡμῶν ἐπαινέσωμεν. Ex his tribus Homiliis æditæ sunt duæ *De sancta Cruce* Græcè & Latinè apud Jacobum Gretserum, in Voluminibus *De Cruce*, ut jam suprà diximus.

Codice MS. Theologico Græco 265. num. 1. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 193. his verbis. „Continentur primò & quidem à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 20. pag. 2. *Philothei Patriarchæ Constantinopolitani*, qui seculo post Christum XIV. sub Imperatoribus Joanne Cantacuzeno & Joanne Palæologo floruit, *Oratio in S. Demetrium Martyrem*, cujus titulus & principium: Τοῦ Πατριάρχου Φιλοθέου ὁμιλία εἰς τὸν ἅγιον μεγαλομάρτυρα τοῦ Χριστοῦ Δημήτριον τὸν μυροβλύτην, καὶ εἰς τὸ Εὐαγγελικὸν ῥητὸν τὸ, Ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. Δημήτριος ἡμῖν τοῦτο συλλόγου καὶ τῶν λόγων ἀφορμὴ πρόκειται σήμερον &c. Meminit hujus Orationis Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* p. 84. & 85. extatque etiam in eadem Bibliotheca Cæsarea, inter MSS. Codices Juridicos Græcos, Cod. X. n. 11. ut habet idem Lambecius Lib. sexto Commentariorum hujus Bibliothecæ, parte 1. p. 36.

„Secundò & quidem a fol. 21. p. 1. usque ad fol. 60. p. 2. ejusdem *Philothei Patriarchæ Orationes 3. ad Imperatricem Helenam Cantacuzenam, Imp. Jo. Cantacuzeni filiam, & Imp. Jo. Palæologi uxorem De Beatitudinibus Evangelicis*, quarum ipse Servator noster Christus apud S. Matthæum cap. 5. meminit. Earum prima inscribitur atque incipit his verbis: Τῇ εὐσεβεστάτῃ Αὐγούστῃ καὶ θαυμαστῇ Βασιλίδι τῶν Ῥωμαίων κυρίᾳ Ἑλένῃ Φιλόθεος Πατριάρχης, περὶ τῶν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ μακαρισμῶν. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Τοὺς βασιλικοὺς τῶν λόγων, ὦ συνετωτάτη καὶ θαυμαστὴ Βασιλὶς, τοῖς βασιλεῦσι δεῖν οἶμαι πρὸ τῶν ἄλλων εἰς φέρεσθαι βασιλικοὺς δὲ λόγους ἐγώ φημι μάλιστα. οὐχ οὓς λογοποιοί τε καὶ ῥήτορες &c. Secunda, Περὶ τῶν αὐτῶν λόγος δεύτερος. Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται. Καὶ τοῖς ἐπὶ γῆς βασιλεύουσι στρατηγούς τε καὶ δημαγωγοὺς &c. Tertia, Περὶ τῶν αὐτῶν λόγος τρίτος. Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοὶ, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. Οἱ τοὺς στεφάνους ὑμῖν τοὺς βασιλικοὺς, ὑψηλοτάτη Βασιλὶς, πλέκοντες, οὐχ ἅπαξ μόνον καὶ δὶς &c. Si quis porro scire desideret, quantis virtutibus Imperatrix Helena, ad quam tres illæ Orationes habitæ sunt, prædita fuerit: consulat ille Joannis Cantacuzeni Imperatoris *Historiam Byzantinam* lib. 4. cap. 34. ubi amplissimum ejus & elegantissimum inveniet encomium.“

Tertiò & quidem a fol. 61. p. 1. usque ad f. 69. p. 2. Ejusdem *Patriarchæ Philothei* Στιχηρὰ *sive Cantica duo Ecclesiastica in honorem & laudem defuncti Gregorii Palamæ Archiepiscopi Thessalonicensis*, una cum *Acoluthia sive Officio Ecclesiastico in ejusdem Gregorii memoriam.* Primum Canticum inscribitur atque incipit his verbis: Τοῦ αὐτοῦ Στιχηρὸν εἰς τὸν ἐν ἁγίοις Πατέρα ἡμῶν Γρηγόριον Ἀρχιεπίσκοπον Θεσσαλονίκης τὸν Θαυματουργόν. Εὐφραίνου ἐν Κυρίῳ πόλις Θεσσαλονίκη &c. Secundum autem, χάριτος τῆς εὐσεβείας φωστὴρ &c. Sequitur deinde Acoluthia sive Officium hoc modo: Τοῦ αὐτοῦ Πατριάρχου Ἀκολουθία εἰς τὸν ἐν ἁγίοις Πατέρα ἡμῶν Γρηγόριον Ἀρχιεπίσκοπον Θεσσαλονίκης τὸν Θαυματουργόν. Πάτερ ἱερὲ Γρηγόριε, σὺ τὸν Θεὸν ἐκ παιδὸς ἀγαπήσας ἐξέφυγες ὑλικὴν προσπάθειαν &c.“

Quartò & quidem a fol. 70. p. 1. usque ad f. 87. p. 1. *ejusdem Patriarchæ Philothei Epistola ad Petriotam Barlaami Calabri sectatorem, quod uti S. Trinitas unus est Deus, sic etiam una sit Deitas, & De divina operatione.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Epistolæ hæc sunt: Τῷ Πετριώτῃ, ὅτι ὥσπερ εἷς Θεὸς ἡ ἁγία Τριὰς, οὕτω καὶ μία ἡ Θεότης, καὶ περὶ τῆς θείας ἐνεργείας. χθὲς καὶ πρότριτά μοί τις τῶν συνήθων ἀγγελίαν ἧκε κομίζων &c.

Quintò & quidem a fol. 88. p. 1. usque ad f. 111. p. 2. *Ejusdem Patriarchæ Philothei Dissertatio ad Magnum Domesticum Palæologum, De Deitate*: cujus titulus & principium. Τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κυροῦ Φιλοθέου. Τῷ εὐγενεστάτῳ μεγάλῳ Δομεστίκῳ τῷ Παλαιολόγῳ περὶ τοῦ ἐν τοῖς πρὸς Εὐνόμιον ἀντιῤῥητικοῖς τοῦ ἁγίου Βασιλείου ῥητοῦ, τοῦ λέγοντος· ὁ γὰρ τεκοῦσι βουλῆς δρόσου κατὰ τὸν Ἰὼβ λόγον, οὐχ ὁμοίως τάς τε βουλὰς καὶ τὸν υἱὸν ὑπεστήσατο. καὶ περὶ Θεότητος. Ἄγε δὴ καὶ πάλιν, φίλων ἀνδρῶν εὐγενέστατε καὶ φιλομαθέστατε πρὸς τὰς λύσεις ἴωμεν τῶν σῶν ζητημάτων &c.“

Sextò & quidem a fol. 111. p. 2. usque ad f. 166. p. 1. *Ejusdem Patriarchæ Philothei ad eundem Magnum Domesticum Palæologum Dissertatio De divina Christi transfiguratione in monte Thabor, & de lumine, quod ibi discipulis apparuit.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Dissertationis hæc sunt: Πρὸς τὸν αὐτὸν, περὶ τῆς ἐν Θαβωρίῳ θείας τοῦ Χριστοῦ μεταμορφώσεως, ὅτι οὔτε οὐσία Θεοῦ τὸ κατ' αὐτὴν φῶς, οὔτε κτίσμα, ἀλλ' ὅτι εἶδον οἱ Ἀπόστολοι, καὶ πᾶς εἶδον. καὶ ὅτι οὐ σιωπᾶσθαι τοὺς περὶ τούτου λόγους κατά τινας χρὴ, ἀλλὰ καὶ κηρύττεσθαι, καὶ πρὸς τὴν μετοχὴν μάλιστα σπεύδειν πάντας τοῦ θείου φωτὸς ἐκείνου. Ἐπεὶ δὲ τὰς λέξεις καθ' ἡμῶν συκοφαντίας τε καὶ καινοτομίας &c. Judicium de hac ut & proxime præcedenti Patriarchæ Philothei Dissertatione, vide apud Leonem Allatium Lib. 2. *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione*, c. 17. §. 2.“

Codice MS. Theologico Græco 324. n. 1. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hu-

jus

„ju, Bibliothecæ, p. 283. continentur *Varii Canones* sive *Cantica Ecclesiastica*, sicut & *Acoluthia sive* „*Ecclesiastica officia*. Primus istorum Canonum *in* „*S. Gregorium Martyrem* fol. 1. p. 1. inscribitur atque „incipit hoc modo: Κανὼν εἰς τὸν ἅγιον μεγαλο„μάρτυρα καὶ τροπαιοφόρον Γεώργιον. ἦχος α. ᾠδὴ „α. Φιλοθέε. Ἀναστάσεως ἡμέραν καπδόντες λαμ„πρῶν &c. Quod porrò ad *Acoluthias* sive *Officia* „*Ecclesiastica* eodem Codice comprehensa, pri„mum illorum fol. 72. p. 1. est *Philothei Patriar*„*cha Constantinopolitani Officium in Gregorium Pa*„*lamam Archiepiscopum Thessalonicensem*, una cum „*Synaxario Vita ipsius* huic officio inserto. Ipsa „tituli Græci verba cum principio Officii hæc „sunt: Ἀκολουθία εἰς τὸν ἐν ἁγίοις Πατέρα ἡμῶν καὶ „ὁμολογητὴν Γρηγόριον Ἀρχιεπίσκοπον Θεσσαλο„νίκης. ποίημα τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κωνσταν„τινουπόλεως, καὶ ψάλλεται κυριακῇ δευτέρᾳ τῶν „νηστειῶν. Εἰς τὸ Κύριε ἐκέκραξα Στιχηρὸν ἦχος β΄. „Ποίοις εὐφημιῶν ᾄσμασιν &c.

Ejusdem *Philothei Patriarcha Constantinopolitani testimonium De atate Constantini Harmenopuli*, extat quoque in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Juridico Græco XI. num. 8. ut amplissime refert Petrus Lambecius lib. 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ, parte 1. p. 39. & 40. quod a nobis supra relatum est *in Constantino Harmenopulo*. Extatque ad calcem *Epitomes sacrorum ac divinorum Canonum Constantini Harmenopuli*, ut illic annotatū est. Denique in eadem Cæsarea Bibliotheca Codice MS. Historico Græco LIII. n. 14 ut habet Lambecius lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 482. extat & quidem a fol. 310. p. 2. usque ad f. 311. p. 2. „ *Philothei Patriarcha Constantinopolitani Com*„*monitio de Anathematismis ad Constantinum Har*„*menopulum, qua probat, Decreta illa De tyrannis &* „*insidias Imperatori struentibus excommunicandis esse* „*abolita*. Inscribitur ea atque incipit hoc modo, „Τοῦ Πατριάρχου κυροῦ Φιλοθέου περὶ ἀναθεματισ„μῶν. Ὁ περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς σέβασε Νομο„φύλαξ καὶ καθολικὲ Κριτὰ Ἁρμενόπουλε, πῶς οὐ „κἀκεῖνο τοῖς ἀναγεγραμμένοις προσέθηκας, ὅτι „&c. quibus cum Harmenopulum alloquatur „quasi adhuc viventem, magis confirmamur, „ipsum ætate Philothei Patriarchæ Constanti„nopolitani floruisse. Editum autem est Græce & Latine apud Leunclavium Libro 4. *Juris Graco Romani*, p. 288. Atque *De Philotheo* Patriarcha Constantinopolitano, plurima honorifice scripta invenies Lib. 4. *Historia* Joannis Cantacuzeni, cap. 37. & 38. de quo etiam Nilus Rhodi Metropolita in libello *De novem Synodis*, ad Synodum nonam. Conradus Gesnerus vel Josias Simlerus ejus epitomator *in Bibliotheca Scriptorum* p. 697. Henricus Spondanus *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1354. n. ultimo, & ad annum 1355. n. 5. sub finem. Henricus V Varthon in Supplemento ad Historiam litterariam Guilielmi Cavi ad a. 1362. pagg. 58. & 59. Petrus Lambecius Lib. 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 60. In Catalogo Scriptorum hujus tomi, p. 250. & 258. Lib. 5. p. 65. 69. 99. 193. 206. 283. & in Catal. Scriptor. hujus tomi p. 153. 366. Lib. 6. part. 1. 36. 39. & in Catal. p. 77. Lib. 8. p. 482. & in Catal. p. 565. & 579. Jo. Boivin in Præludiis ad Historiam Nicephori Gregoræ Græco-Latinam editionis Regiæ Parisiensis 1705. 2. tomis in folio. Anselmus Bandurius *de Scriptis Philothei Patriarcha Constantinopolitani* diffusa Volumine 2. Imperii Orientalis, in Notis pag. 988. & seqq. quem consulas.

MANVEL CALECAS, quem ex Ordine FF. 1360
Prædicatorum fuisse narrant, non circa annum 1250. ut quidam scribunt, sed anno circiter 1360. claruit, de quo Bellarminus & Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. p. 40. ubi perperam eum seculo decimo tertio vixisse, seu circa annum 1250. scripsit. Hic vir eruditus ac vere Theologus, ut ejus Opuscula ostendunt, qui se ipsum origine Græcum fuisse profitetur, tum libro 4. *Contra Gracos* n. 8. tum in Epilogo ejusdem libri, ubi sic loquitur. *Obtestor autem ne ferant graviter, si ejusdem secum patria & generis cum simus, diversum ab illis iter, veritate ostendente, pergere voluerimus*. Cujus verò gentis ac generis, non indicat. Fuisse fortasse ex ea familia idem nomen indicat, ex qua fuit Joannes Calecas Patriarcha Constantinopolitanus sub Andronico Palæologo Imperatore, de quo Leo Allatius in Diatriba, *De Symeonum Scriptis*, ad Gretseri Notas in Orationem Joannis Calecæ. Fuisse se unum ex illis Confessoribus, qui odio Latinæ fidei a Græcis male habiti sunt post Lugdunense Concilium & Andronico Seniore imperante, ipse insinuat, dum Lib. 4. n. 8. sic ait. *Prorsus verò nunquam defuerunt, ex his, qui aliquid esse videbantur, qui Ecclesia faverint: suorum quippe separationem irrationabilem, & prater Ecclesiasticas Leges, Divinamque Theologiam esse arbitrantes. Se autem ad illos conferentes, ignominiis quidem affecti, sive etiam fugati, ob veri confidentiam ac pradicationem, quibus & qui hac scribit adjunctus est, Deo gratias quod sit dignus habitus &c.* Nam Palamitæ in quos Manuel Calecas stylum stringit in iis lucubrationibus quas extulit Franciscus Combefis, dire in Catholicos sævierunt, in eos etiam, qui pari alias cum illis odio Latinos ob certa quædam doctrinæ capita insectabantur, ut in Gregora aliisq; ostendit Joannes Cyparissiota, in lucem productus. Hunc Calecam Ordini FF. Prædicatorum vendicat, ipse ejusdem Ordinis splendidum lumen Joannes a Turre cremata, in Summa *De Ecclesia* lib. 2. cap. 93. *inde Emmanuel Calecas & Gracus magna sapientia, frater Ord. Pradicatorum*. Cujus testimonium tanto gravius esse vult Franc. Combefis *in Preludiis ad Lectorem* ultimi sui *Auctarii* Bibliothecæ Veterum Patrum: quanto ipse vir tantus Calecam propius attingit; ejusdem ac ille seculi, sin minus omnino æqualis. Volunt tamen alii Joannem de Turre cremata a. 1468. mortuum, haud satis idoneum esse ad hujus puncti fidem faciendam, fuisseque facilem ad hunc Calecam Ordini suo adscribendum. Quidquid de Manue-

nuelis Calecæ certa adhuc ætate certetur, jam id extra dubium videtur, spectare nullatenus posse ad seculum XIII. ut a multis scriptum fuerat. Improbatque Galesinium, Lib. 2. c. 18. §. 4. *De perpetuo Consensu Latinæ & Græcæ Ecclesiæ* Leo Allatius, qui interfuisse Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. Manuelem Calecam existimaverat. Ac fateri necesse est, annos non paucos illi Calecam supervixisse: cum ipse Lib. 3. n. 18. & Lib. 4. n. 7. *ante plures annos* dictam Synodum congregatam fuisse & confirmatam scribat: qua ratione non scriberet, si illi ipse adfuisset. Extant ejus *Libri quatuor adversus Græcorum errores De processione Spiritus Sancti*, ex Græco Latinè redditi ab Ambrosio Camaldulensi Monacho, jussu Martini V. Romani Pontificis, qui anno 1431. obiit, & a. 1616. publicati Ingolstadii in 4. a Petro Stevartio Leodiensi. Tum inde immissi in Bibliothecam Veterum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & nuperrimæ Lugdunensis anni 1671. tom. XXVI. Textus Græcus istorum librorum non comparet amplius, lugetque illum deperditum Franciscus Combefis. Opus tamen istud videtur esse adhuc MS. Venetiis in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli, ubi legimus *Quædam Manuelis Calecæ de processione Spiritus S. in favorem Latinorum*, folio in charta: teste Jacobo Philippo Thomasino, qui Catalogum Bibliothecarum MSS. Venetarum tam Publicarum quam Privatarum, in 4. Utini a. 1650. edidit. Hinc Ambrosius dubio procul accepit. Idem scripsit *Librum adversus Palamitas illorumque Pseudo-Synodum, sub Imperatore Jo. Cantacuzeno habitam*; item *librum alterum De principiis fidei secundum traditionem S. Scripturæ & Doctorum Catholicorum*, in capita X. distributum: quæ duo Opera Græcè & Latine impressa tomo 2. ultimi Auctarii Bibliothecæ Veterum Patrum, a Francisco Combefis editi, Parisiis anno 1672. in fol. Extat Græce MS. in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis Cod. 127. charta in 4. Idem Calecas scripsit *Homiliam in Circoncisionem Domini, & alteram in S. Stephanum*, de quibus loquitur Leo Allatius p. 112. & 115. Diatribæ *De Symeonum Scriptis*, qui impressa in 4. Parisiis an. 1664. apud Symeonem Piget via Jacobæa sub signo prudentiæ. Non ingratum sane fuerit Lectori opinor ista paullò latius ab ipso Allatio audire, in Opere *de Consensu utriusque Ecclesiæ* lib. 2. cap. 18. §. 4. col. 855. „Inter eos sit primus *Manuel Caleca* Græcus, ut ipse ait in Epilogo Lib. IV. contra Græcos, *Obtestor autem & moneo omnes, qui ista lecturi sunt, ne ferant graviter, si ejusdem secum patriæ & generis cùm simus, diversum ab illis iter, veritate ostendente, pergere voluerim.* Scripsit Libros IV. contra Græcorum errores, ex interpretatione Ambrosii Camaldulensis, a Pet. Stevartio Leodiensi Latine editos Ingolstadii 1608. cum Notis. Vidi etiam ejusdem Tractatum opulentissimum Περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, cujus principium, Τῶν παλαιῶν αἱρετικῶν ἦν. Ad res etiam Græcorum non minimum conducit, Calecæ opus, sane Catholicum, Περὶ πίστεως, ἢ περὶ τῶν ἀρχῶν τῆς καθολικῆς πίστεως, κατὰ τὴν παράδοσιν τῆς θείας γραφῆς, καὶ τῶν καθολικῶν διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας. *De fide, sive De principiis Catholicæ fidei, secundum traditionem S. Scripturæ & doctorum Catholicorum.* Principium, Τὸ φιλομαθὲς τῶν ἀνθρώπων παρὰ τῶν σοφῶν ἐπαινεῖται. Decem capitibus distinguitur, *primùm* dirigitur ad eum qui petierat, *secundùm* est de uno Deo, *tertium* de eodem uno Deo, quæ est Trinitas: *quartum* quas imagines de sanctissima Triade Sancti tradiderunt, *quintum* de Incarnatione verbi Dei ex divinis Scripturis, *sextum* de septem Sacramentis, *Septimum* adhuc de Incarnatione, ex rationibus, ut fieri potest. *Octavum* de futura mortuorum resurrectione, *nonum* de futuro igne seculorum, *decimum* Epilogus. Legi summa cum animi delectatione, ex MS. Mediolani in Monasterio S. Ambrosii, anno sexies millesimo nongentesimo decimo, qui fuerit Christi MCCCCII. forte non multò post ejusdem Calecæ ætatem, exaratum. Petrus Galesinus in Vita S. Bonaventuræ c. 14. agens de Concilio Lugdunensi scribit, *Gregorius ut erat Pontifex singulari divinaque sapientia, eum* (Bonaventuram) *esse maluit, cui potissimum Concilii dirigendi curam daret. Græcorum igitur Imperator Michael VII. Comnenus Palæologus, Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopi, Episcopi & Legati Græciæ, Lugdunum advenerunt frequenti cum Cleri multitudine: in qua viri eruditissimi aderant, quorum Emmanuel Caleca unus, qui luculentis Scriptis Ecclesiam Catholicam Romanam adjuvit.* Galesinus itaque falsa nobis narrans de adventu Michaelis Palæologi & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani ad Lugdunense Concilium, qui nunquam in illud nisi per Legatos iverunt, an verum potuit nobis asserere de Caleca? Potuit equidem, testem tamen nisi attulerit, ipse non credo: qui enim illi fraudi fuit in Michaele & Josepho, an non potuit & in Manuele Caleca esse? Certum illud est, Calecam, cum Lugd. Concilii meminerit, cujus etiam decreta laudat: post illud Concilium vixisse, nempe post a. 1269. Michaelis XVI. Et cum illius defuncti fecerit mentionem & illius cadaveris adhuc integri perdurantis, ad minus vixisse post a. 2851. Imò cum ipse asserat, dictam Synodum *ante plures annos* congregatam fuisse & consummatam: necesse fuerit, eum post plures aut multos annos Concilio superfuisse. Annorum tamen numerum ab eruditioribus expecto. Idem in Diatriba *De Symeonum Scriptis* meminit Orationum duarum illius, p. 112. *In Dominicam Circoncisionem*, εἰς τὴν περιτομὴν τοῦ Κυρίου, cujus initium, Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι. Et p. 115. *In S. Stephanum*, εἰς τὸν ἅγιον Στέφανον, cujus initium, ὥσπερ ὁ ἥλιος πανταχοῦ μὲν τῆς γῆς τὰς ἀκτῖνας τοῦ φωτὸς ἐπιπέμπει: *Sicut Sol ubique terrarum radios quidem luminis immittit.*

Edidit Philippus Labbeus Soc. Jesu *Novam Bibliothecam MSS. librorum, Græcorum, Latinorum ac Gallicorum*, seu *Specimen antiquarum Lectionum, Græcarum Latinarum ac Gallicarum*, ex Catalogis po-

potissimum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collectum, quod a. 1653. edendum curavit Parisf. in 4. apud Jo. Henault. Illic Manuelis Calecæ MS. Codices Græcos in Bibliotheca Regia extantes ita protulit. Parte 2. p. 85. in Cod. Regio 901. post multa in eo existentia, subjungit: „Præterea extant Jo. Becci Patriarchæ Constantinopolitani, Petri Abbatis *& Manuelis Caleca tractatus de processione Spir. S.* Ibidem p. 87. *Manuelis Caleca de processione Spir. S.* & aliis pluribus adversus Græcos controversis, ex Codice nostro Claromontano comparato cum Codice Regio 901. in quo & Sententia Synodalis Patriarchæ Constantinopolitani, cum Synodica sententia adversus Barlaamum & Acyndinum. Ejusdem *Caleca περὶ ὐσίας ϗ ἐνεργείας* in Codice Regio 1617. De ejusdem Calecæ Opusculis duobus ex Bibliotheca Bavarica Latine redditis, a Jacobo Pontano Soc. Jesu, nonnihil præmisimus ad calcem partis secundæ Antiquarum Lectionum Latinarum p. 36. Item parte 4. p. 105. *Manuelis Caleca Grammatica* ex Cod. Regio 1992. Hæc Labbeus. Agunt *De Manuele Caleca*, Conr. Gesnerus *in Epitome Bibliothecæ* p. 561. Aubertus Miræus *in Auctario* De Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 406. p. 263. Franc. Combefis *in Apparatu* ad Biblioth. Concionatoriam, atq; in Notis ad citata Manuel. Calecæ Opera Auctario seu ultimo inserta.

1360 JOANNES CYPARISSIOTA cognomento dictus, natione Græcus, non a. 1150. qui male ipsi a Philippo Labbeo *in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum* assignatur, sed circa an. 1360. floruisse creditur. Hujus opera sunt, *Expositio materiaria eorum, quæ de Deo à Theologis dicuntur, in decem Decades partita:* quam Latinam a se redditam Franciscus Turrianus Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo dicatam Romæ a. 1581. in 4. edidit. Extat quoque sec XI. Biblioth. Vet. Patrum editionis Coloniensis a. 1618. sed mendose, cum Scriptor hic absque dubio ad seculum Ecclesiæ XIV. spectet. Habetur autem Græce in Biblioth. Cathol. Hisp. Regis, & Romæ inter Libros quos Franc. Turrianus dedit societati, ubi eam professus est. Ejusdem *Tractatus duo Palamicarum transgressionum*, Joannem hunc Cyparissiotam anni circiter 1360. authorem arguunt, qui Palamam Hæreticum impugnavit: quos Græce & Latine habes *in Auctario ultimo* Biblioth. Vet. Patrum, quod edidit Franc. Combefis in fol. an. 1682. Aureliæ apud Guill. Hotot. Meminit scriptoris hujus Phil. Labbeus in Nova Bibliotheca Mss. Librorum Græcorum & Latinorum ac Gallicorum, quam ex Catalogo MSS. Codd. Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum edendam curavit a. 1653. Parisiis in 4. apud Jo. Henault. Ibi part. 2. p. 87. Jo. Cyparissiotæ adversus Palamam libri 8. Item Libri quinque adversus eundem, Octo quoq; Apologiæ, & in Palamitarum Apostasiam libri tres in Cod. Regio 1412. Sed vide quæ paulò ante diximus de Demetrio Cydonio parte 2. p. 83. Hæc Labbeus citatus. Hi *Tractatus seu Libri duo Palamicarum transgressionum*, sunt tantum excerpti ex Opere longe majoris molis Jo. Cyparissiotæ, quod Græce MS. extat in Regia Galliarum Bibliotheca, facileque invenietur, ubi Catalogi MSS. Codd. Græcorum & Latinorum ordine alphabetico perfecti fuerint, quibus consummandis magno studio industrii incumbunt hujus Bibliothecæ custodes. Dividitur hoc opus *Παραβάσεων Παλαμικῶν* quasi in duas partes seu tomos, cujus pars prima libros f. tractatus quatuor complectitur, quorum primum & quartum ex hoc MS. Cod. protulit *in Auctario suo ultimo* dictus Combefis, ut jam dictum est. Secundus autem & tertius omissi, quibus quatuor, pars hujus Operis prima continetur. Altera continet *libros seu tractatus quinque.* Liber primus affert distinctiones Novi Dei Palamici & secundi a primo, aliaque ferme capita, quæ Manuel Calecas jam impugnavit: tumq; affert Palamæ hæreses tum proprias, tum communes cum aliis. Liber secundus adversus Palamæ hæresim, cujus sunt *λόγοι* VIII. adversus Palamæ tomum, ejusq; novam fidem. Liber tertius ipse perinde in *λόγοις* vasto opere distributus, Palamæ calumniis in Orthodoxos de lumine increato respondens, ac aliquot quæstionibus omnem de illo considerationem complectens. Liber quartus, contra Palamitarum quotannis in Catholicos diras & exautorationes, seu verius illorum *ἀποστασίας λόγοι* III. sed qui mole reliquos plures excedant, priore istorum trium in LXXV. capita effuso. Liber quintus ipse in *λόγοις* distinctus, prius quidem ordine editus, ut author est ipse Cyparissiota. Tantæque molis hic unus liber, ut ipse unus reliquis omnibus par prope videatur. Ita describit, distribuitque MS. hunc Codicem, quem tenuit & apud se aliquandiu habuit Franciscus Combefis. Mentionem facit *Jo. Cyparissiota* Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, c. 333. p. 242. Guil. Warthonus *in Supplemento* ad Scriptores Ecclesiasticos Guil. Cavi. ad a. 1360. p. 55.

PETRUS BERCHORIUS, S. ELIGII PARISIENSIS PRIOR, natione Gallus, patria Pictaviensis, Ord. divi Benedicti Congregationis Cluniacensis, quam junior ingressus est, floruit anno non tantum 1360. cum paucis sequentibus, sed ab anno etiam 1340. sub Abbatibus IV. Cluniacensibus, Petro II. Cluniacensi Abbate XXXI. Iterio XXXII. Hugone VII. nominis Abbate XXXIII. atque Andruino Abbate XXXIV. Præfectus primum scholæ juniorum Monachorum Cœnobii Cluniacensis & Congregationis, qui humanioribus literis imbuendi erant, quorum in gratiam Commentatus est Grammaticam Metricam, quæ tunc apud Gallos in usu erat, itemq; Metamorphoses Ovidii. Carissimus fuit Joanni Galliarum Regi, & clarissimus ob Opera quæ in lucem emissa sunt, Concionatoribus Christianis quos scriptis suis plurium adjuvat, notissimus. Hic primum Monachus Cluniacensis factus, humanioribus insigniter incubuit literis, quas & probe didicit, atque aliis etiam discendas suo exemplo & studio inculcavit, suis laboribus invita- 1360

vit. Contulit operam suam atque vigilias, ut alios in his adjuvaret, redderetque faciliorem viam junioribus viris, per Commentaria, quæ conscripsit. Primum igitur composuit *Commentarium prolixum & insignem* in opus metricum inscriptum, *Doctrinale Metricum cum Commentario Petri Bercherii*, quo passim in Gallis utebantur Scholastici ante prosodiam Joannis Despauterii. Atque hoc *Doctrinale Metricum cum Commentario Petri Bercherii*, extat ter Manuscriptum in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Litteris III. 11. III. 12. III. 13. Incipit, *Domine Labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam &c. O Deus triclinium veritatis æternæ, ortus & exordium totius doctrinæ, tu meum principium* &c. Scripsit & *Commentarium Moralem seu Allegorias in libros quindecim Metamorphoseon Ovidii*, qui extat MS. in Biblioth. S. Germani de Pratis Parisiensibus, Ord. D. Benedicti, Cod. 688. Hujus Prologus incipit, *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, dicit plantator & rigator Christianæ fidei* &c. Allegoriæ autem ingeniosissime expositæ, incipiunt, *Quoniam uniuscujusque Poeta* &c. tum ad finem Chartacei Codicis, *Explicit decimus quartus liber Reductorii Moralis Metamorphoseon Ovidii, editus a fratre Petro Bercherii, Ord. D. Benedicti.* Transtulit etiam idem Petrus Berchorius, Gallice Bercher, *Historiam Titi Livii* in Linguam Gallicam, Regi Galliarum Joanni dicatam, Berchorium imprimis amanti, quam pulcherrimis ornatam figuris atque picturis, duobus comprehensam magnæ molis voluminibus, asservat Manuscriptam Bibliotheca Sorbonica, ex dono enim eminentiss. Card. Richelii. Opus istud ob imagines rarissimas æstimant supra fidem humanam, curiosi antiquitatum, usque ad aureos sexcentos Ludovicanos nummos & ultra, cui nec simile quidpiam a me atque aliis ob elegantiam, visum est. Egressus autem e prophanis & Grammaticis *Berchorius*, animum solidioribus divinæ paginæ studiis adposuit, qui quantum Scripturam sacram menti assiduam atque infixam habuit, suis doctissimis Operibus, de quibus præclare disserit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 241. ostendit. Varia in S. Scripturam Opera composuit, Concionatoribus maxime utilia, nempe *Dictionarium Morale Biblicum ad Joannem de Pratis, Cardinalem & Episcopum Prænestinum*, per litteras Alphabeti digestum, quod omnes fere dictiones Scripturæ præcipuas ad instar locorum communium complectitur, earumque significationes moribus accommodat. *Reductorium Morale utriusque Testamenti* in quatuordecim libros divisum, in quo prætermisso Historiæ sensu, breviter universa capita Scripturæ tropologice exposuit, allegoriis interdum intermixtis. Tertium Opus *Inductorium Morale Biblicum* inscribitur, quod in tres partitum libros incipit, *Videte quoniam non solum* &c. Prima autem istorum trium Operum Petri Berchorii editio, facta Basileæ an. 1515. & Parisiis 1521. 4. voluminibus in folio, tum postea Venetiis an. 1589. in fol. 3. voluminibus, atque bis Coloniæ annis 1620. & 1694. eadem ratione. Pulcherrima autem est & castigatissima editio, quæ 4. in fol. voluminibus facta est Parisiis an. 1521. apud Claudium Chevalon via Jacobæa sub sole aureo, cujus exemplar in Bibliotheca S. Germani Parisiensis vidimus. Obiit Petrus Berchorius in Prioratu suo S. Elsgii Paris. an. 1362. ubi conditus jacet, cujus honorificam mentionem faciunt Conradus Gesnerus vel Josias Simlerus in *Bibliotheca Scriptorum* pag. 667. Sixtus Senensis in *Bibliotheca Sancta* lib. 4. pag. seu fol. mihi 287. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* p. 241. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 9. pag. 799. ultimæ editionis. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice autorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 136. ubi eum anno 1360. vixisse asserit.

HENRICUS SUSO natione Germanus, patria Constantiensis non an. 1290. ut imperite Cavus, sed an. 1360. & sqq. illuxit, de quo ita Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* seculo XIII. ad an. 1290. p. 752. « Henricus, aliis Amandus Suso, natione Suevus, ex nobili Co- « mitum Montensium genere natus, Ord. Præ- « dicatorum, Theologus insignis, lector Con- « stantiensis, claruit circa an. 1290. Exeunte « hoc seculo obiisse videtur, vel ut alii, an. 1306. « Sunt quidem, illique non infimi nominis viri, « qui obitum ejus ad annum 1365. vel 1366. « referunt: quod nullo pacto stare potest, siqui- « dem verum sit, quod nobis tradidit *Bibliotheca* « *Dominicana* pag. 77. Ambrosius de Altamura, « Susonem nostrum una cum Divo Thoma A- « quinate, qui in Divorum censum an. 1321. re- « latus est, summo Pontifici propositum fuisse, « ut in Sanctorum numerum cooptaretur. Cor- « pus ejus in Conventu Ulmensi Provinciæ Ale- « manniæ, ante altare S. Petri conditum est. « Scripta sunt «

Horologium Sapientiæ, Venetiis 1492. 1593. « Neapoli 1658. in 12. & alibi sæpius editum. «

Meditationes centum de Passione Domini, cum « *totidem petitionibus ad eundem.* «

Liber de novem rupibus. «

Sermones de Tempore, de Sanctis & Quadragesimale. «

Dialogus Veritatis. «

Epistolæ variæ, eruditione, sanctitate, Spirituque refertæ. «

Opuscula hæc Laurentius Surius, ex lingua « Germanica in Latinam traduxit, & Coloniæ « anno 1588. in 8. edidit. «

Officium quotidianum de æterna Sapientia, plu- « ries editum, annis tamen & locis mihi non « compertis, nisi forsitan Parisiis 1578. in 8. « Hæc Cavus, qui Ambrosium de Altamura cœco modo amplexus est, hominem ab omnibus viris eruditis ex ord. fratrum Præd. contemptum & deri-

derisum ob fabulas & anilia commenta, quibus *Bibliothecam suam Dominicanam* resperfit. Quo autem tempore, anno nempe 1322. juxta Cavum & Altamuram de Canonizatione Henrici Susonis deliberatum fuisse dicitur, nondum Henricus Suso natus erat, quem prudenter Possevinus an. 1340. vixisse affirmat, neque ante an. 1360. floruisse verisimile est. Absurdum quoque illum an. 1365. vel 1366. mortuum fuisse, cum anno 1369. *Horologium divinæ Sapientiæ* composuisse scriptum sit. Hæc contra Guillelmi Cavi & Ambrosii Altamurani ineptias & fabulas dicta sunto.

Rectius sane Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri*, verbo *Henricus Suso* hæc habet. „Henricus Suso, qui aliis dicitur Amandus, Ord. „Prædicatorum, natione Svevus, sanctitate & „miraculis (ut ferunt) clarus, scripsit Germani„ce librum, quem prænotavit *Horologium divinæ* „*Sapientiæ*, in quo colloquentes facit *Æternam* „*Sapientiam atque Discipulum*: qui Liber Latine „redditus prodiit tum alibi, tum Venetiis anno „1492. quem deinceps rectius & elegantius ver„sum a se Laurenrius Surius Carthusianus an. „Dom. 1588. edidit. Scripsit vero idem Henri„cus *Centum meditationes de Passione Domini*, „quemadmodum in Prologo *ejusdem Horologii* „testatur, *totidem petitionibus additis*. Quin & „composuit *Officium quotidianum de æterna Sapi„entia*, quod prostat Luxemburgi in officina Spi„rensi apud Heliam Rembachium anno 1605. „excusum. *Et Conciones aliquas atque Epistolas*. „*Librum de novem rupibus, Dialogum de Veritate*: „quæ omnia ab eodem Surio Latine reddita, Co„loniæ evulgata fuerunt. Vivebat ille circa „annum 1340. Hæc Possevinus, quæ vera sunt.

Scripsit autem anno 1369. *Horologium divinæ Sapientiæ* non Germanice ut vult Possevinus cum Cavo, sed Latine, quod multis annis ante Laurentium Surium, habetur MS. in Bibliothecis veteribus. Nam inter MSS. Codd. Vniversit. Oxon. Cod. 1362. in MSS. Codd. Collegii Lincolniensis, in Archivis ex parte Australi Bibliothecæ positis Cod. 41. in fol. extat *Horologium divinæ Sapientiæ*, cujus in fine hæc Nota additur, *Hunc librum composuit Henricus Constantiensis an. Dom. 1369*. Compositum igitur Latine ab authore, longe ante Struvii qui an. 1580. vivebat, ætatem. Idem Opus videtur postea conversum in linguam Anglicam, quod extat inter MSS. Codd. Bodleianæ bibliothecæ Codice 3620 in MSS. Codd. Hyperoi Bodleiani, Cod. 154. ubi inscriptum, *Horologium Sapientiæ*, seu *Tractatus de septem gradibus veri amoris & sapientiæ, Anglice redditus per Anonymum*.

Mentionem illius honorificam facit Abraham Bzovius, Ord. & ipse fratr. Prædicatorum, in *Continuatione Annalium Baronii*, Tom. XIV. ad an. 1317. num. 15. & ad an. 1365. num. 14. quo vult eum obiisse die 25. Jan. in Conventu Vlmensi, post mortem (inquit) ingentibus miraculis clarissimum. Sed deceptum Bzovium ab aliis arbitror, atque Henricum Susonem non ante an. 1385. die 25. Jan. defunctum Vitam ejus ex monumentis Germanicis Latine factam multo sermone edidit Laurentius Surius Carthusianus Coloniensis, præmissam Operibus ejus impressis, quam recudendam curavit inter *Probatas Sanctorum Vitas* Joannes Bollandus, Soc. Jesu Theologus, tomo 2. Jan. mensis die 25. p. 653. seqq. capp. 49. diffusam, Antwerpiæ anno 1613. apud Joan. Meursium in folio. Hæc tamen Vita ita omnibus remporum circumstantiis destituta apparet, ut ex illa colligi non possit, quo rempore Henricus Suso claruit, quove anno præcise mortuus sit, unde mortem ejus vix ante an. 1385. die 25 Jan. contigisse arbitramur.

LEVOLDUS NORTHOVIUS, Germanice 1360
de Northovu seu Northof, natione Germanus, patriam habuit Westphaliam, natus in agro Markano, familia Equestri, quæ ante annos multos desiit. Editus est in lucem anno Christi incarnati 1278. die 21. Jan. quem in festis nostris occupat S. Agnes virgo Romana. Ab ineunte ætate ad bonas literas assuefactus, quantum profecerit, restatur *Chronicon*, de quo statim loquemur, eo tempore luci datum, quo studia Artium & linguarum in Germania & ubique terrarum tristi barbarie oppressa jacebant. Annum agens XVI. Erfordiam missus & studiorum causa, sed biennio elapso a Rutgero de Altena Comiti Markani Dapifero (quem vulgus Drossatum nominat) domum revocatur. Ægre hoc ei accidit, tum quod opportuna ibi in litteris proficiendi occasio, tum quod ex Popularibus non pauci commilitones una viverent. Illum in Aulam tum adscitum, & junioribus Comitibus Engelberri filiis erudiendis præfectum, probabile est. Anno 1308. mense Maio ad Academiam Avenionensem propter Sedem Apostolicam Roma eo translatam, tunc temporis maxime florentem accesserit. Quod vitæ religiosæ addixisset, anno 1310. ab Adolpho Comite Markano, Præposito Wormatiensi, sacerdotio Bopardiæ donatus est: qui præsul Levoldum Præposituræ suæ administratorem fecit. Et cum non multo post Leodiensis Episcopus electus esset, an. 1314. magis opimo sacerdotio in Ecclesia Leodiensi Levoldum cohonestavit. Post annos duodecim Levoldo Romam eundum fuit cum Engelberto Comite Markano, quo ulterius ad Rupem amatoris progrediente, ipse in curia Pontificis subsistens, Præposituram Bopardiensem & Choriepiscoparum Coloniensem Engelberto prædicto, & ipsius fratri Eberardo Coloniæ & Leodii sacerdotia impetravit. Quando Levoldus obierit, incompertum est, qui ad summam senectutem pervenit. Nam cum finem huic libro imponeret, annum ætatis 80. excesserat, anno nimirum 1358. a partu Virginis, quo tempore se Comitibus Markonis circiter L. annos inservisse testatur. Summæ istic authoritatis fuisse, & totus Liber & præfatio imprimis testatur. Scripsit ergo vel perfecit

circa annum 1360. *Origines Markanas* five *Chronicon Comitum de Marka & Altena*, editum in fol. Hanoviæ an. 1613. cum Notis Henrici Meibomii. Extat quoque in *Collectaneo rerum Germanicarum* Henrici Meibomii, quod 2. in fol. voluminibus est impressum anno 1688. Lipsiæ apud Fridericum Gleditsch, Tomo 1. pag. 377. post vitam pag. 375. præmissam. Ibidem Tomo 2. pag. 4. extat *Catalogus Archiepiscoporum Coloniensium Levoldi a Northofi Equilis Marcani, Canonici Leodiensis:* qui valde imperfectus creditur, ad annum MCCCL. pertingens. Hæc *Chronica Markana* ab an. 1000. ad 1358. progreditur, cujus Supplementum usque ad an. 1391. ab eodem Meibomio editum est, cum Meibomii ejusdem *Rebus Germanicis*. Vitam habes Levoldi Northovii ex Chronico Markensi ab an. 1278. ad 1358. per Meibomium eundem, huic Chronico *De Rebus Markanis* præmissam. Solus quem noverim *Levoldi Northovii* mentionem facit Meibomius, ac post ipsum Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 128.

1360 IOANNES SCHADLAND HILDESHEIMENSIS EPISCOPUS, natione Germanus, Ordinis fratrum Prædicatorum, ex Conventu Coloniæ Agrippinæ, Magister in Theologia celeberrimus, olim Hæreticæ pravitatis in Alemania inquisitor, quo munere per aliquot annos cum Christianæ fidei incremento, functus dicitur. Variis etiam ab Apostolica sede ac pro Apostolica fide commissionibus & legationibus honoratus, anno circiter 1360. & seqq. claruit, scripsitque Opus *De statu Cardinalium*, quod manuscriptum extat Cod. 2089. Bibliothecæ Colbertinæ. Factus primum postea Culmensis Episcopus, tum postea Hildesheimensis sub Metropoli Coloniensi: quem alii denique ex MS. Cod. volunt factum ab Vrbano V. Episcopum etiam Vormatiensem an. Dom. 1370. dec. quinto Cal. Febr. illique aunos septem præfuisse, & an. 1377. fato functum esse in Conventu fratrum Præd. Confluentiæ, ubi corpus ejus sepultum in Ecclesia ad majoris Altaris dextram. Plura de ipso Leander Albertus Lib. 3. *De viris illustribus Ord. Prædicatorum* cap. penultimo. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tom. 2. p. 248. ubi vult eum floruisse an. 1365. cum Eisengrenio & aliis, in quo convenimus. Antonius Senensis in *Bibl. Ord. Præd.* p. 154. Ambrosius de Altamura in *Biblioth. Dominicana* ad an. 1377. p. 135. & in *Appendice* ad eundem an. p. 490. quos adire poteris.

1360 MATTHÆUS VILLANIUS seu VILLANUS, natione Italus, origine Florentinus fuit, atque Joannis Villani frater, itidem Itali & Florentini, scriptis suis clarissimi. Scripserat hic Joannes *Historiam Italico idiomate Libris XII. comprehensam*, quam ab erectione Turris Babylonicæ ad sua usque tempora, seu ad an. 1348. perduxit, habitamque in folio Venetiis anno 1537. impressam, de qua Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad an. 1330. Et Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis* tom. 2. verbo *Joannes Villanus:* quem tamen Henr. Wharton in Continuat. *Historia literaria* Guillelmi Cavi prætermisit. Cum autem Joan. Villanus citatus an. 1348. ex sævissima, quæ omnem Italiam depopulata est, peste extinctus esset, superfuit ei, fraternoque labori haud dissimilis frater successit, Matth. Villanius, qui ejusdem exemplo, vel sui temporis potissimus, tam patrias & Italas, quam exteras etiam quas rescire potuit, posteritatis ergo, memoriæ commendavit, ortus ab hoc anno 1348. atque a descriptione prædictæ pestilentiæ atrocissimæ. Hoc porro Opus *Matthæi Villani* Italice scriptum atque in undecim libros distributum est, impressum in 4. Florentiæ an. 1581. inscriptum *Historia & Verum Chronicon Matthæi Villani Florentini* &c. quod ab ipso deductum est usque ad annum 1363. seu usque ad locustas enarratas, quæ ex Dalmatia in varias Italiæ partes incredibili multitudine a vento delatæ sunt; adeo ut per aliquot milliaria solem obscurarent, & quidquid herbidum & frondosum esset, consumerent. Quibus narratis idem Matthæus finem scribendi simul & vivendi fecit, sublatus eodem morbi genere, quo & fratrem ejus Johannem decessisse diximus: pestilentia nimirum ad diem 12. Julii, quæ hoc tempore in Etruria, sicut & in pluribus aliis Italiæ regionibus grassabatur. Ita testatur filius ejus Philippus Villanius, qui Matthæi historiam aliquot Capitulis prosequutus est, usque ad finem belli inter Florentinos & Pisanos anno superiore renovati, quod hoc etiam anno obstinatioribus animis, quam rerum gestarum splendore, cum utriusque populi & damno & dedecore continuatum est, conductis utrinque deprædatorum militum societatibus. Donec an. 1364. sequente, post gravem pugnam, qua Florentini victores extiterunt, ventum est opera nuntiorum Vrbani Papæ, ad pacem Florentinis honorificam & utilem, authoritate etiam Apostolica confirmatam, ut fuse describit prædictus Philippus Villanus. Agunt de *Matthæo Villanio* Henricus Spondanus in Continuatione *Annalium Baronii* ad an. 1348. num. 6. & ad an. 1362. num. 11. & alii omnes, qui *De rebus Florentinis* scripserant, ut Poggius, Leonard. Aretinus, Nic. Machiavellus.

IOANNES BOCACIVS DE CERTALDO, 1360 natione Italus, patria quoque Florentinus, tunc temporis etiam ingenti in pretio erat. Auditor hic fuit Franciscani Petrarchæ, quod in præfatione Operis sui *De genealogia Deorum* indicat his verbis: *Praclarissimi viri Francisci Petrarcha iamdiu ego auditor sum:* unde liquet superstitem fuisse Petrarcham, cum hoc opus scriberet. Alibi etiam similia legas in eodem opere, atque etiam libro XV. cap. XVI. ubi eum vocat *Reverendissimum preceptorem, patrem & Dominum suum.* Fuit & discipulus Andalotii Nigri, quem *curiosum Astrologum* Leander vocat in Italia sua. Magnam eruditionis & industriæ laudem retu-

lit

lit ex Opere memorato, quod *Genealogiam Deorum* vocat, & Hugoni Hierosolymorum & Cypri Regi inscribit. In eo passim, eorum quæ adducit, testem laudat Theodontium; per quem quis designetur, discere est ex Operis ejus Libro XV. cap. 6. ubi sic loquitur. *Paulum Perusinum gravissimum virum cæteris immisceo, qui & ætate provectus, & multarum rerum notitia doctus fuit: diu Magister & custos bibliothecæ Roberti, Hierusalem & Siciliæ Regis inclyti. Etsi unquam curiosissimus fuit homo in perquirendis jussu etiam Principis peregrinis undecunque libris, Historiis & Poeticis operibus, iste fuit. Atque ob id singulari amicitia Barlaæ junctus, quæ a Latinis habere non poterat, eo medio innumera exhausit a Græcis. Hic ingentem scripsit librum, quem COLLECTIVUM intitulavit: in quo inter cætera quæ multa erant & ad varia spectantia, quidquid de Diis Gentilium, non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos inveniri potest, adjutoria Barlaæ arbitror collegisse. Nec dixisse verebor ego juvenculus adhuc, longe antequam tu in hoc Opus animum meum impelleres, ex illo multa avidus potius, quam intelligens, sumpsi: & potissimum ea, quæ sub nomine Theodontii apposita sunt. Quem librum maximo hujus Operis incommodo, Biellæ impudica conjugis crimine, eo defuncto, cum pluribus aliis ex libris ejusdem deperditum comperi. Primo igitur eo tempore, quo mihi primo cognitus est, nemnem illi in talibus æquiparandum fuisse.* Ex his colligere est, unde opinio illa originem cœperit, Bocacium hoc opus suum exscripsisse ex Paulo Perusino Jurisconsulto, æquali suo, qui & ipse *De Græcorum Latinorumque Diis Commentarium* fecerat, cujus opinionis meminit Leander in Descriptione Italiæ. Porro *Libri De genealogia Deorum Libri XV.* Itemque *De montium, sylvarum, fontium, lacuum, fluviorum, stagnorum & marium nominibus Liber*, impressi Basileæ an. 1532. apud Hervagium. Item *De Genealogia Deorum* lib. XV. inscripti Hugoni Hierosolymorum Cypri Regi, editi Vicentiæ 1487. in fol. Addit vero Gallice Parisiis 1498. in fol. De montium, sylvarum, fontium, lacuum, fluviorum, stagnorum & marium nominibus, Venetiis 1473. & ibidem 1497. in fol. Nec modo huic Paulo Perusino debere se multum fatetur, sed etiam Barlaamo, de quo ibidem hæc paullo ante legas: *Trabo præterea aliquando Barlaam, Basilii Cæsariensis Monachum Calabrum, hominem olim corpore pusillum, prægrandem tamen scientia, & Græcis adeo eruditum, ut Imperatorum & Principum Græcorum atque Doctorum hominum privilegia haberet, testantia ne dum his temporibus apud Græcos esse, sed nec a multis seculis citra fuisse virum, tam insigni, tamque grandi scientia præditum. Nonne ergo huic, & potissimum in rebus ad Græcos spectantibus, ego credam.* Hæc de Barlaamo eo lubentius apposui, quia video doctissimos viros dubitare de ætate Barlaami, cujus *De principatu Papæ liber* Græce extat, cum translatione viri clariss. Claudii Salmasii. Ejusd. Libri XV. loco memorato, eandem Barlaami ætatem cognoscere iterum licet, dum docet quis ille Leontius fuerit, quem totius ad partes advocat. Sic enim de eo scribit: *Post hos & Leontium Pilatum Thessalonicensem, & ut ipse asserit, prædicti Barlaæ auditorem, persæpe deduco: qui quidem aspectu horridus est, turpi facie, barba prolixa, & capillitio nigro, & meditatione occupatus assidua, moribus incultus, nec satis urbanus. Verum uti experientia notum fecit, litterarum Græcarum doctissimus, & quodammodo Græcarum Historiarum & fabularum archivum inexhaustum, & si Latinis non satis instructus sit. Hujus ego nullum vidi Opus, sed quidquid ex eo recito, ab eo viva voce percepi*, Non dubium profecto, quin in iis, quæ ad Græcorum fabulas pertinent, multa & a Barlaamo, & auditore ejus Leontio (ut de altero Magistro Paulo Perusino nihil dicam) multa discere potuerit Boccacius de Certaldo, quæ nunc frustra quæremus in Græcorum monumentis. Gloriam quoque meruit Bocacius *Compendio Romanæ Historiæ*, quod olim editum est Argent. an. 1535. & Coloniæ Agrippinæ apud Gymnicum. Item *Libris De viris illustribus, De claris mulieribus, De bellis Imperatorum, De Florentinorum bellis, De capta Constantinopoli*, atque aliis commemoratis a Jacobo Bergomate ad an. 1365. quorum pleraque MSS. extant in Biblioth. publica Academiæ Lugdunensis apud Batavos, nimirum Cod. 24. *Joannes Bocacius De Casibus virorum illustrium, & De claris mulieribus & Historia Constantinopoleos*, ut habetur p. 401. Catalogi hujus Biblioth. impressi anno 1674. in 4. apud Elzevirios. *Liber* autem *De claris mulieribus*, impressus Bernæ Helvetiorum an. 1539. Lib[illegible] *De viris illustribus*, hic Parisiis sæpe MS. tum [illegible]d Abbatiam S. Victoris, tum in Bibliothecis Regia & Colbertina sæpius. At Libri ejus novem *De casibus virorum illustrium*, MSS. asservantur Oxonii in Biblioth. Collegii Novi, Cod. 111. teste Thoma Jamesio, qui & ibidem in Bibliotheca Collegii B. Magdalenæ Cod. 60. & in Lincolniensi Cod. 79. extare ait, Bocacium *De casibus virorum illustrium*: sed neutro loco, opus istud quot librorum sit, addit. Opus etiam *De claris mulieribus*, MS. Oxonii in Biblioth. Magdalen. Cod. 61. & Lincolniensi Cod. 79. Ac quemadmodum Petrarcha eloquentiam in Poesi Etrusca a cive & Magistro suo, Dante Aligerio inchoatam, perduxit ad maturitatem: ita iisdem temporibus Bocacius pedestrem eloquentiam in sermone patrio, ut Jovii de eo judicium est, simul & inchoavit & absolvit. Vernacula autem lingua multi ejus extant Libri, jocis & scurrilitatibus pleni, sicut *Liber centum novorum, Corbatius & Philostratus*. Obiit Joan. Bocacius Florentiæ, an. ætatis suæ 62. Christi Dom. 1376. uno post Petrarcham anno, ut est apud Matthæum Palmerium & Massæum, Libro XVIII. Chronici sui. Sepulchrum ejus cum marmorea Certaldensis hujus effigie, in templo maximo cernere licet. Agunt de *Joanne Bocatio* Conradus Gesnerus vel Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ* pag 411. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*. Gerardus Joannes Vossius

Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. p. 525. ultimæ editionis, a quo hæc accepimus. Cornel. a Beughem in *Incunabulis typographiæ* p. 31.

1360 JOANNES DE LIGNANO Jurisconsultus, quem alii Bononiensem, alii Mediolanensem fuisse volunt. Quamvis illum per multum ævi, jus canonicum & civile in urbe Bononiensi docuisse certum sit, civem tamen fuisse Bononiensem non constat. Testimonium enim Mantuæ Patavini, qui in libro *De viris illustribus* cap. 167. scribit, illum multo tempore docuisse in patria, rem extra difficultatem non ponit. Quippe in titulo tractatus *De censuris Ecclesiasticis*, & in titulo tractatus *De bello*, in Tractatibus Juris tomo XVI. fol. 371. uti quidem vulgatæ per typographos editiones habent, *Mediolanensis* dicitur. Præterea Jacobus Philippus Tomasinus in Catalogo Bibliothecæ MS. Ecclesiæ cathedralis Patavinæ, illum fuisse Mediolanensem ait, ac si id extra controversiam esset. Inclaruit ille jam pontificatu Innocentii VI. ut patet ex tractatu *De bello*, quem compositum fuisse anno 1360. docet Cod. 978. Bibliothecæ Colbertinæ, ubi sic habetur. *Explicuit tractatus De bello editus & compilatus per me Joh. de Linyhano minimum utriusque juris Doctorem in studio Bononiæ, an. 1360. pendente forti exercitu contra civitatem, qui causam dedit tractatui.* Postea sub Urbano V. scripsit tractatum *De pluralitate beneficiorum*, uti supra p. 1054. observatum est. Sic enim legitur in Cod. 2672. biblioth. Colbertinæ fol. 108. *Explicit tractatus De pluralitate beneficiorum, editus per Dominum Joh. de Lyniano utriusque juris Doctorem in Urbe tunc excellentissimum, jussu sanctissimi in Christo Domini Urbani Papæ V. postea canonizati.* Sic etiam in editione ejusdem operis, quæ an. 1512. in hac urbe Parisiensi prodiit. Anno 1371. cum Gregorius XI. collegium, quod vulgo Gregorianum vocatur, condere apud Bononiam in ædibus Populorum instituisset, instrumenti emptionis earum conficiendi cura demandata est Job. de Lignano, ut testatur Ghirardaccius lib. 4. hist. Bonon. p. 303. Anno 1376. Avenionem legatus civitatis Bononiensis ad Gregorium XI. profecturus, testamentum condidit, ut tradit idem Ghirardaccius lib. 5. p. 350. Anno 1377. rursum legatus ad eundem Papam Gregorium missus est, qui tum Romæ erat. *Ghirardaccius ibidem pag. 363.* Ea porro tempestate factus est Vicarius generalis Papæ in civitate Bononiensi. *Ibidem p. 367. & sqq.* Uxorem habuit Novellam filiam Federici Calderini, qui celeberrimi illius Jurisconsulti Andreæ Chalderini erat filius. Datæ sunt ei pro dote, nongentæ libræ Bononienses. Filium habuit Baptistam de Lignano, fratrem Prencivallem, nepotes Giovanellum & Corteilum filios Blanci fratris sui. Præter lucubrationes ejus supra commemoratas, editus est in tomo XII. Collectionis tractatuum utriusque juris, tractatus *De amicitia*, qui incipit fol. 227. *Circa circulum amicitiæ:* quem librum *De pace & amicitia*, inscriptum esse in veteri Codice Cantabrigiensi domus S. Petri, testatur Thomas Jamesius, in Catalogo MSS. Cantabrigiæ Academiæ. In eodem tomo fol. 281. habetur ejusdem tractatus *De duello*, cujus hoc est initium: *Restat ut videamus de duello.* Verum ille est tantum postrema pars tractatus *De bello*. In tomo XIV. extat ejusdem tractatus *De censuris Ecclesiasticis* fol. 307. & incipit, *In tractatu de censura Ecclesiastica.* In tomo XV. parte 1. fol. 110. *De beneficiorum Ecclesiasticorum pluralitate*, & parte 2. ejusdem fol. 558. tractatus *De horis canonicis* radiantissimi Doctoris, Dom. Joh. de Lignano, hoc habens initium, *Ad honorem illius* &c. Denique Mantua Patavinus in loco supra laudato, testatur illum multa scripsisse in omnes Decretalium libros, quæ nunquam edita, MSS. reperiuntur in Bibliotheca majoris Ecclesiæ Bononiensis, ubi se ea vidisse ac legisse ait. Philippus quoque Tomasinus in loco paulo ante laudato, admonet extare in Bibliotheca Ecclesiæ cathedralis Patavinæ, quinque volumina MSS. Commentariorum ejus in Decretales, & volumen in Clementinas. Citat sane Ægidius Bellamera, Commentarios ejus in Decretales. Scripsisse etiam Commentarios in Clementinas, sed parum probatos studiosis rei canonicæ, scribit his verbis Franciscus Zarabella Cardinalis, in Proemio lecturæ suæ super Clementinis: *Subinde Joannes de Lignano Dominus meus multos ex præmissis in unum collegit, quos sæpe nimium decurtavit: sed quod magis improbatur a compluribus, non apto retulit ordine, ita ut a paucis ejus lectura commendetur. Et huic diligentia defuit, non probitas, fuit enim omnium sui temporis longe princeps.*

Anno 1378. post mortem Gregorii XI. cum Urbanus VI. in locum ejus substitutus esset, & paulo post Cardinales, qui eum elegerant, publice illum vitio electum fuisse declarassent: Jo. de Lignano Epistolam scripsit, quæ extat integra in Cod. 811. Biblioth. Colbertinæ, ad Petrum de Luna Cardinalem die XVIII. Augusti, ut eum cæterosque Cardinales dehortaretur ab electione novi Pontificis adversus Urbanum. Postea Johan. Romam ad salutandum Urbanum profectus, ab illo benigne & comiter acceptus & dimissus est. Dedit autem illi idem Urbanus VI. duos pileos rubeos deferendos ad Philippum Caraffam & Barthol. Mezzavaccam Cardinales recentes factos. *Ghirardaccius in Hist. Bononiensi* p. 371. & seqq. Extat in Cod. 814. Biblioth. Colbertinæ fol. 229. *Collatio seu Oratio* ab eo habita ad unum ex iisdem Cardinalibus, eo tempore, quo pileum rubeum illi tradidit, omissa apud Odoricum Raynaldum, uti postea dicemus. In fine vero ipse Joh. ita loquitur. *Quia ergo olim scholastica doctrina fili dilectissime, nunc ratione dignitatis & officii pater reverendissime, sanctiss. pater & Dom. noster Dom. Urbanus sola divina providentia sacrosanctæ militantis Ecclesiæ Papa VI. vos promovit ad Cardinalatus apicem, auctoritate speciali in hac parte mihi concessa & commissa per præfatum sanctissimum Patrem & Dominum, ut uni ex Cardinalibus*

dinalibus de quibus prædixi, super caput tuum imponam orbem, quem una cum aliis cardinibus sustentas &c. ad honorem Dei omnipotentis & gloriosæ virginis Mariæ, Regis Reginæ cœlestis, & beatorum Apostolorum, & beatorum Nicolai & Dominici Confessorum, sub quorum titulo constructa est hæc venerabilis Ecclesia, & totius curiæ triumphalis. Ad honorem & exaltationem sanctissimi Patris & Domini, Domini Vrbani sola providentia divina Papa VI. & sacrosanctæ militantis Ecclesiæ, ad salutem & quietem hujus almæ Civitatis, nec non divinalis studii Bononiensis, assumo hunc orbicularem pileum, & suppono capiti tuo. Anno 1379. mense Augusto, in publicum emisit & ad Cardinales, ut ipse §. 9. secundi tractatus docet, direxit tractatum pro defensione electionis Vrbani, quem *De fletu Ecclesiæ* inscripsit, qui recte vocatur *Tractatus primus* in Cod. 815. Biblioth. Colbertinæ. Ex eo fragmenta quædam edidit Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 38. & sqq. Illum vero missum esse ad Vniversitatem Paris. ab Vrbano, fidem facit Rodericus Bernardi in Relatione sua ad Johannem RegemCastellæ, quæ extat in Cod. Harlæano, *De his, quæ ipse egerit Romæ cum Vrbano.* Cum enim Rodericus Vrbano dixisset, Cardinales publice conquestos esse de violentia sibi facta a populo Romano, & Jo. de Lignano in tractatu suo asserere, *quod populus Romanus fuit congregatus ad compellendum Cardinales, ut eligerent Papam Romanum vel Italicum.* Vrbanus ad istud ultimum dixit, *quod Joannes de Lignano non fuit tunc Romæ, nec vidit aliquid de iis, quæ dicit esse facta tempore electionis.* Et mox addit Rodericus: *Ad hæc ego dixi, quod ipse primus electus miserat tractatum Dom. Joh. ad Vniversitatem Parisiensem.* Fuit autem missus uti supra p. 1083. a Baluzio in Notis ad Vit. Papar. Avenionens. observatum est, per Jac. de Seva, qui propterea esse auctor illius Operis, a nullis creditus est.

Anno 1380. exeunte Junio, Joan. de Lignano fuisse Romæ, testatur idem Rodericus his verbis: „Præterea Dom. Joh. de Lignano, qui tunc „erat in Vrbe, venit una die ad socium meum & „ad me, qui eramus collocati in quodam hospi„tio apud plateam S. Petri, & dixit nobis quod „juxta casum sibi traditum alias ipse fecerat u„num tractatum super materia schismatis: sed „forte, si melius informaretur de veritate gesto„rum, quod ipse emendaret se. Hic proposuit „nobis secrete, ut posset scire a nobis quid sen„tiebamus de ista materia. Ad hoc respondimus „sibi, quod præsumebamus, quod ad tentandum „nos veniret: attamen quia erat notabilis per„sona, quod nollet decipere nos: & si juraret, „quod teneret secrete, quod diceremus sibi. „Item quod si diceret nobis veritatem in ista ma„teria, quid sentiebat de jure; quod diceremus „sibi, illa quæ inveniebamus, licet adhuc spera„bamus melius informari. Ipse juravit omnia, „quæ petebamus. Et statim diximus sibi, quali„ter examinaveramus Dominos Cardinales ul„tramontanos, saltem majorem partem ipso-„rum. Qui sub juramento testati sunt, quod ante ingressum conclavis, nullus ipsorum gerebat „in mente, eligere in Papam B. Archiep. Barens. „nec aliquem alium de extra collegium Cardi„nalium. Nec postquam intraverunt concla„ve, usque ad horam & tempus, quo invaluit cla„mor populi Romani, & fuerunt tractæ campa„næ ad martellum, & fuit significatum eis, quod „erant in periculo mortis, nisi eligerent Roma„num vel Italicum, & cito se expedirent. Et „quod tunc timore mortis, alias non facturi, no„minaverant dictum Barensem, & primus qui „eum nominavit, fuit Dom. Card. Lemovicensis, „& omnes alii secuti fuerunt eum, ut vitarent „periculum mortis. Attamen Cardinales tres „vel quatuor noluerunt eum nominare, viden„tes impressionem manifestam, quorum unus „fuit Dominus de Vrsinis, qui est Romanus. Et „post egressum conclavis, prædicto mortis metu „durante, coronaverunt eum, non audentes „mentes suas declarare, quandiu fuerunt Romæ, „timentes pericula personarum & suorum. Sed „captata opportunitate citius quod potuerunt, „iverunt ad Anagniam, & exinde habeurunt fa„vores aliquorum Italicorum nobilium, & gen„tes armorum pro defensione sua. Et nunc de„claraverunt se, & processerunt ad electionem „secundi electi canonice & juste, sicut ipsi asse„runt. Tunc respondit dictus Dom. Joh. quod „secundum casum per nos positum, unus juvenis „qui audiret jura per quinque annos, posset de„cidere illud dubium. Nam secundum verita„tem juris, talis electio erat impressiva & invali„da, sed secundum casum sibi traditum aliter se „res habuit. Nam dicebat, quod Domini Cardi„nales ante ingressum conclavis, gerebant in „mentibus suis eligere dictum Bartholomæum, „& semper habuerunt mentes inclinatas ad eli„gendum ipsum, quem notum habebant, & re„putabant hominem bonæ famæ, conversatio„nis & vitæ. Et post ingressum conclavis fue„runt in eodem proposito, & licet rumor aliquis „sequeretur, non erat electio impressiva nec in„valida, maxime religendo iterum ipsum rumo„re sedato, dicendo quilibet; Ego dico idem quod „hodie. Et post egressum conclavis, ipsis Car„dinalibus existentibus in locis tutissimis, redie„runt ad inthronizandum & coronandum ipsum „electum, & exhibuerunt reverentiam & obedi„entiam ut vero Papæ. Et dicebat idem Dom. „Joh. quod in istis fundavit tractatum suum, si „bene advertatur. Ad ista dicebam ego, quod „posito quod Cardinales ante ingressum concla„vis, haberent mentes inclinatas ad eligendum „ipsum B. in Papam, attamen si post ipsis Dnn. „Cardinalibus existentibus sub conclave, super„venit metus tempore electionis, qui potuit ca„dere in constantes viros, electio esset impressi„va, arg. l. 1. Cod. *Si quis aliquem test. probib.* Vbi „dicitur, Institutio hæredis non valet, si testator „metu instituat quos voluerit. Et faciebat cap. „*Principatus* 1. q. 1. Ipse autem Dom. Jo. respon„dit,

„dit, quod erat ibi duplex litera secundum glossam, & quod super ista materia alias haberemus „collationem: nam intendebat ipse ire nobiscum „in galea usque ad portum Pisanum, quando iret „ad Bononiam, ubi est habitatio sua.

Congressus iste & colloquium delegatorum regiorum cum Joh. de Lignano, videtur illum aliquatenus commovisse ut mutaret sententiam. Etenim cum Archiep. Tolet. quidam dubia proposuisset adversus tractatum Petri Flandrini Card. S. Eustachii, in primis vero, *Si casus datus Dom. Joh. de Lignano, super quo ipse scripsit, sibi fuit datus & eidem missus, per Reverendiss. Patres & Dnn. Cardinales, sicut ipse asserit in quadam superscriptione sua:* Card. S. Eustachii ita respondit. *Ad primum dico quod Dnn. mei Cardd. citramontani numero XIII. in Anagnia existentes, & volentes electionem Barensis submittere recto libramini rationis, cum jam essent extra districtum & forcia Romanorum, pro conscientiis eorum serenandis, ordinaverunt quod rei gesta veritas poneretur in scriptis: ut quia ex facto jus oritur, possent veritatem juris videre clarius, & securius defensare: & positum est, ut habet thema meum. Domini vero Cardd. Italici numero quatuor, adhuc in Tiburi existentes, ex eadem causa, ut firmiter credo, ignorantes tamen quod Dnn. transmontani factum redegissent in scriptis, factum scripserunt: & pro habendo consilium miserunt ad Joh. de Lignano & aliquot alios: qui male ponderatis verbis thematis sibi missi, erronee allegavit in multis, & ipse satis modo se male fecisse cognoscit.* Adversus hunc primum tractatum Joh. de Lignano scripsere tum multi, inprimis autem Petrus de Barreria Card. Æduensis, uti supra col. 1261. dictum est. Item Petr. Flandrini Card. S. Eustachii, Amelii Card. Ebredunensis, & Joh. Fabri Abbas S. Vedasti Attrebatensis ac postea Carnotensis Episcopus.

Post ista Joh. de Lignano scripsit secundum tractatum pro Vrbano, qui incipit, *Quia post tractatum completum.* Editus est in fine tomi XVII. Annal. Ecclesiast. per Odoricum Raynaldum. Extat autem MS. in Cod. 814. Biblioth. Colbert. ubi hunc titulum habet: *Tertia & ultima allegationes Joh. de Lignano valde venenosa, licet superficiales & non reales existant.* Ideo autem huic secundo tractatui inditum est nomen *tertiarum allegationum*, quia supra in eodem Cod. descriptæ sunt, ut fert titulus, *Nova allegationes Dom. Joh. de Lignano:* quæ etiam extant cum eodem titulo in Cod. 811. ejusd. Bibliothecæ, quorum initium hoc est: *Ipsi tamen ad defensionem eorum fundari nituntur.* Sed re vera hæ novæ allegationes tantum sunt postrema pars tractatus secundi, ut patet ex eodem Codice, ubi consequenter describuntur in corpore tertiarum allegationum, & ibi habent hanc inscriptionem, *Hic incipit tertius tractatus.* In editione etiam Odorici Raynaldi reperiuntur hæ novæ allegationes §. 32. usque ad finem. In editione istius secundi tractatus §. 9. ista leguntur: *Quod Dnn. Cardd. sint angeli in terrestribus, revelantes perpetua salutis statum &c. demonstro subjiciendo ad contextum, quandam collationem quam pridie feci de Cardinalibus alloquens: ut aperte videant Dnn. Cardd. ad quos præsertim tractatum primum per me compositum direxi, me motum zelo fidei ad hac omnia scribenda.* Si quis hanc collationem quærat in editione Raynaldi, illam profecto non invenier. Extat autem ut dixi in Cod. 814. Biblioth. Colbertinæ. Circa eadem tempora Joh. de Lignano scripsit tractatum *De pace* seu *De paco anima*, quæ reperitur in Cod. 685. Colbertinæ ejusdem Bibliothecæ. Mortuus est apud Bononiam an. 1383. mense Februario, sepultus apud S. Dominicum cum magno concursu virorum principum ejusdem urbis, inter quos interfuisse etiam funeri ejus Phil. Caraffam Card. adducit Ghirardaccius lib. 25. p. 397. ubi hoc ejus epitaphium sepulchro ejus inscriptum refertur.

Frigida mirifici tenet hic lapis ossa Joannis,
Ivit in astrigerat mens generosa domos
Gloria Legnani, titulo decoratus utroque,
Legibus & sacro canone dives erat.
Alter Aristoteles, Hippocras & Tolomai
Signifer atque hares noverat esse poli.
Abstulit hunc nobis inopina sincopa mortis.
Heu dolor! hic mundi portus & aura jacet.
Anno 1383. die XVI. mensis Februarii.

Meminit hujus Scriptoris, Petr. de Florentals Prior Floreffiensis, in *Chronico*, in Vita Clementis VII. his verbis. *Pendente vero ut præfertur prædicto schismate, plurimi Doctorum legum & juris canonici, tractatus composuerunt. Quorum primus Dom. Joh. de Linbano tractatum edidit, in quo affirmat, electionem dicti Vrbani esse canonicam, ipsumque esse verum Papam. Abbas vero S. Vedasti, Regis Francia Consiliarius, Doctor Decretorum, fecit alium tractatum, in quo asserit electionem Vrbani esse nullam, & Clementem fore verum Papam. Quibus tractatibus cum eorum quæstionibus & determinationibus propter sui prolixitatem prætermissis, ad sequentia stilum extendo.* Item Ant. Possevinus Tomo 1. Apparatus Sacri, verbo *Joh. de Lignano*, ubi male scribit floruisse an. 1400. & composuisse *Commentarium super Clementinas*, sub cujus nomine citantur etiam alii *super secundo Decretalium.* Extare ejusdem *De amicitia, de bello & duello, de pluralitate beneficiorum, de censura Ecclesiastica, de horis canonicis, de interdicto Ecclesiastico, de represaliis, de secreto, de permutatione.* Itemque *Lecturam in primum, secundum & tertium Decretalium.* Contineri autem plerosque istorum tractatuum tribus ultimis exceptis intra Compilationem tractatuum Juris, an. 1584. Venetiis in fol. multis tomis editam, nempe *De amicitia* tomo XII. fol. 227. & ibidem *De duello* fol. 281. Tomo XIV. *De censura Ecclesiastica* fol. 307. & ibidem *De interdicto Ecclesiastico* fol. 335. cum tabula remissoria. *De Horis Canonicis* Tomo XV. parte 2. fol. 558. & parte 1. fol. 110. *De beneficiorum Ecclesiasticorum pluralitate. De Bello* ibidem Tomo XVI. fol. 371. in quem tractatum Paul. Ant. Lignanus nepos, additiones scripsit Taurini

Taurini a. 1525. in 4. editas. Hujus Scriptoris amplissimè omnium mentionem facit Steph. Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium passim, sed potissimum col. 1400. & seqq. quem heic verbotenus transcripsimus. Paulus Freherus *in Theatro virorum eruditione clarorum* part. 2. Sect. 4. p. 789. post Hieron. Ghilinum, ex Theatro Virorum literatorum Italico.

1360 AMALRICUS AUGERII DE BITERRIS, S. MARIÆ DE ASPIRANO PRIOR, Ord. divi Augustini, Elnensis Diœcesis, florebat Urbani Papæ V. temporibus, qui sedere cœpit ab anno Christi Incarnationis 1362. ad a. 1370. quo mortuus est. Hic autem Amalricus *Chronicon Pontificale*, seu potius *Vitas Rom. Pontificum* edidit, sed nova ratione. Nec enim temporum seriem sequitur, sed Pontifices secundum Litterarum alphabeti seriem disponit. Itaque primum agit de iis, quorum nomina ab A incipiunt, ut *Alexander, Anacletus, Anicetus, Anterus &c.* Posteà de his qui à B incipientes, vocati *Bonifacius, Benedictus, Clemens, Calixtus &c.* atque ita omnes ejusdem nominis conjungit. Præfationem sic orditur, *Beatissimo Patri in Christo, & suo Vicario glorioso, ac Domino nostro pracipuo, Dn. Urbano, divinâ Dei providentiâ Papa V. vester devotus Capellanus, Amalricus Augerii de Beuvis, Prior vestri Monasterii S. Mariæ de Aspirano, Ord. S. Augustini, Elnensis Diœcesis &c.* qua in præfatione ait, se opus suum compilasse ex ducentis ac novem Scriptoribus, qui Gesta Roman. Pontificum tradidissent, ac perducere se Historiam inquit, usque ad Papam Johannem XXII. Intelligit autem illum, qui Episcopatum Urbis anno MCCCXVI. adeptus est, vivereque desiit a. 1334. quem alii vocant Joannem XXI. quia nimirum non accensent eum, qui fœmina fuisse ac Joannis VIII. nomine vocatus dicitur. Cæterum Amalrici hoc opus hactenus ineditum est, sed MS. ejus Codicem, quo Gerardus Johannes Vossius usus est, olim habuit in divite sua Bibliotheca Ingolst. Petrus Scriverius, Bajoarius, vir egregiè de Litteris meritus, quem edendum etiam promiserat, dum fata & Deus finerent, ut illo posteritatem omnem sibi devinciret. Nos alium vidimus hujus Operis MS. Codicem in Regia Galliarum Bibliotheca, cujus tamen Codicis numerum non annotavimus: sed quem quisque hujus avidus, facilè ad manum habere poterit, ubi completi fuerint Catalogi omnium insignis hujus Bibliothecæ MSS. Codd. tam Græcorum quàm Latinorum, ordine alphabetico ipsorum authorum digesti, quos summâ diligentiâ promovent hodierni hujus Bibliothecæ custodes, ad communem omnium utilitatem. Ubi autem Amalricus Augerii inquit, *se compilasse Opus suum ex ducentis ac novem Scriptoribus, qui gesta Pontificum tradidissent:* hoc intelligendum non est, quasi Ducenti & novem Scriptores expressè Vitas Pontificum Rom. scripserint, sed quod de nonnullis isti Authores Pontificibus Romanis, aliquando atque ex occasione, loquuti sint. Godefridus Guilielmus dè Leibnitz habet aliud exemplar, ut mihi per Epistolam testatus est, dicitur autem *Augerius de Bneris*, forsitan *de Biteris* legendum est. *De Amalrico Augerii* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. p. 530. editionis ult. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Authorum* quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 83. ubi sub Urbano V. floruisse affirmat. Stephanus Baluzius *in Vitis Paparum Avenionensium* col. 95. producit ex hoc Chronico *Vitam Clementis V. Sextam*, & col. 185. *Vitam Joannis XXII. Papa Sextam* pariter.

JOANNES DE CARDALHACO, Gallicè *de Cardailhac*, Episcopus primùm Auriensis in Hispania, tum Archiepiscopus Bracarensis in Lusitania, deinde Tolosanus in Gallia, demum Patriarcha Alexandrinus, natione Gallus, ex veteri nobilitate Cadurcensi ortus est, non verò ex Comitum Armanicensium gente, ut in Historia Ecclesiastica Archiepiscoporum Bracarensium scripsit Rodericus à Cunha. Multò minùs ex pellice Bernardi VI. Comitis Armaniacensis, ut ex falsa conjecturâ potiùs, quàm ex vero, sibi & nuperis Galliæ Christianæ Scriptoribus persuasit Arnoldus Oihenartus in Notitia Vasconiæ pag. 495. hunc hominem dividens in duos Patriarchas Alexandrinos, & in duos item Ruthenenses Episcopos. Itaque Spurius ille Bernardi filius, omnino etadendus est ex Catalogo Episcoporum Ruthenensium. Johannes studiis literarum operam dedit in Academia Tolosana, ubi gradum Doctoris in jure civili eum obtinuisse constat, ex eadem Historia Ecclesiastica Archiepiscoporum Bracarensium. Deinde jus civile publicè in eadem Academia professus est, qua tempestate missum eum fuisse anno MCCCL. Avenionem ad Clementem VI. fidem facit Codex *Orationum* ejus, in quo inter alia habetur *Arenga per eundem Dominum Patriarcham facta coram Domino Clemente VI. Summo Pontifice, missus ad eum, dum ordinariè legebat Tolosa, per Universitatem Tolosanam.* Extat in eodem Codice *Sermo ad Universitatem studii Tolosani* De Nativitate, *per præfatum Dominum Patriarcham factus.* Istud anno millesimo CCC L. contigisse, ex eo colligi facilè potest, quòd illo anno exeunte Sermonem in Romana curia habuit in titulo Sancti Georgii ad velum aureum assignato Domino Johanni de Caramagno Cardinali. 1360

Anno MCCCLI. illum prima tantum tonsura clericuli initiatum Clemens VI. Auriensem Episcopum creavit, qui posteà ad Episcopalem suam Ecclesiam profectus est. In eodem porrò Codice Orationum ejus, habetur *Sermo in Festo beati Martini Patroni Ecclesia Auriensis in Hispania, per eundem honorabilem Dominum factus.* Itemque *Sermo ab eo factus in quadam Synodo sua in prædicta Ecclesia Auriensi, quarta feria post Dominicam de passione.* Sed quonam demum anno ad Ecclesiam Auriensem profectus sit, in obscuro est: ego tamen suspicor, id evenisse anno MCCCLVI. Nam & Avenione

ne adhuc erat, quando Clemens VI. mortuus est. Quippe in toties laudato Codice orationem ejus, habetur *Sermo, quem prædictus Dominus fecit, quando celebravit exequias Domini Clementis Papæ VI. & ibidem solempnisavit inthronizationem Domini Innocentii Papæ Successoris sui.* Ibidem habetur *Sermo coram Domino Innocentio Papa VI. in festo annuntiationis beatæ Mariæ, quod accidit in crastinum Dominica* de Quasi modo, *Avenione per eundem Dominum factus*, Id est anno M CCC LIII. quo dies Annunciationis, pro more ad diem Lunæ post Dominicam *Quasi modò* remissus est.

Anno igitur M CCC LVI. in Hispaniam profectus est. Tum verò Guillelmus Judicis Cardinalis illic Legatus erat, quem ipse apud Compostellam assecutus est, ut patet ex his, quæ suprà pag. 928. relata sunt ex Codice Sermonum ejus.

Anno M CCC LVIII. Innocentius VI. illi tum Episcopo Auriensi, literis datis Avenioni Kalendis Junii concessit, ut si forsan ad loca Ecclesiastico interdicto supposita, eum declinare contingeret, sibi liceret januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, Missam & alia divina officia celebrare, & celebrari facere à suis familiaribus domesticis. Extat hæc bulla in Regesto anni sexti ejusdem Innocentii VI.

Anno M CCC LX. ad Ecclesiam Bracarensem, vacantem per translationem Guillelmi de Gardia ad Arelatensem, ipse translatus est. Duas eum Synodos illic congregasse constat, primam in Monasterio de Polumbario, secundam in loco de Chambus. Sed de annis quibus illæ habitæ sunt, ob in curiam veteris librarii, parum constat. Quippe in Codice Orationum ejus habetur *Sermo per eundem Dominum factus in prima Synodo, quam Archiepiscopus Bracarensis factus celebravit die Lunæ post Dominicam in Sexagesima anno Domini M CCC LXIV. in Monasterio de Polumbario diœcesis Bracarensis.* Et ibidem habetur etiam *Sermo in Synodo secunda, quam prædictus Dominus fecit in Archiepiscopatu suo Bracarensi, in crastinum Dominica in Albis, in loco de Chambus anno M CCC LIV.* ubi errorem esse manifestum est. Quippe Johannes illo tempore nondum Archiepiscopus Bracarensis evaserat. Ego suspicor excidisse veteri librario notas XV. numerales, & legendum esse M CCC LXVIIII. cum nempe è carcere Hispanico evasisset. Rursum in eodem Codice reperitur oratio ab eo tum Archiepiscopo Bracarensi facta, cum hac epigraphe: *Arenga quam prædictus Dominus Archiepiscopus fecit, quando recepit juramentum fidelitatis à quodam suffraganeo suo Episcopo.* Et paulò post, *Arenga per eundem Dominum facta, Ecclesiam Asloricensem & Episcopum suum suffraganeum visitantem in festo nativitatis beatæ Mariæ.*

Anno M CCC LXI. Petrus Rex Lusitaniæ cognomento *Crudelis*, corpus uxoris suæ Agnetis de Castro diu antè mortuæ, regia pompa ex Cœnobio Sanctæ Claræ Conimbricensi, uti Duardus Nonius scribit, ad Alcobaciense transferri curavit: deducentibus illud Episcopis, clero, & omnium Ordinum hominibus, atque illustrium matronarum comitatu. Inter eos verò Episcopos affuit Joannes de Cardalhaco Archiepiscopus Bracarensis, cujus extat in Codice eodem *Sermo per eundem factus in sepultura Reginæ Portugaliæ facta per Regem:* in quo cum illa nominetur Agnes, certum est habitum fuisse illo tempore, quod suprà notatum est. Joannes Froissartus vol. 1. cap. 257. enarrans incommoda, quæ Rurhenis, Cadurcis, & Lemovicibus a. MCCCLVIII. inferebantur propter bellum Aquitanicum, ait Andegavensem Ducem qui tum Tolosæ erat, Archiepiscopum Tolosanum, virum doctum & rerum bene gerendarum peritum, misisse Divonam Cadurcorum, cujus tum Episcopus erat ejusdem Archiepiscopi Joannis frater: ut eam civitatem populumque illi contributum reduceret in obedientiam Regis Francorum, idque eum mirifice effecisse. Verum porrò esse quod ait Froissartus, missum fuisse Divonam Archiepiscopum Tolosanum, huic quoque liquet, quod Guillelmus Cruceus in Serie Episcoporum Cadurcensium p. 269. testatur in tabulario Cadurcensi, legi Gaufredum Archiepiscopum Tolosanum anno suprà laudato, die tertia mensis Februarii, palam de Consulibus Cadurcensibus sciscitatum esse, an agnoscere vellent supremum Regis Francici dominium, & an appellationum privilegio uti vellent? Hinc collegit idem Cruceus Gaufredum Archiepiscopum Tolosanum, fuisse fratrem Begonis Episcopi Cadurcensis. Contrà Catellus pag. 925. Sammarthani tomo 1. Galliæ Christianæ p. 697. & nuperus auctor Annalium Tolosanorum p. 117. eam historiam referunt ad Joannem de Cardalhaco Archiepiscopum Tolosanum, & Bertrandum Episcopum Cadurcensem fratrem ejus, quod minimè verum est. Quippe certis testimoniis compertum habetur, Bertrandum Episcopum Cadurcensem anno M CCC LXVI. interiisse, eique mense Majo ejusdem anni substitutum fuisse Begonem decretorum Doctorem, in minoribus ordinibus constitutum. Certus rursum testimoniis compertum habetur, Gaffredum de Vayrolis tenuisse ea tempestate cathedram Tolosatium, & anno tantum M CCC LXXVI. vitam cum morte commutasse. An verò fuerit frater Begonis, explicare non possum. Nam quamvis illi non fuerint ejusdem nominis, cum Bego cognominatus fuerit de Castronovo, fieri potest, ut eandem matrem habuerint, quippe ambo patria Cadurcenses.

Præterea Joannes de Cardalhaco, neque Tolosæ neque Divonæ tunc esse poterat, cum jam ab anno M CCC LXVII. ineunte, detineretur in carcere Burgensi, ut patet ex his, quæ refert Rodericus à Cunha de visitatoribus ab eo propter absentiam suam constitutis in Archiepiscop. Bracarensi. In eum carcerem conjectus à Petro

tro Crudeli Rege Castellæ, non verò Lusitaniæ, ut falsò ab Hugone Raymundi scriptum est, *quia noverat manum dedisse fratri suo Henrico in expulsione sua de regno, quæ facta fuerat paulò antè. Nunquam autem prece aut pretio flecti potuit, ut ipsum liberum dimitteret. Quin imò ad hoc ut in langore viveret & misere moreretur, per singulos dies eum crudeliter pœnis variis affectum torquebat.* Hæc sumpta sunt ex libro Hugonis Raymundi *De miraculis S. Thomæ Aquinatis* in tomo primo Martii Bollandiani p. 737. Evasit deinde è carcere anno millesimo CCCLXIX. cum idem Henricus rerum potiretur in Hispania, post victoriam de Petro partam pridie Idus Martii, quæ finem vitæ ejus attulit. Libertatem Joannis de Cardalhaco idem Hugo miraculo factam scribit *sine humano consilio*, id est, absque ullis humanis auxiliis: & eum qui S. Thomæ liberationem sui Domini commendaverat, imaginem ceream in effigie Archiepiscopi, ad sanctas reliquias appendisse, sicut spoponderat. Joannes ergo liber partim beneficio S. Thomæ Aquinatis, partim Henrici Regis victoris & triumphatoris, apud eum Henricum in gratia fuit, qui mox in Italiam ad Vrbanum V. Papam ab eo missus, ut patet ex ejus oratione ad Papam, cujus suprà pag. seu col. 996. mentio facta est. In ea Joannes Archiepiscopus inter cætera ait, *Quocirca Beatissime Pater, ad gaudium & consolationem vestræ apostolicæ majestatis, missus sum ego, submissus famulus & humilis servus vester, ut de filio vestro devotissimo & Domino meo Henrico Castellæ & Legionis Rege illustrissimo, vobis Domino meo & Christi vicario offeram promptum obedientiæ & sedulitatis famulatum &c.*

Puto illum Romam euntem divertisse in Aquitaniam, ut consanguineis & amicis suis copiam sui faceret, quos dubium non erat, graviter & iniquo animo tulisse carcerem ejus. Nam constat illum interfuisse funeri Bertrandi de Cardalhaco Episcopi Montalbanensis fratris sui, quem mortuum esse anno M CCC LXIX. hinc colligi certò potest, quòd Petrus de Chalesio, qui illum in testamento suo vocat Prædecessorem suum, Ecclesiæ Montalbanensi ab Vrbano V. præfectus est, per obitum Bertrandi vacanti, literis datis apud Montem Flasconem V. Kalendas Octobris anno septimo, ut in ejus Regesto legitur. Præstat autem referre fragmenta aliquot ex Oratione quam Archiepiscopus in funere ejus habuit, ex quibus intelligemus & nobilitatem generis & egregias ejusdem Episcopi virtutes. Ait ergo, *Carissimi, si de conditione generis, si de scientia titulis, si de sufficientia meritis Reverendi in Christo Patris & fratris nostri carnalis Domini Bertrandi quondam Episcopi Montisalbani, cujus corpus in præsenti adest Ecclesiasticæ tradendum sepulturæ, inquiramus: nobis nunquam unico testi & carnali affectu suspecto, forsitan credendum non esset. Cùm verò de fine consummationis dierum suorum laudabili quæretur, nos, qui non tanquam carnalis homo sed ut Christi minister, eidem dies suos finienti Sacramenta Ecclesiastica contulimus, & consummationi vitæ suæ multis perquam continuatis diebus ac noctibus interfuimus, meritò eidem indubietatis & suspicione carens testimonium, secundùm illa quæ dicta sunt, proferre valemus.* Et infrà, *Audeo dicere quòd nunquam laudabiliorem finem hominis vidi: & hoc si consideremus totius vitæ suæ examinationem, in quâ ambo soli discurrendo per singulos dies vitæ suæ & status examinandâ, stetimus inclusi ferè per mediam diem.* Item infrà, *Insuper si consideremus cum quanta contritione peccata sua recognovit, & pœnitentiam & plenam indulgentiam auctoritate Apostolica, post omnia Ecclesiastica sacramenta, me largiente recepit:* Denique de morte ejus sic loquitur. *Et certè bene audeo dicere, sicut ille, qui vidit, quòd in isto, qui Christus est, venerabilis pater noster & frater finivit dies suos. Nam re vera, Domini, cùm adstarem ei cum ministris, exemplo Petri, ut viderem finem: cùm paululùm quasi in ecstasi raptus fuisset, in suo bono sensu & memoria plena attestatus est, se beatam Virginem Christi ipsum consolantem vidisse, quam in omni hora, in omni puncto invocabat.* Et statim, *Insuper bene finivit in isto fine qui est Christus, Christum semper nominando, Christum semper invocando. Imò illam orationem quæ incipit* Anima Christi sanctifica me *dicens, ultimum vitæ Spiritum exhalando dies suos finivit.*

Post funeratum igitur fratrem, an. M CCC LXX. in Italiam tendens, Vrbanum Papam apud Montem Flasconem reperit, ubi eum nomine Henrici Castellæ Regis allocutus est, quemadmodum suprà observatum est. Eodem anno Vrbanus Papa eum misit ad Senenses & Aretinos pro pace constituenda. Discimus istud ex Codice creationum ejus, in quo habetur, *Arenga per eundem facta quando pro pace Senensium per sedem Apostolicam fuit missus.* Item, *Arenga seu propositio per eundem facta, quando pro pace Aretinorum per sedem Apostolicam fuit missus.* Sub finem ejusdem anni Vrbanus, qui redierat in Galliam, Avenione extinctus est. Quod ubi in Italia cognitum, Petrus Cardinalis de Stagno, ei apud Spoletum solennibus exequiis parentavit, orationem verò funebrem Joannes de Cardalhaco Archiepiscopus Bracarensis habuit. Sic enim in eodem Codice legitur, *Sermo per eundem factus in exequiis Domini Vrbani Papæ V. in civitate Spoletana, coram Legato Cardinali Bituricensi.*

Videtur autem postea Joannes ivisse Avenionem ad Gregorium XI. novum Pontificem anno MCCCLXXI. atque mox renuntiasse Archiepiscopatui suo, in Gallia remansurus. Forte tum vacabat Episcopatus Ruthenensis, per translationem ut arbitror Fayditi ad Ecclesiam Avenionensem, uti suprà pag. seu col. 1310. diximus. Itaque Gregorius XI. Joannem primò à vinculo quo Bracarensi Ecclesiæ tenebatur, absolvit: tum ne videretur inferior se ipso factus, illum dignitate Patriarchæ Alexandrini ornavit, simulque ei administrationem Ecclesiæ Ruthenensis commisit, idque actum mense Julio anni ejusdem, colligitur ex libro obligationum. Ivisse autem illum ad Ruthenenses hinc liquet, quòd in Codice orationum ejus legitur, *Sermo in festo*

Ypapantis sive Purificationis virginis Mariæ per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Patriarcham factus ad populum in sua Ecclesia Ruthenensi. Ex quibus verbis facile intelligitur, Sammarthanos errare in Catalogo Episcoporum Ruthenensium, ubi admonent *Joannem de Cardalhaco* Episcopum Ruthenensem esse diversum à Joanne Patriarcha Alexandrino, qui ita se invenisse ajunt in regestis Vaticanis. In quo rursum egregie falsi sunt, nam in libro obligationum Vaticani archivi, diserte scriptum habetur Joannem Patriarcham Alexandrinum, administrationem Ecclesiæ Ruthenensis promisisse die XXVI. Julii anni M CCC LXXI. se cameræ Domini Papæ & Collegio Dominorum Cardinalium soluturum communia servitia, atque recognovisse pro Ecclesia Bracarensi, cui præfuit.

Anno M CCC LXXII. illum Gregorius XI. misit nuntium Apostolicæ Sedis in Germaniam, ut testatur *Bzovius anno 1372. §. 1. 3. Odoricus Raynaldus eodem anno §. 1.* Nescio autem annon & eodem tempore susceperit legationem Regis Castellæ ad Imperatorem. Etenim in Codice Orationum ejus extat *Arenga sive propositio per eundem facta, quando debuit adire Imperatorem, ex parte Regis Castellæ missus.* Quoad verò legationem Papæ, habetur ibidem, *Arenga per eum facta quando missus fuit ad faciendam pacem inter Imperatorem & Regem Ungariæ & Bavaros, per Papam Gregorium XI. anno Domini M CCC LXXII.* Et aliquando infra sequitur, *Arenga per eundem Dominum facta coram Imperatore Karolo IV. requirens ipsum ut contra Barnabonem de Mediolano ad damnationem procederet, cum in Alamannia ex parte Papæ legatione fungeretur.* Re feliciter gesta, paceq; inter Imperatorem & Principes suprà nominatos constituta, Avenionem rediit. Hujus rei testimonium nobis idem Codex perhibet, in quo descripta est, *Arenga per eundem facta coram Papa Gregorio XI. quando rediit ad ipsum, facta pace inter Imperatorem Romanorum & Regem Ungariæ & Duces Austriæ & Bavariæ, missus ad hoc per eundem Papam, ut in præcedenti arenga dictum est.* In ipso autem orationis contextu hæc inter cætera leguntur, *Hac igitur consideratione motus, Sanctissime Pater, vos qui estis Sacerdos magnus & Rex, imò Princeps Regum terræ misistis me ultimum, & utinam non inutilem servum vestrum ad eos, videlicet ad Dominum Imperatorem Romanorum & Regem Bohemiæ primogenitum suum ab una parte, & Dominum Regem Ungariæ à parte altera, super regno Poloniæ inter se discordantes: & iterum ad eundem Imperatorem & prædictum filium ab una parte, & illustres Bavariæ Duces parte ex altera, occasione Marchionatus Brandeburgii disconvenientes: & iterum ad eundem Regem Ungariæ ab una parte, & potentissimos Austriæ parte altera, se ad invicem guerra gravissima & incendiis invadentes: & iterum ad eundem Imperatorem & Marchiones Missnenses super nonnullis terris & feudis imperialibus altercantes, ut pacem assistente divino auxilio tractarem & facerem inter ipsos. Ipsi verò omnes, exceptis solum aliquibus Bavaris, pro se & suis successoribus, ob Dei & vestra sanctitatis & istius sacri collegii reverentiam, clementi animo receperunt eam.* Porrò fuisse eum in legatione Germanica tempore quadragesimali colligi potest ex eodem Codice, in quo habetur *Sermo in die cinerum, per eundem Dominum Patriarcham coram Romanorum Imperatore factus.*

Anno M CCC LXXV. Lutetiam Parisiorum profectus est, nescio quam ob causam. Sed in eodem Codice habetur, *Sermo in Festo annuntiationis Dominicæ, quod evenit tertia Dominica quadragesima, quem primò præfatus Dominus Patriarcha Parisius coram Domino Karolo Rege Franciæ fecit.* Anno illo Pascha in diem XXII. mensis Aprilis incidit, adeoq; dies annuntiationis Dominicæ in Dominicam tertiam quadragesimæ.

Deinde venit Tolosam, ubi eum fuisse anno M CCC LXXVII. constat, cum Ludovico Duce Andegavensi & Maria uxore illius. Ad hæc verò tempora referendus est *Sermo in Festo S. Mariæ Magdalenæ, Tolosæ coram Domino Duce Andegavensi fratre Domini nostri Francorum Regis per eundem Dominum factus.* Natus est postea Duci Ludovico jam diu expetitus, multum expectatus filius. Natus autem Tolosæ ut suprà col. 1323. diximus, anno M CCC LXXVII. die 7. Octobris. Illic eum Patriarcha Joannes de Cardalhaco baptizavit, & specialem pro eo benedictionem composuit, quam ex veteri Gellonensi Codice edidit vir clarissimus Dominus Joannes Mabillonius *in Analectorum* tomo tertio p. 502.

Haud multò pòst Romam se contulit sub extrema tempora Gregorii XI. Vacabat autem tum Archiepiscopatus Tolosanus, per mortem Gaufredi de Vayrolis. Quod præter testimonia à nobis *in Antifrizonio* olim prolata, hinc quoque probatur, quod Catellus in Memoriis historiæ Occitanicæ p. 924. testatur reperisse se in quodam veteri instrumento, sedem Tolosanam fuisse vacantem a. MCCCLXXVIII. idque ego reperi in quadam epistola Gregorii XI. scripta eodem anno Kal. Martii. Qui verò Gaufredum diu antè extinctum volunt, hi multis argumentis refelli possunt, etiam iis, quæ suppeditant Acta edita à Justello inter probationes historiæ Turrianæ p. 99. & 100. ex quibus certò constat Gaufredum hunc vixisse adhuc annis M CCC LXXIII. & M CCC LXXV. Constitutus in urbe Romana Jo. de Cardalhaco in initio Pontificatus Urbani VI. ab eo administrationem Ecclesiæ Tolosanæ accepit. Legitur istud in depositione ejusdem Joannis facta coram legatis Regis Castellæ his verbis: *Dominus Joannes Patriarcha & Archiepiscopus Tolosanus exposuit nobis, quòd ipse laboravit super isto facto, ut se informaret in veritate & suam conscientiam expiaret, & stetit bene per annum quod ipse non poterat sibi satisfacere de aliquibus dubiis, & quòd ille qui est Roma contulerat isti Archiepiscopatum Tolosanum, & fecisset majora, si iste voluisset adhærere sibi. Et verè fecisset, si cognovisset quòd esset Papa, nec omisisset timore alicujus sequi veritatem: sed ipse noluit ab eo aliquid, nec recipere quicquam.* Rectè autem ait, se per annum stetisse dubium, an seque-

re-

retur Urbani VI. partes. Siquidem non videtur ab illo accepisse Archiepiscopatum Tolosanum quem audiverat negligentem & inutilem ad regendum: sed à Clemente VII. ante mensem Jul. anni sequentis, quo ut in libro obligationum adnotatum est, Joannes Patriarcha Alexandrinus promissionem fecit cameræ Domini Papæ & collegio Cardinalium, de solvendis communibus servitiis pro Ecclesia Tolosana, & solvisse a. 1383. die 24. Febr. Bulla Clementis VII. data Avenione quinto Kal. Julii anno secundo, dirigitur Joanni Patriarchæ Alexandrino & Administratori Eccl. Tolosanensis *in diœcesi Tolosanensi commoranti:* quæ habetur Tolosæ in Archivo Collegii S. Catharinæ. Itaque in testamento quod Petrus de Chalesio Episcopus Montalbanensis a. 1379. d. 13. Nov. condidit, hunc Joannem, quem vocat Patriarcham Alexandrinum & Archiepisc. Tolosanum, nominavit inter executores honorarios ejusdem testamenti.

Anno MCCCLXXXIII. die XXV. Julii, profecturus Lutetiam ad Karolum VI. Regem, constitutus in choro Eccl. Tolosanæ cum Præposito & Canonicis, donatione pura & irrevocabili inter vivos, dedit eidem Ecclesiæ bona, reliquiaria, & jocalia multa, quæ enumerantur in instrumento veteri edito apud Catellum p. 926. *Memoriarum.* Hoc autem iter ante diem 5. Aug. ingressus esse non videtur, cum ex pag. 924. Memoriarum earundem, constet, illum ea die fundasse duo anniversaria in eadem Eccl. Extat in Cod. Or. ejus, *Sermo per eundem Dominum Patriarcham factus coram Domino Karolo Rege Francorum, ætatis tunc quindecim annorum existentem, in festo omnium Sanctorum Parisius.* Eadem tempestate Phil. de Molinis Episcopum Ebroicensem consecravit, ut patet ex *Arenga per eundem facta quando consecravit Episcopum Ebroicensem in præsentia Regis Franciæ Domini Karoli quarti*, ubi *Sexti* legendum est.

Anno MCCCLXXXV. die 2. Oct. interfuit dedicationi Basilicæ FF. Prædicat. Tolosæ, quam peregit Archiep. Metallinensis Ord. Carmelitarum, cui autem adfuerunt etiam Joannes Dux Bituricensis, pro quo Burgundum male ponit Catellus. Item Cardinalis de Thurcyo, pro quo idem Catellus ponit *Cardinalem de Turke*, & Annalium Tolosanorum nuperus Scriptor *Cardinalem Turonensem:* & plures alii Episcopi & magnates. Vide Catellum *Memoriarum historiæ Occitanicæ* p. 148. & *Annales Tolosanos* p. 135. Eodem anno d. 13. ejusdem mensis Octobris, cum idem Dux ad ædem S. Saturnini adiisset, ut sacras sanctorum hominum reliquias quæ illic asservantur inviseret, Patriarcha Alexandrinus comitem se ei addidit. Tum verò reliquiæ S. Jacobi Apost. in nova theca argentea repositæ sunt, super qua idem Dux dona pretiosissima posuit. Vide Nic. Bertrandi in opusculo *De gestis Tolosanorum* f. 49. col. 3. Codicem verò *Orationum* ejus vidimus olim Tolosæ in Initiis studiorum nostrorum in Bibliotheca FF. Prædicatorum. Alium posteà nacti sumus ex Bibliotheca illustrissimi viri Karoli Mauritii Tellerii, Remensis Archiep. qui illum habuit ex MSS. Codd. D. Caroli de Montchal Archiep. Tolosani, ac postea Regiæ Bibliothecæ dono dedit, in quo octo folia desunt a principio. Tertium in quo nonnulla extabant, quæ in duobus aliis non habentur, commemorat Catellus p. 925. *Memoriarum historiæ Occitanicæ.*

Obiit anno MCCCXC. d. 7. Oct. sepultus in Ecclesia Cathedrali Tolosæ. Cæterum admonendus est lector, valde perturbatum esse Ordinem temporum & historiæ istius Patriarchæ, in tomo primo *Galliæ Christianæ.* Monendus etiam est, Rodericum a Cunha errasse in appendice libri *De primatu Bracarensi* p. 212. & in Historia Eccl. Archiep. Bracarensium part. 2. p. 45. ubi illum efflasse animam suam a. 1373. d. 3. Dec. scribit. Ita verbotenus Steph. Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium a col. 1323. ad col. 1332. quem huc transferre non erubuimus, ob præclara quæ complectitur, intricata & obscura hujus Scriptoris & Archiep. Tolosani dissolvens & explicans. Nec istud ab instituto nostro alienum est, quamvis diffusior sit modus, quam in Scriptoribus aliis factum est. Illius mentionem facit Phil. Labbeus in Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum ex MSS. potissimum Codd. Bibliothecæ Galliarum Regiæ, quæ anno 1653. Parisiis in 4. impressa fuit apud Jo. Henault, *Supplemento IV.* p. 190.

GVLIELMUS READ ſ REDE, nat. Anglus, 1360
in S. Theol. Doctor, an. 1360. & seqq. ob doctrinam moresque inculpatos claruit, unde sub Urbano V. qui a. 1362. Romæ sedere cœpit, Episc. Cicestr. in Anglia factus est A. 1368. ut testatur in Chronico fol. 23. Scripsit Guil. Rede *Canones quosdam Astronomicos*, de quibus Catalogus MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Episcopalium & Bibliothecarum aliarum insignium, n. 6177. in MSS. Codd. Thomæ Galæi Cod. 343. & in Catal. MSS. Codd. Hiberniæ n. 185. in MSS. Codd. Collegii S. Trinitatis Dublinensis Cod. 45. n. 26. a p. 137. ad 143. atq; alibi. Nam inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ n. 2589. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji Cod. 94. n. 8. extant *Mag. Guil. Rede Episc. Cicestrensis, qui obiit A. D. 1380. Canones Tabularum ad meridiem Oxoniæ* p. 28. Extat autem quod ad nostrum institutum spectat, in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Julii litera B. Cod. 3. n. 1. *Gul. Rede Ep. Cicestrensis Chronica de Pontificibus Romanis à S. Petro ad Gregorium XI.* hoc est ad a. 1370. N. 2. *De dignitate & titulis Cardinalium*, qui ejusdem Auctoris videtur. N. 9. Chronicon Angliæ a Bruto ad a. 1367. Dicitur verò f. 15. b. *Chronici primi De Pontificibus Rom.* auctorem fuisse Richardum Mon. Cluniac. usque ad Innocentium III. Papam. Unde illud suppleviſſe tantum Guill. Rede usque ad an. 1370. recte conjicitur. Quippe aliud anterioris Scriptoris, puta Anastasii vel Abbonis, non viderat. In initio præmittitur narratio brevis de fundatione Ecclesiæ Christi Cantuariens. Meminit hujus Scriptoris inter MSS. Codd. Bibl. Bodlejanæ n. 5105. Jo. Lelandus *Collectaneorum*

vol.

vol. 4. c. 189. p. 258. Richardus Jamesius *in Collectaneis*, hujus Catalogi p. 259. col. 1. Mortuus autem dicitur in MSS. cit. anno Chr. 1380.

JOANNES PETRIBURGENSIS ABBAS, eodem tempore claruisse mihi videtur, qui *Chronicon Abbatiæ suæ* usque ad an. 1368. composuit, quod extat MS. in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Claudii Liter. A. Cod. 5. n. 1. cum tit. seq. *Chronicon Petriburgense ab a. 654. quo tempore Monasterium de Burgo S. Petri à Peada Rege Merciorum fundatum erat, ad A. C. 1368. Continet præter notationem rerum in Anglia gestarum, seriem Abbatum Monasterii ejusdem, & Priorum Ecclesiæ Spaldingensis in Comitatu Lincolniensi, compositum per Jo. Abbatem.* Meminit hujus Scriptoris inter MSS. Codd. Bibl. Bodlejanæ n. 5103. Jo. Lelandus *Collectaneorum* vol. 2. cap. 37. p. 283. & 284. licet asserat se non posse certò affirmare cujusnam sit, videri tamen per suspicionem, esse Codicem historiæ Jo. Abbatis de Burgo, nec se percognitum habere quo tempore floruerit. Jo. Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIV. Scriptore 536. ad annum 1340. p. 448.

1360 GVILLELMVS DE SCHEPSEVED, Mon. Abbatiæ de Crokysden in Comitatu Staffordiensi, ejusdem temporis extitisse videtur, qui condidit *Annales de rebus præcipuè Anglicis, ab anno 1066. ad a. 1374.* quos MSS. Bibliotheca Cottoniana adservat sub effigie Faustinæ lit. B Cod. 6. n. 6. intitulatos, *Annales de rebus præcipuè Anglicis ab anno 1066. ad an. 1374. per Willielmum de Schepseved, Mon. Abb. de Crokysden in Com. Staffordensi.*

1360 JOANNES LONDINENSIS Mon. Eccl. Christi Cantuariensis, claruisse videtur a. 1360. & seqq. temporibus Edwardi IV. Anglorum Regis. Extat autem inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum ejusdem regni insignium n. 5533. in MSS. Codd. Armorum Londini Cod. 108. *Chronicon Johannis de Londonia à Conquæstu Nortmannorum ad an. 1317.* qui ultimus fuit Edwardi II. Regis annus. Nec inde conjiciendum, quod hac tempestate Joannes Londinensis vixerit, nam ulterius hoc Chronicon procedit inter MSS. Codd. Univ. Cantabrigiensis n. 156 in MSS. Codd. Collegii S. Trinitatis Classe dextra, Serie suprema, Cod. 19, ubi n. 1. *Gervasii Cantuariensis Chronicon*, n. 2. *Continuatio ejusdem Chronici usq; ad tempora Richardi II. per Jo. de Londino.* Attigisse autem usque ad a. 1360. & ad tempora Edwardi IV. constat, ex Bibliotheca Cottoniana sub effigie Neronis Lit. D Cod. 2. n. 2. ubi extat *Commendatio Lamentabilis in transitu Magni Regis Edwardi IV. secundum Jo. de Londonia, cum Commendationibus lamentabilibus Comitum & Baronum, Regum, Margaretæ Reginæ, Præsulum, Militum, Clericorum & Laicorum, cujus Chronicon continuatur ad an. 1377.* Meminit hujus Scriptoris inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ n. 5105. Jo. Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. c. 159. p. 202. Et ibidem inter MSS. Codd. ejusdem Bibliothecæ, Richardus Jamesius S. Theol. D. in Collectaneis Historicis, Cod. 7. p. 74. ad p. 88. Catalogi Bodlejani p. 259. col. 1. linea 1. ubi exscribit *Chronicon Johannis Londoniensis, Monachi Cantuariensis, à conquæstu ad A. D. 1322.*

ROGERVS DE STAVEGNE eadem tempestate floruisse mihi videtur, qui scripsit idiomate Gallico librum, Regi Edwardo III. Anglorum inscriptum, in quo multa de Ægypto, Saracenis, & aliis harum regionum singularibus habentur, intitulatum *Le livre qui se appelle li Charbocloü d'Armes, du conquest de la terre Sainte de promission par Frere Roger de Stavegne.* Extat autem MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis lit. D Cod. 5. Extitisse quidem alicujus Ordinis alumnus ex titulo fratris assumpto mihi videtur, sed cujusnam, incompertum hucusq; est. 1360

JOANNES TEXTOR, Anglicè TAYSTER Mon. S. Edmundi Buriensis, Ord. divi Benedicti, scripsit Historiam Anglicanam, orsus à Condito orbe ad a. 1357. unde hoc eodem tempore claruisse videtur. Extat inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Cod. 5519. in MSS. Codd. Collegii Armorum apud Londinum Cod. 94. 1360

NINIANVS MONACHVS ECCLESIÆ CHRISTI CANTVARIENSIS, anno circiter 1368. & seqq. claruisse videtur, ac scripsisse Chronicon, quod *Eulogium* appellavit, usque ad an. 1367. pertingens, quod MS. extat inter MSS. Codd. Universitatis, Cod. 397. in MSS. Collegii SS. Trin. in parte Australi Bibliothecæ, serie infima Cod. 9. absque authoris nomine, inscriptum, *Eulogium sive Chronica Anonymi Benedictini definit a. 1367.* in cujus fine habetur tempus fundationis aliquot Monasteriorum. Idem Opus MS. extat inter MSS. Codd. Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Galbæ lit. C. Cod. 7. n. 2. *Eulogium*, ita appellatur ab Auctore Monacho quodam, qui rogatu sui Prioris opus hoc conscripsit, in 5. libros divisum, quorum 1. Continet in se Mundi creationem & ejus initium seriatim sub compendio, usque ad Nativitatem Christi, & in ejus ascens. terminatur. 2. Continet Apostolorum Prædicationem, Martyrum occisionem, qui post Petrum Papæ fuerint, & eorum gesta præcipua, cum annorum eorum numero, & eorum persecutione. 3. Docet Italiæ primam habitationem, & Romæ creationem, qui Imperatores Pagani & Christiani fuerint, cum coram gestis præcipuis bonis & malis. 4. Ostendit Mundi divisionem, & quæ pars est habitabilis, & quæ non: regiones, provincias, insulas, & eorum situm aliqualiter declarat. 5. Ostendit Britanniæ habitationem primam, cum eorum Regibus post Brutum succedentib9. Terminatur hoc opus a. 1367. sub R. Eduardo III. & alio continuatur ad a. 1413. Quis auctor, adhuc incertum est, videtur tamen fuisse Monach. Cantuariensis, ut quidam vir doctissimus inde non absque verisimilitudine conjectatur, quod S. Thomam Cantuariensem *Patronum suum* appellaverit. Thomas Cajus *Ninianum* auctorem libri qui vocatur *Eulogium* appellat. Inter MSS. Codd. Univ. Oxoniensis Cod. 1724. in MSS. Codd. Collegi 1360

legi

legu Corporis Christi Cod. 257. Vol. IV. Briani Twyni n. 1. extat *Assertio Antiquitatis Academiæ Oxoniensis*, per Tho Keyum, Collegii Vniversitatis ibidem Magistrum A. D. 1566.

1366 IOANNES DE TINMOUTH, in Anglia circa a. 1366. ætate Eduardi III. floruit, natione Anglus, ex oppido de Tinmouth, in Episcopatu Dunelmensi, unde nomen habuit. Factus Monach. S. Benedicti ad S. Albanum, ubi Historiis & colligendis & conscribendis studium adposuit. Quam varia litterarum monumentis t radiderit, Bostonus Buriensis MS. in Bibliotheca Cottoniana, docebit: inter quæ computarur *Historia Aurea* tribus libris, quæ MS. habetur Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti Codd. 346. & 347. Item *Supplementum ejusdem Historiæ* ibidem Cod. 348. Eadem *Historia Aurea* MS. in Lambethana Bibliotheca, tribus prægrandibus voluminibus comprehensa. Historiam ejus Auream olim Wilhelmus Windershull S. Albani Monachus, describi atque in usum Monachorum Cœnobii sui, Bibliothecæ inferri curavit: quemadmodum tradit Matthæus Parkerus Cantuariensis Archiepiscopus, vel ille anonymus qui in Matthæum Westmonasteriensem præfatus est: ubi etiam addit Joannem Tinmuthensem, *eundem Ordinem & modum scribendi sollicitè admodum exprimere, quem in Polychronico servat Ranulphus Higdenus, quamvis alicubi fusius, alicubi contractius.* Ad hæc composuit *Sanctilogium Majus*, *Sanctilogium Minus & Appendices Martyrologii*, quæ ibidem contineri creduntur in eadem Bibliotheca S. Benedicti, Cod. 352. qui inscribitur, *Passionale cum Calendario* Extant in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii littera E Codice 1. *Vita Sanctorum Gentium Britannicarum*, quas collegir Joh. de Tinmouth, ut optime ex Bosteno Buriensi probar Jacobus Vsserius, Archiepiscopus Armachanus, quem librum expilavit Joannes Capgravius postea. Plura de illo apud Joannem Balæum *De Scriptoribus Angliæ*, quem exscripsit Conradus Gesnerus *in Epitome Bibliothecæ* pag. 506. ubi illi pariter attribuit Commentarios in plurimos sacræ Scripturæ Libros. *Expositiones in Genesim Lib. 1. in Exodum Lib. 1. in Leviticum Lib. 1. in Numeros Lib. 1. in Deuteronomium Lib. 1. in Josue Lib. 1. Super Judicum Lib. 1. Super Regum Lib. 1. Super Apocalypsim Lib 1. Lectionarium Ecclesiæ Lib. 1.* Hujus quoque meminit Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 2. pag. 534. ultimæ editionis. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 125. ubi scriptam ab ipso *Vitam Sancti Paterni Venetensis Episcopi* à Bollando *in Vitis Sanctorum* impressam dicit, atque floruisse anno 1366.

1360 IOANNES DE FORDVN, natione Scotus duplex fuit, Senior unus, alter junior. Joannes de Fordun Senior, Scotus & Anglus origine, dictus *de Forda*, vel *Fordeham*, vel *Fordun*, Monachus Ordinis Cisterciensis, tempore illo quo plurimi in hoc Ordine, doctrinâ & sanctitate nobiles viri florebant, Abbas Cœnobii sui Fordensis factus est atque ob merita sanctimoniæ & eruditionis notissimæ è solitudine abductus, temporibus Richardi primi Anglorum Regis emicuit, qui etiam anno 1210. Regi Anglorum Joanni ab auriculari Confessione fuit. Joannem ergo de Forda seu Abbatem illum Fordensem tunc vixisse, & Regi Joanni à Confessionibus fuisse, vulgò satis receptum est, cujus Opera recensentur à Lelando MS. in Bibliotheca publica Oxoniensi. Joanne Balæo Centuria 3. Scriptore 65. Conrado Gesnero *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 436. Antonio Possevino tomo 1. *Apparatus sacri* pagina 876. tum Theologica tum Historica aliquot, quibus tamen illi & prudenter quidem *Scotichronicon* non annumerarunt. Et enim hujus Operis planè alius & seculis aliquot recentior author est *Joannes de Fordun* junior, quem non dubitandum est Scotum fuisse, qui ab origine Scotorum suorum in Britanniam, *Historiam suam libris sex* usque in annum 1360. vel circiter deducit, seu usque ad tempora plusquam media Edwardi Tertii. Est ergò author *Scotichronici* Joannes de Fordun junior, seu Joannes Fordunius Scotus, annis centum quinquaginta recentior altero Joanne de Forda, Abbate Cisterciensis instituti, cui ab nonnullis hoc *Scotichronicon* male omnino attributum est, quod extat MS. in Collegio Cantabrigiensi Sancti Benedicti Cod. 62. inscriptum *Scotichronicon per Joannem Fordun*, Debitor sum fateor &c. quem librum esse semiesum & à muribus multis in locis corruptum, testatur Thomas James *in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi* fol. 74. Idem Chronicon inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium ex Catalogo anno 1698. in folio Oxonii impresso, num. 5291. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Yelvertoniæ Cod. 53. ubi Joannes Lesley Episcopus Roffensis de Historia Scotiæ, & *Scotichronicon per Joannem Forden*. Inter Codices MSS. Hiberniæ num. 701. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinensis, litera S. Codice 561. Et in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii litera E num. 1. *Scotorum Historia per Joannem de Fordun ad annum MCLXIII.* Et sane hoc *Scotichronicon*, quod in instructissima Bibliotheca Cottoniana integrum & sanum est, Vincentium Belvacensem, etiam & *Polychronicon* Ranulphi Cestrensis Lib. 4. cap. 36. citat, unde palam etiam liquet de eorum errore, qui sub Johanne Anglorum Rege eum collocant. Initium in MS. Cottoniano est, *Ex variis quippe Veterum Scriptis Chronographorum intelligitur, quod gentis antiquissima natio Scotorum, à Græcis & Ægyptiorum reliquiis, cæteris mari rubro cum Rege submersis, primum cæpens exordium.* De Authoris nomine præfigitur Tristichon ad hunc modum.

Incipies Opus hoc Adonai, nomine nostri
Excerptum scriptis dirigat Emmanuel.
Fauces ornate rustem, dum verbula nectant.

& adposita sic horum carminum explicatio

JOHANNES DE FORDVN.

subjungitur item,

Compilatoris nomen superis clementis
Construe, quem Lector, precor, vna scandere cœlum,
Atque Pater noster *offer amore Dei.*

In Tristicho priori, vides litteras cujuscunque vocis initiales compactas, *JOHANNES DE FORDVN* reddere: adeoque de nomine ejus planè securi, de ætate qua scripsit, haud ita incerti sumus: quem sub Eduardo Rege Angliæ tertio aut Richardo secundo, floruisse ne quidem ambigendum, ex prædictis. Locus unde nomen accepit, haberi dicitur in Marni regiunculâ, Scotiæ mari Orientali obveriâ. Guillelmus Cambdenus *in Britannia* pag. 712. habet. *A mari remotior Fordon locatur, cui à Johanne de Fordon* (maluit ipse Fordun) *aliqua gloria, qui huic oriundus Scoticbronicon magno labore sedulò congessit, cujus studio recentiores Scotorum Historici plurimùm debent.* Codex ille Fordunii Cottonianus, non manu unicâ exaratus. In fronte primâ & possessoris nomen, adscriptum habet *Schewes*, uti etiam in pagina altera sequente. Quod sanè pro eodem mihi accipiendum videtur ipso *Guillelmo Schewes*, dicto à Buchanano Libro 12. *Rerum Scoticorum* Schevesio, qui Archiepiscopus Sanctandreanus sub annum 1480. vel sub Richardo Angliæ & Jacobo Scotiæ Regibus tertiis, quasi primus a Secretis sibi habuit illum Magnum Machullonem *Scoticbronici* hujus exscriptorem & continuatorem Demstero dictum. Habetur etiam penes virum præstantissimum Jacobum Vsserium Armachanum, Codex *Scoticbronici* ejusmodi MS. acephalus quidem, sed pariter in Eduardi Tertii & Davidis Secundi Scotorum Regis tempora deductus: ita tamen, ut Liber in Fordunio jam dicto sextus qui a rebus Malcolmi III. incipit, hîc velut per se Operis singularis initium, utcunque antecedentibus conjunctus, faciat. Neque enim ibi Carmen illud librariis in Codicum initiis solemne, *Adsit principio Sancta Maria meo*, solùm habetur: verum etiam titulus adjicitur, *Incipit Liber Chronicorum Regni Scotia, incipiens ad Malcolmum Canmor, Maritum Sancta Margareta Regina Scotia.* Denique Thomas Galeus *in Collectaneo Scriptorum Historia Anglicana*, quod in folio anno MDCXCI. Oxonii è theatro Sheldoniano edidit, habet pag. 565. *Joannis Fordun Scoticbronicum*, sive *Scotorum Historiam* ex Manuscriptis Codicibus Anglicanis erutam, lib. V. usque ad paginam 699. Meminit autem Joannis Fordani quem sic vocat, ut Authoris *Scoticbronici*, Thomas Dempsterus *in Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum* Lib. 6. cap. 543. & *in Nomenclatura Scriptorum Scotorum*: cujus continuatorem etiam & exscriptorem facit Magnum Machullocum, *Historia Ecclesiastica* Lib. 12. cap. 911. qui a Secretis Guillelmo Shewes Sancti Andreæ Archiepiscopo, floruit Edimburgi anno MCCCCLXXXII. Sed errat Dempsterus dum vixisse ait Fordanum suum sub annum MCCX. seu tempore Joannis Regis Anglorum. Idem Pitseus *De Scriptoribus Anglia* Ætate 13. Scriptore 297. Idem ex illo Gerardus Joannes Vossius, eruditus vir alioquin & accuratus, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. 453. editionis ultimæ, ubi habet Johannem de Forda vel Fordeham, vel Fordun, Cœnobii nempe Fordensis in Devonia Abbatem, eidem tempori assignatum, cui etiam *Scoticbronicon* Manuscriptum in Bibliotheca Collegii apud Cantabrigienses Benedictini, Codice 62. expressim tribuunt. Sed verò hallucinatio manifesta istorum omnium est. Hæc nos doctissima ex Joanne Sheldeno *in praludiis* ad Decem Scriptores Historiæ Anglicæ, pag. 19. & 20. quos Londini anno MDCLII. in folio evulgatos habemus.

JOANNES DE MANDEVILLE, natione Anglus, vir nobilis ac Medicinæ Professor, circa annum MCCCXXXII. ex Anglia egressus per annos XXXIV. Asiam & Africam inquisitionibus & itineribus variis excussit, quorum relationes Scriptis tradidit, narrans quid mirabilius viderat in Ægypto, Arabia, Persia, aliisque regionibus, in Operè quod Gallicè, Anglicè, Latinèque evulgatum Nomenclatores dicunt, de quo in Marco Paulo, ad annum MCCXC. supra diximus. De illo sic Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 423. pag. 268. „Joannes Mandevillius Anglus, vir nobilis, professione Medicus, scripsit suum viginti triumannorum Itinerarium, quod variis linguis excusum in omnium est manibus. Obiit Leodii anno MCCCLXXII. conditus apud Guilelmitas die 17. Novembris, ut constat ex ejus Epitaphio, quod Balæus, Pitseus, Vossius, & alii referunt." Ego cum post multam inquisitionem hoc Opus invenire non possem, inveni tamen istud *Itinerarium* Svollis in Batavia impressum anno MCCCLXXXIII. in 4. Invenitur autem Manuscriptum in Anglia in Collegio Sancti Benedicti Cantabrigiensis Codicum 4. & 192. tum privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji Codice 174. Ejus Operis exemplar Manuscriptum fuisse apud Matthæum Gesnerum, author est Conradus Gesnerus *in Bibliotheca* suâ. Nec illud Latine duntaxat composuit, ut mihi jam ex illius editione antiquâ constat, sed etiam Anglice explicuit, Galliceque. Vult Vossius ejus propria manu exaratum exemplar Anglice reperiri 1360

Can

Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, & in Bibliotheca Baronis Lumleji. De Latinâ verò versione, sequor Anglos duos, Balæum & Pitseum, cum editione veteri citatâ. Pitseus *Itinerarium Joannis de Mandeville* extare ait Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti, sed qua linguâ non addit, unde Latinam signare cum Vossio & Eclogo Oxonio Cantabrigiensi arbitror: in quibus quidem Anglis de Anglo loquentibus, fidem habendam putavi. Illa tamen lingua non viderat Vossius, qui vidit (de quo illi tacent) Italice, imo & Belgice & Germanice etiam extare, notum sibi esse fatetur. Ad hæc teste Vossio, idem Joannes Latinis commisit Literis *Situm terræ sanctæ*, qui liber ibidem in Collegio Divi Benedicti Manuscriptum reperitur Cod. 192. Sed Vossii pace, ambigo plurimum, an non idem cum præcedente Opus sit, quod variis titulis pro more Manuscriptorum Codicum inscribatur, qua de re oculati testes videant. Obiit Leodii loco citato conditus, ubi sepulchro ejus hæc marmori incisa sunt. *Hic Jacet vir nobilis, Dominus Johannes de Mandevil, alias dictus de Barbam, Dominus de Campoli, natus in Anglia, Medicinæ Professor, devotissimus Orator, & bonorum suorum largissimus pauperibus erogator, qui toto quasi Orbe lustrato, Leodii vita sua diem clausit, Anno Domini M CCC LXXII. mensis Novembris die XVII.* De eodem hunc in modum, ad annum M CCC XXX. scribit Wernerus Rollowinck *in Fasciculo Temporum*: „Joannes de „Mandevil, Doctor in Medicinis & Miles in „armis, natione Anglicus, fuit circa hæc „tempora, & mirabilem peregrinationem „quasi totius Mundi perfecit, & scripsit eam „tribus linguis." Præter Wernerum præfatum de illo pariter Conradus Gesnerus *in Epitome Bibliothecæ* pag. 470. Antonius Possevinus tomo 1. sui *Apparatus sacri* Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* c. 2. p. 535. ultimæ impressionis.

1360 JOANNES HILTONUS, natione Anglus, claruit anno M CCCLX. & sequentibus, non ignobilis Concionator & Theologus, qui primum Vicarius Sanctæ Magdalenæ Oxoniensis, tum arctiorem vitæ rationem, austerioremque ambiens, Ordinem Fratrum Minorum complexus est. Extant inter Manuscriptos Codices Universitatis Oxoniensis numero 1269. in Manuscriptis Codicibus Collegii Novi Codice 305. *Sermones Dominicales per Joannem Hiltonum Vicarium Sanctæ Magdalenæ Oxoniensis*. Idem Joannes Hiltonus, factus Minorum Ordinis, scripsit *De paupertate Fratrum* Lib. 1. *De Statu Minorum* Lib. 1. *Quæstiones ordinarias* Lib. 1. Extant autem inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum, num. 1020. in Manuscriptis Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Sarisburiensis *Opera* seu *Opuscula Joannis Hilton*, Litera H. Codice 94. Obiisse dicitur Anno Domini M CCC LXXVI. cujus mentionem faciunt Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Joannes Hilton*. Carolus du Fresne Dominus Du Cange in Catalogo Scriptorum quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, verbo *Joannes Hilton*. col. 138.

GUILLELMUS RAINALDI XXV. Prior Carthusiæ Majoris Gratianopolitanæ, scientia, moribus, multisque virtutibus adornatus, ab anno M CCCLXVII. ad annum M CCCC II. ad regimen generale Ordinis Carthusianorum promotus, prudentia insigni Ordinem hunc & Carthusiam primariam per annos XXXV. administravit, omnibus exemplo prælucens. Ita ætate sua ob meritum eminens clarus, ut Cardinalitiam dignitatem recusarit, & in electione Summi Pontificis, undecim suffragia habuerit. Hic ex ordinationibus Capituli & aliis, *Nova seu Tertia compilavit Statuta*, per Capitulum Generale Anno Domini M CCC LXVIII. confirmata, in tribus partibus adinstar antiquorum (uti dicuntur) Statutorum, quæ tantum tamen Secunda sunt, comprehensa, ut sequitur litteris rubricatis. *Nova Statuta Ordinis Carthusiensium. Incipit Prologus in Novas Constitutiones Ordinis Carthusiensis.* Post olim editam compilationem Statutorum ac Consuetudinum tripartitam, Generale nostrum Capitulum Constitutiones, declarationesque multas consulte quidem & rationabiliter ordinavit, quarum quasdam, pensata utilitate evidenti, consultius oportet & rationabilius revocari, seu in melius commutari &c. Hæc Nova seu Tertia Statuta Ordinis Carthusiensium, olim Basileæ anno M D X. apud Joannem Amerbachium in folio impressa sunt, cum multis aliis ad Ordinem Carthusiensem, eorumque primas, secundas ac tertias Constitutiones noscendas spectantibus. Hæc eadem *Statuta primaria Carthusianorum* a Guigone conscripta, cum *Statutis Antiquis* seu secundis circa annum M CC L. a Risserio collectis, & cum *Statutis Novis* seu tertiis a Guillelmo Raynaud, simul omnia iterum impressa sunt Parisiis, anno M DCC III. in folio, studiis Innocentii Masson, Prioris Carthusiæ Majoris, in Opere quod inscribitur *Disciplina Ordinis Carthusiensis in tres libros distributa* pag. 404. apud Antonium Dezallier, Carthusiensis Ordinis bibliopolam, via Jacobea. 1360

JOANNES LONGUS S. BERTINI APUD AUDOMAROPOLIM ABBAS, dictus vulgo *Jo. Iperius seu Iprensis*, ex Iprensi Flandriæ urbe oriundus extitit, unde *Jo. Iperii* nomen ei adhæsit. Factus est juxta aliquos sexagesimus, vel juxta alios quinquagesimus octavus an. 1336. Abbas Monasterii S. Bertini, olim de Sythin, quod jussu S. Audomari a SS. Bertino, Mommolino & Eberttramo, in Sithiensi Flandriæ agro an. 626. extructum fuit. Porro usque adeo obesus fuit, ut 1360

ut non aliter quam confidens, vel aliquo se conferre, vel somnum capere posset, ut Jac. Meierus in XIII. *Annalium Flandriæ* prodit, ex fide Thomæ Diaconi hujus loci. Reliquit ille *Chronicon sui Cœnobii*, historiam nempe quinquaginta quatuor Abbatum, ab an. 590. quo incipit, usque ad an. 1294. Morte enim præventus, adducere illud ad sua usque tempora non potuit. Extat MS. ejus exemplar apud Monachos Bertinienses apud Audomaropolim, itemque Duaci apud Andream Hovium Regium eloquentiæ professorem, ut ex Ant. Sandero & Franc. Swertio in *Athenis Belgicis* intelligimus. Hujus autem ex fonte ipso transcriptum exemplar a nobis visum, ab his Monachis Bertinianis ad Dominum Lucam Dacherium Monachum Benedictinum, & S. Germani Parisiensis Abbatiæ Bibliothecarium, missum est. Opinabantur Bertiniani illud immitendum ab eodem Dacherio, in volumen aliquod *Spicilegii* sui, quod tamen (quam nescimus ob causam) factum non est, remanente copia inter MSS. Codices recentes hujus Abbatiæ. Hoc Chronicon haud ita prolixum est, cujus primus Prologus incipit: *In nomine Patris & Filii & Spiritus S. missis in Orbem Apostolis & Discipulis Domini, prædicare & testificari salutem* &c. Alius Prologus, *Opusculi præsentis intentio sive subjectum, est texere Chronica* &c. Initium Chronici, *Anno Verbi incarnati quingentesimo nonagesimo, vel circiter* &c. Multum hoc Opere adiutus fuit Jac. Meierius in *Annalibus Flandriæ* concinnandis, uti & ferreolus Locrius Artesius, Paulopolitanus in *Chronico Belgico*, quem utrumque videre potes ad annum 1383. Plerique, ut inter eos Aubertus Miræus, Joan. Iperium obiisse an. 1303. arbitrantur & scribunt, qui falluntur. Nam in Chronico ipsius, ex occasione data memoratur *Henr. Condescarius Abbas*, qui an. 1330. claruisse dicitur: inter quem & hunc Jo. Iperium, intercedit unus saltem medius *Anselmus Bristel*, qui ab an 1334. usque ad an. 1366. Abbatiam Bertinianam rexit. Quare verius omnino scribere videntur, qui eum Audomari anno 1383. decessisse referunt, quod & Meierus tradit Libro XIII. extremo, quem diximus, imo addit diem, decessisse eum postridie Cal. Jan. Quin Meierii sententiam valide comprobat ejus Epitaphium, quod hodieq; Duaci in ædibus Bertinianis in Sacello S. Dionysii legitur, estque hujusmodi: *Hic jacet pia memoria Joannes oriundus de Ipra, quondam Abbas hujus Monasterii, qui rexit 17. annis, & obiit an. Dom. 1383. secundo die mensis Januarii.* Vnde arguitur erroris Guil. Gazæus, qui eum etiam juniorem putabat, ut quem in *Bibliotheca sacra Scriptorum Artbesiæ*, ad an. 1470. retulerit. Idem Joh. Yprensis antequam ad Abbatiam S. Bertini promoveretur, an. 1351. Monachus duntaxat transtulit in linguam Gallicam *Hodœporicon Guillelmi de Boldensleve in Terram Sanctam*, uti supra diximus ad an. 1340. in *Guil. de Boldensleve*: unde patet, illum hoc an. 1351. nondum fuisse Abbatem S. Bertini, sed an. duntaxat 1366. successisse Anselmo Bristel. Non hunc tantum autem, sed multos authores Latinos alios transtulit in Gallicam linguam, antequam ad Abbatiam assurgeret. Hi omnes MSS. extant in Cottoniana biblioth. sub effigie Othonis lit. D. Cod. 2. Opus istud autem rarissimum, tale est.

1. Traicté de l'estat & des conditions de XIV. Royaumes d'Asie, & des Empereurs, qui pius l'incarnation de nostre Seigneur ont régne en yceulx, & regnent encore; & du passage d'oultre mere a la terre sainte, & de la puissance du Soudain d'Ægypte, qui nous appellons le Soudain de la Babylone, fait en Latin par Mr. Ayton, Seigneur de Cursey, Chevaliere & nepreu du Roy d'Armenie, & translatè par Frere Jehan le Long, dit d'Ypre, Mayne de l'Abbaie de St. Bertin in St. Omer, de l'ordre de St. Benoit.

2. L'Itineraire de la peregrination & du voyage de Frere Biculf, de l'Ordre des freres Prescheurs, translatè du Latin en Francois, anno 1350. par le mesme.

3. L'Itineraire de la peregrination d'Odric de Foro Julii, de l'Ordre des Freres Mineurs, translatè par le mesme.

4. Traicte de l'Estate de terre sainte, & aussi in partie de la terre d'Ægypte, faict par M Guilliaum de Bondefelle anno 1336. & translate par le mesme.

5. La copie des lettres, que l'Empereur Souveraing des Tartares, Le grand Caan de Cathai, envoye au Pape Benoit le XII. anno 1338. & de la reponse.

6. L'Estate & la governaunce du grand Caan de Cathai, Soveraing Emperour des Tartares, & de la disposition de son Empire, interpretè en Latin par un Arcevesque, que on dit l'Arcevesque Saltensis, au command du Pape Jehan XXII. de ce nom.

7. Histoire de la noble fortress de Lusignen en Poitou, compile selon diverses Chroniques.

Liber iste elegantissimis figuris illuminatus, olim pertinebat ad D. Jaquettam Luxemburgicam, Ducissam Bedfordiæ, ut illa propria manu in fine libri testatur. Hæc de translationibus tractatuum diversorum e Latino in Gallicam linguam a fratre Joh. Longo, qui Iprensis dictus est, confectis, quæ nondum typis commissæ sunt.

Agunt de ejus scriptis Aubertus Miræus, *De Scriptoribus Belgicis*. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*. Franc. Sweertius & Ant. Sanderus in Operibus suis *De Athenis & MSS. Bibliothecis Belgicis*. Gerard. Joan. Vossius, Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 9. pag. 800. ultimæ editionis, ubi fallitur dum ait, inter Henr. Condescarium & Jo. Iperium, fuisse tres Abbates medios, Anselmum Bristel, Jo. Longum & Jac. de Condato. Vnus enim tantum Anselmus Bristel intercessit Jo. Longus cum Jo. Iperio idem est, & Jac. de Condato Jo. Iperii successor tantum fuit. De illo quoque FF. Sammarthani tomo 4. *Galliæ Christianæ* p. 171. verbo *Sanctus Bertinus*,

rium, qui & falluntur ubi inquiunt, ab Jo. Iperio *Chronicon Universale* conscriptum esse, qui tantum *Chronicon Abbatiæ Bertinianæ* composuit. Valer. Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Jo. Iperius* p. 521. editionis ultimæ 1643. Lovanii in 4.

1360 SANCTA BRIGITTA SVECIÆ PRINCIPISSA, Birgeri & Sigridis filia, Wulphoni Nericiæ Principi uxor iunior data est, quem virum religiosa & Christiana mulier, totum ad pietatem ac peregrinationes sacras, quas illa maxime cordi habuit, accendit. Insumpsit plures annos locis sacris visitandis, quæ Romam ante an. 1350. accessit divinitus admonita, ad condonationes & indulgentias, quas Romani Pontifices sacra Apostolorum Petri & Pauli limina visitantibus concedunt, reportatura. Neque Romam tantum devotionis causa invisit, sed & maritum suum in Hispaniam secum ad S. Jacobum peregrinationis ergo proficisci induxit, cui reduci facto primum perpetuam vovere continentiam, deinde Monasterium ingredi persvasit. Annuit ille, septem post liberos ab uxore foecunda prius susceptos, qui Cistercienfibus nomen dedit, & in Monasterio Alvastra haud ita multo post vita decessit. Brigitta coniugio soluta, totam se colendæ pietati ac promovendo divino obsequio contulit, multis claruit revelationibus, novumque Ordinem Monasticum, quem S. Salvatoris vocant, circa an. 1363. instituit, cujus alumnis *Regulam triginta & uno Capitibus* composuit. *Octo* etiam *libros Revelationum*, opus quod quamvis pium, nullum tamen apud graves viros vel modicam hucusque fidem obtinuit: licet inde magnam sumant liquefactionis ansam, meditationum suarum materiam, devotionis alimoniam Denri, apud quos maximi sunt ponderis. Hæ *Revelationes* & *Regula*, Antwerpiæ an. 1611. in fol. apud Viduam atque hæredes Petri Belleri impressæ sunt, item Romæ an. 1628. & Coloniæ eodem anno in folio, denique Monachii an. 1680. in fol. Quamvis autem plurimas Revelationum istarum editiones ego recentes attulerim, non desunt tamen veteres, atque omnium illa celeberrima, quæ cum figuris in folio facta fuit an. 1521. Norimb. apud Anton. Koburgerum, qui ab an. 1477. typographiam illic exercuit. Brigitta tandem post lustrata Sanctorum apud Neapolim & Siciliam monumenta, proficisci Hierosolymam divina visione jussa est: unde post annum regressa, morbo in itinere corripitur: quæ Romam deducta, paullo post animam suam Deo reddidit an. 1373. die 23. Julii, quam Bonifacius Papa nonus in Sanctarum album retulit, anno 1391. Canonizatione anno 1415. a Concilio Constantiensi confirmata. Hæc tantum in impressione Speciminis hujus Operis seu Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad an. 1370. p. 643. Anno autem 1372. habuerat Romæ posita visionem seu revelationem de reditu Gregorii Papæ XI. in Vrbem, ut habet Spondanus in continuatione *Annalium Baronii* annum citatum 1372. num. 4. mortuaque Romæ an. 1373. die 23. Julii ut jam dictum est, deposita primum in Monasterio S. Laurentii, deinde sequente anno in Sueciam delata ad Coenobium Wasthenæ, ubi condita jacet, cujus etiam octo liberi non sine sanctitatis opinione, in Ecclesia claruerunt.

Successu porro temporis, agnovi Revelationes istas non esse Opus S. Brigittæ, sed vel *Petri Monachi Ord. Cisterciensis* Prioris de Alvastro Abbatiæ hujus instituti in Regno Sueciæ, vel *Alphonsi quondam Episcopi Giennensis* & postea Eremitæ probatissimi, qui verbo has Revelationes sub nomine sanctæ hujus mulieris, ad majorem illis procurandam authoritatem conscripserunt. Itaque Petr. Alvastrensis Abbatiæ prædicti Ordinis in Sueciæ Regno quondam Prior & Supprior, S. Brigittæ a sacris Confessionibus & peregrinationem ejus indiuiduus comes, omnes fere Revelationes divinitus (ut puravit) ipsi Brigittæ factas, jussu (ut inquir) Christi Domini scriptis mandavit, & in Latinam linguam transtulit. Quemadmodum etiam *Revelationes extravagantes*, & *Regulam* vulgo dictam *S. Salvatoris*, quia ab ipso Salvatore nostro dictata fertur, quam modo post Pontificiam approbationem Brigittani observant. Quomodo autem hæc contigerint, narratur expresse in ipsis Revelationibus, quæ vulgo *Extravagantes* vocari solent, olim Antwerpiæ anno 1611. impressæ, cap. 48. quod caput operæ pretium duxi, hic afferre ad verbum.

SVMMARIVM.

Revelatio. Qualiter Christus Dominum Petrum tunc Suppriorem Alvastri, conscriptorem istarum Revelationum constituit, præmittendo rationem, quare ista revelata sunt,

CAPVT 48.

Orante Beata Brigitta, apparuit ei Christus dicens: Dic ex parte mea fratri Petro Suppriori, quod ego sum similis Domino, cujus filii tenebantur captivi in duro cippo, qui misit legatos suos ut filii liberarentur, & ut præcaverent alios, ne in manus inimicorum suorum inciderent, putabant amicos. Sic ego Deus habeo multos filios, id est Christianos, qui gravissimis laqueis diaboli tenentur: ideo ex charitate mitto eis verba oris mei, quæ per unam foeminam loquor. Audi igitur tu frater Petre ista, & scribe in lingua Latina, verba quæ ipsa tibi ex parte mea dicit, & dabo tibi pro qualibet littera, non aurum vel argentum, sed thesaurum, qui non veterascet. Quam Revelationem ipsa Domina Brigitta notificavit statim ex parte Christi, eidem Priori, qui tunc erat „Sup-

„Supprior. Ipse autem volens deliberare super hoc, stabat in sero in Ecclesia, certando cogitationibus secum. Cumque in fine, ex humilitate deliberaret non assumere neque scribere dictas Revelationes divinas, reputans se ad talia indignum, & dubitans de illusione Diaboli: tunc percussus fuit tali alapa, divina permissione, quod statim stetit quasi mortuus, privatus officio sensuum & virium corporis sed tamen intellectus sanus remanebat in mente ejus, Monachi igitur invenientes eum sic in terra jacentem, apportaverunt eum ad cellam, & posuerunt in lecto: & sic jacuit, per magnum spatium noctis, quasi semi mortuus. Tandem dispensatione divina occurrit ei in mente talis cogitatio, forte (inquit) hæc pa-rior, quia nolui obedire Revelationi & præcepto sancto, mihi per Dominam Brigittam ex parte Christi facto: & dicebat in corde suo, „O Domine Deus, si propter hoc est, parco mihi, quia ecce paratus sum & volo obedire & scribere omnia verba, quæ ipsa mihi dixerit ex parte tua. Tunc autem in eodem puncto, consensu facto in corde, statim curatus est sine ulla mora. Et ivit ad Dominam „Brigittam festinanter, & offerens se ad scripturam faciendam de omnibus revelationibus, sicut ipsa diceret ei ex parte Christi. Item dixit Prior, quod postea audivit a Domina Brigitta, quod Christus dixit ei in alia revelatione, hæc verba: *Ego percussi eum, quia nolebat obedire: & postea sanavi eum, quia ego sum medicus, qui sanavi Tobiam & Regem Israël.* Dic ergo ei, Aggredere & volve, & revolve opus scripturarum verborum istorum, & scribe, quia dabo tibi adjutorem Magistrum in lege mea: „Et scias pro certissimo, quia tale opus facere volo per verba mea, quæ tu scribis ardore istius mulieris, unde potentes humiliabuntur, & sapientes obmutescent. Nec credas a maligno spiritu ista verba procedere, quæ hæc mulier tibi loquitur, quia ea, quæ tibi dico, operibus comprobabo. Et statim Prior post hæc incepit scribere, & translantare omnes revelationes & visiones divinas datas ipsi Dominæ Brigittæ juxta præceptum ejus: licet aliquos scripserit, Dominus Petrus consocius ejus & confessor, una cum dicto Domino Priore, quando ipse Prior non erat cum ea. Et dixit Prior, quod post ea ipse ex præcepto Christi sequebatur eam, „& fuit confessor & scriptor ejus in dictis Revelationibus triginta annis, usque ad mortem ipsius Dominæ Brigittæ. Quas postea Christus ante mortem ipsius, præcepit dari Domino Alphonso Eremitæ Hispano, olim Episcopo Giennensi; & tali modo isti libri cœlestium Revelationum conscripti sunt. Hæc ibi.

Quæ ego nullatenus transcripsi, ut quenquam ad risum moveam, dum tot Revelationum, quas firmissime multi simplices credunt, molem incompositam tam infirmo niti fundamento conspexerim. Nullus opinor homo gravis, nullus eruditus, qui non omnem hanc antepositam narrationem, Monachale somnium reputabit: quod Romani Pontifices in judiciis suis prudentes, in sententiis graves, nunquam approbabunt. Idoneusne simplex Monachus, atque ad omnia indiscriminatim credenda natus, qualis hic *Petrus Alvastrensis* fuit, ad obtrudenda sua somnia sub nomine sanctæ Brigittæ? Neutiquam sane, neque hoc unquam veniet in mentem capitis sani & integri. Vndenam habet *Petrus Alvastrensis*, ut ex præcepto Christi, per annos 30. sequutus quocunque sit sanctam Brigittam? Quibusnam probat authoritatibus vel argumentis, ea omnia, quæ ipse scripsit sub nomine sanctæ Brigittæ, fuisse vel Brigittæ revelata, vel ab ipsa illi dictata? Si Monachus hic simplex & credulus in his fidem meretur, idem de Monachis omnibus fieri debet: atque ita Monachus quivis pro captu, innumeras & quotidianas revelationum atque visionum strues dabit. Imminuunt ejusmodi merces expositæ, authoritatem sanctæ matris Ecclesiæ, nocent solidæ ac sacræ paginæ, Orthodoxos risui exponunt & cachinnis, atque Hæreticos seu errantes, ne ad Orthodoxiæ quæ tales nænias admittit caules redeant, impediunt. Hoc ferme unicum Monachalium Revelationum emolumentum. Igitur hoc fixum sit ex ipso contextu *Revelationum Extravagantium*, primum ipsarum conscriptorem, fuisse simplicem illum Cistercienfem Monachum, *Petrum de Alvastro Priorem*, quas postea in Libros atque ornatiorem seriem haud certior vel judicio firmior, alius Alphonsus Eremita Hispanus, ut statim dicitur, distinxerit. Hæc autem De septem tantum primis Libris *Revelationum Brigittinarum* intelligenda sunt.

Idem porro Petrus Alvastrensis, verus Cæsarii Heisterbacensis in Miraculis & Revelationibus confingendis successor, uti ejusdem Ordinis alumnus, scripsisse etiam se fatetur *Librum Revelationum Extravagantium Brigittinarum.* Quid autem ipse Alphonsus Eremita Hispanus, circa Revelationes antecedentes fecerit, quando eas ipse in Libros atque Capitula distinxerit, & cur aliquæ, de quibus jam loquimur, *Extravagantes* vocentur: in prologo istarum Revelationum refertur, quem hic ad omnium a nobis dictorum fidem, integrum damus.

Prologus Revelationum, quæ Extravagantes dicuntur, in Libris Revelationum S. Brigittæ.

Postquam Dominus Alphonsus quondam" Episcopus Giennensis, & postea Eremita probatissimus, ex præcepto Christi Revelationes" cœlestes factas sanctæ Brigittæ de Regno Sueciæ, in libros distinxisset: *Dominus Petrus Prior Alvastri ipsarum Revelationum primus conscriptor,"* aliquas alias Revelationes extra libros Originalis prætermissas, redegit seorsim in schedu-"

„las

„las & fefternos, quas in præfentia Reverendi „Patris beatæ memoriæ Domini Nicolai tunc „temporis Epifcopi Lincopenfis, aliorumque „plurimorum Dominorum fecularium & Eccle„fiafticorum, tradidit fratribus primitivis Mo„nafterii Wabzftenen: affirmans in verbo ve„ritatis, Revelationes iftas & plures alias, quas „in fuo Monafterio Alvaftri repofitas habebat, „beatæ Brigittæ divinitus revelatas, & per fe „ab ejus ore translatas fideliter & confcriptas. „Quarum Revelationem aliquæ propter con„venientiam quam habent ad Revelationes in „libris Originalibus contentas, tanquam decla„rationes earundem & additiones, diligenti „præhabita difcuffione, ipfis Originalibus libris, „hinc inde pio conamine funt infertæ. Reli„quæ vero ftudiofe in unum collectæ, pate„bunt numero & ordine infra fcnpris. Et „quamvis Revelationes iftæ ab aliquibus nun„cupentur extravagantes, eo quod ipfis libris „originalibus Revelationum cœleftium a prin„cipio non jungantur: pie tamen ab eodem „fonte Sapientiæ Dei, quo & alias accepimus, „omnes creduntur veraciter emanaffe. Ve„rum quia divinarum Revelationum Extrava„gantium quamplures concernunt *Regulam S. Salvatoris*, vel in toto vel in aliqua fui parte: „idcirco in præfenti Tractatulo, tanquam ipfi „Regulæ viciniores cæteris præferuntur: cæ„tera autem diverfis hominum ftatibus abufio„nes & vitia diffuadentes, morum quoque & „virtutum exempla præbentes, usque ad finem „libri propenfius fubfequuntur. Harum au„tem Revelationum veritas, quod divinitus re„velata fint, in atteftationibus Domini Petri „Prioris, & beatæ Catharinæ fanctæ Brigittæ „filiæ, pro canonizatione fæpe dictæ fanctæ Bri„gittæ factis, pro majori parte, evidenter pate„bit cuilibet ipfas atteftationes fideliter intu„enti. Hæc ibi. Oro atque per rectam mentem, fanumque judicium obteftor omnes hujus feculi viros graves atque doctos, idoneusne eft hic folus *Petrus Prior de Alvaftro*, cujus fimplicitatem fingulæ tractatus ejus lineæ demonftrant, ad faciendam horum omnium fidem? Crederemusne hodie Itali Monacho, revelationes ejusmodi fub alicujus fancti nomine, venditanti? Cur ergo credemus huic foli? Cur huic fimplici? Cur huic ipfarum confarcinatori? Jam quod iftas *Extravagantes Revelationes* confcripferit *Petrus de Alvaftro*, hoc ex ipfarum Prologo allato invincibiliter patet. Adde plerasque excerptas ex aliis ejusdem Petri Alvaftrenfis. Revelationibus, nam caput XLII. iftarum Extravagantium, verbotenus ex libro 8. cap. 51. priorum Revelationum defumptum eft. Caput XLIV. defumptum eft ex Lib. 4. cap. 137. verbotenus aliarum Revelationum. Soli tituli Capitum XLV. & XLVI. iftarum Extravagantium, oftendunt hunc *Petrum de Alvaftro*, effe earum authorem. Idem caput XLVIII. quod fupra a nobis allatum verbotenus eft, idem denique caput LV. ubi narrat fomnia quædam fuorum Monachorum Alvaftrenfium, unius potiffimum nefcio cujusdam Gerrechini vifionarii hominis, de quo etiam loquitur idem *Petrus de Alvaftro*, Revelationum antecedentium Lib. 4. cap. 121. Sane feracem fuiffe Ciftercienfem Ordinem, agrumque pinguem Monachorum *Miracula atque Revelationes* fcribentium: atteftantur idonei tres teftes, Conradus Abbas Cœnobii Everbacenfis in *Magno Exordio Ciftercienfi*, Cæfarius Supprior Heifterbacenfis in *Libris XII. Miraculorum fui temporis*, & hic Petrus Alvaftrenfis Prior, in his Libris Revelationum omnibus, nomine fpeciofo S.Brigittæ infcriptis.

Denique quod etiam Petrus de Alvaftro fcripferit *Regulam Brigittanorum*, idque ex præcepto Chrifti, & cum facultate addendi hinc atque inde aliqua, quæ judicaret expedire, habetur expreffe *Revelationum Extravagantium* fupradictarum cap. 45. his verbis.

SVMMARIVM.

Chriftus per Sanctam Brigittam præcepit de Alvaftro, fcribere Regulam fancti Salvatoris.

CAPVT XLV.

Filius Dei loquitur: Dic illi, ut fcribat „ Regulam a Spiritu meo dictatam: fed rare di- „ ligenter ne de Spiritu tuo aut minus aut ad- „ das, nifi ea quæ tibi a me dicuntur. Si vero „ fcriptor aliquid de Regulis Patrum addiderit, „ ubi materiæ congruere viderit, & attractum „ fpiritus mei folitum fibi adeffe fenferit, non eft „ mihi ingratum: nam Benedictus & Francifcus „ & alii Patres more apum, de Patribus fuis in „ Regulis fuis multa conftituerunt. Et gra- „ tum eft mihi, quia fpiritum meum habuerunt, „ & voluntas eorum erat fecundum volunta- „ tem meam: ideo quidquid ftatuerunt, gra- „ tum eft mihi. „

Denique idem *Petrus Alvaftrenfis* fcripfit *Sermonem Angelicum De excellentia beatæ Mariæ Virginis*, editum fub eodem nomine fanctæ Brigittæ, qui in editione Antwerpiana habetur pag. 653. Hoc conftat ex ipfo prologo Operis, ubi loquitur & effert Angelicam apparitionem idem *Petrus de Alvaftro* ejusdem Brigittæ Confeffarius & pater fpiritualis, feque credulum iftorum omnium fcriptorem prodit. Itaque ex omni illa Revelationum congerie, quæ fub nomine fanctæ Brigittæ prodiit, reftat intactus *LIBER OCTAVUS* fol. 592. infcriptus, *Octavus liber cœleftis Imperatorie ad Reges revelatus divinitus fanctæ Brigittæ de Regno Sueciæ*: incipiens, *Summus Imperator Chriftus per Sponfam loquitur ad Reges* &c. At ex Prologo infcripto pag. 576. *Epiftola Solitarii ad Reges, Domini Alphonfi quondam Epifcopi Gemnenfis & poftea Eremitæ probatiffimi*, quæ incipit, *O Sereniffimi Reges* &c. patet fpectare illum ad dictum Alphonfum Eremitam, qui fub nomine fanctæ Brigittæ illum confcripfit, unde totum Opus confarcinatum eft ex variis aliis Brigittinarum Revelationum Libris, ad

quos

quos Lector remittitur. Caput enim VII. desumptum est verbotenus ex libro 4. antecedentium Revelationum, cap. 48. Caput VIII. eodem modo, ex libro 5. earundem Revelationum præcedentium, post Interrogationem nonam. Caput XV. ex lib. 4. cap. 17. Caput XXII. ex libro 7. cap. 18. Caput XXIII. ex libro 7. cap. 19. Cap. XXIV. ex lib. 3. cap. 31. per totum. Idemque de multis aliis, ut quivis ex lectione Operis agnoscet. Itaque totum quidquid huc usque sub nomine sanctæ Brigittæ impressum extat, habet illud omne duos contemporaneos scriptores Brigittæ intimos, qui scripta sua sub ejus nomine evulgarunt, homines ut ita loquar simplicissimos atque credulos, *Petrum Priorem de Alvastro Cisterciensis Instituti & Alphonsum Hispanum Eremitam*, qui vel proprias vel devotas potius sanctæ Brigittæ cogitationes ac meditationes stylo suo sub *divinarum Revelationum titulo* evulgarunt. Sane *Revelationes* istas non esse *S. Brigittæ*, luce meridiana clarius est, ex illo unico, quod plurima contineant Romanæ Ecclesiæ injuriosa & adversa, licet Sanctam Brigittam addictissimam Romanæ fuisse Ecclesiæ constet, in tantum, ut Suecia relicta, Romam perrexerit ex pietate erga Sedem Apostolicam & Pontificiam, illicque cum omni familia ad mortem usque permanserit. Longe ergo remota erat illa ab injuriis & revelationibus Romanæ Ecclesiæ adversis propalandis, quas sub ejus nomine Petrus de Alvastro, post mortem illius conscripsit. Hæc, quæ dicimus, attestantur ex ipsis revelationibus, Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis* lib. 18. ad annum 1370. his verbis. „Brigitta floruit circa annum 1370. prolixum post se librum *Revelationum cœlestium* mundo reliquit, „qui sæpe impressus est. Papistæ eam pro Prophetissa habent, & Papa in Sanctarum numerum retulit seu canonizavit. Multum autem „reprehendit *Papa ejusque Spiritualium turpitudines.* Papam vocat *animarum interfectorem*, „dicit eum esse *abominabiliorem Judæis, immitiorem Juda, injustiorem Pilato, ipso etiam Lucifero pejorem & deteriorem. Sedem Papa dicit demergendam in profundum, sicut lapidem ponderosum. Assessores ejus dicit arsuros in igne sulphureo & inextinguibili. Episcopos, Prælatos, aliosque Sacerdotes, nihilo minus alloquitur.* Alicubi dicit, *illorum culpa doctrinam Christi neglectam & fere penitus abolitam esse. Clericos dicit convertisse divinam sapientiam, in aliam pravam & vanam, simplices deorsum præcipitare euntes per viam Domini, odisse eos, esse leprosos & mutos: denique decem Dei præcepta in unicum verbum commutasse, in hoc nempe,* Da pecuniam: *id est totam eos pietatem veram, lucri causa subvertisse. Deteriores esse Juda, qui pro solis denariis Christum vendidit, illi autem vendunt Christum pro omni mercimonio.* Alibi inquit, *Episcopi ædificant diabolo duas civitates, Prima urbs est labor corporis, & vana sollicitudo acquirendi mundana, secunda est inquietudo & turbatio mentis, quia ab appetitu mundi nunquam finiuntur quiescere. Dicit etiam de eorum superbia & luxuria procedere fumum & fœtorem, ob quem eos abominantur omnes Angeli in cœlis & amici Dei in terris. Longum plane esset recensere crimina, quæ hac Prophetissa (ut a Papistis habetur) ex ore Dei, Papa ejusque sacrificulis objicit:* & pœnas *quas ex Dei nomine comminatur, quare prædicta ex multis sufficiant illud tantum adhuc breviter adjiciam, Brigittam affirmasse, se vidisse Virginem divinam dicentem ad filium,* Romam esse *feracem agrum:* respondisse vero Christum, *Est sed zizania.* His consimilia sunt, quæ habet Philippus Mornæus in *Mysterio iniquitatis*, ad annum 1370. pag. mihi 480. editionis Salmuriensis anno 1611. in folio. Atque *Revelationibus* impressis multo plura Joannes Wolphius Tomo 1. *Rerum Memorabilium* Centenario XIV. ad annum 1370. pag. 670. amplissime usque ad pag. 675. editionis Lavinganæ anno 1600. in folio. Credi ergo nullatenus potest, *Revelationes* istas esse a Sancta Brigitta conscriptas, sed ab alio sub ejus nomine, qui Romanæ Ecclesiæ infensissimus fuit.

Hoc tamen non impedit, quominus Revelationes istas nonnulli tutati sint. Nam in Catalogo Codicum MSS. Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, edito Lipsiæ A. 1686. in 16. a Joachimo Fellero Bibliothecario pag. 89. Codice 53. extant MSS. *Communicationes Dn. Hemmerici S. Theologiæ Professoris, super certis articulis extractis ex libro Revelationum S. Brigittæ. Ejusdem resolutiones IX. articulorum præcipua, contra librum Revelationum B. Brigittæ objectorum. Tractatus alius pro Revelationibus Brigittæ. Regula S. Salvatoris data divinitus ab ore suo sanctissimæ sponsæ suæ S. Brigittæ viduæ Principis de regno Sueciæ. Epistola venerabilis viri f. Magistri Petri Generalis Confessoris Monasterii Wasteinensis contra calumniantes sanctissimas revelationes B. Brigittæ, de regno Sueciæ olim divinitus inspiratas.*

Agunt de *sancta Brigitta Suecia*, S. Antoninus 3. parte *Summæ Historialis seu Chronici* titulo 25. cap. 2. Bartholomæus Platina in *Vitis Pontificum* ad Vitam Vrbani V. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 124. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri.* Henricus Spondanus loco citato, ad annum 1370. num. 2. 1372. num. 4. 1373. num. 5. & ad annum 1415. num. 2. ubi refert ejus Canonizationem a Joanne XXIII. Papa in Concilio Constantiensi factam. Joannes Molanus in *Additionibus & Notis* ad Martyrologium Vsuardi, ad diem 23. Julii. Cæsar Baronius in *Annotationibus* ad Martyrologium Romanum die 23. Julii. Illam immerito suis Franciscani accensere videntur, qui fere omnes de eo loquuntur, nempe Marc. Vlyssipponensis 2. parte *Chronici* Lib. 9. cap. 31. paragr. 1. Lucas Wadingus tomo 3. *Annalium Ordinis Minorum* ad annum 1318. num. 10. & tomo 4. ad annum 1391. num. 6. Arturus du Monstier in *Martyrologio Franciscano* ad diem 28. Julii.

MAT.

1360 MATTHÆUS DE CRACOVIA, qui etiam *Matthias de Cracovia* in Manuſcriptis legitur, Sacræ Theologiæ Doctor & Sanctæ Brigittæ familiaris, ſtuduit primum rebus Theologicis, qui & poſtea eandem ſcientiam Pariſiis cum applauſu docuit, tum Pragæ poſtea in Bohemia, quo Lutetia relicta conceſſerat. Floruit ab hoc tempore, qui & compoſuit Opus inſcriptum *Conflictus rationis & conſcientiæ de ſumendo vel abſtinendo a corpore Chriſti*: cujus initium: *Multorum querela eſt* &c. Extat MS. in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca & archivis Collegii Caji Cod. 40. & in Ultrajectina bibliotheca *Matthæus de Cracovia de modo celebrandi* in 4. impreſſum etiam Memmingæ anno 1494. in 4. eſt. In MS. Anglicano inſcribitur ſub nomine *Matthæi de Cracovia*, ſed in altero, qui habetur in bibliotheca Paulina Lipſienſi, ſub nomine *Matthiæ de Cracovia* legitur, ut conſtat ex Catalogo MSS. librorum hujus bibliothecæ, impreſſo anno 1686. pag. 418. Ejusdem Matthei de Cracovia Tractatus *de Squalloribus curiæ Romanæ*, olim editus Baſileæ anno 1551. ſed iteratus prælo in *Faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum* pag. 584. qui anno 1690. Londini 2. in folio tomis ab Eduardo Brownio editus eſt apud Chiſwellum. Idem opus videtur, ejusdem *Liber de praxi Curiæ Romanæ* in 4. & charta ſcriptus, MS. in bibliotheca Imperatoris Viennenſi. Ejusque etiam *Opus de contractibus*, ſeu *De emptione & venditione*, olim MS. in bibliotheca Matthæi Dreſſeri Herfordienſis in Germania, quod ubinam in præſentiarum lateat, haud liquet. Scripſit etiam teſte Poſſevino *Opus de prædeſtinatione*, *& quod Deus omnia bene fecerit*, quod vocavit *Rationale divinorum Operum* Libris VII. in forma Dialogi, cujus interlocutores ſunt Pater & Filius. *De contractibus* Lib. I. *De celebratione Miſſæ* Lib. I. *Ad Epiſcopum Varmienſem* Lib. I. *Sermones & collationes*. Ex enumeratis a Poſſevino Operibus extant in MSS. Codicibus Ultrajectinæ bibliothecæ litera C. *Matthiæ de Cracovia Rationale divinorum Operum* num. 244. r. Etiam *Idem de modo celebrandi ſeu recipiendi ſacram Euchariſtiam*, num. 253. hh. Atque id ex Catalogo librorum tam impreſſorum quam Manuſcriptorum hujus bibliothecæ Codicum, qui Ultrajecti anno 1670. in folio impreſſus eſt. Quod autem Poſſevino *Rationale divinorum operum* dicitur, hoc Codici MS. Ultrajectino eſt *Rationale divinorum opificiorum*, quamvis in Catalogo bibliothecæ impreſſo *officiorum* perperam legatur. Extat in Bibliotheca Paulina Lipſienſi *Sermo Matthæi de Cracovia de novem peccatis alienis*, ut conſtat ex Catalogo MSS. hujus bibliothecæ impreſſo, pag. 195. num. 13. Item juxta Petrum Lambecium tomo 2. Commentariorum *Bibliotheca Imperatoria Viennenſis* pag. 776. extant inter MSS. Codices, qui anno 1665. ex arce Ambroſiana juxta Ænipontem in Viennenſem bibliothecam allati ſunt, Codice 37. *Magiſtri Matthæi de Cracovia prædicatoris Pragenſis*, qui anno 1405. Epiſcopus Wormatienſis electus eſt, *Sermones Latini per circuitum anni*, chartacei in folio. Ejusdem videtur quod MS. extat, *Matthias de Regno Suecia & Expoſitio in Apocalypſim*, in Medicæa Florentina bibliotheca, ut ex Catalogo MSS. Codicum illius conſtat, apud Theophilum Spizelium in *Arcanis Bibliothecarum retectis*. Meminit hujus *Matthæi* Joannes Trithemius, non ſolum in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, verum etiam in Catalogo *Virorum illuſtrium Germaniæ*: ſed error illius haud quaquam prætereundus eſt, dum ibi legimus, eum eſſe mortuum ao. Domini 1309. Revera enim factus poſtmodum Epiſcopus Wormacienſis, anno 1410. obiit, ut teſtatur antiqua ſepulchri ejus inſcriptio, quæ in Choro Cathedralis Eccleſiæ Wormacienſis etiamnum extat his verbis: *Anno Domini* MCCCCX. *menſis Martii die quinta, obiit Venerabilis Pater, Dominus Matthæus Wormacienſis Epiſcopus, & Sacræ Theologiæ Doctor inſignis, cujus anima requieſcat in pace.* Vide Georgii Helwichii *Annales Wormacienſes*, typis Johannis Albini anno 1615. in 4. editos. De illo Conradus Geſnerus in *Epitome Bibliotheca*, pag. 590. Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Thomas James in *Ecloga Oxonii Cantabrigienſi*, cum aliis.

NICOLAUS ORESMIUS LEXOVIENSIS EPISCOPUS, natione Gallus, patria Normannus. Collegii Navarrici Pariſienſis familiam ducit, qui primus illi intulit ſcientiarum pene omnium ſplendorem, quem ætate ſuppares Petrus de Alliaco & Joannes de Gerſonio auxerunt, æternitatique conſecrarunt. 1360
Virtus ac eruditio Oreſmi nota, non tantum in Collegio Navarrico, ſed etiam in aliis Academiæ locis, hoc egerunt, ut Joannes Galliæ Rex magnanimus juxta ac literarum amans, illum filio ſuo in præceptorem dederit, qui Caroli V. Sapientis nomen jure obtinuit. Adepta pridem Theologi Doctoris laurea, regendum Navarræ Gymnaſium anno 1356. quarto Nonas Octobres ſuſcepit. Tunc partim ex officio Theologiam docuit, partim ex Caroli V. juſſu *Sacra Biblia* in Gallicum ſermonem convertit, quæ paſſim in diverſis Galliæ bibliothecis aſſervantur. Contra Gallicam hanc Oreſmii verſionem Bibliorum, nullus inſurrexiſſe legitur, unde factum ab omnibus ſilentium, & multiplex Gallicorum Bibliorum deſcriptio, aperta mihi videntur monimenta, quibus Oreſmii verſio comprobata eſt. Interea anno 1361. Decanus Cathedralis Eccleſiæ Rothomagenſis creatus, & Regiæ Palatii Capellæ Theſaurarius, Navarrico Magiſtratu abiit. Varia de Philoſophicis, de Mathematicis, & de Theologicis Opuſcula compoſuit, ſed duo præ cæteris nomen illi magnum pepererunt. Unum eſt, *De mutatione monetæ*, ubi ſuccenſet Regibus nummos ponderis nequaquam juſti expendi jubentibus,

tibus, quod difficillimis Franciæ temporibus factum conqueritur. Opus MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 5200. ubi inscribitur, *Tractatus de origine, & natura, & jure, & mutationibus monetarum*, impressum Tom. IX. *Bibliotheca Sanctorum Patrum*, editionis secundæ Parisiensis anni 1589. Alterum *Oratio*, quam anno 1363. Avenione coram Urbano V. atque & Cardinalibus habuit, ubi Theologus aulicæ assentationis expers, quæ sint Clericorum vitia differit, & ab illis exterminanda per Ecclesiam proponit. Hic sermo coram Urbano V. atque Cardinalibus habitus, ab Illyrico Centuriatore in catalogum testium veritatis relatus est. Cum esset Decanus Ecclesiæ Rothomagensis circa annum 1370. Carolus V. injunxit illi, ut libros plures in linguam Gallicam converteret. Cui obtemperans convertit imprimis *Ethica Aristotelis* cum Glossematibus Gallice versa, Parisiis in folio anno 1488. impressa apud Antonium Verardum, cum pluribus Libris Ciceronis & aliorum authorum, Gallice versis. Deinde anno 1377. in eandem linguam vertit *Politica ejusdem* cum Glossematibus, impressa ibidem anno 1486. apud eundem. Vertit etiam Gallice Francisci Petrarchæ *Librum de remediis utriusque fortunæ*, impressum Parisiis anno 1534. & *Tractatum de Sphæra* Gallice versum, quinquaginta Capita continentem, impressum Parisiis anno 1546. apud Simonem Lignanum. Præter ea quæ impressa sunt, extant multa Manuscripta Opera, quæ multis enumerat Joannes Launojus, Doctor Theologus in *Historia Regii Navarræ Gymnasii Parisiensis* parte 2. pag. 455. ad 462. quæ impressa in 4. Parisiis anno 1677. apud Viduam Edmundi Martini via Jacobæa sub sole aureo. Sunt autem ea, quæ recenset hic diligentissimus Scriptor.

Conciones in unum volumen redacta, numero centum & quindecim, MSS. in Bibliotheca Magnorum Augustinianorum, ad Pontem Novum, Parisiis.

Tractatus de communicatione Idiomatum, MS. in Bibliotheca Vaticana, Navarrica, & alibi.

Tractatus de dicto De omni *in Divinis*, MS. in Bibliotheca Sancti Victoris, de quibus duobus Tractatibus meminit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 154. verbo *Nicolaus Oresmius*.

Tractatus contra judiciarios Astronomos, MS. ibidem, cujus meminit Thomas Lexoviensis & Joannes Picus Mirandulanus.

Tractatus *de positionibus Propositionum*, seu *De proportionibus Propositionum*, MS. ibidem, cujus meminit Joannes Picus Mirandulanus.

Tractatus *de latitudine formarum*, MS. ibid. & in Bibliotheca Navarrica.

Tractatus *de arte prædicandi*, MS. in bibliotheca Sancti Victoris.

Tactatus *utrum res futuræ possint præsciri per Astrologiam*, MS. ibidem.

Sermo cujus thema, *Juxta est salus* &c. MS. ibidem, sed editus ab Illyrico Centuriatore, ut jam notavi. Idem Opusculum habet *Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum* Tom. 2. pag. 487. quem anno 1690. edidit duobus voluminibus in folio. Edouardus Broun Parochus Sundrigiæ in agno Cantiano, Londini apud Richardum Chiswell.

Tractatus *de Antichristo, ejus Ministris, adventu, signis propinquis & remotis, ex sacra Scriptura* &c. MS. ibidem.

Tractatus *de malis venturis super Ecclesiam*, MS. ibidem.

Rationes & causæ plurium memorabilium in natura, MS. ibidem.

Plura Quodlibeta & diversæ Quæstiones, MS. ibidem.

Tractatus *de configuratione Qualitatum*, MS. ibidem.

Scriptum contra mendicationem, MS. ibidem.

Tractatus *de uniformitate & difformitate intentionum*, MS. ibidem.

Tractatus *de Divinationibus contra Judiciarios Astronomos, & Principes in talibus se occupantes*, MS. ibidem.

Decisio Quæstionis, *Utrum oporteat in omni casu judicem judicare secundum allegata & probata*, MS. ibidem.

Tractatus *de proportione velocitatum in motibus*, MS. in bibliotheca Collegii Navarrici & Augustinianorum Eremitarum Parisiensium ad Pontem Novum.

Tractatus *de instantibus*, MS. ibidem.

Factus autem anno 1377. Lexoviensis Episcopus, cum Ecclesiam sibi commissam annos septem magna cum laude rexisset, anno 1384. humanis rebus eximitur, sepultus in Ecclesia Cathedrali ante portam chori sinistram. Hæc nos ex Joanne Launojo locis citatis, ubi longe plura leguntur. Parce autem admodum loquuntur de Oresinio Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum* epitomata p. 629. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 154. Fratres Sammarthani tomo 2. *Gallia Christianæ* in Episcopis Lexoviensibus.

VRBANUS PAPA V. natione Gabolita- 1360
nus, ex loco de Grisaco diœcesis Mimatensis post Innocentium VI. Avenioni in Papam anno Domini MCCCLXII. die XXVIII. mensis Octobris electus est, & die VI. mensis Novembris immediate sequentis consecratus & coronatus. Hic autem Guillelmus Grimoaldi vocatus est, cujus pater fuit Grimoardus Miles. Et in adolescentia sua sub habitu monastico Domino famulari voluit, atque in Monachum in prioratu de Chiriaco dictæ diœcesis a monasterio Sancti Victoris Massiliensis admissus est, ubi postquam regularibus disciplinis fuit instructus, ad studia litterarum translatus est. In quibus ita diligenter institit & insudavit, ut Doctor Decretorum solemnis effe-

ctus sit,

ctus fit, & ab eo tempore multis annis tam apud Montempessulanum, quam apud Avenionem legerit. Tandem vero meritis suffragantibus, primo ad Abbatiam sancti Germani Antissiodorensis, postea vero ad aliam Sancti Victoris Massiliensis, sub qua primitus ordinem Sancti Benedicti professus fuerat, promotus fuit, & inde in Papam assumptus, ubi sedit annos octo, mense uno, dies novendecim. Cum esset Legatus sedis apostolicæ in regno Siciliæ & Neapolis, absens Avenione electus est anno 1362. die XXIII. Septembris, quam electionem die XXVII. Octobris ratam habens, intronizatus est die XXXI. ejusdem Octobris, consecratus & coronatus die VI. Novembris. Post dictam promotionem venerunt statim ad ipsum Johannes Francorum, Petrus Cypri, & Daciæ Reges, causa ipsius visitandi, reverentiamque exhibendi, qui demum cum suis ad ultramarinam expeditionem contra Turcas se mutuo adstrinxerunt, cruce signati per eundem Papam cum multis aliis magnis & notabilibus viris. Anno 1365. mense Majo Carolus Romanorum Imperator Avenionem ad dictum Urbanum Papam venit cum magno stiparu Principum & nobilium Germanorum. Insignibus autem ab ipso Papa imperialibus ornatus est, a Cardinalibus & aliis Romanæ curiæ Prælatis admodum honorifice exceptus, qui die Sancto Pentecostes tum occurrente, dicto Papa solemniter celebrante, diademate coronatus in habitu imperiali adstitit, in manu dextra sceptrum gerens. Anno 1368. mense Octobri Carolum IV. Imperatorem post exhibitas sibi Stratoria vices Romæ excepit, qui Pontificem usque ad basilicam Sancti Petri pedester, equi Papæ frænum tenens, ac demum usque ad altare majus deduxit. Anno 1369. Johannes Palæologus Imperator Græcorum ad Urbanum Papam Romæ existentem accessit, a quo honorifice receptus est per dictum Papam & Cardinales, non minus quam si Romanorum Imperator extitisset. Hic inani spe subsidii contra Turcas impetrandi lactatus, ad Romanæ Ecclesiæ unitatem redire simulans, eidem perpetuo obedientiam promisit, ac fidem ipsius in futurum observare. Qua de conventione certam bullam Græce & Latine conscripsit, quam aurea sua bulla sigillavit, & in archivis Ecclesiæ conservandam dicto Papæ concessit. Quo expedito anno 1370. ad propria rediit, multis verbis & honoribus a Romanis delinitus & deceptus. Anno 1370. Urbanus V. relicta Italia in Galliam rediit, die XXVI. Aug. de Monteflasconis recedens, versus Avenionem tendit, manens Corneli usq; ad diem V. Septemb. Tunc mare ingressus, die XVI. dicti mensis Massiliam applicuit, unde post Avenionem accessit. Reversus a partibus Italiæ, omnino dispofuit incumbere viribus integris, paci inter Reges Angliæ & Franciæ procurandæ: quod cum intenderet, morbo correptus est, quo absumptus post multa eximia opera, in Domino requievit Avenione anno Domini 1370. die XIX. Augusti, Pontificatus sui anno IX. conditus in Ecclesia majori Avenionensi, unde postea ad Abbatiam Sancti Victoris Massiliensis translatus est, ubi sepulturam suam perpetuam vivens elegerat, magnis ac stupendis corruscans miraculis. Concubinarios & alios vitam inhonestam publice ducentes, Ecclesiasticos maxime, rigidis legibus compescuit, & ad correctionem & emendationem venire coegit. Usurarios admodum persecutus est, adeo, ut suo tempore ex male comparatis, occasione hujusmodi restitutionis, ultra ducenta millia florenorum restituta in curia dicantur. Simoniacos autem, ementes & vendentes beneficia sive spirituales curas execratus est, aut super his mercimonia illicita facientes, tractantes aut procurantes. Ipsos etiam occasio talium, exactiones indebite facientes, puniri multimode ordinavit, imo & quamplurimos eorum curia exire coegit. Beneficiorum multiplicationem, præsertim incompatibilium, in eandem personam concurrentium, invitissime toleravit: imo multos, qui plurima obtinebant, illis privavit, relictis tantum illis, quæ suo statui & sufficientiæ congrue convenire judicavit. Multa etiam & collegia & monasteria dotavit atque erexit, de quibus anonymus auctor *Vitæ* ejus apud Baluzium tom. I. *De vitis Paparum Avenionensium* col. 365. 366. 395. 396. quem nos verbotenus contraximus. Extare dicuntur *Epistolarum* ejus plura volumina in archivis Vaticani, ex quibus extant plures jam editæ, *Epistolæ* II. Concil. Tom. XI. col 1957. 2033. *Constitutio adversus pluralitatem beneficiorum*, ibid. col. 1936. *Epistola alia VIII. de unione Ecclesiarum Græcæ & Romanæ*, apud Bzovium ad annum 1365. &c. *Bulla unionis utriusque Ecclesiæ*, quæ extat apud Abrahamum Bzovium & Odoricum Raynaldum Latine tantum, Græce & Latine reperitur apud Leonem Allatium Lib. 2. *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione*, cap. 17. *Aliæ LX.* apud Waddingum in *Annalibus Minorum* Tom. IV. ad annum 1363. &c. *Aliæ LVII.* ibidem in Regesto Pontificum p 71. *Versus de Agnus Dei* apud Victorellum additionibus ad Ciacconium *de vitis Pontificum*, Romæ anno 1630. in fol. editis. Larissime omnium de laudibus hujus Urbani V. Papæ, Baluzius qui tomo I. *de vitis Paparum Avenionensium* vitam ejus profert col. 363. ex anonymo præclaram, alteram col. 399. auctore Canonico Ecclesiæ Bonnensis in Archiepiscopatu Coloniensi, tertiam col. 413. ex Chronico Petri de Herentals Prioris Florettiensis, quartam col. 415. auctore Aymerico de Peyraco Abbate Moyssiacensi. In Notis autem ad has Vitas agit de natalibus Urbani V. col. 974. de studiis apud Montempessulanum col. 976. de ingressu ejus splendido in urbem Romam col. 1439. Ut deseruerit Italiam 1442. Instituerit Tolosæ scholam theologicam 1057. Miraculis claruerit col. 975. & 1954. Denique in vita Gregorii XI. col. 430. ut

ut ejus corpus translatum sit ad Monasterium Sancti Victoris Massiliensis.

1360 COLLUCIUS PIERIUS DE STIGNANO vico Florentini agri, Italus natione, ex familia Salutatorum illic celeberrima, Bononiæ diu habitavit. Quo Florentinorum discordia pulsus, ad hospitium se recepit, adeoque in artibus liberalibus profecit, ut Poëta laureatus & Orator ea tempestate clarissimus haberetur. Claruit ab anno 1360. multisque sequentibus, ab Urbano V. & Gregorio XI. Pontificibus ob doctrinæ & prudentiæ famam a Secretis adscitus, ac deinde a Republica Florentina ad idem postea munus & Cancellariatus dignitatem accersitus, Joanni Galeatio Mediolanensium Duci qui bellum Florentinis intulerat, adeo strenue repugnavit, ut Galeatius plus sibi obesse Collutii Epistolas, quam mille Florentinorum equites agnosceret. Ugolinus Verinus qui non diu post Collutium Pierium Florentiæ claruit, in libro 2. *de viris Florentiæ illustribus* hæc de illo canit.

Si non eloquio, gravitate Coluccius omnes
Exsuperat, cujus seu fulmina dicta tyrannus
Bebriacus timuit, tantum terroris habebant.

Edidit multa prælo digna, quæ adhuc in bibliothecis MSS. latitant. *De vera religione ad Hieronimum Uranum Camaldulensium Generalem libros* 2. qui MSS. Florentiæ in bibliotheca S. Marci & in Bibliotheca Nicolai Gaddii asservantur. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium regni hujus Bibliothecarum Codice 6616. in MSS. Caroli Theyeri Codice 246. num 2. *Collucius Pierius de Seculo.* Disputationem *num medicina sit præstantior Jurisprudentia*, quare & hunc librum prænotavit *de nobilitate Legum & medicina*, cui scientiam Legum anteponit. *Librum de fortuna & fato* in Tractatus V. distinctum, ad felicem Abbatem in oppido quod dicitur *Septimum*, Ordinis Cisterciensis. Incipit, *Quotidiano esse &c.* Sed cum in hoc libro quædam (licentia ut ajunt Poëtica) veritati non satis consona edidisset, contra ipsum insurrexit Joannes Dominicus Cardinalis insignis meriti & doctrinæ, qui Opusculum edidit *Luculam noctis* inscriptum. Extat Collutii opusculum *de fato & fortuna* MSS. inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1469. in MSS. Collegii S. Benedicti Codice 192. num. 1. scripsit quoque *Orationes & Epistolas* lib. 2. Extant Collucii *Epistolæ ad diversos* quarum initium *Quanquam omnes magnifice &c.* MSS. in bibliotheca Goddiana Florentiæ, ubi obiit anno Domini 1406. ut Leonardus Aretinus ipsius auditor, in libro 1. Epistolarum suarum ad Nicolaum scribit. Epistolæ eædem habentur MSS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie A. Codice 16. num. 2. inscriptæ, *Lini Collucii Salutati Epistolæ, Florentinorum quondam Cancellarii.* Item sub effigie Cleopatræ litera C. Codice 5. num 10. *Epistola Collucii ad Malatestam, Dominum Pisauria, Petrum Turcum & Passium.* Extant in MSS. Codice 285. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, qui a Petro Lambecio ab arce Ambrasiana ad hanc Bibliothecam adducti sunt, num. 46. *Epistola Colucii Cancellarii Florentinarum* cujus principium: *Frater Carissime, sæpe numero mecum reputans &c.* Num. 53. *Colucii Cancellarii Reip. Florentinæ Epistola laudatoria ad Dominum Franciscum Novellum de Cararia, Dominum Padua*, cujus principium, *sæpe licet & multum hactenus animadverterim &c.* Num. 62. Colucii Cancellarii Florentini Epist. ad Dominum Ubaldinum Priorem S. Stephani, *de laudibus obitu & sepultura celeberrimi Jurisconsulti Lapi de Castellione Florentini*, cujus etiam Epitaphium ab eodem Colutio compositum eidem Epistolæ in fine annectitur. Num. 77. *Oratio Collucii Florentini Cancellarii de defendenda civitate Bononiensi contra Ducem Mediolanensem.* Dicitur a Josia Simlero scripsisse *Vitam D. Andreæ Carmelitæ lib. 1. Pro Canonizatione ejusdem lib. 1.* Sed fallitur, nisi hoc intelligat de Epitaphio quodam illius inculto Collucii, X. vel XII. versibus constructo, quo virtutes ejus ac mortis annum, mensisque diem designat. Nam apud Bollandum in *Probatis Sanctorum Vitis*, Tomo 2. ad diem 30. Januarii pag. 1064. Vita prima S. Andreæ de Corsinis Scripta a Petro Andrea de Castaneis Carmelita post annum 1440. ut ex cap. 7. num. 33. constat. Altera Vita quæ ex MS. Rubræ Vallis p. 1073. extat, adhuc præcedente recentior est. Neque etiam canonizationem ejus promovit, quæ facta tantum est ab Urbano VIII. anno 1629. die 22. mensis Aprilis. Denique extant Collucii *Epistolæ II.* apud Baluzium *Miscellaneorum* Tomo IV. pag. 510. qui Cancellarii munere eximie per annos plures perfunctus, obiit luctu omnium maximo Florentiæ IV. Idus Maji anno 1406. funere magnifico a Senatu populisque honoratus. Agunt de *Collucio Piero* Josias Simlerus *in Epitome Bibliotheca Gesneri*, editionis 1574. pag. 134. colum. 1. Michael Poccianus in *Catalogo Scriptorum Florentinorum* pag. 41. edito Florentiæ 1588. in 4to. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Colucius Pierus* Petrus Lambecius *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* lib. 2. cap. 8. p. 938. 939. & 941.

PETRUS GUILLELMUS seu GUILLELMI, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis sub Alexandro II. dicitur, Bibliothecarii & Cancellarii Apostolici munere perfunctus, qui post Anastasium Bibliothecarium scripsisse dicitur Romanorum Pontificum Vitas a Nicolao I. usque ad Paschalem II. de quo cum multi recentiores scripserint, omnes plurimum circa illum aberrasse certum est. Singulos ad verbum referam, ac quibus in locis a vera deflexerint, aperiam. 1360

Extat Bartholomæi Platinæ *Historia de vitis Romanorum Pontificum a Christo ad Paulum II.* cum

cum Onuphrii Panvinii continuatione & Notis usque ad Pium IV. Venetiis typis Tramesini anno 1562. in 4to. Sic autem scribit Panvinius in Platinam Annotatione prima ad Divi Petri Vitam.

„ *Baptista Platini Vitas Pontificum Romanorum scribere aggressus, Damasum Papam qui a B. Petro initium faciens, usque ad sua tempora perduxit, & qui eum suppleverunt, Auctores secutus est. Hi fuere Anastasius Monachus & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius id est Cancellarius, qui a Damaso ipso usque ad Nicolaum I. scripsit. Guillelmus alter Apostolicæ Sedis pariter Bibliothecarius, qui ab Hadriano II. usque ad Alexandrum II. Et Pandulphus Pisanus, qui a Gregorio VII. usque ad Honorium II. easdem Vitas persecuti sunt. Martinus Polonus, Ordinis Cisterciensis, a B. Petro incipiens, usque ad Honorium IV. Vitarum opus edidit. Item Theodoricus a Niem, ab eodem Honorio IV. usque ad Urbanum VI. Qui autem deinceps, usque ad Martinum V. Vitas conscripserunt, incompertum est.* Idem Annotatione ad Vitam Nicolai primi. *Anastasius Monachus & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, usque ad Nicolaum I. Romanorum Pontificum Vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit: Sub quo & ejus successoribus Hadriano II. & Joanne VIII. in Urbe floruit. Quæ sequuntur, concinnavit Guillielmus quidam alter Bibliothecarius, quæ in libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, extant.* Hæc autem omnia fere incerta, imo falsa sunt. Nam Anastasius S. R. Ecclesiæ Bibliothecarius istas *Romanorum Pontificum Vitas* usque ad Nicolaum I. non conscripsit, sed opus integrum quod *Pontificale Urbis Romæ* seu *de Vitis Romanorum Pontificum* inscribitur, sub Damasi Papæ nomine, nempe a Sancto Petro usque ad Hadrianum II. & Stephanum VI. Papam CXII. composuit & scripsit Damasus Portuensis Episcopos, qui sub Nicolao I. Hadriano II. & Stephano VI. Romanis Pontificibus, ab anno circiter 860. & 890. vixit atque floruit. Unde cum Collectio ista tot qualis primum anno 1547. Venetiis in folio prodiit, ad Damasum Portuensem Episcopum juxta Criticos eruditores pertineat, qui eam sub Damasi Papæ nomine, ad majorem illi auctoritatem conciliandam inscripsit: Nullus jam datur locus, ut Collectio ista a *Damasi Papæ Vita usque ad Nicolaum I.* Anastasio S. R. Ecclesiæ Bibliothecario tribuatur. Vel ut *Vitæ Hadriani II. & Stephani VI.* quibus hæc Collectio terminatur, Guilielmo alteri Bibliothecario adscribantur, qui sub Alexandro II. floruerit, ac Vitas Romanorum Pontificum usque ad illud tempus continuaverit. Verus enim Scriptor *Pontificalis Urbis Romæ* seu *de Vitis Romanorum Pontificum*, Damasus Portuensis Episcopus, Pontificale istud Urbis Romæ a Sancto Petro deduxit, usque ad Vitas Hadriani II. & Stephani VI. quibus in Sede Romana proxime successit, ac quorum gesta oculis conspexerat.

In hunc eundem de Guillelmo Bibliothecario errorem lapsus est Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad a. 1073. N. XV. p. 75. N. 34. 1076. num. 34. ubi loquitur de Guilielmo Bibliothecario qui Vitam Gregorii Papæ VII. scripserit. *Habet Vaticana Bibliotheca res gestas Gregorii Papæ Septimi seorsim scriptas, ab Auctore ejus temporis, quas Nicolaus Arragonius in Commentario, quem de Romanis Pontificibus scripsit, incipiens a Leone IX. ut se habent, intexuit. Alia adhuc extant æque prolixa, quæ sine titulo auctoris, Petri Bibliothecarii, sive Guillelmi esse putantur.* „

Juxta Panvinium Guillielmus Bibliothecarius Vitas Romanorum Pontificum usque ad Alexandrum II. hoc est ad annum 1060. continuavit, at juxta Baronium, Gregorii VII. vitam in Collectione sua habuit, quamvis codicem esse absque nomine Auctoris fateatur.

Juxta autem Aubertum Miræum in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* editionis 1639. Antwerpiæ in folio, cap. 277. p. 232. Guillielmus S. R. E. Bibliothecarius, nihil aliud egit in Collectione *de Vitis Romanorum Pontificum*, quam ut falso Anastasio adderet *Vitas Hadriani II. & Stephani VI.* Romanorum Pontificum: atque ita contrarius est Onuphrio, qui scribit illum continuasse. *Vitas Romanorum Pontificum a Nicolao I. ad Alexandrum II.* hoc est ab anno 860. ad 1060. Contrarius Baronio, qui ejus Continuatione *Vitarum ejusmodi*, Vitam quoque Gregorii VII. qui post Alexandrum II. sedit, comprehensam fuisse affirmat loco citato. Sed Miræum audiamus. *Guillelmus S. Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius Historiam Pontificum Romanorum ab anno octingentesimo sexagesimo septimo, in quo Anastasius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius desiit, usque ad annum nongentesimum produxit: in quo Opusculo Hadriani II. & Stephani VI. Pontificum res gestas descripsit. Extat illud Moguntiæ a Joanne Busæo 1602. cum Anastasii Historia editum in 4to.*

Ludovicus Castaneus de Rupepozza Pictaviensis Episcopus, qui Romæ degens Bibliothecas illius plurimas diligenter excusserat, edidit *Nomenclatorem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium*, qui ab anno M. Christi usque ad ætatem suam, quidpiam commentati sunt, anno 1614. Tolosæ in 4to. Illic p. 7. inter Cardinales ab Alexandro II. creatos Petrum Guilliermum recenset, de quo hæc habet. *Petrus Guillermius Cardinalis tit. Sancti Chrysogoni, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, scripsit post Anastasium Bibliothecarium Cardinalem S. Marcelli, Vitas Romanorum Pontificum a Nicolao primo usque ad Paschalem II. Claruit anno 1073. ut autumat Baronius, sed obitus definitum tempus in ambiguo est.* Juxta igitur Ludovicum Castaneum de Rupepozza, non tantum scripsit *Vitas Romanorum Pontificum* a Nicolao I. seu ab anno 867. usque ad Alexandrum II. seu annum 1060. ut scribit Onuphrius Panvinius: neque usque ad Gregorium VII. seu annum 1085. ut vult Car-

Tar

sar Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, ut supra diximus: sed recentioris adhuc ætatis fuit, qui scripsit usque ad Paschalem II. hoc est usque ad annum 1117. quo mortuus ille est. Habet hanc eandem sententiam de ætate Petri Guillelmi affixa pontificatui Paschalis II. Augustinus Oldoinus Soc. Jesu in *Athenæo Romano*, in quo Opera seu Scripta Romanorum Pontificum & Pseudo-pontificum, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium & Pseudo-Cardinalium accurate exponuntur, edito Ragusiæ anno 1676. in 4to. Illic enim verbo *Petrus* p. 551. hæc haber. *Petrus cognomento Guillelmi S. R. Ecclesiæ Diaconus Cardinalis sub Alexandro II. Bibliothecarii & Cancellarii Apostolici munere perfunctus, post Anastasium Bibliothecarium, scripsit Romanorum Pontificum Vitas a Nicolao I. usque ad Paschalem II. Clementi III. Pseudo-pontifici adhæsit, obiit Presbyter in titulo S. Sabinæ, incertum quo tempore. Vide plura apud Ciaconium, ejusque Auctarios, Panvinium & alios.* Jam autem in Catalogo Scriptorum, que de Romanis Ponrificibus tractarunt, quam ad Operis finem subjunxit, iterum. *Petrus Guilielmus, aliis Guillermus, S. R. E. Diaconus Cardinalis primo deinde Presbyter tituli Sancti Chrysogoni & Bibliothecarius, Romanorum Pontificum Vitas a Nicolao I. usque ad Paschalem II.* Hic Historicus ac Theologus Societatis Jesu, eo fide dignior videtur, quod omnes labores suos ad Ecclesiæ Romanæ exaltationem & Romanorum Pontificum gloriam majorem contulerit. Alphonsus Ciaconius natione Hispanus, patria Biacensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Pænitentiarius Apostolicus, ediderat *Vitas & res gestas Romanorum Pontificum & S. R. E. Cardinalium*, ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad Clementem VIII. cum eorundem insignibus, Romæ 1601. fol. apud Stephanum Paulinum, & 1602. apud Franciscum de Franciscis, cum continuatione Francisci Cabreræ Morales. Atque auctiores prodierant ibidem typis Vaticani 1630. 2. tomis in fol. studio *Andreæ Victorelli* Bassanensis, Theologiæ Doctoris, & Ferdinandi Ughelli, Abbatis Ordinis Cisterciensis ac Theologi. His tantas accessiones vir doctissimus Augustinus Oldoinus adjecit longo studio, ut anno 1676. opus istud Romæ quatuor in folio voluminibus prodierit, eodem anno, quo *Athenæum Romanum* Perusiæ prodiit. Imo hoc anno eodem, *Necrologium Romanum* in folio, etiam ad Romanæ Ecclesiæ splendorem, in lucem adduxerit. In eandem quoque Sententiam antea venerat, Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, Gallus, Calitonensis, Ordinis Fratrum Carmelitarum, qui annis multis Romæ versatus, Bibliothecas omnes excussit, uti Italiæ plurimas, ut opus aggrederetur, sub titulo *Bibliotheca Pontificia* libris duobus distinctæ, quod tandem anno 1643. Lugduni in 4to apud Hæredes Gabrielis Boissat & Laurentium Anisson impressum est. Ita ille libro 2. p. 421. *Petrus Guilielmus, aliis Guillermus, S. R. E. Cardinalis, deinde Presbyter titulo. Sancti Chrysogoni & Bibliothecarius, scripsit Romanorum Pontificum Vitas, nempe a Nicolao I. usque ad Paschalem II. Obiit sub Paschali II. Romano Pontifice.*

Contendunt autem alii, hunc Petrum Guilielmum, esse longe recentioris ætatis, atque integris annorum centuriis juniorem esse, & eandem hominem esse cum Guilielmo Gatadego cognominis, de quo his verbis loquitur, Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. pag. mihi 230. *Guilielmus Gatadegus, Parmensis Scholarum Magister, ac S. R. Ecclesiæ Vicecancellarius & Bibliothecarius Apostolicus, scripsit Romanorum Pontificum Vitas a Sancto Petro usque ad Innocentium IV. Obiit circa annum Domini 1256. sub Alexandro Papa IV.* Hoc si verum est, ut plausibile maxime videtur, excidunt omnes conjecturæ Onuphrii Panvinii, qui Guillelmum ponrificatui Alexandri II. anno 1060. Synchronum fecerat. Conjecturæ etiam Cardinalis Baronii in Annalibus Ecclesiasticis, qui ad annum 1073. atque alios, uti Gregorio VII. contemporaneum, non semel profert. Corruunt pariter, qui illum Paschali II. Romano Pontifici coævum scripserunt. Idem quoque habet. Augustinus Oldoinus in Catalogo Scriptorum, unde *Athenæum Romanum* composuit, quem ad Operis finem subjunxit: *Guillelmus Gatadegus Parmensis, Romanorum Pontificum Vitas a Sancto Petro, usque ad Innocentium VI.* Hoc discriminis est, inter Ludovicum Jacob a Sancto Carolo & Augustinum Oldoinum: quod primus usque ad Innocentium IV. scripsisse, & sub Alexandro IV. circa annum Domini 1256. obiisse affirmet: alter autem scripsisse usque ad Innocentium VI. asserat, atque ita sub annum 1360. vixisse, junioremque fuisse annis centum & amplius, ea ætate, quam ipsi Ludovicus Jacob assignaverat. Consentire autem Augustino Oldoino videtur Idem Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, in *Bibliotheca Pontificia* alibi, nempe I. libro 2. p. 415. ubi de hoc eodem Petro, cujus cognomen incertum est, scribit. „*Petrus cujus cognomen „ignoratur, scripsit Glossas in Pontificale Roma-„norum Damasi & continuationem Anastasii Bibli-„othecarii & Pandulphi Pisani. Extant MSS. „Romæ in Bibliotheca Barberina. Vixit sub Ur-„bano V. Pontifice Maximo, ut colligitur ex locis a-„liquot prædicti operis.* Ludovicus Jacob vi-„dit opus istud in Bibliotheca Parbarina, cumque testetur, Scriptorem *vixisse sub Urbano quinto Pontifice Maximo, ut colligitur ex locis aliquot prædicti operis*: hinc concludimus conjecturas omnes, quas multi de illius ætate fecerant, ad tempora Alexandri II. Gregorii VII. Paschalis II. falsas fuisse, atque hominem utpote longe recentioris ætatis, post annum M CCC LX. referendum esse. Habuit MSS. Codicem hujus Operis Cæsar Baronius, dum Annales Ecclesiasticos suos scriberet, ex Vaticana Biblio-

theca

theca, sed anonymus erat, ut ipse testatur in Annalibus ad annum 1073. num. XV. *Habet Vaticana Bibliotheca res gestas Gregorii Papæ VII. seorsim scriptas ab Auctore ejus temporis, quas Nicolaus Arragonius in Commentario, quem de Romanis Pontificibus scripsit, incipiens a Leone IX. ut se habent, intexuit. Alia adhuc extant æque prolixa, quæ sine titulo auctoris, Petri Bibliothecarii, sive Guillelmi esse putantur.* Ejusdem rationis esse videntur, quæ extare inquit in Barberina Bibliotheca Ludovicus Jacob a Sancto Carolo supra citatus. Quidquid autem Pontificii vulgo scribunt de *Pontificali Urbis Romæ* seu *de Gestis Romanorum Pontificum* falsum est, nimirum Damasum Urbis Romæ Episcopum scripsisse Historiam Romanorum Pontificum ad suam ætatem seu usque ad annum 367. illum continuasse Anastasium S. R. Ecclesiæ Bibliothecarium usque ad Nicolaum I. seu usque ad annum 867. Guillelmum alterum Bibliothecarium a Nicolao I. usque ad tempora Alexandri II. seu usque ad annum 1060. Pandulphum Mascam Pisanum excepisse. Anastasium Bibliothecarium a Nicolao I. usque ad Innocentium III. seu ad annum 1197. vel 1198. Hæc omnia mendacia sunt, quorum nihil omnino verum sit. Ex veritate autem res ita se habet.

Damasus Portuensis Episcopus, qui postea Romanus Pontifex *Formosi* nomen habuit, composuit circa annum 885. vel circiter *Pontificale Urbis Romæ*, seu ut in MSS. Codicibus interdum legitur, *de Gestis Romanorum Pontificum* a Sancto Petro unde initium habet, usque ad tempora, quibus Romanam sedem vel juxta plerosque legitima ingressus est, vel juxta alios indebite occupavit, hoc est usque ad Stephanum VI. in quo Pontificale suum concludit. Porro ut posteritati imponeret ac fucum faceret, opus suum ut majorem illi auctoritatem ac reverentiam accerseret, notam aut infamiam *impostoris* nihil curans, sub nomine Damasi Papæ conscripsit, præmissis in fronte operis, falsis Epistolis Hieronymi ad Damasum & Damasi jam tamen mortui ad Hieronymum, ut tale opus conscriberetur. Fraudem hanc & imposturam omnes eruditi agnoscunt jam, quam ab Onuphrio Panvinio & Cæsare Baronio agnitam fuisse credunt, sed ab illis dissimulatam fuisse, ne dedecus nimium ex impositione simili, in Romanam redundaret Ecclesiam. Conscriptum igitur *Pontificale Urbis Romæ* istud, usque ad Stephanum VI. qui ab anno 885. ad 890. Romanam Ecclesiam rexit. Hinc aperte falsum est, Anastasium Bibliothecarium Vitas istas ab anno 367. ad Nicolaum I. seu usque ad annum 867. continuasse, omnes enim sunt ejusdem methodi ac dictionis, usque ad finem seu Stephanum VI. & annum Christi 890. Ab hoc tempore usque ad annum 1049. vel 1050. cum Ecclesia Romana invasionibus, Simoniis, ac omni libidinis turpitudine in Pontificibus suis denigrata fuisset, nullus satis impudens inventus fuit in hac annorum tanta intercapedine, qui Supplementum aliquod *Pontificali Urbis Romæ* in Stephano VI. finienti addere vellet. Primus, qui hoc aggressus est, Pandulphus Masca, qui Supplementum suum omissis intermediis, a Leone IX. seu ab anno 1049. ad annum 1197. continuavit. Secundus qui Supplementum addidit, is Nicolaus Rosellius Arragonius, qui teste Baronio in Annalibus, ab eodem Leone IX. Supplementum suum ad sua usque tempora prosecutus est. Tertius qui rem eandem aggressus fuit, Petrus Guillelmus post annum 1360. eodem modo, quo Pandulphus Masca, & Nicolaus Roselli fecerant, quos imitatus est.

PETRUS BOERIUS, URBEVETANUS 1360
EPISCOPUS, patria Narbonensis, natione Gallus Monachus atque Abbas Sancti Aniani apud urbem sancti Ponti Thomeriarum, ex Ordine Sancti Benedicti, insignis suo tempore extitit Juris utriusque Doctor ac Theologus, qui ob notissimam Canonum scientiam, vitæque probitatem ab Urbano V. summo Pontifice Urbevetanus Episcopus renuntiatus est anno 1364. decimo septimo Calendas Decembris. Rexit hanc Ecclesiam ad annum usque 1370. quo nonis Octobris ad Ecclesiam Vasionensem in Gallia translatus fuit, ut habetur in libro provisionum Prælatorum: qui iterum anno 1376. ad Urbevetanam sedem revocatus est, ob præclaras mentis ac virtutis dotes, quibus fulsit. Egregia quamplurima reliquit ingenii sui monimenta, quibus testatus est, quantum sancti Benedicti Institutum, quod olim professus fuerat, diligeret, atque observantiam sanctæ Regulæ amplexaretur, de quibus nos singularius agamus. De Scriptis ejus ita Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 2. fol. 242. verbotenus. Petrus Boërius, Gallus, Narbonienfis, Juris utriusque consultus, Monachus, item & Abbas sancti Aniani, Sancti Pontii, Thomeriarum Diœceseos, vir ea ætate perdoctus, deinde Episcopus Urbevetanus, scripsit, Speculum Monachorum lib. I. De signis loquutionum lib. I. In Benedictinam Benedicti, Papæ XII. Commentarium. In Regulam sancti Benedicti duplicem Explicationem, quarum prima conciliat sententias ipsius Regulæ, cum Sententiis Sanctorum Patrum, quam quidem scripsit petentibus Monachis Sublacensibus. Secunda vero novo Expositionis genere, omnia Regulæ non solum Capita, sententias & dogmata; verum etiam verba consilia, & præcepta cum Jure Pontificio conferens, Decretalibus & Canonibus summorum Pontificum & Patrum, comprobat. Extant autem, hæc omnia in Bibliotheca sancti Benedicti de, Mantua, in Membranis manuscriptis. Vixit ad annum usque 1360. Extat autem, hujus *Petri Boërii Commentarius in Regulam divi Benedicti, cui adaptat Regulas & Canones Juris*, MSS. in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis de Pratis, Codice 454, manus recentis, sed

qui

qui transfcriptus eft ex vetuftiore, atque Scriptore fynchrono altero. Hujus prologus incipit, *Viris inquam vitæ venerabilis, gratia benedictis & ordine, Patribus in Christo Jesu Reverendis, Dominis facri provincialis Capituli, Monachorum Nigrorum Præsidentibus, Frater Petrus Boerii, indigens misericordia Dei. Abbas immeritus Sancti Aniani Beati Pontii Tomeriarum Diœcesis, Doctorque Decretorum indoctus, faluberrimam per præsidentiam ad promissa Benedictis gaudia, seipsos dirigere & alumnos. Jam ter effluxo biennio commissis mihi fratribus in claustrali Capitulo Regulam lectitari præsentem, Decretorum eidem materias, Philosophorum ac Senum moralia, ut præstabat cunctorum opifex coaptando: sed quia dispersim lecturam hujusmodi tunc aravi, ipsis interpellantibus fratribus* &c. Incipit Commentarius, *Obfculta*, quidam enim Codices habent hic, *aufculta*: quod eft, *Attende vel audi*. Extra. De majoritate vel obedientia, Cap. *illud* de officio Archidiaconi. Unde patet *Commentarium in Regulam Divi Benedicti per Regulas Juris & Canones factum*, effe non fecundam, fed primam Expofitionem Regulæ Divi Benedicti, contra opinionem allatam Antonii Poffevini. 2. Illam effe factam ab eo, dum effet Abbas Sancti Aniani. 3. Fuiffe oblatam feu dedicatam Abbatibus Ordinis Divi Benedicti in unum congregatis, in Capitulo aliquo Provinciali convocato. Idem Boerius fcripfit alteram & prolixiorem *Expofitionem in Regulam Divi Benedicti*, quæ fecunda eft, deflorans ex Sanctis Patribus, quidquid hujus Regulæ fententiis & præceptis convenire poterat. Habes etiam illam MS. in eadem Sancti Germani Bibliotheca Cod. 664. Carolo Sapienti, hujus nominis V. Galliarum Regi infcriptam. Unde conjicio hanc alteram commentationem ab eodem etiam Boerio factam, dum effet Abbas Sancti Aniani, atque in Galliis adhuc verfaretur, antequam ad Epifcopatum Urbevetanum promoveretur. Quid enim caufæ Epifcopo in Italiæ atque ad Romæ portas exiftenti & jam affixo, ut Comentarium Carolo Galliarum Regi dedicaret? Poftea tamen hanc eandem Commentationem mifit Monachis de Specu feu Sanctæ Scholafticæ, qui votis ardentibus eandem flagitaverant. Unde in MS. Codice hic primus titulus: *Verfus fequentes mifit Epifcopus Urbevetanus Fratribus de Specu, cum Expofitione Regulæ ibi facta per ipfum.*

Pulfatus precibus, vobis transmitto pudicis,
O Fratres chari, quod me fudante frequenter
Hoc opus exegi, patris mea vifcera noftis,
Spelæo juxta eos, jamque vitalia veftris.

Sequitur Epiftola Epifcopi Urbevetani Petri Boherii nomine, fanctorum Canonum excellentis Doctoris, ad Regem Francorum Carolum, cui hoc fuum Opus deftinat. Titulus. *Carolo Francorum Regi Chriftianiffimo, Petrus fervus Jefu Chrifti, Regi Seculorum in præfenti per gratiam, & in futuro per gloriam inhærere perenniter. Quanquam Regalis tua ferenitas vinclis quibusque normalibus coarctari non poffit, tuam tamen decet Clementiam, ut Schola Monaftica fuis ftudeat refiorere primordiis. Nonne fiquidem Zachariæ Papæ temporibus, Carolomannus corona hujus regni abjecta, Benedicti Caffinenfe Cœnobium fubiit & cucullam? Carolus quoque Magnus Rex Francorum piiffimus & Romanorum invictiffimus Imperator, Cœnobiorum ubilibet perauxit Collegia* &c. Altera præfatio authoris hujus voluminis, qui Petrus Boherius nuncupatur Urbevetanus Epifcopus. *Hieronymus nempe Doctor præcipuus Ecclefiæ orthodoxæ, in calce Epiftolæ de lapfu Sufannæ Virginis ad litteram inferit* &c. Incipit Commentarius, *Aufculta o fili* &c. *Hieronymus enim fuper Cantica 3. Lib. dicit, Melius eft, ut Grammaticos oftendamus, quam quod legentibus aliquem fcrupulum in veritatis explanatione ponamus Hoc ideo dictum eft.* &c. Habetur hoc idem Opus MS. in Bibliotheca Cœleftinorum Parifienfium, cum *Commentario ejusdem Boerii in Benedictinam Benedicti Papæ XII.* unde a Fratribus Abbatiæ Sancti Germani exemplar transfcriptum eft. Cenfeo itaque Opera ifta omnia a Petro Boherio compofita, dum effet Abbas Sancti Aniani apud fanctum Pontium Tomerianum, quæ poftea mifit Monachis Sanctæ Scholafticæ, vel etiam poftquam Epifcopus Urbevetanus factus fuit. Extant quoque in Bibliotheca Paulina Lipfienfi, *Fratris Petri Boherii Abbatis Sancti Aniani Gloffa fuper Conftitutione Ordinis Divi Benedicti*, item *fuper Extravagante* Paftor bonus &c. *Tractatus de profeffione Monachorum* &c. ut conftat ex Catalogo Manufcriptorum Codicum dictæ Bibliothecæ, anno 1686. Lipfiæ impreffo, p. 198. Cod. 18. Cæterum cum inter Urbanum VI. & Clementem VII. Schifma funeftiffimum exarfiffet, Petrus Boherius eo quod Gallus effet, Pfeudopontificis partibus adhæfit. Itaque cum ad caufam dicendam ab Urbano fexto coram aula Romana citatus fuiffet, venireque contempfiffet, tanquam contumax cum aliis rebellibus, anno 1378. honore Epifcopatus Urbevetani fpoliatus eft. Reverfus in Gallias & factus certarum quarundam negotiationum Orator Regius, fcripfit ibidem *Commentarium in Vitas Romanorum feu Summorum Pontificum*, quem vidi MS. in bibliotheca Sancti Victoris Parifienfis Canonicorum Divi Auguftini Regularium, littera BBB. 15. a folio 155. ad 243. Itemque in Colbertina Cod. 736. pag. 58. Dedicatur ille Carolo VI. Francorum Regi, poft exortum fchifma inter Clementem feptimum & Urbanum fextum, cujus hic titulus eft: *Carolo Chriftianiffimo Principi, Deique gratia Francorum Regi, Petrus Boherius Serenitatis tuæ humilis Sacellanus, tuusque Orator minus idoneus, pacificare militantem Ecclefiam, mererique meritis triumphantem. Dignus es Domine mi Rex, accipere librum & folvere fignacula ejus* &c.

ejus &c. Mortuus est Sacellanus Regius post annum 1380. sed, quonam anno, non constat. De illo ejusque Scriptis mentionem faciunt, Conradus Gesnerus in Bibliotheca Scriptorum p. 667. Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 2. fol. 242. Ferdinandus Ughellus tom. I. *Italiæ Sacræ* colum. 392. in Episcopis Urbevetanis. Fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* pag. seu col. 1138. in Episcopis Vasionensibus.

1360 HENRICUS REBDORFIENSIS, Canonicus Regularis Divi Augustini apud Rebdorf, quod elegans Instituti ejusdem Cœnobium in Germania ad Almonum sive Altmulium omnem extitit, hac tempestate clarus, scripsit ab anno 1295. ad annum 1363. *Annales continentes Historiam Imperatorum Adolfi, Alberti, Friderici III. Ludovici Bavari, & Caroli IV.* quos habes in Collectaneo *Historicorum Germaniæ*, quod Marquardus Freherus typis Wechelianis Francofurti anno 1600. & sequentibus edidit, tomo 1, p. 411. De illo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 1. p. 530. ultimæ editionis.

1360 PHILIPPUS RIBOTUS, natione Hispanus, patria Catalonus, Ordinem Fratrum Carmelitarum in Conventu Gerundensi professus, claruit ab anno 1368. quo ejusdem Ordinis sui Provincialis in Catalonia factus est. Scripsit *Speculum Carmelitarum Libris X.* ubi de origine & progressu Ordinis sui agit, impressum in folio Venetiis anno 1507. cum *Viridario tribus libris* conscripto, Joannis Grossi Tolosani ejusdem Ordinis, & Tractatu ejusdem Grossi *De Viris illustribus sui Ordinis*, ibidem impressis. Eadem utriusque authoris Opera, edita in folio Antwerpiæ anno 1680. in *Armamentario Carmelitarum*, apud Michaelem Cnobbarum. Narrat autem Henricus Whartonus, dictum *Speculum Carmelitarum* Philippi Riboti haberi manuscriptum in folio in Anglia, apud Bibliothecam Cantuariensis Archiepiscopi Lambethanam, quod calci subjectam habet integram versionem Anglicam antiquam satis, quam Thomæ Scropo sive Bradlæo Dromorensi Episcopo circa annum 1434. deberi, ipsi demonstraverit vir doctissimus, Joannes Battelojus Archidiaconus Cantuariensis. Scribebat autem ille Thomas Scrope sub Eugenio Papa IV, circa annum 1438. cujus honorificam mentionem Johannes Balæus facit in Libro *De Scriptoribus Britanniæ* Centuria 8. cap. 54. Ita ille in Continuatione *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1368. p. 61. Obiit Petrelatæ in Cœnobio sui Ordinis anno 1391. cujus mentionem faciunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 694. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* p. 280. affirmans *Riboti Sermones & Epistolas* typis olim excusas esse, sed editionis annum & locum nequaquam designans, quam nullatenus invenire potui, accurate etiam inquisitam Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 463. p. 267. Petrus Lucius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Carmelitarum*.

PHILIPPUS DE MAZERIIS, natione Gallus, patria seu ortu Ambianensis, quamvis nonnulli *Nobilem Venetum*, alii *Siculum* velint, circa annum 1370. claruit, Regni Cypri Cancellarius, quo nomine seipsum in Opusculis suis designat. Hic cum Sancto Petro Thomæ Archiepiscopo Cretensi Synchronus & Socius aliquandiu extitisset. Suscepit sibi describendam *Vitam hujus Thomæ Cretensis Archiepiscopi seu Petri Thomasii*, quam Joannes Bollandus ad diem XXIX. mensis Januarii tomo 2. p. 995. & sequentibus in lucem produxit, præmissis ad eam Commentariis p. 990. Cum autem Petrus Thomæ seu Thomasius anno 1366. die sexta Januarii obierit, licet ejus festum die vigesima nona ejusdem mensis celebretur: hæc scriptio Philippi Mazerii vix ante annum 1368. confecta censeri potest, quo tempore ipse floruit Cancellarius in Cypro. Imo vix credi potest, tam cito post obitum dicti Petri, hanc Vitam esse compositam. Gregorio autem XI. natione Gallo, patria Lemovicensi, Guillelmi Comitis Bellifortis filio, ad Romanam cathedram anno 1370. die 30. Decembris electo, ac anni sequentis die 5. Januarii coronato, Petrus Mazerius ipsi adhæsit, ejusque Domesticus & Consiliarius factus est; vanam tamen semper Cancellarii Regni Cypri denominationem sibi retinens, ut ex Opusculis ipsius constat. Idem Philippus de Maseriis Miles Picardiæ & Regni Cypri Cancellarius, anno 1372. attulit *Officium Præsentationis B. Virginis Mariæ*, quod integrum cum cantu visitur in Codice MS. Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis, una cum ejus ea de re Epistola ad Christianos Occidentales. Qua narrat temporibus antiquis per universum Orientem Festum beatæ Mariæ Virginis, quando in tertio ætatis suæ anno fuit in templo a parentibus suis præsentata, die XXI. Novembris celebrari solitum, sed in Occidente aut incognitum aut obliteratum fuisse. Illud hoc eodem anno ab ipso Gregorio Pontifici Avenione oblatum, idemque Officium integrum notis Musicis concinnatum, prout in Oriente, ac speciatim in Cypro celebrabatur. Officium Pontifex lætanter acceptum, nonnullis Cardinalibus & Episcopis atque Doctoribus examinandum commisit: qui post maturam deliberationem concessit, ut prædicta solemnitas Præsentationis Beatæ Mariæ, deinceps publice in Ecclesiis fieret, quæ & tunc primum grandi splendore & magnificentia, ibidem Avenione in Ecclesia Fratrum Minorum die Dominica XXI. Novembris anno M CCC LXXII. Indictione X, Pontificatus Gregorii Papæ XI. anno secundo celebrata est, ut diserte tempus ibi consignatur. Ita MS. Codex Victorinus Littera l. 12. a fol. 1. ad fol. 18. ubi 1370

ubi habetur *Opusculum de solemnitate præsentationis B. Mariæ Virginis*, authore Philippo de Mazeriis Cypri Cancellario, qui præ humilitate sese peregrinum subscribebat. Incipit, *Universis in Domino fidelibus maxime Christianis Occidentalibus, Philippus de Mazeriis, Picardiæ Miles infimus, Regni Cypri indignus Cancellarius* &c. Subduntur autem in eodem Codice Victorino duæ Epistolæ Caroli V. Francorum Regis, altera ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ de Meluduno, Senonensis Diœceseos, altera ad Magistrum & Scholares domus Scholarium de Campania Parisiis in Monte Sanctæ Genovefæ fundatæ, hoc est, Collegii Navarrici, data utraque apud Maledunum die 20. Novembris anni 1374. Quibus Rex significans, qua super his Avenione ad instantiam prædicti Philippi de Mazeriis facta fuissent, & quæ pariter apud ipsum Regem idem Philippus de eadem solemnitate disseruisset: ait se vehementi gaudio ea suscepisse, & illud officium in sua Capella solemniter celebrari fecisse, atque, ut idem fieret, per universum Regnum statuisse ad gloriam Beatæ Virginis: cum nihil sit post Deum, utilius memoria Matris ejus. Hæc nos verbotenus paucis additis ab Henrico Spondano in Continuatione Annalium Cæsaris Baronii ad annum 1372. num, 9. ubi plura subjungit ad probandam hujus solemnitatis Marianæ decentiam, honestatem, antiquitatem, quæ potissimum desumpta sunt ex Græcis Scriptoribus, omnium istarum Beatæ Mariæ festivitatum inventoribus. Ab aula autem & familia Gregorii XI. transiit ad aulam & familiam Caroli V. Francorum Regis, cujus non Domesticus tantum, sed Consiliarius intimus fuit. Incertum tamen mihi, quonam anno hoc contigerit, utrum anno 1376. quando Avenione relicta Romam Gregorius XI. cum omni Cardinalium Collegio reversus est: utrum post mortem tantum Gregorii Papæ XI. quæ Romæ anno 1378. die XXVII. Martii contigit. Cæterum mentem quoque cum Domino & familia mutavit Philippus de Mazeriis, ex injuria forsitan aliqua a Pontifice accepta, ad id inductus. Scripsit enim, sed sub nomine *Philothei Achillini Consiliarii Regii* larvato, adversus iniquam Pontificis Romani ambitionem & tyrannidem Opus insigne, *Somnium Viridarii* dictum, seu *Libros duos de potestate Regia & Sacerdotali, in forma Dialogi inter Clericum & Militem* compositos: quod Parisiis primum, sed valde mendosum, anno 1516. apud Ascensium prodiit, integrum vero & emendatum exhibetur a Melchiore Goldasto tomo 1. *Monarchia Sancti Romani Imperii* p. 58. Dignissimus omnino lectu Liber, de cujus authore postquam Goldastus multa ipsa in Dissertatione tomo huic præfixa disseruit, authorem tandem non infimis conjecturis vel præsumptionibus detegit *Philippum Mazerium*, Gallice *de Maizieres*, Cypri Cancellarium, primumque Ministrum Aulæ Pontificiæ Gregorii undecimi, deinde Ministrum aulæ Regiæ Caroli V. Galliæ Regis. Erubuit proprium Operi huic nomen apponere, ne insolentiæ atque inconstantiæ argueretur, quippe qui Romanam sedem ejusque authoritatem pro viribus deprimeret, quam antea summe extulerat, studiisque ac laudibus prosequutus fuerat. Denique Mazerius aula Caroli V. Francorum Regis derelicta, in Cœlestinorum Parisiensium Monasterium secessisse dicitur, ubi vitam in pietate simul & tranquillitate animi exegit, a Carolo tamen adhuc de gravissimis regni sui rebus interdum consultus. Agunt de *Philippo Mazerio* Josias Simlerus, p. mihi 573. *Bibliotheca Gesneri*, Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* p. 279. Joannes Bollandus tomo 2. mensis Januarii, p. 990. Henricus Spondanus in Continuatione *Annalium Baronii* ad annum 1372. numero 9. Vincentius Flaccius in Catalogo *Pseudonymorum* p. 135.

GREGORIUS PAPA XI. ex Malomonte dioecesis Lemovicensis oriundus, post Urbanum V. anno 1371. die penultima mensis Decembris Avenione in Romanum Pontificem electus, & die IV. mensis Januarii subsequentis Presbyter ordinatus, postero die consecratus & coronatus est. Hic antea Petrus Rogeri vocabatur, cujus pater erat Guillelmus Comes Bellifortis, nepos autem extabat Clementis Papæ sexti, ex Joanne Rogeria sorore: unde contigit, ut a dicto Clemente VI. Papa Sanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinalis anno ætatis duntaxat XVII. factus sit, & ad Baldum tunc temporis Perusii legentem missus, ut in scientia Juris, quæ tunc in magno pretio erat institueretur. Anno 1372. procuravit transferri Avenione corpus Urbani Papæ V. ad Abbatiam Sancti Victoris Massiliensis, in qua vivens perpetuam suam sepulturam elegerat, concomitantibus ipsum Cardinalibus sex ab ipso designatis: fecitque Deus eo tempore multa, magna & stupenda obtentu meritorum ejus miracula, uti & antea a die obitus sui fecerat, ac postmodum & in futurum continuavit. Anno 1375. die XX. mensis Decembris Cardinales novem novos curavit, octo Presbyteros & unum Diaconum. Eodem anno 1375. Joannam Neapolis & Siciliæ Reginam anathemate percussit ob levem seu nullam causam, nempe quod ipso intercedente, crimen proditoris cujusdam condonare noluisset. Anno 1376. Gregorius Florentinos in Ecclesiæ libertatem contumeliosos anathemate percussit, quippe qui alios ad excutiendum Ecclesiæ jugum excitassent exemplo suo. Isti nihilominus Pontificis fulmina temnentes, sub pœna capitis infligenda, Clericos ad officia Ecclesiastica compulerunt. Anno 1376. die 13. Septembris idem Avenione secessit iter versus Romam suscepturus cum Dominis Cardinalibus, sex tantum exceptis, qui illic ob negotia remanserant. Ingressus mate

mare apud Massiliam, & iter prosecutus, atroces in mari tempestates passus, appulit Cornetum, ubi festum nativitatis Domini & sequentia festa celebravit. Hinc egressus, navigando fauces Tyberis intravit, & die 17. Januarii anni 1377. Romam equitans ab Ecclesia Sancti Pauli ingressus est, magnis Italorum acclamationibus & gaudiis, qui pastorem tam diu absentem luxerant, magno Romæ urbis dispendio atque detrimento. Ipse plurimum dilexit suos, præsertim patrem, fratres & nepotes, & alios ex genere suo seu familia prodeuntes, quos licet de novo non exaltaverit, cum antea satis ab avunculo suo Clemente VI. sublimati fuissent: ipsos tamen in statu suo conservavit, secumque tenuit, quorum consilio & instigatione & favore multa fecit, in promotionibus præsertim nonnullorum, quibus sufficientiores in moribus & scientia forsitan reperiri potuissent. Obiit Romæ anno 1378. die 27. mensis Martii, cujus corpus primo delatum est ad Ecclesiam Sancti Petri, & ibi solemnibus pro eo exequiis celebratis, sequenti die ad Ecclesiam Beatæ Mariæ novæ, in qua prius Cardinalis intitulatus fuerat, defertur. Ita anonymus Scriptor vitæ ejus, qui col. 442. apud Baluzium de Vitis Paparum Avenionensium his illum commendat. *Fuit tamen alias multum virtuosus Deo & beatæ Mariæ Virgini singulariter devotus, quibus preces assiduas omni die cum magnis fervore & intentione effundebat. Fuit insuper pauperum & afflictorum pius sustentator, consolator, & largifluus benefactor. Dilexit etiam singulariter viros litteratos, multosque ex ipsis suo tempore promovit & exaltavit.* Ut autem notat Baluzius col. 1061. varia eum sacerdotia seu beneficia habuisse, antequam Summus Pontifex fieret. Certum est, ex more nimirum illorum temporum, quibus multa Cardinalibus conferebantur, ut dignitatum suarum onera supportare possent. Ex Epistolis ejus & ex Magno Chronico Belgico liquet, illum fuisse Canonicum Narbonensem, Archidiaconum Rothomagensem, & Præpositum Sancti Salvatoris Trajectensis. Archidiaconum quoque fuisse Cantuariensem, docet Chronica Willelmi Thorn p. 1084. Et Bituricensem, Joannes Chenu in *Chronologia Archiepiscoporum Bituricensium*. Eundem fuisse Archidiaconum Selliacensem & Canonicum in Ecclesia Aurelianensi, inquit Carolus Sanssejus Lib. 13. ann. Ecclesiæ Aurelianensis cap. 16. Regesta Epistolarum ejus MSS. extare dicuntur in archivis Ecclesiæ Romanæ in Laterano, ex quibus nonnullæ impressæ inveniuntur, nempe *Epistola V.* Conciliorum Tom. XI. col. 2037. & seqq. *Alia X.* apud Bzovium ad annum 1372. &c. *Alia XCVII.* apud Waddingum in Annalibus Minorum tom. IV. ad annum 1371. &c. *Alia CXII.* ibidem in Regesto Pontificum p. 103. Auctor appendicis ad Chronicon Ptolomæi Lucensis, multa eum doctrina commendatum scribit. *Hic enim dum esset annorum circiter septendecim, Sanctæ memoriæ Clemens VI. ejus patruus eum in Diaconum Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ assumpsit. Et ne carni & sanguini acquievisse videretur, continuo eum excellentissimis Doctoribus juris utriusque, & aliarum scientiarum generibus profecit, ut non modo mediocris, sed eminentissimæ scientiæ Doctor a cunctis haberetur. In tautumque culmen & famam doctrinæ evasit, ut a famosissimis Italiæ Doctoribus a Baldo præcipue de Perusio, in cathedra legente jus civile, ejus opiniones & dicta adducerentur in medium, sæpiusque ejus dicta allegaret, dicens*, Dominus noster in hac lege sic dicit, *intelligens de Domino Gregorio XI. cujus scripta non ad mediocres solum, sed ad eruditissimos jam pervenerunt. Vitæ etiam innocentissimæ fuit, placidus in moribus, & super omnes humilis & devotus, vultu pallidus, & complexionis admodum delicatæ.* Idem testatur Ægidius de Bellamera decis. 752. & Theodoricus a Niem in tractatu VI. *Nemoris unionis* cap. 39. apud Baluzium in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1234. quem videas. Extant *Epistolæ VIII.* Gregorii XI. in Collectaneo ad Vitas Paparum Avenionensium col. 775. & seqq. ex editione Baluzii, qui tomo 1. profert vitam illius ex variis auctoribus. col. 425. & 451. ex anonymis, col. 478. ex appendice Ptolomæi Lucensis, col. 481. auctore Petro de Herentoll Priore Floreffiensi. Et in Notis col. 830. 1234. 1222. 1224. 1225. quem virum sanctum vult col. 1202. cujus laudes 1060. & 1473. profunda autem scientia & eruditio 1234.

GALLUS AULÆ REGIÆ ABBAS, Ordinis Cisterciensis in Bohemia juxta Pragam Metropolim, circa annum 1370. clarus. 1370
Scripsit *Malogranatum*, cujus initium, *Fili accedens ad servitutem Dei* &c. scriptum autem est per formam Dialogi, cujus titulus, *Dialogus dictus Malogranatum, in tribus Libris distinctus, interloquutoribus Patre & Filio.* Agit autem Lib. 1. *De statu incipientium*, Libro 2. *De statu proficientium*, & Lib. 3. *De statu perfectorum.* Impressus autem in Germania anno 1481. in 4. atque iterum 1487. in folio, nomine & loco typographi suppressis. De *Gallo* hujus Operis Scriptore Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum* p. 254. Antonius Possevinus tom. 1. *Apparatus sacri* p. 614. Carolus Wischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* p. 117. cum aliis.

JORDANUS DE SAXONIA, cognomento *de Quedelinburg* vel *Quedelinberg*, natione Germanus, ex Ordine Eremitarum divi Augustini, de cujus laudibus multa paucis complectuntur Josephus Pamphilus Signinus Episcopus in *Chronicis Ordinis Eremitarum D. Augustini* Ambrosius Coranus hujus Ordinis Generalis Præpositus, in *Chronico Ordinis* parte 2. & Elsius in *Encomiastico Augustiniano*, verbo *Jordanus*. Claruit ab anno 1350. ad 1380. quo eum mortuum 1370

mortuum Historici volunt. Scripsit *Summam Sermonum de Dominicis per totum annum*, impressam Argentorati in fol. anno 1483. incipientem, *Jordanis ripas alvei &c.* alludens haud dubie ad nomen suum *Jordani.* Item *Tractatum de Passione Domini*, cujus initium, *Inspice & fac secundum exemplar &c.* ibidem inter Sermones injectum, ad feriam sextam Parasceves. *Opus Sermonum de Sanctis* incipiens, *Dan Catalus Leonis &c.* impressum Parisiis anno 1521. in 4. apud Danielem Hicman. Ibidem ad calcem insigne opus, *De quadruplici communione*, seu *de quatuor communionibus, quæ sunt necessariæ profitentibus vitam monasticam.* Opus olim inscriptum, *Vita fratrum*, sed meo quidem sensu male, cum in hoc Opere de fratribus sui Ordinis parce admodum agat: plene autem ac semper de moribus componendis & regulariter instituendis. Item *Beati Jordani de Saxonia Ordinis Eremitarum S. Augustini, de Vitis fratrum ejusdem Ordinis* Libri IV. quos cum Notis edidit Leodii typis Christiani Ouwerx 1625. in 8. Augustinus Sabothius Ordinis Eremitarum S. Augustini Antwerpiensis, Trajecti ad Mosam atque alibi Divini verbi præco celebris, ut habes apud Valerium Andream in *Bibliotheca Belgica* pag. 95. editionis 1643. Lovanii in 4. verbo *Augustinus Sabbothius.* Porro Jordani de Zuedlenburgh opera fere omnia extant MSS. in Bibliotheca Publica Ultrajectina, ut constat ex Catalogo illius parte 1. litera 1. in MSS. Codicibus pag. 96. editionis 1670. Ultrajecti in folio. Nempe Jordanus *de Vitis fratrum Heremitarum Ordinis Sancti Augustini* Num. 259. C. *Jordani de Quedlenburch Articuli LXV. passionis JESU CHristi*, Num. 244. C.C. Ejusdem *Sermones de tempore per hiemem* Num. 254. S. Ejusdem *Pars secunda postillarum Evangeliorum Dominicalium* num. 255. i. Item scripsit *Collectaneum quoddam ad suos fratres Augustinianos Eremitas Parisienses*, MSS. in Bibliotheca dictorum Augustinianorum Maioris Conventus ad Pontem novum, quo recte *Collectaneum* seu *Speculum Augustinianorum* appellaretur. Incipit, *Quia juxta dictum Sapientis, ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant: hinc est quod ego Frater Joannes de Saxonia, dictus de Quedlinberg, inter Scholares Parisienses minimus &c.* Continet post Jordani præludium, Sermones Divi Augustini 22. ad fratres in Eremo, ordine parum diverso ab editis, sub titulis iisdem. Item Sermones 4. ad Presbyteros Hipponenses, Sermones 6. ad Populum, omnes ex variis Divi Augustini locis desumptos. Hos sequuntur Tres Regulæ Divo Augustino passim attributæ, dein Vita Sancti Augustini, cum duabus Reliquiarum ejus translationibus, & supputatione temporum, cum præconiis illius variorum Scriptorum: denique *Vita S. Monicæ ex Scriptis divi Augustini*, qualem exhibent Successores Bollandi ad diem 4. Maji. Creditur esse ejusdem Magistri Jordani *Chronica, qualiter Romanum Imperium translatum fuit ad Germanos*, Basileæ anno 1559. in 8. impressa apud Oporinum cum Æneæ Sylvii Tractatu *de ortu & authoritate Romani Imperii*, ad Fredericum Romanorum Regem. Sed falso, nam istud Opus spectat ad alium *Jordanum*, qui circa annum 1290. scribebat, ut supra ad annum 1290. diximus. Obiit Jordanus Viennæ Austriæ anno 1380. ibique sepultus jacet. De illo Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum* p. 517. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 471. p. 269. Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano* satis pueriliter p. 411. & alii de quibus supra.

THEOPHANES NICÆNUS ARCHIEPISCOPUS, natione Græcus, circa annum 1370. floruisse mihi videtur, licet tempus ejus determinatum, quo huic sedi Metropolitícæ præfuit, designare non possim. Id colligimus ex Symeone Thessalonicensi Archiepiscopo, qui in *Dialogo adversus hæreses*, illius post Nicolaum Cabasilam qui anno circiter 1350. in vivis erat, mentionem facit; & ante Isidorum Thessalonicensem Archiepiscopum qui circa annum 1390. floruit. Medium itaque tempus inter utrumque, Theophani Nicæno Metropolitæ cum Symeone Thessalonicensi assignavimus, cujus honorifice his loco citato meminit verbis. Τῶν δὲ Πατέρων αἱ ἱερόταται συγγραφαὶ, καὶ ἔτι τοῦ μακαρίου Καβάσιλα, τοῦ τὴν καλὴν νίκην ἐπὶ εὐσεβείᾳ καὶ ἁγιότητι βίου συστησαμένου Νικολάου κατὰ τὴν κλῆσιν. καὶ Θεοφάνους δὲ τοῦ Νικαίας ἄλλου σοφοῦ καὶ ὁμολογητοῦ νέου, καὶ Ἰσιδώρου Θεσσαλονίκης οὐδὲν ἀπολιπομένου τοῦ σοφοῦ τὰ θεῖα Πηλουσιώτου ἐκείνου, καὶ ὁμώνυμα τὰ τῆς εἰρημένης αἱρέσεως ἀκριβῶς παριστῶσιν. *Quorum Patrum divinissima Scripta, insuper & beati illius Cabasilæ, qui ob pietatem & vitæ integritatem, a victoria præclara nomen obtinuit Nicolai. Et Theophanis quoque Nicæni, sapientis novique Homologetæ, & Isidori Thessalonicensis in divinis rebus componendis præclarissimi, qui Pelusiota antiquo in nulla re inferior fuit: qui omnes de dicta hæresi sagaciter & ad vivum pervestigant atque expendunt.* 1370

Ejus extant in Bibliotheca Vaticana Græce MSS. *Libelli duo seu Epistolæ*, prima doctrinalis quidem *ad Sacerdotes & alios suæ Diœceseos Clericos, ostendens, quodnam sit negotium Sacerdotii & qualem oporteat esse, eo factum dignum.* Item altera *ad Nicænos, qualem deceat esse Christianum, ubi etiam docet, fugiendam esse omnem consuetudinem eorum, qui cum Acindyno non sentiunt, non minus quam Judæorum.* Ista Theophanis Nicæni Archiepiscopi Opera ex Græcis Latina Romæ edita sunt anno 1590. in 8vo apud Franciscum Zanettum, cura & studio Gonsalvi Poncii Legionensis. Nimirum primo, *Epistola ad Nicænos docens, qualem esse oporteat verum Christianum, contemptorem rerum omnium præsentium, tam jucundarum quam molestarum* fol. 1. Item ejusdem *Epistola de patientia*

tientia & longanimitate, ad omnes Christianos, qui ab eo pascebantur. fol. 35. Denique *Epistola Doctrinalis ad Sacerdotes & reliquos Sanctæ Ecclesiæ suæ Clericos, ostendens, quantum sit Sacerdotii munus, & qualis esse debeat in Sacerdotio constitutus:* quarum duas diximus supra, fuisse Romæ in Vaticana manuscriptas. Sane & Theophanis quidem Hiponorum meminit Theodorus Prodromus, sed alterius longe isto antiquioris, qui Seculo IX. floruerit, atque ætate S. Theodori Studitæ claruerit. Idem autem noster hic de quo loquimur Theophanes, scripsit grande *Opus adversus Judæos*, quod extat MSS. Græce Romæ inter Libros Francisci Turriani, quos illic Collegio Soc. Jesu reliquit, quando illam ibi professus est Analysim summa cura hujus MSS. Operis exhibet Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Theophanes Nicænus Episcopus* p. 470. his verbis.

„ Porro Operis Theophanis contra Judæos „Liber primus prioris tomi, demonstrat, eos, „qui nunc Judæi appellantur, ex nulla parte ad „Judæos veteres pertinere, neque fide in Deum, „neque Dei cultu, neque genere, neque lingua „& id circo non esse nomine Judæorum ap„pellandos.

„Ejusdem contra eos Liber secundus, in quo „demonstratur non propter aliud Judæos in „ea mala in quibus nunc sunt, incidisse, nisi „propter solam impietatem: & quod Lex Mo„sis tanquam quæ non possit hominem perfi„cere secundum animam, abrogata est a Deo, „& data altera Evangelica excellentior & per„fectior.

„Ejusdem contra eosdem Liber tertius pri„oris tomi, in quo demonstratur, non esse aliam „legem pro Vetere datam, nisi Evangelium „Christi: quod quidem Evangelium, ex mira„culis Christi, quæ tunc facta sunt, & quæ in o„mni Christi Ecclesia nunc fiunt, fidem habet „& authoritatem irrefragabilem.

„Ejusdem contra eosdem Liber quartus pri„oris tomi, in quo demonstratur a Deo datum „esse Evangelium, vel ex eo, quod omnes „homines Græcos & barbaros potuit a vita „ferina ad vitam Evangelicam traducere: „quod quidem Lex vetus nequaquam pote„rat. Idem ex Judæorum una expeditione „Messiæ.

„Ejusdem contra eosdem tomus secundus, „in quo Evangelium comparatum cum Lege, „demonstratur longe excellentius esse in o„mnibus, & quod solum uniat & assimilet „Deo homines, quantum homines consequi „possunt, quod est ultimum bonum & vera „beatitudo.

„ Secundi tomi Liber primus, in quo de„monstratur, Theologiam Evangelii, excellen„tiorem esse & perfectiorem Theologia vete„ris legis: & quod Prophetæ non solum divina „inspiratione edocti fuerunt, sed etiam aliis non mediocriter ejus secreta aperire voluerunt,„ quantum capere poterant tunc, qui erant,„ mente purgata.„

Ejusdem contra eosdem tomi secundi Li-„ ber secundus, in quo demonstratur adhuc„ Theologiam Evangelii & rerum Divinarum,„ sapientiam, multo majorem esse Mosaica, vel„ ex præmio virtutis, quia scilicet Lex vetus„ bona terræ tantum promitteret & daret: E-„ vangelium vero, Dei visionem & regnum. I-„ tem de Oratione, & quod Prophetæ sancti„ per omnia cernantur vitam suam ad Leges &„ regulas Evangelicas dirigere.„

Ejusdem contra eosdem tomi secundi Li-„ ber tertius, in quo demonstratur, Sapientiam„ Evangelii altiorem & sublimiorem esse Veteri„ Testamento, idque ex virtutibus moralibus,„ quibus ornat animam: potissimumque ex„ charitate erga Deum & proximum, & quod„ Prophetæ his virtutibus fuerunt præditi.„

Porro adhæc ejusdem *Symphonia Veteris &*„ *Novæ Scripturæ adversus Judæos*, continet,„ quod Prophetæ futurum Gentium conversi-„ onem ab idololatria ad Deum, clare appellant,„ cognitionem Dei, id est pietatem cap. I.„

Quod omnes Gentes ascensuræ erant in„ Hierusalem, & adoraturæ Deum illic, & quod„ inde mandata ejus discenda erant. cap. 2.„

Quod ex Hierusalem egressura erat Lex æ-„ terna, & danda omnibus hominibus, Judæis„ & Gentibus: ita ut deinceps Lex vetus de„ medio sublata esset. cap. 3.„

Quod Prophetæ Christum aperte confessi„ sunt Deum cap. 4.„

Quod Christus Dominus quoque dictus„ est a Prophetis, quod idem valet atque Dei„ nomen: & quod unus idemque est Deus &„ homo. cap. 5.„

Quod Prophetæ similiter atque Evangeli-„ um, Christum dicant etiam Dei filium legi-„ timum ex substantia ejus, qui eum genuit, ge-„ nitum & dilectum. cap. 6.„

Quod Prophetæ Christum ex Virgine na-„ tum prædixerunt & in Bethleem, concorditer„ Evangelio. cap. 7.„

Concordia Prophetarum cum Evangelio„ de tempore, quo venit ad nos Christus cap. 8.„

Hic demonstratur quemadmodum Pro-„ phetæ cum Evangelio consentientes, ex Se-„ mine Abraham & ex tribu David, Christum„ proficisci dicunt. cap. 9.„

. Quomodo Prophetæ concordantes cum„ Evangelio, prædixerunt Epiphaniam Domini„ & de Divinitate ejus testimonium cæleste vo-„ cis paternæ, & miraculorum ejus. cap. 10.„

De eo, quod sponte sua venit ad Passionem„ Dominus & Salvator noster, & de ingressu il-„ lo novo & inaudito in Hierusalem, & de mira-„ culis tunc factis, quomodo hæc Propheta Ev-„ angelice prædixerint. cap. 11.„

Quomodo Prophetæ concordantes cum„ Evangelio, prædicant singillatim Passionem„ Domi-

„Domini, & quæcunque in ea ausi sunt, qui „Deum occiderunt: & quæ tunc miracula fa„cta sunt. Epilogus.

„Quod post Passionem & Mortem, Salvator „noster tertia die resurrexit a Mortuis. cap. 12.

„ Quod assumptus est in cœlum, post Re„surrectionem, & sedet ad dextram Dei Patris. „cap. 13.

„ De Spiritu Sancto e cælo Apostolis misso, „& per eos effuso in omnes in Christum cre„dentes cap. 14.

„ De prædicatione Apostolorum in cuncto „orbe cap. 15.

„ De vocatione Gentium & subjectione ea„rum sub Christo. cap. 16.

„ De baptismo Salutari cap. 17.

„ De erectis in toto orbe Sacris Aris. cap. 18.

„ Quod minor pars Judæorum, quæ in Chri„stum credidit, anima & corpore servata est, „calamitatis Hierosolymitani mala evadens. „cap. 19.

„ Quod maxima pars Judæorum in perfidia „remanens, periit anima & corpore, a Roma„norum exercitibus consumpta. cap. 20.

„De frangendis & delendis omnino idolis, & „de sanctis imaginibus eorum loco habendis. „cap. 21.

„ De Cælesti Hierusalem, patria omnium „Sanctorum. cap. 22.

„ Hic demonstrantur Prophetæ concorda„re cum Evangelio, etiam in Mysterio commu„nis Resurrectionis hominum, & adventus ter„ribilis in terram Christi Dei & hominis, Judi„cis & Regis omnium, & Judicii ac remunera„tionis factorum cujusque, & mutationis Uni„niversi. cap. 23. Hæc Possevinus de magno illo opere Theophanis Nicæni Archiepiscopi contra Judæos, quod habuit apud se olim. Extant quoque Excepta ab his Libris facta a Mathusala Monacho Sancti Montis Sinai, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MSS. Philosophico Græco LXVIII. num. 8. ut habet Lambecius Lib. VII. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 112. his verbis.

„ Octavo & quidem a fol. 104. pag. 1. usque „ad fol. 114. pag. 2. *Ex Theophanis Metropoli„ta Nicani Libro quarto contra Judæos, Ecloga „sive excerpta Mathusala Monachi de Processio„ne Spiritus Sancti ex solo Patre:* quorum titu„lus & principium. Ἐκ τῶν Θεοφάνȣς τȣ̃ „Μητροπολίτȣ Νικαίας δ' λόγȣ ἐκλογαὶ Μαθȣ„σαλᾶ τȣ̃ ἀσκητȣ̃. Τοῖς προσηκόσι καὶ ὑπε„ραγωνιζομένοις τῆς κατ' εὐσέβειαν ἀληθείας „&c. Ἐπεὶ δὲ νῦν ὁ λόγος ἡμῖν περὶ τȣ̃ ἁγίȣ „Πνεύματος, εἰ ἐκ μόνȣ τȣ̃ Πατρὸς, ἢ κὰκ τȣ̃ „Υἱȣ̃ ἐκπορεύεται, ὡς ἡ Θεολογία βȣ́λεται τῶν „Λατίνων &c. Vide quoque Philippi Labbei „Soc. Jesu *novam Bibliothecam Manuscripto„rum librorum* pag. 91. ubi refert *extare Theo„phanis Nicani Metropolita contra Judæos Li„bros sex in Bibliotheca Regia Parisina Manuscriptis Codicibus* 788. & 1806. Item *Dispu„tatio Theophanis Orthodoxi cum Bartarmita & „cum Theotimo qui ab opinione Barlaamitana„ recesserat* in Codicibus Regiis 1408. & 1379. „Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, „in MSS. Barroccianis Codice 193. extant, „Theophanis Episcopi Nicæni *De lumine viso, „ab Apostolis in monte Thabor, Libri quinque.* ὁ „μὲν σκοπός ἐςι τῆς πραγματείας. Ejusdem, „ut videtur, Epistola de Trinitate.. Τοῖς προ„μικρȣ̃ μοι σαλȣ̃σι. Ejusdem adversus Lati„nos libri tres Πολλῶν λογισμῶν τε καὶ ὑψωμά„των. Ejusdem, liber de B. Virgine & de My„sterio Incarnationis. Εμοι μὲν ἐπῄει πολλάκις. „Agunt de Theophane isto Antonius Possevi„nus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Theopha„nes Nicea Episcopus* p. 470. Petrus Lambe„cius Libro 7. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 112. Et in Catalogo secundo Scriptorum hujus tomi, pag. 321. Mathusala Monachus Montis Sina, MS. in Bibliotheca Citata, qui anno mundi 7056. hoc est Christi 1548. Excerpta sua contra Latinos, plurima tunc ex antiquioribus Græcis conscribebat.

NILUS METROPOLITA RHODIUS, di- 1370
ctus Damila, hostis Latinorum apertus, circa annum 1370, floruisse mihi videtur, atque adhæsisse tunc prævalentibus apud Græcos Gregorii Palamæ Thessalonicensis Archiepiscopi Hæresibus ac somniis, quem cum aliis Nilis recenset Leo Allatius in Dissertatione sua *de Nilis* cap. 16. Scripsit *Orationem insignem in Sanctam Matronam ex insula Chio oriundam*, quam Græce & Latine idem Allatius edidit. Item *Enarrationem Synopticam, de novem Synodis*, computans pro nona legitima, eam quæ sub Joanne Palæologo Andronici filio, errores Palamæ tuita est. Habetur istud opus tomo 2. *Juris Canonici Veteris*, pag. seu col. 1161. Ejusdem *de versibus Anacreonticis* opus Manuscriptum Græce, in Bibliotheca Regia, Codicibus 901. & 1727. Cum autem Leo Allatius testetur eum fuisse addictissimum Ecclesiæ Græcæ opinionibus, inde nonnullis placet, illum esse unum & eundem hominem cum Nilo Damyla Hieromonacho, atque olim in Monasterio Cercossenorum Patre Spirituali, de quo idem Allatius in Dissertatione sua *de Nilis* cap. 9. pag. 40. cujus *Tractatus ad Maximum & præcepta de servanda recta fide*, item Περὶ τῆς ἐν τῇ Θείᾳ Τριάδι τάξεως, *De ordine in divina Triade, De processione Spiritus Sancti & nonnullis aliis quæstionibus* Codice 1290. Item *ejusdem Collectanea ex Sanctissimis Patribus de Processione Spiritus Sancti*, in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 1819. Sic Labbeus de *Nilo Damyla*, nec est aliud quod ab Allatio expectes, qui nec Codices vidit, nec examinavit. Utrumque tamen distinguit Henricus Wharton in *Supplemento* Historiæ Literariæ Guillelmi Cavi, ubi Nilum quidem Rhodi Metropolitam ad annum 1360.

pag. 46.

p. 49. assignat, & Nilum Damylan ad annum 1400. p. 73. quem vide. De Nilo autem Damila plurimis Leo Allatius Libro 2. *de consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 18. paragrapho 10. col.
„859. “Nili Monachi Damilæ περὶ τῆς ἐν τῇ
„θείᾳ τριάδι τάξεως, καὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου
„πνεύματος, καὶ ἄλλων τινῶν ζητημάτων. *De*
„*ordine in divina Triade, & de processione Spiri-*
„*tus Sancti, & aliis nonnullis quæstionibus*, MS.
„in Bibliotheca Vaticana, cujus Excerptum
„Græce & Latine exhibet Leo Allatius Libro
„*adversus Hottingerum* cap. 19. pag. 441. Ejus-
„dem aliud Opus est MS. sub hoc titulo in Bi-
„bliotheca Regis Christianissimi, ἔκθεσις πά-
„ρα τῶν Θείων γραφῶν συναθροισθεῖσα Νείλου ἱερο-
„μονάχου, Δαμυλᾶ τοῦ κατὰ κόσμον ὀνομαζομένου,
„πρὸς τοὺς ἀντιλέγοντας, ὅτι τὸ πανάγιον πνεῦμα
„οὐκ ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἀλλ' ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ
„υἱοῦ ἔμεινε δ' ἐν τῇ μονῇ, τῆς ἱερᾶς πέτρας τῶν
„καρκασινῶν, εἰς τὴν κρήτην. *Collectanea ex Sa-*
„*cris literis per Nilum Hieromonachum, Damilam*
„*in seculo dictum, ad eos qui contradicunt, Sanctis-*
„*simum Spiritum non ex Patre procedere, sed ex*
„*Patre & Filio. Vivebat autem in Monasterio Hieræ*
„*Petræ Careasinorum, in Creta insula.* Principium.
„Τῷ εὐλαβεστάτῳ ἐν χριστῷ πατρὶ καὶ ἀδελφῷ σο-
„φωτάτῳ τε καὶ λογιωτάτῳ κυρίῳ Μαξίμῳ, τῷ ἀ-
„πὸ Γραικῶν ἔχοντι τοῦ γενοὺς σπορὰν, Ἰταλὸς ὁ ἁμαρ-
„τωλὸς Νεῖλος. An Opus idem cum superio-
„re, hæreo, cum neutrum viderim. Ex ver-
„bis tamen tituli, si quid conjicere licet, Opus
„hoc secundum, pro Latinis contra Græcos
„scriptum fuisse videbatur. Idque maxime
„credideram, cum Nilus iste Italum se esse fa-
„teatur: quamvis non nesciam, multos Italos
„ut etiam alibi scripsimus, in hoc argumento fa-
„visse Græcis. Ut certiora tamen traderem,
„consului de hac eadem re, virum humanissi-
„mum Aubertum, quæ vero ille respondit, hæc
„sunt. *Quo tempore vixerit & scripserit, de eo*
„*in illa συνθέσει nec verbum quidem, quæ tota ad*
„*refutandum Latinorum dogma de processione*
„*Spiritus Sancti comparata est: respondetque E-*
„*pistolæ Maximi, quæ multis in eam rem addu-*
„*ctis sanctorum Patrum auctoritatibus, illud as-*
„*seruerat. Quia vero Maximus coram multis*
„*inter confabulandum Nilo dixerat, a tempore*
„*Damasi Papæ, qui Synodo quidem secundæ haud*
„*interfuit, sed eam literis suis comprobavit ac fir-*
„*mavit, seniorem Romam illud ipsum dogma ad*
„*sua usque tempora tenuisse: inde occasionem su-*
„*mit Damylas, illius refutandi.* Subjicitur pro-
„inde in MS. Codice titulus, Περὶ Δαμάσου Πά-
„πα, καὶ ὅτι ὁμόπιστος ὑπῆρχεν ἡ πρεσβυτέρα
„ῥώμη μέχρι καὶ τῶν ἡμερῶν χριστοφόρου τοῦ πά-
„πα, ὡς προϊὼν ὁ λόγος δηλώσει. *Quo finito, se-*
„*quitur alter.* Περὶ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς, τῆς
„ἐπιλεγομένης πρώτης καὶ δευτέρας συνόδου, τῆς ἐν
„ταῖς ἡμέραις ἀθροισθείσης Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου
„πατριάρχου, προστάξει βασιλικῇ κατὰ Νικολάου
„τοῦ τότε πάπα ἐν Ῥώμῃ. *Hi duo tractatus in In-*
„*dice Librorum Regiorum, ita notati sunt, ut di-*
visi esse ab illa συνθέσει credantur, & Anonymi „
cujusdam: cum ex verborum serie pateat, esse Da- „
mylæ, iisque claudi Synthesim. Cum postea „
hosce duos postremos Tractatus, humanitate „
Francisci Combefis, cujus in Sanctos Patres Græ- „
cos studia omnes admirantur, ex Bibliothe- „
ca Regia Parisiensi accepissem, eosque percur- „
rissem: in ultimo Nilum circa hæc eadem tem- „
pora vixisse comperi, namque ait. χίλιοι γὰρ „
τετρακόσιοι χρόνοι εἰσὶ ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, καὶ ἕως ἄρ- „
τι, ἐν οἷς κρατοῦμεν, καὶ σεβόμεθα ταύτην τὴν ἱε- „
ρὰν ἡμῶν πίστιν. *Mille enim & quadringenti anni* „
sunt a Christo ad hæc tempora, quibus tenemus & „
colimus sacrosanctam hanc fidem. Ex his ulti- „
mis Tractatibus, Excepta varia profert Leo Allatius passim in Opere *de Consensu utriusque Ecclesiæ* Lib. 2. cap. 9. § 5. col. 622. Lib. 3. cap. 2. §. 3. col. 916. & in *Addendis* col. 1375. & 1376. Denique Excerptum ex postremo Tractatu, Græce & Latine, in libro *de Synodo Photiana* cap. 9. p. 179.

JOANNES PALÆOLOGUS, Imperator Orientis, animadvertens Græcorum imperium singulis diebus imminui, contra autem crescere Turcorum, anno 1369. in Italiam ad opem ab Occidentalibus implorandam adnavigat, ad Martinum V. Papam, ubi summa omnium Principum gratulatione exceptus est. Cum autem ante omnia, obsequendum esset Romano Pontifici, ut ab Occidentalibus aliquod subsidium impetrare posset: positus Romæ coram Guillelmo Ostiensi Episcopo, Bernardo & Francisco Presbyteris, & Reimundo Diacono, omnibus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, *Professionem suæ fidei* vere Catholicam & vere Romanam (necessitate tamen urgente ac spe auxiliorum impellente) emisit anno 1369, die 18. mensis Octobris, quam Græce & Latine desumptam ex Registris Papalibus, edidit Leo Allatius Lib. 2. *de consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 17. §. 6. col. 843. & seqq. 1370

FEDERICUS PETRUCIUS, natione Italus, ex urbe Senis oriundus, unde & vulgo *Federicus de Senis* dictus est, claruit ab anno 1360. 1370. & sequentibus, tempore Urbani Papæ V. Gregorii XI. & Urbani VI. Romanorum Pontificum. Eminuit doctrina & professione Juris Canonici, in quo Doctor clarissimus extitit, in tantum ut Cancellariam curiæ Romanæ sibi demandatam habuerit, ut testatur Ægidius de Bellamira postea Avenionensis Archiepiscopus in Prologo *de permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum*, asserens *Collectarium* fuisse contemporaneum suum socium in Cancellaria D. Federici de Senis, & vidisse tractatum, quem idem Federicus edidit *de permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum*, & ex illo tractatu & aliis, quæ in diebus suis in Curia, specialiter contigerunt, collegisse multas quæstiones de materia supradicta, & illas ad singula capita hujus tituli satis impertinenter collocasse: atque ideo ut omnes prædictæ & aliæ occurrentes quæstiones simul & faciliter 1370

ciliter reperiantur, & memoriæ commendentur: eundem Ægidium ordinasse unum Tractatum super his, quem voluit dividi in XII. partes, & in qualibet parte seu titulo, collocavi quæstiones, Hæc Ægidius de Bellamira de Federico de Senis, qui claruit anno 1370. & seq. Commisit autem posteritati famam suam *Volumine Consiliorum*, quod Venetiis in folio impressum annis 1566. 1576. & 1580. Idem edidit tractatum *de permutatione beneficiorum*, cujus meminit loco citato Ægidius de Bellamira, impressum primo Coloniæ Ubiorum 1601. in 8. cum additionibus Lappi Castillionæi Abbatis, & Venetiis 1584. in Collectaneo *Tractatuum Juris* Tomo XV. parte 1. fol. 87. Idem scripsit *de pluralitate beneficiorum*, seu Repetionem in Caput *Dilectus* 2. de Præbendis, impressum in Collectaneo *Repetitionum in frequentiores Juris Canonici partes* tomo 3. quod in fol, Venetiis 2. voluminibus anno 1587. impressum est. Quo anno mortuus sit, mihi non constat, cujus mentionem faciunt Antonius Possevinus Tomo 1. Apparatus Sacri verbo, *Federicus Petrucius Senensis*. Martinus Lipenius in *Bibliotheca reali Juridica* pagg. 104. 386. 390. & 407. Thomas Hidius in Catalogo librorum impressorum Oxoniensis Bibliothecæ, verbo *de Senis*.

1370 ARNALDUS TERRENI, ELNENSIS ECCLESIÆ SACRISTA, natione Ruscinonensis, atque ut credimus vel consanguineus vel nepos Guidonis Terreni, Magistri Generalis Ordinis Carmelitarum, de quo ad annum 1330. supra diximus, ut pote ejusdem patriæ atque cognominis. Claruit anno 1370. & ultra, Doctor Decretorum ut inscribitur in MSS. Codicibus, & Ecclesiæ Elnensis apud Ruscinones Sacrista. Scripsit anno 1373. Avenione, ubi Jus Pontificium seu Canonicum legebat, *Tractatum de mysterio Missæ & horis Canonicis*, quem habes MS. in Bibliotheca Colbertina, Cod. 3037. Item ibidem composuit Summam inscriptam *Quæstiones Magistri Arnaldi Terreni Doctoris Decretorum, Avenione factæ & compilatæ*, MSS. ibidem Codice 6192. Nec vidi quemquam de hoc Scriptore agentem.

1370 ROBERTUS SENECENSIS EPISCOPUS, Ordinis fratrum Prædicatorum alumnus, claruit anno 1376. & sequentibus, promotus ad Episcopatum Senecensem, In cujus Archivis plurima de ipso monumenta habentur. Scripsit *Tractatum de Schismate*, quem habes MSS. in Bibliotheca Colbertina Codice 2761. Idem quoque MSS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4206. incipiens, *Cogitandi mihi* &c. denique Codice MSS. 139. Bibliothecæ seu Thesauri Collegialis Ecclesiæ sancti Martialis Lemovicensis, extat *Tractatus Roberti Episcopi Senecensis, Magistri in Sacra Pagina, Ordinis Fratrum Prædicatorum contra Bartholomæum Antipapam compilatus*, qui fuit Urbanus Sextus Papa legitimus, cui præmittitur *Epistola quædam*, in qua Bartholomæus Prædictus & ejus sectatores reprobantur. Ejusdem etiam Roberti ex Ordine Prædicatorum Senecensis Episcopi, *Speculum morale Regium* ad Regem Francorum Carolum modernum, MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 5372. Incipit, *Serenissime Rex & illustrissime &c.* cujus Codex annorum circiter 300. est. De illo loquuntur sed paucissimis soli Fratres Samarthani, tomo 3. *Galliæ Christianæ* pag. 1013. in Episcopis Senecensibus.

HUGOLINUS MALABRANCA, PRÆPOSITUS GENERALIS ORDINIS EREMITARUM DIVI AUGUSTINI, Sacræ Theologiæ Parisiensis Doctor, in regenda cathedra Gregorio Ariminensi successit, magnoque in pretio Parisiis habitus ob intellectum nitidum & perspicuum ac subtile ingenium. Anno 1368. die 28. Maji, eligitur Avenione Præpositus Generalis totius Ordinis Eremitarum Augustinianorum, quem tribus fere annis rexit, factus anno 1370. ab Urbano V. Episcopus Ariminensis, & Patriarcha Constantinopolitanus titularis. Reliquit varia ingenii sui monumenta, nempe *Commentarium in 4. libros Sententiarum*, *Tractatum de Deo trino*, & alium *de communicatione idiomatum in Christo*, quorum nihil, quod sciam, impressum est: sed extant MSS. Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Divi Augustini, Bononiæ & Parisiis apud eosdem Fratres. Vivebat adhuc anno 1372, cujus corpus apud Urbem Veterem transvectum est, & in Divi Augustini templo conditum. Agunt de illo Josephus Pamphilus in *Chronicon Ordinis Eremitarum Augustinianorum*. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*. Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano*, & alii. 1370

PETRUS DE CANDIA, qui postmodum *Alexander Papa V.* dictus est, qui & *Petrus Philargi* ab Onufrio, ab aliis *Petrus Philareti* cognominatur, ab anno 1370. vel circiter ob doctrinam & in concionibus ad plebem habendis non vulgarem eloquentiam, emicuit. Dictus *de Candia*, sive quod natione Cretensis exstiterit, seu quod in Creta diu vixerit. Vir sanctitate, doctrina, magnanimitate præstantissimus, qui juxta Platinam in *Vitis Romanorum Pontificum* "Vir in omni vita & ætate præstans fuit. Hic enim ab adolescentia Ordinem Minorum ingressus, adeo Parisiis liberalibus studiis, theologicæque doctrinæ studuit, ut brevi & scholam publicam habuerit, & in *Libros Sententiarum* docte & acute scripserit. Magnus quoque Orator est habitus, quam ob rem a Joanne Galeatio Duce vel Vicecomite Mediolanensi, qui anno 1378. ad hoc, regimen pervenit, accitus, primum locum, in consultationibus illius habuit, cujus suggestione maxima quæque suo tempore gessit." Extant *Commentarii Petri de Candia in quatuor* 1370

Libros

Libros Sententiarum in bibliotheca S. Antonii Patavina, inter MSS. Codices Commentatorum in Libros Sententiarum, ut testatur Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. Patavinarum tam Publicarum quam Privatarum, edito Utini anno 1639. in 4. Item inter MSS. Codices Bibliothecæ Cardinalis Bessarionis Venetæ, Pluteo X. *Magister Petrus de Candia in 1. & 2. Sententiarum*, uti habet idem Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. Venetarum tam Publicarum quam Privatarum, quem anno 1650. Utini in 4. edidit. Denique inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 236. in MS. Collegii Balliolensis notato E. 1. *Petrus de Candia in 4. Libros Sententiarum*. Idem quoque *Conclusiones in Concilio Pisano a se habitas* scripsit, quas habes MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis Codice 1. Ex quo autem Joanni Galatio totum se dedit, rogatu Galeatii creatur primum Novaniensis Episcopus, postea mutato loco Vicentinus, postremo Archiepiscopus Mediolanensis factus, denique ab Innocentio Septimo, ad instantiam Galeatii ejusdem, Cardinalis Presbyter basilicæ duodecim Apostolorum creatur. Ex Archiepiscopo Mediolanensi & Cardinali Presbytero Basilicæ SS. Apostolorum, omnium utriusque obedientiæ Cardinalium communi suffragio, Gregorio XII. quondam Pontifice, & Benedicto XIII. Antipapa Schismatico, renuntiantibus, subrogatus est in Romanam sedem in Concilio Pisano Generali & Oecumenico, anno 1409. sexto Kalendas Julii, tempore Ruperti Imperatoris, assumpto sibi non injuria *Alexandri V.* nomine, cum & liberalitate & magnitudine animi cum quovis optimo Principe conferri posset. Adeo enim munificus in pauperes & viros sua benignitate dignos erat, ut nihil sibi reliquerit. Unde per jocum dicere interdum solebat, *se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.* Claruit igitur per 40. circiter annos, mortuus Bononiæ anno 1410. Nonis Maji, mense 8. Pontificatus sui, atque in Ecclesia Fratrum Minorum sepultus in tumulo marmoreo. Agunt de *Petro Candiensi* Ferdinandus Ughellus in *Italia sacra*, ubi recenset Episcopos, qui possederunt Ecclesias Cathedrales *Navariæ*, *Vicentiæ*, *Mediolani*, & *Romæ*, ad quem lectorem remittimus. Illius autem ut *Ecclesiastici Scriptoris* mentionem faciunt inter alios Bartholomæus Platina in *Vitis Romanorum Pontificum*, ubi Vitam *Alexandri V.* describit compendio brevi & compto. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, verbo *Petrus de Candia* p. 555. col. 1. quam anno 1574. Tiguri in folio apud Christophorum Froschoverum edendum curavit. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Alexander V. Pontifex Maximus*, & Tomo 2. verbo *Petrus de Candia*, cui errore immani Possevinus attribuit *Epistolam ad Hugonem Ethertanum*, quæ extat in Bibliotheca Patrum Margarini Bignæi Tomo 9. editionis 2. cum ad Alexandrum III. illa spectare debeat. Lucas Waddingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, verbo *Alexander Pontifex Maximus*, atque alii. Omnium instar Augustinus Oldoinus Soc. Jesu in *Athenæo Romano* p. 539. editionis Perusinæ 1676. in 4. quo Romanorum Pontificum & Cardinalium Scripta accurate recenset.

RADULPHUS DE PRAELES CAROLI FRANCORUM REGIS ætate circa annum 1380. floruit, cujus consiliis plurimum utebatur, uti quem fidelissimum atque etiam eruditum scientiis virum cognoverat. Hujus opera usus fuit ad Libros Sacræ Scripturæ in Gallicam linguam vertendos, quam versionem Galli plerique Scriptores *Nicolao Oresmio*, ejusdem ætatis viro, in Scripturis celebri, Hermanno, Theologiæ Doctori & Professori, dum postea Lexoviensi Episcopo, qui anno 1382. obiit, adscripserunt. Biblia jussu Caroli V. Francorum Regis in Gallicum conversa Sermonem a Radulpho de Praeles, cum præloquio illius: Codex in folio minori pulcherrime descriptus est in membranis vitulinis ab Henrico de Trevou. In fronte exhibetur minio depicta & ad virum expressa Caroli V. effigies, cui suam Interpres nuncupavit versionem. Codex iste complectitur sacræ Scripturæ libros a Genesi usque ad Proverbia Salomonis exclusive. Folium Geneseos primum, ob principes sane libri literam, auro & minio decoratam, ab impia manu avulsum est. Fuit quondam istud exemplar Joannis Ducis Bituricensis, Fratris Caroli V. sicut ex subscriptione JEHAN dignoscitur, quæ eundem characterem refert, ac præcedentes hujus Principis subscriptiones. Nunc autem est penes Dn. Rousseau in Curia Parlamenti Rationum Auditorem, qui ob insignem in re Francorum antiquaria cognitionem, Eques aliquot ab hinc annis a Ludovico Magno creatus fuit. Illud ab eo mutuo accepit, & ex eo exscripsit *Præloquium integrum*, quod nunquam excusum fuit, Jacobus le Long Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis, quem hic exscripsimus tantum. Edidit autem *Bibliotheca sacra* parte 2. cap. 5. Sectione 1. *De Bibliis Gallicis MSS.* pag. 20. & seqq. 1370

Constat igitur hujus interpretationis auctorem unum esse Radulphum de Praelle, non autem Nicolaum Oresmium, cujus nomen nullus Bibliorum istorum Codex MS. præ se fert, nec huic hanc versionem Scriptor coætaneus aut illius ævo proximus, donavit. Hæc interpretatio post annum 1375. concinnata est, in suo namque Præloquio translator Librum S. Augustini *De Civitate Dei* a se Gallice conversum memorat, quam quidem versionem anno tantum 1475. absolvit: ut ipse notavit in fine secundi voluminis Autographi, quod Parisiis in Mu-

in Musæo suo possidet Dominus de Ganieres, *Rerum Francicarum* medii & posterioris ævi peritissimus. Biblia Gallica ex eadem versione Radulphi de Praelles, in Galliarum Regia Bibliotheca, Cod. 6818. Codex membranaceus in folio pulchre exaratus, eosdem libros complectens ac præcedens, scilicet a Libro Geneseos usque ad Proverbia Salomonis, cujus est exemplum paucis vocibus immutatum. Deest in illo primum Proloquium translatoris ad Carolum V. Fuit hic Codex unus e quingentis MSS. Codicibus, quibus Illustrissimus Mauritius le Tellier Remensis Archiepiscopus, Regiam Bibliothecam ditavit. Hæc idem Jacobus Longus loco citato p. 25.

• Hæc illa videtur Bibliorum Gallicorum translatio, quæ jussu Caroli V. Galliarum Regis edita est, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2645. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji supra D. I. Art. Codice 46. Binos tantum supra descriptos Bibliorum Caroli V. jussu translatorum Codices videre sibi contigisse inquit Jacobus le Long loco citato p. 27. licet Carolus du Moulin tract. *De Origine & progressu Monarchiæ Francorum* num. 133. asserat, *Biblia Sacra Gallico idiomate tum Lutetiæ Parisiorum, tum in Gallia, Belgica, Normannia & aliis regni partibus, jussu Caroli V. evulgata fuisse, ut quisque nativa sua lingua sacris litteris frueretur. Veteres illæ interpretationes, etiamnum cum inscriptione* de mandato Regis Caroli V. *extant.* Porro in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum Lectionum* Philippi Labbei edito Parisiis anno 1653. in 4. apud Johannem Henault, in *Coronide Poetica* p. 63. *Radulphi de Praeles Consiliarii & Magistri Hospitiorum Caroli V. & Caroli VI. Musa seu Satyra Prosaica in vitia sui temporis*, in membraneis Gabrielis Naudæi Parisiensis Medici. Item ibidem in *Supplemento VIII.* ex Catalogo MSS. Codicum, qui continentur in secunda parte seu Xysto Bibliothecæ Regiæ & in fasciculis nondum colligatis, p. 310. Codice 67. *St. Augustin de le Cit de Cieu mis en Francois par Raoul de Praelles, au Roy Charles cinq.*

Meminisse hujus Bibliorum versionis videtur Gilbertus Gerebrardus *Chronologiæ* suæ Lib. 4. ad annum 1535. "Multo ante *Olivetani* translationem extabant *Biblia Gallica*, a Caroli V. dicti Sapientis temporibus, cujus primum exemplar ostenditur in Bibliotheca Regia, nempe ab anno 1374." Errat ibi non semel Gerebrardus, hæc enim versio post annum 1375. tantummodo concinnata est, ut supra probavi. Nullus quoque in hac Bibliotheca reperitur Codex, qui illam exhibeat, nisi ille recens adductus, ex dono Illustrissimi Domini Mauritii le Tellier, Remensis Archiepiscopi. Hæc ad verbum nobis suppeditavit Jacobus le Long, Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis, *Bibliotheca Sacra* parte 2. cap. 5. sect. 1. *De Bibliis Gallicis MSS.* a p. 19. ad 29. Idem Radulphus de Presles, cum esset Consiliarius Regius ac Magister Libellorum supplicum Caroli V. Francorum Regis Christianissimi, ac querelæ verterentur & contentiones inter Romanum Pontificem ac Galliarum Regem conscripsit *Tractatum de potestate Pontificali & Imperiali seu Regia* ad Carolum quintum Galliarum Regem, qui extat Tomo 1. *Monarchiæ* Melchioris Goldasti Haiminsfeldii a p. 39. usque ad 58. quo jura Regum defendit adversus Romanæ curiæ usurpationes. Hujus mentionem habet Ludovicus Jacob a Sancto Carolo in *Bibliotheca Pontificia* Lib. 2. pag. 429. editionis Lugduni 1643. in 4. apud hæredes Gabrielis Boissart & Laurentii Anisson.

ALBERTUS ARGENTINENSIS, natione Germanus, Presbyter Sacellanus, ac familiaris Episcopi Argentinensis, claruit anno 1370. & sequentibus, qui jam tamen insignis erat & aliquanti nominis, temporibus Ludovici IV. Imperatoris cognomento Bavari, qui Imperium ab anno 1315. ad 1346. administravit. Siquidem hic Albertus in Chronico suo de rebus Ludovici IV. agens, refert se ab Argentinensi Episcopo ablegatum fuisse ad Papam, ut Imperatorem hunc purgaret, ac Papam faceret certiorem, de Decreto Ludovici per Germaniam, cujus hæc summa esset, *Nihil Juris esse Pontifici in Imperatore exauctorando.* Attamen multis quoque annis postea superfuisse Albertum, arguitur satis, quod ipse *Chronicon* suum usque ad annum 1378. quo parenti suo Carolo IV. Wenceslaus in Imperio successit, perduxerit. Apud Simlerum in *Epitome Gesneri* leges eum claruisse anno MCCL. sed librarii lapsus iste videtur, cum idem ipse addat sub *Ludovico Bavaro* vixisse. Hic *Chronicon* bona fide condidit a Rodolpho primo Hasburgensi, sive ab anno MCCLXX. usque ad excessum Caroli IV. Imperatoris, qui in annum MCCCLXXVIII. incidit. In hoc Opere multa ab aliis intacta, vel non adeo plane ab iis explicata reperies: unde gratia non levis dabatur Christiano Urstitio, qui illud cum aliquot rerum Germanicarum Scriptoribus integre divulgavit. Hoc itaque Chronicon inseruit tomo 2. p. 74. Collectanei sui *Historicorum Germaniæ*, quod in fol. Francofurti anno 1585. impressum est. Ante tamen primum impressum fuit Basileæ anno 1553. mutilum, cum Consulibus Cuspiniani apud Oporinum, & postea iterum cum Chronico Episcopi Frisingensis, anno 1569. Basiliæ apud Pernam, cum Notis ad finem Operum. Præter hoc Chronicon aliad etiam scripsit, qui recte creditur author Commentarii *De rebus gestis Bertholdi a Buckercke Episcopi Argentinensis*, quem idem Wrstitius primus ex MSS. Codicibus in lucem edidit tomo 2. *Collectanei citati* p. 97. De illo mentionem faciunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* p. 18. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3.

Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 3. p. 537. ultimæ editionis.

1370 BENEDICTUS DE ACCOLTIS, *Senior* dictus ad distinctionem ab altero istius nepote, qui anno 1450. inclaruit: natione Italus, patria Aretinus in Tuscia, claruit anno 1376. sub Imperio Caroli IV. & Venceslai ejus filii clarissimus. Scripsit hoc anno 1376. Tractatum ad Carolum IV. Imperatorem, quem habes MS. inter MSS. Codices Latinos allatos ex arce Ambrosiana in Bibliothecam Cæsaream Codice 138. cujus mentionem amplissimam facit Petrus Lambecius Lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. p. 817. ad 824. Incognitum Auctorem appellat Lambecius, natione *Italum*, qui seipsum literis duntaxat initialibus B. de A. nuncupat, cujus Tractatus hactenus quod sciam ineditus inscribitur, *De Exceptione Imperatoria in Italiam recte instituenda & feliciter conficienda* anno Christi 1376. compositus, quo *Imperatori Carolo IV.* suadet, ut post *Filii sui Wenceslai in Regem Romanorum electionem & coronationem*, *Expeditionem in Italiam suscipiat*, ad discordias ejus intestinas sedandas, & reprimendam præcipue eorum insolentiam, qui in Hetruria non solum *S. Imperii Romani*, verum etiam *Summi Pontificis* ditiones violenter invaserant, simul etiam indicans modum, quo ea res bene inchoanda sit, & prospere perfici queat. Ipsa verba quibus titulus hujus libri conceptus est, hæc sunt:

Incipit Tractatus de habilitate temporis ad processum versus Italiam, tum propter electionem Imperatoris Romanorum, tum propter discordias Italorum; & primo Deprecatio & hortatus ad movendum pectus Cæsareum, sine retardatione debere ingredi Italiam ad paciscendum dissidia, & ad confutandum rebelles. Incipit deinde *Præfatio* hoc modo: *Invictissimo Principi, Domino, Domino Karolo quarto, Romanorum Imperatori semper Augusto & Bohemiæ Regi, gratioso Domino suo, B. de A. humilis servitor Majestatis Cæsareæ, Imperialis honoris affectum cum devotissimo famulatu. Dum altitudinem Sapientiæ vestræ, Princeps Sacratissime, vigili cogitatione perpenderem in primævo oxordio præsentis materiæ, facti dubius, magis ac magis pavida mente discutiens, procedere ne in Opusculo jam inchoato, an omnino a proposito debeam resilire: & qua fronte imperitus ego coram tanto Principe, in cujus pectus omnis rivus Sapientiæ confluxit, ratiocinari audebo* &c. Nec multo post sequitur: *Cum hæc verba in memetipso velut mihimetipsi expers ab inceptis recessurus proponerem, ecce imago trepidantis ITALIÆ, crinibus in venerabili effusis vertice, nudatis quoque brachiis, omni sui parte conscissa, more viduæ viro viduatæ proprio, meis adstare videbatur oculis, & verbis cum gemitibus permixtis, mihi quamvis perito suæ tribulationis interposita preces visa est porrigere, quatenus amaritudinem lachrymosæ quæstionis ejus, auribus sui Sponsi atque naturalis Domini nuntiarem, & inceptum propositum fini laudabili copularem. Et o, inquit, de genere plebejorum meorum, dilecte prosperitatis meæ zelator fidelis, quæ frigida pusillanimitas ex parvitatis tuæ nata respectu, fervorem tam puræ dilectionis, quam erga me videbaris habere, jam conatur extinguere? Dolorosis meis moveare singultibus* &c. Finita hac Italiæ ad Auctorem istius libri oratione, subjungitur eidem Præfationi inserta alia quædam *Prosopopæia* sive *Oratio* ejusdem Italiæ ad Imperatorem CAROLUM IV. cujus titulus & principium:

Sequitur lacrymabilis Arenga ITALIÆ querulantis super absentia sui naturalis Domini, & eum revocare nitentis. Quæ occasio meum desiderabilem Dominum tenuit tot annis, quæ tantæ oblivionis licentia a calore Cordis ejus miserabilem me projecit, quemadmodum mei vultus sibi nunquam innotuisset imago &c. Concluditur demum tota ista Præfatio, libri dedicatione, & divisione ejus in *duodecim capita* hoc modo:

Mansuetudinem igitur vestram, Gloriosissime Princeps, assumens pro Clypeo, & Lacrymarum Patriæ provocatus amaritudine, hunc ausim aut cogor potius LIBELLUM scribere: nec Minervam docere studebo, sed ad derelictam Romani Fastigii Terram nobilem, & ad vestri honoris thesaurizationem, Pietatem Cæsaream provocare. Et quia non recte aliquid inchoatur, nisi post DEUM faveat IMPERATORI, supplico voce humillima, quatenus verba inexperti pia dispensatione feratis: et si quid correctionis lima dignum videbitur, præsto sum correctionem subire, & male prolata humiliter revocare paratus. Materia autem hujus Libri est FELIX CAROLI QUARTI PROCESSUS VERSUS ITALIAM, FELICIOR INTROITUS, ET FELICISSIMUS IBIDEM STATUS EJUS. Dividitur autem hoc Opusculum in duodecim Capitula.

Primum Capitulum. De habilitate temporis ad processum versus Italiam, tum propter electionem Imperatoris & Regis Romanorum, tum propter discordias Italorum.

Secundum Capitulum. De Senascollo seu Marescollo idoneo, pro tanti Principis exercitu eligendo.

Tertium Capitulum. De tutela & societate solius Imperialis Personæ.

Quartum Capitulum. De conversatione Imperialis Personæ contra pericula tam aperta, quam occulta & fraudulenta, & specialiter ut a veneno præservetur.

Quintum Capitulum. De Legistis seu Judicibus Curiæ Imperiali præcipue necessariis.

Sextum Capitulum De modo intrandi Terram Italiæ.

Septimum Capitulum. De Stipendiariis eligendis.

Octavum Capitulum. De Stipendiariis ordinandis

dinandis, & debite partiendis, & tractandis.

Nonum Capitulum. De ordine ſtandi in campis, & locatione tentoriorum.

Decimum Capitulum. De proclamatione facienda in campis.

Undecimum Capitulum. De modo acquirendi & obtinendi Civitates & Caſtra.

Duodecimum Capitulum. Quid agendum ſit in Civitate obtenta, & quomodo Tyranni ſint tractandi, & Cives, & de Capitaneo & Poteſtate ibidem ſtatuendis.

Hucuſque *Præfatio & diviſio totius Libri in duodecim Capita.* Initium autem primi Capituli hoc eſt, *Hic primum commemorandum propoſui, quod viam aptam & tempus idoneum verſus Italiam progrediendi, vobis ipſa Divina providentia jam providit. Nam Electio & Coronatio Sereniſſimi Wenceslai filii veſtri in Regem Romanorum, validiſſimum ſecuritatis vallum in proſequendis propoſitis erit vobis, ita quod Genitus Genitori ſe præbebit in clypeum, & contra omnia contraria firmamentum* &c.

In fine ejusdem Libri extat hæc ſubſcriptio: *Explicit Tractatus brevis & utilis de via & ingreſſu verſus Italiam & ſtatu ibidem beatæ memoriæ Invictiſſimi Principis Domini Domini KAROLI QUARTI, Romanorum Imperatoris Auguſti & Bohemiæ Regis Glorioſi. Sequitur Epiſtola de Succeſſore ipſius, Inclyto videlicet filio Domino Domino WENCESLAO, Romanorum & Bohemiæ Rege potentiſſimo*, per ejusdem Notarium adjuncta Epiſtolæ hujus, quam anno eodem 1376. ſupra memorato, ſtatim poſt *Electionem Wenceslai in Romanorum Regem* compoſitam eſſe conſtat, initium hoc eſt. *Sacri Imperii fidelium Univerſitas, plenitudine gaudiorum laſciviens hilareſcat, jucundis exultet applauſibus* &c. Subjungitur denique ibidem *NOTITIA STATUS HETRURIÆ* anno 1376. quo *Wenceslaus Imperatoris Caroli IV. filius* patre adhuc ſuperſtite in *Regem Romanorum* electus eſt: qua indicatur, quænam *Civitates & Caſtra* tunc temporis contra Imperatorem & Imperium Romanum fœdere & ſocietate ſibi invicem conjuncta fuerint, quænam contra fidem illis debitam ſervaverint. Hæc Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis cap. 8. a pag. 817. ad 824.

1370 HENRICUS DE ARENA, natione Anglus, patria Nordvolcas, factus poſtea Cameracenſis Eccleſiæ Canonicus & Domini Papæ Clementis VII. Secretarius, de quo hæc pauca Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro* tomo 1. p. 722. "Henricus de Arena, aliis Harena; „Anglus, patria Nordvolcas, Carmelita, ſcri„pſit *Ordinationes, ut vocant Conventuum ſive* „*locorum ſui Ordinis, Conciones aliquot, formu*„*las ſcribendarum Epiſtolarum.* Obiit Stanfor„diæ anno 1399. ut extat in Indice Jacobi de „Plebe Piſani, Ordinis Servorum, & apud Petrum Lucium„ Scripſit anno 1379. *Epiſtolarium* ſeu *Formularium ſcribendarum Epiſtolarum*, quod MS. in Bibliotheca hujus Cameracenſis Eccleſiæ pulpito 14. dextræ partis Cod. 9. Succeſſu temporum reverſus in Angliam, unde oriundus erat, Ordinem Fratrum Carmelitarum in Conventu Stanfordiæ amplexus eſt, ubi anno 1399. juxta Jacobum de Plebe a Poſſevino allatum, mortuus eſt. De illo Conradus Geſnerus in *Bibliotheca Scriptorum* p. 329. Petrus Lucius in *Bibliotheca Fratrum Carmelitarum.* Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Henricus de Arena* pag. 342. editionis 1643. Lovanii in 4.

SANCTA CATHARINA SENENSIS, ab 1370 ortu dicta, natione Itala, anno 1347. nata, patrem habuit Jacobum & matrem Lappam. Ordinem Fratrum Prædicatorum profeſſa, claruit anno 1370. annos 23. tantum nata tunc temporis. Immiſcuit ſe ſupra modum & ſexum Eccleſiaſticis rebus, inſtinctu, opinor, Confeſſariorum ſuorum, contra præceptum Apoſtoli, imperantis mulieribus, ut in Eccleſia taceant. Avenionem ante annum 1376. profecta, precibus ſuis Gregorium XI. Romanum Pontificem Florentinis iratum placavit: quæ jubente etiam Pontifice, quem crebris antea litteris ad regreſſum in Urbem Romam ſollicitaverat, in confeſſum Cardinalium admiſſa, ita efficaciter diſſeruit contra Romani Pontificis a propria ſede abſentiam, ut omnes ea audita redeundum eſſe Romam concluſerint, ſedem illic fixuri Apoſtolicam. Anno 1376. Gregorium Papam revertentem ſequuta eſt, cujus poſt mortem Urbani VI. partibus contra Clementem Papam pertinaciter adhæſit. Mortua eſt anno 1380. die 29. Aprilis, ætatis ſuæ 33. relata in Album Sanctorum a Pio II. Pontifice, anno 1461. Hujus elogium tibi, lector amice, dabimus ipſis Ambroſii de Altamura verbis in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1380. p. 137. quod an elegans ingenioſumve ſit, an puerile, judicabis. "Sancta Catharina Senenſis, virgo lectiſſima, eximioque omnium virtutum, ſplendore toto orbe celeberrima, ſuæ pa-„triæ decus, ſexus gloria, Seculique miracu-„lum, Chriſti ſtigmatibus intime impreſſis cœ-„litus decorata, quæ innumeris gratiæ prærogativis, divinis revelationibus, cœleſtibus,„ viſis, intelligentiæ lumine, prophetiæ Spiri-„tu, charismatibus inexplicabilibus ditiſſime,„ cumulata, a cunis ipſis primiſque unguiculis,„ tanta vitæ puritate emicuit: ut Angelicos,„ mores puritate converſationis, & Spiritus,„ claritate ac fervore perfectiſſime exhibuerit.„ Numeretur inter Doctores & Scriptores ſa-„cros, oportet. Altiſſime prædicavit verbum,„ Dei, & volumina omni referta ſapientia edi-„dit. Plures habuit Confeſſarios ex Ordine,„ noſtro probitate inſignes, Fratrem a fonte Se-„nenſem, ejus conſanguineum & primum Con-„feſſarium. F. Bartholomæum de Dominicis,„ Senenſem,

„Senensem, quartum Confessarium *Sanctæ*,
„& ejus familiarissimum. F. Bartholomæum
„Montuccium nobilem Senensem, ejus Con-
„fessarium quintum. Habuit filios plures &
„filias spirituales, socios & comites: inter cæ-
„teros F. Augustinum Pisanum, F. Simonem
„a Cascina, Sororem Alexiam Saracini Senen-
„sem, Sororem Lisam & Sororem Franciscam
„Columbini, Senenses tertii habitus: omnes
„vitæ sanctissimæ, & inter Beatos & Beatas a
„Lombardello recensitos. Inter alia nobilissi-
„ma sapientiæ cœlitus insusæ monumenta, qui-
„bus Christianum orbem non solum affluenrer
„ditavit, sed perenni luce claritateque illustra-
„vit: anno a Virginali partu 1379. scripsit at-
„que in templo S. Mariæ super Minervam Ro-
„mæ habuit *Orationem in die Annuntiationis be-*
„*atissimæ Virginis Mariæ*, sui in Deiparam ar-
„dentissimi amoris specimen luculenrum: quæ
„per B. Raymundum a Vineis Capuanum ex
„Italico sermone in Latinum conversa, cum
„*aliis ejusdem Sanctæ Orationibus* impressa est
„Ingolstadii, typis Sartorianis anno 1583. ex
„Maraccio in *Bibliotheca Mariana.* Habetur
„dicta Oratio apud Maraccium in *Liliis Maria-*
„*nis.* Item *Dialogos in sex tractatus tributos*,
„in quibus profundissime de providentia Dei fit
„sermo, Ingolstadii 1583. Coloniæ 1601. Ve-
„netiis 1611. in 8. apud Jacobum Sarzinam, &
„alibi pluries. *Volumen Epistolarum 364. gra-*
„*vium & plenarum pietatis & doctrinæ, Lingua*
„*vernacula ad varios Summos Pontifices, Cardi-*
„*nales, Reges, Principes, & ad cujuscunque*
„*generis viros.* Venetiis 1506. per Aldum Ma-
„nutium in folio. Ad eum Theologiæ Mysti-
„cæ gradum & sublimitarem devenir hæc sa-
„cratissima Virgo, ut a sponso suo præceptore
„exhauserit, quidquid docuerant Dionysius
„Areopagita, S. Thomas Aquinas, D. Bona-
„ventura, Vercellensis, Lincolniensis, Ger-
„son, Dionysius Carthusianus, & alii divino
„lumine illustrati Doctores. Ad vitam æter-
„nam translata est anno Domini 1380, pridie
„Kalendas Maji, ætatis suæ 33. *Tum postea*,
„varias scripsit Epistolas ad Gregorium XI. ad
„quem ex Italia perrexit Avenionem, illi per-
„suasura, ut restitueret cathedram Urbi.
„Hanc Pius II. albo Sanctorum apposuit anno
„salutis 1461." Idem in *Appendice* ad eundem
anno 1380. pag. 490. aliam addit summæ ejus
doctrinæ rationem, quod nempe a Sancta ma-
tre Christi Maria lactata fuisset. Audiamus
nebulonem hunc suo more mentientem.
„Scripsit hæc Virgo tam sapide ac suaviter,
„quid mirum? Fuerat enim lactata uberibus
„Matris Dei. Id memorat Joannes Gavaston
„Opere *De Sanctis Tertiariis Ordinis Prædicato-*
„*rum*, Lib. 2. cap. 3. in fine. Franciscus Hia-
„cynthus Choquetius *De visceribus maternis*
„cap. 5. Ab eisdem Virgineis uberibus Ber-
„nardus Claravallensis lactatus fuit, Chryso-
„stomus aureus adhuc & lacteus ab eisdem.
Idem contigit nostro Sanctissimo Patriarchæ,„
Henrico nostro Susoni, Alano. De his con-„
sule beatum Alanum part. 2. cap. 3. Lauren-„
tium Surium in *Vita Beati Henrici Susonis* cap.„
10. Hiacynthum Choquetium *De visceribus*„
maternis cap. 5. & alios." Hæc præclara Am-
brosius Altamura in Marianorum uberum sem-
per uberrimorum laudem, quæ tamen vix ac
ne vix quidem docti & graves viri credere pos-
sunt, ut Mariæ ubera post 1300. & amplius annos
lacte in gratiam & nutrimentum B. Catharinæ
Senensis abundaverint. Jam ad argumenrum
redeamus. *Divina doctrina data per personam*
Patris intellectui loquentis &c. in plures Tracta-
tus divisa cum *Orationibus*, impressa in folio
Coloniæ anno 1553. apud Gasparum Gennep,
cum amplissima *Vita dictæ Catharinæ*, quam
conscripsir Raymundus Capuanus ejusdem Ca-
tharinæ Confessarius, Ordinis FF. Prædicato-
rum devotus Theologus, quique hanc *Doctri-*
nam Divinam in Latinum sermonem transtulir:
hæc inquam omnia sapiunr mihi authorem
Raymundum de Vineis Capuanum, qui Ope-
ra propria sub nomine Sanctæ Catharinæ Se-
nensis evulgaverir. Idem dicendum *de Dialo-*
gis de providentia Dei sex Tractatibus comprehen-
sis, qui prodierunt Ingolstadii anno 1585. cum
Oratione in Annuntiationem Deiparæ atque aliis
pluribus, quæ a Raymundo eodem Catharinæ
Confessario ex Italico in Latinum Sermonem
conversæ dicuntur, ad faciendum imperitis
& imprudentibus fucum. Idem censeo de E-
pistolis pluribus sub ejusdem Catharinæ nomi-
ne evulgatis Italice, quas absque dubio Con-
fessores illius varii composuerunt, qui se con-
troversiis Ecclesiasticis sub nomine & larva
Catharinæ Senensis hac tempestate immisce-
bant. Egit enim Raymundus Capuanus circa
Catharinam Senensem, quemadmodum Pe-
trus de Alvustro circa Revelationes Sanctæ
Brigittæ dictas, de quibus supra ad annum
1360. abunde tractatum est. Agunt de San-
cta Carharina Senensi nomenclatores Scripto-
rum Ecclesiasticorum omnes, quos recensere
hic omnino supervacaneum est. Inter MSS.
Codices Bibliothecæ Sanctorum Joannis & Pau-
li Venetiis, Tractatus de quo supra diximus,
sic inscribitur, *Liber divinæ doctrinæ a B. Ca-*
tharina de Senis vulgariter dictatus, ipsa stante
in raptu, multis audientibus, quid ei Deus loque-
retur, cum Prologo Magistri Raymundi. Ita Ja-
cobus Philippus Thomasinus *in Catalogo Biblio-*
thecarum Venetarum Publicarum & Privatarum,
edito Utini 1650. in 4. Quidquid igitur Ca-
tharinæ Senensi tributum fuit, debetur illud
omne calamo Raymundi Capuani. Post alios
aperte & prudenter Henricus Whartonus in
Continuatione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Ca-
vi ad annum 1367. p. 60. revelationes istas o-
mnes flocci faciens.

PHILIPPUS DE LEYDIS, ULTRAJE- 1370
CTENSIS AC CANONICUS, de quo
loquitur

loquitur recte Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 775. editionis 1643. quæ Lovanii in 4to est, natione Batavus, dictus de Leidis quia in hac urbe ex Equestri familia natus, Juris utriusque Lauream Doctoralem apud Aurebiam Galliæ urbem hac in scientia celebrem habuit, unde postea Parisios accedens professionem publicam Canonici juris cum applausu omnium aggressus, Canonicatu postmodum S. Mariæ Condatensis ob meritum donatus est. Cum illic floreret, a Guillelmo Bavaro Hollandiæ Comite in patriam & aulam revocatus & evocatus, huic a Sacris domesticis & secretioribus consiliis adfuit. Deinde ab Arnoldo Hormano Ultrajectensi, Episcopus Vicarius, Diœceseos in Spiritualibus institutus, Romam a Principe suo negotiorum causa urgentium missus, in tantam Gregorii Papæ XI. ob eruditionem & in agendis prudentiam, existimationem venit, ut duplicem Canonicatum, Ultrajectensem simul & Leidensem ab eo retulerit. Tanquam vir eximie doctus, atque in Jure Canonico & Civili versatissimus, composuit *Tractatum de Republica cura & sorte principantis*, quem Joannes Severinus anno 1516. in folio Lugduni Batavorum edidit. Idem *lecturam in librum III. Decretalium* scripsisse dicitur, quæ omnia Philippi Opera a Joanne Franconio erudita præfatione illustrata, & in lucem producta fuisse, fidem facit Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* p. 644. ubi tamen nec editionis annum nec locum designat. Hac in parte deceptum fuisse puto Franciscum Sweertium, ubi hanc *Lecturam in Librum III. Decretalium*, impressam esse scribit.

Ejus Scripta tandem ob exemplarium varietatem, anno 1701. recusa Amstelodami in 4to. apud Sebastianum Petzoldum. Accedunt huic editioni *Vita auctoris ex diversis conscripta, Medulla Tractatuum & Index legum* ad quas scripsit Philippus de Leyden, quas recensuit & Indice auxit Sebastianus Petzoldus Regiæ Majestatis Borussiæ Bibliothecarius. Sunt autem Opera hæc, *Tractatus de Republica cura & sorte Principantis a Reverendissima Universitate & felici Collegio Doctorum & Scholarium studii Aurelianensis, missus illustri & potenti Duci Wilhelmo de Bavaria tum Hollandia & Zelandia Comiti XXII. ejus nominis V. postmodum ad Hannonia Comitatum promoto, clarissimi eruditissimique viri Domini Philippi de Leyden, insignis Academia Parisiorum Pontificii juris interpretis, ac ejusdem illustrissimi Principis viri Consularis, nec non vigilantissimi Trajectensis Ecclesia Præsulis Domini Arnoldi de Hoorn, Vicarii Generalis.* Item p. 305. *Compilatio brevis, sive Tabula Tractatus* de cura Reipublicæ & sorte Principantis, *missa Venerabili Viro Domino Gherardo Rectori Ecclesia de Noortwick Hollandia Comitatus.* Item pag. 383. *Tractatus de formis & semitis Reipublicæ utilius & facilius gubernanda, Prudentibus & industriosis viris Volperdo de Wouda primordiali Decano, totique Capitulo Sancti Pancratii Leydensis:* cujus ultimum caput est p. 403. *De modo & regula rei familiaris facilius gubernanda, Bernardus quidam Glorioso & felici Militi Raymundo Castri Ambasii Domino.* Quem tractatum seu Epistolam S. Bernardo Abbati Claravallensi, nonnulli in editionibus Operum ejus, male adscripserunt. Cum Principio suo atque Episcopo utilis plurimum fuisset obsequiis & eruditione sua Philippus Leidensis, Ultrajecti mortuus est anno 1380. die octava Junii, cujus inter Ecclesiasticos Scriptores mentionem facit post Sweertium loco citato, Henricus Whartonus in Continuatione *Historia Literaria* Guillelmi Cavi ad annum 1369. p. 61. quem hic sequimur. Paulus Freherus in Theatro virorum eruditione clarorum parte 2. Sect. 4. p. 788.

STEPHANUS BIRCHINGTON, Ecclesiæ 1370
Cantuariensis Metropoliticæ Monachus fuit, vico de Birchington in Insula Taneto oriundus. Mentio ejus habetur apud Thomam Cawston Monachum Cantuariensem, qui Historiam de Monachis Ecclesiæ Christi Cantuariensis duplicem scripsit, videlicet quo die singuli professi fuerint ab anno 1207. ad 1486. & quo die singuli obierint ab a. 1286. Iste Birchingtonum anno 1382. solenni ritu professionem fecisse refert, longe tamen antea se Monachorum Cantuariensium consortio adjunxisse Stephanus censeri potest. *Historiam Archiepiscoporum Cantuariensium* ab illo scriptam fuisse, atque hanc quam nunc primum edit Tomo 1. fol. 1. *Anglia Sacra* Henricus Warthon, ipsius esse ex Jocalino didicisse inquit. Iste librum illius frequentissime citat, & in Johannis Staffordii Vita, multa ex Birdingtami Historia adducit, quæ in nostra totidem verbis comparent. Plura ejusmodi ad Historiæ nostræ marginem notata occurrunt, & plura alia dictus Warthon notaverat, a typographo perperam omissa. Quin imo idem Author *Antiquitatum Britannicarum*. p. 224. Edwardi Regis & Johannis Archiepiscopi invectivas in Historia sua reponens, eas se a Birchingtono accepisse, & apud alium Historicum commemoratas non invenisse, præfatur. Ille autem quo Jocelinus usus est Codex, nostro uberior fuit. Antiquioribus enim Archiepiscopis multa ex Birchingtoni Historia citat, quæ in hac nostra desiderantur, eundemque in Sudburyi & Courtnoii Archiepiscoporum Vitis laudat. Duplicem itaque Historiæ suæ editionem Birchingtonus adornavit. Prima, quæ in anno 1368. desiit, nunc prodit studio Warthoni, descripta ex Codice Bibliothecæ Archiepiscopalis Lambetanæ, ejusdem ætatis. In eodem Codice habentur, *Historia de Regibus Anglorum, de Pontificibus Romanis, & de Imperatoribus Romanis.* illa definit in anno 1367. ista in anno 1378. & tertia ad annum circiter eundem. Ab eodem Authore, a quo Historia sequens *De Pontificibus Cantuariensibus* omnes fuisse profectas, juvare auderet

deret Warthon: tanta stili ac methodi similitudo in singulis intercedit. Quatuor istæ Historiæ extabant simul olim penes Willelmum Reade, Episcopum ab anno 1368. Cistercienſem, qui easdem rejectis epiſtolis, invectivis, & narrationibus longiuſculis, abbreviavit, verbis tamen in his, quæ remanebant minime immutatis. Abbreviatio extat in Bibliotheca Cottoniana *Julius B.3.* ex qua variantes lectiones deſcripſi, quæ ex adverſo primæ paginæ conſpiciuntur. Aliam poſtmodum editionem *Historiæ de Archiepiſcopis Cantuarienſibus* auctiorem & ad annum circiter 1382. deductam Birchington dedit, cujus facta eſt Jocelino mentio, & quam fruſtra quæſiviſſe ſcribit Henricus Warthon. Hujus Scriptoris notitiam Pitſeus *Appendicis* Cent. 4. cap. 39. ex unico Jocelino habuit, quamvis id iniquus plagiarius pro more diſſimulaverit. Plagii autem crimen, errore turpiſſimo non injuſte luit, dum Stephano aliud opus adſcribit, *Catalogum Epiſcoporum Elienſium*. Si teſtem quæras, nullum laudabit. Erroris autem fontem digito monſtrare poſſe contendit Warthon. Legerat vir incautus apud Joalinum p. 246. & 248. nonnulla, quibus ex Birchingtono pariter ac Hiſtoria Elienſi narratis, iſtæ utrumque teſtem in margine hoc modo ſimul adhibuerat, *Steph. Birch. Catal. Epiſc. Elienſium.* Hinc accepto errore Pitſeus, Birchingtonum *Catalogi Elienſis authorem* poſuit, quod Jocelino nunquam in mentem venit. Quæ ex utroque Jocelinus narravit, apud utrumque in hac prima Collectionis hujus parte reperiri poſſunt. Errorem Pitſei Gerardus Johannes Voſſius Libro 3. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 3. p. 541. ſecutus eſt, quod extraneo homini facile ignoſcendum fuit. Itaque claruit Stephanus Birchington circa annum 1370. vel 1380. cujus obitum obituarium Eccleſia Cantuarienſis his verbis exhibet: *XII. Calendas Septembris obiit Stephanus Birchington Sacerdos & Monachus noſtræ Congregationis.* Hæc nos verbotenus ex Henrico Warthon in Præfatione ad Tomum 1. *Angliæ Sacræ* num. 17. fol. XIX. de *Stephano Birchington*, cujus etiam mentionem facit Gerardus Johannes Voſſius loco citato, poſt Pitſeum.

1370 JOANNES HORNEBY, natione Anglus, ex Ordine fratrum Carmelitarum, hoc eodem tempore Cantabrigiæ in Conventu ſui Ordinis floruit. Cum enim Joannes Stokes Anglus Dominicanus contra Carmelitas e magiſtrali cathedra circa annum 1370. cum contemptu declamaſſet, Carmelitarum Ordinis confirmationem & titulum diris morſibus vellicans, offendebatur autem potiſſimum, quod ſe eſſe *fratres Deiparæ Virginis* jactitarent, quo etiam titulo Dominicani tunc gloriabantur: illinc arrepto etiam calamo ſcripſit *Determinationes contra Carmelitas*, de quibus loquitur Johannes Balæus *De ſcriptoribus Britanniæ* Centuria 6. cap. 49. Contra illum ſcripſit Johannes Horneby Carmelita, zelo ordinis ſui provocatus, ac victoria potitus eſt, ut habet idem Balæus ibidem, Cent. 6. cap. 50. quod Opuſculum MS. extat inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 3629, in MSS. Codicibus Hyperoi Bodlejani Codice 163. Hæc Opuſcula nobis conſervavit Thomas Valdenſis Carmelita Anglus in *faſciculo Zizaniorum Magiſtri Joannis Widefi cum tritico*, quem idem Valdenſis collegit. Ibi autem Num. 37. *Magiſtri Johannis de Horneby Carmelitæ in Academia Cantabrigienſi concluſiones de Antiquitate, Titulo, & fundatione Carmelitarum contra Johannem Stockys anno 1374. p. 176. Ejuſdem in laudem ſui Ordinis aliud opuſculum* p. 211. ad 216. ibidem num. 38. ut habet Catalogus MSS. Codicum Bodlejanæ impreſſus p. 174. col. 2. Cum vero Joannes Stockes Dominicanus & alter Joannes Horneby circa annum 1370. inter ſe digladiarentur de Carmelitarum antiquitate, confirmatione & nomine, quod ſcilicet *Deiparæ Virginis Fratres* dicerentur, quo nomine Dominicani etiam appellari gaudebant: Carmelitæ annis quatuor poſthæc, obtinuerunt pecuniis ab Urbano VI. Romano Pontifice, ut quinque eos nominarent aut eſſe *Mariæ Fratres* dicerent, pro qualibet vice trium annorum Indulgentias ac totidem Quadragenas haberent: cum tamen nusquam legatur, illos fuiſſe Beatæ Virgini vel conſanguinitate vel affinitate junctos. Ita poſt Joannem Palæonydorum libro 3. cap. 13. Joannes Balæus loc. cit. Centuria 6. cap. 50. in contemptum igitur Privilegii hujus, quidam ſtatim aſſeruerunt eos eſſe *Fratres Mariæ Ægyptiacæ meretricis*, de qua Paulus quidam Diaconus Neapolitanus in *Vitis Patrum*: Sed pro Hæreticis damnati ſunt. Idem Urbanus Pontificatus anno primo 6. Kalendas Octobris, conceſſit iisdem, ut vota commutare poſſent (obſerva quæſo, votum mendicitatis mutare poſſunt) injuſtaque bona & incerta, recipere reſtitutionis loco. Sic Pater Papa filios enutriebat ad furta, ut hujus dicti particeps eſſet. Pſ. 40. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Hæc Rodolphus Hoſpinianus Libro 6. *de origine Monachorum* cap. 3. paginis mihi 386. col. 2. & 390. col. 1. Editionis Genevenſis 1669. in folio.

JACOBUS DE SANCTO ANDREA, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Profeſſor Theologiæ hoc tempore eodem floruit, atque Gregorio XI. Papæ obtulit *Alphabetum Etymologiarum novum, compilatum ex dictis B. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi*, cujus in principio habentur picturæ & Papæ & Auctoris. Extat autem inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1809. in manuſcriptis Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 208. Ita Catalogus impreſſus Oxoniæ anno 1698. MSS. Codicum hujus bibliothecæ p. 87. col. 2. 1370

JOANNES BURGENSIS ſeu DE BURGO, alius ab illo Benedictino Monacho atque 1370

que Abbate Petroburgensi, qui ad annum 1368. Chronicon Abbatiæ Sancti Petri de Burgo conscripsit, de quo paulo ante ad annum 1360. egimus. Quamvis illi ætate Suppar & Synchronus, natione Anglus, altricem habuit in studiis Academiam Cantabrigiensem, ubi absoluto studiorum cursu & Sacræ Theologiæ Doctoralem gradum sumpsit. Deinde profectus in Comitatum Nottinghamiensem, Ecclesiam ibi Cottinghamensem regendam pastor suscepit: ubi acceptum a Deo talentum & industria sua mirifice auctum, ad multorum salutem utiliter impendit, aliis exemplo bonæ vitæ prælucens, divini verbi prædicatione plurimos a vitiis ad virtutem traducens. Percrebrescente tandem ejus fama, denuo Cantabrigiam vocatus, communibus votis Universitatis Cancellarius factus est, ut qui tum virtutis tum eruditionis laudibus florebat, piis simul ac doctis viris suo jure præesse posset. Præfuitque magna cum auctoritate, multo cum fructu, tempore licet non multo: nam brevi ad suam Ecclesiam Cottinghamensem reversus, quod vitæ reliquum erat, illic transegit. Et quoniam in docendo populo & Sacramentis administrandis semper versabatur, ut suos labores faceret etiam posterorum fructus (inquit Pitseus quem ex scribo) ut in quibusdam bibliothecis invenio, non pauca nec indocta in eo genere scripsit. *Homiliarum ad populum, librum unum. De Sacramentis & Sacramentalibus* grande volumen, quod intitulavit *Pupillam oculi libri X.* Cujus initium *Humanæ Conditio naturæ*, MSS. in quamplurimis Angliæ bibliothecis, ut constat ex Catalogo impresso MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ, 2. in fol. voluminibus, Oxoniæ 1696. & 1698. in folio. Extat enim inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2082. in MS. Codicibus Thomæ Bodleji litera C. 3. Codice 14. num. 1. *Joannis de Burgo Compendium Pupillæ oculi, decem partibus.* Ibidem Codice 2324 in MSS. Codicibus ejusdem littera E. 6. Codice 5. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 462. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis R. 9. num. 4. Ibidem Codice 832. in MSS. Codicibus Collegii Exoniensis Codice 32 Ibidem Codice 1465. in MSS. Codicibus Collegii Æucinasi Codice 14. Ibidem Codice 1629. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 162. Ibidem Codice 2245. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 104. *Pupilla oculi Joannis Burgensis*, opus de Sacramentis in decem partes divisum, quarum nona tractat de Conservatione Ecclesiarum de decimis, & vestibus & Sepulturis, de feriis & jejuniis observandis. Magnam partem exscripsit Collector ex libro *Oculus Sacerdotis*, de quo ad annum 1330. verbo *Guilielmus de Pagula* locuti fuimus. Hæc anonymus adhuc MSS. Codicum annotavit. Ibidem Codice 2251. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Codice 110. Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 821. 823. in MSS. Codicibus Collegii Caiohonvilensis in MSS. Theologicis aliis & Miscellaneis, Codice 9. & 10. Ibidem Codice 1489 in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 222. *Pupilla oculi Joannis de Burgo Cancellarii Universitatis Cantabrigiensis.* Ibidem Codice 1752. in MSS. Codicibus Domus Sancti Petri Codice. Ibidem 90. Codice 2108. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 180. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 966. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Sarisburiensis litera B. Codice 40. Ibidem Codice 1069. in MSS. iisdem litera P. Codice 143. Ibidem Codice 1661. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Herefordensis Codice 69. Ibidem Codice 1681. in MSS. iisdem Codice 89. Ibidem Codicibus 7975. 8070. 8088. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codicibus 253. 348. 366. Ibidem Codicibus 9233. 9253. 9658. in MSS. Codicibus Joannis Mori Episcopi Norvicensis Codicibus 47. 67. 472. Ex quibus constat opus istud in pretio fuisse apud Anglos, quod etiam Argentinæ anno 1514. & Parisiis 1510. & 1518. impressum legitur. Tandem senex Cottinghamiæ diem extremum obiit anno gratiæ 1386. sub Angliæ Rege Richardo secundo. Meminit illius, Joannis Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus*, ætate XIV. Scriptore 682. ad annum 1386. pag. 542. quem secuti sumus.

NICOLAUS LINENSIS, id est de Linna Civitate regionis Norfolciensis, unde natus & cognominatus est. 1370 In cujus etiam urbis suburbiis ad stagnum Tugæum Cœnobium Carmelitani Ordinis iuvenis ingressus fuit & illud institutum integro affectu amplexus, ibidem in obsequio divino, regulari disciplina, & bonarum literarum studiis reliquam ætatem transegit. Vir in omnibus scientiis secularibus insigniter eruditus, sed qui in Mathematicis præcipuam posuit diligentiam, & in iis, ut Lelandi verbis utar, præcipuas collocavit partes. Astrologorum sui temporis in Anglia celeberrimus, quod etiam ex scriptis ejus apparet. Individuum habuit sodalem, suorumque studiorum socium Joannem Sambæum instituti ejusdem & Cœnobii Monachum. Hos duos *reverendos Clericos* appellat Gaufridus Chauserus, qui & in eorum laudibus profusus est. Extant varia ejus Opera, quæ Mathematicum excellentem ostendunt. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 8538. in MSS. Codicibus Antonii a Wood Codice 76. anno 1485. apud Wittel scripto, num. 21. *Canones super tabulas Guillelmi Read, una cum iisdem tabulis*, qui ad Nicolaum Linnensem spectare dicuntur. Ibidem Codice 1658. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 57. num. 10. *Tabula verarum conjunctionum Solis & Lunæ, cum veris Planetarum locis pro anno Domini 1375. super meridiem Oxoniæ.* Num. 11. *Tabula Eclipsium Solis contingentium*

gentium in Hemisphærio nostro ab anno Domini 1376. ad annum 1390. super meridiem Civitatis Oxoniæ: quæ ad eundem pertinent. Ibidem Codice 1692. in MSS. Codicibus ejusdem Digbæi Codice 92. num. 2. *Canones super Tabulas Reade facti anno Domini 1380. ut videtur, ad Meridiem Oxoniæ potius, quam Toleti.* Ex iis quæ apud probatos authores leguntur, facile adducor, ut cum Pitseo existimem, hunc Nicolaum fuisse ingenio præstantissimo, & sicuti in Astrologia excelluit, ita in Theologia quoque ex Opusculis ejus restantibus excelluisse. Nam inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 3099. in MSS. Codicibus bibliothecæ Norfolcianæ Codice 200. *Nicolai de Linea Kalendarium antiquum.* Ibidem Codice 6904. in MSS. Codicibus Henrici Worseley Codice 56. *Kalendarium indicans verum locum Solis, quantitatem dierum artificialium & vulgarium, oppositiones & conjunctiones planetarum &c. cum tabulis Eclipsium ad 75. annos, & descriptione quorundam instrumentorum Astronomicorum. Hoc Kalendarium fecit* (uti manu recentiori notatur p. 59.) *Nicolaus de Linea Ord. B. Mariæ de Monte Carmeli, inter lectores S. Theologiæ Universitatis Oxoniensis, anno Domini 1386. ad petitionem & complacentiam illustrissimi Principis D. Johannis Ducis Lancastriæ, incipiens a fine Kalendarii Reverendi Magistri Walteri de Elvenden.* Denique inter MSS Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 815. in MSS. Codicibus Collegii Cajo-Gonvilensis inter alios libros Theologicos & Miscellaneos Codice 2. liber cui titulus, *Reductorium Morale*, continens *Expositiones sive Capita in totam S. Scripturam exceptis Epistolis*, compositum ut apparet in fine, per fratrem quendam Carmelitam in oppido Linn in Anglia f. 24. Mentionem Scriptoris hujus faciunt, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. cap. 188. p. 254. Joannes Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XIV. Scriptore 622. p. 505. qui male illum an. 1370. mortuum scribit, quem excessisse annum 1390. certum est.

1370 NICOLAUS DE SANDWICO, cujus ætas incerta, hoc quoque tempore floruisse mihi videtur. Anglus natione, cujus Opuscula quædam supersunt, nam inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1817. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 216. num. 2. *Quæstiones Theologicæ Nicolai de Sandwico Oxoniæ collectæ &c.* Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1056 in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 92. num. 4. *Sermones Oxoniæ Lecti per Nicolaum de Sandwico.* Nullus quem legerim, Scriptoris hujus meminit, exceptis indicibus Catalogorum Bodlejanæ Bibliothecæ & Universitatis Oxoniensis, a quibus hæc habui.

1370 THOMAS STOBÆUS sive STUES, Anglice dictus, natione Anglus, Ordinis fratrum Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctor, post annum 1370. clarus in Historiis extitit, nomenque suum posteritati commendavit scribendo *Successionem & actus Archiepiscoporum Eboracensium*, quam deduxit a S. Paulino hujus loci primo Episcopo ad obitum Joannis Thoresbeji & regnum Eduardi tertii, seu a prima sedis fundatione usque ad an. MCCCLXXIII. Quamplurima ejus scripta Theologica enumerant quoque adhuc inedita, Joannes Balæus Cent. 6. cap. 36. & Joannes Pitseus ætate XIV. p. 512. Opus istud Historicum impressum est inter *Decem Scriptores Historicos Anglicos*, quos Joannes Sheldenus editioni paraverat, Twisdenus autem anno 1652. in folio Londini edidit, p. 1685. & sequentibus. Lelandus MSS. in Bibliotheca publica Oxoniensi, ita in vitam ejus effert: *Thomas Stobæus alias Stobbes, a Leandro Alberto Libro 4. de illustribus Prædicatoria Secta viris luculente celebratus est. Scripsit librum cui titulus*, „Statutum contra impugnantes Ecclesiasticas Constitutiones. De stipendiis, prædicatoribus verbi Dei debitis. De protectione vitæ solitariæ. De arte moriendi. Plura de eo habes apud Joannem Balæum *de Scriptoribus Angliæ* Centuria 6. Script. 36. cujus librorum in recensione, is qui hoc editus *de Archiepiscopis Eboracensibus*, memoratur. Agunt de illo Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Prædicatorum*, p. 247. Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 2. p. 536. ultimæ editionis. Joannes Sheldonius in Præludiis ad Decem Scriptores præfatos, p. 46. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1352. p. 125. & alii.

JOANNES MALVERNÆUS sive MILVERNÆUS, natione Anglus, Monachus Vigorniensis, Ordinis D. Benedicti floruit post annum 1370. & sequentes. Continuavit latino Sermone Ranulphi de Higden Polychronicon, extatque ea Appendix MS. Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti Cod. 152. sub hoc titulo, *Chronica Joannis de Malverne de continuatione Polychronici.* Porro cum Polychronicon Higdeni ad annum 1357. desinat, ut in Ranulpho Higdeno supra diximus, ubicunque in MS. Codicibus Higdeni, quæ sane in Anglia multi sunt, inveniuntur se extendentes ultra annum 1397. hæc Continuatio Joanni Malvernæo adscribi debet. Unde cum hoc Polychronicon in MSS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ 4915. ad annum 1377. ab initio mundi adducatur: nullus dubito, quin hæc continuatio Joannis Malvernæi sit, qui ad hunc usque annum scripsit & vixit. Agunt de illo Thomas Jamesius in *Ecloga Oxonio Cantabrigia* parte 2. p. 94. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 2. p. 532. ultimæ editionis, quem etiam a Balæo & Pitseo in Operibus suis *de Scriptoribus Angliæ* vix omissum putaverim. 1370

EMMANUEL seu MANUEL II. PALAIOLOGUS, Joannis Palæologi Imperatoris filius 1370

filius junior, Andronici Senioris frater a patre ad Imperium electus est. De anno, quo id factum, omnimode non constat, adversantibus sibi hac in parte scriptoribus. Quodsi Panvinianæ in Chronico Ecclesiastico supputationi, quem ex Antonio Augustino diligentissimo authore hausisse noscitur, fides adhibenda fuerit: Initium Imperii Emanuelis anno 1384. affigetur, quemadmodum habet Henricus Spondanus in Continuatione *Annalium Baronii*, ad annum citatum p. 10. & 11. quem heic sequimur. Imperium tenuit vel potius Imperii umbram, eo tempore quo conservandi illius, vel etiam ab Amurate invadente tutandi, cives haud quaquam suppetebant: unde magni nominis umbram potius quam Imperium habuisse dicendus est. Afflictus ille diversis cladibus, atque labentis Imperii domesticis etiam seditionibus ac fraudibus: unde circa medium Octobris anni 1397. venit ad Regem Galliarum Carolum missus ab Emanuele Græcorum Imperatore patruus ejus Theodorus Palæologus Cantacuzenus, cum litteris Græce & Latine Constantinopoli scriptis die prima Julii: quibus auxilium postulabat contra Turcos Constantinopolim infestantes, quos resistendo comprimere non poterat. Quamvis autem nuper accepta fuisset magna a Gallis clades apud Nicopolim, promisit tamen Rex suppetias Manueli, quibus se Ducem obtulit frater Regis Dux Aurelianensis xemissique nuntii cum muneribus ad propria narrant hæc Monachus Sancti Dionysii & Juvenalis de Vrsinis, cum tamen nihil de hac legatione apud Græcos invenerimus: nisi quod hoc tempore missum ait Chalcocondylas Joannem Andronici filium, Emmanuelis nepotem in Italiam sub specie petendi a Genuensibus auxilii, quibus occulte mandabatur fide Græca, ut captivum eum detinerent: sicut & multo tempore fecerunt. Theodorum autem nullum hoc tempore istius familiæ reperimus, præter fratrem Manuelis, Peloponnesi Despotam. Anno 1400. die 3. Junii Emanuel ipse, Græcorum Imperator Constantinopolitanus, Lutetiam Parisiorum appulit, magnificentia tantæ Majestatis culmine digna exceptus, ad obtinendas contra Turcos in se irrumpentes suppetias: quam etiam ob causam, teste Walsinghamo transmisit in Angliam. Sed Angliæ tunc temporis commotiones ex usurpatione Regni, & Galliæ inter Regis propinquos discordiæ cum frequenti Regis morbo, miserrimum Imperatorem a fructuosiori itineris successu privarunt. Per biennium quo Lutetiæ commoratus est ac lautissime semper impensis Regiis habitus, ibi cum magna Gallorum admiratione, ejus Sacerdotes suo ritu rem divinam Græce agebant. Cum autem doctissimus ille esset a linguæ Græce politioris, ibidem in otio positus, scripsit Opus non contemnendum, de quo ita Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* p. 53. *Manuel Palæologus Imperator, in Gallia sive peregrinus sive exsul, scripsit Apologeticum centum quinquaginta sex capitibus comprehensum, ad Latinum quendam Parisiis agentem, qui in figura Syllogismi ad eum scripserat: quibus Manuel ostendit, Syllogismum illius physicum esse, atque a Theologica ratione alienum, Extabat Romæ in Bibliotheca Vaticana, cum ejusdem Epistolis.* Imo adhuc extat, ut constat ex Catalogo licet imperfecto hujus Bibliothecæ Vaticanæ p. 12. quem ad calcem *Apparatus Sacri* subjecit idem Antonius Possevinus. Meminerunt hujus itineris authores etiam Græci, Laonicus Chalcocondylas Lib. 2. & Georgius Phranzes Lib. 1. *Historiæ* cap. 20. narrantes primo Venetias appulisse, indeque ad Ducem Mediolanensem accessisse, a quo munera & amplum comitatum in Galliam acceperit. Cum autem ob Regis morbum modice apud Principes ejus diffidentes proficeret, post diuturnam expectationem, ad sua se per Germaniam & Hungariam recepisse: cum interim urbis Constantinopolitanæ custodiam adversus Bajazetis Turci oppugnationem Joanni ex fratre Nepoti commisisset: quæ a multis jam annis obsessa, adeo in arctum redacta erat, ut nisi succurrisset Deus per adventum Tamerlanis contra Bajazetem, protinus in ditionem victoris illius accessisset. Antequam autem Joannes Manuelis filius ad Imperium eveheretur, ipse Manuel velut Imperator eruditus, insigne ad filium Opus *de Principis institutione* scripsit, de quo ita Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 503. *Emanuelis Palæologi, principales institutiones Græce ad Joannem Palæologum filium*, de Principis institutione: *in quibus varia, de virtute, de bono & malo, de proairesi, sive libera voluntate & proposito, de voluptate, de humilitate animi: extant quidem MSS. in Bibliotheca Imperatoria Viennæ Austriæ, quæ & postea tum Græce & Latine factæ, prodierunt excusæ.* Extant quidem *Manuelis Palæologi Capita centum Parænetica sive Commonitoria ad filium suum Joannem Palæologum cum præfixa Epistola proœmiali.* MSS. tribus Codicibus Græcis in Bibliotheca Cæsarea Viennensi inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Cod. 188. num 14. ut habet Lambecius Libro 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 207. atque in Catalogo p. 246. & 258. Inter MSS. Codices Philosophicos Græcos, Cod. 88. num. 2. & 89. num. 2. ut habet item Lambecius Libro 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 155. & 160. Prodierunt autem Græce & Latine, studio & Opera Joannis Leunclavii Hamelburgensis, anno 1578. in 8. Basileæ apud officinam Petri Pernæ, ex manuscripto illo Codice qui extat 89. inter Manuscriptos Codices Philosophicos Græcos, de quo Lambecius loco citato amplissime loquitur.

Manuelis Palæologi Imperatoris Capita centum parænetica sive Commonitoria ad filium suum Joannem Palæologum, cum præfixa Epistola proœmiali.

Ejusdem

Ejusdem Orationes septem Ethicopolitica, ad eundem filium suum Joannem, cum subjuncto communi Epilogo

Epistolari: ubi de virtutibus ac vitiis, & bonarum litterarum studio agitur.

Ejusdem *Oratiuncula paranetica ad benevolos suos subditos.*

Ejusdem *Preces ad Deum dua matutina*, quæ utcunque prolixæ sunt.

Carmen Catanycticum sive compunctorium in sex præcepta Christi.

Descriptio imaginis Veris in Auleo textili Operis Phrygii.

Meditamentum Rhetoricum, quibus verbis Temires sive Tamberlanes, Persarum & Scytharum Imperator, Bajazetem Turcarum Imperatorem, a se victum, alloqui potuerit.

Ejusdem *Gratiarum actio ad Deum, instar Psalmi ob interitum Bajazetis,*

In MS. autem Codice Philosophico Græco 88. num. 6. ut habet Lambecius Lib. 7. seu tomo Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 157. extat, "Sexto & quidem a fol. 112. p. 1. usque fol. 125. p. 2. Ejusdem *Imperatoris Manuelis Palæologi Dialogus cum Matre sua de nuptiis*, cujus titulus & principium: Τῦ αὐτῦ Διάλογος πρὸς τὴν κυρίαν αὐτῦ Δέσποιναν καὶ μητέρα, ἢ περὶ γάμυ. Βασιλεύς. ὦ μῆτερ εἰ ποτε ἄλλως εἶχον δόξης περὶ τῦ πράγματος, ἄλλως δὲ ἔχων ἐπλαττόμην διαλεγόμενός σοι, ἄραγε τὰ πάντα μοι χαρίζεσθαι βυλομένη ἄγνοιάν τινα καὶ αὐτὴ πλαττομένη ὐκ ἠλεγχέσμοι ἢ ἐλάνθανον ἀληθῶς; Δέσποινα. ὔτε ᾐσθόμην, ὦ φίλτατε, ὔτ᾽ ἂν αἰσθομένη ἐχαριζόμην &c. Septimo & quidem a fol. 126. p. 1. usque ad fol. 175. pag. 2. Ejusdem *Imperatoris Manuelis Palæologi Oratio funebris* valde prolixa & tota fere *Historica in fratrem suum natu minorem Theodorum Despotam*, sive *Principem* τῆς Λακεδαιμονίας, sive *Laconiæ provinciæ Peloponnesi:* cum præfixa Georgii Gemisti Plethonis Protheoria & Joasaphi Hieromonachi judicio de charactere ejusdem Orationis. Protheoria Plethonis inscribitur atque incipit his verbis: Κυρῦ Γεωργίυ τῦ Γεμιςῦ προθεωρία τῦ παρόντος λόγυ. Περιπαθὲς μὲν τὸ προοίμιον, καὶ οἷον γένοιτ᾽ ἂν, ἀδελφῷ πρέπον, ἐπιτάφιον ἀδελφῷ διεξιόντι. πατρίδος δὲ καὶ γένυς βραχύ τι μνησθεὶς, ὁ τάδε λέγων Θειότατος βασιλεὺς. ὐκ ἐπιπλέον ἐνδιατρίβει τῷ περὶ τύτων χωρίῳ, ἐπειγομένος μὲν ἐπὶ τὰς τῦ ἐπαινυμένυ πράξεις, ὔσας ὐκ ὀλίγας, ὔδε βραχέων τῶν λόγων δεομένας. ἀπολογίαν δὲ πορισάμενος, ὡς διὰ τὸ πᾶσι τύτων περιφανὲς, καὶ μηδ᾽ ὑφενὸς ἀγνούμενον, ὐκ ἀναγκαῖον ὄν ᾖ &c. Qua Protheoria finita, sequitur Joasaphi Hieromonachi judicium de charactere ejusdem Orationis, hoc modo: Τῦ Ἱερομονάχυ κυρῦ Ἰωασὰφ περὶ τῦ χαρακτῆρος τῦ λόγυ. Ὅσα μὲν ὡς ἐν προθεωρίᾳ λόγυ τῦ παρόντος εἰπεῖν ἔδει πρὸς ἀνδρὸς εἴρηται σοφῦ, καὶ δεῖ τύτοις προσθεῖναι. δέον γε μὴν εἰπεῖν καὶ περὶ τῦ χαρακτῆρος. Ἔςι τοίνυν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὔτε ἐπηρμένος, ὔτε ταπεινὸς, ἀλλὰ τὸ μέτρον τιμῶν. αἵ τε γὰρ ἔννοιαι &c. Hinc porro sequitur ipsius Imperatoris Manuelis præfatiuncula, qua fratri suo defuncto eandem Orationem dedicat his verbis: Τῦ βασιλέως Ἥκω πενθήσων, καὶ σε μὲν, πάντων ἄριςε, εἰ καὶ πρὸς Θεὸν ἐκδεδήμηκας. ἡ φύσις γὰρ ὐ δίδωσιν ἀδακρυτὶ τὸν τάφον θεάσασθαι, ἡμᾶς δ᾽ αὐτὺς καὶ πρὸ σῦ, ὡς τὸ κράτιςον, ὧν εἴχομεν, ἀφῃρημένος, σαυτόν. δέον δ᾽ ὂν καὶ τοῖς ἐπαίνοις κοσμῆσαί σε, τὸ χρέος ἀφοσιώσομαι. Τὸ γὰρ κατ᾽ ἀξίαν, ὐδ᾽ ἂν ὐδ᾽ εἰ πᾶς μὲν ἀνθρώπειος νῦς, πᾶσαι τε γλῶσσαι εἰς ταυτὸν ἀκριβῶς συνῆλθον, συνεισενεγκεῖν ὅλως εἶχον. Inscribitur deinde atque incipit ipsa Oratio, his verbis: Τῦ Εὐσεβεςάτυ καὶ φιλοχρίςυ Βασιλέως Μανυὴλ τῦ Παλαιολόγυ λόγος ἐπιτάφιος εἰς τὸν αὐταδελφὸν αὐτῦ, Δεσπότην τὸν Πορφυρογέννητον, κύριον Θεόδωρον τὸν Παλαιολόγον, ῥηθεὶς ἐπιδημήσαντος εἰς Πελοπόννησον τῦ Βασιλέως. Ἀλλά τι καὶ φθέγξωμαι πρὸς ὑμᾶς ὦ παρόντες, μήτ᾽ αὐτὸς λέγειν ἰσχύων μήθ᾽ ὑμᾶς ὁρῶν δυναμένυς καθαρὰν τὴν ἀκοὴν ὑποσχεῖν λόγοις. Ἐμέ τε γὰρ ἀφωνία κατέσχεν ὑπὸ τῆς μεγίςης ταυτησὶ συμφορᾶς, ὑμᾶς τε &c. Desinit autem Oratio, συγγνώσεσθε δὲ καὶ ὑμεῖς, ὦ παρόντες, τῦ ἐγχειρήματος τὸ ἅπαντες ἐννοῦντες, εἰ μὴ κοτύλαις τὸ πέλαγος μεμετρήκαμεν, ἀλλ᾽ ὡς ἐκ ποταμῦ τινος ἀενάυ ἀρυσάμενοι, ὅσον οἷόν τε, δεδώκαμεν ἡμῖν γεύσασθαι ὡς ἂν, τὸ πότιμον ἐκείνυ καὶ διειδὲς, ἀπὸ τῦ μέρυς γένοιτο, δῆλον &c." Hanc vero *Orationem funebrem in Theodorum Palæologum Despotam Laconiæ*, edidit ex MSS. Codice Regiæ Bibliothecæ Gallicæ, Franciscus Combefis Græce & Latine, admodum prolixam cum Notis, tomo 2. p. 1045. *Auctarii* novi & Veterum Patrum Bibliothecam, editionis Parisiensis anno 1648. in folio.

Hujus quoque Imperatoris etiam extat in Bibliotheca Sancti Ambrosii Mediolanensis, *Codex Disputationum Emanuelis cognomento Palæologi, cum Persa quodam nobili*, ut testatur αὐτόπτης Bernardus de Montfaucon Benedictinus Monachus, Congregationis *Sancti Mauri* in Gallia, cap. 2. p. 14. *Diarii Italici* anno 1702. Parisiis apud Joannem Anisson editi, ubi de Bibliothecæ hujus MSS. Codicibus a se inspectis loquitur. Idem in Bibliotheca Galliarum Regia Parisiis, egregium *Opus viginti sex Dialogis constans cum nobili quodam Persa*, ut fingit, *De religione Christiana ac præcipuis fidei mysteriis, deque Mahometismi impietate habitis.* Ita Codice MS. Græco 2417. inscribitur: *Manuelis Palæologi Imperatoris ad Theodorum Porphyrogenitum Palæologum, Despotam fratrem, Dialogi XXVI. quos habuit cum quodam Persa, dignitate Muterisa Ancyræ Galatiæ.* Hujus Operis meminit Du Cange in Appendice ad *Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis* colum. 137. voce Μυτερίζη, quæ dignitas apud Turcos. Servatur in Bibliotheca Regia Cod. 2417. hoc titulo: Τῦ ἐν βεβεςάτυ καὶ φιλοχρίςυ βασιλέως Μανυὴλ τῦ Παλαιολόγυ, πρὸς τὸν περιπόθητον αὐτῦ ἀδελφὸν, πανευτυχέςατον Δεσπότην Πορφυρογέννη-

ρεγέννητον Θεόδωρον τὸν Παλαιολόγον, διάλογος ὃν ἐποιήσατο μετά τινος Πέρσου, δοῦ ἀξίαν Μουτερίζης, ἐν Ἀγκύρᾳ τῆς Γαλατίας. Sunt autem Dialogi XXVI. Et Dialogo I. Μουτερίζης οὗτος προσηγορεύετο, ὄνομα δὲ τοῦτο τῆς προεδρίας τε καὶ τιμῆς. Nescio, an is, qui Leunclavio Lib. 13. Historiæ Musulman *Mutesibi* appellatur, qui pretia scilicet fructibus, aliisque rebus, etiam ædibus locandis imponit. Item in *Indice authorum Manuscriptorum* col. 29. *Manuelis Palæologi Oniro criticon* ex Codice Regio 1848. post Achmetem hoc titulo, ἕτερος ὀνειροκρίτης κυρίου Μανουὴλ τοῦ Παλαιολόγου. Denique juxta Allatium Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 18. §. 3. col. 854. scripsit *De processione Spiritus Sancti contra Latinos*. Opus ingens CLVII. capitibus comprehensum, cujus initium, κρεῖττον ἂν ἦν σοι ταῦθ' ἃ σοι πρὸς ἡμᾶς εἴρηται &c se prolixiore sermone & multiloquentia victurum Adversarios putans. Fuisse namque Studiis Philosophicis ac Theogicis apprime excultum, jam ex supradictis sufficienter vidimus. Leoque pariter Allatius inter eas Orationes & Encomia, quæ sub certis authoribus in manuscriptis Sanctorum Metaphrasibus Græcis habentur, attribuit illi in Diatriba *de Symeonum Scriptis* Orationes duas, unam, qua probat, *peccatum omnium esse malorum pessimum* p. 102. alteram *in Dormitionem sanctissimæ Deiparæ* p. 114.

Narrat autem Phranzes, qui tunc Imperatoris Cubicularius factus est, anno mundi 6927. hoc est Christianæ epochæ 1419. cessisse Imperio Emmanuelem, tunc annos 69. cum dimidio natum, Joannemque filium ejus natu maximum, ducta in uxorem die 19. Januarii Sophia Marchionis Montisferrati filia, solenni ritu inauguratum esse Imperatorem. Hæc Phranzes Lib. 1. cap. 18. a quo non abludit Onuphrius Panvinius, qui Joannis in Imperium ingressum, sub anno præcedente collocavit, Idem juxta Spondanum in Continuatione Annalium Baronii ad annum 1420. num. 8. misit Legatos ad Summum Pontificem Martinum V. qua in his, quæ ad fidem pertinent, pollicebatur Græcos velle in Latinorum sententiam venire, dummodo conditiones æque proponerentur: atque ad hanc concordiam promovendam Martinum V. Legatos destinasse in Græciam. Denique ut Phranzes numerat Lib. 1. *Historiæ* cap. 41. anno mundi ex Græcorum comperto 6933. qui ex constituta vulgo Chronologia anno Christi Domini 1425. respondet, Emmanuel senex, qui etiam post filii sui institutionem, Græcorum tamen adhuc Imperator vocabatur, die Julii XXI. ex hac vita discessit, ex diuturna semiapoplexia dissolutus, qui biduo ante obitum, una cum nomine Matthæi, Monasticum schema induit pro more Græcanico, annum ætatis LXXII. emensus. In cujus obitu Bessarion, magnum illud Ecclesiæ Græcæ Latinæque lumen, de quo plenius postea, tunc adhuc fere adolescens, Monodiam seu funebrem Orationem de ejus laudibus habuit: quam a Nicolao Perotto Latinam factam, Bzovius in lucem edidit tomo XVIII. Annalium ad annum 1472. num. 56. Agunt de *Emmanuele Palæologo Imperatore* Laonicus Chalcocondylas & Gregorius Phranzes in Historiis seu Chronicis suis. Ex recentioribus omnes, qui Annales Baronii Cardinalis exceperunt & prosecuti sunt, Odolricus Raynaldus, Abraham Bzovius, & Henricus Spondanus, quos quisque per otium excutere potest. De Scriptis vero illius Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Emanuel Palæologus* p. 503. Et tomo 2, verbo *Manuel Palæologus* p. 53. Henricus Spondanus in continuatione Annalium Baronii ad annum 1425. num. 9. Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum Scriptis*, pagg. 102. & 114. Petrus Lambecius tomo seu Libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis p. 207. ubi Codicem MS. Theologicum Græcum 188. recenset, & in Catalogo p. 247. Potissimum autem Libro VII. hujus Bibliothecæ, ubi de Manuscriptis Philosophicis Græcis p. 155. & 160. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi p. 293. & 317. Carolus du Fresne, Dominus du Cange in Catalogo Authorum impressorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, col. 55.

NILUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, anno 1378. sub Imperatore Joanne Palæologo, Andronici Palæologi junioris filio, vulgo *Calo-Joanne* dicto, annis octo Patriarchatum tenuit, nempe usque ad annum 1386. quo Antonius hujus nominis IV. illi successit. Scripsit iste Nilus *Orationem ad Deum supplicem, contra Barbarorum incursionem Bellum intestinum, famem, pestem, & mortem subitam*: quæ Græce MS. extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Græco Historico LXIX. num. 3. de qua sic loquitur Petrus Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 526. his verbis. "Tertio & quidem a folio 56. p. 1. usque ad folium 58. „ p. 1. *Nili Archiepiscopi seu Patriarchæ Constantinopolitani Oratio supplex ad Deum, contra,„ Barbarorum incursionem, bellum intestinum, fa-„ mem, pestem & mortem subitam*; cujus titulus,„ & principium. Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Νεί-„ λου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ ἐλεή-„ μονος· Εὐχὴ ἱκετήριος πρὸς Θεὸν ἤ τις προσή-„ κει λέγεσθαι ἐπὶ βαρβάρων ἐπιδρομῇ, καὶ ἐμ-„ φυλίῳ πολέμῳ, καὶ λοιμῷ καὶ θανάτου πλη-„ γῇ. Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ,„ ὁ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ Πατὴρ, ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς„ καὶ τῆς ἀθανασίας &c. In margine autem Jo-„ annes Sambucus ibidem manu sua notavit, se„ illam Orationem in Latinum transtulisse ser-„ monem, eamque versionem, sed absque„ textu Græco in lucem edidisse Patavii anno„ 1555. quæ editio etiam nunc extat in Bibliothe-„ ca Cæsa-

1383

„ca Cæsarea, & quidem quinque foliis in 4. „non autem in folio, ut non solum in Bibliotheca Conradi Gesneri a Josia Simlero & Joanne Jacobo Frisio aucta: sed etiam in Philippi „Labbei Dissertatione Historica *De Scriptoribus „Ecclesiasticis* tomo 2. p. 126. perperam legitur. „Dedicavit Sambucus istam editione *Nicolao „Olaho* Strigoniensi Archiepiscopo, Hungariæ „Primati, sanctæ sedis Apostolicæ Legato nato, sereníssimi Romanorum Regis Ferdinandi I. summo Secretario & Cancellario ipsis Augusti Calendis anni 1555." Errarunt autem Leo Allatius, qui in Diatriba *De Nilis & eorum scriptis*, ubi a p. 7. usque ad p. 35. agit de Operibus sancti Nili, sancti Joannis Chrysostomi discipuli, ibidem p. 17. attribuit hanc Orationem Nili istius Patriarchæ Constantinopolitani qui ab anno 1378. ad 1386. Ecclesiam hanc administravit, huic Nilo, sancti Joannis Chrysostomi discipulo, qui ex Urbis Constantinopolitanæ Præfecto, Monachus postmodum & Abbas anno 440. floruit. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. p. 125. & 126. qui Leonem Allatium errantem secutus est. De *Nilo isto* Lambecius Lib. 8. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis p. 526. 527. & 528. atque in Catalogo Scriptorum hujus tomi p. 564. & 579.

1380 GUILLELMUS THORNE CANTUARIENSIS MONACHUS, Cœnobii Sancti Augustini, Ordinis D. Benedicti, claruit post annum 1380. & scripsit Laudatum a Lelando MS. in Bibliotheca publica Oxoniensi, *Chronicon de Gestis Abbatum S. Augustini Cantuariensium*, ab ipso Sancti Augustini in Angliam appulsu usque ad annum 1397. quo paucis quibusdam resectis, maximam Chronici hujus partem, nempe ad annum usque 1272. ex Thomæ Spotti anterioris Scriptoris Historia mutuatus est, reliquam vero partem proprio labore usque ad citatum 1397. deduxit. Chronicon istud evulgatum est inter *Scriptores X. Historiæ Anglicanæ* Londini anno 1652. in folio p. 1757. Idem creditur author *Quadrilogi de Vita & morte S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, ex quatuot Auctoribus contexti jussu Gregorii XI. qui anno 1370. Ecclesiæ Romanæ præfectus, anno 1378. Romæ die XXVII. Martii obiit. *Quadrilogus* autem impressus est primum Parisiis anno 1495. in 4. tum Bruxellis anno 1682. in 4. cum S. Thomæ Epistolis. Scripsisse etiam fertur *Chronicon de Comitatibus, Episcopatibus & Abbatiis per totam Angliam*, quod quidem opus nondum typis editum, extat MS. in Bibliotheca Sancti Benedicti Cantabrigiæ, Cod. 67. Idem est, qui apud Contadum Gesnerum in *Bibliotheca*, & apud ejus exscriptorem Antonium Possevinum in *Apparatu sacro* dicitur *Guillellus Thornei*, & 1334. male adscribitur, anno 1380. vel circiter assignandus. De illo Nomenclatores omnes Scriptorum Ecclesiæ & Anglici præsertim, ut Joannes Balæus Centuria 6. Scriptore 63. Joannes Pitsæus Ætate XIV. Scriptore 660. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 61. p. 494. & Lib. 3. cap. 3. p. 540. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1380. p. 64.

BONAVENTURA BADUARIUS A PERAGA, natione Italus, ortu Patavinus, 1380
ex illustri familia originem duxit, quam doctrina ac fortitudine sua illustriorem reddidit. Juvenis Ordinem Eremitarum Divi Augustini ingressus, magnam spem ac speciem virtutis eximie præ se ferens, ad studia Parisios missus, tantos in literis progressus fecit, ut postquam ibi per annos plures studiis incubuisset, Theologiæ Doctor ac Lector apud Fratres suos & in Academia Parisiensi renuntiatus sit. Cum itaque inter Fratres suos inculp[illegible]us vixisset, officiisque multis cum integritate ac Subditorum benevolentia functus esset, Ordinis sui Generalis in Comitiis Veronensibus anno 1377. electus est. Atque hinc ad majora promotus, Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ ab Urbano VI. Pontifice anno 1378. mense Septembri renuntiatus, variis a Romana sede Legationibus destinatus est, quas summa dexteritate & prudentia obivit. Doctrinam suam multis operibus, quæ typis etiam impressi sunt, testatam reliquit. Extant *Tractatus IV. in Libros Sententiarum Petri Lombardi* 2. Voluminibus seu tomis IV. Norimbergæ 1491. in fol. *Sermones de tempore Lib. 1.* item *Sermones de Sanctis Lib. 1.* editi Swollæ 1479. in fol. & Hagenoæ 1496 in fol. Ejusdem *Varii Tractatus* seu *Parva Opuscula* Coloniæ 1486. Venetiis 1477. Argentinæ 1499. Norimbergæ 1499, *Speculum B. Mariæ Virginis* Augustæ Vindelicorum 1476. Argentor, 1476. Ejusdem *Breviloquium* seu *Meditationes in vitam Christi*, Norimbergæ 1472. Tandem dum iniquis Francisci Carrariensis Patavinorum Reguli conatibus, quanta animi poterat constantia, obsisteret, immensis ab eo sicariis, occisus Romæ est anno 1386. seu ut alii volunt, anno 1389. sed juxta alios 1396. vel etiam 1399. Cujus mentionem faciunt Josephus Pamphilus in *Chronico Ordinis Eremitarum* p. 67. qui illi etiam *Commentaria in Canonicos SS. Jacobi & Johannis Epistolas* adscribit. Aubertus Miræus in *Auctario Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 442. Henricus Warthon in Supplemento *Historiæ literariæ Guilelmi Cavi* ad annum 1977. p. 63. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* p. 33.

JOANNES ARCHIDIACONUS DE KIKULLEW, in Ecclesia Transsylvana, 1382
Vicarius Generalis in Spiritualibus Strigoniensis Archiepiscopi, anno 1380. ac sequentibus claruit, qui *Res gestas Ludovici Hungariæ Regis* fideliter & ample scriptis commendavit, usque ad ejus obitum in annum Christi MCCCLXXXII. incidentem. Fuerat autem Secretarius seu Notarius a Secretis Ludovico

Regi,

Regi, cujus Acta composuit, unde domesticas illius res ac publicas, maxime exploratas habere potuit. Hujus mentionem faciunt Joannes Touroczius, qui Historiam ejus ad annum 1382. suæ inseruit, quæ anno 1488. in fol. Augustæ Vindelicorum edita fuit, de qua dicemus ad annum 1460. verbo *Joannes Thuroczius*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 3. p. 539. & cap. 6. p. 572. editionis ultimæ ao. 1651. Lugduni Batavorum in 4.

1380 PETRUS QUESVEL, natione Anglus, ex Ordine Fratrum Minorum, Conventus Nordvicensis alumnus, circa annum 1388. & ultra floruit, Jurisconsultus & Theologus insignis, qui erudite scripsit *Directorium Juris in foro conscientiæ & judiciali*, Opus, quod in quatuor Libros seu Tractatus distinxit, scilicet

De summa Trinitate & fide Catholica, & de septem Sacramentis Lib. I.

De iisdem Sacramentis ministrandis & accipiendis Lib. I.

De criminibus, quæ a Sacramentis impediunt, & de pœnis iisdem injungendis Lib. I.

De iis, quæ ad jus & judicium spectant, ordinate dirigendis Lib. I.

Quæ omnia olim MSS. asservata sunt in Bibliotheca Franciscanorum Nordvicensi. Extat autem Opus istud manuscriptum in Bibliotheca Vaticana, & in Minorum Toletana, littera X. num. 81. cum hoc titulo: *Summa, quæ vocatur Directorium Juris in foro conscientiæ & judiciali, composita a Fratre Petro Quesvel de Ordine Fratrum Minorum, ex Juribus Doctorum & Summis diversorum.* Volumen est ingens, & stylus præter Juristarum consuetudinem elegans. Hæc Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* p. 288. fere ad verbum, cui addo, Operis hujus elegantis extare unum exemplar MS. in Bibliotheca Claræ Vallis Abbatiæ, ex Catalogo illius, quem aud me recentem & accuratum habeo. Et alia duo MSS exemplaria in Bibliotheca Parisiensi Colbertina, Codicibus 328. & 2302. ut indicavit Stephanus Baluzius Bibliothecæ Præfectus, qui Opus elegans atque optimum censet. Hujus meminit Josias Simlerus Gesneri epitomator *Bibliotheca abbreviata* p. 681. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Lucas Wadingus loco citato. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice authorum*, quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis.

1380 MATTHÆUS EBROICENSIS, natione Gallus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, quem in Conventu Ebroicensi in Normannia posessus est, ob eximiam religionem & eruditionem Carolo VI. Galliarum Regi carissimus, floruit anno 1380. & sequentibus. Conspicuus igitur tum probitate vitæ, tum doctrina non vulgari, subtilis sanctorum Voluminum perscrutator, composuit *Commentaria in Genesin, Exodum, Numeros, Leviticum & Deuteronomium*. Insuper *Postillam in Esaiam & super alios multos Libros Sacrorum Bibliorum*, quæ MS. asservantur in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Ebroicensium. Miror nec possum parcere Ambrosio Altamurano insignem quam hic admittit hallucinationem, Bibliothecario intra seculum nostrum doctissimum scribente, omnino indignam. Opinabar primum illam esse mendum typographiæ, sed re maturius expensa, parachronismum authoris certo esse cognovi. Vult igitur insignis Chronologus, Matthæum Ebroicensem Carolo VI. Galliarum Regi fuisse carissimum, cujus & vere temporibus floruit, quippe qui regnum anno 1380. adeptus est, & sequenti usque ad annum 1422. Veruntamen in Bibliotheca non tantum hunc Matthæum Ebroicensem ad annum 1298. semel collocat, annis fere centum ante Caroli VI. regnum: sed idem repetit ad eundem annum in *Appendice* p. 463. ut nullum hujus supinitatis dubium Lectori relinqueret. *Pictoribus atque Poetis cuncta licent* &c. Meminit *Matthæi Ebroicensis* Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca Sancta* p. 274. Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* p. 172. Conradus Gesnerus vel Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca* p. 590. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Ambrosius Altamura in *Bibliotheca Dominicana* ad annum 1298. p. 75. & in *Appendice* ad eundem annum p. 463.

PHILIPPUS REPINGDON vel REPINGTON, natione Anglus, Canonicus Londinensis Ecclesiæ, clarus Wicklefi discipulus, ejusque doctrinæ sectator fidelis, extitit annum circa 1380. celebris. Nam in MS. Codice Bodleianæ bibliothecæ 3072. de quo locuti sumus in Operibus Wicklefi recensitis inter MSS. Codices Thomæ Bodleji, Rotulis in Archivo A. Codice 83. qui Opuscula Wickleffi varia contra Ecclesiasticos & Monachos suæ ætatis complectitur, num. 6. extat *Protestatio Nicolai Hereforth pro Philippo Repingdon in carcere Londini anno Domini 1382.* p. 70. Num. 7. *Protestatio Joannis Acton*, ibidem. Igitur ob amplexam defensamque Wickleffi doctrinam anno 1382. in carcerem Londini conjectus est. Itemque in *Fasciculo zizaniorum Magistri Johannis Wicklefi cum Tritico*, quem collegit Thomas Netterus seu Waldensis, Anglus, Ordinis Carmelitarum, qui MS. extat inter MSS. Codices Bodlejanæ ejusdem jam allatæ bibliothecæ Codice 3629. in MSS. Hyperoi Bodlejani Codice 163. num. 15. habetur titulus, *Qualiter Nicolaus Hereford & Philippus Reppyngton fovebant Johannem Wicliffe* p. 67. Scripsit Philippi Reppyngton *Homilias super Evangelia Dominicalia anni*, quæ extant inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1397. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi & Academiæ Cancellarii Litera I. Codice 57. Et inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1323. in MSS. Codicibus Collegii Lincolniensis, in Archivis ex parte Australi bibliothecæ Codice 3. *Sermones Dominicales Magistri Repyngton*

pyngton Canonici in fol. Ibidem Codice 1521. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 54. *Philippi Repington Sermones Dominicales*, fol. in membrana. Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 724. in MSS. Codd. Collegii Cajo-Gonvilensis Codice 34. *Repingtoni Dominicalia*, K. 56. Ibidem Codice 1978. in MSS. Aulæ Pembrochianæ Codice 49. *Sermones Repington*. Denique inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 796. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 121. Hæc de Philippo Repington *Catalogi MSS. Codicum Angliæ* nobis suppeditarunt.

1380 JOANNES ACTON, natione Anglus, Canonicus Lincolniensis, eodem tempore claruit, & ejusdem Johannis Wicklefi doctrinam cum ardore amplexus est. Nam inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ Codice 3072. de quo in Operibus Wicklefi recensendis locuti sumus, in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, Rotulis in Archivo A. Codice 83. qui Opuscula Wickleffi varia contra mores corruptos Ecclesiasticorum & Monachorum ætatis suæ complectitur, num. 7. extat *Protestatio Johannis Acton pro Philippo Repington in carcere Londini detento anno Domini 1382*, p. 7. Itemque in *Fasciculo zizaniorum Magistri Johannis Wicklefi cum Tritico*, quem collegit Thomas Netterus seu Waldensis Anglus, Ordinis Carmelitarum, qui MS. extat inter MSS. Codices ejusdem Bodlejanæ bibliothecæ Codice 3629. in MSS. Hyperoi Bodlejani Codice 163. num. 23. habetur *Magistri Acton Confessio in materia de Sacramento Altaris* p. 74. Num. 24. *Alia ejusdem Confessio, quam scripsit Archiepiscopo Cantuariensi*, ibid. Commisit nomen suum posteris Joannes Acton, scribendo *Apparatum in Constitutiones Othonis & Othoboni*, Papæ Legatorum, qui extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2642. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super D. I. Art. Codice 43. ubi num. 1. *Othonis & Othoboni Constitutiones Legatinæ cum Apparatu Johannis Actoni Canonici Lincolniensis*. Idem Opus inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 927. in MSS. Juridicis Collegii Cajo-Gonvilensis Codice 82. notato litera G. 59. Ibidem Codice 1857. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 195. *Joannes Acton super Constitutiones Legatinas*. Ejusdem *Commentarius in Constitutiones Provinciales* ibidem Codice 1855. in MSS. Codicibus ejusdem Domus S. Petri Codice 193. *Joannes Acton in Provinciales Constitutiones*. Hæc ex Catalogis impressis anno 1698. Manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ Codicum, quos diligenter excussimus.

1380 RICHARDUS DE MAIDESTON, natione Anglus, Poeta non ignobilis atque Theologus eodem tempore clarus extitit, librumque scripsit dictum *Protectorium Pauperis*, quem inseruit *Fasciculo zizaniorum Magistri Johannis Wickleffi cum T*[...] *virtutibus*, aliaque ejus-" [...]sis seu Netterus. In h[...]ico in Latinum transtu-" [...]tat inter MSS. Codices [...]iridi Valle & Namurci," Codice 3629. in MSS. Co[...]riptæ leguntur. Ad," lejani Codice 136. num. 36[...] die XX. Augusti," *ston Liber dictus* Protectoriu[...]ansivit, a Thoma," ad p. 176. In eadem biblio[...] Jodoco Badio," in MSS. iisdem Codice 165.[...]latus." De illo *Maideston Lectiones & Quæstiones* [...]*tu sacro* tomo 1. *tionibus*. Num. 2. *Ejusdem Poema*[...]ius in *Athenis inscripsit*, Concordiam inter Regen[...]eas in *Biblio-* II. & Cives Londinenses anno 1393.[...] pag. 277. nos ex iisdem Catalogis MSS. Codicu[...]illius lau- habuimus. [...]ris occu-

GUILLELMUS WODFORDUS [...]in locis WODFORDIENSIS, natione A[...]o col- Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vir [...]ecto- tate & doctrina conspicuus, Catholicæ un[...]nti- tis amantissimus, Sectarum & novitatum in Ecclesia insurgentium hostis infensissimus, quem Thomas Netterus cognomento Waldensis tomo 2. *de Sacramentis* cap. 50. *Magistrum suum* vocat, de quo prolixe Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* p. 158. quem videas. 1380
Floruit autem anno 1380. & sequentibus, multa ad Ecclesiæ hodiernæ defensionem contra Wicleffum ejusque Sectarios, acri calamo componens. Scripsit itaque anno 1396. insigne Opus *Contra XVIII. Articulos Joannis Wicleffi*, dedicatum Thomæ Arundelio Cantuariæ Archiepiscopo, quod impressum est in folio Coloniæ Agrippinæ anno 1535. pag. 94. & sequentibus Operis inscripti, *fasciculus Rerum expetendarum ac fugiendarum*, ubi varia ad Concilium Basileense spectantia habentur. Aliud autem & plurima Opera Guillelmi Wodfordensis Ordinis Minorum MSS. inveniuntur in Anglia, in Bibliothecis Oxonii & Cantabrigiæ, quæ recensentur in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi, Londini in 4. impressa anno 1600. apud Joannem Northon, quam sæpe allegavimus. Ibi in *Indice Theologorum* Guillelmus Wodfordus cum designatione Bibliothecarum & numero Codicum, in quibus Opera ejus manuscripta inveniuntur.

Ejus *Determinatio contra hæreses Joannis Wicleffi*, MS. Oxonii in bibliotheca Collegii Novi Codice 87. Mertonensi Cod. 222. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji Cod. 297.

Super causis condemnationis Articulorum Joannis Wicleffi, MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 210. Idemque videtur opus, quod supra diximus, esse impressum Coloniæ Agrippinæ anno 1535.

Item *contra Articulos Wicleffi condemnatos*, MS. privatim in Bibliotheca Lumleji Codice 253.

Defensorium contra Armachanum in Libello de paupertate Christi, MS. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi Cod. 62.

Extractio errorum Armachani, MS. Oxonii in Collegio Novo Cod. 168.

De Sacramento Altaris, MS. Oxonii in Collegio Exoniensi, Cod. 11.

Hæc quidem paucis scripseram ex Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi, anno 1600. Londini in 4. impressa, sed cum anno 1698. Catalogus MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ 2. tomis in folio Oxoniæ e Theatro Sheldoniano magnis eruditorum commodis impressus sit, plura his addere Lectoribus haud ingratum fore arbitratus sum. Itaque

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2224. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera D. 6. Codice 3. num. 2. *Willielmi Wodeford Determinationes quatuor contra Joannem Wickliffe & ejus sequaces, quas determinavit Oxoniæ in Scholis Minorum & die Vesperarum anno 1390.* p. 33. Ibidem Codice 1766. in MSS. Thomæ Bodleji super O. 1. Art. Cod. 9. num. 9. *Guillelmi Wodefort Determinatio prima Oxoniæ contra Wicklefum in materia Religionis* pag. 69. Num. 10. *Ejusdem Determinatio secunda* p. 76. Num. 11. *Ejusdem Determinatio tertia, habita Oxoniæ anno 1390.* p. 86. b. Num. 12. *Ejusdem Determinatio quarta anno 1390.* p. 92. Ibidem Codice 3340. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni in Archivo B. Codice 10. num. 4. *Will. Wyddeforth Minoritæ quatuor Determinationes adversus Joh. Wyekliffe.* Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 665. in MSS. Collegii Mertonensis Codice 198. *Varii Tractatus Wilhelmi Wydford contra Wicliffe in materia de Religione.* O. 8. 13. Art. Ibidem Codice 1087. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 123. num. 3. *Solemnis Determinatio Fratris Wilhelmi Wydeforde de Ordine Minorum, contra præcipuas hæreses Magistri Joannis Wycklefe.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2766. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super O. 1. Art. Codice 9. num. 1. *Guil. Wodeford De causis condemnationis Articulorum Wicklefi in Synodo Londinensi, & Responsiones ad argumenta adversarii ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem* pag. 1. Num. 2. *Ejusdem Responsiones contra Magistrum Joannem Wicklif & Lollardos* pag. 41. ad 57. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 785. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 318. L. 4. 1. Jurispr. num. 2. *Opus Fratris Wilhelmi Wodeford de causis condemnationis Articulorum Joannis Wicklefe.*

Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1650. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 183. num. 5. *Wilhelm Wydforde contra Conclusiones Wicklef*, folio in membrana. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 8075. in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ Codice 353. *Woodford contra Wickliffum.* Ibidem Codice 8087. in MSS. ejusdem Jacobææ bibliothecæ Codice 365. *Woodeford contra articulos Wickliffi.* Ibidem Codice 2099. in MSS. Ecclesiæ Cathedralis Exoniensis Codice 45. *Wilhelmus Wydford contra Conclusiones Joannis Wyekliff.* Ibidem 9928. in MSS. Codicibus Simonis d'Ewes Baronetti, Codice 68. *Woodford contra Wickliff.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 3629. in MSS. Codicibus Hyperoi Bodlejani Codice 163. num. 39. *Willelmus Wodeford Ordinis Minorum contra Trialogum Jo. Wiclefi.* pag. 216. ad finem Codicis.

Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 2216. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 75. *Defensorium Guilielmi Wydeford contra Armachanum de paupertate Christi.* Num. 2. *Errores Armachani ex libris ab eodem collecti.* Ibidem Codice 1254. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 290. num. 2. *Errores extracti e libris Domini Armachani per Fratrem Wilhelmum Wydeford.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ in MSS. Codicibus super O. 1. Artium Codice 9. num. 15. *Ejusdem Guil. Wodeford opus notabile de Sacramento Altaris* pag. 92. ubi addit p. 102. quod pro numero 72. linguarum & 72. discipulorum proponet 72. dubia, ad quæ respondebit. Tractatus satis prolixus, in quo dubiis illis omnibus respondet. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 825. in MSS. Codicibus Collegii Exoniensis Codice 25. *Woodeforde de Sacramento Altaris.* Ibidem Codice 1927. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ Codice 95. *W. Woodford de Sacramento Altaris.*

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 8172. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 450. *Guil. Woodefordi Notationes in Ezechielem, Ecclesiasten & Epistolam ad Romanos.*

Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1169. in MSS. Codicibus Collegii Cajo-Gonvilensis ex donatione Magistri More hujus Collegii quondam Socii, Classe D. Codice 105. *Summa de Virtutibus Domini* Will. de Wadeford Abbatis, quam perfecit Walterus Prior *a medio usque ad finem.* C. 10. Dubito tamen plurimum, an hæc *Summa de Virtutibus* spectet ad Willelmum Woodeford Franciscanum seu Minoritam, tum quia dicitur *Wadefort*, non *Wodeford*, ut Franciscanus constanter dicitur: tum quia *Abbatis* nomine insignitur; id quod Minoritis non convenit, qui solo *Guardiani* vel *Custodis* nomine gaudent: denique quod hanc Walterus Prior perfecisse dicatur, quæ Will. de Wadeford Abbas inceperat. At inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 9193. in MSS. Codicibus Joannis Mori Episcopi Norvicensis Codice 107. membraneo in 8. *Refutatio errorum Armachani* anonymæ extat, cujus in Appendice ad Catalogum hunc pag. 401. col. 1. correctione ad Co-

dicem

dicem 107. Willelmum Woodford authorem agnoscunt Catalogi correctores.

Mortuus est Guillelmus de Wodefort Clocestriæ anno 1397. ibique in Conventu Minorum sepulturam accepit. De illo Joannes Balæus & Pitseus *De Scriptoribus Angliæ*. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 315. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, atque alii, qui egerunt de Scriptoribus Minorum. Agit cum laude & prolixitate de Scriptis hujus Guillelmi Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 158. cujus honorificam pariter habet mentionem in *Annalibus Minorum* tomo 1. *Annalium* anno 1240. num. 25. & tomo 4. anno 1395. num. 2.

1380 GERARDUS DAVENTRIENSIS, cognomento MAGNUS, vulgo *Gerardus Groot*, qui ab altero *de Zutphen* dicto, de quo nos postea caute ob similem regionem atque tempus haud dissimile, distinguendus est. Hunc nostrum multis depingit laudibus Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 444. pag. 263. his verbis. "Gerardus Magnus „Daventriæ ad Isalam fluvium in Germania no„stra inferiore natus, adolescens Lutetiæ in „Sorbona sacris Litteris ac pietate instructus, „æqualibus vitæ & doctrinæ exemplum mirifi„cum dedit. Ad suos reversus, Ultrajecten„sem & Aquisgranensem Canonicatus, ut vo„cant, obtinuit. His opimis beneficiis Eccle„siasticis demum abdicatis, *Clericos seu Fratres* „*Vitæ Communis* Daventriæ in patria instituit, „qui Scholas Latinas juventuti aperirent, & „non bonis tantum Litteris, sed & beneviven„di moribus Discipulos instituerent. Quod „institutum postea per Germaniam inferiorem „latissime propagatum fuit. Scripsit *Protesta„tionem de veridica prædicatione, Conclusa & pro„posita*, itemque *De studio sacrorum librorum*, „quæ tria Opuscula leguntur typis edita cum „Operibus Thomæ a Kempis. Reliqua ejus „Opera extant Manuscripta in Bibliothecis va„riorum apud Belgas Cœnobiorum, videlicet: „*De contractibus & usuris, De institutione Novi„tiorum, De locatione curæ Pastoralis, De in„commoditatibus matrimonii, De Focariis, Con„tra turrim Trajectensem, De paupertate, De* „*quatuor generibus meditabilium, De vitio detra„ctionis. Sermones de nativitate Christi, De die* „*Palmarum, & alii. Epistolæ de Schismate, &* „*aliæ de diversis. De Simonia. De beneficiis cu„ratis. De cohabitatione & exercitiis devotorum.* „*Concordia Evangelistarum de Passione Domini.* „*Commentarius in Lectiones officii Ecclesiastici.* „*De defunctis. De compunctione & eruditione* „*Scholarium, & alia.* Ex his non pauca extant „Lovanii ad Sanctum Martinum, & in Cœno„biis Rubræ Vallis & Viridis Vallis prope Bru„xellam Canonicorum Regularium Huji apud „Crucigeros, Coloniæ & Lierdæ apud Car„thusianos, & alibi. Idem Gerardus *Joannis* „*Rusbrochii ornatum Spiritualis desponsationis*, *& Librum de duodecim virtutibus*, aliaque ejus„dem scripta ex Teutonico in Latinum transtu„lit, quæ versiones in Viridi Valle & Namurci„ apud Crucigeros manuscriptæ leguntur. Ad„ meliorem vitam anno 1384. die XX. Augusti,„ anno ætatis suæ XLVI. transivit, a Thoma,„ Kempensi, Joanne Buschio, Jodoco Badio„ Ascensio, aliisque eximie laudatus.„ De illo Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 634. Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* pag. 280. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Gerardus Magnus*, pag. 277. editionis 1643. Lovanii in 4. Post illius laudem egregiam hic Scriptor magnis curis occupatur, ut Opuscula ejus MSS. multis in locis detegat & enumeret, quæ simul ab aliquo collecta in lucem edi exoptat, ad quem ego lectorem remitto. Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1370. pag. 61.

BARTHOLOMÆUS ALBICIUS PISANUS, ex Rivano in Tuscia oriundus, Ordinis Fratrum Minorum, florebat anno 1380. teste Luca Wadingo in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 48. Elaboravit per annos multos Opus celebre, inscriptum, *Conformitates Sancti Francisci cum Domino nostro Jesu Christo*, quod tandem ad umbilicum perductum, non nisi anno 1399. ad Capitulum Generale Ordinis sui Assisii congregatum profectus, Patribus Ordinis sui obtulit, quodque concordi omnium suffragio laudatum & approbatum retulit, & in præmium laboris, vetusta, qua olim Sanctus Franciscus utebatur, tunica donatus est. Dignum labore Monachali præmium, cui censura potius, quam laus & applausus iste communis debebatur. Extant istæ *Conformitates S. Francisci cum vita D. N. Jesu Christi*, impressæ in fol. Mediolani anno 1510. apud Gothardum Ponticum. Emendatæ autem & auctæ a Jeremia Brucchio Ordinis ejusdem Franciscani, impressæ Bononiæ anno 1590. in folio apud Alb. Benetium. 1380

Contra hos Libros *Conformitatum S. Francisci* ab Albizio de Pisis compositos, insurrexit acriter non anno 1513. sed anno 1531. Libello Germanico Erasmus Albertus Minister Divini verbi in ditione Brandenburgica Lutheranæ communionis, ac Superintendens Ecclesiarum hujus Electoratus, ut in Præfatione ad Christianum Lectorem testatur. Cum enim Erasmus Albertus Franciscanorum Conventus ex Electoris imperio visitaret, incidit in volumen *Conformitatum S. Francisci cum Christo*, a Bartholomæo Albizio compositum, de quo ita loquitur: "Invenimus & in Refectorio ipsorum libros quosdam, (Biblia vero sacra nusquam)„ in quibus inerant adeo horrenda blasphemia-„ que, ut dici satis non possit: nec ullus no-„ strum meminerat, unquam se talia audivisse,„ aut fieri etiam potuisse, ut tanta insania & le-„ vitas in quenquam hominem caderet, aut et-„ iam quen-

„jam quenquam hæc potuisse vel excogitare „vel credere. Collegi vero ex multis Legen„dis supra quingentas particulas, quas ex La„tino in Germanicum sermonem transtuli, ac „majorem partem illarum e Libro quodam de„scripsi, quem vocant *Librum Conformitatum*, „non alio loco habitum ab ipsis, quam Alcora„nus a Turcis. Liber certe justæ magnitudinis „videri possit, quo pacto Satan imperium suum „in Monachos suos subditos exercuerit, & „quod Cœnobia ipsa nihil aliud fuerint, quam „Speluncæ Latronum, ac Valles Hinnom. „Attamen hic liber tam pretiosus est, ut unus„quisque Christianus fidem suam ex eo confir„mare queat. Non dubito, quin si Papista sim„plex & non induratus has abominationes le„gat, non diu Papistarum ac Monachorum „somnia probaturus sit. Tametsi autem hor„ribiles admodum essent hæ *Legendæ*, quod no„mine Domini Dei nostri, Sanctæ & individuæ „Trinitatis, Mariæ Matris Domini, item o„mnium Sanctorum ac Angelorum tam horri„biliter abutantur: tamen cum & supra mo„dum ridiculas esse viderem, in lucem edendas „esse putavi. Ac convenit profecto, ut sum„ma animi veneratione Domino Deo nostro „Clementissimo Patri gratias agamus, quod in „hæc tempora devenimus, in quibus oculos no„stros aperuit, ac pro misericordia sua infinita „eduxit nos ex profundissima & teterrima cali„gine Papatus in lucem & claritatem Evangelii „sui. Christianus, cum hunc librum legit, ex„horrescat & rideat oportet. Exhorrescit qui„dem propter insignia illa mendacia, ac dete„standum abusum nominis Divini. Ac ridet, „cum legit, Satanam tanto artificio scire tracta„re suos Monachos, ac trahere, quo velit. Et „nos nunc Diaboli astutias ridere possumus, „cum per Evangelium non ignoremus menda„cia & hypocrises ipsius. Nihilominus rogan„dus Deus, ut imposterum conservet nos ab in„sidiis Diaboli, qui non magno negotio excœ„care nos denuo potest, nisi fortes in fide & o„ratione restiterimus.„ Hæc Erasmus Albertus in Admonitione ad lectorem, *Alcorano Franciscanorum* præmissa. Confutare autem *Alcoranum Franciscanorum* conatus est Franciscanus Belga, nomine *Henricus Sedulius*, qui Opusculum suum Antwerpiæ anno 1607. in 4. edidit, inscriptum *Apologeticus adversus Alcoranum Franciscanorum pro Libro Conformitatum Libris 3.* 1607. in 4. Ubi primo observat *Librum Conformitatum* compositum fuisse a Fratre *Bartholomæo de Pisis* anno 1389. in quem anno 1513. (lege 1531.) prodiit *Alcoranus Franciscanorum* lingua Germanica, absque nomine authoris vel typographi. Secundo *Alcoranum* hunc media parte auctum, editum fuisse Genevæ Latine simul & Gallice, anno 1578. Ignorat autem Sedulius editionem secundam anni 1560. Genevæ factam in 8. apud Conradum Badium. Idem Batavice translatus, Dordraci editus fuit anno 1589, tandemque Latine anno 1651. Daventriæ typis Johannis Columbii in 16. Observat tertio Sedulius authorem hujus *Alcorani* nominari *Erasmum Albertum*, seque inscribere *Ministrum Ecclesiæ in ditione Brandenburgica*. Cum autem anno 1513. nondum Lutherus contra Pontificem & Ecclesiam Romanam insurrexisset, Sedulius in anno impressionis 1513. errorem vel fraudem aliquam subesse arbitratur, cum ante Lutheri ab Ecclesia secessionem, nomen *Ministri* nullibi obtineret. Recte equidem Sedulius, nec *Alcorani Franciscanorum* editio prima anno 1513. sed 1531. facta est, post separationem ac secessionem Lutheri, Ecclesiis tam Saxonicis, quam etiam Brandeburgicis constitutis, ut constat tum ex Epistola Erasmi Alberti ad lectorem, tum ex altera, quam Alcorano eidem præmisit Martinus Lutherus, heic referenda ad majorem opusculi commendationem.

PRÆFATIO D. MARTINI LUTHERI, GERMANICO LIBELLO PRÆFIXA, UTCUNQUE IN LATINUM TRANSLATA.

Existimo quidem, quod qui hunc Libellum„ hoc tempore legent, aut eorū, qui antea sub Pa-„ pistica abominatione non fuerunt, aut eorum„ etiam, qui illa nunc propemodum sunt desue-„ ti, eamque oblivioni tradiderunt, incredibi-„ lia sese legere affirmabunt. Itaque volui hac„ mea Præfatione testimonium ferre, quod re-„ vera sic & prædicatum & creditum sit in uni-„ verso mundo. Equidem eum Librum, cui„ titulus est, *Liber Conformitatum*, in quo hæc„ omnia insunt, quæ ex Magna illa Legenda„ Sancti Francisci, aliisque Libris consarcinata„ sunt, in hodiernum usque diem domi servo„ posterorum causa, ut si fortasse post hæc tem-„ pora usu veniat, quod Papistæ se ita ornare„ mundareque velint, quasi nullam unquam„ turbarint aquam, ut dici solet: sicut biennio„ aut triennio abhinc sedulo conati sunt, etiam„ cum conventus Imperii celebrantur: nos„ contra naribus ipsorum obvertamus fœtidam„ hanc detestandamque abominationem, quam„ non ipsi solum exercuerunt, ac in summo pre-„ tio habuerunt, sed ipse etiam Sanctissimus e-„ um confirmavit, commendavit, privilegiis or-„ navit, ac omnibus Christi fidelibus pro focis„ & aris defendendam mandavit.„

Et pro hac abominatione necdum pœni-„ tentiam agunt, hanc non recantant, nec vel„ tantillum solliciti sunt, ut sese in melius emen-„ dent, imo contendunt in quibusdam articu-„ lis fidei facere conciliationem nobiscum, ea„ tamen lege, ut harum abominationum altissi-„ mum fiat silentium. Idque eo faciunt consi-„ lio, ut cum facta fuerit conciliatio, ac nos a-„ liquo modo, ut volunt, apprehenderint, pos-„ sint deinde sub specie conventionis paulatim„ ac pedetentim diabolicum illud stercus suum„ fœtidissimarum abominationum exprimere„ animis hominum clam instillare, ac toti Chri-„ stiano

„stiano orbi obtrudere. Idque facerent non „solum impoenitentes, sed fictam etiam ac do„losam concordiam prætendentes, qua & niti „& confirmari sua posse confiderent. Ac pro„fecto egregii illi, sapientesque Moriones, tam „crassæ obesæque naris Spiritum Sanctum re„putant, ut has dolosas captiosasque concilia„tiones, ac practicas ipsorum nec videat, nec „intelligat, sed pro magnifico ipsorum captu „nihil non fieri debere arbitrantur. Itaque e„venit etiam, ut cum hactenus hæc concordia „sæpius tentata sit, eundem eventum habuerit, „quem Christus Matthæi 9. refert, videlicet „dum commissura panni rudis immittitur in „vetus vestimentum, tunc prior scissura fit. „Summa, impossibile est, Christum & Belial, „hoc est Papam & verbum Domini, posse con„venire. Unum necesse est iniquum & inju„stum tenere, ambo æquum & legitimum te„nere non possunt. Hæc est ipsa veritas. Et „sic nos experientia edocet.

„Quare quisquis es, qui hunc librum legis, „ac forte dicturus es, Bone Deus, quid ego „nunc audio? Siccine cum Ecclesia actum est, „ac sic oppressa jacuit? Quid, mundus adeone „cœcus fuit? At tu, cum hæc audis, fac serio „cogites, ut indesinenter manus simul & ocu„los in cœlum sustollas, ac cœlesti patri ex a„nimo gratias agas, quod per Evangelium di„lecti filii sui ita te illuminaverit, ut hæc nunc „cognoscere, de iis libere loqui, ac cachinnis „prosequi possimus. Etenim hoc te neutiquam „fugere debet, & me D. Martinum Lutherum, „qui & adhuc superstim & hæc scribo, unum „de grege illorum fuisse, qui hæc credere & a„dorare coacti sunt. Ac si quis etiam fuisset „paulo ardentior, qui vel dubitasset de his, vel „contra quid mutire sustinuisset, næ ille in „ignem conjectus, aut alioqui damnatus fuis„set! Quemadmodum D. Johanni Elten & D. „Johanni Hecken, ac aliis quibusdam evenit. „Nam hic liber habitus est a Franciscanis loco „Evangelii, ipsumque Franciscum loco Christi „obtruserunt Christianis. Atque hinc est, „quod tam multis Francisci & Claræ nomina „sunt indita. Oportuit enim Franciscum De„um esse, ut & hac ratione nomen ejus extol„leretur.

„Deinde Deum etiam sedulo ora, ut digne„tur nos in lumine & verbo suo conservare, ne „denuo in tenebras easdem aut majores vela„bamur, sicut & Christus Joannis 12. monet, „dicens, *Dum lucem habetis, credite in lucem*, „*ut filii lucis fitis*. Etenim si ingrati fuerimus: „quemadmodum majores nostri, poterit nos „Deus pari cæcitate punire cum ipsis. Consi„dera vero, quanam cæcitate percussi sint a Deo „Ethnici, Judæi, Turcæ, & Papa? Profecto „quando Deus manum suam iratus abstrahit a „nobis, illico princeps mundi hujus sic nos ar„reptos tenet, ut, quod ipsi visum sit, nos cre„dere cogamur. Idque tam certum est, ut et-

iam Ægyptii olim crediderint bovem, ca-„ nem, piscem, serpentem, vermem, imo„ cœpe & allium, Deos esse. Ubi nos omnipo-„ tentia Dei deseruerit, statim Satanæ Omnipo-„ tentia in hujus locum reponitur, cui etiam„ homines sese captivos tradere coguntur.„ Sed necesse fuerit & a me convivalis joci no-„ mine aliquid dici. Tempore quo Francisci„ atque Benedicti Legendas legebam, pluri-„ mum offendebar in hoc, quod tam sancti &„ excellentis viri adhuc a carne sollicitarentur:„ adeo, ut cum sanctus Franciscus a mulieribus„ tentaretur, in nivem fecesserit, sibique ex illa„ pilas faceret, quas conjugem ac liberos suos„ nominabat, dicens: Euge Francisce, eccum„ hic uxorem & liberos, hos cura & laboribus„ ad frugem educare oportet, ac facile juveni-„ lis ardor residebit. Ac sanctus Benedictus„ cogitationes suas de amore ita repellebat, ut„ se nudum in Spinetum urticasque abjecerit,„ ac carnem suam ad sanguinis effusionem dila-„ ceraverit &c. Hæc inquam cum legebam,„ mentem venit, tam excellentes ac spirituales„ viros neutiquam his juvenilibus concupiscen-„ tiis sollicitari debere. At necesse habebam„ tum tacere & credere.„

Jam vero, cum etiam concessum nobis sit,„ judicare de hujusmodi sanctis viris, consule-„ rem profecto ne nivium pilas uxorem ac libe-„ ros suos sanctus Franciscus reputaret: sed„ cum se eidem imbecillitati, qua reliqui filii A-„ dæ, obnoxium sentiret, in tantum, ut etiam„ a nive auxilium petat, quæ tamen parum ju-„ vare poterat, ad matrimonium animum ad-„ jecisset. Ad eundem modum ipse etiam san-„ ctus Benedictus, si se in sentes ac urticas con-„ jugalis vitæ conjecisset, plus profecisset, ar-„ temque suam longe melius perfricuisset, at-„ que ita tantæ calamitatis nequaquam fuissent„ auctores. Etenim ad superandam nivem„ sentesque Politici ac Ecclesiastici status longe„ impares fuerunt, quippe homines indocti &„ inexperti. Atque ita evenit, ut totum„ mundum liberis ac stultitiis suis repleverint,„ Christum & Regnum ipsius obscuraverint.„ Quod si salutem consecuti sunt, quemadmo-„ dum spero, cum misericordia Dei superabun-„ det, nec nos desperare convenit. Summa„ hic vides, ex quo penu dimanarint tanta ædifi-„ cia, tantæque possessiones Ordinum sancti Fran-„ cisci & Benedicti & aliorum omnium, quod„ nulli Reges aut Cæsares præstare potuissent.„ At hic & similes libri præstare hoc potuerunt.„ Expende itaque, quam pauper Christus ipse,„ & contra quam dives sit Diabolus Ac vide,„ imo ora Deum, ne nos in tentationem prola-„ bamur, sed ab omni malo liberemur. A-„ men.„

Hæc Epistola Lutheri præfixa *Alcorano Franciscanorum editionis Germanicæ*, non anni 1513. sed 1531. multis postquam reformandam aggressus est Ecclesiæ doctrinam annis, ut ex ejus lectione

lectione palam est. In duo autem Opuscula potissimum invehitur, in *Conformitates sancti Francisci cum Christo*, quas Bartholomæus Albicius Pisanus anno 1389. composuit. Et in *Legendam Majorem seu Auream S. Francisci*, quam anno 1245. Thomas de Ceperano ex relatu Fratrum Minorum composuit, de quibus diffuse Centuriatores Magdeburgenses *Centuria* 13. a col. 1151. ad 1174. Petrus Bailius in *Dictionario Historico-Critico*, tom. 2. verbo *Franciscus* pag. 1182. & 1184.

Idem scripsit *Libros sex de vita & laudibus Beatæ Mariæ Virginis*, quos alii appellant *Conformitates Beatæ Mariæ Virginis cum Domino nostro Jesu Christo*, Venetiis anno 1596. in folio impressos. Ejusdem *Sermones Quadragesimales de contemptu mundi*, sive *de triplici mundo*, anno 1397. compositi, impressi Mediolani apud Uldericum Seuzenzehord anno 1488. in 4. & Venetiis anno 1503. impressionem iteratam procurante F. Johanne Mapelello Mediolanensi. Ejusdem *Sermones alii Quadragesimales*, qui multarum Quæstionum & casuum conscientiæ resolutiones continent, editi Lugduni anno 1519. in 8. apud Romanum Morin. Denique dicitur scripsisse *Vitam Beati Gerardi Laici*, anno 1343. defuncti, quam ab Albicio anno 1347. compositam penes se MS. habuit Lucas Wadingus, ut testatur in *Annalibus Minorum* ad annum 1343. num. 33 Obiit grandævus in Conventu Pisano anno 1401. die X. Decembris, de quo pluribus idem Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 48. Hic autem caute distinguendus est ab altero Bartholomæo Pisano, qui a sancta Concordia cognominatus est, Ordinis Prædicatorum, scripsitque *Sermones & Summam casuum conscientiæ*, quæ *Pisanella* dicitur, circa annum 1330. clarus, de quo Bellarminus & Labbeus in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, hic ad annum 1335. iste tomo 2. pag. 373. Ambrosius Altamura in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum* ad annum 1347. pag. 119.

1380 RAYMUNDUS JORDANI, ABBAS CELLENSIS APUD BITURIGES, Ordinis Canonicorum Regularium Divi Augustini, primum Uticensis seu Uzeciensis in Gallia Præpositus, deinde Abbas Cellensis in Episcopatu Bituricensi ejusdem Ordinis, floruit anno 1380. & sequentibus, multaque scripsit Opera, quæ hucusque sub Idiotæ nomine evulgata sunt. Hæc autem omnia invidis argumentis Anonymo allata, & authori suo restituta edidit Theophylus Raynardus, Soc. Jesu Theologus, ostendens legitimum authorem in *Prioribus & posterioribus suis de Idiota cogitationibus*, quas in ultima operum hujus authoris editione prodit pag. 555. & sequentibus, ad calcem voluminis. Nam in Codice MS. Ludovici de Casa Nova Turnonensis inventa fere omnia hujus Opuscula, cum præfixa initio MS. Codicis hac epigraphe: *Librorum hujus voluminis author est R. Pater Dominus* [illegible] *Præpositus Uticensis, anno Domini* 138[illegible] *de factus Abbas de Cellis Bituricensis* [illegible] *dies suos clausit universos, cujus anim*[illegible] *in pace.* Quæ epigraphe initio volu[illegible] dixi) exarata, repetitur ad Tracta[illegible] *Oculo*, de qua in eodem Codice MS. [illegible] remaneret dubium, quodnam esset [illegible] telligendum per Litteram initialem [illegible] *bertus, Richardus Reginaldus* &c. illu[illegible] omnimode & eximie est, per insp[illegible] Transactionis, quæ anno 1377. inita [illegible] Martialem Episcopum Uzeciensem, i[illegible] Præpositum Jordanum suo & Capituli [illegible] post contentionem de jure plectendi [illegible] cium revocandi Canonicos Regulare[illegible] ses, si quando delinquerent. Ea tr[illegible] Præpositus Ucetiensis nominatur [illegible] *Jordanus*, honestaturque titulo *Lu*[illegible] *Decretis & Procuratoris in ea controversia a*[illegible] *tulo deputati*, ut coram Cardinale Sabinensi causam hanc ageret vel componeret. Quod denique fecit, iis cum Episcopo pactis conventis, ut Episcopo jus esset mulctandi noxios, Præposito autem salvum esset jus custodiæ, reis non alibi quam intra præpositura carcerem concludendis. Quare liquido tandem constat, de authoris, qui prius *Idiota* audiebat, vero nomine & cognomine, quod nos Epipraphe Codici MS. Turnonensi inserta docuit. Omnia hæc Opera impressa Parisiis anno 1654. in 4. apud Jacobum Quesnel. Continentur in editione ista:

Contemplationes de miserabili cursu vitæ præsentis, in quinque tractatus distributa. fol. seu pag. 1.

Contemplationes de Innocentia perdita. pag. 69.

Contemplationes de conversione per duodecim menses anni spirituales. pag. 76.

Contemplationes de conflictu assiduo inter animam & carnem. p. 87.

Contemplationes de septem donis Spiritus Sancti contra septem peccata mortalia. p. 93.

Contemplationes quod Spiritus Sanctus est adjutor animæ. p. 99.

Contemplationes de octo beatitudinibus. pag. 119.

Contemplationes de amore Dei. p. 135.

Contemplationes de vera patientia. p. 168.

Contemplationes de morte ejusque lucris. pag. 187.

Compendiosa contemplatio de Beata Virgine Maria. p. 204.

Tractatio plena contemplationum de Beata Virgine Maria. p. 216.

Opus de statu Religioso tribus libris distinctum. p. 473.

Tractatus de oculo spirituali, anno 1381. conscriptus, cum Supplemento ejusdem Operis. pag. 549.

Cogitationes priores & posteriores Theo- phyli

phili Raynaudi, de authore istorum Operum, cum faculis ejusdem ad obscura quædam Idiotæ loca, seu Raymundi Jordani. p. 555. usque ad finem voluminis.

Multis fatigatur ac desudat Lucas Wadingus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 210. verbo *Joannes Gualensis*, ut probet tractatum omnino egregium *de oculo morali seu spirituali*, spectare indubie ad *Joannem Gualensem* Franciscanæ suæ familiæ alumnum, quam Theophylus Raynaudus ediderat, in prima editione Lugdunensi Operum *Raymundi Jordani*, sub istius Raymundi nomine facta, anno 1641. Atque promissum sibi fuisse a dicto Theophilo Raynaudo quod restituturus sit hunc insignem Tractatum, legitimo suo parenti Joanni Gualensi, in prima editione futura istorum Operum, *quo beneficio nostros sibi arctiori vinculo devinciet*, inquit Wadingus. At sive parum curaverit *devincere sibi strictiori vinculo Franciscanos* Theophilus Raynaudus, sive id Wadingo promissum exequi noluerit, convictus alias hunc Tractatum spectare indubie *ad Raymundum Jordanum*: illud Opus reliquit *sub nomine & inter Opera Jordani* in altera editione, quam Parisiis anno 1654. faciendam procuravit, de qua supra locuti sumus. Nec mirum, quod incerta omnia sibi Mendicantes attribuant, longa enim hujus artis præscriptio, jus eis jam acquisivisse videtur. Nullus opinor præter Teophilum Raynaudum, qui scriptoris istius Opera edidit, illius meminit.

1380 PHILIPPUS DE ALENSONIO S. R. E. CARDINALIS, ex alto Regum Franciæ sanguine natus, Caroli II. Comitis Alensonii & Mariæ de Hispania filius, ex ramo eorum, qui de *Cerda* cognominabantur, Antistes datus est Ecclesiæ Bellovacensi anno MCCCLVI. cujus personalem possessionem nondum consecratus, die 24. Martii anni sequentibus adeptus est. Inde anno MCCCLIX. ad Rothomagensem transfertur. Vulgo illum incurrisse in odium Caroli V. Francorum Regis traditur, ob negatam propter incapacitatem personæ, præbendam Ecclesiæ Rhotomagensis, Clerico cuidam, quem Rex ei commendaverat. Et cum hanc repulsam Rex ægre ferret, ac suam ideo injuriam ulturus, temporalitatem (ut vulgo loquuntur pragmatici) archiepiscopatus Rothomagensis sub meum sua posuisset, Philippum interdicto Ecclesiastico subjecisse eam regionem. Huic consecutum illud Caroli odium, tum vero Philippum regno excedere coactum, Romam se contulisse, illicque factum esse Patriarcham Hierosolymitanum. Ita quidem vulgo traditur, sed nullis testimoniis confirmatur. At ego in veteri Chronico Normanniæ MSS. in Codice 1414. Bibliothecæ Colbertinæ aliam historiam reperi, multo ut mihi videtur probabiliorem. Scriptum est ergo illic, Regem Carolum misisse Rothomagum anno MCCCLXXI. quendam præfectum vocatum Oudardum de Atenvilla vel Attanvilla, quem quidam esse filium ejus nothum dicebant, virum audacem & Ecclesiastico ordini natura infensum. Illum ipsum nimirum, quem in literis Joannis Ducis Biturigum, datis apud Villamnovam prope Avenionem anno MCCCLXXXV. mense Februario, quæ extant in veteri Regesto Senescalliæ Nemansensis, reperio fuisse tunc judicem criminum apud Tolosam, Ballivum propterea modum loquendi Francorum, vocatum ab auctore vitæ Caroli VI. apud quem legitur illum in ea urbe eduxisse e carcere, *quendam nomine Ouduardum de Attanvilla, virum utique prudentem & in medicis expertum, quem in urbe Ballivum constituerat, & qui biennio in ergastulis Archiepiscopi detentus fuerat.* Hinc ergo Joannes Juvenalis de Ursinis inquit, quæ de hoc viro scripsit in *Historia ejusdem Caroli* p. 77. regiæ editionis. Denique eo usque discordia, inter Oudardum & Philippum Archiepiscopum, illo turbante rem ecclesiasticam, alio eam propugnante, progressa est: ut cum nullus revocandæ inter eos concordiæ modus reperiri posse videretur, amici Philippi occidere Ballivum destinaverint, quos tamen Philippus prohibuit. Interim Oudardus persuasit Regi, res suas pessundatum iri in Normannia, quamdiu Philippus illis Archiepiscopus esset. Quamobrem commotus vehementer adversus eum Carolus, oravit Papam Gregorium XI. ut illum a Rothomagensi cathedra remotum, in aliud regnum transferret. Idque Gregorius fecit, qui Patriarchatum Hierosolymitanum ei dedit, quod pro tanto viro exiguum beneficium erat, ut ait auctor Chronici Normanniæ supra laudatus. Hanc historiam confirmant literæ Gregorii XI. ad Carolum V. Francorum Regem, apud Odoricum Raynaldum anno 1375. §. 29. & literæ ejusdem Caroli datæ anno MCCCLXXV, quibus ut in Chartulatio Archiepiscopi Rothomagensis legitur, *omnia attentata contra jurisdictionem ecclesiasticam per Oudardum d'Attavilla Ballivum Rothomagensem, tempore Domini Philippi de Alenconio, annullantur.* Vacabat autem tum ut videtur Ecclesia Hierosolymitana, per obitum fratris Guillelmi Militis, ordinis Prædicatorum, quem Urbanus V. fecerat an. MCCCLXX. X. Kal. Julii, Patriarcham Hierosolymitanum. Anno deinde MCCCLXXIV. idem Gregorius eidem Philippo Ecclesiam Auxitanam commendavit, per eum quandiu viveret & eidem Hierosolymitanæ Ecclesiæ præesset tenendam regendam & etiam gubernandam. Verum quia post mortem Gregorii XI. Philippus anno MCCCLXXVIII. in partes Urbani VI. transgressus est, Clemens VII. eam commendam revocavit, & Ecclesiæ Auscitanæ præfecit Joannem Flandrini, ut suo loco dicemus p. 1385. literis datis apud Spelongam XIII. Calend. Julii, pontificatus anno primo. Fuit autem ille addictissimus Urbano, ut patet ex relatione Roderici

derici Bernardi ad Regem Castellæ, de his quæ missus ab eo Romæ & apud Avenionem egerat. Sic enim illic scriptum est, *Præterea Dominus de Alenconio &c.* ut supra p. 1110. usque *super isto negotio. Item subsequenter addidit, quod nos alii dabamus capitula & positiones & articulos Senatori & aliis Bandarensibus super facto electionis & aliis contingentibus tunc, & mirabatur de prudentia nostra, quare ista faciebamus, & quis constituit nos judices in isto negotio. Ad ista respondimus, quod primo electo supplicavimus, ut daret nobis licentiam ut informaremur de veritate gestorum hic in urbe. Et ipse concessit nobis, & dedit nobis, officiales ad citandum quos vellemus, & ex permissione istius primi electi faciebamus ista. Attamen non dedimus articulos nec capitula super ista materia, nisi Senatori Johanni Sanchii, qui dixit nobis, quod daremus sibi capitula super quibus volebamus informari. Et quia aliter non poteramus ab eo habere informationem gestorum, sibi dedimus aliqua. Veruntamen si primus electus & ipse nolebant, quod reciperemus informationem gestorum hic in urbe, ubi fuerat electio celebrata, quod sequenti die recederemus cum galea. Tunc fuit pacificatus dictus Dominus Cardinalis de Alanconio, qui propter honorem vestræ serenitatis, fuit nobis gratiosus & curialis in aliis, sed in materia Schismatis erat odiosus nimis & multum rigorosus.* Destinatam ei fuisse legationem Flandriæ ab Urbano in initiis sui pontificatus, testatur frater Menendus Episcopus Cordubensis, apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 46. Extant autem in Codice 842. Sancti Victoris Parisiensis *Epistolæ tres* istius Cardinalis ad Universitatem Parisiensem in causa Schismatis, cum responsoria ejusdem Universitatis. Ex eo vero Codice omnes editæ sunt in tomo IV. *Historiæ ejusdem Universitatis* p. 705. 725. 785. Priores suæ anno MCCCXCIV. Scriptæ sunt, tertia anno sequenti. Hæc de opusculis Philippi de Alenconio, cujus ad res gestas jam redeamus. Cum sedata fuisset in illum ira Regis, ad quem propterea Gregorius XI. scripserat; & idem Rex ab eo postularet, ut Patriarcham Gradensem faceret Cardinalem, Gradensem vero patriarchatum daret Philippo: rescripsit Gregorius anno MCCCLXXVII. die XII. Decembris, se de creandis Cardinalibus non cogitare, multo minus de Patriarcha Aquilejensi in eum gradum evehendo, tum propter ejus ætatem, tum propter alias causas, neque conveniens esse ut de beneficio non vacante Sponsionem faciat. Quam Gregorii, Epistolam vidisse etiam Spondanum, constat ex his quæ ipse scribit anno 1377. §. 22. ubi de hoc Philippo agit. Amplexus itaque ut diximus partes Urbani VI. Philippus, factus est ab eo Cardinalis anno MCCCLXXVIII. die XVIII. Septembris. Idque factum ab Urbano idem Spondanus anno 1378. §. 21. suspicatur, ut ita Carolum Francorum Regem demereretur: seu nondum Philippus Regi plene reconciliatus, Romam ad Urbanum confugerit, cui sciebat Regem adversari. Crediderim facilius ego, Urbanum nobilitate viri permotum, Philippum dignitate Cardinalitia ornasse, tum fortassis etiam ut gratiam Regis ea re sibi conciliaret. Puto enim eum non vidisse Regem, & semper mansisse in curia Romana, ab eo tempore, quo e Gallia primum excessit. Anno MCCCXCI. idem interfuit canonizationi sanctæ Brigittæ de Suecia, ut docet Petrus Amelii in libro *de Ceremoniis S. R. Ecclesiæ* cap. 153. p. 537. Hæc Baluzius in notis ad Vitas *Paparum Avenionensium*, col. 1244. & seqq. quem hic secuti sumus.

LEONARDUS DE GIFFONO, vir multæ virtutis ac doctrinæ, junior Ordinem fratrum Minorum amplectitur, cujus affulgentibus meritis, ad Præfecturam ejusdem ordinis promotus est. Nam in Vita prima Clementis VII. quam edidit Paluzius in *Vitis Paparum Avenionensium* tomo I. col. 491. dicitur *Leonardus de Giffono, Italus, Minister generalis ordinis Minorum.* Illum Urbanus VI. an. MCCCLXXVIII. die XVIII. Septembris creavit Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Sixti, sed recusavit. Postea mense Decembri Clemens VII. eundem ipsi honorem licet absenti tribuit, qui anno MCCCLXXIX. die 5. Aprilis ad eum misit pileum rubeum, ut ad an. 1378. §. 115. Odoricus Raynaldus refert ex diario Hectoris Pignatelli. At Summontius part. 2. hist. Neapolit. lib. 3. p. 455. scribit, illum a Clemente apud Neapolim factum esse Cardinalem die 28. Maji. Quod ita intelligendum puto, ut qui exeunte Decembris Cardinalis fuerat declaratus, & pileum postea rubeum fortassis acceperat initio mensis Aprilis, nunc demum titulum qui nonnisi præsentibus dari consuevit, a Clemente die XXVIII. Maji acceperit. In depositione fratris Angeli generalis Ministri Ordinis Minorum ita legitur: *Et addit quod dictus deponens audivit ista verba in Neapoli a dicto prædecessore suo* (Leonardo de Giffono) *post Schisma, postquam renunciavit capellum a dicto Urbano, & recepit a Domino Clemente.* Ex quibus colligi posse videretur, Leonardum ex tempestate tantum accepisse pileum rubeum a Clemente, tamen etsi antea sibi missum. Anno MCCCLXXXI. Sævientem fortunam expertus est. Cum enim post captam a Carolo Duracio Neapolim, in manus hominis sanguinarii Cardinalis a Sangio incidisset, in carcerem ab eo conjectus est, coactus antea abjicere insignia Cardinalatus, quæ in medio templo sanctæ Claræ flammis tradita sunt. *Odoricus* Raynaldus an. 1381. §. 26. Inde Bonaventura, mox in Apprutium, deinde Aversam ductus, post diuturnum tandem carcerem dimissus, Avenionem se contulit, ubi cum honore tanquam Cardinalis susceptus est. Waddingus an. 1378. §. 7. Sed quo demum anno amissam libertatem recuperaverit, nuspiam scriptum invenimus. Ex tractatu tamen ejus scripto in caussa cessionis Papatus, quæ a Benedicto 1380

dicto XIII. anno MCCCXCV. petebatur, colligi potest illum fuisse detentum in carcere per quinquennium. Cum enim simul cum illo captus sit Jacobus Cardinalis de Itro, ipse vero inter mala, quæ tum perpeti oportuit eos, qui Clementis partes fovebant, enumeret *carceris afflictionem duorum Cardinalium carceratorum quinquennio*, & mortem crudelissimam Reginæ Siciliæ, patet hunc carcerem esse intelligendum de Leonardo & Jacobo. Et cum quinquennium illud in anno MCCCLXXXVI. exeunte expiraverit, illum evasisse e carcere sub finem ejusdem anni vel sub initia sequentis, dicendum est. Istud confirmatur ex libro obligationum archivi Vaticani, in quo adnotatum est, Cardinalem de Giffono primo intrasse curiam anno MCCCLXXXVII. die XIV. Maji. Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII. die XXVI. Septembris, ipsumque celebrasse missam in exequiis Clementis Papæ VII. ut habetur in *Vitis Paparum Avenionensium* col. 566, & 570. Anno MCCCXCV. die prima Junii interrogatus cum aliis Cardinalibus a Ducibus Bituricensi, Burgundiæ & Aurelianensi, quos Rex Carolus VI. Avenionem propterea miserat, quænam ipsi via melior videretur ad extinguendum Schisma, respondit: viam cessionis sibi videri meliorem, seque eam approbare. *Tomo VI. Spicilegii Dacheriani pag. 138*. Postea vero istud ipsum confirmavit literis ad Regem scriptis die VIII. mensis Septembris sequentis, quæ extant in veteri Codice MSS. archivi Regii Parisiensis, in quibus ita inter cætera scriptum est. *Nunc autem Illustrissime Princeps, quia ut scribitis, vobis suggestum est, quod ego ad mutandum propositum vel opinionem, aliquorum persuasionibus inducor: & propterea me requiritis & rogatis ut dictæ opinioni firmiter insistam, & ab illa nullo modo divertam, nec permittam me quoquo modo diverti. Vestræ celsitudini respondeo: quod vestram intentionem attendens solertius, atque considerans ad quantum bonum & favorem unitatis Ecclesiæ tendit, via cessionis hujusmodi per vestram celsitudinem prælecta, & cum quanta deliberatione & digestis consiliis per me extitit approbata: tenore præsentium serenitati vestræ firmiter respondeo, quod ego in promissione quam feci prædictis meis Dominis Ducibus persisto, nec ab illa in aliquo cujuscunque hominis suggestione variabo. Imo illam constanter & firmiter teneo & tenebo, nec ab ea aliquis me quomodo libet abducet, imo fixus & constans in illa persistam, tanquam via quam commodiorem & meliorem assero & censeo pro tollendo Schismate & Ecclesiæ unitate celerius consequenda*. Postea cum pertinacia Benedicti XIII. exegisset, ut eum etiam amici ejus desererent, Leonardus quoque eum an. MCCCXCVIII. deseruit, ut Surita narrat. Qua tempestate ut mihi videtur, scripsit *Tractatum adversus eundem Benedictum tanquam hæreticum*, qui habetur in Codice 810, bibliothecæ Colbertinæ. In Codice autem 2743. ejusdem Bibliothecæ, in quo Catalogus bibliothecæ ejusdem Benedicti continetur, sic legitur fol. 107. *Item liber soliloquiorum animæ pœnitentis ad Deum, ad impetrandam gratiam & lacrymas, Cardinalis de Giffono, ut creditur*. Extat præterea in veteri Codice MSS. Carthusiæ majoris, Tractatus ejusdem Cardinalis scriptus anno sextodecimo post exortum Schisma, in quo disputat, *Utrum via renuntiationis summi Pontificis, eo modo sit acceptanda, quo oblata a nonnullis proponitur, & an subtractio obedientiæ debeat fieri Benedicto XIII.* Hæc Stephanus Baluzius verbotenus in Notis ad *Vitas Paparum Avenionensium*, col. 1261. & sequentibus, tam de vita quam scriptis Leonardi de Giffono, quem expressimus.

PETRUS DE BARRERIA natione Gallus, 1380
ex diœcesi Ruthenensi oriundus, ut habetur in Vita Clementis VII. prima col. 491. apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium. Continuator Gallicus Nangii, ut statim dicemus, vocat illum de *Mirapisce*. Ipse in initio tractatus *de Schismate*, quam scripsit adversus Johannem de Lignano, appellat se *Legum Doctorem*. Factus est porro Episcopus Æduensis anno MCCCLXXVIII. & anno sequenti Urbanus VI. Papa illum constituit Cardinalem. Sed ipse hunc honorem accipere noluit ab homine, quem fuisse electum libere & canonice non putabat, ideoque recusavit. Eundem detulit illi honorem Clemens VII. eo tempore libere & canonice electus, a quo dignitatem hanc accepit. Continuator Nangii Cardinales ab Urbano creatos enumerans, inter eos ultimo loco ponit, *L' Evesque qui se nommoit de Mirepois, qui estoit Evesque d' Ostun, lequel ne l' accepta pas, & non firent plusieurs des autres. Et depuis ledit Pape Clement fist ledit Evesque d' Ostun Cardinal, lequel l' accepta. Et en verite cestant des bons clers, que l'en sceust en Chrestienté, laquel avoit fait grant diligence de savoir & enquerir comment ledit Barthelemy avoit esté esleu. Et quand il avoit sceu la verité, il avoit refusé le chapel rouge de lui, & depuis le prinst dudit Pape Clement, comme dessus est dit. Sy estoit grant, aprobation du fait dudit Pape Clement, considerè la grant clergie & souffisance dudit Cardinal*. Erat autem absens, quando Cardinalis factus est, ideo Clemens Papa pileum rubeum ad eum misit, per quendam Domicellum servientem armorum, ei tradendum per Anglicum Episcopum Albanensem, & Petrum Cardinalem Pampilonensem, qui tunc Avenione erant. Verum postea mutavit haud dubie, quia hi duo Cardinales longo intervallo disjuncti erant a Petro de Barreria, qui Lutetiæ erat. Itaque misit pileum ad Episcopum Cabilonensem, quorum tamen a neutro Petrus illum accepit, sed a Joanne de Crosso Cardinale Lemovicensi. Actum istud anno sequenti, die Mercurii quarta Maji, ut idem Continuator Nangii tradit. *Le Mercredy quatriesme jour de May ondit au fu presenté par le Cardinal de Lymoges au Cardinal d' Ostun*

Jun, dout dessus est faite mention, le chappel rouge en la presence du Roy, & des deux autres Cardinaulx, id est, Guillelmi de Agrifolio & Guidonis de Malefico. Deinde Avenionem profectus est, quo die tertia Octobris advenir, ut adnotatum est in libro obligationum. Tum vero titulus Sanctorum Marcellini & Petri, datus illi est, licet vulgo tamen *Cardinalis Æduensis* nominaretur. Scripsit tractatum *de Schismate* adversus Johannem de Lignano defensorem partim Urbani, qui habetur in Codicibus 812. & 814. Colbertinæ Bibliothecæ, & in Codice 842. Sancti Victoris Parisiensis, ex quo editus est in tomo IV. Historiæ *Universitatis Parisiensis* p. 529. Ita Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1260. qui etiam col. 1293. habet, quæ sequuntur. „*Tractatus Petri de Barreria Cardinalis Æduensis, factus Parisius anno a nativit. Dom. MCCCLXXIX vel LXXX.* Serenissimo ac præexcellentissimo „Principi. *Editus est in tomo quarto historiæ Universitatis Parisiensis, p. 529.*

1386 ROBERTUS GERVASII ipse ortum se in regno Franciæ & enutritum fuisse docet in præfatione operis *de Speculo morali regio*, quod extat in Codice 5420. Colbertinæ Bibliothecæ. Et regulam Ordinis fratrum Prædicatorum amplexum in conventu Marologii Mimatensis diœcesis, in tractatu *de Schismate*, ad calcem: Sacræ autem paginæ professorem se utrobique vocat. Nescio an non autem existimare debeamus, illum ex oppido Andusia ortum fuisse, quod in diœcesi Nemausensi finitimum Gabalis est. Etenim in literis Arnulphi d' Audenchan Marescalli Franciæ, & Locumtenentis Domini Regis in partibus Occitanis, quæ apud Villamnovam prope Avenionem an. MCCCLXIII. die XIII. Octobris datæ sunt, reperio Johannem & Bernardum Gervasii, fratres fuisse habitatores ejusdem oppidi. Anno demum MCCCLXIX. cum Ecclesia Senecensis per mortem Petri vacaret, Urbanus V. ei substituit hunc Robertum Gervasii, literis datis apud urbem veterem V. Idus Octobris, anno septimo. Hujus, ut diximus, extant duæ lucubrationes in Bibliotheca Colbertina. Prima est *Tractatus de Schismate* adversus Joannem de Lignano & Baldum Perusinum, defensores Bartholomæi Barensis, post annum MCCCLXXXVII. scriptus, cum in eo fiat mentio miraculorum beati Petri Cardinalis dicti de Luxemburgo. Titulus autem ejus hic est, *Incipit liber seu Tractatus vocatus Mirrha electa, putredinem Schismaticæ pravitatis destruens & annulans, & sublimitatem Ecclesiæ & potestatem manifestans.* Altera lucubratio ejus sub initium regni Caroli VI. edita est, quæ *Speculum morale Regium* vocatur, extatque ut supra diximus in Codice 5420. Bibliothecæ Colbertinæ. Nicolaus de Sancto Saturnino legavit ei anno MCCCLXXXI. novum mantellum suum foliatum de agniellis nigris, ut videre est in ejus testamento edito inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum p. 490. Usus sum hac occasione, ut planum facerem, quis cujasve fuerit hic Robertus Senecensis Episcopus, & quo demum tempore ad episcopalem dignitatem evectus sit, hactenus enim ea omnia in obscuro fuerunt. Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1055. Idem col. 1054. observat Robertum Gervasii Senecensem Episcopum in tractatu *de Schismate* adversus Bartholomæum Barensem, Antipapam in Codice 2761. bibliothecæ Colbertinæ fol. 24. loquentem de Urbano V. inscribere, *Porro iste Urbanus Sanctæ rexit Ecclesiam sanctam Dei, & multos excessus & peccata varia ab Ecclesia Dei, & a viris Ecclesiasticis extirpavit, & se in omnibus præbuit exemplarem. Et ideo modernis temporibus divina providentia per eum multa miracula operatur.* Ita etiam reliqui scriptores vitæ ejusdem Urbani p. 413. 416. 417. & Petrarcha lib. 13. *Rerum senilium* epist 13. Rodulphus de Rivo, *de gestis Episcoporum Leodiensium* c. 7. Walsinghamus p. 185. editionis Francofurtensis, & in primis Clemens VII. apud Odoricum Raynaldum anno 1381. §. 48. Sed quo propensior in Urbanum V. eo iniquior ac acerbior est in Urbanum VI. ut habet idem Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium, col. 1270. hoc modo. His eundem Urbanum conviciis onerabat, non elogiis ornabat, eadem tempestate Robertus Gervasii Episcopus Senecensis fol. 7. *Etsi operationem istius Bartholomæi volumus bene concernere & declarare, iste est seditionis origo, fovea Scandalorum, radix omnium malorum, pater transgressionis & iniquitatis, doctor erroris & falsitatis, magister livoris & impietatis, vexillarius Schismaticæ pravitatis, auriga malitiæ & crudelitatis, & pastor nequitiæ, superbiæ & elationis: alumnus ambitionis & reprobationis, nutrix tenebræ, caliginis & turbationis, idolum hypocrisis fictionis & simulationis, templum superstitiosæ venerationis, Sicarius virtutis, justitiæ & æquitatis, prævaricator & destructor Ecclesiæ & Christianæ ac Catholicæ unitatis; amator & fautor ac inventor hæreticæ pravitatis, & demum furor & indignatio divinæ acerbitatis.* Et fol. 8. *Istum describit quidem Dominus magnæ dignitatis & reverentiæ, qui est de natione & de loco ejusdem Antipapæ oriundus, & qui optime novit ipsum ex persona, & ejus merita & demerita, dicens sic: Hic est hujus seditionis artifex & totius Schismatis inventor, homo quidam superbia inflatus, avaritia rapax, iracundia sævus, vinolentia temulentus, livore invidus, libidine incestuosus & crudelitate violentus: cujus vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus: homo, in quo nulla religio, nulla fides, nulla in operibus misericordia, nulla in moribus disciplina: Et multa alia facinora execrabilia & detestanda de eodem Antipapa dicit, quæ non sunt humanis auribus conculcanda, causa brevitatis & horribilitatis.* Quos triumphos non cecinisset Odoricus Raynaldus, si eadem aut his similia de Cle-

de Clemente, scripta vidisset? Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1270. qui in Additionibus col. 1440. observat easdem *Roberti Gervasii* lucubrationes quanquam non integras, extare etiam MSS. in Codicibus 4206. & 5372. Regiæ bibliothecæ Galliarum.

1380 PETRUS FLANDRINI natione Gallus, patria Vivariensis extitit, quem ortum e Bourea modico apud Vivarienses pago docet Joannes Columbi, tum factum Doctorem decretorum & Decanum Ecclesiæ Bajocensis, tum etiam Auditorem Sacri palatii, & Gregorii XI. referendarium. De patria ejus sic legitur in depositione Guillelmi de Vouta Episcopi Massiliensis & Valentini: *Item etiam consuluit Dominum Cardinalem Sancti Eustachii, qui est de illis partibus, quibus iste, & aliqui consanguinei dicti Cardinalis habent possessiones in districtu consanguineorum dicti Episcopi.* Fratrem habuit Johannem nomine, quem initiis pontificatus Urbani V. evehere ad Episcopatum Massiliensem volebat, ut ex depositione Thomæ Episcopi Lucerini patet. Fuit autem illa postea Archiepiscopus Ausectanus & Cardinalis, ut suo loco probat Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1385. ubi acta ejus recenset. Quantum autem ad Petrum Flandrini, idem Gregorius eum fecit Diaconum Cardinalem tituli Sancti Eustachii an. MCCCLXXI. die VI. Junii. Eodem anno Gregorius XI. mandavit illi & Guillelmo Noelleti Diacono Cardinali tituli Sancti Angeli, ut vice sua inhiberent, ne quis in provinciis Tarraconensi & Cæsaraugustana, quasdam propositiones circa Sacramentum Eucharistiæ doceret, quæ paulo ante prædicatæ fuerant in iisdem provinciis per quosdam religiosos: quod illi præstiterunt die octava Augusti ejusdem anni. Vide Nicolaum Eymerici, in Directorio Inquisitorum p. 44. Waddingum an. 1371. §. 14. & seqq. Anno MCCCLXXIV. die lunæ XVI. Januarii ut adnotatum est in antiquis decisionibus Rotæ Romanæ, pronuntiatio facta fuit per Dominum Petrum Flandrini Cardinalem tituli sancti Eustachii, ex commissione sibi per Papam Gregorium XI. facta, Avenioni, executores quoslibet gratiarum per sedem Apostolicam deputatos, non posse de jure procedere ad executionem eorum, quæ in commissione suarum literarum continentur, donec suas receperint literas Idem Gregorius XI. die quinta Maji ejusdem anni, hunc Petrum Cardinalem, Sancti Eustachii nominavit inter executores sui testamenti. Vide tom. VI. *Spicilegii Dacheriani* p. 688. Eodem anno idem Papa eundem fecit Vicarium generalem in Hetruria *Bzovius an.* 1374. §. 9. Rediisse autem ad eum videtur sub finem anni MCCCLXXVII. quo data est Epistola ejusdem Gregorii ad Petrum Episcopum Magalonensem thesaurarium suum, in qua adventus Cardinalis Sancti Eustachii ad curiam, mentionem facit. Falsus est ergo vehementer Auctor secundæ vitæ Gregorii XI. p. 455. scribens hunc Cardinalem remansisse Avenione, eo tempore quo Gregorius Romam profectus est, sed tamen postea eum secutum fuisse in Italiam. Radulphus quoque de Rivo *de gestis Episcoporum Leodiensium* cap. 12. errasse videtur, recensens Cardinales qui cum Gregorio fuerunt Romæ, & eos qui Avenione remanserunt, nisi interpretatione adjuvetur. Petrum quippe Cardinalem tituli sancti Eustachii nominat in primo ordine, quamvis certum sit, illum fuisse Romæ cum Papa. Sed æque certum est illum non fuisse Avenione, ea tempestate, qua Gregorius XI. iter Romanum ingressus est, adeoque non fuisse ejus comitem. Illum itaque apud Romam anno MCCCLXXVII. exeunte assecutus est, ut supra diximus. Anno MCCCLXXVIII. obiit Romæ idem Gregorius, die XXVII. Mart. Hinc origo magnorum tumultuum & pestilentissimi Schismatis. Romani e tenim ferentes ægre, Romanum Pontificem, universalis Ecclesiæ Episcopum, ut ipsimet vocant, alibi, quam Romæ, habitare: tum avaritiæ, ex qua erumpere audaciam scripsit Tullius, stimulis incitati, a Cardinalibus Papam Romanum aut Italicum precibus quidem petierunt, Sed preces erant, quibus contradici non posset, ut ait Tacitus: minas enim jactabant, pericula intendebant, formidines opponebant, & passim toto foro cum barbaro atque immani terrore vagabantur. Inter hæc Cardinales conclave ingressi sunt. Adnotat autem Thomas Petrus Canonicus Patracensis in sua depositione, Cardinalem Gebennensem & Cardinalem S. Eustachii, primos omnium in illud ingressos esse. Postea electus est in Papam Bartholomæus Barensis Archiepiscopus, Urbanus VI. vulgo dictus, quem Cardinales omnes postea deseruerunt, uno excepto, videlicet Cardinale S. Petri, ut supra p. 958. & 1033. dictum est. Baluzius, quem hic contrahentes describimus, latissime de ista electione ejusque vitiis illic in Notis ad *Vitas Paparum Avenionensium* col. 1106. 1107 1108. 1109. 1110. quæ quia ad meum institutum non spectant, hic omittimus. Interim ad Cardinalis Sancti Eustachii vitam, p. seu col. 1111. his verbis revertitur. Interea dum Cardinales ea consilia quæ ad pacem pertinerent exquirerent, tempusque in his deliberationibus consumerent, quibus se aperte ludificari ab Urbano VI. videbant: decrevere, dandum esse tandem Episcopum Romanæ Ecclesiæ, qui fuit Clemens istius nominis septimus. Tum vero Cardinalis Sancti Eustachii, *Tractatum pro defensione juris istius Clementis adversus Urbanum* conscripsit, qui extat in Bibliotheca Vaticana, ex qua citatur ab Oderico Raynaldo ad annum 1378. §. 43. Extat etiam in Codicibus 812. & 814. Colbertinæ Bibliothecæ. Adversus illum dubia quædam proposuit Petrus Archiepiscopus Toletanus, quorum magnam partem edidit Odoricus Raynaldus ad annum 1381. Integrum illud Opus MSS. ex-

MSS. extat in Cod. 815. Colbertinæ bibliothecæ & in Codice 842. ſancti Victoris Pariſienſis. *Reſponſio autem Petri Flandrini ad objectiones Archiepiſcopi Toletani*, extat in Cod. 815. Colbertinæ Bibliothecæ. In eodem Codice 815. habetur litera miſſa contra Cardinales per Magiſtrum M. Neapolitanum Barenſem, de ordine Prædicatorum *ſuper impreſſiva electione facta in urbe de Bartholomæo:* cui ſubjungitur *Reſponſiva ad prædictam Epiſtolam, facta per Petrum Flandrini Cardinalem Sancti Euſtachii.*

Scripta ejus moverunt bilem Urbani VI. adverſus eum. Ipſe itaque nominatim excommunicatus & anathematizatus eſt ab Urbano & a Cardinalatu depoſitus. Neque hoc ſolum, ſed in formula ſponſionis fidei, quam eidem Urbano Epiſcopi novi atque Abbates ab eo inſtituti facere debebant, inter cætera continebatur ita: *Item Roberto olim Baſilicæ XII. Apoſtolorum dicto Gebennenſi, nunc Antipapæ, qui ſe Clementem VII. nominat: Johanni olim tituli Sancti Marcelli, dicto Ambianenſi: & Geraldo olim tituli Sancti Clementis, dicto majoris monaſterii, Presbyteris. Et Petro olim tituli Sancti Euſtachii Diacono, dictæ Eccleſiæ Cardinalibus, perditionis filiis, juſto Dei judicio auctoritate Apoſtolica condemnatis &c. quamdiu extra gratiam & communionem ſedis prædictæ permanebunt, non dabo quovis modo per me vel per alium, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, conſilium vel favorem: ſed eos ſecundum poſſe meum, donec convertantur, juxta proceſſum, prout juſtum fuerit, perſequar.* Anno MCCCLXXXI-ineunte Cardinalis Sancti Euſtachii incidit in gravem & exitialem morbum. Cum vero ſibi diſcedendum eſſe ex hac vita animadverteret, viatico ſe inſtruere decrevit, & ſacri corporis Domini noſtri communione juvari. Communio itaque ei data fuit a fratre Raymundo de Bona Epiſcopo Vaſionenſi die XVII. ejuſdem menſis. Tum vero ille, antequam communionem reciperet, coram ipſo Domini noſtri Jeſu Chriſti corpore publice dixit, ſe credere indubie, ac firmiter aſſerere, Clementem VII. fuiſſe canonice electum, receptum, inthronizatum, & debite coronatum, eundemque eſſe verum Papam & Romanum Pontificem. Extat de his publicum inſtrumentum eo die confectum, in MS. Codice Harlæano, & in Codice 814. Colbertinæ Bibliothecæ. Et in Codice Harlæano hanc inſcriptionem habet: *Sequitur inſtrumentum confeſſionis Domini Cardinalis Sancti Euſtachii, cum ſigno & ſubſcriptione Notarii & undecim teſtium.* In Colbertino autem: *Verum teſtamentum ejuſdem Cardinalis:* ut hinc lector colligeret aliud ab Urbaniſtis circumferri ſolitum, quod erat falſatum. Unde in eodem Codice in titulo iſtius falſati ita ſcriptum eſt: *Sequitur tenor falſati teſtamenti dicti Domini Sancti Euſtachii, quam falſitatem commiſit Notarius per plures annos poſt mortem prædicti Domini, & poſtquam ad Bartholomæum idem Notarius ſe tranſtulit.* Utrumque teſtamentum eſt editum in *Collectione Actorum veterum* ad Vitas Paparum Avenionenſium a Baluzio, col 928. & 933. Obiit autem Avenione die XXIII. Januarii, ibidemque ut vulgo ſcribitur ſepultus eſt, non indicatur tamen locus, ubi poſitus eſt. Meminit *Petri Flandrini* cum laude Ægidius Bellamera, imprimis vero in cap. *Cum Eccleſia.* de cauſa poſſeſſ. & propriet. ubi ait, Dominum Petrum Flandrini quondam Cardinalem Sancti Euſtachii dixiſſe, quod Canonici jus eligendi poſſunt communicare aliis. Idem in cap. *Placuit.* de præſcriptione ait, eundem Cardinalem ex iſta decretali collegiſſe argumentum, quod præſcriptio currere non poteſt inter Principes ſuperiorem non recognoſcentes, pro eo quod unus contra alium ex defectu ſuperioritatis agere non poteſt. Et quia tales præſcriptiones a jure poſitivo procedunt, a quo tales ligari non poſſunt.

Ex gente haud dubie iſtius Cardinalis etiam fuit Guido Flandrini, *Lector & in parte compoſitor damnati libelli ſub nomine Epiſtola Toloſanæ præſentati Pariſius*, ut legitur in decreto Concilii Pariſienſis anni MCCCC VIII. lato adverſus fautores Petri de Luna, in Codice 842. Sancti Victori Pariſienſis. Vide Spondanum anno 1408. § 17. Ea Epiſtola, ut illud quoque moneamus, habetur in Codice 4463. Colbertinæ Bibliothecæ, & in Codice 843. Sancti Victoris Pariſienſis fol. 189. cum hac epigraphe: *Sequitur Epiſtola præſentata Regi Francorum anno Domini* MCCCCII. *ex parte ſtudii Tholoſani, in facto Eccleſiæ.* In calce vero ita adnotatum eſt antiquitus: *Iſta Epiſtola præcedens eſt condemnata per conſilium Regium, tanquam Regis, regalium, cleri, regni, Delphinatus & Pariſienſis Univerſitatis injurioſa, diffamatoria & deteſtanda: & ut talis publice cum ſono tubæ, Avenioni ſupra pontum, & Tholoſæ lacerända & lacerata, prout per arreſtum latum die XVII. Julii anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto, apparet intuenti.* Arreſtum heic laudatum extat in eodem Codice Victorino fol. 178. & inter probationes libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 20. pag. 722. ſecundæ editionis Pariſienſis. Adverſus Epiſtolam illam Guillelmus Ronacenſis Præpoſitus ſcripſit tractatum in modum Epiſtolæ ad Philippum Ducem Burgundiæ, qui habetur in eodem Victorino Codice fol. 212. Ubi etiam fol. 202. reperitur anonymi cujuſdam tractatus adverſus eandem Epiſtolam ſtudii Toloſani. At in Codice 813. bibliothecæ Colbertinæ fol. 118. extat cujuſdam Doctoris Toloſani Epiſtola ad Regem, pro defenſione ejuſdem Epiſtolæ. Hæc Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium col. 1111. 1112. 1113. de Flandrinis Scriptoribus, quæ noſtro inſtituto convenientia hic omittere nefas duximus.

PETRUS AMELII SENIOR, ARCHIEPISCOPUS EBREDUNENSIS, & ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS, quem 1380

Vita

Vita prima Clementis VII. col. 491. appellat *Alvernigenam, Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiſcopum Ebredunenſem*, natione Gallus fuit, cujus Acta deſcripſit Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Romanorum Paparum, qui Avenione ſederunt, col. 1252. ad 1256. quem omiſſis rebus inſtituto noſtro non convenientibus, ſic verbotenus dabimus. Anno MCCCLXXVIII. a Clemente VII. Papa factus eſt Cardinalis, quæ Cardinalium creatio fundis die XVI. Decembris facta eſt. Vulgo tradunt auctores, illum fuiſſe primo Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Marci, deinde tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim: ſed in libris Cameræ ſedis apoſtolicæ, in quibus creationes Cardinalium adſcriptæ ſunt, ſtatim Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim vocatur, & eo loco ubi dies mortis ejus notatur, Cardinalis Sancti Marci vocatur, qui vulgo tamen Cardinalis Ebredunenſis dicebatur. In libro obligationum adnotatum eſt, illum fuiſſe abſentem eo tempore, quo Cardinalis factus eſt. Recte. Erat enim Avenione, ut colligitur ex Epiſtola ab eo ſcripta ad Joannem de Calore Cancellarium Pariſienſem die 7. menſis Septembris, quæ edita eſt in tomo quarto hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 479. Scripſit tractatus aliquot in Clementis VII. gratiam, Petrus Amelii, nam in Codicibus 812. 814. & 812. Colbertinæ bibliothecæ extat tractatus iſtius Cardinalis *Super materia Concilii generalis habendi vel non habendi in cauſa Schiſmatis:* & concludit, non eſſe faciendum Concilium generale ſuper declarationem facti Eccleſiæ. In veteri Codice MS. Carthuſiæ majoris, *alius ejuſdem tractatus de eadem materia* extar. Cum autem Clemens Papa rediiſſet in Galliam, Cardinalis Ebredunenſis ei occurrit apud Maſſiliam anno MCCCLXXIX. die XXV. Junii, ut habet liber obligationum, & deinceps ſemper apud eum fuit. Ex Diario Joannis Fabri Epiſcopi Carnotenſis oſtendi id facile poteſt. Etenim anno MCCCLXXXV. die Dominica XXIII. Aprilis, idem Epiſcopus & alii Conſiliarii Mariæ Reginæ Siciliæ, quæ erat apud Villam novam contra Avenionem in ripa Rhodani, iverunt cum eodem Cardinale Avenionem in palatium apoſtolicum, ibique pro negotiis Reginæ congregati ſunt in camera, quæ vocatur Romana, ſed parum promoverunt. Tum Epiſcopus pranſus eſt apud Cardinalem Ebredunenſem. Poſtera die iiſdem congregatis coram Papa, cum una adeſſent, præter cæteros Maria Regina ipſa, Henricus Deſpota Romaniæ Frater Reginæ, Guido Lavallenſis, Comes Belliſortis, Seneſchallus Provinciæ, Dominus de Saltu, Bernardus de la Sala, & Gregorius de Marlio: decretum eſt per vim ſcrutinii, ut bello, quod adverſus Provinciales parabatur, gerendo præficeretur cum ſumma poteſtate, Dominus de Rupefortis & interim donec ille adveniſſet, Dominus de Vivai. Anno MCCCLXXXVI. die Dominica XXI. Januarii, cum Regina eadem diſceſſum pararet, venere ad illam Cardinales Ebredunenſis & Cuſentinus, quibus filius ejus Rex Ludovicus dedit annulos, Ebredunenſi quidem carbunculum, *un rubi balai*, Cuſentino autem Saphirum. Adnotat autem Epiſcopus Carnotenſis, illos conſtitiſſe CCLX. Francis. Diſceſſere ergo Rex & Regina die Martis ſequenti, per Avenionem pergentes ad Inſulam in comitatu Veneyſſino. Deinde die XXIX. Aptam Juliam advenerunt, ubi uſque ad menſem Julium manſerunt. Eodem anno die Veneris XIV. Septembris, Cardinalis Ebredunenſis inter intimos conſiliarios Reginæ ſedem admiſſus eſt. Anno MCCCLXXXVII. die octava Junii Cardinalis Ebredunenſis ad Reginam eandem ſcripſit, ut ipſa ſcriberet Cardinalibus Ambianenſi ac Cuſentino & ſibi, de tractando matrimonio Regis Ludovici filii ſui cum filia Caroli de Duracio. Reſpondit, ſe id facere non poſſe in præſentiarum Regina; facturam autem propediem. Miſſus eſt Avenionem die XV. Epiſcopus Carnotenſis, qui tamen nullam apud Papam aut Cardinales mentionem de illo matrimonio fecit. Die deinde XVI Auguſti Regina mutuo accepit a quibusdam Cardinalibus quaſdam pecuniæ ſummas, & inter has ab Ebredunenſi centum marcas argenti. Cum vero præſtituta ſolvendi dies adveniſſet, & die XVI. ſequentis menſis Septembris, illa eoſdem Cardinales per Epiſcopum Carnotenſem rogaſſet, ut adhuc expectare vellent: & Albanenſis tempus prorogaſſet uſque ad diem feſtum purificationis B. Mariæ Arelatenſis uſque ad feſtum omnium Sanctorum: Ebredunenſis diem præfinire noluit, acceptuгum ſe ſummam ſibi debitam, pro facultatibus & voluntate Reginæ, *il accorda terme quant Madame pouvra & vouldra.* Anno MCCC LXXXVII. die X. Decembris apud Avenionem ſigillata fuit *Littera, per quam Domina concedit Cardinali Ebredunenſi facultatem faciendi donationes hominibus Barcilonæ, ad beneplacitum Dominæ. Item alia littera per qua[illegible] eidem Domino Cardinali concedit poteſtatem r[illegible]ndi crimina & offenſas, quandocunque di[illegible]arcilona ad obedientiam Dominæ volent ve[illegible]re.* Obiit autem anno MCCCLXXXIX. die X. Auguſti, ut habetur in Libro Obligationum. Fuiſſe porro octogenarium obſervat Ægidius Bellamera in Prooemium decretalium his verbis: *Bonæ memoriæ Dominus quondam Cardinalis Ebredunenſis, qui octuageſimum ætatis ſuæ annum agens vel circa, & in lecto mortis ægrotans, per paucas horas ante obitum nitebatur de apicibus theologiæ diſputare.* Ita Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium col. 1252. & ſequentibus, quem contraximus.

JACOBUS DE SEVA, natione Gallus, ex 1380
ea parte Galliæ Narbonenſis, quæ nunc Provincia dicitur. Illum ex militari progenie ſeu

seu antiqua nobilitate prognatum fuisse, colligitur ex verbis Episcopi Faventini Francisci de Urbino, in Oratione quæ extat in Codice Harlæano, ubi illum *valentissimum Doctorem & Militem & Advocatum antiquum Romanæ curiæ* vocat. Illum quoque *Doctorem antiquum* vocat Alfonsus Eremita, olim Episcopus Giennensis apud Odoricum Raynaldum anno 1379. §. 19. Appellat quoque *Advocatum fiscalem* Raymundus Hugonis in Historia translationis corporis Sancti Thomæ Aquinatis, Tomo primo Martii Bollandiani p. 738. Constat eum in initio Schismatis anno MCCCLXXVIII. ad partes Urbani VI. transiisse, & ab eo missum ad Carolum V. Francorum Regem. Istud enim docet idem Episcopus Faventinus his verbis: *Nunquam enim in Francia pro Urbano fuerunt informationes receptæ, imo cum ad istum finem illuc destinaretur, quidam valentissimus Doctor & Miles Dominus Jacobus de Seua, natione Provincialis, fuit per partem adversam captus & detentus, necdum sua libertati plene restitutus, quanquam de directo mitteretur ad præsentiam Domini Regis Franciæ.* Tunc ergo misit ad Universitatem Parisiensem. *Factum in Urbani VI. gratiam* a Johanne de Lignano compositum, quod ipsi *Jacobo de Sena* attribuitur in Codice 842. Sancti Victoris Parisiensis. Sed immerito, ipse enim jurejurando anno MCCCLXXXII. asseruit, se nihil unquam scripsisse pro Urbano VI. in materia Schismatis. Creditum est autem propterea illud ab eo fuisse compositum, ut patet ex verbis Alfonsi Eremitæ, relatis ab Odorico Raynaldo, in loco paulo antea laudato. Et tamen constat, illud, cujusmodi in Codice Victorino habetur, non. esse istius Jacobi Opus, sed Johannis de Lignano: & partem esse operis, quod idem Johannes *De flectu Ecclesiæ* inscripsit, quod extat in Codice 815. Colbertinæ bibliothecæ. Adversus quem Johannes Fabri, Abbas Sancti Vedasti Attrebatensis, quia postea Carnotensis Episcopus fuit, alium tractatum *De planctu bonorum* inscriptum edidit, qui in Codd. 812. & 814. ejusdem bibliothecæ habetur, in modum Dialogi inter Doctorem B[illegible]iensem & Parisiensem compositus. [illegible]ndum est autem, illum non fuisse vocat[illegible] *Jacobum de Sena*, uti scriptum fere est ab omnibus, apud Raymundum Hugonis in Historia translationis corporis Sancti Thomæ Aquinatis, in tomo pridie Martii Bollandiani p. 738. In oratione Francisci de Urbino Episcopi Faventini in Codice Harlæano, & in Colbertino. Apud Ægidium Bellameram decis. 688. & in cap. *Ex parte.* de arbitris. Apud Henricum Spondanum anno 1378. §. 9. & in Tomo IV. Historiæ Universitatis Parisiensis, p. 485. ubi *Factum* istud editum est. Sed vocatur *Jacobus de Seva*, ut in Codice Victorino diserte scriptum est, & in Diario Joannis Fabri Episcopi Carnotensis, quod instar omnium esse debet. Nam præterea in folio 115. Diarii ejusdem mentio est loci de *Seva* in ea parte Galliæ Narbonensis siti, quæ nunc Provincia dicitur, e qua ortum fuisse hunc Jacobum idem Faventinus Episcopus testatur. Excessisse autem rebus humanis ante annum MCCCLXXXVIII. videtur, cum in eodem Diario adnotatum sit, die octava Januarii illius anni apud Avenionem sigillatam esse literam, *ad Senescallum Provinciæ pro filiis Jacobi de Seva, super restitutione iis fienda de Laureis & Cadeneto, & cæteris, quibus fuerunt spoliati.* Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1082. & sequentibus.

JOANNES FABRI CARNOTENSIS EPISCOPUS, natione Gallus, patria Parisiensis, cujus in Academia juri Canonico ac Civili studuit, factus autem Monachus Ordinis Divi Benedicti, ad regimen Abbatiæ Sancti Vedasti Attrebatensis, tum postea ad Episcopatum Carnotensem promotus est. 1380 Instante autem Schismate inter Urbanum Papam VI. antea Bocrensem Archiepiscopum, & Clementem VII. antea Cardinalem Gebennensem dictum, Joannes Fabri tunc Abbas Sancti Vedasti Attrebatensis anno MCCCLXXIX compofuit tractatum in Clementis VII. gratiam Parisiis, ut refert Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. seu p. 1239. ex Codice 814. Colbertinæ Bibliothecæ. Scripserat Johannes de Lignano tractatum in Urbani VI. gratiam, quem *De flatu Ecclesiæ* inscripserat, qui in Cod 815. bibliothecæ Colbertinæ extat. Adversus illum Joannes Fabri Abbas Sancti Vedasti Attrebatensis, qui Carnotensis postea Episcopus fuit, alium tractatum *De planctu bonorum* inscriptum edidit, qui in Codicibus ejusdem bibliothecæ 812. & 814. habetur, & per modum Dialogi inter Doctorem Bononiensem & Parisiensem scriptus est. Hic porro Johannes Carnotensis Episcopus, ut hoc quoque obiter dicamus, non erat patria Duacensis, uti vulgo scribitur, sed Parisiensis. Hujus rei ipse testimonium perhibet in Præfatione hujus tractatus, ubi ita loquitur: *Verum, ut ejus possint dicta cognosci, in fine clausulæ verba sua continentis, submittam nomen civitatis, in qua cathedram Doctoralem rexit & regit, scilicet Bononiensis; meis autem dictis subjiciam nomen civitatis, in qua natus sum, & nutritus, & in jure Canonico licet insufficiens doctoratus, scilicet Parisiensis.* Item liquet ex ejus epitaphio, quod editum est a R. Petro Chiffletio inter probationes Historiæ Trenorchianæ p. 483. Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1083. Idem col. 1405. Joannes Fabri, quem supra p. 1083. tractatum primum Joannis de Lignano, pro defensione partium Urbani VI. refutasse monuimus. Ibidem quoque illum non fuisse patria Duacensem, ut habet vulgaris opinio, sed Parisiensem monuimus. Ejus extat in Codice 587. Colbertinæ bibliothecæ *Diarium* rerum ab eo gestarum ab anno MCCCLXXXI. usque ad annum MCCC

MCCCLXXXVIII. inquibus multa præclara & curiosa extant, ad rem publicam pertinentia, eoque nos sæpe usi fuimus in his Notis nostris. Allegat autem ex eo fragmenta idem Baluzius col. 1258. 1293. 1296. 1299. 1333. 1346. 1164. 1165. 1163. 832. 1318. 1322. 1350. 1354. 1362. 1363. 1395. Idem Baluzius col. 1261. ubi loquitur de *Nicolao de sancto Saturnino*, qui anno MCCCLXXVIII. die XV. Julii a Cardinalibus ad Regem Francorum missus fuerat, illum Lutetiam circa medium mensis Augusti advenisse dicit, *ut legitur in Expositione rerum in Gallia tum gestarum, tradita Comiti Flandriæ per Johannem Fabri, Abbatem Sancti Vedasti, quæ edita est in tomo quarto Historiæ Universitatis Parisiensis pag. 523.* Præterea in Codice 822. Colbertinæ Bibliothecæ reperitur *Oratio per eum habita* ad Gregorium XI. nomine Caroli V. Francorum Regis, cujus in fronte hæc scripta sunt. *Anno Domini* MCCCLXXVI. *die* XXI. *Augusti misit Rex ad Dominum nostrum Papam Magistrum Johannem Fabri Abbatem Sancti Vedasti Attrebatensis, & Dominum Ferricum de Metis legum Doctorem, occasione processuum contra Florentinos editorum per Papam, in regno Franciæ publicandorum. Et recepit dictus Johannes Fabri decretorum Doctor pro exordio in prima propositione, quæ sequitur: Nos præcedentes patres sequimur, quia auctore Deo ab eorum doctrina non discordamus* &c. In eodem Codice de eodem Abbate ita legitur: *Anno Domini* MCCCLXXV. *die* XXII. *Maji fecit Carolus Rex Franciæ publicari per Magistrum Johannem Fabri Abbatem Sancti Vedasti Attrebatensis, Doctorem in decretis, solemnem quandam legem, quam condiderat. Et ibidem in parlamento erant præsentes Dominus noster Rex Carolus, Dominus Delphinus ejus filius primogenitus, Dominus Dux Andegavensis frater Regis, & plures alii. Et proposuit verbis Gallicis, & pro introductione recepit hanc propositionem:* Audite verbum Domini Principes; auribus percipite legem populi. Ita Baluzius in Additionibus ad Notas, quas adjecit Vitis Paparum Avenionensium col. 1478. qui in Notis iisdem col. 1394. de eodem Fabro hæc habet: Bellum quoque administrasse Raymundum de Turenna cum Arelatensibus, eodem anno MCCCLXXXV. & plures eorum abduxisse captivos, patet. Unde, cum illos belli tæderet, pacemque vellent, pactum est, ut controversias suas in arbitrio Reginæ Siciliæ ponerent. Delegati utriusque partis apud eam convenere die XVIII. Decembris, nullo effectu secuto, nisi quod arbitri statuerunt, ut interim dum de concordia tractaretur, omni hostilitate supersederetur. Die dein XXII. Episcopus Carnotensis & Georgius de Marlio Magister hospitii Domini Papæ, pacem inter Raymundum & Arelatenses his conditionibus statuerunt, ut Arelatenses Raymundo trecentos florenos solverent, ille vero eis cives eorum in bello captos redderet, qui tum in loco Sancti Remigii detinebantur. Mediam partem pecuniæ statim solvi constitutum est. Aliam Georgius promisit solutum iri intra diem decimum sequentis Januarii mensis. Interim Episcopus Carnotensis ad eundem Raymundum die XXVII. Decembris scripsit, ut liberos tres cives Arelatenses, qui capti detinebantur apud Alamanonem & Aureliam, abire juberet. Ad quæ die XXIX. Raymundus rescripsit, eos se inscio & invito detineri, neque se id probare; eademque die scriptis ad Reginam literis reverentiæ plenis, se suaque ei, filioque ejus obtulit. Idem col. 1258. Anno MCCCLXXXVI. die Martis XXVIII. Augusti, grave ingenium ortum est inter eundem Episcopum Carnotensem & Cardinalem Cusentinum occasione pactorum, quæ tractabantur inter Reginam Mariam & Ottonem Brunswicensem. Nam cum ambo apud Avenionem in cubiculo Papæ essent, & Cusentinus ab Episcopo quæsiisset, in quo statu esset id negotium: Episcopus vero respondisset, se nescire, & per Reginam non stare, quo minus haberet bonum successum. Negavit Cardinalis id ita esse, affirmans per Reginam & suos stare, quia nolebant se obligare erga Ottonem. Ad quæ Episcopus reposuit, falso id sibi imponi, se enim id velle secundum pacta conventa, sed Ottonem ea velle convellere, idque esse puerile. Quæ postrema verba Cardinalis putans de se dicta esse, ea reddidit Episcopo, dicens, illum agere pueriliter. Addidit, eum loqui ut magnum Episcopum, sed parum reverenter erga se, qui esset Cardinalis. Et mox multum exclamavit, adeo, ut etiam Papa audire posset. Heic vero Episcopus pro sua modestia veniam ab eo petiit & obtinuit. Adferam autem rursum ipsa verba ex Diario Episcopi: *Apres disnev en la chambre du Pape, Cusence me dist quil seroit de nostre traitié, Je li dis, je ne sçé, à nous ne tient pas. Il dit: Si fait, quart vous ne vouliz vous obliger. Je dis que si faisions, ainsi que traitié estoit, mais a Messires Othe tenoit, qui le traitié acordé debatoit. & que ce sambloit fait d'enfant. Le Cardinal prinst a soy les paroles, & que je le appelloir enfant, & me dist, que ce estoie je qui estoit enfant, & que je parloie comme un grant Evesque, & mal reveremment a un Cardinal. Et fist moult grande exclamation jusques au Pape. Je parlé le plus courtoisement, que je peus, & li prie pardon. Il le pardonna.* Anno MCCCLXXXVII. die XXVII. Septemb. eadem Maria Regina Siciliæ vigilias mortuorum in Ludovici Regis mariti sui anniversario decantari fecit per Episcopum Carnotensem apud Carthusianos Villæ novæ. Interfuere Ebredunensis, Cusentinus, & de Tureyo. Postridie idem Cardinalis de Tureyo celebravit Missam apud eosdem Carthusienses, omnibus Cardinalibus præsentibus. Die dein XXVIII. Regina per pedes ivit Avenionem ad Papam, ut ei significaret, quantam ipsa pecuniæ summam mittere posset in regnum Neapolitanum. Quod ipsa ei dixit remotis arbitris, *nemine*

mine præter ipsos duos audiente, ut notat Episcopus Carnotensis. Postea cum consiliarii Papæ & Reginæ ad eos accessissent, Papa eos jurare fecit super canonem Missæ & Sacras reliquias, silentio se esse tecturos rem magni momenti, quam cum illis communicare volebat, & excommunicationem jecit in revelantes, & jurejurando eos adegit polliceri se integra fide consilium daturos de remediis. Eorum vero qui juravere, hæc sunt nomina. Nempe Cardinales Cusentinus, de Turcyo, & Vivariensis. Episcopi Carnotensis & Aniciensis, Camerarius Papæ, Mareschallus Papæ, Raymundus Bernardi & Joannes de Bellavalle, vulgo *Beauval*. Addit Episcopus Carnotensis, *Res revelata, fuit certa ligna quæ contra Dominum machinabatur, & contra Papam.* Hæc tantum. A. M CCC LXXXVIII die dominica 1. Martii in urbe Cenomanensi, quo Regina pridie advenerat, fuerunt sigillatæ ab Episcopo Carnotensi facultates ab ea concessæ, Cardinalibus Ambianensi, Ebredunensi, Cusentino, de Tureyo, Archiepiscopo Arelatensi, & Georgio de Marlio, itemque Raymundo Bernardi, pro tractando & concludendo coram Papa matrimonio Ludovico II. Regis Siciliæ, & Iolandæ filiæ Regis Arragonum, cum legatis quos idem Rex Avenionem miserat. Duo autem diplomata sigillata sunt propter eam causam, unum absolutum absque ulla reservatione, aliud ut id salvo consensu Regis Franciæ & Ducum Bituricensis & Burgundiæ fieret. Hæc Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium, locis citatis. Agunt etiam de *Johanne Fabro* Samarthani Tomo 2. Galliæ Christianæ in *Episcopis Carnotensibus*, & Tom. 4. *in Abbatibus Sancti Vedasti Attrebatensis*.

1380 JOANNES REX CASTELLÆ, cujus vitam tibi dabimus ex Vita prima Clementis VII. Papæ ab Anonymo coævo conscripta, quam inseruit Stephanus Baluzius in Vitis Paparum Avenionensium tom. I. col. 486. & sequentibus. Ita autem anonymus col. 493. „anno MCCCLXXIX. Eodem currente tempore obiit Henricus Rex Castellæ, cui in Regno successit Johannes filius ejus, ad quem paulo post venire disposuit præfatus Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis, prout sibi per Clementem prædictum commissum fuerat. Sed quia præfatus Henricus pater suus, non informatus de justitia dicti Clementis, moriens potius adhærebat & obediebat Bartholomæo intruso quam sibi, absque alia pleniore informatione ipsum pro tunc admittere recusavit. Et quia idem effectualiter fecerunt omnes Reges Hispaniarum, qui etiam cum regnis suis pro tunc satis patenter favebant & adhærebant intruso memorato: habuit prædictus Cardinalis inter eos manere tanquam regnicola potius, quam ut Cardinalis vel Legatus per aliquos annos: quibus currentibus dicti Reges sic super præmissis informati fuere, quod per Dei gratiam ipse finaliter suæ legationis fructum laudabilem assecutus est, prout in hoc loco suo plenius describitur. Idem col. 502. An. MCCCLXXX. istis in dictis regionibus sic se habentibus, Johannes Rex Castellæ habita plena informatione super intrusione dicti Bartholomæi, ac subsecuta electione canonica Clementis memorati, cum solemnitate & maturitate debitis, pro parte dicti Clementis se & regna sua declaravit, volens inde sibi tanquam Romano Pontifici obedire, sicque fieri mandavit in regnis suis & dominiis per annos subditos suos. Ad hoc, autem processit cum consilio & consensu unanimi Prælatorum, collegiorum, conventuum, ordinum, magistrorum, doctorum, magistratuum, nobilium, civitatum, communitatum, procerum, & aliarum personarum, notabilium dictorum regnorum suorum. Quibus expeditis, Dominus Gutorus Gomasii proprius Episcopus Palentinus, qui per præfatum intrusum Bartholomæum, ad statum, seu veriùs fastum Anti-Cardinalatus assumptus extiterat, ipsumque acceptaverat, ac pro tali & etiam Legato ejus in dictis regnis diu se gesserat: de præmissis etiam informatus ad cor rediens dictum Bartholomæum abjuravit, & ad dictum Clementem se convertit, ipsum verum Papam profitens, Bartholomæum abnegans, statum præfatum ab ipso receptum totaliter derelinquendo. Et idem, per omnia fecerunt multi alii, qui tam ad Episcopatus quam ad alias varias dignitates, & plurima beneficia, per dictum Bartholomæum intrusum promoti extiterant in eisdem regnis. Hæc autem omnia facta sunt, sibi cooperante divina gratia, per ministerium, sollicitudinem, & providentiam memorati Domini Petri de Luna Diaconi Cardinalis, qui ut supra tactum est; illuc per dictum Clementem Legatus fuerat destinatus, & ad hoc continuè vacaverat, quasi a principio pontificatus sui. De cujus mandato demum, præfatum Dominum Guterum in verum Presbyterum Cardinalem assumpsit, precibus, & instantia dicti Regis. Idem col. 512. Ao. MCCCLXXXV. Per idem tempus occupabat regnum Portugalliæ quidem Johannes, Magister militiæ dictæ Avisii; asserens se fuisse fratrem Regis ultimo mortui, cujus filiam ad quam regnum hujusmodi pertinere dicebatur, habebat in coniugem Johannes Rex Castellæ memoratus. Cujus occasione guerra fuit mota, ortaque discordia inter prædictos Regem & Magistrum, & mense Augusti, anni prædicti, die videlicet decima quarta, prælium consertum est, in quo, prout Domino, placuit, idem Rex extitit victus, fueruntque, mortui quamplures milites & armigeri, tam, de sibi subditis, quam illis, qui in sui succursum, advenerant de partibus Gallicanis. Idem, col. 526. Anno MCCCXC obiit etiam eodem Octobri mense Johannes Rex Castellæ, „satis

„satis subito & inopinate. Equitando enim & „currendo per unum campum, ad quem causa „spatii iverat, equus quo vehebatur cespitans „cecidit, & ipse pariter cum equo, ruptoque „collo ibidem expiravit, cui successit in regno „Henricus suus filius primogenitus vix decen-„nis. Cum autem acta in Conventu Medinæ „del Campo, jussu Johannis Castellæ Regis in scriptis a Notario redacta sint, illum hanc ob causam inter Ecclesiasticos scriptores huc retulimus, actis iisdem adhuc integris existentibus.

Quæ istic commemorantur acta in celebri Conventu regni Castellæ, ea omnia nobis servavit, inquit noster Baluzius in Notis Paparum Avenionensium col. 1281. quem heic exscribimus, bona literarum fortuna in præstantissimo Codice MS. qui fuit olim Petri de Luna Cardinalis, illius qui sub Benedicti XIII. nomine papatum Romanum tenuit per tot annos. Institui autem isthic eorum rerum breviarium referre in gratiam studiosorum. Sed antequam destinata componam, necessarium imprimis arbitror enarrare historiam hujus codicis, ut hinc quoque ejus auctoritas commendetur. Joannes Rex Castellæ, cujus cura habitus est hic conventus, cum apud se habere vellet integram collectionem rerum in eo gestarum, omnia, quæ illic dicta aut lecta sunt, in uno prægrandi volumine membranaceo describi curavit, quod ad originalia, ut vocant, recognosci & conferri voluit per Petrum Ferdinandi de Pinna Archi-Diaconum Carrionensem in Ecclesia Palentina, qui officio Notarii fungebatur in toto isto negotio. Sic enim testatur idem Archi-Diaconus in calce voluminis. *Ego Petrus Fernandi de Pinna Archidiaconus de Carrione in Ecclesia Palentinensi, Bacallarius in decretis, per sanctæ memoriæ Dominum InnocentiumPapam VI. pontificatus sui anno secundo auctoritate apostolica Notarius publicus evectus, ad jussum, mandatum, & requisitionem illustrissimi Principis Domini Johannis Castellæ & Legionis Regis, omnibus & singulis supra in præsenti libro hujusmodi voluminis in ducentis septuaginta septem foliis perganeni scriptis quasi & contentis, dum sic & prout in eis narratum est & expressum, fuerunt dicta, exhibita, narrata, producta, allegata, facta, & acctitata: tanquam Notarius publicus una cum Domino Fernando Martini quondam Archidiacono de Nebula in Ecclesia Ispalensi, publico apostolica & imperiali auctoritate Notario, ad perhibendam fidem de prædictis &c. per dictum Dominum Regem requisito & rogato, ac testibus supra scriptis præsens interfui, ac omnia & singula in prothocollum meum recollegi, de quibus hujusmodi volumen ducenta septuaginta septem folia continens in publicam formam redegi, & aliis occupatus negotiis fideliter per alios scribi feci & ea concordavi, signoque meo solito signavi, & in fine cujuslibet folii, ex utraque parte nomen meum apposui, in testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.* Hunc codicem postea Petrus de Luna detulit Avenionem, & tandem Paniscolam; unde relatus est Avenionem a magno illo Petro Cardinale Fuxensi. Nam cum Martinus V. illum misisset in Aragoniam, ut finis imponeretur schismati per renuntiationem Clementis VIII. successoris Benedicti XIII. Fuxensis post rem feliciter gestam redegit in suam potestatem (ut docet Bernardus de Rosergio tum Cancellarius Ecclesiæ Tolosanæ, postea vero Archiepiscopus) libros utriusque facultatis, id est juris civilis & canonici & regesta multa Romanorum Pontificum, quæ in castro Paniscolæ ubi Benedictus interierat, inventa sunt, & Avenionem transtulit. Postea cum condidisset apud Tolosam collegium, quod ex ejus nomine, Fuxense vocatur, illud instruxit locupletissima Bibliotheca, composita utplurimum ex libris, qui fuerant Petri de Luna, inter quos erat etiam iste codex. Mansit ille perdiu in eo collegio, donec ætate nostra, in potestatem illustrissimi viri Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani transiit. Eo deinde mortuo, ad virum clarissimum Alexandrum Petavium Pauli filium, Senatorem Parisiensem pervenit. Demum illo quoque extincto, vir superillustris Achilles Harlæus, nunc Parisiensis Senatus Princeps, illum dato pretio comparavit. Hinc in ejus bibliotheca censetur, habet autem folio 277. ut supra dictum est. Illius præclari Codicis honorificam mentionem fecere duo magni nominis Episcopi, Franciscus Bosquetus Monspeliensis, & Henricus Spondanus Appamiensis: prior quidem in Notis ad Historiam Pontificum Romanorum, qui Avenione sederunt: alter autem in Annalibus Ecclesiasticis. Sed in eo non reperiuntur omnia, quæ a Spondano anno 1381. §. 3. recensentur: quippe qui non hunc solum codicem Fuxensem commemorat, sed alium etiam magnitudinis ejusdem, qui nunc habetur in bibliotheca Colbertina numero 814. signatus.

His ita enarratis, nunc stilum convertamus ad descriptionem rerum quæ in Codice Horlæano continentur, seu potius earum rerum quæ factæ sunt iri celeberrimo Conventu habito apud Medinam Campestrem in diœcesi Salmanticensi anno MCCCLXXX. exeunte, & prioribus mensibus anni sequentis. Cui quidem conventui nomine Clementis VII. interfuerunt Petrus de Luna Cardinalis, nomine autem Urbani VI. Franciscus de Urbino Episcopus Fatentinus & Franciscus de Siclenis de Papia, legum professor, non vero de Padua, ut a quodam nupero Scriptore per errorem dictum est. Primo ergo loco ponitur in Codice illo brevis enarratio eorum, quæ ab Henrico & Joanne Castellæ Regibus acta sunt in causa Schismatis antequam celebraretur iste conventus; ut sciri vere posset, quis e duobus de summo pontificatu contendentibus haberet meliorem causam. Quam narrationem, quia basis & fundamen-

damentum est omnium dicendorum, heic describere opere pretium existimavi, quamvis longiuscula sit. Sic ergo habet initium istius Codicis.

„ In CHristi nomine Amen. Incipit prima „pars processus facti & habiti coram serenissimo & praeillustrissimo Principe, Domino Johanne Dei gratia Castellae & Legionis Rege, „ac de ipsius mandato, in villa Metinae del Campo, Salamanticensis dioecesis, & super exorto „nuper Schisinate in Ecclesia Dei circa electiones duas, unam videlicet de Reverendo Patre „Domino Bartholomaeo tunc Archiepiscopo „Barensi, secundam de Reverendissimo Patre „& Domino Domino Roberto tunc Cardinale „Gebennensi, in Summum Pontificem per Sacrum collegium Reverendissimorum Patrum „Dominorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium celebratas, prosequentibus electionem „primam Reverendo Patre Francisco de Urbino Faventino Episcopo, & venerabili viro „Francisco de Siclenis de Papia, legum famoso „professore, ambaxiatoribus ejusdem primi electi, quem sanctissimum Dominum Urbanum „Papam sextum nominabant. Secundam vero electionem prosequente Reverendissimo in „Christo Patre, & Domino Domino Petro de „Luna, Sanctae Mariae in Cosmedin Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali, asserente „se Legatum dicti secundi electi, quem sanctissimum Dominum Clementem Papam septimum nominabat: nec non ex parte Sacri collegii Dominorum Cardinalium, ad informandum dictum Regem Castellae, de utraque electione transmissis. Et est sciendum ante omnia, quod clarae memoriae Dominus Euricus, „Rex Castellae & Legionis, pater & genitor dicti Domini Regis Joannis, audito olim de electione primi, scilicet Bartholomaei, & subsequenter de Cardinalium divisione seu subtractione ab illo, nec non declaratione facta per „eos Anagniae, quod ille primus non erat Papa: „demum vero de electione alia per eosdem „Cardinales Fundis celebrata de persona secundi, scilicet Roberti, anxius & perplexus idem „Rex Euricus ex hujusmodi diversitate gestorum, ac dubius, quid in hoc casu ancipiti eum „sequi & facere oporteret, propter multa quae „occurrebant: & quia magni Doctores circa „hujusmodi negotium diversimode sentiebant „voluit esse indifferens in hac parte, ut etiam „liberius inquirens de re gesta, ad agnitionem „veritatis hujus negotii, cui intendebat, si faveret divina pietas, perveniret. Sed eo, sicut Domino placuit, in sinceritate Catholicae, „fidei de medio sublato, memoratus Dominus „Johannes ejus filius legitimus atque haeres & „Successor in regno pariter & in voto, dum apud civitatem Burgensem solemnes ac generales curias pro sua felici coronatione teneret, ibique fecisset introduci istud negotium „in praesentia Archiepiscoporum & Episcoporum, ac nobilium & militarium, & quamplurimum in sacra pagina magistrorum, doctorumque juris canonici & civilis, & aliorum, „multorum etiam literatorum regni sui; demum consideratis diversis tractatibus & scripturis, quae occasione hujusmodi jam hinc, „inde emanarant. Singulisque in disceptationem deductis, quia tandem occurrebant dubia in mentibus singulorum, eo quod factum, „variari videbatur hinc inde, & casus certus, „seu indubitabilis nequibat tunc in materia reperiri, deliberavit idem Rex saniori suorum, „ductus consilio, indifferentiam dicti sui genitoris, ac coeptum perquirendae veritatis negotium amplecti: ne, quod absit, de negligentia, „prosecutionis tam piae, tamque meritoriae, „causae, contingeret eum apud supremum judicem argui, ac propter indiscussionem ipsius, „rei, errorem forsan incurrere, circa id quod, „eligere ac sequi in isto casu deberet. Quapropter Rex ipse, antequam ad ulteriora procederet, ambassiatores nuntiosque suos solemnes in Romam ac Avenionem ad utrumque electorum direxit, quatenus ab eis casus instructionesque suarum electionum requirerent, „& ut eorum quilibet nuntios suos sufficienter, „instructos ad Regem praefatum pro conscientiae illius informatione dignaretur transmittere, cum modestia decentique instantia supplicarent: & similiter ab aliis personis illarum, „partium, de re, gesta notitiam habentibus, „cum adhuc recens foret ipsius rei memoria, „informationes seu depositiones reciperent, sibi fideliter deportandas. Quae omnia & singula iidem nuntii regii, illuc se in apparatu debito conferentes, opere compleverunt. Et, „subsequenter praefati Domini electi ad summum, ut praemissum est, pontificium, dictos, „supra & infra designatos nuntios seu legatos, „ad memoratum Dominum Johannem Castellae & Legionis Regem miserunt. Qui ad praesentiam ipsius sigillatim & prout commode, „valuerunt pervenientes, in primis arengas ac, „propositiones suas publicas & solemnes super, „causa adventus sui apud Metinam Salamanticensis dioecesis Domino Regi fecerunt seu etiam praesentarunt in fortuna sequenti. „

Die igitur Veneris XXIII. Novembris anni MCCCLXXX. Petrus de Luna longam orationem habuit sermone Hispanico, quae postea in Latinum versa fuit, & heic integra descripta est. Contendit autem manifestam fuisse violentiam in electione Urbani, adeoque illam esse nullam ipso jure, denique Regem obtestatur ut justas Clementis partes tueatur.

Deinde die Dominica XXV. Novembris Franciscus Episcopus Faventinus longissimam orationem habuit pro Urbano, quam in veritates septendecim divisit.

Die Lunae XXVI. Novembris Rodericus Bernardi quem Rex una cum fratre Fernando de Illescas ordinis Minorum ejus Regis confessore

fessore, ab Alvalvaro Melendi legum Doctore miserat Romam & Avenionem ad investigandam & perquirendam veritatem, quis ex duobus alter verus Papa obtulit bullam clausam Vrbani, quam Episcopus Faventinus circa finem mensis Augusti ei tradiderat Romæ, de mandato primi electi. Quam cum Episcopus Faventinus recognovisset, eam esse quam tradiderat Roderico, aperta est, & in ea inventi sunt unus sexternio & unus quaternio, continentes casum primi electi, id est narrationem eorum per quæ ille ostendere nitebatur, se vere & canonice factum esse Papam. Aderant tum in conventu Rex ipse, Petrus Archiepiscopus Toletanus, Petrus Hispalensis, Joannes Episcopus Seguntinus, Alfonsus Abulensis, Joannes Giennensis, Fernandus Legionensis, Petrus de Ayala Miles, & duo nuntii Bartholomæi. Postea describitur Casus sive factum verum, & processus promotionis Vrbani, illud ipsum nimirum, quod editum est apud Odoricum Raynaldum anno 1878. §. 73.

Die XXVII Petrus Cardinalis de Luna attulit in medium quaternum papyri sex foliorum, coram Rege Joanne, Petro Archiepiscopo Toletano, & Petro Hispalensi, Joanne Episcopo Seguntino, & Petro Tirasonensi, Petro Fernandi de Volasco Camerario majore, & Didaco de Astunenga, Cubiculario dicti Regis. Eodem tempore Rex afferri jussit Epistolam, quam Clemens VII. ad eum scripserat, VII. Kal. Junii anno secundo. Primum lecta est epistola illa, deinde casus Cardinalium, qui continebatur in dicto quaterno. Incipit autem, *quia propter falsam assertionem &c.* & editus est in tomo quarto Historiæ Vniversitatis Parisiensis p. 468.

Sequitur propositio sive relatio quam die quarta mensis Decembris, Dominus Rodericus Bernardi jussus per prædictum Dominum Regem Castellæ, sibi & in hospitio suo fecit in præsentia, Joannis Episcopi Seguntini & Alvari Martini Doctoris in legibus & Licentiati in canonibus, de his, quæ cum fratre Fernando ordinis Minorum confessore regio, egerat apud Romam & Avenionem. Deinde præfatus Dominus Rodericus Bernardi statim ibidem exhibuit & tradidit in scriptis quam Romæ sub sacramenti præstatione habita & recepta.

Sequuntur nomina eorum quos dicti ambaxiatores, primitus habuerunt & examinaverunt apud Avenionem. Cardinalis Lemovicensis, Cardinalis Sancti Eustachii, Cardinalis Vivariensis, Cardinalis Sancti Angeli, Cardinalis Majoris monasterii, Cardinalis de Vernio, Cardinalis de Britannia, Cardinalis Cusentinus, Cardinalis Pampilonensis, Cardinalis Glandatensis, Patriarcha Constantinopolitanus, Camerarius secundi electi, Archiepiscopus Neapolitanus, Episcopus Cathaniensis, Episcopus Valentinus olim Marsiliensis, Episcopus Firmanus, Episcopus Grassensis, Generalis Minorum, Pontius Bernardi, Gilbertus, Joannes de Baro, Bonifacius de Awanatis, Ægidius Bellemeri, frater Nicolaus Aymerici, Guido de Pruinis, Bindo Prior Sanctorum, Petrus Rostagni, Joannes de Lodon, Thomas auditor Domini Mediolanensis, Bernardus de Virididuno, frater Bartholomæus procurator ordinis Carmelitarum.

Nomina eorum, qui jurati & examinati per dictos ambaxiatores, deposuerunt apud Romam, sunt hæc. Nardus apothecarius, Guillelmus de Bulla, P. Albacius, Joannes de Paparonibus, Joannes Bolcardi, Jacobus Palucii, Antonius de Augusta, Alexius Petri, Franciscus de Fava, Jacobus Camerarius, Petrus de Surdis, Guillelmus Tenor, Vvalterus de Argentina, Buccius Petri, Henricus de Buda, Joannes de Papazaris, Fredus de Canali, Lulius Madatenus. Item Cardinalis de Pavia, Cardinalis Sistariensis, frater Nicolaus Cardinalis, Episcopus Tudertinus, Episcopus Castrensis, Episcopus Reatinus, Episcopus Lucerinus, frater Raymundus de Capua, Nicolaus de Vrsinis, Bernardus de Cucurno, Thomas Petra.

Die sexta Decembris, quæ fuit festivitas Sancti Nicolai, Rex missam per Alfonsum Episcopum Abulensem celebrari fecit in suis ædibus, illicque præsentibus ex parte Clementis, Petro de Luna Cardinale, fratre Angelo Episcopo Pisaurensi, Petro Episcopo Tirasonensi, fratre Angelo Ministro generali ordinis Minorum, & Fernando Petri Decano Tirasonensi: ex parte Vrbani Gutorio Gomecii Cardinale Hispano, Francisco Episcopo Faventino, & fratre Menendo ordinis Minorum, ac Francisco de Siclenis de Papia legum Doctore, præsentibus etiam Petro Toletano & Petro Hispalensi Archiepiscopis, ac Joanne Segunrino, Gundisalvo Calagurritano, & Joanne Giennensi Episcopis, legi fecit formulam juramenti, quod de dicenda veritate præstare debebant Cardinales, & alii utriusque partis heic nominati; itemque formulam juramenti, quod de ferendo secundum conscientiam judicio præstare debebant, Episcopi & alii viri, quos Rex delegabat ad causæ istius examinationem. Hi fuere Archiepiscopi & Episcopi paulo ante nominati, tum etiam frater Alfonsus Episcopus Asturicensis, Petrus electus Ocomensis, Didacus Fernandi Thesaurarius Toletanus, Fernandus de Sanles ordinis Minorum, magister in Sacra pagina, Fernandus Sancii Canonicus Hispalensis, Rodericus Bernardi, & Didacus de Curralì audientiæ regiæ auditores, frater Joannes Alfonsi de Toleto minister provincialis fratrum Minorum provinciæ Castellæ, Joannes Sancii & Alvarus Martini Doctores decretorum, Petrus Fernandi Doctor legum, frater Fernandus de Illiescas ordinis Minorum, confessor Regis, Joannes Alfonsi de Palacios Licentiatus in decretis, frater Lupus ordinis sancti Augustini conventus Toletani, Fernandus Martini Archidiaconus de Niebla

Niebla in Ecclesia Hispalensi, Petrus Fernandi Archidiaconus de Carrione in Ecclesia Palentina, & frater Petrus Prior monasterii de Abiago, ordinis beati Hieronymi Palentinæ dioecesis. Hæ formulæ descriptæ sunt in hoc loco, ex Hispanica lingua versæ in Latinam.

Die decima mensis Decembris Rex nominavit quosdam viros insignes ad recipienda dicta testium, secundum articulos contentos in casibus utriusque electi, videlicet Archiepiscopos & Episcopos ante nominatos, & inter hos etiam Alfonsum Abulensem, fratrem Nicolaum Priorem Vallisoletanum, fratrum Prædicatorum, fratrem Joannem Alfonsi Toletanum ordinis Minorum, ministrum provincialem Castellæ. Didacum Fernandi Thesaurarium Toletanum, Joannem Alfonsi Doctorem in utroque jure, Alvarum Martini Doctorem decretorum, Petrum Fernandi Doctorem in jure civili, Rodericum Bernardi & Didacum de Currali auditores audientiæ regiæ, Joannem Alfonsi Licentiatum in decretis, fratrem Lupum ordinis Sancti Augustini conventus Toletani, fratrem Fernandum confessorem Regis, fratrem Joannem Vitalis ordinis Minorum, & fratrem Petrum de Guadalfajara monasterii Sancti Bartholomæi de Lupiana ordinis Sancti Hieronymi, omnes ibidem præsentes. Tum eis data formula juramenti, quod excipere deberent à testibus, quæ ex Hispanico sermone versa in Latinum heic habetur. Postea attendentes deputati ipsi, quod eos simul unum solum testem examinare erat longissimum, & multum temporis perderetur, propter multitudinem examinandorum testium, diviserunt se in tres formas. Quibus sic factis, iidem deputati ad receptionem & examinationem testium processerunt, a die XXVIII. Decembris usque ad principium mensis Maji sequentis.

Sequitur Casus primi electi divisus per articulos, & ipse qui supra pag. 1285. commemoratus est, sed divisus in articulos centum quatuor, & additiones XXXV.

Postea sequuntur interrogatoria formata & habita circa casum primi electi, super quibus interrogandi & examinandi erant testes, divisa in articulos LXXIII.

Deinde casus secundi electi, divisus per articulos, is ipse, qui supra p. 1285. commemoratus est, sed divisus in articulos LXXXIX. & additiones XI.

Postea interrogatoria, super quibus interrogandi & examinandi erant testes super casu secundi electi, additis aliquibus articulis datis per Cardinalem de Arragonia, & aliquibus aliis ex officio, divisa in capita CVII. & additiones XIV.

Post omnia ista describitur bulla facta per Dominum Gregorium XI. ante obitum suum, videlicet quod major pars Cardinalium posset eligere Papam post obitum suum in & extra conclave, & tempus abbreviare & prolongare pro ea vice. Edita est apud Odoricum Raynaldum anno 1387. §. 2.

Sequuntur depositiones aliquorum Cardinalium, ac aliorum etiam examinatorum Avenione mense Majo anni millesimi trecentesimi octogesimi, per Rodericum Bernardi, Fratrem Fernandum, & Alvarum Menendi Doctorem, ambasiatores Domini Regis Castellæ, illuc & Romam missos pro inquisitione veritatis circa materiam dictorum duorum electorum ad summum Pontificatum. Sequuntur ergo depositiones Bertrandi Cardinalis Glandatensis Episcopi Ostiensis, Joannis Cardinalis Lemovicensis, Hugonis Cardinalis de Britannia, Gerardi Cardinalis Majoris monasterii, Petri Cardinalis de Vernio, Petri Cardinalis Sancti Eustachii, Petri Cardinalis Vivariensis, Guillelmi Cardinalis Sancti Angeli, Nicolai Cardinalis Cusentini, Petri Cardinalis Pampilonensis, Joannis Patriarchæ Alexandrini & Archiepiscopi Toletani, Thomæ Archiepiscopi Neapolitani, Heliæ Cathaniensis Episcopi, Guillelmi Episcopi Valentini olim Massiliensis, Antonii Episcopi Firmani, Artandi Episcopi Grossensis, Poncii Peraldi correctoris literarum Apostolicarum, Gilaberti Secretarii Papæ natione Alemanni, Joannis de Baro Subdiaconi Papæ, Bonifacii de Amanatis legum Doctoris, Ægidii Bellameræ auditoris literarum contradictarum Domini Papæ, Guidonis de Prohinis olim Senatoris Romanorum, Bindonis Prioris Sanctorum, Joannis de Lodon alias de Narbonâ Presbyteri, Thomæ decretorum Doctoris & auditoris Cardinalis Mediolanensis, Bernardi de Virididuno Licentiati in decretis, Fratris Bartholomæi procuratoria generalis Ordinis Carmelitarum, Fratris Nicolai Eymerici Inquisitoris Arragoniæ, Fratris Angeli Ministri generalis Minorum, Petri Camerarii Papæ fratris Domini Cardinalis Lemovicensis, & Petri Rostagni domini loci de Sancto Crispino.

Deinde sequuntur depositiones testium receptorum Romæ per Rodericum Bernardi & fratrem Fernandum scilicet, Nardi Apothecarii, Guillelmi de Bulla, Petri Albuchii Presbyteri, Joannis de Paparonibus, Canonici Sancti Petri, Joannis Beleardi Magistri capellæ Domini Papæ Urbani, Jacobi Paluzii civis Romani, Antonii de Agusta Canonici Ecclesiæ Lateranensis, Fredi de Canali Ostiarii Papæ, Alexii Petri, Pauli Henrici civis Romani, Francisci de la Fara Doctoris in medicina, Jacobi Camerarii Cardinalis Sancti Petri, Petri de Surdis, Canonici Sanctæ Cæciliæ, Guillelmi Tenoris capellæ Domini Papæ Urbani, Valcheri de Argentina, Buchi Petri Jacobi, Fratris Henrici de Buda poenitentiarii Papæ Urbani, Joannis de Papazariis, Bonaventuræ Cardinalis de Padua, Nicolai Cardinalis Urbani, Raynulphi Cardinalis Clistariensis, Stephani Episcopi Tudertini, Episc. Reatini, Thomæ Episcopi Lucerini, Joannis Episcopi Castrensis, Lelli Magdaleni civis Romani, Fratris Raymundi

Raymundi de Capua Magistri generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, Fratris Bartholomæi de Cucurno Ordinis Fratrum Minorum,& Thomæ Petræ Canonici Patracensis.

Finitis tandem depositionibus testium utriusque partis describuntur dubia Archiepiscopi Toletani, data Alvaro Episcopo Zamorensi, qui ibat Niciam, ad Cardinales Florentinum & de Mediolano. Et mox subjiciuntur responsiones ad dicta dubia Domini Toletani, scriptæ per manum Domini Florentini.

Sequuntur depositiones generales nonnullarum personarum tredecim numero, quæ de mandato Domini Regis ac deputatorum prædictorum, dederunt per scripturam ea, de quibus recordabamur circa materiam primæ electionis. Eorum nomina hæc sunt: Frater Petrus de Guadalfaiora, Frater Ferrarius de Vergos Ordinis Minorum, Petrus Alfonsi Canonicus Hispalensis, Joannes Abbas Sancti Isidori Hispalensis, Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, Frater Alfonsus de Melide tertii Ordinis Sancti Francisci, Garsias Electus Auriensis, Frater Michael monasterii Sancti Bartholomæi de Lupiana, Joannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina, Alvarus Martini Doctor decretorum, Fernandus Gudiel Episcopus Legionensis, Alfonsus Fernandi Presbyter Hispalensis, & Thomas Gundisolvi Thesaurarius Compostellanus.

Postea describuntur depositiones in speciali super casu primi electi habitæ & receptæ per dictos deputatos Metinæ a diversis personis medio juramento superius scripto examinatis. Eorum, qui speciales depositiones fecerunt, hæc sunt nomina. Frater Ferrarius de Vergos Ordinis Fratrum Minorum, Petrus Alfonsi Canonicus Hispalensis, Alvarus Gundisolvi Canonicus Cordubensis, Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, Joannes Garsiæ Decanus Calagurritanus, Frater Alfonsus de Melide tertii Ordinis Sancti Francisci, Garsias Martini Electus Auriensis, Frater Michael professus Ordinis Sancti Hieronymi, Joannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina, Didacus Martini de Urdusia Canonicus Toletanus, Alvarus Martini Doctor decretorum, Frater Menendus Ordinis Fratrum Minorum Episcopus Cordubensis factus per primum electum, Petrus Abbas Sancti Facundi, Fernandus Episcopus Legionensis, Alfonsus Azero Archidiaconus de Metina in Ecclesia Salmanticensi, Petrus Roderici Canonicus Cordubensis, Frater Petrus Cordubensi conventus Sancti Bartholomæi de Lupiana, Frater Joannes Roderici Episcopus de Neupatras, Franciscus Fernandi Cantor Palentinus, Marcus Fernandi Abbas de la Vanza in Ecclesia Palentina, Joannes Sancii portionarius Toletanus, Garsias Petri de Tassara, Sancius Archidiaconus de Guiart in Ecclesia Pampilonensi, Petrus Fernandi Archipresbyter de Fita, Joannes Sancii Canonicus Hispalensis, Alfonsus Fernandi Presbyter Hispalensis, Thomas Gundisolvi Thesaurarius Compostellanus, Joannes Columbi clericus diœcesis Avenionensis, Fernandus Petri Decanus Tirasonensis, Nicolaus Martini Archidiaconus Salamantinus, Frater Angelus generalis Minister Ordinis Minorum, Bonifacius de Pistorio alias de Amanatis, legum Doctor, Ægidius Sancii Munionis Præpositus Valentinus, & Frater Angelus Episcopus Pisaurensis.

Descriptis depositionibus testium interrogatorum super casu primi electi, ponuntur per ordinem depositiones eorum, qui interrogati fuere super casu secundi electi.

Testes iidem omnino fuere, qui interrogati fuerant super casu primi electi.

Sequuntur deinde Responsiones publice factæ coram Rege, ejusque toto consilio per Cardinalem Hispanum, Episcopum Faventinum, & Franciscum de Siclenis de Papia, ad casum secundi electi anno MCCCLXXXI. die quarta mensis Martii.

Ponuntur postea responsiones Petri de Luna Cardinalis, Episcopi Pisaurensis, & Bonifacii de Amanatis, ad casum primi electi factæ publice coram Rege, ejusque toto concilio.

Finitis responsionibus partium, describitur consequenter intimatio, per Dominos Cardinales facta universis, quod Bartholomæus Barensis est intrusus. Incipit sic, *Exigit sanctæ & catholicæ fidei puritas* &c. Edita est in secunda vita Clementis VII. p. 542.

Sequitur qualiter Cardinales notificant universis, quod Dominus Clemens fuit rite & canonice per eos electus, & solemniter inthronizatus & coronatus. Incipit, *Quoniam nonnulli intrusionem detestabilem.*

Deinde litera septem Cardinalium suis sigillis sigillata, existentium Avenione, notificantium intrusionem primi electi, quæ incipit, *Ad vestram notitiam deducimus.*

Tum intimatio & notificatio Cardinalium deprecantium universos Christi fideles, ut Clementi adhærcant. Incipit, *Speculatores a Domino Deo* &c.

Protestatio Domini Berttrandi Cardinalis Glandatensis, antequam intraret conclave, suo sigillo sigillata, cum subscriptione Notarii. Incipit, *In nomine Domini, Amen.*

Confessio Domini Anglici Cardinalis Albanensis cum signis duorum Notariorum, & suo sigillo sigillata. Incipit, *Universis & singulis præsentes literas inspecturis* &c.

Instrumentum confessionis Domini Cardinalis Sancti Eustachii, cum signo & subscriptione Notarii & undecim testium. Incipit, *In nomine Domini, Amen.*

Extractiones quædam habitæ a dictis testium per illos de consilio regio, quorum aliqua facere videntur

videntur pro libertate electionis primæ, & quædam pro coactione seu impressione.

Sequuntur conclusiones illorum de regio consilio, circa dubia & allegata super materia. Subscribunt præter eos alii multi viri docti, & inter hos Martinus Episcopus Pampilonensis.

„Post præmissa vero præfato Domino Regi „Castellæ exhibita, præsentata & declarata, „omnibusque peractis ut supra per ordinem „expressum est, scriptum & designatum: de„mum idem Dominus Rex consilium prædi„ctum pro debito fidei, veritatis & justitiæ, „ac securitatis suæ conscientiæ libenter ample„ctens volensque agnitam veritatem hujusmo„di, suis regnicolis, universisque Christi fide„libus notam esse, ad civitatem Salamauti„cam, ubi studium viget generale, cum tota „sua curia & sequela se contulit. Et tandem „die Dominica, quæ intitulabatur XIX. men„sis Martii anni a nativitate Domini millesimi „trecentesimi octuagesimi primi, convenien„tibus ibidem ad Ecclesiam Cathedralem mane „quasi hora prima, præfato Domino Rege cum „Prælatis, nobilibus & litteratis, ac notabili„bus viris regnorum suorum, qui pro hujus„modi negotii ac rei gestæ perscrutanda & in„quirenda veritate, de mandato suo fuerunt „evocati: præsente quoque ibidem Reveren„dissimo in Christo Patre & Domino Petro de „Luna, Sanctæ Mariæ in Cosmodin Diacono „Cardinalis Aostolicæ sedis Legato, & nonnul„lis aliis Prælatis ac litteratis viris diversarum „nationum & partium, grandiq; alia cleri & po„puli multitudine, qui propter hoc advenerant „celebratisque Missarum solemniis. Idem Se„renissimus ac Christianissimus Princeps & Do„minus Rex, abjecto primo electo vocato Bar„holomæo de Priniano, olim Archiepiscopo Ba„rensi, in Apostolica sede intruso, pro San„ctissimo in Christo Patre & Domino Domino „Clemente Papa septimo, canonice electo, ve„roque Jesu Christi vicario se declarans, suam „declarationem hujusmodi in scriptis reda„ctam, publice & alta ac intelligibili voce legi „& recitari fecit, cujus tenor seu forma de „verbo ad verbum sequitur, & est talis.„

Joannes Dei gratia Castellæ & Legionis Rex, universis Christi fidelibus salutem, & in pastoris notitia non errare. A solis ortu usque ad occasum &c.

Et sic absolvitur iste Codex, qui in initio, uti supra p. 1283. monuimus, dicitur esse prima pars processus facti & habiti coram Rege Castellæ, de & super exorto nuper Schismate in Ecclesia Dei, circa electiones Urbani VI. & Clementis VII.

Secunda ergo pars ejusdem processus habetur in Codice 814. Colbertinæ bibliothecæ, qui fuit olim Furensis collegii, estque alter illorum duorum, quem Henricus Spondanus commemorat. Est autem ejusdem omnino magnitudinis cum Harlæano, foliaque 244. continet.

Primum occurrit tractatus Domini Cardinalis Sancti Eustachii *De Papatu*, qui in aliis Codicibus vocatur tractatus *De facto Schismatis & impressionis*, scriptus advetsus electionem Urbani. In calce vero ita adnotatum est, *Tractatus iste Domini Cardinalis Sancti Eustachii fuit inceptus in civitate Fundana provinciæ Campaniæ, anno a nativitate Domini* MCCC LXXVIII. *de mense Septembris, & completus Avenioni anno sequenti de mense Martii seu Aprilis.*

Littera Archiepiscopi Toletani ad Cardinalem Sancti Eustachii, continens dubia super eodem tractatu.

Tractatus Petri de Barreria Cardinalis Æduensis, factus Parisiis anno a nativitate Domini MCCCLXXIX. vel LXXX. *Serenissimo ac præexcellentissimo Principi*, qui editus est in tomo quarto Historiæ Universitatis Parisiensis, p. 529.

Tractatus Domini Joannis tunc Abbatis S. Vedasti, nunc Episcopi Carnotensis, factus Parisiis anno a nativitate Domini MCCC LXXIX.

Tractatus Magistri palatii responsivus ad rationes quorundam theologorum contra Dominum Clementem, & pro Bartholomæo factas, ordinatus Avenioni de mense Maji anno MCCCLXXX.

Tractatus Domini Cardinalis Ebredunensis, super materia Concilii generalis habendi vel non habendi in negotio schismatis hodie currentis, scriptus de mense Augusti anno MCCC LXXX. & forte factus eodem aut saltem præcedente anno.

Epistola Ecclesiæ ad Regem Francorum in causa Schismatis, data in inferno virorum. Cujus in fine hæc nota apposita est, *Nihil valet totum, nec principium, nec finis.*

Epistola de facto Schismatis ad Ludovicum Ducem Andegavensem, composita per Magistrum Joannem de Florentia, scripta ante electionem Clementis.

Factum intrusionis Bartholomæi in papatu, traditum per Reverendissimos & Dominos Dominos Florentinum & Mediolanum Cardinales Italicos, Reverendissimis Patribus & Dominis Dominis Albanensi, Vivariensi, Sancti Eustachii & Sancti Angeli Cardinalibus, in Nicia cum eis constitutis, de anno Domini MCCC LXXX. & de mense Novembris.

Ambaxiatorem Urbani VI. oratio ad Regem Castellæ divisa in XVII. veritates, eadem quæ in Harlæano Codice occurrit sub nomine Episcopi Faventini.

Allegata Domini Episcopi Ambianensis (Joannis Rolandi) pro Domino Clemente in facto schismatis coram Rege Castellæ.

Probata coram Rege Castellæ, pro parte Collegii

legii & Domini Clementis, contra Bartholomæum intrusum.

Declaratio Domini Regis Castellæ, eadem quæ habetur in calce Codicis Harlæani.

Francisci de Siclenis epistola seu factum, pro Urbano ad eundem Regem.

Responsio Domini Evrardi de Tremaugen Britonis natione, Domini Regis Franciæ Ambaxiatoris, juris utriusque Professoris, nuntii Domini Franciæ Regis ad Dominum Regem Castellæ, facta in Castella apud Medinam del Campo, coram dicto Domino Rege Castellæ.

Consilium pro parte Domini Clementis Papæ VII. & contra Bartholomæum de Prinhano intrusum in papatu, ad dubia quæ sequuntur, anno Domini MCCCLXXXI. de mensis Aprilis die secunda.

Quæstiones disputatæ coram Rege Castellæ inter Petrum de Luna Legatum & nuntios Apostolicos Clementis VII. ex parte una, & nuntios Bartholomæi Antipapæ anno Domini MCCCLXXXI. de mense Martii. Et incœpta fuit disputatio die Sabbathi XXIII. dicti mensis in capella Regis Medina del Campo diœcesis Salamanticæ, absente Rege, & ejus consilio toto præsente. Responsiones factæ fuerunt, per Petrum de Luna, & per Ægidium Sancii.

Allegationes Bonifacii de Amanatis, Advocati Fiscalis Domini Papæ, factæ coram Rege Castellæ & toto concilio, apud Medinam del Campo, pro parte Clementis VII. contra Bartholomæum in papatu intrusum, de anno a nativitate Domini MCCCLXXXI. die Mercurii XXVIII. Aprilis.

Allegationes Petri de Tury, utriusque juris professoris, Custodis Lugdunensis, factæ in capella Regis Castellæ tunc absentis, apud Medinam del Campo, pro parte Clementis VII. contra intrusum Bartholomæum, de anno Domini MCCCLXXXI. & de mense Aprilis secunda die.

Allegationes, ut dicitur, Domini Cardinalis de Luna.

Novæ allegationes Joannis de Lignano, seu verius postrema pars secundi tractatus, quem Joannes de Lignano pro Urbano scripsit, qui editus est ab Odorico Raynaldo in Appendice Tomi XVII. ejus Annalium Ecclesiasticorum.

Rationes Anglicorum & responsiones ad illas.

Allegationes Domini Raymundi Bernardi Flamench, factæ coram Rege Bohemiæ anno MCCCLXXXIII. die XXI. Augusti.

Litteræ Wenceslai Regis Romanorum, quibus committit Marchioni Moraviæ vicario suo generali in Italia ex ultramontanis partibus, potestatem inquirendi quis amborum sit Papa, & eidem faciat obediri.

Aliæ litteræ Wenceslai ejusdem, quibus eidem vicario committit potestatem reformandi ligam cum Rege Franciæ.

Factum verum Dominorum Cardinalium incipiens, *Dudum vacante sede Apostolica* &c.

Sermo factus super & pro sedatione moderni schismatis, per Guidonem Cardinalem Pictaviensem, in Synodo Cameracensi anno Domini MCCCLXXXIII. die prima Octobris, Pontificatus Clementis VII. anno secundo.

Tenor veri testamenti Petri Flandrini, Diaconi Cardinalis Sancti Eustachii.

Tenor falsati testamenti dicti Domini Sancti Eustachii. Quam falsitatem commisit Notarius per plures annos post mortem prædicti Domini, & postquam ad Bartholomæum idem Notarius se transduxit.

Tractatus Perfecti de Malatestis Abbatis Sisriensis, Viccecancellarii Cataloniæ pro Bartholomæo contra Clementem, inscriptus *De triumpho Romano*, compositus Barcinone anno MCCCLXXIX. die sacratissima corporis Christi, decima mensis Junii.

Tractatus Baldi de Perusio contra Clementem VII. Incipit *Civitas Dei*, editus in appendice tomi XVII. Odorici Raynaldi.

Tertiæ & ultimæ allegationes Joannis de Lignano valde venenosæ, licet superficiales & non Reales existant. Incipiunt *Quia post completum* &c. editæ in calce ejusdem tomi XVII, ut dictum est supra.

Tenor litterarum directarum Clero Romano ab Anticardinalibus Bartholomæi.

Allegationes cujusdam in facto electionis, in favorem Urbani. Incipiunt, *In quæstione præsenti licet multi valentes* &c.

Hucusque duo volumina processus facti & habiti coram Rege Castellæ, super schismate exorto in Ecclesia Dei propter duos de Summo Pontificatu contendentes.

Extant quoque in Collectione actorum veterum ad Vitas Paparum Avenionensium a Baluzio facta, col. 882. *Epistola Joannis Castellæ Regis ad Carolum V. Francorum Regem* anni MCCCLXXIX. Col. 920. *Declaratio Regis Castellæ pro Clemente VII.* anni MCCCLXXXI. Col. 988. *Declaratio Joannis Regis Aragonum pro Clemente VII.* anni MCCCLXXXVII. Meminit Joannis Castellæ Regis apud Baluzium in vita Clementis VII. anonymus locis supra allatis, ipse Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. seu p. 1274. 1281. 1356. 1389.

CLEMENS PAPA VII. Frater Comitis Ge- 1380
bennensis, antea Robertus nominatus, modo subsequenti in Romanum Papam electus est. Post mortem enim Gregorii Papæ XI. quæ Romæ anno 1378. die 27. Martii contigit, Gandavenses & duodecim capita Regionum cum cæteris officiariis, qui tunc Romam & Romanum populum regebant, manu armata & cum multitudine ingenti populi congregati coegerunt compuleruntque Cardinales tunc Romæ existentes, ut Urbi Papam Romanum vel saltem Italum eligerent. Constituti ergo inter angu-

anguſtias, elegerunt quendam Bartholomæum de Prinhano Italum & Neapolitanum, tunc Barenſem Archiepiſcopum anno 1378. die 8. Aprilis, coronatum die 18. ipſo Paſchatis feſto. Verum Cardinales facti pœnitentes, Romæ egreſſi poſtmodum, electionem hanc violentam & coactam conqueſti, Fundis in Campania conſtituti, iterata electione anno eodem 1378. die 20. menſis Decembris in palatio Fundani Comitis congregati, libere, debite & canonice elegerunt in Papam Clementem ſupradictum VII. tunc Cardinalem Presbyterum baſilicæ duodecim Apoſtolorum, qui tunc erat ſatis juvenis, ætatis ſcilicet XXXVI. annorum, alias tamen magnis virtutibus adornatus, priusque ſedis Apoſtolicæ Notarius fuerat, poſt vero Morinenſis & ſucceſſive Cameracenſis Eccleſiarum Epiſcopus, indeque per dictum Gregorium XI. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter ordinatus anno 1371. die 6. menſis Junii. Dictus autem Clemens ſtatim poſt electionem ſuam, quantum in ſe fuit, ſibi remediis opportunis cauſæque ſuæ ſavere volens, ad juſtitiæ ſuæ & nequitiæ adverſarii ſui demonſtrationem, ad Reges & regna ſuos Legatos & nuntios deſtinare decrevit, & ad illos præſertim, qui principaliores inter eos reputantur. Ad Regem namque & regnum Franciæ, Dominum Joannem de Croſſo Epiſcopum Præneſtinum: ad Imperatorem Romanorum & regna Alamanniæ & Bohemiæ, ac ad terras Imperii eis adjacentes, Dominum Guillelmum de Agrifolio tituli Sancti Stephani in Cælio monte Presbyterum Cardinalem: ad Regem & regnum Angliæ, Duces & ducatus Brabantiæ & Gueldriæ, Comites & comitatus Flandriæ & Hannoniæ, patriamque Leodienſem, Dominum Guidonem de Maleſicco tituli ſanctæ crucis in Hieruſalem: & ad Reges & regna Hiſpaniæ, Caſtellæ videlicet, Arragonum, Navarræ & Portugalliæ, Dominum Petrum de Luna Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem.

Conſiderans autem, quantum ſibi periculi eſſet, ſi diutius in Italia maneret, anno 1379. menſe Majo cum Cardinalibus ſuis mari ſe commiſit, qui non ſine multis periculis ſalvus & incolumis Maſſiliam die 10. Junii conſequentis appulit, indeque verſus Avenionem iter ſuum continuando pervenit, ubi ab omnibus cum ingenti gaudio ſuſceptus eſt. Anno 1381. Joannes Rex Caſtellæ & Legionis in conventu Medinæ del Campo, rejecto Bartholomæo tanquam intruſo, obedientiam Clementi VII. vero Pontifici promiſit, Petro de Luna in id operis diligenter incumbenre. Anno 1383. die 23. menſis Decembris ordinavit ſeptem Presbyteros Cardinales & duos Diaconos, quos ſigillatim recens & auctor anonymus vitæ ipſius col. 509. Anno quoque 1385. aliquibus Cardinalibus recenter defunctis, præfatus Clemens die 12. menſis Julii novam creationem fecit ſeptem Cardinalium Presbyterorum, quos præfatus anonymus recenſet col. 512. Anno 1386. ipſo Bartholomæo intruſo adhuc Januæ exiſtente, duo ex ejus Cardinalibus Italicis ab illo diſcedentes, ad dictum Clementem convenerunt, ſcilicet Pileus de Prata, qui longo tempore ante exortum ſchiſma Archiepiſcopus Ravennatenſis fuerat, & Dominus Galeotus de Petramala, quorum primum dictus Clemens in Presbyterum, ſecundum vero in Diaconum, Cardinales aſſumpſit. Anno 1389. Rex Franciæ Avenionem ad Clementem Papam VII. die penultima menſis Octobris venit, a quo, prout decebat, multum ſolemniter tam per prædictum Papam, quam totam curiam ſuam receptus eſt. Anno 1390. Carolus junior Rex Navarræ, poſtquam in regno ſuo coronatus extitit, nuntios ſuos ad Papam Clementem miſit, quibus agentibus atque inſtantibus idem Papa Dominum Martinum de Salva Cancellarium ſuum & regnicolam tunc Epiſcopum Pampilonenſem, in Presbyterum Cardinalem aſſumpſit, die 21. Julii ejusdem anni. Anno 1393. dictus Clemens VII. miſit ad partes Franciæ Petrum de Luna Diaconum Cardinalem, ut curis ſuis atqua inſtantiis pacem inter Carolum Regem Franciæ, & Richardum Regem Angliæ procuraret, cujus tamen conatus hac in parte inutiles fuerunt, Ducibus Lancaſtriæ & Gloceſtriæ retinentibus. Anno 1394. Univerſitas Pariſienſis, extinguendi ſchiſmatis cupida, ſcripſit ad Clementem VII. quem hortabatur, ut cum adverſario pariter, viam ceſſionis amplecteretur, ad componendam Eccleſiæ diuturnam diviſionem. Offenſus epiſtola Clemens tandem, prout Domino placuit, poſt ſatis brevem infirmitatem anno Domini MCCCXCIV. die XVI menſis Septembris, pontificatus ſui XVI. Avenione diem clauſit extremum. Cui ſucceſſit in papatu Petrus de Luna Cardinalis, qui Benedictus XIII. fuit vocatus. Sepultus autem Clemens VII. in Eccleſia majori ſuit, & Eccleſia adhuc in ſchiſmate remanente, ſedes vacavit XII. diebus. Hæc de vita Clementis ex anonymo, quem ſupra diximus. Extant autem Clementis VII. *Epiſtolæ XX.* apud Lucam Waddingum in Annalibus Minorum Tomo IV. ab anno 1378. & ſequentibus, & in Regeſto Pontificum. In Collectione actorum veterum ad Vitas Paparum Avenionenſium. Col. 848. extant *Litteræ Clementis VII. de legatione Guillelmi de Agrifolio Cardinalis ad regna Bohemiæ & Alamanniæ.* Col. 853. *Epiſtola Clementis Papæ VII. ad Joannem Caſtellæ Regem* anni 1380. Col. 873. *Bulla Clementis Papæ VII. qua Joannem Flandrini præficit Eccleſiæ Auſcitanæ* anni 1379. Col. 876. *Ejusdem Clementis Papæ Epiſtola ad Comitem Armaniacenſem de negotio Eccleſiæ Auſcitanæ* anni 1379. Clariſſimus Baluzius in Vitis Avenionenſium Paparum duplicem tomo 1. nobis Vitam Clementis VII. Papæ edidit, *primam* col. 486. ad 538. ab anonymo conſcriptam, *alteram*

alteram col. 539. ad 562. eductam ex Chronico MSS. Petri de Herentals Prioris Floreffienſis Ord. Præmonſtratenſis. Idem diffuſe admodum de eodem, in Notis quas ad Vitas illas adjecit col. 1084. 1098. 1237. 1238. 1268. 1296. & ſequentibus.

1380 PETRUS DE HERENTALS, Brabantiæ oppido, unde ei cognomen *Herentalienſis* adhæſit, Canonicus & Prior Abbatiæ Floreffienſis Ordinis Præmonſtratenſis in Comitatu Namurcenſi, clarus circa annum 1380. & poſtea ſcripſit *Commentarium prolixum in quatuor Evangelia*, MSS. duobus Voluminibus in Bibliotheca Floreffienſi, ubi ea tenui ac volvi. Hujus Prologus incipit, *Multifarie ſancti quatuor Evangeliſtæ quorum doctrina Evangelica &c.* Commentarius autem incipit, *Summa bonitas bonum ſuum aliis communicare volens &c.* Item *Commentarium in Pſalmos* MSS. in Bibliotheca Tongerlaenſi in Brabantia, & in Anglia Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi Cod. 24. & Mertonenſi Cod. 131. denique MSS. in Bibliotheca Galliarum Regia, Cod. 3852. in folio, ubi collectus dicitur anno 1374. ex variis ſanctorum Patrum locis. Cujus incipit Prologus, *Patri Reverendo, Dominoque meo cariſſimo, Domino Johanni de Arkel dudum Trajectenſi, nunc vero Leodienſi Epiſcopo, frater Petrus Prior Eccleſiæ Floreffienſis indignus, Ordinis Præmonſtratenſis, interpretationem ſui nominis cum ſanctis Patribus feliciter obtinere.* Incipit Commentarius, *Beatus vir &c. Pſalterium eſt quaſi magna domus &c.* Extat alius Codex MSS. hujus Operis in bibliotheca Ultrajectina num. 2579. anno 1374. ſcriptus ad Joannem de Arckel quondam Trajectenſem, poſtea Ladienſem Epiſcopum, ut habet Catalogus hujus bibliothecæ anno 1670. in folio Ultrajecti impreſſus, parte I. pagina 95. Impreſſus autem eſt primum anno 1483. in folio Coloniæ Agrippinæ apud Johannem Guldenſchaff, cujus unum vetus exemplar vidimus in Bibliotheca Collegii Choletani Pariſienſis, ubi ad finem legitur: *Explicit Collectarius ſuper librum Pſalmorum collectus eſt finitus per fratrem Petrum de Harentals Canonicum Priorem Floreffienſem Præmonſtratenſis Ordinis, ad preces Reverendi Patris Johannis de Arkel quondam Trajectenſis, poſtea Leodienſis Epiſcopi, approbatus & admiſſus ab alma facultate Colonienſi. Impreſſus autem & confirmatus per me Johannem Guldenſchaff an. Dom. incarnationis M CCC LXXXIII. Sabbato ante Dominicum Oculi, ad laudem & honorem omnipotentis Dei, & ad utilitatem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.* Item impreſſus ibidem anno 1487. apud Joannem Koelhoſt in folio. Rutlingæ anno 1494. & Rothomagi anno 1504. in 4. Denique Coloniæ Agrippinæ, anno 1554. Denique ſcripſit *Chronicon ab Orbis initio*, quod porrigitur ad annum 1385. cujus prologus incipit, *Sapientis conſilium docens in tempore otii ſcribere ſapientiam &c.* Chronicon autem, *Deus eſt ſubſtantia &c.* quod MSS. volvimus in Bibliotheca Floreffienſi, & in Colbertina Cod. 751. Stephanus Baluzius in *Vitis Paparum Avenionenſium*, ex hoc Chronico Petri & Herentals Prioris Floreffienſis producit *Vitam quintam Papæ Johannis XXII.* col. 179. *Vitam ſeptimam Benedicti XII.* col. 237. *Vitam quintam Clementis VI.* col. 309. *Vitam quintam Gregorii XI.* col. 483. *Vitam ſecundam Clementis Papæ VII.* col. 539. Scripſit quoque aliud *Chronicon* quod appellavit *Biblia pauperum*, de quo his verbis Gerardus Joannes Voſſius Libro 3. *de Hiſtoricis Latinis*, parte ſecunda, quæ eſt *de Hiſtoricis incertæ ætatis* littera *Petrus Præmonſtratenſis*, quem fuiſſe iſtum Floreffienſem Priorem, cui tale opus attributum eſt, conſtat. „*Petrus Præmonſtratenſis reliquit Chronicon quoddam, quod vocare ipſe jubet*„ Biblia pauperum. *Ambigi poſſit, an non ſit ille*„ *Petrus a Lutra Præmonſtratenſis Canonicus Coenobii Lutrenſis, Philoſophus Juriſconſultus &*„ *Theologus ac Secularis litteraturæ non ignarus,*„ *qui vixit anno M CCC XXX. Complura enim opera recenſet Trithemius* de illuſtribus Germaniæ„ Scriptoribus, *ſed inter ea Chronicon illud volumen non eſt. Itaque alius a priori videtur, quod,*„ *& Aubertus Miræus* in Chronico ſuo Præmonſtratenſi *teſtatur*. In Catalogo MS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis, quem an. 1686. in 16. edendum curavit. Joachimus Fellerus hujus Academiæ Bibliothecarius, inter MS. Codices Philoſophicos p. 314. Codice 47. in 4to. extat *Compendium Hiſtoriarum ab initio mundi uſque ad Willhelmum VI. Hollandiæ Comitem* cujus initium, *Conſiderans Hiſtoriæ Sacræ prolixitatem, nec non difficultatem Scholarium &c.* quod ex conjecturis, ad hunc Petrum Herentalienſem, qui & *Præmonſtratenſis* ob ordinem profeſſum, atque *Floreffienſis*, ubi Prioratum regularem diu geſſit, dicitur, pertinere creditur. Opus enim iſtud compendioſum, in gratiam pauperum Scholarium compoſuit, qui ob paupertatem, majoris molis & pretii hiſtorias comparare non poterant. Vixit Petrus de Herentals uſque ad Pontificatum Benedicti XI. vel XIII. qui Clementi VII. Avenione an. 1393. mortuo, ſucceſſit eidem in Romana ſede ad annum 1423 licet ad hunc uſque annum ſuperſtes fuiſſe non videatur. Alia quædam illius Scripta recenſet Franciſcus Sweertius in *Athenis Belgicis* p. 621. Agunt de illo Joſias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Geſneri*, p. 673. Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, Thomas Gares in *Ecloga Oxonia Cantabrigienſi*, in Theologorum tabula, p. 36. Joannes le Page in *Bibliotheca Præmonſtratenſi*, ubi de *Scriptoribus hujus Ordinis* loquitur Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 744. editionis 1643. quæ Lovanii in 4to prodiit.

PETRUS DE BRACO natione Italus, patria Placentinus, cujus ætas mihi incerta eſt, 1380
celeberrimus in Decretis Doctor, circa annum 1380. floruiſſe mihi videtur, quantum conjici poteſt ex inſpectione manuſcriptorum ejus Operum

perum. Scripsit autem *Repertorium Juris-Canonici* ordine litterarum alphabetico, quod incipit: *Inter cætera damna, quæ suis posteris intulit protoplastorum transgressio, non minimum fuit oblivio &c.* Ita quidem Prologus, Opus autem, *Aaron Sacerdotium approbatum &c.* quod Manuscriptum in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, maximis duobus tomis in folio litteris Q.12. & Q.13. Item in Bibliotheca sanctæ Trinitatis Vindocinensis, 2. in folio voluminibus ejusmodi, atque etiam in Bibliotheca sancti Benigni Divionensis, Cod. 38. Denique Petri de Braco *Compendium Juris Canonici*, in eadem sancti Benigni Bibliotheca. Cod. 46. Idem transtulisse dicitur in Latinum *duas Demosthenis Orationes, & Luciani Dialogos quosdam, ac scripsisse etiam Carmine aliqua.* De illo Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, p. 483. Quandonam vel ubinam ille mortuus sit, rescire mihi non licuit, neque Simlerus dicit, qui hunc scriptorem *Joannem Petrum Braechum* appellat.

1380 BINDUS DE SENIS, ex ordine fratrum Eremitarum divi Augustini, quem Philippus Elssius vocat *Bindum de Sancto Antonio Senensem* Vicarius Generalis Ordinis sui in his partibus, clarus fuit circa annum 1380. & sequentes, quibus studio bonarum litterarum satis languebant. Scripsit, *Distinctionum summam de variis argumentis & materiis moralibus atque Theologicis*, quæ concionatoribus competunt, extantem in Regia Galliarum Bibliotheca Codice chartaceo 4286. cum Commentario sub hoc titulo. *Incipiunt Capitula super Distinctiones exemplorum Veteris & Novi Testamenti, editas a fratre Bindo de Senis Ordinis Eremitarum divi Augustini in die 27. Martii anno Domini 1386. per fratrem Simonem Petri, Ordinis beatæ Mariæ de monte Carmeli, ad petitionem fratris Johannis Sesmondelli de Pisis, ejusdem Ordinis. Utinam proficiat.* Opus alphabetico ordine digestum incipit, *Abstinentia est meriti augmentativa &c.* quod simplex est pro more hujus temporis, varias habens partitiones seu divisiones similiter cadentes, quas hoc seculum nostrum derideret, ac pueraſcentes exsibilaret. Hujus paucis verbis meminit Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 229. quem adscribit Ordini fratrum Minorum Lucas Wadingus tomo 2. Annalium Ordinis sui ad annum 1299. num. 5. sed perperam. At in suo *Encomiastico Augustiniano* hujus haud oblitus est Philippus Elssius ex Ordine Eremitarum divi Augustini, p. 129. quem ad annum 1390. refert, ejusque MSS. Opera quædam asservari ait, in Bibliotheca Angelica Conventus Romani fratrum Eremitarum sancti Augustini.

1380 JOANNES BROMIARDUS, natione Anglus, patria Herefordiensis, Ordinis fratrum Prædicatorum, Theologus & Juris Doctor clarissimus, claruit ab anno 1380. qui Joannem Wicleffum in Synodo Londinensi anno 1382. acriter impugnavit, nova ut opinabatur, dogmata plurima disseminantem. Eruditionis suæ non ignobile specimen edidit, dum Scripsit *summam Prædicantium* in duas partes distributam, in qua ordine Alphabetico præcipuos Disciplinæ Ecclesiasticæ locos & sensus explicat. Hæc MSS. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii Orialensis Cod. 33. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri Cod. 247. & 260. Impressa autem est Venetiis anno 1586. apud Dominicum Nicolinum, & Lugduni in 4. anno 1522. apud Romanum Morim in vico Mercuriali. Addantur huic Operi impresso alia nimirum *Tractatus Juris Civilis & Canonici ad moralem sensum applicati, secundum Ordinem Alphabeti, fratris Joannis de Bromyard de Ordine fratrum Prædicatorum*, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Pembrochianæ, Cod. 122. Et Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 140. Ejusdem *de celebratione Missarum*, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Mertonensis, Cod. 210. *Exhortationes*, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Cod. 208. Vitam produxit Joannes Broomiard, usque ad annum 1419. ut Eisengrenius scribit. Joannes Pitsæus in opere *de Scriptoribus Angliæ* Ætate 14. quem ad annum 1390. refert. Author Supplementi Chronicorum, ad annum 1406. Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, qui mendose eum ad annum 1290. vixisse retulit. Hunc cœcum sequutus est, qui etiam de illo loquitur Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri.* Et Ambrosius Altamura, qui in *Bibliotheca Dominicana* illum male ad annum eundem 1290. refert p. 63. & in *Appendice* ad eundem annum, p. 459. Henricus Warthon in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guilelmi Cavi. ad annum 1390. p. 69.

JACOBUS GUISIUS, Hannonius, ex urbe Montensi oriundus, Ordinis fratrum Minorum, Doctor Theologus, Mathematicus & Philosophus, historiarum patriæ antiquarum studiosus, Regestis urbium & bibliothecis Cœnobiorum lustratis atque excussis, Latino Sermone scripsit *Annales sive Chronica Comitatus Hanoniæ*, quæ tribus tomis Manuscriptis apud Minores Montium Hannoniæ extare dicuntur, vel saltem olim extabant: ubi ea sibi cum fructu esse lecta ait Aubertus Miræus in *Elogiis Belgicis*, dignaque judicat, quæ viri Principis cura in lucem exeant, etsi utcumque ea, quæ ad Romanorum Imperium pertinent, castigatione egeant. Extat idem Chronicon MSS. apud Patres Societatis Jesu Antwerpiæ, ut affirmant Bollandistæ, variis locis Legendarum suarum. Ex Chronicis istis Joannes Leslabeus compendium hausit, & Lutetiæ evulgavit Gallice sub hoc titulo, *Extraict des Chroniques de Jacques de Guise.* Mortuus est Valencenis anno 1398. sepultus ante odeum apud suos sub lapide Marmoreo. Vide de eo Josiam Simlerum in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 375. verbo *Jacobus Guisanus.* Aubertum Miræum in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 436. p. 261. Lucam Wadin- 1380

Wadingum in *Bibliotheca Ordinis Minorum* Gerardum Joannem Vossium Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 3. p. 540. ultimæ editionis. Valerium Andream in *Bibliotheca Belgica* p. 411. editionis 1643. Lovanii in 4to.

1380 NICOLAUS GORHAM seu GORHAMUS, quem Pitseus Anglum, alii cum Antonio Possevino Gallum fuisse volunt, Ordinis fratrum Prædicatorum. Hunc Bellarminus anno 1310. Eisengrenius & Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ* anno 1390. Josias Simlerus, Joannes Pitseus & alii anno 1400. affigunt. Joannes Trithemius de ejus ætate nihil definit, eumque inter Jacobum de Teramo Aversanum Archidiaconum anno 1390. & Joannem Grossum Carmelitam anno 1400. florentes, collocavit. De illo ita Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 2. pag. 150. „Nicolaus de Gorram, quem Sixtus Senensis, „ac post eum Antonius Senensis Gorranum co„gnominant, Gallus, Ordinis fratrum Prædi„catorum, olim in eodem regno Provincialis, „Philippo autem Francorum Regi a Sacris „Confessionibus, scripsit *in Pentateuchum*, *in* „*Psalterium, in Canticum Canticorum, in Ecclesi*„*astem, in Ecclesiasticum, in Jeremiam*. Sed An„tonius Senensis addit, item illum scripsisse *in* „*Esaiam, in quatuor Evangelistas, in omnes Divi* „*Pauli Epistolas, in Apocalypsim, in Epistolas Ca*„*nonicas*. Quin etiam scripsit *Commentarios in* „*quatuor libros Sententiarum, Distinctiones rerum* „*Theologicarum, Sermones varios & Themata*. „Vivebat anno 1304. Antonio Senensi, Sed Ei„sengrenio anno 1390. aliis autem anno 1400. Ex his omnibus Scriptis a Possevino enumeratis, prodierunt *Commentaria in quatuor Evangelistas*, impressa Caloviæ anno 1537. in folio. Item *Commentaria in Acta Apostolorum, in omnes Epistolas sancti Pauli, in septem Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, summa Sermonum de tempore & de sanctis*: quæ omnia tomis in folio duobus edidit Antwerpiæ Joannes Keerberg annis 1617 & 1620.

Jam veniamus ad Opera MSS. vel jam impressa, vel adhuc in Bibliothecis latitantia. *Commentarius Nicolai Gorhami in Evangelium Matthæi*, qui Postilla dicitur, extat MSS. in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, littera LL. 16. fol. 1. ad 133. Incipit ab ejus initio, usque ad finem Capituli XXVII. Commentario ultimæ Capitis deficiente vel avulso. *Commentarius in Evangelium divi Marci*, ibidem littera K. 15. a folio 60. usque ad 169. Itemque Litera F. 6. a fol. 145. ad 313. *Commentarius in Acta Apostolorum* ibidem fol. 1. ad 145. *Commentarius ejusdem in omnes Epistolas Canonicas*, incipiens. *Missæ sunt Epistolæ Regis nomine &c.* usque *pervenirent. Verba ista scripta sunt Esther 8. Et satis specialiter intellecta competunt proposito nostro &c.* MSS. in eadem Bibliotheca, Littera L. 6. fol. 128. Denique *Commentarius in Apocalypsim* extat MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 3843. fol. 259. usque ad finem. Incipit, *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis &c.* Matth. XI. *Quamvis ista verba secundum sensum litteralem sint verba Christi loquentis ad suum patrem &c.* Aliud autem prorsus initium & Commentarius, quem qui in impressis sub ejusdem Gorhami nomine extat, ut mihi utrumque conferenti innotuit. Vel itaque hic Commentarius Bibliothecæ Regiæ spectat ad Joannem de Hisdinio (ut opinor) non affirmans tamen, vel alius impressus sub nomine & inter opera Nicolai Gorhami ad eundem Joannem Hisdiniensem pertinet, Commentario MS. Codicis Regii spectante ad Nicolaum Gerhamum cujus Codex optimæ notæ est, pro ratione temporis quo uterque scribebat. Scripsit autem uterque in *Apocalypsim*, uterque in Gallia, & eadem ætate vivens: unde distinguant utrumque Opus accuratiores Critici, quod a me certo fieri non potest. Ejus *Commentarii in Marcum & Joannem* in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici. Itemque ibidem *Commentarii in quatuordecim Epistolas divi Pauli*, qui in fol. incipiunt, ut in impressis, *Dedi te in lucem gentium &c.* Verum ad non impressa jam procedamus. Narrat Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ* pag. 276. editionis Parisiensis anni 1610. verbo *Nicolaus Gorranus*, vidisse se Venetiis MSS. in Bibliotheca sanctorum Joannis & Pauli, subjecta illius Commentaria opera.

In Pentateuchum Lib. 5. In principio creavit Deus cœlum & terram &c.

In Psalterium. Laudationem Domini loquatur os meum &c.

In Ecclesiastem. Aspexit terram &c.

In Ecclesiasticum. Sapientia ædificavit sibi domum &c.

In Threnos. Huic planctui &c.

In Cantica Canticorum. Cantate Domino Canticum Novum &c.

In Matthæum. Liber generationis &c. Sicut fluvius paradisi &c.

In Marcum. Filia Sion exultate &c.

In Lucam. Disciplina Medici &c.

In Joannem. Ecce intelliget servus meus &c.

In omnes Epistolas sancti Pauli Lib. 14. Dedi te in lucem gentium &c. quæ omnia rectissime concordant, tum MSS. nostris Gallicis, quam aliis impressis. Nam *Commentarii in Matthæum, Marcum, Lucam & Johannem*, itemque *in omnes Epistolas divi Pauli Apostoli*, Antwerpiæ & Coloniæ impressi ita incipiunt, atque ita etiam in allegatis MSS. Victorinis: ut nulli dubium sit, quin legitimus sit ille MS. Codex, vel MSS. Codices Venetiani, quos Sixtus Senensis vidit. Idem quoque dicendum de Commentariis a se visis *Nicolai Gorhami in libros veteris Testamenti*, quamvis alio modo in MS. nostris Gallicis nonnulli incipiant, vel quia interdum a Prologis vel a libris omisso prologo simpliciter inchoant. Extant autem hujus Gorhami *Commentarii in*

Psalterium MSS. in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, Littera D. 5. inscripti *Postilla fratris Nicolai Gorrham Ordinis fratrum Prædicatorum super Psalterium.* Incipit beatus vir. *Secundum glossam præmialem totalis Liber iste Psalmorum in tres partes dividitur &c.* Ejusdem *in Cantica Canticorum*, MS. ibidem Littera L. 6. fol. 184. incipit, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus Cant. 5. Consurgens gloriosa Ecclesia in recognitionem & expressionem beneficii sempiterni amoris &c. In Librum Sapientiæ*, MS ibidem Littera E. 6. fol. 50. incipit, *Diligite lumen Sapientiæ omnes, qui præestis populis.* Sapientiæ 6. *Quoniam eodem habet res formari &c.* Ejusdem *Commentarius in Ecclesiasticum*, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 3843. fol. 1. incipit, uti in Bibliotheca Veneta sanctorum Joannis & Pauli, *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem &c. Sicut Æternus pater ex suapotentia Spiritum rationalem de nihilo produxit in esse &c.* Item *Commentarius ejusdem Gorhami in Cantica Canticorum* MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ex Catalogo MSS. Codicum impresso, p. 71. num 46. atque ibidem ejusdem *Commentarius in Ecclesiasticum*, p. 79. num. 8. ubi dicitur *Nicolaus de Gorram.* Item *Commentarius in Jeremiam Prophetam* ejusdem Gorrami, MS. in citata S. Victoris ParisiensisBibliotheca F. 6. fol. seu p. 313. incipit, *Direxit Opera eorum in manibus Prophetæ sancti &c. Verba illa scripta sunt Sapientiæ 10. &c.* Ejusdem *super lamentationes Jeremiæ*, ibidem Littera eadem fol. 463. cujus prologus incipit, *Quis dabit capiti meo aquam &c.* Liber incipit, *Et factum est, postquam in captivitatem &c.* Ejusdem *super Baruch prophetiam* ibidem fol. 487. cujus initium, *Post lamentationem & fletum, exultationem infundis. Verba ista scripta sunt Tobiæ 3. Liber iste qui Baruch nomine prænotatur, in Hebræo Canone non habetur &c.* Denique *Postilla Magistri Nicolai Gorram super Italiam Prophetam* ab ejus initio usque ad XXXIII. capitulum ejusdem Libri, habetur pariter MS. in eadem S. Victoris Bibliotheca, Littera E. II. fol. 1. *Nemo &c. In hoc prologo ostendit Johannes modum Prophetarum inscribendo, primo Prophetarum generaliter, secundo Isaiæ specialiter &c. De Sermonibus autem Nicolai Gorrami*, illos extare dicam tum Antwerpiæ impressos ut supra exposui, tum MSS. inveniri in Bibliotheca Claræ Vallis celebri, Ordinis Cisterciensis in Gallia, num. 138. At præter Sermones scripsit *Summam Distinctionum secundum Ordinem Alphabeti*, concionatoribus divini verbi utilem, quæ etiam extat MS. in eadem Bibliotheca Claræ Vallis, & in Bibliotheca Vallis Lucensis ejusdem Ordinis quam nos olim vidimus, pulpito 15. littera D. inscripta, *Distinctiones fratris Nicolai de Gorram Ordinis* fratrum Prædicatorum. Et in Bibliotheca Parisiensi Choletana, Cod. MS. 29. & alibi. Ex tot tantisque designatis a me MS. Codicibus, vix ferme dubito, quin ediderit Commentaria erudita & scholastica in omnes Divinæ Scripturæ libros citatus *Gorramus.* Plura de *Nicolao Gorramo* suppeditant Philippus Labbeus in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis* a Bellarmino recensitis tomo 2. p. 118. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* p. 150. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 432. p. 260. qui omnes aliqua ejusdem Opera impressa, sed non omnia recensent. Ambrosius Altamura, antiquitatem præ cæteris amans, in *Bibliotheca Dominicana* hunc ad annum 1296. p. 70. collocat & in *Appendice* ad eundem annum, p. 461.

SIMON DE CREMONA seu CREMONENSIS, Ordinis Eremitarum divi Augustini, anno circiter 1390. vel ultra floruit. Qui 1380
enim per longum temporis spatium concionando Venetiis cum magno animarum fructu operam dedisset, varia ingenii sui opera ac scripta posteris reliquit. Hæc sunt, *Commentarii in quatuor libros Sententiarum. Tractatus de indulgentia Assisii. Sermones super Epistolas & Evangelia Dominicarum totius Anni. Triplex quadragesimale Sermonum, & Sermones de Sanctis.* Hæc omnia asservantur Manuscripta Romæ, Patavii, & Cremonæ, in Bibliothecis Augustinianorum Eremitarum. *Postilla* autem *Simonis Cremonensis super Epistolas & Evangelia Dominicalia totius anni*, excusa in fol. Reutlingæ anno 1484. cujus exemplar unum vidimus in Bibliotheca Collegii Navarrici Parisiensis. Obiit Patavii ubi & sepultus est cum 1400. vel circiter, de quo agunt Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* p. 407. verbo *Simon Cremonensis.* Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 433. p. 260. Et plene de Scriptoribus hujus Ordinis Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano*, pag. 626.

JOANNES DE HISDINIO in Artesia, ex 1380
Ordine fratrum Hospitalium sancti Johannis Hierosolymitani, quem a suis Catalogis nonnulli inscribentes scripsisse illum in *Epistolas divi Pauli* ac librum *de annunciatione Domini* tantum scribunt. Haud cohærent isti cum Sixto Senensi, qui in *Bibliotheca Sancta* diligentior indagator, de eo ita scriptum reliquit Joannes de Hisdinio Ordinis fratrum Hospitalium, „ sancti Johannis Hierosolymitani, Theologus, „ non ignobilis, de Scripturis Sanctis bene meritus, & in Academia Parisiensi publicus lector, „ elaboravit Scholastica phrasis *in Job librum unum*, cujus initium est, *usque in tempus sustinebit &c.* Item *in Marcum librum unum*, cujus initium est, *Similis factus est Leoni &c. In omnes Epistolas sancti Pauli ad Philippum Rothomagensem Archiepiscopum* Libros 14. vixit an. 1390. „ Hæc Sixtus Senensis. Jam quæ nobis de illo constent detegamus. Joannis de Hisdinio Commentaria in Job, MSS. bis in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici in folio, qui incipit. *Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino Gui-*

no Guidoni de Bononia, Dei providentia Episcopo Portuensi, ac Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, frater Joannes de Hisdinio Sanctæ domus Hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani professus, vester humilis & devotus orator, præsentem ducere vitam felicem, & gloriam consequi sempiternam. Prologus. *Quia ut dicit Cassiodorus Epistolarum seu variarum Lib. 6. Epistola 6.* Item *Commentarius in Epistola XIV. Sancti Pauli Apostoli & Apostilla in Apocalypsim fratris Johannis de Hisdinio, Ordinis Hierosolymitani*, MSS. in Bibliotheca Regis Catholici Hispaniarum. Opinor autem *Postillam hanc Joannis de Hisdinio in Apocalypsim* impressum esse Antwerpiæ anno 1620. inter Opera & sub nomine *Nicolai Gorbami*, authoris ejusdem temporis, ut in *Nicolao Gorrhamo* jam supra notavi ex conjecturis: utrumque dicti *Gorbami Commentarium in Apocalypsim*, existere MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 3843. p. 259. incipientem, *Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc a Sapientibus & revelasti ea parvulis Matthæi XI. Quamvis verba secundum sensum litteralem sint verba Christi loquentis ad suum patrem &c.* Ejusdem *Commentarius in Evangelium Marci & in Epistolam ad Titum*, MS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi, Cod. 173. Commentarius autem in Epistolam ad Titum, MS. quoque in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici, incipiens ab his vocibus: *Incipit Postilla super Epistolam ad Titum, ordinata a fratre Johanne de Hisdinio, Ordinis Hospitalis sancti Joannis Jerosolymitani & Doctoris in Sacra Theologia, anno Domini 1362.* Prologus, *Erudi filium tuum & refrigerabit te & dabit delitias animæ tuæ, Proverb. 29. Quia ut dicit Cyprianus &c.* Vel ergo Joannem de Hisdinio factum esse Doctorem in Theologia anno 1362. vel hunc anno isto compositum esse Commentarium, ex hoc MS. Codice intelligo. Scripsit etiam *Opus Sermonum de tempore ac de Sanctis*, quod viro clarissimo Philippo de Alensonio Archiepiscopo Rothomagensi & S. R. E. Cardinali, & Episcopo Osticensi, qui anno 1397. die Augusti 15. obiit, nuncupatum est, impressum opinor ab antiquo, sed sive editum sit, sive non: vidi Manuscriptum in Bibliotheca Fusniacensi Cisterciensis Ordinis in Episcopatu Landunensi, his inscriptum verbis: *Reverendissimo & illustrissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Philippo ab Alensonio divina patientia Rothomagensi Archiepiscopo dignissimo, frater Johannes de Hisdinio sanctæ domus Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani Ordinem professus, vester humilis Capellanus & devotus Orator, vitam ducere felicem &c.* Claruit Joannes de Hisdinio, ab anno 1360. ad 1400. & ultra, de quo Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliotheca Sanctæ.* Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, p. 456. Et Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri.* Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 515. editionis 1643. Lovanii in 4.

JOANNES DE MONTESONO, natione 1380
Hispanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Professor Theologus Parisiensis, anno 1387. clarus extitit. Hic eodem anno vel superiore propositiones quatuordecim erroneas propugnavit in hac Regia Urbe, partim in Actis *Vesperiarum*, partim in Actu *Resumptæ*, quas censorio sacra Universitas Parisiensis judicio confixit, deinde tota studiorum Universitas reprobavit & damnavit: Eas retractare jussus *Joannes de Montesono*, se id præstiturum spopondit juravitque. Quod cum intra diem condictum minime præstitisset, imo eas ad mortem usque se defensurum profiteretur, delatus est ad Petrum de Ordeomonte Parisiensem Episcopum, qui has propositiones a quovis publicari, prædicari, doceri lata sententia prohibuit. Contumax *Montesonus* ad Clementem VII. in sua obedientia Pontificem Maximum, Avenione sedentem, provocavit: cujus defensionem suscepit Magister Generalis Fratrum Prædicatorum, pessimæque causæ defensioni Ordinem obstrinxit. Hanc ob causam Fratres Dominicani censuræ subscribere nolentes, e sacræ facultatis Theologicæ gremio abscissi sunt, & ultra vigesimum quintum annum ab ea mansere separati, ut Joannes Gersonus in Epistola ad Studentes Navarrici Collegii testatur. Missi ab Academia Parisiensi ad curiam Pontificiam, Petrus de Alliaco, Ægidius de Campis, Joannes de Nova Villa, in sacra pagina Magistri, & Petrus de Alainvilla, Doctor in Jure Canonico, censuram sacræ facultatis & totius Universitatis, ejusdem nomine *contra Fratrem Johannem de Montesono* propugnaturi. Quæ contra ipsum in Consistorio proposuit *Petrus de Alliaco*, tomo 6. *Historiæ Universitatis Parisiensis* p. 623. & 630. legere est. Idem Doctor Tractatum ejusdem Universitatis nomine contra ipsum edidit, qui extat MS. in Bibliotheca Collegii Navarrici, quemque habes editum in *Historia Universitatis Parisiensis*, tomo 6. locis jam citatis. Sacræ facultatis doctrinale judicium & Parisiensis Episcopi sententiam *Clemens VII* confirmavit. Extant Litteræ condemnationis hujus Johannis de Montesono in *Collectione Actorum Veterum* ad Vitas Paparum Avenionensium, Tomo 2. num. CCXXVIII. col. 991. primum a facultate Theologiæ Parisiensi, anno 1387. die 6. Julii. Tum num. CCXXIX. col. 996. a Clemente Papa VII. apud Avenionem anno 1389. die 27. Januarii, & fulminata Parisiis die 17. Martii. Hinc Joannes de Montesono, cum se carceri mancipandum, ac deinde Parisios ad retractandos errores mittendum intelligeret, prout Academiæ deputati postulabant, in Arragoniam patrium suam aufugit, ut testatur *Joannes Juvenalis de Ursinis* in Historia Caroli VI. Regis Christianissimi: atque ad obedientiam *Urbani VI.* qui Romæ sedebat transiens, jus ipsius contra *Clementem VII.* editis variis Operibus pro-

pugnavit. Extant omnia ista Opera *Joannis de Montesono* MSS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 821. Primum inscribitur, *Dialogus Joannis de Montesono sacræ Theologiæ Professoris ad Cardinalem Reatinum super Schismate Ecclesiæ, orto tempore Urbani VI. Papæ.* Prologus primus Epistolaris. *Reverendissimo in Christo Patri & Domino, Domino B. tituli Sancti Martini in Montibus, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, sive Reatino vulgariter nuncupato, Frater Johannes Ordinis Prædicatorum, ac inter Professores sacræ Theologiæ minimus & indignus, se ipsum cum debita reverentia* &c. *Reverendissime Pater, vestra reverenda Paternitas bene novit fore consonum rationi* &c. Prologus secundus, *Et testatur Beatus Gregorius Lib. Pastor cap. 3. nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet delinquentem* &c. Opus istud compositum est per modum Dialogi, Magistro & Discipulo interlocutoribus, quod eruditum atque prolixum est, in 5. libros distinctum, ad cujus finem hoc subjicitur: "Explicit Dialogus Schismatis orti „tempore felicis recordationis Urbani Papæ „VI. & fuit completus in Vigilia Assumptionis „Beatissimæ & intemeratæ Virginis Mariæ, Ma„tris Dei, Deo gratias & eidem Virgini glorio„sæ, totique curiæ & Ecclesiæ triumphanti, an„no 1391. Pontificatus Domini Bonifacii Papæ „IX. anno secundo. Omnia & singula, quæ „dicta & posita sunt in præsenti Dialogo, subji„cio ego dictus Frater Johannes correctioni & „determinationi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, „quam cupio totis visceribus meis sequi, & in „eadem perpetuo remanere. In quo si aliquid „minus perite, aut parum caute forte aliquid „positum est, emendari ab ea cupio, in qua se„des & fides Petri residet, ac etiam confitetur. „Si autem ejus judicio comprobatur, quicun„que me culpare voluerit. se imperitum aut „malevolum, vel etiam non Catholicum, sed „hæreticum comprobabit." Explicit Dialogus Joannis de Montesono. Ibidem fol. 611. *Tractatus brevis de electione Papæ, quoad materiam schismatis nunc currentis, qui dicitur* Informatorium, *editus a Fratre Joanne de Montesono, Ordinis Prædicatorum, Magistro in Theologia: anno Domini 1389. Aquis.* Incipit, *Novissime vero omnium temporum abortivo visus est & mihi* &c. *in 1. Corinth. 15. Prædicator Gentium* &c. Subjungitur ad finem Operis, *Hæc scripsi sub correctione melius videntis & judicantis, & volo scripsisse præcipue sub correctione Ecclesiæ, cujus causam defendere & fovere intendo, ut per ejus merita mihi gratia conferatur in præsentia, Spiritu Sancto eam regente & gubernante, & gloria in futuro. Amen. Explicit Informatorium, Deo gratias & Virgini Matri Dei.* Ibidem fol. 707. *Correptorium contra Epistolam fundamenti schismatis, compilatum per Joannem de Montesono sacræ Theologiæ Professorem.* Incipit, *Peccantem coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant, inquit Apostolus 1. Timoth. 5. Licet enim peccantem in secreto secrete corripere debeamus* &c. Ad Operis finem idem subjungit: *Quæ in hoc Opusculo posui, volo esse posita in favorem Ecclesiæ sacrosanctæ, & sine præjudicio alterius melius judicantis.* Ibidem seu in eodem Codice p. 807. *Opus, quod dicitur Scopus LXXII. quæstionum ad peragendam viam Ecclesiæ a devio triviali ad Bonifacium Papam IX.* Incipit, *Beatissime Pater, scripsit Apostolus, oportet hæreses esse, ut, qui probati sunt, manifesti fiant* &c. Hæc sunt Opuscula Joannis de Montesono MSS. recenti manu in celeberrima Bibliotheca Colbertina, quæ ex MS. Codice vetustiori descripta sunt, plena eruditione & judicio. At vetustior Codex, ex quo hic recenter descriptus est, spectabat olim ad Bibliothecam MSS. Caroli de Montchal illustrissimi Archiepiscopi Tolosani, eratque Codex 223. hujus Bibliothecæ, ut postea detexi, quam postmodum cognovi per emptionem transivisse in Bibliothecam clarissimi viri Caroli Mauricii Telleri, Remensis Archiepiscopi. De illo, quisquis plura voluerit, suppeditabunt *Seculum sextum Historiæ Universitatis Parisiensis* pagg. 618. 625. 630. &c. Natalis Alexander in *selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* tomo XX. cap. 3. art. 23. p. 498. ubi multis de illo disserit. Quonam anno humanis exemptus fuerit, incompertum mihi est.

ISIDORUS THESSALONICENSIS AR- 1390
CHIEPISCOPUS, claruit certò temporibus Emmanuelis seu Manuelis Palæologi Constantinopolitani Imperatoris, circa annum 1390. vel 1400. Annum enim quo in hanc sedem ascendit, determinare, mihi datum non est. Hujus meminit Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis*, tomo 1. verbo *Isidorus Polusiotes* p. 651. sed quem incerti temporis authorem his verbis agnoscit: *Incertæ quoque mihi ætatis est Isidorus Thessalonicensis Episcopus, vir pius & doctus, quem scripsisse Græcas homilias in Lucam, quæ in Vaticana Bibliotheca habentur, testis est Sixtus Senensis Lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ.* Hunc multa laude celebrat Eugenicus quidem Nomophylax Thessalonicensis, in Synodico, Dominica Orthodoxiæ in Ecclesia Thessalonicensi recitari solito, quem sic depingit. *Isidori beatæ recordationis Sanctissimi Archiepiscopi Thessalonicensis, qui instar splendidi Syderis gregem suum hunc illustravit, suis quotidianis doctrinis & admonitionibus: & æque atque bonus & primus pastor Christus modis omnibus ovilis curam gessit, & longas peregrinationes sustinuit, & quidquid divinum & saluti conducibile videbatur, & sermonibus edocuit, & operibus demonstravit. Et vere iis, qui ante eum & virtute & doctrina conspicui fuere, rebus omnibus exæquatus est, perpetua memoria.* Hæc apud Leonem Allatium in Diatriba *de Symeonum Scriptis*, Græce Latineque, p. 187. Qui nequaquam designavit tempus determinate, quo Isidorus ille claruit. Assigna

Assignat autem sufficienter idem Leo Allatius p. 188. & 191. Cum enim inter Isidorum Thessalonicensem Archiepiscopum atque sedis etiam ejusdem Archiepiscopum Symeonem, de quo infra dicemus, qui anno 1429. vel 1430. mortuus certo est: unus tantum fuerit intermedius Præsul Gabriel Archiepiscopus, ex eodem Eugenico citato: hinc recte colligimus, Isidorum circa annum 1390. vel 1400. floruisse, temporibus Manuelis Palæologi Imperatoris, quamvis annos, quibus determinate præfedit, designare haud valeamus. Extant vero hujus *Isidori Thessalonicæ Archiepiscopi homiliæ in Evangelium S. Lucæ* MSS. in Bibliotheca Vaticana, ut Labbeus habet loco citato, atque ante illum Antonius Possevinus ad calcem *Apparatus Sacri* p. mihi 11. ubi de MSS. Codicibus Græcis Bibliothecæ Vaticanæ. Leo quoque Allatius, dum recenset authores certos atque expressos plurimarum Vitarum seu Legendarum & Encomiorum, quæ in MSS. Metaphrasibus Græcis simul collectis & antiquis reperiuntur, & quas ipse excussit: varias ex illis *Isidoro Thessalonicensi Archiepiscopo* adscribit in sua Diatriba *De Symeonum Scriptis*, ubi argumentum istud ex professo agitat. Nimirum, *Isidori Thessalonicensis Archiepiscopi in Christi Nativitatem* p. 83. *In Sanctæ Mariæ dormitionem*, p. 87. *In Annuntiationem*, p. 94. *In sancta Sanctorum*, p. 97. *In Nativitatem Sanctæ Mariæ*, p. 100. *In festum luminum*, p. 100. quibus paginis designat cujusque homiliæ initium ac titulum, Græce scriptum. Extant autem in Lugdunobatava bibliotheca inter MSS Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice Græco 88. numero 6. *Isidori Thessalonicensis Archiepiscopi Homiliæ*, Græce, quæ in majori numero sunt. Agunt de Scriptis hujus *Isidori Thessalonicensis Archiepiscopi* parce admodum Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca Sanctæ* p. mihi 271. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 982. Philippus Labbeus tomo 1. Dissertationis Historicæ *De Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis*, verbo *Isidorus Pelusiotes* p. 651. Abunde Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum scriptis*, locis citatis. Franciscus Combefis Ord. Fratrum Prædicatorum, in *Apparatu* ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam proœmio, verbo *Isidorus Archiepiscopus Thessalonicensis*, p. 25. cujus fragmenta pauca in his Voluminibus, sed Latine tantum producit.

1390 CALLISTUS, cognomento XANTHOPULUS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, hujus nominis Secundus, circa annum 1390. moribus & scientia floruit, unde ob eximias animi dotes ad sedem Constantinopolitanam Patriarchalem promotus est. Factum hoc teste Lambecio Libro 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis p. 527. ad annum Christi 1395. qui cum tres tantum menses Patriarchatu functus obiisset, currente jam Imperii Manuelis Palæologi a morte patris anno quarto successit ei eodem anno 1395. in Patriarchatu Matthæus, de quo nos infra dicemus. Fuit ille paullo antiquior Symeone Thessalonicensi Archiepiscopo, de quo hæc scripsit Leo Allatius in Opere suo *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* Lib. 2. cap. 18. §. 13. col. 862. „Hoc eodem tempore florebat Symeon Archiepiscopus Thessalonicensis, vixit enim post „Barlaamum, Acindynum, Palamam, Gregoram, Isidorum Thessalonicensem, Philotheum Patriarcham, Nilum Thessalonicensem, Nicolaum Cabasilam, Nilum Patriarcham Constantinopolitanum: quorum omnium ipse in *Dialogo Ecclesiastico contra omnes Hereses & de aliis rebus Ecclesiasticis* meminit. „Imo ipse Symeon in eodem Dialogo ætatem hujus Callisti Patriarchæ Constantinopolitani his verbis profert: *Potissimum vero hac nostra atate de vita Monastica conscripserunt, Spiritu tanquam qui & ipsi ex Deo sint, Deiloqui & Deiferi & Christiferi & a Deo afflati vere existant, Sanctus Pater noster Callistus, qui Regiæ Urbis novæ Romæ ex Deo fuit Patriarcha, & qui una cum ipso spirabat & exercitabatur Confessor Ignatius, & libro peculiari ab illis composito, spiritualiter, divine & excelse nimis philosophati sunt centum Capitibus, numero perfecto perfectam de ea cognitionem tradentes*. Opus autem Callisti & Ignatii habetur Græce MS. in Bibliotheca Barberina Romæ sub hoc titulo: *Ignatii & Callisti Xanthopulorum Methodus & Regula exquisita; testimoniis Patrum comprobata, de iis, qui eligunt vitam quietam & Monasticam, & de vita instituto ac ratione prædictorum; & quorum bonorum causa quies fit, qui secundum rationem eam amplectuntur. Opus divisum in Capita centum*. Item in Regia bibliotheca Hispana Scorialensi opus idem inscriptum *Callisti & Ignatii Sermones Dogmatici*, Græce in 2. MSS. Codicibus Z II 14. E VI 21. Cum autem Callisti duo fuerint Patriarchæ Constantinopolitani, alter sub Joanne Cantacuzeno, alter sub Emmanuele Palæologo, annos postea fere quadraginta sex vel quinquaginta: in dubium prima fronte verti posset, de quonam Callisto verba faciat Symeon Thessalonicensis. Sed cum Symeon loquatur de Callisto Patriarcha Constantinopolitano, qui *sua ætate vixerit*, hoc necessario intelligendum est *De Callisto II. cognomento Xanthopulo*, non autem de primo, qui Synchronus huic Symeoni esse non potuit. Ac sane dubium solvit titulus MS. Codicis Bibliothecæ Barberinæ, qui Callistum hunc *Xanthopulum* vocat, quod Callisto II. non autem I. convenit. Videndum autem atque examinandum, an ejusdem sit *Callisti Protheoria, liber continens sermones triginta ad Melanceotem*, MS. in Bibliotheca Vaticana. De hoc agunt *Callisto Xanthopulo Patriarcha Constantinopolitano* Symeon Archiepiscopus Thessalonicensis in *Dialogo Ecclesiastico adversus omnes*

mnes hæreses. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* p. 185. latissime, unde paucis adjectis hæc accepimus. Petrus Lambecius Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 527.

1390 MANUEL CHRYSOLORAS, patria Byzantinus sive Constantinopolitanus, ab anno circiter 1380. claruit. Anno enim 1387. in Angliam missus est ab Imperatore Constantinopolitano, ut cum Anglis de rebus publicis pacisceretur. Hic cum ab Imperatore Johanne Palæologo Imperatoris Andronici Junioris filio ad totius Europæ Principes Christianos auxilii contra Turcas implorandi caussa missus esset, absoluta hac laboriosa peregrinatione, , postquam apud Angliæ Regem aliosque Principes munus sibi demandatum summa cum laude, irrito tamen successu complesset: in Italia & potissimum quidem Romæ, sub initium Pontificatus Bonifacii IX. anno Christi 1389. die 2. Novembris electi, substitit. Romanam de processione Spiritus Sancti doctrinam apud Romanos positus, amplexus fuit: unde ex Philippo Labbeo in Bibliotheca Regia parte 2. pag. 87. *Manuelis Chrysoloræ capita, quibus probatur Spiritus S. a filio procedens* ex Codice Naudæano 32. Unde etiam nunc elegantissima ipsius & lectu dignissima extat *Epistola* ad præfatum Imperatorem Joannem Palæologum *De comparatione veteris & novæ Romæ*, quam Syntagmati suo *Originum & antiquitatum Constantinopolitanarum* Gæce & Latine a p. 107. usque ad p. 130. inseruit Petrus Lambecius, ad calcem Codini *De Antiquitatibus Constantinopolitanis* Græce & Latine Parisiis in fol. anno 1655. typis Regiis impressi, una cum aliis duabus ejusdem prorsus argumenti Epistolis, altera ad Joannem Chrysoloram, tertia ad Demetrium Chrysoloram, multo brevioribus: quæ ibidem editæ Græce & Latine. Illic autem p. 129. ipse tempore adventus sui Romam in Urbem, appellat se ὠμογέροντα ἤδη γηγόμενον, hoc est, *immaturum senem.* Scripsit autem longe plures his tribus editis Epistolas, quas Græce MSS. extare in Bibliotheca Florentina Medicæa testatur Gerardus Joannes Vossius Lib. IV. *De Historicis Græcis* cap. 19. p. 492. Nihil tamen illarum in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Medicææ Florentinæ, quem anno 1641. Amstelodami in 4. Henricus Ernstius edidit; sed tantum *Demetrii Chrysoloræ Dialogus destruens Orationem, quam Demetrius Cydonius scripsit contra Machanum Thessalonicensem & Nilum Cabasilam.* Extant autem illæ Græce MSS. in celeri Bibliotheca Lugduno-Batava, ut testatur Fridericus Spanhemius hujus Bibliothecæ Præfectus in Catalogo illius impresso in 4. Lugduni Batavorum anno 1674. ubi inter Manuscriptos Codices Græcos & Latinos, quos Bonaventura Vulcanius huic Bibliothecæ legavit, *Codex 45. Manuelis Chrysoloræ Epistolæ Græcæ* in, ut habet Catalogus iste impressus, p. 4 6. Et ibidem p. 413. Cod. 14. *Manuelis Chrysoloræ Epistolæ aliquot a Bonaventura Vulcanio Latine conversæ. Item etiam Georgii Cyprii quædam ab eo conversa in folio.* Inter MSS. Codices Græcos Bodlejanæ Oxonii in Anglia bibliothecæ Codice 1. *Manuelis Chrysoloræ Erotemata Grammatica.* Ejusdem autem *Grammatica* edita Græce apud Aldum Venetiis 1512. in 8. Ejusdem *Erotemata Grammatica* Græce 1516. in 8. Argentorati apud Johannem Cnoblauch. Idem Opus MS. Venetiis in bibliotheca Grimani, inscriptum *Erotemata Grammatica* seu *Quæstiones Grammaticæ*, eo quod per quæstiones & responsiones Grammaticam Græcam doceat: ut habet Bernardus de Montfancon Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri apud Gallos, in *Diario Italico* cap. 3. p. 40. editionis 1702. Parisiis in 4. Extat quoque Romæ in Bibliotheca Barberina, *Missa seu Liturgia Sancti Gregorii Papæ primi seu Magni, in linguam Græcam ab Emanuele Chrysolora conversa*, Codice MS. Græco 75. ut etiam postea in *Georgio Codino* dicemus. Illius titulus, Λειτουργία μεταγλωττισθεῖσα ἀπὸ Λατινικῆς διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλληνικὴν, παρὰ κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Χρυσολωρᾶ: *Missa e lingua Latina in Græcam a Domino Manuele Chrysolora.* Principium, Ὁ μέλλων ἱερουργήσειν ἱερεὺς ἐνδὺς τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα, καὶ στὰς ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου λεγέτω. Ἐξομολογεῖσθε τῷ Κυρίῳ ὅτι ἀγαθὸς, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα ὁ ἔλεος αὐτοῦ. *Sacerdos sacra peracturus, cum induerit vestem sacram, & steterit coram altari, dicat:* Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. Hæc de MSS. extantibus Manuelis Chrysoloræ, quæ ad notitiam meam pervenerunt. Hic igitur primus in Italia Græcarum Litterarum studium excitavit, nec Romæ solum docuit, sed etiam Venetiis, Florentiæ & Ticini tanta felicitate: ut ex ejus Schola summæ nec unquam interituræ laudis ingenia prodierint, in quibus fuere Leonardus Aretinus, Franciscus Barbarus, Franciscus Philelphus, Baptista Guarinus, & Poggius Florentinus. Tandem ad Concilium Generale Constantiense profectus, Constantiæ anno Christi 1415. die 15. Aprilis obiit, ibidemque in Monasterio Dominicanorum ante Aram sepultus est, cui Æneas Sylvius Poeta Laureatus Epitaphium hoc posuit:

MANUEL CHRYSOLORAS,
MILES CONSTANTINOPOLITANUS,
EX VETUSTO GENERE ROMANORUM,
QUI CUM CONSTANTINO IMP. MIGRARUNT.
VIR DOCTISSIMUS, PRUDENTISSIMUS, OPTIMUS,
QUI TEMPORE GENERALIS CONCILII CONSTANTIENSIS
DIEM OBIIT EA EXISTIMATIONE,
UT AB OMNIBUS SACERDOTIO DIGNUS HABERETUR.
DIE XV. APRILIS CONDITUS EST
ANNO MCCCCXV.

Ille

Ille ego qui Lutium priscas imitarier artes
Explosis domi sermone ambagibus, & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucem retuli, CHRYSOLORAS nomine notus,
Hic situs, & moriens peregrina sede quiesco,
Huc me Concilii deduxit cura, trium dum
Pontificum Ecclesiam vexaret schisma per orbem,
Roma meos genuit majores, me bona tellus
Byzantina tulit, Cineres Constantia servat,
Quo moriare loco nil refert: undique Cœlum
Pœnarumque locus mensura distat eadem.

Perperam igitur vir doctissimus Gerardus Joannes Vossius Lib. 4. *De Historicis Græcis* cap. 19. pag. 492. illum ait floruisse anno Christi 1440. & deinceps, confundens videlicet Imperatorem Joannem Palæologum, Andronici Junioris filium, cum Imperatore Joanne Palæologo, Manuelis filio, qui defuncto patri successit in Imperio anno 1425. & anno 1449. obiit. Minime etiam audiendus est Jacobus Pontanus Soc. Jesu, dum in suis *Notis* ad Georgii Phranza Chronicon p. 242. & 243. hunc *Manuelem Chrysoloram* perperam confundit cum Johanne Chrysolora, quem jam memoratus Phranzes Lib. 1. cap. 12. p. 56. claruisse refert sub Imp. Andronico Palæologo Juniore, circa annum Christi 1328. quo avo suo Imperatore Andronico Seniore Imperium abdicante, solus Imperio potitus est. Hæc ex Lambecio Lib. 6. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 276. & 177. paucis a me mutatis vel additis. De *Manuele Chrysolora* Henricus Warthon in Continuatione Cavi ad annum 1389. p. 67.

1390 BALDUS VBALDUS seu DE VBALDIS ex honesta Vbaldorum familia Perusiæ, patre Petro Vbaldo, nobili & Medico circa annum 1324. natus est. Præcocis ingenii puer, cum bonam ætatis partem in studiis Philosophicis contrivisset, Medicinæ operam dare cœpit juxta quosdam, in qua cum nihil laude dignum præstare posset, ad Jurisprudentiam se convertit, etiam natu grandior, Bartolo Perusiæ Jura docenti operam dare cœpit. Ab hoc cum aliquando audivisset, *Tarde venis:* respondit *ideo celeriter me absolvam*: idque præstitit, qui summa eum diligentia brevi tempore effecit, ut inter Jurisconsultos clarissimos censeretur. Alii id fabulam dicunt, atque Vbaldum a primis annis Juri incubuisse scribunt: *adolescentem* audivisse Johannem Pogliarensem quem primum Doctorem suum vocat; item Franciscum Tigrinum Pisanum, virum magnæ memoriæ & doctrinæ, probæque, ut alii volunt, vitæ: & Bartolum de Saxo ferrato, quem scribit multum ingenio suo contulisse, & præ reliquis extollit. Fuit autem tam maturo felicique ingenio, ut anno ætatis XVII. publice repetierit Legem *Centum Capua*, de gestis, *de eo quod certo loco*. Juxta Joannem Fichardum in Vitis *Jurisconsultorum Recentiorum*, cum postea studiorum suorum legitimum tempus absolvisset, solitisque Doctoratus insignibus ornatus esset, Bononiam anno 1344. profitendi causa concessit. Et quia illuc Bartolus quoque advenerat, eo præsente *Baldus* publice disputavit quæstioné illam, utrum municipes alicujus loci statuere possint, quod non possit fieri appellatio, nisi ad Judicem illius loci. In qua disputatione, ut ipse refert, opposuit se illi Bartolus, & acerrimus antagonistas ab hora 16 usque ad horam 21 cum eo contendit, sed tandem victus discessit. Fuit autem & alias vehemens altercatio inter eosdem in textu paragr. ultimi Legis. *Si creditor*, cum Bartholus in suo codice haberet *nullam venditionem*, Paldus vero *ullam venditionem:* adeoque tam animi exarserunt, ut Pisas missum sit, & Pandectæ veteres inspectæ sint, quæ cum Bartoli codice consonarunt. Eruditionem autem in Baldo ampliorem nemo, sed constantiam in doctrina complures desiderarunt: variavit enim sæpius & contraria invicemque pugnantia multis in locis scripsit. Fuit autem non Civilis tantum, sed & Pontificii Juris doctissimus Baldus, itaque miratur jure alicubi Ludovicus Romanus, quod eum tam magnum Canonistam Capitula aliqua fugerint. Bononiæ Juris doctrinam profitentem & eximia laude florentem Johannes Galeacius Vicecomes Mediolanensis, potentia & gloria Regibus maximis æqualis, cum Ticini Gymnasium conderet, magnis præmiis evocavit. Fratres habuit duos & studiorum Juris comites & eruditionis Vbaldinæ imitatores, *Angelum & Petrum Vbaldos*, de quibus postea. Cum in professione Juris LVI. annos versatus esset, obiit Ticini vel Papiæ anno Christi MCCC die 28. Aprilis, ætatis LXXVI. veste sancti Francisci, cum expirare vellet, indutus, sicut petierat. Wolfius lib. 2. Memorabilium scribit eum a canicula, quam enutriverat in labio morsum, quarto post mense delirantem obiisse, cui attestatur Marcellus Donatus Lib. 6. Hist. Med. mir. cap. 1. Tumulus ejus Ticini in æde S. Francisci, cum hac inscriptione rudi conspicitur.

Conditur hic Baldus Francisci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Perusina conditus arce.
Qui obiit anno MCCC die XXVIII. Aprilis in Aurora.

Inde juxta summum altare ipsius ossa transportata sunt, ubi in alio saxo hoc epithaphium legitur.

Baldus

Baldus editiorem locum sortitus hic, octo & decem
Supra centum annos obdormiverat, MDXIX.

Scripsit multa Baldus de Vbaldis, quæ ubivis impressa sunt, atque ex his extant in Bibliotheca Oxoniensi publica, locis & literis infra scriptis, ut patet ex ejus Catalogo Oxonii anno 1674 in folio edito, cura Thomæ Hidii.

Consiliorum volumina V. Francofurti ad Mœnum 1589. B. 4. 2. *Juris.* Item Venet. vol. IV. 1643. & 1575.

Consiliorum vol. VI. cum Additionibus Flavii Torti, Venetiis 1600. B. 6. 8. *Juris.*

Commentarius in volumen Decretalium cum Annot. Paronæ & Godemini, Venetiis 1595. B. 4. 3. *Juris.* Item Lugduni in fol. 1547. apud Hæredes Jacobi Giuntæ cum pluribus Additamentis plurimorum Doctorum præstantissimorum, & *Repertorio* Baldi super Decretalibus amplissimo, atque Domini Baldi Judice in Pandectas alphabetico illo amplissimo.

Singularia cum Addit. tomi secundi p. 224. Francofurti 1596. S. 6. 6. *Juris.*

De carceribus p. 834. Lugd. 1603. M. 9. 3. *Juris.* Et p. 431. Coloniæ 1569. A. 1. 17. *Juris Seldeni.* Et pag. 200. partis I. tomi XI. Tractatuum Juris Venet. 1584. S. 1. 15. *Juris Seldeni.* Et cum tractatu *De fidejussoribus*, Coloniæ 1583. in 8.

Tract. *de Constituto* p. 629. Lugduni 1603. M. 9. 3. *Juris.* Et parte I. pag. 38. tomi VI. Tractatuum Juris Venet. 1584. S. 1. 7. *Juris Seldeni.* Et cum Strachæ Mercatore, Colon. 1575. in 8.

De Pactis, Venetiis 1584. ibidem Tomo 6. parte 1. pag. seu fol. 2.

Tractatus circa materiam testium p. 69. Colon. Agripp. 1596. Tomo 10. 1. *Juris.* Et pag. 71. tomo IV. Tractatuum Juris Venetiis 1584. S. I. 5. *Juris Seldeni.*

Tractatus de statutis p. 781. Francofurti 1606. S. 1. 3. *Juris.* Et fol. 86. tomo II. Tractatuum Juris, Venetiis 1584. S. 1. 2. *Juris Seldeni.*

De regulis statutorum p. 155. ibidem.

Disputatio dicta *Baldus accusatus de vi turbativa*, August. Vindelicorum 1595. in 4. B. 13. *Juris.*

De jure protimiseos Francofurti 1588. in 8. F. 9. *Juris.* Et inter Tractatus Tractatuum Juris tomo XVII. fol. 18. Venetiis 1584. S. 2. 24. *Juris Seldeni.*

De Additione cum Juventario p. 513. Colon. Agripp. 1590. in 8. S. 12. *Juris.* Et p. 323. parte 2. tomo VIII tractatuum Juris. Venetiis 1584. S. 1. 11. *Juris Seldeni.*

De tabellionibus Venetiis 1546. P. 1. 8. *Juris Seldeni.* Et tomo III. tractatuum Juris, parte 1. fol. Venetiis 1584. S. 1. 3. *Juris Seldeni.* Tractatus de Cautelis & remediis p. 415. Lugduni 1577. G. 1. 7. *Juris.* Et p. 304. Francofurti ad Mœnum 1582. G. 1. 9. *Juris Seldeni*

De exceptionibus Tomo 12. Tractatuum Juris fol. 195. Venetiis 1584. S. 2. 17. *Juris Seldeni.*

De feudis Additiones Tomo 10. parte 1. fol. 2. Venetiis 1584. S. 1. 13. *Juris Seldeni.*

De quæstionibus & tormentis sive tortura Tomo XI. parte 1. fol. 291. Venetiis 1584. S. 1. 15. *Juris Seldeni.*

De Syndicatu Officialium Tomo VII. fol. 224. Venetiis 1584. S. 1. 9. *Juris Seldeni.*

De Substitutionibus Tomo VIII. part. I. f. 201. Venetiis 1584. S. 1. 10. *Juris Seldeni.*

Repet. in L. *Si filius hæres*, ff. de liberis & posthumis p. 225. Lugd. 1553. R. 7. 3. *Juris.*

Repet. in L. 2. C. *de rescindenda venditione*, Lugduni 1553. R. 7. 7. *Juris.*

Super Codice, feudis, Digesto novo ac veteri, institutione Justiniani, & Infortiato, cum Additionibus Jurisconsultorum variorum, Lugduni 1545. B. 1. 6. 7. &c. *Juris.* Item hæc omnia Venetiis apud Juntas 1577. VI. voluminibus in folio magno.

Tractatus Baldi de Perusio contra Clementem VII. qui incipit *Civitas Dei*, MSS. Codice 814. Colbertinæ bibliothecæ, & editus quoque in appendice tomi XVII. Annalium OdoriciRaynaldi.

Filios habuit duos, ut tradit Jacobus Philippus Bergomensis in Chronicis, Zenobium, qui & Equestribus ornamentis & Doctoratus insignibus donatus fuit, & Franciscum Juris Doctorem, cujus offenduntur *Decisiones Juris* Augustæ in fol. anno 1668. editæ.

Fratres habuit duos *Angelum & Petrum Vbaldos*. *Angelus Vbaldus* iisdem præceptoribus, quibus Baldus, jus civile didicit: qui anno ætatis XXIII. insignia Doctoratus sumpsit, ac publice profiteri cœpit. Non indignus fratre suo Baldo extitit, ingenio inferior, eruditione par, acri & solido judicio prædictus. Itaque Johannes Pyrrhus hanc inter Triumviros Jurisprudentiæ, cum Bartolo & Paulo Castrensi nominavit. Reliquit Angelus doctissima Opera Commentariorum atque Consiliorum, quibus jus civile majorem in modum illustravit. Extant autem impressa

Angeli de Vbaldis de Perusio, *Consilia* Venetiis 1535. in fol. Francofurti 1575. in fol.

Commentarius ad Dig. Cod. Authent. & Infortiatum cum Annotationibus Curtii & aliorum, Venetiis 1579. 1580. III. tomis in fol. Item Taurini 1589. eodem modo.

Quæstiones Juris pag. 97. Colon. Agrippinæ 1596. T. 10. 1. *Juris.*

Tractatus Sequestrorum pag. 905. Lugduni 1593. M. 9. 3. *Juris.* Et p. 498. Coloniæ 1569. A. 1. 17. *Juris Seldeni.*

De Inventario fol. 155. Tractatum Juris tomo VIII. parte 2. Venetiis 1584. S. 1. 11. *Juris Seldeni.*

Repetitiones in Jure Civili Lugd. 1553. R. 7. 6. 8.

Mortuus est Florentiæ eodem anno 1400. quo

quo Baldus ejus frater, relicto post unico filio Alexandro Legum Professore, cujus extant *tria consilia matrimonialia* in Collectione Conciliorum, quæ Francofurti anno 1580. in fol. edita fuit, atque in Catalogo Bibliothecæ Oxoniensis publicæ verbo *Vbaldus Alexander* designantur, *Tria Consilia matrimonialia* p. 123. 141. 144. Francof. ad Mœnum 1580. Z. 1. 1. *Juris*. Ille a majorum virtute neutiquam degenerans, in celebrem Juris Professorem evasit, & cum publico salario multis annis Patavii professus esset, a Sixto Pontifice Maximo Romam vocatus, & in advocatorum Consistorii Pontificalis numerum adscitus est.

Tertius denique frater *Petrus Vbaldus*, dexteritate pari fratrum vestigiis insistens, post legitimum studiorum tempus absolutum, & ipse utriusque Juris Doctor factus est. Cum tamen Canonici juris studiosior esset quam Civilis, in eo solo elaboravit, & eruditionis suæ multa monumenta, ut traditur, reliquit. Extant Petri de Vbaldis de Perusio *De beneficiorum permutatione*, cum tractatu *De duobus fratribus* Coloniæ anno 1588. in 8. & in Collectione Tractatuum Juris tomo XV. parte I. p. seu fol. 183. Venetiis 1584. S. 2. 2. *Juris Seldeni*.

Ejusdem *De beneficiorum unione*, ibidem.

De Canonica Episcopali & Parochiali, ibidem tomo X. parte 2. fol. 198. Venetiis 1584. S. 2. 22. *Juris Seldeni*.

De collectis seu muneribus, Coloniæ 1586. in 9. & inter Tractatus Juris tomo XII. fol. 80. Venetiis 1584. S. 2. 17. *Juris Seldeni*.

Consilia duo in eadem materia fol. 99. ibidem.

De duobus fratribus ibidem Tomo VI. parte I. fol. 133. Venetiis 1584. S. 1. 7. *Juris Seldeni*.

Repetitio in C. *Si diligenti* de Præscriptionibus, Venetiis 1587. R. 2. 3. *Juris*.

Ex hoc natus est Matthæus Vbaldus, vir equestri postea dignitate insignitus, & omni scientiarum genere excultus, qui duos porro filios procreavit, Petrum utriusque professorem, & Baldum, qui etsi Jurisconsultus non esset, prudentia tamen & consiliis inter primos patriæ suæ proceres habebatur. Hic Baldus felicitatem avi sui Petri Vbaldi, successione trium filiorum eruditorum Nicolai, Matthæi & Sigismundi, consecutus est: quorum primus Rotæ auditor, alter publicus Perusii Legum professor extitit. Extant Nicolai Ubaldi qui anno 1460. floruit, *de Successione ab Intestato* inter Tractatus Tractatuum Juris tomo VIII. parte 1. fol. 337. Venetiis 1584. S. I. 10. *Juris Seldeni*. Item *de Successione ab intestato Clericorum Regularium & Secularium* fol. 351. ibidem edita Spiræ anno 1588. in 8vo. Hæc verbotenus de Ubaldis suppeditarunt Joannes Fichardus in *Vitis Jurisconsultorum recentiorum* Thomas Hidius in *Catalogo Bibliothecæ Oxoniensis publicæ*, verbo *Ubaldus*. Paulus Freherus in *Theatro virorum eruditione clarorum* parte 2. sect. 4. p. 789. Denique ex eadem familia creditur Sinibaldus Ubaldus, cujus extant *Axiomata de nobilitate*.

PETRUS ANCHARANUS seu DE ANCHARANO, natione Italus, patria Bononiensis, ex illustris Farnesiorum familia oriundus, præter singularem doctrinam tam in Philosophia, quam in studio juris, vir rerum politicarum longo usu prudentior redditus, eloquens & multa authoritate apud suos pollens, propter consilia saluberrima quibus tam scriptis quam voce, patriam juvans, Principibus Italiæ, Civitatibusque & Academicis plurimum commendabatur. Hic Baldo præceptore usus fuit, ex cujus intima familiaritate, multa secreta Jurisprudentiæ documenta hauserat. In gymnasio primum Patavino, deinde Bononiensi, una cum Bartholomæo Saliceto, cum magna auditorum frequentia Leges publice docuit. Claruit circa annum 1380. & sequentes, hoc enim tempore Bononiæ anno nimirum 1382. mense Majo, Commentaria sua in IX. libros Codices, Salicetus exorsus est. Obiit Bononiæ circa annum Christi 1410. sepultus in templo S. Benedicti, quanquam ad annum usque 1497. vixisse a nullis perhibeatur, ex lectione illius epitaphii, in parte enim superiore monumenti literis Romanis scriptum est. 1390

D. O. M.

Petro Ancharano Juris Pontificii & Cæsarei Clarissimo Interpreti, ejus amantissimi Saxum Hoc instauratum posuere anno Sal.
M CCCCLXXXXVII.

Et in parte inferiore literis Gothicis hæc carmina leguntur.

Canonis hic speculum, civili & anchora Juris
Hic jacet, æternas mens tenet alma domos
Nomen erat Petrus, genuit Farnesia proles,
Nunc Ancharanum dat sibi Juris opes.
Quis superavit eum virtute mirante? quis iste
Consiliis hominum clarior ante fuit?
Pro meritis nunc astra dedit sibi Jupiter almus,
Et voluit gelido membra jacere Solo.

Joannes Fichardus in Vitis Jurisconsultorum recentiorum refert, eum mortuum esse Bononiæ, in S. Dominici æde sepultum, ubi monumentum illius extet cum Epitaphio longiusculo, quod tamen mortis tempus non exprimat. At claruisse circa annum 1380. certo certius est. Index enim MSS. Bibliothecæ Augustanæ p. 58. profert Codicem MS. Lecturæ ejus super Clementinis & Rescriptis, in hac Bibliotheca asservatum, qui eam Bononiæ anno 1397. conscriptum esse præ se fert. Atque ibidem alius Codex MSS. Lecturæ illius super secundo libro Decretalium, qui istam Venetiis, anno 1392. completam esse prodit. Extant ejus *Commentaria in 6. Libros Decretalium* cum Scholiis Codechæ & Johannis de Monteferrato, Bononiæ in fol. 1581. A. 5. 2. 3. 4. *Juris*. *Lectura super Clementinis*, cum Additionibus Cathar. Pariel & alio-

& aliorum Lugduni in fol. 1549. & 1553. I. 2. 4. *Juris.* *Selectæ Quæstiones omnium præstantissimorum Jurisconsultorum* 3. tomis digestæ, in fol. Francofurti ad Mœnum 1581. A. 5. I. *Juris.* *Consilia sive Responsa Juris* cum Additionibus Hieronymi Zanchii, in fol. Venetiis 1585. 1589. 1599. *Repetitiones in C. Canonum statuta* de Constit. Venetiis 1587. R. 2. I. *Juris.*

Agunt de Petro Ancharano Joannes Fichardus in *Vitis Jurisconsultorum recentiorum.* Johan Jacobus Boissardus in *Vitis 50. Virorum doctorum* Henricus Warthon in Continuatione *Historiæ rei litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1410. p. 89. Paulus Freherus in *Theatro Virorum eruditione clarorum* parte 2. Sect. 4. p. 790. Thomas Hidius in Catalogo Bibliothecæ publicæ Oxoniensis, verbo *Ancharanus Petrus.*

1390 JOANNES DE HEES, Presbyter Trajectensis, circa annum 1390. celebris ob peregrinationes, *Iter* suum ad Hierusalem in Indias descripsit, quæque mirabilia observavit, quousque Hierosolymam rediret: de ipsis autem Hierosolymis scribere se velle negat, quod alii multi hoc præstitissent. Sub Opusculi initium, se hoc iter anno Domini MCCCLXXXIX. aggressum esse testatur, unde ætatem ejus liquido videmus, nec narrationem scriptam fuisse nisi post annum 1390. vel 1400. Opusculum prodiit initio nascentis typographiæ, cum literis Soldani ad Pium Papam, & hujus responso, item cum Epistola Joannis Presbyteri Imperatoris Æthiopici: sed ut tum fieri consueverat, nec anno nec typographi vel urbis nomine adposito. Verum ex Dictionario Historico Ludovici Morerii verbo *Impressio*, discimus *Itinerarium Johannis de Hese* fuisse editum anno 1499. apud Daventriam Hollandiæ Statuum urbem a Richardo Pafraer. Item Antwerpiæ anno 1565 apud Johannem Withagium in 8vo. Hæc ut plurium suppeditavit Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 3. p. 539. ultimæ editionis. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Joannes Heesius* p. 515. editionis anni 1643. Lovanii in 4to.

1390 ELIAS EWESHAMENSIS MONACHUS annis 1390. ac 1400. floruit; Anglice de Evesham, Ord. ut opinor divi Benedicti, claruit enim sub Rege Richardo II. qui anno 1377, die 17 Kalend. Augusti coronatus anno 1402. extinctus dicitur. Scripsisse videtur *Chronicon Abbatiæ Eveshamensis*, quæ extant inter MS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum insignium, Codice 10023. in MSS. Codicibus Symonis d' Ewes Baronetti Codice 163. num. 1. Loqui videtur de hoc Chronicon inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 5102. Joannes Lelandus Tomo 1. *Collectaneorum* de rebus Anglicis cap. 95. his „verbis. Ex Historia quam mutuo sumpsi a „Domino Garterio, cujus nomen non compa„ruit. At manifesta est conjectura, authorem „Monachum Eveshamensem, vel (quod verisimilius) Personarum fuisse p. 283. Adjici„tur hæc Lelandi nota p. 297. Liber hic Anna„lium, incipiens ab origine rerum Britannica„rum, cum anno 1388. finem accepit. Seque„bantur res gestæ aliquot annorum in eodem„ exemplari, sed rudiori & recentiori litera Scri„ptæ. Idem scripsit *Historiam Vitæ & regni Ri„chardi II. Angliæ* anno 1400. mortui, quam habet MS. inter MSS. Codices suos Cottoniana bibliotheca sub effigie Claudii litera B. Codice 9. ubi num. 4. *Historia Vitæ & Regni Richardi II. Angliæ, Scripta a quodam Monacho Eveshamensi.* Ibidem sub effigie Tiberii litera C. Codice 9. num 1, *Vita Regis Richardi II. Scripta a quodam Monacho de Evesham.* Ibidem sub effigie Vespasiani litera B. Codice 14. num. 5. Vita & Passio S. Thomæ Martyris, Archiepiscopi Cantuariensis a diversis Auctoribus excerpta, per quendam Monachum de Evesham, ad Henricum Abbatem Croylandial. Et sub effigie Faustinæ litera B. Codice 8. num. 3. Vita Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis per E. Monachum Eveshamensem ad Henricum Abbatem Croylandiæ. Meminit hujus Scriptoris, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Codice 5103. Joannes Lelandus Vol. 2. *Collectaneorum* de rebus Anglicis cap. 34. *E. Libro E. Monachi Eoveshamensis cænobii de vita Thomæ Becket Episcopi Cantuariensis*, ex Catalogo quem scripsit de viris eruditis Thomæ Becketo familiaribus. pag. 275. Item in Catalogo MSS. Codicum bibliothecæ præfatæ pag. 260. in *Collectaneis* Richardus Jamesius, Codice 18. num. 13. excerpit ex *Vita & Passione St. Thomæ Cantuariensis per E. Monachum Eveshamensem* p. 169. Gerardus Johannes Vossius Libro 2. *de Historicis Latinis* cap. 58. pag. 476 editionis ultimæ, Scriptorum hunc imperite anno 1270. assignant.

JOANNES GOWERUS seu GOVERUS 1390 nobilis Anglus, Equestris ordinis, ac Poëta laureatus, hujus etiam Richardi II. ætate, in pretio erat, qui nomen suum extulit, ils partim quæ & Gallice eleganter, & elegantius Anglice elaboravit, nam cum Gualfrido Chancero primus Anglicanam linguam expolire cœpit partim illis, quæ nec ineleganter Latino Sermone transmisit. Extant plurimi MSS. Codices Operum Goveri in Anglicanis bibliothecis Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 754. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, litera C. Codice 112. *Joannis Goweri Confessio amantis*, Anglice fol. Ibidem Codice 3883. in MSS. Codicibus ex dono Domini Thomæ Fairfax Baronis Cameronii Codice 3. An old English Poëm intituled *Confessio Amantis* by John Gower. Ibidem Codice 4099. in Codicibus MSS. Hyperoi Bodlejani quos Hattonianos vocant, Codice 74. John Gower *de confessione amantis* an English Poëm. Idem inter MSS. Codices Oxoniensis Universitatis Codice 1230. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 266. Ibidem Codice 1534. in MSS. Codicibus Collegii Cor-

gii Corporis Christi Codice 67. John Gower *Confessio amantis* an English Poëm. fol. membr. Ibidem Codice 2354. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 213. *Gowers Historical Poëm.* Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 726. opus idem in MSS. Codicibus Collegii Sidney Sussex K. 4. Codice 1. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 611. in MSS. Codicibus Comitis Carlioli Codice 1. *John Gowers old English Poëm.* Ibidem Codice 4035. in MSS. Codicibus Richardi Brideoake Codice 1. *Goweri Confessio amantis* fol. Membr. Codice 5547. inter MSS. Codices Collegii Armorum, in MSS. Codicibus Duci Nortfolcii Codice 122. Codice 6794. in MSS. Codicibus Henrici Langleii Equitis Codice 21. *John Gowers Poëms*, fol. Codice 7151. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Mancuniensis Codice 6. *Gowers Works*, fol. Codice 9653. in MSS. Codicibus Johannis Moti Nortvicensis Episcopi Codice 467. Inter MS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ insignium, in Codicibus MSS. Henrici Clarendonii Comitis Codice 82. *Old English Poetry, compil'd by Sir John Gower.* fol. De Gowero hæc habet Gerar„dus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Lati„nis* cap. 3. pag. mihi 542. editionis ultimæ. Hic „nomen suum extulit illis, quæ nec inelegan„ter Latino Sermone transmisit, uti Chronicon „VII. librorum, cui titulus, *Vox clamantis in de„serto*, quod MS. habet Oxonii Collegium o„mnium animarum, itemque Bibliotheca Lum„lejana. Ad hæc memoriam sui reliquit *Chro„nico Richardi II. & Commentario de Rege Henrico „IV. & Chronici tripartiti libris tribus*, qui & i„psi in eodem Collegio omnium animarum ad„servantur. Extant autem inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1061. inter MS. Codices Guillielmi Laudi Cantuariensis olim Archiepiscopi, litera F. Codice 24. num. 1. Goweri Poëmata dicta *Vox Clamantis in deserto*, seu de mundi erroribus. N. 2. Ejusdem contra vitia seu erroris seu temporis. N. 3. Ejusdem de lucis Scrutinio, quam vitiorum tenebræ suffocarunt. N. 4. Ejusdem Carmen de variis in amore passionibus p. 166. b. N. 5. Ejusdem in laudem Connubii & status conjugalis p. 167. Ibidem Codice 1739. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 138. Liber, qui intitulatur *Vox Clamantis*, Poëma Jo. Gower. Ibidem Codice 2875. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, in libris Sinensibus, Codice 92. John Gowers 3. Treatises. N. 1. The Frist Call'd *Speculum hominis*. N. 2. *Vox Clamantis*, N. 3. *Confessio Amantis*. Ibidem Codice 4073. in MSS. Codicibus in Hyperoo Bodlejano Hattonianis Codice 48. num. 4. Chronica Joannis Gower, quod dicitur *Vox Clamantis*, de tempore Regis Richardi II, usque ad annum Henrici IV. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1427. in MSS. Codicibus Collegii. Omnium animarum Codice 26. *Joannis Gower Somnia ad Thomam de Arundel Archiepiscopum Cantuariensem.* Quantum autem ad hunc Codicem 26. Collegii omnium animarum, non tantum habetur in isto Codice, quod supra dixi, nempe *Joannis Gower Somnia ad Thomam de Arundel Archiepiscopum Cantuariensium:* Sed etiam uti notatur in *Addendis & corrigendis ad hunc Catalogum pag. 88.* in dicto Codice continentur *Joannis Goweri Vox Clamantis libris VII. cum Chronico ejus tripartito, & aliis ejusdem Carminibus.* Inter MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ, sub effigie Tiberii littera A. Codice 4. N. 1. Joannis Gower Chronica, quæ *Vox Clamantis in deserto* dicitur, sive Poëma de insurrectione rusticorum contra ingenuos & nobiles, tempore Regis Richardi II. & de causis ex quibus talia contingunt enormia Libris septem. N. 2. *Chronica tripartita* de depositione Regis Richardi II. & coronatione R. Henrici IV. tribus partibus. N. 3. Carmen, unde magnificus Rex noster Henricus apud Deum & homines cum omni benedictione glorificetur. N. 4. Epistola brevis, unde virtutes Regis morales ad sanum regimen ampliori memoria dirigantur. N. 5. Carmen super multiplici vitiorum pestilentia, unde tempore Richardi II. partes nostræ specialius inficiebantur. N. 6. Contra dæmonis astutiam in causa Lollardorum. N. 7. Contra mentis sævitiam in causa superbiæ. N. 8. Contra carnis lasciviam in causa concupiscentiæ. N. 9. Contra mundi fallaciam in causa perjurii & avaritiæ. N. 10. Tractatus de Lucis Scrutinio, quam vitiorum tenebræ suffocarunt. N. 11. De libris Joannis Gower. N. 12. Versus in laudem Joannis Gower, illiusque librorum. N. 13. Epitaphium Joannis Gowor. N. 14. Ejusdem versus alii. Ibidem sub effigie Othonis litera D. Codice 1. num. 4. Polychronicon Ranulphi Cestrensis, cum continuatione, in qua habetur plena narratio de renuntiatione, resignatione, dimissione, cessione, depositione R. Richardi II. & de vindicatione Angliæ coronæ per Henricum IV. tunc Ducem Lancastriæ, cum versibus rythmicis Joannis Goweri, & libro ejus, qui dicitur *Vox Clamantis:* de illis rebus quæ accidebant tempore R. Richardi II. & narrationibus historicis usque ad mortem Regis Henrici V. hoc est, annum 1422. Hoc tamen Chronicon, quatenus excedit depositionem Regis Richardi II. quæ anno 1400. contigit. ad Joannem Gowerum pertinere non potest, nam ætate confectus & jam cæcus, anno cIɔ cccc II. Londini decessit, ac in æde S. Mariæ de Overes sepultus fuit. Statua quoque eidem cum torque aurea erecta est, quæ Equitis aurati indicium est: & corona hederacea roris intermistis, quæ Poetam laureatam arguit. Mentionem Johannis faciunt inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus, Volumine 4. *Collectaneorum* quod *de Scriptoribus Angliæ illustribus* agit, cap. 210. p. 295. Ibidem in Catalogo MSS. Co-

MSS. Codicum ejusdem Bibliothecæ pag. 258. in Collectaneis Richardi Jamesii Sacræ Theologiæ Doctoris, Tomo 6. num. 10. Excerpit ex Gower MS. in Bibliotheca Bodlejana, pag. 103. Item Tomo 26. num 4. Ex Gower MS. in Collegio omnium animarum p. 79. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 3. pag. 542. editionis ultimæ.

1390 HENRICUS KNIGHTON, Canonicus Regularis Abbatiæ Leicestrensis, claruit post annum 1390. sub regno Richardi II. Angliæ Regis, ad cujus fere exitum *Historiam* suam a Guilelmi I. vel circiter incœptam deduxit magna fide & diligentia usque in annum 1395. Scripsit ergo *Chronicon de eventibus Angliæ Lib. V.* ab anno circiter 950. ad annum 1395. quorum primo res a Saxonicis Regibus usque ad annum 1066. seu ad Guillelmi Conquestoris tempora compendio brevi deducit, tres autem sequentes, qui annum usque 1377. attingunt, ex Ranulphi Higdeni Cicestrensis Polychronico verbatim fere exscripsit, quintum denique ad sua usque tempora seu ad annum 1395. composuit: cujus Historiæ Exemplaria duo MSS. habentur in Bibliotheca Cottoniana, nempe sub effigie Tiberii litera C. Codice 7. & sub effigie Claudii litera E. Codice 3. num. 7. Composuit etiam *Historiam Depositionis Richardi II. Angliæ Regis an. 1399. factas.* Extat utrumque Opus inter Decem Historicos *de rebus Anglicis*, qui curis Joannis Sheldeni Londini in folio anno 1652. evulgati sunt col. seu pagg. 2311. & 2743.. De illo mentionem faciunt Joannes Sheldenus in præludiis ad *Ducem Scriptores Historiæ Anglicanæ* a se editos. Joannes Lelandus MS. *de Scriptoribus Angliæ* in Bibliotheca publica Oxonienfi, Bodleiana Cod. MS. 5105. *Collectaneorum* Joannis Lelandi vol. 4. cap. 198. p. 274. Richardus Jamesius ibidem in *Collectaneis* Codice 10. cap. 3. p. 35. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 330. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 3. p. 542. ultimæ editionis.

1390 GERARDUS DE ZUTPHEN, unus ex primis Clericis Regularibus, seu Fratribus vitæ communis, cujus vitam ac conversationem devotam descripsit Thomas a Kempis, reliquit Opera duo ascetica, valde spiritualia & religiosa, unum inscriptum *De reformatione virium animæ*, aliud *De spiritualibus Ascensionibus*, impressa Parisiis & Coloniæ anno 1539. imo sæpe cum Operibus Thomæ a Kempis, deinde immissa in magnam sanctorum Patrum bibliothecam. Obiit anno 1398. die 4. Decembris, ætatis anno XXXI. De illo Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 281. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Gerardus Zutphaniensis*, p. 636. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 481. p. 272. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 287. editionis 1643. Lovanii in 4.

1390 BENEDICTUS XIII. PAPA, antea *Petrus de Luna* nominatus, natione Hispanus, nobilissimo inter Arragonios loco natus, patrem habuit ea tempestate clarissimum Joannem Martinez de Luna, Baronem de Ilveca, Matrem Mariam Perez de Gotor, teste Surita Lib. 10. Annal. Arragon. cap. 9. Quantæ autem dignitatis pater ejus fuerit, idem auctor docet Lib. 9. cap. 11. & 13. Illud quoque addemus cum Baluzio in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1182. Petrum de Luna fuisse *hominem ingeniosum*, ut narrat Theodoricus a Niem Lib. 2. de schismate cap. 33. *qui tunc satis diligebatur a multis, eo quod peritus & virtuosus existeret, a pluribus laudabatur.* Joannes Nyder Lib. 3. *Formicarii* cap. 1. testatur, illum fuisse virum apprime eruditum, in omni fere scientia. Froissartus vol. 4. cap. 58. virum valde sanctum & vitæ contemplativæ multum addictum. Petrus Abbas Sancti Facundi in depositione sua testatus est, audivisse se Cardinalem Gebennensem dixisse Cardinalibus ante electionem Urbani, multos in sacro Collegio esse capaces summæ dignitatis, & inter hos Cardinalem de Arragonia, *qui est bonus homo & bonæ vitæ, licet satis juvenis.* Ac sane testatur Frater Menendus Episcopus Cordubensis in initio responsionum suarum ad articulos primi electi, cum Cardinales ante ingressum conclavis tractarent, quinam adipisci principem locum possent, & concordes esse non possent, primam postea opinionem & communem vocem fuisse, *quod concordarent in Cardinalem de Luna.* Alvarus Martini ait eundem Cardinalem Gebennensem sibi dixisse in Anagnia circa festum beati Joannis Baptistæ, *quod omnes Cardinales Anagniæ residentes concordabant, quod iste*, id est Urbanus, *non erat Papa, excepto Domino de Aragonia, qui dicebat, quod volebat studere, quia erat nimis conscientiosus. Istud ultimum ego retuli Domino de Aragonia, qui dixit mihi: Domine Alvare, Dominus meus Gebennensis infamat me, & dicit, quod sum nimis conscientiosus. Et certe ego volo videre, & bene videre quid juris; quia vero dico vobis, quod si modo concordarem cum eis, & essem in Avenione, & postea invenirem de jure, quod iste esset verus Papa, ego venirem ad eum etiam nudis pedibus, si alias non possem.* De laudibus ejus vide rursum supra pag. 977. ubi de academia Montispessulani actum est. Constat ergo, Petrum de Luna usque ad ea tempora existimatum esse virum eruditum & bonæ famæ. Contra in Commentario Alfonsi Eremitæ olim Episcopi Giennensis pro defensione partium Urbani VI. apud Odoricum Raynaldum anno 1379. §. 19. ita legitur: *Istudmet consilium ego habui a Domino de Luna, qui est Doctor magnus in scientia, & utinam esset tantus in profunda, humili, & non ambitiosa conscientia!* Sed ultra progressa est andacia. In veteri quippe Codice MS. ecclesiæ Burdegalensis, cujus exemplar inter Schedas viri celeberrimi Andreæ Duchesnil repertum est, atque a Baluzio pag. 481. editus est, ista de eo leguntur in vita Gregorii XI. *Hic*

XI. *Hic conferendo ordines Petro de Luna, cum assumendo in Diaconum Cardinalem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ait, Caveas ne tua luna patiatur eclipsim, cunctis astantibus & audientibus & notantibus hæc, quæ postmodum impleta fuerunt. Audierat enim esse multiplicia diversoria & semitas dicti Petri, sophismatibus verbisque fallacibus imbuti.* Cur ergo, si ista vera sunt, Gregorius illum eo dignitatis splendore ornavit? Assentior itaque Henrico Spondano scribenti an. 1375. §. 8. putare se, auctorem istius historiæ motum potius fuisse ad ea de illo comminiscenda, ex iis, quæ postea contigerunt: quam ut talis tunc appareret, quando Cardinalis creatus est, præsertim cum Theodoricus a Niem, qui eum apud Montempessulanum noverat, illum testetur a Gregorio XI. factum esse Cardinalem, consideratione insignium ejus virtutum & meritorum, ut supra vidimus. Facessant ergo deliria hominum falsi studiosorum, & non bonæ mentis.

Anno 1369. Ecclesia Valentina vacante, magna contentio orta est inter Jacobum de Arragonia Episcopum Dertusanum, & Petrum de Luna Præpositum tunc Valentinum, ut habet Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1367.

Anno 1375. die 20. Novembris Gregorius XI. hunc Petrum fecit Diaconum Cardinalem tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Anno sequenti cum Gregorio Papa Romam profectus est, ubi mansisse eum in domo contigua Ecclesiæ Sancti Apollinaris prope turrim sanguineam, testantur Alfonsus olim Episcopus Giennensis apud Odoricum Raynaldum anno 1379. §. 15. & Theodoricus a Niem Lib. 2. de Schismate cap. 33. Plura Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium a col. 1183. ad 1192. quæ nostro instituto non conveniunt.

Anno 1378. adfuit electioni Roberti Cardinalis Gebennensis in Papam nomine Clementem VII. qui Fundis in Campania, reprobato a Cardinalibus Urbano VI. electus fuit. Clemens autem statim post assumptionem suam, ut auctor vitæ ejus ait, legatos misit ad Reges & Principes, qui rationem eis suæ electionis redderent. Tunc ergo Petrus de Luna ab eo in Hispaniam missus est die ultima mensis Decembris, ut legitur in libro obligationum. Fuisse autem eum anno 1379. apud Barcinonem, testatur Fernandus Petri Decanus Tirosanensis, qui hoc tempore illic cum eo fuerat. Sed statim admissus non est a Regibus Hispaniæ, scire volentibus, quis duorum de papatu contendentium verus Papa esset. Itaque aliquandiu inter eos mansit, tanquam regnicola potius, quam ut Cardinalis & Legatus, ut ait idem scriptor vitæ Clementis. Denique Clemens susceptus est in celeberrimo Medinensi conventu anno 1381. cui idem Petrus nomine Clementis interfuit.

Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ p. 440. ait, illum fuisse in comitatu Ludovici Ducis Andegavensis, cum in Montempessulanum profectus est ad castigandos cives illius urbis, qui gravem seditionem adversus ministros Regis excitaverant. Verum literæ ejusdem Ducis, quæ editæ sunt inter probationes Annalium Tolosanorum, nullam Petri mentionem faciunt, sed tantum Angliæ Episcopi Albanensis. Præterea Petrus de Luna eo tempore in Hispania versabatur.

Anno 1393. Petrus de Luna in Franciam Legatus missus est, ut patet ex prima Clementis VII. vita col. seu p. 532. qui Ambianum veniens, pacem inter Gallos & Anglos acri bello contendentes, stabilire sed incasso conatu voluit.

Anno 1394. Lutetiam a Clemente missus est, non ut schisma propagaret, quemadmodum anno 1394. §. 3. Odericus Raynaldus ait, sed ut ejus partes tueretur inter varias opiniones quærentium modum, quo unitas revocari posset in Ecclesiam. Et Petrus quidem tunc viam cessionis publice asserebat sibi videri omnium meliorem: ut legitur in tractatu edito post electionem ejus in Papam, in Codice 813. Colbertinæ Bibliothecæ, & apud Theodoricum de Niem Lib. 2. *De Schismate* cap. 33. Eodem anno post Clementis VII. mortem Pontifex Romanus Avenione die 28. Septembris electus est, & die XI. Octobris consecratus & coronatus, cujus acta apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium p. 562. 565. 571. Ea tamen conditione electus fuit, juramento etiam dato, ut cederet pontificatu ob pacis & unitatis bonum, si Bonifacius IX. idem præstaret.

De pace intra Ecclesiam revocanda a Christianis Principibus & Episcopis sæpe interpellatus, nullas non tricas nectit, atque astutias commentus est, ut sibi Pontificatum conservaret, aliis fucum faceret. Igitur cum cessioni surdam aurem præberet, a Carolo, Galliæ Rege anno 1398. Avenione obsessus, captus tandem & in custodiam missus est. Anno 1403. carcere elapsus, ad consuetas fallendi artes suas redit, qui cum verbis se semper esse paratum ad deponendum Pontificatum testaretur, eundem tamen retinere omni fallacia & tergiversatione nitebatur. Ita Henricus Warthon in Continuatione *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi, cæteras ejus vitæ periodos paucis describit.

Anno 1409. die V. Junii a Concilio Pisano depositus, in Catalonaim aufugit, atque anno 1408. suorum affeclarum Conciliabulum Perpiniani coegit, & mox Barcinone positus, Pontifices æmulos, eorumque sequaces, ac Patres Pisanos diris devovit, & Concilii Pisani acta abrogavit. Anno 1417. die XXVI. Julii a decreto Concilii Constantiensis, papatu simul ac communione submotus est. Ipse nihilominus ab omnibus desertus, ad extremum usque Spiritum, titulum male usurpatum pertinax retinuit.

Obiit

Obiit Paniscolæ, regni Valentini arce, anno 1423. die XXIII. Maji. Vide Baluzium in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col 1167. 1263. Eruditus erat *Benedictus XIII*, seu *Petrus de Luna*, ut vulgo vocatur, habebat Paniscolæ insignem & locupletam bibliothecam, cujus permulti Codices in Colbertina nunc extant. In Codice porro 2743. bibliothecæ ejusdem habetur primus tomus Catalogi ejus librorum, cui hæc epigraphe apposita est, *Initium inventarii librariæ majoris castri Paniscolæ*. Ita idem Baluzius loco citato col. 1193. & col. 1192. Extat in Codice Hebraico 5452. Colbertinæ bibliothecæ *Disputatio Rabbi Schem Tob Judæi Hispani de Messia & cum Petro de Luna Cardinale Arragonensi*. Oportet autem eam disputationem evenisse per eos annos, quibus ille degebat in Hispania velut regnicola, hoc est circa annum 1379. vel 1380. In MS. Codice Harlæano, qui continet Conventum Medinæ del Campo, *Die Veneris XXIII. Novembris anni MCCCLXXX. Petrus de Luna longam orationem habuit sermone Hispanico, quæ postea in Latinum versa heic integra descripta est. Contendit autem manifestam fuisse violentiam in electione Urbani VI. adeoque illam esse nullam ipso jure. Denique obtestatur Regem, ut justas Clementis partes tueatur.* Ita Baluzius p. seu col. 1285. Idem in discussione MS. Codicis 814. Colbertinæ bibliothecæ, ibidem col. 1294. *Quæstiones disputatæ coram Rege Castellæ, inter Petrum de Luna Legatum & nuntios Apostolicos Clementis VII. ex parte una, & nuntios Bartholomæi Antipapæ anno Domini MCCC LXXXI. de mense Martii. Et incœpta fuit disputatio die Sabbathi XXIII. dicti mensis, in capella Regis in Metina del Campo, diœcesis Salamanticæ, absente Rege, & ejus consilio toto præsente. Responsiones factæ fuerunt per Petrum de Luna, & per Ægidium Sancii.* Ibidem col. 1294. *Allegationes, ut dicitur, Domini Cardinalis de Luna.* Unum forsitan ex his scriptis est, Liber *De potestate Summi Pontificis & Concilii*, qui apud Henricum Warthon in Continuatione *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi dicitur extare manuscriptus in Vaticana bibliotheca. Extant *Epistolæ IV.* Conciliorum Tom. XI. p. 2086. 2113. 2157. 2268. Item Tom. XII. Conciliorum col. 18: 2. *Bulla*, qua Reges & Principes omnes ab obedientia sua recedentes anathematizat, & principatibus seu ditionibus exuendos decernit. *Responsio ad Sigismundum Imperatorem*, apud Bzovium ad annum 1415. num. 19. *Edictum contra Judæos*, ibidem num. 35. *Aliæ plures Epistolæ*, ad Theodoricum a Niem. *Aliæ duæ* apud Baluzium in Collectione actorum veterum ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1132. *Bulla Benedicti Papæ XIII. de indulgentia concessa in Ecclesia Sancti Symphoriani castri*, anni MCCCC III. Col. 1136. *Bulla Benedicti Papæ XIII. de absolutione Raymundi Turenensis*, anni MCCCC VIII. Retulit Stephanus Baluzius acta ejus electionis in Romanum Pontificem post Vitas Paparum Avenionensium col. 561. 565. 571. Idem plurimam illius mentionem facit in Notis ad Vitas istorum Paparum. De ejus instantia ad occupandam Ecclesiam Valentinam col. 1367. De ejus studiis apud Montempessulanum col. 977. De electione ejus ad Cardinalatum a Gregorio XI. anno 1375. die 20. Decembris col. 454. 481. 1182. Quomodo delegatus anno 1379. ad Regem Castellæ col. 490. 503. 519. Delegatus etiam in Franciam anno 1393. in Vita Clementis VII. col. 532. Ejus restituta obedientia col. 1152. & 1158. De cessione Papatus Benedicto XIII. proposita col. 1167. 1163. Denique de subtractione obedientiæ anno 1398. facta ob contumaciam illius col 1150. &c.

ÆGIDIUS DE BELLAMERA, qui etiam *Ægidius Bellameri* dicitur, clarissimus utriusque juris Doctor hac quoque tempestate floruit. 1390 Factus est utriusque juris Doctor a Simone de Broussano, quem solemnissimum utriusque juris professorem vocat idem Ægidius Bellamera dist. 38. cap. 4. *Si in laicis*. Eum citat Ægidius Bellamera in cap. *Examinata* de judiciis, ab eoque se accepisse insignia doctoratus in utroque jure, profitetur in Commentario ad cap. *Si in Laicis*. Illum scripsisse Commentarium in Digestum & in Clementinas, facile colligitur ex Commentariis Bonifacii de Amanatis in Clementinas, ubi frequenter refert opiniones Simonis de Broussano Cardinalis Mediolanensis. Ita Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1135. Ægidius Bellamera erat Romæ præsens anno MCCC LXXVIII. in electione Urbani VI. jam tunc Archidiaconus Andegavensis, & audientiæ literarum contradictarum Domini Papæ auditor, qui testis auditus, de violentia conclavi illata, sic testatus est. *Item quod eadem die circa horam vesperarum præfatus auditor cum aliis intravit quandam capellam palatii Sancti Petri, ubi vidit Bartholomæum prædictum cum pluviali & mitra, vultusque XII. Dominorum Cardinalium, qui eum, ut dicebatur, statim installaverant, diligenter aspexit, viditque eos ultra modum solitum pallidos, pavidos atque tristes.* Idem Baluzius col. 1230. Anno MCCCLXXIX. auditus est Romæ testis in altercatione Urbani VI. & Clementis VII. ob pontificatum a deputatis Joannis Castellæ & Legionis Regis. Idem Baluzius col. 1286. & 1289. Anno MCCC LXXXII. die Sabbathi prima Martii Comes Casortæ Legatus Reginæ Joannæ Ludovicum Ducem Andegavensem sollicitavit, ut accipere vellet titulum Ducis Calabriæ, qui, ut legitur supra pag. 501. primogenitis Regum Siciliæ tribui consuevit. Cum ergo Ægidius Bellamera auditor Contradictarum legisset literas Reginæ, quibus ei dabat hunc titulum, postquam Papa Clemens & Cardinales eum hortati essent, ut acciperet, consensit. Idem Baluzius col. 1297. Factus postmodum Episcopus Vaurensis & Aniciensis, ut notat Baluzius col.

zius col. 958. ubi observat, male a nonnullis confundi Ægidium Ayssclini cum Ægidio Bellamera Episcopo Vaurensi & Aniciensi. Quare emendandus est Catalogus Episcoporum Vaurensium, ubi inter Episcopos illius Ecclesiæ recensetur Ægidius Aiscelin postea Morinensis Cardinalis. Emendandus pariter Catalogus Episcoporum Morinensium, ubi scriptum est, Ægidium Aiscelin fuisse Episcopum Vaurensem. In hunc autem errorem non incidissent Sammarthani, si meminissent, observatum a se esse in Catalogo Episcoporum Avenionensium, Ægidium Bellameram diversum esse ab Ægidio Episcopo Morinensi, Cardinale Tusculano. Anno M CCC XC. factus est Episcopus Avenionensis, ut habet Stephanus Baluzius col. 1311. his verbis. "Legimus autem in Bulla Clementis VII. edita apud Ægidium Bellameram in Commentario ad Decretum Gratiani, eundem Clementem tenuisse Episcopatum Avenionensem ad manus suas anno M CCC XC. die secunda Julii, & initio sequentis mensis Augusti eundem Ægidium factum fuisse Episcopum Avenionensem.„ Illum autem Ægidium Bellameram emendat idem Baluzius col. 684. ubi de Cardinalibus, qui extabant tempore obitus Clementis V. his verbis. "Quippe ex Commentario Ægidii Bellameræ in cap. *Si transitur*, dist. 79. colligi potest, tres tantum Cardinales fuisse apud Carpentoractem, cæteros fuisse in urbe Avenionensi, uno excepto, qui apud Arausicam morabatur. Erratum autem est apud Ægidium, vitio haud dubie librariorum, ubi scriptum est, fuisse in sacro Collegio XXVIII. Cardinales eo tempore, quo Clemens V. mortuus est, erant enim XXIV. tantum. Cum ergo ex Scriptoribus horum temporum constet, XXIII. tantum fuisse ingressos conclave apud Carpentoractem, apparet, absentem eum fuisse, qui erat apud Arausicam. Diverso more Oldoinus numerat tantum XIX. Cardinales viventes, quando Joannes XXII. electus est.

Scripsit Ægidius de Bellamera *Commentarios in Decretum Gratiani*, quos sæpe ut impressos citat allatus Baluzius, licet illos ego non viderim. In Catalogo autem librorum impressorum publicæ Oxoniensis Bibliothecæ, qui Oxonii anno 1674. in fol. impressus est, verbo *Bellamera*, extant in hac bibliotheca impressa sequentia opera Ægidii Bellameræ.

Consilia una cum tractatu super titulo *de foro competenti*, libro sexto *Venetiis* 1579. in folio. S. 8. 6. *juris*. & *Venetiis* 1587. in fol. 4. voluminibus. R. 2. 4. *juris*.

In caput *Seculares* & in cap. *Cum C. laicus* eod. tit. & libro *ibidem*.

Ibidem in Proœmium Clementinarum *Venetiis* R. 2. 5. *juris*.

In Clement. fidei de summa trinitate & fide catholica, *ibidem*.

In Clement. *Abbates* de rescript. *ibidem*.

In Clement. *Judices* de Offic. delegat. *ibidem*.

In Clementinam *Si plures* de præbendis, *ibidem*.

In Clement. *Si una* de rebus Ecclesiæ non alienandis, *ibidem*.

In Clement. *Religiosi* de decimis, *ibidem*.

Item Ægidii Bellameræ, Cassiodori, *Tholosana Decisiones*, editæ Venetiis anno 1620. in folio.

Ejusdem *Decisiones Canonicæ ad Practicam Joannis de Ferrariis*, Norimbergæ 1496. in folio.

De beneficiorum permutatione, *Venetiis* 1584. tomo XV. Tractatuum Juris, part. I. pag. 190. illic S. 2. 21. *Juris Seldeni*. Alia autem ad sequentes vitæ Bellameræ annos pertinentia dabunt Fratres Sammarthani Tomo I. *Galliæ Christianæ*, in Archiepiscopis Avenionensibus.

HENRICUS BOHICK Juris utriusque 1390
Doctor clarissimus, circa annum 1390. floruit, gente Armoricus, ex Diœcesi Leonensi, qui composuit *Commentarios doctissimos in libros V. Decretalium, in Sextum*, & in Clementinas, juxta Possevinum. Hi *Commentarii in libros quinque Decretalium*, MSS. in Bibliotheca Regia Galliarum 3. voluminibus, num. 4798. 4800. 4799. Itemque in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis, qui & impressi variis locis, sed posterior editio istorum *Commentariorum in quinque libros Decretalium*, & emaculatior: prodiit olim Venetiis anno 1580. Idem in eadem Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 4805. *Henrici Bohick Leonensis libri duo Distinctionum super libros Decretalium*, qui incipiunt *Venerabilibus & discretis* &c. in fol. 300. annorum. Idem Opus ibidem Cod. 5721. ejusdem Regiæ Bibliothecæ. Idem *Commentarii in 5. libros Decretalium*, MSS. in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, Codd. 25. 26. 27. Denique *Commentarius Henrici Boick in titulum Clementinæ De vita & honestate Clericorum*, MS. extat in fol. in Bibliotheca sanctæ Trinitatis Vindocinensis, Ordinis divi Benedicti. Mentionem faciunt *Henrici Boickii* Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 322. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* pag. 723.

JACOBUS DE TERAMO, CANONI- 1390
CUS APRUTINUS, in Italia doctus Juris utriusque interpres, ac Paduæ publicus illius professor, Aversanus postea Archidiaconus & Presbyter, floruit circa annum 1390. Composuit *in Sententias Magistri Petri Lombardi Commentarium*, MS. Oxonii in Bibliotheca sanctæ Trinitatis Cod. 26. qui postea anno 1472. Augustæ Vindelicorum apud Joannem Schussler impressus est. Composuit etiam Dialogum, quem prænotavit *Consolationem peccatorum*, MS. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti Cod. 60. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi

nensi Codice 192. ubi Opus anno 1394. compositum dicitur. In Bibliotheca Balliolensi Cod. 141. In Regia pariter Galliarum Bibliotheca, Cod. 5711. in 4. incipientem, *Universis Christi fidelibus atque Orthodoxa* &c. At Cod. 6235. Bibliothecæ ejusdem, inscribitur, *Liber De juridicâ victoriâ Christi contra Sathanam Regem infernorum, & de consolatione peccatorum.* Editus autem est Augustæ Vindelicorum anno 1472. & Argentorati 1484. in folio. Idem in MSS. Codicibus Bodlejanæ bibliothecæ Codd. 775 & 1819. Ejusdem *De remediis conversorum* MS. Libris XII. ibidem in Bodlejana bibliotheca Codice 2668. De illo Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* pag. 386. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Jacobus de Tuamo* pag. 793. Cornelius a Beughem in *Incunabulis typographia* p. 134.

1390 HENRICUS DE LANGENSTEIN, DICTUS DE HASSIA, VORMACIENSIS CANONICUS, ab aliis creditus Ordinis Carthusiani, ab aliis Eremitarum divi Augustini: sed ut ex ejus Epistola colligitur, antea Canonicus Ecclesiæ Vormaciensis, claruit primum in Academia Parisiensi, ubi Lauream Doctoratus promeruit: qui deinde ob decus renovatæ (ut vocant) Universitatis Viennensis in Austria, illuc se contulit, ubi docendo & scribendo innumera quæ MSS. extant, celebris fuit &c. Composuit autem *Commentarium in quatuor libros Sententiarum*, qui asservatur Mediolani in Bibliotheca Augustinianorum Eremitarum Sancti Marci, ut tradit Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* pag. 730. Vivebat anno 1380. cujus mentionem faciunt Johannes Trithemius *De viris illustribus Germaniæ*. Conradus Gesnerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 330. Philippus Eelsius in *Encomiastico Augustiniano*. Mirum autem est, quam incertus sibi, & quam parum constans fuerit Possevinus circa *Henricum de Langenstein seu de Hassia*, quam stupendam de eo farraginem adducat. Illam referre verbotenus hic juvat, ut postea falsum a vero distinguamus, & Opera certa *Henricorū vel Henrici de Hassia* assignemus, post prolixam satis de argumento isto dissertationem. Ita igitur Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* pag. 729.

„Henricus de Hassia junior (dic senior) „Carthusianus & Prior Domus Monachorum „Beatissimæ Virginis Mariæ, Sermonis eleganti, aut scribit Sixtus Senensis, ad illuminandum intellectū & inflammandum affectum satis accommodatus, scripsit *in Magistrum Sententiarum, in Genesim, in Exodum, in Proverbia Salominis, in Apocalipsin Joannis. Dialogum inter Episcopum & Presbyterum. Sermones plures ad populum habitos. Regulas item ad noscendum discrimen inter peccatum mortale & veniale*, quæ unà cum Beati Antonii Florentini „Archiepiscopi Opere *De eruditione Confessariorum*, excusa sunt primo anno 1483. Obiit autem Viennæ quarto Calendas Augusti anno 1317. ubi & sepultus est, ut ait Eisengrenius. At Trithemius & Sixtus Senensis, cum scribunt illum anno 1428. sub Sigismundo Imperatore, claruisse, non cohærent cum Eisengrenio, minus autem cum iis, qui ajunt eum obiisse anno 1397. nisi quædam æquivocatio sit inter seniorem & juniorem. Sane, Georgius Purbachius testatur, eum scripsisse *Theoricas planetarum & alia quædam in Astronomia*. Sed & Libellus olim editus est hoc, prænotatus titulo, *Henrico de Hassia plantatoris Gymnasii Viennensis* in Austria. *Liber contra Disceptationes & contrarias prædicationes, fratrum Mendicantium super Conceptione Sanctæ Mariæ Virginis, & contra maculam sancto, Bernardo mendaciter impositam.* Porro Liber, *De contractibus & de ordine sensuum*, qui Operibus *Gersonis* fuit adjunctus, eidem Henrico adscribitur. Quin & *Explanatio Orationis, Dominicæ, atque Angelicæ salutationis, & Prologi Bibliorum, & Tractatus de habitudine causarum, & de influxu naturæ superioris vel respectu inferiorum:* & alter *De verbo incarnato*, &, alius *De discretione Spirituum* cum huic tribuantur, quæ quidem MS. alicubi in Germania, asservari dicuntur, vereor, quin alterius Henrici de Hassia sint, de quo jam dicturi sumus. Vide item in Verbo, *Henricus de Langenstein. Henricus alter de Hassia*, Ordinis divi Augustini, scripsit *Tractatum De clavibus. Idem de Indulgentiis. Item De potestate Ecclesiæ.* Idem, Possevinus pag. 730. Henricus de Langenstein dictus de Hassia, Germanus, Augustiniani Ordinis, sed uti ex ejus Epistola colligitur, antea Ecclesiæ Vorniaciensis Canonicus, claruit primum in Academia Parisiensi, ubi lauream Doctoratus promovit, deinde ob decus, novæ (ut vocant) Universitatis Viennensis, in Austria, illuc se contulit, ubi docendo &, scribendo celebris fuit. Scripsit autem *in Sententias Libros 4.* qui asservantur Mediolani in Bibliotheca Augustinianorum S. Marci, suntque insignes Commentarii. *In Genesin*, cum Prologo Libros quinque, in quibus tamen non excessit *caput quartum Geneseos*, adeo, abundabat sensibus.„

In Canticum Canticorum ut scribit Sixtus Senensis.„

„*De Antichristo & Schismate* Lib. I.

„*De eruditione Sacerdotum* Lib. I.

„*De contemplatione & anima contemplativa* Lib. 2.„

„*Speculum animæ* Lib. I.

„*De horis Canonicis* Lib. I.

„*Contra Astrologos* Lib. I.

„*De Oratione Dominica & Salutatione Angelica.*

„*In Symbolum Apostolorum* Lib. I.

„*De contemptu Mundi* Lib. I.

„*Contra fratrem Telesphorum* Lib. I.

„*Contra quendam Wicleffitam* Lib. I.

„*Sermones de tempore ac de Sanctis* Lib. 2.

Epistola-

„*Epistolarum ad diversos* Lib. I.

„*Quæstiones variat.* Vivebat anno 1400. juxta Trithemium, quem Possevinus verbotenus excerpsit.

Juvit referre ista etiam importuna, ut videamus, quam insigniter circa *Henricos vel Henricum de Hassia*, Nomenclatores Scriptorum Ecclesiasticorum erraverint, qui ex unico vel saltem duobus, quatuor aut quinque *Henricos de Hassia* fabricarunt. Quo autem jure, *quatuor aut quinque Henrici de Hassia confabricati sint*, quibusque machinis aut instrumentis, jam æqua rationis lance expendamus.

Primus Henricus de Hassia is est, de quo loquitur Guillelmus Eisengrenius in *Catalogo testium veritatis*, ac post illum allatus supra Antonius Possevinus, quem volunt mortuum esse Viennæ apud Austriam anno 1317. quarto Calendas Augusti, ubi & sepultus dicitur. Hic scribitur *Carthusianus & Prior Monachorum Beatissimæ Virginis Mariæ*, quem Possevinus debuit vocare *Henricum de Hassia Seniorem* licet *juniorem* vocet, cujus nullum habet alium authorem, quam Eusengrenium. At sciunt omnes, quam parum diligens & accuratus Eisengrenius fuerit, in designanda ætate Scriptorum suorum, quam levis momenti apud Eruditos sit: unde & deseruerunt Eisengrenium in suo *Henrico de Hassia*, Joannes Trithemius & Sixtus Senensis & Robertus Bellarminus, ut postea dicemus. Factum autem ex dictis Eisengrenii, qui *Henricus de Hassia seniorem* voluit esse mortuum Viennæ in Austria ao. 1317. quarto Calendas Augusti, ut hæc omnia postmodum transtulerint munera in suum *Henricum de Hassia juniorem*, ut postea dicemus. *Primus* igitur *Henricus de Hassia senior*, Carthusianus, & Prior Monachorum Beatissimæ Virginis Mariæ, proles est Guillelmi Eisengrenii, qui eum in Orbem scriptorum Ecclesiasticorum produxit, nec ullus alius. Attribuit huic seniori Possevinus, *Commentarios in 4. Libros Sententiarum*, quos alii adscribunt & melius *Henrico de Hassia* Doctori Parisiensi, qui scribebat ao. circiter 1380. & ultra: alii *Henrico de Hassia Augustiniano Eremitæ*, ut Josephus Pamphilus Signinus Episcopus, In Opere *De Scriptoribus Eremitani Ordinis Augustinianorum*. Attribuit *Commentarios in Genesin, in Exodum, in Proverbia Salomonis, in Apocalypsin Johannis*, de quibus nihil constat. Attribuit *Sermones ad populum varios*, quasi vero Carthusienses Monachi *soleant habere sermones ad populum?* Hoc ridiculum, quamque sit absurdum, judicent docti & graves viri. Attribuit denique *Regulas ad noscendum discrimen inter peccatum mortale & veniale*, quas inter Opera Joannis Gersonis editas habemus, quasque à Gallo scriptore compositas fuisse constet, imo quarum meminit ipse frater Germanus Joannes Gersonius, dum in Epistola recenset Opuscula fratris sui. Hic itaque primus Henricus de Hassia videtur mihi phantasticus, quem cum *juniorem* vocet Eisengrenius, hinc opinarer lubens, esse mendum rhypographicum in Eisengrenio, dum inquit, illum mortuum esse Viennæ ao. 1317. quarto Calendas Augusti: pro quo legendum esset, anno 1397. quo sane tempore defunctus esse potuit *Henricus de Hassia Doctor Parisiensis*, quem ab anno 1380. floruisse scimus, atque tandem vel ad Ordinem Carthusianum, vel Eremitarum divi Augustini transivisse, præsentis seculi ac humanarum rerum pertæsum. Contra-dus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*, edita Tiguri in folio anno 1545. pag. 311. apud Christophorum Froschoverum, vult mortuum esse Henricum de Hassia anno 1397. Viennæ in Austria, atque id ex Præfatione describit quadam in Tabulas Eclipsium super Meridiano Viennensi Georgii Purbachii Mathematici insignis, quem anno 1460. 1470. in eadem Bibliotheca pag. 270. multa scripsisse recenset. Mortuus igitur anno 1397. quarto Kalendas Augusti dicitur.

Alter Henricus de Hassia junior appellatur, Carthusianus item, de quo ita loquitur Sixtus Senensis, *Lib. 4. Bibliothecæ sanctæ* p. 239. Henricus Hassius junior, Carthusianus, Prior domus Monachorum sanctæ Mariæ, in Scripturis sanctis nobiliter eruditus, secularis litteraturæ non ignarus, professione Scholasticus, & sermonis elegantiâ ad illuminandum intellectum & inflammandum affectum satis accommodatus. Scripsit *in Genesim Commentariorum Lib. I. in Exodum Lib. I. in Proverbia Salomonis Lib. I. in Apocalypsin Lib. I.* Claruit sub Sigismundo Imperatore 1428. Quis unquam dubitet, quin hic idem *Henricus de Hassia* depingatur, qui supra depictus est? Cui eidem juniori Opera tribuuntur, quæ superius seniori attributa sunt. Idem Carthusianus, idem Prior Monachorum sanctæ Mariæ, idem Scriptor eorundem in eosdem sacræ Scripturæ Lib. Commentariorum. Hoc uno differunt, quod hic primus juxta Eisengrenium, anno 1307. quarto Calendas Augusti apud Viennam Austriæ mortuus dicatur: hic sub Imperatore Sigismundo anno 1428. claruerit, de cujus Scriptis nihil certius haberi potest, quam alterius seu *senioris Henrici de Hassia.* Quantum autem ad Opusculum *Contra disceptationes & prædicationes contrarias fratrum Mendicantium super conceptione sanctæ Mariæ Virginis, & contra maculam sancto Bernardo mendaciter impositam:* illud absque dubitatione spectat ad *Henricum de Hassia Doctorem Parisiensem*, qui ab anno 1380. ad 1397. floruisse dicitur. Quod composuit occasionem habens altercationum, quas moverant prædicationes Joannis de Montesono, in Urbe Parisiensi, quibus nullus unquam Carthusianus sese immiscuit: & recte, cum Monachi ut taceant & in silentio peccata sua plangant, nati & instituti sint. Tractatus etiam *De contractibus, De Verbo incarnato, De discretione Spirituum*, qui a Possevino eidem attribuuntur, impressi habentur inter Opera Johannis Gersonis, ad quem vere spectant non tantum ex editione prima Operum illius, sed etiam ex testimonio Veterum. Denique Expla-

Explanatio Orationis Dominicæ atque Salutationis Angelicæ, quæ MSS. extant in Bibliotheca Regia Galliarum, spectant ad *Henricum de Hassia Doctorem Parisiensem*, de quo posteà dicemus. Hic autem *secundus Henricus de Hassia* proles est Joannis Trithemii & Sixti Senensis, qui eum eduxerunt, & cui etiam & merito Joannes Trithemius attribuit maximam Operum multitudinem, ea nempe omnia, quæ supra ex Antonio Possevino retulimus.

Tertius Henricus de Hassia, item Carthusianus, parentem suum agnoscit Cardinalem Robertum Bellarminum, in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1380. Hic positus inter malleum & incudem, nescius quid ageret, cernens ex una parte *Henricum quintum de Hassia* Carthusianum & Priorem Monachorum Beatissimæ Mariæ Virginis, juxta Guillelmum Eisengrenium ao. 1307. quarto Calendas Aug. mortuum: itemque alterum ejusdem nominis, cognominis, Monachismi & Prioratus, ab Joanne Trithemio & Sixto Senensi, ad annum 1428. sub Imperatore Sigismundo collocatum: utrumque extremum fugiens, mediam hujus intercapedinis ab anno 1307 ad 1428. periodum eligens, alterum (si tamen alterum) confinxit, quem ad annum 1380. collocat: cui ea omnia attribuit, quæ quisque parens *amborum istorum Henricorum de Hassia*, suæ proli attribuit. Quo jure quibus titulis, non indicat Bellarminus: sed conjicere facillimum, cum id frequenter fiat, ut discordiæ natæ aliquo modo conspiantur.

Quartus Henricus de Langenstein dictus de Hassia, Ordinis Eremitarum divi Augustini, de quo loquitur Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 730. cujus verba supra adduximus. Hic filius est Josephi Pamphili Signini Episcopi, & Ordinis Eremitarum divi Augustini, qui in *Chronico*, quod scripsit *Ordinis fratrum Eremitarum divi Augustini*, a sancti Augustini ortu, usque ad annum 1575. (in quo potissimum homines aut sanctitate aut literis aut dignitate clari breviter exponuntur, quodque anno 1581. Romæ edidit, dum ibi adesset) *Joannem de Langenstein*, Germanum, ex Hassia, Ecclesiæ Wormaciensis Canonicum, Parisiensis Academiæ Doctorem, qui Academiam Viennensem lapsu temporum viris eruditis deficientem, suis laboribus restauravit atque vigiliis: hunc inquam virum, suis Eremitis Augustinianis accensuit, illi ea omnia opera adscribens, quæ præcedentibus attribuuntur. Conferantur illa, quæ supra ex Josepho Pamphilo retulit Antonius Possevinus, certoque videbitur Pamphilus fuisse audacior Sixto Senensi, qui anno 1566. *Bibliothecam Sanctam* scribens, loquutus de *Henrico de Langenstein Hasso*, ne vel syllaba eum Augustinianum Eremitam indigitat, neque ei *omnem illum Scriptorum Catalogum* attribuit, quem audacior Pamphylus illi anno 1581. in Chronico suo Augustinianorum Eremitarum adscribit. Cornelius Dielman ejusdem Ordinis fratrum Eremitarum D. Augustini Monachus, anno 1652. Antwerpiæ edendum curavit in 8. Opusculum *de discretione Spirituum* cap. 15. distinctum hujus *Henrici de Langenstein vel de Hassia*, cui præmisit vitam ejusdem ex diversis collectam, in qua illum diserte & Universitatis Viennensis restauratorem atque ordinis Eremitarum divi Augustini alumnum statuit, quem Henrico de Urimaria itidem Germano & ejusdem instituti adjungit, cujus Opusculum *de quatuor instinctibus* vel *de discretione Spirituum* edidit ibidem, apud Viduam Johannis Knobbari.

Quintus denique & verus & forsitan solus Henricus de Langenstein, dictus de Hassia, natione Teutonicus, Societatis Sorbonicæ, ingenio præstans, abundans & diffusus, adeo, ut difficilius ipsi esset occurrentia animo repellere, quam nova invenire, inquit Trithemius. Docuit pluribus annis in Universitate Parisiensi, & anno quidem 1363. Philosophiam profitebatur, unde ad Theologiam se contulit, cujus anno 1375. licenciatus fuit cum Magistro Gombaldo Prædicatore, Joanne de Aquino Minorita, & aliis. Inclaruit maxime temporibus Schismatis, tum legationibus quas obiit nomine Universitatis, tum Tractatibus quos edidit, illo autem præsertim, quam inscripsit *Historiam pacis*, de quo aliunde loquitur seculum VI. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, ad an. 1379. fol. 575. & ad annum 1392. p. 681. Conjicit Trithemius ex quadam ejus Epistola, fuisse eum Canonicum Ecclesiæ Wormaciensis, tum subjicit: *In Universitate Parisiensi primum claruit, ubi lauream Doctoratus promeruit, deinde pro decore novæ plantationis Universitatis Viennensis illo se contulit, & tum docendo tum scribendo, magnam gloriam suæ eruditionis acquisivit.* Fallitur nihilominus Trithemius dum ait missum illum Viennam *ad decorem novæ plantationis hujus Universitatis*, quem indiscriminatim in hoc puncto omnes sequuti postea sunt. Cum autem teste Middendorpio Libro 3. *Academiarum* pag. 545. Universitas Viennensis a Frederico secundo imperatore an. 1237. fundata sit, auctaque multis privilegiis, qui anno 1400. vel 1428. floruisse scribitur hic *Henricus de Langenstein*, non potuit mitti ad illam tunc temporis plantationem novam. Vel igitur hoc adscriptum *Henrico de Langenstein* falsum omnino est, vel de veneratione ac reformatione aliqua hujus Universitatis hoc intelligendum est, quæ temporum lapsu ab eruditione litterarumque cultu & professione desciverat. In eandem post Trithemium oscitantiam venit Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ* p. 239. ubi sic. "Henricus Langesteinius, Germanus, ex Hassia, Wormaciensis Ecclesiæ Canonicus, Parisiensis Academiæ Doctor, sub Bonifacio Papa IX. anno salutis nostræ 1400. ob" singularem Philosophiæ ac Theologiæ eruditionem, ad illustrandam Viennensem Academiam tunc primum conditam, publico eruditorum omnium favore accitus, tanta in dicendo ac scribendo rerum copia abundavit:" ut more Demosthenis, cogitandum ei fuerit," semper, non quid adderet, sed quid demeret Orationi. Ex qua abundantia effectum est, ut," con-

„conſumptis multis pertingere potuerit. Facturus ſane immenſum opus, & multæ papyro damnoſum, ſi ad finem usque Geneſeos enarrando „perveniſſet. Scripſit igitur Scholaſtico interpretandi genere, *Prologi in Geneſim librum unum. In* „*prima quatuor Geneſeos capita, Libros quatuor. In* „*Canticum Canticorum Librum unum.* Hæc Sixtus Senenſis. Extat ejus in *Geneſim Commentarius* inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Cod. 1667. in MSS. Codd. Latinis Kenelmi Digbæi Cod. 66. num 3. inſcriptus *Henricus de Haſia in Geneſim*, Item ibidem Cod. 931. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi littera E. Cod. 8. *Henrici de Haſſia expoſitio in orationem Dominicam.* Ibid. Cod. 146. in MSS. Codd. ejusdem Guilielmi Laudi litera F. Cod. 109. num. 7 *Henricus de Haſſia de reductione effectuum in ſuas cauſas*, num. 8. *de concatenatione cauſarum, per eundem.*

An hic unquam fuerit Carthuſianus, vel ex Ordine fratrum Eremitarum divi Auguſtini, non video, nec ullum hujus ſuæ profeſſionis argumentum habeo. Joſephus Pamphilus, illum albo Eremitarum ſuorum Auguſtinianorum accenſuit, ſed quibus titulis, id me latet. Forſitan, quod invenerit *Commentarium Henrici de Haſſia in 4. libros Magiſtri Sententiarum*, MS. in bibliotheca Mediolanenſi fratrum Eremitarum divi Auguſtini, inde ominatus eſt, fuiſſe illum Eremitam ſui inſtituti. Sane qui pluribus de illo agit *Henrico de Haſſia*, Cæſar Egaſſius du Boulai Seculo ſexto *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* ad an. 1379. p. 575. & 1392. p. 681. & in *Catalogo illuſtrium Academicorum hujus ſeculi*, p. 961. & 962. nunquam ait illum converſum vel ad Carthuſianos vel ad Eremitas Auguſtinianos ſe contuliſſe: quod tamen non omiſiſſet, ſi vel indicium aliquod hujus rei habuiſſet. Jam ad ſcripta hujus ultimi *Henrici de Haſſiæ* veniamus, non ut vagum quendam Catalogum, pro more Joannis Trithemii & Antonii Poſſevini exhibeamus, ſed ut Sincera, ignota, indubia tamen ejus Opera MSS. Litteratis detegamus.

Scripſit autem *Commentarios in quatuor Libros Magiſtri Sententiarum*, eosque inſignes, qui MSS. extant in Bibliotheca Mediolanenſi Eremitarum Auguſtinianorum, ſancti Marci, teſte Poſſevino tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 730.

Ejusdem *Soliloqvium de conditionibus animæ* impreſſum in Hæreſeologia, Baſileæ in fol. an. 1555. impreſſa, tomo 2. p. 1321.

Porro cum multi fuerint ex Academicis Pariſienſibus, qui ſedentibus Romæ & Avenione Urbano & Clemente Pontificibus, ſcriberent non aliam eſſe breviorem concordiæ pacisque Eccleſiaſticæ viam, quam ſi uterque cederet, & Concilio Generali deciſionem litis permitteret: inter illos excellens *Magiſter Henricus de Haſſia*, pulcherrimum doctiſſimumque tractatum edidit, quem *Epiſtolam pacis* inſcripſit, in quo multa habet ad Regis Caroli VI. & Regni atque Academiæ Pariſienſis laudem immortalem. Inducit autem cœleſtem genium Chriſticolas alloquentem, inſtitutoque Dialogo inter duos Oratores, unum pro *Urbano*, alterum pro *Clemente*, rationes omnes qua fieri poteſt ratione & robore utriusq; deducens, viam tandem concordiæ pacisque ſtabiliendæ aperit. Sic autem incipit, ut legitur in MS. Cod. Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, Littera P. 9. p. 223. *Genius magni Jovis vicarius, vaſta Superiorum culmina regnorum inſolabilis concordiæ nexu tranquillitate conſocians, univerſis Mortalium utriusque ſtatus præſidibus, in regione caliginis ſublunari globo in id ipſum conſtitutis, pacem & rapta unionis fœdera celeriter reparare. Non ſolum de tranquillo noſtræ regionis ſolliciti, gubernaculo, ſed omnium ſubjectarum &c.* Hermannus von der Hardt Cœnobii Mariæ Bergenſis Præpoſitus, & Academiæ Helmſtadienſis Profeſſor edidit an. 1700 Lipſiæ & Francofurti, *Magnum Concilium Conſtantienſe Oecumenicum de univerſali Eccleſiæ Reformatione unione & fide*, ſex tomis collectum, Imperatoris Sigismundi conſilio, annis 1415. 1416. 1417. & 1418. ſub cœlo Germanico celebratum, Imperatoris Leopoldi gratia annis 1696. 1697. 1698. 1699. in Germaniæ ſinuglorioſiſſime reſuſcitatum, Rudolphi Ducis Brunſwicenſium auſpiciis, ex ingenti antiquiſſimorum & fide digniſſimorum MSS. mole, & profundis veteris illius ævi tenebris in majorem gloriam & poſteritatis emolumentum, diligentiſſime erutum ac recenſitum, multisque figuris æneis exornatum. In hujus Operis tomo 2. parte 2. extat *Henrici de Langenſtein de Haſſia Germani Theologi, illo tempore & Viceċancellarii Academiæ Pariſienſis, qui fata Concilii Conſtantienſis vidit & ſuperavit, Conſilium Pacis de unione ac reformatione Eccleſiæ in Concilio univerſali quærenda, Scriptum Pariſiis anno MCCCLXXXI.* Hic Tractatus in XX. capita dividitur, quorum primum deeſt, quia Cod. MS. folium primum lacerum erat, quam ob cauſam nomen authoris non comparet. Hic Henricus de Langenſtein revocatus fuit in Germaniam ab Alberto Auſtriæ Duce ac Viennenſis Univerſitatis fundatore, ut illic Spripturam Sacram publice explicaret atque Univerſitatem doctrina ornaret: non anno 1390. ut hic Hardtius ſcribit, ſed an. 1382. vel 1383 cum an. 1384. ſubſcripſerit ſtatutis inſtitutæ Univerſitatis ejusdem, ut ex ſequentibus patebit. Falſum eſt etiam, quod habetur in titulo Codd. MSS. allato, nempe *Henricum de Langenſtein vidiſſe fata Conſtantienſis Concilii ac supereſſe:* ex infra dictis enim patet illum an. MCCCLXXXXVII. mortuum eſſe, cum Concilium Conſtantienſe an. 1415. inchoatum, an. nonniſi 1418. conſummatum fuerit, ab obitu Henrici de Haſſia, an. XXI. Errat ergo abſurde Cod. MS. quo uſus eſt Hermannus von der Hardt. Idem Opus Henrici de Haſſia, *Conſilium pacis* dictum, etiam editum in editione Operum Jo. Gerſonii noviſſima Tom. 2. p. 809. quæ Amſtelodami apud Ludovicum de Lorme facta eſt an. 1706. quinque Tom. in fol. cura & ſtudio Ludovici Elliæ du Pin Galli, & Doctoris facultatis Pariſienſis celeberrimi, qui nomen ſuum huic editioni, ad petitionem Canonicorum S. Victoris appoſuit: licet omnia fere hujus editionis potiſſima facta ſint ab Canonicis duobus Victorinis, Nicolao Tonnelick & Ludovico de Heronval, qui me rogarant, dum Pariſiis eram, ut ipſis Laborantibus adjungerer.

Ejusdem *Commentarius in Orationem Dominicam*, MS. in Regia Galliarum bibliotheca, Cod. 4107 p. 144. dedicatus Richardo Wormacienſi Epiſcopo. Incipit, *Reverendo in Chriſto Patri ac Domino Richar-*

do Episcopo Wormaciensi, Henricus de Hassia, suum ut sequitur &c. Dicendum Pater noster, *Divina sapientia rebus omnibus decorem congruentem distribuens. &c.*

Ibid. *Commentarius in salutationem Angelicam*, fol. seu p. 185. Ave Maria. *Procul dubio illam S. Matris Ecclesiæ generalem consuetudinem &c,*

Ejusd. *Epistola* ibid. p. 199. *Reverendo Domino ac genere præclaro, Domino Johanni de Eberstein Camerario Moguntino, suus ubique Clericus familiaris Henricus Langenstein, dictus de Hassia, post mundana cælestia, post Marthæ sollicitudinem, Mariæ sororis requiem &c.*

Ibid. fol. 203. *Ejusdem homilia in illud* Lucæ XI. Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. *Beatus venter, in quo incomprehensibilis sese recepit Divinitas &c.*

Sed alia longe plura hujus Scriptoris MSS. Opera, utpote Germani Doctoris atque in Germania mortui, in ipsa Bibliotheca Paulina Lipsiensi, quemadmodum patet ex Catalogo MSS. hujus Bibliothecæ Librorum, impresso Lipsiæ an. 1686. cura & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii, cujus hic tibi seriem, cum indictione paginarum Catalogi impressi, in quibus designantur, dabimus.

Magistri Henrici de Hassia Summa Quæstionum in 4. Libros Magistri Sententiarum, p. 358. num. 51.

Quæstiones 33. Henrici de Hassia de Contractibus, p. 133. num. 45. Item p. 342. num. 19.

Magistri Henrici de Hassia Tractatus de communicantibus, p. 342. num. 19.

Ejusdem de Hassia Expositio super Orationem Dominicam, ibidem.

Ejusd. Expositio Symboli Apostolorum, ibid.

Magistri Henrici de Hassia Tractatus de vita religiosa p. 339. num. 8. Unde argui ab Augustinianis vel Carthusianis posset, ipsum sub vitæ extremum aliquod ex his duobus Institutis amplexum fuisse, contra ea, quæ antea a me allegata sunt. Atque ex hoc tractatu facillime forsan agnosci posset, quodnam ille amplexus est, vitæ institutum.

Catena aurea Henrici de Hassia p. 369. num 6.

Tractatus de infantibus, ibidem.

Liber Magistri Henrici de Hassia de discretione Spirituum, p. 417. num. 67. It. *Magistri Henrici de Hassia Tract. de discretione Spirituum*, ibid. iterum p. 88. num. 50. Editus est, ut supra diximus.

Scriptum Magistri Henrici de Hassia super cap. XI. Zachariæ, de ultimis temporibus præcedentibus Antichristum p. 417. num. 67.

Sermones aliquot Magist. Henr. de Hassia. p. 88. n. 50.

Speculum animæ editum a Magistro Henrico de Hassia, p. 419. num. 67. quod supra diximus esse impressum, atque *Soliloquium animæ* nuncupatum. Hæc plurima hujus Scriptoris MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi.

Nonnulla ejusdem Henrici de Hassia Opuscula Manuscripta extant, in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices Latinos ab arce Ambrasiana in hanc Bibliothecam illatos, nempe Cod. MSS. XXXI. *Sermo Magistri Henrici de Hassia de assumptione B. Mariæ Virginis*, cujus principium *quasi cedrus exaltatatum in Libano* &c, Item *Mag. Henrici de Hassia Tractatus De clavibus Sacerdotalibus*, cujus principium, *Tibi dabo claves regni Cælorum* &c. ut habet Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobon. p. 774. Et Cod. XXXV. *Henrici de Hassia Tractatus de Missa, Expositio decem præceptorum, varii sermones sacri & Tractatus de septem vitiis mortalibus & aliquibus virtutibus eis oppositis*, ut idem Lambecius ibid. p. 775. Ejusd. Henrici de Hassia *Tractatus de Confessione, De nobilitate animæ, De Oratione Dominica, & salutatione Angelica, Epistola invectiva contra Cleri æmulos, de mundi contemptu, animæ speculum, de eruditione Sacerdotum*, MS. in Augustana bibliotheca, ut constat ex Catalogo Lib. MSS. bibliothecæ Aug. p. 42. 46. 49. 56 & 99. quem Antonius Reiserus anno 1675. Augustæ Vindelicorum in 4. edidit. Pauca autem illius edita sunt Opuscula, nimirum *Contra disceptationes & contrarias prædicationes Fratrum Mendicantium super Conceptione Mariæ Virginis, & contra maculam S. Bernardo mendaciter impositam*, Mediolani 1480. *Regulæ ad discernendum mortale peccatum a veniali*, una cum Antonii Opere *de eruditione Confessorum*, Memmingæ prodierunt 1483. *Lib. de Contractibus & ordine sensuum*, habetur in Appendice Operum Gersonis, quæ Coloniæ 1484. in fol. edita fuit. *Secreta Secretorum* edita Daventriæ anno 1501. *Soliloquium de animæ Conditionibus*, extat apud *Orthodoxographos* T. 2. p. 1607. Extant etiam inter MSS. Cdd. chartaceos Basil. Bibliothecæ, *Henrici Langenstein de moribus & vita Canonicorum Regular. De vitio proprietatis personarum Religiosarum*, in f. Ejusd. *de reprehensione eorum, qui dicunt B. Bernard. post mortem apparuisse cum macula*, in f. Ejusd. *de ultimo statu Ecclesiæ & fine mundi*, in fol. Et in MSS. Vltrajectinæ Bibliothecæ, *Henricus de Hassia super Decalogum* N. 254. h. Idem *in Orationem Domin. & ejusd. tractatus alii* N. 244. r. Idem *de speculo animæ & de modo celebrandi* N. 253. q. Idem *de Monachis proprietariis* N. 245. x. ex Catalogo impresso 1670. in fol. P. I. p. 95. lit. H. Nullus autem qui certiora prodat de Henrico Langenstein de Hassia, quam dictus Lambecius l. c. Nam adfuit & subscripsit Statutis universitatis Viennensis, seu quæ ad ejus amplificationem atque renovationem facta sint plurima, ab a0. 1384. ad 1389. die prima mensis April. quæ habentur T. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis a p. 88. ad 238. in quibus nomen ejus frequenter expressum est, tam in prœmio quam subscriptionibus. Cum igitur, ut supra memoratum est, sub Duce Austriæ Alberto 3. Academia Vindobonensis seu Viennensis anno 1384. Theologica facultate aucta, & partim eodem anno, partim ao. 1389. confirmatio Privilegiorum ac Statutorum plene & perfecte stabilita esset: tum primum ibi reverâ *Studium generale* esse cæpit, ideoque haud mirum est, fundationem ejus jam memorato Duci Abbati 3. cognomento *cum Trica*, attribui potius, quam ejus fratri natu majori, Duci Rudolpho IV. ab ejusd. & sequentis ævi scriptoribus. Fuit igitur potissimum universitatis hujus amplificatæ ornamentum Henricus Langenstein de Hassia, qui p. 125. sub initium Statutorum facultatis Theologiæ Viennensis, in Prœmio designatur & denominatur. Tum ad marginem ita commentatur Lambecius, hujus Henrici de Hassia varii extant

„tant in Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindo-„bonensi Tractatus Theologici MS. aliaque varia „Opuscula Manuscripta, quorum uni quod MS. „Codici Juridico Latino centesimo secundo inser-„tum est, hæc de tempore mortis ipsius subscripta „leguntur. *Explicit Epist. de contractibus emptionis „& venditionis ad Consules Viennenses edita a Venera-„bili Viro Magistro Henrico de Hassia, sacræ Theologiæ „Professore egregio, qui felicis recordationis anno 1397. „undecimâ die mensis Febr. diem suum clausit extre-„mum, scripta per Petrum Lewin ejus familiarem. O-„rate pro eo Christi fideles. Sequitur deinde hoc Epita-„phium.*

Mortales cuncti, moveat vel tumba sepulti
Hassonis Henrici, vermibus expositi.
Mors est a tergo, sapiens homo se paret ergo.

Confirmatur ætas Henrici de Hassia a nobis desi-gnata, ex Dialogo, quem tunc composuit *de Schi-smate inter Vrbanum VI. & Clementem VII.* de Ro-mano pontificatu contendentes, in quo Clementi-nus & Vrbanista colloquuntur, quod anno 1378. contigit. Ut ergo refert Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium col. 1236. juxta Henri-cum de Hassia in c. 66. & 97. sic Vrbanista loqui-„tur. Non fuit legitime declaratum coram judice, „ad quem pertinebat, primo electum non esse Pa-„pam, antequam procederetur ad electionem se-„cundam. Quare electio secunda invalida videtur „quia nec illi 4. Cardinales, scilicet Vivariensis Pi-„ctaviensis, & S. Angeli, & S. Eustachii, qui primo „a collegio Cardinalium existentium in Anagnia „fuerunt deputati, ut discernerent si electio es-„set valida, & ulterius si invalida, an potuerit ex „post factis convalescere & validari, habebant „in hoc potestatem. Nec Camerarii Papæ, cujus au-„ctoritate fuit consequenter determinatum, de-„claratum, sententiatum, primum non esse Papam. „nec ritè electum, jurisdictio & potestas ad hoc se „extendit, quia nec ex antiquo nec ex novo juri-„bus haberi videtur, quos Cardinales vel Camera-„rius Papa habeat potestatem discernendi in Casu „discordiæ inter Cardinales de electione, & minus „in casu, in quo electio alicujus per Cardinales con-„corditer in Papam consecrati, post longum tem-„pus in dubium revocaretur. Sed habet solum po-„testatem eos includendi & tenendi in conclave, „etiam in pane & aqua, donec concordaverint. *Ad „quæ ita Clementinus respondet.* Camerarius habet „ex suo officio procedere contra detentores, vio-„lentos occupatores, & usurpatores bonorum Ec-„clesiæ. Et in proposito casu in multis quæ appar-„erunt, habuit vehementem suspicionem, quod „Archiepiscopus Barensis erat injustus detentor, „& occupator bonorum Ecclesiæ, & accusabatur „sibi super hoc. Quare de suo officio ordinario po-„tuit eum citare coram se de hoc responsurum, si-„cut & fecit, vel saltem facere potuit. Et quia Ar-„chiepiscopus citatus legitime contempsit veni-„re, examinare potuit testes, super accusatione & „suspicione. Etsi inventi sunt testes legitimi, non „repulsibiles, secundum formam juris deponen-„tes, sententiare potuit eum injustum detentorem „Ecclesiæ. Ad quam conclusionem legitimo pro-„cessu judiciali conclusam, sequitur Archiepisco-pum Barensem non esse Papam. Igitur publicata, „sententia prædicta Camerarii, sufficienter est vel, „esset declaratum, & esse deberet omnibus, illum, „non esse Papam: esto etiam quod Camerarius in, „casu discordiæ factæ in electione, ex officio non, „haberet potestatem de directo & formaliter, ju-, „dicandi & discernendi, hunc vel illum esse vel non esse Papam. Extat Dialogus MS. in Cod. 843. S. Vi-ctoris Parisiensis, & in Cod. 811. bibliothecæ Col-bertinæ. Idem repetit Baluzius in Notis iisdem ad Vitas Paparum Avenionensium col. seu p. 1305. Scribebat igitur de *Schismate* Henricus de Hassia, tempore Vrbani VI. & Clementis VII. de Papatu contendentium, ideoque multis annis anterior fu-it quam Concilium Constantiense, cui nunquam adfuit, annis multis mortuus, antequam illud con-vocaretur.

De illo omnes, de quibus supra, nempe Joannes Trithemius, Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliothecæ San-ctæ* p. 239. Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo I. p. 730. Seculum Sextum *Historiæ Universi-tatis Parisiensis,* locis citatis.

RAYMUNDUS CAPUANUS cognomento *de* 1390 *Vineis,* natione Italus, seculo nuntium in patria sua remittens, ibidem ordinem fratrum Prædica-torum ingressus est. Vir fuit sanctitate celebris & doctrinæ nomine conspicuus, qui potissimas adhi-buit curas audiendis in confessione atque quoad mores informandis & dirigendis filiabus devotis Virginibus, & sanctimonialibus inclusis. Vult Am-brosius Altamuranus prodigorum promptus in-ventor, hunc a Deipara sanctæ Catharinæ Senensi a Sacris (ut vocant) confessionibus designatum, quod tamen non probat. Qui Senis grassante anno 1373. eadem laborantibus, charitate maxima in-servivit. Ob singularem ipsius prudentiam, clara-que celsissima virtutis testimonia, ab Urbano VI. pœnitentiarius Apostolicus institutus est, qua po-tissimum in arte audiendi confessiones mulierum ac virorum, plurimam sibi devoti hominis famam comparavit. A. 1380. tempore quo Schismate hor-rendo Ecclesia Dei affligebatur a provinciis quæ vero Pontifici Urbano VI. parebant in ordine fra-trum Prædicatorum, Magister Generalis totius or-dinis in Capitulo Bononiensi XXII. electus est. Quo munere annis decem & novem, multum pro unione & reformatione totius religionis laborans, laudabiliter perfunctus est. Idem ad Italiæ Princi-pes, Januenses, Florentinos, ad Carolum V. Gal-liæ Regem, ad Imperatorem, ad Petrum Arragoniæ Regem ad Ludovicum Ducem Andegavensem, ad Galeaticum & Barnabam Vicecomites, ad Petrum & Augelum Cardinales an. 1378. legatus & nun-tius Apostolicus mittitur, illos in obedientia erga summum Ecclesiæ Pontificem Romanum consta-biliturus, quod & fideliter præstitit. Episcopatus ille plures, ac Cardinalitiam purpuram ab Urbano VI. & Bonifacio IX. sibi oblatam constantissime vir iste humillimus recusavit. Urbanus VI. de illo frequentissime loquutus, in quibusdam Brevibus Apostolicis atque Epistolis, ipsum temere appellat *suum caput, oculos, os, linguam, manus ac suos pedes.* Præterea eidem commendans Ecclesiam & se i-psum, omnes hortatur, Imperatores, Reges, Car-dinales,

Cardinales, Principes atque reliquos, ut Raymundum revereantur. Inter multa, quibus occupatus fuit, maxima negotia transmisit posteritati opera aliqua Historica ac Spiritualia, nempe prolixam omnino *Vitam sanctæ Catharinæ Senensis*, quæ a. 1380 die 29. Aprilis obiit, cujus compendium habes apud Laurentium Surium tom. 2. ad diem mensis Aprilis præfatam. Quam retulerunt integram Bollandistæ Antwerpienses, T. 3. nonis Aprilis ad diem 29. It. retulit in litteras *Vitam Beatæ Agnetis de Monte Politiano*, ut testis est Andreas Pisanus in *Epitome* ad Vitam hujus Agnetis, quam ex Italica lingua latinam fecit. Composuit etiam ea omnia opera, quæ sub nomine *Sanctæ Catharinæ Senensis* excurrunt, cujus per plurimos annos Confessarius fuit. Nimirum *divinam doctrinam dabamus per personam Urbani Patris intellectui loquentis*, quæ Coloniæ in fol. 1553. prodiit, in plures Tractatus & Orationes divisam, quam latine vertisse dicitur, sed juxta meam sententiam composuit, ut etiam sentit Henricus Warthonus in Continuatione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi ad an. 1367. p. 60. Idem dicendum ratione *Dialogi de providentia Dei*, sex tractatibus comprehensi: idem *de Oratione in Annuntiationem Deiparæ atque aliis pluribus*, a Raymundo de Vineis Capuano, ejusdem Confessario, ex Italico in latinum sermonem conversis, quæ prodierunt an. 1583. Ingolstadii in fol. cum vita ejusdem Catharinæ. Nec enim isti Tractatus olent Virgunculam, qualis Catharina fuit Senensis, an. ætatis 33. mortua, sed consummatum Theologum Mysticum, qualis fuit Raymundus Capuanus, qui Opuscula sua sub nomine discipulæ hujus evulgare affectavit. Idem quoque sentiendum de *Epistolis 364.* gravibus & pietate plenis, ad varios Pontifices, Cardinales, Reges, Principes &c. Lingua vernacula conscriptis, quæ prodierunt Italice Venetiis a. 1506. in fol. & Gallice Parisiis a. 1664. in 4. quas omnes vel plurimas scripsisse Raymundum nullus dubitabit, qui attente consideravit, quanto zelo ad extinctionem Schismatis & fovendas Urbani VI. partes laboraverit, quantoque imperio Virginibus devotis ac Monialibus dominentur & imperitent, Patres directores. Clarus (ut dicitur) miraculis, ab hoc seculo migravit Norimbergæ in Germania, an. 1399. die 5. Octobr. cujus corpus Neapolim in Ecclesiam sancti Dominici sui Ordinis translatum fuit. Hæc nos potissimum ex Ambrosio Altamura, in *Bibliotheca Dominicana* ad an. 1399. p. 145. ubi ait, quoque scriptas esse ab ipso *Epistolas exhortatorias ad diversos doctos & devotos*: quas illas esse censeo, quæ sub nomine sanctæ Catharinæ Senensis passim habentur. Ejus meminerunt Antonius Senensis Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*. Ferdinandus Castillus in *Historia Ordinis Prædicatorum* Centur. 2. Lib. 2. cap. 62. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 3. p. 539. ultimæ editionis.

1390 HENRICUS DE HOITA, OYTA vel OITHA natione Germanus, atque ex Ordine fratrum de Monte Carmelo, ab ao. 1370. & sequentibus floruit, in Academia Vienn. Professor in Theologia institutus est sub Academiæ hujus initium nascentis, Henrico de Hassia æqualis & collega in Theol. studiis, qui ad annum 1390 vel 1400. hanc Academiam ornasse videtur. Nam uterque Henricus de Oitha atque Henricus de Hassia majoribus quorumlibet facultatum legibus, quæ habentur T. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 5. a p. 125. ad 232. ao. 1388. velut S. Theol. Professores in hac Academia subscripserunt p. citata 232. Unum hominem in duos distinxit Antonius Possevinus, quem alii sequuti sunt. In Catalogo MSS. Codd. Bibliothecæ Paulinæ Lips. quem edidit Joachimus Fellerus hujus Academiæ Bibliothecarius ao. 1686. Lipsiæ in 16. inter MSS. Cdd. facultatis Philosophicæ, qui in posteriori Bibliothecæ Paulin. P. I. una cum impressis repositi sunt, extant juxta Catalogum cit. p. 361. inter MSS. Codd. facultatis Philosoph. Cod. 67. N. 2. *Henrici de Oitha Posteriorum, Elenchorum, veteris artis, Physicorum, de Cœlo, de generatione & corruptione, de Meteoris, de Anima, Oeconomicorum, Politicorum & Ethicorum Aristotelis.* Ibid. in Requisitorii IIdi Serie I. & II. in fol. p. 342. Catalogi, Cod. 18. N. 3. *Magistri Henrici de Oitha tractatus de contractibus*, qui tractatus inter Joannis Gersonis Opera sæpius impressus, Parisiis quoque ao. 1506. in 4. seorsim prodiit. Id. *Articulos quosdam contra Magistrum nomine Albertum, seu propositiones conscripsit*, & quas curiæ Romanæ placitis parum arridentes, vix notam hæreseos evitare potuit, quamvis a Joanne Gersone magno Academiæ Parisiensis Cancellario multum laudetur. Has *propositiones & earum explicationes* habuit Matthias Flacius Illyricus, quarum excerpta nonnulla exhibet in *Catalogo testium veritatis*, editionis ultimæ Lib. 18. columna 1800. Scripsit quoque ex fide Trithemii & Pantaleonis, *super 4. Lib. sententiarum sermones de omnibus Sanctis, de conceptione, nativitate, de purificatione, de annunciatione B. Virginis.* Vivebat ao. 1390. quo anno mortuus legatur, nescio. Mentionem faciunt Henrici de Oitha Antonius Possevinus T. I. *Apparatus sacri* verbo *Henricus Eucta*, aliis Oita, p. m. 697. & verbo *Henricus Oyta* p. 731. Petrus Pamberius lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis c. 5. p. 232. qua legibus Academiæ subscribit cum Henrico de Hassia ao. 1388. Unde patet, quam enormiter erraverit Henricus Wharton P. I. *Appendicis* ad historiam literariam Guillelmi Cavi p. 96. dum Henricum de Hassia claruisse ao. 1418. asserit, qui ao. 1397. mortuus erat.

JOANNES MORELLUS Canonicus regularis 1390
S. Dionysii Remensis, Ordinis D. Augustini, vir multæ pietatis ac regularis observantiæ laude inclytus, hoc etiam tempore claruit inter Gallos. Incumbebat dirigendis devotarum mulierum animabus, ad pietatem singularius adspirantibus. Conscripsit *vitam S. Erminæ Viduæ* Gallico idiomate, & quæcunque ipsi evenerant, prout ea sibi de die in diem narraverat, & de eo scripta judicium postulavit Joannis Gersonii, aliorumque Theol. Parisiensium. Extat *Vita* hujus mulieris Gallice in MS. Cod. Victorino 284. multas continens visiones & apparitiones, tum Sathanæ, tum Angelorum factas huic mulieri, a vigilia Festi omnium Sanct. an. 1395. ad diem Festum S. Ludovici sequentis anni, quo ex hac vita pie decessit. Degebat autem illa Remis,

quo

quo ex agro Veromanduorum cum marito Reinaldo commigrarat ao. 1380. Eoque paulo post anno ætatis 72. defuncto, ipsa annum agens 46 vidua remanserat, totamque se pietatis officiis tradiderat, carnem jejuniis, cilicio, aliisque piis exercitationibus macerans, & orationi jugiter incumbens, sub directione Joannis Morelli Canonici regularis S. Dionisii Remensis, qui vitam illius scriptis mandavit. Extat judicium Joannis Gersonii de hoc Opusculo, inter Opera Joannis Gersonii T. I. p. seu col. 83. ex MS. Codd. Victorinis 694 & 284. editio Amstelodamensis, quæ ao. 1706. facta est V. T. in fol. apud Ludovicum de Lorme & Socios, quamvis Antwerpiæ sumptibus societatis facta scribatur.

1390 JOANNES DE VARENNIS, natione Gallus, in provincia Remensi natus est in eo pago, qui Varenne dicitur, unde cognomentum habuit, pro more hujus seculi. Enutritus in Academia Parisiensi, cujus & Baccalaureus & Doctor factus est, Auditor S. Palatii & Papæ Capellanus institutus, a quo ampla potestate prædicandi verbum Dei accepta, postquam Parisiis legatione functus est, ad Ecclesiam S. Læti in monte Remensi se contulit, cujus & regimen obtinuit. Ibi magno fervore prædicavit, ac vitia Archiepiscopi Remensis & Clericorum acriter, & sane imprudenter insectatus est. Hinc ab Archiepiscopo & Præfecto Veromandensi in eum inquisitum, qui ad regem seditionis delatus, captus & carceri mancipatus est in Monasterio S. Mauri. Etsi vero in Archiepiscopum Remensem *Guidonem de Roya* vehementius excandescat, cumque tyrannidis ac variorum criminum accuset, non omnino id sine causa fecisse videtur. Vix enim credi potest, hominem, qui tres subinde Episcopatus, Veronensem, Dolensem, & Carnotensem, ac tres postea Archiepiscopatus, Senonensem, Turonensem & Remensem obtinuit, ab ambitionis & avaritiæ labe immunem fuisse. Periit autem Gen. ao. 1409. ille Archiepiscopus, in seditione populari, quam hujus servus excitaverat, in qua jaculo confossus est. Fuit autem Benedicti XIII. qui ao. 1364. die 28. Sept. electus est, partibus addictissimus ille Archiepiscopus: atque hinc forte ortæ rixæ inter eum & *Joannem de Varennis*, qui Benedicto cessionem consulebat. Sammarthani ajunt, eum ao. 1399. ad Remensem Ecclesiam promotum, sed ex ea Joannis Varennii, quæ publici fit juris *Apologia*, ante an. 1396. eum Remensem Ecclesiam rexisse palam est. Extant *Joannis de Varennis, Pastoris S. Leti, in Diœcesi Remensi responsiones ad Capitula excusationum, quibus impetebatur, scriptæ in carcere, ao. 1396.* Ex MS. Cod. Victorino 463 in *Appendice Operum Joannis Gersonii*, T. I. p. seu col. 905. ad finem Tomi, editionis ult. quæ ao. 1706. facta est Amstelodami V. t. in fol. apud Ludovicum de Lorme & Socios, cura & studio Celeberrimi viri Ludovici Ellies du Pin, Doctoris Theologi S. facultatis Parisiensis, & Philosophiæ Professoris regii. Et in *Appendice* ad Tomum II.

Joannis de Varennis Doctoris Parisiensis, & Pastoris S. Leti Epist. quadam ad B. Papam XIII. De tollendo Schismate. Annis 1394 & 1395. nunc primum ex MSS. Codd. Victorinis p. 463 & 842. editæ p. 841.

Responsio Papæ ad præfatas Epistolas. 843

Alia Responsio Papæ 855

Via pro pace Ecclesiæ 856

Alia Epist. ejusd. Joannis de Varennis, ad eundem Papam 859

Epistola ejusdem ad S. R. E. Cardinales. 860

Hæc de Opusculis hujus Theologi Parisiensis, ex MSS. Victorinis in lucem produxit præfatus Du Pin, in editione citata.

JOSEPHUS SACERDOS ÆGYPTIUS, hoc 1390 ao. 1390. clarus fuit, qui Arabicam Canonum Collectionem composuit, in Bodlejana jam bibliotheca extantem MS. Quisnam primo iste Joseph fuerit & quando scripserit, ex Præfatione Guilielmus Beveregius ostendit in *Prolegomenis ad Pandectas Canonum Apostolicorum & aliorum Conciliorum ab Ecclesia græca receptorum* quæ Græce & Latine 2. in fol. Voll. ao. 1672. Oxonii editæ sunt. Igitur in *Prolegomenis Pandectarum* paragr. seu c. 31. 32. & 33. de hoc Josepho latissime disserit. Ex ejus ita præfatione in 4. prima œcumenica Concilia Paraphraseos Arabicæ, quam latine factam Beveregius ad calcem T. I. *Pandectarum* subjunxit, quamque integram refert, apertissime conficitur, qua ætate Josephus sacerdos Ægyptiacus *Arabicorum* Canonum collector & paraphrastes vixerit, quæ certissimis temporum characterismis hic definitur. Se enim Presbyterum ordinatum dicit ao. mundi 6906 hoc est Christi 1398. Antea autem constitutus fuerat πρῶτος ejusd. Ecclesiæ, quemadmodum & Balsamon πρῶτος τῶν βλαχερνῶν fuerat. Josephus autem se in hoc officio ao. mundi conditi 6899. constitutum asserit, i. e. ao. Christi 1391. qui tamen juxta hunc atque alios nonnullos Arabicos pariter ac Græcos scriptores, a Kal. Sept. anni præcedentis sive 1390. computandus est, non autem Romanorum more a Kal. Jan. Hic itaque Josephus sacerdos Ægyptiacus, Canones propemodum omnes ab ecclesia græca receptos, Arabico idiomate παραφραστικῶς interpretatus est, idque in magno satis vol. MS. quod ex Oriente allatum, in bibliotheca Bodlejana repositum habetur. Ex illo Beveregius 4. *prima Concilia œcumenica* selegit, Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum & Chalcedonense, quæ solo a Justiniano confirmata sunt. Quidquid Josephus de iis ex Arabum & Ægyptiorum sententia dicit, hoc Opere divulgatum: nisi quod is præter viginti istos Synodi Nicænæ Canones, quos solos Ecclesia Græca semper agnovit, alios nescio, quos alio in loco eidem Concilio adscribat, de quibus in Annotationibus a Beveregio disputatur. Hic interim observes, Concilium Chalcedonense & Canones ab eo sancitos, in isthoc libro comprehendi; unde perspicuum redditur, Ægyptios secus atque Æthiopes sive Abissinos, istud etiam Concilium admisisse: licet communis ipsorum Patriarcha Dioscorus, injuste, ut iis visum est, ab eo condemnatus fuit. Cum hic autem Josephus vixerit iis temporibus, quibus literæ in Ægypto incultæ jacuerunt, & doctrina rara admodum inventa esset, etiamsi is doctissimus suis fortasse visus fuerit: quæ tamen scripsit, nobis Europæis feliciori solo & doctiori prognatis ætate, non minus quam alia nonnulla Arabica scripta, jejuna videntur. Præcipue cum sensus nonnunquam perturbatus sit, & vix sibi cohærens, eadem subinde bis terve repetantur.

tantur, Canones ad alienum aliquando detorqueantur sensum, & nihil subtilitatis, eloquentiæ parum ullibi appareat. Quoniam autem hæc ipsa *Paraphrasis sive Collectio Canonum*, a doctissimis viris laudata & multis avide expetita fuerit, tanquam si veteris Ecclesiæ legibus multum lucis allatura esset: ne quid celare aut dissimulare Beveregius videretur, quod divinis hisce studiis profuturum hucusque creditum est, hanc saltem *Paraphraseos* istius partem, qualis qualis est, publicare visum est, ex qua rectius de tota judicium feratur. Nec sane nulli inserviet usui. Primo enim receptus in Ægypto Canonum ejusque Concilii numerus ex ea innotescet. Ubi etiam de vera alicujus Canonis lectione ambigitur, quomodo is in Codice Græco, ex quo hæc *Paraphrasis* translata est, lectus fuit, ex eadem conjicietur. Nonnulli etiam Ecclesiæ Alexandrinæ ritus, una cum doctrina, nimis antea nobis incomperti, ex eadem eliciuntur, utpote juxta quos Canones sæpe interpretatur. Ex hac etiam *Paraphrasi* videre est, quo sensu Decreta istarum 4. universalium Synodorum, ab eadem Ecclesia istis saltem diebus intellecta sint. Quanto denique simplicior atque illiteratior hæc *Paraphrasis* videtur, tanto clarius ex ea illucescit, quæ fides octoginta istis Arabicis Canonibus Synodo Nicænæ adscriptis adhibenda sit, qui ex Ægypto primum allati sunt, qua omnis eruditio multis antea annis expulsa fuit: adeo, ut ipsi etiam Sacerdotes ut plurimum ignorarent, quid sincerum quidve adulterinum esset: ex quibus propterea non mirum est, quod Canones isti fictitii pro genuinis Synodo Nicænæ decretis subdole obtrusi fuerint. His itaque perpensis, candidos lectores æquiori erga hanc *Paraphraseos* istius editionem animo futuros, Beveregius sperat. Quod idem & erga latinam suam versionem ab iis implorat. Hæc verbotenus Guilielmus Beveregius in *Prolegomenis* ad Pandectas Canonum SS. Apostolorum & Conciliorum ab Ecclesia Græca receptorum, nec non Canonicarum SS. Patrum Epistolarum Cap, seu parag. 31. 32. 33 ad quos lectores plurium avidos mittimus.

1390. „HERMANNUS DE PETRA seu PETRI, „Ordinis Carthusianorum, Stutdorpæus, vir „in divinis scripturis probe admodum versatus, ac „vitæ integritate celebris, quippe qui Carthusiæ „Brugensis Monialibus per annos triginta quatu-„or vel circiter magna cum laude præfuit. Qua-„rum spirituali profectui, ut plus adjumenti affer-„ret, scripsit *de regimine Monialium Lib. I. Item Su-„per Oratione Dominica Sermones L.* qui quidem re-„periuntur impressi Lovanii per Joan. de Westphalia ao. 1484. in fol. quin & extant MSS. Lova-„nii apud Martinianos. *Sermones de tempore & de „Sanctis Lib. VI. De immaculata conceptione Beatissi-„mæ semper Virginis Mariæ*, aliaque complura. Cu-„jus quidem viri meminerunt Bostius, Trithemius, „Eisengrenius, Possevinus, Sutor, & Sixtus Senen-„sis. Obiit anno MCCCCXXVIII.„ Ita Theodorus Petrejus Carthusianus Coloniensis in *Bibliotheca Carthusiana* verbo *Hermannus de Petra* p. 143. Cui addo, *Sermones illos quinquaginta in Orationem Dominicam* esse impressos circa annum 1470. in 8. sine nomine loci & typographi, ad quorum calcem hæc leguntur, contra Theodori Petreji chronologiam. *Finit compendiosa quidem, sed utilis Sermonum quinquaginta super Orationem Dominicam compilatio, correctionis lima ab omni rubiginis nævo quam diligentissime purgata, pressoriaque laudatissima ac utilissima artis fructuosa inventione accuratissime elaborata, devotissimi præclarissimique Viri ac Domini, Domini Hermanni cognomento de Petra de Stutdorph oriundi, divinissimi Carthusiani Ordinis Monasterii circa muros Trevericos professoris. Qui ex suorum ordinatione superiorum, ac mandato Prælatorum Ordinis antedicti, Sanctimonialibus sanctæ Annæ Cænobii juxta oppidum Brugense in Flandria est missus Vicarius: quas ubi quatuor supra triginta laudabiliter rexisset annos, felix ejus anima corporea ibidem mole relicta, conscendit ad polorum alta, circa annos post Christi natale mille quadringentos duodecim. Edidit præterea idem venerabilis Pater*, sex voluminum de Dominicis atque Sanctis per anni circulum emergentibus sermonum laudabile opus, *ad sermocinandi ministerium vocatis, optabile cunctis. Item* De Religiosarum mulierum regimine *conscripsit Librum, quorum omnium avidos, præsentium inspectio sermonum, est effectura Lectores.* Claruit itaque juxta veterem hanc editionem ab anno 1380. & ultra, non a. 1428. ut vult Petrejus, sed ao. 1412. mortuus vel circiter, ut editio Sermonum vetusta docet. Abundat in his Sermonibus *Hermannus* multis exemplis, pro more istorum temporum, & pro simplicitate boni Monialium patris: quorum incerta plurima, quorumq; vel unius veritatem spondere nollem.

NICOLAUS DE MARCHONO, natione Italus, de civitate Caleni, professione *Notarius*, zelo Christi, sanctorumque Palæstinæ locorum venerandorum accensus, ao. 1394. Christianam ad partes seu regiones istas peregrinationem aggressus est, quam ipse rudi satis calamo descripsit, attentus potissimum Ecclesiis, quas curiose inspexerat, aliisque monumentis Ecclesiasticis depingendis. Itinerarium istud habetur MS. in Regia Galliarum bibliotheca, Cod. 5785. p. 67. sic incipiens, *Anno Domini 1394. die 17. mensis Junii anni secundæ Indictionis in vigilia sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi, ego Notarius Nicolaus de Marchono, de civitate Caleni, volens & cupiens sepulchrum Domini nostri Jesu Christi, & alia loca ultramarina visitare, una cum nobilibus viris Autonatio de Asello de civitate Suissa, & Cobello de civitate Theau, & multis aliis peregrinis, intravimus navim Melli Maltacia de civitate Gajetæ, qui cum quatuor aliis navibus facientibus conservam, accesserunt ad civitatem Alexandriæ, versus sanctam civitatem Hierusalem.* Incipit autem narratio. *Die Jovis Corporis Domini nostri Jesu Christi fuit tempestas maxima diversorum ventorum* &c. Sic autem finit, *Rescriptum & copiatum fuit hoc Opus Balnea Roccæ-Montis par manus Sicci Grossi de Babsoran, de mandato magnifici Domini Rogerii de Calano, ibi sistentis, de mense Martii, quintæ Indictionis, anno Domini 1397. regnante Serenissimo Principe & Domino, Domino nostro Ladislao Hungariæ, Jerusalem & Siciliæ Rege. Amen.* Hujus authoris nullus meminit, quem saltem hucusqueviderim. 1390

ROGERUS DINMOCK, natione Aglus, Doctor Theologus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum 1390

torum, claruit anno circiter 1390. & seqq. qui se murum opposuit Lollardis in Anglia regnantibus ac fulgentibus, contra quos scripsit *Opus distinctum Libris 12. adversus XII. hæreses Lollardorum*, quod MS. extat in Bibliotheca publica Cantabrigiensi, Cod. 213. Idem dicitur scripsisse *Quæstiones ordinarias Lib. 1.* De illo plura mihi rescire datum non est, cujus tamen mentionem faciunt Joannes Balæus & Pitseus *de Scriptoribus Angliæ*. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 735. Thomas Jamesius in *Ecloga OxonioCantabrigiæ*, in Catalogo Theologorum, quos recensuit.

1390 PHILIPPUS DE VILLETA ABBAS SANCTI DIONYSII IN FRANCIA, cum illic Monachus factus esset, cura & studio Guidonis de Moncellis Abbatis sui, Lutetiam Parisiorum ad litterarum humanarum simul & divinarum studia missus, ingenio iis apto favente, insignis in Theologia Baccalaureus & Orator, inter sui temporis alios fœcundissimus evasit. Qui cum egregie adversus Benedictum Antipapam in solemni Conventu Prælatorum Parisiensi declamasset, ad Abbatialis dignitatis apicem gradum fecit. Successit ergo in Abbatiali munere Guidoni de Moncellis ao. 1398. die 28. Aprilis mortuo, communi omnium Monachorum suffragio, nullo excepto, ut habet Anonymus author *Vitæ Caroli VI. Francorum Regis*, Monachus S. Dionysii Lib. 18. cap. 3. qui eum admirandæ simplicitatis Monachum appellat, commendatum Fratribus Monachis a Duce Burgundiæ, dum electio ista immineret. Benedictus a Petro de Ordeomonte Parisiensi Episcopo, fideliter Carolo VI. Regi semper adhæsit, cujus Principis studio *Chronica ab ipso fuere conscripta* juxta Sammarthanos Fratres, uti & Liber *de authoritate Conciliorum*, & ad quem extant nonnullæ Joannis Gersonis Cancellarii Parisiensis Epistolæ. ~~*Opusculum de authoritate*~~ *Conciliorum* extat MS. in 4. in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici, sub nomine Philippi Abbatis S. Dionysii. Inscribitur: *Reverendissimo in Christo patri ac Domino suo metuendissimo, Domino Cardinali Barrensi, Domino utiq; morum probitate ornatissimo, nec non illustrissima Francorum prosapia clarissimo, suus humilis & devotus filius Philippus Dei & ejusdem Patris gratia, indignus Abbas Ecclesiæ S. Dionisii in Francia, omnimodam reverentiam, honorem & obsequium, & quidquid humilius posset inveniri. Sane benignissime Pater & Domine* &c. In fine, *Explicit hoc Opusculum anno Domini millesimo quadringentesimo octavo.* Dicitur etiam ab aliquibus scripsisse *Historiam seu Vitam Caroli VI. Francorum Regis*, Latino idiomate, Opere amplissimo ad annum circiter 1415. Lib. xxxv. prolixis, cujus MS. Codex pessime scriptus, transiit ex Bibliotheca Thuana, in qua olim habebatur, in Regiam Gallicam, ubi nunc asservatur. At Historia ista, quæ latinitate satis barbara conscribitur, ad Philippum de Villeta S. Dionysii Abbatem nequaquam spectat, sed ad alium quendam ejusdem loci Monachum. Ita censet in Præfatione, qui eam multis adjunctis locupletatam & in Gallicam linguam translatam, maximis duobus in fol. voluminibus edidit Joannes le Laboureur Juvigniaci Prior, Franciæ Historiographus, Parisiis ao. 1663. apud Ludov. Billiaine. Hoc autem constat ex lectione attenta operis, nam Scriptor hujus Historiæ Lib. 18. cap. 3. dum loquitur tum de morte Guidonis de Moncellis, tum de electione Philippi de Villeta in Abbatem S. Dionysii, nunquam se indigitat, sed alium a seipso. Item Lib. 26. cap. 12. dum affert Epistolam Philippi de Villeta ad Ducem Aurelianensem, occasione Reliquiarum S. Dionysii tutelaris sui & patroni, se ipsum ab illo distinguit. Et Lib. 28. capp. 3. & 10. Lib. 30. cap. 6. Lib. 31. cap. 20. dum loquitur de Abbate S. Dionysii, alium a seipso indicat. Denique Lib. 34. cap. 1. dum refert mortem *Hugonis seu Hutini Albomontani*, primi Regis Cambellani ac Flammigeri, ait, dum castra Regia sequeretur, se ab illo semper in tentorio proprio admissum, ne subdio pernoctare atque ad terram dormire compelleretur. Quas sane ad angustias Abbas Dionysianus, Parlamenti Parisiensis Consiliarius, atque secretiorum Regis consiliorū particeps, multis reditibus dives, adactus non fuisset, cui proprii tentorii copia haud dubium non defuisset. Vixit usque ad annum circiter 1418. difficillimis temporibus, cujus mentionem faciunt Fratres Sammarthani tomo 4. *Galliæ Christianæ* p. 338. ubi de Abbatibus S. Dionysii in Francia.

HONORATUS BONET, natione Gallus, patria, ut credimus, Provincialis, sub regno Caroli VI. Francorum Regis claruit, qui ab ao. 1388. ad 1422. Galliam administravit. Illum *Provincialem* opinamur, tum quod opus illius quoddam MS. lingua Provinciali in bibliotheca Regia legitur, quod olim fuit bibliothecæ illustrissimi Archiepiscopi Tolosani Dn. Caroli de Montchal. Ordinem Carthusiensem professus, ea morum & doctrinæ approbatione vixit, ut tandem Prior Carthusiæ Gallionensis in Rothomagensi Archiepiscopatu factus fuerit. Philippus Labbeus in *Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum atque Gallicorum*, quam ex MSS. potissimum Codd. Regiæ Galliarum Bibliothecæ collegit, & ao. 1653. Parisiis in 4. edendam curavit, apud Jo. Henault, *Supplemento IV.* quod p. 189. incipit ex Catalogo MSS. librorum Illustrissimi & Reverendissimi Dn. Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani. Cod. LVIII. in fol. p. 195. dicti Catalogi habet *Arbre des Batailles, composé par Honore Bonet Prieur de Salon*, (dic Gaillon) *pendent le Schisme de Clement VII. & Urbain VI. dedié a Charles VI. & escript par Jean de Quadrino Limonsin en l'an 1425.* Item apud eundem Labbeum in *Bibliotheca* eadem Supplemento IX. p. 343. habetur *L'arbre des Batailles imprimé a Paris in fol. l'an 1493. en velin avec figures enluminés: Arbor certaminum, impressa Parisiis in fol. ao. 1493. in membrana, cum figuris illuminatis, seu colore variegatis.* Appellatur quoque hoc opus a nonnullis *Somnium Viridarii*, eo quod a Somnio quodam in Viridario habito, scribendi de Schismate occasionem acceperit. Opus istud Jo. Wolphius imperite attribuit Carolo V. Francorum Regi cognomento Sapienti, qui ab anno 1364. ad 1379. Regnum Galliæ obtinuit. Ita ille in *Collectaneo memorabilium rerum*, quod duobus in fol. voll. ao. 1600. Lavingæ editum fuit, tomo 1. Cent. XIV. ad an. 1364. p. 646. 647. 648. his verbis. "Carolus V. sive Sapiens Rex Galliarum, auctor *Somnii Viridarii*. Hic Rex cognomen Sapientis 1390

„pientis obtinuit, cum propter eximiam sapientiam ac pietatem, tum præsertim quod sacras litteras in vulgarem linguam verti curavit, ut promiscuum vulgus intelligere eas posset: contra quam nunc Papistæ contendunt, nefas esse laicis sacras literas legere. Idem etiam teste Malinæo, curavit librum edi contra tyrannidem & rapacitatem Paparum & harpyarum ipsorum, titulo *Somnium Viridarii*, in quo prolixe ac libere disputatur de toto regno Pontificio, eique non tantum politicus gladius, sed etiam superioritas super Episcopos adimitur. Est impressus olim Parisiis ferme ante an. 140.„ Hæc falso Wolphius, nam Carolus V. Francorum Rex eodem fere tempore mortuus, quo schisma in Ecclesia ortum est, scribere de illo vel contra illud nequaquam potuit. Rectius ergo Spondanus hoc opus adscripsit *Honorato Bonet*, vero illius auctori, Priori Gallionensis Carthusiæ, in Continuat. *Annalium Ecclesiasticorum* Cæsaris Baronii, ad annum 1395. num. 10. qui Historiam hanc occasione *Somnii* in Viridario Gallionensi habiti aggressus fuit. Unde liquet, huic Operi titulum duplicem indictum, atque nunc vocari *L'arbre des Batailles*, nunc *Somnium Viridarii*, Gallice *Le jonge du Verger*. Item *Supplemento VIII.* quod p. 313. inscribit, *Analecta quædam ex Catalogo MSS. librorum, qui continentur in secunda parte seu Xisto bibliothecæ Regiæ, & in fasciculis nondum compactis*, p. 324. Cod. DCCCLXXVII. *Le Livre d'Honoré Bonet Prieur de Gaillon, des tribulations de l'Eglise, & de la valeur des Romains, en langue Provençale.* Arbitror autem, licet affirmare nolim, esse unum idemque opus cum præcedente, sed alio insignitum titulo. Cum itaque hoc opus lingua Provinciali compositum legatur, hinc Honoratum Bonetum origine Provincialem fuisse auguror. Henricus Spondanus in *Continuatione Annalium* Cæsaris Baronii illius mentionem ad annum 1395. num. 10. facit, quem fuisse ex Augustinianorum Ordine, atque composuisse *Somnium adversus Schisma* inquit. Fallitur porro, dum Ordini Augustinianorum accenset Bonetum, quem Carthusiensibus adscribere debuerat, est enim Gallionum Carthusia celeberrima in Rothomagensi Archiepiscopatu, de cujus instituto dubitare non licet. Recte Spondanus *Honoratum Bonetum* Scriptorem anno MCCCXCV. n. 10. assignat, cum enim agat de Schismate Ecclesiæ inter Clementem VII. & Urbanum VI. ao. 1378. orto, atque Urbanus VI. ao. 1389., Clemens autem VII. ao. 1393. mortui fuerint: vix ante annum 1395. utroque schismatis auctore mortuo, libere de hoc schismate scribere Carthusianus Gallionensis potuit. Antonius du Verdier van Privas in *Bibliotheca Scriptorum Gallicorum* illum Honoratum Bonnet Priorem de Salon (dic Gaillon) nominat, cui Librum CLXV. capita continentem tribuit, *L'Arbre des Batailles* inscriptum, & Regi Carolo V. (dic VI.) dedicatum, hunc Librum anno 1493. apud Jo. du Préz Parisiis impressum fuisse adjiciens. In Opere isto Bonetus historiam Joannæ Papissæ admittit, ut scribit Samuel Maresius Groninganæ Academiæ Professor in *Joanna Papissa restituta* p. 11. his verbis. „Est quoque mihi vetus „MS. Gallicum, compositum ante annos 300. quod inscribitur, *L'arbre des Batailles, faict & composé par Maistre Honoré Bonet, Docteur en Decret & Prieur de Challon* (dic Gaillon) *à l'honneur de Dieu, & en faveur du Roy Charles VI. de ce nom, dit Charles le Bien aimé.* Illius libri p. 1. cap. 7. author explicans, quo sensu in Apocalypsi tertia pars solis dicatur esse obscurata ad tubam Angeli quarti, idque intelligens de multis, qui circa illa tempora sedem Pontificiam illegitime occupaverant, sic, inter alia stylo suo loquitur: *Encores en celuy quart temps, advint que apres ce que le Pape fut mort, une femme fut eslerce pour estre Pape, & ne pensoit on mie, qu'elle fut femme. Et cy estoit cette femme des parties d'Engleterre: ne fut ce lors grant doleur d'avoir femme en Pape?* Eum ex Anglia fuisse dicit, quod forte curasset nominari Johannem Anglicam, vel, ut habet vetus fragmentum apud Wolphium, *Johannem de Anglia*, cum tamen natione Moguntina esset. Et credo, quod si hoc Catalaunensis Prioris testimonium vidisset Reverendus & collendus Blondellus, qui etiam Catalaunensis fuit, minus impendisset operæ in veritate istius historiæ oppugnanda.„ Hæc loco cit. Maresius. Agunt quoque de *Honorato Boneto* Scriptore Phil. Labbeus in *Joanna Papissæ Cenotaphio everso*, ad calcem Dissertationis *De Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis* tomo 1. p. 922. editionis Parisiensis 1660 2. tomis in 8. Petrus Bailius seu Bælius tom. 2. *Dictionarii Historici & Critici*, verbo *Franc* p. 1270. Roterodamensis editionis an. 1702. 3. voll. in fol.

PETRUS VISSELBECCIUS, Scriptor *Chronici Huxariensis*, quod ex MS. Codice Christianus Franciscus Paullini ao. 1698. in 4. edendum procuravit sub hoc titulo, *Chronicon Huxariense a Petro Visselbeccio coeptum, a Gregorio Wittehenn usque ad an. 1498. continuatum, cum Nicolai Erbenii additionibus, notis vero illustratum & editum a Christiano Francisco Paullini*, Scriptor *Chronici* primus, Petrus Visselbeccius, cujus vitam diffuse explicat dictus Paullinus in Præfatione ad editionem suam Francofurti ao. 1698. in 4. factam, quem ao. 1331. Huxariæ ex viro Senatore spectatissimo natum refert, admissum ao 1349. in Collegium Carolinum Eresburgi ad Dimolam, ubi ætatis suæ anno 17. in ipso festo S. Petri inter Fratres Benedictinos receptus est. Vixit pietati & doctrinæ semper intentus, ut tandem a Superioribus suis S. Theol. Doctor in Cœnobio isto constitueretur. Scripsit *Chronicon Huxariense* ab ao. 822. usque ad an. 1395. quo decessit Lenta Pthisi consumptus, sub Godefrido Sodero Abbate, Dominica *Quasimodogeniti*, LXIV. ætatis suæ. Editum illud excurrit in editione Paullini a p. 1. ad 100, seu ad an. MCCCXCV. Continuavit illud Gregor. Wittehenn usque ad an. 1498. seu ut in editis a p. 100. usque ad p. 144. Senatoris & Patricii Huxariensis filius, cujus familiam & vitæ epochas diligenter admodu refert Paullinus editor in Præfat. *Chronici* istius ad Lectorem amicum, qui multa præfatur ad Chronici hujus commendationem & laudem: quæ compendio studentes omittimus. Denique & tertius idem continuavit, inscriptum, *Magistri Nicolai Erbenii Pastoris Huxariensis Primarii ad D. Kilianum additiones*, ineditis a p. 145. ad 159. 1390

cujus

cujus vitam pariter & officia, in quibus cum laude versatus est, prolixe deduxit citatus Paullinus in Præfat. *Chronico* præmissa, quem etiam ao. MDLXIV. *Liberalium Artium Magistrum* in illustri Universitate Marpurgensi creatum testatur, ac *Erfurti* in Æde Prædicatorum annis decem officio Pastoris functus, ibid. ao. MDLXXVII. in Domino obdormivit. Plura de his tribus viris, ad quæ lectorem remitto, Christ. Franc. Paullini in editionis suæ Præfatione, quæ ao. 1698. Francof. in 4. facta fuit.

1390 PETRUS AMELII JUNIOR, natione Gallus, patria Electensis, variis functus est officiis ac dignitatibus successive acceptis. Hic ex ordine Eremitarum Divi Augustini assumptus, Urbani V. Romani Pontificis Sacrista, deinde Gregorii XI. Pœnitentiarius ac Bibliothecarius, postea Senogalliensis Episcopus, tum Archiepiscopus Tarentinus, tum Patriarcha Gradensis & Alexandrinus, atq; Ecclesiæ Aquensis administrator institutus. Conscripsit *Ordinarium Caremoniarum seu rituum S. R. Ecclesiæ* circa annum 1390. vel 1400. quo floruit sub Gregorio XI. atque Bonifacio IX. quod edidit Jo. Mabillonius ex MS. Cod. Cardinalis Casanotæ, tomo 2. *Musæi Italici* a p. 445. ad 544. cui nonnulla de authore præmisit, ex quibus nos ista conscribimus. Diversas istas dignitates, quibus Petr. Amelii functus est, in hoc *Ordinario* passim aperit. Etsi igitur in veteri Cod. quem sibi pro sua benevolentia concessisse Eminentissimum Cardinalem Casanatam, fatetur Jo. Mabillon, nullum authoris nomen Libro præfixum esset: ex variis tamen ejusdem libri locis constat, eum esse Pet. Amelii, Gallum ac Senogalliensem Episcopum, qui seipsum sæpius & aperte prodit in sequentis libri p. 498. cap. 80. his verbis: *Ita vidi ego frater Petrus Amelii, Senegalliensis Episcopus observari tempore Domini Urbani V. Gregorii XI. & Urbani VI. Rom. Pontificum.* Idemque in cap. XC. p. 510. testatur, se *Sacristam & Episcopum Senogalliensem agnos Dei* (ut vocant) *consecisse anno* MCCCLXXXVIII. Item in cap. CXXI. p. 519. Augustinum *Patrem nostrum* appellat, in memoriam Ordinis Monastici, quem profitebatur. Adhæc in cap. CLVIII. inquit, se *Gradensem Patriarcham* una cum Patriarcha Constantinopolitano, processus generales in criminosos feria quinta in Cœna Domini pronuntiasse ao. MCCCXCIII. Item ex cap. CLXV. p. 541. in vivis erat ad an. MCCCXCVIII. instante obitu Bonifacii Papæ IX. Denique cap. CLXVII. p. 544. sic opusculum suum concludit. *Nota, quod anno Domini* MCCCC. *Pontificatus Domini Bonifacii Papæ IX. anno XII. in secunda Dominica Adventus Domini propter frigus ipse non venit cum pluviali & mitra. Et quia non erat indutus more solito, Domini Cardinales noluerunt sibi facere reverentiam in principio Missæ more consueto, neque Diaconi Cardinales voluerunt stare ante Papam.* Falluntur itaque, qui eum anno MCCCLXVIII. obiisse ferunt, cum post annos decem, ex cap. XC. allato, *Agnos Dei confecerit Sacrista & Episcopus Senogalliensis.* Cum sederit ut Patriarcha inter Cardinales Episcopos, ao. MCCCXCI. ex cap. CLIII. p. 535. in Consistorio pro canonizatione S. Brigittæ. *Iter Gregorii XI. Avenione Romam* idem versibus conscripsit, cujus Operis meminit in dicti *Ordinarii* cap. CXLII. his vocibus, *Quære in Itinerario meo de Dn. Papa Gregorio XI.* Extat hoc *Itinerarium* apud Massonium & Ciaconium *de Summis Pontificibus in Gregorio XI.* Edirus autem Papirius Massonus *de rebus gestis Pontificum seu Episcoporum Roman.* Paris. ao. 1586. in fol. Alphonsus Ciaconius de eod. argumento, Romæ in fol. an. 1601. & 1630. cum Notis Victorelli. Ex quibus manifestum est, non alium a Petro Amelii esse Scriptorem hujus libri, cujus meminit Augustinus Patricius in lib. 2. c. 60. Additiones tamen quædam huic Operi hinc inde ab aliena manu inspersæ sunt. Harum additionum authorem esse Petrum Episcopum Oloycensem conjicere licet ex cap. LXXXV. p. 506. ubi ita legimus: *Et ita vidi servari ego Petrus Episcopus Oloycensis tempore Dn. Bonifacii IX. Innocentii VI. Gregorii XI. Johannis XXIII. & Martini V.* Ejusmodi additio est, quod habetur cap. CXXXI. p. 521. ubi mentio fit anni MCCCCXXVIII. Pontificatus Dn. Martini Papæ V. anni XI. quo in die omnium Sanctorum in secundis vesperis Papa non venit ad capellam. Item additio ejusdem Petri Oloycensis Episcopi censetur, id quod habetur cap. CLXVI. p. 543. ubi exequiæ Cardinalis Novariensis, qui ao. 1434. obiit, referuntur: quæ spectant ad tempora Eugenii Papæ IV. ad quæ dictus Oloycensis Episcopus pervenire potuit, qui quamvis Petri Amelii Synchronus, post ipsum tamen aliquot annorum decadibus superstes extitit, ut ex citatis patet. Agunt de *Petro Amelio* Augustinus Patricius in *Ceremoniali Romano*, quod ao. 1488. Kal. Martii Innocentio VIII. nuncupavit, lib. 2. c. 60. Papirius Massonus & Alfonsus Ciaconius, uterque *de rebus gestis Pontificum Rom.* in *Gregorio XI.* cujus iter carmine pandit. Joan. Mabillon, a quo hæc hausimus, Tomo 2. *Musæi Italici* p. 443. & *Commentario in Ordinem Romanum* §. 2. p. IX cum aliis multis.

JOANNES HILDESHEIMENSIS, Saxo, cognominatus GLUEL, professione Ordinis Carmelitarum, circa an. 1370. & sqq. 1400. vixit, ac scripsit librum *De trium Regum corporibus Coloniam translatis*, ad Episcopum Monasteriensem sub his verbis: *Reverendissimo in Christo Patri ac Domino, Dn. Florentio de Wevelkoven divina Providentia Monasteriensis Ecclesiæ Episcopo dignissimo.* Hic Liber capitulis XLVI. constat. Factus autem Episcopus Monasteriensis anno ineunte 1372. unde ad Episcopatum Ultrajectensem sub anni 1378. transiit finem. Hoc Opus fabulosum atque Carmelitis nugamenta anilium ac fabulas muliercularum & somnia amantibus dignissimum: quod vidi impressum post Sermones Jacobi de Voragine de tempore, Moguntiæ apud Joh. Guldenschaff ao. 1477. in fol. sub operis calcem: cujus exemplaria duo in Ultrajectina bibliotheca, num. 186. d. & 209. u. ut constat ex Catalogo librorum hujus Bibliothecæ impresso p. 13. Ultrajecti ao. 1670. in fol. Herm. Crombach Theologus Soc. Jesu, edidit ao. 1654. ingens volumen in fol. Coloniæ apud Joh. Kinchium, Inscriptum, *Historiam & Encomium trium Magorum Evangelicorum*, ubi tractatum hunc Joh. Hildeshemensis emisit. Eundem, *Chronicon* etiam edidisse Trithemius testatur, uti & Jo. Riache Minorita, in *Compendio Historiæ*, quod excusum ne sit, ambigo. De illo Gerard. Jo. Vossius lib. 3. *de Historicis* 1390

1400 MATTHÆUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, primum quidem ordinis Divi Basilii pro more Græcorum Monachus, tum postea Archiepiscopus Cyzicenus, ob merita tandem notissimæ doctrinæ ac pietatis, successit Callisto II. hujus nominis in Patriarchatu Constantinopolitano, qui anno 1395. mortuus est, cum tres tantum menses Patriarchatu functus esset. Successit autem Callisto huic Matthæus de quo heic loquimur, currente jam Imperii Manuelis Palæologi a morte patris anno quarto, qui ab anno nimirum 1395. annos tredecim Patriarchatum tenuit, ad annum 1408. quo recensendum infra *Testamentum* seu *ultimam suam voluntatem* composuit ac edidit. Ita Matthæus ipse, dum vitam suam in *Testamento* suo describit, quo teste luculentius dari testimonium non potest. Hinc igitur Supplendam esse Marquardi Freheri Chronologiam *Juri Græco Romano* præfixam, ubi Patriarcha iste Matthæus omnino omissus est: quo etiam defectu laborare constat *Catalogum Patriarcharum Constantinopolitanorum*, quem Johannes Baptista Ricciolius Soc. JEsu, Chronologiæ suæ reformatæ inseruit. Ibi enim *Patriarchæ Callisto II.* anni regiminis tredecim tribuuntur, cum tamen is ex citando Matthæi successoris Testamento, ut infra expresse indicatur, electioni suæ Patriarchali μικρὸν duntaxat, hoc est parumper supervixerit: nempe nonnisi *tres menses*, quemadmodum videre est in *Catalogo Patriarcharum Constantinopolitanorum* ex vetusto quodam MS. Græco desumpto, qui extat in Philippi Labbei S. J. *Protreptico corporis Historiæ Byzantinæ* pag. 36. & 37. ubi decem posteriores Patriarchæ hoc modo enumerantur. „CXL. Ἰσίδωρος, annos duos menses septem & dies quindecim. CXLI. Κάλλιστος, sive, Callistus primus, annos duodecim. CXLII. Φιλόθεος, annos tredecim, menses sex. CXLIII. Μακάριος, annos duos, menses septem, dies quindecim. CXLIV Νεῖλος, annos octo. CXLV. Ἀντώνιος, annos octo. CXLVI. Κάλλιστος, sive Callistus secundus, menses tres. CXLVII. Ματθαῖος, annos tredecim. CXLVIII. Εὐθύμιος, annos quinque, menses totidem. CXLIX. Ἰωσὴφ, qui Florentiæ in Concilio Generali anno 1439. die 9. Junii obiit. His de Chronologia Matthæi, Patriarchæ Constantinopolitani & Callisti II. stabilitis, jam ad opuscula Matthæi veniamus, quæ MSS. extant, Codice 69. inter MSS. Historicos Græcos Codices Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum suorum huius Bibliothecæ, pag. 523. 524. 525. & 526. Hic Codex olim pertinuit ad Joannem Sambucum, virum doctissimum, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur: quem ante eum possederat Bellarminus Cardinalis, unde pagina secunda folii primi vacui, hæc verba hoc modo leguntur: ἡ Διαθήκη τοῦ Πατριάρχου κυροῦ Ματθαίου κτῆμα Βησσαρίωνος Καρδινάλεως τοῦ τῶν Τούσκλων: *Testamentum Domini Matthæi Patriarchæ Constantinopolitani, Liber Bassarionis Cardinalis Tusculani.* Continentur in eo Codice, a folio I. usque ad fol. 43. *Matthæi Patriarchæ Constantinopolitani Testamentum sive ultima voluntas & doctrina*, cuius titulus & principium: Ἐπιτελεύτιος βούλησις καὶ διδασκαλία τοῦ πανοσιωτάτου ἡμῶν Δεσπότου, τοῦ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου πρὸς τοὺς ὑπ᾽ αὐτὸν μοναχοὺς, περιλαμβάνουσα μὲν ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους τὰ κατ᾽ αὐτόν. Ἔχουσα δὲ καί τινα ἔθεσιν ἐν κεφαλαίοις διῃρημένην, τῶν ἐμπεριειλημμένων τῇ προγεγονυίᾳ ὑποτυπώσει, παρὰ τοῦ καλογήρου αὐτοῦ τοῦ πανοσιωτάτου ἐν Μοναχοῖς κυροῦ Μάρκου. Πολλῶν ὄντων, οἷς ὁ κατὰ θεὸν χαρακτηρίζεται βίος, &c. Sub finem vero indicatur Testamentum hoc fuisse scriptum, & idiographa ipsius Patriarchæ subscriptione confirmatum mense Septembri, anno mundi 6916. sive anno Christi 1408. Indictione prima. Ipsa Græca verba hæc sunt: Ἐγράφη καὶ ὑπεγράφη κατὰ μῆνα Σεπτέμβριον τοῦ, ϛϡιϛʹ ἔτους, Ἰνδικτιῶνος αʹ. Sequitur deinde ipsa subscriptio autographa, de scriptura præcedenti primo intuitu, ac manifestissime diversa his verbis: Ματθαῖος ἐλέῳ Θεοῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Νέας Ῥώμης καὶ Οἰκουμενικὸς Πατριάρχης. Cæterum, inseruit huic suo Testamento Matthæus Patriarcha, non pauca etiam ad vitæ suæ & Historiam temporum suorum notitiam pertinentia. Ubi inter alia, notandum præcipue, est, quod folio 9. pagina 1. expresse refert, *se cum antea Metropolita Cyzicenus fuisset, Patriarchatum Constantinopolitanum adeptum esse post Patriarchas Antonium IV, & Callistum II. sub Imperatore Manuale Palæologo.* Ipsa eius verba hæc sunt: Μεταξὺ δὲ τῆς τοιαύτης τῶν πραγμάτων φθορᾶς, ὁ μὲν Πατριάρχης κῦρις Ἀντώνιος μεταλλάττει τὸν βίον. Εὐθὺς δὲ μετ᾽ ἐκεῖνον Πατριάρχης χειροτονεῖται ὁ Κῦρις Κάλλιστος, ὃς καὶ μικρὸν ἐπιβιοὺς πρὸς τὴν ἐκεῖθεν καὶ αὐτὸς διαβαίνει μακαριότητα. Τῆς τοίνυν Ἐκκλησίας χηρευούσης, καὶ νυμφίον ἐπιζητούσης πνευματικὸν, ψήφῳ τε πάσης τῆς Συνόδου, καὶ προβλήσει τοῦ θειοτάτου βασιλέως, ἡ μετριότης ἡμῶν, κρίμασιν οἷς οἶδεν ὁ Θεὸς, τὴν ταύτης ἐμπιστεύεται προστασίαν. Καὶ τοίγε διαμέλλων περὶ τὴν τοῦ πράγματος αἵρεσιν, καὶ ἀναδυόμενος, σφόδρα τοῦτο δὲ με φρονεῖν ἐποίει τότε πρὸς τὴν ἐμὴν ἐσχατιὰν ἀφορῶν, καὶ τὴν τοῦ πιστευομένου μεγαλότητα. Ἀλλ᾽ ὅμως τὰ καθ᾽ ἡμᾶς τῇ ἄνωθεν ἀναθέντες προνοίᾳ, διεμένομεν ἐν αὐτῇ, εἰρηνικῶς ἔχοντες τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, τοῦ θειοτάτου βασιλέως ἐν τῇ Μεγαλοπόλει ταύτῃ εὑρισκομένου. Ἐπεὶ δ᾽ ἐδέησεν ὑπὲρ, τῆς τῶν χριστιανῶν βοηθείας, τὸν μὲν βασιλέα τὸν ἅγιον καὶ τοῦτον τὸν ἆθλον ὑπελθεῖν, καὶ πρὸς τὰ τῆς Ἰταλίας μέρη ἀποδεδημηκέναι τοὺς ἐκεῖθεν πρὸς τὴν ἡμετέραν ἕξοντα συμμαχίαν. Τὸν δ᾽ οἰκεῖον ἀνεψιόν τε καὶ βασιλέα μετὰ διαλλαγῶν προσκαλέσασθαι: καὶ τό-

„τω τὴν πόλιν ὡς ἐπιτρόπῳ καταλιπεῖν, μέχρι „μὲν τινὸς καλῶς, καὶ ἐπ' αὐτῷ τὰ τῆς Ἐκκλησί„ας εἰρήνην ἦγε τινά. Εἶτα κατὰ μικρὸν ὥσπερ ἀπὸ „σπινθῆρος ἀρχὴν τοῦ κακοῦ λαμβάνοντος &c. „Ibidem & quidem a fol. 43. pag. 2. usque ad fo„lium 55. pag. 2. *Ejusdem Patriarchæ Matthæi* „*Hypotyposis sive Informatio ad seipsum & ad E*„*piscopos sibi subjectos, & ad Clerum Magnæ Eccle*„*siæ Constantinopolitanæ*, anno mundi 6906. sive „anno Christi 1398. Inscribitur ea atque inci„pit his verbis: Ὑποτύπωσις γεγονυῖα παρὰ τοῦ „παναγιωτάτου ἡμῶν Δεσπότου καὶ Οἰκουμενικοῦ „Πατριάρχου κυροῦ Ματθαίου εἴς τε ἑαυτὸν καὶ εἰς „τοὺς ὑπ' αὐτὸν ἐπισκόπους, καὶ εἰς τὸν κλῆρον τῆς „ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ Μεγάλης ἐκκλησίας, ἐντεθεῖ„σα κατὰ τό, ϛϡϛ ἔτος, ἰνδικτιῶνος ϛ· Καὶ „πᾶσι μὲν ἄλλοις ἡ τάξις χρῆμα λυσιτελὲς, οὐχ „ἥκιστα δὲ τοῦτο προσήκει τῇ ἐκκλησίᾳ χριστοῦ, ἧς „ἄρα καὶ ἡμεῖς Προστάται κέκλημεθα θειοτέροις. Εἰ „γὰρ &c. Extat in fine hujus *Hypotyposeos*, „ut supra in fine *Testamenti*, hæc propria ipsius „manu exarata subscriptio: Ματθαῖος ἐλέῳ „Θεοῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, Νέας „Ῥώμης, καὶ Οἰκουμενικὸς Πατριάρχης. Hæc nos verbotenus ex Lambecio tomo seu Lib. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 523. & sequentibus, tum in Catalogo pag. 561. qui solus hujus scriptoris mentionem facit.

1400 MACARIUS METROPOLITA ANCYRANUS, natione quoque Græcus, hoc pariter tempore floruisse mihi videtur quem male meo quidem judicio confundit Lambecius cum *Macario Marco* ob argumenti similitudinem, illum collocans paullo post *Symeonem Thessalonicensem & Josephum Bryennium Monachum*, quorum posterior in scriptis suis, vixisse post annum Christi 1420. testatur. Scripsit *opus contra pravas Latinorum opiniones, atque sub finem etiam contra Barlaamum atque Acindynum, eorumque Sectatores, in Capita centum & viginti divisum*: quod MS. extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter Codices MSS. Theologicos Græcos, Cod. CCLXXIV. ut habet Lam„becius Lib. 5. Commentariorum hujus Biblio„thecæ pag. 223. his verbis. Ducentesimus „septuagesimus quartus Codex MS. Theologi„cus Græcus, est chartaceus mediocriter anti„quus in folio, constatque foliis centum qua„draginta tribus, qui ab Augerio Busbeckio, ut „ipse solita propriæ manus inscriptione testa„tur, olim Constantinopoli comparatus fuit. „Continetur eo, *Macarii Metropolitæ Ancyrani*, „qui seculo post Christum decimo quinto flo„ruit, *Opus contra Latinos & contra Barlaamum* „*atque Acyndinum, eorumque Sectatores, in Capi*„*ta centum viginti divisum*: cujus titulus & prin„cipium Μακαρίου Μητροπολίτου Ἀγκύρας πόνημα, „τὸ μὲν καθόλου κατὰ τῆς τῶν Λατίνων κακοδοξίας, „περὶ δὲ πάντα τέλη καὶ κατὰ Βαρλαὰμ, καὶ Ἀ„κινδύνου καὶ τῶν κατ' αὐτοὺς ἀθέων, ὅπερ καὶ διακέκρυται εἰς κεφάλαια ἑκατὸν εἴκοσι. Κεφά„λαιον ά. Τὸ τοῦ λόγου σὺν Θεῷ προοίμιον, περὶ τοῦ „δόξας, ὅτι τὰ μὲν ἡμέτερα παραδῶσι καὶ κανόνες, „καὶ νόμοι, καὶ πᾶσα Θεία καὶ πατρικὴ γραφὴ· „τὰ δὲ τῶν Λατίνων πάντη ἔχει τὸ ἀσύστατον. „Πολλὰ μὲν καὶ πανταχόθεν τὰ δίχα πάσης ἀντι„λογίας παριστῶντα &c. Quid autem de hoc, „authore ejusque Opere quod manuscriptum, „viderat, judicandum sit, indicat Leo Allatius, „Lib. 2. *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* cap. 18. paragr. 15. col. 865. his verbis. *Author si quis alius unquam est, & mera deliramenta loquitur. Patrum testimonia, quæ ipse non intelligit, in alium atque alium sensum, præter Authorum mentem detorquet. Synodus illi Trullana, quintum Evangelium est. Nihil ipse de suo, quod consideratione dignum sit, habet. Si ab alio accipit, dum temere excutit, in ineptias convertit, & pessima in Ecclesiam Latinam, ut carpat, comminiscitur, quæ nec somniarunt quidam Latini: uno verbo, Sycophanta est. Nullam ipsius apud alios memoriam reperi.* Hæc Allatius, qui solus hujus Scriptoris mentionem facit: atque post ipsum Petrus Lambecius Libro 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 227. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 341. & 366. Extant quoque in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Philosophico Græco LXVIII. num. 10. & quidem a fol. 150. pag. 1. usque ad fol. 190. pag. 2. *Ecloga sive Excerpta Mathusalæ Monachi, ex opere Macharii Metropolitæ Ancyrani adversus Latinos*: quorum titulus ac principium: Ἐκ τῶν τοῦ Μακαρίου Μητροπολίτου Ἀγκύρας ἐκλογαὶ τοῦ Μαθουσάλα τοῦ ἀσκητοῦ. Ἀ τίς ἡ τοῦ ἐκπορεύεσθαι δύναμις; καὶ γράφει ὁ χρυσορρήμων &c. De quibus Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 112. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 307.

JOANNES LATHBURIUS seu LATEBURIUS, natione Anglus, ex ordine fratrum minorum in Conventu Rhedingensi hoc institutum amplexus, in Academia Oxoniensi sacris litteris enutritus, magnam sibi, etiam tunc temporis inter ævi sui Theologos famam comparavit. Anno 1406. claruit, quo Commentario amplissimo in *Jeremiæ Threnos* a se composito finem imposuit. Scripsit etiam alia quædam, quæ variis nominibus ac titulis a Baleo & Pitseo scriptorum Angliæ nomenclatoribus enumerantur. Celeberrimus ejus *Commentarius in Threnos. Jeremiæ*, operosus & prolixus valde, capitibus CXV. porrectus, qui anno 1482. in folio typis editus prodiit. Hujus in Anglicanis Bibliothecis MSS. exemplaria plura. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis in qua floruit, Codice 656. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 189. *Johannes Lathebury in Threnos. Jeremiæ*. O. 8. 4. Art. Ibidem Codice 1354. in MSS. Codicibus Collegii Lincolniensis, in Archivis ex parte Australi 1400

Australi bibliothecæ, Codice 34. *Commentarius super Jeremiæ Lamentationes* In principio conspicitur hæc nota, Lathebury super Θρηνοις, ut apparet ex bibliotheca Collegii Exoniensis. Ibidem Codice 1425. in MSS. Codicibus Collegii omnium animarum Codice 24. Joannis Lathbury Ordinis minorum, Expositio & Moralizatio Threnorum Jeremiæ. Deusque inter MSS. Codices Ecclesiasticus Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 4073. in MSS. Codicibus Collegii Sienensis Codice 9. Jo. Latebury Commentarius in Threnos. Jeremiæ, in folio. Cum autem Commentarius iste vocetur passim *Moralium in Threnos. Jeremiæ*, hinc opinor esse idem opus, quod habetur inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 842. in MSS. Collegii Exoniensis Codice 42. inscriptum *Lecturæ Morales Johannis Lathbury*. Principium, in nomine patris & filii &c. maxime cum scriptor Catalogi Librorum MSS. Collegii Lincolniensis, de quo supra locuti sumus, authorem MS. sui anonymi, ex Codice Collegii Exoniensis, nota in principio adposita agnoverit. Alia eius scripta recenset Baleus, videlicet *Distinctiones Theologicas & Alphabetum Morale*, quæ unum & idem opus sunt, ut constar inspicienti; Catalogum MSS. Codicum Universitatis Cantabrigiensis, Codice 1758. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 96. ubi *Joh. Lathbury Distinctiones sive Alphabetum Morale*. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 8239. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 517. *Johannis Lathbury Distinctiones*. Idemque videtur opus. quod inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 820. in MSS. Collegii Exoniensis Codice 20. inscribitur, *Joh. Lathbury Doctoris Theologiæ Ordin. Fratrum Minorum Loci Communes*. In Catalogo MSS. Codicum bibliothecæ Bodleianæ impresso pag. 160. col. 2. habentur Collectanea Richardi Jamelii Theologiæ Doctoris, ubi Codice 10. in 4to paginas 189. continente, num. 5. habetur ex MS. Collegii Exoniensis p. 80. *Tractatus de Luxuria Clericorum* quem composuit Joannes Latbury Ord. fratrum minorum p. 84. meminit hujus scriptoris Joannes Baleus *de illustribus Angliæ scriptoribus* Centuria 7. cap. 34. cui absque Consule attribuit *Commentarios in Psalmos & in Acta Apostolorum, lectiones Scripturarum & Conciones varias*, quæ vel scriptis mandata non sunt, vel excidisse possunt. Henricus Wharton in Supplemento Historiæ rei literariæ Guillelmi Cavi, ad annum 1406. pagina 85.

1400 RICHARDUS ULLERSTON, natione Anglus, in Ducatu Lancastrensi, natus, ut ipsemet in Præfatione ad Tractatum *de Officio militari* prodit, Sacræ Theologiæ apud Oxonienses Professor, qui Richardum de Cortenay Henrici Walliæ Principis Clericum & consanguineum, præceptorem habuit: & Roberto Halamo, Episcopo Sarisburiensi & Ecclesiæ Romanæ Cardinali, summa familiaritate junctus fuit. Claruit anno 1408. quo ab Halamo provocatus, tractatum *de reformatione Ecclesiæ* Oxonii edidit. Hæc Henricus Wharton in Continuatione *Scriptorum Ecclesiæ* Guilhelmi Cavi, ad annum 1408. pag. 85. cujus tractatus *Præfationem* & *Excerpta* quædam profert pag. 86. & 87. ad quas lectorem mittimus. Extant hujus Tractatus Exemplaria plura in Manuscriptis Angliæ bibliothecis, uti ex Catalogo illarum impresso, nobis volventibus constitit. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1650. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 183. num. 2. *Petitiones Richardi quoad Reformationem Ecclesiæ militantis Anno Domini 1408*. num. 3. literæ Universitatis Oxoniensis ad Henricum V. cum Articulis concernentibus Reformationem Ecclesiæ Universalis, circa annum 1414. Ibidem Codice 2230. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 89. num. 4. Petitiones Richardi Ullerston Doctoris in Theologia, *de Reformatione Ecclesiæ* anno Domini 1408. Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 143. In MSS. Codd. Collegii S. Trinitatis Classe a Dextra, Serie suprema Codice 6. num. 1. Richardi Ullerston Oxoniensis, anno Domini 1408. Tractatus qui intitulatur *lectiones quoad Reformationem Ecclesiæ militantis*. num. 2. ejusdem *Tractatus de officio militari*, Richardi Cortenay præceptoris sui precibus conscriptus, & Henrico Walliæ Principi, postea invictissimo Angliæ Regi, nuncupatus. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 2256. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 115. num. 2. *Expositio super sex Psalmos Canticorum, per Richardum Ullerston Doctorem Theologiæ de Cathedra Oxoniensi*. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 2100. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Exoniensis Codice 46. *Richardi Ullerstoni Defensorium in 4to nempe Donationis Ecclesiæ a Constantino factæ*: de quibus opusculis loquitur Joannes Baleus Centuria 7. cap. 83. Idem Baleus affirmat ab eodem Richardo Ullerston insigne opus *de Symbolo Ecclesiæ* anno 1400. elucubratum, quod Joannes Stanberius Episcopus Herefordensis anno 1463. in lucem revocatum *Commentariis* illustrasse dicitur, de quo hucusque nihil animadverti in Catalogo impresso Bibliothecarum Angliæ & Hiberniæ potissimarum.

THOMAS NETTERUS, WALDENSIS a natali solo appellatus, natione Anglus, ex vico Walden in agro Essexiensi oriundus, Joannis Netteri & Mathildis filius, Oxonii bonis literis institutus, & Magistri pileo donatus, 1400

natus, Londini autem Carmelitarum Ordinem ingressus est. Claruit anno 1409. quo ab Henrico IV. Angliæ Rege ad Concilium Pisanum legatus est, ubi pro schismate tollendo strenuo disseruit, & adversus Gregorii & Benedicti quinti paparum partes fortiter disputavit. Domum reversus, Ordinis sui Prior Provincialis numero XXIII. anno 1414. creatus est, qui contra Wickleviftas summo animi favore decertavit: tanto sane partium studio abreptus, ut Henricum V. Regem socordiæ in puniendis Hæreticis, acriter pro concione increparе non vereretur. Hinc tanquam unicus fidei pugil spectatus, Henrico Regi a Sacris Confessionibus adhibitus est, & ad Concilium Constantiense anno 1415. missus, ut adversus Hussitas declamaret. Anno 1419. ad Vladislaum Poloniæ Regem & Michaelem Teutonici Ordinis Magistrum, pacis componendæ gratia legatus est. Inter legationem istam obeundam, Witoldum Lithuaniæ Ducem, ferocissimum totius orbis tyrannum, ad fidem Christianam convertit. Dein Henricum V. victricia per Galliam arma circumferentem secutus anno 1422. ultimos invictissimi Principis spiritus vitales in sinum suum elatos excepit. Henrico VI. Regi a Confessionibus pariter & secretis adscitus, atque illum in Galliam, ut coronam regni Parisiis acciperet, profectum anno 1430. comitatus, Rothomagi in Normannia die 3. Novembris obiit, in Conventu Carmelitarum suorum honorifice sepultus. Innumera fere scripsit, ex quibus unicum typis excusum, sæpe in Anglicis bibliothecis manuscriptum habetur, *Doctrinale Antiquitatum fidei Ecclesiæ Catholicæ adversus Wiclevitas & Hussitas*, opus ingens ac prolixum, in Tomos tres distributum, ac Martino V. Romano Pontifici nuncupatum. *Primo Tomo* de DEO, CHristo, Petro, Ecclesia & Religiosis: [illegible] de Sacramentis, *Tertio* de Sacramentalibus agit. Prodiit apud Badium Ascensium Parisiis 1532. in folio, Salmanticæ 1556. in fol. denique brevibus Joannis Baptistæ Rubæi elucidationibus illustratum, Venetiis 1575. in folio, & alibi. Reliqua Waldensis opera recenset Baleus *Centuria VII.* cap. 84. *fasciculus Zizaniorum* eius MS. penes Baleum extitit, qui fragmenta quædam illius in opere *de Scriptoribus Anglicis* repræsentat. Aliud ejusdem MS. exemplar penes Clarissimum virum Jacobum Usserium fuit, ut ipsemet in *Historia Dogmaticæ Controversiarum Specimine* MS. fidem facit. Hæc verbotenus ex Henrico Wharton in supplemento seu Continuatione *Historiæ rei Literariæ* Guilhelmi Cavi, *Seculo Synodali* seu XV. ad annum 1409. pag. 88.

Hunc ut suppleam, extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2629. in MSS. Codicibus Bodlejanæ bibliothecæ, in Codicibus Hipperoy Bodlejani Codice 163. *fasciculus Zizaniorum Magistri Johannis Wicklefi, cum Tritico.* In quo Codice multa diversorum authorum opuscula continentur, scilicet,

1. Determinationes Magistri Johannis Hinnighera Carmelitæ contra Joannem Wichlefum pag. 1.

2. Joannis Wicklefi Conclusiones de Sacramento Altaris. p. 18.

3. Wilhelmi de Berton Canonici Oxoniensis sententia contra Jo. Wicklefum p. 27. b.

4. Joannis Wicklefi Confessio. p. 29.

5. Joannis Tyssington Ordinis minorum Confessio contra Wicklefum. p. 32.

6. Tractatus qui vocatur *Absolutio* contra Confessionem Wicklefi a Thoma Winterton p. 42.

7. Catalogus hominum numero 43. qui sub Joan Wiekliffe & aliquanto post claruerunt, & multa pro doctrina eius sustinuerunt &c. p. 54.

8. Bulla Gregorii XI. Papæ, Universitati Oxoniensi contra Jo. Wicklefum p. 57.

9. Jo. Wicklefi Libellus Parliamento Richardi II. exhibitus, contra statum Ecclesiæ. p. 57.

10. Responsio Jo. Wicliffe ad dubium a Rege & Parliamento propositum anno I. Richardi II. p. 59.

11. Guil. Cantuariensis Archiepiscopi Epistola, super condemnatione Hæreseon Joan Wicliffe. p. 63.

12. Joannis Wiclefi Defensio post damnationem suam in Concilio Londinensi. p. 64.

13. Nomina Episcoporum consentientium & præsentium in Condemnatione illarum conclusionum XXIV. præmissarum p. 65.

14. Epistola quatuor Ordinum Claustralium Mendicantium Oxoniæ ad Joannem Ducem Lancastriæ, contra Magistrum Nicolaum Herford & alios pacem perturbantes, p. 66.

15. Qualiter Nicolaus Herford & Philipp Reppyngton fovebant Jo. Wicliffe. p. 67.

16. Guilhelmi Archiepiscopi Cantuariensis ad Cancellarium Oxoniensem literæ, ut assisteret Petro Stokys contra Joannem Wicliffe. p. 67.

17. Literæ Petri Stockys ad Archiepiscopum.

18. Aliæ literæ Guilhelmi Cantuariensis Archiepiscopi ad Petrum Stockys, ibidem.

19. Eiusdem Guilhelmi Cantuariensis Archiepiscopi mandatum Cancellario Oxoniensi directum, contra Joannem Wicliffe. p. 70.

20. Breve Richuardi II. Cancellario & Procuratoribus Oxoniensibus p. 70. b.

21. Aliud Breve eiusdem Richardi II. pag. 70. b.

22. Responsio Nicolai Herford & Philippi Reppyngton ad Conclusiones damnatas. p. 72.

23. Magistri Ackon Confessio in materia de Sacramento Altaris. p. 74.

24. Alia ejusdem Confessio, quam scripsit Archiepiscopo Cantuariensi, ibidem.

25. Joan-

25. Joannis Lincolniensis processus contra Guilhelmum Swynderby Wiclifistam. p. 74.

26. Jo. Wiclefi Literæ ad Papam Urbanum VI. p. 76.

27. Rich. Wich Lollardi Responsio ad Articulos sibi objectos p. 82.

28. Statutum anno 2. *Henrici IV.* contra Lollardos. p. 104.

29. Statutum anno 2. *Henrici V.* contra eosdem. p. 105.

30. Joannis XXIII. Papæ bulla, damnans libros Johannis Wicklefi. p. 106.

31. Acta Concilii Constantinensis contra Joannem Wiclefum & Bohemos. p. 107.

32. Statuta & Constitutiones Lollardorum editæ in Concilio Pragensi anno 1421. p. 147.

33. Errores Petri Lombardi a Magistris Parisiensibus damnati. p. 155.

34. Catalogus Errorum a Guilhelmo Parisiensi damnatorum. p. 156.

35. Conclusiones Richardi Archi-Episcopi Armachani. p. 156.

36. Richardi *Madeston* liber dictus Protectorium Pauperis. p. 160.

37. Magistri Joan de *Hornby* Carmelitæ in Academia Cantabrigiensi Conclusiones de Antiquitate, titulo & fundatione Carmelitarum contra Joannem Stokys anno 1374. p. 176.

38. Ejusdem in laudem sui ordinis p. 29.

39. Will Wodeford ordinis minorum contra Trialogum Jo. Wiclefi p. 216. ad finem.

Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1419. in MSS. Codicibus Collegii divi Benedicti Codice 142. *Thomas Waldensis Carmelita Anglus contra hæreses Joannis Wicklefi & Joannis Ouldcastell*, liber habens finem imperfectum.

Ejusdem Thomæ Waldensis esse creduntur, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2714. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super D. I. Art. Codice 115. num. 1. *Rationes & motiva & reprobationes 45. Articulorum Wicklefi, & Sectatoris Johannis Huss* pag. 1. ad 19. Et inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 2145. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Latinis, Codice 4. num. 3. Denique inter MSS. Codices bibliothecæ Canonicorum Lataranensium Sancti Johannis Patavini, ad Lævam partem bibliothecæ, ordine 3. *Rationes & motiva Rebrobationum 45. Articulorum Wicklefi &c.* ut habet Jacobus Philippus Thomasius in Catalogo Bibliothecarum Patavinarum Publicarum & Privatarum, quem anno 1639. Utini in 4to edidit. Hæc ad supplementum Henrici Whartoni, loco citato.

1400 THELESPHORUS seu THESLESPHORUS ac THEOPHORUS, Eremita seu Solitarius una cum Eusebio socio suo, natione, ut opinor, Italus, floruit ea tempestate, qua Petrus de Luna & Angelus Corarius, discordiis plane omnibus, de summo interse Pontificatu contendebant, hoc est post annum 1406. ut ex Tractatu quem *de schismate componendo* conscripsit, constat. Petrus autem de Luna post Clementis mortem Pontifex Romanus Avenione, anno 1394. die XXVIII. Septembris electus, die XI. Octobris consecratus & coronatus est sub nomine Benedicti XIII. accepto prius juramento, Bonifacio IX. cedente se pariter Pontificatus cessurum. Verum Gregorius XII. antea Angelus Corarius dictus, Romæ anno 1406. die XXX. Novembris electus in Pontificem Romanum, die V. Decembris coronatus est. Scripsit Theophorus *Tractatum de schismate compescendo*, circa annum 1409. quo Concilium Pisanum illam ob causam convocatum est. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Basiliensis, quorum Catalogum exhibuit anno 1662. Theophilo Spizelio Joannes Buxtorfius Bibliothecarius, in MSS. Codicibus Chartaceis litera F extat *Thelosfri Eremitæ de Schismate, quod incæpit anno 1378. inter Urbanum VI. & Clementem VII.* Et inter MSS. Codices Latinos extra Pluteos, Bibliothecæ Cardinalis Bessarionis Venetæ, *Tractatus fratris Theophori Eremitæ de Schismate inter Urbanum VI. & Clementem VII.* Danieli Papebrochio dicitur, „ Theolosphorus quidam seu aliis Thelosphorus, magnæ virtutis Eremita, & a Cusentinis „ scriptoribus Beati titulo honoratus, qui scripsit, „ opus *de magnis tribulationibus & statu Ecclesiæ*, nimirum tempore Schismatis, quod duravit ab anno 1378. ad 1415. cujus apud Gregorium de Lauro pag. 255. hæc de facta sibi revelatione attestatio est. *Universis & singulis fidelibus personis Ecclesiasticis & secularibus, humilis frater Theolosphorus de Cusentia, pauper Presbyter & Eremita prope Thebas* (Lucanas scilicet) *humiliavit se sub divinæ potentia majestatis, & ipsius gratia & gloria. Cum tristis & dolens de malis instantis Schismatis Ecclesiæ occurrentibus & vero similiter occursuris, mansuetissimum Dominum eum magna jejuniorum & lachrymarum copia sæpius humiliter exorassem, quatenus instantis Schismetis causam, & quis ipso Schismate durante asserentium se summos Pontifices, verus Pontifex sit, & quis Pseudopontifex existeret: ipsiusque Schismatis qualem finem habebit, & quomodo finito Schismate DEI Ecclesia regeretur, ipse Dominus mihi servo suo ostendere dignaretur &c.* Agit de Theolosphoro, aliis Thelesphoro Presbytero & Eremita, late Daniel Papebrochius anno 1688. in *Probatis Sanctorum Vitis*, tomo 7. Maji mensis ad diem XXIX. pag. 125. in Disquisitione Historica quam diffuse admodum composuit. *De Florenti ordinis, Prophetis & Doctrina B. Joachimi Abbatis*, paragr. 7. num. 60. pag. 139. Hunc quoque scriptorem, nunc *Theolosphorum* appellat, nunc *Theophorum* in *Bibliotheca Pontificia* pagg. 441. & 444. Ludovicus Jacob e sancto Carolo, Cabitonensis ordinis fratrum Carmelitarum editionis Lugdunensis 1643. in 4to Thelesphoro Eremitæ

remitæ pag. 441. attribuit *Prophetiarum librum* in quo agitur *de Romanis Pontificibus*, qui extat MS. Lugduni in Bibliotheca Collegii Sanctæ Trinitatis Patrum Soc. Jesu, ubi illum vidit, cum figuris manu exaratis. Theophoro pag. 449. attribuit Tractatum *de statu Ecclesiæ*, qui extat tom. 2. *Monarchiæ* Melchioris Goldasti Haimischfeldii pag. 1425. & 1425. qui Tractatum hunc Joanni Gersoni tribuit. Meminit hujus scriptoris Theophilus Spizelius in *Arcanis Bibliothecarum illustrium retectis* pag. 46. & 343. Augustæ Vindelicorum 1668. in 8. editis. Melchior Goldastus Haimischfeldius, *Monarchiæ* tomo 2. pag. 1424. ubi fragmentum quoddam hujus Operis non ignobile profert, cujus ex lectione, ætatem qua floruit author, expiscari licuit. Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, locis & paginis citatis.

1400 CHRISTINA de PISAN, nominis magni Domicella, scripsit anno MCCCC IV. Gallice inscriptum opus *de factis & bonis moribus sapientis Regis Caroli V. Francorum Monarchæ*. Hujus Operis, meminit Jacobus le Long Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis, *Bibliothecæ Sacræ* parte 2. cap. 5. sect. 1. *de Bibliis MSS. Gallicis* his verbis. Caroli V. Francorum Regis studium & amorem in Sacras literas describit Christina de Pisan in libro cui titulus: *Des faits & bonnes meurs du sage Roy Charles V. faict & composé par Christine de Pisan damoiselle, accompli le desrenier jour de Novembre l' an de grace M CCCC IV.* id est *De gestis & optimis moribus Caroli V. liber collectus & compositus a Christina de Pisan, absolutus vero die ultima Novembris* anno 1404. Extat MS. in folio in Bibliotheca Regia Codice 9668. in cap. 12. tertiæ partis quod inscribitur, *C' y dit comment le Roy Charles aimoit livres & des belles translations, qu' il fit faire:* sive, *Hic narratur quo studio Carolus libros diligebat, & quorum librorum optimas in Gallicum idioma versiones beneficiis suis procuraverit.* Mais non obstant que bien entendi le Latin, & quil ne fust besoing qu'on lui exposast, de sa grant providence fut, pour le grant amour qu'il avoit a ses successeurs, qu'au temps a venir, les volt pourvoir d'enseignemens & sciences introduisibles a toutes vertus; dont pour celle cause fist par solemnels Maistres, souffisans en toutes ces sciences & arts, translater de Latin en françois, tous les plus notables livres. Si come la Bible en 3. manieres, cest a scavoir le texte, & puis le texte & les glosses ensemble, & puis d'une autre maniere allegorisée. Hoc est, Licet autem linguam Latinam calleret, Latinosque libros legens, interprete non indigeret: ita tamen providus fuit, ut ob maximum quo accendebatur in successores amorem, præcipuos Latinæ linguæ libros a viris in omni scientiarum atque artium genere peritis in sermonem Gallicum transferendos curaverit, Imprimis Biblia, & hæc triplici modo, textum nudum, textum cum Glossis, eundemque tandem allegoriarum involucris obductum. Extat *nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum, Græcorum, Latinorum & Gallicorum seu specimen antiquarum Lectionum tam Græcarum quam Latinarum & Gallicarum*, Philippi Labbei Soc. Jesu, editum Parisiis anno 1653. in 4to apud Joannem Henault. Illic plura alia MSS. opuscula Christianæ de Pisan annotantur, quibus ætate sua celebrem ob doctrinam & ingenium inter Gallos tum temporis maxime sordescentes atque incultos claruisse compertum est. *Speciminis Antiquarum lectionum Latinarum & Gallicarum Supplementum VIII.* pag. 308. & seqq. nempe *Analecta quædam ex Catalogo MSS. Codicum qui continentur in secunda parte seu Xysto Bibliothecæ Regiæ & in fasciculis nondum compactis.* Pag. autem 319. Codice 678. *la Cité des Dames par Christine de Pisan.* Idem autem opus, ibidem pag. 345. in *Supplemento IX.* quod pag. 337. *Veterum editionum ante annum Christi M D breviarium* continet ex Xysto Bibliothecæ Regiæ, pag. 345. *Supplementi IX.* Codice 529. *Le thresor de la Cité des Dames, Selon Dame Christine de Pisan, à Paris 1497. in folio.* Ibidem in *Supplemento VIII.* Catalogi pag. 315. Codice 360. *Suivent le livre des faits d' Armes & de Chevalerie par Christine de Pisan: & le livre de la mutation de fortune, en vers.* Ibidem p. 318. Codice 620. *Le Chemin des longues estudes en vers, par Dame Christine, au Roy Charles VI.* Ibidem p. 315. Codice CCCC IX. *Les Proverbes moraux & le livre de Prudence, par Christine de Pisan fille de M. Thomas de Pisan, autrement dit de Bologne. Au precedent est l' Epistre d' Othea mise en vers françois par la mesme, & dedie à Monseigneur d' Orleans fils du Roy Charles V.* Ibidem *Supplemento VIII.* pag. 322. Codice MS. 849. *L' instruction des Princesses & Dames de Cour & autres, par Dame Christine de Pisan.* Ibidem pag. 324. Codice 979. *Le debat des deux Amans de Christine de Pisan.* Hæc omnia ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ, quæ Christinæ hujus famam ac ob eloquentiam celebritatem, abunde testantur.

JOANNES DOMINICI FLORENTINVS, RAGVSINVS ARCHIEPISCOPVS ET S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS, 1400 Florentiæ anno 1355. natus ex obscuris parentibus, sed, quos fortuna quoque illustres reddidit. Hic in adolescentia sua, annum agens ætatis suæ XVIII. vel circa, Ordinem fratrum Prædicatorum anno Christi 1373. ingressus est literarum plane ignarus, sed egregiæ indolis: qui otia refugiens, totum se studio lectionum tradidit, somni tempus vigiliis occupando. Et quia tenacissimæ erat memoriæ, ut nihil semel apprehensum oblivisceretur, & ingenii admodum perspicacis, tempore breviori doctissimus in Logica, Philosophia & Theologia evasit, nec etiam Juris Canonici & Matheseos expers. Qui tamen in libro, quem *noctis Luculam* ad Colluciun Cancellarium Florentinum directum

ctum inscripsit, sub jurejurando testatur, se in nulla scientia habuisse Doctorem: unde quasi alter quidam Augustinus, per se omnia didicit & intellexit, quæ legere potuit. Opera ejus scientiam eius testantur. Functus fuit officio Lectoris in Theologia & concionatoris, in urbibus Italiæ multis non ignobilibus. Scripsit autem *super Ecclesiastem* egregie & diffuse per modum lectionum, quas Venetiis lector existens, civibus publice legit. *Super Cantici Canticorum quoque primum & secundum capitulum*, per modum etiam Lectionum. Diffusa *super Matthæum usque ad caput XIX.* super *Magnificat* non brevi sermone *Commentaria fecit. Itinerarium* insuper *in Psalmos & Cantica Canticorum*, in quo satis devoti sunt sermones. Edidit & *Luculam noctis*, in quo libello nec tamen modico, Christicolas contra invehitur de diuino cultu neglecto, & studio literarum Gentilium, ut pene contemnant divina oracula & Ecclesiasticos libros. Ut etiam illiteratis doctrinam spiritualem relinqueret, Librum in vulgari venusto stylo composuit, quem *Amorem charitatis* inscripsit, exponens illud 1. ad Corinth. 13. capitulum. *Si linguis hominum loquar & Angelorum &c.* per modum sermonum XLIV, si bene recolo, nec simile in vulgari reperitur.

Prædicavit eximie *Quadragesimis* multis Venetiis, Florentiæ maxime, & in aliis Civitatibus, de diversis materiis. Et inter alia una Quadragesima Florentiæ in Ecclesia Cathedrali, *omnes regulas juris quæ habentur in Libro 6. Decretalium* bis per diem prædicavit cum magno concursu audientium: unam mane, alteram vesperi proponendo, cum themate Evangelii vel Epistolæ concurrentis, omnibus admirantibus. Unum solum *Quadragesimale* eius vidi recollectum, ubi cum themate occurrente, proponebat versus Psalmorum unum vel duos, incipiendo a Capite Psalterii Beatus vir &c. in Septuagesima, & continuando versus sequentes, terminavit in feria 3. Paschæ, Psalmum *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, qui est Psalmus IX. Divisiones formando super dictos versus magistrales, & Evangelia ibi includendo. Et in ipsa eadem Quadragesima, legit publice vesperi, Epistolam Pauli ad Romanos, quæ fuit aliqualiter recollecta. Hæc S. Antoninus Ordinis eiusdem & Archiepiscopus Florentinus, eius discipulus, tertia parte *summæ Historialis* tit. 23. cap. 11. §. 3. in testimonium grati erga Magistrum suum animi.

Gregorius autem XII. antea Angelus Corarius appellatus, anno 1406. Romæ die 30. Novembris Pontifex Romanus electus est, ac die 5. Decembris, anno ætatis suæ LXXX. coronatus, sub cessionis conditionibus faciendæ, si id ita paci Ecclesiæ conveniret. Qui Joannem Dominici rebus suis promovendis idoneum arbitratus, illum statim creavit Rogusinum Archiepiscopum, deinde Cardinalem tituli Sancti Sixti, dum annos quinquaginta & unum, vel circiter attingeret. Cum autem anno 1412. grande schisma Ecclesiam attereret, & Triumviratus Pontificum intolerabilis Ecclesiæ videretur: Concilium Constantinense anno 1413. Sigismundo Imperatore curante coactum est, cuius authoritate, cum, quisnam e tribus verus esset Pontifex, dignosci non posset: singulis fasces abrogati sunt, illorumque loco Martinus V. ad Pontificatum promotus est. Quia ergo præ ætate decrepita, Gregorius XII. Constantiam se conferre non poterat, Arimini residens, destinavit Legatum vice sua Gregorius ipse venerandum Cardinalem Joannem Dominici. Peracto Concilio, etiam unione secuta in ipso Martino V. ibi Canonice in Papam electo & coronato, ad requisitionem Domini Imperatoris Sigismundi Legatus in Bohemiam missus est, ad extinguendam hæresim exortam Bohemorum. Qui profectus anno 1417. illuc, cum vidisset Gentem illam in ea hæresi obduratam, nec verbis reduci posse: Imperatori consuluit, ut illos populos gladio exponeret, cum adhuc in potentia debiles essent, ne forte multiplicati, postea domari non possent. Durus visus est Imperatori hic sermo, & carnaliter compatiens corporibus eorum, ne occiderentur & regnum eius desolaretur, non adquievit: forte sperans, per alium modum ab erroribus revocandos. Pergens igitur Joannes Dominici post concilium Sanguinarium, in ciuitatem Hungariæ Budam, infirmatus graviter, Spiritum suum Domino commendans, ad cœlos migravit, sepultus in Monasterio S. Pauli primi Eremitæ cum honore decenti, ubi miraculis clarere dicitur. Obiit autem anno Domini 1418. vel 1419. mensis Junii die 10. ætatis suæ LXIV. Cardinalatus vero sui anno XII. vel circa. Hæc S. Antonius, Archiepiscopus Florentinus, ejus discipulus, parte 3. *summæ Historialis* tit. 23. cap. 11. §. 3.

Quoad autem opera illa omnia quæ ab Antonino referuntur, Liber inscriptus *Lucula noctis* adversus Collucium Salutatum, Cancellarium Florentinum, extat MS. in bibliotheca Medicæa *Florentina*, ut supra in *Collucio Piero* observavimus. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 3357. in MSS. Bibliothecæ Norfolcianæ Londini in Collegio Greshamensi Codice 458. extat *Joannes Dominicus super 6. parte Decretalium*, hoc est, nisi fallor, *Quadragesimale illud* in quo Florentiæ *omnes regulas Juris in 6. parte Decretalium* positas cum Evangeliis adaptavit, iuxta S. Antoninum. Denique *fratris Dominici Florentini de vita & morte Virginis*, MS. in Bibliotheca Florentina Medicæa, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum Codicum illius apud Theophilum Spizelium in *Arcanis Bibliothecarum retectis*, Augustæ Vindelicorum anno 1678. in 8. Hic caute distinguendus est a Joanne Ragusæo, seu de Ragusio, natione Dalmata, qui etiam Ordinis fratrum Prædicatorum

rum, & illius Procurator Generalis, eo nomine ad Concilium Basileense legatus, ineunte anno 1433. adversus Joannem de Rogkisana, Hussitarum Advocatum, octiduo integro disseruit. Extat *Oratio qua respondit per octo dies in Concilio Basileensi, ad Articulum primum Bohemorum, de Communione sub utraque specie, a Johanne Rogkisana propositum*; ex MSS. Codd. Basileensis Bibliothecæ, apud Henricum Canisium Tomo 3. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 1. apud Bzovium in Continuatione Annalium Baronii, ad annum 1433. §. 99. Conciliorum editionis ultimæ, col. 1013. usque ad 1159. Sunt enim qui Ragusæum, in Cardinalium numerum titulo S. Sixti postea cooptatum fuisse tradunt, illumque cum Johanne Dominici confundunt, post cujus mortem tamen floruit. Nam anno 1434. a Concilio Basileensi Constantinopolim missus est, ut Græcos pacis & subsidii spe ad Synodum invitaret. Anno 1438. derelictis Patrum Basileensium partibus, in Eugenii Pontificis castra transiit, & Concilio Ferrariensi interfuit. Anno 1440. Episcopatu Argensi a Pontifice ante biennium donatus, Constantinopolim ad Joannem Imperatorem legatus est. Agunt de Joanne Dominici Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* editionis 1574. pag. 361. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Joannes Dominici*. Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, verbo *Joannes Dominici*, pag. mihi 285. editionis Francofurti 1575. in folio. Abraham Bzovius in Continuatione Annalium Baronii tomo XV. ad annum 1418. §. 9. Omnium autem latissime Successores Joannis Bollandi in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 2. die 10. mensis Junii a pag. 394. ad 418. Antwerpiæ anno 1698. a die 7. Junii ad 16. in quo Vitam ejus a Joanne Caroli Florentino editam cum Commentariis præviis admodum prolixam referunt, ad quos lectorem remittimus, licet diem quo mortuus est, observare omiserim.

1400 RADULFUS DE RIVO, TUNGRENSIS ECCLESIÆ DECANUS, ex Breda Brabantiæ urbe oriundus, in omni scientiarum genere clarus anno 1390. & sequentibus emicuit, multa scribendo, quorum aliqua nobis innotuerunt, *Calendarius* nempe *Ecclesiasticus* Lovanii apud Hieronymum Wallæum editus anno 1568. ex MS. Codice clarissimi Domini Jacobi Pannelii Bragensis, sacræ Theologiæ Licentiati, cujus meminit Joannes Molanus Libro *de Martyrologiis* cap. 7. Opus autem istud ab Antonio Possevino *de Canonum observantia* appellatur, viginti tribus propositionibus constans, quæ eo tendunt, ut professi vitam Canonicam, Canones in officiis Canonicis servent, & Canonicos hoc est bonos mores induant. Incipit, *Religiosis Patribus, Dominis Priori* de Windesheim, quod ex vetustiori editione in VI. volumen *Bibliothecæ Sanctorum Patrum* Margarini Bignæi injectum extat, in editionibus primis Parisiensibus annorum 1575. & 1589. apud Michaelem Sonnium. Itemque in editionibus Coloniensi anni 1624. & Lugdunensi maxima Anyssoniana anni 1677. Idem scripsit *Gesta trium Pontificum Leodiensium, Engelberti a Marka, Johannis de Arkel, & Arnoldi de Horn*, ab anno 1347. ad 1386. sub quibus floruit, quæ primum in lucem edidit Joannes Chapeaville, Canonicus & Vicarius in Spiritualibus Episcopatus Leodiensis, anno 1616. Leodii in 4. tomo 3. *Historiarum Leodiensium*, a pag. 1. ad 58. Acceperat autem Chapeavillus ex variis MSS. Codicibus, & præsertim Cænobii Canonicorum Regularium Tungrensium, quos illius fidei commiserat D. Wilhelmus Herkenroede, ejusdem loci prior optime meritus, ut testatur idem Chapeavillus. Ejusdem *de Psalterio observando* ad Præpositum Viridis Vallis &c. MS. & ipsum autographum fortassis in Cænobio Corsendoncano. Denique *Catalogus librorum MSS. per Belgium*, eodem Radulpho de Rivo collectore, MS. Duaci in Bibliotheca eximii D. Gregorii Colvenerii extare olim dictus est. Loquuntur de *Radulfo* Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 2. pag. 34. Chapeavillus loco citato, a quo hæc habuimus, ubi tamen mendose, eum mortuum anno 1483. posuit. Philippus Labbeus in *Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*, recte mortuum illum anno 1403. die secunda Novembris: alii anno 1403. die X. Aprilis volunt, quibus ultimis ego adhæreo. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Radulphus a Rivo* pag. 785. editionis 1643. Lovanii in 4.

JOANNES FROISSARDUS, CHIMASENSIS, & INSULENSIS THESAURARIUS & CANONICUS, Hannonius, nomen suum posteritati commisit his Historiis, quas scripsit, qui eo majorem meretur fidem, quo diutius Regum & Principum familiis adhæsit, imprimis Philippæ Guillelmi Boni Hanoniæ & Hollandiæ Comitis filiæ, & Eduardi III. Anglorum Regis uxoris, ubi nempe vel coram vidit ea quæ refert, vel ab ipsis, qui viderant & præsentes adfuerant, accepit. Scripsit Libris quatuor *Chronicon sive Historiam* (ut inquit) *memorabilem continentem bella inter Galliam & Angliam ab anno 1324. ad annum usque 1400.* Quam excusam primum Lugduni anno 1559. tomis 4. in folio, sed mutilatam in multis habemus: at recusam illam pleniorem & correctam ad MSS. Codices, & juxta authores authenticos iterato edendam procuravit Dionysius Sauvage, Henrici Secundi Gallicorum Regis Historiographus, Parisiis in folio anno 1574. apud Michaelem Sonnium. Narrat Joannes Vossius Froissardum eo magis fidem mereri, quia diu Regum Principumque familias secutus est, Philippæ imprimis filiæ Guilhelmi Boni, Hannoniæ & Hollandiæ Comitis 1400

mitis, uxoris autem Eduardi III. Anglorum Regis, cujus fœminæ *laudes eximias libris duobus* complexus est, quos excidisse arbitror. Nempe vel coram ea vidit quæ refert, vel accepit ex iis qui vidissent; nomina autem propria male quandoque exprimit, quod & Meierus ad annum MCCCXVII. sibi videri ait. Narrat idem Vossius se vidisse Operis hujus Codicem MS. optimæ notæ, apud Georgium Ratallerum Dublatium, sibi amicum, juvenem ut genere nobilem, ita & Juris utriusque scientia & omni disciplinarum genere præclare excultum. Habebat & ipse Historici hujus translationem Belgicam satis antiquam, & hactenus ineditam. Codex iste Ratalleri tandem in Isaaci Vossii Bibliothecam pervenit 2. voluminibus, atque ab hæredibus ejusdem in Lugduno Batavam nostram Bibliothecam, ubi notat Isaacus Vossius *Historiam hanc esse ampliorem & correctiorem quam in impressis*. Extat autem alius MS. Codex ejusdem rationis, inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium, Codice 2965. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum Codice 66. *J. Froisart Chronique d'Angleterre*, Gallice 2. vol. Et inter MS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ, Codice 1503. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Ecclesiæ Cantuariensis Archiepiscopi, litera K. Codice 77. *Jo. Froissarti Chronicon de rebus Anglicis & Francicis*, Gallice. Quoad autem *Chronici Froissardi veterem translationem in linguam Belgicam*, extat illa inter MSS. Codices Lugduno Batavæ nostræ Bibliothecæ, ut constat ex Catalogo librorum illius anno 1674. Lugduni Batavorum in 4. ubi in MSS. Codicibus pag. 399. num. 4. legitur: *Chronicon rerum in Gallia & aliis regionibus gestarum, auctore Johanne Froissarto, in Belgicum sermonem translatum, interprete anonymo*, 2. voll. in fol. Extat nova Bibliotheca *Manuscriptorum Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum, seu specimen antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum* Philippi Labbei, Parisiis 1653. in 4. apud Joannem Henault. Illic pag. 308. Speciminis *Supplementum VIII.* inscriptum *Analecta quædam ex Catalogo MSS. Codicum, qui continentur in parte seu Xysto Bibliothecæ Regiæ, & in fasciculis nondum compactis*. Ubi Codice 457. pag. 316. apud Labbeum citatum, *Plusieurs traitéz d'Amour & de Moralité composés par Jean Froissart, Thresorier de Chimay, achevés l'an 1394*. Floruit anno 1400. & ultra, cujus mentionem faciunt Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 578. Aubertus Miræus in Auctario suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 452. pag. 265. Andreas Duchesnius in Catalogo speciali Scriptorum *de rebus Gallicis*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 4. pag. 543. ultimæ editionis. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Joannes Froissartus* pag. 503. editionis 1643. Lovanii in 4.

FRANCISCUS XIMENIUS, ELNENSIS EPISCOPUS, & PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS, natione Catalanus ex urbe Gerunda, cujus tempora obscurissima sunt, circa annum 1400. floruisse a Luca Wadingo creditur, in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 140. Scripsit insignem librum *de natura Angelica* editum Compluti anno 1527. item *Tractatum de scala cœli*, opus editum Barcinone anno 1501. Idem, *Pastorale pro instructione Episcoporum & Superiorum*, editum Barcinone anno 1495. in fol. *De Vita Christiana Libros IV.* impressos Valentiæ anno 1484. Valentiæ anno 1496. Scripsisse alia multa opera lingua patria fertur, quæ reperiri dicuntur in Bibliotheca Cænobii sanctæ Mariæ de Jesu prope civitatem Barcinonensem, aliisque in locis Principatus Cataloniæ. Citatur ab Alphonso Tostato Abalensi Episcopo, in Opusculo *contra Clericos concubinarios*, Opus ejus *de vita Christiana*, quod quidem doctissime scriptum & in quatuor partes distinctum, de quo supra diximus. Petrus Salazar *in Chronicis Provinciæ Castellæ* Lib. 2. cap. 23. refert ultra librum *de vita Angelica*, scripsisse de Vitis Sanctorum copiose, sub titulo *Flos Sanctorum*. Multos & valde eruditos Libros composuisse ait Augustinus Esculanus, & floruisse narrat circa annum 1400. sed in eo errat, quod *Patriarcham Alexandrinum* appellat. His Franciscus Ximenius, ab aliis duobus eorundem nominum & cognominum caute distinguendus est, quorum unus erat Hispanus, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, Archicancellarius & Gubernator Hispaniarum, qui maximo sumptu incredibilibusque sudoribus; impressionem *Bibliorum Complutensium* sub summo Pontifice Leone X. procuravit. Factus Archiepiscopus Toletanus anno 1495. inde ad Cardinalatum anno 1507. evectus est, qui obiit Arandæ anno 1517. quinto Idus Januarii. Alter seu tertius Franciscus Ximenius, unus ex duodecim Patribus Franciscanis, qui primi Indis Evangelium intulerunt, ex provincia sancti Gabrielis, Juris Pontificii callentissimus, qui Episcopatum Tarasci Indorum a Carolo V. oblatum recusavit, ut sub abjecto Minorum habitu viveret, multaque scripsit. Mortuus Mexici anno 1540. die 31. Julii, ex *Martyrologio Franciscano* Arturi du Montier. De his duobus ultimis loquitur Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 598. & 599. verbo *Franciscus Ximenius*. Sed de omnibus, seu de tribus istis docte atque distinctim Lucas Wadingus in *Scriptoribus Ordinis Minorum*, pagg. 139. 140. 141. a quo hæc accepimus, ut ipse vicissim quæ de duobus aliis Ximeniis, ab Antonio Possevino acceperat.

1400

1400 JOANNES ROCHEFORD, nobilis Anglus & etiam Eques auratus, quos *Milites* vocant chartæ veteres, floruit anno 1400. vel circiter, qui Opus nobile composuit inscriptum *Flores Historiarum* ad sua usque tempora, quod MS. extat Oxonii in Collegio omnium Animarum Cod. 11. sub hoc lemmate, *Flores Historiarum cum tabula facta per Johannem Rocheford Militem*. Hic Codex in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Oxoniensis notatur num. 1412. in MSS. Codicibus Collegii omnium animarum Codice 11. *Flores Historiarum per Joannem Rochfort Militem, cujus libri prima pars continet vel gesta a principio Mundi usque ad Christi nativitatem: Secunda ab Adventu Christi usque ad adventum Normannorum: Tertia ab adventu Normannorum usque ad finem hujus Operis.* Verum in *Addendis* & *corrigendis* hujus Catalogi pag. 88. col. 1. ita ad num. 1412. corrigitur: *Flores Historiarum* sunt Matthæi Westmonasteriensis, tabulam autem in *Flores* confecit Dominus Johannes Rochfort. Idem Opus in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii litera D. Codice 12. num. 1. vel alia potius ejusdem authoris, qui postea scripserit *Extractum Chronicarum Castrensis Ecclesia per Joannem Rocheford a Christo nato ad annum 1410.* Extat in hoc eodem Codice Collegii omnium animarum, de quo supra diximus, ad Codicis finem, *Extractum Johannis de Rochefort Militis, ex viginti & uno libris Flavii Josephi Antiquitatum Judaicarum, anno Henrici IV. octavo.* Hoc habuimus ex *Ecloga Oxonio-Cantabrigia* Thomæ Jamesii edita in 4. Londini anno 1610. apud Joannem Northon, cujus meminit etiam Jerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 4. pag. 545. ultimæ editionis.

1400 NICOLAUS DE BYART, natione Anglus, Ordinis fratrum Prædicatorum, qui etiam *Nicolaus Bayart* dicitur, claruit anno 1400. de quo ita tribus in locis Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro*, tomo 2. pag. 144. *Nicolaus Bayart Anglus scripsit Librum Distinctionum Theologicarum, Sermones de tempore & de Sanctis, Placita Theologica vixisse fertur anno 1410.* Pagina autem sequenti 145. illum eundem adscribit Ordini fratrum Minorum his verbis, vel alterum saltem, de quo sic scribit: *Nicolaus e Biarto Ordinis Minorum, scripsit Distinctiones in quatuor libros:* certum enim est, quod de Scriptore eodem loquatur. Porro quem Possevinus facit ex Ordine Minorum, ibidem eodem folio immemor sui, aliquanto post, Ordini fratrum Prædicatorum inconstans adscribit, pag. 145. his verbis: *Nicolaus de Byartho, Ordinis Prædicatorum fertur scripsisse Sermones utiles, Distinctiones morales, Summam de Abstinentia. Ita Antonius Senensis ex pluribus Monasteriis Ordinis, sed tacet quo vixerit anno.* Sic Possevinus tribus in locis, ex uno Scriptore tres faciens, quod in hoc casu atque in multis aliis clarum est. Hujus autem Nicolai Biardi *Distinctiones utiles concionatoribus cum tabula Tractatus*, habentur MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 239. Mertonensi Codd. 134. & 195. Magdalenensi Cod. 149. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana Cod. 105. Parisiis in Bibliotheca Collegii Navarrici, & in Choletana Parisiensi Cod. 9. & alibi, ut in Bibliotheca sancti Benigni Divionensis, Cod. 181. Ordinis Divi Benedicti. Idem quoque est cum *Nicolao de Broido*, qui scripsit *Distinctiones in quatuor libros Sententiarum* teste Wadingo in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 263. Hoc adnotasse non inutile fuerit, ut patet, quam apud Nomenclatores Scriptorum frequens sit, ut ex uno duos aut tres Authores faciant *in Apparatibus & Bibliothecis suis.* De illo Nomenclatores, qui de Scriptoribus Ordinis FF. Prædicatorum, vel FF. Minorum scripserunt.

JOANNES ECCLESIÆ BEATÆ MARIÆ GLASTONIENSIS MONACHUS, anno 1400 1400. & sequentibus, tempore Regis Anglorum Edwardi III. floruit, qui scripsit ingens opus *De antiquitate vetusta Ecclesia B. Maria Glastonia, & de quadam augmentatione, quam S. David divina revelatione adjecit, & in honore B. Maria consecravit. Ubi agitur de Sanctis ibi quiescentibus, reliquiis ibidem reconditis, de terris & possessionibus ejusdem, de Sancto Josepho Arimathaensi, & de Sancto Patricio, de Abbatibus usque ad tempora Regis Edwardi III. auctore Johanne illius Abbatia Confratre & Monacho, qui ut ipse fatetur in prologo, Gulielmi Malmesburiensis illius antiquitates ab adventu Sancti Josephi ad annum 1126. describentis, & Ada de Domerscham ejusdem Cœnobii Monachi, eas inde ad annum 1290. deducentis, libros defloravit, & ad annum 1400. historiam continuavit.* Extat illa in Cottoniana bibliotheca sub effigie Tiberii litera A. Codice 5. ut ex Catalogo illius MSS. Codicum impresso Oxonii anno 1696. in folio, constat pag. 19. & 20. unde hæc hausimus.

ARNOLDUS RUDERICUS, Canonicus 1400 Regularis S. Augustini, sacris profanisque literis & oratione ligata æque instructus, ante professionem in Rubea Valle regularem factam, olim Protonotarius & Clericus Curiæ Romanæ ac Bonifacii IX. legatus, anno 1400. celebris fuit ob seculum ejusque mundanas vanitates conculcatas forti animo & Christiano. Cum autem in castris observantiæ regularis cum omnium ædificatione militasset, Prior primus novi Cœnobii anno MCCCCXVII. in pago Elzegemio prope Aldenardam in Flandria fundati constitutus fuit, quam plantationem novam pie annos novem summa cum laude fovit & administravit, anno MCCCCXXVI. mortuus. Scripsit *de modo servandi Ordinem Canonicorum Regularium. Odarum de laude Dei Libros XII. Epistolam apologeticam contra detractores Monasteriorum, Dictarium,* & alia MSS. in Rubea Valle Canonicorum Regularium.

um. Vide Joannis Busschii *Chronicon Windesemense* lib. I. cap. 42. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Arnoldus Budericus* pag. 79. editionis 1643. Lovanii in 4.

1400 GERLACUS PETRI, Daventriensis, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in Cœnobio Windesemensi, vir admodum pius, totusque contemplationi rerum cœlestium addictus, scripsit Libellum asceticum cui titulus *Ignitum cum Deo colloquium*, itemque *De libertate Spiritus*, *cum Exercitiis eo spectantibus*. quæ opuscula MSS. apud Canonicos Regulares Tungrenses. Horum autem primum, ex Latino Belgice redditum per *Nicolaum Hasum*, Ord. Minorum, Coloniæ primo excusum 1616. in 12. deinde correctius accuratiusque per *Johannem Gorcomium*, Silvæducis 1613. Obiit anno Domini MCCCCXI. ex calculi doloribus XIV. Kalendas Decembris, ætatis anno XXXIII. Hæc Valerius Andreas citatus, in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Gerlacus Petri* pag. 287. editionis 1643. Lovanii in 4.

1400 JOANNES HUSS eminuit potissimus inter eos, qui sub Seculi XV, initium litteris & scribendi facilitate claruerunt, insignis ipse doctrinæ Johannis Wicleffi Sectator, atque singularis inter eos, qui Teutonicorum odio in Schola seu Universitate Pragensi tenebantur. Obscuro ille loco natus, ex villa Huss, quæ vox *anserem* significat, *Hussi* vel etiam *Huska* cognomentum mutuatus, ut a nonnullis sed præcipue Bohemis nuncupatus reperitur, Sacerdotio honestatus. Qui cum esset ingenio peracri & lingua diserta, circa annum 1408. Teutonicos Magistros agitare cœpit, sperans eos modo Scholam deserturos, seque puriorem Evangelii doctrinam superstitionibus Ecclesiæ Romanæ retentibus conclamatis, libertate majori & successu prædicaturum. Hujus Academiæ Magistri cum scirent multos jam Wicleffi articulos publice damnatos fuisse in Anglia, Romæ & Parisiis: proposuerunt & ipsi 45. ex ejusdem Scriptis erutos, publice examinandos, eosque uno omnium consensu, hoc ipso anno per solemne Decretum condemnarunt. Suntque iidem ipsi, qui postea in Concilio Constantiensi Sessione 9. enumerati & damnati sunt. Pertinebant ad negationem Transsubstantiationis in Sacramento Altaris, in quo solam corporis Christi figuram esse asserebat, ad destructionem potestatis & authoritatis Ecclesiæ, tam in Divinis quam humanis: ad extinctionem Ordinum Mendicantium, aliorumque Religiosorum, Bonorum Ecclesiasticorum, & Donationum Ecclesiarum & Decimarum, Indulgentiarum, Universitatum, ac Studiorum Pontificiorum. Asserentes insuper, nullum esse Dominum Civilem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum in peccato mortali est: Ecclesiam Romanam esse Sathanæ Synagogam &c. Post ipsa Joannes Hussus non audens amplius prædicare ejusmodi Articulos aperte, clanculum tamen doctrinam hanc esse veram & orthodoxam privatis colloquiis inculcabat. Majora meditatus Hussus ad exturbandos Teutonicos, quos conatibus suis restituros esse noverat, persuasit Bohemis petere a Rege Wenceslao, ut Schola Pragensis ritu Parisiensis, a qua ortum duxerat, deinceps gubernaretur: scilicet ut cum quatuor in ea nationes essent, sola Bohemica cæteris tribus æquipararetur: ita ut in omnibus suffragiis, electionibus, emolumentis, examinationibus & honoribus, tantum posset & reciperet, quantum tres aliæ simul junctæ: quamvis ab ipsa Universitatis institutione ita servatum esset, ut Extranei tres voces, Bohemi unicam quartam haberent, ob paucitatem Externorum, qui tunc temporis studiis operam dabant. Quo factum est, ut cæteræ Nationes his conditionibus reluctantes, quod essent contra primæva Universitatis statuta atque privilegia, omnes uno consensu, pluribus Pragam deserentes, Lipsiam Misniæ Civitatem anno sequenti 1409. commigrarint, ibique florentissimam Academiam constituerint, multis nihilominus ad Erfordiensem in Thuringia paucis ante annis migrare eligentibus. Sicque (inquit Krantzius) plausere sibi Bohemi, quod soli in regno suo permanerent: gavisi suntGermani Romanis faventes partibus, quod a consortio ejusmodi hominum separati, secum in tranquillitate agerent. His vero abeuntibus qui favebant superstitioni recenter in Ecclesiam illatæ, Joannes Huss audacior factus, lingua potens, ac mundioris vitæ opinione clarus Wicleffum antea condemnatum extollere cœpit, ejusque Scripta in linguam vulgarem transferre, ut plebs ejus doctrinam promptius sectaretur & facilius indueret. Ita ergo ab Ecclesia Romana recedentes, Wicleffitarum dogmata seminare cœperunt, contra Romani Pontificis authoritatem, quem cæteris tantum Episcopis, imo & Presbyteris parem faciebant, contra Hierarchiam Ecclesiæ, Ordinem universum Ecclesiasticum & Monasticum, bona illorum, ritus absurdos omnium Sacramentorum, contra templa ac cæmeteria, eorumque ornatus, vota monastica, purgatorium, preces pro defunctis, cultum & suffragia Sanctorum, Jejunia, Festa, Horas Canonicas, aliaque plurima vocem elevantes. De quibus certior factus Subinco cognomine *Lepus*, Archiepiscopus Pragensis, claris natalibus ortus, Pragam confestim ut exortæ tempestati obviam iret, accurrens, modis omnibus incendium enatum extingui procurat. Jussis afferri ad se Librorum Wicleffi exemplaribus quotquot reperiri possent, supra ducenta volumina, pulcherrime conscripta, & bullis aureis tegumentisque pretiosis ornata, publice concremari jussit, Joanni prædicationem interdixit, minis adjectis, si priores in populum errores vulgare auderet. Qui Praga ad tempus

tempus excedens in villam originis suæ, ab officio concionum non cessavit, arbitratus in hanc rem non valere Archiepiscopi prohibitionem. Fuerunt autem & præcipui doctrinæ suæ Socii *Hieronymus de Praga* ab origine dictus, liberalium Artium Magister acutus & disertus, qui eandem in Scholis, quam Joannes in Templis palmam apud auditores obtinebat: & *Jacobellus Mizensis*, non Misnensis ut vulgo vocatur (est autem Miza urbs Bohemiæ) Litterarum doctrina & morum præstantia juxta clarus, qui quæstionem *de communione sub utraque panis & vini specie*, multis defendit. Hæc autem quæ diximus, pluribus tractantur ab Ænea Sylvio Romano Pontifice Pio II. in *Historia Bohemiæ* cap. 35. & *Epistola* 130. Joanne Dubrario Episcopo Olomacensi in *Historia Bohemica* lib. 23. ac copiosius a Joanne Cochleo Theologiæ Magistro & Canonico Vratislaviensi, qui ex variis & antiquis monumentis Historiam Hussitarum Libris XII. collegit. Qui plura voluerit, legat *Bellum Hussiticum, quo M. Johannis Hussii Vita, doctrinaque & mors comprehenditur*, omnia ex Scriptoribus gravibus, veteribus monumentis atque MSS. Codicibus a M. Zacharia Theobaldo Juniore, Wirtembergæ anno 1609, Lingua Germanica primum impressa, quæ certis de causis Jacobus Pontanus Heidelbergensis in latinam linguam translata, Francofurti anno 1621. in folio apud Aubrios fratres edenda procuravit. *Magnum Oecumenicum Constantiense Concilium de universali Ecclesiæ Reformatione, Unione & Fide*, VI. Tomis comprehensum, Ducis BrunswicensiumSerenissimiRudolphiAugusti auspiciis, ex ingenti antiquissimorum & fide dignissimorum MSS. mole digestum, diligentissime crutum ac recensitum, multisque figuris æneis exornatum, opera & studio Domini Hermanni von der Hardt, Cænobii Mariæbergensis Præpositi & Academiæ Juliæ Professoris. Illud Magdeburgi impressum 6. voluminibus in folio, Francofurti & Lipsiæ venditur, de quo *Acta Eruditorum Lipsiæ* Kalendis Junii, anno 1700. p.241.ad 244. In his autem contentionibus ac pugnis, actum utrinque acriter ab Romanis & Hussitis Romanorum hostibus, quorum antesignanus, duxque potissimus Johannes Huss seu Hussius, multos ad doctrinam suam stabiliendam libros composuit, usque ad annum 1415. quo in Concilio Constantiensi, ab Episcopis clementissimis illis viris, a sanguine abhorrentibus, ad vivicomburium condemnatus est, quod forti ille animo passus est, constantiam attestantibus oculatis testibus. Joannis Hussi Opera quæ extant omnia, Norimbergæ in officina Montani & Neuberi impressa sunt, anno 1558. tomis duobus in folio, quorum hæc continentur

TOMO PRIMO.

Historia de Actis & Martyrio Joannis Huss.

Explicatio Symboli, Decalogi, Orationis Dominicæ, cum aliis quibusdam Scriptis, *de peccato mortali, de matrimonio, de cognitione & dilectione Dei, de tribus hostibus hominis & septem peccatis mortalibus.*

De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, quæ omnia in carcere in gratiam Custodum composuit.

De Sanguine Christi sub specie vini a Laicis sumendo, quæstio conscripta, priusquam in Carcerem Constantiæ conjiceretur.

De sufficientia Legis Christi ad regendam Ecclesiam.

Sermo de fidei suæ elucidatione.

Alius sermo *de pace* ad hæc verba, *Pax huic domui &c.*

Epistola LXVIII. Johannis Huss & aliorum sub tempus Concilii Constantiensis scriptæ.

Narratio de initiis & progressu certaminum Joannis Huss, cum factione Pontificia.

Tenor Appellationis ab Archiepiscopo Pragensi ad Papam, contra combustionem librorum Johannis Wickleff.

Actus pro defensione libri Johannis Wicleff de Trinitate.

Replica contra Anglicum Joannem Stokel Wicleffi calumniatorem.

Defensio quorundam articulorum Joannis Wicleffi.

De ablatione bonorum temporalium a Clericis.

Joannes Huss de Decimis.

Replica contra occultum adversarium.

Replica contra prædicatorem Plenensem.

Quæstio de arguendo Clero pro concione.

De quinque officiis Sacerdotis.

Determinatio Quæstionis cum suo Tractatulo, de omni sanguine Christi glorificato.

Tractatus de corpore Christi.

Tractatus de tribus dubiis factis in Holomutz.

Quæstio de Credere.

Bulla Indulgentiarum Papæ Johannis XXIII, pro subsidio contra Ladislaum Regem Apuliæ.

Alia Bulla Commissariis data de erectione Crucis contra Ladislaum.

Quæstio de Indulgentiis, sive de Cruciatu Papæ Johannis XXIII.

Contra Bullam Johannis Papæ XXIII.

Opusculum de sex erroribus compilatum, & parietibus Bethleemiticis inscriptum.

Tractatus de Ecclesia, pronuntiatus publice in Ecclesia Pragensi.

Responsio ad scripta M. Stephani Paletz, Theologiæ Doctoris.

Responsio ad Scripta M. Stanislai de Zuoyma, Theologiæ Doctoris.

Refutatio Scripti octo Doctorum Theologiæ.

Repetitio Magistri Joannis Jessenetz, Doctoris Juris Canonici, pro defensione causa M. Joh. Huss.

Liber de Antichristo & membrorum ejus anatomia.

Liber de regno, populo, vita & moribus Antichristi.

De Sacerdotum & Monachorum abhorrenda abomina-

abominatione desolationis in Ecclesia Christi: cui Scripto in hac editione accesserunt reliqua Capita omnia a 46. usque ad finem.

De abolendis Sectis & traditionibus hominum.

De pernicie traditionum humanarum.

De unitate Ecclesiæ & Schismate.

De Evangelica perfectione.

De Mysterio iniquitatis, fragmentum.

De revelatione Christi & Antichristi, fragmentum secundum, & alia fragmenta quædam.

TOMO SECUNDO.

Historia Gestorum Christi, ex quatuor Evangelistis in unum collecta, & secundum tres annos prædicationis ejus distincta.

Historia Passionis Christi ex quatuor Evangelistis collecta & Scholiis illustrata.

Conciones Synodicæ.

Sermones viginti octo.

Explicatio in septem priora capita Epistolæ primæ sancti Pauli ad Corinthios.

Commentarii in Apostolorum septem Epistolas Canonicas.

Enarratio Psalmi 109. & novem sequentium Psalmorum.

De corpore Christi in Sacramento Altaris, quod non creetur, neque incipiat esse, contra crassos Papistarum errores.

De adoratione & contra Imaginum adorationem.

Carmen Joannis Hussi de cœna Domini.

Narratio Historica de condemnatione & Supplicio Joannis Hussi.

Narrationes duæ de Magistro Hieronymo Pragensi. Epistola Poggii Florentini de eodem.

Sermo habitus in Bethleem a quodam pio in memoriam Hussi & Hieronymi Martyrum.

Assertio communionis sub utraque specie, Universitatis Pragensis.

Revocatio cujusdam Petri Monachi Pragensis.

Testimonium Universitatis Oxoniensis de vita & doctrina Joannis Wicleffi. Hæc in Collectaneo isto habentur.

Anno autem 1415. in Concilio Constantiensi, Sessione XV. habita die Sabbathi sexta Julii, sub præside Joanne Cardinale Ostiensi, ac præsente Rege Sigismundo, quod in ea de fide & Wicleffi atque Johannis Hussi condemnatione agendum esset, ac propterea quietius & attentius res audiri deberet: post solemnia facta, introductus in medium Synodi Joannes Huss, accusatus & per delegatos convictus Hæreticus, altoque sedili ut ab omnibus conspici posset, constitutus est. Inde silentio facto damnata in multis articulis Johannis Wicleffi doctrina est tum contra Joannem Huss ibi præsentem Johannis Wicleffi discipulum ac defensorem, virum (ut inquiunt) seditiosum, obstinatum & incorrigibilem, aliorumque errorum pervicacem defensorem, & vastum inversorem, improbum dictorum inficiatorem, & callidum cavillatorem reperitur, quem & per hostes convictum, hæreticum denunciavit in plurimis articulis de *Ecclesia, Romano Pontifice, Ordine Sacerdotali, Dominio Civili & Ecclesiastico, operibus præscitis & prædestinatis, de munere prædicationis & defensione doctrinæ Wicleffi.* Inde Synodus omnia ejus scripta publice cremari statuit, ipsumque degradari, & seculari brachio relinqui decrevit. A qua post consueti ritus degradationem abductus, combustis prius ejus scriptis, ipse etiam vivus per rogum & incendium e vivis sublatus est. Cujus rei circumstantias cum non extent in Actis Concilii, referunt plurimas Æneas Silvius seu Pius Papa II. in *Historia Bohemiæ* cap. 36. & Antoninus 3. parte *Summæ Historialis* tit. 22. cap. 6. §. 3. Sed prolixe aliis ejus temporis testibus, ipsisque etiam Hussitis, Cochlæus in Historia hujus Hæreseos. Tradunt autem multis cum precibus & Psalmorum cantibus combustionem suam prævenisse, magnaque animi fortitudine suscepisse rogum. Denique & Prophetam fuisse alii scribunt, qui paulo ante mortem dixerit, *Centum revolutis annis Deo & mihi respondebitis:* Itemque, *Nunc quidem anserem comburitis* (Id enim Huss significat) *sed post centum annos Cygnus existet, quem non comburetis:* quibus intelligi voluit Lutherum, annis centum post Hussum celebrem. Sed figmenta hæc esse ex posterioribus factis composita ad decipiendas simplicium animas, docuit longe postea inter alios Jacobus Gretser Libello Germanice *De numismate ab Hæreticis Germaniæ cuso, in laudem Hussi, Lutheri & Rabi,* sub figura anseris, cygni & corvi. Interim combusti cineres, reliquiæque rogi conjectæ fuere in flumen Rheni præterfluentis, ne ab eius sectatoribus & discipulis ad venerationem servarentur: qui nihilominus terram in qua ignis accensus est, haud omiserunt ad id ipsum eradere atque in patriam referre, ac pro sacra habere. Cujus & tanti Martyrium (ut vocabant) fecerunt, ut narret Cochlæus Lib. 4. eo ardoris quendam eorum Sacerdotem, in ipsorum Ecclesia Metropolitana Bethleem dicta, in qua Huss sermocinari consueverat, concionantem erupisse, *ex omnibus Martyribus qui præcesserant, nullius eorum passionem, sed solius Christi, posse Hussi passioni comparari.* Inde Barones quoque ac Nobiles, qui ejus sectæ adhærebant, atroces & minaces scripsisse ad Concilium litteras, atque inito inter sese fœdere, ad ejus doctrinæ defensionem conspirasse intelligitur, tam ex iisdem Litteris, quæ extant in *Paralipomenis*, ad Abbatem Urspergensem, cum subscriptione illorum omnium: quam ex citatione Concilii contra eos decreta, & Sigismundi Regis Litteris ad eosdem scriptis, quæ apud Cochlæum Lib 4. *Historiæ Hussitarum* leguntur. Plura de *Joanne Husso*, omnes qui Ecclesiasticos Baronii Annales continuarunt usque ad ultima tempora, atque illi omnes qui *Summas de Hæresibus* hoc nostro seculo composuerunt.

1400 THOMAS RUDBURNUS, MENEVENSIS EPISCOPUS, senior dictus, ut ab juniore distinguatur: natione Anglus, in pretio erat, temporibus Henrici IV. Anglorum Regis, imo & Henrici V. vir multiplici eruditione instructus, Theologus insignis, Mathematicus eximius, anno 1402. unus erat ex Procuratoribus Academiæ Oxoniensis, qui tandem & anno 1420. ejusdem Cancellarius extitit. Constitutus est etiam Præses sive Præpositus Collegii Mertonensis, deinde Archidiaconus Sudburiensis, ac tandem (quo tempore incertum) Menevensis Episcopus. Nonnulla Scripta reliquit, atque inter illa præcipue insigne *Chronicon* memoratur, quod ab aliis appellatur *Historia Major Thomæ Rudburni*, quam habes MS. Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti Cod. 319. & privatim in Bibliotheca Batonis Lumleji Cod. 279. Notat tamen Henricus Warthon in Præfatione ad Tom. I. *Angliæ Sacræ* anno 1689. in fol. Londini impressо apud Richardum Chiswel pag. XXVI. num. 30. *Historiam Majorem non pertinere ad hunc Rudburnum Episcopum Menevensem*, sed ad alium ejusdem nominis & cognominis *Juniorem* dictum, qui circa annum 1469. floruit, de quo nos loquemur ad annum 1460. latius, Vossii errorem ex Warthone correcturi. Hic Præpositus Collegii Mertonensis, suis sumptibus turrim supra portam Collegii construi curavit, quem anno 1434. annisus est Rex ad Eliensem Episcopatum transferre, sed conatu frustraneo. Quonam anno obierit, non constat. Agunt de illo ejusque Chronico Franciscus Godwinus in Opere *de Præsulibus Angliæ* pag. 612. ubi de *Episcopis Menevensibus*. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 799. Ecloga Oxonio-Cantabrigia Thomæ Jamesii in Catalogo Artistarum seu Artium Liberalium, pag. 100. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. 559. ultimæ editionis.

1400 BOSTONUS BURIENSIS, natione Anglus, in Comitatu Sudovolgiorum, Monachus Abbatiæ S. Eduardi Buriensis, Ordinis divi Benedicti, gloriam non modicam, temporibus Henrici IV. Anglorum Regis, qui circa annum 1400. insulam hanc regere cœpit, adeptus est. Hic Bostonus præter *Cœnobitarum Speculum* & *Volumen de rebus sui Cœnobii*, quod reliquisse dicitur, compatavit sibi imprimis nomen Commentario, cui titulus est, *Catalogus Scriptorum Ecclesiæ*, qui MS. asservari scribitur a Joanne Sheldeno in Præludiis suis ad *decem Scriptores Ecclesiæ Anglicanæ*, Londini in Bibliotheca Cottoniana. Quædam in hoc Opere ex Cassiodoro, Isiodoro, Beda, Burchardo Wormaciensi, Hugone de Sancto Victore, Gratiano, Vincentio Bellovacensi, aliisque Scriptoribus authenticis & apocryphis adjecit, quæ sincera opinatus est, Quod sane Opus magno ei labore, multoque sudore, stetit. Quippe cum universas Angliæ Abbatias, earumque Bibliothecas lustravit, Scriptores secundum litterarum seriem digesserit, ætatem etiam ac vitam addiderit, & quibus in Cœnobiis monimenta eorum invenirentur, aperuerit. Extitit quoque olim hoc Opus MS. apud Jacobum Usserium Archiepiscopum Armachanum, nunc autem apud Thomam Gale S. Theologiæ Professorem. Hujus meminit Joannes Balæus in Opere *de Scriptoribus Angliæ*, Centuria 7. cap. 48. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 4. pag. 546. ultimæ impressionis Henricus Warthon in continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1410. pag. 90.

RICHARDUS SCROPE, primum Baccalaureus & Magister Artium Oxoniæ, postmodum Doctor utriusque Juris Cantabrigiæ. 1400 Advocatus pauperum in Curia Romana, deinde Lychfeldæ Episcopus, tum postea Eboracensis Archiepiscopus, jura Regis Richardi graviter tutus est anno 1399. contra Henricum quartum Angliæ Regni injustissimum occupatorem, Rege legitimo ab eodem deposito & in turrim Londinensem conjecto. Contra hoc facinus acriter insurrexit, causamque depositi defendendam suscepit Opella quæ inscribitur *Articuli V. Domini Richardi Scrope, Archiepiscopi Eboracensis contra Henricum quartum, intrusorem Regni Angliæ, anno Domini 1399.* qui MSS. extant in Bibliotheca Collegii Corporis Christi Cantabrigio, cum Historia *de Richardi Martyrio* Clementis Maydestone Sciptoris suppares. Utramque opellam imprimendam curavit Henricus Warthon Tomo 2. *Angliæ Sacræ* pag. 392. & 369. *Articulos* quoque *Richardi Scrope* habet Continuatio Historiæ Petri Jekhan ad annum 1468. deducta, quæ in Bibliotheca Lambethana asservatur. Tam constans fuit in tutanda Richardi Regis injuria per Henricum IV. illata, & accusanda usurpatione injusta hujus etiam occupantis, ut hanc ob solam causam morte mulctatus sit anno MCCCCV. 8. die mensis Junii, quæ fuit tunc feria secunda Pentecostes. Cum autem Rex Henricus quattus id in mandatis dedisset Willelmo Gascoyne Armigero tunc justiciario Angliæ principali, illeque hac in parte Regi obtemperare renuisset: Dominus Willelmus Fulthop miles & non judex, sententiam mortis in eum juxta voluntatem usurpatoris tulit. Agunt de *Richardo Scrope* quicunque scripserunt de *Archiepiscopis Eboracensibus*, sed seorsim qui Articulos ejus edidit Henricus Warthon in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ Sacræ* num 18. pag. XIX. a quo hæc habemus.

PAULUS ANGLICUS hac tempestate ea- 1400 dem clarus ob juris Canonici scientiam, emisit in lucem opus anno 1404. quod inscripsit *Speculum aureum contra Romanam Curiam, Prælatos ac totum Clerum, in quo Petrus & Paulus se perpetuo colloquuntur, compositum autem tempore*

tempore Schismatis anno 1404. sub Bonifacio Papa IX. ejus pontificatus anno XV. uti author ipse diserte testatur in fine Operis. Extat Opus istud manuscriptum ipsum anonymum inter MSS. Codices Chartaceos Basileensis Bibliothecæ, quorum Catalogum Basileæ anno 1661. celeberrimus Joannes Buxtorfius, Bibliothecarius ejus loci, benigne communicavit Theophilo Spizelio. Ita Theophilus Spizelius in *Arcanis Bibliothecarum detectis*, Augustæ Vindelicorum anno 1668. editis, in 8. typis prætorianis, in Basileensis Bibliothecæ Manuscriptis Chartaceis litera S. pag. 45. hoc titulo: *Speculum aureum contra Romanam Curiam, Prælatos ac totum Clerum, in quo Petrus & Paulus se perpetuo colloquuntur, scriptum tempore Schismatis anno 1404. sub Bonifacio IX. Papa. ejus anno XV.* Opus istud absque authoris nomine, editum primo fuit anno 1555. in Germania, ac forsitan ex MS. Codice Basileensi anonymo, ut scribit Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo Testium Veritatis* libro XIX. post Theodoricum a Niem. Illud autem postea cum proprio authoris nomine recudendum curavit Melchior Goldastus Haiminsfeldius Tomo seu volumine 2. *Monarchiæ Sancti Romani Imperii* pag. 1527. editionis Francofurti 1614. in folio, cui hunc Scriptorem detectum debemus. Edendum denique curavit in *fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum*, duobus in folio Voll. edito Londini anno 1690. cura & studio *Eduardi Broun*, Pastoris Sundrigiæ in Agro Cantiano apud Richardum Chiswel To[illegible] seu Volumine 2. pag. 63. ad 101. Item edendum antea curaverat, in *Antilogia Papæ* anno 1555. Wolffgangus Wittembergius Theologus, ut habet idem Eduardus Broun. Mentionem hujus Scriptoris faciunt Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis, qui Pontifice Romano & Papismi erroribus ante nostram ætatem reclamaverunt*, editionis Lugdunensis 1597. 2. tomis in folio, & editionis alterius Genevensis anni 1608. in folio, lib. XIX. pag. seu columna 1859. Joannes Wolphius, Lectionum memorabilium seu reconditarum Volumine I. Centuria XV. ad annum 1404. pag. 736. editionis Lavinganæ, 2. Voll. in folio, unde magnum exceptum hac pag. & sequente profert. Editum fuisse hoc opus absque authoris nomine, anno 1555. in Germania, narrat post Matthiam Flacium Illyricum, sub titulo, *Speculum aureum Papæ & reliqui Cleri*, vel Dialogus de insolentiis Curiæ Romanæ. Denique Henricus Wharton in *Supplemento historiæ Litterariæ Guilielmi Cavi*, ad annum 1404. pag. 78. quem consulas.

1400 AYMERICUS DE PETRACO, Abbas Sancti Petri Moissiacensis, Ordinis divi Benedicti, Congregationis Cluniacensis, Diœcesis Caterroensis, floruit temporibus Petri Aymerici 84. Bituricensium Archiepiscopi, qui anno 1405. vixit, atque Johannis Ducis Bituricensis, qui Sacellum Sacrum Bituricense fundavit, de quibus videas Patriarchium Bituricense authore Monacho S. Sulpitii pagg. 129. & 130. tomo 2. *Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Codicum* Philippi Labbæi. Scripsit Aymericus de Peyraco *Chronicon* ad sua circiter tempora pertingens, quod extat MS. Latine in Codice MS. 2835. Bibliothecæ Colbertinæ, ut testatur ejus custos Stephanus Balucius passim in Notis ad Vitas *Paparum Avenionensium*. Eduxit ex hoc *Chronico* Vitam Urbani V. Romani Pontificis, natione Gabalitani, qui anno Domini 1362. die 28. mensis Octobris, in Papam Avenione electus, & die 6. Novembris immediate sequentis consecratus & coronatus, anno 1370. Pontificatus sui IX. die 19. mensis Decembris obiit. Eductam hanc Vitam inseruit Vitis Paparum Avenionensium Tomo I. col. 416. & sequentibus. Eduxit quoque ex eodem fragmenta varia in Notis ad has Vitas, ut col. 589. ubi de Templariorum suppressione. Col. 875. ubi de obsidione Calesii ab Rege Anglorum Eduardo. Col. 684. ubi de Clemente Papa V. differit, & fundatione Ecclesiarum Usestæ & Vilhandrandi. Col. 1316. „In Chronico Aymerici de Peyraco Abbatis Moyssiacensis, post enarratam obsidionem palatii Avenionensis adversus Benedictum XIII. & post decretum de subtractione obedientiæ anno MCCCXCVIII. editum, additur. *De facto quidam Cardinales foventes partem Papæ de non renuntiando dolenter captivati, & quidam Cardinalis a casu infra Palatium combustus, alter mortuus in carcere dum pergeret in habitu difformato de Mandato dicti Papæ ad partes Arragoniæ, de cujus patria idem Papa originem traxit.*“ Col. 1378. agens de itinere Caroli VI. Regis Franciæ ad urbem Tolosam, id quod anno MCCCLXXXIX. contigit, illud probat ex eodem Chronico Aymerici de Peyraco. Idem Abbas Moyssiacensis scripsit *de gestis Caroli Magni ad Johannem Ducem Bituricensem*, quod extat in Codice MS. Latino 1344. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, ut testatur Carolus du Fresne, Dominus du Cange in Catalogo Scriptorum Latinorum, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* col. 82. Hunc ergo Scriptorem hactenus incognitum, ab his duobus Scriptoribus Gallis insignibus, accepimus. Jamdiu Abbatia hæc Moyssiacensis, ad seculares expulsis Monachis transiit, tanta illius antiquitatum oblivione, ut paucorum duntaxat Abbatum nomina existant, Tomo 4. *Galliæ Christianæ* verbo *Moyssacum*.

ANTONIUS PARMENSIS, de quo videt 1400
Johannem Trithemium in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum MCCCCXXI. hoc eodem tempore clarus eloquentia, plurimis ad populum pronuntiatis & scripto datis concionibus, celeberrimus extitit. Videtur primum Ordinem fratrum Prædicatorum amplexus esse, inde autem transiisse ad Ordinem fratrum Camaldulensium, quorum & Prior Generalis

neralis evaserit. Nam plures illis temporibus instituto uno Regulari quod professi fuerant relicto, aliud quod magis ipsis arridebat, absque scrupulo amplexabantur. Adducor ad hanc mentem ex Sermonibus MSS. *Antonii Parmensis*, quem Codices, nunc Ordinis fratrum Prædicatorum, nunc Camaldulensium designant; nisi tamen duo ejusdem nominis atque cognominis & occupationis extiterint tempore eodem, quorum unus in Ordine fratrum Prædicatorum, alter apud Camaldulenses ob conciones suas clarueril. Nam inter MSS. Codices Bibliothecæ SS. Joannis & Pauli Venetiis, extant *Antonii Parmensis Prædicationes* in 4. membrana, ut habet Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. Venetarum tam Publicarum quam Privatarum, quem Utini anno 1650. in 4. edidit. Item in Bibliotheca fratrum Eremitarum Augustinianorum Patavina *Sermones Quadragesimales Fr. Antonii Parmensis Ordinis Prædicatorum* in 8. membrana ut habet Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. tam Publicarum quam Privatarum, quam Utini anno 1639. in 4. emisit. Hic ob præclaras animi dotes, Prior Generalis factus Ordinis Camaldulensis in Italia, a fratribus missus ad Concilium Constantiense, huic sub Imperatore Sigismundo cum laude interfuit, cujus extant *Sermones Latini de Tempore*, quorum principium, *Cum appropinquasset Jesus Hierosolymam &c.* MSS. in folio in charta apud Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem, inter Codices Manuscriptos ab arce Ambrosiana in hanc bibliothecam allatos, num. XXXVI. ut testatur Petrus Lambecius Tomo 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 775, cujus in voluminis fine descriptionem illorum anno 1452. absolutam esse legimus. Quod autem Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. mihi 556. scribit, *Ambrosium Camaldulensem obiisse Constantia, defunctum funebri oratione decorasse discipulum ejus Pogginm Florentinum*; hoc infra esse impossibile in *Ambrosio Camaldulensi docebimus*, qui neque Poggii Florentini Magister unquam fuit, neque ante Poggium, sed multo post ipsum mortuus est. At verissimum est de *Antonio Parmensi*, qui ante ipsum Ordinem Camaldulensem administravit, atque in hoc Concilio Constantiensi, cui interfuit, mortuus legitur. Cujus cum Poggius Florentinus, qui illic etiam aderat, discipulus extitisset: nullus ambigo, quin Magistrum suum, in hoc Patrum consessu celebrem, oratione funebri posteris simul ac præsentibus commendaverit. Mortuus ergo *Antonius Parmensis* circa annum 1418. nec annum enim determinatum habeo, quem Gerardus Joannes Vossius, male pro *Ambrosio Camaldulensi* eius in regimine Ordinis Camaldulensis Successore accepit. Meminit hujus Scriptoris Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Antonius Parmensis*, quem scripsisse *Sermones de Tempore*, *de Sanctis*, *ac Quadrigesima atque floruisse anno 1420.* scribit. Nec dubium mihi, quin mentio illius ampla habeatur, apud Augustinum Florentinum in *Historia Camaldulensium*, quam tribus libris conscripsit, editam Florentiæ anno 1575. in 4.

MATTHÆUS AULÆ REGIÆ MONACHUS, juxta Pragam Bohemiæ Metropolim, ex instituto Ordinis Cisterciensis, Sacræ Theologiæ Lector & Doctor, Vir in disputando subtilis & acutus, quem multi circa annum 1515. floruisse male scripserunt. centum circiter annis postquam vere floruit. Celebris fuit enim ob doctrinam inter Germanos circa annum 1400. & sequentes, cum Johanne Hussio Pragensi sæpe congressus, quem frequenter cum suis Sectatoribus omnibus confudisse juxta Pontificios Scriptores dicitur: quo facto eosdem ita exacerbavit, ut in mortem ipsius unanimiter conspirarent. Sed hic furori illorum cedens juxta Christi præceptum, in Misniam ad Monasterium Veteris Cellæ, ejusdem Cisterciensis disciplinæ se contulit, in quo fratres assidua Sacrarum Scripturarum Lectione instituendo atque erudiendo, reliquum vitæ in pace peregit. Composuit *Lecturam Scholasticam in omnes Psalmos*, satis laudandam, teste Sixto Senensi in Libro 4. *Bibliotheca Sancta*. Item *Commentaria docta in Magistrum Sententiarum. Commentaria in Evangelium Sancti Matthai, & in Hymnos Ecclesiasticos.* „Guillelmus Eisengrenius in *Catalogo testium veritatis* de" hoc Matthæo agens, scribit illum fuisse Ora-" torem facundum & Theologum exercitatissi-" mum, atque alia adhuc quædam reliquisse in-" genii sui monumenta, Ecclesiæ profutura." Ejus pleraque Opera extant MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum Codicum hujus Bibliothecæ, impresso Lipsiæ in 16. anno 1686. cura Joachimi Felleri Bibliothecarii, cujus hic tibi paginas ubi de MSS. Codicibus Matthæi agitur, cum Operibus indicamus. *Commentarius Matthai de Aula Regia in Evangelium Matthai*, ibi pag. 72. num. 8. *Commentarius in tertiam quinquagenam Psalteris*, pag. 180. num. 32. *Ejusdem Matthai Expositio in Hymnos Sacros Ecclesia*, tomis duobus pag. 180. num. 33. & 34. Illius meminit Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Scriptorum*. Josias Semlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri*, verbo *Matthaus Aula Regia Monachus*, pag. 589. Balthasar Vertinus in *Appendice* ad Librum Trithemii de Scriptoribus Ecclesiasticis. Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus Sacri.* Carolus Wischius Prior Beatæ Mariæ de Dunis, in *Bibliotheca Ordinis Cisterciensis*, pag. 239. & alii.

1400

HENRICUS KALKARIENSIS, cognomento *Æger*, patria Clivius, Theologus Parisiensis, ab anno 1400, ad 1448. claruit, qui

1400

qui Ordinem Carthusianorum Monachorum postea amplexus est, Prior etiam domus S. Barbaræ in Colonia Agrippina constitutus. Scripsit juxta Vossium, quem heic produco, *De ortu & progressu Ordinis Carthusiensis*, Opusculum, hactenus ineditum, sed ab Arnoldo Bostio in Libro *de Viris illustribus Ordinis Carthusiensis*, cap. 12. laudatum. Extat autem inter MS. Codices Basileensis bibliothecæ, qui in charta sunt, litera K., *Henrici Kalkar Ordinis Carthusiani Tractatus de ortu & progressu sui Ordinis in* 4. Ejusdem *Epistola de rebus diversis tractans*, in folio. Ita Theophilus Spizelius in *Scriptores Bibliothecarum Arcanis retectis* anno 1668. Augustæ Vindelicorum in 8. ubi Basileensem Bibliothecam inseruit, juxta designationem ipsi anno 1662. a clarissimo Johanne Buxtorfio factam. Obiit octogenarius Henricus anno 1448. de quo plura Theodorus Petrejus in *Bibliotheca Carthusianorum*, quæ cum Opusculo Arnoldi Bostii, de quo supra egimus, Coloniæ Agrippinæ anno 1607. in lucem prodiit. Franciscus Sweertius Antverpiensis in *Athenis Belgicis* verbo *Henricus Kalkar* pag. 331. editionis 1623. Antverpiæ in folio apud Guillelmum a Tungris, juxta quem Henricus Kalkariensis anno MCCCCXLVIII. diem ultimum clausit, in pervigilio S. Thomæ Apostoli, ætatis LXXX. de præsentibus ac posteris ob pietatem doctrinamque optime meritus. Gerardus Joannes Vossius Lib 3. *de Historicis Latinis* cap. 3. pag. mihi 540. editionis ultimæ.

1400 HENRICUS DE BALMA, quem de PALMA alii male appellant, Vir fuit magnæ perfectionis & virtutis, Confessarius Sanctæ Coletæ Virginis, Ordinis S. Francisci, teste Wadingo tomo 4. *Annalium Minorum* anno 1380. n. 18. & 25. Cognominatus autem non *de Palma*, uti in MS. passim legitur, sed *de Balma*. Urbecula antiqua seu oppido Burgundiæ Sequanæ, ex qua originem habuit ac cognomentum sortitus est. Ex litera autem inferioris partis B. in Originali, opinor illi advenisse in apographis, cognomen *Henrici de Palma*, cum urbeculam Balmam paucissimi nossent. Scripsit *Librum Mysticæ Theologiæ*, incipientem *Via Sion lugent &c.* hucusque S. Bonaventuræ attributum & cum ejus Opusculis impressum. Extat MS. in antiquis pluribus Galliæ nostræ Bibliothecis, in Bibliotheca Casalis Benedicti ubi inscribitur, *Henricus de Balma de triplici via ad Sapientiam.* Incipit *Via Sion lugent &c. Licet hoc verbum dixerit Jeremias &c.* In Bibliotheca Beatæ Mariæ de Lyra vocatur, *Stimulus amoris Divini, Henrici de Balma.* In Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, littera KK. 14. inscribitur, *Henrici de Balma de triplici via ad Sapientiam:* unde post tot MSS. Codices nullum dubium esse potest, quin ad Henricum de Balma, & non ad Bonaventuram pertineat. Cum autem Confessarius B. Coletæ Virginis per annos 34. nempe ab anno 1405. ad 1439. quo sanctissime ille obiit, extiterit: non ambigo quin intra hanc omnem otii intercapedinem, adhibuerit calamum variis conscribendis pietatis Opusculis, quorum aliqua adhuc MSS. inveniuntur in Bibliothecis. Unde extant sub ejus nomine in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, *Liber de imitatione Christi. Ejusdem de compunctione. De interna consolatione.* Itemque alius Tractatus incipiens, *Venite ad me omnes &c.* Soliloquium animæ, cujus initium, *Consolationis gratia &c.* ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ impresso Lipsiæ anno 1686. pag. 90. num. 54. Quæ Opuscula ex titulis magnam videntur habere similitudinem, cum Opusculis extantibus sub nomine Thomæ a Kempis. Obiit *Henricus de Balma* Vesuntione anno 1439. die 23. Februarii, sepultusque est in Capella Beatæ Annæ Monasterii Sanctæ Claræ Vesuntinæ urbis, in præsentia B. Coletæ Virginis Præfatæ. Cujus mentionem faciunt Scriptores potissimi *Vita Beatæ Coletæ Virginis*, apud Bollandistas & Serrium ad diem 6. Martii, Marcus Ulyssipponensis 3. parte *Chronici Ordinis Minorum* Lib. 3. cap. 3. & 4. Arturus du Montier in *Martyrologio Franciscano* pag. 72. ad diem 23. Februarii.

SYMEON ARCHIEPISCOPUS THESSALONICENSIS, circa annum 1410. & sequentes, floruit. 1410 Illius multi mentionem honorificam faciunt, quibus non inconcinne præeat illud elogium, quod contexuit Eugenicus Nomophylax Thessalonicensis huic contemporaneus, quodque in Synodico Dominica Orthodoxiæ in Ecclesia Thessalonicensi recitari solito, appinxit. „Symeonis beatæ memoriæ sanctissimi Thessalonicensis Archiepiscopi, qui extremæ & spiritalis Sapientiæ super humanum captum repletus, in ascetico seu potius Angelico instituto, & vitæ ratione excelluit, eamque cum summa virtute & laude perfectissime egit, & secundum Christum sui depressione, virtutum excellentia juxta divina promissa mentiri nescia exaltatus, per actionem in speculationem ascendit, Indeque ita annuente Deo & fax lucifera super candelabrum posita & super excelsum montem ut clarissimus veritatis præco ascendens, dulcibus Splendoribus suis, nempe instructionibus, non tantum propriam hanc celeberrimam Metropolim, sed universum etiam terrarum orbem Solis instar illuminavit: & erga Deum & proximum, amorem, si quis alius, ostendit. Et sacris cantibus Sanctorum choros & ex propriis exornavit, quorum vitam æmulatus confecit. Angelicis vero venerandis, ac plane divinis moribus & totus statu hilari, vere Deiter re & visu, & zelum Eliæ fervidum quispiam dixerit, propriis acutisque Ecclesiæ dogmatibus enutrivit. Et diebus singulis suavi doctrinæ latere irrigabat, & sermonibus flexanimis ac

„jucundis & loquela melliflua universos, velut Syrenum ui quadam, quæ verbis exprimi nequit, trahebat ad se, detinebatque. Et antiquorum veluti signum & expressum simulacrum, & pietatis columnam, & civitatis regulam, & Christianæ Vitæ typum, propriam vitam ostendere summo studio conatus est, hisque homines universos, qui aliter ac nos de fide sentiebant, in stuporem & laudem & glorificationem magni rerum omnium Dei excitavit, memoria sempiterna. His bene lavit suum Ethiopem Eugenicus (juxta Allatium) cujus ex Scriptis hæc omnia mendacia & falsa esse, quæ ille de doctrina & loquentia tradit, manifeste constare vult Allatius. Quis autem nobis in aliis, eum vera dicere, asseverabit? Sub Joanne Manuelis filio, Manuele ipso, nec non Joanne Cantacuzeno Imperatoribus, vitam egit. Quod etiam videtur subodoratus Joannes Marinus, *Annotationibus* in Antiquos Libros Pœnitentiales, pag. 125. his verbis. „Quando scripserit Symeon, mihi est ignotum. Sexcentis annis majorẽ esse indicat Possevinus, sed multo juniorem existimo. Scripsit quidem stante adhuc & nonnihil florente Græcorum Imperio: post Balsamonem & Francos Græcia ejectos scripsisse, vix dubito. Sæpe data occasione in Latinos invehitur, & hæc de Symeonis ætate satis. Scripsit Symeon Thessalonicensis Archiepiscopus *Volumen egregium de septem Ecclesiæ Sacramentis*, cujus Exemplar integrum Romæ in Bibliotheca Vaticana conservatur. Hinc exscribi curavimus *Libellum de Sacramento* pœnitentiæ, quem nunc Latinitate donatum edimus. Cum Romæ essemus, multa sparsim notatu digna, ex hoc Libello excerpseramus: sed postea utilius fere judicavimus, si integer ederetur: ideo postmodum operam dedimus, ut integer nobis exscriberetur. Aliud istius *Voluminis de fide & septem Ecclesiæ Sacramentis* Exemplar extat Viennæ in Bibliotheca Cæsarea, ut author est Gesnerus in *Epitome Bibliothecæ* suæ, & Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro*. Refert præterea Possevinus Fredericum Matium virum pium & eruditum libros istos latinitate donasse, & illorum editionem se expectare: sed eventu caruit pollicitatio. Addit Gilbertum Genebrardum translationem ejusdem libri promittere, sed existimarem Possevinum, *Libellum de Sacramentis* cum *Libellis de templo & de divina mystagogia* commutare. Liber enim Symeonis de Sacramentis, hic ignoratur. Verum in Bibliotheca Regia Galliarum extant Græce alii duo Libelli, e quibus olim multa excerpsimus, & huic Operi inseruimus. Hi duo Symeonis Libelli latine redditi a Jacobo Pontano Soc. Jesu Theologo, leguntur tomo XII. Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis. Volumen istud Symeonis *de Sacramentis* legit & citat Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in secundo Responso ad Lutheranos Tubingenses, cap. 4." Ex eo quoque nonnulla refert Turrianus, *Annotationibus* in Constitutiones Apostolicas; & multis locis Petrus Arcadius Carcyreus in *Concordia Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali*." De Symeone Thessalonicensi Archiepiscopo, ita scripsit Leo Allatius nobis consentiens, in Opere suo *de utriusque Ecclesiæ perpetua consensione*, Lib. 2. cap. 18. num. 13. „Hoc eodem tempore florebat Symeon Thessalonicensis Archiepiscopus: vixit enim post Barlaamum, Acyndinum, Balamam, Gregoram, Philotheum Patriarcham, Nilum Thessalonicensem, Nicolaum Cabasilam, Nilum Patriarcham Constantinopolitanum, Isiodorum Thessalonicensem: quorum omnium in *Dialogo Ecclesiastico contra omnes hæreses, & de aliis rebus Ecclesiasticis*, meminit. *Imo ipse in eodem Dialogo ætatem suam prodit his verbis: Postissimum vere hac nostra ætate de Vita Monastica scripserunt, Spiritu tanquam qui & ipsi ex Deo cum sint, Deiloqui & Deiferi, & Christoferi & a Deo afflati vere existant: Sanctus Pater noster Callistus, qui Regia urbis novæ Romæ ex Deo fuit Patriarcha, & qui una cum ipso spirabat & exercitabatur, Confessor Ignatius. Et Libro peculiari ab illis composito, spiritualiter, divine & excelse nimis philosophati sunt, centum capitibus, numero perfecto perfectam de ea cognitionem tradentes.* Et cum duo sunt Callisti, alter sub Joanne Cantacuzeno, alter sub Manuele Palæologo, annos post fore quadraginta sex: in dubium verti posset, de quonam iste Callisto verba faciat. Sed cum Nicolai Cabasilæ meminerit, qui sub Manuele florebat, necesse est, eum de secundo Callisto habere sermonem, qui circa annum Domini MCCCCVI. Patriarchatum gerebat. Quare ipse circa Joannis Palæologi tempora vel paullo ante floruit, a Symeone Seniore Thessalonicense, post Isidorum, cuius ipse meminit, tertius. Inter enim Isiodorum & ipsum, recensetur tantum Gabriel. Hinc colligitur, quantum hallucinetur Possevinus in *Apparatu*, qui immani anachronismo, scribit eum vixisse ante annos sexcentos: qui nonnisi ante annos centum octoginta, Possevini tempore, vixerat. In omnibus suis Scriptis in Latinos injurius est, quos sæpe carpit, eorumque ritus cum Græcis comparans insectatur." Hæc Allatius ipse, in Symeonem Archiepiscopum Thessalonicensem infensus. Fuit Symeon animo virili atque præsenti, qui nec præmiis ab Amurate Thessalonicensibus oblatis nec minis, in eam sententiam adduci potuit, ut Græci ejectis Latinis in deditionem Amuratis concederent: quam ob rem graviter a malevolis accusatus est. Rem pluribus prosequitur Joannes Anagnosta, cujus cum rarus sit nec omnibus obvius, verba licet prolixiora refert Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum scriptis* pag. 189. Vixit itaque Symeon usque ad

ad captam ab Amurate Thessalonicam, qui sex mensibus ante excidium illius urbis fato functus est, cui post captam urbem successit Gregorius. Capta autem est Thessalonica ab Amurate anno ab Orbe condito 6938. Christi 1430. ut Joannes Anagnosta testis rerum oculatus habet, Narratione *de postremo Thessalonicensi excidio*, his verbis: *Diem aperiebat Mensis Martius nonum & vigesimum anni sex millesimi nongentesimi trigesimi octavi.* Hinc videas falli authorem Historiæ Politicæ apud Martinum Crusium & cum eo Leunclarium, & Jacobum Pontanum *Notis* in Protonestiarium, atque alios: qui Thessalonicæ oppugnationem ad annum Christi 1431. referunt. Alii autem majori parachronismo ad annum 1432. referentes, primum Amuratis adventum, quo Urbem oppressit, cum secundo confundunt: post annos enim duos ad eandem rediit, & quidquid post expugnatam urbem beneficus Christianis concesserat, ultimum ad urbem accedens maligne admodum pervertit, & in pessimum rerum statum commutavit. Jam ad Scripta Symeonis hujus procedamus.

Omnia Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Opuscula Græce Manuscripta, extant in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCLXX. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 219. his verbis. „Ducentesimus septuagesimus Codex Manuscriptus „Theologicus Græcus est chartaceus antiquus „& bonæ notæ in 4 constatque nunc foliis 482. „& ad Joannem Sambucum ut ipse folita propriæ manus inscriptione testatur, olim pertinuit. Continentur eo hæc. Primo & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 347. pag. 1. „*Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Dialogus* „Ecclesiasticus adversus omnes Hæreses, & de „sola vera fide. Simul etiam fol. 73. pag. 1 *de* „*septem Ecclesiæ Sacramentis*: ac tandem fol. „139. pag. 2. *De templo, rebusque ac personis ad* „*illud pertinentibus*. Est autem is ibi, ob defectum „aliquot foliorum in principio murilus, atque „incipit nunc ab his verbis: Τηρήσας, καὶ κηρύξας τὴν πίστιν, καὶ πᾶς δὲ τῶν ἁγίων ὁ χορὸς οὕτω ποιήσας &c. Plura de hoc Dialogo „vide apud doctissimum Leonem Allatium „in Diatriba *de Symeonum scriptis* pag. 191. & „193. ubi suum de eo judicium pronuntiat, „his verbis: *Dialogus si quædam demas, pius est* „*& doctus, dignus qui aliquando lucem videat,* „*sed manuductus a Catholico.* Hæc Allatius „qui titulum & principium istius Dialogi ibidem exhibet hoc modo: Ἐκκλησιαστικὸς Διάλογος κατὰ πασῶν τῶν αἱρέσεων, καὶ περὶ „τῆς μόνης πίστεως τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῶν ἱερῶν τελετῶν τε „καὶ μυστηρίων πάντων τῆς Ἐκκλησίας, οὐδὲν „αὐτοῦ ἴδιον κεκτημένος, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν ἁγίων „γραφῶν καὶ τῶν Πατέρων ἐρανισθεὶς αὐτῷ καὶ „συντεθεὶς κατὰ δύναμιν, ἀπολογίαν φιοῦς ἑκάστῳ τῶν κατὰ καιροὺς ἠρωτηκότων. Ἐν Χριστῷ“ τῷ μονογενεῖ υἱῷ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὶ καὶ Θεῷ“ ἡμῶν, τῇ ζώσῃ σοφίᾳ καὶ χορηγοῦντι λόγῳ“ &c.“

In hac Lambecii descriptione hujus Codicis primi numeri, extant non unum Opusculum sed Opuscula tria & quidem prolixa satis, nec inter se connexionem necessitatis aut compositionis ullam habentia. Horum trium Opusculorum primum a Lambecio inscribitur, *Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Dialogus Ecclesiasticus adversus omnes Hæreses, & de sola vera fide*: extatque a fol 1. pag. 1. usque ad fol. 73. Nondum Opus illud impressum est, de quo hic loquitur Leo Allatius in Diatriba de Symeonum Scriptis, „Ejusdem *Dialogus Ecclesiasticus adversus omnes hæreses, & de sola Domini nostri & Dei Servatoris Jesu Christi fide,* „*sacris sacrificiis & Mysteriis omnibus Ecclesiæ,*“ *nihil proprium habens: sed ex sacris Scripturis*“ *& Patribus collectus & compositus, ut vires ferebant, respondens unicuique, qui aliquando*“ *aliquid interrogaverant*. Et hoc secundum“ opus diversum a primo (nempe Dialogo de“ divino templo) ac distinctum esse, non male“ multo antea animadverterant alii. Nam in“ primo nihil adversus Hæreses disputatur, nec“ Dialogi specie conscriptus est, nisi Dialogum“ vocare velimus, quicquid aliorum rogatu“ conscribitur. Dialogus, si quædam excipias, pius est & doctus, dignus qui aliquando“ lucem videat, sed manuductus a Catholico.“ Habetur in Bibliotheca Vaticana & Vallicollana Romæ, & alibi. Meminit quoque illius“ Possevinus in Catalogo librorum Constantinopolitani Patriarchii. Laudat hunc Librum *de Ecclesiæ Mysteriis* Turrianus, tum alibi tum in Scholiis cap. 7. & 8. *Constitutionum*“ *Apostolicarum Clementis*, & ex eo multa recitat“ atque exscribit. Videndus quoque Possevinus Lib. 6. *Bibliothecæ selectæ* cap. 10.“

Secundum Opusculum *Dialogus est de septem Ecclesiæ Sacramentis* a fol 73. pag. 1. usque ad fol. 139. pag. 2. Tertium autem Opusculum *de divino templo, rebusque ac personis ad illud pertinentibus*, a fol. 139. pag. 2. usque ad fol. 347. pag. 1. Insignem ex isto secundo opusculo dissertationem seu Dialogum *de pœnitentia* excerpsit & Græce ac Latine edidit Joannes Morinus *Appendice* ad Libros *de pœnitentia*, pag. 125. Ut annotat Henricus Warthonus in *Supplemento Scriptorum* ad Historiam Litterariam Guillelmi Cavi, ad annum 1410. pag. 89. ubi tamen fallitur, dum Opusculum Symeonis *de Sacramentis* putat esse unum atque idem cum Opusculo ipsius, seu *Dialogo Ecclesiastico adversus omnes Hæreses, De sola Domini nostri Jesu Christi fide, sacris Sacrificiis & Mysteriis omnibus Ecclesiæ, ex Scripturis & Patribus collectus*, qui Græce Manuscriptus habetur in Bibliotheca Vaticana & Cæsarea.

Extat quoque feorfim in eadem Cæfarea Bibliotheca, Codice MS. Theologico Græco CCLXXI. in folio, ut habet Lambecius ibidem, pag. 222. *Symeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Dialogus de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis inter Clericum interrogantem & Archiepiſcopum reſpondentem*, cujus titulus & principium: Συμεὼν⊙ τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης περὶ τῶν μυστηρίων τῆς ἐκκλησίας. Κεφάλαιον ά Κληρικός. Παρακαλοῦμεν, ἐπειδὴ τὴν ἀληθῆ τῆς πίστεως γνῶσιν ἐδεξάμεθα, καὶ περὶ τῶν μυστηρίων διδαχθῆναι, τῆς ἐκκλησίας, ὅσατε εἰσὶ, καὶ τίνα, καὶ ὁποῖα ἡ τούτων ἑκάστου δύναμις, καὶ τί λαμβάνομεν ἐξ αὐτῶν; Ἀρχιερεύς. Ἀδελφὲ, ὑπὲρ ἐμὲ, τὸ αἰτούμενον. γίνωσκε δὲ ὅτι χάριν ἀγάπης &c. Ubi ex primis Dialogi verbis, cum rerum tantum eſſe Operis a icujus longe majoris partem fecundam, quæ in jam memorato proxime præcedenti Codice incipit fol. 73. pag. 1. animadvertes. Alludit autem *Dialogo Eccleſiaſtico adverſus omnes hæreſes*, tanquam hujus Operis primæ parti, cujus *Dialogus de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis* fecunda eſt, & *Dialogus de divino templo &c.* tertia.

Opuſculum autem tertium *de divino templo, rebusque ac perſonis ad illud pertinentibus*, a fol. 139. pag. 2. usque ad fol. 347. pag. 1. extat unicum Latinitate donatum a Jacobo Pontano, Soc. Jefu Theologo, atque evulgatum cum aliis Ingolſtadii in 4. anno 1603. ex typographia Adami Sartorii, fub titulo, *Commentarii Symeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, de divino templo, de ejus Miniſtris, de ſacris eorum Veſtibus, de ſacroſancta Myſtagogia ſive Miſſa, ad pios quoſdam Cretenſes*. Verum Pontanus fraude apud Iefuitas ac Pontificios non infrequenti ufus, plurima Commentarii Symeonis loca refciderat, plura mutilaverat, adeo ut nihil mirum, fi Græca fuppreſſerit. Græcum igitur textum adiuncta verſione Latina fideliori in Rituali fuo Græcorum Pariſiis anno 1647. in fol. pag. 312. dedit, cui candidioris animi Jacobus Goar, ubi nimium (ut vocat) Pontani zelum caſtigat: & Symeonem noſtrum modo Eccleſiæ Romanæ coniunctus fuiſſet, antiquis Patribus annumerandum eſſe non diffitetur. Hæc Henricus Warthon, loco citato. Audiamus Jacobum Goar in *Euchologio* fuo pag. 312. ita præfantem, in Symeonis commendationem. „Cuncta hæc breviter, concinne & „erudite complectitur, Symeonis Theſſalonicæ Antiſtitis, Viti, fi Romanæ Eccleſiæ fuiſſet „conjunctus, antiquis Patribus annumerandi, „de templo & Sacrificio Miſſæ Enarratio. Hanc „tibi Lector erudite, feparatim hac de cauſa „offerimus, quia diverſam a Germano, Ca„baſila, Maximo, & aliis Myſtagogis, Liturgiam interpretandi rationem init: & ultima, „quæ poſtremis Liturgiæ partibus aliis contemplantur Myſteria ipſe in Proœmialibus „edocet conſideranda. Ut autem judicio ubique excellit, ita nihil a ſubjecto profert alienum, aut ab Antiquorum traditione deflexum. Et poſtea. Defuit tamen huc usque Græcus textus, idcirco fortaſſe ſuppreſſus, quia nimio Interpretis zelo, ubi certe nullum erat obvium periculum, reſciſſus fuerat & mutilatus. Eundem partibus amputatis reſtitutum, quibusdam in locis verius percipiendum accipis, quia fidelius pro majori rerum Græcarum experientia, translatum legis: nec non quia paucis modicoque temporis ſpatio, totum Liturgiæ feriem, periodis hic reperiendis ad fingulas partes relatis, Diſſertationem que *de templo* enucleatam habet, apertam & notam." Opuſculum autem iſtud tertium, extat quoque feorſim Græce MS. in eadem Bibliotheca Cæſarea, Codice MS. Theologico Græco CLXVI. num. 11. ut habet Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 174. & 175. atque etiam Codice MS Theologico Græco CCLXXII. ut idem Lambecius habet Lib. 5. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ. pag. 222. ubi inſcribitur: *Symeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis ad pios quoſdam Cretenſes Commentarius de divino templo, & de iis quæ eo continentur, ut & de Diaconis, Presbyteris & Epiſcopis, deque Veſtibus quibus unusquisque eorum utitur: ac denique de ſacroſancta Myſtagogia ſive Miſſa, ejusque Cæremoniis.* Recte autem advertit Leo Allatius, opus iſtud extitiſſe MS. in Bibliotheca Antonii Auguſtini Cod. 98. & in Bibliotheca Bavarica Codd. 112. & 113. illum autem qui indicem contexuit, duos Symeonis tractatus in unum confudiſſe: eum qui *de templo & ſacra Myſtagogia*, hoc eſt *de Miſſa* tractat, & *Dialogum de Sacramentis*. Jam ad MS. Codicem Theologicum Græcum CCLXX. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis redeamus, de quo Lambecius Lib. 5. Commentariorum huius Bibliothecæ pag. 219. ubi alia Symeonis Opuſcula omnia extant hoc ordine.

„Secundo & quidem a fol. 348. pag. 1. usque ad folium 411. pag. 1. *Ejusdem Symeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Reſponſiones octoginta quinque ad totidem Interrogata Gabrielis Metropolitæ Pentapolitani*: quarum titulus & principium. Τοῦ αὐτοῦ ἀποκρίσεις πρὸς τινας ἐρωτήσεις, Ἀρχιερέως ἐρωτηκότ⊙ αὐτόν. Προοίμιον. Ἔδει μὲν τὰς τοιαύτας τῶν ἐρωτησέων ὑψηλοτέρας οὔσας, καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς &c." De his aliisque variis ejusdem Symeonis Opuſculis, hæc quoque refert Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum ſcriptis* pag. 194. „Nimirum *Reſponſiones ad Interrogata ſanctiſſimi Metropolitæ Pentapolitani Gabrielis*, quæ numero ſunt LXXXV. Legebanturque olim in Bibliotheca Palatina, Cod. 269. nunc Vaticana. Continent multa Theologica, Moralia, Eccleſiaſtica, & eſſent maxime utiles, fi ederentur. *De Sacerdotio ad quendam pium Monachum ſacro Myſterio inſignitum, iſto Praſule adhuc in*

„*huc in Presbyterii Ordine existente. Expositio Compendiosa, uti potuit, in orthodoxæ & inculpatæ nostræ fidei Christianorum sacrosanctum Symbolum. Expositio perquam necessaria sententiarum sacri Symboli, unde collectæ sunt, & adversus quos dictata. Continentia, ut fieri potuit, solam Christianorum fidem, Capita duodecim, quæ nonnulli Articulos fidei nuncupant, clarius elucidata ab Archiepiscopo Thessalonicensi Symeone: eaque comprehendere sacrum Symbolum. Et de comprehensivis virtutibus, & de iis, quæ Latini innovant.* Ejusdem plura referuntur ad Leges & Canones pertinentia, a Manuele Malaxo in *Nomocanone*. Canonesque etiam & Hymnos in Sanctos composuisse, ex Eugenico supra adducto colligimus.

„Tertio, & quidem a fol. 412. pag. 1. usque ad fol. 424. pag. 2. *Ejusdem Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Epistola de Sacerdotio ad quendam pium Monachum sacra Diaconia insignitum, cum ipse archiepiscopus adhuc existeret in ordine tantum Presbyterorum.* Ipsa tituli Græci verba cum initio Epistolæ hæc sunt: Τοῦ αὐτοῦ περὶ ἱερωσύνης πρός τινα τῶν εὐλαβῶν μοναχῶν, ἱερᾶς Διακονίας ἠξιωμένων, ἔτι καὶ τοῦ Ἀρχιερέως εἰς τὸν τοῦ Πρεσβυτέρου τελοῦντος τότε βαθμόν. Ἐν Χριστῷ μοι ἀγαπητὲ καὶ γνωστώτατε ἀδελφὲ. τὴν ὀφειλὴν τῆς ἀγάπης πᾶσι κατὰ τὴν ἐντολὴν ὀφείλοντες, πολλῷ μᾶλλον. Vide supra allatam Leonis Allatii Diatribam *de Symeonum Scriptis*, pag. 194.

„Quarto & quidem a fol. 425. pag. 1. usque ad fol. 430. pag. 2. *Ejusdem Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Expositio perquam necessaria verborum sacri Symboli fidei Christianæ, unde collecta, & adversus quos coagmentata sint.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Expositionis hæc sunt: Ἔκθεσις τοῦ αὐτοῦ ἀναγκαιοτάτη περὶ τῶν τοῦ ἱεροῦ Συμβόλου ῥήσεων, ὅθεν συνελέγησαν, καὶ κατὰ τίνων αὗται συγκείμεναι εἰσιν. Καλὸν ἰδεῖν καὶ ὅθεν τὸ ἱερώτατον παρὰ τῶν Θείων Πατέρων συνετέθη Σύμβολον &c. Vide supra citatam Leonis Allatii Diatribam *de Symeonum Scriptis*, pag. 194.

„Quinto, & quidem a fol. 430. pag. 2. usque ad fol. 435. pag. 2. *Ejusdem Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Explicatio duodecim Capitum seu Articulorum, solam veram Christianorum fidem, quantum fieri potest, continentium, & divino Symbolo comprehensorum.* Ipsa tituli Græci verba cum initio Explicationis hæc sunt: Περιεκτικὰ ὡς δυνατὸν, τῆς μόνης τῶν Χριστιανῶν πίστεως ἡμῶν κεφάλαια δώδεκα, ἅπερ τινὲς Ἄρθρα καλοῦσι τῆς πίστεως, σαφέστερον συντεθέντα, παρὰ τοῦ ταπεινοῦ Ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης Συμεὼν, καὶ ὅτι ταῦτα περιέχει τὸ θεῖον Σύμβολον, καὶ περὶ τῶν περιεκτικῶν ἀρετῶν. Ἡ ἀληθὴς καὶ μόνη τῶν Χριστιανῶν ἡμῶν πίστις, ὑπὲρ νοῦν οὖσα καὶ λόγον &c. Vide supra citatam Leonis Allatii Diatribam *de Symeonum Scriptis*, pag. 194.“

Sexto, & quidem a fol. 436. pag. 1. usque ad fol. 466. pag. 1. *Ejusdem Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Expositio prorsus necessaria sacri Symboli solius veræ fidei Christianæ:* cujus titulus & principium: Τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης κυροῦ Συμεὼν ἑρμηνεία τοῦ ἱερωτάτου Συμβόλου πάνυ ἀναγκαία. Περὶ τοῦ ἱερωτάτου Συμβόλου τῆς ἀληθοῦς καὶ μόνης τῶν Χριστιανῶν ἡμῶν πίστεως ἀναγκαῖον μὲν καὶ σωτηριῶδες. &c. Vide supra citatam Leonis Allatii Diatribam *de Symeonum Scriptis*, pag. 194.“

Septimo, & quidem a fol. 466. pag. 2. usque ad fol. 477. pag. 2. *Ejusdem Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis Precationes sacræ sex*, quarum prima *contra hostium Gentilium incursionem* inscribitur atque incipit his verbis: Τοῦ αὐτοῦ Εὐχὴ κατ' ἐθνικῶν πολεμίων ἐν παντὶ καιρῷ ἀναγκαία τῆς αὐτῶν ἐπιθέσεως. Πάτερ, υἱὲ, καὶ Πνεῦμα ἅγιον, ὁ μόνος ἐν Τριάδι Θεὸς, ὁ ἀγαθὸς, ὁ ἐλεήμων &c. Secunda in Encæniis Templi Beatissimæ Virginis Deiparæ τῆς ἀχειροποιήτου, sive non manufactæ: Εὐχὴ ἐπὶ τοῖς ἐγκαινίοις τοῦ θείου ναοῦ τῆς παναγίας θεοτόκου, τῆς ἀχειροποιήτου. λέγεται δὲ καὶ πρὸ τῶν πυλῶν τοῦ ναοῦ τῆς θεοτόκου, ἡνίκα μετὰ λιτανείας εἰσέρχεται ὁ Ἀρχιερεὺς, ὑπαλάσσων μικρὸν τὰ περὶ τῶν ἐγκαινίων ῥήματα. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ, &c. Tertia ad beatissimam Virginem Deiparam in solemni supplicatione. Εὐχὴ εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον ἐν λιτῇ γενομένη Ἁγιωτέρα τῶν Ἀγγέλων, ἐνδοξοτέρα τῶν Ἀρχαγγέλων &c. Quarta ad Beatissimam Virginem Deiparam cujuslibet necessitatis causa: Εὐχὴ εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον ἐπὶ πάσῃ αἰτήσει. Κεχαριτωμένη, εὐλογημένη, ὑπὲρ πᾶσαν τετιμημένη κτίσιν &c. Quinta tempore terræ motus, siccitatis & famis & quarumcunque aliarum calamitatum: Τοῦ αὐτοῦ ἑτέρα, εὐχὴ ἐπὶ σεισμῷ, καὶ αὐχμῷ, καὶ λοιμῷ, καὶ πάσῃ ἄλλῃ κακώσει. Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, παντοκράτορ ὁ Θεὸς τῶν Ἀγγέλων, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἁγίων, ὁ Κτίστης τοῦ σύμπαντος &c. Sexta ad Spiritum Sanctum in festo Pentecostes: Εὐχὴ εἰς τὴν Πεντηκοστὴν, εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα Ἀγαθὲ καὶ ἀγαθότητος πηγὴ, ἁγιε καὶ ἁγιασμοῦ χορηγὲ &c.“

Octavo, & quidem a fol. 477. pag. 2. usque ad folium 482. pag. 2. *Ejusdem Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis accurata dijudicatio legitimarum & illegitimarum nuptiarum, excerpta ex Libro Juridico Chartophylacis Theodori Balsamonis.* Ipsa tituli Græci verba, cum principio Opusculi hæc sunt: Διάγνωσις ἀκριβὴς τῶν τε ἐννόμων γάμων καὶ τῶν παρανόμων, παρεκβληθεῖσα ἀπὸ νομίμου βιβλίου τοῦ ἐκδοθέντος παρὰ τοῦ Χαρτοφύλακος ἐκείνου τοῦ Βαλσαμῶν. Περὶ γάμων ἐπιτεταμμένων καὶ κωλυομένων, καὶ περὶ διαφορᾶς τῶν βαθμῶν τῆς συγγενείας, &c. Τρεῖς εἰσὶν ὅροι τῶν κεκωλυμένων

„μένων γάμων. εἰς ὃ ἐκ τῦ ἁγίυ καὶ σωτηριώδυς „βαπτίσματος &c.

Extant quoque multa Opuscula Græce MSS. in Bodleiana bibliotheca Oxonii in Anglia, inter MSS. Baroccianos Codice 75. num. 3. *Symeonis Thessalonicensis Archiepiscopi, de Templo, Sacerdotibus & indumentis ipsorum.* Ἐξ ἀγάπης θείας κεκινόμενος. Et ibidem Codice 91. pag. 44. *Symeonis Thessalonicensis Archiepiscopi, de Templo, Sacerdotibus ac Diaconis, & eorum vestibus.* Ἐξ ἀγάπης θείας &c. Codice 107. pag. 274. *Symeonis Thessalonicensis Expositio Liturgiæ.* Ἐξ ἀγάπης θείας ad pag. 286. ibidem Codice 85. pag. 70. ad 108. *Symeonis Thessalonicensis Archiepiscopi Responsa ad Quæsita Gabrielis Pentapoleos Metropolitæ.* Ἔδη μὲν τὰς ταύτας &c. Denique in bibliotheca eadem Codice 294. in MSS. Græcis Oliverii Cromwelli Codice 115. num. 8. *Symeonis Thessalonicensis Commentarius de sacrosancto Templo, & quæ in eo sunt. Item de Sacerdotibus, Diaconis, & eorum vestibus. Quin & de Mystagogia sive officiis sacris, & quid eorum quodque designet. Missus ad viros in Creta pios, qui his de rebus quæsierant* pag. 135. Num. 9. *Ejusdem Epistola adhortatoria ad Viam salutis: missa omnibus ubique per Provinciam suam Ecclesiasticis* pag. 173. num. 10. *Ejusdem Expositio in sacrum Symbolum Christianorum fidei, quod Nicænum vocatur* pag. 205. Num. 11. *Ejusdem Expositio necessaria de singulis Symboli enunciatis, unde desumpta sint, ex quibus puta sacræ Scripturæ testimoniis* pag. 249. Num. 13. *Symeonis Thessalonicensis Responsa LXXXV. ad Quæsita Gabrielis Metropolitæ Pentapolitani* pag. 257. Num. 14. *Ejusdem de duodecim Articulis Christianæ fidei, quodque eos sanctum Symbolum contineat & de virtutibus comprehensivis.* pag. 239. ad 347. In Regia Galliarum bibliotheca nihil reperio manuscriptum, nisi *Symeonis Thessalonicensis Expositionem sacræ Liturgiæ* in Codice Regio 1772. ut habet Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum ac Latinorum*, Parisiis anno 1653. in 4. edita, parte 2. pag. 96.

Agunt autem *de Symeone Archiepiscopo Thessalonicensi* Conradus Gesnerus in *Epitome Bibliothecæ* pag 770. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* & Lib. 6. *Bibliothecæ selectæ* cap. 10. Franciscus Turrianus cum alibi, tum in Scholiis cap. 7. & 8. *Constitutionum Apostolicarum f. Clementis* ubi ex eo multa recitat & exscribit. Jacobus Pontanus, qui duos illius Libellos Latine edidit, Ingolstadii anno 1603. in 4. apud Adamum Sartorium. Joannes Morinus eruditus Presbyter Oratorii Domini nostri Jesu Christi, in Opere suo *de Pœnitentia*, Appendice *de Antiquis Pœnitentialibus*, pag. 125. Jacobus Goar in *Euchologio Græcorum*, pag. 312. Leo Allatius in Libro 2. *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione*, cap. 18. parag. seu num. 13. col. 862. sed amplissime in Diatriba *de Symeonum scriptis*, a pag. 185. ad pag. 194. Petrus Lambecius, Libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 174. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag 252. & 258. Et Libro 5. a pag. 219. ad 222. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 356. & 366. quos ut plurimum hic exscripsimus.

JOSEPHUS BRIENNIUS, professione Monachus Græcus, floruit temporibus Manuelis Palæologi Imperatoris Orientis, qui Imperium istud occupare cœpit ab anno 1384. illudque multis annis tenuit ad annum usque 1419. quo illud filio resignavit. Circa annum igitur 1410. Josephum Briennensem nos assignamus, quem sub Emmanuelis imperio floruisse convenit. Ipse in oratione 8. *de Trinitate*, ab Allatio citata, meminit anni 1420. quo scribebat. Scripsit ille plurimos tractatus *de processione Spiritus S. contra Latinos*, qui habentur Græce MSS. Romæ in Bibliotheca Vallicellana, Patrum Oratorii Domini nostri Jesu Christi, sub hoc lemmate: *Josephi Monachi cognomento Briennii Varia, qui fuit Cabasila temporibus, & illi non absimilis.* Ita ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini, pag. 22. ubi de Bibliotheca sanctæ Mariæ in Vallicella, Romæ. Fallit autem maxime hæc inscriptio, fuitque longe recentior Nilo Cabasila, qui circa annum 1350. claruit, cum Josephus se anno 1420. scribentem designet. Ut ergo nomen ille suum scribendo posteris transmitteret, alios jam plurimos imitatus, qui præcesserant, scripsit ad imitationem Nili Cabasilæ, *Adversus dogma Latinorum de processione Spiritus Sancti Orationes octodecim*, quas ipse περὶ τῆς ὑπεραγίας Τριάδος, *de sanctissima Trinitate* inscripsit, manuscriptas in Bibliotheca Vaticana asservatas: Quarum titulos singularum argumenta, initia & loca, in quibus sunt habitæ, ordine recenset Leo Allatius, Lib. 2. *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* cap. 18. §. 14. qui & fragmenta tria ex iis Græce & Latine ibidem adducit. 1410

Cum autem præclara sint, quæ ille habet, nobis e re visum est, verbatim illum exprimere, paucis duntaxat in ordine immutatis.

“Josephus Briennius Monachus, sub Manuele Palæologo, & Josepho Patriarcha, vitam agebat, ad populum concionibus habendis præfectus. Multa scripsit, sed contra dogma Latinorum *de processione Spiritus Sancti ex Filio Orationes*, quas ipse inscripsit περὶ τῆς ὑπερθέυ Τριάδος, de divinissima Triade. Vivebat anno reparatæ salutis 1400. Idem enim Oratione II. *de Trinitate*, καὶ κατὰ Θεὸν ἐκτελέχηα πρό τετρακοσίων ἤδη καὶ χιλίων ἐτῶν ἀρξαμένη, καὶ μέχρις αἰῶνος ἐκτεινομένη. Et secundum Deum perfectos habitus, qui ante quadringentos fere & mille annos incœpit, & cum æternitare continuatur. Et expressius anni 1420. Oratione VIII. meminit, ὅτι ἰδὲ ἀπὸ τῆς τῦ Κυρίυ ἐνανθρωπήσεως εἴκοσι πρὸ

τοῖς

,,τοῖς τετρακοσίοις καὶ χίλια ἔτη παρῆλθεν, ἐν
,,οἷς πᾶσι ταύτην τὴν ἱερὰν πίστιν σεβόμεθα.
,,*Ecce a Domino incarnato, viginti & quadrin-*
,,*genti & mille anni præterierunt, quibus omnibus*
,,*hanc sanctam fidem veneramur.* Fuit patria
,,Constantinopolitanus & ipse refert de Con-
,,stantinopoli agens Oratione II. ὁ τοίνυν τῆς γε-
,,νησαμένης με ταύτης, καὶ θρεψαμένης ἡ ἀκόλου-
,,θος τάξις τηρεῖ ἀπαράτρεπτον, τοῦτο δεῖν ᾤμην
,,τηρεῖν καὶ αὐτός. *Quod igitur illius, quæ me*
,,*genuit & aluit, bene constitutus ordo, immuta-*
,,*tum conservat, idem mihi omnino servandum es-*
,,*se existimabam.* Primam ex his Orationibus
,,dixit in Triclinio Palatii, cujus initium, Θεὸς
,,ἡ ἁγία μονὰς, καὶ τριὰς, τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. II.
,,in eodem Triclinio cum Primates Galatæ ad
,,eum audiendum convenissent. Principium,
,,Θεὸς ἐμοὶ δόξα, καὶ πλοῦτος καὶ καύχημα. III.
,,in eodem Palatio, omnibus qui forte Constan-
,,tinopolim ex Italia advenerant, ex tempore,
,,cum Græcis ipsis, ad eum audiendum acce-
,,dentibus. Principium, Θεοῦ τῆς ὑπερθέου τριά-
,,δος κινοῦντος ἡμᾶς. IV. respicit ad quæstionem
,,*de processione Spiritus Sancti*, quam disertius
,,explanar, nec non homonymiam *Spiritus*, &
,,vocis *Procedit*. Principium, ἄνδρες ἠγαπη-
,,μένοι, γνήσιοι φίλοι καὶ ἀδελφοὶ ἐν Χριστῷ. V. ha-
,,bita in eodem Palatio, ostendens scientiam
,,quæ de rebus divinis tractat, omnes artes &
,,scientias superare immensum in modum, hinc
,,fidem non per Syllogismos demonstravi. Prin-
,,cipium, Θεοῦ ἅγιον πνεῦμα παράκλητε συνέτισον
,,ἡμᾶς. VI. in eodem Palatio, ostendens, ex eo
,,quod apud Italos Hypostasis dicitur & *Essen-*
,,*tia & Persona*, propter angustiam linguæ, re-
,,ctam fidem eversam esse. Principium, περὶ
,,τῆς πρώτης καὶ δευτέρου αἰτίας, τῆς ἐκ τῆς ὀρθῆς.
,,VII. dicta in eodem Palatio, pluribus Patrum
,,testimoniis demonstrans, Spiritum Sanctum
,,personaliter ex solo Patre procedere. Prin-
,,cipium, ἆρα τὰς ἐν τοῖς φθάσασι λόγοις ῥηθείσας
,,πρὸς ἡμᾶς ὑποσχέσεις. VIII. in eodem Palatio,
,,clave ostendens eos, qui additionem pertenta-
,,runt, a Synodis & privatim a Sanctis Patribus,
,,anathemati subjectos fuisse. Principium, εἰ
,,μὲν πρὸς ἄλλον ἑώρα σκοπὸν ὁ λόγος οὗτος ἡμῖν.
,,IX. in Imperiali cubiculo, ostendens Spiritum
,,a Patre per Filium dici, non Hypostaseos pro-
,,cessionem sed nobis subministrationem Spiri-
,,tus significare. Principium, Θαῤῥούντως μοι τὴν
,,ἐλπίδα ἐπὶ τὴν τοῦ παρακλήτου. X. habita in tem-
,,plo Sanctorum magnorum Apostolorum, præ-
,,sente Imperatore, probat *ex Patre per Filium Spi-*
,,*ritus*, formulam sic positam, apud omnes Theo-
,,logos *simul* significare, & propositionem *cum*:
,,sed non personalem Spiritus substantiam. Prin-
,,cipium, δεῖ τοὺς ἀκροωμένους τῶν θείων λόγων. XI.
,,dicta est in Sanctorum Apostolorum templo,
,,præsente Senatu, probans, ubicunq; de divinis
,,personis dicitur propositio *Per*, essentialem a-
,,ctionem, & ad nos Spiritus gratiam, & Spiritus
,,hypostaseos causam significare. Principium,

Πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ὄντος ἡμῖν,,
τοῦ Θεοῦ. XII. dicta est in Sanctorum Apostolo-,,
rum templo, præsentibus Imperatore, pluri-,,
mis Præsulibus, & Senatu, demonstrans exem-,,
pla quæ ad explicandum, afferuntur, nullum,,
in Deo locum habens, sed tantum claritatis,,
gratia assumi. Principium, ἐπείπερ οὐχ ἔστιν,,
οὔτε τι νοῆσαι Χριστόν. XIII. habita est in percele-,,
bri Sacrorum Apostolorum templo, auctori-,,
tates ex Sacra Scriptura continens, ostendens-,,
que in nulla ipsarum dici, Spiritum Sanctum,,
ex Filio procedere. Principium, πιστεύομεν,,
ἕνα Θεὸν εἶναι, πάσης οὐσίας καὶ φύσεως. XIV. ha-,,
bita & ipsa in templo divinorum Apostolo-,,
rum, concludens divina eloquia omnia, quæ,,
contra Græcos aliqui putant validissima, id so-,,
lum probare, unam cum Filio, naturam Spiri-,,
tus Sancti. Principium, ἐπὶ τοῦ ἐν τῇ ὑπερθέῳ,,
τριάδι θεωρουμένου πνεύματος. XV. dicta in,,
percelebri Apostolorum templo concludens,,
omnis Theologos, per *ex Patre & Filio* vocem,,
identitatem naturæ Patris & Filii, cum Spi-,,
ritu Sancto insinuare, non propriæ hypostasis,,
existentiam. Principium, ὅτι φύσει μὲν ἅπας,,
λόγος σαθρός τε καὶ εὐκίνητος. XVI. in eodem,,
templo, ostendens per se ipsam, & per Ange-,,
los, & per homines, omnium causam Triadem,,
Triadem esse variis modis, ac sæpius nos edo-,,
cuisse. Principium, νῦν ἀηδὼν κελαδεῖ, κελα-,,
δήσω κἀγώ. XVII. dicta est in Imperiali cubi-,,
li, ut jacet. Contendit Dialecticis Demon-,,
strationibus, Spiritum Sanctum omnino ex Fi-,,
lio non personaliter procedere. Principium,,
ἐπειδήπερ καθόλου οὐ τολμητέον ἐστίν. XVIII.,,
corrigens aliquas nonnullorum de aliquibus,,
suspiciones, qui eos proposuerunt ipsis audi-,,
entibus, & universo Senatu: quæque in San-,,
ctis magnis Apostolis dicta fuit. Principium,,
οἱ κοινωφελεῖς τῶν λόγων, οὔτε παντῃ ὀφέλιμοι.,,
Ejusdem farinæ sunt, ut conjicio, & alia ejus-,,
dem, quæ in Ambrosiana Bibliotheca haben-,,
tur, *de processione Spiritus Sancti, Dialogi tres*:,,
Disputatio de Orthodoxa Ecclesia, de Fide, & alia,,
alibi. Hæc Allatius loco citato, quæ viderat,,
ac forsan legerat. Ejusdem *Dialogi tres de*,,
processione Spiritus Sancti, Disputatio de Orthodo-
xa Ecclesia atque alia de fide, habentur MSS. in
Bibliotheca Ambrosiana, Mediolani. Ejusdem
Liber de Spiritu Sancto contra Latinos, seu opu-
sculum haud valde prolixum, MS. extat in Re-
gia Galliarum Bibliotheca, Codice MS. Græco
1953. a fol. VI. ad fol. 166. item ibidem *Jose-*
phi Briennii de divina energia & de lumine in
monte Thabor & alia ejusmodi in Codice Regio
507. ut habet Philippus Labbeus parte 2. p. 87.
Nova Bibliotheca Mss. Librorum, Græcorum Lati-
norum & Gallicorum ex Catalogis potissimum
Regiæ Gallicæ Bibliothecæ collectæ, quam an-
no 1653. Parisiis in 4to edendam curavit apud
Joannem Hinault. Ejusdem quoque extant o-
puscula pauca alia ibidem, Cod. 2502. fol. 552.
& sequentibus, ut ex MSS. hujus Bibliothecæ
Cata-

Catalogo constat. Ejus etiam *Orationes duas de futuro judicio & sempiterna beatitudine* idem citat Allatius, qui excerptas inde Lacinias Græco latinas exhibet in Opere *de Libris Ecclesiasticis Græcorum*, pag. 136. 143. 339. & in Libro *de Purgatorio*, pag. 79. 141. & 713. Scripsit præterea plures *Orationes in Sanctissimam Dei-param & alias anni Christiani festiuitates*, quas sub ejus nomine Manuscriptas vidit Leo Allatius, in his voluminibus Græcis antiquis quæ *Metaphrases* inscribuntur, atque sub Symeonis Metaphrastæ nomine interdum occurrunt. Meminit idem Allatius sequentium istarum in Diatriba *de Symeonum scriptis*: nimirum *in Annuntiationem Beatæ Virginis*, pag. 88. *In illud, stabant juxta crucem JEsu mater ejus*, pag. 95. *In Annuntiationem ejusdem Beatæ Virginis eandem*, pag. 96. *Gratiarum actio in sanctam Deiparam*, pag. 96. *In festum magnæ Parasceves*, pag. 110. Quando nam vel quonam anno mortuus sit, incognitum mihi est. De scriptis *Josephi Brieunii*, Leo Allatius in Diatriba, *de Symeonum scriptis*, locis citatis. Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in opere *de perpetua fide Ecclesiæ Catholicæ, circa realitatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Sacramento*, meminit huius scriptoris, ubi de Scriptoribus Græcis Seculorum XIII. & XIV. Lib. 3. cap. 7. pag. mihi 328.

1410 JOANNES GROSSUS, natione Gallus, patria Tolosanus, claruit hac ætate eadem. Factus est primum Generalis Præpositus Carmelitarum Ultramontanorum circa annum 1389. tempore Schismatis, atque hoc nomine adfuit Concilio Pisano anno 1409. coacto, cujus nomen in Catalogo Patrum, qui huic interfuerunt, apud Ferdinandum Ughellum tomo 3. *Italiæ Sacræ* pag. 565. in Archiepiscopis Pisanis. Inde anno 1411. Dominica post Pascha secunda, electus in Capitulo Perpiniani habito, a provinciis duodecim Ordinis Carmelitarum, Generalis Præpositus totius Ordinis, in quo florebat ab anno 1380. ob doctrinam & morum probitatem. Composuit *Viridarium Carmelitani Ordinis Libris tribus*, & alterum Librum *de illustribus viris sui Ordinis*, quæ cum *Speculo Philippi Riboti*, impressa sunt anno 1507. Venetiis in folio, editionem hanc procurante Baptista Cathaneo Veneto, ejusdem Ordinis Doctore Theologo. Hæc quoque Opera novissime immissa in *Collectaneum* Danielis a Virgine Maria Carmelitæ Calceati, inscriptum *Armamentarium Carmelitarum*, quod 4. in folio tomis anno 1680. Antwerpiæ apud Michaelem Cnobbarum impressum est. Adfuit anno 1414. Concilio Constantiensi cum Theologis decem ab Ordine suo deputatis, unde cum licentia egressus, celebravit Capitulum Generale sui Ordinis in Conventu Bagnolano Diœcesis Narbonensis, anno 1416 & aliud anno 1425. Appamiæ in Gallia Narbonensi. Denique anno 1430. die 4. Junii, ipso Pentecostes festo, celebratis in urbe Nomnetensi apud Armoricos Generalibus Ordinis Carmelitarum Comitiis, Joannes Grossus ob grandævam ætatem præfectura Ordinis cessit, unde nova electio emersit. Vixisse dicitur usque ad annum 1437. licet annus mortis ejus determinatus ignoretur Agunt de *Joanne Grosso* Petrus Lucius in *Bibliotheca Ordinis* Carmelitarum. Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro*. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 486. pag. 273. Ludovicus a Sancta Teresia, in *Successione Eliæ Prophetæ* Gallice scripta, cap. 243. pag. 554.

THEODORICUS de NIEM seu *NIEMUS*, 1410 natione Germanus, Ecclesiæ Lucensis Clericus, Literarum Apostolicarum scriptor & abbreviator ab anno 1378. seu saltem a Gregorii XI. obitu, claruit anno 1410. & sequentibus, calamitosissimis Luctuosi Schismatis temporibus, quibus Ecclesia Occidentalis omni mode lacerata est. Hic oculatus multarum rerum testis, nobile opus scripsit, quo Historiam annorum XXXVIII. complexus est, nimirum a Gregorii XI. morte seu ab anno Christi 1378. ad annum 1410. seu ad Alexandri V. electionem, quod inscriptum *de Schismate inter Urbanum VI. & Clementem VII. Antipapam tribus libris*, quibus *librum quartum* addidit Theodoricus, in Tractatus sex divisum, cui *Niemus Unionis* nomen dedit. Impressum hoc opus multum utile ad istorum temporum notitiam, Norimbergæ anno primum 1532. in folio apud Joannem Felreium & anno 1592. & Basileæ anno 1560. Argentorati 1608. in 8. & cum Francisci Zarabellæ & Joannis Marii Belgæ Commentariis de eodem Schismate, ibidem anno 1629. in 8. Agit in hoc opere de modis tollendi Schismatis a Regibus Christianis usurpatis, de fraudibus a Gregorio XII. & Benedicto XIII. ut omnia pacis consilia profligarent, adhibitis, & de utriusque in Concilio Pisano depositione: quin monumenta, Epistolas atque Bullas Pontificum, & aliorum rem præ manibus habentia, passim probat & Historiæ suæ admiscet. Nec difficile fuit huic Theodorico accurate res eas nosse, quas refert, quia jam inde a Gregorio XI. universo isto tempore cujus res prodit, Romanorum Pontificum scriba fuit, eoque ex Actis ipsis cognoscere omnia potuit. Idem scripsit *Vitam Joannis XXIII. Romani Pontificis*, qui anno 1410. electus anno 1415. cedere coactus est, quamvis ab insignioribus viris verus & indubius Papa haberetur & agnosceretur. Hanc sub Joannis Niemii nomine edendam procuravit Henricus Meibomius, Francofurti anno 1620. in 4to. Idem quoque opus extat in *Collectaneo Historicorum Germaniæ* Henrici Meibomii 2. in fol. Voluminibus anno 1688. Lipsiæ impresso apud Fridericum Gleditsch, Tomo I. p. 5. & sequentibus &c. Ex ejus initio constat, id esse partem quandam operis, quod ipse *de Schismate* inscripsit. *Ejusdem Jura & Privilegia Imperii circa Investituras Episcoporum & Abbatiarum, a Papis restituta Imperatoribus Romanis*, impressa

pressa cum aliis Basileæ anno 1557. Argentorati annis 1609. & 1618. *Ejusdem excerpta de potestate Imperiali & Papali*, impressa cum aliis Francofurti annis 1614. & 1621. pag. 1381. & 1476. Ejusdem *Exhortatio ad Rupertum Regem Romanorum ut excitatus a somno diuturno, Schisma Pontificum in Ecclesia extirpet, & Imperii Jura reformet*, extat apud Melchiorem Goldastum tomo 2. *Monarchiæ* pag. 1381. Extat ejusdem Liber MS. in folio in charta *de reformatione Romanæ curiæ*, in Bibliotheca Imperatoris Viennensi. De illo Josias Simlæus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, pag. 777. Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de historicis latinis* cap. 4. pag. 545. ultimæ editionis. Philippus Labbeus qui in *Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1410. illum refert. Ludovicus Maimburgius in *Historia magni Schismatis Occidentis*, impressa in 4to Parisiis anno 1678. Ludovicus Jacob a Santo Carolo in *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. pag. 442. editionis Lugdunensis 1643. in 4to.

1410 JOANNES BREVISCOXA, Gallice Courtecuisse, GEBENNENSIS EPISCOPUS, in agro Cenomannorum natus est. Habuit ortum in pago nomine *Halena*, vel certe in altera huic contermino, ut ipsemet significat in *Actu Vesperiarum Rudulfi Portæ*, quem Helenæ natum, gentilem ac popularem suum appellat. Itaque falluntur Jacobus Meyerus *Rerum Flandricarum Lib. XV.* & ex ejus Commentariis ad annum 1408. sapiens Abrahamus Bzovius, dum illum & cognomento *Cortoholam* & natione Normannum fuisse scribunt. Igitur adolescens circa annum 1367. in Regium Navarræ Gymnasium veniens, Grammaticam primum, deinde Philosophiam, postremo Theologiam didicit, quam ipse postea sub Petro Alliacensi, Collegii Moderatore docuit. Extat in Bibliotheca Sancti Victoris MS. Tractatus eximius *de Ecclesiæ & Generalis Concilii authoritate*, quem cum Bibliorum cursum pro more absolveret, exaravit. Et quamvis tunc esset Baccalaureus tantum Theologiæ, rationum tamen pondere accessit ad Magistros, & ingenii acumine nemini cedit. Ludovicus Ellias du Pin vir doctissimus edendo curavit anno 1706. Amstelodami V. tomis in folio *Opera omnia Joannis Gersonii Cancellarii Academiæ & Ecclesiæ Parisiensis*, apud Ludovicum de Lorme & socios. In Appendice ad operum istorum Tomum primum pag. 805. Tractatus hic Joannis Breviscoxæ *de Fide & Ecclesia, Romano Pontifice & Concilio Generali*, extat MS. Codice Victorino 1083. Anno circiter 1388. Doctoris consecutus insignia, tum ad sedandum Ecclesiæ Schisma, tum ad habendas conciones animum penitus appossuit. Unde extant in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 4409. qui ducentorum annorum est, ejusmodi MSS. *Sermones Magistri Joannes Brevicoxa*, cum indice illorum sub initium, Codicis. *Sermo primus de Adventu, Bonum est præstolari* &c. *Ex attendant la venie* &c, qui partim Gallice, partim latine editi sunt. Cum autem Carolus VI. Francorum Rex, anno 1394. Antistitum atque Theologorum cætum congregasset, in quo quid ad faciendam Ecclesiæ Romanæ pacem, quæ Schismate turbabatur, agendum esset, deliberatum fuit: Joannes Breviscoxa inter alios adfuit, qui suam Conventui & imprimis Regi eruditionem, præstantiam, & in tractandis rebus sapientiam mirifice probavit. Ex quo feliciter contigit, ut Rex biennio post, illum ad Benedictum XIII. & Bonifacium IX. mittere statuerit, qui utrumque ad dandam afflictæ Ecclesiæ pacem hortaretur. Sic ad annum 1396. tradit anonymus *Latinæ Caroli VI. Historiæ* Scriptor, *Joannes Breviscoxa, in Sacra pagina excellentissimus Doctor & Professor, nuncius Regis Franciæ ad Benedictum & Bonifacium propter pacem*. Anno 1407. Ludovicus Aurelianorum Dux, frater Regis, factione Burgundionis decimo Calendas Decembris occisus est, cujus exequias duo Theologi insignes Gersonus & Breviscoxa funebri Oratione prosequuti sunt: primus in Navarræ Collegio, quod carum semper sibi Ludovicus habuerat: posterior in Monasterio Cælestinorum Parisiensium, ubi conditus erat. Rem istam præclare describit, Monstrelletus in Historia Caroli VI. cap. CXXXIII. „Circa hoc ipsum tempus Pari-„siens Academia, cum pertinaci duorum Pon-„tificum dissidio lacerari doleret Romanam„Ecclesiam, neutrum agnoscendum esse Regi„persuasit. Pro hac sententia cum alii, tum„Breviscoxa imprimis acerrime pugnavit.„Destitutus a Francis Benedictus, Regnum„Ecclesiastico interdicto supposuit. Anno„1408. factus est Breviscoxa dispensator Regiarum largitionum, quem nos *Eleemosinarcham* dicimus. quo munere usque ad annum 1418. perfunctus est. Idem per aliquod tempus absente Gersono, Cancellarii Parisiensis officium exercuit, quo se anno 1418. ad nonas Quintiles abdicavit. Interea multa scripsit *Joannes Breviscoxa*, quæ MSS. extant partim in Bibliotheca Cænobii sancti Victoris, partim in Bibliotheca Regia, partim denique in Bibliotheca majoris Ecclesiæ Parisiensis. Præter *Tractatum de potestate Ecclesiæ & Concilii* MS. in Bibliotheca Sancti Victoris, de quo supra loquuti sumus, extant sequentia.

Variæ Quæstiones Theologicæ, quas sigillatim enumerat Joannes Launo jus in *Historia Collegii Navarrici*.

Aliæ Quæstiones Morales, quas idem citato loco accurate recenset.

Commendationes duæ Sacræ Scripturæ, quæ incipiunt *Olivam uberem* &c. *Super omnem terram* &c.

Quatuor principia super Lecturam Bibliorum, quæ incipiunt, *Tota pulchra est* &c. *Ædificavit turrim* &c.

Collationes quatuor super Commendationem Sacrae Scripturae, quae omnes incipiunt, *Regina Austri* &c.

Commentarius seu *Lectiones in Evangelium Joannis. In principio erat Verbum* &c.

Haec autem sufficiunt, ut appareat nullas unquam fuisse praestantissimi Doctoris partes, quas ille non impleverit. Adhaec cum Ecclesia Parisiensis vacaret, Clerus, Senatus & Academia elegerunt Brevicoxam, qui Episcopo mortuo subrogaretur, quod anno 1420. sexto Kalendas Januarias, ut moris erat, factum est. Sed quia Regi Angliae, qui tunc Lutetiae dominabatur, gratus non erat, in hac Episcopatus dignitate manere non potuit. Annum unum & eo amplius in urbe pavidus mansit, vel potius in Monasterio sancti Germani extra urbem latuit. Ita memoriae proditum est in Diario quodam Manuscripto, quod ab anno 1409. incoeptum in annum 1449. definit, quodque in Bibliotheca Minimorum Parisiensium asservatur. Verum anno 1422. ad Gebennensem Ecclesiam translatus est, quia Anglis & Burgundionibus Lutetiae Parisiorum late dominantibus, subesse nec voluit, nec potuit. Ita vir probus & Regnum & Regni sedem, cui Regni & sedis illius vastatio mirum in modum displicebat, deseruit. Moerore confectus vitam non multo post finivit, sed quo anno non comperi, quod ut incompertum relinquo. Haec Joannes Launoius in *Historia Regii Navarrae Collegii* parte 3. cap. 3. lib. 1. pag. 462. & sequentibus. Pauca de *Joanne Brevi-Coxa* fratres Sammarthani tomo 2. *Galliae Christianae* in Episcopis Gebennensibus fol. 596. p. 2.

1410. THEODORICUS VRICK, natione Germanus, ex Saxonia oriundus, Ordinem Eremitarum Sancti Augustini professus, inter nobiles sui temporis Theologos jure merito censendus, anno 1414. & sequentibus claruit. Hunc Hardtius Germanum fuisse putat, quia in Praefatione Operis se *Theologum Saxoniae* dicit: quod non convenit sententiae Andreae Schottii, qui in *Bibliotheca Hispanica* illum Scriptoribus Hispanicis accensuit, Tomo 2. editionis Francofurti 1608. in folio, quam sub initialibus tantum A. S. proprii nominis litteris & cognomine *Peregrini* edendam curavit. Posteris nomen suum commisit, scribendo *Historiam Concilii Constantiensis*, cui ipse interfuit, quamque Sigismundo Imperatori nuncupavit. Opus istud partim oratione ligata, partim soluta compositum, & in 8. libros distributum *de Consolatione Ecclesiae* inscripsit, illudque sub auspiciis Serenissimi Principis Rudolphi Augusti Brunsvicensium Ducis, inter alia ad Concilium citatum spectantia, in lucem brevi proditurum Tomo I. *Collectanei* sui *de Concilio illo Constantiensi* Tomis IV. in folio evulgando, spoponderat Hermannus von der Hardt Caenobii Mariaebergensis Praepositus & Academiae Helmstadiensis Professor, ut ex ipsius Epistola constat, quam eruditissimi *Actorum Lipsiensium* editores ad annum 1695. mense Decembri pag. 557. indicarunt: quod ut quamprimum fieret, omnium in votis erat, quibus veritas cordi est. Hoc promiserat se editurum, cum altera Historia Johannis a Wallenrod, qui etiam Concilii Constantiensis spectator sagacissimus extitit, si quando MS. benigne largiretur Johannes Ernestus a Wallenrod, Curiae provincialis Electoralis Borussiae Praefectus & Consiliarius supremus. Institutum autem D. Hermanni von der Hardt, edendi quatuor tomis in folio *Acta Concilii Constantiensis*, anno 1700. executioni mandatum est, illudque ad sex usque Tomos extensum, sub titulo isto: *Magnum, oecumenicum Constantiense Concilium, de universalis Ecclesiae Reformatione, unione & fide, sex Tomis comprehensum, Ducis Brunswicensium Serenissimi Rudolphi Augusti auspiciis, ex ingenti antiquissimorum & fide dignissimorum Manuscriptorum mole digestum, diligentissime erutum ac recensitum, multisque figuris aeneis exornatum. Opera & studio Domini Hermanni von der Hardt, Caenobii Mariaebergensis Praepositi, & Academiae Juliae Professoris.* Illud Magdeburgi 6. voluminibus in folio impressum, Francofurti & Lipsiae venditur, de quo *Acta Eruditorum Lipsiae*, Kalendis Junii anno 1700. pag. 241. ad 244. Hoc Opus *de Consolatione Ecclesiae*, octo libris, tam versu, quam soluta oratione ad exemplum Boëtii *de Consolatione Philosophiae* editum Tomo I. parte 1. dicti *Constantiensis Concilii*, a folio 1. ad 221. cui von der Hardt Praefationem eruditam ac prolixam praemisit, ubi de hoc Opere multa observat, his verbis:

"Theodoricus Vric constanter nobis audit, qui editioni antiquae Coloniensi fidem merito habemus. Etsi non ignoramus Paulum Langium, Monachum Bozaviensem, e quo in *Chronico Citizensi* bis commendatur, utrobique eum appellasse *Vric*, sive ipsius Langii calamo, sive potius describentis oculis Lapsus tribuendus sit. Langii vestigia secuti videntur Gerardus Joannes Vossius & Hoffmannus, infra citandi. Fidem autem plurimam meretur, cum Historiam hanc Concilii Constantiensis durante Concilio scripserit. Cujus primam partem, quatuor nempe priores libros absolvit anno 1417. feria 6. ante Dominicam Septuagesimae: quatuor posteriores aut ultimam partem anno 1417. eodem mense Novembri. Absolvit enim hanc suam Concilii Constantiensis Historiam, sub finem ipsius Concilii, anno 1417. in Profesto S. Elisabeth Viduae. Descripsit autem finito Constantiensi Concilio, anno 1425. in gratiam posteritatis, hac subscripta descriptionis formula:"

Hac scripsi breviter, pro futuris, qui legere poterunt, Acta Concilii Constantiensis. Et illi qui supererunt, si delectat eos scribere etiam praeterita, poterunt filiis suis & posteritati nuntiare.

nuntiare. Nunc annus est Domini MCCCCXXV, quo etiam in festo Penteeostes, nostrum Generale Concilium celebratum est sub Reverendissimo Magistro Augustino de Roma Generali nostro.

„Meruit ergo resuscitari collapsum hoc antiquitate monumentum, in magno certe jam olim pretio habitum. Præclarum vero hoc antiquitatis monumentum ex vetustissimo repetivimus Codice Coloniæ per Johannem Kœlhoff de Lubeck, anno 1484. impresso, & in Bibliotheca Rudolphæa Brunswigæ asservato. Qui Codex pro volumine IV. Operum Gersonii, tunc primum collectorum atque editorum habitus. Etsi non Gersonii duntaxat, sed & plurium aliorum Doctorum Opuscula uno fasciculo complectitur, utpote Henrici de Hassia, Henrici de Hoïta, Wilhelmi Orem, Johannis Huss & Theodorici Vric nostri. Quorum scripta omnia omissa, in repetita editione Gersonianorum, quæ mox anno 1494. Argentorati lucem vidit, tribus voluminibus constans. Neque ullum eorum compareret in IV. Vomo, utpote *Appendice* a Jacobo Wimphelingio superioribus adjecta, & anno 1502. Argentinæ edita. In exilium sic fere abierat *Germanus* noster *Theodoricus Vric*, a latere Gersonii avulsus, oblivioni fere æternæ mancipatus. Quæ sunt iniqua præclarissimorum monumentorum fata. Mentionem hujus Scriptoris faciunt Paulus Langius ab annis circiter CC. scribens, in *Chronico Citizensi*, inter Scriptores Rerum Germanicarum a Pistorio editas p. 848. & 851. Gerardus Johannes Vossius libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. p. 546. & 548. Johannes Jacobus Hoffmannus Tomo 2. *Lexici Universalis* pag. 447. col. 1. Hermannus von der Hardt in Præfatione ad editionem huius Operis, & pag. 222. ad calcem illius, ubi Vitam Theodorici Vric prolixe describit.

1410 JOANNES PETITUS, seu PARVUS, Doctor Theologus Parisiensis, Ordinis fratrum Minorum, anno 1400. Licentiatus in Theologia factus, vir fuit hac ætate corrupta eloquens, & magnæ sane ob eruditionem & facundiam famæ, sed conductitiæ & venalis. Qui cum duobus aliis ejusdem farinæ Doctoribus, publice declamavit anno 1407. in atrio Basileæ Beatæ Mariæ Parisiensis, *Cædem Ludovici Aurelianorum Ducis a Burgundione jure perpetratam esse:* idque persuadere multis rationibus conatus est, nullum enim scelus tam fœdum, quod non inveniat suum patronum. Verum paulo post factione Aurelianorum prævalente, hæreseos apud Universitatem factus reus, exulare compellitur, qui Nosocomio & largis stipendiis a Burgundione donatus, apud Hisdinium anno 1411. fato functus est. Inter rationes quas profetre ausus est, hanc afferre non erubuit, quod ejusdem Burgundionis sumptibus in scholis educatus fuisset, ejusdemque stipendiis etiam nunc militaret. Audio *Tractatum ejusmodi* MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 269. extare, quem tamen fuisse Parisiis publice combustum & proscriptum, legi. Ejusdem *Joannis Parvi Tractatus varii de Schismate, & aliæ Propositiones* MSS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Codd. P. 11. & P. 14. Sed Opera modica & Gallice scripta. quæ prælum non merentur, nullius que momenti sunt. Dicunt nonnulli hunc Tractatum Johannis Parvi *de occisione Ducis Aurelianensis a Duce Burgundiæ jure perpetrata* haberi quoque in MS. Collectaneo, quod tribus in folio Tomis asservatur in Bibliotheca clarissimi Viri Petri Sequiarii Galliæ Cancellarii inscriptum *Concilium Parisiense super nece Ducis Aurelianensis a Duce Burgundiæ perpetrata:* id quod ego qui non vidi, affirmare non possum. Editus jam Tomo V. Operum Joan. Gersonii parte 1. pag. 15. ut infra in Gersonio dicetur. Mortuus est Joannes Parvus apud Hisdinium in Artesia anno 1411. atque in Ecclesia fratrum Minorum sepultus. De quo mentionem facit Cæsar Egassius Bullæus, seculo VII. *Historia Universitatis Parisiensis.*

MARTINUS PORRÆUS, ATTREBATENSIS EPISCOPUS, Doctor Theologus Parisiensis, Ordinis fratrum Prædicatorum, Confessarius Joannis Burgundiæ Principis, idem crimen de quo jure supra perpetratum esse defendit, ob cujus perversæ doctrinæ compensationem, anno 1408. instante Principe, Episcopus Attrebatensis factus est. Nec mercedi seu beneficio defuit gratus animus, nam in suæ promotionis gratiarum actionem, scripsit Porræus *Tractatum hujusce cædis justificativum*, quem habet in Anglia Oxonii Bibliotheca Collegii Novi Cod. 269. hoc titulo: *Tractatus compositus per Episcopum Attrebatensem pro parte Ducis Burgundiæ, quod licite fecit occidi Ducem Aurelianensem.* Ibidem autem extat veneno præsenti remedium, tractatus inscriptus, *Materia Responsionis ad Tractatum Attrebatensis, super interfectione Ducis Aurelianensis.* Adstitit Porræus Legatus Ducis Burgundiorum anno 1415. Concilio Constantiensi, sessionibus 2. 11. & 30. qui & missus postea in Angliam cum Præposito sancti Donatiani Brugensis. Obiit anno 1426. die 6. Septembris, conditus autem in Ecclesia sua tumulo cupreo, ubi ejus insignia cum inscriptione subjecta. *Hic jacet Martinus Poré de Conventu Senonensi, Ordinis Fratrum Prædicatorum, olim Confessarius illustrissimi Principis Joannis Ducis Burgundiæ, Flandriæ, Artesiæ & Burgundiæ Comitis, deinde Attrebatensis Episcopus, obiit anno Domini* MCCCCXXVI. *die sexta Septembris.* Agunt de *Martino Porræo* Sammarthani fratres in Gallia Christiana tomo 2. pag. 218. in Episcopis Attrebatensibus. Cæsar Egassius du Boulay seculo VII. tomo V. *Historiæ Universitatis Parisiensis* ad annum 1415. p. 284. 1410

DISSERTATIO SINGULARIS
DE
VITA ET SCRIPTIS JOHANNIS CHARLIER, VULGO DICTI *JOANNIS DE GERSONII* PARISIENSIS ACADEMIÆ CANCELLARII.

PROLOGUS.

1410 NOva prodeunt induta facie Opera Viri sua tempestate ob prudentiam, pietatem & doctrinam præstantissimi, Doctoris uti vulgo audire solet Christianissimi, sempiternæ Parisiensium gloriæ & Constantiensis Concilii columnæ, quæ Dissertationi præsenti occasionem dederunt. Quæ cum eruditis tanti fiant, ut neminem sine insigni versatum fructu in illis existiment: nihil mirum, quod inter prima inventæ modo artis typographicæ monumenta compareant, ac sexta jam vice ex integro, non computatis Opusculorum singularium variis ac multis editionibus, integriora & emendatiora orbi litterario sistantur. Quid operæ ac studii impenderit huic editioni Clarissimus *du Pin*, celeberrimum illud inter Sacræ ac Litterariæ Historiæ cultores nomen, abunde nobis dabunt, partim *Præfatio* Operi annexa, partim *Gersoniana* amplissima illa quæ hanc excipiunt. Præfatione edocemur, quoties Opera Gersonii sigillatim, quoties conjunctim omnia prodierint. Et Collectio quidem illorum primo Basileæ anno 1483. facta est, dein Argentorati 1489. iterum Basileæ anno 1518. demum Parisiis ao. 1521. & anno 1606. Quæ editio postrema etsi reliquas & forma & characteribus superat, haud multo tamen accuratior est, non quod editor *Edmundus Richerius*, vir illo tempore & doctrina & operibus editis clarissimus, huic labori par non fuerit: sed quod ob Bibliopolarum impatientiam, aliis detentus curis: ei quod necessarium fuit temporis, impendere non potuerit: Inscribitur tamen titulo hoc splendido, *Johannis Gersonii Doct. & Cancellarii Parisiensis Opera, multo quam antehac auctiora & castigatiora, in partes quatuor distributa.* Accessit Vita Gersonii, & cum aliquot opusculis Petri de Alliaco Cardinalis, Jacobi Almaini & *Johannis Majoris super Ecclesiæ & Concilii auctoritate, pro Gersonii & Placitorum Scholæ Parisiensis propugnatione*, Parisiis 3. Voluminibus 1606. in folio. Cujus amplissimam mentionem facit Ludovicus Elias du Pin in *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* Tomo XII. ubi de seculi XV. Scriptoribus pag. 66. & seqq. editionis Amstelodamensis anni 1700. apud Hugnetanos in 4. In Præfatione tamen hujus editionis suæ conqueritur *Divisionem operum Gersonii*, uti vulgo compacta sunt, instar foliorum Sybillæ confusa, & quæ textui errata irrepserant, ordinem postulasse meliorem, majoremque Codices manuscriptos conferendi atque exscribendi industriam. Id quod viros excitavit doctos atque cordatos, ut editionem molirentur cæteris cultiorem, auctiorem & castigatiorem, imprimis cum rara admodum exemplaria sint & multi veneant, forsitan & inde, quod Cardinalis *Barbarinus* præ nimio Curiæ Romanæ studio, ea supprimere penitus adlaboraverat, sed perperam. Ultimam itaque limam illis adhibuit Vir quidam eruditus, quem Elias du Pin honoris causa appellaturus erat, nisi nomen suum reticeri ipse voluisset: Nos tamen nominabimus, cum institutum suum ac laborem, olim dum Parisiis eramus, aperuit, ac ut ipsi etiam suppetias ad editionem hanc daremus, semel ac iterum oraverit. Is ergo Dominus de Herouval, Canonicus Regularis S. Victoris Parisiensis, & Bibliothecarius, Vir eruditione ac modestia insignis, illius magni Antonii de Herouval filius, ut audio. Opus igitur prælo tradere paratus, quo ignoratur fato consilium interrupit, & provinciam hanc Clarissimo Viro *Ludovico Eliæ du Pin* demandavit. Is retinuit quidem, quæ jam ab hoc Operum Gersonii instauratore Herouvallio annotata atque emendata erant, qui & idem Bibliothecarius tractatus multos ad Codices MSS. Victorinos, Navarricos, Colbertinos, aliosque nondum collatos recensuit, quinquaginta fere Gersonii lucubrationes ex MSS. eruit, tractatus quosdam insignes Scriptorum coætaneorum hactenus ineditos operibus hisce adjunxit. Monumenta ad causam Johannis Parvi spectantia, quæ lucem nondum viderant, in unum volumen congessit: Opera denique omnia novo ordine digessit atque quinque Tomis distinxit. Illorum Tomus I. continet Dogmatica, II. ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia, III. Moralia, IV. Exegetica & Miscellanea, V. Acta ad causam Johannis Parvi spectantia. Hic labor Herouvallii fuit. Atque hæc sunt, quæ Præfatione habentur, ac Prologum Dissertationis nostræ constituunt. Jam nostro agendi modo primum de *Vita Johannis Gersonii*, deinde de Operibus disseramus.

CAPUT PRIMUM.

VITA JOHANNIS CHARLIER, VULGO *GERSONII*, CONTRACTA EX *GERSONIANIS* LIBRO II. §. I. PAG. XXXIV. ET SEQUENTIBUS.

JOannes Charlerius natus est anno 1363. die 14. Decembris S. Nicasio Sacra, in Viculo Rhemensis Diœceseos prope Rhetelium, cui

cui nomen erat *Gerson*, a quo etiam Gerson, pro temporis hujus more cognominatus est. Solebant enim Magistri tum, omisso sæpe familiæ, quæ plerumque obscura erat, nomine, loci natalis cognomento insigniri. Patrem habuit *Arnulphum Charlier*, matrem *Elisabetham la Chardenicke*, quos, ut ipse ait, *Deus bis sena prole donavit*, puellis septem, maribus quinque. Horum Primogenitus is, cujus Vitam scribimus: e quatuor aliis unus cui nomen erat *Petrus*, infans est mortuus, tres reliqui Monachi fuere. Unus Johanni nostro cognominis, inter Theologos Navarrici Collegii ad annum 1404. recensitus, Ordinis Cælestinorum Monachus, circa Gersonii nostri finem vitæ, Lugdunensi Monasterio Cælestinorum Præpositus erat. Secundus Nicolaus, inter Artistas Navarricos anno 1391. numeratus, Cælestinorum quoque vitam amplexus est, Vir austerioris vitæ, cujus mortui Sanctitatem Gersonius, cui admodum carus erat, laudat in *Monicho*. Tertius itidem Monachus Rhemis professus est, ut ex quadam Gersonii epistola intelligitur. Inter sorores *Paulinam* præcipue commendat Gersonius, & beatam ejus mortem prædicat.

A parentibus sancte & pie educatus Gersonius, cum primam adolescentiam attigit, ad Parisiensem Academiam anno 1377. ablegatus est. Eo Artistarum Societati in Collegio Navarræ adscriptus est sub Laurentio Guilleto, eam tunc regente. Anno 1381. licentiatus est in Artibus sub M. Joanne Loutrarii in prima auditione apud Cancellarium Parisiensem. Anno 1382. gradum fecit ad Theologicam ejusdem Navarræ Societatem sub Joanne Laurentio de Chavangiis ejus tunc Præposito, in qua decem annos transegit: per septem annos M. Petrum de Alliaco, & per tres Ægidium Compensem audiit.

Interim annis 1383. & 1384. Nationis Gallicanæ in Universitate Procuratorium Magistratum gessit. Baccalaureus cum esset, unus fuit ex Legatis Universitatis, qui anno 1387. ad Clementem VI. in negotio Joannis de Montesano, Avenionem missi sunt. Hinc redux coram Academia solemnes Orationes habuit, quæ uti ingenii præstantiam indicant, haud mediocrem quoque præ se ferunt humaniorum Litterarum notitiam. Anno demum 1392. Doctoris Theologiæ titulum adeptus, anno 1393. Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarius, in locum Petri de Alliaco qui hoc munere sese abdicaverat, renuntiatus est, vel potius anno 1395. ut Hemeræus Doctor Sorbonicus in libro suo *de Academia Parisiensi* scribit. Decanatum Brugensis Ecclesiæ paulo post Ducis Burgundiæ suffragio adeptus est.

Cancellarii officium, ut par erat, Joannes Gersonius summa cum laude sustinuit, & magna tum fide, tum gravitate, tum prudentia difficillimis temporibus gessit. Academiæ commoda, Ecclesiæ pacem, Regni tranquillitatem ac gloriam, Studiorum dignitatem omni ope, industria, labore promovit. At multas in eo munere molestias passus est, quas ipse egregie exponit in Scripto ea de re confecto, quod extat Tomo IV, parte 2. pag. 725. quam consule. Inter has autem prima & præcipua erat, quod pluribus Dominis Potentibus & Magnis qui infensi sibi mutuo erant, complacare vel obsequi cogeretur, Duces Aurelianensem & Burgundum, quorum nomina reticet, indigitans. At ne propositum relinquendi dignitatem hanc exequeretur, obstitit Ducis Burgundiæ, cui se post Deum omnes operas suas debere fatetur, mandatum, quo Cancellarii dignitatem retinere, & Parisiis manere coactus est.

Quæ fuerit ejus, cum de substractione obedientiæ Benedicto in Gallia ageretur, mens atque sententia, jam a nobis dictum est. Ea restituta, secunda feria Pentecostes anni 1403. orationem in Supplicatione publica habuit, qua Ecclesiæ Gallicanæ propterea gratulatur. Hinc non tam missus, inquit, quam coactus, Legatus ad Benedictum, duas Orationes coram eo habuit, unam Massiliæ, alteram Tarascone: & in utraque Pontificem hunc ad pacem promovendum, etiam via Cessionis ultraneæ hortatus est. Has Orationes æmuli ejus dicta male interpretantes, perstrinxerunt & iis Gersonio invidiam conflare conati sunt: quorum calumniis Epistola ad Petrum de Alliaco Cameracensem Episcopum, obviam ivit. Nec obtrectatorum livor impedivit, quo minus in solemni Legatione ad Gregorium & Benedictum anno 1406. missa, unus ex Legatis designaretur.

Ab hac Legatione anno 1408. reversus, in Concilio Provinciali Rhemensi, festis Paschalibus *Reformationem omnium statuum Ecclesiasticorum* magno affectu longaque Oratione commendavit, & in eodem Concilio Tractatum perutilem *de cura Prælatorum* edidit: tum imminente Concilio Pisano, plures Tractatus de Schismate sedando composuit. Cumque Anglorum Legati ad Concilium Pisanum missi Lutetiam venissent, Academia Parisiensis Gersonium elegit, qui coram iis Orationem haberet, qui Concilii necessitatem demonstraret & auctoritatem astrueret, ut remotis Pontificibus duobus inter se contendentibus, tertius eligeretur. Huic Concilio interfuit Gersonius, ab electo Pontifici Alexandro V. solemni Oratione gratulatus est.

Reversus in Galliam Gersonius, cum ex Pisani Conventus Decreto, Generale Concilium propediem esset convocandum, in id incubuit, ut quæ in Concilio Generali tractanda erant, præverteret. Hoc consilio, de *pace & unione Græcorum, ac de Ecclesiæ Reformatione* scripsit. Tum etiam dissidio molestissimo inter Burgundum & Aurelianensem implicitus est.

 Cum

Cum enim pro æquitate sua, infandam Ludovici Aurelianensis cædem opera Burgundi perpetratam palam detestaretur, seditione Parisiis anno 1413. orta, quæsitus a seditiosis ad necem vel in carcerem raptus fuisset, nisi fuga sibi consuluisset, ac in fornicibus Ædis B. Mariæ per aliquot dies delituisset. Erat tum Ecclesiæ S. Joannis in Grævia Pastor, quæ ei jam ab anno 1405. commendata erat, cum Orationem habuit coram Rege, cujus initium *Vivat Rex*, quam haud diu deinceps retinuit. Omnis ejus suppellex a seditiosis direpta, bonaque dissipata sunt.

Concilio Generali Constantiensi ad Kalendas Novembris anno 1414. indicto, Joannes Gersonius, tum Regis Galliarum, tum Academiæ Parisiensis nomine, huic interfuit, omnemque Lapidem in hoc consessu movit, ut Liber Joan. Parvi, quem ad defendendam Ducis Aurelianensis cædem jussu Ducis Burgundiæ factam composuerat, damnaretur ac censura in Concilio notaretur. Nullis enim expensis, nullis laboribus pepercit, ut id assequeretur: nam calamo ac voce, Orationibus, lamentationibus, querelis, protestationibus, schedulis, libellis supplicibus, imo & appellationibus, aliisque omnis generis scriptis, causam hanc sedulo & acriter, tum in Regis & Universitatis nomine in Concilio ursit. Finita autem Synodo ao. 1418 aliud nihil tot laborum suorum, insignisque pietatis ac ardentissimi in justitiam & verum amoris, præmium consecutus est, quam exilium perpetuum. Cum enim Burgundiæ Ducis, acerrima damnationis Libri Johannis Parvi prosecutione, odium concivisset, Lutetiam obnoxiam Anglorum & Burgundionum dominationi redire non ausus, prope Sexagenarius, Peregrini habitu indutus, Constantia egressus est die 6. Maji anno 1618. solutis Notario Concilii ob causam Joannis Parvi expensis. Primum autem in montana Bavariæ secessit, ubi in oppido Rhatembergensi ad Boetii imitationem Libros quatuor *de consolatione Theologiæ* cum *Dialogo Apologetico eorum, quæ in negotio Joannis Parvi egerat*, conscripsit: nec multo post in Austriæ Ducis fines concessit, ad urbem Viennam profectus, ubi benigne & humaniter susceptus est.

Tandem Gersonius anno 1419. Lugdunum Gallorum abiit, ubi fratrem Cælestinorum illic Priorem habuit, reliquumque vitæ tempus orando, meditando, concionando, Libros conscribendo & præsertim parvulos in fidei rudimentis quotidie informando, impendit. Ibi Joannes Gersonius animam Deo gratam Lugduni anno 1429. die 12. mensis Julii, ætatis 66. reddidit, in Ecclesia S. Pauli honorifice sepultus, In scripta est ejus tumulo hæc sacra sententia, quam inter concionandum sæpe fæpius in ore habebat; *Pœnitemini & credite Evangelio:* & in circuitu tumuli, ac in tabula juxta ejus Peregrini insignia muro appensa, sequens Epithaphium legebatur:

Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem
Præcelsum meritis, Gerson cognomine dictum,
Parisiis sacræ Professor Theologiæ,
Claruit Ecclesiæ, qui Cancellarius anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit Superos, Julii duodena.

Hujus mortem docti pariter & pii luxerunt, ac memoriam coluerunt, & in perpetuum colent. Hujus ossa, quæ diu latitaverant, anno 1643. cum forte fossores in tumulum hujus incidissent, ex eo eruta sunt, & eorum inventio magno populi concursu ac religione celebrata, ut fusius legere est in narratione Stephani Verney, quam cum aliis Gersonis Vitis, ad calcem hujus Operis edemus.

CAPUT SECUNDUM.

DE EDITIONE NOVISSIMA OPERUM OMNIUM JOHANNIS GERSONII, DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS.

PRodierunt sub hoc titulo, Joannis Gersonii Doctoris Theologiæ & Cancellarii Parisiensis Opera omnia, novo ordine digesta & in V. Tomos distributa, ad MSS. Codices quamplurimos collata, & innumeris in locis emendata, quædam etiam nunc primum edita. Quibus accessere Henrici de Hassia, Petri de Alliaco, Joannis Brevicoxæ, Joannis de Varenis Scriptorum coætaneorum, ac insuper Jacobi Almaini & Johannis Majoris Tractatus, partim editi, partim inediti; nec non Monumenta omnia ad causam Joannis Parvi pertinentia, opera & studio M. Ludovici Ellies du Pin, sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, & Philosophiæ Professoris Regii, qui huic novæ Editioni *Gersonianæ* præfixit, in quibus Historia Ecclesiastica temporis illius quo Gersonius vixit texitur, Vita coævorum narratur, Scripta Gersonii recensentur, Doctrina aperitur. Antwerpiæ Sumptibus Societatis MDCCVI.

Quamvis autem hæc editio Operum Gersonis præstantissima, Antwerpiæ sumptibus Societatis facta dicatur: hoc tamen falsissimum est, & Amstelodami anno 1706. apud Ludovicum de Lorme & Socios facta est, illam procurantibus multo æstu ac labore Jansenistis Gallis, qui e Gallia Amstelodamum Presbyteros ipsis fideles missos per biennium & ultra aluerunt.

Editionem hanc præstantissimam esse, magnificam atque Præludiis amplissimis & eruditissimis ornatam, paucas similes habentem, nullus qui viderit inficiabitur: illam Editore suo Ludovico Ellia du Pin, Viro eruditionis ac

multorum librorum productionis fama celeberrimo dignissimam. Quæ ergo instar Præludiorum præmittuntur Tomo primo, sigillatim recenseantur, quæ omnia ad Ludovicum Elliam du Pin pertinent.

PRÆLUDIA EDITIONIS.

Præfatio qua totius Operis structura & ratio summatim explicatur.

Series eorum quæ in hac nova Gersonii Operum editione continentur, ubi quæ Asterismo notantur, nunc primum in lucem prodeunt, pag. 1. ex labore & collatione Herouvallii S. Victoris bibliothecarii.

Index Operum Gersonii juxta editionem Parisiensem anni 1606. p. 11.

Synopsis Chronologica Pontificum Romanorum, Imperatorum & Regum Occidentis, qui vivente Gersonio extiterunt. p. 15. opera Ludovici Elliæ du Pin, cui Opus omne attributum fuit.

Gersoniana in quatuor libros distributa, ejusdem Elliæ du Pin, cum Prolegomenis omnibus aliis.

Liber I. in quo Historia temporis illius, quo Gersonius vixit, enarratur. p. I.

Liber II. Joannis Gersonii, Petri de Alliaco, Nicolai Clamengii, aliorumque coætaneorum Scriptorum vitas continet. pag. XXXIV.

Liber III. de Scriptis Gersonii, in quo omnia ejus Opera recensentur, singulorum tempus & occasio declarantur, argumentum exponitur & character assignatur. p. XLI.

Differtatio singularis de authore Libri inscripti *De imitatione Christi*. p. LIX.

Liber IV. de doctrina Gersonii, in quo universa ejus Theologia exponitur. p. LXXXV.

Epistola dedicatoria præfixa editioni Parisiensi, Operum Joannis Gersonii anni 1521. p. CLXII.

Vita Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis, ex ejus Operibus collecta, præfixa Editioni anni MDCVI. Parisiensi. pag. CLXIV.

Joannis Gerson Cancellarii Parisiensis compendiosa laus, a Petro Schotto Argentoratensi, hortatu Joannis Geileri Keiserspergii, illic Concionatoris, elucubrata anno 1489. p. CLXXII.

Epitoma vitæ Johannis Gerson. p. CLXXIII.

Epistola fratris Johannis de Gerson, Ordinis Cælestinorum, directa fratri Anselmo ejusdem Ordinis, super Opusculis Joannis Gerson Cancellarii Parisiensis, anno Domini 1400. die 23. Maji. pag. CLXXIV.

Prologus Jacobi Wimphelingii in Opera Joannis Gerson. p. CLXXIX.

Scriptorum plurimorum de Gersonio testimonia, per nationes distincta. p. CLXXX.

Privilegium Regis Christianissimi anni 1654. ad mandandum typis Opus *de imitatione Christi* sub nomine *Joannis Gersonii*. p. CLXXXVII.

Joannes Charlierus de Gerson in tumulo gloriosus. p. CLXXXVIII. ad CXCV.

Hæc præclara & amplissima Editionis hujus novissimæ præludia, quibus insignis labor & diligentia Lud. Ellias du Pin ostenditur, jam ad Opera ipsa procedamus.

CAPUT TERTIUM.

CONTENTA TOMO PRIMO OPERUM GERSONII RECENSENTUR, NOTATIS ASTERISCO, QUÆ PRIMUM HUIC EDITIONI ACCESSERUNT.

Tomus primus continens Opera Dogmatica, De Religione & Fide.

Pars prima complectens Scripta, quæ ad Theologiæ tractandæ methodum, regulas & fundamenta pertinent.

Propositiones de sensu litterali Scripturæ, & de causis errantium, p. 1.

Tractatus de Examinatione Doctrinarum, collatus ad MSS. Codd. Victorinum 699. Colbertinum 99. & M. Targny Doctoris Theologi Parisiensis. p. 7.

Exemplum quoddam de seductione mulieris, quod anno Domini 1424. accidit. p. 19.

Aliquæ veritates, quo ad tres modos reliquos. p. 20.

Declaratio veritatum, quæ credendæ sunt de necessitate Salutis. Coll. ad Codd. MSS. Victorinum 689. Colbert. 99. & 5972. & M. Targny p. 22.

Tractatus de protestatione circa materias fidei, contra hæreses diversos. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 137. & Colbert. 99. 28.

Duodecim Considerationes & signa, quibus aliquis solet notari vel convinci de hæresi. Ad eosdem MSS. Codices. 36.

Tractatus de probatione Spirituum. anno 1415. scriptus. Coll. ad MSS. Codices Victorin. 180. 694. 699. & Navarricos tres. 37.

Tractatus de distinctione verarum visionum a falsis. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 285. 180. & unum Navarricum. 43.

Epistola contra librum Joannis Ruysbroch. de ornatu Spiritualium Nuptiarum, recognita ad MSS. Codd. Victorin. 278. & 106. 59.

Defensio ejusdem Libri, per Johannem de Schœnhavia. Recognita ad eosdem MSS. Codd. p. 63.

Epistola Joannis Gersonis, contra prædictam Defensionem. Collat. ad MS. Cod. Victorin. 106. 78.

Judicium de Vita S. Herminæ. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 694. & 284. 83.

Duæ Lectiones super illud Marci, Pœnitemini & credite Evangelio, *contra vanam curiositatem in negotio fidei*. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 843. & Navarricum unum. 86.

Epistola ad Studentes Collegii Navarræ, ut postbabitis

habitis recentioribus, antiquiores legant: & quid & qualiter studere debeat novus Theologus. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 698. & Navarricum unum. 106.

Alia Epistola ad eosdem Studentes Collegii Navarræ, de regenda disciplina, & Dominicanis in gratiam Academiæ recipiendis. Coll. ad MS. Cod. Victorin. 698. 110.

Admonitio, quomodo caute legendi sunt quorundam libri, propter errores occultos: seu ut habetur in MS. Cod. Victorino, *Aliqua notanda, super doctrina Hubertini, de Vita Christi.* Collat. ad MSS. Codd. Victor. 699. & M. Targny, & dimidio fere auctior. 113.

Epistola ad Patrem Oswaldum Carthusiensem. 116.

Epistola laudans mellifluam & igneam D. Bonaventuræ doctrinam. Recognita ad MSS. Codd. Victorin. 61. & Colbert. 29. 117.

Excerptum quoddam Gersonii per modum Prologi, in quo cupit antiquos Doctores lectum iri, lucubrationibus suis posthabitis. 119.

Epistolæ duæ de Reformatione Theologiæ. Coll. ad MS. Cod. Victorin. 463. 120.

De Consolatione Theologiæ Libri. V. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 170. 765. 68. & Navarricos duos. 125.

Pars secunda continens Tractatus adversus prophanas superstitiones.

Trilogium Astrologiæ Theologizatæ anno 1419. scriptum. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. & 698. ac Navarricum unum. 189.

Tractatus contra superstitiosam dierum observationem. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 463. 180. 698. & Navarricum unum. 203.

Opusculum adversus doctrinam cujusdam Medici Montis-Pessulani, sculpentis in numismate figuram leonis cum certis characteribus, pro curatione rerum, anno 1428. scriptus. 206.

Tractatus de observatione dierum quantum ad opera, contra M. Jacobum Angeli Medicum villæ Montis-Pessulani. 208.

Tractatus de erroribus circa Artem Magicam & Articulis reprobatis. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 698. & Navarricum unum. 210.

Tractatus an liceat Christiano initia rerum observare ex cœlestium Syderum respectu. Coll. ad MS. Cod. Victorin. 848. 220.

* *Epistola Cardinalis Cameracensis ad Joannem Gersonium, qua laudat ejus de Astrologia judicium.* Nunc primum edita ex MS. Cod. Regio 5874. 216.

Pars tertia continens Tractatus ad fidei Dogmata pertinentes.

Compendium Theologiæ, Gersonio adscriptum. 233.

Opusculum Tripartitum, de præceptis Decalogi, de Confessione & Arte moriendi. Gallice in Codd. MSS. Victorin. I. pars 288. II. & III. pars in Codd. item Victorinis 602. & 774. & integrum Latine in duobus Codd. Navarricis. 425.

Tractatus seu Epistola ad Provincialem Cælestinorum, super versiculo Cantici Mariæ, Suscepit Israël puerum suum. *De susceptione humanitatis Christi allegorice per XXIV. veritates, tropologice autem & anagogice per XII. veritates.* Exactus ad MSS. Codd. Victor. 699: Navarricum & M. Targny. 450.

Tractatus contra hæresim de Communione Laicorum sub utraque specie, in Concilio Constantiensi anno 1417. die 20. Augusti editus. Collatus ad MSS. Codd. Navarricum unum & M. Targny, cujus ope auctior prodiit. 457.

Propositiones Joannis de Gerson super Assertionibus fratris Matthæi Grabon Ordinis Prædicatorum in Concilio Constantiensi, in Causa fidei, de vera Religione & perfectione. 467.

Conclusiones ejusdem fratris Matthæi Grabon, in Concilio Constantiensi oblatæ ad examinandum. 470.

Revocatio & abjuratio prædictorum Articulorum & Conclusionum. 474

* *Conclusiones quædam, ratione propositionis cujusdam,* An Angeli, Beata Virgo & omnes Sancti & Sanctæ afficient Corpus Christi in Sacramento Altaris. De novo editæ ex MS. Cod. Victorino 137. 475.

Appendix ad Tomum primum Operum Joannis Gersonii continens varios Tractatus Dogmaticos Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, nec non Joannis Breviscoxæ Doctoris Theologi Parisiensis *Tractatum de Ecclesia & Concilio Generali*, & quæ ad negotium Joannis de Varennis spectant.

Monitum circa ea quæ in Appendice Operum Gersonii continentur. 484.

* *Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, de falsis Prophetis Tractatus I.* Nunc primum editus ex Cod. MS. Navarrico. 489.

Ejusdem de falsis Prophetis Tractatus II. Ex eodem MS. 511.

Ejusd. Recommendatio Scripturæ Sacræ. 603.

Ejusdem Principium in Cursum Biblia. 610.

* *Ejusdem, utrum Trinitas personarum in una natura creaturæ sit incommunicabilis?* Nunc primum ex MS. Cod. Navarrico. 617.

* *Ejusdem ad eandem quæstionem, de tribus suppositis in una natura* 625.

* *Ejusdem, de libertate creaturæ rationalis, ante & post lapsum,* ex eodem MS. Cod. 630.

* *Ejusdem, utrum conscientia erronea excuset a culpa,* ex eodem Cod. MS. 636.

* *Ejusdem, de legitimo Dominio.* Ex eodem Cod. MS. 641.

* *Ejusdem, utrum indoctus in Jure Divino possit jure præesse.* Ex eodem Cod. MS. 646.

* *Ejusdem Quæstio in suis Vesperiis, utrum Petri Ecclesia lege regulatur.* Ex eodem Cod. MS. 662.

* *Ejusdem*

* *Ejusdem Quæstio de Resumpta, utrum Petri Ecclesia Rege gubernetur, lege reguletur, fide confirmetur, Jure dominetur.* Ex eodem Codice MS. 672.

* *Propositiones damnatæ Joannis de Montesono Dominicani.* Ex Tabulis Sacræ facultatis Theologiæ Parisiensis 693.

* *Epistola Universitatis Parisiensis, adversus Joannem de Montesono.* Ex iisdem Tabulis 694.

Petri de Alliaco sermo coram Papa Clemente VII. Avenione habitus, circa negotium Universitatis Parisiensis adversus Joannem de Montesono. Ex MS. Cod. Navarrico. 698.

* *Propositio facta in Consistorio per eundem contra M. Joannem de Montesono.* 702.

Petri de Alliaco Apologia facultatis Theologiæ Parisiensis, circa damnationem Joannis de Montesono. 709.

* *Ejusdem Adversus Cancellarium Parisiensem, quod nihil liceat exigere pro gradu Licentiæ.* Nunc primum editus ex MS. Cod. Navarrico. 723.

* *Ejusdem Tractatus secundus, An liceat pecuniam dare vel exigere, pro docendi Licentia.* Ex eodem Cod. MS. 745.

* *Ejusdem Tractatus contra Astronomos.* Ex eodem Cod. MS. 778.

* *Joannis Breviscoxæ Tractatus, de Fide & Ecclesia, Romano Pontifice & Concilio Generali.* Nunc primum editus ex MS. Cod. Victorino 1083. 805.

* *Joannis de Varennis Pastoris Sancti Læti in Diœcesi Remensi, Responsiones ad Capitula accusationum quibus impetebatur, scriptæ in carcere anno 1396.* Ex Codice MS. Victorino 463. 905.

CAPUT QUARTUM.

CONTENTA TOMO SECUNDO OPERUM GERSONII RECENSENTUR, QUÆ AD ECCLESIASTICAM ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ ET DISCIPLINAM PERTINENT.

Pars prima continens Tractatus ad Schisma pertinentes, usque ad Concilium Constantiense.

Protestatio super statum Ecclesiæ. Collat ad MS. Cod. Victorinum 463. Pag. 2.

Tractatus super præsenti Schismate, qui in editis inscribitur, Sententia de modo habendi se tempore Schismatis. Emendatior & auctior ex Codd. MSS. Victorini 285. 1083. & Colbert. 99. 3.

* *De substractione Schismatis,* de novo editus ex Cod. MS. Victorin. 699. 7.

* *De eodem Schismate alius Tractatus.* Recognitus ad MSS. Codd. Victorinos 285. 1083. 14.

Alius Tractatus de eodem Schismate. Recognitus ad eosdem MSS. Codd. 17.

De Concilio unius obedientiæ. Ad MS. Cod. Victorin. 699. 24.

* *Considerationes de restitutione obedientiæ Benedicto XIII.* De novo editæ ex eodem MS. Codice Victorino. 32.

Sermo de sancto Spiritu factus post restitutionem obedientiæ. Collat. ad MS. Cod. Victorinum 463. 35.

Sermo habitus Massiliæ, coram eodem Benedicto XIII. anno 1403. pro pace & unione Ecclesiæ. Collat ad MSS. Codd. Victorin. 698. Colbert. 99. & 5972. & Navarricum unum. 43.

Sermo habitus Tarascone, in die Circumcisionis anno 1403. coram Benedicto XIII. cui adjunctæ sunt Considerationes de reformatione & pace Ecclesiæ. Exactus ad MSS. Codd. Victorin. 463. Colbertinum 99. & Navarricum 54.

Epistola ad Ducem Aurelianensem, de Sermone præcedenti. Collat. ad MS. Cod. Victorin. 463. 74.

Epistola ad Dominum Cameracensem, ibidem.

Acta quædam de Schismate tollendo scripta anno 1406, post mortem Innocentii VII. Romæ sedentis, & vivente Petro de Luna 76.

Alia Disputatio de Schismate tollendo. Collat. ad MS. Cod. Vidorinum 106. 77.

Trilogus in materia Schismatis. Collat. ad MSS. Codd. Victorin. 699. & Navarricum unum 83.

Epistola Christianissimi Regis Franciæ, justificativa substractionum factarum a Petro de Luna. Exacta ad MS. Cod. Victorin. 463. 103.

Epistola Petri Cameracensis Episcopi ad Benedictum XIII. Scripta anno 1408. die 26. Januarii. 105.

Rememoratio quorumdam, quæ per Prælatum quemlibet pro parte sua, nunc agenda viderentur, & plus substractione durante, quam post vel antea. Scripta anno 1407. vel 1408. collata ad MS. Cod. Victorin 463. 106.

Octo Conclusiones per plures Doctores in Italiæ partibus approbatæ, quarum dogmatizatio utilis videtur pro exterminatione moderni Schismatis. Collat. ad eundem MS. Victorin. 463. 110.

Aliæ Propositiones utiles ad exterminationem præsentis Schismatis, per viam Concilii Generalis Collat. ad MSS. Codd. Victorinos 469. 463. & 828. 112.

Tractatus de unitate Ecclesiastica, anno 1408, Scriptus. Recognitus & emendatus ex MSS. Codd. Victorino 463. & Navarrico uno. 113.

* *Commonitorium ad defendendam Concilii Pisani convocationem.* Ex MS. Cod. Victorino 463. 121.

Propositio facta a Joanne Gersonio ex parte Universitatis, Anglicis Parisios euntibus ad Sacrum Concilium Pisis anno 1408. Collat. ad MSS. Codd. Victorinum 198. & Collbert 99. & 5972. 123.

Sermo factus in die Ascensionis Domini coram Alexandro V. anno 1409. Exactus ad MSS. Codd. Victorinum 698. & Colbert. 5972. 131.

Sermo coram Rege Franciæ, nomine Universitatis Parisiensis, pro pace Eclesiæ & unione Græcorum: Gallice in MS. Cod. Victorino 284. 141.

Tractatus qui Gersonio ascribitur, De statu Ecclesiæ in V. & N. Testamento, & quot Shismata fuerint in Ecclesia. Recognitus ad MSS. Codd. Victorin. 843. & Navarricum unum. 154.

Pars secunda continens Tractatus ad Concilium Constantiense pertinentes.

* *Tractatus de modis uniendi & reformandi Ecclesiam in Concilio Generali.* Editus ex MS. Codice Helmstadiensi. 161.

Sermo factus in Concilio anno 1415. Vigilia Dominicæ Palmarum, post recessum Joannis XXIII. ab eodem Concilio. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 137. & Colbert. 99. 162.

Libellus de auferibilitate Papæ ab Ecclesia. Coll. ad MSS. Codd. Victorin. 469. 56. 137. Navarricum unum & Colbert. 99. 209.

Tractatus de potestate Ecclesiastica & origine Juris & Legum, scriptus anno 1415. & recitatus in Concilio anno 1417. Collatus ad MSS. Codd. Victorin. 205. 694. Navarricum, Colbertinum 99. & Baluzianum. Item ad nuperam editionem rerum ad Concilium Constantiense pertinentium, in qua Tractatus iste ad tres MSS. Codd. exactus est, Vindobonensem unum & Helmstadienses duos. 225.

Arbor de origine Juris & Legum, nec non de potestate Ecclesiastica, Coll. ad MSS. Codd. Navarricum unum & Baluzianum. 257.

* *Lectio de Jurisdictione spirituali*, scripta anno 1381. De novo edita ex MS. Cod. Victor. 699. 261.

* *Denuntiatio, seu Positio de Jurisdictione spirituali.* De novo edita ex eodem MS. 267.

* *Propositiones prædicatæ in Concilio Constantiensi*, De novo editæ ex MSS. Codd. Victorinis 469. & 828. 271.

Sermo habitus die 21. Julii anni 1415. super Processionibus faciendis, pro viagio Regis Romanorum, ad Petrum de Luna, in Concilio Constantiensi. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. 698. Colbert. 99. & 5972. & Navarricum unum. 273.

Sermo in Festo Purificationis B. Mariæ, de Jure Episcoporum in definiendis fidei controversiis, habitus in Concilio Constantiensi. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 137. & Colbert. 99. 281.

Conclusiones ad eundem sermonem spectantes, 290.

Decreta Concilii Constantiensis, de Auctoritate Conciliorum Generalium. Exacta ad MSS. Codd. Victor. 699. & 828. 290.

Articulorum Theologicorum, contra Petrum de Luna, libri duo anno 1417. compositi. Recogniti & emendati ad MSS. Codd. Victorin. 1683. & Navarricum unum.

Excerpta de articulis contra Petrum de Luna, in processu productis. 301

Tractatus, quomodo, & an liceat in Causis Fidei a Summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare, anno 1418. conscriptus. Exactus ad MS. Codd. Victorin. 699. & Navarricum unum. 303

Sermo de morbis & calamitatibus Ecclesiæ, & signis futuri judicii, Pronuntiatus in die Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ in Concilio Constantiensi. 309

Declaratio compendiosa defectuum Virorum Ecclesiasticorum. Recognita ad MS. Cod. Victorin. 699. 314

Propositio facta anno 1416. in Concilio Constantiensi ex parte Regis Franciæ, contra Propositionem quandam, quam Episcopus Atrebatensis ex parte Ducis Burgundiæ fecit, pro condemnatione Conclusionum Joannis Parvi. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 698. & Colbert. 5972. 319

Sermo de erroribus contra fidem & mores, circa præceptum Non occides, seu ut habetur in Codice Colbertino, *Allegationes factæ in causa novem Assertionum, concludentes quod sunt judicio fidei reprobandæ.* Exactus ad Cod. Colbertinum. 330

Alius sermo contra Assertiones M. Joannis Parvi circa præceptum, Non occides. 338

Sermo habitus coram Concilio Constantiensi, an. 1417. in festo S. Antonii. coll. ad MS. Cod. Victorin. 137. 349

Tractatus de Nuptiis Christi, in quo solvit quæstiones in præcedenti sermone motas. 365

Errores circa præceptum, Non occides. 380

Dialogus Apologeticus pro condemnatione Propositionum Joannis Parvi. coll. ad MS. Cod. Navarricum unum. 386

Pars tertia, continens Tractatus, qui spectant ad forum Pœnitentiæ.

Dialogus de potestate ligandi & solvendi. coll. ad MS. Cod. Victorin. 699. 308

Octo Propositiones de eadem materia. 402

Opusculum de modo Excommunicationum & Irregularitatum, & Absolutionis ab eisdem. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. & 698. 403.

Opusculum super Absolutione Confessionis Sacramentalis. collat. ad MS. Cod. Victorinum 699. 406

De Absolutione defuncti apud Carthusienses. Ad eundem Cod. MS. Victor. 412

De potestate absolvendi & peccatorum reservatione. Ad eundem MS. Cod. 413

Epistola ad quendam Episcopum, super moderatione casuum reservandorum in foro. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 463. Colbert. 99. & Navarricum unum. 415

Resolutio super casu Irregularitatis. Ad MS. Cod. Victor. 699. 417

Resolutio super casu emendationis Litterarum Apostolicarum, utrum eas emendans excommunicationem incurrat? Ad eundem Codicem MS. 420

Resolutio circa materiam Excommunicationum & Irregularitatum. Ad eundem Cod. MS. 421

Discussio illius Assertionis, Sententia Pastoris, etiam injusta, timenda est & tenenda. 424

* *Considerationes quinque, ut condemnatis ad mortem permittatur confiteri.* De novo editæ ex MS. Cod. Victorino 138. 427.

Sermo factus anno 1409. ad Populum Parisiensem, ex parte Universitatis, super facto bullæ Mendicantium.

dicantium. coll. ad editionem Rothomagensem anni 1582. Gallice in MS. Cod. Victorino 284. 431

**Censura contra Bullam a Mendicantibus extortam a Summo Pontifice Alexandro V. datam anno 1409. IV. Idus Octobris.* De novo edita ex Codd. MSS. Victorin. 463. & 698. 442

Tractatus de arte audiendi Confessiones. collat. ad MS. Codd. Victor. 774. & Navarricum unum. 446.

Tractatus de modo inquirendi peccata in Confessione, qui vulgo dicitur de Confessione mollitici. Ad MS. Cod. Victorin. 774. 453.

Tractatus de remediis contra recidivum peccati Ad eundem MS. 457.

Responsio circa Statutum Ordinis Carthusiensis, de reservatione peccatorum mortalium: ubi plura de Absolutione. Ad Codd. MSS. Victorin. 180. & 698. 460

Avisamentum de modo Confessionem in Religionibus audiendi & absolvendi a reservatis. Ad eosdem Codd. MSS.

Responsa ad quæstiones quatuor circa Pœnitentiam. collat. ad MSS. Codd. Victorinos 142. 694. 699. & M. Targny. 463.

Quæstiones aliæ cum responsionibus. Ad MS. Cod. Victorin. 699. ubi pars earum Gallice habetur, & ad Navarricum unum integrum. 470.

De peccato veniali duplici. Ad MS. Cod. Victorin. 699. 479.

De correptione proximi. Ad eundem MS. Cod. 480

Notabile de forma absolvendi a peccatis. Ad eundem Cod. MS. 482

Aliud notabile de primis motibus & consensu. Ad eundem Cod. MS. 483

Tractatus de differentia peccatorum venialium & mortalium. Gallice in MSS. Codd. Victorin. 288. & 147. 486

Sermo de Pœnitentia in Cœna Domini. 504.

Opusculum de indulgentiis. coll. ad MSS. Codd. Victorinum 699. & M. Targny. 514.

Argumentatio contra eos qui dicunt, quod quis eo die quo Missam audierit, non erit cæcus, nec subitanea morte morietur. coll. ad MS. Cod. Victorin. 137. 521

Modus quidam, quo certis ex causis Romam ire non valentes in anno Jubilæo, spiritualiter eandem peregrinationem perficere possunt. Gallice in MS. Cod. Victorino 286. 523.

CAPUT QUINTUM,

CÆTERA OPUSCULA EJUSDEM TOMI RECENSENTUR.

Pars quarta continens Tractatus, qui spectant ad Officia & Munia Prælatorum, Clericorum, aliorumque fidelium.

Tractatus de Statibus Ecclesiasticis, Recognitus & emendatus ad MSS. Codd. Navarricum unum, Victorin. 694. Colbertinum 99. 529.

Tractatus de modo vivendi omnium fidelium. Recognitus ad unum manuscriptum Navarricum. 538

Sermo de officio Pastorum, factus in Concilio Rhemensi anno 1408. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 698. Colbert. 99. & 5972. & Navarricum unum. 542

Tractatus de visitatione Prælatorum, vel de cura Curatorum. Ad MSS. Codd. Victor. 698. & Colbert. 99. 558.

**Sermo de desiderio & fuga Episcopatus.* De novo editus ex MS. Codice Victorino 463. 565

Sermo de reddendo debito, factus Lugduni in Synodo anno 1421. coll. ad MS. Cod. Victorin. 137. 570

Sermo de Vita Clericorum. collat. ad MSS. Codd Victorinum 285. & Navarricum unum. 576

Sermo de Cœna Domini, *ad Ecclesiasticorum cautelam & eruditionem.* coll. ad MSS. Codd. Victorin. 698. & Navarricum unum. 584

Opusculum de sollicitudine Ecclesiasticorum: cui adjunctæ sunt Distinctiones de attentione, devotione & affectu Orationis. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. 694. Navarricos duos & M. Targny. 597

Dialogus super Cælibatu, sive Castitate Ecclesiasticorum, compositus Lugduni anno 1413. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 694. & Navarricos duos. 617.

Tractatus de temperantia in cibis, potu & vestibus Prælatorum. Emendatior & auctior ex MSS. Codd. Victorin. 180. & 694. 634

Tractatus de Simonia. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 699. Navarricum unum & M. Targny. Et ad nuperam Editionem rerum ad Concilium Constantiense pertinentium, in qua Tractatus iste ad Noribergensem editionem exactus est. 645

Responsio per duodecim Considerationes, ad quæsita Guilielmi de Chalamon Episcopi Aviciensis, contra Fratricellum quendam, præferentem Orationes privatorum Fidelium artibus hierarchicis Ecclesiasticorum Sacerdotum & Doctorum peccatorum. 653

Epistola ad S. Vincentium Ferrerium Ordinis Prædicatorum, contra se flagellantes. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 899. & Navarric. unum. 658

Epistola Cardinalis Cameracensis ad eundem S. Vincentium de eadem re. coll. ad eosdem MSS. Codd. 659

Tractatus contra sectam flagellantium, compositus anno 1417. in Concilio Constantiensi. collat. ad eosdem MSS. Codd. 660.

Pars quinta, continens ea, quæ ad Disciplinam Monasticam pertinent.

Quæstio Theologica, utrum aurora mane rutilans, solem sideraret: in qua tractatur de Consiliis

Consiliis Evangelicis, & Statu perfectionis. coll. ad MS. Cod. Victorin. 699. 669

Opusculum Epistolare de Religionis perfectione & moderamine. collat. ac MSS. Codd. Victorinum 669. Navarricum unum & M. Targny.

* *Proemium Operis cujusdam de studio Monachorum.* De novo editum ex MS. Cod. Victorin. 463. 693

Tractatus de laude Scriptorum, ad fratres Cælestinos & Carthusienses, compositus anno 1423. mense Aprili. coll. ad MSS. Codd. Victor. 1083. & 694. & Navarricos duos. 694

Responsio ad Monachum Carthusiensem de libris legendis a Monacho. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 137, Colbert. 99. & M. Targny.

Opusculum contra impugnantes Ordinem Carthusiensium. collat. ad MS. Cod. M. Targny. 711

Tractatus de non usu carnium apud Carthusienses, collat. ad MSS. Codd. Victorinos 180. 698. Colbert. 99. Navarricum unum & M. Targny. 715

Resolutio casus, An liceat debitis gravato Religionem intrare? collat. ad MSS. Cod. Victorin. 463. & Navarricum unum.

Propositiones super esu carnium, apud Religiosos Sancti Benedicti. coll. ad MS. Codd. Victorin. 137. 739

* *Exhortatio ad constantiam suscepti propositi. cuidam Novitio Carthusiensi directa:* De novo edita ex MS. Cod. Victorin. 285. 741.

Contra Professum inobedientem, anno 1426. scripta. coll. ad MSS. Codd. Victor. 699. & unum Navarricum. 770

De zelo & fervore Novitiatus. Ad eundem Cod. MS. 771

Schedula Regiminis, directa ad quendam inclusum in Monte Valeriani. coll. ad MS. Cod. Victorin. 463. 773.

Tractatus contra proprietarios Regulæ S. Augustini, Gersonio adscriptus. 775

Appendix ad Tomum II. Operum Joannis Gersonii, Continens Henrici de Hassia, Joannis de Varennis, Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, aliorumque Tractatus, de Schismate, de Ecclesiæ reformatione, & Concilii Generalis Auctoritate.

**Henrici de Hassia Vice-Cancellarii Parisiensis* Consilium pacis, de Unione ac Reformatione Ecclesiæ, anno 1381. scriptum. Editum ex MS. Helmstadiensi inter monumenta ad Historiam Concilii Constantiensis pertinentia. 809

* *Joannis de Varennis Doctoris Parisiensis & Pastoris S. Læti Epistolæ quædam ad Benedictum Papam XIII. de tollendo Schismate, annis 1394. & 1395. scriptæ.* Nunc primum editæ ex MSS. Codd. Victor. 463. & 842. 841

* Responsio Papæ ad præfatas Epistolas. 843

* *Alia Responsio Papæ.* 855

* *Via pro pace Ecclesiæ.* 856

* *Alia Epistola ejusdem Joannis de Varennis ad Papam eundem.* 859.

* *Ejusdem Epistola ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales.* 860.

* *Opusculum Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis,* de difficultate Reformationis Ecclesiæ in Concilio Generali, *scriptum ad Joannem Gersonium.* Editum ex MS. Helmstadiensi inter monumenta Constantiensis Concilii. 867

* *Ejusdem Epistolæ duæ ad Joannem Papam XXIII.* quæ nunc primum procedunt ex Cod. MS. Victorino 56. 876

Fragmentum Epistolæ ejusdem ad Joannem XXIII. Editum ex MS. Cod. Vindobonensi, inter monumenta Historiæ Concilii Constantiensis. 883

Ejusdem de necessitate reformationis Ecclesiæ in Capite & in membris Tractatus. Editus ibidem ex MS. Cod. eodem. 885.

Ejusdem de Reformatione Ecclesiæ in Concilio Constantiensi, Tractatus anno 1416. scriptus. coll. ad MS. Codd. Victorinos tres, & nuperam editionem ex MS. Vindobonensi. 903

Ejusdem Oratio de officio Papæ, Imperatoris, reliquorumque membrorum Concilii Constantiensis, habita in Concilio Generali anno 1417. Ex veteri editione Argentinensi anni 1490. 917

Ejusdem de Ecclesiæ, Concilii Generalis, Romani Pontificis, & Cardinalium auctoritate Tractatus, Anno 1417. scriptus in Concilio Constantiensi. 925

Jacobi Almaini Doctoris Parisiensis Quæstio Vesperiarum, de Dominio Naturali, Civili atque Ecclesiastico. 961

Ejusdem de Auctoritate Ecclesiæ & Conciliorum Generalium, adversus de Vio Cajetanum. 976

Ejusdem Expositio circa Decisiones M. Guilielmi Ockam, super potestate Summi Pontificis. 1013

Joannis Majoris Doctoris Parisiensis Disputatio *de Statu & potestate Ecclesiæ.* 1122

Ejusdem *de Auctoritate Concilii supra Summum Pontificem.* 1131

Ejusdem *de Potestate Papæ in temporalibus.* 1145.

CAPUT SEXTUM.

CONTENTA TOMO III. OPERUM GERSONII RECENSENTUR.

Pars prima, complectens ea quæ ad Morum doctrinam pertinent.

Liber de Vita spirituali animæ. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 180. 694. Colbert. 99. Navarricos duos & M. Targny. pag. 1.

Regulæ Morales. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. 267. & Navarricum unum. 77

Definitiones rerum quarundam ad Theologiam Moralem pertinentium. coll. ad MSS. Codd. Victorinos 180. & 267. 107

De passione animæ. Ad eosdem MSS. Codd. 123

Enumeratio peccatorum, ab Alberto posita in 24.

in 24. Capitulo Compendii sui super Theologiam, coll. ad eosdem MSS. Codd. 125

Alius Tractatus de passionibus animæ, anno 1409. compositus. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 469. 180. 694. & unum Navarricum. 127

Centilogium de impulsibus. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 185. & Navarricum unum. 146

Tractatus de signis bonis & malis. coll. ad MS. Cod. Victorin. 137. 157

Quædam Moralia de refrænatione linguæ. Gallice in MS. Cod. Victorin. 286. 161

Tractatus de Contractibus. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 694. 1083. Navarricos duos & editionem veterem. 166

Sermo de Domino Evangelico, factus in Cœna Domini. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 285. 698. & Navarricum unum. 196

Carmen de voluntaria paupertate. 207

* *Tractatus de nobilitate.* coll. ad MSS. Codd. Victorin. 18. & Navarricum unum. Nunc prodit auctior Epistola Dedicatoria, & II. & III. parte Operis. Ex eodem Cod. Victorin. 208

Epistola Caroli VII. Francorum Regis ad Summum Pontificem, de nobilitate Canonicorum quarundam Ecclesiarum, ac præsertim Lugdunensis. De novo edita ex MS. Cod. Victorino 137. 225

Tractatus de Considerationibus, quas Princeps habere debet. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. 689. & Colbert. 5972. 226

Instructiones ad Joannem Majorem, Præceptorem Ludovici Delphini, filii Caroli VII. Francorum Regis. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 137. & 699. & Navarricum unum. 235

Moralis admonitio pro Sanctimonialibus. Gallice in MS. Cod. Victorin. 286. 237

Quindecim perfectiones necessariæ, volenti Deo servire. 240.

Doctrina contra nimis strictam & scrupulosam Conscientiam. Gallice in MS. Cod. Victorin. 288. 241

Tractatus contra fœdam tentationem blasphemiæ. coll. ad MS. Cod. Victorin. 184. 243

Tractatus de Oratione & ejus valore. coll. ad MSS. Codd. Victor. 694. & Navarricum unum. *Scilicet Prima pars reperitur* in Cod. Victorin. 285. *Prima & Secunda* in Cod. Navarrico uno: & *integer Tractatus* in alio Codice Navarrico & M. Targny. 247

* *Alius Tractatus de Oratione.* De novo editus ex MS. Cod. Victorin. 463. 263

Sermo de Oratione in Concilio Constantiensi factus. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 137. & Colbert. 99. 269

De cordis induratione. 275

Instructio ad senem, quomodo se ad mortem præparet. Gallice in MS. Victor. 284. 275

Tractatus de parvulis ad Christum trahendis. coll. ad MSS. Codd. Victor. 694. & duos Navarricos. 277

* *Expostulatio ad Potestates publicas, adversus corruptionem juventutis, per lascivas imagines & alia hujusmodi.* De novo edita ex MS. Cod. Victor. 463. 291

Responsio ad reprehensionem Scripti, de Innocentia puerili. coll. ad MS. Cod. Victorin. 137. 293

Tractatus contra Romantium de Rosa. Gallice in MS. Cod. Victor. 286. 297

Quinque Conclusiones contra Ludum Stultorum communiter fieri solitum. Gallice in MSS. Codd. Victor. 98. & 694. 309

* *Collecta super incitatione cujusdam, ad digne suscipiendum Corpus Dominicum.* De novo edita ex MS. Cod. M. Targny. 310

Tractatus de præparatione ad Missam & pollutione nocturna. coll ad MSS. Codd. Victor. 277. 180. 774. & duos Navarricos. 323

Tractatus de pollutione diurna. coll. ad MSS. Codd. Victor. 180. & 774. 335

Sermo de Consolatione mortis parentum. coll. ad MS. Cod. Victor. 284. 345

Explicatio hujus sententiæ, Fiat voluntas tua. coll. ad eundem MS. Cod. 353

Pars secunda, continens Opera Mystica & pia.

Tractatus de Mystica Theologia. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. 694. Colbert. 99. Navarricos duos & M. Targny. 361

Tractatus de elucidatione Scholastica Mysticæ Theologiæ, anno 1424. compositus. coll. ad MS. Cod. Navarricum unum. 422

Carmen de purificatione sensuum interiorum. 428.

Epistolæ duæ consolatoriæ ad Petrum Episcopum Cameracensem. 429

Epistola Facultatis Theologicæ ad eundem Petrum Cameracensem Episcopum. 433

Annotatio Doctorum aliquorum, qui de Contemplatione loquuti sunt. 434.

Epistola ad Provincialem Cælestinorum de Cruce Christi portanda. 434

Tractatus in modum Dialogi, de perfectione cordis, anno 1423. compositus. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 699. Navarricum unum & M. Targny. 436

Tractatus de Meditatione. coll. ad MSS. Codd. Victor. 285. Colbert. 99. Navarricum unum & M. Targny. 440

Tractatus consolatorius de Meditatione. Ad MSS. Codd. Victorin. 285. Colbert. 99. Navarricum unum & M. Targny. 449.

Tractatus de illuminatione cordis. collat. ad MS. Cod. Victor. 134. 456.

Tractatus de simplificatione & mundificatione cordis. coll. ad MSS. Codd. Victor. 285. Colbert. 99. Navarricum unum & M. Targny. 457

Tractatus de Directione seu Rectitudine cordis. coll. ad eosdem MSS. Codd. 468.

Tractatus de Illuminatione cordis, seu *de una pretiosa Margarita, & de ipsa etiam sancta Margaretha.* coll. ad eosdem MSS. Codd. & Victorin. 62. 479

Tractatus de oculo & ejus objecto. collatus ad MSS. Codd. Victorin. & Navarricum unum. 483

Colloquium hominis contemplativi ad animam suam & animæ ad hominem, super Paupertate & Mendicitate spirituali. Gallice in MSS. Codd. Victorin. 285. 286. 288. 147. 774. 487

Tractatus de Monte contemplationis. Gallice in MSS. Codd. Victorinis 147. 286. 288. p. 541.

Tractatus de Remediis contra pusillanimitatem, scrupulositatem, deceptiones inimici, consolationes, & subtiles ejus tentationes. 579

Tractatus de diversis diaboli tentationibus. Gallice in MSS. Codd. Victorin. 247. & 286. 589

Epistola ad sorores, docens de quo sit cogitandum per singulos dies. Gallice in MS. Victorin. 286. 602.

Tractatus de Exercitiis discretis Devotorum simplicium. 605

Tractatus sex de Canticis. coll. ad MSS. Codd. Victor. 699. Colbert. 99. & Navarricum unum. 619

Epithalamium Mysticum Theologi & Theologiæ. collat. ad MSS. Codd. Victorinos 180. & 267. 684

Quomodo puer Jesus in mente devota concipitur, nascitur, balneatur, nutritur. Gallice in MS. Cod. Victorino 287. 685

Speculum bonæ vitæ, Carmen. Gallice in Cod. MS Victorin. 284. 688

Duodecim Considerationes, quas habere potest homo erga Deum, ut sua exaudiatur oratio Gallice ex MS. Cod. Victor. 288. 691

De decem Considerationibus in orando Deum secundum decem dictiones Versus. collat. ad MSS. Codd. Victorinum 699. Colbert. 99, & Navarricum unum. 693.

Expositio super Dimitte nobis debita nostra &c. coll. ad eosdem MSS. Codd. 694

Oratio, quando peccator de peccatis suis multum est anxius. 695

Quædam devotæ Meditationes animæ circa Ascensionem Domini. Gall. in MS. Cod. Victor. 286. 697

Tenor Applicationis cujusdam a divina Justitia ad divinam Misericordiam. Non habetur in MSS. nec videtur esse Gersonii. 700.

Querela defunctorum in igne Purgatorio detentorum, ad superstites in terra amicos. 703

Documentum notabile de Sacramento Altaris. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 18. & 698. 706

Tractatus de verbis Domini, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis &c. Gersonio adscribitur, sed perperam. 709

Dialogus de Tribulatione. Gallice in MS. Cod. Victorino 286. 740.

Epistolæ spirituales ad diversos. coll. ad MSS. Codices Victorin. 463. & 698. 741

Considerationes duodecim pro volentibus condere Testamentum. coll. ad MS. Cod. Victorin. 137. 758

Epistola ad Cælestinos, qua libros suos ipsis Testamento legat. 760

Epistola ad Carthusienses, qua postulat ab iis, ut suffragia quæ mortuo impendere debebant, sibi vivo concedant. 760

Fundatio Anniversarii in Ecclesia S. Pauli Lugdunensis. 761

Testamentum quotidianum Peregrini & Considerationes super eodem. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 1083. 694. & Gallice in MS. Cod. Victor. 463. 762

Testamentum Peregrini Metricum, cum carmine de eadem re, & carmine alio de die Nativitatis & Baptismi. collat. ad MS. Cod. Victorinum 699. 765

Epistola consolatoria ad Joannem Germanum, de morte alterius germani. 767

Tractatus de elevatione mentis in Deum, cui titulus, Alphabetum Divini Amoris; falso Gersonio ascriptus. 770.

CAPUT SEPTIMUM.

CÆTERA OPUSCULA EJUSDEM TOMI RECENSENTUR.

Appendix ad Secundam Partem Operum Moralium, continens Tractatus quosdam spirituales Gallice scriptos, nunc primum editos.

* *Dialogus spiritualis Gersonii cum sororibus.* Ex MS. Cod. Victor. 138. 805

* *Sermo de Virginitate.* Ex eodem. Cod. & Colbert. 6459. 829

Considerationes de Sancto Josepho. Ex eodem Cod. MS. Victor. 842.

* *Collationes spirituales.* Ex eodem Cod. MS. 867

* *Monita de Vita Christiana.* Ex eodem Cod. MS. 888

Considerationes circa peccatum blasphemiæ. Gallice ex MS. Cod. Victorino 284. 889

Pars tertia, continens Sermones de Tempore & de Sanctis.

Prologus Jacobi Wimphelingii in Sermones Joannis Gersonii, anno 1502. compositus. 897

Sermo Dominicæ I. Adventus contra Gulam. collat. ad MSS. Codices Victorin. 256. & 287. 899

Sermo Dominicæ II. Adventus contra Luxuriam. collat. ad eosdem MSS. Codd. 910

Sermo Dominicæ III. contra Luxuriam. Ad eosdem Codd. MSS. 918

Sermo Dominicæ IV. Adventus contra Luxuriam. Ad eosdem Codd. MSS. 926.

Sermo in die Nativitatis Domini. coll. ad Codd. MSS. Victorin. 463. & Navarricum unum. 932

Sermo de Christi Nativitate. Gallice in MSS. Codd. Victorin. 138. & 774. Colbertin. 2320. 938

Alius Sermo de Nativitate Domini. 961

Sermones

Sermones duo Dominica I. post Natalem Domini de Castitate. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 256. & 287. 960

Sermo de Circumcisione. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 463. Navarricum unum. 967

Prosa in Circumcisione Domini. 970.

Sermo in die Epiphaniæ. 979

Sermo Dominicæ infra Octavas Epiphaniæ, de modo vivendi Conjugatorum. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 256. & 287. 980

Sermo Dominicæ I. post Octavas Epiphaniæ, contra Avaritiam. collat. ad eosdem MSS. Codd. 1003

Sermo in die Purificationis B. Mariæ Virginis. 1014

Sermo in Dominica die Septuagesimæ, anno 1388. factus. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 463. & Navarricum unum. 1021

Sermo in eadem die contra Acediam. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 256. & 287. 1031

Sermo in Dominica Sexagesimæ contra iram. coll. ad eosdem MSS. Codd. 1041

Sermo in Dominica Quinquagesimæ contra Invidiam. Ad eosdem MSS. Codd. 1048

Sermo in Dominica I. Quadragesimæ contra superbiam. Ad eosdem MSS. Codd. 1055

Sermo alius in eadem die, de tentatione. 1062

Sermo in Dominica II. Quadragesimæ contra superbiam. coll. ad MSS. Codd. Victor. 256. & 287. 1070

Sermo de quærendo Domino. coll. ad eosdem MSS. Codd. 1076

Sermo in Dominica III. Quadragesimæ de desolatione Regni in se divisi. coll. ad MS. Cod. Victorin. 287. 1082

Sermo in Dominica IV. Quadragesimæ. coll. ad eundem MS. Cod. 1089

Sermo de Cæco nato. Gallice in MS. Cod. Victorin. 286. 1093

Sermo in Dominica Passionis. Gallice in MS. Colbert. 1356. 1102

Sermo Dominicæ in Ramis Palmarum. Gallice in MSS. Codd. Victorin. 256. & 287. 1111

Sermo alius in Ramis Palmarum. Gallice in MS. Cod. Victorino 287. 1117

Sermo in Cœna Domini, de Humilitate. In MSS. Codd. Victorin. 285. bis, & in Navarrico uno. 1123

Sermo de Cœna Domini. coll. ad MS. Cod. Victorin. 848. 1134.

Sermo alius de Cœna Domini. 1153

Sermo in Festo Paschæ. Gallice in MS. Cod. Victorin. 287. 1204.

Sermo, Misericordia Domini. 1214

Sermo de Christi Resurrectione, in die Paschæ. coll. ad MSS. Codd. Victor. in. 463. & unum Navarricum. 1222

Alius Sermo in Festo Paschæ. 1225

Sermo de Spiritu Sancto. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 137. & Colbert. 99. 1234

Sermo alius de Spiritu Sancto. 1247.

Sermo tertius de Spiritu Sancto. 1261

Sermo de Sanctissima Trinitate. 1268.

Sermo de Eucharistia in die Corporis Christi. 1283

Sermo in Dominica XIX. post Pentecosten, de quatuor Domibus, Civili scilicet, Ecclesiastica, Conscientiæ & Vitæ æternæ. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 698. & Navarricum. 1292

Collatio ejusdem Sermonis de reliquis duabus Domibus, propria scilicet Conscientiæ & Cœlestis gloriæ. Ad eosdem MSS. Codd. 1307

Sermo de Conceptione B. Mariæ Virginis anno 1401. habitus. 1317

Alius sermo sub eodem themate incompletus. 1333

Sermo III. de Conceptione B. Mariæ Virginis, qui Gersonii esse non videtur. 1334

Sermo de Nativitate gloriosæ Virginis Mariæ. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180. 698. Colbert. 99 & 5972. & M. Targny. 1345

Sermo incompletus de Nativitate B. Mariæ Virginis. coll. ad MS. Cod. Victorin. 137. 1360

Sermo de Annuntiatione B. Mariæ Virginis. 1365

Sermones tres de S. Antonio. 1372

Sermo de Sanctis Petro & Paulo Apostolis. 1404

Sermo de Sancto Bernardo. collat. ad MSS. Codd. Victorin. 256. & Navarricum unum. 1417

Sermo de Sancto Ludovico. coll. ad MSS. Codd. 698. & Navarricum. 1427

Carmen, ut crescant Lilia Galliæ.

Alius Sermo de Sancto Ludovico. coll. ad MS. Cod. Victorin. 285. 1440

Sermo tertius de Sancto Ludovico. collat. ad MS. Cod. Victor. 848. 1449

Collatio in Festo B. Ludovici. Exacta ad MSS. Codd. Victor. 138. & 463. & Navarricum unum. 1457

Sermo de Angelis. coll. ad MSS. Codd. Victor. 463. & Navarricum unum. 1468

Collatio de Angelis. Ad eosdem MSS. Codd. 1481

Sermo de Sancto Michaele & Angelis. 1492

Sermones IV. de omnibus Sanctis. collati ad MSS. Codd. Victorin. 668. & Navarric. unum. 1505

Sermo V. de Festo omnium Sanctorum. 1541

Sermones tres de Defunctis. 1551

Sermo de Sancto Nicolao. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 463. & Navarricum unum. 1573

Sermones nonnulli, nondum editi, nec in Latinum translati, qui Gallice nunc prodeunt, ut habentur in Codice MS. Victorino 138.

* *Sermo in initio temporis Quadragesimalis.* 1588

* *Sermo de Sanctissima Trinitate.* 1591

* *Sermo in Nativitate Sancti Johannis Baptistæ.* 1596

* *Sermo imperfectus sub hoc themate,* Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos. 1598

CAPUT.

CAPUT OCTAVUM.

CONTENTA TOMO QUARTO OPERUM GERSONII RECENSENTUR, QUI OPERA EXEGETICA ET MISCELLANEA COMPLECTITUR.

Pars prima, Opuſcula Exegetica continens.

Expoſitio & Meditatio ſuper ſeptem Pſalmos Pœnitentiales. coll. ad MS. Cod. Victor. 68. pag. 1.

Tractatus ſuper Cantica Canticorum, anno 1429. compoſitus. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 180.848. Navarricum unum & M. Targny. 27.

Monoteſſaron ſeu unum ex quatuor Evangeliis. coll. ad MS. Cod. Victor. 68. 83

Lectiones duæ in Evangelium D. Marci. coll. ad MSS. Codd. Victorin. 699. & Navarricum unum. 203.

Collectorium ſuper Magnificat, *in IX. Tractatus diſtributum.* collat. ad MSS. Codd. Victorinum 700. Navarricos duos & M. Targny. 230

Varia Carmina ſuper Magnificat, *anno 1428. compoſita.* 513

Anagogicon de verbo & hymno, Gloria in Excelſis Deo, Patri & Filio & Spiritui Sancto. coll. ad MSS. Codd. Victor. 699. Colbert. 1356. Gallice & Navarricum unum. 542.

Pars ſecunda, continens Orationes ſolemnes, Epiſtolas aliquot, Carmina, & alia Miſcellanea.

* *Oratio habita anno 1394. vel 1395. in ſolemni Supplicatione pro pace Eccleſiæ.* Gallice ſcripta, nunc primum edita ex MS. Cod. Victorin. 138. 566

* *Querela nomine Univerſitatis, ad Senatum Pariſienſem habita, menſe Julii anno MCCCCIV. adverſus familiam Caroli de Savoiſy.* De novo edita ex eodem MS. Cod. 571

Oratio habita anno 1405. coram Rege, nomine Univerſitatis Pariſienſis, in qua præclara traduntur de Principis inſtitutione documenta. Gallice in MSS. Codd. Victorin. 848. 284. & Colbert. 1356. & 2320. 583

Conſiderationes contra adulatores Principum, anno 1408. compoſitæ. Gallice in MSS. Codd. Victorin. 62. Colbert. 1356. & 2320. 622

Oratio ad Regem habita anno 1408. pro pace. Gallice in MS. Cod. Victorin. 848. 625.

Sermo ad Regem Franciæ pro Juſtitia, anno 1408. habitus. collat. ad MS. Cod. Victorinum 284. 642

* *Oratio ad Regem Franciæ, anno 1413. habita.* De novo edita, Gallice ex MS. Cod. Victorin. 138. 657

Oratio habita coram Rege in Commendationem Domus Dei, ſeu Hoſpitalis Pariſienſis. Gallice in MS. Cod. Victorin. 287. 681.

Recommendatio Licentiandorum in Decretis. collat. ad MSS. Codd. Victorinos 699. & quoad partem, ad MS. Cod. Victorin. 848. 686

Collatio pro licentiandis in Facultate Decretorum. Exacta ad MSS. Codd. Victorin. 848. & Navarricum unum. 695

Alia collatio pro facultate Decretorum. Ad eosdem Codd. MSS. 703

* *Oratio pro Licentiandis in Medicina.* De novo edita ex MS. Cod. Victor. 698. 712

* *Doctrina pro pueris Eccleſiæ Pariſienſis.* De novo edita ex MS. Cod. Victor. dd. 9. 717

Epiſtolæ Miſcellaneæ.

Epiſtola ad Abbatem S. Dionyſii de controverſia circa caput hujus Sancti coll. ad MS. Cod. Victor. 106. 721

Quatuor Epiſtolæ ad familiares. 723

Cauſæ propter quas Cancellariam dimittere volebat. collat. ad MS. Cod. Victorinum 463. 725

Exhortatio ad Ducem Bituricenſem, anno 1413. facta, ut ſolemnizetur Feſtum Joſeph. Gallice in MS. Cod. Victor. 138. 729

Epiſtola ad Præcentorem Carnotenſem de Feſto S. Joſeph Sponſi Virginis celebrando. coll. ad MSS. Codd. Victor. 828. Colbert. 99. & Navarricum unum. 731

Alia Epiſtola de eadem re. collat. ad eosdem MSS. Codd. Gallice in Codd. MSS. Victorin. 138. & Colbert. 99. 732

Officium ſacrum in feſtivitate S. Joſeph dicendum. Auctius prodit ex MSS. Codd. Victor. 138. Colbert. 99. & Navarrico uno. 736

Joſephina, ſeu Vita S. Joſeph, Carmine heroico decantata. coll. ad MSS. Codd. Victor. 698. & Navarricum unum. 743

Carmina alia diverſi argumenti. 784

Centilogium de Conceptibus. collat. ad MSS. Codd. Victor. 699. Colbert. 99. & Navarricum unum. 793

Centilogium de cauſa finali. collat. ad MSS. Codd. Victor. 62. & Navarricum unum. 807.

De modo ſignificandi Propoſitiones quinquaginta. Ad eosdem MSS. Codd. 816

De concordia Metaphyſicæ cum Logica, Propoſitiones quinquaginta. Ad eosdem MSS. Codd. 821

Dialogus Cordis, Conſcientiæ, Rationis & quinque ſenſuum. Gallice in MS. Cod. Victorino 288. 830

Donatus Moralizatus. Opus ludicrum & alterius a Gerſonio Scriptoris. collatus ad MSS. Codd. Victorinos 68. 137. & Colbertin. 835.

Dialogus inter Francum & Anglum, de bello injuſto Galliæ illato ab Anglis. Falſe Gerſonio adſcriptus, collatus ad MS. Cod. Victorinum 699. 844

Opuſcula duo de Puella aut Virgine Aurelianenſi. perperam Gerſonio adſcripta. coll. ad eundem MS. Cod. 859

CAPUT

CAPUT NONUM.

CONTENTA TOMO QUINTO OPERUM GERSONII EXAMINANTUR.

TOmus iste, in quo continentur Acta & Scripta adversus Doctrinam Johannis Parvi Doctoris Theologi Parisiensis, qui *Tyrannos per insidias a quibusvis privatis, nullo servato Juris sive Divini, sive Humani ordine, & Confœderatione qualibet non obstante, interfici posse* scripserat: non immerito Gersonii Operibus adjicitur ab Ludovico du Pin, horum enim omnium author atque promotor Gersonius fuit. Ipse primus, nomine Universitatis, coram Rege propositiones hujus reprobavit, ejus consilio & Episcopo Parisiensi & Inquisitori injunctum fuit, ut de illis judicium ferrent. Ipse in eo Consessu Parisiensi totum negotium exposuit, & gravissimam Sententiam dixit: qui lata a Judicibus Sententia, ne quid adversarii in eam molirentur, effecit. Tandem in Concilio Constantiensi nihil non movit, ut damnatio Propositionum Joannis Parvi confirmaretur. Id suo primum, deinde Christianissimi Regis & Universitatis Parisiensis, cujus Deputatus erat nomine, non semel voce & Scriptis postulavit. Plures in Concilio adversus pestiferam Joannis Parvi doctrinam Orationes habuit, Scripta non pauca Judicibus & Concilio ad eam configendam obtulit, schedulis, libellis supplicibus, protestationibus, Appellationibus, aliisque Actis judiciariis litem hanc prosecutus est, & ad extremam usque Synodi Sessionem negotio huic ardenter institit. Nihilominus tamen post varias dilationes, nullum a Synodo judicium obtinere potuit: ac re infecta, de suo, pro Causæ expensis, florenos 125. Notariis solvit. Qui cum ea de causa Ducis Burgundiæ gravissimam indignationem incurrisset, solum sub peregrini specie vertere coactus est. Si quæras, cur terminata in Concilio non fuerit hæc Causa; respondet ipse Gersonius, in Dialogo qui Operum hujus Tomi 2. parte 1. pag. 386. editus est: ubi satis indicat, authoritatem Ducis Burgundiæ in causa fuisse, ne pestifera Joannis Parvi Doctrina damnaretur.

Quanta sit autem Monumentorum ad hanc causam pertinentium, quæ nunc primum publici juris fiunt, utilitas, nemo est qui non videat. Celebris imprimis Causa & magni momenti, quæ Ecclesiam & Politiam spectat, per plures annos acta enarratur. Eximia circa hanc scripta, gravissime Magistrorum Sententiæ, Judicia tum Ecclesiastica tum Civilia, quæ hucusque in tenebris latuerant, prodeunt in lucem. Cernere est ex una parte, Gersonium ejusque socios pro veritate fortiter decertantes: ex alia Martinum Porreum, aliasque venales animas, ad errorem excusandum vitilitigantes. Hinc Doctores sacrarum Litterarum authoritate, SS. Patrum testimoniis, nec non Legis Divinæ ac Naturalis principiis innixi, homicidium omne propria auctoritate perpetratum damnant. Inde Scholastici ac Leguli quidam subtilitatibus vanis, frivolis rationibus & spuriis Legum quarundam allegationibus armati, unicuique pro libito, in eos quos Reipublicæ obnoxios esse senserint, sævire permittunt. Ab illis Principis innocentis memoria defenditur, ab his infanda cædes, quam totus Orbis exhorruit, asseritur, & a scelere vindicatur. Uno verbo, qua in parte Veritas & Justitia stent, nulli ambiguum esse poterit. Hac fiducia freti, non solum ea Monumenta publici juris fiunt, quæ Gersoniana sunt: sed ea, quæ ipsis adversa, ut totius hujus Causæ series pateat. Porro Manuscripti Codices, ex quibus isthæc Monumenta eruta fuerunt, hi sunt. MS. Cod. Colbertinus. Acta Concilii Parisiensis integra, Librum Joannis Parvi & Sententias Theologorum in Concilio Constantiensi continens. Alii duo Codices Bibliothecæ ejusdem num. 2537. & 3538. Codex Cælestinorum Avenionensium, & Codices nonnulli Victorinæ Bibliothecæ. Hæc præfatus Ludovicus Ellias du Pin, Tomo V. Operum Gersonii.

Series eorum quæ in hoc Tomo V. continentur Acta & Monumenta omnia ad Causam Joannis Parvi pertinentia.

Deputatio Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis ab Universitate, ad agendam causam apud Regem adversus errores Joannis Parvi. p. 54.

Relatio in Comitiis Universitatis sententiæ Joannis Gersonii dictæ coram Rege, adversus novem Assertiones Joannis Parvi, ejusque confirmatio. 55.

Considerationes Joannis Gersonii, circa negotium Joannis Parvi. 333.

Pars tertia, continens Acta in Concilio Constantiensi. circa damnationem Propositionum Joannis Parvi a pag. 343. ad voluminis finem.

Istic referemus tantum, quæ ad Joannem Gersonium pertinent, aliis prætermissis.

Memoriale continens prosecutiones Joannis Gersonii adversus Assertiones Joannis Parvi. p. 362. ad 372.

Libelli duo dati a Joanne Gersonio, ad accelerandum judicium Causæ Joannis Parvi. 380.

Schedula Joannis Gersonii contra novem Assertiones Joannis Parvi. 391.

Conclusio fabricata per Magistrum Johannem Gersono, quam &c. 399.

Nova positio Magistri Johannis de Gersono. Col. 405. ad 413.

Assertiones ex Joannis Gersonii Operibus exscripta. 439. & seqq.

Johannes Gerson in Sermone facto die Nativitatis Beatæ Virginis in Ecclesia Cathedrali Constantiensi anno 1416. Conclusiones sequentes posuit. 445. ad 450.

Schedula exhibita per Joannem Gerson in Collegio Dominorum Cardinalium die 5. Octobris 1416. 673.

Memoriale Johannis Gersonii, exhibitum in Concilio Constantiensi, in Causa Propositionum Joannis Parvi. 673. ad 676.

Salvus Conductus datus Gersonio, nomine Regis ad Concilium Constantiense. 683.

Compromissum inter Johannem de Gersono, Oratorem Regis Francorum in Concilio Constantiensi, & Conradum Volden & Joannem Baers, Notarios Concilii in Causa fidei, ad taxationem Expensarum a Joanne Gersonio ipsis solvendarum. 710.

Apocha Electi Pennensis data Johanni Gersonio, de sumptibus impensis in Negotio novem Assertionum Joannis Parvi. 718.

Hæc de Editione ultima Operum Joannis Gersonii, procurata 5. Tomis in fol. Amstelodami anno 1706. apud Ludovicum de Lorme & Socios, a qua ferme verbo tenus, quæ scripta sunt, accepimus. Observamus autem virum illic diligentissimum, ubi de Editionibus antiquis Operum Gersonii omnium loquitur, oblitum esse editionis Gersonianorum Operum omnium, anno 1494. Argentinæ factæ 3. in fol. Tomis: quibus *Appendicem* Jacobus Wimphelingius Theologus adjecit, quam anno 1502. Argentinæ edendam curavit. De hac editione Hermannus von der Hardt Professor Helmstadiensis multis loquitur Tomo I. *Actorum Concilii Constantiensis*, quæ ex MSS. Codd. Germanicarum Bibliothecarum edidit, in Præfatione ad *Historiam Concilii Constantiensis* a *Theodorico Vric* vel *Vrie* conscriptam, de quo vide supra *Theodoricum Vriam*, ad annum istum. Alteram quoque idem Ludovicus Ellias du Pin emisit, Parisiensem anno 1415. quatuor tomis, ac voluminibus duobus, Operum Gersonii omnium confectam. De hac editione Operum Joannis Gersonii ultima, erudite loquuntur *Acta Eruditorum Lipsiæ publicata*, anno 1706. Kalendis Julii pag. 289. ad 302.

1410 HIERONYMUS a SANCTA FIDE, natione ut creditur Hispanus, conversus a Judaismo ad fidem Christianam, & postea Benedicti XIII. Antipapæ, sed juxta alios, legitimi Pontificis Romani Medicus, insignis hac ætate claruit ab anno 1410. ad 1414. vel circiter. Composuit maxime idoneum *Tractatum de refellendis Judæorum erroribus*, & alium *Adversus Talmuth Judaicum*, ex quorum recitatione, quinque millia Judæorum & amplius, conversa dicuntur ad fidem Christianam, quos ambos habes impressos in *Bibliotheca Sanctorum Patrum* Editionis Parisiensis annorum 1575. & 1589. apud Michaelem Sonnium. Et in editione ultima maxima ejusdem Bibliothecæ Lugdunensi, apud Anissonios seculo XV. tomo XXVI. pag. 528. Et in editione Coloniensi anni 1614. apud Antonium Hierat, tomo XIV. Illius mentionem faciunt Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tom. I. pag. 741. & iterum pag. 746. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 450. pag. 264.

1416 JACOBUS MAGNUS, natione Hispanus, patria Toletanus, Ordinis Eremitarum divi Augustini, florebat Parisiis tempore Caroli Sexti, Regiusque concionator erat, Hic in veterum Theologorum lectione plurimum versatus, cum ut tradunt Joannes Trithemius, Ambrosius Coranus & Jacobus Bergomas, universam ferme Scripturam Sacram selectis Annotationibus explicasset, edidit quoque *Libros decem seu Compendium de inquisitione divinæ Sapientiæ*, prænotatum *Sophologium*, quod & characteribus antiquis excusum fuit Parisiis in folio, anno 1477. apud Martinum Crantz & Ulricum Gering. Et cum Operibus aliis Lugduni in fol. anno 1585. pag. 262. nimirum cum opere Joannis de Sancto Geminiano, *de Similitudinibus & Exemplis*, de quo ad annum 1300. in *Joanne Geminianensi* diximus. Habetur autem MS. distinctum Libris decem, Oxonii in Bibliotheca Collegii novi Cod. 21. Idem opus appellatur *Compendium utriusque Philosophiæ*, Michaeli Episcopo Antissiodorensi dedicatum, quo ea quæ ad naturalium rerum cognitionem spectant, facile percipi possunt. Habetur etiam MS. in Regia Galliarum Bibliotheca,

theca, Cod. 4515. in folio & in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, partim littera K. K. 15. fol. 1. partim littera N. N. 19. fol. 161. Ejusdem plura opera moralia, MSS. in Bibliotheca eadem Victorina. Aggressus enim est abbreviare *Dictionarium Morale Biblicum Petri Berchovii*, ordine alphabetico digestum, cujus prima pars per litteras A. B. C. tantum, habetur MS. in eadem Bibliotheca Sancti Victoris, littera Q. Q. 14. At si hunc laborem & finem adduxit *Jacobus Magnus*, opus istud non minus ipso Dictionario Berchovii fuit. Incipit *Sacræ paginæ dignissimo Professori fratri Bernardo, Priori Generali Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, humilis ejusdem voti suæ obedientiæ filius, frater Jacobus Magni, cum affectu famulandi, præsens obsequium. Mea mihi dudum ratio suadebat, opus Dictionarii sua prolixitate fore tadiosum* &c. Incipit opus, *Aaron secundum Scripturam fuit ex Hebræis natus* &c. Item scripsit Gallice *opus de bonis moribus*, MS. ibidem littera T. T. 18. fol. 184. Incipit, *Tous orgueilleux Seveulent à Dieu comparer* &c. Edidit Philippus Labbeus *novam Bibliothecam Manuscriptorum librorum Græcorum, Latinorum ac Gallicorum*, seu *Specimen antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum* ex Catalogis MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum atque ex aliis aliarum bibliothecarum Catalogis collectam, in 4. editam Parisiis anno 1653. apud Joannem Henault. Illic autem *Supplemento VIII.* pag. 310. Codice 83. Regio, *Le Livre des Esbats amoureux en prose, avec l' Archiloque Sophie par Jacques le Grand, Augustin, dedié à Louis de France Duc d' Orleans*, dont *le portrait est au commencement du Livre.* Idem opus ibidem pag. 319. Codice 712. Denique ibidem pag. 326. Codice 1086. *Livre des bonnes meurs de Jacques le Grand de l' Ordre de Sainct Augustin, dedié au Duc de Berry, avec son portrait.* Reliqua operum ejus ex Bibliotheca Bononiensi sui Ordinis, ablata fuisse conqueritur Josephus Pamphilus, qui & meminit *Quæstionum in Libros Aristotelis de Anima*, quas Patavii Jacobus ipse ediderat, dum illic publice doceret. Vivebat anno 1425. qui cum a Confessionibus secretis Caroli VII. Galliarum Regis esset, electus Archiepiscopus Burdegalensis, Archiepiscopatum recusavit. Obiit Parisiis, in Ecclesia fratrum Eremitarum sancti Augustini sepultus. Hæc fere ad verbum nos ex Antonio Possevino tomo I. *Apparatus Sacri* pag. 788. de quo plura absque dubio dabit Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano.

1410 PETRUS DE ALLIACO CAMERACENSIS EPISCOPUS ET S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS, natione Gallus, Compendii ad Itaram anno 1350. natus ex parentibus ignobilibus quidem, sed probis & liberalibus, magnum familiæ suæ ob doctrinam simul & pietatem acquisivit decus. Collegium Navarrense in Academia Parisiensi anno 1372. ingressus est, inter Sodales candidatos Theologiæ, quos Bursavios vocans, admissus. In hoc Collegio Sententias M. Petri Lombardi Parisiensis Episcopi, anno 1373. prælegere atque ad populum in Ecclesia conciones habere cœpit, magno cum auditorum applausu & animarum fructu, quo etiam anno ad Synodum evocatus Ambianensem, etsi Subdiaconus tantum, Synodalem tamen ad Presbyteros concionem habuit. Lauream Doctoratus anno 1380. tertio Idus Aprilis obtinuit, atque anno sequente habita coram Andegavensi Duce oratione, Concilium Generale ad tollendum Schisma Ecclesiæ, necessarium prorsus esse, Academiæ Parisiensis nomine, declaravit, Canonicus eodem tempore Noviomensis factus. Anno 1384. præfectus est Collegio Navarrensi, ubi Joannem Gersonem, Nicolaum de Clamengis, aliosque doctissimos viros, discipulos habuit. Anno circiter 1387. coram Clemente VIII. Pontifice apud Avenionem sedente, causam facultatis Theologicæ Parisiensis adversus Joannem de Montesono, Ordinis fratrum Prædicatorum oravit, quem sententiam suam de maculato Beatæ Virginis conceptu publice docentem contra facultatis statuta, nuper damnarant. Anno 1389. Academiæ Parisiensis Cancellarius renuntiatus, & Carolo VI. Regi a Sacris largitionibus & Confessionibus adhibitus est. Anno 1394. Capellæ Regiæ apud Parisios Thesaurarius constituitur. Eodem anno a Carolo Rege ad Benedictum XIII. qui Clementi VII. successerat, missus est consulturus de mediis tollendi Schismatis legitimis. Anno 1395. Aniciensis seu Vellarensis in Gallia, tum 1396. Cameracensis Episcopus renunciatur. Anno 1405. dum Genuæ præsens adesset, habita coram Benedicto XIII. Pontifice concione, ipsi persuasit ut festum sanctissimæ Trinitatis celebrandum decerneret: quod quidem a paucis tantum Ecclesiis antea celebratum fuerat, deinceps autem authore Cameracensi Episcopo ac suggerente, ubique observari obtinuit. Anno 1409. Concilio Pisano interfuit, cujus res ab ipso ingenti ardore ad finem promotæ sunt. Anno 1411. septimo Idus Junius a Joanne XXIII. Papa in Cardinalium cœtum subtitulo sancti Chrysogoni allectus est, & post triennium in Germaniam legatus. Exeunte anno 1414. ad Constantiense Concilium profectus est, cujus sessioni tertiæ interfuit, & per integrum triennium pars magna fuit. Exeunte anno 1417. quo Synodus finita est, crebras ad Patres conciones habuit, qui plenus tandem, laboris & dierum anno 1425. Cameraci in Ecclesia Cathedrali sepultus obiit. Multa de illo habent Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad an. 1410. Plura longe Philippus Labbeus in eodem opere, tomo 2. p. 179. & sequentibus. Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum

num 1396. pag. 70. ex Joanne Launojo: sed pleniffime omnium Joannes ille Launojus in *Historia Regii Navarræ Parisienfis Collegii* parte 3. lib. 1. cap 4. pag. 467. & fequentibus, ubi omnes vitæ illius Epochas diligentiffime annotat: omnes libros impreffos quos etiam accurate fatis Labbeus loco citato inquifiverat & adnotaverat, accuratius adhuc usque ad fcrupulum inquifivit & recenfuit, ut hujus utriusque diligentiæ nihil addi poffit. Ratio autem noftri *Supplementi* ad authores vel authorum opera a Bellarmino & Labbeo omiffa, expofcit ut hic fubjungamus alia quædam opera manufcripta tantum mutuata ab eodem Launojo loco citato, pag. 479. vel impreffa pauca, quæ Launoïum atque Whartonum fugiffe videntur.

Sequuntur opufcula Petri Alliacenfis MSS. quæ in Bibliotheca Collegii Navarrici affervantur.

Quæftio determinata in fcholis Navarræ, *utrum hæreticum fit dicere, quod liceat pro docendi licentia pecuniam dare vel recipere.*

Propofitio facta coram Papa adverfus Cancellarium Parifienfem quæ incipit, *Domine vim patior* &c.

Quæftio de reprehenfione Petri a Paulo facta, *Quærit a me charitas veftra* &c.

Refponfio in Sorbona, *utrum effe tria fuppofita unius naturæ, fit perfectio* &c.

Quæftio de qua refpondit in Sorbona, *utrum craturæ rationalis confcientia erronea, ejus actum excufare poffit* &c.

Refponfio in aula Epifcopi, *utrum Chrifti dono gerens poteftatem, jufte damnetur* &c.

Altera Quæftio, *utrum libertas creaturæ rationalis ante & poft lapfum fit intrinfece æqualis* &c.

Invectiva Ezechielis contra Pfeudo-prædicatores, incipiens, *Ezechiel Propheta* &c.

Sermo in Capitulo Navarræ *veritas de terra orta eft* &c.

Sermo de fancto Bernardo, *Dedit ei cor ad præcepta* &c.

Sermo in Capitulo Navarræ, *ipforum eft Regnum cælorum* &c.

Sermo in Synodo Ambianenfi factus, dum erat Subdiaconus, *Sacerdotes tui induantur juftitiam* &c.

Sermo in Synodo Ecclefiæ Parifienfis, *Hic jam quæritur inter difpenfatores* &c.

Tractatus utilis & amplus fuper Boëthium *de confolatione Philofophiæ*, cum eleganti præfatione quæ incipit, *Reverendiffimi Patres, Magiftri ac Domini cariffimi, mihi ardua fcandere volenti* &c.

Tractatus de falfis Prophetis, Attendite a falfis Prophetis, *Quia ad obfervantiam divinæ legis* &c.

Alter Tractatus de falfis Prophetis, Attendite a falfis Prophetis, *Quia fic dici folet* &c. ubi de hypocrifi, de bonorum & malorum Angelorum cognitione, & locutione, de prophetia & divinatione per Aftra difputatur.

Defcriptio imaginariæ vifionis *de Horto facræ Scripturæ*, quem fecit in principio fuo fuper Cantica, anno 1374. *veni in hortum meum* &c. cum longa & eleganti præfatione: quæ omnia defiderantur in Expofitione fuper Cantica Canticorum edita Argentinæ anno 1490.

Propofitio facta coram Papa, contra fratrem Joannem de Montefano, quæ incipit: *Pater fancte in nomine tuo ferva eos.*

Altera Propofitio facta in Confiftorio, quæ incipit: *Veritatem meditabitur guttur meum* &c.

Tractatus ex parte Univerfitatis ftudii Parifienfis, pro caufa fidei contra eundem fratrem, cujus excerptum habetur ad calcem Magiftri fententiarum. Hunc Tractatum Wefalus Groningenfis Libro *de poteftate Papæ* cap. 9. laudat, eique tribuit nomen *Rotæ de errore quatuordecim Conclufionum fratris Joannis de Montefono.* Hæc Joannes Launojus loco citato, cui nos addimus, pleraque ex his iisdem operibus inveniri etiam MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis Cod. primo, nimirum quæ fequuntur.

Tractatus editus per Magiftrum Petrum de Alliaco, poftea Cardinalem Cameracenfem, contra fratrem Joannem de Montefono & propofitio contra eundem.

Item propofitio Magiftri Petri de Alliaco coram Papa, contra fratrem Joannem de Montefono.

Propofitio ejusdem contra eandem, dicta in Confiftorio.

Propofitio ejusdem coram Papa, contra Cancellarium Parifienfem.

Sermo ejusdem de fancto Bernardo.

Sermo de fancto Ludovico.

Sermo in Synodo Ambiani.

Sermo in Synodo in Ecclefia Parifienfi, de quibus omnibus fupra. Extant autem opufcula nonnulla modica Petri de *Alliaco* adverfus Joannem de Montefono, impreffa feculo VI. *Hiftoriæ Univerfitatis Parifienfis.* Item extant *duæ Collationes Magiftri Petri de Alliaco pro apotheofi Petri de Luxemburgo*, impreffæ feculo VI, *ejusdem Hiftoriæ* pag. 651. & fequentibus, eductæ ex MS. Codice Bibliothecæ Cameracenfis Ecclefiæ Cathedralis, quas habuit anno 1389. coram fummo Pontifice, dum legationem ad Clementem VII. Avenione fedentem obiit, quarum nullus meminit. Hæc de impreffis a Labbeo & Launojo omiffis. Qui plura cupit, fuppeditabunt, Philippus Labbeus & Joannes Launoius locis citatis. Seculum VII. Hiftoriæ Univerfitatis Parifienfis, ubi multa pariter de ipfo leguntur. Henricus Whartonus in Exceptione *Hiftoriæ litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1396. pag. 70. nullus vero majori pompa *de Petro Alliacenfi, Cardinali Cameracenfi*, ejusque MSS. Operibus egit, quam Ludovicus Ellias du Pin Theologus Parifienfis, in editione noviffi-

novissima Operum omnium Joannis de Gersonio Doctoris & Cancellarii Academiæ & Ecclesiæ Parisiensis, quam V. tomis in folio edendam curavit Amstelodami anno 1706, in folio apud Ludovicum de Lorme & Socios. Illic etenim *Gersonianorum* lib. 2. paragr. 2. pag. XXXVII. Vitam ejus amplissimam habet. Cumque Codices MSS. operum illius in manibus habuisset, plures nondum editos, in hac editione produxit Tomo I. parte 2. pag. 226. & in Appendice ad Tomum I. a pag. 489. ad 805. In Appendice ad Tomum 2. a pag. 867. ad 961. Vide quoque *Monitum* quod operibus istis præmisit ante Appendicem Tomi primi pag 485. ubi de MSS. operibus hujus Doctoris cum prudentia loquitur. Nempe reliquisse in tenebris Bibliothecarum *Commentarium in librum Boëthii* de Consolatione Philosophiæ. *Descriptionem imaginariæ visionis de horto Sacræ Scripturæ, quem anno 1374. fecerat, Commentarium in Cantica*, quæ iuvenis ille conscripserat, ac luce publica digna non viderentur. Vide Dissertationem nostram *de Operibus Gersonii* cap. 3. it. 5. ad quæ lectorem mittimus. Ne autem aliquem laude sibi debita fraudemus, dicendum est ex his Tractatibus Petri de Alliaco MSS. quos produxit Ludovicus Ellias du Pin in *Appendicibus Operum Joan. Gersonii*, quatuor ex tractatibus prædictis, olim jam impressos fuisse Parisiis anno Domini 1500. in fine *Commentariorum ejus* super 1. 3. & 4. Sententiarum, his titulis. *Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis Recommendatio Sacræ Scripturæ in Magisterio Theologiæ; una cum ejusdem Principio in cursum Bibliæ, præsertim in Evangelium S. Marci: & Quæstione Vesperiarum de potestate Ecclesiæ, & Quæstione de Resumpta.* Atque hæc opuscula quatuor hinc inserta sunt in Tomum 2. *fasciculi rerum expetendarum & fugiendarum* pag. 508. ad 540. quem ampliatum ac voluminibus in folio duobus, edendum fategit vir eruditus Eduardus Broun Parochus Sundrigiæ in agro Cantiano, Londini impensis Richardi Chiswell anno 1690.

1410 THOMAS DE HASSELBACK, natione Germanus, anno 1410. vivebat, de quo ita scribit Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, verbo *Thomas Hasselbachius*, „ipsum „divinarum Scripturarum & secularis Philoso„phiæ peritissimum, ingenii acumine rarum, „sermone Scholasticum, sed nimis diffusum „& prolixum, & ob id reprehensioni quorun„dam obnoxium; qui cum esset ordinarius Sa„cræ Theologiæ in Academia Viennensi Lector, „Esaiam Prophetam uno & viginti annis pu„blice enarrans, ad primi capitis finem non „pervenerit, licet scripsisse Libros XXIV, „tam prolixæ enarrationis suæ in primum Esaiæ „Prophetæ caput feratur. Claruisse videtur ab anno 1410. ad 1430. vel 1440. Scripsisse dicitur in *Libros 4. Sententiarum*, *de decem præceptis Lib. De quinque Sensibus hominis Lib. Sermones ejus Dominicales super Epistolas D. Pauli* ab ipso habiti, impressi sunt alicubi in Germania, anno 1478. loco editionis non expresso. Ejusdem *Sermones de Confessione & de Sanctis* extant manuscripti in Augustana Bibliotheca, teste Antonio Reisero bibliothecario hujus verbis, in Catalogo omnium Manuscriptorum Codicum, quem edidit anno 1675. Augustæ Vindelicorum in 4. pag. 55. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 9907 in MSS. Codicibus Simonis d'Ewes Baronetti Codice 47. *Thomæ de Hasselback Sermones super Epistolis Dominicalibus.* Hujus meminit post Sixtum Senensem loco citato Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Thomas de Hasselbach*. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* pag. 71. cum aliis.

ARNOLDUS DE ROTERODAMO, cognomine GEILHOVEN, natione Batavus, a natali solo ita nuncupatus, Canonicus Regularis S. Augustini in Viridi Valle, prope Bruxellam, claruit annis 1410. 1420. 1430. & sequentibus, Decretorum Doctor, vir in Divinis Scripturis eruditus & regularis disciplinæ cultor strenuus, nomen suum variis Operibus, pro ætate qua vixit non contemnendis, posteritati commisit. Edidit grande volumen, quod Græce inscripsit γνῶθι σεαυτὸν, Latine *Nosce te ipsum*, sive *Speculum conscientiæ*, quod Scribæ vel Typographi Græce nescientes inscripserunt *Gnotosolitos*, MS. extans in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis, parte dextra, pulpito XV. Codice seu Num. XI. „*Gnotosolitos* inscriptum Arnoldi de Hollandia, de" Roterodamo, Decretorum Doctoris, Professi" in Monasterio Viridis Vallis Canonicorum" Regularium Divi Augustini, in Zonia Silva" Cameracensis diœceseos. Cujus prima par" te agitur *de legibus & statutis, de peccatis mortalibus*, scripta anno 1413. die 26. Maji. In" secunda parte agitur *de excommunicatione & aliis censuris*, continente Rubricas quindecim," finita anno 1424. ipso die S. Servatii Tungrensis Episcopi, ex dono Petri de Rota Ca" nonici Nivellensis." Hæc Antonius Possevinus ad calcem *Apparatus Sacri*, ubi Catalogum Librorum MSS. Ecclesiæ Cameracensis profert. Arnoldi autem de Roterodamo *Gnotosolitos*, seu *Speculum conscientiæ* editum Bruxellis anno 1476. in fol. & anno 1479. ibidem. Extat utraque editio inter libros Ultrajectinæ bibliothecæ impressos, ut habet Catalogus illius in folio Ultrajecti anno 1670 impressus, verbo *Arnoldus Roterodamus* & verbo *Gnotosolitos*. Franciscus Sweertius eidem attribuit *Speculum Collationum juris, item Exemplorum Philosophorum & Poetarum, Confessionale fœneratorum, de verbis Domini, in Regulam Sancti Augustini, de practica electionis*. Hoc primum Opus Valerius Andreas *Remissorium Juris tam Civilis quam Canonici* 1410

nici vocat, cujus meminit in *Locis suis Legalibus* Nicolaus Everardus Lovanii anno 1552. typis Sasseni editis, legiturque MS. Tomis duobus in Collegio Tritingni Lovanii descriptum, & inscriptum *Joanni Bontio*, *Juris utriusque Doctori*, *Brabantiæ Cancellario*. Item in Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis, tomis tribus. Ejusdem Arnoldi extat aliud Opus MS. Lovanii ad sanctum Martinum in pergameno Tomis 2. cui *Vaticani* nomen dedit, quod Historiarum collectaneum est, in quo tractat *de septem mundi ætatibus*, *ac Romanis Pontificibus*, *Regnis*, *bellis*, *deque vita ac moribus Philosophorum ac Poetarum*. Opus istud Arnoldi se vidisse testatur Valerius Andreas in sua *Bibliotheca Belgica* pag. 87. MS. Lovanii ad S. Martinum in pergameno Tomis 2. scriptum ac distinctum, esseque idem cum *Speculo Philosophorum ac Poetarum*, uti alias indigitatur, de quo Opere post Procemium author ita scriptum reliquit: *Anno Domini* MCCCCXXIV. *circa Festum Mariæ Magdalenæ per me Arnoldum de Hollandia*, *de Rotterdam*, *Decretorum Doctorem*, *in Viridi Valle professum Canonicorum Regularium Ordinem in Silva Zonia*, *prope Bruxellam*, *scripsi & complevi*, *& personaliter copulavi*, *ex diversis Libris & diversis historiographis*, *quos vidi & audivi in Italia*, *tam Bononiæ quam Paduæ*, *dum eram ibidem studens*. Accedit huic Operi in fine, *Moralizatio currus triumphalis* per eundem Arnoldum. Ejusdem *Confessionale fæneratorum* MS. in bibliotheca Lovanii Wamesiana apud Cl. virum *Petrum Weynsium* Provinciæ Luxemburgensis Præsidem. Opuscula cætera MSS. esse dicuntur in Bibliothecis Canonicorum Regularium Rubræ Vallis, Viridis Vallis, & S. Martini, teste Sweertio. Decessit Arnoldus de Roterodamo in Viridi Valle anno Domini 1442. pridie Kalendas Septembris. Mentionem Scriptoris hujus faciunt Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Arnoldus Roterodamus* pag. 144. editionis 1628. Antwerpiæ in folio. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Arnoldus de Roterodamo* pag. 86. editionis 1643. Lovanii in 4to.

1410 MATTHÆUS PILLART, CLARÆVALLIS ABBAS, natione Flander, patria Warnestoniensis, Monachus primum in Abbatia de Dunis Ordinis Cisterciensis, vir ingenio subtilis, ac rerum agendarum industrius ob dotes animæ, quibus fulsit. De quo fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 4. in Abbatibus Claravallensibus pag. 260. ubi sic, *Matthæus Pillart II. ex Abbate Belli Prati & mortui Maris*, *suffectus anno 1415. in Synodo Generali Constantiensi legatus Ecclesiæ Gallicanæ anno 1416. ubi & illustrem memoriam retulit. Sed immoderato zelo*, *seu ut nonnulli volunt*, *in Cistercium æmulatione*, *matrem suam insectatus est bellis domesticis*, *quibus florentem Cistercii Abbatiam pene labefactavit*, *ut fusius in Annalibus Ordinis continetur. Vitam finivit Matthæus 5. Augusti 1428. prout inscriptum habetur in tumulo.* Alludit haud dubium Gallia Christiana ad lites, quibus Abbatiam & Ordinem Cisterciensem Matthæus insectatus est; qui factus primum fuerat Abbas Belli Prati in Lotharingia, deinde Mortui Maris in Normannia, tum Procurator totius Cisterciensium Monachorum Ordinis in Curia Romana, ubi paucis expensis Lauream Doctoralem pro more hujus Academiæ obtinuit. Anno tandem 1415. authoritate Summi Pontificis, cui Solertia & virtus Matthæi Pillardi notissimæ erant, Abbas Claravallis XXXVI. nominatus, non electione fratrum suffectus, qui Ecclesiam hanc antecessorum Abbatum in curia in temporalibus & spiritualibus dejectam erigeret repararetque. Vir fuit doctrina & eloquentia celeberrimus, qui ideo ao. 1416. quamvis non Gallus, Gallicanæ tamen Ecclesiæ ambassiator (ut loquitur Chronicon) electus, & ad Generale Concilium Constantiense destinatus est. Composuit volumen, quod inscripsit *Speculum exaltationis & depressionis Ordinis Cisterciensis*, qui liber ob materiam varia judicia subiit, Monachis atque Abbatibus Cisterciensibus in Matthæum ut pudendorum Monachalium revelatorem irruentibus, qui pro suscepto argumento plurima Ordini indecora atque inverecunda detexerat. In illum sane acriter invehitur author libri *De prospero & adverso statu Ordinis Cisterciensis*. Extat MS. Exemplar hujus Operis in Bibliotheca Dunensi Cisterciensis Ordinis Brugis in Flandria, transscriptum ad pervetustum Exemplar *Veteris Montis*, juxta Coloniam. Olim etiam reperiebatur MS. in Bibliotheca Claravallis, & in pluribus aliis ejusdem Ordinis Cœnobiis, sed subductum ex Claravalle vel occultatum jam opinor, quippe cum non compareat in Catalogo amplo atque accurato Manuscriptorum hujus Bibliothecæ, quem recenter anno 1664. confectum penes me habeo. Promptum fuit Monachis gloriæ immeritæ cupidis, hoc opus comburere, quippe quo turpitudines claustri eximie atque adplenum depingebantur. Descripsit etiam fuse *Reditus omnes a diversis Regibus & Principibus assignatos proferendis oneribus & expensis necessariis tempore Capituli Generalis Abbatum Cisterciensis Ordinis*, adjungens instrumenta singularum donationum: quod collectaneum MS. pariter Dunis & in Veteris Montis Abbatia, ut supra diximus. Idemque subductum pariter ex Claravallis Bibliotheca, curis Abbatum Cistercii, qui jam expensas ab Abbatibus in Capitulo Generali factas, sibi persolvi cogunt, quamvis eas ratione donationum, gratis sustinere & suppeditare debeant. Cum hanc ob causam graves in Cistercium lites movisset Abbas Claravallis Matthæus Pillart, obiit anno 1428. die 5. Augusti, cujus sepulchrum in claustro Claravallis, ante Capitulum cernitur. De illo Carolus Wischius in *Bibliothe-*

Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis p. 240. Fratres Sammarthani tomo 4. *Galliæ Christianæ* in Abbatibus Claravallensibus, p. 260.

1410 JOANNES BRANDO, DUNENSIS MONACHUS, natione Flander, ex pago Hontenessa, territorii Hulstensis, Monachus Abbatiæ Beatæ Mariæ de Dunis, Ordinis Cisterciensis juxta Furnas in Flandria, Sacræ Theologiæ Parisiensis Doctor. anno 1410. celebris, occupavit ingenium evolvendis colligendisque Historiis. Unde ex assidua variorum Scriptorum Lectione, composuit *Chronicon celebre ab Origine Mundi usque ad annum Incarnati Verbi 1414.* quod ipse intitulavit *Chronodromon*, id est *Cursus temporum:* quo Jacobus Meyerus in concinnandis Flandriæ Comitum & rerum Annalibus, se non parum fuisse adjutum testatur. Invenitur autem adhuc Manuscriptum in multis Belgii locis, Gandavi apud Abbatiam Blandinii montis, Audomaropoli apud S. Bertini Abbatiam, Aldemburgi in Flandria, Cœnobii Ordinis Divi Benedicti. Itemque Lovanii in Collegio Attrebatensi, seu sancti Vedasti Attrebatensis, opus 3. tomis in pergameno nitidissime exaratum, visu & lectu dignissimum in magno folio, ubi illud vidit anno 1651. Carolus Wischius Prior Beatæ Mariæ de Dunis, ut ipse testatur in *Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis*, p. 176. verbo *Joannes Brando.* Initium primi Tomi est: *Quemadmodum ex Veteris Novæque sacræ paginæ* &c. Tomus 2. ita incipit, *Jam vetustatis horrida squallescens in umbra* &c. Tomus 3. ita, *Moris est imbecillium* &c. Hujus Viri laudabilem mentionem faciunt, quotquot post illum *de viris illustribus Flandriæ* scripserunt, novissime autem Antonius Sanderus *de Scriptoribus Flandriæ*, & Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica.* Obiit Brugis in refugio Dunensi anno 1418. die 13. Julii, ubi nunc ab hoc seculo celeberrima Abbatia de Dunis cum Bibliotheca translata visitur, quam ob ædificiorum splendorem & nitorem admiratus sum. Hæc nos pleraque ex Carolo Wischio, verbotenus loco citato, de quo fusius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 176. Paucis autem Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Joannes Brando* p. 239. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. 551. ultimæ editionis. Continuavit autem illud *Brandonis Chronicon* Bartholomæus de Beka, sacræ Theologiæ Baccalaureus Parisiensis, Monachus de Dunis ejusdem instituti, nimirum ab anno 1414. usque ad annum 1431. extatque jam dictum *Chronici Brandonis Supplementum* MS. in Bibliotheca de Dunis, ut testatur Carolus Wischius ejusdem Dunensis Abbatiæ Prior, in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 32. ubi Bartholomæum hunc anno 1436. mortuum esse affirmat.

1420 NICOLAUS A DINCKELSPIEL, natione Germanus, patria Suevus, Viennensis in Austria Academiæ Rector, floruit anno 1420. ad 1430. & ultra, adfuit enim Constantiensi Concilio, ab eadem Universitate Viennensi deputatus. Testatus est autem eruditionem suam Opusculis variis, quæ posteritati commisit, cujus extant *Liber de præceptis Decalogi*, *Expositio in Orationem Dominicam*, *Tractatus de octo Beatitudinibus*, *Confessionale*, *Liber de tribus partibus pœnitentiæ*, *item de octo vitiis capitalibus*, *de peccatis Linguæ*, *& alia*, Argentorati impressa anno 1516. in folio. Magno zelo per plures annos concionatus est, *cujus Sermones hodie* (ut Æneas Sylvius loquitur) *avide a doctis leguntur.* Extant autem ferme omnia hujus Scriptoris Opera MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum illius Codicum, impresso Lipsiæ anno 1686. cura & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii. Atque inter illa habentur *Sermones*, quos optabat fieri juris publici Æneas Sylvius, *Nicolai Dinckespuel de tempore & de Sanctis*, in dicto Catalogo pag. 414. num. 91. cum ejusdem *Commentario de decem præceptis & in Orationem Dominicam.* Ibidem quoque extat *Commentarius ipsius in quatuor Libros Sententiarum* pag. 376. num. 558. Denique ejusdem *Quæstio Magistralis de hæreticis ac Veritatibus Catholicis*, in Charta MS. in folio, in Bibliotheca Imperatoris Vindobonensis, ut habet Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, pag. mihi 623. Tractatus quoque *Nicolai a Dinckelspiel super Orationem Dominicam*, *de donis Spiritus Sancti*, *de quinque sensibus*, *de Confessione*, *de gratitudine & ingratitudine*, *de communione sacramentali*, *de octo beatitudinibus*, *de decem Præceptis*, extant MSS. in Bibliotheca Augustana, ut ex Catalogo Manuscriptorum hujus Bibliothecæ Augustæ Vindelicorum anno 1675. pagg. 44. 47. & 57. edito per Antonium Reiserum, clarum est. Agunt de *Nicolao Dinckelspiello* Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 47. pag. 269. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 623. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 147. Henricus Wharton in *Continuatione Historiæ Literariæ* Guilielmi Cavi, ad annum 1420. pag. 99.

MACARIUS MACRES, natione Græcus, montis Atho Hieromonachus, Georgii Phranzæ amicus intimus, quo satagente Constantinopolim profectus, Regii Monasterii Pantocratoris Hegumenus constitutus est, postea Protosyncellus Magnus renuntiatus, claruit anno 1420. Latinorum hostis infensissimus, quo nomine a Patriarcha Constantinopolitano, qui cum Latinis tum sensit, inter Hæreticos habitus, multis est exagitatus malis. Hic missus fuit ante annum 1430. a Joanne Imperatore cum Marco Jagro Magno Stratopedarcha, & Magno Protosyncello Legatis ad Martinum V. ut notat ejus amicissimus Georgius Phranzas: Καὶ τῷ Αὐγούςῳ μηνὶ τῷ αὐτῷ ἔτει ἐπαναςρέψαντες 1420

ψαντες οἱ ἀπὸ τοῦ βασιλέως κυροῦ Ἰωάννου, πρὸς τὸν Πάπαν Μαρτῖνον πρέσβεις, ὅτε Μάρκος ὁ Ἰάγρος, καὶ μέγας στρατοπεδάρχης, καὶ ὁ μέγας Πρωτοσύγγελος, καὶ ἡγούμενος τῆς σεβασμίας βασιλικῆς μονῆς τοῦ παντοκράτορος ἱερομόναχος καὶ πνευματικὸς Μακάριος ὁ Μακρῆς ὀνομαζόμενος, ἀνὴρ ἄριστος κατάγε λόγον καὶ ἀρετὴν καὶ σύνεσιν &c. Καὶ τῇ εἰκοστῇ πρώτῃ μαρτίου τοῦ αὐτοῦ ἔτους, ἡμέρᾳ καὶ ὥρᾳ τῇ αὐτῇ ἐν ᾗ τὰ προγεγονότα μοι συνέβησαν, ἐδεξάμην καὶ τὸ ἀπευκταῖον ἐμοὶ μήνυμα δι' ὁρισμοῦ τοῦ αὐθέντου μου ἀπὸ τὴν Βοσίτζαν, ὅτι τῇ τοῦ παρελτόντος Ἰανουαρίου ἑβδώμῃ τέθνηκε λοιμώδει νόσῳ ὁ ἄριστος, κἀμοῦ φίλος ὁ Μακάριος καὶ ὢν καὶ καλούμενος ὁ Μακρῆς, ὁ παρ' ὀφθαλμῷ μὲν πατριαρχικῷ, ἀκοιμήτῳ, ὑπερηφάνῳ καὶ ἀπλήστῳ, ἰαγαρικῇ καρδίᾳ αἱρετικός: παρὰ δὲ ὀφθαλμῷ παντοκρατορικῷ, ἀκοιμήτῳ καὶ ἀληθείᾳ δικαζούσῃ ὀρθόδοξος. Ὃς καὶ εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἐπανῆλθεν ἀπὸ τοῦ ἁγίου ὄρους, καὶ τὴν νομὴν τοῦ παντοκράτορος ἔλαβεν παρακινήσει καὶ συνεργείᾳ ἰδικῇ μου, ὡς οἱ πάντες ἐπίσταντε, καὶ συνάρσει μὲν πρῶτον τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ ἔπειτα δὲ σπουδῇ καὶ ἐπιμελείᾳ ἐμοῦ τε κἀκείνου, πᾶν ἔτι καλὸν καὶ πρὸς σύστασιν, καὶ εὐκοσμίαν εἰς τὴν αὐτὴν μονὴν παρεχώρησεν. *Et mense Augusto ejusdem anni* MCCCCXXX. *ab Imperatore Joanne ad Papam Martinum Legati redierunt, Marcus Jagrus Magnus Stratopedarcha, & Magnus Protosyncellus, & venerandi Regii Monasterii Pantocratoris Hegumenus, & spiritualis pater Macarius Macres, vir & eloquentia & virtute animi, & intelligentia longe praestantissimus. Et anno* MCCCCXXXI. *vigesimo primo Martii die, & hora eadem qua praenarrata mihi acciderunt, per literas Domini mei Bostitza scriptas tristem nuntium accipio, nempe praeteriti Januarii die septimo, ex hac luce, pestifera lue, amicum meum optimum, & re & dicto Macarium, cognomento Macrem, sublatum esse. Qui quanquam oculis Patriarchae superbis & insatiabilibus, & corde illius barbaro & agresti haereticus haberetur: tamen oculis omnipotentis, vel omnia conspicientibus, semperque vigilantibus, & in veritate judicantibus orthodoxus erat. Qui Constantinopolim adveniens, a Monte Sancto, me auctore & adjutore Monasterium Pantocratoris accepit, ut omnes norunt, & auxilio quidem primum omnipotentis Dei, deinde studio & diligentia utriusque nostrum, Monasterii illius rationes praeclarissime ac decentissime constituta sunt.* Scripsit Opus de Spiritu Sancto, ὅτι τὸ λέγειν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι, οὔτε ἀναγκαῖον ἐστὶν ἀλλὰ καινοτομία τῆς ὀρθοδόξου πίστεως: *Quod asserere Spiritum Sanctum ex Filio procedere, necessarium non est, sed innovatio orthodoxae fidei.* Extat MS. Graece in Bodleiana Bibliotheca Oxonii in Anglia, Codice 720. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi Codice 78. num. 17. p. 117. ad 123. Dividitur Opus in decem capita, juxta Allatium, cujus principium, Τὰ θεῖα τῶν Χριστιανῶν δόγματα, καὶ ἡ πίστις. Ex quibus infero, inquit Allatius, in Ecclesia Constantinopolitana non usquequaque exsolvisse inter Graecos, pietatem Romanam, his etiam infortunatissimis temporibus. Macres contra Romanam Ecclesiam, sententiam Graecorum tuetur, & scriptis etiam editis defendit, homo alias etiam maxime pius & doctissimus, si Phrantzae fides habenda est. Et tamen a primo illius nationis & coryphaeo, nempe Patriarcha, inter haereticos recensetur, pelliturque ob hanc eandem haeresin Ecclesia. Animus itaque Patriarchae, quem ille oppugnabat, fidei Romanae intimus erat. Haec nos verbotenus ex Allatio Lib. 2. *de consensu utriusque Ecclesiae* cap. 18. §. XI. col. 860. de *Macario Macre*, cujus etiam meminit Henricus Wharton in Continuatione *Historiae rei Literariae* Guillelmi Cavi, ad annum 1420. pag. 99. Est autem absurdus plane Allatius, atq; insaniens ob argumentum a se susceptum, si putat Macrem fuisse creditum haereticum, quod sententiam Graecorum *de processione Spiritus Sancti* defenderet: cum nec Latini prudentes atque literati, hanc quaestionem unquam ut dogmaticam vel orthodoxam fidei necessariam arbitrati sunt.

DEMETRIUS CHRYSOLORAS, natione 1420
Graecus, ortu ut videtur Thessalonicensis, summus Philosophus & Astronomus, Emanueli Palaeologo Imperatori clarus admodum, ab anno 1390. & sequentibus floruit. Porro ut refert Sylvester Sguropolus in *Historia Concilii Florentini* Sect. 3. cap. 8. dum aliquando prandenti Emanueli adstaret, rogatus, num ex astrorum scientia certo aliquid futurum pronuntiare posset: respondit, se ex concursu Syderum reperisse, septimum Palaeologum initurum concordiam cum Latinis, & unionem Ecclesiarum maxime perniciosam & Christianis omnibus detestandam facturum. Cumque id Imperator in Joannem consobrinum suum rejiceret, Demetrius Chrysoloras Joannem filium ab Astris destinari affirmavit. Claruit autem anno 1420. ac sequentibus, multis Opusculis defendens opinionem Graecorum *de Spiritus Sancti processione*, quae singula extant MSS. in Bibliotheca Vaticana, his autem recensentur ab Leone Allatio Lib. 2. *de consensu utriusque Ecclesiae*, cap. 18. §. 12. col. 861. Legitur etiam Demetrii Chrysolorae, "Κατὰ Λατίνων λόγος συνοπτικὸς, ἀφ' ὧν ἐποίησεν ὁ "ἁγιώτατος Νεῖλος ἀρχιεπίσκοπος Θεσσαλο-"νίκης, οὗ καὶ τὰς λύσεις καὶ τὰς τῶν ἐναντίων "ἐνστάσεις καὶ τοὺς συλλογισμοὺς αὐτοῖς σχήμασιν "ἀποδεικνὺς ἐν συντόμῳ κατὰ συλλογισμῶν ἕκα-"στον. *Contra Latinos Oratio Synoptica ex iis, quae "sanctissimus Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis, "cujus solutiones & adversariorum instantias & "Syllogismos, iisdem figuris commonstrat com-"pendiose in unoquoque Syllogismo.* Principium, "Ἀρχαία δόξα τῇ ἐκκλησίᾳ, ὡς ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ "πνεῦμα, ἔθος δ' αὐτῇ ἐμμένειν τῇ παραδόσει."

Ejusdem

„Ejusdem Dialogus, *ὠ δίκαιόν ἐςιν ὀρθοδόξους, „ἑτέρων ὀρθοδόξων κατηγορεῖν ἐν ὐδενὶ πράγματι: „Quod fas non sit orthodoxis alios orthodoxos de re „aliqua accusare.* Principium; *Τί δὲ κατηγο„ρεῖν, ὦ θευδόςε, καὶ τίνες οἱ τύτῳ χρώμενοι. „Ejusdem Dialogus destructivus Orationis, quam „scripsit Dominus Demetrius Cydonius contra bea„ta memoria Dominum Nilum Cabasilam Thessa„lonicensem.* Dialogi personæ, Thomas, Nilus, „Cydenes, Chrysoloras. Principium, *μέγας „μὲν ὁ τῶν ὁμοφύλων καθ' ἡμᾶς πόλεμ@, καὶ „πολὺ τῶν ἀλλογενῶν ἐχυρώτερος.* Cujus ultimi Dialogi Excerptum Græce & Latine exhibet idem Allatius in Libro *adversus Hottingerum* p. 49. Extanr hæc pleraqne inter MSS. Codices Bodleianæ Oxonii in Anglia bibliothecæ Codice MS. Barocciano 125. pag. 204. ad 213. Ibidem *Demetrii Chrysoloræ Epistolæ 100. ad Manuelem Palæologum Imperatorem*, *Κρισε βασιλεῦ.* Ibidem Codice 720. in MSS. Guillelmi Laudi Codice 78. num. 1. *Demetrii Chrysoloræ Dialogus inter Latinum & Græcum* pag. 1. num. 2. *Refutatio Epistolæ ad ipsum missæ per Legatos Papæ de processione Spiritus Sancti* pag. 3. b. Ibidem Codice 3377. in MS. Codicibus Johannis Seldeni Codice 47. num. 4. *Demetrius Chrysoloras contra Latinos*, Græce cum aliis ejusdem argumenti, Marco Ephesino Archiepiscopo, Manuele Magno Rhetore, Nicolao Methonensi Episcopo &c. In Hispano Regia Scorialensi Bibliotheca *Homiliæ 6. Demetrii Chrysoloræ* E. III. II. *de transfiguratione Christi, de sepultura, de Resurrectione, de Annunciatione*, absque principio. *In Dormitionem Deiparæ*, quæ fere in omnibus eadem, cum longa illa Oratione Joannis Geometræ in eandem &c. *In Nativitatem Domini.* Hæc Barvoetius, qui Catalogum illius edidit. Meminit aurem *Demetrii Chrysoloræ* Henricus Wharton in Continuatione Guillelmi Cavi, ad annum 1430. p. 104. quem meo quidem judicio, convenientius anne 1410. vel 1420. assignavisset.

1420 PETRUS DE ROSENHEIM, natione Germanus, Ordinis Divi Benedicti, Monachus in Monasterio Mellicensi, apud Austriam, quem alii *Rosenheimensem*, alii *Rosenhemium* vocant, Poeta Scholasticus ut haber Sixtus Senensis, quem anno 1427. claruisse scribit Joannes Trithemius. Scripsit ad Brandam Castilionem Tituli Sancti Clemenris Cardinalem, Legatum Apostolicum in Austria tunc residentem, opus Distichis elegis pressum ac succinctum, quod *Roseum Memoriale Divinorum* inscripsit, quo utriusque Testamenti capita perstringit. Incipit *Astripotens cælum* &c. quod Argentorati anno 1544. apud Balthasarem Bechz prodiit. Idem scripsisse dicitur *Summam Theologiæ*, quæ Romæ in Basilica Lateranensi extat, & *Rationarium Evangelistarum*, omnia Evangelia prosa, versu, imaginibusque continens. De illo agunr Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 628. Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus Sacri* p. 266. post Joannem Trithemium, in Opere *de Viris illustribus Ordinis Divi Benedicti.*

BALDUINUS DE AVENNIS, filius Margaretæ II. seu Maleanæ, Comitissæ Flan- 1420
driæ atque Hannoniæ, toparcha de Avennis & Bellomonte in Hannonia, claruit anno 1410. & sequentibus, Margareta enim Maleana, post Ludovici patris mortem, cum Philippo marito, Duce Burgundiæ, investitur principatu Flandrico. in oppido Brugensi anno 1384. die 26. Aprilis. Mortua 1404. Atrebati in ædibus suis die 16. Martii, anno ætatis circiter 56. mulra prole relicta. Ejus autem filius Balduinus de Avennis, cum Historiæ animum addixisset, ut aliquod eruditionis suæ specimen principibus exhiberet futuris, Gallice scripsit *Chronicon Summarium*, quod ab orbe condito orditur, atque ad annum MCCCLXXXXIX. extenditur, extatque MS. in Bibliotheca Lugdunobatava inter MSS. Codices, cujus memoria etiam in Catalogo impresso 1674. in 4. pag. 402. num. 53. his verbis: *Chronicon ab orbe condito usque ad annum* MCCCC. *auctore Balduino de Avennis in fol. in charta.* Incipit Gallice hoc modo: *Ce sont les Chroniques estraites & abregiés des Livres Monseigneur Bauduin des Avesnes, fils iadis le Comtesse Margherite de Flandres & de Haynault, qui fut meult sages homes, & en assambla de plusieurs Livres.* Hic libri titulus, cujus post capitum Syllabum, hoc est initium: *Scavoir doibrent tous bons Cristiens, que nostre Sires Dieux en Deitét & en puissance, devant le commenchement du sieele & apres fut de tout temps & sera puissans & que au commenchement du monde, il crea Chiel & terra* &c. Finir autem his verbis: *Item L'an* MCCCCIC. *le 12. jour de Marcs fut amenés en l'Eglise de saint Pol a Londres enestat de Gentilhomme, le corps du noble Roy Richard. Et est veritéz, que le cariet fut couvert tout d'un drap noir, a tout quatre banieres dessuz, de quoi les deux furent des armes de Saint Jorge, & les autres deux de Sainct Edouart. C'est assavoir d'azur atout une Croix dor, a cinq mailles dor. Et y avoit cent homes tout vestus de noir, & portoint chacun une torse, & XXX. homes, qui estoint vestus de blanc, qui allerent a lencontre du corps de noble Roy Richard, & fut amenés a Saint Pol a la maistre Eglise de Londres, affin que ils crussent pour certain, que il fuit mors.* Alterum hujus Operis seu Chronici Gallici D. Balduini de Avennis MS. Codicem refert olim ad se missum Philippus Labbeus Jesuita in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine, antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, edita Parisiis anno 1693. in 4. apud Johannem Henault. In Speciminis *Supplemento X.* pag. 362. ad 366. Refert autem Chronici titulum ac singula quæ in dicto MS. Codice capitula 86. continebantur, quod ad ipsum miserat Henricus de Mandreul apud S. Quintinum in Veromanduis causarum

patronus atque San-Simonici Ducatus Sallirus. Titulus Codicis hujus hic est, *Ce sont Croniker estraités & abregiés des livres Monseigneur Bauduin des Adresnes, fil jadis la Comtesse Marguerite de Flandres & de Hainau, qui fut moult sages hom, & en assembla de plusieurs liens, & de plusieurs livres, & ce sont le capite, dont c'ils livres parole. Cap. premiers. De la formation Adam & Evain.* Constat capitibus LXXXVI. quorum ultimum pag. 365. in *pugna Cortracensi* terminatur: Codex autem Lugdunobatavus nullam capitum habet distinctionem, sed Chronologica procedens serie, amplior videtur, atque usque ad annum 1399. protenditur. Ex aliquo opere Latine scripto, *Historiam Genealogicam Comitum Hannoniæ, & aliorum procerum cum his sanguine junctorum*, quæ olim MS. extabat Parisiis apud Andream Duchesnium, atque Bruxellæ etiam apud Chiffletios, edidit anno 1666. Parisiis in 4. apud Carolum Savreux, Lucas D'Acherius tomo VII. *Spicilegii* pag. 584. Eandem hanc *Historiam Genealogicam Comitum Hannoniæ, aliorumque Principum*, anno 1693. Antwerpiæ in fol. apud Knobbarum, edendam curavit ex MS. Codice Chiffletiorum Jacobus le Roy, qui perperam gloriatur se primum hanc *Historiam Genealogicam Comitum Hannoniæ* evulgasse, quam jam ab anno 1666. ex MS. Codice Duchesnii ediderat loco citato Lucas D'Acherius, annis XXVI antequam dictus le Roy hoc aggrederetur. Erronee refert Balduinum de Avennis ad annum 1285. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403. pag. 262. atque scripsisse Latina lingua.

„Balduinus Avennensis sub annum 1285. „idiomate Latino scripsit *Historiam Genealogicam Comitum Hannoniæ & aliorum Procerum*, „quæ Gallice & Latine extat MS. Parisiis apud „Andream Quercetanum, & Bruxellæ apud „Chiffletios. Ex Balduini opere Enguerranus „Dominus de Coucy, Oisy, & Montmirel, „genealogiam familiæ de Coucy & Dreux de„sumi, & usque ad annum MCCCIII. pro„duci mandavit hoc titulo, *Le Lignage de Cou„cy & Dreux*. Meminit ejusdem Valerius An„dreas in Bibliotheca Belgica verbo *Balduinus* „*Avennensis*, his verbis, Balduinus Avennen„sis, Hannonius, sub annum 1289. ad quem „usque, initio ducto a Carolo Duce Lotharin„giæ, fratre Lotharii Regis, deduxit *Chroni„nicon* seu *Historiam Genealogicam Comitum* „*Hannoniæ & aliorum procerum*. Legitur La„tine & Gallice, sed Gallicum exemplar Lati„no plenius est, ideoque merito dubites, an „Gallicum sit translatum in Latinum, an vero „e diverso. Ex hoc autem Balduini opere, ut „in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* obser„vat Aubertus Miræus, Enguerranus Domi„nus de Coucy, Oisy. & Montmirel, *Gene„alogiam de Coucy & Dreux* desumi, & ad an„num MCCCIII. produci mandavit hoc titulo, *Le Lignage de Coucy & Dreux*.“ Laudat utrumque opus Andreas du Chesne in *Genealogia Luxemburgica* parte 3. cap. 2. pag. 36. Fallitur autem Valerius Andreas cum aliis, dum Balduini ætatem anno 1289. assignat, quem constat fuisse filium Margaretæ Maleanæ, Comitissæ Flandriæ & Hannoniæ, quæ anno 1404. die 16. Martii mortua legitur. *Genealogiæ*, de quibus supra, merito compilatæ & excerptæ dicuntur *Ex majori opere Chronicorum Hannoniensium Magistri Balduini de Avennis*, atque ita inscribuntur Tomo VII. *Spicilegii Dacheriani* p. 584. *Genealogiæ ex Chronicis Hannoniensibus recollectis per Magistrum Balduinum de Avennis*. Incipiunt a Carolo Duce Lotharingiæ, his verbis: *Carolus Dux Lotharingiæ, frater Lotharii Regis Francorum, duas habuit filias, Ermengardem & Gerbergam. De Ermengarde natus est Albertus Comes Namurcensis, qui genuit Albertum ei succedentem, & Henricum Comitem de Durbio* &c. Finiunt autem in filiabus Domini Balduini de Crekui, quas quatuor fuisse narrat, & quarum Genealogiam profert. Atque etiam in Willelmo Castellano S. Audomari & Johanne de Ipra, qui fuit hæres Castellaniæ S. Audomari, & Comitatus de Faukemberge, cujus sex fratres commemorat. Quantum autem conjecturis assequi datum est, non tam proprio marte *Chronicon* ac *Genealogias Comitum Hannoniæ* composuit Balduinus de Avennis, quam excerpsit vel in Gallicam linguam transmisit ex Opere Latino ac majori, quod paullo ante composuerat Jacobus Guisius Ordinis FF. Minorum, Montibus Hannonicis oriundus, de quo supra ad annum, post plures alios loquuti sumus, 1380. Istud facile tam ex titulo *Chronici* allato, quam *Genealogiarum* colligi potest, vixit enim citatus Jacobus Guisius ad annum 1398. quo scribens mortuus legitur. Orditur quidem Codex Jacobi le Roy quem Bruxellis nactus est una cum *Chronico Alberici Trium fontium Monachi* Ordinis Cistercii, eodem modo ac Dacherianus Codex a Carolo Lotharingiæ Duce seu ab anno 977. uel circiter. Cessat autem Dacherianus in cap. 32. pag. 49. editionis hujus secundæ, quæ Dacherianæ editioni capita quatuor 33. 34. 35. & 36. ad pag. 54. adjicit, unde Codex Chiffletianus seu Bruxellensis Gallicano integrior fuit. Capita autem 33. pag. 51. Genealogiæ suæ mentionem Balduinus de Avennis amplam facit, se nempe *nupsisse secunda filia Thomæ de Couchi Domini de Verrino, quæ ei peperit unam filiam & unum filium nomine Joannem. Filius autem Joannes ex Agnete filia Domini Guilelmi de Valencia, fratris Regis Angliæ Henrici IV. ex parte matris, duos genuit filios.* Ex quibus videmus referre ipsum genealogiam suam usque ad nepotes, qui ita usque ad annum circiter 1460. vivere potuerint. Meminit *Balduini de Avennis* Lucas Acherius in Præfatione ad *Spicilegii* Tomum VII. p. 18. cum aliis, de quibus supra egimus.

TITUS

1420 TITUS LIVIUS, natione Italus, patria Ferrariensis, dictus in MSS. Codicibus *de Filonisiis* vel *Frulovisiis* anno 1420 & sequentibus floruit, ac nomen posteris commisit, *Vitam Henrici V. Angliæ & Galliæ Regis*, scribendo, quam Henrico VI. illius filio & in regnis præfatis successori dedicavit, qui Patri ab anno 1412. successit per annos XXXIX. ad annum 1460. Extat inter MS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum regni ejusdem insignium bibliothecarum Codice 5525. in MSS. Codicibus Collegii Armorum apud Londinum Codice 100. *Vita Regis Henrici V. per Titum Livium Ferrariensem*, ubi de Joanne Oldcastel milite, cum Commentariis ad marginem. Et in Cottoniana Bibliotheca, sub effigie Claudii litera E. Codice 3. num. 9. *Invictissimi Anglorum Franciæque Regis Henrici V. ad ejus filium Christianissimum Regem Henricum VI. Vita per Titum Livium de Filonisiis, Ferrariensem.* Num. 10. *Ejusdem elogium Episcopi Pathoniensis & Wollensis, versibus hexametricis.* Et inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1470. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 193. *Vita invictissimi Anglorum Franciæque Regis Henrici V. per Titum Livium de Frulovisiis.* Mentionem facit hujus auctoris Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* parte secunda, quæ *de Scriptoribus incertæ ætatis* est, litera T. p. m. 726. cujus nomen suppositum *Titi Livii* male arbitratur.

1420 JOANNES SHYRBURNUS, natione ut videtur Anglus, atque ex *Fratris* nomine præmisso Operi, Ordinem aliquem fratrum Mendicantium professus, circa annum quoque 1410. & 1430. vixisse creditur. Extat inter MSS. Codd. Hibernicos Cod. 4. *Chronicon Britannorum Joan. Shyrburne ab initio Dardaniorum ad Henricum VI.* Codice 4. Item inter MSS. Codices Oxoniensis Universitatis Codice 1769. in MS. Codicibus Collegii Sancti Johannis Baptistæ litera C. Codice 31. Regnavit autem hic Henricus VI. ab anno 1422. ad 1460. per annos 39. In Bibliotheca Hibernica Codice 4. inscribitur *Chronica Britannorum ab initio Dardaniorum ad Henricum VI. Angliæ Regem, auctore fratre Johanne Shyrburne* (ut constat ex MS. exemplari ejusdem Chronici in Collegio D. Johannis Baptistæ Oxonii, ad cujus calcem hæc sunt verba, *Frater Jo. Shyrburne me fecit fieri.*) In initio Libri hæc nota occurrit, *Liber Monasterii Glastoniensis, ex bibliotheca Guilielmi Cambdeni*, 4to. charta.

1420 GERARDUS MACHETUS, CASTRENSIS EPISCOPUS, in Collegio Parisiensi Navarrico Theologiæ studuit, & anno 1411. Magister effectus est, post ea aulæ Regiæ quam plebi notior fuit, & a Carolo tunc regente, tum etiam Rege Francorum nominis VII. vix unquam secessit. Hinc Parisiensis Ecclesiæ Canonicus locum occupavit & præbendam possedit, qui vix unquam inter Canonicos ob regias occupationes conversatus est. Concilio, quod ad damnandos Joannis Parvi errores anno 1408. collectum est, Lutetiæ interfuit, ubi & sententiam suam protulit. Sub annum 1414. Jo. Gersonius, suum in Academia Parisiensi Procancellarium Machetum istituit, cum esset ad Constantiense Concilium profecturus. Hunc Carolus Delphinus, qui Carolo patre laborante Galliam procurabat, Machetum elegit, cui Christiano ritu confiteretur. Carolus Delphinus ad regnum sub Caroli VII. nomine elevatus, in Canonicorum Carnotensiũ numerum Machetum ao. 1422. retulit. Sed cum suum pœnitentiæ administrum idem Delphinus & postea Rex mutare nollet, eum in aula fere semper retinuit, & ad obeunda quæque pietatis & religionis officia adhibuit. Omnium instar unum refero, quod Æneas Silvius seu Pius secundus attigit Libro sexto Commentariorum, *Castrensi Episcopo Confessori suo inter Theologos apprime docto puellam examinandam committit.* Reliqua quod spectat, Machetum fuisse moribus honestis & gravibus, & qui ab seculi vitiis abhorrerent, vir antiquæ probitatis Clamengius in Epistolis 116. & 119. confirmat. Valuit facilitate scribendarum Epistolarum, ut ostendit *Codex MS. complurium illius Epistolarum*, imo plus quam *quadringentarum*, quas ad diversos conscripsit, in Bibliotheca Sancti Martini Turonensis asservatus. Harum plurimarum Synopsin affert Joannes Launoïus in *Historia Regis Navarræ Collegii* parte 3. pag. 534. & sequentibus, quæ ad historiam istorum temporum Gallicanam conducere multum possunt. Factus tandem Gerardus Machetus Episcopus Castrensis anno 1444. obiit anno 1448. die 17. Julii. Multa de eo Joannes Launoïus loco citato, a quo hæc habuimus. Pauca fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 2. pag. 500. in Episcopis Castrensibus. Ludovicus Ellias du Pin in *Bibliotheca nova Ecclesiastica* tomo 12. seculo XV. p. 84. editionis Amstelodamensis ao. 1700. in 4.

ANTONIUS RAMPELOGUS, natione 1420 Italus, patria Neapolitanus, Doctor Theologus Ordinis Eremitarum divi Augustini, claruit anno 1410. & sequentibus. Edidit Librum, quem *Bibliæ figuras* inscripsit, quem & plerique adolescentiores Concionatores versarunt. Sic (inquit Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 1. pag. 104.) Mirum, „ videri potest, doctos alioquin & eruditos The-„ ologos, non ante obviam ivisse ei malo, quod, „ inde prodire poterat, dum minime emenda-„ tus in manus omnium veniret. Et eum qui-„ dem Sixtus Senensis, *rude* vocat *Opusculum*, „ quod Author scripsit ad Ordinis sui Schola-„ sticos in Neapolitano Cœnobio. Sed in quo-„ nam ruditas illa se proderet, non attigit. „ Quin addidit in eo pene omnes Sacras Histo-„ rias trito eloquio moraliter exponi, singulas-„ que ad singulas morales virtutes, accommo-„ dari. Initium operis est, *Religiosis viris in*, „ *Christo*

„*Christo* &c. Cæterum ut aliquam Rampelogus in Concilio Constantiensi adversus Hussitas sub Sigismundo Imperatore anno Domini 1418. navavit operam: Sic minus culto illo ævo, nec tam ab Hæreticis qui postea exorti sunt oppugnato, errores ejus a quibus periculum imminebat, attentius non sunt observati. Quare *Rampelogi* lapsus reservati in hæc tempora, ut liber ille, nisi expurgatus, prohibitus sit a Clemente VIII. Pontifice maximo, in Judice ultimo Romano librorum prohibitorum. Quod autem modo generatim de eo dicendum est, haud dubium, quin multi errores graves ab Ecclesia proscripti, in eo comperiantur. Tollenda vero, sunt nonnulla ex Magistro Historiæ Ecclesiasticæ desumpta, absurda quidem illa, ac potius fabulas quam Historias sapientia. Plura item quæ aliter in Bibliis habentur, quam quomodo *Rampelogus* posuit. Quin & divina Scriptura parum sincere, nonnunquam autem male citata, & sine annotatione locorum ipsius: Apocrypha quoque, qualia afferabantur e libro tertio Esdræ, atque ex Epistolis Cyrilli Hierosolymitani ad divum Augustinum, de morte sancti Hieronymi. Hæc omnia quæ c erte plurima sunt, aut emendanda vel expungenda sunt, ne quis tyro Concionator illa amplius posthæc, tanquam certa & explorata populo proponat. Atqui & Sententiæ Doctorum ex Patribus allatæ, conferendæ sunt cum ipsorum Exemplaribus sive operibus, quamvis neque omnes, quas ille citat, inveniantur. De solæcismis & barbarismis plurimis, pluribusque obscœnis, quæ in eo sunt, nihil dicerem, nisi hæc etiam materiam sacram haud decerent. Quod si hisce mendis expurgatus sit, non mediocre commodum ex ejusmodi opusculo existeret. Quamvis (ut dicam, quod sentiam) fortasse præstaret alterum de novo condere, quam tot cicatricibus obductum, illud recudere. Magna sane censura hujus operis ab Antonio Possevino, quod Parisiis anno 1511. in 4to a Judoco Badio Ascensio impressum fuit. Argentorati anno 1516. Lugduni annis 1558. & 1570. atque alibi etiam. Hæc convenio & etiam multis aliis aliorum temporum sermonibus & homiliis atque concionibus. Agunt de *Antonio Rampelogo*, præter Antonium Possevinum censorem rigidum, Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 483. pag. 272. Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano*.

1420 LUPUS DE OLIVETO, natione Hispanus, vivebat anno 1420. factus Prior Generalis Eremitarum sub nomine divi Hieronymi institutorum, frater autem sancti Vincentii Ferrerii Valentini, Ordinis fratrum Prædicatorum, quem celeberrimum concionatorem hac pariter ætate floruisse scribunt. Hic Lupus ut pote primus institutor Eremitarum Hieronymitanorum, condidit *Regulam sui Ordinis, Sermonesque de tempore & de Sanctis*, ut ajunt. Habetur hæc Regula ex variis operum divi Hieronymi fragmentis deflorata, & a Martino V. Romano Pontifice approbata, tomo IV. Erasmianæ D. Hieronymi Operum editionis, & tomo IX. *Operum divi Hieronymi* editionum pene omnium, nempe Coloniensis anno 1618. Parisiensis 1623. & Romanæ, Mariani Victorii Amorettæ Beatini Episcopi cura procuratæ & recognitæ. Obiit Romæ Lupus de Oliveto, qui sepultus est ante Altare sanctorum Bonifacii & Alexii, in Ecclesia Monachorum Hieronymitanorum, quorum *Præpositus* in epitaphio nominatur. Plura de illo Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, pag. 558. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, pag. 45.

MAGISTER THEODORICUS ENGELHUSIUS, Einbeccensis Presbyter, initio seculi decimi quinti floruit & in Bronswicensibus regionibus doctrina emicuit. Hujus *Chronicon ab orbe condito ad sua usque tempora deductum*, Basilius Joannes Heroldus edere primus fortasse cogitavit. Nam Reginæ Angelorum Elisabethæ *Marianum Scotum & Martinum Polonum* anno Domini 1559. dedicans, *brevi se cum alios, tum Hermannum Ædituum & Conradum Engelhus*, ex Oporiniana officina daturum spondet, *Conradum* pro *Theodorico* per errorem appellans. Postea *Guilielmus Budaus*, medicus apud Halberstadenses, vir doctus, ex Bibliotheca *Michaelis Neandri* hunc auctorem dare voluit, sed ejus proposito per difficultatem temporum intercepto, Helmestadii tandem A. D. 1671. editionem procuravit in forma quam quartam vocant, vir doctissimus Johannes Joachimus Maderus, de harum regionum antiquitatibus bene meritus. Usus est quatuor MSS. Codicibus, quos *Conringius, Lansbergius, Hofmannus & Finckius* suppeditarant, quorum unus semper alio fuit perfectior: ut appareret, ipsum auctorem in limando opere suo studium posuisse. Sed neque *Maderus* satis Codices, quos habebat, adhibuit (quod mirum) & Comingianum fortasse serius nactus est. Ab eo tempore alia reperta sunt exemplaria, adhuc productiora. Nam cum author vitam ad annum usque 1434. produxerit, ut mox dicemus, opus ipse suum continuare potuit: quanquam alium non adjecisse aut mutasse quædam, affirmare minime ausim. Binæ ergo ad me continuationes pervenere, una pertingens ad annum 1418. altera & quantum constet novissima, in anno 1433. finiens, quæ conveniunt in quibusdam, in aliis differunt. Prior brevior pag. 84. sumpta est ex MS. Hofmanniano *Martini Poloni*, ubi post hæc verba: *Anno Dominicæ Incarnationis M CCC XXXVIII. Papa Johannes obiit in Avinione die 4. mensis Decembris, quæ fuit dies Dominica, littera Dominicali currente B. Pontificatus sui anno XIX. vacavitque post mortem ejus sedes diebus XVI.* *Et Dominus Jacobus, Presbyter Cardina-* 1420

Cardinalis tituli S. Priscæ, Magister in Theologia, Ordinis Cisterciensis, in Papam est electus, elegitque vocari Dominus Benedictus Duodecimus. Sequuntur per multas paginas, quæ in Engelhusio Maderianæ editionis extant pag. 268. & quidem ex abrupto, ne sensu quidem integro, multo minus nexu temporis observato. Nam cum *Engelhusius* narrasset, *Petrum de Corbario* a Ludovico Bavaro Papam factum, subjicit: *Qui se nominavit Nicolaum quintum. Iste autem, quod fuit uxoratus, & uxor eum repetiit, publice sententiatus est ad matrimonium redire.* At librarius in continuatione *Martini*, post supradicta statim incipit a verbis: *Nicolaum Quintum. Iste autem &c.* Cætera omnia sequuntur in MS. prorsus, ut in Engelhusio edito habentur, nisi quod in fine, continuatiuncula nostra prior adjecta est, quam nunc pag. 84. edimus. Aliam aliunde suppeditatam pag. 85. editam, in antiquis Schedis nostris reperimus. Prior in plerisque convenit cum ea, quam operi ipsi subjecimus, ex MS. Codice Engelhusiano Rivini *Gerardi Molani, Abbatis Lubecensis* desumptam. Decreveramus initio non nisi continuationes illas bina, huic Collectioni inserere, quas numero XII. hujus Tomi posuimus. Sed cum postea inspecto Conringiano Codice, animadverterem multa in eo contineri, quæ in editione *Maderi* non extabant: non paucæ etiam additiones in Codice MS. suppeditarentur, qui fuit *Conventus fratrum Minorum Gottinentium*, nunc vero in Bibliotheca Ecclesiæ Sanctæ Crucis Hanoveræ asservatur, quem Pater *Johannes Georgius Eccardus, Professor nunc Historiarum Helmestadiensis*, a Phocæ temporibus usque ad finem cum edito contulit, & ex his aliisque, opus pene quarta parte auctius dari posse: incudi totum reddere, e re visum est, ut heic num. LI. a pag. 977. ad Tomi ipsius finem.

Apparet, Codicem *Gerhardinum* vel *Molonianum* 1418. absolutum, *Conringianum* 1421. *Finkianum* 1423. & *Crucianum* seu *Ecclesiæ S. Crucis* 1432. vel 1433. Et dicendum est, vel auctorem ipsum, vel eo adhuc vivo alios, quædam subinde adjecisse, omisisse, ampliasse, contraxisse. Conringianus Codex aliquando in notis marginalibus designabitur nota C. Gerhardinus nota P. Crucianus Cr. Quæ Maderianæ editioni adjecta sunt, *uncinis* [- - - -] includi voluimus, quos passim Typothetæ per negligentiam in parentheses (- - - -) mutaverunt.

Theodoricum Engelhusium Guilelmus Budæus in *Vita Alberti II. Episcopi Halberstatensis* 1624. (pag. 98.) & Henricus Meibomius in *Catalogo Scriptorum*, Buntingio a se recensito præfixorum, *Eimbeccensem* vocant, notante Madero: sed qui vel ideo dubitat, quod *Johannes Leznerus*, vir si quis alius, in hujusmodi curiosus ac diligens, Libri VI. parte I. cap. 8. *Chronici Dasselensis*, ubi data opera *de claris Einbeccensibus* agit, nullam ejus mentionem facit. Sed reperio, Leznerum sive posteriorum tantum mentionem facere, qui ipsius tempora attingebant. Denique tollit dubitationem, Epitaphium de quo, mox, ubi diserte: *Ex Eimbecke natus, Engelhus cognominatus.* Sane tunc *Theodori vel Theodorici* &c. In Codice MS. *de reformatione Monasteriorum*, qui Johanni Buschio inscriptus, a nobis in hoc Tomo editus, *Engelhusii elogium extat* lib. I. cap. XI. pag. 489. his verbis: *Magister Theodericus Engelhusen, Donatus Presbyter Monasterii* Wittenborch *habitum suscepit, Judica anno Domini 1434: & obiit eodem anno post Godehardi, sepultus in Wittenborch. Hic vir Saxoniæ lumen fuit.* Subjicitur deinde Epitaphium, quod heic emendatius iterum subjiciemus, cum in edendo Codicem secuti fuerimus.

Mortales cuncti, moveat post tumba sepulti
Saxonis eximii, vermibus expositi.
Anno milleno quadringenteno triceno
Et quarto Domini post festum mox Godehardi.
Cui quondam nomen *Tidericus* contulit omen,
Ex *Eimbeck* natus, *Engelhuis* cognominatus:
Qui clarus ingenio, moribus, ore, stylo:
Divinum cultum dilexit crescere multum,
Scriptis magnificus qui fuit atque pius,
Terra sed ossa tegit: animam, qui tartara fregit,
Lucis perpetuæ collocat in requie.

Henricus Meibomius junior, vir celeberrimus, *Madero* referente, viderat exemplar Chronici Engelhusiani *Ultrajecti*, ex Codice vetusto anno 1643. descriptum: descriptorque vir haud dubie eruditus, in fronte notaverat, *visum sibi Commentarium Engelhusii in Psalmos & Vocabularium.* De *Commentario* nihil mihi compertum: at *Vocabularium* erat inter Codices, qui in Bibliotheca Ædis Sanblasianæ Brunsvicensis adhuc anno 1602. extabant, quod ex Catalogo apparet, quem tunc *Paulus Chemnitius* confecerat, & antiquitatibus Ecclesiasticis Urbis Brunsvicensis nuper (A. D. 1707.) Germanico sermone editis, *Documentorum adjectorum* pag. 78. inseruit vir doctus, *Philippus Julius Rethmeter*, in patria urbe divini verbi Minister, parenti adjunctus, ubi pag. 81. num. 9. Legitur *Passio Domini cum concordantiis Evangelistarum, Quorundam Evangeliorum expositio, Vocabularius* Engelhusinus *dictus.* Quæ opinor, in unum eundemque Codicem compacta erant, & spero non esse amissum, sed fortasse inter Codices Bibliothecæ Augustæ Guelfebytanæ reperiendum. Hæc de Engelhusio, qui vir suo tempore clarus, Vossio, Sandio ejus annotatori, Cavæo, aliisque parum cognitus fuit. Du Pin doctissimus *Bibliothecæ Ecclesiasticæ* autor, vocat *Theodoricum ab Ingelhusen*, & cap. 4. *Rerum Seculi XV*, ejus mentionem faciens, lapsu memoriæ credo, *Canonicum, Hildesiensem* appellat. Joannes Buschius, vel quisquis elogii paulo ante allati

allati scriptor est, Engelhusium vocat *Donatum Presbyterum Monasterii in Wittenborch*, id est, qui cum esset Clericus secularis ut vocant: sese in Monasterium dederat: ut credo, cum morti vicinus, ac rerum seculi pertæsus esset. Nam mox obiit & WitteborgenseMonasterium tunc ob reformationem celebrabatur.

Cognato, sed paulo strictiore sensu *Donati* vox apud Ducangium in *Magno Glossario* accipitur nempe *de Laico, qui se & sua Monasterio offert:* sed hoc loco *Presbyter* apud Monasterium *Donatus* fit. Et *Johannes Buschius* noster lib. I. cap. 5. pag. 481. Donatos apud Monasterium agentes, opponit *investitis*, qui religionis vestem sumpserunt. *Investivimus*, inquit, *unum Sacerdotem - - - - duos de præfatis fratribus - - - - Reliquos quos ibi invenimus, in Donatos & familiares recepimus.* Idem Buschius lib. I. cap. 44. pag. 842. ubi de Bursfeldensi reformatione, hæc de Engelhusio habet, quæ adscribere operæ pretium videtur. *Venerabilis Abbas de Clieta Johannes, in Abbatem de Bursfelda post hac assumptus - - - - zelo Dei & Sanctæ reformationis valde accensus. Nam propter hanc Windesem & Bodike, Ordinis nostri Monasterla visitavit, cum viro magnifico Magistro Dirico Engelhuys, in Wittenborch in extremis vivente, ut veram regularis observantiæ formam oculata fide conspiceret.* Chronicon Engelhusianum, etsi passim fabulis refertum, non pauca tamen utilia suppeditat, aliquando etiam allegat & excerpit Scriptores, qui hodie non habentur, ut *Hugonem Bambergensem, Theodoricum Longum, Chronicon Amelunxbornense*, ut alias nationes taceam. Ut ex *Gervasio* decimi tertii, ita ex *Engelhusio* decimi quinti seculi doctrinam, saltem qualis in Germania erat, velut in Speculo intueri licet. Et de rebus harum & vicinarum regionum haud pauca nobis suppeditat, quæ alibi non habentur. Ejusdem Engelhusii *Genealogia lineæ Ducum Brunsuicensium in Einbeck, seu lineæ Grubenhagicæ*, huic ipsi Tomo jam supra inserta est num. IV. pag. 20. Hæc suppeditavit verbotenus Godefridus Guilielmus Leibnitius Introductione in Collectionem *Scriptorum Historiæ Brunswicensi inservientium* Tomo 2. num. LI. paginis 54. 55 & 56.

1420 HERMANNUS DE LERBECK, natione Germanus, ex Ordine fratrum Prædicatorum, apud Mindenses in Conventu sancti Pauli observantiam hanc professus, circa annum 1420. clarus, composuit *Chronicon Comitum Schawenburgensium* ab Adolpho Comitum istorum primo sive ab anno 1030. usque ad Othonis Schawenburgensis obitum hoc est ad annum 1414. Illud primum illustratum *notis* evulgavit Henricus Meibomius Francofurti anno 1620. in 4to apud Ruland. Extat quoque in *Collectaneo Historiarum Germaniæ* Henrici Meibomii Tomo I. pag. 495. quod Lipsiæ anno 1688. in fol. voluminibus duobus impressum apud Fridericum Gleditsch. Hic idem Hermannus de Leerbecke mihi videtur vixisse diu, atque etiam in Scripta redegisse *Chronicon Episcoporum Mindensium*, quod orditur ab Hercumberto primo Episcopo, ac procedit usque ad tempora Wilbrandi de Hallermont XLIX. Episcopi qui electus fuit anno 1406. die 24. mensis Octobris & mortuus est anno 1437. in vigilia Nativitatis Domini in Castro Petershagen, sepultus ante altare Sancti Petri, cum præfedisset annis triginta & tribus mensibus. Imo Chronologiam hanc scripsit usque ad ætatem Alberti de Hoya, qui fuit quinquagesimus Mindensis Episcopus, atque anno 1461. Domini mortuus scribitur, *ipso die Mariæ Magdalenæ ex peste, hydropisi nimis grossus:* atque ut inquit ad Chronici finem Leerbeck, *sic quando exhalavit Spiritum, statim tumulatus est, & elegerunt D. Johannem Stichten de Monasterio Sancti Pantaleonis qui fuit Coloniæ, & fuit hic tempore discordiæ Prior, & fuit similiter repulsus. Et fuit post electus & consecratus in Abbatem anno quo supra LXI. Dominica die ante festum Sancti Mauritii, & ista sufficiant.* Edendum curavit Godefridus Guilielmus Leibnitius anno 1710. Hanoveræ apud Nicolaum Forsterum in folio, Tomo 2. *Scriptorum qui res Brunswicenses illustrant* num. XIX. pag. 157. ad 210. Meminit hujus *Hermanni* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 4. pag. 545. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Litterariæ* Cavi ad annum 1414. pag. 92.

MARGARETA ABBATISSA Cœnobii Wasthenæ; Cisterciensis ut opinor Ordinis in Suecia, circa annum 1420. vixit, quæ composuisse legitur *Vitam Sanctæ Brigittæ ex regia stirpe Suecica*, idiomate Suecico, annis circiter quinquaginta postquam illa ad superos transiverat, id quod anno 1373. die 23. Julii contigit. Nimirum postquam illam in Sanctarum album retulit. Bonifacius IX. anno 1391. ejusque canonizationem confirmavit Concilium Constantiense anno 1415. unde ætas liquet, qua Margareta ista scripserit. Eduxit hanc *Vitam* ex MS. Codice Suecico seu Gothico, atque in linguam latinam translulit notisque illustravit Erricus Benzelius Upsaliensis academiæ Bibliothecarius, ac postmodum Upsaliensis Ecclesiæ Archiepiscopus, quam Upsaliæ anno 1711. prælo paratam habuit. Ita testatur in *nuntiis litterariis* mensis Julii pag. 112. *Diarium Eruditorum Parisiense* anni 1711. pagina citata editionis 1711. Amstelodamensis in 12mo. Nullus quem cognoverim, Abbatissæ hujus mentionem facit. 1420

ANONYMI *Historia duplex Erffordiensis* seu *Chronicon Erfordiense* duplex extat ad calcem primi Tomi *Scriptorum rerum Germanicarum* quos tribus distinctos voluminibus edendos Francofurti curavit Joannes Pistorius Niddanus, 1420

danus, anno 1583. & sequentibus, recusos postea iterum ac tertio eadem forma in folio, ibidem annis 1613. & 1645. Primum extat ab ipsis Noachi posteris pag. 908. ad pag. 955. Secundum quod auctoris ejusdem creditur ac primi amplioris epitome tantum est, pag. 956. ad 960. In his duabus Historiis seu Chronicis agitur maxime de Lantgraviis veteribus Thuringiæ & de Marchionibus Misniæ, quorum genealogiam & successionem a capite Chronici 12. persequitur studio accurato usque ad annum M CCCC XXVI. quo Chronicon primum desinit. Ab anno itaque 1080. istorum Principum seriem ac telam prosequitur, dignusque videtur, qui apud cordatos homines fidem mereatur. Author utriusque Historiæ fuisse videtur Monachus Ordinis divi Benedicti, ut patet ex Historia prima cap. 13. pag. 914. ubi agens de Ludovico II. Thuringorum Comite, sic loquitur. "Item genuit tres filias, una duxit „Comitem de Saxonia, Kunegund nomine, quæ „ædificavit monasterium in Kaldeborne prope „Sangirhusen. Alia duxit Comitem de Wy-„mar, tertia Comitem de Wildense. Iste Lu-„dovicus ædificavit castrum Wartberus pro-„pe civitatem Ysenach, & in partibus Orien-„talibus castrum Nuenburg & civitatem Fri-„burg, & idem Ludovicus pœnitentia ductus „de homicidio ædificavit monasterium in „Reinhartzborn in Schypsit, in Sangirhusen. „Similiter uxor pænitentia facta, fundavit mo-„nasterium Oldesleiben. Acta sunt hæc anno Domini MLXX. Fuit igitur hic scriptor Anonymus, Monachus Cænobii de Kaldeborne prope Sangirhusen, Ordinis divi Benedicti. Idem testatur *Historia Secunda* de veterum Thuringiæ Landgraviorum origine, liberis, rebus gestis & summatim de omnibus a pag. 956. ad „960. pag. 957. his verbis. Tandem iste Lu-„dovicus monitu uxoris & suasu Conradi Mo-„nachi in Hilsenburg, & primi Halberstatensis „Episcopi Gyslberti, cœpit diligenter perqui-„rere, ubi locum aptum Monachis & pro mo-„nasterio congruum invenire posset. Unde a „quodam luti figulo, Reinhero nomine, pro-„pe fontem domunculam habente, a quo & „post illa locus per compositum fortius est „vocabulum, scilicet a Reginhero & fonte, id „est *Reginhersborn:* a villicisque villulæ didi-„cit, omni nocte duo luminaria clarissima, u-„num ubi Monasterium, & aliud ubi capella „beatæ Virginis post structa sunt, clarius radi-„ando apparere. Idem pag. 958. Anno igitur „M LXXXV. Comes Ludovicus tam Felicis „negotii initia faciens, cives sui juris Sanctis-„simæ Dei genitricis Mariæ, Sanctoque Joanni „Apostolo & Evangelistæ, de propria hæredi-„tate sua offerens, locum scilicet qui Rein-„hersborn dicitur, situm infra Sylvam Leiba-„ne, vendidit in potestatem Gyslberti viri re-„ligiosi, ubi regali monasterio constructo, Mo-„nachi juxta regulam Sancti Benedicti congregarentur. Hæc de miranda hujus Monasterii fundatione Anonymus Monachus de Kaldeborne, vel Reinersborne, quibus fidem nullam, ut ingenue loquar, adhibeo. Ultra annum 1426. pag. 955. Chronicon primum non procedit, quo describitur. Thuringorum atque Misnensium contra Bohemos civitatem Ussig obsidentes bellum atque pugna, in qua ab utraque parte interfecta fuerunt 7000. virorum, tam in pugna quam in fuga: unde Anonymum hac ætate claruisse concludimus.

XICHO RICIUS POLENTONUS, qui„ 1420
aliis simpliciter *Sicco Polentonus* dicitur„ civis Patavinus ac Reipublicæ ejusdem Secretarius fuit. Verum autem nomen *Xicho*„ esse, Codex MS, Cartariensium, indicat, quæ„ apud Clarissimum Virum Felicem Osium, in„ quo publicum instrumentum legitur, quod„ nomine D. Francisci junioris de Cartaria an-„no 1405. confecit, cujus subscriptio est istius„ modi. *Ego Xicho filius D. Bartholomæi Palen-„toni, civis & habitator Padua, in quarterio„ Pontis Molendinorum, in Centenario & contra-„ta S. Firmi, publicus Imperiali authoritate no-„tarius præmissis nominibus rogatus, fideliter„ scripsi & propria manu subscripsi.* Idem an-„no 1413. XV. Augusti Cancellarius Patavinus„ fuit, quo nempe tempore urna Titi Livii re-„perta est, quemadmodum Guillelmus Orga-„tellius refert, ubi de Tito Livio sermo est. In-„habitavit ædes quæ Albertini Mussati fue-„rant, ut ipse in Vita Mussati refert. *Epistolam*„ ejus quæ de Livii ossibus se præsente reper-„tis agit, summus vir Laurentius, Pignorius„ publici juris fecit, in egregio *Originum Patavi-„narum* Opere, Italice quidem scripto, sed quod„ propediem, uti & *Antenorem* suum Latine„ cum luculento auctario, reddere cogitat.„ Quæ ubi lucem viderint, melius sane omnes„ antiquitatis genuinæ amatores intelligent,„ quanto ille censoria notarit virgula pluri-„mos errores eorum, qui antehac eodem de„ argumento egerint. Fuit vir pro seculo quo„ vixit eruditus, ac præter *argumenta in Ora-„tiones Ciceronis*, quæ Oxonii in Bibliotheca„ Balliolensi MSS. supersunt, scripsit *Cati-„niam*, opus quod ad jocum & risum factum„ est. Item *Librum de ratione studendi, Confes-„sionem Christianam, Epistolas ad diversos, & Li-„brum exemplorum* etiam composuit. Item„ volumen magnum *de Scriptoribus illustribus„ Latinis*, quod libris 22. constat. Illud Po-„lydoro filio suo, anno Christi 1433. dicavit„ cujus MS. exemplar habuisse se ait Berardinus„ Scardeonius libro 2. *de rebus Patavinis*. Lau-„rentius etiam Pignorius Gerardo Joanni Vos-„sio indicium fecit, vidisse se apud Casparem„ Crivellarium, bibliopolam & typographum„ Patavinum, atque id typis minutis in grandi„ charta exaratum, atque alibi apud Patricium„ Patavinum. Etiam in litteras retulit *Vitam„ ac miracula B. Antonii Confessoris, Vitam B. An-„tonii*

„tonii Peregrini, *Vitam Beatæ Helenæ Sancti-„monialis.* Laudat virum ab eruditione Pe-„trus Albianus eo opere, quod *Thesaurum* „*Ecclesiæ* inscripsit. Stephanus etiam Pighius „Lib. XVIII. *Annalium Romanorum* ad annum „818. ait *Vitas illas illustrium Scriptorum* ab „Xicchone sive Siccone, ut ipse vocat, ex an-„tiquis & bonis auctoribus collectas videri: „atque in gratiam Historiæ amantium, adscri-„bit ex eodem *Vitam Suetonii Tranquilli*, de qua „judicium suum profert Gerardus Joannes „Vossius Lib. 1. *de Historicis Latinis*, cap. 31. Hæc idem Gerardus Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* parte 4. quæ *de Historicis prætermissis* est, cap. 9. pag. 804. editionis ultimæ, suggesto sibi a Laurentio Pignorio, rerum Patavinarum doctissimo. Floruit igitur ex allatis, post annum 1413. Xiccho Polentonus, quo ad Cancellariatum Reipublicæ Patavinæ promotus est, circa annum maxime 1420. & sequentes, operibus scriptis clarus, cujus opuscula varia adhuc MSS. in bibliothecis extantia, a me annotata sunt. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Cod. 451. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis, Codice notato S. 19. *Xichonis Polentoni argumenta super aliquot Ciceronis Orationes Ejusdem Epistola ad Darium vetustatis cultorem. Expositio super nova Rhetorica Tullii. Super eundem de vera amicitia. Super eundem de Senectute.* Sed longe plura Xicchonis Polentoni in Ciceronem impressa sunt, quam teste Josia Simlero in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, litera *Xicho Polentonus* pag. mihi 689. col. 1. „Xichonis Polentoni Enarratio-„nes in Orationes Ciceronis, antequam iret „in exilium, ad Quirites post reditum, in Se-„natu post reditum, pro domo sua, de re-„sponsis aruspicum, pro P. Sextio, pro M. „Cælio, pro L. Cornelio Balbo, de Provin-„ciis Consularibus, in Catilinariam primam, „in Vatinium, in Salustii orationem contra „Ciceronem, Basiliæ ab Oporino anno Do-„mini 1553. excusæ sunt cum Commentariis „diversorum in Ciceronis Orationes omnes. Addit audivisse eundem Xichonem Polentonum scripsisse *super quatuor Catilinarias Ciceronis Orationes*, ita ille hunc Oratorum principem meditatus assidue est & coluit. Hæc Josias Simlerus, loco citato. De cujus Operibus mentionem amplam facit Franciscus Scardeonius Canonicus Patavinus *de antiquitate urbis Patavii & claris viris*, Basileæ anno 1560. in fol. apud Nicolaum Episcopium juniorem, lib. 2. Classe X. pag. mihi 236. Item in bibliotheca Pataviana Canonicorum Lateranensium S. Johannis. Extant MSS. *Sicconis Polentoni Libri IV. Confessionis Christiana ad R. P. Petrum Donatum Episcopum Patavinum*, Ibidem in bibliotheca fratrum Eremitarum Augustinianorum, *Sicconi Polentonis Liber Confessionis Christiana ad Petrum Donatum Episcopum Patavinum*, 4to in membrana. Juxta Jacobum Philippum Thomasinum in *Catalogo Bibliothecarum MSS. Patavinarum* a se edito. *Modestus Polentonus* J. C. Patavinus Sicconis Polentoni, de quo nunc agimus filius, opus reliquit *de sepulchris virorum illustrium, quæ Patavii visuntur*, ut Vossius idem ex Laurentio Pignorio accepit, qui anno 1490. vita excessit. Ita Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* parte 4. cap. 10. pag. 810. editionis ultimæ. De Sicchone Polentono, Jacobus Philippus Thomasinus in *Catalogo Bibliothecarum MSS. Patavinarum tam Publicarum quam Privatarum*, quem Utini in 4. anno 1639. edidit. Franciscus Scardeonius Patavinus, Presbyter Italus, scripsit Opus *de antiquitatibus urbis Patavii & claris civibus Patavinis*, impressum Venetiis apud Algrisium anno 1558. in folio, quibus additus est *Epitaphiorum Liber eorum, qui Patavii sepulti sunt*, quem opinor esse illud opus *Modesti Polentoni*, de quo proxime loquuti sumus, licet affirmare nolim.

JOANNES DE SCHOONHOVIA, nati- 1420
one Batavus, ita cognominatus ab oppido vel urbecula de *Schoonhovia*, unde originem traxit, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, in Cœnobio quod vulgo *Grœnendal*, Latine *Viridis Vallis* dicitur, prope Bruxellam, in quo Joannes Ruysbrochius primus Prior fuit, vir in sacris literis diu multumque versatus, & sermone compositus, scripsit *Exhortatorium Spirituale* ad Simonem nepotem suum. *De Cursu Monachi* ad eundem. *De Profectu Monachi. Defensorium Joan. Ruysbrochii adversus Gersonem. Sermones varios. Epistolam de contemptu mundi. De passione Domini. Tractatum de spirituali ambulatione. Epistolarum ad diversos Librum I. Sermonem habitum in Capitulo Windeshemensi anno 1413.* dum Monasteria Regularium Brabantiæ eidem unirentur. *Chronicon Ordinis Canonicorum Regularium.* Migravit ex hac vita in Viridi Valle anno Domini 1431. Hæc Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Joannes de Schoonvia* pag. 477. Quorum plurima Opusculorum MSS. extant in Cœnobii Viridis Vallis bibliotheca, atque aliis Canonicorum Regularium Brabantiæ bibliothecis. *Defensorium Joannis Ruysbroehii adversus Gersonem* ab illo scriptum, extat editum inter Opera Joannis Gersonis, tomo 1. editionis Parisinæ 1606. in folio, cum Epistola, qua Gerson eidem respondit. Et in editione Argentoratensi 1514. apud Joannem Cnoblouck, & in aliis editionibus. Extant quoque inter MSS. Codices Ultrajectinæ bibliothecæ, *Joannis de Schoonhovia Tractatus ad Wilhelmum Wriman & de contemptu mundi* num. 244. O. Item *ejusdem Epistola ad Carthusianum quendam*, num. 245. X. ut habet Catalogus Librorum tam impressorum quam Manuscriptorum Ultrajectinæ bibliothecæ, Ultrajecti anno 1670 in folio editus. Atque nullus dubito, quin hi MSS. Codices Ultrajectini spectent ad aliquos tractatus, a Fran-

cisco

cisco Sweertio supra allegatos, sub nominibus aliis atque aliis. Hujus etiam meminit Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 414. verbo *Joannis de Schoonhoven* col. 1. editionis Tigurinæ 1574.

1410 NICOLAUS DE CLEMANGIS, BAJOCENSIS ECCLESIÆ CANTOR, natione Gallus, a Catalaunensi pago, cui nomen Clemangii inditum est sic cognominatus, celebre per totum Orbem hac ætate nomen obtinuit, sicut & Petrus Clamongius Doctor Medicus, quem Nicolaus Epistola 27. matris suæ fratrem & avunculum appellat. Alium quoque fratrem habuit Stephanum, Collegii Navarrici Provisorem. Ipse duodecimo ætatis anno Lutetiam missus, in Collegium Navarrense receptus est, ubi præceptores habuit Petrum Nongentinum, Gerardum Machetum, postea Castrensem Episcopum, & Joannem Gersonem. In quo præclaros in Theologia progressus fecit, eloquentiæ imprimis ac Poeseos studio præ aliis excelluit. Editi de variis Theologicarum rerum monumentis Libri & Epistolæ, tum suscepti pro sancienda Ecclesiæ pace Labores innumeri, effecerunt, ut eum posteri *Doctorem Theologum* nuncuparent: quo nomine nec se unquam dum sese obtulit occasio, nec tablinum Navarricum, nec Scriptores æquales eum insignierunt. Anno circiter 1393 ab Academia Parisiensi Rector institutus est, scribendisque Epistolis adhibitus. Plus operæ ac diligentiæ adhibuit in politioribus Litteris, quibus se mirum in modum delectatum esse Epistola IV. fatetur. Et certe in iis, quæ ad Eloquentiam & Poesim attinent, ita profecerat, ut Exteri crederent, se non Parisiis, sed Bononiæ, Oratoriam & Poeticam artem didicisse. Nunquam ex humilitate Lauream Doctoralem, licet doctissimus, habere voluit. Comparata sibi per Epistolas elegantissimo stylo exaratas fama, a Benedicto XIII. anno 1407. in Curiam Avenionensem evocatus, & a Secretis huic Pontifici adesse jussus est, ubi aliquamdiu mansit, & paullo post Lingonensis Ecclesiæ dignitatem Thesaurariam obtinuit. Cum posset ob nominis famam ac doctrinæ & facundiæ celebritatem assurgere ad dignitates Ecclesiasticas, utpote Regibus & Magnatibus notissimus, nihil tale ambivit, quod, ut totus sibi & Ecclesiæ viveret, scribendo ad pacem illius ac morum depravatorum correctionem procurandam. Nec defuit bonæ Clemangii intentioni invida calumnia. Anno enim circiter 1408. cum Benedictus XIII. Galliæ regno sacra interdixisset, quod edicto Regio obedientiam ei nuper subtraxerat: Clemangius qui stare a Benedicti partibus credebatur, in interdicti scripti suspicionem lapsus, immerito maximum famæ & fortunæ discrimen subiit: quamvis tribus ante promulgatum anathema & interdictum mensibus, e curia Romana secedens, Genuam se recepisset. itaque in Vallis profundæ Monasterium apud Carthusianos, ac deinde fontem in Bosco se recipiens, Principis male informati iram deprecari, ac crimen missis quaquaversum litteris diluere necesse habuit. Dissipatis vero calumniis, ad Lingones sus se contulit, Thesaurariæ munus obiturus. Circa annum 1415. Benedictus XIII. Clemangium, qui olim anno 1407. in Curia Romana manserat, ut sibi utilem, revocare ad se curavit: qui ut voti compos facilitate matri fieret, Nicolaum Bayam, quo viro Clemangius familiariter utebatur, ad eam rem adhibuit. Sed in Curiam redire noluit, eique tugurium in quo tunc apud fontem in Bosco latebat, jure præferendum esse censuit, cuius negotii historiam ipse tradit in *Epistola 104.* ad Nicolaum Bayam. Sub id temporis abdicata dignitate Thesaurariæ Lingonensis, Cantor Ecclesiæ Bajocensis constituitur, non Archidiaconus, ut quidam male scripserunt, Vacans igitur sibi, isto omni tempore quo & Ecclesia miserrimo Schismate & Gallia corruptissimis moribus affiictabantur, multa quæ partim edita, partim Manuscripta in Bibliothecis Gallicis extant usque hodie, scripsit, de quibus nos modo. Opera Nicolai Clemangii edita in 4. Lugduni Batavorum anno 1613. quæ omnia in unum collegit, Analectis & Glossario Latino barbaro illustravit, atque edi curavit Joannes Martinus Lydius, ordine sequenti:

De corrupto Ecclesiæ statu Liber I. anno circiter 1414. scriptus, qui prodiit seorsim 1620. Helmstadii, cura Joannis Fuchtenii.

Deploratio calamitatis Ecclesiasticæ per Schisma nefandissimum, cum exhortatione Pontificum ad ejus extirpationem, heroicis versibus descripta.

De lapsu & reparatione justitiæ ad Philippum Burgundiæ Ducem, anno 1421. scriptus, qui antea Viennæ anno 1481. in 4. prodierat.

Disputatio habita super materia Concilii Generalis cum quodam Parisiensi Scholastico, anno 1409. scripta, quæ antea Viennæ in 4. ao. 1482. impressa fuerat.

Collatio duplex ad eundem Scholasticum de eadem materia.

Apostoli & Responsio data per Nationem Gallicanam Cardinalibus &c. appellantibus ab ejus conclusione, voto, deliberatione, ac declaratione Constantiæ captis & factis solemniter per eandem, quod vacantiæ & minuta Servitia nullo jure sint debita. Liber inscriptus *De Annalis non solvendis*, cui affigitur *Constitutio Concilii Basileensis super Annalis atque Senatus consultum Parisiensis*, aliaque nonnulla de eodem argumento: quæ omnia ad Clemangium nihil attinent, ut ex corruptioris Orationis stylo constat, inquit, Launoius. At hic liber *De Annalis non solvendis* cum *Disputatione habita super materia Generalis Concilii cum quodam Scholastico Parisiensi & duabus Collationibus ad eundem Scholasticum su-*

per eadem materia, desumpta sunt ex *Fasciculo rerum fugiendarum & expetendarum*, pag. 189. & sequentibus, impresso in fol. Coloniæ in Germania anno 1535. loco & nomine typographi non expressis, ut plurima ad Concilium Constantiense spectantia, & bonis mala mixta sunt.

Item *Tractatus in parabolam de filio prodigo.*

De fructu Eremi Liber I. circa annum 1413. elucubratus, qui vel unicus evincit, quantum Clemangius Ecclesiasticas dignitates atque secularium rerum strepitus & turbas refugeret.

De fructu seu prosperitate rerum adversarum Lib. I. eodem circiter tempore conscriptus.

De novis festivitatibus non instituendis Lib. I. anno 1413. scriptus.

De Præsulibus Simoniacis Lib. I. anno circiter 1411. scriptus.

Oratio ad Galliæ Principes, qua eos a bello Civili dehortatur.

Epistola ad Gerardum Machetum, quod tam corpore quam mente e Babylone fugiendum sit.

Epistolæ tres ad Gregorium XII. scriptæ nomine Benedicti XIII. pro extirpatione Schismatis, & unione Ecclesiæ.

Scripta quædam nomine Universitatis Parisiensis.

Epistolæ CXXXVII. de variis argumentis, Historiæ hujus temporis plurimæ utiles.

Fragmentum descriptionis vitæ tyrannicæ cum detestatione ac reprehensione, versibus heroicis.

Liber de Antichristo & ortu ejus, vita, moribus & operibus.

Hæc in editione memorata Lugduno-Batava, Joannis Martini Lydii curis procurata. Ejusdem Nicolai Clemangii unus Liber *de studio Theologiæ*, ab eo anno circiter 1409. scriptus, editus Tomo VII. *Spicilegii Lucæ Dacherii*, de quo jam supra sæpius egimus, cujus etiam Tomo VI. habentur Epistolæ aliquot antea ineditæ.

Jam de Manuscriptis Operibus, de quibus agit diligentissime Joannes Launojus, assiduus istorum indagator in *Historia Regii Navarræ Gymnasii* parte 3. libro 2. cap. 3. pag. 578. Extat insignis *Commentarius Nicolai de Clamengis in Isaiam Prophetam usque ad caput 60.* MS. in Bibliotheca Collegii Navarrici. Item in dicta Bibliotheca & apud Raymundum Formentinum Parisiensem Theologum, Aurelianensis Ecclesiæ Canonicum & Subdecanum, quem mirifica (inquit Lanojus) & sciendi & comparandi Libros quoslibet cupiditas exercet, ejusdem Clemangii *Descriptio rei cujusdam mirabilis, quæ in Galliis accidisse ferebatur.* Incipit, *Rem recenti, ut accipio, eventu gestam &c.* *Epistolæ novem sub nomine Universitatis, editæ circa materiam Ecclesiasticæ unitatis &c.* quæ prima sunt Clemantii Opuscula, quarum singularum initia recenset loco citato Launojus. *Sermo de sanctis Innocentibus*, incipiens, *Nota est tyranni Herodis &c.* *Orationes decem devotæ Nicolai Clemangii, præambulæ ad Deum ante Canonicas horas persolvendas*, quarum etiam initia refert idem Launojus. Horum omnium mentionem facit Martinus Lydius in editione citata part. 1. pag. 191. Addit denique Launojus loco citato, & Aureliæ, apud patronum Regium Giresium seniorem, virum & doctrina & probitate insignem, extare MS. Codicem Operum Nicolai Clamengis, in quo reperiuntur, *Descriptio vitæ rusticæ cum laude & commendatione*, incipiens, *Fronde super viridi locus est &c.* quod Poema LXIII. versuum est. *Descriptio & laus urbis Januæ*, incipiens, *Janua quam perhibent &c.* quod Poema XCVIII. versuum est. *Epistolæ duodecim ad diversos*, nempe ad Symonem de Bergeriis, Joannem Præpositum Insulensem Regium Secretarium, Goutherum Colli Regium Secretarium, quarum ibidem singularum Launojus initia refert. Denique *Exhortatio ad resistentiam contra Mahometanos*, quæ incipit, *Cogunt me o Principes inclyti, & viri militares &c.* Addo denique extans in Galliarum regia Bibliotheca tres Manuscriptos Codices Epistolarum & Operum Nicolai Clemangii, num. 4165. 4166. 4167. ubi nullus dubito, quin aliæ atque aliæ lucubrationes ejusdem, vel Epistolæ nondum expressæ reperiantur, si quis illos cum attentione volvere & examinare voluerit. Istud mihi notum fuit ex amico nostro Placido Porcheron sancti Germani Parisiensis Bibliothecario, qui jam ab anno 1684. cum aliis ejusdem Abbatiæ fratribus, Catalogum Manuscriptorum Latinorum famosissimæ hujus Bibliothecæ juxta ordinem authorum alphabeticum, maximis curis ad publicam utilitatem instituit, & complevit. Sane hoc anno 1703. Hermannus von der Hardt Helmstadiensis Academiæ Professor, vir scriptis celebris, edidit Helmstadii in 8. apud Salomonem Schnorrium *Nicolai de Clemangis Opusculum de diebus Festis, & Sabbatho*, aureum vere, in Gallia apud fontem in Bosco circa annum 1412. ab ipso scriptum. Cæterum Nicolaus de Clemangis magnæ vir eruditionis, & ut ea tulit ætas, eloquentiæ ac totius virtutis exemplar, anno 1420. claruit, summis seculi viris, Gersoni, Alliaco, Ferrerio, aliisque familiaris & notus. Vir certe summa animi pietate præditus, ac stylo supra seculi sui sortem eleganti usus, intrepidus malorum Principum censor & objurgator, qui Pontificum Schismata, ambitionem & vitia, Ecclesiasticorum sordes & avaritiam, Monachorum ignaviam, luxuriam & libidinem, omnium denique Ordinum mores dissolutos & obscuros acri calamo castigat. Vitam finivit circa annum 1440. & sepultus est in Sacello Collegii Navarrici, sub Lampade quæ coram magno Altari de Tholo pendet: Cujus Sepulchro ab hominibus, illius perinde ac rerum

ab eo

ab eo gestarum scientissimis, elogium breve insculptum est, quod multa complectitur.

Qui Lampas fuit Ecclesiæ, sub Lampade jacet.

Elogio tam illustri adjectum est Epitaphium istud.

Belga fui, Catalaunus eram, Clamengius ortu:
Hic humus ossa tenet, Spiritus astra petit.

Hæc nos ex Launojo per compendium, quod utcunque prolixum est, vix tamen brevius fieri potuit. Qui plura cupit, adeat fontem, unde ista hausimus, multis vitam Clamengii enarrantem. Pauca dabunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 622. Anton. Possevinus tom. 2. *Apparatus Sacri* p. 146.

1420 GUILLELMUS SAGINETUS, Gallice SAIGNET, miles seu nobilis natalibus, anno 1420. vixit, qui cum oculis cerneret suis, quantas in impudicitias Sacerdotes & Episcopi passim ob cælibatum laberentur; quantas Virginibus ac matronis suarum Diœceseon vel parochiarum ad cohabitationem carnalem insidias, laqueosque tenderent: unicam tam frequentis apud populos scandali occasionem opinatus *cælibatum illum coactum*, unicum illius abolendi remedium arbitratus est, Si Presbyteri matrimonium contrahere in Ecclesiis suis possent, uti ante Nicænam Synodum fieri olim, imo & postea usque ad tempora Papæ Siricii, consueverat. Scripsit itaque hoc de argumento librum, qui MS. extat in Basileensi bibliotheca, inter MSS. Chartaceos litera W. sub hoc titulo, *Wilhelmi Sagineti Lamentatio ob cælibatum Sacerdotum*, seu *Dialogus Nicænæ constitutionis & Naturæ ea de re conquerentis, cum refutatione Johannis Gerson in 4.* Ita celeberrimus ille Johannes Buxtorfius hujus bibliothecæ Bibliothecarius in Catalogo MSS. Codicum hujus loci, quem anno 1661. suppeditavit Theophilo Spizelio, ac Theophilus Spizelius in *Arcanis Bibliothecarum illustrium retectis*, anno 1668. in Augustæ Vindelicorum editis, in *Bibliotheca Basileensi MSS. Chartaceis* litera W. pag. 47. *Responsio* autem *Joannis Gersonis* ad hoc opusculum, Lugduni anno 1423. facta, reperitur in omnibus operum illius editionibus.

1420 JOANNES DE MULBERG: natione Helvetus, patria uti credimus Basileensis, hoc eodem tempore floruisse videtur, ut nomen posteritati suum commisisse opusculis duobus non contemnendis, quæ manuscripta extant inter MSS. Codices Chartaceos Basileensis Bibliothecæ, ut testatur Johannes Buxtorfius vir celeberrimus in Catalogo hujus bibliothecæ, quem misit anno 1661. ad Theophilum Spizelium. Unum inscriptum, *Johannis Mulberg contra statum Beguinarum & Lothardorum.* Aliud *Johannis de Mulberg processus altercationis inter Prædicatores & Minores Basileæ degentes propter personas de tertia regula Sancti Francisci* in 4to. Ita Theophilus Spizelius in *sacris bibliothecarum illustrium arcanis retectis* anno 1668. in 8. Augustæ Vindelicorum editis, in *Bibliotheca Basileensis MSS. Chartaceis*, litera L. pag. 39. His disputationibus inter utrumque Ordinem fratrum Prædicatorum & Minorum interfuisse videtur Joannes de Mulberg. Turbas autem, quæ ob hoc genus hominū Basileæ anno salutis reparatæ 1400. exortæ sunt, & per decennium integrum durarunt, Christianus Wustitius describit lib. 4. capp. 9. 10. 11. 12. ac præsertim 14. *Chronici*, quod inscripsit, *Epitome Historiæ Basileensis & totius Rauricæ descriptio*, editi Basileæ anno 1577. in 8. Oratione autem Operum Joannis de Mulberg, non absurdum fuerit latius hic agere de *Fratricellis & Sororcellis* istis, qui alio nomine *Fratres vel Sorores spirituales de regula tertia S. Francisci*, vel *Beghardi* seu *Bolhardi* homines, fœminæ autem *Beghinæ seu Beguttæ* vocabantur, de quibus anno jam 1280. in *Petro Joanne Olivi* loquuti sumus, cui suam originem debere, censent eruditi.

Author *Paraleipomenon* ad Urspergensis Chronicon, annotat a *Dulcino* quodam & *Margareta* ejus concubina, sectam ejusmodi esse inchoatam apud urbem Lombardiæ Novariam circa annum 1288. vel 1290. Quamvis Bolæus Centuria 4. *Scriptorum Britanniæ* in Appendice cap. 3. authorem Sectæ istius penitus esse incognitum affirmat. Nihil mirum igitur, quod *Fratricelli* isti ordinem suum a Cælestino V. Romano Pontifice, qui ao. 1292. sedere cœpit, confirmatum esse contenderent, ut testatur Joannes Papa XXII. in Bulla sua adversus illos data.

Multa dicuntur de *spiritualibus illis Fratribus & Sororibus*, fidem omnem humanam excedentia, atque extra omnem veri speciem, hac ut ratione omnibus execrationi essent. Nimirum, quod capite demisso incederent, faciem cooperirent, laute biberent & comederent, convivia quærerent, mulierum consortia non respuerent, in Ecclesia ad terram verso ad parietem vultu sederent, oculos ad cœlum non elevarent. Imo quod horrendum, multis in locis nocturnos agerent conventus in locis abditis, ubi Sacerdos eorum primum quædam ad laudem Dei canebat, deinde de sua religione disserebat. His peractis, scribebant cuilibet copiam ruendi in amplexus promiscuos Virginum & fœminarum, prout erant obviæ, extinctis ad eam confusionem luminibus. Infans autem ex eo concubitu natus, in speluncam delatus, tamdiu violentis manibus trahebatur, donec animam ageret. In cujus manibus expiraret, is Pontifex maximus inter eos creabatur, ut quidem refert Bernardus Luxemburgensis, author nullius nominis, ex Crantzii Lib. 8. *Saxoniæ*. Ita erant imprudentes, ut affirmarent, Margaritam concubinam Dulcini eorum Principis, gravidam ab eo factam, concepisse de Spiritu Sancto, ut refe-

runt *Mater Historiarum*, *Supplementum Chronicorum*, *Extravagans* Sancta Romana Ecclesia, *de Religiosis domibus & Platina*. Capti aliqui Argentinæ confessi sunt, in hujus Ordinis ædibus omnia esse communia, matrem, uxorem, filiam, ex *Chronico Hirsaugiensi* Joannis Trithemii. Sabellicus Enneade 9. lib. 7. hæc addit: *Cremabant*, inquit, *Sacerdotes unum aliquem ex infantibus ita procreatis, cineres in eadum conjiciebant, vino superinfuso, quo novitii initiabantur:* quæ ceremoniæ ratio, non mihi multum diversa fuisse videtur ab ea, quæ a Bachantibus olim usurpata fuit.

Credibile autem est, hæc & singula ab eorum hostibus conficta, ut æquior eorum damnatio videretur. Hoc enim est ingenium istorum hominum Pontificiorum adhuc hodie, ut etiam de Evangelii Christi veris professoribus multa nefaria fingant & in vulgus spargant, quo facilius odium hominum innocentes victimæ incurrant, & cruentissimæ illorum persecutiones justiores habeantur. Multi enim viri singulari eruditione, multaque religione præditi, huic Ordini *Fratricellorum* faverunt, uti Petrus Joannes Olivi, de quo ad annum 1280. diximus. Michael Cæsenas, vir pietate & eruditione clarus, Minister Generalis Ordinis FF. Minorum. Scripsit etiam Guilielmus Ockam cum Petro Corbario pro *Fratricellis* adversus Joannem XXII. Papam, ut testatur Bolæus Centuria 4. *Scriptorum Angliæ* cap. 100. in Appendice 2. Denique si tam enormium criminum conscii fuissent *Fratricelli*: tamque nefandorum, illa nunquam obliti fuissent in Bullis suis adversus illos editis, Romani Pontifices, Bonifacius VIII. Clemens V. & Joannes XXII., hostes illorum ac persecutores.

Vera autem ratio cur Romani Pontifices tam crudeliter in *Fratricellos* sævierint, sola est, quam Matthæus Palmerius & Bernardus Luxemburgensis testantur. *Begardos docuisse publice multa contra Papam Romanum, ejusque fastum ac tyrannidem: nec veritos fuisse profiteri Romanam Ecclesiam non esse veram & Catholicam Ecclesiam: Bonifacium VIII. & Joannem XXII. non esse legitime creatos Pontifices. Cæsarem seu Imperatorem non esse Pontifici Romano subjectum, nisi tantum in spiritualibus: multaque Ecclesiæ Romanæ statuta damnasse.*

Hoc tum male habuit Bonifacium VIII. hominem arrogantissimum, ut Bhegardos & Beguttos damnarit, excommunicarit, & ubique persecutus sit. Fecit id quoque Clemens V. qui in Viennensi Consilio Sectam hanc cum objectis erroribus damnavit, & omnino reprobavit, præcipiens insuper, *ne quis de cætero ejus Sectatores teneat, approbet vel defendat; sin minus, puniatur:* ut videre est in Clement. tit. 13. cap. 3. *ad nostrum*, itemque tit. 11. cap. 1. *Cum de quibusdam.* Ubi rejicit primo statum seu Ordinem hunc, & excommunicat eos, qui vel in posterum sectantur, aut de novo assumunt illum, vel etiam dant circa id consilium, auxilium & favorem aliquem. Deinde excipit mulieres devotas & pœnitentes, quæ in domibus paternis divisæ, a nuptiis abstinent, nullasque regulas profitentur, & nulli modo vivendi sese adstringunt, quæ tamen etiam alicubi *Bisocha* vocantur. Secutus est Joannes Papa XXII. qui itidem excommunicavit in hoc Ordine perseverantes, aut assumentes eum de novo, vel etiam ritum & habitum eis concedentes, Bulla Avenione data, tertio Kalendas Januarii, Pontificatus anno 2. Hos ergo Pontifices Romanos secutus & imitatus est Joannes de Mulberg, dum contra *Beghardos & Beghinos* præfatos tractatus scripsit.

Hæc de illis suppeditavit mihi Rodolphus Hospinianus Libro 6. cap. 32. *de Origine & progressu Monachatus* pag. 494. editionis Genevensis anno 1669. in folio. Observat tamen Scriptor idem pag. 496. Cum Begardi ac Beguinæ ab his Pontificibus aliisque ita excommunicati atque damnati essent, adeoque hinc inde ex oppidis vicisque ejicerentur, & nusquam tuti essent: rebus illorum afflictissimis Gregorius XI. succurrit, qui patrocinium eorum suscepit, & Bulla eos adversus hostes eorum circa annum Domini 1378. communivit, quam illic refert, alteramque Eugenii Papæ IV. ad Coloniensem, Trevirensem & Moguntinensem Archiepiscopos scriptam Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ incarnationis 1431. quarto Idus Maji, Pontificatus sui anno primo.

BARTHOLOMÆUS FLORARIUS, natione Anglus, vir in rebus tam Philosophicis quam Theologicis non ignobiliter eruditus, ut scribit Nicolaus Brigamus in suis *Rerum memorabilium Venationibus*, videtur attamen ingenio fuisse nonnihil inquieto, eoque vitio maxime laborabat, quod cum secularis esset, viros Religiosos non facile ferebat, & in eos, quando se offerebat occasio, debacchari consueverat. Contra quos in publicis Disputationibus lingua intemperante, & in libris suis acerbum stylum acuebat, unde factum est, ut quædam ejus Opera tanquam bonis moribus & Christianæ potissimum modestiæ contraria supprimerentur, & eo pacto omnino perierint, ne alios in interitum traherent. Ferunt tamen in Bibliothecis adhuc inveniri, Opus illud a quo cognomen accepit, videlicet *Florarium*, *librum unum*, Gratias ago gratiæ largitori, quia &c. *De Abstinentia librum unum*, Est statutum prandendi tempus. Alia autem non venerunt ad manus nostras. Vixisse dicitur anno, postquam Virgo peperit 1420. regente apud Anglos Henrico quinto. Hæc Joannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ illustribus*, ætate XV. Scriptore 777. ad annum 1420. pag. mihi 605. Additur his, inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Codice 1077. in Manuscriptis 1420

ptis

ptis Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariæ Archiepiscopi litera F. Codice 40. extare *Flores Sanctorum*, seu *Vitas quasdam selectas Sanctorum*, quæ ad Bartholomæum hunc spectare possent, unde ab illis cognomen *Florarii* acceperit, quod Anglis examinandum relinquo. Inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem Regni celebrium bibliothecarum Codice seu num. 4080 in MSS. Codicibus Collegii Sionensis ab incendio Londinensi anni 1666. vix ereptæ, Codice MS. 16. extat *Bartholomæi Florarii Memoriale virtutum & vitiorum in* 4. Item inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Cod. 1135. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 171. num. 7. *Flores virtutum*, qui eidem tribuuntur, unde cognomen etiam habere potuit. Inter MSS. Codices ejusdem Universitatis Oxoniensis Codice 2213. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 72. num. 6. *Capitulum Bartholomæi de Florariis, de Sacerdotibus.* Idem Pitseus ætate XIV, Scriptore 603. ad annum 1360. verbo *Bartholomæus Glaunville*, pag. 495. attribuit Glaunvillio quædam quæ ipsi competere non videntur, his verbis. *Contra Laurentium Vallum Librum extare MS. Oxonii in Collegio Balliolensi, ubi etiam habetur MS. Apologia Vallæ ad Bartholomæum. Practicam, librum unum MS. Oxonii in Bibliotheca Publica & in Collegio Balliolensi.* Hunc errorem Pitsei amplexus est Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guilielmi Cavi ad annum 1360. pag. 56. ubi de Bartholomæo de Glaunvilla sic. *Librum contra Laurentium Vallam MS. Oxonii in Collegio Balliolensi, & Practica librum MS. in Bibliotheca Publica Oxonii, atque alia quadam memorant Pitseus pag 495. & ex illo Wadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum pag. 50.* Ast Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* parte 1. cap. 2. pag. 533. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. hunc errorem eximie refellit his verbis. „Apud Pitseum „in Catalogo Scriptorum Angliæ lego, librum „quoque edidisse Bartholomæum Glanville ad„versus Laurentium Vallam, ac Vallam pro „se Apologiam composuisse, utrumque opus „MS. superesse Oxonii in Collegio Balliolano. „Id itane sit, rectius scient, qui Oxonii de„gunt. Apud Bolæum quidem de istoc opere „Bartholomæi Glanvile, altum silentium est. „Forte confudit Bartholomæum Glandvile „Anglum, & Bartholomæum Facium Ligu„rem. Nam Bartholomæus Facius orationem „invectivam composuit adversus Vallam, & „Valla ipsi, quatuor Recriminationum libris „respondit. Quidquid est, multum metuo, „ne Pitseus erret: nam Valla annis circiter „quinquaginta claruit post Bartholomæum „Glanwile, nempe temporibus Eugenii Pa„pæ IV.“ Hæc Vossius, qui veritatem ex parte attigit. Verum enim est, Opuscula hæc quæ in Anglicis Bibliothecis contra Vallum extant, non pertinere ad Bartholomæum hunc Glaunvillam: sed neque pertinent ad Bartholomæum Facium Ligurem, sunt enim alia ab opusculis Facii, spectant autem ad Bartholomæum Florarium, de quo loquimur, qui Laurentio Vallæ synchronus, cum illo inimicitias aluit, quas mutuis scriptis ostenderunt. Atque hæc de Opusculis Bartholomæi Florarii, qui usque ad tempora Eugenii IV. Papæ superfuisse potuit, sufficiant. Ejusdem meminit Carolus du Fresne Dominus du Cange in *Syllabo Scriptorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, his verbis colum, XCI. *Bartholomæus Florarius auctor Florarii Sanctorum, Anglus vixit anno 1420.*

PETRUS ALBERTI, MONACHUS & PRIOR MAJOR Cluniacensis Cœnobii, 1420 claruit temporibus Oddonis secundi Abbatis XLI. apud Cluniacum, ab anno MCCCCXX. usque ad multos sequentes. Sic autem *Cluniacense Chronicon* col. 1675. *Bibliotheca Cluniacensis* de Oddone II. Cluniacensi Abbate XLI. „Oddo II. de Perreria Abbas noster Cluniacensis XLI. incœpit regere anno 1424. vixit autem annis XXXIII. mensibus decem, jacet apud Cluniacum ante altare Sancti Benedicti, obiit autem anno 1457. die 2. mensis Novembris. Hic Pater Oddo primum fuit in juventute sua Socius in Ordine in Monasterio Cluniacensi, deinde Archidiaconus, deinde Eleemosynarius, inde Sacrista, postea Prior Claustralis, deinde Prior Major, deinceps Prior Salvigniaci, demum per Conventum in Abbatem Cluniacensem electus. Iste tempore suæ administrationis multas persecutiones pro Ecclesia sustinuit, propter guerrarum multiplices voragines, ipse enim emit blada in principio administrationis ad sex mille florenos auri. Tempore hujus Oddonis fuit Prior Major Cluniaci, Petrus Alberti Decretorum Doctor famosissimus, nam conscripsit Libellum sive Tractatum *de Decimis Novalibus*, qui apud nos est.“ Obiit autem dictus Petrus Doctor ante Dominum Oddonem II. anno 1457. die 2. Novembris mortuum, nam Chronologus Cluniacensis, qui eadem ætate florebat, inquit successisse ipsi sub eodem Abbate in officio Majoris Cluniacensis Prioris, Dominum Jacobum de Moussiaco, Decretorum Doctorem, magis doctum quam eloquentem, quem ut Synchronus cognoverat ac sæpe viderat, de quo, *Hic unus fuit illorum, qui statuta cæremoniasque Ordinis illibate servaverunt, propter quod toti Orbi venerandus habetur.* Hæc ex *Bibliotheca Cluniacensi*, quæ complectitur omnia ad Cluniacensem Ordinem spectantia, quam ex MSS. Codicibus primum collegit Dominus Martinus Marrier, Monasterii Sancti Martini de Campis Parisiensibus Monachus ejusdem Ordinis Cluniacensis: Andreas autem Quercetanus Turonensis in ordinem disposuit & Notis illustravit, in folio editam Parisiis anno 1614.

1614. apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa sub Ciconiis. Quæ de *Petro Alberto* diximus, suppeditavit verbotenus Franciscus de Rivo, Theologiæ Doctor & Prior Major Cænobii Cluniacensis, qui scripsit *Chronicon Cluniacense majus* ab origine Cænobii, quod anno 1485. desinit, impressum in *Bibliotheca Cluniacensi* a col. 1627. ad 1685. jussu Reverendissimi Domini Jacobi de Ambasia Cluniacensis Abbatis XLIII. Meminit ejusdem Scriptoris Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Petrus Alberti*. Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Syllabo Scriptorum, quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, verbo *Petrus Alberti*. col. CLVIII.

1420 ANDREAS DE CASSIA, natione Italus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, ex provincia Vallis Spoleti, floruit circa annum 1420. & ultra, composuitque Tractatum inscriptum, *Contra imaginem nominis Tabulellæ, quæ est imago & signum Antichristi*, dedicatam Summo Pontifici Martino V. qui cum in Cathedra Apostolica ab anno 1417. ad 1431. sederit, recte hunc Tractatum circa annum 1420. scriptum conjicimus. Habetur MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 5700. cujus Prologus incipit: *Quoniam ad pedum semper oscula beatorum prostratus, nec assurgere prius audeam, quam aures serenissimi Sponsi audiam, quid loquatur in me Dominus &c. Ego frater Andreas de Cassia, e Provincia Vallis Spoleti, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, profitens coram Deo & Sanctis ejus* &c. tum exprimit nomen Martini V. Summi Pontificis quem alloquitur. Tractatus incipit, *Beatissime Pater surrexerunt nonnulli Pseudo-Christi in agro Dominico zizania seminantes & ad idololatriam populos seducentes* &c. Nullus quem sciam, hujus Scriptoris meminit.

1420 CHRISTOPHORUS de BONDELMONTIBUS, natione Italus, patria Florentinus, Presbyter, Geographus atque Hydrographus insignis, composuit circa annum 1420. *Geographiam & Hydrographiam Insularum Archipelagi*, quas obtulit anno 1422. Jordano amico suo singulari & S.R. Ecclesiæ Cardinali. Extat opus istud nempe *Liber Insularum Archipelagi Christophori de Bondelmontis*, Autographus ut creditur, inter Codices manuscriptos Bibliothecæ Thuaneæ Parisiis, qui jam omnes pretio empti ad Colbertinam bibliothecam, dum Parisiis eram, accesserunt. Vide *Catalogum Bibliothecæ Thuaniæ* tam librorum ibidem impressorum quam manuscriptorum, qui anno 1679. Parisiis 2. in 8. tomis impressus prostat. Exemplar aliud MS. hujus Operis, in bibliotheca Petri Francii in illustri Schola Amstelodamensi Eloquentiæ Professoris inter Libros in folio, Codice vel numero 276. ut constat ex pagina 76. Catalogi hujus Bibliothecæ: qui ad auctionem anno 1705. Amstelodami ex officina Westeniana in 8. impressus est. Denique Exemplar tertium MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 5114. cum præclaris figuris, earumque Latinis Descriptionibus, cujus titulus: *Incipit Liber Insularum Archipelagi editus per Presbyterum Christophorum de Bondelmontibus de Florentia, quem misit de civitate Rhodi Romam, Domino Jordano Cardinali, anno 1422.* Incipit Liber, *Constitui Pater Reverendissime Jordane Cardinalis, meis itineribus tibi Librum Insularum Cycladum, atque aliarum in circuitu sparsarum destinare tabulatum una, atque suis temporibus priscis usque in hodiernum gestis* &c. Nullus, quem noverim, hujus Scriptoris meminit, nisi Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 9. pag. 803. secundæ editionis.

PAULUS VENETUS, SEU DE VENETIIS, quem alii Cretensem, alii Utinensem vocant, Ordinis Eremitarum Divi Au-" 1420
gustini, cum Theologus eximius & Provinci-" alis inter suos esset, ob scientiam Theologi-" cam & Mathematicam, iisdem anni 1420." temporibus innotuit. Scripsit autem *Contra" Judæos Librum. Sermones de Tempore. Ser-" mones de Sanctis. Sermones Quadragesimæ. De" conceptione Beatissimæ Virginis. De Incarnati-" one Verbi Dei. De excellentia Verbi Dei. Super" Sententias Libros 4. Ad Libros Physicorum Li-" bros 8. Super Libros de Generatione & corrupti-" one Lib. 2. Super Libros de Anima Lib. 3. Su-" per Metaphysica Lib. 12.* qui Libri MSS. Patavii" in bibliotheca Ordinis asservantur. *Sum-" mam Philosophiæ naturalis Lib. 6. De concepti-" one mundi, qui Astronomiæ janua nuncupari pot-" est, Lib. 1. De circulis componentibus mundum." Super Librum Porphyrii Lib. 1. Super Prædi-" camenta Lib. 1. Super Libros Posteriorum Lib. 2." Logicam parvam. Logicam magnam. De qua-" dratura Circuli. Super consequentiis Strodi." Ad compendium retulit doctos Joannis de Ripa" Doctoris solemnis in primum Sententiarum li-" brum explicationes.* At Jacobus Bergomensis" ubi hujus viri meminit, inter cætera narrat" nominatissimum in universa Italia fuisse habi-" tum, cunctosque Dialecticos, Philosophos" ac suæ ætatis Theologos sine controversia su-" perasse." Hæc nos verbotenus ex Possevino tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 230. Quibus addimus nihil nos vidisse *Scriptorum Theologicorum* hujus celeberrimi Eremitæ Augustiniani, sed omnia fere Opera quæ hic enarrantur *Philosophica atque Mathematica*, extans MSS. in tribus maximis voluminibus Regiæ Galliarum bibliothecæ, Codicibus 4846. 4849. 4850. una eademque manu scriptis, quæ ipsius auctoris esse potest, licet affirmare nolim: imo vix credi potest, cum in illis nulla litura inveniatur. Ejus *Sacra Philosophia Naturalis* impressa Venetiis anno 1502. apud Octavii Scoti nepotes, & Parisiis anno 1512. apud Joannem Grandjon. Obiit anno 1429. die 15. Junii, cujus mentionem faciunt Josias Simlerus in *Epitome*

Epitome Bibliothecæ Gesneri, Antonius Possevinus loco citato, Philippus Elssius in *Encomiastico suo Augustiniano* pag. 554. Hic autem Paulus Venetus, quem Joannes Trithemius *nulli in Philosophia Aristotelica in Italia secundum fuisse* testatur, juxta Jo. Andream Quenstedt in Dialogo, *de patriis virorum doctorum*, Utini in lucem editus est, sed Venetiis educatus, unde & nomen assumpsit, qui Philosophus & Theologus per totam Italiam celeberrimus, *Theologorum Monarcha* vocari promeruit, & in flore ætatis, vitam *Patavii* finivit anno MCCCCXXIX. die XV. Junii. In templo Eremitarum D. Augustini sepultus jacet cum apposita effigie & hoc epitaphio.

Hic jacet Sacræ Theologiæ Doctor,
Clarissimus & Theologorum Monarcha,
Magister, Pater. Frater Paulus
Venetus, Ord. Eremitarum S.
Augustini,
Qui obiit anno Domini MCCCCXXIX.
die XV. *mensis Junii*
Cujus anima requiescat in pace.

Distinguendus autem omnino est a Marco Paulo Veneto Historico, cujus ad annum 1290. supra mentionem fecimus. Hujus autem præter allatos supra meminerunt Hieronymus Ghilinus in *Theatro Italico Virorum Literatorum*. Paulus Freherus in *Theatro Virorum clarorum* parte 1. Sect. 3. pag. 86. ubi ejus opuscula recenset.

1420 THOMAS DE ELMHAM, Prior Monasterii S. Trinitatis Lentoniæ, Canonicorum Regularium Divi Augustini, claruisse mihi videtur circa annum 1420. temporibus Henrici V. Anglorum Regis. Historiæ animum applicuit, cujus extant argumenta plura, inter MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ, nam illic sub effigie Claudii litera E. Codice 4. num. 1. *Annales Regum Britonum, Saxonum & Anglorum, a Bruto ad tempora Regis Henrici IV. hoc est ad annum 1389. editi per Thomam de Elmham, Priorem Monasterii S. Trinitatis Lentoniæ, cum tabulis Chronologicis a natalibus Christi, in quibus inter alia notantur Pontifices Romani, Archiepiscopi Cantuarienses, litera Dominicales, primatio hoc est cyclus decennovennalis atque indictio.* Ibidem sub effigie Julii litera E. Codice 4. n. 2. *Thomas de Elmham de Vita & gestis R. Henrici V. cum allocutione Scriptoris adpaginam, ut quærat M. Joannem Somerset, quem æstatis sedem appellat, Regis medicum in suum correctorem, & eum versibus ad eundem* Num. 3. *Historia de Vita & gestis Regis Henrici V. metrice per eundem.* Ibidem sub effigie Vespasiani, litera D. Codice 13. num. 10. *Historia Regis Henrici V. qui successit patri in Festo S. Cathberti anno 1412. & coronatus erat 9. Aprilis 1413. metrice.* In fine scribitur, *Extractum breve de Chronica Thomæ Elmham Prioris de Lenton, de tempore Regis Henrici V.* Recte ergo circa annum 1420. collocatur. Item inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 2454. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 9. Codice I. num. 2. *Extractum breve de Chronicis Thomæ Elmham Prioris Lenton de tempore Regis Henrici V. versibus pag. 323.* Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 8304. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobææ Historicis Codice 582. *Chronicon de Henrico V. metrice*, Codex recenti manu scriptus. Mentionem faciunt hujus Scriptoris Henricus Warthon, Anglicorum MS. Codicum eruditus Inspector, in *Successione Priorum Lanthoniæ*, quam edidit Tomo 2. *Angliæ Sacræ*, pag. 322. a quo hæc accepimus. Thomas Smithus Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter, in Catalogo MS. Codicum Cotthonianæ Bibliothecæ edito Oxonii 1696. in folio, pag. 11. 45. 114.

THOMAS OTTERBURNUS, natione Anglus, Ordinis Divi Francisci, claruit in Anglia post annum 1420. cujus mentio fit in Prologo *Scholæ Chronicorum*, sed de ætate nec Lelando nec Balæo constitit, quamvis temporibus Henrici IV. Anglorum Regis, locum illi assignet Balæus. Scripsit *Historiam* seu *Chronicon Regum Angliæ*, quod MS. extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum insignium num. 7007. in MSS. Codicibus Henrici Jones Codice 4. num. 2. *Thomæ Otterbourne Chronica Regum Angliæ ad annum 1420.* unde ætatem ei assignamus. Itemque in Cottoniana bibliotheca sub effigie Vitellii litera F. Codice 9. num. 3. *Chronica Regum Angliæ per Thomam Otterburn, a prima origine gentis ad tempora Regis Henrici quinti.* Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. mihi 546. Christophorus Sandius in Notis & Observationibus ad Gerardi Vossii Historicos Latinos paginis 145. 209. & 261. editionis Amstelodamensis 1677. in 16. 1420

GILBERTUS DE LANNOY descripsit *Iter* seu *peregrinationem suam anno* MCCCCXXII. *per Ægyptum, Syriam, aliasque regiones*, illudque *Itinerarium* MS. legitur Bruxellæ in bibliotheca Aulæ Bruxellensis num. 561. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 288. editionis 1643. Lovanii in 4. 1420

GUILLELMUS LINDWOODUS, MENEVENSIS EPISCOPUS, natione Anglus, juris Pontificii seu Canonici doctrina celeberrimus, claruit circa annum 1420. Alumnus Aulæ Gonvilli in Academia Cantabrigiensi, unde postea Oxonium veniens, ibi Doctoralibus insigniis emicuit. Factus ab Henrico Cichleio Cantuariensi Archiepiscopo, Sedis Metropolitanæ Cancellarius, tam assiduus atque fidelis muneri suo extitit, ut ab Henrico V. Rege privati Sigilli Custos constitueretur. Circa annum 1423. collegit in compendium omnia Statuta, quæ facta fuerant in hac provincia ab anno 1222. ad annum 1415. sub certis quibusdam materiarum titulis, quomodo Tribonianus 1420

nianus Constitutiones Imperatorias in Codicem compilavit, ac Pontificias Decretales Raymundas. Hoc Opus inscriptum, *Provinciale vetus provinciæ Cantuariensis, cum selectioribus Lindwoodi annotationibus*, quibus subnexæ sunt *Constitutiones Legatorum Othonis & Othoboni S. R. Ecclesiæ Cardinalium*, ex recensione Roberti Sharrock legum Doctoris in 4. Oxoniæ anno 1663. quod tamen antea impressum fuerat Parisiis anno 1506. apud Jodocum Badeum Ascensium, cujus primi prœli exemplaria rarissima sunt. Idem recusum Londini anno 1557. & Oxonii anno 1579. Hoc fecit Guillelmus Lindwoodus, ut importunam eorundem statutorum a diversis Conciliis factorum repetitionem tolleret, mixtionemque plurium rerum externarum, quæ confusionem in his statutis, arduamque disciplinæ Ecclesiasticæ notitiam effecerant. Extant istæ *Collectiones constitutionum Lindwoodi* MSS. Cantabrigiæ in Collegio Caji & Gonvillii, Codd. 3. & 249. & in Bibliotheca Domus Sancti Petri Codd. 145. 194. 195. Itemque *Commentarius ejusdem Johannis de Acthona*, qui exeunte seculo XIV. floruit, in *Constitutiones Othonis & Othoboni Cardinalium*, MS. in bibliotheca citata Domus Sancti Petri Codd. 193. & 195. ut constat ex Ecloga Oxonio Cantabrigiæ Manuscriptorum Codicum. Quem male Joannes Pitseus adscripsit Guillelmo Lindwodo, non alia ratione, quam quod in omnibus editionibus illæ *Provinciali Lindwoodi* subnecti soleant. In Catalogo autem impresso Oxoniæ duobus voluminibus in folio anno 1698. MSS. Codicum bibliothecarum Angliæ, extant longe plures MSS. Codices *Constitutionum Angliæ* a Guillelmo Lindwood collectarum, nempe

Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ, Codice 755. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera C. Codice 113. Guillelm Lindewood Constitutiones Angliæ cum Glossa ejusdem Latine. Ibidem Codice 1861. in MSS. Thomæ Bodleji litera A 2. Codice 4. Lindewood Constitutiones Provinciales XIV. Archiepiscoporum Cantuariensium in fol. Ibidem Codice 2066. in MSS. Thomæ Bodleji litera C 2. Codice 5. Guill. Lindewoodi Constitutiones Provinciales Cantuarienses. Ibidem Cod. 2247. in MSS. ejusdem Thomæ Bodleji litera D 7. Codice 11. Guillelmi Lyndewoodi in Provinciales Constitutiones Angliæ. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1179. in MSS. Collegii Novi Codice 215. Guill. Lindewood super Constitutionibus Provincialibus. Ibidem Codice 1538. in MSS. Collegii Corporis Christi Codice 71. Guillelmi Lyndewood Constitutiones Provinciales. Continet Constitutiones Archiepiscopales Joannis Pecham, Stradford, Arundel, Islip, Edmundi, Richardi. Walteri, Mepham, Bonifacii, Chichleji, Winchelseji, Sudburii, Stephani. Desunt Constitutiones Roberti Kylwarby secundum notam præfixam, sed & Libri Simonis Langham, ut apparet ex Collatione cum impresso Oxonii Membrana in folio. Eædem Codice sequenti, sed imperfectæ. Ibidem Codice 2284. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 143. Liber Constitutionum Provincialium Angliæ, compilatus per Guill. Lindwood anno Domini 1433. folio ampliori. Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codicibus 917. 918. in MSS. Codicibus Collegii Cajo-Gonvilensis, Codice 72. Lindewoodi Constitutiones Provinciales cum Summariis & justis Annotationibus, & tabula in fine copiosissima K 22. Cod. 73. Eædem cum tabula in principio, & Annotationibus, ut in priori K 21. Ibidem Cod. 919. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Cajo-Gonvilensis Codice 74. cum tabula in fine ostendente, quomodo Decreta distinguantur. Item tabula de titulis Decretalium I. 60. ibidem Codice 930. in MSS. Juridicis Collegii ejusdem Cajo-Gonvilensi Codice 85. num. 4. Lindwoodi Provinciale cum Commentariis in Charta. Ibidem Codice 1807. in MSS. Domus S. Petri Codice 145. Constitutiones Provinciales cum Commentariis Guill. Lindewood. Ibidem Codice 1856. in MSS. iisdem Codice 194. Cæterum taceri non debet, Guillelmum Lindwoodum ad Concilium ipsum Basileense ab Henrico VI. Anglorum Rege legatum scripsisse *Historiam Actorum ejusmodi ex parte Anglorum, & insignem Regio nomine Appellationem*, Concilii Patribus obtulisse, contra Pontificum Romanorum fastum & arrogantiam, Regemque nullum in terris sibi in temporalibus superiorem agnoscere, prædicasse. Quam *Appellationem* ab omnibus Conciliorum editoribus, hucusque summa fraude omissam, conqueritur jure merito Thomas Jamesius in Tractatu *de corruptione Patrum* cap. 201. Londini Anglice 1612. in 4. edito. Verum damnum istud ac fraudem reparare potest Bibliotheca MSS. Codicum Bodleiana. Codice 1667. in MSS. Codicibus Latinis Kenelmi Digbæi Codice 66. ubi extat *Tractatus* de quo supra *Rerum gestarum ex parte Anglorum in Concilio Basileensi*, quem sequitur *Provocatio Guilielmi Lyndwoodi ex parte Regis Angliæ cum aliis fragmentis*. Utrumque Opusculum Lindwoodo, qui huic Concilio anno 1413. congregato adfuit, dignissimum ac rarissimum. Factus post annum 1434. Menevensis Episcopus, qui postquam perfunctus fuisset Legationibus ad Hispanum Regem, Lusitanum, aliosque Principes non paucos, obiit anno 1446. & in Ecclesia Sancti Stephani Westmonasterii Collegiata tumulatus jacet. De illo Franciscus Godwinus in Opere *de Episcopis Angliæ* pag. 613. in Episcopis Menevensibus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. p. 559. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1422. pag. 99.

CONRADUS

1420 CONRADUS JUSTINGERUS, natione Helvetius, hoc anno 1420. apud Bernenses celebris habebatur, cui publico Senatus Bernensis decreto injunctum fuit, ut *Historiam Bernensem* scriptis mandaret, sicut commemorat Michael Stetlerus *Historiarum Helveticarum* lib. 3. pag. 122. quas *duobus tomis nostra demum ætate editis factas publici juris testatur* Joannes Henricus Hottingerus in *Methodo Legendi Historias Helveticas* pag. 221. impressa Tiguri 1654. in 8. Extat autem *Chronicon Bernense a Conrado Justingero anno 1420. conscriptum* inter MSS. Codices Jenensis bibliothecæ, ut testatur *αὐτόπτης* Burcardus, Gotthelfius Struvius in *Introductione ad notitiam rei litterariæ & Bibliothecarum usum* cap. 4. *de bibliothecis Germanicis* §. 31. pag. 183. editionis 1706. Jenæ in 8. Vestigia Conradi Justingeri secutus est, cujus Chronicon excepit, vir alter de Bernensibus bene meritus Benedictus Tschachtl, ab anno 1450. inter suos honoratus & Senatorii ordinis, qui *Historiam eandem* a Berna urbe condita ad annum Christi 1470. ex eodem Senatus decreto conscripsit. Rarum & operosum scriptum, ex ipsis Dominorum Bernensium archivis erutum, cujus exemplar in manibus habuit Johannes Henricus Hottingerus, ut testatur in *Methodo legendi Historias Helveticas*, cum aliis opusculis edita Tiguri 1654. in 8. De qua pag. 220. loquitur, & in *Irenico Helvetico* pag. 161. & 164. allegat manuscriptum esse apud se apographum.

1420 PETRUS SUBERTUS, SANCTI PAPULI EPISCOPUS, Gallice *Soibert*, patria Ucetinensis, Juris utriusque Professor celeberrimus, cum diu Jurisprudentiæ animum apposuisset, ob doctrinam & probos mores, Romæ Antistes seu Episcopus Sancti Papuli anno 1428. die 28. Januarii designatus est. Hic ingenti sumptu restaurandæ suæ Ecclesiæ incumbens, documenta ejus recuperando, in archivum a se extructum recondidit ad posterorum memoriam, Prioratum Sancti Michaelis Capitulo Cathedralis Ecclesiæ univit, cui plurima jocalia & alia id generis donaria largitus est. Castrum de Villaspiro ac dormitorium inpensis suis magnifice reparavit, a Monachis fratribus Ordinis Divi Benedicti Cathedralem Ecclesiam tenentibus, occupatum. Nec studium Prælato defuit, qui non obstantibus Episcopatus sui curis, composuit *Librum de cultu vineæ Domini, præcipue ad Episcopales visitationes spectantem*, impressum Parisiis annis 1508. & 1514. apud Badium Ascensium: quo adornat instructissimam rationem omnibus Episcopis, ut cum ædificatione publica, fructuque animarum suas Diœceses circumeant ac visitent. Idem doctus & pius præsul *septem libros* edidit *de flagellis Dei*, qui MSS. extant in Regia Galliarum bibliotheca Codice 4284. sub hoc titulo, *Tractatus editus per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Petrum Dei gratia Episcopum Sancti Papuli, de flagellis Dei.* Incipit, *Omnis doctrina & omnis disciplina ex præcedenti fit cognitione, ut traditur in I. Posteriorum, quia moralis materia non patitur perscrutationem* &c. Delectus est anno 1435. exequutor testamenti Principis Jacobi Borbonii, Hungariæ Siciliæque Regis, & Marchiæ utriusque Comitis. Sepelitur in Cathedrali Ecclesia Sancti Papuli ante majus Altare, circa annum Domini 1450. De illo fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* pag. 842. in Episcopis Sancti Papuli. Et Bibliotheca Oxoniensi, verbo *Subertus Petrus.*

ANTONIUS DE ROSELLIS, natione Tuscus, patria Aretinus, Juris utriusque Doctor & in Gymnasio Patavino interpres, claruit ab anno 1430. & sequentibus, qui toto vitæ decursu applicuit animum studiis Juris Canonici & Civilis, variaque scripsit Opuscula, quibus nomen suum posteris transmisit. Orator Eugenii IV. Romani Pontificis, ad Concilium Basileense anno 1431. missus, qui & postea Frederico III. Imperatori a secretis consiliis fuit. Opusculorum Antonii de Rosellis plurima ac fere omnia extant in Collectaneo inscripto *Tractatus Tractatuum Juris*, impresso diversis voluminibus in fol. Venetiis anno 1584. & sequentibus. Extant igitur in Collectaneo isto *Tractatus Antonii de Rosellis de indiciis & Tortura*, tom. XI. pag. 290. qui incipit, *Quoniam de quæstionibus seu tormentis mentionem facturi sumus* &c. Ejusdem *Tractatus de indulgentiis*, ibidem tomo XIV. pag. 147. incipiens, *Quod autem indulgentiæ, quæ conceduntur in Ecclesia &c.* *Tractatus Legitimationum per eximium Juris utriusque Doctorem, Dominum Antonium de Rosellis editus*, ibidem tomo VIII. parte 2. pag. 75. incipiens, *Naturalium jus multis Legum Doctoribus non cognitum* &c. Tomo VIII. parte 1. pag. 357. *Tractatus Domini Antonii de Rosellis de successionibus ab Intestato.* Incipit, *Ista Glossa tres habet partes principales* &c. Tomo VII. pag. 66. *Tractatus de Usuris*, qui incipit, *Summi Dei suffragio postulato, Clarissimi Magistratus, Domini mei honorandi* &c. Extat ejusdem *Consilium Matrimoniale* editum inter alios Juris Tractatus, Francofurti anno 1580. pag. 121. *Ejusdem Antonii Roselli Repetitio in Caput*, Quidam Episcopus, *& in alios aliquot titulos Legis Civilis*, impressa Venetiis anno 1587. cum Repetitionibus variorum simul collectis, 2. voluminibus in folio. Ejusdem Tractatus amplissimus *de Ecclesiastica potestate ad Sigismundum Imperatorem*, MS. in Regia Galliarum bibliotheca Cod. 4267. cujus Prologus incipit, *Etsi divina Largitate Monarchiæ jurium summa fastigia sint* &c. Tractatus autem, *Maximum quidem est donum, quod principium æternum idemque finis, Dux, rector ac semita, noster Deus omnipotens* &c. de quo solum tractatu loquitur Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 104. dicens, 1430

in eo reperiri aliqua, quæ lima indigeant: atque Martinum Navarrum ab Azpilmeta in *Relectione cap.* Novit. *de judiciis*, *Notabili tertio*, docere illam haud recte fecisse, qui Imperatorem Papæ præposuisse videri posset: nisi quod alibi dixerit, *Papam simpliciter majorem esse Imperatore*. Sed excusari non potest, dum fusius scribit, Christo Salvatori nostro nullam fecisse potestatem secularem, atque ita nullam Petro demandasse, quod quidem diserte idem confutat Navarrus num. 8. ejusdem Notabilis tertii. Hoc idem Opus cum altero *Monarchia* inscripto, quod *de potestate Imperatoris & Papæ* differit, in V. partes divisum, sub Eugenio Papa IV. ante annum 1440. elucubratum, quodque sub Frederico Imperatore post annum 1457. auxit & recensuit, impressum Venetiis anno 1483. & 1487. imo & apud Melchiorem Goldastum tomo 1. *Monarchiæ* a pag. 252. usque ad 556. legi prohibitum in Judice Romano librorum prohibitorum, donec expurgetur. Et merito, nam in hoc Opere, adductis ex Scriptura Sacra, SS. Patrum scriptis, ratione, & utroque jure argumentis, probare nititur Romanum Pontificem in temporalibus nihil juris vel præsidentiæ habere, neque ullam gladii civilis authoritatem, quin nec ullam supra reliquos Episcopos in Ecclesia superioritatem habere. Obiit Antonius de Rosellis Patavii annis gravis, anno 1467. de quo loquitur Joannes Trithemius, qui cum anno 1467. vixisse asserit, quo mortuus est. Antonius Possevinus loco citato. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 66. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1450. pag. 135. Thomas Isidius, in Catalogo bibliothecæ Oxoniensis publicæ, Oxonii in fol. anno 1467. edito, verbo *Rosellis Antonius*.

1430 ANDREAS DE PETRA, RHODI SEU COLOSSENSIUM ARCHIEPISCOPUS, natione Græcus fuit, atque, ut opinamur, ex insula Rhodo oriundus: qui cum ætate grandior factus esset, Ordinem Fratrum Prædicatorum professus est: ubi cum ob merita doctrinæ singularis atque pietatis diu inculpatus mansisset, moresque & opiniones Latinas induisset docuissetque, ad Metropolitanam Colossensem Ecclesiam gubernandam Latinis procurantibus electus est. Claruit igitur circa annum 1430. & sequentes, qui in ea dignitate nuntius Eugenii Papæ in Concilio Basileensi fuit, unde tomo XII. Conciliorum ultimæ Parisiensis editionis anni 1672. colum. 872. extat *Oratio Magistri Andreæ de Petra Archiepiscopi Colossensis, quarti Ambassiatoris Domini Eugenii Papæ, facta in Congregatione Generali die XXII. Augusti anni 1432.* Adfuit quoque anno 1438. Concilio Florentino, multisque suis curis, unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina promovit: qui ut Acta hujus Synodi testantur, elegantem Sessione 2. ad Concilium Orationem habuit, qua Patres hortatus est plurimis ad amplexandam utriusque Ecclesiæ unionem hanc, eamque modis omnibus procurandam. Quantum ergo pro Latinis in Concilio Florentino fecerit, adversarius Marco Archiepiscopo Ephesino factus, ex hujus Concilii Actis ab Horatio Justiniano Bibliothecæ Vaticanæ custode primario collectis, dispositis & notis illustratis, constare potest: quæ habentur in ultima editione Conciliorum Labbeana Parisiensi anni 1672. tomo XXIII. colum. 825. Ibi enim extant *Collationes XXII. Græcorum cum Latinis*, quoad singulares cujusque Ecclesiæ opiniones, quibus in omnibus ac fere semper in Latinorum gratiam legitur, Andreas Colossensis Archiepiscopus. Unde merito Sylvester Sguropulus in *Historia Concilii Florentini* Sess. 2. cap. 5. dum agit de Eudæmone Joanne Romam profecto ad promovendam hanc utriusque Ecclesiæ concordiam, sic de Andrea loquitur. „Eudæmon" a Papa in ipso nascentis Dominii flore perbe-" nigne & splendide receptus, quæ ad pacem" concordiamque Occidentalis Ecclesiæ conci-" liandam cum nostra Orientali cederentur" commoda, liberrime explicuit: & Impera-" toris studium omne & propensitatem verbis" quamplurimis fusissime promisit. Quin &" collegam sibi ac socium adscivit, ad res faci-" litandas ex Latinorum nunc numero Episco-" pum Rhodi Andream, quem illic compere-" rat: nam & is etiam forte fortuna solemni Pa-" pæ inaugurationi interfuit. Andreas con-" festim luculenta & prolixa oratione, Papam" ad unionem hanc inter Ecclesias procuran-" dam animavit: qui cum noster esset origine," nostraque eruditione & Literatura imbutus," nescio quo fatali æstro zeli ac animositatis" percitus, a nobis ad Latinos transfugit: eorum-" que religionem ac mores amplexus, & ad Epi-" scopale pedum infulasque ab illis provectus," omnem imposterum operam & industriam" conferebat, ut alios posset ad eandem opini-" onem pertrahere, quam ipse in intimis hau-" serat. Imo & hanc sibi solum felicitatem re-" putabat fore, si omnes mortales sui sequaces" aut deprehenderet aut faceret. An perierit" illa Oratio quam habuit in Sess. 2. Concilii Flo-" rentini, hoc me latet. Verum sub ejus no-" mine juxta Antonium Possevinum ad calcem" *Apparatus Sacri* pag. 6. ubi agitur de bibliothe-" ca Vaticana, MS. ibidem extat, *Andreæ Rhodi" Archiepiscopi Apologia demonstrativa ex Com-" mentariis beatissimi Thomæ (Aquinatis opinor)" de divina essentia & energia, ad Bessarionem" Metropolitam Nicænum.*" Addit Horacius Justinianus vir accuratus & bonæ fidei in *Notis suis* ad Collationem secundam Concilii Florentini, tomo XIII. Conciliorum citatæ editionis colum. 928. extare, „*Dialogum inter hunc An-" dream Colossensem & Marcum Ephesinum in" Bibliotheca Vaticana, inter Codices Manuscriptos" Heidelberga adductos.*" Antonius Florentinus

Archi-

Archiepiscopus, in summa Historiali, titulo 22. cap. 1. Andream Rhodi Archiepiscopum, utriusque idiomatis fuisse peritissimum dicit, cujus tamen nomen non exprimit: quamvis Bzovius tomo XVI. *Annalium* anno 1439. num. 35. dictas, Antonii recensendo, vocatum fuisse *Bartholomaeum*, errando dixerit. Agunt de illo, Sylvester Sguropulus in *Historia Concilii Florentini* sect. 2. capp. 5. 14. & 15. Antonius Possevinus, tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Andreas Rhodi Archiepiscopus*, pag. 76. Horatius Justinianus in *Historia Concilii Florentini* passim in *Collationibus*, & in *Notis* ad Collationem secundam. Henricus Spontanus in *Annalibus* Baronium excipientibus, ad annum 1438. num. 30. ubi de Sessione 2. Concilii Florentini.

1430 JULIANUS CÆSARINUS EPISCOPUS TUSCULANUS ET CARDINALIS, sancti Angeli nuncupatus, iisdem temporibus claruit. Hujus elogium præsertim ex Paulo Jovio Episcopo Nucerino, qui elegantissime, ut solet, istius præstantissimi viri Encomium concinnavit, ac inter militaria sua reposuit: ex quo pauca in nostros hosce qualescunque Commentarios, velut totidem limpidissimi fontis & lacteo eloquentiæ manantis Latice rivulos, hauriemus. Is cum esset præstantissimæ indolis adolescens, ingenio ac facundia admirabili a natura præditus, moribusque integerrimus, ubi se in gymnasiis dudum litteris humanioribus exercuisset, ad utriusque juris studia in maturiori ætate se contulit, in quibus accurate versatus aliorum ipse Doctor evasit, & Jurisprudentiam publice cum laude professus est. Ea enim tempestate Professores hujus scientiæ, præcipue erant in honore, ob gravissimas *de Pontificia potestate* disceptationes: cum dira divisione tres uno tempore summi Pontifices, exemplo pernicioso, Christianis præessent sacris. Inde Protonotarii Apostoli titulo insignitus, adscriptusque est in numerum eorum judicum, quos in Romana curia *Signaturæ Referendarios* vocant: unde postea Sacræ Rotæ auditor & Cameræ Apostolicæ Clericus effectus. Quibus in muneribus tam recte atque incorrupte se gessit, ut a Martino Papa V. Diaconus Cardinalis, tituli sancti Angeli in foro Piscium, anno a partu Virginis 1426. die 24. Maji renuntiatus fuerit, indeque translatus ad titulum Presbyteralem sanctæ Sabinæ, tum Episcopus Grossetanus, ac demum Tusculanus nominatus. Miris porro ac veris laudibus, hic Cardinalis Cæsarinus, multorum scriptis atque præconiis celebratur. Imprimis autem Martinus Papa V. cum eum Basileensis Concilii Legatum a latere, præsidemque declarasset: *vitæ integritate & sapientia præclarum, magnitudine consilii conspicuum, in maximis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ negotiis diuturna experientia comprobatum* appellavit. Agnovit & singularem magni viri doctrinam doctissimus ipse Bessarion Cardinalis Nicænus, qui ad Alexium Lascarim Imperatorem hoc de Cæsarino testimonium protulit. *Quoad Orationem, nos excepit* in omnibus optimus vir & admirabilis, ac Latinorum gentis simulacrum & ornamentum naturæ, Julianus S. R. E. Cardinalis dignissimus, qui multa & pulchra dicens ad propositum argumentum, adeo validis & manifestis & claris demonstrationibus problema absolvit: ut ostenderet licere veritatem semper apponi *Divino Symbolo* Synodice, *& vocante necessitate, ita ut nos pluribus diebus meditantes, nihil ad hæc respondere potuerimus.* Cum præesset igitur ille Concilio Basileensi ac Florentino præsens adesset, multis Græcos contra Romanam Ecclesiam opponentes lacessivit. Adhanc enim contendens Synodum atque cum Græcis Disputationem suscepturus, secum adduxerat viros ex Latinis quatuor, Episcopos videlicet duos, Andream de Petra ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctorem egregium & utriusque idiomatis peritissimum, Colossensium Archiepiscopum qui olim Rhodii dicti sunt, postea etiam Collossensis a prodigioso Solis Colosso illic posito: Et Aloisium sive Ludovicum ex Ordine fratrum Minorum, Episcopum Forolinienséem, pariter eruditissimum. Tum duos quoque alios interioris Ordinis Doctores, sed non inferioris scientiæ, Ambrosium nempe Cardinalis Ordinis XXXV. Priorem Generalem, Græce illum & Latine doctissimum: atque Joannem de Montenigro, Ordinis fratrum Prædicatorum Lombardiæ Provincialem, Theologumque profundissimum, qui solus cum Marco Ephesino Episcopo in arenam descendit. Sane Constantinopoli apud Manuelem Eugenium MSS. extabant inter sanctæ & œcumenicæ Synodi Florentinæ omnia Græca.

Reverendissimi Cardinalis Juliani Scriptum contra Græcos, & de sancta œcumenica octava Synodo, & de Papa Eugenio & de processione Spiritus Sancti. Item *Reverendissimi, Sanctissimi & doctissimi viri, fratris Johannis de Montenigro Magistri Provincialis, de divina operatione, de fermentato & infermentato pane, & quod CHristus in Cana infermentatum discipulis dederit.* Præterea, *de processione Spiritus Sancti, quomodo idem Spiritus Sanctus ex Patre filioque procedat, & quisquis non confitetur ex Patre & Filio eum procedere, in via perditionis sit.* Item ejusdem fratris *Joannis, Magistri Provincialis Epistola, ad sanctam & œcumenicam octavam Synodum, sive etiam ad Imperatorem Joannem Palæologum, & ad beatissimum Eugenium Papam, & ad sanctam Synodum, nimirum ad Archiepiscopos, & omnes quotquot in ipsa octava Synodo inveniuntur.* Denique *Fratris Francisci Prædicatoris magnæ urbis Romæ, ad Manuelem Corinthium magnæ Ecclesiæ Orientalis Constantinopolitanæ*, Epistola prima, *Quod CHristus infermentatum panem dederit discipulis, & non fermentatum.* Epistola secunda, *Quod CHristus dixerit*, Ego Baptizo: & nequa-

nequaquam *Baptizetur.* Tertia Epistola, *de divina operatione, & de creato & increato, & de divino lumine, quod in monte Thabor apparuit, deque eo, quod transformatus sit CHristus coram tribus discipulis suis: & quod splenduerit facies ejus, sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sint alba sicut nix.* Epistola quarta, *de purgatorio igne, quod sit ignis purgatorius animarum.* Quæ omnia spectant haud dubie ad Julianum Cæsarinum Cardinalem, & ad eos quos secum ad Synodum Florentinam adduxerat. An ibidem ista adhuc extenr, vel quo translata sint, hoc me omnino latet. Mortuus est Julianus anno 1444. in expeditione Hungarica contra Turcas, unde & a nonnullis Martyr occubuisse creditur. Hæc nos paucis, pro instituto nostro. Vitam ejus pluribus contexuit Jovius, in *Elogiis* suis. Alteram quoque ipsius vitam MS. a Vespasiano Florentino conscriptam, publici juris fecir Ferdinandus, Ughellus tomo 3. *Italiæ Sacræ*, ubi de Episcopis Grossetanis sub Senensi Metropoli. Sed amplissime omnium, Ludovicus Donius D'attichy Episcopus Eduensis in *Floribus Historiæ S. R. E. Cardinalium*, tom. 2. ad annum 1426. pag. 105. ad 122. ubi num 36. de scriptis illius agit. Antonius Possevinus, tomo I. *Apparatus sacri*, verbo *Julianus Cardinalis S. Angeli*, pag. 986.

1430 MARCUS EUGENICUS, EPHESINUS ARCHIEPISCOPUS, natione Græcus, inter sui temporis eruditos homines locum non postremum obtinuit, rum ob eruditionem insignem, qua claruit, tum ob ardentem zelum, quo ad opiniones Ecclesiæ Græcæ contra Latinorum impetus defendendas exarsit. Hujusce rei non ignobile monumentum, Acta Concilii Florentini, in quo resplenduit annis 1438. & 1439. quæ eruditis omnibus obvia sunt. Præter ea quæ habentur ipsius in tomis Conciliorum atque alibi, extant inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cesareæ Vindobonensis, in Codice 279. qui chartaceus in 4to utcunque antiquus est, atque ad Joannem Sambucum, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim pertinuit: ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 226. & quidem num 1. a fol. 1. pag.
,,1. hujus Codicis usque ad fol. 11. pag. 2. ,,*Mar-*
,,*ci Ephesini Archiepiscopi Capita sexaginta octo*
,,*contra hæresim Acindynistarum, de distinctione*
,,*divinæ essentiæ & operationis*: cujus tituli Græ-
,,ci verba cum principio Capitis primi hæc
,,sunt: Μάρκȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Ἐφέσȣ κεφά-
,,λαια συλλογιστικὰ, κατὰ τῆς αἱρέσεως τῶν Ἀκιν-
,,δυνιστῶν περὶ διακρίσεως θείας ȣσίας, καὶ ἐνερ-
,,γείας. Κεφάλαιον α. Εἰ ταυτὸν ἐπὶ Θεȣ̃ ȣσία
,,καὶ ἐνεργεία, τὰ ἐκ τῆς ȣκίας &c. Tum Codice MSS. Theologico 280. qui ab Angerio Busbeckio, ut ipse propria manus suæ solita inscriptione testatur, Constantinopoli olim comparatus fuit: continetur Anonymi authoris, qui ut Sebastianus Tengnagellius credidit,
Marcus Metropolita Ephesinus est, *Opus contra Latinos de processione Spiritus Sancti*, cuius initium: "Καινή τις ἐστιν ὡς ἀληθῶς καὶ ἀλόγι-,,
στος, ἣν οἱ Ῥωμαῖοι ἐν τῷ ἁγίῳ Συμβόλῳ ποιȣ̃ν-,,
ται προσθήκην, λέγοντες: καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ,,
ἅγιον τὸ κύριον, καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τȣ̃ Πατρὸς,,
καὶ τȣ̃ υἱȣ̃ ἐκπορευόμενον. Εἰ γὰρ καὶ τινας ἔ-,,
χειν ἴσως φασὶ μαρτυρίας προφέρειν &c. Ejus-,,
dem *Marci Archiepiscopi Ephesini cognomento*,,
Eugenici, Cantica duo in Sanctam Trinitatem,,,
ibidem Codice 324. ut habet Petrus Lambe-,,
cius Libro eodem 5. Commentariorum hujus,,
Bibliothecæ pag. 284. quorum primum inscri-,,
bitur atque incipit hoc modo: Τȣ̃ ἐν ἁγίοις,,
Πατρὸς ἡμῶν Μάρκȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Ἐφέσȣ τȣ̃,,
Εὐγενικȣ̃ εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοȣ́σιον Τριάδα, καὶ,,
τὸν αὐτῆς ἕνα τὸν δι' ἡμᾶς σαρκωθέντα, Κύριον ἡ-,,
μῶν Ἰησȣ̃ν Χριστὸν, καὶ εἰς τȣ̀ς ἀσωμάτȣς καὶ εἰς,,
τȣ̀ς ἁγίȣς ἅπαντας, Στιχηρά. Μέγα τὸ εὐσε-,,
βὲς κήρυγμα. Item ibidem *ejusdem Marci E-*,,
phesini Canones octo in beatissimam Virginem Dei-,,
param, quorum unum quodque suam pecu-,,
liarem habet *Acrostichidem*, quæ idem ut quæ,,
libet Ode nona, nomine *Marci* insignita est,,
Primus autem inscribitur atque incipit hoc,,
modo: Κανὼν πρῶτος ȣ̔ ἡ ἀκροστιχίς. Ἀπάρ-,,
χομαί σοι τῶν ἐμῶν λόγων, Κόρη: Μάρκος. Ὠ-,,
δὴ α. ἦχος α. Ἀρχόμενοι σήμερον τȣ̃ τελευταίȣ &c.,,
In eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 110. extat inter MSS. Codices Philosophicos Græcos, Codice LXVIII.,,
num. tertio, & quidem a fol. 18. pag. 1. usque ad,,
fol. 54. pag. 1. *Marci Eugenici Metropolitæ E-*,,
phesini, qui Concilium Florentinum anno,,
Christi 1438. & 1439. partim Ferrariæ par-,,
tim Florentiæ celebratum acerrime impu-,,
gnavit, *Responsio ad Latinorum assertiones de*,,
igne purgatorio Ferrariæ anno 1438. habita,,,
cujus titulus & principium: Τȣ̃ ἐν ἁγίοις πα-,,
τρὸς ἡμῶν Μάρκȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Ἐφέσȣ ἀπάν-,,
τησις πρὸς τȣ̀ς παρὰ Λατίνων λόγȣς περὶ τȣ̃,,
πȣργατορίȣ, ἤτοι καθαρτηρίȣ πυρὸς, ἐν Φεραρίᾳ,,
τῇ πόλει ῥηθεῖσα. Ἐπειδὴ μετ' ἀγάπης ἀπο-,,
κρίνασθαι πρὸς τὰ παρ' ὑμῶν εἰρημένα ὀφείλο-,,
μεν, σωζομένης τῆς, παρ' ἡμῖν εὐσεβείας, καὶ,,
τῶν πατροπαραδότων ἐκκλησιαστικῶν δογμά-,,
των, προτάττομεν κεφαλαιωδῶς &c. Plura de,,
eodem Marco Metropolita Ephesino, vide in,,
Actis supra memorati Concilii Florentini, &,,
apud Leonem Allatium, *de Ecclesiæ Occiden-*,,
talis & Orientalis perpetua Consensione Lib. 3.,,
cap. 1. 2. 3. item Lib. V. horum Commentari-,,
orum pag. 342.,,

Quarto & quidem a fol. 54. pag. 1. usque,,
ad fol. 63. pag. 2. *ejusdem Marci Metropolitæ E-*,,
phesini Responsio secunda ad Latinorum assertio-,,
nes de igne purgatorio, cujus titulus & prin-,,
cipium: Τȣ̃ αὐτȣ̃ κεφαλαιώδης ἀπόκρισις πρὸς,,
τȣ̀ς παρὰ Λατίνων εἰρημένȣς λόγȣς, περὶ τȣ̃ αὐ-,,
τȣ̃ Πυργατορίȣ. Ἐπειδὴ σαφέστερον ἡμᾶς ἀ-,,
ποιτεῖτε, καὶ καθαρώτερον ἐπὶ τοῖς ἠρωτημένοις,,
,,παρ'

„*παρ' ὑμῶν ἀποκρίνασθαι, λέγομεν ἤδη διὰ βραχέων* &c. In fine autem hujus secundæ Responsionis extat subscriptio Mathusale Monachi sancti Montis Sinai, qua indicat se jam memoratas Marci Metropolitæ Ephesini Responsiones duas descripsisse & absolvisse in Ægypto, die 25. Januarii anni Mundi 7055. sive anno Christi 1547. Indictione quinta.

„Quinto & quidem a fol. 64. pag. 1. usque ad fol. 68. pag. 1. *ejusdem Marci Metropolitæ Ephesini aliæ quædam Quæstiones Theologicæ*, quarum titulus & principium: *Τοῦ αὐτοῦ Μάρκου τῆς Ἐφέσου τοῦ ἁγιωτάτου, ἕτερα, Θεολογικὰ ζητήματα. Ἡ τοῦ υἱοῦ προσηγορία δύο ταῦτα σημαίνει, τήν τε πρὸς τὸν Πατέρα σχέσιν, καθ' ἣν* &c.

„Sexto & quidem a fol. 69. pag. 1. usque ad fol. 82. pag. 2. *Ejusdem Marci Metropolitæ Ephesini Capita Syllogistica adversus Latinos de processione Spiritus Sancti*, quorum titulus & principium: *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μάρκου Ἀρχιεπισκόπου Ἐφέσου συλλογιστικὰ κεφάλαια, πρὸς Λατίνους. Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ Πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐκπορευόμενον, ἢ ὡς ἐκ δύο ὑποστάσεων πρόεισιν, ἢ* &c.

Hæ vero *Orationes de purgatorio Ferrariæ habitæ* de quibus statim egimus, *Responsiones ad Quæstiones Cardinalium, & de Corporis Dominici. Solutio duarum quæstionum a Rege propositarum.* Epistolæ ad Orthodoxos, Epilogus adversus Latinos; *ὁμολογία τῆς ὀρθῆς πίστεως*, *Confessio rectæ fidei Florentiæ facta*, & alia quædam in Bibliotheca Regis Galliarum Græce MSS. asservantur, teste Philippo Labbeo in specimine *novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Librorum*, parte 2. paragrapho 2. pag. 88. Denique *ejusdem Marci Metropolitæ Ephesini Professio Orthodoxæ fidei*, cujus fragmentum exhibet Leo Allatius Lib. 3. *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* cap. 3. paragr. 4. *Epistola ad Joannem Palæologum Imperatorem*, cujus fragmentum dat idem Allatius in Libro *de Synodo octava* cap. 14. pag. 544. *Euphrasis animam agentis*, cujus excerptum habet idem Allatius ibidem. *Capita Syllogistica contra Latinos de processione Spiritus Sancti*, atque *Epistola ad Georgium Scholarium contra ritus & sacrificia Romanæ Ecclesiæ*, hæc inquam Opuscula quinque extant MSS. in Bibliotheca Vaticana: quorum duo ut supra notatum est, extant MSS. in Bibliotheca Cæsarea, alia in Regia Galliarum, ut ex prædictis constat. Ex his omnibus Manuscriptis Tractatibus Marci Eugenici Metropolitæ Ephesini, qui tam in Pontificia, quam Imperatoria & Galliarum Regia Bibliothecis latent, unicus *Tractatus, quod divina dona sanctificantur nonsolum a verbis Dominicis, verum etiam a consequentibus oratione & benedictione Sacerdotis, virtute Spiritus Sancti:* habetur Græce impressus inter Liturgias Parisiis anno 1560. pag. 138. Nec mihi dubium, quin ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ, de quo citato loco Labbeus. Denique *ejusdem Marci Metropolitæ Ephesini Epistola de Synodo Florentina ad omnes Christianos*, quos multis hortatur, ne Synodum Florentinam suscipiant, Græcorum subscriptiones partim pretio, partim terrore a Latinis surreptos esse docens: extat una cum Josephi Methonensis responsione, Græce & Latine Conciliorum tom. XIII. pag. 677. *Ejusdem Epistola alia circularis ad omnes ubicunque terrarum degentes, de eodem argumento*, cum Responsione Gregorii Protosyncelli, Græce & Latine ibidem pag. 740. Hæc pauca duntaxat ex Manuscriptis multis, Marci Eugenici impressa Opuscula.

Alia quoque MSS. multa sunt in Anglicanis bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodleianæ Oxonii in Anglia bibliothecæ, in MSS. Baroccianis Codice 114. pag. 149. *Archiepiscopi Ephesini Confessio fidei in Concilio Florentino.* *Ἐγὼ τῇ τοῦ Θεοῦ* &c. Ibidem Codice 684. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi & Oxoniensis Academiæ Cancellarii, littera C. Codice 32. *Marci Archiepiscopi Ephesi Homilia*, Græce. Ibidem Codice 720. in MSS. ejusdem Guilielmi Laudi, littera C. Codice 78. num. 8. *Marci Eugenici Ephesii Metropolitæ relatio de Synodo Florentina* p. 74. num. 9. *Ejusdem Epistola ad Georgium quendam Presbyterum in Methonem missa* pag. 76. b. num. 10. *Ejusdem Epistola ad Scholarium* pag. 77. b. num. 11. *Ejusdem Apologia seu Confessio extemporaria sub mortem fact..* pag. 78. b. num. 12. *Ejusdem ad Scholarium Archontem* pag. 79. num. 13. *Scholarii responsum* pag. 80. num. 14. *Scripta adversaria, contra Latinos, ex Orthodoxis maxime Patribus collecta* pag. 81. num. 15. *Ad Trochum de testimoniis nonnullis, quod Spiritus a solo Patre, non item a Filio procedit. Quodque aliud Missio, aliud Processio sit* pag. 96. ad 102. Ibidem Codices 3377. in Manuscriptis Codicibus Joannis Seldeni Codice 47. num. 5. *Marci Ephesii Confessio fidei in Florentina Synodo.* Græce. Et ibidem inter adversaria Gerardi Langbaini Theologi atque Philologi præstantissimi, Collectionum Volumine 2. num. 14. ut habet Catalogus Manuscriptorum Codicum Bodlejanæ Bibliothecæ impressus anno 1698. in folio, pag. 268. columna 2. Denique in Lugdunobatava nostra Bibliotheca, inter Manuscriptos Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice Græco 142. *Marci Archiepiscopi Ephesini Orationes de Purgatorio Latinorum, ac de iis, quæ tractata fuere in Synodo Florentina.* Agunt de *Marco Archiepiscopo Ephesino*, Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro*. Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 226. 227. 284. & in Catalogo pag. 342, Lib. 7. pag. 110. & 111. atque in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 317. Henricus Warthonius in Supplemento ad *Historiam Litterariam* Guillelmi Cavi, anno 1436. pag. 112.

JOANNES EUGENICUS, DIACONUS 1430
magnæ Ecclesiæ Patriarchalis Constantinopolita-

polita-

politanæ & Nomophilax seu Legum custos, Marci Eugenici Ephesiorum Archiepiscopi frater germanus, cum ipso ad Synodum Florentinam accessit, cui in oppugnandis Latinis opem subsidiariam in Concilio Florentino anno 1438. præsens factus attulit. Cum autem ad Græcos fatigandos ac animo frangendos, Romanus Pontifex moras de die in diem callide necteret, & subtimidum Imperatoris sui animum odio Joannes Eugenicus haberet „ spem Græcis nullam fore bonam ex hac Synodo odoratus, fugam molitus est seu regressum potius ab Imperatore obtinens, in Græciam iter meditatur, Marcum etiam fratrem & Archiepiscopum Heracleensem, viros in Græcis insigniores & doctiores, itineris ac regressus socios adsciscens. At Sylvester Sguropulus hujusce Consilii Actorum Græcus Scriptor, re agnita, revertentes equo insequitur, quos & assequitur tandem ac ad Consilium redire ex Imperatoris mandato persuadet, nisi causam Græcorum & Imperii sui penitus perditam velint. Hæc pluribus persequitur Sylvester Sguropulus in Historia Græca Concilii Florentini sectione 6. cap. 7. pag. mihi 151. & 152. Scripsit *Antirrheticum adversus Synodum Florentinam*, cujus fragmenta quædam Græco latine exhibet Leo Allatius in in Libro suo *de Purgatorio* pagg. 61. 220. 241. 265. Romæ anno 1655. in 8. edito. Extat ejusdem *Joannis Eugenici Oratio Encomiastica in Sanctum Josephum Hymnographum seu Melodum*, quæ memoratur a Leone Allatio in Diatriba *de Symeonum scriptis* pag. 97. Item inter MSS. Codices Theologicos Græcos bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice 311. „*Joannis* „*Diaconi Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, co*„*gnomento Eugenici Oratio Encomiastica in S.* „*Martyrem Jacobum Persam*, cujus titulus & „principium Græce Codice 311. fol. 176. pag. 2. „Ἰωάννȣ Διακόνȣ τȣ͂ Εὐγενικȣ͂ ἐγκώμιον εἰς τὸν „ἅγιον μεγαλομάρτυρα καὶ θαυματȣργὸν Ἰάκω„βον τὸν Πέρσην. Incipit, Εἶτα πεπονηκώς μέν „τις καὶ κάμνων τῷ σώματι ἰατρῷ τινὶ προσ„ελθὼν &c. Meminit hujus Scriptoris præter allatos supra Petrus Lambecius Lib. V. *Commentariorum bibliothecæ Cæsareæ Vindobonæ* ad Codicem Theologicum 311. pag. 274. & in Catalogo Scriptorum hujus Tomi pag. 337. Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1438. p. mihi 115.

1430 JOANNES CALOIDES Græcus Scriptor, vivebat eodem tempore, qui scripsit *Canonem Paschalem* ab anno Mundi 6938. sive anno Christi 1430. usque ad annum Mundi 7000. sive annum Christi 1492. Extat Opus istud Græce MS. apud Danielem de Nessel inter MSS. Codices Græcos Philologicos, quos recensuit Tomo 2. *Compendii Commentariorum* Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, quod Viennæ anno 1690. in folio editum est. Tomo itaque 2. parte 4. inter MSS. Codices Philosophicos ac Philologicos Codice 178. pag. 98. hæc habet. Codex 178. MS. Philologicus & Philosophicus" Græcus est chartaceus antiquus in 4. constat-" que nunc foliis 348. & ab Augerio Busbechio," ut ipse folita propriæ manus inscriptione te-" statur, olim Constantinopolis comparatus" fuit. Continentur eo hæc *primo* & quidem a" fol 1. pag. 1. usque ad folium 19. pag. 1. *Miscella*-" *nea quædam Astronomica* inter quæ primum lo-" cum obtinet *Joannis Caloidæ Canon Paschalis*" *ab anno mundi 6938. sive anno Christi 1430. usque*" *ad annum Mundi 7000. sive annum Christi 1492.*" Quamvis autem hic Canon usque ad jam me-" moratum tempus pertingat, ipse tamen Au-" ctor, in fine ejus, se illum composuisse & ab-" solvisse anno Mundi 6937. sive anno Christi" 1429. propria manu testatur. In eodem MS." Codice num. 14. & quidem folio 280. pag. 2." *Inscriptio Græca*, qua Joannes Ille cognomine" ὁ Καλοειδής, cujus supra quoque mentio fa-" cta jam est, se hunc Codicem scripsisse anno" Mundi 6939. sive anno Christi 1431. Indictio-" ne nona, indicat." Hæc Daniel de Nessel loco citato ad verbum.

GEORGIUS GEMISTIUS PLETHO, 1430 ortu Constantinopolitanus, Bessarionis Nicæni Archiepiscopi & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in humanioribus litteris Magister fuit. Hunc Sylvester Sguropulus Synchronus, in *Historia Concilii Florentini* sectione 6. cap. 10. & sect. 7. cap. 8. cum honorifica compellatione *Litteratissimum Gemistium* vocat. Florebat ille jam ab anno 1426. inter Græcos clarissimus atque Imperatori intimus, quocum in Peloponnesum excurrente, ad concilium intimum & familiare colloquium admittebatur. Omnimode anno 1437. annisus est consiliis suis, ut ab itinere ad Florentinam Synodum Italico Imperatorem averteret, quemadmodum testatur Sguropulus sect. 6. cap. 10. his verbis. Verum istud dubium diu antea inter" nos pervulgabatur, cum adhuc in patria" commoraremur: & tantum periculosissimum" naufragii scopulum atque internecinam per-" niciem, præ oculis habuimus: ita ut sæpe" numero alter alterum domi interrogare con-" sueverit, qui quo marte, hoc incommodo" defungi possemus. Nunc autem ubi Litera-" tissimus Gemistius a nostratium aliquibus in-" tellexisset, nos hac difficultate implicari, hæc" verba protulit. *Memini, me ante annos duode*-" *cim de hoc argumento, cum hoc Imperatore ver*-" *ba fecisse: cum enim tunc temporis Imperator*" *excurrisset in Peloponnesum, mihi ad colloquium*" *admisso, hæc inter cætera patefacere dignatus*" *est. Se ad Schisma tollendum Legatos misisse Ro*-" *mam, & eo rem produxisse cum Papa, ut brevi*" *in Italiam profecturi, Synodum œcumenicam ce*-" *lebraremus. Quin & hoc insuper addidit; & tu*" *Gemisti, quid censes de hoc incœpto? Dic, qui*-" *bus potissimum modis in hoc negotio, & utilitati*" *nostræ prospicere, & patriæ prodesse valuerimus.*"

Respondi

„*Respondi ego, me peregrinationem in Italiam nullo*
„*modo comprobare posse, nec enim, quantum augu-*
„*ror, ex illa unquam larga bonorum messis in*
„*horrea nostra redundabit: si tamen res prudenter*
„*dispensabitur, nonnulla occurrent diligenter in-*
„*vestiganda & ambienda, quæ nostris negotiis a-*
„*liquem proventum accommodabunt: quod illi soli*
„*deprehendent, qui rebus illis cum consilio admini-*
„*strandis præficientur. Sed id unum ex animi sen-*
„*tentia extemporonea liceat insinuare. Si desi-*
„*gnata prosequimini, ibitis exigua manus potissi-*
„*morum hominum contra infinitam Gentem: etsi*
„*inconsiderate & improvide ruetis in Synodum,*
„*Latini omnia ad se arripient, dominante plurium*
„*suffragiorum uti assolet prærogativa. Ita non*
„*ad Synodum, sed ad condemnationem protrahe-*
„*mini. Quare ante omnia modus est constituen-*
„*dus, ut non in majori votorum numero caussa-*
„*rum diremtio consistat: sed ut unius partis suf-*
„*fragia ad alterius in æquipondio librentur, quam-*
„*vis hinc perpauca appareant, illinc numerosa:*
„*ita sine periculo & cum spe Synodum frequentabi-*
„*tis. Hoc conducibile consilium mihi tunc sugges-*
„*sit animus, quod impertirem: quin & Impera-*
„*tor mea dicta laudare nisus est, ac promittere se*
„*diligentiam adhibiturum, ut ea res artificio suo*
„*in nostram utilitatem perquam maximam rite*
„*disponatur. Quo circa putaveram Imperatorem,*
„*de eadem præcipue cogitasse, priusquam Constan-*
„*tinopoli egrederemini.*" Ita Georgius Gemistius,
qui ob doctrinam singularem a potissimis suo-
rum temporum Græcis cultus est, Imperato-
rique a conciliis fuit. Idem anno 1438. cum
cæteris Græcis Concilio Florentino adfuit, qui
ad concilium privatum a doctissimis etiam Ar-
chiepiscopis Græcis vocatus est, ut quid ipse
de controversiis sentiret, mentem sincerus a-
periret. Ita Sguropulus sect. 7. cap. 8. *Histo-*
riæ Concilii Florentini, his verbis. „Ergo post
„interjectum unius dieculæ spatium, ut pro-
„miserat Imperator, Patriarcham adiit: &
„quanquam remotis arbitris soli satis diu con-
„versarentur a neutro tamen est interposita
„mentio illius Consilii, quod Imperator antea
„tam ferociter confoderat. Imperator autem
„majori quam unquam antehac studio incubu-
„it, per seipsum, suosque pararios persuade-
„re Archiepiscopis, ut ad disceptationes de
„Dogmate transmearent. Quod ubi Doctissi-
„mus Gemistius intellexit, Imperatorem, Pa-
„triarcham, & nos omnes prudenter monuit,
„cavendum esse, ne in Dogmatis palæstram te-
„mere ac præcipitanter transeamus: sed no-
„stratibus in consilium prius adhibitis, consi-
„deratè conspicere oportet, eorumque men-
„tes imbui, ac exercitari, in iis quæ Latini es-
„sent propositum. *Sunt enim* (inquit) *nostra-*
„*tium aliqui tam periti rerum Latinarum, ut e-*
„*asdem eloqui, defendere, ratiocinari accuratius,*
„*quam ipsi Latini norint. Quare prius, audiant*
„*fortissima Latinorum argumenta, & expendant*
„*& refellere moliantur: nam si fortiora proment,*
sine dubio poterunt Latinorum evertere, ipsosque"
adversarios facile prosternere. Sic antecedaneis"
præparati prolusionibus, Disputationum arenam"
ingrediantur: at si enim adverterint, Latinos"
in argumentis prævalere, abstineant ab his Di-"
sputationum comitiis, & alium modum exqui-"
rant utilitati suæ prospiciendi. Patriarcha au-"
tem vocatum ad se Gemistium in secretum"
adduxit, & fingens se de nonnullis ambigere,"
quæ Latini affirmant, de processione Spiritus"
Sancti, eum his verbis allocutus est. Gemi-"
sti, te revereor, ut nostræ Ecclesiæ Doctorem"
Litteratissimum, virumque sapientem, & in"
istiusmodi abstrusissimis Mysteriis multa co-"
gnitionis luce circumdatum, quam & a lon-"
gæva experientia & multiplici industria in his"
consumpta acquisiveras. Insuper & senem"
præclaræ ingenuitatis, & eximium præ rebus"
omnibus veritatis amatorem: quare visum"
est operæ pretium, te mihi in privatum arces-"
sere, ut me in plenariam fidei certitudinem"
reponas quarundam ambiguitatum, in qui-"
bus mihi hæret aqua. Dic igitur candide &"
ex animi sententia, sic te Deus adjuvet, u-"
trum Dogma verius existimes Latinorum, an"
nostrum: Gemistius respondit, *Neminem no-*"
strorum oportere, de quibus nostri affirmant, du-"
bitare: nam ecce hanc primo doctrinam ex ore"
Domini nostri Jesu Christi manantem hausimus,"
deinde ab Apostolo, quia semper fuere habita fidei"
nostra fundamenta, quibus nostri omnes in Eccle-"
sia Doctores innituntur. Ergo cum universi Do-"
ctores nostri fundamenta teneant inconcussa, &"
nullatenus a veritate deflectant, & ipsa funda-"
menta sunt manifestissima: nefas esset, quæ illi"
afferunt, in dubium vocare. Qui enim in his flu-"
ctuat, haud scio, in quem portum fidei ancoram"
projiciat: quin nec illi, qui contra nos in hac caussa"
militant, ita dubitant: sed verissima profiten-"
tur, quæ nostra Ecclesia prædicat, & sua dogma-"
ta coguntur, vel obtorto collo nostris conformia"
probare: multominus decet nostrates veritatem"
prodere, cui adversarii adstipulantur. De eo-"
rum vero opinione merito forte quis dubitat, cum"
revera examine ac demonstratione indigeat, & a"
nostra immensum discriminetur. His & multo"
nervosioribus perstrinxit mentem Patriarchæ"
eruditissimus Gemistius, & confirmavit, non"
oportere nostrates ambigere, in iis quæ no-"
stra Ecclesia de Processione Spiritus Sancti te-"
net. Sed & cum disputationes agitarentur"
de Purgatorio coram Imperatore ipso, pluri-"
misque nostratium in unum congregatis, Im-"
perator nos celebri Oratione allocutus pro-"
nuntiaret, nostrates oportere præconceptas"
opiniones mentibus eximere, & neque La-"
tinorum lubricas proscribere, neque no-"
stris ut certis inhærere: sed accedere cum"
nullius opinionis præjudicio, & eo usque"
suspensos statuminari, dum ambabus perve-"
stigatis, potissima a Synodica definitione e-"
nuntiabitur, eamque solam ut fidei articulum"
verum

„verum & genuinum agnoscere. Forte fortuna tunc Gemistius interfuit, & cum hoc dictum auribus percepisset, nobis omnibus sed præcipue Nicæno insusurravit: *Ex quot annis hunc Imperatorem cognoverim, nunquam audivi ab eo effatum detestabilius, quam quod nunc attulit: nam si in Dogmatibus Ecclesiæ hac illac incerti titubamus, firma fides nullis quæ docet, adhibenda est: quo quid perniciosius Ecclesiæ contingat?* Hæc Gemistius ex Sguropulo teste oculato, unde eum fuisse verum litteratissimum, & dum Concilio Florentino interfuit, valde senem liquet:“ quem ut eximium Doctorem Patriarcha consulebat, sed Latinis partibus adversarium extitisse, contra quas etiam scripsisse legitur. Sed postea in alium virum commutatus, librum *de processione Spiritus Sancti in gratiam Latinorum* composuit, quem *Manuel* dictus *Malaxus* consutavit, ut ad annum 1440. postea dicemus. Licet antea Opus inscriptum *Georgii Gemistii Pletonis Apologia adversus Latinos de processione Spiritus Sancti* scripsisset, quæ Græce MS. extant inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ, in MSS. Baroccianis Codice 114. pag. 148. Atque etiam in bibliothecis Italiæ Vaticana, Ambrosiana, Augustana & alibi, ut testatur Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & illorum scriptis* pagg. 389. & 391. Illic latissime de *Georgio Gemistio Pletone* a pag. 383. ad 392. An vero adhuc diu post Florentinam Synodum superstes fuerit, quove anno vel loco mortuus sit, certum nihil in Scriptoribus legitur.

Scripsit varia, nempe *de gestis Græcorum post pugnam ad Mantineam libros duos*, qui Latine Basileæ prodierunt anno 1540. ex versione Marci Antonii Antimachi. Græce Venetiis ad calcem Zenophontis, anno 1503. ex Aldi officina, & Basileæ anno 1557.

De rebus Peloponnesiacis constituendis Orationes duas, Græce & Latine per Guillelmum Canterum editas Antwerp. anno 1575. cum libello Græco ejusdem Scriptoris, *de Virtutibus*, ibid. in fol.

De differentia Philosophiæ Aristotelis & Platonis, Parisiis Græce anno 1541. in 8. & Latine per G. Chariandrum Basileæ anno 1574.

Scholia in Zoroastris Oracula, Græce & Latine per Joannem Obsopæum, Parisiis anno 1599. in 8. & ibidem 1538. Opera Manuscripta, quæ præcipue sunt Historica, Rhetorica, Philosophica, longa serie recenset Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum scriptis* pag. 385. quæ ab eo petat curiosus Lector. Nos hic, quæ hujus extant Scriptoris in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, sub uno conspectu dabimus, ex Lambecii Commentariis hujus Bibliothecæ.

Hujus *Georgii Gemistii Plethonis Orationes duæ funebres in duas Imperatrices Constantinopolitanas, Cleopem & Hypomonem*, extant in Codice MS. Theologico Græco CCLVII. num. XI. hujus Bibliothecæ Cæsareæ, ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum suorum pag. 175. his verbis. „Undecimo & quidem a fol. 230. pag. 1. usque ad fol. 233. pag. 1. *Georgii Gemistii Plethonis Orationes duæ funebres in duas Imperatrices Constantinopolitanas Cleopem & Hypomonem:* quarum prima inscribitur atque incipit his verbis. Τῦ Πλήθωνος μονῳδία ἐπὶ τῇ ἀοιδίμῳ βασιλίσσῃ Κλεώπῃ τῇ ἐξ Ἰταλῶν, ἐν ᾗ καὶ περὶ ἀθανασίας ψυχῆς, καὶ αἰδιότητ☉. Σόλων μὲν ὁ σοφὸς πρὸς τὺς σφίσι τε αὐτοῖς καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τοῖς πολλοῖς μακαρίυς δοκῦντας τὲ τῦ βίυ τέρμα ὁρᾷν διεκελέυετο &c. Altera autem, Τῦ Πλήθων☉ μονῳδία ἐπὶ τῇ ἀοιδίμῳ καὶ μακαρίτιδι Δεσποίνῃ Ὑπομονῇ. Τῇ τῶν ἡμετέρων βασιλέων τε καὶ Ἡγεμόνων μητρὶ, τῇ ἄρτι δὴ ἐκ τῦδε τῦ βίυ οἰχομένῃ &c. Plura de his duabus Orationibus vide apud Leonem Allatium in Diatriba *de Georgiis & eorum scriptis* pag. 386.“

Codice MS. Philosophico Græco XLI. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 82. his verbis. „Decimo sexto & quidem a fol. 484. pag. 2. usque ad fol 488. pag. 1. *Fragmentum Libri* de fato *Georgii Gemisti Plethonis*, cujus titulus & principium: Τῦ σοφωτάτυ Γεωργίυ Γεμιςῦ περὶ Εἱμαρμένης θαυμάσιον. Οἶμαι δὲ τῦτον εἶναι καὶ Πλινθύδιον καὶ Πλήθωνα. Εἰς ἃ καὶ Γεώργιον τὸν Σχολάριον ἀπηντημένως ἔυρομεν σοφῶς ἄγαν, καὶ θαυμασίως. Πότερα δὲ ὥρισαί τε καὶ εἵμαρται ἅπαντα τὰ μέλλοντα &c.“

Codice MS. Philosophico Græco LXVI. num. 4. ut habet Lambecius ibidem pag. 107. his verbis. „Quarto & quidem a fol. 13. pag. 2. usque ad fol. 25. pag. 2. *Georgii Gemisti Plethonis Liber de Virtutibus*, cujus titulus & principium: Γεωργίυ τῦ Γεμιςῦ περὶ ἀρετῶν. Ἀρετή ἐςιν ἕξις, καθ' ἣν ἀγαθοί ἐσμεν. ἀγαθὸς μὲν δὴ τῷ ὄντι Θεὸς. ἄνθρωποι δὲ &c. Primus hunc Librum Græce & Latine edidit Adolphus Occo, Medicus Augustanus, doctissimus æque ac celeberrimus, una cum Aristotelis supra memorato Libello *de Virtutibus & Vitiis*, Basileæ ex typis Joannis Oporini, anno 1552. in 8.“ Extat idem Libellus Græce manuscriptus ibidem, Codice MS. Philosophico Græco LXXVIII. num. 5. ut habet Lambecius ibidem pag. 137. & Codice MS. Philosophico Græco XCII. n. 1. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 176.

Codice MS. Philosophico Græco XC. num. 1. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 162. his verbis. „Primo & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 27. pag. 2. *Georgii Gemisti Plethonis Responsio ad Georgii Scholarii pro Aristotele contra Platonem objectiones:* cujus titulus & principium. Γεωργίυ Γεμιςῦ τῦ Πλήθων☉ πρός τάς Σχολαρίυ ὑπὲρ Ἀριςοτέλυς ἀντιλήψεις. Σχολάρι☉. Ἐπεὶ τὸ βιβλίον τῶν κατ' Ἀριςοτέλυς βλασφημιῶν καὶ εἰς ἡμᾶς ὀψὲ περιῆλθεν. Πλήτων. Ἐγὼ μὲν ὐκ ὀψέ ὥςγε συ φῂς ἀλλ' ὅτε τὸ πρῶτον ἠτήθην, εὐθὺς ἔπεμψα.

σὺ δὲ

,,σὺ δὲ τὴν δέ σου τὴν συγγραφὴν πάλαι συγγε-
,,γραφὼς καὶ πέμπειν κελευόμενος, πολλάκις
,,τε τοῦτο κελευόμενος, τέως μεν οὐκ ἔπεμπες.
,,τελευταῖον δὲ &c. Definit denique tota illa
,,Plethonis Responsio his verbis: Φλυαρήσεις
,,δὲ τηνάλλως, καὶ σαυτὸν μόνον αἰσχυνεῖς. τὴν
,,σαυτοῦ σκαιότητα ἔτι καὶ μᾶλλον ἐπιδείξας.
,,ἡμῖν δὲ σου τὰ τοιαῦτα ἴσα καὶ κυνιδίου μελι-
,,ταίου τινὸς ὑλακαῖς λελόγισταί τε ἤδη καὶ αὖθις
,,λογισθήσεται. Plura de hac Plethonis Re-
,,sponsione, ut & de tota illa controversia & de
,,obtrectationum, calumniarum & opprobrio-
,,rum plaustris, quibus ea ab utroque tractata
,,est, inde apud Leonem Allatium in Diatriba
,,*de Georgiis & eorum Scriptis* pag. 387. ubi in-
,,ter alia etiam Codicis manuscripti eandem
,,*Plethonis Responsionem* continentis, quem ipse
,,olim habuit, mentionem his verbis facit.
,,*Cum Heidelbergæ morarer, Tractatum hunc pro*
,,*avo Authoris antiquum, eleganter emendateque*
,,*descriptum, quem a Nicolao Alemanno dono ac-*
,,*ceperam, Gothardo Voegelino, typographo satis*
,,*celebri, impense expostulanti tradidi: ut una*
,,*cum alio. De differentia Platonis & Aristotelis,*
,,*& si fieri posset, etiam Latine typis elegantissimis*
,,*evulgaret: sed an evulgatus sit, ad hunc diem*
,,*non novi.* Hæc Allatius.

. Tertio & quidem a fol. 29. pag. 2. usque ad
fol. 34. pag. 1. ,,*Georgii Gemisti Plethonis Episto-*
,,*læ duæ responsoriæ ad Cardinalis Bessarionis Epi-*
,,*stolam:* quarum prima inscribitur atque inci-
,,pit his verbis. Ἀπόκρισις Γεμιστοῦ πρὸ Βησ-
,,σαρίωνα. οὐ πάντα οἴεσθαι χρὴ τοὺς ἄνδρας τού-
,,τους, οὓς καταλέγεις, ἀλλήλοις συμφωνεῖν, ἀλ-
,,λὰ τὰ μὲν μείζω καὶ κυριώτερα συνᾴδειν, ἔστι
,,μέν τοι περὶ ἃ καὶ διαφωνεῖν. αὐτίκα ὁ Πλά-
,,των &c. Altera autem, Ἑτέρα ἀπόκρισις Γε-
,,μιστοῦ πρὸς Βησσαρίωνα. Ἐπειδὴ καὶ μαρτυρί-
,,ων δέῃ πρὸς τὰ προγεγραμμένα σοι ὑπὲρ μὲν
,,τῶν περὶ τοῦ αὐτοπαραγωγοῦ μοι εἰρημένων &c.
,,Atque ut habet Lambecius ibidem, de eodem
,,MS. Codice pag. 163.

. Quarto & quidem a fol. 35. pag. 1. usque ad
fol. 36. pag. 1. ,,*Georgii Gemisti Plethonis ad Im-*
,,*peratorem Manuelem Palæologum Epistola de re-*
,,*bus Peloponnesiacis, & præcipue quidem de Isth-*
,,*mo:* cujus titulus & principium: Τοῦ Γεμιστοῦ
,,πρὸς τὸν βασιλέα. Θειότατε Αὐτοκράτωρ, τὰ
,,μεν καθ' ἕκαστα, περί ὧν ἄν σε ἐβουλόμην μα-
,,θεῖν, Ῥάξης ὁ καλός τε, κἀγαθὸς ἀπαγγελεῖ,
,,ἃδ' ὥσπερ κεφάλαια τῶν ὑπ' ἐμοῦ σοι δηλου-
,,μένων, τῆδε δὴ μάλιστα δίειμι. πρῶτον μεν, ὡς
,,οὐχ οἷόν τε ἐκ τῶν καθεστώτων τὸν Ἰσθμὸν φρου-
,,ρεῖσθαι, οὔτε Πελοπόννησον ὅλως σῶν ἔστιν ὑμῖν
,,εἶναι, ἢν οἱ βάρβαροι ἐπίωσι. τούτου δὲ ἐν τοῖς
,,μάλιστα αἰτίαν τὴν κακοπολιτείαν εἶναι, δι' ἣν
,,&c. Diversa autem Epistola hæc est ab ejus-
,,dem Plethonis ad eundem Imperatorem Ora-
,,tionibus *de rebus Peloponnesiacis*, quas ex bi-
,,bliotheca Joannis Sambuci, cum Joannis Sto-
,,bæi *Eclogis Physicis & Ethicis*, Græce & Latine
,,edidit Guillelmus Canterus Antwerp. in fol.

anno 1575. typis Christophori Plantini." Idem
Lambecius ibidem pag. 164.

Sexto & quidem a fol. 39. pag. 1. usque ad
fol. 41. pag. 2. *Georgii Gemisti Plethonis Colle-*"
ctio summaria Zoroastreorum & Platonicorum"
Dogmatum, hactenus inedita, cujus titulus &"
principium: Ζωροαστρείων τε καὶ Πλατωνικῶν"
Δογμάτων συγκεφαλαίωσις τοῦ Πλήθωνος."
Ἐκεῖνα μάλιστ' ἂν δέοι κεφάλαια εἰδέναι, τόνγε"
δὲ φρόνιμον ἐσόμενον. πρῶτον μεν ἐκεῖνο περὶ"
θεῶν ὡς εἰσίν. Εἷς μὲν αὐτῶν Ζεὺς ὁ βασιλεύς,"
μέγιστός τε, καὶ ἐς ὅσονγε ἐνῆν ἄριστος τοῖς ὅλοις"
τοῖς δε ἐφεστηκώς, καὶ θεότητι ἐξαίρετος. αὐ-"
τὸς μὲν πάντοτε ὤν, καὶ πάντος ἀγένητος,"
τῶν δὲ ἄλλων ἁπάντων πατήρ τε καὶ δημιουρ-"
γὸς πρεσβύτατος. Τούτου δε παῖς μὲν πρεσ-"
βύτατος, ἀμήτωργε, δεύτερος δὲ θεὸς Ποσει-"
δῶν, τά τε δευτερεῖα τῆς κατὰ πάντων ἡγεμο-"
νίας πρὸς τοῦ πατρὸς ἐπιτετραμμένος &c. Ex"
solo igitur hoc principio satis clare apparet,"
Collectionem hanc Zoroastreorum & Platonico-"
rum Dogmatum, omnino diversam esse ab ejus-"
dem Plethonis *Expositione Oraculorum Magico-*"
rum Zoroastris, quæ cum *Sibyllinis Oraculis* a"
Joanne Obsopæo Græce & Latine edita est Pa-"
risiis anno 1599. in octavo. Hoc enim notan-"
dum est propter Leonem Allatium, qui in Di-"
atriba *de Georgiis* jam memoratæ *Expositionis*"
Oraculorum Zoroastris mentionem faciens,"
minus recte sic scribit: Nec alia videntur esse"
quæ sub Zoroastræorum & Platonicorum"
Dogmatum summæ titulo, in Bavarica Biblio-"
theca Codice 183. habentur. Eadem *Georgii*"
Gemisti Plethonis Collectio summaria Zoroastre-"
orum & Platonicorum Dogmatum, ibidem quo-"
que MS. Codice Philosophico Græco sequen-"
ti 91. num. 2. & quidem a fol. 41 pag. 2. usque"
ad fol. 43. pag. 2. ut habet Lambecius pag. 175."
tomi VII. Commentariorum hujus bibliothe-"
cæ. Idem Lambecius ibidem pag. 165.

Septimo & quidem a fol. 42. pag. 1. usque ad
fol. 51. p. 1. *Georgii Gemisti Plethonis Chorogra-*"
phia Thessaliæ, hactenus inedita, cujus titulus"
& principium: Τοῦ Πλήτωνος Θεσσαλίας χω-"
ρογραφία. Ἡ πλημμύσα ποταμόκλυστός ἐστιν ὁ"
γὰρ Πηνειὸς διὰ μέσης ῥέων, καὶ πολλοὺς δεχό-"
μενος ποταμοὺς, ὑπερχεῖται πολλάκις. τὸ δὲ"
παλαιὸν καὶ ἐλιμνάζετο &c. Meminit ejus-"
dem Opusculi etiam Leo Allatius in Diatriba"
de Georgiis & eorum scriptis pag. 386. quod"
manuscriptum quoque Græce extat in biblio-"
theca Regis Magnæ Britanniæ, teste Henrico"
Whartono, in Supplemento ad Historiam"
Literariam Guilielmi Cavi verbo *Georgius Ge-*"
mistius Pletho, ad annum 1438. pag. 116.

Codice MS, Philosophico Græco XCI. num.
1. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum
hujus bibliothecæ pag. 171. his verbis. Primo"
& quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 41. pag. 1."
Georgii Gemisti Plethonis Librorum trium de Le-"
gibus & optima Republica a Georgio Scholario"
Patriarcha Constantinopolitano publice combusto-"
rum,

„rum, *Capita octo residua:* quorum prima inscri„bitur atque incipit hoc modo. Πλήθωνος νόμων „συγγραφῆς βιβλίου α΄ Κεφάλαιον α΄ περὶ δια„φορᾶς, τῶν περὶ τῶν μεγίστων ἀνθρώποις δοξῶν. „Τάδε συγγέγραπται περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας, „τῆς ἀρίστης &c. Secundum Περὶ ἡγεμόνων „τῶν βελτίστων λόγων, κεφάλαιον β΄. Τίνι οὖν ἄν „τις τρόπῳ ἐπὶ τὴν τούτων ἔλθοι σκέψιν &c. „Tertium. Περὶ τοῖιν δυοῖν ἐναντίοιν λόγοιν τοῦ„τε Πρωταγορείου, καὶ τοῦ Πυῤῥωνείου, κεφάλαιον „γ΄. Λόγω δὲ δὴ ἐκείνω ἀλλήλοιν μὲν ἐναντιωτά„τω &c. Quartum Εἰς θεοὺς τοὺς λογίους ἐνχὴ, κε„φάλαιον δ΄. Ἄγετε δὴ ὦ Θεοὶ λόγιοι, οἵ τινες τε „καὶ ὅσοι ἐστὲ, οἱ ἐπιστήμας τε καὶ δόξας, ἀληθοῦς „ἐπιτροπεύετε. Quintum. Κοινὰ περὶ Θεῶν δόγ„ματα, κεφάλαιον, ε΄. Νόμοι μὲν δὴ, οὓς ὡς μάλι„στα πρὸς τῶν ἀεὶ θείων ἀνδρῶν γενομένων παρειλή„φαμεν, οἳ δέ εἰσι. Θεοὺς εἶναι, σύμπασαν τὴν „κρείττω τε καὶ μακαριωτέραν, ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον, „φύσιν, οὓς δὴ καὶ ἀνθρώπων τῆ ἀγαθῶν τῶν „σφετέρων περιουσίᾳ προνοεῖν &c. Sextum. Ἐκ τοῦ „τρίτου βιβλίου. Περὶ μέτρου τε καὶ συμμετρίας, „κεφάλαιον κε΄. Τόδε δὴ καλὸν, τοῦτο ἐν μέτρῳ „τε καὶ συμμέτροις διωκτέον, καὶ ὅλως &c. Septi„mum. Περὶ τῶν θηρίων ἐνίοις κατὰ λόγον δρωμέ„νων, κεφάλαιον κϛ΄. Περὶ δὲ τοῖς τῶν θηρίων ἐνίοις „κατὰ λόγον δρωμένων, ἄλλων τε δὴ συχνῶν καὶ „τῶν γνωριμωτάτων μελιττῶν τε πολιτείας, καὶ „μυρμήκων οἰκονομίας &c. Octavum, absque „ulla inscriptione, & principio ac fine carens „ - - - καὶ θανάτων ἤδη ζημιοῦν. τῶν δέ ἀδικημά„των &c. usque ὅτε καὶ ἀνθρώπων γε ἐνίοις, πολ„λῶν ἀγῶν μεστοῖς - - -. Sequitur deinde „Caput *de fato* quod ibi appellatur sextum, „cujus inscriptionis & principii verba Græca „sunt: Τοῦ αὐτοῦ περὶ εἱμαρμένης, κεφάλαιον ϛ΄. „Πότερα δὲ ὡρισταί τε καὶ εἵμαρται ἅπαντα τὰ μέλ„λοντα, ἢ &c. de quo jam antea dictum est. Huic „tandem Capiti subjungitur ibidem *Conclusio to„tius operis, sive trium Librorum,* hoc modo: Τοῦ „αὐτοῦ ἐπινομὶς τῆς ἑαυτοῦ βίβλου, κεφάλαιον μγ΄. „Ἃ μὲν οὖν τῆς βίβλου ἐν ἀρχῇ ἡμῖν προυτέθη, ἐξείρ„γασταί τε σὺν Θεῶν τοῖς τουτων ἐνφόροις. Ἐφ᾽ „οὓς δὴ εἱμεῖς καὶ Ποσειδῶ κορυφαῖον τήνδε ἀναφέ„ρομεν τὴν συγγραφὴν, καὶ &c. Ante autem memorata octo vel potius decem capita, in eodem Manuscripto Codice adhuc extat pars aliqua antiqui Judicis, omnium Capitum Libri tertii, a vigesimo nono usque ad quadragesimum tertium, qui totius Operis est conclusio. Meminit autem Combustionis horum librorum Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis, & eorum scriptis*, pag. 391. his verbis: *In Bibliotheca Barberina, Codice 263. habetur* Πλήθωνος νόμων συγγραφῆς βιβλίον α΄. *Hoc est, Plathonis de Legibus Liber primus. Sunt tantum Capita sex, in quibus adnotavit nescio quis:* Hoc tantum de divino illo Volumine Politicorum, sive de Legibus Gemisti, ad nos pervenit: reliquum sacrilegus Scholarius flammis consumpsit, veterique odio & inimicitiis adeo indulsit, ut ne communi quidem utilitati pepercerit, sæviens in Libros, quando in authorem nequiverit. Addit autem Lambecius eodem tomo VII. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 175. in eodem MSS. Codice Philosophico Græco XCI. num. tertio & quidem a fol. 44.„ pag. 1. usque ad fol. 55. pag. 2. extare *Anony-„ mi cujusdam authoris Consolationem ad Geor-„ gium Gemistum Plathonem de combustione prædi-„ ctorum trium Librorum,* de Legibus, *per Geor-„ gium Scholarium sive Gennadium Patriarcham,„ Constantinopolitanum,* cujus titulus & princi-„ pium ὁ Πρὸς Πλήθωνα, ἢ περὶ τῆς βίβλου ὦ Πλή-„ θων ἄριστε καὶ σοφὲ φίλον μὲν καὶ κέκτησαι, συγ-„ γραφεά δὲ φίλον οὐ, καί τοι ἄξιος μάλα &c.„ Quæ vero ibi ad rem præsentem maxime per-„ tinent, ea hæc sunt. Ἔφθειρε ταύτην πυρὶ ὁ„ μοχθηρὸς ἄνθρωπος, ἐκεῖνος, τηκόμενος ὑπὸ„ φθόνου, καὶ ἐκχέων τὸν ἰὸν ὃν ἀεὶ ἔτρεφε κατ᾽„ ἐμοῦ εὗρε καιρόν. ἀλλ᾽ οἶδα καλῶς, ὅτι οἱ πεπαι-„ δευμένοι τῶν ἀνδρῶν, καὶ σπουδαῖοι, καί ἀπὸ τί-„ νων λειψάνων τῆς συγγραφῆς γνώσονται, εἰ ἄρα„ ἦν τί χρήσιμον ἐν ἐκείνῃ. Et aliquanto post:„ ἡμεῖς δὲ τί φῶμεν, ἢ τί ἀπαριθμήσωμεν ἐκ τῶν„ πλεονεκτημάτων ἐκείνου τ᾽ ἀνδρὸς; τὴν σοφίαν,„ ἢ τὴν ἀρετὴν; τὰ μαθήματα, ἢ τὴν σωφροσύνην;„ τὴν ῥητορικὴν, ἢ τὰ ἤθη; τὸ εἶδος τῆς συγγρα-„ φῆς, ἢ τὴν ἐγκράτειαν; τὸ νομοθετικὸν, ἢ τὸ φι-„ λάνθρωπον; τὸ πολιτικὸν ἢ τὸ ἐλευθέριον; τῶν„ παλαιῶν πράξεων, καὶ ἠθῶν τὸν ζῆλον, ἢ τὸ γεν-„ ναῖον; τὴν Θεοσέβειαν ἢ τὴν δικαιοσύνην; τὴν„ ἀχρηματίαν ἢ τὸ λιτὸν τῆς διαίτης; ἀλλ᾽ ὦ βέλ-„ τιστε, αὐτός μὲν ὑπὸ τῆς ἄγαν διαθέσεως καὶ προ-„ θυμίας τοῦ φιλικοῦ χρέους ἄγομαι βίᾳ ὥσπερ ἄν„ εἰ τὸ ὕδωρ τίς ὄνω φέρειν βούλοιτο &c.„

Ibidem ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 196. extat Codice MS. Philosophico Græco CX. num. sexto & quidem a fol. 78. pag. 1. usque ad fol. 94. pag. 2. “ *Georgii Gemisti Plethonis Methodi, A-„ stronomica, cum subjunctis Canonibus eo pertinen-„ tibus & introductione in Genethliologiam, sive Artem Astronomicam erigendi Themata Genethlia-„ ca. Methodus illa Astronomica* inscribitur at-„ que incipit his verbis: Γεωργίου φιλοσόφου τοῦ„ Γεμιστοῦ Μέθοδος εὑρέσεως ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ„ τῆς τῶν ἀστέρων ἐποχῆς ἀπὸ κανόνων, οὓς αὐτὸς„ συνεστήσατο. Νυχθήμερόν ἐστιν, ἡλίου μία περὶ„ γῆν περιφορὰ καὶ ἡμέρα &c. *Introductio au-„ tem in Genethliologiam,* Περὶ ἐκθέσεως τοῦ θεμα-„ τίου. Τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου εἰς ιβ΄ ἴσα διῃρημένου„ τμήματα. &c.„

Septimo & quidem fol. 95. & 96. *ejusdem,„ Georgii Gemisti Plethonis Canon Chronologicus a„ Nabonassaro* usque ad suam ætatem. Est au-„ tem is imperfectus, & pertingit tantum usque„ ad Imp. Michaelem Palæologum primum sive„ Seniorem, qui cœpit imperare anno 1260. Ca-„ lendis Januarii, & anno 1282. die 11. Decembris,„ obiit.„

Ibidem ut habet Lambecius Libro 7. eorundem Commentariorum pag. 97. extat Codice MS. Philosophico Græco LIII. num. secundo & qui-

& quidem a fol. 124. pag. 1. usque ad fol. 141.
pag. 2. „*Georgii Gemisti Plethonis Excerptum*
„*de Assyriorum & Medorum Regno, ex Diodori,*
„*Siculi Bibliotheca Historica Libro secundo*: cu-
„jus titulus & principium. Πλήθων ἐκ τῶν
„Διοδώρου τοῦ Σικελιώτου ἱστοριῶν περὶ τῆς Ἀσσυρίων
„καὶ Μήδων βασιλείας. Τὸ παλαιὸν κατὰ τὴν
„Ἀσίαν ὑπῆρχον ἐγχώριοι βασιλεῖς, ὧν οὔτε πρᾶξις
„ἐπίσημος, οὔτε ὄνομα μνημονεύεται. πρῶτος
„δὲ &c. finis autem, τούτου δὲ ὑπὸ Κύρου τοῦ Πέρ-
„σου καταπολεμηθέντος, τὴν βασιλείαν εἰς Πέρ-
„σας μεταπεσεῖν. Idem Excerptum extat et-
„iam in alio quodam Augustissimæ Bibliothecæ
„Cæsareæ Codice MSS. Philosophicos & Philo-
„logicos Græcos olim LXXX, ut Libr. 1. ho-
„rum Commentariorum pag. 134. & 135. ube-
„rius indicavi, ubi simul etiam monui jam me-
„moratum *Diodori Siculi* fragmentum a Joanne
„Jacobo Frisio in *Bibliotheca Universali*, & ab
„Antonio Possevino S.J. in Catalogo MSS. Co-
„dicum Græcorum sacrorum, qui *Apparatui sa-
„cro* subjunctus est, perperam appellavi *Epito-
„men Historiarum Siculorum*. Vide *Bibliothe-
„cam Historicam Diodori Siculi*, ex editione Græ-
„co latina Laurentii Rhodomoni, Hanoviæ ty-
„pis Wechelianis, anno 1604. in fol. a pag. 90
„usque ad pag. 120.

„ Tertio & quidem a fol. 142. pagina 1.
„usque ad fol. 155. pag. 2. *Georgii Gemisti
„Plethonis Excerptum de Macedonicis Syriæ
„Regibus, ex Appiani Alexandrini Historico-
„rum Romanorum Libro de bellis Syriacis*: cujus
„titulus & principium. Πλήθων ἐκ τῶν Ἀπ-
„πιανοῦ ἱστοριῶν περὶ τῶν κατὰ Συρίαν Μακεδονι-
„κῶν βασιλέων. Ἀλέξανδρος μὲν βασιλεὺς ἦν
„ἐπὶ Πέρσαις καὶ Σύρων, ὁ καὶ πάντων βασιλεύς,
„ὁπόσων εἶδεν. Ἀλεξάνδρου δ᾽ ἀποθανόντος ἐ-
„πὶ παισὶ, τῷ μὲν βραχὺ πάνυ νόθῳ τῷ ἐκ Βαρσί-
„νης, τῷ δὲ ἔτι κυομένῳ γνησίῳ ἐκ Ῥωξάνης, οἱ μὲν
„Μακεδόνες πόθῳ τοῦ Φιλιππείου γένους &c. Vide
„Appiani Alexandrini editionem Græcam Pa-
„risiensem Caroli Stephani typis Regiis anni
„1551. in fol. pag. 84. & Librum primum ho-
„rum Commentariorum pag. 134. Denique
„*Ejusdem Georgii Gemisti Plethonis Protheoria
„in Orationem funebrem Juan Manuelis Palæolo-
„gi, in fratrem suum natu minorem Theodorum
„Laconiæ Despotam*, extat ibidem Codice MS.
Philosophico Græco LXXXVIII. num. 7. ut
habet Lambecius Lib. 7. eorundem Commen-
tariorum pag. 157.

„Cæterum quod Georgius Gemistus Pletho,
„Operis de Legibus publicatione, & quod ple-
„rique etiam alii alias ob causas parum in ipsum
„propensi fuerint, quod tantam multorum &
„præcipue quidem Georgii Trapezuntii, Ge-
„orgii Scholarii sive Germadii Patriarchæ Con-
„stantinopolitani, & Manuelis Magnæ Ecclesiæ
„Constantinopolitanæ Rhetoris offensionem
„incurrerit: ut in eum acriter invecti, non lu-
„dibrio tantum hominem habuerint, & male-
„dictis oneraverint, sed eundem etiam a fide
Christiana non alia ratione, quam horum tri-„
um Librorum doctrina ad *Gentilismum* desci-„
visse affirmarint, & cæteros Christianos ad-„
monuerint, ut a Limitibus Libris & ipso homi-„
ne abstinerent, caverentque sibi ab ejusmodi„
dogmatibus tanquam non minus ipsa Mahu-„
metana doctrina perniciosis: id supra lauda-„
tus Allatius in eadem Diatriba *de Georgiis &„
eorum scriptis*, prolixe refert, ibidemque *de„
Plethonis Religione* contra Calumniatores sub-„
jungit *Apologiam* lectu dignissimam, quam hic„
ob prolixitatem non omittimus. tamen.„

Ego dixerim, inquit, Plethonem eloquen-„
tia, ingenii acumine, & disciplinis omnibus„
excelluisse, & assidua Scriptorum lectione,„
suppellectilem sibi multam ac tantum compa-„
rasse: hinc eruendis e latebris Philosopho-„
rum, & Platonicorum potissimum sententiis,„
iisque scripto tradendis, plusquam par erat,„
materiæ addictum animum advertisse, & stu-„
dio pertinaci contra sentientium opiniones„
dente etiam maledico vellicasse. Non ut eo-„
rum prava dogmata de novo, quæ docte ipse„
refellit, in hominum animos per se infixa pro-„
rogaret: sed ut ex tam vasto ac lachrymabili„
naufragio tabulas discissas ac vagas, in unum„
veluti portum sanas atque incolumes recolli„
geret: indeque majestas Christianæ religionis„
ac veritas dilucidior appareret. Quod &„
sanctissima nostræ religionis Capita, ante &„
post Plethonem, non contemnendo neque il-„
laudato labore & diligentia, & admodum pro-„
ficuo studio confecerunt, neque illos quis-„
quam de impietate postulavit. Quid enim„
notat antiquorum arcana & ceremonias com-„
probando, sine offensa Christianæ rei, nesci-„
entibus pandere? *At Hymnum conscripsit, cum-„
que in Solem elegantissimum*; fateor. Ideone„
solem tanquam Deum laudavit, retulit in„
Deos ut Deum, ad eumque tanquam ad Deum„
manus supplices tetendit? fabulæ. Admi-„
randam Planetæ splendidissimi vim, profusa„
in genus humanum beneficia, Dei omnipo-„
tentis ad quemlibet nutum, servum irrequie-„
tum ac fidum ministrum, expressit. *Aliam„
ab Christiana non post multos dies religionem fu-„
turam asseveravit.* An hoc in Gentilismum„
degenerare? An hoc pietatem dejerare sue-„
rit? Hoc quoque ævo a prudentissimis &„
piissimis hominibus, dum juravi hominum„
mores quotidie in peiora ruentes, ita ut nul-„
lam pietatis, nullam bonitatis Christianæ spe-„
ciem præ se ferant, conspiciuntur: fidem ac„
religionem Christianam in aliam atque aliam„
formam commutatam, ruituram tandem in„
externum quidpiam asseveratur continuo, &„
vultu tristi illachrymatur. Quid mores ad„
religionem ipsam? Quid usus ad dogmata?„
fidei finem ego non video, non probo: ad ex-„
itum usque mundi, vitæ hominum suppar„
producetur: idone probati ac Christiani mo-„
res semper perstabunt, neque in vitia a pie-„

„tate Christiana & religione longe aliena degenerabunt? Illud verum est, Plethonis ingenium licet ab adversariis reprehensum est, „nunquam tamen ejus vitæ institutum, ab illis „etiam, qui ejus omnia arguerunt, fuisse damnatum: ut hinc arguas, tali viro simile facinus „non potuisse, nisi per scelus omne, appingi. „Dum ergo Trapezuntius, Scholarius, aliique „in Platonem, tanquam omnium scriptorum „perniciosissimum invehuntur: Pletho Platoni addictissimus, non potuit neque crimen inconstantiæ, neque calumniarum effugere. „Hæc Allatius de Plethonis religione, idemque „de ejusdem eruditione & eloquentia, hæc ibidem aliquando post addit, ad illius commendationem eximiam. An ergo sapientia vel „eloquentia defuit Gemisto, quam illi vindicant, & plenis Succis afferunt adversarii? Et „revera Scholarii & Manuelis sententia non ex „judicio, sed rabie & calumniandi libidine effusa est. Est enim Pletho, stylo quidem accurato, eleganti, presso, Attici Succi pleno, sententiis gravi, argumentis vehemente; eruditione autem & antiquarum rerum congerie, „quandoque obscura ac difficili: non tamen ob „gratias ac venerem quibus ubique dictionem „aspergit, molesto: adeo ut cum antiquis nec „immerito æquipararetur, & sui ævi scriptoribus a plerisque anteponatur. Ego sane cum illius aliquid lego, vetustissimæ antiquitatis succum, & venustatem plane Atticam, quidquid „alii parum æqui dicant, admiror. Hucusque „Allatius. Extant quoque Opuscula varia Georgii Gemistii Plethonis, in Anglicis bibliothecis Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, in MSS. Baroccianis, Codice 33. pag. 210. Plethonis Monodia in morte Cleopes Reginæ *Σόλων μὲν ὁ σοφὸς*. &c. Ejusdem alia Monodia pag. 217. *Τῇ τῶν ἡμετέρων βασιλέων*. Idem de virtute pag. 219. *Ἀρετή ἐστιν ἕξις καθ' ἣν ἐσμέν*. Item Codice 114. Gemistii Plethonis Geographica Opuscula pag. 117. b. *Τῇ τῆς γῆς τῆς οἰκουμένης*. Ejusdem Tractatus de Virtutibus pag. 121. *Ἀρετή ἐστιν*. Ejusdem Comparatio Aristotelis & Platonis pag. 123. *οἱ μὲν ἡμῶν*. Ejusdem Antilogia opposita *Scholarii* defensioni Aristotelis pag. 128. funebres Orationes duci in Conjugem & Matrem Imperatoris cujusdam pag. 138. Ibidem Georgii Gemistii Pletonis Apologia adversus Latinos, de processione Spiritus Sancti pag. 184. *Τὸ ὑπὲρ Λατίνων*. Ibidem pag. 174. Gemistius Pletho de fato. Ejusdem Solutiones Quæstionum aliquot Philosophicarum ad Bessarionem pag. 175. *Οὐ πάντα* &c. Codice 732. in MSS. Codicibus Gulielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi & Oxoniensis Academiæ Cancellarii, littera C. Codice 90. Georgius Gemistius Pletho de differentia Philosophiæ Aristotelis & Platonis, Græce in 4to. Codice 2290. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji littera E. 2. Codice 16. num. 6. Gemistii & Bessarionis Epistolæ. Codice 3036 in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji in Archivo A. Codice 47. num. 10. Gemistii Plethonis Chronographia. Codice 6561. in MSS. Codicibus Henrici Savilii Græcis Codice 14. num. 3. Georgii Gemisti contra Georgium Scholarium, Dissertatio de Philosophia Aristotelica Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, Codice 8563. in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ, Codice 841. Plethonis descriptio Thessaliæ. Denique in Lugdunobatava Bibliotheca inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice Græco 149. Georgii Gemisti Epitome Historiarum Diodori Siculi. „Agunt *de Georgio Gemistio Plethone* Sylvester „Sguropulus, amicus locis citatis laudatissime. „Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum scriptis*, quem hic retulimus. Bibliotheca Publica Oxoniensis Thomæ Hydii, verbo *Pletho Georgius Gemistius*. Joannes Gerardus Vossius Lib. 3. *de Historicis Græcis* cap. 30. pag. 311. Philippus Labbeus in *Protreptico* ad *Historicorum Byzantinorum Collectionem*. Petrus Lambecius quem hic exscripsimus, atque sparsum variis tomis & paginis in unum collegimus, Libro 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 175. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 326. & 367. Libro 7. eorumdem Commentariorum, pag. 82. 97. 98. 107. 137. 157. 162. 163. 164. 165. 171. 172. 173. 174. 175. 176. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 286. & 313.

GREGORIUS MELISSENUS, MAMMAS 1430
DICTUS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS. primum quidem Joanni Palæologo a secretis Confessionibus, qui antea per annos multos Monasticam vitam sub sancti Basilii regula professus fuerat. Hic anno 1438. in Synodo Florentina œcumenica Alexandrini Patriarchæ vicarius, omnimode Latinis in ea favisse legitur, seseque totum Imperatori Græcorum præbuisse, quem ad utriusque Ecclesiæ unionem propensum animadverterat. Factus in ista Synodi expeditione, Magnus Constantinopoleos Syncellus, quem *Protosyncellum* vocant, ab Imperatore Palæologo, ut pluribus tradit Sylvester Sguropulus in *Historia Florentini Synodi* sect. 7. cap. 14. Multa sunt, quæ contra hunc Gregorium profert Sguropulus, in Historia allata, qui, quo acriori dente illum corrodit actusque carpit, eo majori laude sinceriorique fide ornatus ab Latinis creditur. Hic ergo sect. 3. cap. 20. narrat quid Gregorius Pœnitentiarius electus in numerum peregre ad Concilium Florentinum proficiscentium, contra Græcos dixerit. sect. 4. cap. 31. quomodo Methonæ Diaconum ob Collectam male recitatam mulctare voluerit, & in templis Latinorum nullum Sanctum, sed nec Christum coluerit. sect. 6. cap. 23. quomodo Marcum Ephesinum adierit, ejusque astutum & versipelle ingenium describitur. Sect. eadem

eadem cap. 14. ut populi favorem conciliaverit, ut proceres contempserit, & prolixe ut pellem mutaverit, atque ut ab Anchialensi increpatus sit, sect. 7. cap. 14. ut Protosyncellus ab Imperatore factus sit, instante Concilio. sect. 8. cap. 6. ut sublevat Janissarios. sect. 9. cap. 4. ut fassus est se accepisse salarium, ubi deridet Heracleensem Archiepiscopum scripta contra Beccum proferentem. sect. 10. cap. 13. irascitur Marco Ephesino Archiepiscopo, quod Latinos dixerit Hæreticos. Quomodo sacrificavit, nec benedixerit elementis, quam ob rem condemnatur: rixam denique narrat inter eum & Philippum, fortuitam ac lepidam simul. Scripsit *Apologiam pro Synodo Florentina adversus Marci Ephesini Epistolam*, quæ post Acta ejusdem Concilii edita est passim in Collectione Conciliorum, atque in ultima editione Parisiensi anni 1671. quæ Labbeana dicitur, Græce & Latine tomo XIII. Colum. 739. & sequentibus. Idem scripsit *Apologiam alteram pro ejusdem Concilii definitione*, cujus ipse meminit in sua illa *Responsione ad Epistolam Marci Ephesini Episcopi*, his verbis: *Nam in tractatu quem de hac materia edimus, copiosius explicatiusque disseruimus, pro quarto definitionis capite Apologiam scribentes, quam qui legit, inveniet aliorum quoque testimoniorum congeriem.* Ex his sane verbis processit, quod quidem addunt Gregorium hunc extitisse authorem *Defensionis quinque Capitum Concilii Florentini*, quæ extat Græce & Latine edita, post Concilium Florentinum editionis Romanæ Græco latinæ, anni 1608. & Coloniensis anni 1618. & Parisiensium omnium. Sed falluntur insigniter, ut adversus Joannem Matthæum Caryophilum & Joannem Avendium, probavit in Diatriba *de Georgiis & eorum scriptis* Leo Allatius, ubi de *Georgio Scholario* seu *Gennadio Patriarcha Constantinopolitano*, qui verus est author istius *Defensionis*, ut suo loco monuit idem Labbeus. Uterque autem & Allatius & Labbeus falluntur, dum hanc Apologiam *Defensionis quinque Capitum Concilii Florentini* attribuunt *Gennadio Scholario Patriarchæ postea C. P.* Spectat enim illa ad *Josephum Methonensem Episcopum*, quam ipse ut Opus suum agnoscit. Quamvis recte censerint illam non spectare ad Georgium Melissenum, Mamantem dictum, qui scripsit quidem *Apologiam pro quarto definitionis capite Concilii Florentini*, ut ipse testatur: Sed non *Pro quinque Capitibus ejusdem definitionis*, qualis illa Apologia est, de qua loquitur, & quam sibi vendicat Josephus Methonensis Episcopus. Ejusdem vero *Gregorii Protosyncelli & Patriarchæ Constantinopolitani* extat *Epistola ad Alexium Comnenum Imperatorem Trapizuntinum de processione Spiritus Sancti*, demonstrans additione illa *Filioque* ad Symbolum facta, nihil esse innovatum: Græce & Latine tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* Leonis Allatii pag. 419. & sequentibus. Josepho autem, hujus Imperatoriæ verbis Patriarcha, in procinctu Concilii Florentini anno 1439. die 10. Junii mortuo, cum viginti diebus & viginti tribus annis, Patriarchali munere perfunctus fuisset, ut habet Sguropulus loco citato, sect. 9. cap. 16. Imperatore cum Græcis suis Orientem reverso, Gregorius (juxta plurimos) post trigesimum Monachatus annum, Patriarcha Constantinopolitanus renuntiatus, Sanctæ unionis inter utramque Ecclesiam promotos extitit ardentissimus. Sed cum successu temporum in dies dissidium Græcorum crescere videret, expugnationem urbis prædicens, Patriarchali se munere abdicans, ab Imperatoria urbe instar exulis discessit, anno Christi Domini 1451. Unde Romam veniens, tranquillam ibi vitam transigens, ibidem in compertο tandem anno, non sine opinione sanctitatis mortuus, *ad sanctum Georgium in Velabro* sepelitur, ubi post mortem plurimis corruscasse miraculis dicitur. Hæc plerique scriptorum hodiernorum. At Robertus Creighton in præfatione sua ad editionem *Historiæ Concilii Florentini* a Sguropulo conscriptæ, contendit Gregorium hunc cognomento Mamantem, nunquam fuisse Patriarcham Constantinopolitanum, sed Metrophanem Cyzici antea Archiepiscopum mortuo Josepho successisse: neque venisse unquam Romam, aut ibi claruisse miraculis. Sed hæc omnia a scriptoribus inconsiderate ac falso scripta esse posterioribus, nec qui contra Sguropulum authorem Synchronum veniant, ullatenus idoneis. Quod argumenti genus apud me plurimum valet. *Nunquam* (inquit Craighton) *in eo throno sedit Mammas noster, nunquam sedere appetiit. Hunc fatalem errorem omnes insaniunt viri doctissimi*, *Binius* in Conciliis, *Leunclavius* in Jure Græco Romano, *Crusius* in Turcogræcia, *& quotquot hæc novissima negotia Græcorum Litteris mandavere: hunc Gregorium cuncti inter Patriarchas recensent, qui nunquam suffectus est in Patriarcham.* Verum (ut inquit Henricus Warthonius in *Supplemento* Historiæ Litterariæ Guillelmi Cavi, ad annum 1440. pag. 120.) authoritas Phranzæ Lib. 3. *Historiæ*, mille conjecturis hac in parte prævalet: qui disertis verbis & Metrophanis depositionem & Gregorii evectionem tradit. Addit Phranza Gregorium post annos aliquot Patriarchatum abdicasse, & Constantinopoli anno 1451. exulis instar discessisse. Quo se contulerit, haud ita liquet. Sunt qui Romam petiisse, ibique tandem sepultum, miraculis inclaruisse volunt. Sane Gregorium Patriarchatui non tam cessisse, quam a Græcis, tanquam Ecclesiæ in Concilio Florentino proditorem, ejectum esse, suadet Nicolai Pontificis Epistola ad Constantinum Imperatorem, qua suppetias oranti præcipit, ut Gregorium ad sedem suam revocet, illique reverentiam Pontificiali authoritati debitam, a populo exhiberi efficiat, nec tanquam abje-

ctum Sacerdotem ludibrio esse permittat. Quæ verba Gregorium Patriarcham non Romam contendisse, sed in Oriente remansisse, saltem ad tempus, innuunt. Extant quoque alia multa Manuscripta in Bibliothecis, sub nomine *Gregorii vel Protosyncelli vel Patriarchæ Constantinopolitani*, quæ luce ac prælo digna sunt, vel sub alicujus etiam Georgii Scholarii ejus in Patriarchatu successoris nominibus evulgata. Nam in Codice MS. Græco 115. Bibliothecæ Serenissimi Bavariæ Ducis extant, *Gregorii Patriarchæ Constantinopolitani Liber ad Imperatorem Trapezuntinum de Processione Spiritus Sancti, pro Concilio Florentino.* Ejusdem *Gregorii Apologia contra Marci Ephesini Archiepiscopi Confessionem, in qua potissimum de Processione Spiritus Sancti.* Ejusdem *Apologia contra Epistolam a Marco Ephesino ad omnes Christianos missam. Marci Ephesini Capitula Syllogistica contra Latinos cum Apologia Georgii Scholarii & Bessarionis pro Latinis. Epistola Georgii Trapezuntii ad Monachos & Sacerdotes Cretæ, De processione Spiritus Sancti. Ejus cohortatio ad Joannem Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum, ut in Italiam naviget.* Extant quoque sub *Georgii Scholarii nomine* falso impressæ, *Epistola seu Oratio de Unione cum Latinis ineunda ad Episcopos Orientales in Synodo Florentina*, quæ Græce & Latine tom. XIII. Conciliorum editionis Labbeanæ Parisiensis a colum. 543. ad 563 Sub ejusdem Georgii Scholarii nomine *Aliæ tres Orationes ad omne Florentinum Concilium*, quarum prima *ostendit, quod facienda sit unitio sive Concordia dogmatica, & non pax, quæ præsenti tantum rerum tempori profutura sit: & quænam illa esse debeat.* Secunda autem agit *de tollendis talis pacis impedimentis.* Tertia denique *de modo talis pacis conficiendæ*: quæ extant ex Matthæi Caryophili interpretatione, cum quinta præcedente, tomo XIII. citato ad calcem Actorum Concilii Florentini, a colum. 563. ad col. 676. Verum ut dicemus quoque infra in *Georgio Scholario*, Orationes istæ nequaquam spectare possent ad Georgium Scholarium, qui factus est Patriarcha Constantinopolitanus, & cui illas adscripsit Matthæus Caryophilus: ut enim recte notat Henricus Whartonus in *Georgio Scholario* pag. 137. *Supplementi* ad Historiam Literariam Guillelmi Cavi: *Effusa Ecclesiæ Romanæ adulatio & Græcæ contemptus, quibus Orationes istæ scatent, longe infra spectatam Scholarii prudentiam & gravitatem subsidunt.* Sane recte attendentibus omnibus patebit, Orationes istas spectare non posse ad Georgium Scholarium, quem ex authoribus Synchronis scimus in Concilio Florentino, in quo pronunciatæ illæ sunt, fuisse firmum opinionum Græcarum assertorem, tamque proterve Ecclesiæ suæ sensibus adhæsisse, ut huic quoque Concilio teste Sguropulo præsente, subscriptionem suam denegaverit. Accessit equidem postea post Concilium Florentinum temporibus Constantini Palæologi, Latinis opinionibus Georgius Scholarius, vel Latinorum argento corruptus, vel Imperatoris Constantini in angustia constituti instantiis ardentioribus invitatus, ut ex afferenda postmodum Marci Eugenici Ephesini Archiepiscopi Epistola constabit: ex qua tamen eadem intrepidus & immotus pro Græcis in Concilio stetit, imo post Concilium celebratum, plurima, quæ adhuc extant, contra Latinorum doctrinam, Opuscula conscripsit. Spectant autem Orationes istæ *ad Gregorium Protosyncellum*, postea etiam Constantinopolitanum Patriarcham ante Gregorium Scholarium, de quo Nicolaus V. Romanus Pontifex in Epistola ad Imperatorem Constantinum Palæologum anno 1451. Constat enim illum adfuisse Concilio Florentino, totum se devovisse Latinis sensibus atque sententiis, a quibus & pecuniam accepisse narrat, in *Historia Concilii Florentini* Sguropulus sect. 9. cap. 4. quam nec infamiam suam Gregorius conticuit, sed tripudians fassus est. Unde in nonnullis MSS. Codicibus *Georgii Protosyncelli* inscribuntur, quod sane ad *Gregorium Protosyncellum* hunc nostrum, postea Patriarcham Constantinopolitanum, de quo loquimur, spectat. non ad *Georgium Scholarium*, qui nunquam *Protosyncellus* fuit, sed anno 1453. ex Laico adhuc ad sedem Constantinopolitanam a Mahumete pecunia ut creditur devincto elatus est. Denique confusio *Gregorii Protosyncelli & Patriarchæ Constantinopolitani* qui præcessit, & *Georgii Scholarii Patriarchæ Constantinopolitani* qui subsecutus est, apud plerosque authores, utrumque simul miscentes: effecit pariter, ut hæ quatuor Orationes sub *Georgii Scholarii* tanquam magis cogniti nomine ederentur, in præjudicium *Gregorii* minus cogniti: quem etiam multi negarunt fuisse unquam Archiepiscopum Constantinopolitanum, ut Robertus Creighton in prologo ad *Historiam* Sguropuli & alii, qui tempore *Patriarchatus Gregorii* vel in Theophanem præcessorem, vel in Gennadium seu Georgium Scholarium ejus successorem, transtulerunt. Consimili modo *quatuor Orationes* ob obscuriora Gregorii hujus tempora, atque nomina, Georgio Scholario ejus succedaneo attributæ sunt. Agunt *de Gregorio Protosyncello*, sed parce admodum Bellarminus & Labbeus, quisque in Opere suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Natalis Alexander, in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, Seculo XV. tomo 23. cap. 4. art. 2. fol. 849. Leo Allatius in doctissima Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis*, quæ post Georgii Acropolitæ Chronicon ab eo Latine redditum, anno 1651. typis Galliæ Regiis, in fol. Parisiis impressa est. Robertus Creighton in Præfatione ad *Historiam Concilii Florentini*, a Sylvestro Sguropulo editam, multis paginis.

GREGORIUS METROPOLITA THESSALONICENSIS JUNIOR, successit 1430
anno

anno 1429. Symeoni Archiepiscopo, qui sex circiter mensibus ante captam ultimo Thessalonicam mortuus fuerat. Capta est autem Thessalonica anno Domini 1430. Martii die 29. cum Symeon ante sex menses e vita excessisset, ergo Septembri anni præcedentis, qui primus anni, Græcorum supputatione numeratur. Hujus in hæc verba meminit Eugenius Nomophylax Thessalonicensis, in *Synodico* Dominica Orthodoxiæ in Ecclesia Thessalonicensi recitari solito. „*Γρηγορίȣ τȣ̃ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει* „*γενομένȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Θεσσαλονίκης, τȣ̃ καὶ* „*πρὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐν τοῖς πρώτοις μὲν τῶν* „*ὁμοταγῶν ἐνταῦθα τελȣ̃ντος, τό δ' ἐμπιστευ-* „*θὲν αὐτῷ πρότερον τȣ̃ Χριςȣ̃ ποίμνιον καλῶς* „*ποιμάναντος καὶ φυλάξοντος. μετὰ τὴν ἅλω-* „*σιν τῆς πόλεως ταύτης, εἰς τὸ ἱερὸν αὐτῆς θρό-* „*νον μετατεθέντος, καὶ μηδενὸς τῶν εἰς σύςασιν* „*ταύτης ἠμεληκότος, οἷς ἐδύνατο τρόποις, βαθ-* „*μοῖς τε ἱεροῖς τὸν κλῆρον τȣ̃τον Χεδὸν πάντα τε-* „*τιμηκότος καὶ αὖθις καὶ κοινῇ, καὶ ἰδίᾳ πᾶσι* „*πρὸς τὰς ἐπερχομένας ἀνάγκας καὶ βοηθȣ̃ντος* „*καὶ συνεργȣ̃ντος ἀοκνῶς, καὶ τὸ ἀφίεναι πᾶσιν* „*ἔργοις αὐτȣ̃ κατὰ τὸν θεῖον νόμον δεικνȣ̃ντος,* „*αἰωνία ἡ μνήμη.* Gregorii beatæ recordationis Archiepiscopi Thessalonicensis, qui & „ante Pontificatum inter primos ejusdem at„que ille ordinis numeratus, prius sibi concre„ditum ovile recte pavit & conservavit. Post „vero hujus urbis excidium, in sacrum illum „Thronum evocatus, nihil quod ad illum sta„biliendum faceret, modo quo poterat, præ„termisit: gradibusque sacris Clerum hunc uni„versum decoravit, rursumque publice & pri„vatim in necessitatibus erumpentibus, auxilia „opemque ferebat diligenter. Omnibus con„donandum suis actionibus, ut divina lex præ„cipit, edocebat sempiterna memoria." Scripsit *Sermones*, qui extant Græce MSS. in Bodleiana Bibliotheca Cod. 637. in MS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi littera B. Cod. 156. Idem scripsit Librum *de processione Spiritus Sancti adversus Latinam Ecclesiam*, qui Græce MS. extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium hujus regni Bibliothecarum, Codice 9120. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri, Canonici Dunelmensis Codice 49. Idem hoc opus videtur cum Gregorii ejusdem Archiepiscopi Thessalonicensis *Demonstratione de processione Spiritus Sancti Libris duobus, quod Spiritus Sanctus a Filio non procedat*: dedicatis *sanctissimis & beatissimis quatuor Patriarchis Catholicæ atque Apostolicæ Christi Ecclesiæ Orientalis, Cyrillo Constantinopoleos, Gerasimo Alexandriæ, Athanasio Antiochiæ & Theophani Jerosolymorum Archiepiscopis, Apostolorum successoribus & veritatis protectoribus.* Qui cum Georgii Scholarii Syntagmate amplissimo, quod *Ὀρθοδόξȣ καταφύγιον*, *Orthodoxi refugium* inscribitur, *τȣ̃ ὕστερον γενομένȣ Γενναδίȣ Μοναχȣ̃*, impressi sunt Græce Londini in 4. sed absque designatione loci & anni editionis, ut habet Henricus Wharton in Supplemento *Historiæ Litterariæ* Guilielmi Cavi ad annum 1438. verbo *Georgius Scholarius* pag. 114. Cujus editionis unum exemplar, in Spanhemii Lugdunobatavi Professoris Bibliotheca vidimus, quod post mortem ejus emptum habemus. Aliud in Bibliotheca Bodleiana impressorum Librorum in 4. G. 9. inter Theologos Seldeni. Quousque Metropoliticam hanc Ecclesiam rexerit, (multis tamen annis præfuit) quove anno mortuus sit, mihi non liquet: sed tantum claruisse illum post annum 1430. quo ad hanc promotus est. Caute autem distinguendus est ab altero ejusdem nominis & sedis Antistite Seniore, qui Synchronus Gregorio Palemæ, anno circiter MCCCXXX. claruit, annis centum vel circiter isto juniore antiquior, qui etiam multa scripsisse perhibetur, de quibus antea ad annum 1330. diximus. Meminit hujus Scriptoris Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum Scriptis* pag. 187. & 188. post Eugenium Nomophylacem Thessalonicensem supra allatum. Auctor Catalogi Manuscriptorum Codicum Angliæ, Tomo 2. Codice seu Numero 9120. pag. 358.

JOANNES PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS, haud procul ab hac ætate 1430
mihi esse videtur, qui etiam scripsit *Opus simile contra Latinos*, quod extat MS. Græce inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem regni Celebrium Bibliothecarum Codice 9121. in MSS. Codicibus ejusdem Georgii Wheleri Dunelmensis Canonici Codice 50. num. 2. Meminit hujus auctoris Leo Allatius Lib. 2. *De consensu Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 18. paragr. 18. columna 871. his verbis: *Joannes Patriar-"cha Hierosolymitanus de Spiritu Sancto.* Prin-"cipium, *Γέγονεν ἐν Ἐφέσῳ κατὰ τὴν ὑπατεί-"αν Φλαβίȣ Θεοδοσίȣ τὸ τρὶς καὶ δέκατον.* Di-"citur etiam scripsisse *de Azymis per modum Di-"alogi, ubi interloquuntur Græcus & Latinus.*" Principium, *Ἐρωτήσεις Ἰταλȣ̃. Παρὰ τοῖς παρ'"ἡμῖν εὐαγγελίοις, ὃ ἔλαβεν ὁ χριςός. Ἀπόκρι-"σις Γραικȣ̃*, Responsio Græci. *Ἀληθῶς εἴρηκας" ἀλλὰ τὰ ἀπὸ τȣ̃ γένȣς διαιρȣ́μενα.*" Idem hoc ultimum Opusculum Joannis Patriarchæ Hierosolymitani extat MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices Theologicos Græcos Codice 46. num. 6. ut habet Petrus Lambecius Libro 3. *Commentariorum* hujus Bibliothecæ pag. 65. his verbis. Sexto & qui-"dem folio 144. 145. 146. & 147. *Joannis Patri-"archæ Hierosolymitani Disputatio de Azimis*," quam is in urbe Jerosolymitana, cum Philo-"sopho quodam Latino habuit. Ipsa tituli" Græci verba hæc sunt: *Ἰωάννȣ Πατριάρχȣ" τῶν Ἱεροσολύμων λόγος διαλεκτικὸς μετά τι-"νος Λατίνȣ φιλοσόφȣ. ὃν ἐποιήσατο ἐν Ἱεροσο-"λύμοις περὶ τῶν ἀζύμων.* Principium autem" Disputationis maxima ex parte nunc amplius" minime

„minime legibilis, quod ſumma cum difficulta-„te vix egre inveſtigavi, eſt hoc: Τὸν πολύ-„νηπων Φασὶν τὸ πάραπτον μὴ χαίρειν τῷ &c. Meminit hujus Scriptoris, præter Allatium loco citato, Auctor Catalogi Manuſcriptorum Codicum Angliæ, qui Franciſcus Bernardus dicitur, Tomo 2. Codice 9121. pag. 358. Petrus Lambecius loco citato, & in Catalogo Scriptorum Tomo 3. MSS. Codicum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 247.

1430 ALEXANDER CARPENTARIUS, natione Anglus, circa annum 1430. floruiſſe mihi videtur, qui anno 1429. *Deſtructorium Vitiorum* componere cœpit, quod huc uſque inter Opera Alexandri Halenſis male a Fratribus Franciſcanis rececenſitum eſt. Habetur enim Opus iſtud etiam MS. ſub nomine hujus Alexandri filii Fabri Lignarii, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 115. atque etiam Oxonii ad calcem Codicis MS. in Bibliotheca Balliolenſi notatum legitur: *Auferens anguſtias tenebrarum, cujuſdam Fabri Lignarii filius hæc notabilia ſuperaddita ex Sanctorum Doctorum ſententiis, & ſacra Scriptura documentis collegit, & ad honorem Dei ſcribere ad Eccleſiæ utilitatem decrevit* &c. Codex vero in fronte Alexandri noſtri nomen præfert, ut ipſe αὐτόπτης vir clariſſimus Jacobus Uſſerius teſtatur in MS. *Bibliotheca ſua Theologica*. Prodiit Opus iſtud Venetiis anno 1582. in 4. ſub nomine Alexandri Angli, cujus ex occaſione editionis, illam Fratres Minores Summam Alexandro Halenſi poſtea adſcripſerunt. Sed impreſſio Norimbergenſis, anno 1496. in folio facta apud Antonium Koberger, Commentarium hunc ſeu Summam Alexandro huic poſitive aſſerit, ſub cujus impreſſionis finem dicitur *Opus compoſitum fuiſſe a quodam Fabri Lignarii filio, qui ob humilitatem voluerit reticere nomen ſuum*. In altera autem editione, quæ Pariſiis anno 1497. facta eſt, ita habet ad finem iſta editio *Deſtructorii Vitiorum*. „Inſignis notabi-„liſque compilatio haud modicum cuique ſta-„tui conferens, omne genus Vitiorum ſuis „cum ſpeciebus clariſſime evidenterque eradi-„cans, ob id non immerito *Deſtructorium* „nuncupata, a quodam Alexandro nationis „Anglicæ: & cujuſdam Fabri Lignarii filio, „maximam ad Eccleſiæ utilitatem anno Domi-„ni 1429. collecta, denovo exactiſſime corre-„cta & emendata, ac ſummo ſtudio Pariſiis per „Petrum Levet impreſſa, expenſis Johannis „Cohelens, præfati Levet, ac Michaelis Mo-„vin, ad laudem ſummi Monadis, tertio Idus „Aprilis 1497." Vide quæ diximus ſupra in Alexandro Halenſi, ad annum 1230. Agunt de hoc *Alexandro Anglo* Henricus Wharton ad annum 1429. pag. 104. Thomas Jameſius in *Ecloga Oxonio Cantabrigienſi* anno 1620. in 4. Londini edita.

1430 RAYMUNDUS SEBUNDUS, natione Hiſpanus, vir magni & ſolidi ingenii, clarus anno 1413. & ſequentibus, plurimam ſibi apud Gallos in Gymnaſio Toloſano, quod regendum tandem ſuſceperat, docendo & ſcribendo famam nominis obtinuit, utpote Artium & Medicinæ Doctor, quin etiam in Facultate Philoſophica atque Theologica inſignis. Compoſuit Opus prænotatum *Theologiam naturalem*, quam alii velut elogio exornantes *Theſaurum divinarum conſiderationum* nominarunt, quem Toloſæ anno 1434. inchoavit, anno autem 1436. ut habet manuſcriptus Codex Regius, ad finem perduxit, editum Venetiis anno 1581. in 8. apud Franciſcum Zilettum, cum jam pridem Pariſiis anno 1509. apud Joannem Parvum editus fuiſſet, & alibi. Habetur vero MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 4274. Prologus tamen in eandem Theologiam Naturalem eſt prohibitus in Indice Romano Clementis VII. Summi Pontificis. Compoſuit item Dialogum *Violam animæ* prænotatum, quo Raymundum & Dominicum Seminiverbium De hominis natura, De cognitione Dei, ſui & proximi, De omni debito, quo Deo & proximo adſtricti obligamur, colloquentes repræſentat: nec aliud ferme eſt, quam Liber *de Theologia Naturali* in Dialogi formam ab eodem Raymundo ordinatus. Impreſſus hic *Dialogus de natura hominis* Coloniæ anno 1501. in 4. apud Henricum Quentalium, & anno 1568. Lugduni in 12. apud Theobaldum Zoganum. Dicitur etiam ſcripſiſſe *Quodlibeta & Quæſtiones diſputatas*, quæ non comparent. Hæc Joſias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 719. Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 316.

DOMINICUS A SANCTO GEMINIANO, Juriſconſultus eximius, floruit anno 1430. & ſequentibus, qui æqualis fuit Paulo a Caſtro anno 1437. mortuo, & Joanni de Imola, qui obiit anno 1436. die 18. Februarii. Scripſit *Synopſin in ſex Libros Decretalium*, quæ una cum Notis Joannis Craſſi anno 1578. Venetiis in fol. impreſſa eſt. Item in *Sextum Decretalium*, Venetiis 1579. in fol. Item *Conciliorum in Jure* ſeu *Reſponſionum ad quæſtiones ſibi propoſitas ſolutiones*, quæ extant una cum Reſponſis Joannis Calderini editæ Lugduni 1536. in folio, ibidemque annis 1542. & 1568. Ejuſdem *ſuper Libros ſex Decretalium Opus* 2. partibus, editum quoque Venetiis 1477. & 1491. Norimberg. 1485. Quo anno mortuus ſit, mihi non liquet. Ejus mentionem faciunt Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Dominicus a Sancto Geminiano*. Martinus Lipenius in *Bibliotheca Reali Juridica* pagg. 102. 132. 134. 462. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* pag. 65. 1430

NICOLAUS PLOVIUS, ſeu du PLOVE. Poſnanienſis, quæ civitas Poloniæ majoris eſt, claruit ob ſcientiam Theologiæ ac Juris Canonici, in quibus anno 1434. & ſequentibus non ignobilem ſibi peperit famam. Scripſit 1430

psit Tractatus varios, qui tam ad Theologiam, quam ad Jus Canonicum spectare possunt, quos impressos habes in Collectaneo Tractatuum Juris, impresso Venetiis anno 1584. multis voluminibus in folio. Nempe Tomo XIV. *De Sacramentis & eorundem administratione* fol. 77. *De Sacrificio Missæ* ibidem fol. 91. *De interdicto Ecclesiastico* ibidem fol. 333. *De excommunicatione* ibidem fol. 365. Denique *De irregularitate* fol. 400. Ejusdem tomi. Tomo XV. parte 2. *De horis Canonicicis* fol. 564. Sed & hæc Opuscula Argentorati anno 1493. impressa fuerunt. Idem scripsit *Sermones de tempore ac de Sanctis*, Argentorati anno 1495. impressos. Hujus meminit Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Nicolaus Plovius*. Martinus Lipenius in *Bibliotheca Reali Juridica* pagg. 33. 53. 147. 247. 329. Thomas Hydius in Catalogo librorum impressorum Bibliothecæ Oxoniensis, verbo *Plovius*. Cornelius a Beughem *De incunabulis typographiæ* pag. 110.

1430 MICHAEL LOCHMAIER, natione Germanus, Pataviensis Canonicus, Theologiæ ac Juris Pontificii Doctor, eadem tempestate vixisse ac floruisse mihi videtur, quam tamen certam ac determinatam non inveni. Scripsit *Parochiale Curatorum*, Lipsiæ 1497. & Hagenoviæ 1498. Parisiis 1513. impressum. Istud *Parochiale Curatorum* divisum est in Decadem, cujus capita sunt 1. *De jure parochiali, quid sit & in quibus consistat?* 2. *De Decimis & Primitiis.* 3. *De oblationibus.* 4. *De pœnitentiis recipiendis.* 5. *De missis audiendis.* 6. *De sepulturis & remediis.* 7. *De Canonica portione.* 8. *De benedictione nubentium.* 9. *De collatione Sacramentorum.* 10. *De proventibus.* Idem scripsit *Sermones de Sanctis*, qui Hagenoæ. 1497. in fol. & Argentorati 1500. in folio impressi leguntur. Agunt de *Michaele Lochmaier* Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri*. Martinus Lippenius in *Bibliotheca Reali Juridica* pag. 378. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* pag. 86. cum aliis.

1430 BARTHOLOMÆUS SYBILLA, Monopolitanus, Theologiæ Professor atque Ordinis Fratrum Prædicatorum, claruit non anno 1534. ut male scribit Antonius Possevinus, sed anno 1434. Synchronus Nicolaus Tudesco Abbati Panormitano, qui ad Concilium Basileense anno 1431. ab Alphonso Arragoniæ Rege delegatus est; atque Alphonso Regi Arragoniæ & Duci Calabriæ, qui *Sapiens* & *Magnanimus* dictus, ab anno 1416. ad 1458. quo mortuus est, imperavit. Scripsit *Quæstiones Peregrinas*, seu ut ipse titulus habet, *Speculum peregrinarum quæstionum* ad Alphonsum Arragoniæ Regem & Ducem Calabriæ, cui familiaris erat, per tres Decades, ex Theologis, Jurisperitis, Philosophis & Astrologis concinnatum, in quo de Animabus, de Cœlo, de Purgatorio, de inferno, de Angelis bonis & Dæmonibus, deque aliis rebus agitur. Citat Scriptorem hunc Martinus Delrio Soc. Jesu, adversus Imagines Magorum fictitias, Libro I. *Disquisitionum Magicarum* cap. 391. quem & laudat. Sane istud Opus editum, longe ante annum 1534. quo claruisse falsò a Possevino affirmatur. Impressum enim illud primo typographiæ natæ seculo, Romæ 1493. Parisiis 1497. atque Argentorati 1499. in 4. uti recte habet Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* p. 126. Idem editum Venetiis 1575. sed & anno 1582. ibidem apud Joannem Bertramum, cum variis additionibus Raphaelis Maffæi Veneti, Ordinis Servorum beatæ Mariæ, cum & antea idem opus Lugduni anno 1521. apud Jacobum Myt prodiisset. Hujus mentionem faciunt Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Bartholomæus Sibilla*. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographia* pag. 126.

NICOLAUS CANTILUPUS, Carmelita 1430
Anglus in Bristoliensi Cœnobio, his etiam temporibus claruit, qui tandem Nortamptoniæ Prior, inter alia scripsisse fertur præter *Appendices Historiarum*, Ordinis sui Encomium, cujus partem primam sibi visam refert Brianus Twinus in *Apologia Academiæ Oxoniensis*, sed omnia miris ac stupendis fabulis scatere ait. Contexuit quoque *Historiam Cantabrigiæ*, ex qua quiddam citat de origine urbis, Polydorus Virgilius Lib. V. *Historiæ Anglicæ*, sed opusculo, quo usus est, nomen authoris adscriptum fuisse non videtur, alioquin enim auctorem incertum non vocasset. Extat inter Manuscriptos Codices Hiberniæ num. 303. in MSS. Codicibus sanctæ Trinitatis Dublinensis Codice 163. *Chronica Fundationis Universitatis Cantabrigiæ per Nicolaum Cantlow, sive de Cantelupo Carmelitanum, qui Northomptoniæ obiit die 6. Septembris 1441.* Et inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 6090. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 256. *Historia Academiæ Cantabrigiensis, auctore Nicolao de Cantilupo.* Eadem videtur, quæ extat in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Cantabrigiensis Codice 309. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Classe sinistra, Serie media. Codice 18. Alius extitisse videtur Thomas de Cantilupo Episcopus Herefordensis, cujus extat *Vita & miracula* inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium num. 2011. in MSS. Codicibus Guilielmi Glynne Baronetti Codice 87. Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 5. pag. mihi 560.

ANTONIUS RAUDENSIS SEU RAU- 1430
DINUS, Ordinis Fratrum Minorum, humili loco Folmentæ in Insubria natus, cui propterea Opusculum misit Albertus Satrianus, a nobis inter ejus Opera jam recensitum, videlicet, *Quod nihil nocet ad virtutem, humili loco nasci.* Hic sacræ Theologiæ Magister, in omni studiorum genere insignis, Lactantii Fir-

miani

miani assidua delectatus Lectione, ut emendatior & purior prodiret, effecit, quem cæteri postea imitati, purgandis ac emendandis veterum Patrum corruptis lapsu temporum ac præli iteratione Opusculis, hoc nostro potissimum seculo incubuerunt. Alia etiam Opera juxta Lucam Wadingum composuisse dicitur, quæ perierunt: quem recte circa annum 1410. collocat, quippe qui post annum 1430. & circa annum 1440. temporibus Eugenii Papæ IV. Opera *Lactantii Firmiani* ad MSS. Codices diligenti collatione facta emendavit, præfixa locorum annotatione, quæ minus cum veritate conveniebant. Impressa hoc modo prodiere postmodum Venetiis anno 1497. apud Bevilaquam, & Lugduni eodem anno apud Gryphium, & Basileæ anno 1532. apud Cratandrum, & Coloniæ anno 1544. apud Petrum Quentelium. Porro *Antonii Randensis Ordinis Fratrum Minorum Theologi, Dialogorum Libri tres in Errata Lactantii Firmiani ad Eugenium Papam quartum*, qui anno 1431. Romanus Pontifex electus, anno 1447. mortuus est. MSS. habentur Codice 3980. Regiæ Galliarum Bibliothecæ in folio, qui sub Eugenii IV. Potificatu scriptus est. Pauca de *Antonio Randensi* habet Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 1. pag. 104. Plura Lucas Waddingus in *Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 37.

1430 JOANNES NIDER, natione Germanus, patria Suevus & Isnensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, hoc tempore insignis omnino Theologus, qui in monasterio Norimbergensi dum junior erat, nomen suum Ordini Frarrum Prædicatorum dedit. Factus ob merita probitatis & doctrinæ, tum Prior Monasterii Prædicatorum Basileensium, tum Hæreticæ pravitatis Inquisitor, ac Gymnasii Viennensis sui Ordinis Rector. Claruit ao. 1430. & sequentibus a tempore Constantiensis Concilii. Anno 1431. ab Academia Viennensi ad Concilium Basileense missus est, qui disputationibus adversus Hussitas institutis magnam sibi nominis famam & a Patribus hujus Synodi laudem comparavit: unde ineunte anno 1432. a Concilio ad Bohemos legatus, ut eos data seu promissa salutis cautione & reformationis spe ad Synodum invitaret, operam perdidit. Recentius enim erat Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis anno 1416. in Concilii Constantiensis vivicomburium contra fidem ab Imperatore & Patribus datam, quam ut tam insigne perjurium a memoria tam paucis annis excideret. Composuit eleganti ac tersa salis calamo plura Joannes Nider, nempe *Præceptorium seu Tractatum de decem præceptis*, impressum Parisiis anno 1507. in 4. per Andream Bocard sexto idus Maji. Ibidem anno 1515. in 4. per Jacobum Pouchin 13. Calendas Januarii denique Duaci anno 1612. in 8. apud Balthazarem Bellerum.

Myrmecium Bonorum, seu *Formicarium ad Exemplum Sapientiæ de formicis*, impressum in 4. Parisiis anno 1516. apud Joannem Engellerium de Marnefo. & Duaci in 8. anno 1602. apud Balthasarem Bellerum sub Circino aureo cum Notis Georgii Calvenerii. Ejusdem *de Maleficiis & præstigiis* ex formicario per Joannem Sprengerum in *Malleo Maleficorum* Joannis Sprengeri, Lugduni in 8. anno 1620. impresso, pag. 469.

Alphabetum Amoris divini, quod impressum reperitur inter Opera Joannis Gersonii, ut habet Ludovicus Ellias du Pin *in Bibliotheca Nova Ecclesiastica* Seculo XV. tomo 12. pag. mihi 90. editionis Amstelodamensis anni 1700. in 4.

Consolatorium timoratæ conscientiæ, editum in 16. Parisiis anno 1494. per Magistrum Petrum le Dru, cum libro *De modo bene vivendi*, ad sororem, sub nomine Divi Bernardi. Itemque recusum Romæ anno 1604. in 8. apud Stephanum Paulinum. Fallitur autem eximie Henricus Whartonus, qui Joanni Nidro hunc librum *De modo bene vivendi ad Sororem* hucusque inter Opera Divi Bernardi repositum, attribuit: qui indubie spectat ad aliquem Scriptorem Seculi XII. vel XIII. de quo abunde diximus supra, verbo *Thomas Frigidi Montis Monachus*.

De reformatione Religiosorum Libri III. impressi in 8. Antwerp. anno 1611. apud Bellerum citatum.

Vidi etiam varia Opuscula Joannis Niteri impressa, in Bibliotheca Collegii Choletani Parisiensis, edita in 4. absque nomine, loco & anno typographiæ. Ibi *Tractatus de consolatione timoratæ conscientiæ*. Apud Disciplinas reperimus Philosophicas, diversis morbis corporum. Medicos tradidisse antidota varia diversis sub tractatibus &c. *Tractatus de Lepra morali*. Olim Deum legimus in Levitico &c. *Tractatus de contractibus Mercatorum*. Cum Mercatorum officium tot susceptis contractibus circumvolutum agnoscatur &c. Idem *Tractatus de Contractibus Mercatorum*, editus Venetiis anno 1584. in Compilatione Tractatuum Juris, ibidem in folio, tomo VI. p. 279. & sequentibus, & Lugduni cum aliis Opusculis anno 1593. impressis, pag. 615.

Sermones ejus totius anni de Tempore & de Sanctis cum Quadragesimali, impresso etiam olim antiquo charactere in 8. ut habetur in Bibliotheca publica Oxoniensi, verbo *Nider Joannes* &c. Sunt autem hi Sermones *Joannis Nider de tempore & de Sanctis, itemque Quadragesimale*, simul Ulmæ in Germania impressi apud Zachariam Zainer.

Videtur autem hic Johannes Nyderus Ordinem Fratrum Prædicatorum professus fuisse in monasterio Fratrum istorum Nurembergensium, vel Theologiam ibi aliquando docuisse: nam Joachimus Fellerus Bibliothecarius Paulinæ Bibliothecæ Lipsiensis, in Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, quem anno 1686. Lipsiæ edidit pag. 89. hæc habet Codice 52.

Johannis

Johannis Nyders, Sacræ Theologiæ Professoris Ordinis Prædicatorum Conventus Noribergensis. tractatus de reformatione status Cænobitici. Idem opus MS. pag. 209. Ex inscriptione hujus igitur Codicis, vel ibidem loci professionem Franciscanam emiserat, vel Theologiam professus fuerat. Potissima quidem opera Joannis Nideri impressa sunt ex allatis supra, non tamen omnia, aliqua enim adhuc in Bibliothecis latent, quæ lucem vidisse non videntur. Inter illa Theophilus Spizelius in *Sacris Bibliothecarum illustrium arcanis retectis*, Augustæ Vindelicorum anno 1668. in 8. editis, profert Catalogum MSS. Codicum Basileensium tam membraneorum quam chartaceorum ordine alphabetico pag. 17. ad 47. quem ad illum anno 1661. velut amicum misit Joannes Buxtorfius Bibliothecæ Præfectus, vir memoria æterna ob eruditionem singularem dignus. Inter MSS. Codices membraneos illic extantes littera I. pag. 20. extant. *Johannis Nider de Secularium religionibus, & de paupertate Secularium perfecta, Ejusdem formicarium, seu Dialogus Theologi & Pigri, de formicarum moralitatibus in V. libros distractus. Ejusdem de abstinentia carnium. Ejusdem de dispensatione Canonica.* Quæ opuscula, secundo excepto, impressa non videntur. Item inter MSS. Codices Chartaceos littera I. pag. 39. *Johannis Nider liber contra thesim Hussitarum in Bohemia degentium. Johannis Nider de reformatione status Cænobitici. Idem de Scholarum Religionibus & statu Canonisatorum Secularium.* Cum autem non in Theologia solum, sed in Jure Canonico etiam celeberrimus esset Johannes Niderus, hinc quoque a Joachimo Fellero Lipsiensis Academiæ Bibliothecario, loco citato, refertur inter MSS. Codices Juridicos, Repositorio Juridico I. Serie III. in folio, ingens opus illius. Ejusdem vero Johannis Nideri *Tractatus de Visionibus & Revelationibus*, editus ex MSS. Codice Helmstadii anno 1692. in 8. qui hinc ad me missus est. Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 773. ubi de MSS. Codicibus ab Arce Ambrasiana ad Bibliothecam Cæsaream allatis agitur, Codice MSS. XXIX. chartaceo in folio, in quo diversa ex indice præfixa continentur, refert inter illa *Manuales Confessorum fratris Johannis Nider Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Professoris* cujus principium, *Quoniam juxta beati Gregorii in suo Pastorali sententiam* Regimen animarum est ars artium, id circo &c. de Joannis hujus Nideri scriptis, vide Joannis Jacobi Frisii *Bibliothecam Universalem* & Antonii Possevini *Apparatum Sacrum*, ubi tamen nulla fit mentio hujus *Manualis Confessariorum*, unde apparet hoc illis fuisse incognitum. Hæc Lambecius loco citato.

Item *Johannis Nider Ordinis Prædicatorum Casus de criminibus in Deum, in proximum, & de Ministris irregularibus:* seu *Casus Decretalium*, MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut ex Catalogo illius impresso constat, pag. 236. num. 15. mortuus est Joannes Niderus Norimbergæ in suo Monasterio, ubi fratrum Prædicatorum Ordinem professus fuerat, anno 1438. &c. cujus mentionem faciunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 477. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* pag. mihi 925. Ambrosius Altamura in *Bibliotheca Dominicana*, cum aliis. Henricus Whartonus in Commentario *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1431. pag. 105.

ALBERTUS DE SARTIANO, Etruriæ oppido, etsi Mediolanensem dixerit Villotus, Vir insignis in Græcis & Latinis, Divinis & humanis litteris eruditus, Eugenio IV. & Nicolao V. notissimus, totius fratrum Minorum Ordinis aliquandiu Vicarius Generalis, in Concilio Florentino Græci idiomatis interpres, ad quod etiam Jacobitas ex regione Ægypti remotissima adduxit, egregius Ecclesiastes, & dissolutæ disciplinæ reformator. Eo tempore Guarinum Veronensem habuit Magistrum, quo Latina eloquentia in Italia sua nitori restitui cœpit. Nitide & docte multa scripsit Opuscula, quæ penes se habuit MSS. in ipso ejus autographo Lucas Wadingus, eaque sunt. 1430

Tractatus de pœnitentia anno 1433, scriptus, qui incipit, *A plerisque & multis in locis* &c.

Tractatus de Eucharistiæ sacramento, anno 1422 scriptus. Credo vos Patres carissimi &c.

De conditione amicitiæ & de malitia invidentiæ, Incipit, *Non secus illo pacta* &c.

Quod nihil nocet ad virtutem, humili loco nasci, ad Antonium Raudensem. Incipit, *ne falso forsitan arbitreris* &c.

De insolentibus corripiendis, anno 1446. Cum Paulus Apostolus &c.

Contra Martyrum vituperatores, ad Eugenium IV. Pontificem Maximum. Cum adversus amplissimæ gloriæ &c.

Sermo habitus in Comitiis Generalibus Ordinis Patavii anno 1443. celebratis. Quanquam nos omnes &c.

Epistolas plerasque ad prædictum Eugenium Pontificem, ad varios Antistites, maxime vero ad Christophorum Episcopum Ariminensem, Eugenio ab intimis consiliis. Multa ex hujus præclari viri Operibus sparsim exscripsit idem Wadingus in tomo 4. *Annalium Ordinis Minorum*, quæ si Deo placuisset, aliquando publici juris universa fecisset. Epistolæ istæ Alberti de Sartiaoo elegantes sunt, quas habet apud se MSS. Parmæ in Italia Benedictus Baccinus, ex ordine divi Benedicti Monachus illasque audio florentiæ editioni parari, ex *Diario* seu *Chronico Ambrosii Camaldalensis*, ad calcem operis, quod ab Antonio Magliabeco nuperrime editum est. Obiit autem Albertus Mediolanæ anno 1450. postquam strenue viris sanctissimis, Bernardino Senensi, Joanni Capistrano & Jacobo Piceno, pro restituenda Ordinis Minorum disciplina

strenuè adlaboraſſet. Cujus meminit Henricus Villotus in *Athenis Franciſcanis*, & Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 6. quem hic transſcribimus.

1430 ALANUS CHARTIER, quem alii vocant *Alanum Aurigam & Aurigarium*, inſignis Hiſtoricus ſuo tempore extitit, ac Poëta Gallus nobilis, floruitque temporibus Caroli VI. ac VII. Franciæ Regum, quorum Notarius ſeu Secretarius fuit. Hic conſcripſit *Hiſtoriam Francicam ſui temporis* idiomate Gallico, ab anno 1402. ad usque annum 1458. quo mortuus eſt. Narrat ea pleraque quibus interfuit, & quorum teſtis oculatus fuit, ſtylo nunc temporis barbaro, ſed eleganti pro tempore, quo ſcribebat. Impreſſa Hiſtoria iſta primum anno 1528. Pariſiis, tum poſtea anno 1594. floruit itaque ab anno circiter 1430. usque ad annum 1458. quo mortuus legitur, cujus inſuper extant alia multa, tam carmine Gallico, quam Latina Oratione ſoluta, quæ variis locis & temporibus ſeparatim impreſſa ſunt. Sed omnia *Alani Chartieri* Opera tam Gallica quam Latina, Pariſiis collecta ſunt & impreſſa in 4to anno 1617. apud Petrum Murum via Traverſina juxta portam ſancti Victoris, cura & ſtudio Andreæ Ducheſnii Turonenſis, Regii Hiſtoriographi, emendata ad MSS. Codices & antiquas editiones. Sunt autem præcipue.

Hiſtoria Caroli ſeptimi Francorum Regis Gallice fol. 1.

Spes ſeu Conſolatio trium Virtutum, Gallice. fol. 261.

Curiale Gallicum. 391.

Quadrilogus invectivus Gallice. 402.

Dialogus Latinus familiaris Amicorum, ſuper deploratione calamitatis Gallica. 455.

Latina aliquot, ſed pauca Epiſtolæ. 477.

Varia Poëſes Gallicæ, quæ Laicos ac Milites docent, Eccleſiam non ſapiunt, a pag. 439. usque ad finem.

Obiit anno ætatis ſuæ 72. Domini 1458. ut conſtat ex initio ipſius Hiſtoriæ, ubi ſuam ætatem profert, cujus honorificam facit mentionem Stephanus Paſquier Regius cauſidicus in Camera computum Lib. 5. ſuarum *Inquiſitionum de rebus Francicis*, cap. 8.

1430 PETRUS PISTORIS, Bruxellenſis Canonicus Regularis, Ordinis S. Auguſtini in Viridi Valle prope Bruxellam, vir eruditus ac pietatis non vulgaris, circa annum M CCCC XXX celebris, reliquit tractatus *De pluralitate Confeſſariorum in regimine Monialium non admittenda. De differentia venialium peccatorum & mortalium, De triplici via ad Deum*, quæ omnia MSS. ibidem aſſervantur. Migravit ex hac vita anno Domini M CCCC XL. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Petrus Piſtoris* pag. 757. editionis ultimæ 1643. Lovani in 4.

1430 JOANNES DONCKELS, natione Brabantus, homo pius & in Spiritualibus aſceticis exercitatus, unde factus etiam Prior Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini apud Tungrenſes, effulſiſſe hoc etiam tempore noſcitur, cujus *Tractatus de gratitudine ſub moralizatione Nicodemi & Joſephi ab Arimathia*, ibidem MSS. legitur. Cum autem Eccleſiam prudenter, & cum gregis ſibi commiſſi ædificatione per aliquot annos adminiſtraſſet, moritur anno M CCCC LIII. die 16. Octobris. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Joannes Donckels* pag. 493. editionis ultimæ 1643. Lovanii in 4to.

JOANNES LUKAWITZ, natione Bohemus, profeſſione Waldenſis, ex illis, qui in Bohemia *Taboritæ* dicebantur, quique ſimplici *Fratrum* cognomine, contra alios *Magiſtrorum* appellatione tumentes, gloriabantur: hac quoque ætate, inter Presbyteros Waldenſes claruit. Cum vero anno M CCCC XXXI. in Convocatione Generali regni Bohemiæ, Perſonæ XII. electæ fuiſſent quæ diſſidia circa quæſtiones de religione motas componerent, negotium illud omnium votis adduci non potuit. Nam ad præſentiam Caroli Regis pridie Kalendas Maij, in vigilia ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, utraque pars litigantium ob fidem veniens, multis altercationibus factis ſententiæ alterius partis conſentire noluit. Imo cum impoſitionibus multis ac objectionibus ambæ partes ſibi invicem inſurgerent, data hinc occaſio fuit Joanni Lukawitz Valdenſi, ut Presbyterorum Teboritarum nomine, Opuſculum hujus tituli conſcriberet. *Johannis Lukawitz Valdenſis Confeſſio Taboritarum contra Rokenzanam & Papiſtas Pragenſes.* Incipit. *Quia anno Dominus 1431. currente, in convocatione Generali regni Bohemiæ, electæ erant perſonæ duodecim ex ſtatu Baronum, militum, elientum, civitatum & Communitatum de regno Bohemiæ*, &c. Opus capitibus LV. diſtinctum, edendum curavit Balthaſar Lydius verbi Divini apud Dordracenſis Eccleſiaſtes, inter *Waldenſia* 2. in 8. tomis impreſſa Roterodami 1616. apud Joannem Leonardi Berevvout, ubi tomo 1. pag. 1. ad 303. quibus ſuccedunt *Articuli Magiſtrorum & Sacerdotum antiquæ Civitatis Pragenſis Papiſtarum & Contradictiones Sacerdotum Taboritarum* ad pag. 367. Nullus, quem noverim, ſcriptoris hujus meminit. 1430

LUDOVICUS PONTANUS, natione Italus, patria Spolatanus in Umbria, poſt annum 1430. tempore Concilii Baſilienſis claruit, cui præſens interfuit. Excelluit doctrina utriusque Juris Civilis & Canonici, ut in Operibus ab ipſo relictis conſtat, quæ Joſias Simlerus recenſet in *Bibliotheca Geſneri* a ſe tum contracta tum locupletata pag. 463. col. 1. editionis Tigurinæ in fol. 1574. apud Chriſtophorum Froſchoverum. Cum igitur illic in Concilio Baſileenſi adeſſet, amplexus partes Concilii contra Papas tunc contendentes, variis quoque opuſculis conſcribendis in gratiam iſtius Concilii incubuit. Nimirum juxta Theophilum Spizelium 1430

zelium in *Sacris Bibliothecarum arcanis retectis*, quæ anno 1668. in 8. Augustæ Vindelicorum edenda curavit, extat pag. 17. Catalogus Codicum Manuscriptorum Basileensis Bibliothecæ, quorum designationem Basilea anno 1661. benigne ipsi suppeditavit, vir scriptis celeberrimus Joannes Buxtorfius, hujus loci bibliothecarius. Ibi inter manuscriptos Codices chartaceos littera L. pag. 40. *Ludovici Pontani, patria Romani de auctoritate Conciliorum Generalium. Ejusdem citatio nomine Basileensis Concilii ad Papam Romanorum Eugenium. Ejusdem de potestate Ecclesiæ, Conciliorum & Papæ. sermo pro Concilio Basileensi contra Eugenium Papam IV.* Hæc omnia in folio. Cum vero Eugenius IV anno 1438. in Sessione Concilii Basileensis suspensus ab officio fuisset, recte ad hunc annum Opuscula ista referri possunt. Distinguendus autem ille est a Ludovico Alamando Archiepiscopo Arelatensi, & Cardinale Sancti Sixti, Concilii Basileensis Præside, cujus ibidem extat *Oratio & recommendatio Concilii anno 1439.* in folio. Hæc ex Catalogo citato Manuscriptorum Codicum Basileensis Bibliothecæ, quem anno 1661. Spizelio Joannes Buxtorfius Bibliothecarius obtulit. Sed juxta Simlerum loco citato, Ludovicus Pontanus anno 1439. in Concilio Basileensi mortuus est. Hæc quidem paucis de illo scripseram, de quo pluribus Paulus Freherus quem hic transscribam. Ludovicus Pontanus vel Romanus patriam habuit Spaletum Umbriæ in Italia ad radices montium civitatem positam. "Ingenio eminenti, memoriaque divina præditus, dum disputaret, leges non secundum principia pro more Jurisconsultorum aliorum allegabat, sed ac si ex Codice legisset. Jurisconsultus suo tempore singularis, habuit præceptores Johannem Petrucii celeberrimum apud Perusinos magistrum, atque Joannem de Imola, quorum auditor fuit. Licet patria Spoletanus, ob id tamen quod Romæ ut plurimum commoratus sit, Romanus dictus. Fuit etiam Ecclesiasticus secularis & Protonotarius Apostolicus. Cum annis aliquot in Gymnasio Senensi Leges Civilis publice docuisset, Romam se contulit, & strictam cum Cardinale Panormitano amicitiam coluit, cum quo *Basileam* ad Synodum ibi celebratam profectus, qui grassante peste illic junior licet, mundo subreptus est Anno Christi 1439. die 11. Julii. Ibidem in Templo Carthusianorum patrum conditus jacet cum hoc Epitaphio.

Anno Domini MCCCCXXXIX.
Reverendus in Christo Pater Dominus Ludovicus Pontanus de Roma, Utriusque Juris Doctor egregius, S. Sedis Apostolicæ Protonotarius, cujus Anima requiescat
in pace. Amen.

Junior scripta edidit multa, *Commentarios in Digestum & Codicem.* editos anno 1580. Venetiis in folio, *Consiliorum singularium volumen* editum anno 1579. Francofurti in folio. *Repetitiones in Jus Civile*, cum aliis repetitionibus aliorum, editas anno 1553. Lugduni in folio. Celeberrimi hujus viri mentionem faciunt honorificam, Æneas Sylvius *in Historia Concilii Basileensis.* Johannes Fichardus *de Vitis Jurisconsultorum.* Hieronymus Ghilinus in *Theatro Italico virorum literatorum.* Paulus Freherus in *Theatro virorum eruditione clarorum* Norimbergæ anno 1688. in folio edito parte 2. Sectione 4. pag. 793. quem præfatis de eo dictis adjunximus.

PETRUS DE MONTE, natione Italus, patria Venetus, hac tempestate eadem claruit ac Ludovico Pontano seu Spoletano Synchronus fuit. Cum esset homo insignis ob Theologiam ac Juris-Canonici peritiam, meritis postulantibus ad Brixiensem Episcopatum assumptus est, unde ad Concilium Basileense accessit, ubi laudem non modicam ob eruditionem retulit. Scripsit Petrus Brixiensis Episcopus *Magnum Repertorium Theologicum*, quod Norimbergæ anno 1470. impressum fuit, ut testatur Cornelius a Berghem Embricensis, in Opusculo *de incunabulis Typographia* littera P. pagina 106. quod Amstelodami 1688. in 12. editum apud Joannem Woltens. In Concilio Basileensi, scripsit Librum quem *Monarchiam* prænotavit, in qua agitur de generalibus Conciliis, de potestate atque præstantia Romani Pontificis, ac de dignitate Imperatoris, quæ ex ipso autographo descripta, qui erat apud Felinum Sandæum, Romæ primum anno 1537. in 16. Sandæi etiam additionibus aucta, prodiit apud Antonium Bladum. Hinc importata in *Collectaneum Tractatuum Juris*, quod Venetiis anno 1584. multis in folio voluminibus impressum est, ubi extat Tomo XIII. parte 1. p. 144. scripsit *Monarchiam* inter annos 1430. & 1440. quam subjecit censuræ Eugenii IV. Papæ, cujus tum partes in Concilio Basileensi, amplectebatur. Elatus autem hic Eugenius anno 1430. anno 1438. vel circiter a Concilio depositus est. Mentionem facit hujus scriptoris, Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Petrus de Monte.* 1430

HENRICUS DE GORRIKEM, seu GORKUM, dictus vulgo GORRICHEMIUS, GORCOMIUS ac GORCOMIENSIS, patria Batavus, a vico natali cognomentum traxit, Philosophus ac Theologus insignis, disputandi ardore, & cavillandi arte celebris, quas ob dotes in Academiam Coloniensem evocatus, in qua ab anno 1430. ad 1460. & ultra floruit, Vicecancellarius etiam illius factus: Hoc modo conciliantur auctores, quorum alii illum anno 1430. alii anno 1460. floruisse scribunt. Ille Philosophiam primum Aristotelicam, deinde Theologiam Scholasticam multis annis docens, famam sibi non ignobilem comparavit. Multa docendo scripsit pro ætate qua vixit, tum Philosophica, tum Theologica non contemnenda opu- 1430

da opuscula. Extat *Commentarius ejus in Libros Aristotelis de Cælo & mundo*, editus Coloniæ 1505. typis Henrici Quentelii. Item *Quæstiones Metaphysicæ de ente & essentia*, editæ anno 1502. ibidem. *In libros Physicorum Aristotelis ejusdem*, MS. Antwerpiæ apud Dominicanos: *Ejusdem in libros Ethicorum*, MS. olim Bruxellæ apud Tertiarios. A Philosophicis autem ad Theologica Opuscula transeuntes, ibidem Henricus de Gorichem juxta Possevinum in Apparatu Sacro, *Petri Lombardi & Sancti Thomæ Aquinatis sententias, additis titulis & conclusionibus conciliare* aggressus est, qui impressæ Argentinæ 1489. & Basileæ 1492. in fol. Idem opus inscriptum scilicet *Conclusiones & Concordantiæ Bibliorum ac Canonum in libros Magistri Sententiarum, additis Summariis & erroribus Magistri, qui Parisiis & in Anglia condemnati sunt*, editum Coloniæ 1502. Venetiis 1506. Basileæ 1513. in fol. Inscribuntur *Propositiones & conclusiones ad singulas Distinctiones Petri Lombardi in libris Sententiarum*, seu *Textus Magistri Sententiarum 4. Libris cum Propositionibus ac conclusionibus Henrici Gorichemii* Argentorati 1499. in fol. item *Textus Magistri Sententiarum* ut supra &c. *& cum Propositionibus ac Conclusionibus Gorichemii, Elucubrationibus Ægidii Romani, & Additionibus Henrici de Wrimaria, Basileæ* 1513. in folio. Hæc de variis editionibus hujus operis. *Ejusdem Tractatus de superstitiosis quibusdam casibus & Ceremoniis Ecclesiasticis*, item *de celebritate festorum*, Coloniæ 1503. in 4. apud Quentelium. Lugduni 1621. pag. 71. ad calcem libri, cum aliis in 8. Ejusdem *de superstitionibus* MS. olim Ninivis in Flandria. *De modo conjurandi Dæmones*, MSS. ibidem *contra Hussitas & Bohemos* MS. in Carthusia Gandensi, itemque in Bibliotheca Petri Francii, in illustri Schola Amstelodamensi; Eloquentiæ & Historiæ Professoris, inter Codices in 4. Codice 394. ubi *Thomæ Aquinatis ad Regem Cypri de Rege & Regno Tractatus*, item *Henrici de Gorinchem Tractatus ad extirpandum articulos & Hæreses Huissitarum*, MS. in membrana. Ita Catalogus hujus Bibliothecæ editus Amstelodami 1705. in 8. ex officina Wetsteniana. Reperi postea hunc Tractatum fuisse impressum sub hoc titulo, *Tractatus Consultatorius Henrici de Gorrikem, Artium & S. Theologiæ Professoris Coloniensis, continens varias quæstiones Theologicas, præcipue contra Hussitas*, impressas Coloniæ 1503. in 4. typis Henrici Quentel. Hujus unum exemplar in Bibliotheca Mauritii Tellerii, Remensis Archiepiscopi inter Theologos in 4to. pag. 47. ut constat ex Catalogo hujus Bibliothecæ, quem anno 1693. Parisiis in folio, edendum Typis Regiis curavit, arroganter sub proprio nomine dictus Archiepiscopus, quamvis ab Antonio Faure Doctore Sorbonico & hujus Tellerii in Archiepiscopatu Remensi, Vicario Generali compositus sit, quem post mortem honore proprii laboris Tellerius spoliavit. Hunc Tractatum scripsit Heinricus de Gorrikem, paulo post Concilium Basileense, ubi a Pontificiis adversus Hussitas accusationes & disputationes refricatæ sunt. Ejusdem *de Sacramento Eucharistiæ, & efficacia Missæ*, MS. in Viridi Valle apud Bruxellam. *De prædestinatione, de divinis nominibus, de Simonia, de bello justo*, MS. apud Dominicanos Zatphaniæ. *De obligationibus* MS. olim Ziriczeæ in Zelondia. Hæc nobis de Henrico Gorcomiensi suggesserunt, Joannes Trithemius in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1460. Antonius Possevinus Tomo 1. Apparatus Sacri, verbo *Henricus de Gorichem*. Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* pag. 328. editionis 1628. Antwerpiæ in folio. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 353. editionis ultimæ 1634. Lovanii in 4to. Ludovicus Jacob a Sancto Lardo in *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. pag. 334. editionis Lugdunensis anno 1643. in 4to.

JOANNES GRITSCHIUS, Ortu Germanus, patria Basileensis, Doctor Theologus Ordinis Minorum, floruit anno pariter 1430. 1430
Composuit *Sermones de Tempore & de Sanctis per annum* Lugduni editos anno 1492. Item *Quadragesimale*, quod Ulmæ anno 1476. apud Joannem Zeimer Reutlingensem, & Basileæ anno 1477. impressum est apud Joannem Vience. Lugduni anno 1492. & Parisiis anno 1512. in 8. De illo agunt & plura dabunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 448. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 890. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 289.

JOSEPHUS BARBARUS, PATRICIUS VENETUS, circa annum 1430. floruit moribus, doctrina, dexteritate ac prudentia insigni agendarum rerum publicarum apud Venetos. 1430
Composuit ille *Librum Itineris sui*, quod anno 1436. ad Tonaim instituit, quibus in locis annos sexdecim commoratus est. Item *de itinere suo in Persiam*, cum anno 1471. missus esset, a Republica Veneta ad Assambejum Persiæ Regem Legatus. Transtulit hæc itinera ex Italico Latine Jacobus Genderus, quæ Persicæ Historiæ adjunguntur scriptoribus. In quorum volumine Francofurti edito in Germania anno 1601. tum in frontispicio, tum in epigrapho hujus Itinerarii constanter *Josephus* nuncupatur, qui vero tamen nomine *Josaphas seu Josaphat* dictus est: prout semper eum nominat *Callimachus experiens* in Historia eorum, quæ Venetiis aut a Venetis tentata fuere, ad Tartaros ac Persas contra Turcos concitandos. Ex quo etiam scriptore discas, Josephum natum esse patre Antonio Barbaro, ac fuisse linguæ Persicæ gnarum. Unde item cognoscas alia ad legationem ejus pertinentia, qualia vel ex Callimacho vel ex Josaphato ipso sive Josepho, peti malumus. Huic autem ob argumenti similitudinem Ambrosius Contarchus adjungitur, qui ab illustri Venetorum Republica ad Ussuncassanum Persiæ Regem lega-

legatus, *Itinerarium in Persiam* pariter conscripsit. Quo complexus fuit, quæcunque memoratu digna contigissent, a primo die quadragesimæ anni 1473. quo Venetiis discessit, usque ad diem 24. Februarii anni 1477. quo Venetias reversus est. Illud vertit pariter ex Italico Latine idem Jacobus Geuderus, quod inter Persicæ Historiæ Scriptores Latinos reperitur. Hæc nos ex aliis. De *Josepho Barbaro* Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. 604. ultimæ editionis, quem exscribimus. De *Ambrosio Contareno* Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri*, cujus *Itinerarium* Venetiis etiam italice scriptum, fuisse impressum scribit pag. 35. Idem qui supra Vossius Libro citato, cap. 7. pag. 588. ejusdem editionis.

1430 JOANNES FRANCISCUS POGGIUS BRANDOLINUS, uti vocat Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 2. pag. 292. vel *Brandolinus civis Poggii*, ut nuncupat Franciscus Albertinus Oratione 2. ad Julium II. *de laudibus Civitatis Florentinæ & Saonensis*: vel *Bracciolinus Florentinus* ut alii scribunt, Terræ Novæ agri Aretini oppido originem suam debet. Natus juxta supputationem anni mortis ipsius atque ætatis qua mortuus est, anno 1379. Didicit Græce ab Emmanuele Chrysolora, ut Philippus Bergomas ait in *Supplemento Chronicorum* ad annum 1398. circa annum ætatis XIX. Fuit hic postea, ut de eo Jovius in Elogiis inquit, *Pontificiis scriniis sub Eugenio & Nicolao præfectus, aquatus scilicet honore summis viris, qui in eo munere fidelis eruditique ingenii operam præstitissent: in his fuere Leonardus Aretinus, Maphæus, & Joannes Amoispa.* Ipse Poggius Invectiva secunda in Laurentium Vallam fol. 86. sibi obblanditur, gloriaturque quod *annos quinquaginta fere ita fit versatus in Curia, ut absque alterius offensione charus, octo Pontificibus continuo in honore & dignitate fuerit, quadraginta ferme Secretarius.* His in officiis constitutus Poggius, uxoreque ac liberis ex ea susceptis gravis, haudquaquam tamen ab studiis remisit animum: imo scriptis ipse multis eruditionem suam profanam simul atque sacram testatus est. Cognosco autem ex Possevino loco citato, multa adhuc ab ipso scripta esse, quæ in Bibliothecis latentia, nondum e tenebris ac situ pulveris eruta sunt. Interque illa librum unum *de situ regionis Indiæ*, cujus initium sit, *Scribendi Indiæ Historiam* &c. *De officio Principis*, Ad Julium II. Summum Pontificem. *Vellem Beatissime Pater* &c. *De varietate fortunæ* ad Nicolaum V. Libros IV. *Multa quidem* &c. *De authoritate & potestate Pontificis & Concilii.* Hæc nondum impressa, sed alicubi in Bibliothecis latitantia credidit Antonius Possevinus, qui tamen, ubinam laterent, non aperuit. Verum hæc omnia Opuscula Poggi Florentini inter opera impressa, enumerat Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1420, pag. 98. ubi illa recenset ex editionibus Argentinensi annorum 1511, & 1513. in folio, & Basileensi anno 1538. Præterea transtulit *Xenophontis Cyropadiam*, ejusdemque nomen præfert vetus *Translatio quinque Librorum Diodori Siculi.* Atque arbitror hoc Opus designari ab Ugholino Verino Lib. 2. *Florentia illustrata*, cum de Poggii scriptis loquens ait:

Barbara traduxit veterum miracula Regum,

Sed fortasse eorum interpres est Johannes Phreas Britannus seu Anglus, Balliolensis Collegii socius, qui Medicinam olim Ferrariæ & Patavii docuit. Nam ut Briamus Twinus ait Lib. 3. *De antiquitate Academiæ Oxoniensis* pag. 371. *Extat adhuc archetypon in Bibliotheca Collegii Balliolensis Cod. 107. ipsius (Joannis Phreæ) Manuscriptum, multo antequam Poggii nomine divulgaretur.* Sed argumentum hoc Gerardo Joanni Vossio infirmum est, diu enim fortasse Poggius verterat, antequam divulgaretur. Desiderii Erasmi de Poggio judicium in Ciceroniano suo est istiusmodi: *Naturæ satis erat, artis & eruditionis non ita multum: interim impuro sermonis fluxu, si Laurentio Vallæ credimus.* Vir omnino erat gravis consilii & facetus, sed ut apud Jovium inibi legas, *Adeo intemperans erat objurgator, ut cum in theatro Pompeji, loco & die celebri, ubi Bullatorum diplomatum censura habebatur, Georgio Trapezuntio malediceret, ab eo acriter duplici colapho caderetur.* Jure igitur de illo Ugolinus Verinus Libro 2. *Italia illustrata*:

Nimis ab rabidas exarsit in iras,

Ubi alioquin illum insigni elogio ornat, nam illum affirmat fuisse, de quo jure merito diceretur:

Nulli splendore secundus, eloquii.

Est autem adversus fœdissimos ejus mores, Satyra VII. Lib. V. Hecatostichorum Francisci Philelphi, & Satyra X. Lib. VI. & Satyra V. Libri VIII. eorundem Hecatistichorum. Interim Poggii hujus laus est, quod ut Raphael Volaterranus testatur Libro XXI. *Antropologia*, Quintilianum & Asconiam invenerit in Germania in Concilio Constantiensi, quod anno 1415. & sequentibus duobus celebratum est. Ac Quintilianum quidem in Salsamentarii taberna reperit, ut in Elogiis apud Jovium legere est. Illud etiam verum est, una cum Asconii parte, invenisse Argonauticorum Valerii Flacci Librum I. II. III. & partem quarti. Quod cognoscere est ex Codice MS. clarissimi & ob eximiam eruditionem illustrissimi viri, Laurentii Pingerii Patavini. Eo in Codice hæc leguntur:

C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in Monasterio Sancti Galli prope Constantiam, XX. millibus passuum, una cum parte Quinti Asconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque Opus reperiat perfectum. Nos quod potuimus, egimus.

Poggius Florentinus.

Nec

Nec pervulgatum illud, *Silium quoque Italicum* eidem deberi, uti ab Scriverio observatum est, ex versibus istis Ugolini Verini Lib. 2. de viris illustribus urbis Florentiæ.

Quin etiam sollers Germanis eruit antris,
In Latium altiloqui divina volumina Sili,
Integer Orator nobis, Fabiusque relatus.

Quod autem de Integro Oratore ait, exinde lucem accepit, quod *Ciceronis Libros de Finibus & de Legibus*, a se in Germania descriptas, in Italiam primus attulit, ut est apud Jovium in Elogiis: ubi plura videas de Poggio ibidem, uti & apud Bergomatem in *Chronicorum Supplemento*, ad annum 1416. Sed quod iste ultimus, *Librum Facetiarum ejus* pulcherrimum vocat, qui non inficatissimus modo, sed etiam impurissimus, & plane Flammis dignus est: vel ostendit se, librum nunquam legisse, vel si legit, judicium Ordini suo Eremitarum, quem profitebatur, prorsus indignum profert. Hæc nos pleraque, ex Josia Simlero in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 701. Gerardo Joanne Vossio Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 3. pag. 550. ultimæ editionis. Omnia porro vel plurima saltem Francisci Poggii Florentini opera impressa sunt sæpius in Germania, bis in folio Argentorati annis 1511. & 1513. apud Joannem Schottum, tertio deinde atque eadem ratione in fol. Basileæ anno 1538. ex ædibus Henrici Petri, ordine quo hic describuntur.

OPERA POGGII FLORENTINI IMPRESSA.

Historia disceptativa de Avaritia.

Historia convivales tres. 1. Uter alteri gratias debeat pro convivio, an qui vocatur, an qui vocat? 2. Utra artium, Medicinæ, an Juris Civilis præstet? 3. Utrum priscis Romanis Latina lingua omnibus communis fuerit, an alia quædam Doctorum virorum, alia plebis & vulgi.

De nobilitate Liber disceptatorius.

De Humanæ conditionis miseria Libri 2.

Asinus Luciani per Poggium e Græco in Latinum versus.

Invectiva in Felicem Antipapam.

Invectiva in Franciscum Philelphum IV.

Invectiva in Laurentium Vallam IV.

Oratio in funere Cardinalis Florentini.

Oratio in funere Cardinalis sanctæ Crucis.

Oratio in funere Nicolai Nicoli.

Oratio in funere Laurentii de Medicis.

Oratio ad Nicolaum V. Summum Pontificem.

Epistolarum Liber, in quibus digniora notatu sunt hæc, *De laude Ruris seu Rei rusticæ. Balneorum Badensium prope Thuregum descriptio* &c.

Hieronymi de Praga obitus Constantiæ, & supplicii enarratio.

De Trajani Cæsaris excellentia.

Philippi Mariæ, Ducis Mediolanensis ad Poggium Epistola, & responsio ejusdem de laudibus Florentinorum.

In Poetas lascive scribentes.

Disceptatio pulchra super præstantia Scipionis Africani & Caji Julii Cæsaris.

De infelicitate Principum Dialogus.

Liber Facetiarum.

Edidit præterea Stephanus Baluzius tomo 3. *Miscellaneorum* pag. 248. *alteram Orationem Poggii Florentini in funere Leonardi Aretini*, lectu atque Poggio dignissimam.

Cum vero omnem ætatem ille in Romana curia consumpsisset, anno ætatis suæ 72. qui Christi anno 1451. extitit, ad urbem suam Florentiam accitus est, ut Reipublicæ patriæ a Secretis esset. In hoc munere scripsit ille *Historiam Florentinam* Libris 8. Latinitate eleganti ac tersa: in qua istud a Machiavello merito culpatur, quod pleraque illa omiserit, quæ ad Civiles discordias pertinerent, nimiumque patriæ faverit, quo respicit Actius Sincerus Epigrammate istoc.

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem:
Nec malus est civis, nec bonus Historicus.

Habet editioni præparata plurima nondum edita MSS. Poggii Opera simul collecta ex variis Bibliothecis, Stephanus Baluzius quæ mihi humaniter ostendit. Sunt autem Epistolæ plurimæ, tam ex MSS. 1473. & 2817. Bibliothecæ Colbertinæ, quam ex proprio sibi eximio Codice, quem apud se asservat. Item nonnullæ ejusdem *Orationes* partim impressæ, sed ad MSS. Libros expensæ: Denique *ejusdem Invectiva contra Hypocritas*, dedicata Galeatio, quæ incipit, *Si ut volenti Galeas* &c.

Sub ejusdem Poggi nomine edidit *Vitam Dominici Capranicæ Cardinalis*, idem Baluzius tomo 3. *Miscellaneorum* pag. 263. *Dialogum Poggii adversus Hypocrisim*, quem Florentiæ Antonius Mogliabecus habuit, ex Bibliotheca Florentina & aliis MSS. Codd. collatum, in lucem extulit, atque una cum *Oratione Leonardi Aretini adversus Hypocritas*, edendum curavit Hieronymus Suicerus Lotharingus Lugduni anno 1679. in 8. qui recusus quoque in Appendice ad fasciculum rerum expetendarum & fugiendarum, Londini anno 1688. in folio impressorum. Itemque anno 1699. Sylvæducis in 8vo.

Mortuus est Poggius ætate grandævus Florentiæ, anno 1459. ætatis suæ 80. relinquens filios plures, qui famam patris eruditione sua haud obscuram fecerunt. Hos inter primogenitus putatur Jacobus Bracciolinus seu Brandolinus, nobilis Oratoris Poggii Florentini filius, qui *Historiam Florentinam* a patre Latine compositam in Etruscum immisit Sermonem, quam habes in folio impressum Florentiæ anno 1492. apud Bartholomæum Florentinum, ibidemque anno 1497. Præterea idem etiam *Gesta Piponis Spani Florentini* Latine descripsit. *Jacobus hic*, ut de eo Jovius in Elogio Poggii ait,

ait, *jam defuncto patre, ex Pactiano Scelere strangulatus in Prætorii fenestra cum cæteris pependit.* Idem quoque tradit Politianus in Historia conjurationis Pacticanæ, ubi *Jacobum Poggium* appellat, quod anno 1478. accidit. Alter Franciscus Poggius fuit, cui Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 243. & Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 590. attribuunt *Tractatum de potestate Papæ atque Concilii:* quem tamen idem immemor sui Possevinus, tomo 2. pag. 292. verbo *Poggius Brandelinus*, attribuit Poggio Patri, ut supra jam diximus. Tertius Baptista Poggius, scripsit Latine *Vitam optimi doctissimique Cardinalis Dominici Capranicæ*, quam edidit doctus Baluzius tomo 3. *Miscellaneorum suorum* pag. 263. ex MS. Codice Collegii Romani, vulgo Capranicensis dicti. Fuit autem iste etiam Poggius celeberrimi Poggii Florentini filius, ac nisi conjectura fallit, author ac fundator Augustinianorum Discalceatorum. Narrat enim Augustinus Justinianus Episcopus Nebiensis in Libro V. *Annalium Genuensium* fol. 226. floruisse anno 1472. Baptistam Poggium virum doctissimum, ut aperte demonstrant varia ejus Opera, illumque initium dedisse Congregationi Augustinianorum quos diximus, fuisseque valde amatum a Carolo Rege Francorum, & a Galeatio Duce Mediolanensi. Extat in veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ, Oratio ad Romanum Pontificem Nicolaum V. habita per alterum ex filiis Poggii, sane eleganter scripta, ac fortassis ab isto Baptista. Alius autem ab istis omnibus est, quem Leo X. amavit, de quo sic idem Jovius in *Vita hujus Pontificis*, Lib. 4. pag. 98. editionis Florentinæ anni 1594. *Mire quoque favit Poggio Seni, Poggii Historici filio, Moro nobili a gulæ intemperantia, Bandino Equiti, Marianoque Sannioni cucullaro, facetissimis helluonibus, & in omni genere popinalium deliciarum eruditissimis.* Agunt de *Poggio Florentino* Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali.* Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 701. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Poggius Florentinus* pag. 292. Gerardus Joannes Vossius, quem hic secuti sumus & supplevimus, Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. p. 548. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1420. pag. 98.

1430 LEONARDUS JUSTINIANUS, PATRICIUS VENETUS, & Eques armatus, anno 1430. magno in pretio erat. Hic Leonardi Justiniani clarissimi Oratoris non filius quidem, ut Philippus Bergomas tradidit, sed nepos tantum ut bene apud Volaterranum est: Bernardi autem Justiniani ex Quirina filius, ac Laurentii Justiniani, primi Venetiorum Patriarchæ frater. Ex Laurentio Pignorio Patavino intelligimus, anno 1413. fuisse prætorem Patavinum, quo anno arca Titi Livii reperta est, ac statua ejusdem foribus Palatii publici imposita est, addita inscriptione cujus Justinianus author creditur., ut cognoscere est ex Guillelmo Ongarellio in *Tito Livio.* Is præterquam quod *Orationem funebrem in Carolum Zenum* edidit, scripsit præterea vel potius velut paraphrastes ex Scriptoribus variis Græcis consarcinavit *Vitam Sancti Nicolai Myrensis Episcopi*, quæ est apud Surium tomo 6. die X. Decembris, atque apud Wicelium in *Hagiologio*, sed cujus finis apud Wicelium desideratur. Idem ex Plutarcho *Cimonis & Luculli vitas* Latine transtulit, quas habes in translatione Vitarum Plutarchi, quæ Basileæ prodiit anno 1542. apud Isingrindum. Non semel eum laudat Franciscus Philelphus in *Conviviorum libris*, de quo vide etiam Jacobum Bergomatem Libro 13. ad annum 1428. & Raphaelem Volaterranum Lib. XXI. *Antropologiæ.* De illius Scriptis Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 542. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 20. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. 552. ultimæ editionis.

EDMUNDUS DINTERUS, natione Belga, 1430
olim quatuor Brabantiæ Ducibus a Consiliis & Secretis fuit, nempe Antonio I. ejusque filiis Joanni IV. & Philippo I. ac denique Philippo Bono: qui postmodum aulicæ pertæsus vitæ, Lovanii in Ecclesia Collegiata Sancti Petri Canonicus factus est. Condidit *Historiam Ducum Brabantiæ*, quæ extare manuscripta solebat apud Antverpiensem Episcopum Joannem Miræum, atque ab eo ad Aubertum Miræum ejusdem Antverpiensis Ecclesiæ Decanum, virum doctissimum transiit. Cujus & alterum Exemplar apud V. Cl. Casparum Gevartium, rerum ejusmodi cupidum. Multa expresso Dinteri nomine, ex illa exscribit author Magni Chronici Belgici, qui tantisper Dintero junior fuit. Idem etiam scripsit *Brevem Genealogiam Ducum Burgundiæ & Brabantiæ*, quam orditur ab Hectore Trojano: illam autem edidit, eique *Vitam Philippi a Burgundia* addidit Georgius Noviomagus, pauculis ad hanc continuandam Genealogiam usque ad Carolum V. de suo adjunctis, estque Libellus impressus Francofurti in Monte Palatino ad Beati Jacobi templum, ubi & ejus imago visitur. Illius mentionem faciunt Antonius Sanderus in *Bibliotheca Manuscriptorum Belgicorum.* Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis*, verbo *Edmundus Dinterus.* Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 214. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. 553. editionis secundæ.

LEONARDUS BRUNUS ARETINUS, 1430
vir Græce & Latine doctus, apud Innocentium VII. Magister Epistolarum, ita officio suo functus est, ut succedentibus tribus Summis Pontificiis, amplificata dignitate, eandem operam exinde præstiterit. Ad suos in Etruriam reversus, Reipublicæ Florentinæ Cancellarius extitit,

extitit, & *Historiam de gestis Florentinorum* composuit, & *Libros quatuor de bello Italico adversus Gothos*, Parisiis anno 1534. excusos. Itemque scripsit *Dialogum de Moribus & Epistolarum Libros octo*, impressos Basileæ anno 1535. Nec omittatur Leonardi beneficio *Morales Aristotelis Libros* ex Græco in Latinum optima fide traductos. Obiit Florentiæ senex, divitiis & gloria plenus, anno Domini 1443. ætatis 74. cujus sepulchrum marmoreum in æde sanctæ Crucis cum inscriptione spectatur: *Postquam Leonardus e vita migravit, Historia luget, Eloquentia muta est, ferturque, Musas cum Græcas quam Latinas, Lacrymas tenere non potuisse.* Hæc quidem in hujus Operis specimine primo breviter scripseram, sed inspectis propius Leonardi meritis ac fama, latius in insignem hunc virum extendi, ab officio alienum haud duxi, plurimis hujus elogiis ex Gerardo Joanne Vossio acceptis. Itaque Leonardus Brunus Aretinus, *felici quadam & fœcundissima ingenii vi atque bonitate, eloquentiaque pollebat*, ut de eo loquitur Philelphus Libro I. Conviviorum. Etiam Epistola ad eum scripta anno 1436. vocat eruditissimum & optimum virum, atque ejus caussa ait libenter se Florentiæ vixisse. Etiam Poggio Florentino *secunda in Philelphum Invectiva*, dicitur vir doctissimus atque omnium eloquentissimus. Idem *Invectiva prima in Vallam* refert a Valla habitum suæ ætatis doctissimum, proximum locum tribuisse Guarino Veronensi, uti tertium sibi. De eo sic Floridus Sabinus Apologia adversus calumniatores Linguæ Latinæ. „Leonardus Aretinus, multis „nominibus commendandus, vir in Philosophi„cis rebus non infeliciter versatus, in Histori„cis pro temporum ratione minime aspernan„dus, & facilis cujusquam naturæ scriptor, „plurimis tamen rebus interim destituitur, & „quandoque eum parum Latine loquutum „contendas, quod sane non est mirandum, „Namque ut nihil simul & repertum & absolu„tum, ita unius opera & Latinitas restitui & „exacte excoli non potuit. Vocatur a plurimis *Leonardus Brunus*, ut cum aliis quos mox dicam, tum etiam Francisco Albertino Opusculo ad Julium II. Papam *de laudibus Civitatis Florentinæ & Saonensis*. Item ab Ugolino Verino Libro 2. *Florentiæ illustratæ*, ubi & pleraque ejus scripta refert, quæ infra recensebimus. Quando natus sit, indicat Matthæus Palmerius Florentinus, cum ad annum 1370. annotat, *Leonardus Brunus Historicus, Aretii nascitur.* Et Leander Albertus in descriptione Italiæ, Hujus Leonardi ea laus propria est, *quod primus Græcarum Litterarum decus a multis seculis Barbarorum immani tyrannide proculcatum erexit, atque restituit*: ut de eo in Elogiis doctorum virorum Paulus Jovius refert. Ea autem in lingua audivit Emanuelem Chrysoloram, qui sedente Papa Bonifacio IX. in Italiam venerat, ac tum Venetiis, tum Florentiæ docuerat. Fuit Aretinus prius Papæ Innocentii VII. Brevium Præfectus, post Florentinorum scriba, qui in hac Civitate obiit anno 1443 annos natus 74. ut arguit quod de anno nativitatis scriptum, & testis est Raphael Volaterranus: qui addit, prædio locuplete relicto, ἄπαιδα decessisse: nec uxorem unquam ducere voluisse, unico avaritiæ vitio obnoxium. Idem etiam Philippus Bergomas in *Supplemento Chronicorum* testatur, Andronici Thessalonicensis (qui Græcæ Linguæ peritia Gazæ par vel etiam superior habebatur) tale de eo fuisse judicium, *feliciter adeo Græca transferre, ut unus esset verus & fidelissimus interpres, cæteri potius paraphrastæ essent.*

Transtulit ex Græcis in Latinum sermonem Tractatum Sancti Basilii *de instituendis discipulis*, quem opinor esse librum illum inscriptum, *de non legendis Gentilium Libris, vel qualiter legi debeant*. Extat enim MS. Oxonii in Collegio Lincolniensi Cod. 8. *Liber Basilii Magni, quo pacto Gentilium Libros imprimis Christiani legere debeant*, in Latinum translatus per Leonardum Aretinum.

Item Libellum Xenophontis *de Tyranno*, & Apologiam pro Socrate. Platonis Gergiam & Phædonem, & quasdam Epistolas. Libros quoque Aristotelis Ethicorum, Oeconomicorum & Politicorum.

Vertit etiam ex Plutarcho Vitas Pauli Æmilii, Tiberii & Caji Gracchorum, Pyrri, Sertorii, Demosthenis, Marci Antonii & Catonis posterioris: quæ omnes impressæ sunt Basileæ anno 1542. apud Isingrinium in Collectaneo Plutarchi *de viris illustribus*, Latinitati donatis per diversos interpretes, multo castigatius quam ante, idque Grynæi quoque opera.

Vertit quoque *Æschinis Orationem contra Ctesiphontem de Demosthenis coronatione, & Demosthenis defensionem adversus eandem*, quæ habentur in fine secundi Tomi Operum Ciceronis, quæ Cratander Basileæ anno 1528. excudit.

Idem scripsit *Dialogorum* inter cætera *insigne Opus*, *de vita Aristotelis Lib. I. de vita Ciceronis Lib. I.* quæ an alicubi impressæ sint, haud scio, Item *Libellum de disputationum exercitationisque studiorum usu, adeoque necessitate in Litterarum genere quolibet*, quem excudit Basileæ anno 1536. Henricus Petri. Et Parisiis anno 1642. in 8.

Libellum contra Hypocritas, impressum Coloniæ Agrippinæ in folio anno 1535. cum *Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum*, pag. 154.

Dialogum de Moribus, excusum cum Jacobi Fabri paraphrasi Moralium Aristotelis. Idem autem *Dialogus de Moribus & Versio decem Librorum Ethicorum Aristotelis*, apud Ascensium Parisiis anno 1516. editi fuerunt.

Introductio in Aristotelis ad Eudemum moralia. cum Latinis Aristotelis Operibus edita. Et *Commentarius in Oeconomica Aristotelis*, impressus

pressus Parisiis apud eundem Ascensium. Item *Introductio in Aristotelis Moralia, quæ Eudemia inscribuntur, & Commentarius in ejusdem libros œconomicos*, Venetiis anno 1550. iterum excusa sunt.

Præterea Aretinus etiam fecit *Commentarium de rebus suo tempore in Italia gestis*, qui sæpius jam lucem vidit. Orditur a Schismate quod Urbani VI. & Clementis VII. Pontificum tempore fuit, definit autem in Victoria quam Florentini obtinuere anno 1440. juxta Anglare oppidum.

Præterea ad Angelum Acciolum Equitem Florentinum, scripsit *Commentarium rerum Græcarum*, quem auspicatur a temporibus Callicratidæ Lacedæmoniorum Præfecti, Theramenis item & Thrasybuli, qui Atheniensium Duces erant, finiens in Epaminondæ obitu. Utrumque *Commentarium de rebus Italicis & rebus Græcis*, edidit cum *Libris XII. Historiæ Florentinæ* in fol. Argentorati anno 1610. Sixtus Bruno Jurisconsultus & Reipublicæ Naumburgensis Consul. Utrumque etiam edidit Lugduni Guillelmus Gryphius anno 1539

Contexuit *Historiam Belli Gothorum*, vel *de Bello Italico contra Gothos*, impressum Basileæ anno 1531. apud Hervagium, cum Procopio & aliis. Sed in qua nihil afferat, quod non e Procopio desumpserit, ut ejus verius paraphrastes videatur. Hæc vel occasionem præbuit Christophoro Personæ Agathiam vertendi, quod ut Jovius ait, *fecit non dubia in Leonardum Aretinum conflata injuria vel invidia: qui suppresso Græci authoris nomine, Gothicam Historiam tanquam ex variis Scriptoribus decerptam pro sua, Juliano Cæsarino Cardinali, qui ad Varnam ab Amurathe cæsus periit, nullo pudore nuncuparat.* Suffurata autem Procopio & Agathiæ hæc Historia, iterum edita Parisiis anno 1534. in 8. Bellovisus 1607. in 4.

Adhæc *Historiam Florentinam Libris XII.* condidit, vel *De gestis & laudibus Florentiæ*, unde multa S. Antoninus ille Florentinus Archiepiscopus, in sua Chronica transtulit. Hoc Opus ex suo & Palatinis Manuscriptis expressum, primus in lucem prodire jussit, anno 1610. Argentinæ Sixtus Bruno Jurisconsultus & Reipublicæ Naumburgensis Consul. Idemque Opus ex idiomate Latino in Italicam Linguam versum, prodiit anno 1560. Venetiis, inscriptum *Historia Universale del popolo Florentino*. Idem etiam argumentum tractavit Poggius Florentinus. Sed ambo uti in illis quæ Florentini foris gessere, satis laudabilem operam præstitere, ita silentio prætereunt magnam eorum partem, quæ pertinent ad intestina odia, Civilesque discordias, & mala quæ inde sequuta sunt. Nempe uti videtur, quia offensam metuerunt eorum, quorum Majores reprehendere cogerentur, in qua neglexere boni Historici officium. Atque hanc vel potissimam sibi caussam fuisse dicit Nicolaus Machiavellus, cur post utrumque illorum, *Historiam scribens Florentinam*, (quam octo Libris Hetrusca absolvit lingua) non a Medicæorum Principatu, sed ab ipsis verbis incunabulis inciperet.

Raphael Volaterranus, scribit, eum edidisse *Græcum Libellum de Republica Florentinorum*, ut viri Latini non admodum inelegantem, quem an extet, nescimus.

Composuit quoque de bello Punico Libros III. quorum *primus* bellum inter Romanos & Carthaginenses primum continet, hactenus apud Titum Livium desideratum: *Alter* seditionem militis conducticii & populorum Africæ a Carthaginensibus defectionem: *Tertius* bellum item Illyricum & Gallicum, quæ & ipsa apud Livium desiderantur, quos excudit Philippus Ulhardus anno Domini 1573. Augustæ Vindelicorum. Quidquid autem fere habet, Polybio debet: unde est, quod in editione Parisiensi, quam ante seculum cum Medio Badius Ascensius dedit, Polybii nomen in titulo exprimatur: utrumque in præfatione sua neget, merum se interpretem egisse Leonardus Aretinus.

Ejusdem *Epistolarum volumen Libris VIII.* impressum Argentorati anno 1521. apud Knoblochum, & Basileæ anno 1535. apud Henricum Petri in 8. Adde *Leonardi Aretini Orationem in funere Nanni Strozæ Equitis Florentini*, in Miscellaneis Stephani Baluzii tomo 3, pag. 226. editionis anni 1680. apud Franciscum Muguet Parisiis. Et *Historiam de crudeli amoris exitu Guisgardi & Tancredi Salernitanorum principis filiæ*, quæ impressa extat inter Æneæ Sylvii Epistolas, num. 410.

Jauotius Mannettus dixit & scripsit *Orationem publicam in solemni Leonardi Aretini Laureatione*: Et Carolus Aretinus *in obitu Leonardi Aretini funebre elogium*, quæ MSS. extant Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi Cod. 80. Ex[illegible] quoque Aretini defuncti elogium apud Æneam Sylvium Epistola LI. Magnum eum Hetruriæ splendorem appellat, nec dicere veretur, neminem illo post Lactantium Ciceroni proximiorem fuisse. Subjungit autem gaudere se, quod in ejus locum successerit Poggius: id quod adversari videtur Leandro Alberto, ut qui Carolum Aretinum Leonardo successisse dicat, non Poggium, quemadmodum inferius videbimus. De stylo ejus sic Erasmus in Ciceroniano. *Facilitate dictionis ac perspicuitate, satis accedit ad Ciceronem: sed nervis aliisque virtutibus aliquot destituitur, alicubi vix tuetur Romani sermonis castimoniam: alioqui vir doctus juxta, ac probus.* Et Leander Albertus in Descriptione Italiæ. *Aretii natus præterea Leonardus Brunus Græce Latineque doctissimus, ut Opera quæ vel ipse fecit, vel e Græco in Latinum vertit, abunde probant. Diem functus est anno post Christum natum 1440. (imo 1443.) ætatis suæ 74. Florentiæ, cum ille Reipublicæ diu a Secretis fuisset. Et successorem in eo munere*

nere habuit Carolum item Aretinum, & Gracis Latinisque eruditissimum, qui & ipse etiam quadam de Graecis Latina fecit. Hæc Leander. Agunt de *Leonardo Bruno Aretino* Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* pag. 540. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 465. pag. 268. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. 556. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Continuatione *Historia Literaria* Guilielmi Cavi ad annum 1420. pag. 97.

1430 JOANNES DE NIGROMONTE, Theologus ac Juris Canonici Doctor, in Concilio Basileensi anno 1436. adfuit, atque ex illis fuit, qui zelo non mediocri *Conceptionem B. Mariæ Virginis absque originali peccato definiendam* voluit. Extat inter MSS. Codices Chartaceos Basileensis Bibliothecæ. litera I. *Johannis de Montenigro Disputatio, an beata Virgo in peccato originis concepta fuerit, in Concilio Basileensi anno 1436. habita.* Vel *Relatio facta ad Concilium Basileense de hac materia.* Ita Joannes Buxtorfius Bibliothecarius, in Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, quem anno 1661. misit ad Theophilum Spizelium. Et Theophilus Spizelius in *Sacris Bibliothecarum illustrium arcanis retectis*, Augustæ Vindelicorum anno 1668. in 8. impressis, in MSS. Chartaceis Bibliothecæ hujus Basileensis. litera I. pag. 39.

1430 MATTHÆUS PALMERIUS FLORENTINUS, vir longe doctissimus, ac eorum unus, quorum nomen reperias inter illos, ad quos Epistolas suas scribit Jacobus Piccolomineus, Cardinalis Papiensis, post annum 1430. floruit. Interfuit Concilio Florentino, quod anno 1438. Ferrariæ inchoatum est, ac anno 1439. Florentiæ finitum. Composuit *Vitam viri el Nicolai Acciajoli* lingua Italica conscriptum, quæ Florentiæ anno 1588. in 4. impressa est. Alia quædam ab eo, partim Latino, partim Italico sermone commemorat Michael Pocceancius in *Catalogo Scriptorum Florentinorum* pag. 124. nimirum *Libros IV. de vita civili ad Alexandrum de Alexandris, Historiam Pisonam, Epistolas & Orationes plures, & Poema de Angelis:* quæ quidem nondum in lucem producta fuisse comperi. *Librorum etiam IV. de vita civili* meminit Leander Albertus in *Descriptione Italiæ.* Transtulit etiam *Aristæi Opusculum de LXXII. interpretibus ad fratrem suum*, excusum cum aliis veterum quorundam Theologorum Opusculis, Basileæ in folio, anno 1551. apud Henricum Petri. Volunt tamen nonnulli, & ipse Vossius, *Historiam Aristea de LXXII. Interpretibus*, esse Latine versam a Matthia Palmerio Pisano, atque eo nomine illum celebrari a Gasparo Bruschio, in Carmine ad Wolffgangum Comitem a Salme, Episcopum Passaviensem. Quo in Opusculo cum non pauca sint, quæ interpres ille minus assecutus fuerit: hoc in caussa fuisse, cur postea Matthias Garbitius Græcæ linguæ in Tubingensi Academia Professor, provinciam iteratæ versionis susceperit, quæ demum post viri hujus obitum cura & studio Simonis Schardii Jurisconsulti prodiit in lucem. Idem porro Matthias Palmerius Pisis oriundus, quæ Matthæus Palmerius Florentinus Prospero Aquitano ad annum usque 1448. adjecerat, continuavit usque ad annum 1481. quo tunc floruit. De quo Bellarminus & Labbeus uterque in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Et Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. 607. ultimæ editionis. Hæc de Matthia Palmerio Pisano, jam ad Matthæum Palmerium Florentinum revertamur, qui denique *Chronicon Prosperi* quod in anno 448. definit, additis mille annis usque in annum 1449. continuavit, quod Basileæ in fol. anno 1536. impressum est, cum Eusebii, Hieronymi, Prosperi, & aliarum Chronicis. Atque ita semper impressum est Matthæi Palmerii Chronicon, ubique locorum. Sed Chronicon suum, quemadmodum & Prosper inceperat ab Orbe condito Matthæus Palmerius, quod huc usque non comparuit, sed ab ea tantum parte, qua Prosperum excipit. Successu tamen temporum totus meliore fato vivere poterit Matthæus Palmerius: quippe cujus integrum Chronicon Manuscriptum habet amantissimus omnis antiquitatis & intelligentissimus, Laurentius Pignorius Patavinus, qui Codex fuit olim Joannis Aretini Torellii, a quo ad ipsum accessit. Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, anno 1702. edidit *Diarium Italicum* in 4. Parisiis apud Joannem Anysson typographum Regium, ubi Cap. 25. de Bibliotheca & MSS. Codicibus S. Mauri Florentinæ agens, pag. 373. inter hos Codices notat, „ *Matthæi de Palmeriis Chronicon de Temporibus*, cum Proœmio ad Petrum" Mediceum Cosmæ filium. Hæc in fine leguntur, *Antonius Marii filius Florentinus, Civis" atque Notarius, transscripsit Florentiæ ab Originali XI. Kalendas Januarii* MCCCCXLVIII." *valeas qui legis.*" Opus magna parte, ut ajunt, ineditum. Et cap. 28. ejusdem Diarii, postquam locutus est de Musæo ac Bibliotheca Domini Julii Justiniani, Sancti Marci Procuratoris pag. 433. addit Justi Fontanini sibi amici pag. 436. *copiam librorum anecdotorum* Venetiis, quam ex nullis Bibliothecis corrasit, maxima ex parte spectantium ad Aquileiensem Venetæ ditionis Historiam, in quibus pag. 437. *Chronicon integrum Matthæi Palmerii* recensetur. Venio jam ad ipsius Matthæi Palmerii finem & ultimum diem, qui cum Dantis Aligerii æmulus Librum *de Angelis* Italico versu conscripsisset, in quo de rebus divinis parum caute loquutus fuisse deprehensus est, nec ea revocare vellet, quæ in Libro *de Angelis* scripserat, imo pertinaciter defenderet: in suspicionem hæresis Arrianæ incidens, apud Corvam Civitatem condemnatus, tanquam Hæreticus flammis

exustus

exustus est: ut Joannes Trithemius quidem in *Catalogo* refert, atque ex eo Genebrardus in *Chronologia*, itemque Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* pag. 491. Video, miror que Philippum Bergomatem hoc silere, cum ejus vitæ cursum exponit in suo *Chronicorum Supplemento* ad annum 1439. Mirum quoque est, Raphaelem Volaterranum Libro XXI. *Antropologia* de his siluisse: ubi Palmerium hunc e contra, ait *maxima rerum cognitione ac prudentia valuisse, atque ad ultimam pervenisse senectutem.* Poterat tamen ea res utpote in Italia gesta, notior esse hominibus Italis, quam Joanni Trithemio & Josiæ Simlero Germanis. Sed fortasse caussas suas habuere & Bergomas & Volaterranus, cur silentio mallent præterire, quod homines eruditi & bene de litterarum studiis meriti, nomen & gloriam labe non exigua aspergere viderentur. Aut forsitan Trithemio fama imposuit, quæ gaudet inventis addere. Sane Palelus Jovius dicendum satis sibi duxit, *Cum de Divinis perperam incaute locutus in hæresis Arrianæ suspicionem incidisset, Librum ejus ex Theologorum sententia damnatum, crematumque.* De authore autem combusto nihil addit: uti nec alter Italus & quidem Civis ejus & coætaneus, Ugolinus Verinus Lib. 2. *Florentia illustrata*, ubi dum æquales suos recenset, ita canit:

Te quoque Palmeri, quanquam te ceperit error
Spirituum, haud parvo tamen es celebrandus honore.

Quo modo sane locutus non esset, si ob hæresim combustus foret. Horum igitur sententiæ accedimus, qui flammas quidem attigisse & combussisse Librum Matthæi Palmerii *de Angelis*, non ipsum Palmerium scribunt. Trithemium tamen, ut alias fere semper, ita etiam hac in parte sequi maluit Joannes Riochus Minorita in *Compendio Historico*. Verum hoc mirum haud esse debet in eo, qui non tam inter Scriptores, quam exscriptores: vel qualemcunque meretur locum. Omisit illum in *Apparatu Sacro* Antonius Possevinus, non quod Matthæum Palmerium non nosceret, sed quia esse eum ab *Apparatu Sacro* amovendum opinatus est, quem hæreticum atque ob hæresim combustum credidit. Præter authores citatos, plures de quibus supra agunt de *Matthæo Palmerio Florentino*, ut Bellarminus & Labbeus, quisque in Opere suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* pag. 591. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* cap 6. pag. 576. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Supplemento *Historia Literaria* Guillelmi Cavi ad annum 1449. pag. 131.

1430 ANDREAS DOMINICUS FLOCCUS, CANONICUS FLORENTINUS, discipulus fuit Emanuelis Chrysoloræ. & inter eloquentes sui temporis viros numeratus fuit, ut est apud Raphaelem Volaterranum Libro XXI. *Commentariorum Urbanorum*. Claruit circa annum 1430. & sequentes interque eos, qui Florentiam eruditione sua illustrarunt, a Leandro in *Descriptione sua Italia* reponitur. Factus ille successu temporum Secretarius Romani Potnificis & Canonicus Florentinus, scripsit ad Brandem Cardinalem Placentinum *Libros duos de Magistratibus Sacerdotiisque Romanorum*, qui falso sub Lucii Fenestellæ nomine sæpius excusi sunt & excudi solent, ut Coloniæ Agrippinæ apud Eucharium Cervicornum anno 1538. & Basileæ apud Curionem & Brillingerum anno 1539. ibidemque in 8. annis 1523. & 1581. Tandem vero editus est nomine Dominici Flocci Florentini, ad quem vere pertinere noscitur, Antwerpiæ in 8. apud Plantinum anno 1609. Sed & Andreæ Dominici Florentini nomen præfert MS. Codex Oxonii in Bibliotheca Lincobriensi num. 80. ut est in Catalogo Thomæ Jamesii. Agit censorem nimis severum Thomas Dempsterus *Paralipomenis in Rosini* Lib. 3. cap. 2. ubi ait Opusculum id esse æternis flammis suo judicio demandandum. Nam pro seculo quo scriptor vixit, Libellus laudandus est, atque utinam nunc quoque nulli libri isto deteriores prodirent in publicum. Hoc autem Opus tanti viri Fenestellæ fœtum putare, hoc desipere est. Nam author in eo meminit, non Plinii tantum, sed & Gellii, qui Adriani ævo fuit, atque ambo Fenestella recentiores: imo Episcoporum quoque & Archiepiscoporum (quod longe recentius est) mentionem facit. Verus Scriptor est Andreas Dominicus Floccus Florentinus, quem hoc de argumento scripsisse, testatur Blondus Flavius in *Hetruria sua*. Lilius quoque Gyraldus in *Historia de Poetis* Dialogo IV. ait se habere Codices Manuscriptos, quorum istiusmodi inscriptio sit: *Andrea Dominici Flocci Florentini ad Brandem Cardinalem Placentinum, de Romanis Magistratibus Liber*: quibus in Manuscriptis erat præfatio, quæ in libris prælo excusis desiderabatur. Quare nec audiendus Franciscus Robertellus, qui Poggii Florentini esse fœtum putavit: nec Alciotus, qui Pomponium Lætum ex variis collegisse authoribus dicebat, atque id non semel se audivisse ajebat ex Jano Parrhasio, qui suam quoque Pomponii operam in hoc colligendo, se commodasse fatebatur. Primus autem Libellum hunc cum genuino authoris nomine, quod & ipse in MS. suo Codice invenerat, edi curavit Ægidius Witsius, Jurisconsultus Brugensis: sed Opusculum istud Brandi Placentino Cardinali dicatum fuisse, ne in illius quidem editione invenias. Mentionem hujus *Dominici Flocci* faciunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* pag. 42. verbo *Andreas Dominicus Floccus*. Et pag. 552. verbo *Lucius Fenestella*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 7. pag. 581. & Lib. 1. cap. 19. pag. 101. a quo hæc habuimus.

Illum omisit in *Apparatu Sacro* Antonius Possevinus, quippe quem de *Rebus Sacris* haud agere arbitratus est: quem hic nos adjunximus, cum ipse author Secretarius Romani Pontificis & Canonicus Florentinus extiterit.

1430 ANONYMUS SANCTI DIONISII IN FRANCIA, Monachus hoc quoque tempore floruit, vir magni judicii nec minus veritatis amore ardens, circa hunc annum 1430. *Historiam Regis Caroli VI. Francorum* Latine MS. in Regia Galliarum bibliotheca conscripsit, gesta hujus Regis præcipua per annos regni XLII ab anno 1380. ad 1422. complexus, fideliter enarrans secretiora omnia, quæ ad Regni statum & Ecclesiæ Schisma perniciosissimum spectarent. Opus istud ex Latino in Gallicam linguam transtulit & Commentariis illustravit Joannes le Laboureur, quod cum *Historia Joannis Fabri* Domini de Sancto Remigio, ejusdem ætatis Scriptoris, edendum curavit Parisiis 2. voll. in folio anno 1663. apud Ludovicum Billaine. Hic autem Joannes le Laboureur, publico consuluisset magis, si hanc Historiam ab Anonymo Latine conscriptam, Latino idiomate, quali ab Authore ipso composita fuit, publicæ luci exhibuisset. Hac enim ratione, re[illegible]s de Scriptoris judicio, gravitate, aliisque [illegible]tini Sermonis dotibus, judicium a posteris proferri potuisset: quod ex translatione Gallicam in linguam exarata, certo nullus aggredi potest. Maxime ætate qua hic Anonymus scripsit, Latinum idioma cum vilesceret, vix credi potest a cordatis, aliquid probæ dictionis Latinæ, prodiisse a Monacho, qualis hic fuit. Scrupulum hunc nostrum solvit de hoc Anonymo, quod Symbolas nonnullus seu Excepta Latina *de Concilio Pisano super electione unius summi Pontificis celebrato*, obtulit ex *Historia Manuscripta Gestorum Caroli VI. Francorum Regis ab Anonymo Monacho Sancti Dionysii in Francia*, Dominus Lucas de Acherio, Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, vir in antiquitatibus indagandis atque è tenebris eruendis sagacissimus, Tomo 6. *Spicilegii* pag. 241. ad 256. quod anno 1664. Lutetiæ Parisiorum in 4to impressum est. Ex quibus Monachum hunc pro ætate qua scripsit, ac judicio plurimum valuisse, ac eleganti etiam stylo tenuisse Historiam hanc suam, nec contemnendo. Hæc de Opere primigenio, cujus Symbolas præfatas legi.

1430 GUALTERUS HILTONUS, natione Anglus, claruit anno 1430. & sequentibus qui primum Canonicus de Thurgarton, tum pertæsus rerum secularium, Ordinem solitarium Carthusianorum amplexus est. Multa ascetica ille scripsit, variis insignita nominibus, extant autem inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 1634. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 33. num. 2. *Walteri Hilton Epistola aurea de origine religionis.* Item inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis num. 514. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 47. *Epistola Magistri Hilton de prærogativis religionis.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum, num. 7864. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 124. *Ejusdem Epistola de origine religionis*, id est *vita monastica.* Et ibidem num. 8077. in MSS. Codicibus ejusdem Jacobææ bibliothecæ Codice 355 idem opusculum: & inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis num. 2234. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Cod. 93. *Gualterus Hilton de utilitate & prærogativa religionis, & præcipue Ordinis Carthusiensis.*

Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis num. 2282. in MSS. Codicibus Collegii B. Mariæ Magdalenæ Codice 141. num. 10. *Scala perfectionis per Gualterum Hilton ad quendam Anachoretam*, ubi illic solum occurrit Liber primus. Item inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis num. 374. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis in parte Australi bibliothecæ, Serie Media Codice 9. *Gualteri Hilton. Scala perfectionis, Anglice.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum, num. 9219. in MSS. Codicibus Joannis Mori Nortwicensis Episcopi, Codice 33. membraneo & pulchro, extat *Gualteri Hilton Canonici de Thugarton liber, cui titulus Scala perfectionis Anglice.*

Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis num. 1435. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 158. *Liber Contemplationis Walteri Hilton, Anglice* Et in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Faustinæ Littera B. Codice 6. num. 22. *Contemplationes piæ Gualteri Hilton anachoretæ rythmis Anglicanis, cum picturis Monachorum & Monialium, & arborum in eremo vel mysticas repræsentantium.*

Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 17.6. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 115. *Tractatus de imagine peccati ad quendam reclusum, per Magistrum Walterum Hilton.* Et in bibliotheca Cottoniana sub effigie Titi, litera D. Codice XI. num. 8. *Epistola de imagine peccati, scripta per Walterum Hilton ad quendam amicum suum.*

Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 2356. in MSS. Codicibus ipsius Thomæ Bodleji, litera F. 2. Codice 17. num. 2. *Walteri Hiltonis liber Theologicus, cui titulus*, Imago Dei homo.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum num. 7863. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 141. *Gualterus Hiltonus de imaginibus contra Hæreticos.* Et ibidem num. 8089. in iisdem Jacobææ bibliothecæ manuscriptis, Codice 367. *Gualterus Hiltonus de imaginibus contra hæreticos.*

Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 1953. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera

litera B. 1. Codice 11. num. 19. *Walteri Hilton Tractatus, quomodo tentationes eradendæ sunt*, Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum insignium bibliothecarum, num. 7648. in MSS. Codicibus Roberti Burscough, Codice 29. num. 2. *Gualterus Hilton contra tentationes carnis.*

Ibidem num. 9259. in MSS. Codicibus Joannis Mori Nortwicensis Episcopi Codice 73. num. 2. *Walterus Hilton filius Walteri Hilton, de conjugio.*

Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis num. 28. in MSS. Codicibus Collegii Universitatis, litera B. Codice 13. *Tractatus Magistri Walteri de arte bene vivendi.* Liber hic antiquo Anglicano idiomate scriptus est, & authorem habet, non Walterum Shirlaw Dunelmensem Episcopum, ut in Catalogo manuscript. Codicum pag. 2 scribitur, sed Gualterum Hilton, inter cujus Opera occurrit sub titulo *de vita contemplativa* sive *Schola perfectionis*, ut emendatum in *Addendis & corrigendis* Catalogi, pag. 87. col. 1. ad num. 28. Ibidem ejusdem *Explicatio Symboli Apostolici*, Anglice. Item *Sermones de tempore Quadragesimali* &c. Anglice authoris ejusdem in 4to pag. 93.

Mentionem facit hujus Scriptoris Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Gualterus Hilton*, ubi eum sub Henrico VI. Anglorum Rege floruisse asserit. Carolus du Fresne Dominus du Cange in Catalogo scriptorum, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 116. ubi illum anno 1433. vixisse scribit.

1430 HERMANNUS CORNERUS LUBECENSIS, Ordinis fratrum Prædicatorum in patria circa annum 1435. Monachus, professione illic facta, animum Historiæ applicuit, & multos progressus fecit. Scripsit *Chronicon Universale*, quod ad auctoris usque tempora, seriem narrationum suarum continuat, tomisque duobus grandibus comprehensum, in publicis Civitatum Lubecensis ac Luneburgensis, Academiæque Juliæ seu Helmestadiensis bibliothecis, manuscriptum adservatur. Ita Johannes Mollerus Flensburgensis, scholæ patriæ Rector, in Diatriba Historico-Critica *de Helmoldo Presbytero in Wagria Bosoviensi, ejusque Chronico Slavorum, & ejus Continuatoribus atque editoribus*, paragrapho XXV. quam anno 1702. Lubecæ in 4to. edendam curavit apud Petrum Bocmannum. Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* pag. 707. ultimæ editionis, his verbis: *Hermannus Minorita Chronicon condidit, quo MS. sensum is profitetur, qui Abbati Urspergensi paralipomena adjecit.* Dubio procul is est *Hermannus Gigas*, qui *Minorita* dicitur, Chronico autem quod scripsit, titulum dedit *de floribus temporum* seu *flores temporum.* Hujus Chronici meminere Jacobus Wimphelingius sub 29. Episcopo Argentinensi. Wolfius tomo 1. *Rerum memorabilium*, ætatem indicans, quando statuit medium inter auctores qui floruerunt inter annum 1420. & 1440.

SANCTUS BERNARDINUS SENENSIS, 1430
a patria dictus, ex nobili Albizaschorum familia oriundus, anno 1380. die 8. Septembris natus est, in Massana Hetruriæ oppido, Tolli Senensis & Neræ filius. Anno 1404. fratrum Minorum Ordinem ingressus, ei emenso noviciatu nomen dedit. Cum aliquandiu Theologicis incubuisset studiis, promotus ad Sacerdotium, habitis ad populum concionibus potissimum inclarescere cœpit: cui operæ totum se contulit, sub spe lucrandarum ex commisso sibi divinæ verbi talento, plurium animarum. In Italia potissimum, omnes fere insigniores urbes, cum insigni nominis fama & indoctæ plebis ut plurium applausu, concionando, peragravit. Anno 1426. claruit, qui ob sparsam ubique locorum sanctitatis, doctrinæ ac miraculorum opinionem, ab Eugenio IV. summo Ecclesiæ Pontifice, Episcopus Ferrariensis, Senensis & Urbinas ordine designatus atque a populo avide expetitus, oblatas has Ecclesiæ dignitates Franciscana humilitate ejuravit. Stupenda, imo incredibilia sunt, quæ narrant. Legendæ illius confabulatores, inquit merito Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1426. pag. 102. "Nempe," morbos quoscunque verbulo ejus difflatos," mortuos reliquiarum ejus beneficio vitæ re-" stitutos, Græcæ Linguæ Scientiam ipsi illius," plane ignaro, coram Græcis tamen (quod," summæ temeritatis vel insaniæ est) conciona-" ri auso, divinitus inspiratam: Christum quo-" que ac Beatam Deiparam supra Sermocinan-" tis caput videri solitos, aliaque id genus por-" tenta, quæ stupent bardi, vident sani & graves," viri." At longe æquius doctisque optatius," fuisset, & tanto juxta Pontificio S. concionatori, tantisque gratus & miraculis stupenda, contulisset Dominus rectam & congruam latinitatem, expressiones ipsi honestas & graves, non autem nugatorios ac rusticos: quæ ad risum vel homines etiam graves & reluctantes cogunt, ubi vel tantillas Sermonum Bernardini paginas legunt. Omnes autem, ut ita loquar, sordescentes hujus viri conciones & opuscula in unum collecta sunt, quæ tomis in 4. quatuor primum prodierunt Venetiis anno 1591. opera & studio Petri Rodulfii, Episcopi Senogallensis. Sed auctiora prodierunt V. tomis in folio Parisiis anno 1636. studio Fratris Joannis de la Haye Theologi Ordinis Fratrum Minorum, qui operam suam utiliori opericonferre potuisset. Sunt autem

Quadragesimale de Religione Christiana, divisum in plures Tractatus.

Quadragesimale de Evangelio æterno, in plures quoque Tractatus distinctum.

Adventuale unum de vita Christi, & aliud de inspirationibus.

Quadra-

Quadragesimale duplex, unum *de pugna Spirituali*, alterum *Seraphim* dictum seu *de amore*. Ambigo autem ego plurimum de his omnibus, maxime cum mendicantibus consuetum sit, ut quidquid palato ipsorum arriserit, id omne suis fratribus, illis autem præsertim, quæ sanctitate vel doctrina floruisse dicuntur, gratis & absque teste attribuant.

Sermones de quatuor novissimis & extraordinarii alii, numero XXV.

Tractatus de Confessione.

De Speculo peccatorum.

De præceptis Regulæ Minorum.

De præceptis Religiosi.

Epistola ad Fratres Familiæ Ultramontanæ.

De aspirationibus quotidianis ad Deum.

Dialogus de obedientia.

Sermones de Christo Domino, de augustissimo Eucharistiæ Sacramento, de Deipara Virgine, de tempore & de Sanctis.

Sermones de festivitatibus gloriosæ Virginis per annum.

Commentarius in Apocalypsin, Beati Joannis Evangelistæ.

Cum igitur multis annis S. Bernardinus Senensis, majori zelo quam eloquentia, & ardore quam successu & eruditorum applausu concionatus fuisset, obiit Aquilæ in Vestivis anno 1444. die 20. Maji, ætatis suæ 64. a Nicolao V. anno 1450. inter Sanctos adscriptus. Cujus ut Scriptoris mentionem faciunt, Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*.

1430 SANCTA CATHARINA BONONIENSIS, natione Itala, ortu Bononiensis, sint licet, qui Bononiæ natam, Ferrariæ & vocatam asserunt, in Ordinem S. Claræ quem Ferrariæ professa fuit admissa, Boloniam postmodum transfertur, ut extructo illic recenter Corporis Christi Monasterio præesset. Composuit ibidem *Librum de revelationibus anno 1438. a Domino sibi factis*, qui manu ejus propria MS. extat apud Sanctimoniales Corporis Christi in eadem urbe, ubi Abbatissa fuit. Prodiit vero in lucem ibidem anno 1511. apud Platonem Benedictum, deinde anno 1536. ab hæredibus Hieronymi Benedicti. Denique Venetiis multo post, anno 1583. Obiit illa Bononiæ anno 1463. die 9. Martii, cui innumeris fere illius, quæ circumferuntur, Revelationibus haud pauciora miracula Franciscani affinxerunt. Hic unum observatione dignum censeo, quidquid a sexu fœmineo scriptum reperitur, illud omne *Divinitus revelatum* appellari: uti factum in operibus evulgatis sub nominibus Sanctarum *Hildegardis, Elisabeth, Gertrudis, Mechtildis, Brigittæ* &c. quasi vero sanctæ ejusmodi mulieres studio litterarum humanarum imbui non potuerint, & tanquam eruditæ scribere hæc humano modo haud potuerint. Agunt de *Catharina Bononiensi*, Lucas Wadingus *de Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 88. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1438. pag. 116.

GEORGIUS TRAPEZUNTIUS, anno 1396 1440 in insula Creta natus, seculo XV. inter Græcos Scriptores clarissimi nominis extitit, cujus patriam, vitam & studia habe tibi hæc ex Elogiis Pauli Jorii Nucerini Episcopi. Paternum originem a Pontica celebri urbe traxit, quæ licet in Creta natus sit, nomen sibi tamen *Trapezuntini*, quia ad Trapezuntem Cappadociæ urbem genus paternum referebat, adscivit. Giraldus putat infensum ei fuisse Cretense nomen, quippe qui veritus veteris Poëtæ Epimenidis versiculum, cui & succinit, alter Poëta Callimachus. Cum tunc temporis feliciore stylo Græca in Latinum verterentur, Romæ fere primus Græcorum habitus est, qui plura ex Græcis Latina fecit non infeliciter. Ingenio fuit acri, invido, licet in alios iniquiore. Qui præter unum Aristotelem, quem ipse veluti numen verebatur, cæteros omnes, sed Platonem præcipue, acri ac maledico dente laceravit. Hinc multorum odia, sed Bessarionis potissimum calamum in se concitavit, quorum impetum atque literarias invidias vel insidias ipse sustinere non posset: præsidiis illi undique ad vitam sustentandam a potentioribus hominibus interclusis, misere vitam agere coactus est. Qui sane tantarum simultatum turbine oppressus pene occubuisset, nisi Rex Alfonsus, quod Andreas illius filius in Præfatione Ptolemaica ad Sixtum Pontificem refert, Neapolim advolasset, & in annos singulos desponsa pecunia non mediocri, comiter eum benigneque suscepisset. In exacta senectute repuerascens, & memoria tantarum rerum deperdita: ut de eo refert Raphael Volaterranus Libro XXI. *Anthropologiæ*, qui eundem ante memoriam amissam, jam senem puer audiverat docentem; *in urbe solus detrito in pallio, pileatus, & nodoso Scipione jamjam ruituri corporis membra sustinens, aberrabat.* Habuit ille infensissimum hostem Nicolaum Perottum, qui eju eloquentiam moresque innumeris ac vix audiendis dicteriis proscidit: quæ refert plene Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis*, pagg. 380. & 381. Nos omittimus, quippe quæ indigna homine, imo opilione sint. Quid autem Angelus Politianus olim de doctrina ingenioque Georgii Trapezuntii existimaverit, fuse ipse *Miscellaneorum* cap. 90. testatus est, ubi Theodoro Gazæ eum comparat, cujus verba refert Allatius loco citato pagg. 381. & 382. Vossius tamen *Institut. Orator* Lib. 4. cap. 3. quemadmodum & Bessario, Trapezuntium Gazæ postponit, inquiens. "Minime profecto,, conferri meruit cum Theodoro Gaza, cui,, eum æquiparavit Angelus Politianus, itaque,, jure politissimi ingenii virum hoc nomine re-,, prehendit Parrhasius in Epistolis. Negue i-,, gnoro Trapezuntium errores aliquot obser-,,

,,vasse

„vasse in translationibus Gazæ, quos his moni-„tus correxerit, ut & memoriæ prodidit Eras-„mus, Catalogo Lucubrationum duarum. Ve-„rum & illud scio, longe plura esse in Trape-„zuntio, quæ Gaza potuerit culpare. Nam & „in eo desiderare potuit fidei plus in transe-„rendis e Græco authoribus, & majorem lin-„guæ Latinæ peritiam. Et Lib. 3. *De Histori-„cis Latinis* cap. 8. filium reliquit Andream Tra-„pezuntium, qui patris defensionem scripsit ad-„versus Theodorum Gazam, ac præfationem ad „Sixtum Pontificem præmisit translationi pá-„ternæ Ptolemaici operis *de magna Constructio-„ne*. Andreæ filia nupsit Fausto Magdalenæ, „Romano Poëtæ, qui Leoni pergratus erat, at-„que anno 1527. Roma ab exercitu Caroli V. „capta ac diruta, Jovio teste periit. Obiit autem ipse Georgius Trapezuntius anno 1486. nonagenarius, ad cujus opera, quemadmodum ab Allatio excutiuntur, jam veniamus.

Scripsit pleraque utraque lingua partim de suo, partim ex una in aliam linguam transferens, quorum potissimam partem, ut etiam in aliis fecimus, enumerabimus. Transtulit itaque e Græcis in Latinum Sermonem *Sancti Cyrilli Commentarios in Evangelium Joannis ejusdemque Cyrilli Thesaurum, sive de Trinitate Libros XIV.* Sæpius cum Operibus Sancti Cyrilli impressos, ac separatim in folio, Parisiis anno 1514. Thesaurus Cyrilli, denuo a Bonaventura Vulcanio partim de integro versus, partim castigatus, & ordini quo a Cyrillo conscriptus fuerat, restitutus. Nam in prioribus editionibus, ordo omnis a Trapezuntio immutatus erat, multa ab eodem passim omissa, multa de suo adjuncta, neque pauca perperam versa erant, ut in præfatione & Annotationibus probare conatur Vulcanius. Opus hoc *Thesauri* nomine nuncupatum, in plerisque Codicibus MSS Athanasio Alexandrino tribuitur: sub cujus nomine Interpretatio in Latinum Joannis Baptistæ Chamotii nondum edita, olim apud Leonem Allatium MS. extitit. *Plures Chrysostomi in Matthæum homilias* transtulit, quæ inter Opera S. Joannis Chrysostomi. Extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Cod. 6540. in Manuscriptis Codicibus Caroli Theyeri Codice 17. Georgii Trapezuntii Versio Operum Johannis Chrysostomi, Nicolao Papæ directa. *Gregorii Nysseni de Vita Mosis*, sive *de vita perfecta librum* item Georgius Trapezuntius transtulit in latinam Linguam, qui seorsim primum editus Basileæ anno 1521. tum Viennæ anno 1527. cum aliis Nysseni Operibus. Coloniæ anno 1551. cum versione Dionysii Exigui *de opificio hominis*, & Nemesii *Libris octo de anima.* Denique Basileæ anno 1562. cum aliis Nysseni Operibus. Denique *Libros V. Sancti Basilii contra Eunomium*, editos cum Operibus Basilii Antwerpiæ in folio anno 1570. apud Philippum Nutium, quorum liber tertius habetur tomo 2. *Conciliorum* Coloniæ editorum anno 1538. in folio. Denique etiam in editionibus Græco-latinis Parisiensibus omnium S. Basilii Operum, anni 1618. duobus in fol. Voluminibus, & anni 1638. tribus Vol. in folio. Quod de Opere legitur Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Georgius Trapezuntius*, pag. mihi 631. & verbo Basilius cap. 4. pagina 180.

Eusebii de præparatione Evangelica Libros XIV. quorum versionem Nicolao V. summo Pontifici nuncupavit, editos primum Tarvisii anno 1480. in folio, sæpiusque alibi cum aliis Eusebii Operibus. Ea tamen Interpretatio non multi fit a viris doctis, imo a plerisque nec immerito vituperatur. Multa namque ex Eusebii textu Trapezuntius detrahit, adeo ut sæpe integra capita omittat, & quod nec ipse Trapezuntius excusare posset totum ultimum librum. Quid quod etiam sæpenumero ordinem confundit, atque ut plurimum perperam vertit, adeo, ut quemadmodum ille dicebat: *Eusebius jam si rediret, illius traditionem ex scriptis suis factam, aut vix tandem, vel omnino non agnosceret.* Et Lilius Gyraldus *de Historia Poëtarum* Dialogo 9. *Trapezuntius non Eusebium Latine vertit, sed particulas hinc inde decerpsit.* Et Dialogo 1. de Poëtis sui temporis: *Eusebium licet ad Græci exemplaris fidem non tantum expressit, ut ex Græco Codice facile videre potestis.* Unde & scribit Petrus Halleix notis ad caput 8. *Vitæ sancti Polycarpi*, hanc inter alias caussam fuisse non minimam, ob quam Franciscus Vigerus Soc. Jesu aliam aggressus fuerit interpretationem, quam magno confectam judicio, in lucem nuper emiserit. Sententiam de ea Trapezuntii versione, quam Franciscus Vigerus profert, audire lubet. Extitit ante hos centum annos Trapezuntius homo Græcus & natione, & Latinis,„ insuper literis non mediocriter informatus:„ qui si horum ad librorum interpretationem,„ quantum eruditionis ac solertiæ afferebat,„ tantum a curis gravioribus, temporis & otii,„ conferre potuisset: nobis utique legendi vo-„luptatem, non alterius operæ necessitatem re-„liquisset. At dum quod ipsemet vel excipit,„ vel excusat, cum eorum a quibus urgebatur,„ desiderio, vertendi celeritatem æquare gesti-„ret, Eusebium Eusebio suffuratus est. Ita-„que suo ex sensu, vultum ei speciemque fixit,„ ut ab eo Trapezuntium verius, quam Euse-„bium haberemus. Ita capitum ordinem, nu-„merumque mutavit, ita sententias, periodos,„ paginas nonnunquam integras modo interpo-„lat, modo, quod longe gravius est, expungit ac,„ resecat. Librum certe Decimum quintum,„ ne attigit quidem. Id quod viris etiam do-„ctissimis fraudi fuit, qui cum Eusebii Græca,„ non legissent, postremum hunc librum periisse„ crediderunt. Ostenderat Grinæus quidem,„ homo (ut ajunt) hæreticus, velle se tam inve-„terato morbo medicinæ aliquid facere: sed,„

„ostendit reipsa tantum, quippe qui labes hia-„tusque nonnullos partim duntaxat, ac sæpe „novis erroribus impleverit.“ Hæc Franciscus Vigerus.

De versione *Historiæ Sanctorum Barlaam & Josaphat*, quæ Georgio Trapezuntio tribuitur, editaque est post Opera S. Joannis Damasceni Basileæ anno 1548. ex officina Henrici Petri, Hæc Billius vir doctissimus. „De Tra-„pezuntii versione nihil aliud dicam, nisi eam „mihi quidem antea semper valde rudem & im-„politam visum fuisse. Post autem ubi per Jo-„annem a S. Andreea, virum ut optimum & „doctissimum, ita & optimorum ac doctissimo-„rum Librorum copia instructissimum, Exem-„plaris Græci copia facta est: innumeris etiam „locis vitiosam, quod quidem lubentius certe „nimiæ festinationi, quam Græci Sermonis „ignorationi tribuendum putarem, nisi nimis „multa loca essent, in quibus vix festinationis „excusatione inscitiæ notam interpres depre-„cari queat. Quæ suspicionem mihi nonnul-„lam injiceret, Trapezuntium fortasse versio-„nis hujusce parentem non esse, nisi in qui-„busdam etiam aliis, eum Græca persæpe non „satis assecutum esse comperissem. Utrum-„que res se habeat, novam traductionem ha-„bes, si nihil aliud, præcedenti profecto (nisi „fallor) paullo clariorem & illustriorem.“ Verum illam Trapezuntii non esse, apertissime ostendit Heribertus Rosweidus, *De vitis Patrum* Libro I. in Notis. „Extat & alia antiqua „Versio, quam volunt esse procuratam a Ge-„orgio Trapezuntio, cujus nomine editur in „editione Damasceni anno CIↃ IↃ XLVIII. Ba-„sileæ ex officina Henrici Petri. Mihi videtur „vetus translatio multo antiquior Trapezun-„tio: nam invenitur ea in Manuscriptis mem-„brancis, etiam ante annos CCC. ea transla-„tione usus est Vincentius in *Speculo Historiali* „supra citato, Trapezuntius vero Patrum me-„moria vixit, nondum CL. annis elapsus.“ Ego plures *hujus veteris translationis* MSS. Codices in multis Galliarum Monasticis bibliothecis vidi, annos antiquæ Scripturæ quingentos præ se ferentes.

Idem *Libros tres Rhetoricorum Aristotelis* latine reddidit, qui habentur cum cæteris Aristotelis Operibus impressis Basileæ anno 1538. Venetiis anno 1560. & alibi.

Almagesti Ptolemai Libros XIII. Opus posthumum Basileæ, apud Henricum Petri in folio. Et hæc qidem edita sunt. Quæ subduntur, ex Nota manuscripta inedita, quod ipse sciam, in latebris abduntur: *Interpretatio* nempe *Aristotelis, De anima Physicorum. Degeneratione & corruptione. De Animalibus. Problematum.* Sancti Gregorii Nysseni *De perfecto homine*, nisi unum idemque Opus sit cum Libro *De Vita Moisis Gregorii Nysseni*, sive *De vita perfecta*, quod valde probabile est. *De Laudibus S. Basilii*, ac jussu Nicolai V. Summi Pontificis, *Libros Platonis de Legibus.* Hanc Trapezuntii interpretationem Bessario Cardinalis Libro V. adversus calumniatorem Platonis examinavit, cujus errores, uti potuit, his verbis detexit. Exponam autem non omnes ejus errores, lon-“ gum enim id admodum esset, cum nullus sit“ locus, qui errore vacet: sed carptim ea dun-“ taxat colligam, quæ vel quilibet interpres in-“ telligere facile potuisset, & sine tanta labe con-“ scribere. Ex his percipi facillime poterit,“ quam in graviori vel sententiæ vel elocutio-“ nis genere deficere hujus interpretis inge-“ nium potuerit: quandoquidem in locis adeo“ facilibus labitur, errat, jacet, & turpiter ab“ eo, quem interpretatur, authore recedit.“ Et in fine Libri: Si quis suppetente otio, con-“ ferre hujus interpretationem cum Platonis“ Scriptis voluerit, tot certe errores, quot ver-“ ba, notabit.“

Scripsit autem ex suo Latine *De octo partibus Orationis compendium*, Augustæ in 8. anno 1537. editum. *Libros quinque Rhetoricorum*, Basileæ 1522. in 4. & Parisiis 1538. in 8. de quibus Typographus. *In emendatione hujus Operis, & Græcis præcipue restituendis, non parum nos adjuverunt Hermogenis Rethorica Graca, ex quibus quantum adflatus inventionis præcepta & formas elocutionis attinet, bonam partem in suos libros Trapezuntius transtulit: ubi interim quædam sunt sic latine reddita, ut propter vocabulorum novitatem vix intelligas, nisi prius Græca legeris. Proinde Græca nonnunquam in margine adscripsimus,* Ferdinandus Alphonsus Herrera edidit in eosdem Rhetoricorum Libros Scholia ex Hermogenis Tarsensis methodo, quæ Compluti anno 1511. in folio cum ejusdem Trapezuntii Vita prodierunt, & annotatur in *Bibliotheca Hispanica* pag. 560.

Commentaria in plerasque Ciceronis Orationes & Philippicas præsertim, Parisiis apud Ascensium, & Basileæ apud Robertum Winter & apud Oporinum anno 1553. cum aliis in Ciceronem Commentariis.

Brevem Dialecticam sed absolutam, Argentorati anno 1519. in 4. Coloniæ apud Gymnicum anno 1530. quæ postea ab erroribus repurgata, & Scholiis Joannis Noviomagi & Bartholomæi Latomi illustrata, ibidem edita est anno 1544. in 8.

In Claudii Ptolemai centum sententias Commentarius.

De Autisciis, in quorum rationem fata sua rejicit.

Cur Astrorum indicia plerumque falluntur. Omnia simul Coloniæ anno 1544. in 8. cum Joannis Pontani Dialogo, *Quatenus credendum sit Astrologis.* Posteriora duo Opuscula cum Omar *de Nativitatibus*, anno 1525. in 8. & Parisiis anno 1549. in 8. Quo ex labore, iniquiorum plurium invidia Trapezuntium secuta est.

Comparationem Platonis & Aristotelis, qua Aristotelem Platone longo intervallo superio-

rem

rem esse contendit, Venetiis 1523. in 8. Cum vero in Platonem conviciis ac maledicentia libri essent referti, ubi eos Bessarion perlegit, hominis temeritate permotus & ejus mentem execratus, tacito Trapezuntii nomine, *Libris quatuor in calumniatorem Platonis* respondit: quibus primum sapientiam Platonis atque doctrinam, mox ejus Scriptorum cum nostris similitudinem, tum probitatem morum, vitamque integerrimam exponit. Atque ut inscitiam hominis magis & magis propalaret, addidit librum quintum, in quo Trapezuntii in interpretationem Legum Platonis semel atque iterum ab eo edita, errores ac lapsus collegit, refutavit, & emendavit: adeo, ut ostenderit plane, non potuisse eum de tali Philosopho judicium ferre, quem minime intellexit. Tum ut accuratior atque absolutior tractatio haberi posset, Disputationem suam *De Natura & Arte*, multis ante annis scriptam in eundem Trapezuntium, cum ad utrumque Philosophum quæstio illa pertineret: adjunxit.

Anno 1465. e Creta Constantinopolim navigans, *Andreæ Chii Martyrium*, quod eodem fere anno in testimonium fidei Christianæ ille subierat, a Byzantinis narrantibus audit, idque postea Romæ post duos annos promissionis debitum persolvens, Latine conscripsit. Habes apud Surium tomo III. ad diem 24. Maji; de cujus Historiæ fide Petrus Canisius Lib. 5. *De beata Virgine Maria* cap. 19. hæc habet. *Etsi vero author natus non est Trapezuntius, ut qui sub Frederico III Cæsar Scriptor celebris vixerit, tamen de fide præsentis Historiæ ab illo descriptæ, nullus est ambigendi locus: cum Græcus ipse in Creta natus, de Græco Martyre non alia testatur, quam quæ in medio Græciæ, & in Regia urbe per Magistratum publice gesta: nec minus Latinis, quam Mahumetanis nota, ac eo tempore plurimis visa, audita, comperta fuerunt. Ut autem sine fuco simpliciter veritas narretur, visum est Trapezuntii verba, quæ mihi primum amicus in Italia legenda obtulit, deinde Colonienses probatis Sanctorum Historiis inseruerunt, hoc loco repetere, & omnibus insignem Historiam judicandam exhibere.*

Item *Expositionem illius loci* Evangelii Joannis cap. 21. *Sic eum volo manere, donec veniam* &c. ad Sixtum IV. Pontificem Romanum, qua asserere conatur Joannem Evangelistam nondum esse mortuum. Legitur istud Opusculum inter *Orthodoxographa* Basileæ in fol. anno 1569. pag. 1231. & tomo VI. Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis primæ Parisiensis, anni 1576. & sequentibus aliis. In hanc sententiam Opusculo singulari Bessarion Cardinalis invectus est, itemque Leo Allatius in suo Syntagmate *De fine & vita exitu S. Joannis Evangelistæ*, utramque sententiam gravi judicio examinavit, & quænam ambarum verior esset, diligenter inquisivit.

Ex iis vero quæ Græce composuit, *Epistola ad Joannem Palæologum Romanorum Imperatorem*, qua eum cohortatur, ut in Italiam ad Synodum naviget, tum Concilium Basileense eo quod ab authoritate Romani Pontificis desciverit, parvipendat, nec ad illud animum advertat. Extat illa edita Græce & Latine cum Simocotta & Phranza, a Jacobo Pontano Ingolstadii apud Adamum Sartorium anno 1604. in 4. Habetur MS. in Bibliotheca Regis Galliorum, Bavarica, Augustana, Vaticana, eratque apud Antonium Augustinum sub hoc titulo: *Georgii Trapezuntii defensio missa ad Imperatorem Romanum Joannem Palæologum, de navigatione ejus in Italiam*,

Ejusdem *Liber ad Joannem Cuboclesium contra Græcos De processione Spiritus Sancti.* Πρὸς ἰωάννην τὸν Κυβουκλήσιον κατὰ Γραικῶν. Principium. ὦ κνυμεν μὲν πρότερον πρός σε γράφειν: quique MS. asservatur Scoriaci in Bibliotheca Regis Catholici, & Vaticana, & Ambrosiana Mediolanensi, & charactere elegantissimo apud Alexandrum Cherubinum. Hinc noro alium esse hunc Joannem Cuboclesium, quem Trapezuntius alloquitur, a Joanne Cuboclesio pariter, cognomento Caminiate, qui sub Leone Sapiente Imperatore, *De obsidione & excidio Thessalonicensi*, anno ab orbe condito 6410. a Christo Servatore 902. non ineleganter scribebat.

Ejusdem Ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς ἐν Κρήτῃ ἱερομονάχους καὶ ἱερέας περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ περὶ τῆς μιᾶς ἁγίας καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας: *Epistola ad Monachos Cretenses & Sacerdotes de processione Spiritus Sancti, & de una sancta & Catholica Ecclesia.* Initium ejus, Σίμων ἱερομόναχος τῆς τῶν κηρύκων &c. quæ legitur Manuscripta in Bibliothecis Vaticana, Altempsiana & Baucerica Codice 115. Utrumque autem Opusculum Græce & Latine editum, apud Leonem Allatium, *Græciæ Orthodoxæ* tomo I. pag. 469.

Erat in Bibliotheca Lolliana ejusdem ἀντιῤῥητικός, de eademne, an alia materia, mihi non liquet. Vidit præterea Leo Allatius ejusdem Tractatum περὶ ἐλεημοσύνης, *De Eleemosyna*, cujus principium: Τῶν ἐν ἐχόντων οἱ ἀκούοντες διδασκαλιῶν &c. item ejusdem περὶ τῆς ἀληθείας τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως, *De veritate fidei Christianæ*, olim erat in eadem Bibliotheca Lolliana.

Græce etiam Manuscripta sunt, Εἰσαγωγὴ εἰς τὴν μεγάλην τοῦ Πτολεμαίου σύνταξιν, *Introductio in Magnam Ptololomæi Syntaxim seu Constructionem*, in Bibliotheca Augustana, & Scoriaci in Catholica & in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 355. Ad Esaiam Monachum, *Utram natura consilio agat*, εἰ φύσις βουλεύεται Epistola Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana: quam Latine interpretatus est Bessarion Cardinalis Libro 4. *adversus calumniatorem Platonis*, contra quam & scripsit. Principium, ἠτήσω ὦ φίλε Ησαΐα γράψαι σοι ὡς οἷόν τε διὰ βραχέων

χέων &c. Sed cum nomen authoris in nonnullis MSS. Codicibus confundatur, multi namque Libelli istius *Naturam alicujus gratia omnia agere*, parentem Theodorum Gazam, multi etiam Bessarionem faciunt: unde error irrepserit, ex eodem Bessarione Lib. 6. cap. 3. addiscamus. Cum Cardinalis Bessarion in hoc argumentum breviter quædam ad Theodorum Gazam perscripsisset, Georgius Trapezuntius illis perlectis, ut odium, quod in Bessarionem ab eo tempore conceperat, quo ei Theodorum in doctrina præposuerat, aliquando pareret: adversus illa scripsit. Sed ut honestius Bessarionem impeteret, finxit, se ignorare, quisnam ejus Libelli author esset: & Theodori, non Bessarionis disputationem illam esse, seseque Theodoro contradicere simulavit. *Ostendit præterea*, inquit Bessarion, *Athanasium fuisse, qui hæc scripta ei tradiderat, cum tamen Esaias, non Athanasius fuisset. Solus enim Esaias hæc scripta a nobis habuerat. Hic tamen, quasi nostra interesset, a quo ea accepisset, Epistolam ad nos scripsit, qua oblatum sibi ab Athanasio fuisse Opusculum significavit.* Plures ergo de eodem argumento Trapezuntius Epistolas dederat, quibus Bessarion & Theodorus Gaza responderunt.

Quæ sequuntur an edita sint, quærent alii. *Oratio in funere Michaelis Veneti ad Turcarum Imperatorem. Isagoge & Commentaria in magnam Compositionem Ptolomæi. Orationes. Epistolæ. Exhortatio de recuperanda Terra sancta. Contra Theodorum Gazam ad Leonellum Estensem. & Responsio in Guarini invectivam. Dialogus de fide.* Addit Gesnerus, *De divina substantia secundum Aristotelis doctrinam. De veritate fidei Christianæ. Epistolas in Psalmum 44. quarum quædam extant Venetiis ad sanctum Antoninum.* Quæ quamvis Latine habeantur, nullus tamen dubito, magnam eorum partem Græce etiam ab eodem fuisse conscriptam, ut jam ex supradictis patet. Eo namque ævo celebres in utraque Literatura viri, & in utriusque eloquentiæ facultate eximii, ut utrisque primis nationibus latisfaceret, gloriamque sibi ex utraque lingua veram ac solidam captarent: quod Græce prius scripserant, Latine postmodum enuntiabant: vicissimque Græce, quod Latine primo factum fuerat. Dictum comprobant, Trapezuntius, Bessario Cardinalis, Theodorus Gaza, Argyropulus, & alii.

Carmina etiam Latina non infeliciter composuisse, habemus ex Gyraldi Dialogo I. *De Poetis sui temporis*, ubi sic: *Docti plerique Georgium meum fatentur versus composuisse. quod vel palam cognoscere potestis, ex iis quæ de Orphæo, Musæo, Lino, & aliis pluribus Græcis in Latinum convertit, apud Eusebium Pamphili.*

Ferunt autem Georgium Trapezuntium Romæ juxta Minervæ Ecclesiam habitasse, in qua & mortuus sepultus est. Cujus tanti viri nomen ne una cum ipso tempore elaberetur, marmorea inscriptione figitur. Sed heus rerum fata, lapis ille omnium oculis, dum a Scenophylacio in Ecclesiam ingredimur, prostat. Inscriptio attritu pedum hominum obambulantium abrasa, tempore illo & non ita longo aufugit: adeo ut præter unius Trapezuntii nominis vestigia, cœca inscriptio sensim evanescens, avolarit. Jacobus Gardonus in Opere Chronologiæ, narrat anno 1454. fuisse Romæ Gymnasio præfectum, docuisse Rhetoricam, & morbi gravitate oblitum proprii nominis. Cælius Rhodiginus *Lectionum antiquarum* Libro XXI. cap. ultimo, ait ad Libros in Platonem compositos, & convicia in eum jacta Erynnim atque Cænotimonem nuncupatum, & a Bessarione insigniter fuisse proscissum. Gilbertus Ginebrardus in *Sixto IV.* & Gualterus ad seculum *Chronologiæ* XV. illum in extrema senectute doctrinam suam universam oblivioni tradidisse, & anno 1486. obiisse. Præter allatum jam Allatium, quem hic ordine tantum mutato, paucisque adjectis transscripsimus, agunt Josias Simlerus in *Epitome* Bibliothecæ Gesneri, pag. mihi 276. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Georgius Trapezuntius.* Natalis Alexander inter Scriptores Seculi XV, tomo XXIII. pag. 886. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. mihi 542. Bibliotheca Oxoniensis impressa Thomæ Hydii, verbo *Trapezuntius Georgius*, cum aliis allatis.

MANVEL MALAXVS, natione Græcus, 1440
patria Peloponnesius, Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Rhetor, claruit ante annum 1440. ad annum 1453. & sequentes, uti aperte constat ex adversariis, cum quibus contentiones aluit. Habuit enim adversarios Georgium Gemistium Pletonem, de quo ad annum 1430 diximus, qui non multo post Concilium Florentinum anno 1440. habitum, naturæ debitum solvit. Fratrem Franciscum er ordine Fratrum Prædicatorum, qui ab Eugenio Papa quarto, statim post Concilium Florentinum & unionem Græcæ Ecclesiæ cum Latina per dola Romanæ curiæ factam, missus est ad Orientem, ut Græcos unioni ejusmodi consentire detrectantes, qua minis, qua pollicitationibus Italicis, ad ejus confirmationem alliceret: id quod infeliciter ipsi successit. Tertium tandem adversarium, de quo ad annum 1450. loquemur, Matthæum Camariotham expertus est, contra quem scripsit; tantum abest, ut discipulus extiterit illius, sicut Henricus Wharton perperam, uti & anno MD. vixisse aut floruisse falso affirmat. *Sapientissimus & Theologus doctissimus*, ὁ σοφώτατος καὶ θεολογικώτατος Manueli Malaxo juniori, illiusque vel nepoti vel abnepoti in *Historia Ecclesiastica*, dicitur: quod nec mirum, cum ipsius avus esset, ejusdem nominis atque cogno-

cognominis. Contra Latinos calamum strinxit, scripsit enim *Apologiam* seu *Refutationem decem Capitum Fratris Francisci Ordinis Prædicatorum*, de processione Spiritus Sancti, de Azimis, de Purgatorio, de Primatu Papæ &c. Fragmenta quædam inde exhibet Leo Allatius Libro *de Purgatorio* pag. 82. 165. 772. 939. Integrum fere tractatum, paucis siquidem in fine desideratis, Græce & Latine in lucem emisit Vir cl. Stephanus le Moine, inter *Varia sacra* pag. 270. & seqq. edita Lugduni Batavorum anno 1685. in 4. Idem opus MS. extat inter MSS. Codices Bodleianæ in Anglia Bibliothecæ Codice 294. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli, Codice 115. num. 3. *Fratris Francisci ex Ordine Fratrum Prædicatorum Conclusiones Theologicæ & Orthodoxæ decem, quas per litteras misit ad Manuelem Magnum Rhetorem Magnæ Ecclesiæ, cum Responso ejusdem Manuelis.* Ibidem Codice 3377. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni, Archivo B. Codice 47. num. 6. *Manuel Magnus Rhetor contra Fratrem Franciscum*, Græce. Eidem attribuitur *Chronicon brevissimum* ab orbe condito ad Constantinopolim a Mahumete occupatam, Codino *De Originibus Constantinopolitanis*, Græce & Latine subjectum, ex editione Regia per Lambecium, anno 1655. a p. 75. ad 83. licet nomen ipsius Operi præfixum non sit. Scripsit adhuc Manuel idem Librum *contra Pletonis Opusculum de processione Spiritus Sancti*, in quo reprehendit Pletonem, quod non ex principiis theologicis, sed ex doctrina Gentilium argumenta sua de processione Spiritus S. adduxerit. Fragmentum exhibet Leo Allatius *De consensu utriusque Ecclesiæ* Lib. 3. cap. 3. §. 6. & alia duo in Diatriba *De Georgiis & illorum scriptis* pagg. 389. 391. 392. Idem Opus Græce MS. extat inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 3377. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni, Archivo B. Codice 47. num. 3. *Manuel Magnus Rhetor contra Latinos, Græce*: nimirum contra Pletonem, qui pro Latinis scripserat. Ejusdem quoque in eadem Bodleiana Bibliotheca, extant in MS. Codice Baroccii Codice 125. num. 17. *Manuelis Rhetoris versus politici XXV. de vanitate & instabilitate rerum omnium hujus vitæ* pag. 241. Inter MSS. Codices Theologicos Græcos bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Codice MS. CCCXXXIII. num. 1. & quidem a folio 1. pagina 1. usque ad folium 4. pagina 2. *Manuelis Peloponnesii Diatriba seu Dissertatio ad Gerasimum Hieromonachum & Hieropsaltem de Cantico in honorem beatissimæ Virginis Deiparæ*, quod incipit, Θεαρχίῳ νεύματι &c. Ipsa tituli Græci verba cum principio Dissertationis hæc sunt, Τοῦ μεγάλου ῥήτορος κυροῦ Μανουὴλ, τοῦ ἐκ Πελοποννήσου λόγος πρὸς τὸν ἱεροψάλτην κυρὸν Γεράσιμον ἱερομόναχον, περὶ τοῦ θεαρχίῳ νεύματι. Οὗ τινῶν ῥητῶν ἐπελαμβάνετο ὁ λογιώτατος κυρὸς Ματθαῖος Καμαριώτης. Τιμιώτατε καὶ αἰδεσιμώτατε Πάτερ, δεῖν ᾠήθην οὕτω γραφῇ ἐκθέσθαι, ἅπερ ἐρεῖν σῇ προτρεπτ' ἐπηγγειλάμην τιμιότητι, ὡς ἔχω γνώμης, περὶ τοῦ στιχηροῦ τοῦ πρὸς τὴν ὑπεραγίαν ἡμῶν θεοτόκον, οὗ ἡ ἀρχὴ, Θεαρχίῳ νεύματι &c. Aliud quoque Opus Manueli Malaxo tribuit Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pag. 342. ubi de Georgio Xiphilino Patriarcha Constantinopolitano, ejusque scriptis disserit. Legi ejusdem duo „ Synodalia sancita *de Stauropegiis* sub anno „ 1192. ab Eustachio Chandreno, Magnæ Ec- „ clesiæ Chartophylace subscripta, apud *Ma-* „ *nuelem Malaxum* in *Nomocanone*, quem ille „ communi Græcorum lingua conscripsit, cap. „ 483. *Primi* erat istud principium, πολλάκις „ καὶ ἐν Διακόνοις τελοῦσα ἡ μετριότης ἡμῶν. „ *Secundi*, Γέγονεν οἰκονομία τις εὔλογος δι' ὑπο- „ μνήματος." Cum autem non exprimatur, „ hujus *Nomocanonis* tempus ab Allatio, incertum videtur, an pertineat ad Manuelem Malaxum seniorem & junioris avum, de quo hucusque diximus: an ad juniorem hujus senioris nepotem vel abnepotem, qui centum & viginti annis posterior fuit, atque sub Amurate III. Turcarum Imperatore, anno 1574. floruit. Uterque enim diligenter distinguendus est. Manuel Malaxus junior scripsit *Historiam Patriarchicam seu Ecclesiasticam*, post Constantinopolim a Turcis expugnatam, res ad sua usque tempora continentem, editam Græce & Latine a Martino Crusio, in Academia Tubingensi Græcæ & Latinæ linguarum professore, quam idem Crusius inseruit Libris octo *Turco-Græciæ* Græcis & Latinis, quos anno 1584. Basileæ in folio edendos curavit, impensis Leonadi Henriopetri. Opus dedicatum illustrissimis Principibus, Wilhelmo, Ludovico, & Georgio, fratribus Hassiæ Landgraviis, anno 1584. die S. Matthiæ Apostoli. Illic Libro 2. *Turcogræciæ* pag. 106. *Historia Ecclesiastica seu Patriarchica*, quam in vulgarem linguam Græcam transtulit Emanuel Malaxus Peloponnesius, Martino Crusio describente anno Domini MDLXXVII. mense Aprili. Orditur pag. 106. finit. pag. 184. cum annotationibus Martini Crusii eruditissimis a pag. 185. ad 212. Non tantum autem hæc *Historia Ecclesiastica seu Patriarchica* ad annum 1578. pertingens, Manuelis Malaxi junioris opus est, quod Librum 2. *Turcogræciæ facit*: sed ejusdem quoque videtur, *Historia Politica* Anonymi, quæ extat & Librum 1. *Turcogræciæ* componit a pag. 1. ad 43. cum notis Martini Crusii doctissimis, usque ad pag. 68. Orditur ea a Manuele Palæologo II. seu ab anno 1391. definit autem in anno 1578. ut de *Historia Ecclesiastica* dictum est, ita ut centum & viginti quinque annis progrediatur ultra Constantinopolim in potestatem Turcarum redactam. Idem enim utriusque Operis stylus, idemque ad annum MDLXXVIII. terminus, Scriptorem eundem arguere videtur. Theodosius etiam Zygomalus in Epistola *De Periculis & cladibus Constantinopoleos*, quam

Martinus

Martinus Crusius *Historiæ Politieæ Constantinopolitanæ* Lib. 1. *Turcogræciæ* pag. 73. subjunxit, hanc Historiam Politicam pag. 96. Manueli Malaxo juniori tribuit, qui etiam author est *Historiæ Ecclesiasticæ seu Patriarchicæ*, quæ extat Libro 2. *Turcogræciæ* pag. 105. & sequentibus. Aliud quoque Manuelis Malaxi junioris Opus MS. extat in bibliotheca Colbertina Codice 4787. de quo loquitur Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Catalogo MSS. Codicum, quibus, usus est ad compositionem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* verbo *Manuel Malaxus* pag. 29. „Chronicon hoc titulo, Βιβλίον „χρονογραφικὸν περιέχον ὡς ἐν συντόμῳ τὰ ἀ„πὸ κτίσεως κόσμου, ἕως καὶ τῆς βασιλείας τοῦ „Σουλτὰν Μουράτη, συλλέχθὲν καὶ διορθωθὲν „παρὰ τοῦ λογιωτάτου κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Μα„λάξου.“ ex Codice Colbertino 4787. *Opus Chronographicum, velut in Epitome, continens res gestas a creatione mundi, usque ad Imperium Sultani Muratæ, collectum & ordinatum a Sapientissimo Domino Manuele Malaxo*. Unde liquet, hanc Chronologiam Malaxi pertingere usque ad eadem tempora, quibus Historiæ duæ præcedentes accedunt. Quam misere Manuel iste Malaxus junior vixerit, arguunt ista ad Martinum Crusium, Constantinopoli, eodem anno MDLXXVIII. a Gerlachio conscripta. *Est is* (Malaxus) *admodum senex, pueros & adolescentulos Græcos, sub Patriarcheio, in parvula & misera casa docet, pisces siccatos in ea habet suspensos, quibus vescitur, ipse coquens: libros pretio describit, vino quidquid lucratur, infumit, pinguis & robustus est.* At triennio post Malaxum jam defunctum esse, eidem Crusio idem Gerlachius perscripsit, anno nimirum MDLXXXI Agunt autem de *Manuele Malaxo seniore* Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum scriptis* pag. 342. Petrus Lambecius Libro V, *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, ad Codicem MS. Theologicum Græcum CCCXXXIII. num. 1. Henricus Wharton in *Supplemento* seu *Continuatione Historiæ Literariæ* Guilielmi Cavi pag. 190. quem male ad annum 1500. allegat. De *Manuele Malaxo juniore*, Martinus Crusius passim in *Turcogræcia*, cujus & Opuscula eruditis observationibus illustravit. Gerardus Joannes Vossius Libro 4. *de Historicis Græcis* cap. 19. pag. 493. editionis ultimæ Lugduni Batavorum in 4to, quem male *Joannem Malaxum* appellat. Carolus du Fresne Dominus du Cange, in *Indice MSS. Codicum*, quibus usus est ad compositionem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo *Manuel Malaxus* col. 29. Et in *Indice Operum editorum* ibidem, col. seu pag. 54.

1440 BESSARION, S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS, natione Græcus, patria Trapezuntinus, ex Monacho Sancti Basilii Archiepiscopus Nicænus, tum Patriarcha Constantinopolitanus, & S. R. Ecclesiæ Cardinalis ab Eugenio IV. creatus, post absolutam anno 1439. Synodum Florentinam œcumenicam. Trapezus autem inter Asiæ civitates primaria, non eo tantum nomine celebritatem obtinuit, quod aliquando brevis licet Imperii caput extiterit, sed etiam quod plures eximios ac præstantes viros ex sinu suo protulerit. Inter quos Bessarionem S. R. E. Cardinalem orbi Christiano dedit, quem ipse novo fœdere religionis consociaret, & utramque Ecclesiam Latinam scilicet & Græcam, Occidentalem & Orientalem inter se scissas, sanctæ unionis nexu aduniret. Quantum in Synodo Florentina ad unionem utriusque partis procurandam incubuerit, testatur his verbis Cardinalis Pipiensis, Epistola sua 127. *Et alios ingenio superabat Bessario, ita voluntate in unionem ferebatur, salutemque animæ, non seculi gloriam quærebat: atque ex libris quibus fidebant Græci, argumenta ad nostros submittebat, pia fraude veritati suffragatus, & admonebat, quibus viis deberent insisti. Arguebat suos, errorem quo laborarent demonstrabat, ad meliora Imperatorem adhortabatur; ejus denique diligentia tota Disputatio est absoluta, fidesque Græca Latinæ unita.* Hujus autem in dicendo vim atque facundiam probant non tantum Orationes illæ, quas habuit in Conventu Mantuano, & in Concilio Florentino, cunctis eloquentiæ floribus aspersæ, & ad persuadendum efficacissimæ, rationum ponderibus ac momentis simul gravissimæ: verum etiam quod missus a Pio Papa II. Narniam Legatus, cum Alexandro Oliva & Francisco Piccolomineo dicto Senensi, amplissimis Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, ut Sancti Andreæ caput inde ad Pontem Milvium deferrent: cum ad Vaticanam Basilicam delatum fuisset, ipse elegantem piumque in promptu ac e visceribus causæ sermonem tunc temporis habuerit. Cum vero idem Pius II. Papa in extremis positus, circumstantes fuisset allocutus Cardinales, unus pro omnibus BESSARION tanquam sacri Collegii os & lingua, diserte sapienterque pro omnibus respondebat. *Sane*, inquit Papiensis loco proxime citato, *in Consistorio quidquid in re proposita optimum erat, ita exprimebat: ut post se dicturis nihil relinqueret, ac Patres in ejus sententiam ut plurimum irent, probarentque quod probaret, damnarent quod damnasset, diemque integrum ibi loquentem sine fastidio quilibet audivisset: ita semper apte ornateque dicebat, quod animum juvabat.* Non tantum fuit BESSARION utraque lingua, Græca scilicet & Latina disertus, verum etiam sensu ac scientia profundissimus, omniumque tam Divinarum quam humanarum Disciplinarum ad miraculum peritus. Singularius vero Philosophiæ Platonicæ contra Aristotelis sequaces defensor acerrimus, qui plurima ingenii sui & doctrinæ monimenta posteritati consignavit, Theologica, Philosophica ac Philologica etiam, quæ minutatim a Ciaconio in *Eugenio IV.* recensentur. De Theologicis autem parce admodum

admodum Bellarminus in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, atque Commentator ejus Labbeus ibidem tomo 1. pag. 203. Ubi postquam recensuit Librum Bessarionis, *De Sacramento Eucharistiæ & quibus verbis corpus Christi conficiatur*, in magna SS. Patrum Bibliotheca editionis Parisiensis tomo VI. col. 461. editum, subdit: *Sunt & alia quædam tum Philosophica, tum Theologica typis excusa cum Orationibus ac Epistolis, quorum Catalogum integrum nemo, quod sciam, hactenus addit.* Spectat igitur ad nostram Supplementi rationem ac methodum, ut paulo accuratius de Operibus Cardinalis Bessarionis, tam manuscriptis, quam impressis agamus. Si tamen prius Lector notaverit, locupletissimam, & libris præcipue Græcis instructissimam bibliothecam, ab illustrissimo Cardinale, Reipublicæ Venetæ dono datam, quam ipse aureorum nummorum triginta millibus sibi comparaverat. Unde notat Spondanus in *Annalibus* ad annum 1472. num. 3. ex Petro Justiniano in *Historia Veneta* Lib. 8. extare de hac donatione ejus Epistolam ad Christophorum Maurum tunc Ducem ac ad Senatum Venetum, nec non Mauri ad istum amplissimam gratiarum actionem, Latine editas a Melchiore Goldasto, inter *Epistolas Philologicas*, Francofurti anno 1610. pag. 500. Extat autem hujus bibliothecæ Catalogus inter MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ Codice 2955. in MSf. Thomæ Bodleji supra P. 3. Artium Codice 172. num. 2. Et in Lugdunobatava nostra bibliotheca, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice MS. Latino 16.

Liber Bessarionis de Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis corpus Christi conficiatur, editus Græce & Latine inter Sanctorum Patrum Liturgias, Parisiis anno 1560. itemque Græce & Latine in *Magna Bibliotheca Patrum* editionis Parisiensis, anni 1644. tomo VI. col. 467. Extat Græce MS. in Bodleiana Oxonii in Anglia bibliotheca Codice 90. num. 1. qui Baroccianus est. Incipit, Τῦ ἱερῦ τῆς συνάξεως. Et in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 185. Et in Manuscriptis Græcis Thomæ Galæi Codice 121.

Ejusdem Bessarionis Cardinalis in Collectione ultima Conciliorum omnium, editionis Græco-Latinæ Parisiensis anno 1671. tomo XIII. pag. 36. *Oratio Græco-Latina hortatoria ad pacem inter Græcos Latinosque ineundam*: habita sessione prima Concilii Ferrariensis. Ibidem Græce & Latine *Sapientissimi Archiepiscopi Nicani Bessarionis Oratio dogmatica ad Synodum Orientalem, sive de Unione*, colum. 391. Ejusdem Bessarionis *Declaratio aliquorum, quæ in dicta Oratione dogmatica continentur, quæ Græcis notissima, Latinis ignota sunt*: ibidem col. 455. Ibidem Latine tantum, col. 1228. *Epistola prolixissima Bessarionis ad Alexium Lascarim de successu Concilii Florentini & processione Spiritus Sancti*, cum Vaticanis Manuscriptis Codicibus collata & emendata: in quibus habetur, fuisse non solum illam a Bessarione Græce conscriptam, sed & ab eodem latinitate donatam, imo & auctam. Incipit, *Bessarion Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Magno atque clementissimo viro Alexio Lascari Philantropino* &c. Ibidem extat Conventus Mantuanus *De bello Turcis inferendo*, potissimum habitus, anno 1459. convocatus, ubi insignes *Orationes tres* a Pio II. Summo Pontifice pronuntiatæ columnis 1751. 1765. 1773. ornatæ, validæ, ad persuadendum appositæ, quas nasutiores Critici volunt a *Bessarione* esse compositas, a Romano Pontifice duntaxat pronunciatas.

Eadem *Epistola Cardinalis Bessarionis ad Alexium Lascarim Philantropinum, de successu Concilii Florentini & de processione Spiritus Sancti*, cum duplici interpretatione Latina, una ipsius Bessarionis, altera Petri Arendii. Itemque *Apologia pro Joanne Vecco*, seu *Confutatio Confutationum Gregorii Palamæ. Epistola generalis ad omnes, qui throno Patriarchali Constantinopolitano subsunt, quam ipse postea Bessarion Latine vertit.* Denique *Responsio ad quatuor argumenta Maximi Planudis de Processione Spiritus Sancti ex solo Patre.* Opuscula inquam ista quatuor Græce & Latine edita sunt a Petro Arcadio, in Collectione aurea Opusculorum Theologicorum, quem Romæ anno 1630. in 4. emisit in lucem. Horum quatuor Opusculorum primum extat Græce Manuscriptum in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCLVII, num. 8. & quidem a fol. 188. pag. 2. usque ad fol. 227. pag. 2. ut habet Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 174. Secundum autem seu, *Confutatio Confutationum Gregorii Palamæ* a Bessarione facta, extat ibidem manuscripta, Codice MS. Theologico Græco CCL. num 14. & quidem a fol. 223. pag. 1. usque ad fol. 301. pag. 2. ut habet idem Lambecius ibidem, Libro 5. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 150.

Ejusdem *Epistola ad Pædagogum filiorum Thomæ Palæologi*, quomodo pecunia iis a Pontifice assignata per singulos menses distribuenda sit, & dicti filii in omni pietate & obedientia erga Romanam Ecclesiam instituendi. Quam Græce primus edidit Jacobus Pontanus, in Notis suis ad Georgii Phranzæ Historiam, Ingolst. 1604. in 4. ac Græce & Latine cum Notis Joannes Meursius Lugduni Batavorum anno 1613. in 8. cum Opusculis Hesichii Milesii.

Ejusdem *Epistola ad Senatum Venetum de Bibliotheca sua*, quam ipsis in æde Sancti Marci collocandam donaverat, habetur Latine inter Epistolas Philologicas a Melchiore Goldasto editas Francofurti anno 1610. pag. 500. Extat autem MS. in Bibliothèca Colbertina, Codice 1480. Ibidemque ejusdem *Epistola ad Venetos de Bibliotheca sua*, MS. Codice 2145.

Ejusdem

Ejusdem *Oratio sive Consilium de bello movendo contra Turcas*, prodiit Islebæ anno 1603.

Dixit & Græce seu scripsit *Monodiam in obitum Manualis Palæologi Imperatoris*, quam omnibus eloquentiæ floribus aspersam ornatamque, & a Nicolao Peretto Archiepiscopo Sipontino Latine redditam, Bzovius primum publici juris fecit, suisque Annalibus ad annum 1472. num. 50. & sequentibus inseruit.

Ejusdem denique *Epistola ad Cardinalem Papiensem*, quæ est XXXV. inter ipsius Papiensis impressas Epistolas, atque hæc absque præjudicio manuscriptorum Operum, de quibus jam loquamur: & Philosophicorum impressorum.

In Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCL. num. 13. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 150. extant & quidem a fol. 197. pag. 1. usque ad fol. 222. pag. 2. *Testimonia variorum Sanctorum Patrum Latinorum*, a Bessarione Cardinale collecta, *de processione Spiritus Sancti ex Patre & Filio*, nempe *S. Leonis Papæ I.* ex Epistola, ad Turibium contra hæresim Priscillianistarum: *S. Hilarii Pictaviensis Episcopi* ex libro secundo de S. Trinitate: *S. Ambrosii* ex libro primo de Spiritu Sancto ad Imperatorem Gratianum: *S. Augustini* ex libro de fide ad Petrum: *S. Gregorii Magni* ex Moralibus Commentariis in Jobum, & ex Symbolo suæ fidei: *Hormisdæ Papæ* ex Epistola ad Imperatorem Justinum contra Hæresiarcharum Nestorii & Eutychetis blasphemias: *Boëtii* ex Libro de S. Trinitate: *S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis*, ex Libro septimo Etymologiarum: *S. Damasi Papæ* ex Confessione fidei Catholicæ missa ad Paulinum Episcopum Antiochiæ: *S. Hieronymi* ad Damasum: *Conciliorum Toletanorum diversorum*: & denique *S. Augustini* Libro περὶ τῆς γνώσεως τῆς ἀληθοῦς ζωῆς, sive de cognitione veræ vitæ. Collegit hæc Testimonia & Latine vertit Cardinalis Bessarion, ut ipse testatur in Epistola ad Alexium Lascarim: qua de re vide Leonis Allatii Lib. 3. *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione*, cap. 3. paragr. 1. Cod. 929. & 930.

„ Codice MS. Theologico Græco CCLVII. „num. 6. ut habet Lambecius ibidem pag. 174. „Sexto & quidem a fol. 120. pag. 1. usque ad „fol. 153. pag. 2. Ejusdem *Cardinalis Bessario-* „*nis Apologia pro Latinis, sive Refutatio capitum* „*Marci Metropolitæ Ephesini contra Latinos, scri-* „*pta rogatu Gregorii Patriarchæ Constantinopo-* „*litani.* Ipsa tituli Græci verba cum principio „Refutationis primi capitis, hæc sunt: Ἀπολο- „γία τοῦ σοφωτάτου Καρδινάλεως κυρίου Βησσαρίω- „νος εἰς τὰ τοῦ Ἐφέσου κεφάλαια, αἰτήσει τοῦ Πα- „τριάρχου κυρίου Γρηγορίου. Πρὸς τὸ πρῶτον οὗ ἡ „ἀρχή. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ Πατρὸς καὶ υἱοῦ „&c. ὁ Λατίνων τε καὶ Γραικῶν πρὸς ἀλλήλους „περὶ τῶν μεγίστων τε καὶ θειοτάτων ἀκήρυκτος „πόλεμος, ἁγιώτατέ μοι καὶ θειότατε Πατριάρχα „καὶ Δέσποτα &c.

Ejusdem *Cardinalis Bessarionis Epistola ad Georgii Gemisti Plethonis filios, de obitu & laudibus patris*, extat ibidem Manuscripta Codice Theologico Græco CCLXXVII. ut & Codice CCLVII. num. 9. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 174. & 224. Vide Leonis Allatii, Diatribam *de Georgiis* & eorum scriptis pag. 392. ubi hæc eadem Epistola quippe modica, Græce & Latine integra extat. Illic quoque in eodem MS. Codice Theologico Græco CCLXXVII. fol. 1. pag. 1. ejusdem *Cardinalis Bessarionis Epigramma in proprium Sepulchrum*, cujus titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ Βησσαρίωνος Καρδηνάλιος ἐπίγραμμα εἰς τὸν ἑαυτοῦ τάφον. Τοῦτ' ἐστι Βησσαρίων ζῶν ἤνυσα σώματι σῆμα &c. Ejusdem *Cardinalis Bessarionis Professio fidei Christianæ contra omnes hæreses, in Articulos vigintiunum distincta*: extat ibidem Codice MSS. Theologico Græco CCLXXVIII. ut habet Lambecius ibidem pag. 226. Hujus vero initium. Α'. Πιστεύομεν, ὅτι ἐστι θεὸς δημιουργὸς πάντων ὅσα εἰσίν. Β'. ὅτι ὁ θεὸς οὔτε σῶμα ἐστὶν, οὔτε σῶμα ἔχει, ἀλλὰ &c. In eadem Bibliotheca Codice MS. Philosophico Græco LXXXX. num. 2. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ pag. 162. & quidem a fol. 28. pag. 1. usque ad fol. 29. pag. 2. *Cardinalis Bessarionis Epistola ad Georgium Gemistum Plethonem, continens Philosophiæ Platonicæ Quæstiones quatuor*, nimirum περὶ τοῦ ἀνυποστάτου, περὶ τοῦ μεθεκτοῦ καὶ ἀμεθεκτοῦ, περὶ τῆς τῶν ὄντων συνωνυμίας ἢ ὁμωνυμίας, καὶ περὶ τῆς εἱμαρμένης. Sic autem inscripta incipit: Βησσαρίων Καρδινάλης τῷ σοφῷ καὶ διδασκάλῳ Γεωργίῳ τῷ Γεμιστῷ εὖ πράττειν. Κοινῆς πᾶσιν ἐνεσπαρμένης ἐννοίας. καὶ ταύτης ἀληθεστάτης, μηδὲν μηδαμῇ ἀναίτιον εἶναι, πλὴν τοῦ πρώτου καὶ πάντων αἰτίου, οὐκ ὀλίγους τῶν Πλάτωνος ἑταίρων. ὡς Πρόκλον, Ἑρμείαν τε καὶ Δαμάσκιον, τήν τε ψυχὴν, τοὺς δὲ πρὸ αὐτῆς πάντας, εἴτε νοητοὺς εὐτε νοητούς τε καὶ νοεροὺς, εἴτε νοεροὺς θεοὺς, ἀνυποστάτους εἶναι τιθεμένους εὑρίσκομεν. εἴποι δ' ἄν τις &c. Ibidem num 5. ut habet Lambecius Libro 5. eorundem Commentariorum pag. 163. & quidem a fol. 36. pag. 2. usque ad fol. 38. pag. 1. *Epistola Cardinalis Bessarionis ad Theodorum Gazam de libro Georgii Trapezuntii pro Aristotele contra Platonem*: quæ inscribitur atque incipit his verbis. Βησσαρίων Καρδινάλης Θεοδώρῳ εὖ πράττειν. οὐκ ἐθαύμαζον μόνον, ἀλλὰ καὶ ἠχθόμην, ὅτι μὴ ἀφίκου, ὡς ἐπηγγείλας &c. & aliquando post: Τῷ γὰρ πρὸ τοῦ νῦν ἔτει ἧκεν ἡμῖν εἰς χεῖρας βιβλίον τι τοῦ ἀναισθήτου Κρητὸς Γεωργίου, πόσης κατὰ Πλάτωνος βλασφημίας μεστόν. ὃ δὴ εἰς τρία διῃρημένον, καὶ σύγκρισιν Ἀριστοτέλους καὶ Πλάτωνος ποιούμενον, τὸν μὲν εὐφημίαις ἐξαίρει. Πλάτωνα δὲ τοῖς ἐξ ἁμαξῶν σκώπτει. ἐν μὲν οὖν τῷ πρώτῳ &c. In Bibliotheca quoque Colbertina, *Cardinalis Bessarionis Quæstiones variæ* MSS. Codice 1186. Ejusdem *Epistola ad Andronicum Callistum*, Codice 5063.

Inter Manuſcriptos Codices Bodleianæ bibliothecæ in Codicibus Baroccianis, Codice 114. pag. 140. *Epiſtola Beſſarionis ad Michaelem Apoſtolium*, quæ incipit, *ἀφίκετο πρὸς ἡμᾶς*. *Ejusdem*, ut videtur, *Tractatus de immortalitate animæ*, *& de Incarnatione Chriſti* pag 141. Et Codice 145. pag. 242. *Beſſarionis Cardinalis Epiſtola ad Græcos*, quæ incipit, Ἐβουλόμην μὲν ἂν ἐν Θεῷ. Et Codice 2290. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera E. 2. Codice 16. num. 16. *Beſſarionis & Gemiſtii Epiſtolæ* pag. 402. Denique ibidem Codice 165. Barocciano, *Controverſia circa Platonica quædam dogmata inter Apoſtolium* pag. 136. 146. & *Gemiſtium* 138. *Theodorum Gazam & Beſſarionem* 146. 149.

Aldus quoque Manutius Pauli Manutii pater, hæc quæ ſequuntur Opera Beſſarionis, in fol. Venetiis anno 1516. charactere nitido evulgavit. *In calumniatorem Platonis Libros IV. Correctionem Librorum Platonis de Legibus.* Opus, in quo pleraque ex Libris 12. Platonis de Legibus recitantur, quæ cum e Græco in Latinum verterit, oſtendit, quam male eadem Opera a Georgio Trapezuntio translata fuerint. *De natura & arte contra Georgium Trapezuntium*, ſeu tractatum, *an natura & ars conſulto agant?* Cum enim Georgius Gemiſtus Pletho Conſtantinopolitanus, qui Synodo Florentinæ interfuit, Platonicæ doctrinæ ſtudioſior eſſet, Peripateticæ autem Theodorus Gaza Theſſalonicenſis apprime incumberet: rogatus Beſſarion Cardinalis ſuam ut ſententiam ſcriberet, brevem hac de re libellum edidit: cui cum Georgius Trapezuntius contradixiſſet, Beſſarion hoc Libro, quem diximus, contradicenti reſpondit. *Translationem XIV. Librorum Metaphyſicorum Ariſtotelis in linguam Latinam, & unius Metaphyſicorum Theophraſti, & Xenophontis Libros IV. De dictis & factis Socratis.*

Anno circiter 1446. a Paulo Pontifice in Iſidori Cardinalis, titularis Patriarchæ Conſtantinopolitani defuncti locum ſuffectus eſt, & poſt Pauli obitum anno 1471. omnium votis Papatum expetitus, fatali quodam caſu dignitate excidit. Tandem a Sixto Pontifice Legatus in Galliam miſſus Apoſtolicus, conſpiciens ob falſam Regis de ſua fide opinionem, multos a ſe labores fruſtra ſuſceptos, Principes ad quos pacificandos venerat, multis inter ſeſe odiis ac bellis decertantes: ſpem ſubſidii contra Turcas ab illis obtinendi amiſſam: ac proinde rem omnem deploratam eſſe ac deſperatam, e Galliis egreditur maxima animi anxietate percuſſus. Mœrore inde ingenti contracto, urgente quoque ſenectute confractus, Taurini morbum, Ravennæ mortem incurrit, die 14. Decembris anni 1473. poſt Chriſtum natum, ætatis vero ſuæ 77. Cujus corpus Romam delatum, in templo ſanctorum Apoſtolorum in ſacello a ſe constructo perhonorifice conditum eſt, ejusque funeri SIXTUS IV. Pontifex Maximus interfuit, ob ſingularem tanti Cardinalis, deque Eccleſia univerſa adeo bene meriti exiſtimationem, qui breve hoc ſibi epitaphium, dum viveret, poſuit.

Beſſario Epiſcopus Tuſculanus, Sanctæ
Romanæ Eccleſiæ Cardinalis,
Patriarcha Conſtantinopolitanus, nobili
Græcia ortus,
Sibi vivens poſuit, anno Salutis
1466.

Miras illius laudes concelebrat amicus contemporaneus, Cardinalis Papienſis in Epiſtolis ſuis 127. & 488. Singularem Beſſarionis Panegyrim conſcripſit Platina contemporaneus author, quam cum citatis refert verbotenus Epiſtolis, Ludovicus Donius Dattichy in floribus *Hiſtoria S. R. E. Cardinalium* tomo 2. pag. 134. & ſequentibus. De illo Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* fol. mihi 219. Bellarminus & alii. Abraham Bzovius, Henricus Spondanus, Odolricus Raynaldus, atque alii omnes *Annalium Eccleſiaſticorum* Cæſaris Baronii exceptores. Sed potiſſimus ejus encomiaſtes Ludovicus D'attichy in *Floribus Cardinalium* tomo 2. pag. 126. ubi plene merita ac virtutes hujus Græci Cardinalis recenſet.

SYLVESTER SGUROPULUS SEU SYROPULUS, claruit eodem tempore inter Græcos, atque Concilio Florentino (œcumenico ut volunt) anno 1438. interfuit: cui ſubſcripſit poſt Magnum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Chartophylacem & Archidiaconum Michaelem Balſamonem, his verbis: *Magnus Eccleſiarcha & Jurium defenſor* Diaconus *Sylveſter Syropulus ſubſcripſi.* Hic abunde ſuam teſtatur ab Eccleſia Latina averſionem, in *Hiſtoria Concilii Florentini*, qui ſi tantiſper ab ira temperaſſet, Hiſtoriam ſuam apud incautos ac ſimpliciter ambulantes longe majori fide dignam effeciſſet. Non mirum tamen eſt, quod tam atrociter hic Græcus homo in Latinos efferatur, a quibus Græci in Occiduis partibus poſiti multas cavillationes & fraudulentas ſpes acceperant, ut Latinis ſenſus ſuos adoptarent. Narrat autem Sguropulus in *Hiſtoria Synodi Florentinæ* citata ſectione 2. cap. 8. quomodo cupiat a Latinorum congreſſibus liberari. Sect. 3. cap. 10. optat ab itinere in Italiam abſolvi, quod parum Genti ſuæ glorioſum proſpiciebat. Sect. 3. cap. 14. miſeriam Gentis ſuæ deplorat. Sect. 4. cap. 30. præeminentiam loci in Concilio, quem poſtulabat, amittit, quod multum deplorat. Sect. 6. cap. 13. optat expungi ex numero ſex Diſputantium. Eadem Sect. cap. 20. increpatur ab Archiepiſcopo Nicæno Beſſarione. Sect. 9. cap. 1. ad ædes proprias redire cupit, ibidemque ab Imperatore ſuo graviter objurgatur. Sect. eadem cap. 4. amittit ſuffragandi ſeu ſuffragii ac voti poteſtatem. Sect. 9. capitibus 13. & 14. narrat, ut multis perſuaſis a Patriarcha verbis, ad unionem conſentire recuſaverit, & cum eodem diſceptaverit. Et ibidem cap. 15. ut cum Primicerio diſceptare deſide-

deſideraverit, & ab eodem ludificatus fuerit. Sect. 10. cap. 6. quomodo inductus fuerit ad ſubſcribendum unioni, una cum Magiſtro Scriniario & Protecdico. Sect. 11. cap. 4. ſacra peragit cum Heracleenſi, aliiſque, in æde Divi Marci Venetiis, factumque excuſat. Sect. 12. cap. 10. quomodo *Hiſtoriam Synodi Florentinæ* rogatu amicorum ſcripſerit. Hanc autem Hiſtoriam Græce MS. inventam, licet ab initio mutilam, deſcripſit primum anno 1642. eruditiſſimus Claudius Serrarius ex Regia Galliarum bibliotheca Codice 1247. eductam, ad quam temporibus Henrici IV. cognomento Magni anno 1604. allata fuerat, quam hic clariſſimus in Parlamenti Pariſienſis curia Senator, clariſſimo viro Iſaaco Voſſio doctiſſimi Gerardi Joannis Voſſii filio inter κειμήλια reſervandam, & opportunitate qualicunque ablata publicandam dedit. Quod cum reſciviſſet illuſtriſſimus ac ſupremus Angliæ Cancellarius Dominus Eduardus Hydius, hanc Roberto Creightono provinciam commiſit, ut interpretatione in Latinam linguam completa, ejus impreſſionem promoveret: quod & factum Græce & Latine in folio anno 1660. apud Hagam Comitis typis Adriani Vlacci. Ἀπόγραφον vero ſeu *Acta Florentinæ Synodi* Græce deſcripta ex MS. Codice 1247. Regiæ Galliarum bibliothecæ, manu Serrarii anno 1642. extant in bibliotheca Lugdunobatava noſtra, inter MSS. Codices Græcos ab Iſaaci Voſſii hæredibus emptos, Codice LIV. Extat porro illa (ut opinor) eadem MS. Græce in bibliotheca illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii Petri Seguierii in folio, ſub hoc titulo, *Sylveſtri Sigoplani Hiſtoria Concilii Florentini Græce MS.* ut conſtat ex Catalogo bibliothecæ iſtius, qui hoc anno impreſſus eſt: ubi abſque dubio mendoſe ſcriptum *Sigoplani* nomen pro *Syropuli* vel *Sguropuli.* Ita in dicto Catalogo MSS. Græcorum fol. 12. cujus rei Antiquarius admonere noſtrarum eſſe partium credidimus, ut ſi cui bene viſum fuerit, opus aliquando prodeat integrum, vel lacuna impreſſionis ſuppleatur. Nullus enim dubito: quin ex altero MS. illo Codice, ingens ille defectus, quo Regius Codex ab initio incompletus eſt, impleri ac ſanari poſſit. Tertium nobis Hiſtoriæ hujus exemplar exhibuit integrum, ſed ſub falſo nomine *Gennadii Scholarii*, Monachi, Petrus Lambecius Libro VIII. *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, Codice MS. Hiſtorico Græco LXIV. pag. 509. quem ad Syropulum pertinere invictis argumentis demonſtrat Euſebius Renaudot in Diſſertatione *De Gennadii Operum Notitia* pagg. 89. & 90. editionis Pariſienſis anni 1709. in 4. his verbis:

„Sed non raro parum felix in conjectando „Lambecius fuit, quod ſequenti exemplo ma„nifeſtum erit. *Hiſtoriam* enim *rerum inter La„tinos & Græcos Ferrariæ & Florentiæ geſtarum,* „ſcriptam a Gennadio fuiſſe, quæ in Cæſarea bibliotheca ſervatur, ſcribit Libro VIII. pag. 509. Codicem ait eſſe chartaceum, centum & ſedecim annorum (ita ſcribebat anno 1679.) *quo continetur Pſeudo-Hiſtoria Concilii Ferrarienſis & Florentini a Gennadio Scholario Monacho Schiſmatico Græco & Eccleſiæ Occidentalis perpetuo ac infenſiſſimo hoſte, qui ante Monachatum Georgius Scholarius appellatus fuerat, & ante oppugnationem Conſtantinopolis per Turcas obiiſſe videtur, maligne atque injurioſe conſcripta.* Quem titulum ſibi ipſe Lambecius conſarcinavit ex falſiſſimis Allatii conjecturis. In Codice vero MS. ita habetur: Γενναδίȣ Σχολαρίȣ τὰ ἐν τῇ συνόδῳ πραχθέντα, τῇ ὀγδόῃ ἱϛορικῶς τῇ Φλωρεντίᾳ: *Gennadii Scholarii acta Florentiæ in octava Synodo hiſtorice conſcripta*, qui titulus, niſi Typographorum culpa eſt, vitio non caret, & inertiam Scriptoris indicat, vel potius poſſeſſoris. Nam ſæpiſſime in Codicibus MSS. reperiuntur tituli ſcripti aliena manu, quorum nulla, niſi aliunde confirmatur, fides apud Criticos eſſe ſolet. Specimen vero a Lambecio exhibitum eſt ejuſmodi. Ἡ εἰς τὴν Φεράραν εἰσέλευσις σὺν Θεῷ. Μετὰ δὲ τὸ σάββατον τῆς τυροφάγȣ, εἰσῆλθεν ὁ Πατριάρχης εἰς τὴν Φεράραν μετὰ τȣ̃ Βασιλέως, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναὸν τȣ̃ ἁγίȣ Γεωργίȣ. Καὶ πρῶτον μὲν ἐῤῥαντίσατο (ita lege pro ἐξαντίσατο, voce nihili) καὶ αὐτὸς καὶ Πατριάρχης διὰ τȣ̃ ῥαντιϛηρίȣ. Εἶτα ὑπέδειξαν αὐτῷ οἱ ἐκεῖσε Λατινομόναχοι εὐμεγεθῆ καὶ εὐτραφῆ χεῖρα τȣ̃ ἁγίȣ Γεωργίȣ λέγοντες εἶναι, ὑπὸ σανίδος κοιλανθείσης περιεχομένην, &c. Non viderat, opinor, Lambecius Hiſtoriam ejuſdem Concilii a Sylveſtro Syropulo ſcriptam, etſi editam, antequam ipſe octavum ſuum librum publicaret, annis integris decem & octo. In ea porro hæc verba, quæ ſola nobis exhibuit ſpeciminis loco, leguntur pag. 89. editionis, quæ unica eſt Hagæ Comitis anno 1660. ut etiam in authentico & autographo exemplari ipſius Syropuli MS. unde exemplum deſcriptum a Claudio Serrario habuit Johannes Voſſius, ab eo Robertus Creighthonus, infidus juxta & imperitus interpres: quo nemo fortaſſis unquam in interpretando infelicius nugatus eſt. Adeo, ut ne quidem authori nomen ſuum conſtare paſſus ſit, tanta & tam inepta commentatus, ut Syropulum in Sguropulum verteret, contra manum auctoris, & omnium illius temporis Actorum fidem. Quam ergo Hiſtoriam *Gennadio* Græculus quidam imperitus, & eum ſecutus Lambecius adſcripſit, ea *Syropuli* eſt, ut etiam poſtrema verba ab eo citata indicant. Ἐξ ὧν πέπεισμαι ὡς ȣ̓ παραχωρήσει πότε ὁ Θεὸς, συϛῆναι τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ κακῶς γεγονυῖαν ἕνωσιν: quæ leguntur extrema pagina 350. Nullius vero autoritatis eſt deſcriptio Theodoſii Notarii Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui anno mundi 7071. Chriſti 1563. librum tranſcripſit ἐκ πρωτοτύπȣ παλαιȣ̃ cum autographum

„phum ipsum habeat bibliotheca Regis Christianissimi. Mirum sane fuisset, inter tot „tamque diversa Gennadii Opera, quæ in „MSS. Codd. leguntur, vel indicantur in Notitia Opusculorum, quam habemus ab ipso „Gennadio scriptam, non extare ullam tam „prolixi Operis memoriam: præsertim cum in „Orationibus contra Unionem & Disputationibus adversus Latinos, tam multiplex illius „citandi esset occasio. Hæc porro a nobis necessario dicenda erant, ne cui fraudem faceret „Lambecius." Iniquum tamen Eusebii Renaudoti judicium adversus Lambecium ferre non possum, nec honesti viri patienter ferrent, dum Lambecio titulum hujus Operis a se ipso confictum, ex suspicione falsa, attribuit.

Habetur quoque *Secundus tomus Georgii Scholarii adversus Latinos de processione Sancti Spiritus*, missus ad Joannem Comnenum, Imperatorem Trapezuntinum, cui author illum inscripsit, adjecta Epistola, qua rogat, ut librum non prius aliis communicet, quam aut se obiisse, aut aliis communicasse compererit. Extat in Codice Regio 2963. & Codice 2957. qui scriptus manu *Silvestri Syropuli Diaconi & Magni Ecclesiarchæ*, viro Gennadio, nempe anno mundi 6956. hoc est Dominicæ incarnationis 1448. Ita dictus Eusebius Renaudot in Dissertatione *De Gennadii operum Notitia* pag. 88. Idem Gennadius scripsit quoque Epistolam ad *Sylvestrum Magnum Ecclesiarcham* & ad Agallianum Chartophylacem, reliquosque Ecclesiasticos, cum Liturgia publica celebraretur, post renovatam unionem cum Isidoro Cardinale, Russiæ Legato Apostolico, cujus mentionem facit idem Renaudotus, Dissertatione in Homiliam Gennadii *De corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi* pag. 56. Meminit ejusdem vel alterius, Gennadii ad eundem in Dissertatione *De Georgii Scholarii operum notitia*, quam pag. 80. ait extare manuscript. in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 2955. Idemque repetit p. 87. Porro reversus ad propria Sguropulus, cum ob subscriptionem Florentinam se ab omnibꝰ odio haberi animadverteret, Magistratu abdicato, negotiis renuntians Ecclesiasticis, ad res in Concilio gestas scripto consignandas se contulit. Occasione Concilii Florentini & historiæ illius Sguropuli, non absurdum fuerit hic referre, quod extent in bibliotheca nostra Lugduno-Batava *Acta Græca Synodi Florentinæ* inter MSS. Codices Græcos ab heredibus Isaaci Vossii emptos, Codice MS. Græco 54. Item inter MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ in MSS. Baroccianis Codice 145. num. 15. *Brevis narratio Actorum in Concilio Florentino inter Græcos & Latinos* pag. 231. ad 237. quæ incipit, Πληροφορείσης ἐν. De Sylvestro Sguropulo pluribus Robertus Creighton in procemio editionis hujus Historiæ. Henricus Wharton in *Supplemento* ad Historiam Litterariam Guillelmi Cavi, ad annum 1438. pag. 116. Eusebius Renaudot in Dissertatione *De Gennadii operum notitia* pag. 89. & 90. edit. Parisiensis 1709. in 4.

LEONARDUS CHIENSIS, METROPOLITA MYTILENES in Lesbo insula, 1440 hac quoque Concilii Florentini ætate claruisse videtur, licet ipse interfuisse non legatur. Nam ut habet Martinus Crusius in Anotationibus ad *Historiam Ecclesiasticam seu Patriarchicam Constantinopolitanam* Libro 2. *Turcogræciæ* pag. 187. *Scholarii*, qui tunc Concilio, licet absque deputatione ulla Ecclesiarum Græcarum aderat, *nostri ut non recte sentientis*, *Leonardus Chiensis* in Expugnatione Constantinopoleos *mentionem facit*, *nam Græci domum reversi concordiam prædictam servare non potuerunt*. Quibus ex verbis non permansisse illum in doctrina & opinionibus Ecclesiæ Græcæ constantem colligimus. Scripsit autem Leonardus Chiensis *Historiam Constantinopolitanæ urbis a Mahumete II. captæ*, e Chio per modum Epistolæ die 15. Augusti anno 1453. ad Nicolaum V. Romanum Pontificem, quam Latine edendam voluit Philippus Lonicerus inter *Chronicorum Turcicorum* tomos duos, Francofurti anno 1584. in 8. editos, quorum tomo 1. adjicitur pag. 315. ad 336. Latine tantum, quo idiomate forsitan illam scripsit. Mentionem facit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius Lib. 4. *de Historicis Græcis* cap. 19. pag. 493. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. Abraham Bzovius in *Annalium Baronii* continuatione ad annum 1453. cui Historiam Leonardi Chiensis inseruit præfatam, num 6. pag. 84. ad 90. ubi num. 7. descriptam hanc narrationem ex MS. Codice Vaticano 4137. inquit.

JOSEPHUS METHONENSIS EPISCOPUS, claruit eadem circiter ætate, circa 1440 annum 1440. Non adfuit equidem ille Synodo Florentinæ, quantum ex subscriptionibus colligi datur, idem tamen esse videtur, qui Græcos ad Concilium istud œcumenicum venientes cum honore suscepit, Gente quidem Græcus, sed factione Latinus, atque Latinorum in urbe Methonensi Episcopus constitutus, de quo ita loquitur Sylvester Sguropulus in *Historia hujus Concilii* Sect. 4. cap. 4. *Et ventis quandoque nullis, quandoque nimium sævientibus colluctati, tandem Sabbati multo mane Methones sinum intravimus: ubi Episcopus loci a Romanorum authoritate derivans, cum permultis aliis ad Patriarcham officiose pervenit, eumque adoravit, Idem & Castelli Præfectus fecit, & nonnulli Proceres Latinorum. Præceperat autem Patriarcha nos cultu quam potuimus maxime venerabili ac devoto cinctos, juxta ejus latera consistere, quod & præstitimus ante adventum Præfecti* &c. Tum postea, *At Episcopus Methones post exhibitam Patriarchæ reverentiam domum abiit, & collecto omni cœtu Sacerdotum, assumptisque sacris Imaginibus, ad nos illico revertitur cum Clericali pompa, & supplicatione solemni Patriarcham deducturus ad Ecclesiam.* Scripsit *Librum per mo-*

per modum Dialogi, in quo respondet *scripto*, vel ut loquuntur Latini, *calumniis Marci Eugenici Ephesiorum Episcopi contra Florentinam Synodum, & Catholicum dogma De processione Spiritus Sancti a Patre Filioque tuetur.* Extat illud Græce & Latine post Acta Concilii Florentini, in omnibus potissimis hujus seculi Conciliorum editionibus, Romana scilicet, Coloniensi & Parisiensibus. Hunc Josephum Methonensem esse unum & eundem cum Joanne Plusiadeno, censet Leo Allatius non uno in loco, ut habet Henricus Wharton in Continuatione Historiæ Literariæ Guilelmi Cavi ad annum 1450 pag. 136. Ita Allatius Lib. 3. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 3. eo quod Libellus Josephi pro Synodo Florentina adversus Marcum Ephesinum, in Codice MS. bibliothecæ Ambrosianæ nomen Joannis Plusiadeni in fronte gerat: idque pene pro certo habet in Epilogo ad Tomum I. *Græciæ Orthodoxæ*. Josephus in Libello isto, de quo jam diximus, *se pro quinque Capitibus Synodi Florentinæ Apologiam scripsisse* memorat, de qua sic loquitur Henricus Whartonius: *Verum illa nusquam hodie comparet.* Hoc tamen salva Warthonii pace falsum crediderim, extat enim falso sub nomine *Gennadii* edita hæc ipsa *Josephi Methonensis Episcopi Expositio seu Apologia pro sancta & œcumenica Synodo Florentina, & defensio quinque Capitum in Concilio contra Græcos definitorum*, videlicet, *De processione Spiritus Sancti, de Sacrificio in Azimo, de Purgatorio, de fruitione Sanctorum & de Primatu Papæ*: quæ prodiit primum Latine Dilingæ anno 1581. in 8. Græce Romæ 1577. & lingua Græcorum vulgari, cum versione Latina Romæ anno 1628. in 4. Gennium enim esse Gennadii Opus negant, sententiamque suam multis argumentis confirmant, Petrus Arcudius atque Matthæus Caryophilus, ambo partibus Pontificiis addictissimi. Rationes istorum aggreditur, & Gennadio opus prolixe vindicat Leo Allatius *De consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis*, Lib. 3. cap. 6. paragr. 2. Verum quisquis ambarum partium rationes expenderit, istudque Opusculum & argumentum cum iis, quæ dicit Josephus Methonensis loco citato contulerit: in Allatium absque dubio sententiam pronuntiabit, istudque Opusculum Joseqho Methonensi Episcopo sibi illud adsciscenti restituet. Agunt *de Josepho Methonensi* Bellarminus & Labbeus, parce quidem uterque in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Collectores Conciliorum recentiores, in quibus Opusculum ejus Græco-Latinum extat. Natalis Alexander in *selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo XV. tomo XXIII. pag. 848. Henricus Warthon in *Supplemento* ad Historiam Literariam Guillelmi Cavi ad annum. 1440. pag. 119. ad annum 1450. pag. 136. verbo *Joannes Plusiadenus*.

1440 THOMAS WALSINGHAMUS, natione Anglus, patria Nortfolciensis, ex oppido ejusdem cognominis non incelebri oriundus, Monachus Ordinis Divi Benedicti in Cœnobio Sancti Albani, ubi Præcentoris munere functus est, anno 1440. ac sequentibus clarus extitit. Ac primum scripsisse videtur Opus *De generatione & natura Deorum*, quod extat MS. in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Oxoniensis num. 1830. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ Codice 92. Tum ab historia veteri & fabulosa ad recentiorem sed veram translatus, scripsit *De rebus Anglicis historiam duplicem*, breviorem unam, alteram prolixiorem. Illa brevior ab anno 1273. initium sumens usque ad annum 1422. procedit. Ista cui titulum fecit *Hypodigma Neustriæ*, ab anno 1066. quo Normanni in Angliam irruperunt, usque ad sextum Henrici V. Regis annum, Christi autem 1417. res gestas ordine enarrat. Utraque a Cl. Cambdeno inter *Scriptores Anglicos Normannicos*, Londini anno 1574. in folio edita est, ambæ autem recusæ Francofurti anno 1602. in folio. Præter ista Walsinghamus *Auctarium Polychronici Ranulphi Higdeni* scripsit, quod quidem si Joanni Baleo *Centuria* 7. cap. 88. fides, *rarissimas habet historias, & a nullo alio scriptas.* Ista Continuatio ducit exordium ab anno 1342. & ad annum 1417. pertingit, teste Henrico Warthono in Continuatione *Historiæ Literariæ Guilielmi Cavi*, ad annum 1440. pag. 120. quem hic exscribimus. Unicum ejus exemplar se vidisse testatur Cantabrigiæ in bibliotheca Collegii Gonvilli & Caji, quod tamen in fine mutilum, ultra annum 1398. non progrediebatur. Denique *Henrici V. Angliæ Regis*, cujus temporibus vixit, *res Gestas* literis commendasse dicitur. Codex ille, de quo loquitur Warthonus, extat in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Cantabrigiensis num. 937. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli, in *Historicis* Cod. 3. notatus F. 21. Sed alii sunt multi Codices Ranulphi Higdeni, qui habent Continuationes, ut in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Oxoniensis num. 925. in MSS. Codicibus Collegii Reginensis Codice 1. Ranulphi Hygden, Monachi Cestrensis Polychronicon. Principium, *Post præclaros artium Scriptores.* Desinit hic Codex anno 1380. quarto Richardi II. in his verbis: *Mense Martii ejusdem anni D. Thomas Hatfeld Episcopus Dunelmensis, moritur senex multorum dierum.* In Catalogo MSS. Codicum Bodleianæ bibliothecæ num. 1802. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 201. Hygdeni Historia dicta *Polychronicon*, complectens descriptionem mundi & res gestas ab Adam usque ad annum XXVII. Henrici VI. Angliæ Regis. Ibidem num. 2453. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 8. Codice 23. Ranulphi Higden *Polychronicon* usque ad annum 1376. Ibidem num. 2752. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji supra N. 2. Art. Codice 10. Ranulphi Higden Polychronicon desinit, sed ex abrupto in annum

num Domini 1388. secundum Richardi secundi. Videtur autem hoc Supplementum Ranulphi Higdeni a *Walsinghamo* scriptum, extare in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Cleopatræ litera D. Codice 4. num 2. ubi Pars posterior historiæ Ranulphi Higden, quæ anno primo Regis Henrici III desinit, sed producta est ad XV. annum R. Richardi II. per anonymum, ut ibi annotavit Georgius Buc anno 1605. Vel sub effigie Otthonis litera D. Codice 1. num. 4. ubi *Polychronicon Ranulphi Cestrensis* cum continuatione, in qua habetur plena narratio de renunciatione, resignatione, dimissione, cessione & depositione Regis Richardi II. & de vindicatione coronæ Angliæ per Henricum IV. tunc Ducem Lancastriæ, cum versibus Rythmicis Joannis Goweri, ex libro ejus qui dicitur *Vox clamantis*, de illis rebus quæ acciderunt tempore Regis Richardi II. & historicis narrationibus, usque ad mortem Regis Henrici V. hoc est ad annum 1422. Hæc Walsinghamo optime conveniunt. Tandem in Catalogo impresso Codicum Manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ, inter Codices MSS. Hiberniæ Codice 808. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis, litera W. Codice 668. *Thomæ Walsinghami Auctarium Polychronici*. Initium, *(Hoc anno 5. die Junii)* incipit ab anno Domini 1341. quo finivit Ranulphus Castrensis Chronicon suum, & finit anno 1417. in the primed Walsingham it begins in Edw 3. Reign, folio 149. And Ends in Henrc 5. time, fol. 442. in 4to H. 42. Idem Codice sequenti 809. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis Codice 669. *Thomæ Walsinghami Historiæ extrema* a pag. 326. edit. Francofurtensis, ad initium Regni Richardi secundi. in folio B. 50. Denique in eadem Cottoniana Bibliotheca sub effigie Claudii litera E. Codice 4. num. 8. Processus malefactorum & rebellionis tenentium & Villanorum Monasterii S. Albani, tempore insurrectionis Communitatis contra Regem Richardum II. contra Abbatem & Monachos Matthæo Paris & Thoma Walsingham auctoribus. Meminit hujus scriptoris Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Thomas Walsinghamus*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 9. pag. 631. editionis ultimæ.

1440 HENRICUS DE MARLEBURGH, natione ut credimus Hibernus, claruit ante & post annum 1440. temporibus Henricorum IV V. & VI. Angliæ Regum, sub quorum regno vixit ac scripsit, Vicarius Ecclesiæ de Balischadan vel Balifcadden in Diœcesi Dublinensi. Extant in Cottoniana Bibliotheca seu in Catalogo MSS. ejusdem Codicum anno 1696. Oxonii in folio impresso pag. 97. col. 1. sub effigie Vitellii litera E. Codice 5. num. 33. *Chronica excerpta ex medulla diversorum Chronicorum, præcipue Ranulphi Monachi Cicerensis, scripta per Henricum de Marleburgh, Vicarium de Balischadan, una cum quibusdam capitulis de Hiberniæ Chronicis. Excerpta autem anno Domini 1406. anno Regis Henrici IV. post conquæstum septimo.* Incipiunt hæc Collectanea a nativitate Christi, & continuantur ad annum Regis Henrici IV. duodecimum. Unde colligimus Collectaneum suum, quod sub Henrico IV. anno 1406. primum susceptum fuerat, Marleburgensem postea ad annum usque continuasse Henrici VI. duodecimum, quousque superstes in vivis extitit. Extant quoque Excerpta quædam ex hoc Chronico Henrici de Marleburgh, in Catalogo MSS. Codicum Hiberniæ, num. 21. in MSS. Codicibus Henrici Clarendonii Comitis Codice 21. ubi num. 5. Excerpta ex variis Chronicis fol. 76. Ex Chronico Henrici Marleburgensis, Vicarii de Bally Scaddidi in Diœcesi Dublinensi, *de rebus Hibernicis* agente usque ad annum 1372. Notandum quod ab hoc tempore Camdenus ad calcem *Britanniæ suæ*, Annalis posteriorum temporum in lucem emisit, nempe ad annum 1421. in folio. Et in eodem Catalogo num. 421. in MSS. Codicibus Collegii sanctæ Trinitatis Dublinensis litera E. Codice 281. qui *diversorum excerptorum est*, num. 2. excerptum *ex Chronico Ranulphi Monachi Cestrensis per Henricum de Marlburgh* pag. 3. Nullus quem noverim, scriptoris hujus mentionem facit.

JOANNES DE LYDGATO VEL LYGDATO, utroque enim modo passim in MSS. 1440 Codicibus scribitur, natione Anglus, patria Suffolciensis, Monachus Ordinis Divi Benedicti in Cænobio Buriensi, post perlustratas exterarum simul ac patriæ regionum Academias, humaniores literas in Cænobio suo professus est, & edocendis Magnatum liberis operam dedit. Anglicorum suo tempore Poëtarum Princeps multa patrio idiomate Poëmata componendo, multa ex Gallica & Italica, Latinaque linguis vertendo, maximam famam apud populares suos consecutus est. Ingenium variis metrorum generibus exercuit, & elegantiæ sermonis invigilans, Anglicam linguam, inculta quæ olim squallebat barbaris, haud parum desæcavit, Claruit Sexagenarius anno 1440. & Buriæ tandem defunctus inter Cænobitas suas sepulchrum obtinuit. Hæc Henricus Whartonin Continuatione *Historiæ rei literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1440. pag. 118. Innumera exemplaria MSS. Tractatuum Joannis de Lydgate, in Catalogo recensentur impresso MSS. Codicum omnium vel insigniorum Angliæ & Hiberniæ Bibliothecarum, duobus in folio tomis seu voluminibus, Oxoniæ anno 1698. & 1696. *Plurima autem Anglica prosa vel carmine* quæ in Bibliothecis Angliæ passim occurrunt, nullum autem Latinum, licet Angli doctum fuisse Latine velint. Unde adjiciunt, *multa etiam Latine scripsit, Historica, Theologica, Moralia, quarum utriusque linguæ Opusculorum indiculum exhibet Baleus Centuria 8. cap. 7. illiusque pro more exscriptos Joannes Pitseus Ætate*

XV. pag. 632. Scriptore 820. ad annum 1448. quæ tamen omnia Anglice manufcripta funt.

Ex Catalogo autem bibliothecarum MSS. Angliæ & Hiberniæ citato impreffo, producimus cum ordine quodam exemplaria omnia & manufcriptos Codices Operum Joannis Ligdati, non allegando, quæ in fingulis contineantur, nimis enim id operofum effet, fed incerta quædam diftinguendo argumenta, ac primum recenfendo illos Codices, quæ generatim multa fimul Opera Lygdati, non enumerata continent.

Primum igitur Codices MSS. qui generatim multa Pœmata Anglice, Joannis Lydgati complectuntur. Inter MSS. Codices Univerfitatis Oxonienfis Codice 1709. in MSS. Collegii Corporis Chrifti Codice 242. Joannis Ligdate Pœmata Anglicana, quibus deeft principium & finis, in fol. Ibidem Codice 1800. in MSS. Collegii S. Joannis Baptiftæ litera L. Codice 62. Lydigate Pœmata. Inter MSS. Codices Univerfitatis Cantabrigienfis, Codice 368. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis, in parte Auftrali bibliothecæ Claffe 23. Serie Media Codice 3. Joannis Lidgati Opera, Anglice. Ibidem Codicibus 377. 378. 379. in eadem parte Auftrali bibliothecæ Serie Media, Codice 12. Lydgati Operum volumen I. quo continentur Ars moriendi, Vita Adami, Vita S. Antonii, aliaque, Anglice. Codice 13 Ejusdem Operum volumen 2. Codice 14. Ejusdem Operum volumen 3. Ibidem Codice 619. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Sanctæ Trinitatis, Claffe 26. Serie fecunda, Codice 29. Johannis Lygdati, Opera quædam. Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, Codice 1457. in MSS Codicibus Scholæ apud Coventriam Codice 12. Pœmata plurima Johan. Lydgate. Ibidem Codice 1470. in MSS. Domini Bafilii Comitis Denbig Codice 8. Summa Pœmatum Lydgati. Ibidem Codice 1971. in MSS. Codicibus Guilielmi Glynne Baronetti Codice 47. The Poems of John Lidgats, Monck of Bury. Membrana in folio. Ibidem Codice 6618. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 248. The Pœms of John Lidgate. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 3441. in MSS. Codicibus Joannis Seldenii in Pluteis fuperioribus Codice 53. Pœms by John Lydgate.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1124. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera F. Codice 87. The Kalendar of Thebes, ox of the Siege and deftruction of Thebes, by John Lydgate. Ibidem Codice 1479. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litera K. Codice 53. num. 5. The deftruction of Thebes, by John Lydgate. Ibidem Codice 1502. in MSS. iisdem litera K. Codice 76. John Lydgate his Pœm of the Wors of Troy. Ibidem Codice 1831. in MSS. Kenelmi Digbæi Codice 230. *Lidgate* his Tale of Thebes, Troy, and Siege of Jerufalem. Ibidem Codice 2559. in MSS. Thomæ Bodleji, litera F 9. Codice 64. John Lidgati of the Deftruction of Thebes. This is printed at the end of Chaufers Works. Inter MSS. Codices Univerfitatis Cantabrigienfis Codice 579. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis, Claffe 26. Seria prima, Codice 29. num. 2. The Deftruction of Thebes. Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, Codice 1554. in MSS. Codicibus Civitatis Briftolienfis Codice 2. John Lidgate of the deftruction of Troy. Imperf. in folio. Ibidem Codice 3017. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Nortfolcianæ Codice 118. The Siege end Deftruction of Thebes in English verfe, by John Lydgate. Ibidem Codice 6790. in MSS. Codicibus Poëticis Samuelis Pepyfii Codice 71. Lydgates Deftruction of Thebes, and other of his Pœms. Pergamine in folio. Ibidem Codice 9210. in MSS. Codicibus Joannis Mori Epifcopi Nortwicenfis Codice 24. num. 3. ad calcem Voluminis in 4. Pœma Anglice, de Deftructione Hierofolymorum per Titum & Vefpafianum John Ligdati. *Hiftoria* autem *Belli Trojani* carmine Anglico confcripta, edita Londini anno 1687. in folio, ad calcem Operum Chauceri Anglicorum: & ejusdem Lidgati *Opufculum* feu *Poëmation de bono confilio*, ibidem pag. 569.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2440. in MSS. Thomæ Bodleji litera F 7. Codice 12. John Boccace of the fall of Princes, by John Lydgate. Ibidem Codice 3356. in MSS. Joannis Seldeni in Archivo B. Codice 26. num. 4. John Lydgatés Proverbes upon the fall of Princes. *London* printed by Wynkyn Worde at the Signe of the Sun in Fleetftraet. Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 3773. in MSS. Codicibus Abrahami Selleri Codice 4. Dan Lydgatés Translation of Boccace Sfall of Princes. Inter MSS. Codices Ecclefiarum Hiberniæ, in MSS. Codicibus Henrici Clarendonii Comitis Codice 50. ad calcem voluminis, Boccace of the fall of Princes, translated by John Lydgate 148. in folio. Extant autem Anglice *Libri IX. de Cafibus virorum illuftrium* ab Adamo usque ad Joannem Franciæ Regem ab Anglis in Pictavia captum, feu ad annum Chrifti 1356. quos ex Joanne Boccacio, aliisque Joh. Lydgatus transtulit, Londini editi annis 1527. & 1554.

Convenit uterque argumento priori, Liber *de regimine Principum*, quem Anglica poëfi transtulit idem Lydgatus, cujus MSS. exemplaria in Anglicis bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 505. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera B. Codice 24. John Lydgate of the Governance of Kings, and of Princes, in English verfe. Ibidem Codice 1479. in MSS. Codicibus ejusdem Laudi litera

litera K. Codice 53, num. 6. A Treatise of the Governance of Kings and Princes, commonly called Aristotelis *Secretum Secretorum*, translated into English by John Lydgate. Ibidem Codice 7868. in MSS. Asinoleanis Politicis, of the Governance of Princes, by Aristotle, English by Lydgate. fol. 59.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1475. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera K. Codice 4. ad finem Codicis habentur, Seventy five Heptastichs in Controversy between an Horse, a Goose and a Sheep, wich of them is most profitable to man, wherein the Lyon, and the Engle are Judges, by John Lydgate. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis, Codice 1670. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 203. The Nightingale, by Joan Lidgate. Inter MSS. Códices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 6853. in MSS. Codicibus Henrici Worseley Codice 5. A Kalandre in English, made in Balade by John Lygdate Monch of Bury.

Jam ad alia veniamus, quæ ut plurimum ad Ecclesiam & Ecclesiasticos scriptores spectare videntur. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 798. in MSS. Guillelmi Laudi litera D. Codice 31. Several Pœms & John Lyngate translated out & the Latine. Num. 1. Several Prayers to out Lord Jesus beginning with the lettre O. p. 1. num. 2. *de profundis* in English. Num. 3. A. complaint Christ maketh of his Passion. 4. Christe Sayings upon the Cross. 5. Treatise of Christe Passion. 6. A Prayer to our Lady. 7. The five Joye of our Lady. 8. Prayer to several Saints 9. The Life of St. Giles. 10. The Miracles of St. Edmund. 11. A dyte of Woman his Hornes. 12. A Tale of Froward Maymond. 13. A Tale of Threscore fooliis and thre wich ave lyk never &c. 14. A Doctrine of Fesyk. 15. Rob. *Grosthead* de civitate morum, translated in to English, 16. The Life & *Guy of Warwick*. 17. Lamentation of cur Lady. 18. Exposition upon *Pater noster*. 19 The Testament of John Lydgate. Ibidem Codice 2253. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera E. 1. Codice 6. A Booc in English meeter, Chiefly in praise of the Virgin Mary &c. by Lydgate. Ibidem Codice 1376. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 3. Codice 9. num. 1. The Life of Adam. Num. 2. The Lamentation of our Lady, being all the words that were Spoken betwirt our Saviour and her in the time of his Passion. Num. 3. A Treatise in Verse call'd *Parce mihi Domine* &c. num. 8. John Lydgate Poem entituled, *The Birth and Life of our Lady*. Ibidem Codice 2527. in MSS. ejusdem Thomæ Bodleii litera F. 11. Codice 32. num. 2. Jo. Lydgate Tale of the Crow, and of the Kings Since William the Conquerour. Num. 3. Idem of the Nurture of the Table. Num. 4. Idem for mon's health of Body. Num. 5. Idem of the Romis horne. Num. 6. Idem *de fallacia mundi*. Num. 7. Idem of the Life St. Margaret, compited anno 8. Henrici Sexti. Num. 8. Idem of the Life of St. George. Num. 9. Idem of the XV. Joyes of our Lady. Num. 10. Idem of the XV. Heavinesses of our Sady. Num. 11. Idem of the Donse of Powlys otherwise Makabre, all in old English Verse in a very fair hand. Ibidem Codice 4119. in Hyperoo Bodlejano, inter MSS. Codices Hattonianos Codice 94. num. 1. John Lidgate Poem in honour of the Virgin Mary, in folio. Num. 2. *A Balad* sint to King *Henry V.* and a Prayer to the Virgin Mary &c. Ibidem Codice 6919. in MSS. Codd. Ashmoleanis, The Life of the Blessed Virgin. A Pœm written by John Lydgate, in the time of H. 5. fol. 39. Ibidem Codice 6944. in Pöematibus Anglicanis Eliæ Ashmolii, The History of our Blessed Lady, by John Lydgate Monke of Bury, at the exhortation of our most excellent Prince King Henry the V. 6. 7. Ibidem Codice 7486. eodem loco, in Vitis quorundam Sanctorum, the Life of the Blessed Virgin. A Pœm written by John Lidgate, in the time of Henrici V. fol. 39. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis, Codice 1528. in Manuscriptis Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 61. The Life of St. Edmund, in English verse, by Jo Lydgate 4to in membrana. Ibidem Codice 1704. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Corporis Christi Codice 137. Tha Life of St. Katharine in English, translated from, St. Athanasius. The Life of St. Margeret, in Verse. The Dream of the Pilgrinage of the Soul, translated out of French into English, an old English. Divine Pœm. The Complaint of a Damu'd Soul, in Verse. The Danse of Powlys. Vita Sanctæ Mariæ Virginis in English Verse. Virtutes *Agnus Dei* Carmine, ab Innocentio V. ad Imperatorem cum *Agno Dei* missæ. In folio. Ibidem Codice 1947. in MSS. Collegii Sanctæ Trinitatis Codice 10. The Life of St. Alban by John Lydgate. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 613. in MSS. Codicibus Comitis Carlioli Codice 3. num 4. Vita sancti Edmundi Regis & Martyris per Joannem Lydgate, Monachum S. Edmundi de Edmundsbury, antiquo Anglicano idiomate. Ibidem Codice 7670. in MSS. Codd. Roberti Burscough, Codice 51. Vita beatæ Mariæ, metris Anglicis, per Joannem Ligdate. Ibidem Codice 9919. in MSS. Codicibus Symonis D'Ewes Baronetti Codice 59. John Ligdate Monck of Bury book in honour of the Virgin Mary, or hen Life in Verse. Denique in Appendice librorum quorundam Tomo 2. Catalogi omissorum, in eodem Tomo 2. pag. 389. in MSS. penes clarissimum Petrum Le Neve, Codice 44. *Johan Ligdati Vita S. Mariæ Virginis*, Rithmis Anglicanis: Agunt de Joanne Ligdato Joannes Baleus *de illustribus*

stribus Angliæ Scriptoribus Centuria 8. cap. 7. Joannes Pitseus *De illustribus Britanniæ Scriptoribus* ætate XV. pag. 632. Henricus Wharton in Supplemento *Historiæ rei literariæ* Guilielmi Cavi, ad annum 1440. pag. 118.

1440 HEIMERICUS DE CAMPO, VICE-CANCELLARIUS GYMNASII COLONIENSIS, ut inquit Trithemius, nulli suo tempore in Philosophia Aristotelica secundus, & Disputator difficilium quæstionum egregius, in Concilio Basileensi claruit, ubi multa eum scripsisse ad instantiam Nicolai Cusani, postea Cardinalis, Trithemius idem auctor est. Colonia anno 1444. Lovanium accitus, Theologicam ibidem professionem annis quindecim sustinuit, vitamque anno 1460. defunctus fuit. Scripsit juxta Trithemium *Compendium Quæstionum*, Incipit, *Post plerosque occasio* &c. *Super sententias* Libb. IV. *Ut dicit Augustinus* &c. *De Esse & Essentia.* Incipit, *Esse non esse repugnat. Compendium Divinorum.* Incipit, *In hoc Opusculo* &c. *De authoritate Concilii. Quæstiones varias*, & alia complura, ex quibus *αὐτόγραφα in Magistrum Sententiarum* in Parcensi Cœnobio extra Lovanium extare solet. Meminit ejusdem Joannes Impens in *Chronico Bethleemitico* MS. lib. 5. art. 13. §. 8. & contulisse ait Conventui istius loci duas partes *Expositionum suarum in Apocalypsim*, scripsisseque Tractatum *De laude solitudinis, proque Inclusione Canonicorum Regularium.* Fertur quoque scripsisse *Apologiam, cur a Concilio Basileensi recesserit, & Eugenio Pontifici adhæserit.* Item Tract. *De imagine Christi e cruce depositi, & in sinu matris funerali linteo involuti*, cujus meminit Molanus Lib. 4. *de picturis* cap. 11. Ejusdem *Disputatio de controversiis fidei inter Bohemum & Catholicum*, extat MS. apud Regulares Tungrenses. Denique ad hunc *Heimericum* legitur *Epistola Dionysii Carthusiani* De pueris anno 1458. catervatim ad S. Michaelem euntibus, quam in Libro suo MS. *de mirabilibus eventibus* cap. 129. recitat Joannes a Meerhout, ubi & judicium *Heimerici de Campo* de iisdem pueris subjungitur. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Heimericus de Campo* pag. 341. editionis 1643. Lovanii in 4.

1440 FRANCISCUS DE PLATEA, natione Italus, patria Bononiensis, ex Ordine Fratrum Minorum, celeberrimus in Jure Canonico, anno 1442. vivebat & postea. Scripsit *Summam inscriptam Mysteriorum Christianæ fidei*, in qua complectitur Tractatus varios secundum Theologorum morem, nempe *De restitutionibus, De usuris, De actu Matrimoniali, De censuris Ecclesiasticis*: quæ omnia olim impressa fuerunt anno 1473. Patavii in 4. & sub titulo, *De restitutione usurarum & Excommunicatione*, Parisiis 1476. Venetiis 1477. & Spiræ 1489. in folio. Præterea ejusdem *Tractatus de Excommunicatione* extat quoque inter collectos Juris Tractatus, tomo XIV, fol. 357. Ejusdem Francisci de Platea Ordinis Divi Francisci *Tractatus, quando coitus conjugalis possit fieri sine peccato, & quando non*: MS. in bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut ex Catalogo MSS. Operum impresso constat, pag. 174. num. 34. Sane egregium argumentum, quod Franciscano Monacho dignum est, qui vix ista noscere deberet, multominus excutere, examinare, scribere. Opinor tamen hunc esse eundem Tractatum cum *Actu Matrimoniali*, de quo antea diximus. Agunt de illo Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 331. ubi ait haberi apud se MSS. aliquos ex his tractatibus impressis. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 243. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 590. Cornelius a Beughem in *Incunabulis typographiæ* pag. 109.

JOANNES FELTON, Anglus, Ecclesiæ Magdalenæ Vicarius, Oxonii extra muros, scripsit anno 1440. *Sermones pro Dominicis totius anni*, quos habes Manuscriptos Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 307. atque etiam Oxonii in bibliotheca Magdalenensi Cod. 151. & Orialensi Cod. 33. quorum initium *Penuria* &c. ubi ex Sermonibus Odonis Episcopi Parisiensis & aliorum collecti dicuntur per Vicarium Magdalenæ Oxoniæ Joannem Felton, cujus meminit Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 434. Thomas Jamesius in *Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi*, in Catalogo Theologorum pag. 31. 1440

JOHANNES SEGOBIENSIS, natione Hispanus, ex urbe natali cognomen adeptus, S. Theologiæ in Academia Salmaticensi Professor & Canonicus etiam Toletanus, anno 1440. claruit. Academiæ suæ nomine Concilio Basileensi interfuit, ejusque pars magna fuit, pro Concilio adversus Pontificem strenue & audacter egit, contra Græcos nervose & dilucide peroravit: & ex fide Balei Centuria 8. p. 590. in Bohemorum gratiam differuit, pro utraque Sacramenti specie Laicis administranda dimicavit. Hunc Æneas Sylvius ut *Theologum peritissimum & summa scientia virum, moribus & doctrina illustrem: cujus virtutem ut summam bonitatem Adversarii vel inviti venerabantur*, deprædicat, variisque quavis occasione præconiis ornat. A Felice IV. vulgo V. Joannes noster purpura Cardinalatus sacra insignitus est anno 1440. 4. Idus Octobr. Verum abdicante Felice, dignitate ista exutus, & Ecclesiæ Cæsareensis Præpositura a Nicolao V. admotus, vitæ Monasticæ secessum potiorem habuit, & in parvo quodam Cœnobio vitam fefellit. *Concordantias Biblicas vocum indeclinabilium collegit, & ordine Alphabetico disposuit*, a Joanne Frobenio Basileæ primum anno 1476. præmissa dedicatione Sebast. Brant, seorsim impressas, postea *Majoribus Concordantiis* insertas, & variis in locis excusas. Habuit Opus hoc originale Frobenius ex bibliotheca Basileensi, ubi adhuc MS. extat inter MSS. Codices hujus bibliothecæ 1440

bliothecæ in membrana, ut testatur Johannes Buxtorfius hujus Academiæ bibliothecarius, in Catalogo MSS. Codicum, quem anno 1661. Spizelio mittendum curavit, quemque Theophilus Spizelius edidit Augustæ Vindelicorum in *Arcanis Bibliothecarum retectis* 1668. in 8. inter membraneos pag. 20. litera I. Scripsit prætera *Tractatum de immaculata B. Virginis Mariæ conceptione*, qui Bruxellis in fol. 1664. prodiit. Quæstio autem est, an Opus istud Bruxellis impressum, aliud Opusculum sit, ab altero, quod de eodem argumento, in Concilio Basileensi composuisse legitur, cujus mentionem facit Joachimus Fellerus Academiæ Lipsiensis Bibliothecarius, in Catalogo MSS. Codicum hujus bibliothecæ, quem anno 1686. Lipsiæ edendum curavit. Juxta autem hunc Catalogum pag. 337. extat cum impressis libris, in Rescriptorio Theologico XI. Serie IV. Codice 39. *Avisamenta septem de conceptione B. Virginis Mariæ, oblata deputatis in Synodo Basileensi, a Johanne de Segobia, SS. Theologiæ Professore, mense Octobri anno 1438.* Et inter Manuscriptos Philosophicos ejusdem bibliothecæ, in libris Historicis in fol. Codice 36. num. 23. *Doctoris cujusdam avisamenta de pura conceptione B. Virginis Mariæ, ad Concilium Basilecnse*, Catalogi pag. 305. *Acta Concilii Basileensis* scriptis commisit, quæ in duobus maximis Codicibus membraneis exarata, apud Basileenses magna diligentia custodita, reperit Augustinus Patricius Senensis, & ex eis *Historiam suam Synodi Basileensis summaria atque integra fide descripsit, nihil omnino rerum publicaram prætermittens.* Vide *Conciliorum* Tom. XIII. in *Actis Concilii præfati* cap. 143. col. 1612. *De authoritate Episcoporum in Concilio Generali*, MS. ibidem, superioris ut videtur Appendix. *Orationem similis plane argumenti, in Concilio Basileensi habitam*, integram exhibet Æneas Sylvius, *Commentariorum Basileensis Synodi* Lib. 1. pag. 34. Inter membraneos Codices extat quidem Basileensis bibliothecæ *Johannis de Segobia Liber de auctoritate Episcoporum in Concilio Generali* in fol. juxta Theophilum Spizelium in *Sacris arcanis Bibliothecarum retectis*, pag. 20. litera I. ubi de Basileensi bibliotheca agitur: Sed inter chartaceos Codices existere videntur illa duo volumina ad Concilium Basileense spectantia, de quibus supra, & diversos Tractatus, Orationes, ac Disputationes in eo factas continentia, quæ Johanni de Segobia tribuuntur. Hos Tractatus passim juxta alphabeticum ordinem Auctorum, recenset passim Joannes Buxtorfius in dictæ bibliothecæ Catalogo MSS. Codicum chartaceorum, quem anno 1661. Theophilo Spizelio concessit. Porro Joannem nostrum *Mahometis Alcoranum ex Arabico in Latinum* vertisse, *ac ineptias ejus veris & vivis rationibus & argumentis* explosisse testatur idem Sylvius *Europa* cap. 42. pag. 440. Alter a nostro est Joannes Segobiensis, Ord. Prædicatorum, & integro fere Seculo junior, cujus extat Opus *De prædicatione Evangelica* in libros IV. distinctum, ubi de Concionatoris officio prolixe agit, quod Compluti 1573. & Brixiæ 1586. in 4. prodiit. Mentionem *Joannis Segobiensis* agunt Joannes Wolphius *Lectionum memorabilium* vol. 1. ad annum 1445. pag. 831. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. mihi 939. Anonymus, qui secundæ parti *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi Appendicem adjecit, in Seculo Synodali ad annum 1440. pag. 554. a quo hæc pleraque verbotenus, nostris tamen adjunctis; accepimus.

AMBROSIUS CAMALDULENSIS dictus, eo quod junior huic Eremitarum ordini nomen dedisset, atque etiam Ordinis Camaldulensium anno 1431. die 26. Octobris factus sit Abbas Generalis, ex Porticu oppido, non procul Florentia prodiit, quam ob rem *Florentinus* quoque appellatus est. Claruit ab anno 1430. ob eruditionem insignem, morumque pudicitiam & honestatem. Didicit linguam Græcam ab Emmanuele Chrysolora, factusque Abbas Camaldulensium in Concilio Basileensi dum esset, ut in Chronico Citizensi testatur Paulus Langius. Ille ipse est, quem Franciscus Philelphus *Ambrosium Monachum* vocat, ac salvere jubet Epistola Florentiam scripta ad Nicolaum Nicolium anno 1428. ad quem etiam anno 1433. Florentiæ scribit, & Senæ anno 1438. Estque de eo ad Manettum Satyra septima Lib. 2. *Hecastostichon*. Ab Eugenio IV. Romano Pontifice ad Concilium Basileense orator missus est. Habuit Græce Orationem Ferrariæ coram Emmanuele Imperatore atque Orientis Proceribus & Episcopis, fuitque Cosmo Medici ob eruditionem ac pietatem clarissimus, atque eidem quoque Opera sua quædam dedicavit. Extant *Epistolarum ejus elegantissimarum Libri XVI.* como conscriptæ stylo, quarum archetypon Florentiæ in Bibliotheca Sancti Marci asservatur, atque incipiunt, *Affectus sum singulari voluptate* &c. Asservantur illæ etiam MSS. in bibliotheca Doctissimi viri Antonii Magliabechi Magni Florentiæ Ducis bibliothecarii, unde eas mutuo accepit Joannes Mabillio Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia celeberrimus. Hic Codex MS. *Epistolarum Ambrosii Camaldulensis* hoc anno 1686. ex Italia Lutetiam Parisiorum allatus est, quem transscribendum curavit, atque editioni paratum habet dictus Joannes Mabillio, si typographos ad id paratos nanciscatur. Collegit autem Epistolas istas Michael Monachus Camaldulensis, qui *Præfationem* in Ambrosii hujus Epistolas præmisit, in qua testatur Cosmæ Medicis patris Patriæ adhortatione jussuque illas a se collectas. Idem scripsit *Libros duos earum rerum, quas gessit Genalis Abbas, itemque Chronicon Montis Cassini, Vitam sanctæ Eugeniæ, Virginis, Vitas seu Agonem SS. Prothi & Hyacinthi:* quæ opuscula typis prodiisse non arbitror. O- 1440

pus istud primum, de quo loquutus sum, *Hodæporicum Ambrosii Abbatis Generalis Camaldulensis* appellatum, in 4. Florentiæ impressum fuit anno 1680. apud Fratres Marescandalos. Incipit, *Anno Domini* MCCCCXXXI. *Præsidente Apostolicæ sedi Eugenio IV.* &c. Cujus exemplar unum anno 1686. ad me Parisios misit Antonius Magliabechi editor, per manum Antonii Pagi tunc Parisiis agentis, ob editionem *Critices Annalium Baronii*, quam 4. in folio voluminibus conscripsit. Hinc ex lectione Opusculi hujus datur intelligi, quam immani spurcitia ac libidine tunc temporis tenerentur, Monachi Camaldulenses, quos in officio continere non poterat. Editum illud cura Magliabechi. De moribus Ambrosii ita Jovius in Elogiis. *Fuit hic vir, quod raro evenit, sine oris tristitia sanctus, semper utique suavis & serenus: ita procul a livore & contentione, ut cum Valla Poggium reconciliare conaretur, eos neque plane litteratos, neque item Christianos videri diceret, qui inducta simultate, sacrosanctum litterarum decus probrosis libellis importune defædarent.* Unde nihil mirum, quod Vitam illius litteris mandaverit, Augustinus Florentinus Camaldulensis Monachus, ad calcem *Historiarum Camaldulensium*, quas libris tribus anno 1575. quo & vivebat, Florentiæ ex typographia Sermatellii edendos curavit. Magnum enim Encomiastem merebatur Ambrosius Camaldulensis. Sed ad Scripta ejus, quorum jam nonnullla in antecessum attigimus, revertamur.

In Latinam linguam ex Græco transtulit *Libros quatuor Beati Dionysii Areopagitæ*, elegantiori & familiari stylo, nempe *De divinis nominibus, de cœlesti & Ecclesiastica Hyerarchia, de Mystica Theologia:* quæ versio Argentinæ anno 1498. & Coloniæ Agrippinæ anno 1546. impressa fuit. Hos Dionysii Areopagitæ libros excudit quoque Quentelius Coloniæ anno Domini 1546. cum Commentariis Dionysii Carthusiani, & quatuor aliis versionibus *Joannis Scoti Erigenæ sub Carolo Calvo, Joannis Sarraceni Abbatis Sancti Andreæ Vercellensis*, qui seculo XII. temporibus Eugenii tertii vivebat, quique aliquos Græcorum Patrum libros in Latinam linguam transtulit: *Ambrosii Abbatis Camaldulensis & Marsilii Ficini*, qui solum ultimus, *Divina nomina & Mysticam Theologiam* transtulit: quibus additur versio quinta alia, *auctore quodam Abbate Vercellensi Thoma*, antea Sancti Victoris Parisiensis Canonico, quæ instar Paraphraseos est. Hæc occasione librorum *Divi Dionysii*, de versione & editione ista, quæ hodie rarissima est.

Ambrosius *Vitam quoque Sancti Johannis Chrysostimi* a Palladio Græce conscriptam transtulit Latine, ad Sigismundum Imperatorem, quæ inter Opera Sancti Joannis Chrysostomi Græco-Latina, passim edita est. Extat Vita ista MS. in bibliotheca Veneta Sancti Antonii parte sinistra Pluteo XI. sub titulo, *Vita S. Joannis Chrysostomi per Ambrosium Monachum Camaldulensem*, in 4. cum miniaturis. Multas quoque alias versiones Ambrosii Camaldulensis Abbatis, in bibliothecis Italicis reperiri narrat Bernardus de Montfaucon, Benedictinus Monachus, Congregationis Sancti Mauri in Gallia, in *Diario Italico* Parisiis 1702. in 4. edito apud Joannem Anisson. Hujus *Diarii Italici* cap. 3. ubi de bibliotheca Sanctorum Joannis & Pauli Ordinis Fratrum Prædicatorum, Venetiis pag. 49. *Ambrosii Camaldulensis versionem MS. libri S. Athanasii* contra Gentes & de Incarnatione, Latinam se vidisse inquit. Item cap. 25. ubi MSS. Codices B. Mariæ Florentinæ & Catalogun hujus bibliothecæ recenset pag. 371. Alius Codex in membrana *Sancti Basilii de Virginitate*, ex Græco conversos per Ambrosium Camaldulensem, cum præfatione ejusdem Ambrosii. Item *Sancti Ephram Syri Diaconi Sermones*, eodem Ambrosio Camaldulensi interprete, cum Epistola ejusdem Ambrosii ad Cosmum Medicæum anno 1458. die 9. Februarii, Ibidem pag. 372. *Vita Sancti Joannis Chrysostomi ex Palladio*, per Ambrosium Monachum ex Græco versa, cujus in fronte ejusdem Præfatio ad Eugenium Papam habetur. Codex membraneus. Item cap. 26. ubi Fasulanam Canonicorum Regularium bibliothecam, cum ejusdem Codicibus MSS describit pag. 392. contineri in illis inquit, *Sancti Chrysostomi Sermones adversus vituperatores vitæ monasticæ*, interprete Ambrosio Monacho Camaldulensi, quos Sinibaldus anno MCCCCLXI. descripsit.

Convertit igitur Ambrosius Camaldulensis *Libros tres D. Joannis Chrysostomi ad Stagirium Monachum arreptitium, contra Monasticæ vitæ vituperatores*, luculento & ornato Latino eloquio, quæ etiam versio legitur passim inter Opera Divi Joannis Chrysostomi. Hoc autem Opusculum ab Ambrosio factum, ab ipso editum est Alostenii anno 1487. quæ editio rarissima hodie est. Quod autem inquit Henricus Warthon in *Supplemento* seu *Continuatione Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi seculo XV. ad annum 1440. pag. 124. *Scripsisse illum Opus contra vituperatores Monasticæ vitæ*, MS. in bibliotheca Sanctæ Justinæ Patavinæ asservatum, teste Jacobo Tomasino, libro *de bibliothecis Patavinis* pag. 46. Falsum videtur, nec enim hoc opus aliud esse videtur, quam versio Librorum trium Divi Joannis Chrysostomi *ad Stagirium Monachum arreptitium, adversus Monasticæ vitæ vituperatores*, quos in Latinam linguam transtulisse, Ambrosium Camaldulensem antea diximus. Idem Ambrosius expressit quoque *Homilias Sancti Joannis Chrysostomi in Matthæum* idiomate Latino, itemque *Libros decem & octo ejusdem Sancti Johannis Chrysostomi de diversis argumentis:* ex quibus sunt Homiliæ in 1. & 2. ad Timotheum, in Epistolas ad Titum, ad Philemonem & ad Hebræos: quæ omnia in editio-

in editionibus Divi Chrysostomi Græcolatinis ultimis, videri possunt. In bibliotheca etiam Sfortiana inter MSS Codices Latinos, in Classe Theologorum Codice 27. legitur, *Chrysostomus de Consolatione, Latine per Ambrosium Camaldulensem*, in membrana in 4.

Idem Ambrosius Camaldulensis Basilium *De Virginitate*, dedicatum Opus Gabrieli Cardinali, qui postea Eugenius Papa IV. fuit, quod etiam inter Opera ipsa Divi Basilii Græcolatina impressum extat. Item *Divi Athanasii libros duos contra Gentes* Latine vertit, qui inter Opera Græco-Latina Divi Athanasii, impressi habentur. Item *Sancti Ephram Syri Sermones XIX.* ex Syro sermone in Græcum prius conversos, Latine quoque reddidit, excusos Argentorati anno Domini 1509. apud Matthæum Schurorium, quaternionibus 24. Transtulitetiam *Sancti Joannis Scholastici elimacem seu scalam perfectionis*, quod opus Venetiis anno 1531. in publicam lucem emissum fuit.

Quod autem ajunt Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 35. *scripsisse & ipsum De Sacramentis de Sancto Spiritu, Epistolasque complures:* & Antonius Possevinus Tomo 1, *Apparatus Sacri* verbo *Ambrosii Camaldulensis* pag. 62. *scripsisse Tractatum de Spiritu Sancto contra hereticos, negantes Spiritum Sanctum procedere a Filio:* hoc falsum est, ut notat Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. 556. editionis ultimæ. Etenim trnnstulit tantum Latine *Opus Græcum Manuelis Calecæ, libris quatuor constans, contra errores Græcorum:* quam translationem Ambrosii Camaldulensis primus edidit Petrus Stavartius Leodiensis, anno 1608. Ingolstadii in 4. Tomo 6. quod additum ab illo fuit *Antiquis Lectionibus* Henrici Canisii.

Transtulit quoque in linguam Latinam, teste eodem Antonio Possevino, *Pratum spirituale Joannis Moschi*, quod idem appellat Possevinus *Vitas Monachorum*, & *Vitas sanctorum Patrum Ægypti:* quam translationem seu versionem, velut Ambrosii Camaldulensis Monachi agnoscit Heribertus Rosweidus in insigni Opere *De Vitis Patrum*, tam sæpe edito. Item Rosweidus, tam in Prologo ad dictas Patrum Vitas pag, 24. quam in ipso Opere pag. 648 dum præludit ad Librum decimum *de Vitis Patrum*, cujus translatio ad Camaldulensem, teste Aloysio Lippomano pertinere dignoscitur.

Æneæ Dialogum Theophrastum Latine idem transtulit, *De immortalitate animæ, deque corporum resurrectione* inscriptum, quem Basileæ excudit Episcopius cum Philonis Judæi Operibus. Idem denique Latine reddidit *Diogenem Laertium de Vitis Philosophorum Libris X.* ad Cosmum Medicem inscriptis, quos habes cum Ambrosii versione editos Basileæ apud Curionem anno 1529. Nec Valentinus Curio primus fuit, qui hanc Ambrosii Camaldulensis versionem anno 1524. edidit, antea enim opus istud editum primo fuit Ambrosio vivente, Venetiis apud Nicolaum Janson Gallicum anno 1475. in quarto charactere præstantissimo, cujus exemplaria in multis bibliothecis extant. Denique Basileæ anno 1533. in 4. apud Hieronymum Frobenium & Nicolaum Episcopium. Hæc de Ambrosii Camaldulensis versionibus sufficiant. Tandem Nicolaus Bartholini Bergensis, Clericus Regularis Congregationis Matris Dei, a multis annis occupatus fuisse legitur, colligendis *Ambrosii ejusdem Camaldulensis Epistolis omnibus*, quarum MS. Codicem Antonius Magliabechi ipsi suppeditavit, & quarum exemplar unum olim ex Italia Joannes Mabillio retulerat. An Bartholinus re infecta mortuus sit, nescio. Sed in *Actis Eruditorum Lipsiæ* anno 1710. mense Julio pag. 318. Petrus Canneti Ravennæ, *Epistolas B. Ambrosii Camaldulensis ineditas*, proxime prælo subjiciendas promittit, *una cum iis, quæ sparsim editæ sunt, ac Præfationibus ejusdem & aliorum ad eundem Epistolis.*

Obiit juxta Possevinum anno 1490. apud Camaldulensem eremum, triginta passuum millibus Florentia distantem. In ejus laudem quædam annotavit Petrus Benedictinus in *Historia Monastica*, & Paulus Jovius in *Elogiis:* ejusque Vitam late scripsit Augustinus Florentinus, Monachus Camaldulensis, ut supra diximus. De illo narrat Gerardus Joannes Vossius, *obiisse Constantiæ, defunctumque funebri oratione decorasse, discipulum ejus Poggium Florentinum.* Sed hæc quam falsa sint, patet: Cum enim mortuus sit Poggius ille Florentinus anno 1459. ætatis ao. 80. non potuit habuisse funebrem orationem Ambrosii Camaldulensis Abbatis, qui anno 1490. mortuus legitur. Neque etiam Poggius ejus discipulus fuit, cum mortuus sit tam grandævus, nempe 80. annorum, atque annis trigita ante Ambrosium Camaldulensem. Nec verum pariter est vel simile vero, Abbatem hunc mortuum esse Constantiæ in Germania, sed vel Florentiæ, vel in Camaldulensi sua eremo, ut habet Possevinus De Scriptis ejus, agunt Augustinus Florentinus in Vita illius Florentiæ edita, seu potius Libro 3. *Historiæ Camaldulensium*, quam in lucem edidit. Michael Pocciantius Ordinis Servorum, in *Catalogo Scriptorum Florentinorum.* Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 35. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 62. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. 556. ultimæ editionis.

JOANNES TORTELLUS, natione Italus, patria Aretinus, Caroli Aretini frater, qui post Leonardum Aretinum Scriba seu Secretarius Florentinorum fuit, Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus & Cubicularius Eugenii IV. Papæ factus, postea etiam Nicolao quinto a Cubiculi cura & consiliis anno 1440. floruit. Hic Lau- 1440

rentii Vallæ amicissimus, ad quem idem Valla *Elegantiarum linguæ Latinæ Libros sex conscriptos*, destinavit dedicavitque. Ejusdem studii cum Valla, scripsit grande volumen *De Orthographia*, seu *Commentarios Grammaticos de Orthographia Dictionum a Græcis detractarum*, editos Venetiis anno 1484. Ejusdem *Orthographia & Lima Georgii Vallæ ad eandem*, itidem Venetiis 1495. in folio. Cum ergo ob artem Grammaticam & humaniores litteras floreret, edidit quoque *Commentariorum Grammaticorum Opus*, sive uti vocat *Dictionarium nominum propriorum*, impressum Tarvisii 1477. & Vicentiæ 1408. in folio. *Vitam* etiam *S. Athasii*, ex variis authoribus, ad instantiam Eugenii IV. Summi Pontificis consarcinavit, ut præter Jovium author est *Antropologiæ* Libro XXI. Raphael Volaterranus: ubi & hosce Aretinos fratres *nobilia illius temporis ingenia* appellat: atque hanc Divi Athanasii vitam apud Georgium Wicelium in *Hagiologio* legendam habes. Præterea *Appianum* prope ad verbum Latine interpretatus fuit, ut monet Jacobus Philippus Bergomas in *Supplemento Chronicorum* Libro XV. ad annum 1449. Plane autem eundem esse censeo, Joannem Archipresbyterum Aretinum, qui *Vitam Sancti Zenobii Episcopi Florentini*, *S. Ambrosii æqualis*, scriptis consignavit, quæ extat apud Laurentium Surium ad diem 25. Maji mensis. Præter cætera quippe ætas optime convenit, nam ipse in extremo hujus vitæ refert se præsente factam esse translationem corporis Sancti Zenobii, anno Christi 1439. De Joanne Tortelio Joannes Trithemius in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem anno 1420. sub Sigismundo statuit Imperatore, sed anno 1440. collocandum Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 818. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. p. 579. editionis ultimæ. Cornelius a Beughem *de Incunabulis Typographiæ* p. 136.

1440 LAURENTIUS VALLA, S. Joannis Lateranensis Canonicus & Patricius Romanus, hisce potissimum temporibus claruit, de quo plura Jovius in *Elogiis virorum illustrium*. Erasmus de illo ita in Ciceroniano: *Valla propius accedit ad curam & subtilitatem Quintiliani, quam ad illaboratam Ciceronis facilitatem, etsi cæteris elimatior puriorque: Aretino nempe, Poggio, & aliis*, de quibus proxime dixerat. De eodem ita Floridus Sabinus, Apologia adversus calumniatores linguæ Latinæ: *Laurentio Vallensi quemnam in hac arena præponamus, non video: nemo melius constantiusque grassantem extinxit barbariem: atque ut alii illum Styli elegantia vicerint, qui tamen Latinam linguam æque juverit, ad hæc tempora non extitit.* Plura de eo legere ibidem poteris, adversus viri insectatores. Ab Rege Aragonum ejectum venisse Romam, ait Poggius secunda in illum Invectiva pag. 87. Idem pag. 93. exprobrat ei, quod quod Neapoli ac Hæreticæ pravitatis inquisitoribus igni fuerit adjudicatus: sed cum Regis misericordia liberatum, tum opera doctissimi viri Fernandi Cordubensis. Et sane a Francisco Philelpho etiam commonitus est Satyra lucuenta, ut nisi vitæ suæ satur sit, abstinere velit a sacri Ordinis perstringendis viris, ac similibus scribendis, uti illa sunt *adversus Constantini donationem*: quæ Satyra extat *Hecatostichorum*. Libro 2. Satyra IV. Scripsit autem multa tam sacra quam prophana, cujus Opera in unum volumen collecta, primum impressa sunt anno 1540. in folio Basileæ apud Henricum Petri. Sunt autem

Elegantiarum linguæ Latinæ Libri sex, qui etiam Lugduni anno 1544. in 8. impressi sunt, & alibi sæpius.

Libellus de Reciprocatione *sui & suus*, qui etiam Lugduni anno 1544. in 8. cum præcedente impressus.

Antidoti in Poggium Florentinum Libri IV.

Apologus & Actus Scenicus in Eundem adversus eundem, Libellus alius.

In Antonium Raudensem, Annotationum libellus.

Ad Alphonsum Regem Epistola Apologetica, quæ inscribitur, *Duo Tarquinii* &c.

Invectivarum sive Recriminationum in Benedictum Morandum Bononiensem, libri 2. sive *Confutatio prior & posterior*.

In Bartholomæum Facium Ligurem, & Antonium Panormitam, *recriminationum* Libri 4.

In Bartholi de *insigniis & armis* libellum, ad Candidum Decembrem Epistola.

De Dialectica Libri tres, qui etiam alibi sæpius impressi leguntur.

Contra Donationes, quæ Constantini dicitur privilegium, ut falso creditum est & ementitum, declamatio.

Apologia pro se & contra calumniatores, ad Eugenium quartum Pontificem Maximum.

Annotationes in Novum Testamentum, in diversorum utriusque linguæ Codicum collatione.

De voluptate & vero bono libri tres, qui & Basileæ etiam impressi sunt anno 1519. in 4to.

De libero arbitrio ad Garsiam Episcopum Ilerdensem. *Et hactenus de illis Laurentii Vallæ Scriptis, quæ Henricus Petri Basileæ uno volumine in folio excudit.*

Scripsit præterea De gestis Ferdinandi Aragoniæ Regis libros tres, quos habes etiam impressos in Collectaneo *Hispaniæ illustratæ* Tomo 1. pag. 727 editionis Francofurti anno 1603. voluminibus IV. in folio. Atque in altero Collectaneo eorundem Scriptorum diversorum ad *Hispaniam illustratam*, edito Francofurti etiam anno 1579. tomo 1. p. 1005.

Commentaria inter Saluſtium, edita Baſileæ in folio anno 1564. & Venetiis anno 1590.

Item ut Joannes Trithemius refert, ſcripſit *Librum Epiſtolarum & Commentaria in Fabii Quintiliani oratoriarum inſtitutionum libros duodecim*, quæ an alicubi MSS. extent, vel impreſſa unquam fuerint, omnino me latet.

Emendationes in ſex Libros Titi Livii *De Secundo bello Punico*, editas cum Livio Pariſiis anno 1573.

Homeri Ilias ex Laurentii Vallæ translatione, excuſa Lugduni anno 1541. apud Griphium.

Herodoti Halicamaſſæi Libri novem Hiſtoriarum Laurentio Valla interprete, per Contradum Heresbachium recogniti, in lucem publicam exierunt Coloniæ Agrippinæ anno 1526. apud Eucharium Cervicornum.

Thucididis Hiſtoriographi Libri octo ab eodem Valla converſi, Baſileæ anno 1540. apud Hervagium impreſſi ſunt.

Æſopi fabulas 33. Latinas quoque fecit, quæ impreſſæ ſunt Baſileæ, cum aliis Æſopi & aliorum fabulis Latinis.

Annotationes Vallæ in *Latinam Novi Teſtamenti verſionem*, editæ quoque Pariſiis anno 1505. & *De collatione Novi Teſtamenti libri duo*, cum Notis Jacobi Revii, editi Amſtelod. anno 1631. in 8.

Quantum ad libros tres *De rebus geſtis a Ferdinando Aragonum Rege*, ut bene Jovius indicat, *Opus hoc illo Styli Charactere conſcripſit, ut ejus minime videri poſſit, qui cæteris elegantiarum præcepta dederit.* Denique Laurentii Vallæ *Oratio in laudem S. Thomæ*, MS. in 4. inter alia quædam Opuſcula, in bibliotheca Sfortiana, in Claſſe Phyſicorum & Moralium numero 27. Sic autem Laurentius Valla vapulat apud Henricum Spondanum in *Continuatione Annalium Baronii* ad annum 1447. num. 10. „Eodem „tempore Laurentius Valla, elegantis quidem „pro ſeculo, ſed pro quolibet tempore, virulentiſſimæ linguæ homo, Neapoli exiſtens, „cum quasdam propoſitiones Hæreticas aſſeruiſſet, delatus ad inquiſitores, & in carcerem „truſus, damnatusque pro hæretico, beneficio Alphonſi Regis pœnam ignis evaſit: „propoſitionibus tamen publice ejuratis, vir„gis privatim per clauſtra Monaſterii Prædica„torum, manibus revinctis, cæſus. Quod pro„lixius narrans Poggius ſecunda in eum invectiva, erraſſe inquit, *in articulis Perſonæ de* „*Deo, Trinitatis, Liberi arbitrii & virginitatis* „*Sanctimonialium*. Cui & objicit, quod non „ſolum illuſtres Eccleſiæ Doctores, Auguſti„num, Hieronymum, Boëtium, alioſque „reprehendere, damnareque non erubuiſſet; „verum etiam effutire impiiſſime auſus fuiſſet, „ſibi etiam adverſus Chriſtum ſpicula reſer„vaſſe." Obiit Romæ ac ſepultus in templo Sancti Joannis Lareranenſis, ubi ejusmodi legitur inſcriptio apud Fabritium in *Roma* pag. 183. *Laurentio Vallæ, harum ædium ſacrarum Canonico, Alphonſi Regis & Pontificis Maximi Secretario, Apoſtolicoque Scriptori, qui ſua ætate omnes elegentia ſuperavit, Catharina Mater filio pientiſſimo poſuit. Vixit annos* L. *Obiit anno* MCCCCLXV. *Auguſti Calendis.*

Laureus Valla jacet, Romanæ gloria linguæ
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.

De Libris illius Joſias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Geſneri* pag. 537. Gerardus Joannes Voſſius Libro 3. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 7. pag. 579. editionis ultimæ. Thomas Hydius in Catalogo *Bibliothecæ Oxonienſis Publicæ ſeu Bodleianæ*, verbo *Valla Laurentius*.

LUDOVICUS SCARAMPIUS ſeu MEDIAROTA CARDINALIS, natus Patavii, anno 1402. ex humilibus ortus primordiis, vir doctiſſimus ſimul atque feſtiſſimus, ad ſummos fortunæ apices evectus fuit. Sub Pontifice Eugenio IV. exercitui ſumma cum auctoritate præpoſitus, Florentinis ſuppetias ferens, Nicolaum Picinum Ducem Hetruriam devaſtantem poſt pugnam horarum victoria petitus, ad Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem, cujus partes tutabatur, debellatum remiſit. Ipſe ſub Pontifice Calixto III. Turcas circa Belgradum invadens prælio diſperſit. Inſuper cum Rhodiis præſto eſſet, numeroſam Turcarum claſſem, paucis cum navibus, fulminis in modum protrivit. Ob tot virtutum notiſſima experimenta inter Cardinales cooptatus tituli Sancti Laurentii in Damaſco, & Eccleſiæ Romanæ Cancellarius factus eſt. Condidit autem multis licet occupatus negotiis, *Epiſtolas mira eruditione refertas*, inſcriptas *Franciſco Barbaro* compatri ſuo, quæ MSS. in Bibliotheca *Laurentii Pignorii* antiquarii Patavini extant. Viſuntur adhuc ejus ſtemmata Patavii in fronte Eccleſiæ S. Luciæ, & in ædibus Xenodochii S. Franciſci. Ad Aquilegiæ promotus Patriarchatum, tandemque Patricius Venetus a Senatu dictus, vivere deſiit 3. Idus Martii anno MCCCCLXV. ætatis LXIII. Romæ in Templo S. Damaſi tumulatus. In ejus tumulo hoc legitur epitaphium:

1440

LUDOVICO MEDIAROTÆ

Patavino, Patriarchæ Aquileienſi, Albano, & D. Laurentii in Camaſo Cardinali & Cancellario. Quod animi magnitudine & ſingulari præditus prudentia, cum Rem Romanorum multitudine hoſtium laborantem, Legatus ab Eugenio IV. in ſplendorem priſtinum, armis & victoriis vindicaſſet: Nicolaum Picinum apud Anglariam profligaſſet: agrum Picænum a Franciſci Sfortiæ dominatu, in ditionem Romanæ Eccleſiæ recuperaſſet: Turcas ſub Caliſto in navalibus præliis contudiſſet: Domeſticis quoque virtutibus, conſilio, gravitate, continentia, plurimis denique in omnes bonos liberalitatis ac beneficentiæ monu-

mentis, bellicas laudes ornatiores redidisset.

Henricus Hunis Archiepiscopus Tarentinus, Pontificis Sacrique Senatus a Secretis ærarii Apostolici præfectus, tantæ virtutis in lucem revocandæ causa, & ut veterem suam in eum observantiam hoc recenti pietatis officio testaretur, hoc illi Monumentum XL. ab ejus morte anno sua pecunia faciendum curavit anno salutis M D V. XII. Kalend. Aprilis Vixit annos LXIII. menses IV. dies VIII. Ita Jacobus Philippus Tomasinus in *Elogiis virorum illustrium*, & Paulus Freherus in *Theatro virorum eruditione clarorum* parte 1. Sect. 2. p. 20. quos hic exscripsimus. Idem Elogium Augustinus Oldoinus Soc. Jesu refert in *Athenæo Romano* ubi Romanorum Pontificum & Romanæ Ecclesiæ Cardinalium scripta publice exponuntur, pag. 469. & sequentibus, editionis Perusinæ 1676. in 4to ad quem mittimus lectorem.

1440 LEONARDUS DE UTINO, Ordinis fratrum Prædicatorum, divi Bononiæ in Italia Studii fratrum Prædicatorum Regius seu professor fuit, circa annum 1440. quo clarus in Theologicis ac Philosophicis argumentis habebatur. Complura in *Logicam & Physicam Aristotelis* commentatus est atque alia, quæ in ejus Conventu Bononiensi asservari scripsit Antonius Lusitanus in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*. Composuit sat grande volumen *de legibus* quod anno 1473, Venetiis excusum est. Item *Tractatum ad locos communes Concionatorum*, qui Ulmæ in Suevia anno 1478. prodiit ex typographia Joannis Zeiner. Denique *Sermones floridi de Dominicis & quibusdam Festis Fratris Leonardi de Utino, sacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Prædicatorum, quos florenti anno 1435. prædicavit*, impressi sunt in 4to anno 1516. duobus tomis Lugduni, apud Jodocum Badium Ascensinum. „Horum ad calcem hæc leguntur, habes itaque „Lector optime, Sermones floridos, quos com„posuit & prædicavit Reverendus Magister Le„onardus de Utino, Sacræ Theologiæ Doctor „excellentissimus, ac Sacri Ordinis Prædicato„rum Professor observantissimus, quorum plu„rimos prædicavit Florentiæ coram tota Curia „Romana ibidem tunc temporis, residente, „tempore sanctissimi Domini Eugenii Papæ IV. „nonnullos autem Venetiis, ut ipse alibi profi„tetur. Neque vero uno, sed diversis annis „eos declamavit: sed ne quis gravetur, in in„quirendis de uno tempore in diversis locis „Sermonibus, quicunque circa idem tempus „sunt, contigui impressi sunt. Iidem antea Lugduni anno 1495. apud Joannem Treschel impressi sunt, Ulmæ anno 1475. & Spiræ anno 1479. Hunc hominem in duos partitus est pro more suo Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro* tomo 2. quem pag. 20. *Leonardum Bellunensem*, & pag. 21. *Leonardum Utinensem* appellat. De eodem etiam Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, pag. 543. Antonius Senensis Lusitanus & Ambrosius Altamura, uterque in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, quas consulas. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1444. pag. 128.

ALBERTUS ARNHEMIUS, cognomento 1440 Kivet, senior professus Carthusiæ Wesaliensis fuit, vir nimirum antiquæ virtutis & fidei, miræque innocentiæ & credulitatis, sed non ille, de quo Dorlandus Libro V. *Chronici Carthusianorum* cap. 13. Etsi enim uterque ejusdem patriæ fuerit, hic tamen Kivetus de quo loquimur, Wesaliæ vixit: alter autem in patrio solo Carthusianorum prior extitit, nihilque (quod equidem sciam) litterarum ad posteros transmisit. At hic noster insignia collegit ævi sui Exempla, illaque in unum volumen congessit, in septem Distinctiones dissectum, & in totmos duos divisum, quod *Referendarium Exemplorum* inscripsit. Hujus *prima distinctio* de venerabili Sacramento agens, XCIII. capita complectitur. *Secunda* de Sancta Cruce XXXIX. habet capita. *Tertia* de beata Virgine, capita XCI, *Quarta* de nativitate Domini, capita LXXVII. *Quinta* de Virtutibus, capita LXI. *Sexta* de Vitiis, capita CXLVII. *Septima* de defunctis, capita LXIII. Solet hic Liber MS. asservari, apud Cruciferos Riremundenses. Author vero abiit anno 1449. ætatis 80. professionis 60. Ita Theodorus Petrejus in *Bibliotheca Carthusiana* pag. 6.

BARTHOLOMÆUS VERONENSIS, na- 1440 tione Italus atque Abbas Monasterii Sancti Nicolai de Littore Venetiarum, Congregationis S. Justinæ de Padua circa annum 1440. scientia atque moribus claruit. Eruditionem autem prodidit suam, scribendo haud ignobile *Chronicon Abbatiæ suæ*, ab ejus primordiis ad sua usque tempora perductum, quod MS. In hujus Cœnobii archivis adservatur. Hujus initium est, *mirabilis Deus in Sancto suo Benedicto* &c. De illo loquuntur. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 175. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 7. p. 582. ultimæ editionis, ex quo hæc excerpsimus.

HENRICUS cognomento TOKEN, vul- 1440 go dictus MAGDEBURGENSIS seu de Magdeburg, quia ex urbe ista oriundus, Ecclesiæ quoque Metropolitanæ civitatis hujus Canonicus fuit, hac eadem ætate famam sibi insignem, ob Juris Canonici atque Theologiæ peritiam, tum ob puritatem morum comparavit. Hanc ob causam magno in pretio erat apud Guntherum tunc temporis Magdeburgensem Archiepiscopum, qui multis illum negotiis publicis admovit. Fuit hic Token Legatus Archiepiscopi Magdeburgensis in Basileensi Concilio, ac ibi edidit *prolixum Librum*, qui adhuc invenitur, quo probavit, *Concilium esse supra Papam*, posseque ac debere eum & judicare & deponere, cum justa causa adest. Plura omnino sensisse videtur, quam sit dicere ausus, quales

les plurimi omnibus seculis fuerunt. Ita Chronicon Magdeburgense, Flacius Illyricus, & alii In Collectaneis de Gunthero Magdeburgensi Archiepiscopo refertur, quanta animi cura & intentione, in Ecclesia sua reformanda desudaverit, sed impedimento fuisse inveteratum hominum nequitiam: id quod ille vir sanctissimus ex animo deploraverit, & tam altas radices jam Antichristum egisse, sincere doluerit. Anno namque Domini 1429. congregatis Magdeburgi Monachis, fideliter omnes admonuit, quibus cogitationibus in ordine suo animati esse deberent: ubi etiam de universo Episcopatu ad frugem Ecclesiæ reducendo, nonnihil affirmavit. Postmodum vero anno 1430. de summa rei agendæ reformatione nempe decreturus, in Cœnobii cujusdam peristylio, per Henricum Token istum, & alium quendam, omnibus in mandatis dedit, ut operam huic soli negotio omnem impenderent. Oportere enim se officium facere, & ipsos citra jacturam famæ suæ sibi obtemperare posse. Cæterum ne hoc quidem modo institutum promovit. Caussam remoræ Henricus istam assignat, quod nimirum informantes inepti fuerint tunc temporis ad informationem, ut & ipsi informandi, qui in erroribus illis occalluissent: aut quod certe non minus obstaculum & hoc fuerit, quia prius a Capite incipiendum erat, non autem a Monachis.

Idem. Postquam Romæ tria capita Ecclesiæ creata fuerunt, & alias hinc inde plurimum turbarum in Imperio Romano daretur: Cæsar Sigismundus omnino in vado cupiens esse, conscribit Concilium Constantiam, ut ibi de reformatione instituenda, cum Papa, ur qui suas etiam partes agere deberet, conferretur. Tum Papa admodum acute pro ventre suo (qui ut Homerus scribit, multorum malorum caussa est) respondet, se quidem non posse non omni modo Cæsaris institutum laudare; vereri autem, ne id parum commode fieri possit. Oportere enim de Patrimonio Petri sollicitum esse, & quo pacto ruinosa quidem templa Romæ pene in solitudinem redacta, restituenda sint: hæc si confecisset, velle quamprimum se de hoc negotio providere: Sed homo nequam ita differens interitum aut certe periculum sui, abiit, & post se recipere diu satis Imperatorem passus est. Sigismundus quidem & Alemanni Principes eo adigere Cardinales sedulo volebant, ut antequam Papa crearetur, illa reformatio procederet. Sed illi unius assis homines, subodorantes quod esset inde venturum, suffragium dare noluerunt, ut qui existimarent, si Papam haberent, facile se quidlibet a cervicibus amoliturus esse. Cum etiam deliberanti Cæsari de hoc diceretur, haud abs re fore, si a Minoribus examen inchoaret: imo, inquit, a Majoribus incipiendum est, innuens nempe a Papa, Cardinalibus & Episcopis, seu fonte mali. Intelligens ergo, se cum Larvis colluctari, & in portosum vas loqui, contulit se in Hungariam: & quia hujus indignitatis oblivisci non potuit, quodam tempore declivi grabate accubuit, ut dormiret. Ibi secundum quietem somniat virum quendam honestum, habitu Sacerdotem, qui ostendit, quod olim Papa reformandus esset a doctis quibusdam viris, quorum curam Principes aliquot habituri essent.

Idem in *Sylva locorum communium* refert Archiepiscopum Lugdunensem in Basileensi Concilio narrasse anno Domini 1436. quod tempore Martini Papæ ad Curiam Romanam ex sola Francia, venerint novem milliones auri computati ab Episcopis & Prælaturis, alisque iis qui compurari non potuerint de parvis Clericis, qui quotidie absque numero currant ad curiam Romanam, deferentes secum sæpius totam suam substantiam. Archiepiscopus quoque Terronensis in eodem Concilio dixit, quod (suo tempore intra 14. annos, tres milliones auri Romam venerint a Prælaris & Prælaturis, de quibus potuit fieri computatio. Nec esse dubium, inquit Token, quin omnibus certis & accidentariis computatis, Papa sæpe singulis annis decem milliones coronatorum undiquaque corraserit, præsertim cum indulgentiæ majori in pretio adhuc fuerint. Hoc etiam inde colligi potest, quod Joannes XXII. Papa tantum 19. annis sedit, & tamen moriens viginti quinque milliones coronatorum in thesauris reliquit. Est autem Million decies centum millia. Nemo igitur negare poterit contra Constantinop. 6. Concilii decretum, in templis negotiationem nefarie exerceri, adeoque *Domum Dei*, Domum mercatus factam esse. Istam porro Henrici Token *Alphabeticam Sylvam locorum Communium* extare adhuc audio, quam MSS. habuit Matthias Flaccius Illyrius, dum in partibus Magdeburgensibus moraretur, bibliothecasque regionis hujus lustraret. Extat inter MSS. Codices Helmstadiensis Academiæ, inscribitur *Reputarius Magistri Henrici Token*, ut ad me Lebnitius scripsit. Fuit omnino iste vir ex iis, qui plus cæteris & agnoverunt & amaverunt veritatem, nam de Indulgentiis quoque leviter sensit. Validorum mendicitatem damnavit proprio scripto. In illa sua *Alphabetica Sylva* dicit alicubi, *esse periculosos abusiones in Monasteriis etiam Monachorum*, quos (ut ejus verba recitem) *tum callide decipiat Sathan, ut suis propriis traditionibus & adinventionibus prævaricentur Dei mandata*. Scribit etiam *modernos Clericos plus contemnere, quam honorare Deum*.

Idem Henricus Token hæc de Gunthero Archiepiscopo in suis *Collectaneis* scribebat. Adscribam enim ad verbum, quod lectu digna sunt, & ad cognitionem corruptissimi status Spiritualium (uti vocantur) plurium faciunt. Reformatio debet incipi a capite 297. sicut laudabile est. „Anno Domini 1429. ante festum, nativitatis Christi, Dominus Archiepiscopus,„ Magde-

„Magdeburgensis & Primas Germaniæ, Dominus Guntherus Comes de Schwartburg, fraterne & charitative, proprio ore monuit omnes suæ civitatis Magdeburgensis mendicantes, ut se reformarent, & viverent secundum regulas suas & instituta Patrum suorum. „Quia ipse, ut asseruit, suam Dioecesin, imo totam provinciam intenderit reformare cum Dei suffragante gratia. Hæc facta sunt in parvo æstuario domus ejus in Magdeburg, præsentibus Dominis Decano Decretorum Doctore & me aliisque Canonicis suis: qui moniti petiverunt terminum intimandi suis prælatis Provincialibus usque ad *Letare*. Quo veniente, nihil fecerunt. Secundario vero moniti fuerunt anno Domini 1430. per Dominum Theodoricum Rosentreder, pro tunc Officialem & me, ante capellam beatæ Virginis in ambitu Ecclesiæ majoris, ubi seriose dixit, *Videatis, quod per vos fiat, quia oportet fieri, & honorabilius & tolerabilius vobis fiat.* „Post hæc anno Domini 1444. in mense Septembri, cum essem missus a Capitulo, adjunctis mihi Dominis Henningo Storbetren & Joanne Mentz, ad Provincialem Carmelitarum, qui tunc erat in Magdeburg. Habita occasione ratione cujusdam literæ missæ per Dominum Marchionem Brandeburgensem pro Simone Priore, subjunxi *de reformatione*, qualiter ante ea tempora Dominus Magdeburgensis monuisset eos, & tum hortabamur eos, ut se reformarent. Sed ex his omnibus nihil factum est. Et possit quis dicere, unde hoc? „Certe non aliud dici potest, quam quia in capitibus modica aut nulla reformationis vestigia perspexerunt: & quod majus est, forte indigni erant, tam qui reformare intendebant, quam qui reformari debebant. Licet speroque, quod certe salvandi sunt recte intendentes. Quia legimus, David non fuisse dignum ædificare templum Domini, licet omnia ad hoc disposuerit: quia *vir sanguinum* fuit, in Historia Libri Regum &c. Hoc Exemplum Episcopi nostri temporis perpendunt, qui nec tantum boni, studium reformandi suas suorumque turpitudines habent.

Multa autem alia scripsit Henricus Token seu Magdeburgensis, quorum aliqua MSS. extant inter MSS. Codices Juridicos Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, Repositorio Juridico primo Serie IV. librorum in 4to & 8. Codice 30. *Henrici de Magdeburg summa super titulos Decretalium.* Codice 31. num. 2. *Henrici de Magdeburg summa eadem.* Num. 3. *Idem de potestate Spirituali & Seculari*, quod opusculum ipse scripsit, dum Concilio Basileensi interfuit, ut supra dictum est. Num. 4. *Ejusdem Henrici Apparatus super Summam.* Denique Codice 32. *Henrici Summa cum Apparatu*, quæ idem opus cum superioribus videtur. Ita Joachimus Fellerus hujus loci Bibliothecarius, in *Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ Lipsiensis* pag. 244. quem anno 1686. in duodecimo Lipsiæ apud Fredericum Gleditsch edendum curavit.

Legitur de eo in vita Friderici Magdeburgensis Archiepiscopi, quod fuerit acerrimus superstitionum hostis, quodque ex octodecim locis novas iddolatrias exstirpaverit. Testatur eadem Historia, incitasse eum quoque ipsum Archiepiscopum, ut resisteret celebri idololatriæ commentilii erroris Christi in Welserias, cujus ortum sic accidisse refert. Anno 1383. oppidulum Vuelsnec in dioecesi Hevelburgensi incensum est, una cum templo parochiali, a quibusdam latrunculis. Post illam cladem, inventa est (ut dixerunt Sacrificuli) inter ruinas templi, hostia (ut vocant) maculata; eas maculas dixerunt esse cruorem Christi, qui confestim cæptus est adorari. Conficta, quoque sunt multa miracula, quorum unum, Johannes Huss piæ memoriæ, in quodam libello narrat. Dicit Bohemum quendam, habentem manum semiaridam & contractam, argenteam manum in Vuelsnac tulisse, spe recipiendæ per miraculum valetudinis: ibique, frustra sanationem aliquandiu expectasse. Accidisse autem interea, dum ille expectat, ut Sacrificulus ostentans ex suggestu illam argenteam manum, lucrumque celebrando suum idolum occupans, diceret, Bohemum quendam ob contractæ manus incolumitatem, illud munus optulisse. Ibi ille miser homo, impatiens vel impudentiæ Sacrificuli vel suæ miseriæ, stansque in media concione, manum contractam ostendit, Sacrificulumque, & verbis & re, mendacii convicit. Et idololatriæ se postea Archiepiscopus Magdeburgensis, cum prædicto Token opposuit. Orto certamine, convenerunt Episcopus Havelburgensis, Marchio Brandenburgensis, & Archiepiscopus Magdeburgensis. In eo conventu prædictus Token evidentissimus argumentis fraudes & impietates illius idololatriæ refutavit. Verum ut illa ipsa Historia inquit, Havelburgensis Episcopus & Marchio, vinci plane noluerunt: Sed ad Papam mittentes Legatos & pecunias, impetrarunt ab eo, datis largissimis bullis, idololatriam illam confirmari.

Quoniam autem dubium adhuc erat, non tantum an illæ maculæ essent ex Christi cruore, sed etiam an omnino consecrata esset illa hostia, insuper astuti homines aliam consecratam hostiam illi imposuerunt, sicque putarunt, nihil Idololatriæ ex adoratione admitti posse. Quia etiamsi prior illa miraculosa hostia non fuisset consecrata, tamen ei altera adjuncta esset. Idque totum lucrandi denarii (ut loquitur Historia) causa Episcopus & Marchio fecerunt. Inveniuntur alioqui adhuc Scripta Token & Erphordensis scholæ, contra illam idololatriam. Quæ tamen nihilominus contra tam firmas refutationes obtinuit, & usque ad nostra tempora viguit. Extat anonymum hoc Opusculum *Henrici Token* in MSS. Codicibus bibliothecæ

thecæ Paulinæ Lipsiensis, inter MSS. Codices Collegii Principum Minoris, in Paulina nova una cum impressis repositos, cum Libris Theologicis secundum numerum antiquum recensitis in folio, Codice 26. num. 5. sub hoc titulo, *Tractatus de concertatione super cruore in Welsenac, oppido Havelbergensis diœcesis, provinciæ Magdeburgensis.* Ita Joachimus Fellerus hujus loci Bibliothecarius in *Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis* pag. 415. de quo supra egimus. Idem opus MSS. in bibliotheca Basileensi, juxta Spizelium in *Arcanis Bibliothecarum retectis* pag. 29. litera C. verbo *Concertatio.* Dicit alicubi idem Token in sua *Variarum materiarum Sylva* seu *Rapulario.* „Nunc majores Hæretici comburunt & exterminant minores, & Hæretici operam persequuntur & excommunicant hæreticos verborum." Sed adscribam historiam, cujus superius mentionem feci, ex Chronico Archiepiscopii Mbgdeburgensis.

„Anno 1383. Dominica post Assumptionem, oppidum Welsnac in diœcesi Havelburgensi, cum Ecclesia Parochiali, per raptores totaliter combustum fuit: & quædam hostiæ consecratæ resperfæ cruore ibi repertæ fuerunt, ut dicunt: & fit ingens concursus, & multa miracula ibi fiunt, prout etiam hodie fiunt, & pronuntiantur in Ecclesia prædicta, Archiepiscopus Magdeburgensis Fridericus, fretus consilio Domini Henrici Token, se huic concursui opposuit, propter multa pericula animarum, & tamen Dominus Marchio Brandeburgensis apud Papam Nicolaum obtinuit, ut hostia sacrata poneretur super aliam hostiam sanguinolentam, ne idololatria committebatur. Sed ut timetur, magis pro denario lucrando, quam salute animarum acquirenda: quia hostiæ immutatæ consumi debent a Presbytero, aut recludi, & vere ibi periculum animarum vertitur. Sed avaritia excœcat homines. Fridericus Archiepiscopus in cultu Dei totus zelosus, superstitiones nedum de diœcesi sua, sed etiam de tota provincia fortiter exterminare studuit: cum in iis maxime Deus offendatur, & populus a recta fide ad idololatriam trahatur. Ob id ut concursum superstitiosum in Welsnac destrueret, & justis rationibus, actibus & signis evidentibus non merum sanguinem Christi, sed ex falso propter questum factum ostendit. Et plures dictas cum Episcopo in Havelburg, ad eum Marchione Brandeburgensi Friderico tenuit, qui usi consilio Doctoris sacræ Theologiæ Thoringi & Camoman, restituerunt fortiter. Quanquam præfatus Henricus Token eos rationibus evidentibus & argumentis insolubilibus vicit. Sed vinci noluerunt. Et Dominum Papam adierunt, qui precibus Marchionum indulsit, ut hostia consecrata super istam transformatam hostiam poneretur, Quod factum fuit, & hodie durat, in perniciem animarum multarum: de quibus præfectus Dominus Token multa scripsit, & fere murum se pro recta fide posuit. Sed avaritia prævalente, in parte ruptus fuit murus &c. Prænominatus Dominus Token omnibus infinitis concursibus seductoriis & quæstuariis fortiter, ut verus Christianæ fidei miles, se opposuit: & in 18. locis destruxit, & eos superstitiosos & sacræ fidei contrarios ostendit." Hactenus ex Chronico Archiepiscoporum Magdeburgensium.

Recte Anonymus scriptor Chronologiæ Magdeburgensium Archiepiscoporum, Henrico Token Synchronus, inquit supra illum *multa scripsisse & fere murum se pro recta fide posuisse:* dum anno 1452. ad Dominum Papam Nicolaum V. super *Historia Miraculosa Welsenacensi* scripserunt, atque scripto seu responsione Hostiam aliam huic adjungendam respondisset, ad idololatriæ crimen evitandum. Occasione hac Henricus Token composuit Opusculum *De adoratione*, scriptum tempore Friderici Magdeburgensis Archiepiscopi & Episcopi Havelbergensis anno 1452. quod MS. habetur inter MSS. Codices Vossianos Latinos Codice 92. in charta, qui extant in bibliotheca nostra Lugduno-Batava, ut ex illorum Catalogo constat, ubi sic inscribitur, *Anonymi de Adoratione scriptum tempore Friderici Magdeburgensis Archiepiscopi & Episcopi Havelbergensis anno* MCCCCLII. *in charta.*

Quamvis autem prædicta superstitio *cruoris Christi in Welsnac*, anno 1383. ortum suum ex incendio oppidi & Ecclesiæ Parochialis habuerit: illa tamen perstitit usque ad tempora Friderici Archiepiscopi Magdeburgensis & Nicolai V. Romani Pontificis, per annos 70. vel circiter cum magno periculo animarum ac deceptione simplicium populorum, ut ex Chronico citato constat. Cum itaque Nicolaus V. anno 1447. die 6. Martii ad Pontificatum electus, annos octo & dies novendecim sederit, usque ad diem 24. Martii anno 1455. quo mortuus est: hæc contestatio Henrici Token *de cruore Christi in Welsnac*, ad hanc temporis intercapedinem referenda videtur, ejusque opus senile & ultimum dici potest, ad superstitionem antiquam & inveteratam abolendam compositum. Hæc nobis de Henrico Token seu Magdeburgensi verbotenus suppeditarunt Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo Testium veritatis, qui Pontifici Romano & Papatus erroribus ante nostram ætatem renuntiarunt*, Lib. XIX. editionis Lugdunensis 1597. 2. tomis in folio. Item Libro XIX. columnis 1901. 1902. 1903. & 1904. editionis, quæ anno 1608. Genevæ in folio facta est, per Simonem Goulartium Sylvanectensem, Genevæ Ministrum, apud Jacobum Stoer & Jacobum Chouët. Joannes Wolfius *Lectionum memorabilium* Vol. 1. Centuria XV. ad annum MCCCCXXVI. pag. 803. & 804. editio-

editionis Lovinganæ anno 1600. 2. voluminibus in folio. Literis autem suis Hanovera ad me datis Godefridus Guillelmus Leibnitius die 4. Julii 1704. quas ejusdem mensis die 12. accepi, cum consuluisset sæpius & annotationes fecisset in MSS. Codices bibliothecæ Helmstadiensis, admonuit *Sylvam Locorum Communium* alphabetico ordine digestum, reperiri inter MSS. Codices bibliothecæ Helmstadiensis, nec ambigere, quin esset idem MS. Codex quem tenuisset Matthias Flacius Illyricus, inscribi *Rapularium Magistri Henrici Token*, esse autem *Dictionarium Theologicum*, cujus finis deerat. Admonuit per eandem Epistolam, Henricum Token missum fuisse ad Basileense Concilium ab Archiepiscopo Magdeburgensi, atque in MS. Codice Helmstadiensis bibliothecæ juxta ejus Notas, *Quæstionem disputatam per Henricum Token, Ambasiatorem Archiepiscopi Magdeburgensis in Concilio Basiliensi.* Orationem etiam olim pronuntiasse in Concilio Constantiensi, quæ eodem Leibnitio indicante, MS. extat in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Latino 323. Hæc debeo Epistolæ Godefredi Guillelmi Leibnitii, qua Henrici Token opera deteguntur amplius.

1440 MATTHIAS DORINCK seu DORINGKUS, natione Saxo, atque Ordinem Fratrum Minorum junior ingressus, ob doctrinam, qua ætate sua fulsit, variis in ordine suo muneribus præfuit & officiis, quibus cum laude functus fuit. Claruit equidem sub Frederico III. Imperatore, ut scribit Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliothecæ sanctæ*, ab ao. MCCCCXLV. quo jam Theologiam publice apud Magdeburgenses profitebatur ac legebat, ad annum circiter 1494. vel 1496. ac horum temporum mediam epocham. Scholasticæ Theologiæ Professor eximius evasit, Saxonicæ provinciæ Minister a Fratribus renuntiatus est, ob insignes doctrinæ dotes. Inita autem pro defensione Doctoris sui Nicolai Lyrani pugna adversus Paulum Burgensem, ejusdem Nicolai postillam impugnantem in multis, ejus objectiones evertere conatus est, novis concertationibus editis, quas Commentariis Lyrani, statim post Paulinas additiones editis, *Replicas adversus Paulum Burgensem* intitulavit, cujus operis initium est, *Modestiam antiquam* &c. Non longe post Matthiæ Doringi ætatem edita sunt *Biblia vulgatæ editionis*, cum *Postilla Nicolai Lyrani*, *Additionibus Pauli Burgensis*, quas anno 1429. finivit, quibus insertæ sunt etiam *Replicæ Magistri Matthiæ Doringi Theologiæ Professoris* post singulas fere Additiones Pauli Burgensis, anno 1507. Basileæ 4. voluminibus in folio, apud Johannem Petri & Johannem Frobenium. Item in *Bibliis sacris* cum Glossa illa ordinaria a Strabone Fuldensi primum quidem collecta, adjunguntur *Postillæ Nicolai Lyrani*, *Additiones Pauli a Sancta Maria Burgensis*: quibus etiam insertæ sunt *Replicæ M. Matthiæ Doring Fratris ejusdem Minorum Ordinis cum Lyrano*, & Theologi optimi, prout clarius in processu videbitur. Ibidem.

Incipit Prologus in Replicas defensivas Postillæ Venerabilis ac devoti Patris, Fratris" Nicolai de Lyra, ab impugnationibus Domini" Burgensis, editas a Venerabili & Religioso" Patre, Fratre Matthiæ Thoring, sacri Ordi-" nis Minorum provinciæ Saxoniæ Ministro, ad" plurimorum rogatum, præfatam Postillam," ut veritate lucentem amplexantium." Procuravit autem hanc editionem Frater Franciscus Fevardentius ejusdem Ordinis Minorum, ao. 1590. Parisiis 6. voluminibus in folio, apud Joannem Baptistam Regnault & Societatem Bibliopolarum Parisiensium, quæ sæpius alibi repetita fuit, ut illi immorari opus non sit. Joannes Maderus Hanoveranus edidit ao. 1660. in 4. Helmstadii typis & sumptibus Henningi Mulleri Academiæ Juliæ typographi, *Scriptorum insignium, qui in celeberrimis Lipsiensi, Wittenbergensi & Francofurtana ad Oderam Academiis, a fundatione earum usque ad annum 1515. floruerunt, Centuriam ab authore ejus temporis anonymo concinnatam*, nunc vero in lucem productam. Ibi *Scriptore 98.* Anonymus hic, qui non longe ab morte Matthiæ Doringi aberat, de illo ita loquitur:

„Matthias Dorink natione Alemannus, ex" Prignitia Marchiæ Brandeburgensis territorio" oppido Kyritz oriundus, Fratrum Minorum" Provinciæ Saxoniæ quondam Minister, vir in" divina simul & humana Philosophia apprime" doctus, sacrarum litterarum Professor Er-" fordiensis eruditissimus, & declamator Ser-" monum eximius, scripsit nonnulla præclara," quæ ejus multijugam doctrinam plane testan-" tur, ex quibus subjecta feruntur, *Super Esaiam" Prophetam Opus grande. Defensorium Postillæ" Nicolai de Lyra contra Paulum Burgensem, Additiones videlicet in vetus & novum Testamentum." Super Sententiarum Libros Lib. I.* Item *Dialecticam utilem admodum. Sermones quoque tam" ad populum quam ad Clerum edidit.* Claruit" temporibus Concilii Basileensis, quod sua" præsentia & doctrina decoravit, ubi etiam ab" ea parte sui Ordinis, quæ tunc Concilio ad-" hærebat, in Generalem Ministrum electus," & per dictum Concilium confirmatus fuit." Sed postea tam huic quam causa Ministeriatus" Saxoniæ aliis officiis libere cedens, reliquum" vitæ suæ in sacris meditationibus in Conven-" tu Kyritzensi transegit, sepultus ibidem in" choro Ecclesiæ." Hæc Anonymus de vita Matthiæ Dorinck. Qui mihi videtur falli, dum scribit, illum adfuisse Concilio Basileensi anno 1430. convocato, fuisseque electum Generalem sui Ordinis Minorum, ab illa Minoritarum parte, qui Concilii Patribus adversus Pontifices tunc contendentes favebant. Cum enim usque ad annum 1494. & ultra forsan vitam protraxerit, vix anno 1430. vel 1131. annum trigesimum ætatis habuit, unde vix tunc electum fuisse in Generalem Ordinis sui in Concilio

Concilio Basileensi credi potest. Nec officia hæc primaria Ordinum Mendicantium viris ita juvenibus conceduntur. Vix igitur ante annum 1445. nomen ejus auditum, quo Magdeburgi Theologiam docebat. Recte loco citato scribit Sixtus Senensis *Bibliotheca Sancta Libro IV.* claruisse illum sub Frederico III. Imperatore, qui Imperium ab anno 1443. ad 1493. obtinuit. Juxta igitur supputationem nostram, Matthias Doringhus anno circiter 1415. natus est, anno 1430. vel 1431. quo Concilium istud Basileense factum est, annos duntaxat quindecim vel circiter habuit, unde tunc temporis in Generalem Ministrum Ordinis sui, eligi non potuit a Patribus Minoritis Concilio adhærentibus: forsitan enim tunc temporis cucullum Ordinis nondum assumpserat. Anno 1445. quo Magdeburgi Theologiam docebat, annos circiter triginta natus fuit, quos protelasse usque ad annum 1493. vel 1494. legitur, quo circiter octogenarius occubuit. Interfuisse itaque Concilio Basileensi anno 1431. non potuit, nisi centenarius vixisse credatur, ac idoneis instrumentis hoc probetur. Mentionem facit hujus Scriptoris Annnymus auctor *Chronici Archiepiscoporum Magdeburgensium*, quod editum est Tomo 2. *Rerum Germanicarum* Henrici Meibomii, ex editione Lipsiensi anno 1688. duobus Voll. in folio. Ita in *Friderico de Bichlinge XXXVI. Archiepiscopo* ad annum 1445. pag. mihi 359. ubi inquit, Episcopum Havelbergensem cum Marchione Friderico usum consiliis Doctorum Sacræ Theologiæ *Doring & Connemann* restitisse instantiis Henrici Token volentis, ut destrueretur superstitiosus cultus Hostiæ, quæ Miraculosa in Wolsenae esse ab aliis jactabatur. Ad hanc contentionem de *Hostia Miraculosa* haud dubie spectat *Appellatio Doctoris Matthiæ Doring Ordinis Minorum contra Magdeburgensem Archiepiscopum*, quæ MS. extat in bibliotheca Paulina Lipsiensi, Repositorio Juridico. I, Serie III. in folio, Codice 67. ad calcem Codicis, ut habet pag. 236. Joachimus Fellerus, Catalogi MSS. Codicum bibliothecæ hujus, cujus Bibliothecarius fuit, de quo & postea quoque loquemur. In hoc itaque Catalogo, quem Fellerus anno 1686. Lipsiæ in 16. edendum curavit pag. 409. notat in MSS. Collegii Principum Majoris Codice 694. haberi *Chronicam brevem & utilem ex Speculo Historiali Vincentii Bellovacensis atque aliorum, Eusebii, Hieronymi, Orosii Cassiodori, & aliorum Historicorum, collectam & continuatam a Matthia Doringk Ordinis Fratrum Minorum usque ad annum 1493.* Inscriptum hoc Opus in MSS. Codicibus nonnullis reperi, *Compendium Speculi Historialis Vincentii Bellovacensis.* Verum impressum fuit primum in folio Nurembergæ anno 1493. quod vidimus. Impressum pariter anno 1496. Augustæ Vindelicorum in fol. cujus duo exemplaria vidimus, ut supra retulimus in *Vincentio Bellovacensi*, ad annum 1250. In utraque editione nomen ipsius Epitomatoris expressum non fuit, quod ex MS. Codice Originali bibliothecæ Lipsiensis, ut arbitramur, ad nos pervenit. Hoc Chronicon est illud ipsum, quod *Chronicon Nurembergense* vulgo nuncupatur, eo quod Nurembergæ anno 1493. primum prodiit in folio, pertingens usque ad annum 1492. Adscribit illud Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap 6. pag. 573. editionis ultimæ *Hartmanno Schedel Norimbergensi*, quem errorem alii secuti sunt. Procurare illius editionem Hartmannus Schedel potuit, cui Chronicam hanc Norimbergæ impressam attribuit Paulus Langius in *Chronico Citizensi*, quod in *Collectaneo Historiarum Germania* insertum est a Joanne Pistorio Tomo 1. pag. 755. ad 907. Ita in hoc Chronico p. 852. ubi de Hieronymi Pragensis combustione loquitur. Habeo primam hujus Operis editionem Norimbergæ anno MCCCCLXXXXIII. die 4. mensis Junii completam, figuris multis tam historiarum quam urbium plurimarum ornatam in folio maximo. Ita autem ante ætatem septimam & Operis ultimam fol. CCLXVI legitur, *Completo in famosissima urbe Nurembergensi Operi de Historiis ætatum mundi ac descriptione urbium, felix imponitur finis. Collectum brevi tempore auxilio Doctoris Hartmanni Schedel, qua fieri potuit diligentia, anno Christi* MCCCCXCIII. *die 4. mensis Jun.* At typographus Hartmannum Schedel *collectorem* quidem hujus Operis non *Scriptorem* appellat: quod notatu dignum fit: nam folio CCLVIII. hæc Hartmannus scribit, quibus ætatem Operis sextam concludit. *Hac habuimus, quæ per otium Nurembergense adjiceremus. Vos valete & boni consulite ex Nuremberga X. Kalendas Junias anno ab Incarnatione Salvatoris Christi* MCCCCXCIII. Quibus verbis se non authorem fuisse totius hujus Operis, sed *adjectorem* tantum aliquorum *per otium Nurembergense*, id est, quando sudabat opus sub prælo, fuisse ingenue confitetur. Trithemius Abbas librum suum *De Scriptoribus Ecclesiasticis* concludit per Hartmannum Schedel Artium & Medicinæ Doctorem Nurembergæ agentem, quem non tam composuisse, quam ex aliis collegisse & comportasse anno 1493. *Chronicam Nurembergensem* inquit. Sed ad Matthiam Doringk pertinet, ex fide MS. Codicis Lipsiensis. Hæc plura habuimus de hoc Franciscano dicenda, cujus mentionem faciunt Sixtus Senensis Lib. IV. *Bibliotheca Sancta*, verbo *Matthæus Doring*, & Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* ibidem, qui eum vel floruisse vel vixisse anno MCCCCXL. affirmant, quod verum fatemur.

JACOBUS BRACELLUS, Genuensis, vir eruditus, circa hunc annum 1440. & ulterius claruit, de quo tale Jovii in *Elogio Alphonsi Siciliæ Regis* judicium est, *eum bellorum Alphonsi Historiam non illepide scripsisse.* Sed præclare 1440

 impri-

imprimis de eo Bartholomæus Gorla in præfatione sua ad Sarzaniensem Episcopum inquit: *Equidem probe novi, quam longe absim ab ea scribendi facultate, nec mihi tantum arrogo, ut de tanta re meum judicium in medium adferre audeam. Verumtamen doctissimorum pariter & gravissimorum virorum testimonio niti si velim, contendere possim, authorem hunc nostrum admirabili quadam laude ita se inter Scriptores suorum temporum extulisse: ut post oppressam atque vastatam a barbaris Italiam, eversamque, usque eo eloquentiam, ut Latine desitum esset plane loqui: primam omnium istius generis scriptionem non modo jacentem excitasse, verum etiam obscuram penitus illustrasse, & in pristinum splendorem quasi vindicasse, videri possit. Sed hoc ex librorum ejus lectione clarius apparebit.* Hactenus ille. Descripsit non ineleganter *Libris quinque bellum, quod inter Hispanos & Genevenses seculo suo gestum fuit:* quæ Haganoæ anno 1530. una cum *Libris sex Joannis Joviani Pontani de Bello Neapolitano* prodierunt, posteaque Romæ recusi anno 1579. apud Hæredes Antonii Bladii, atque a Bartholomæo Gerla dicati Joanni Baptistæ Bracello, Episcopo Sarzaniæ, cujus Jacobus Bracellus proavus fuerat. Orditur Bracellus ab anno 1412. quo Ferdinandus alterius Hispaniæ Rex, Siciliæ regnum adeptus fuit, desinens in anno 1444. quo Genuenses pacem fecere cum Alphonso Rege, Ferdinandi filio. Idem Bracellus reliquit librum *De illustribus Genuensibus ad Ludovicum Pisanum*, qui fuit Ordinis Prædicatorum. Item *Oræ Ligusticæ descriptionem ad Flavium Blondum*, qui Pontifici Maximo a Secretis fuit. Atque utrumque hoc Opus in Romana editione, cum Belli Hispaniensis Libris prodiit. Habes & utrumque in *Italiæ illustrata Scriptoribus viginti tribus*, qui Andreæ Schotti cura Francofurti in Germania anno 1600. in folio prodierunt. Meminit hujus *Jacobi Bracelli* inter illustres Genuenses Leander Albertus in *Italia* sua, ubi eum situm locaque Genuensis ditionis descripsisse ait. De Scriptis ejus Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 371. Joannes Gerardus Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. pag. 616. ultimæ editionis.

1440 JANNOTIUS MANETTUS, Florentinus, sive ut eum Leander Albertus in *Descriptione Italiæ* vocat, *Janetus Manettus*, Bernardi filius, Florentiæ anno 1396, nono Calendas Julii natus est, qui junior Emanuelis Chrysoloræ in Litteris Græcis discipulus, & Dominici Flocci condiscipulus fuit. Claruit quammaxime post 1440. 1450. & sequentes, vir probus, doctus & prudens. factus ob doctrinæ ac virtutis meritum non vulgare Senator Florentinus, qui & Episcopi dignitate a Nicolao V. Summo Pontifice ornatus est. Variis apud Pontifices Maximos, Reges & Principes legationibus functus est, apud quos tam Pontifices quam Reges a Secretis fuit. Vir erat trium linguarum peritus, ut qui ex Hebræo Psalterium, ex Græco Isagogen Porphyrii, & Aristotelis Categoriarum librum vertit in Latinum. Unde de eo sic canit merito Ugolinus Verinus Libro II. *Florentiæ illustratæ:*

Est quoque Jannocti celeberrima fama trilinguis,
Plurima qui Hebræo de fonte volumina vertit,
In Latium, & nostris dedit hæc noscenda Menttus.

Ubi pro *Jannocti*, uti Parisina habet editio, malim *Jannotti*, cum Italis sit Giannotto: unde verum nomen sit *Jannottus*, vel *Jannotius*: ut fortasse etiam apud Leandrum in Descriptione Tusciæ pag. 70, editionis Coloniensis anni 1567. ubi *Jannetus* vocatur, *Jannotus* vel *Jannotius* reponi debeat. Vitam egit Reipublicæ utilem, minimeque otiosam, dum e publicis negotiis vacaret, mentem scribendis voluminibus adjiciens. Quæ autem MSS. Florentiæ apud suæ gentis familiam asservantur, hæc sunt:

Apologia in Psalterium ad Alphonsum Regem Neapolitani Regni Libris quinque, sive *De recta interpretatione*,

Vertit e Græco item *Novum Testamentum & ex Hebræo Psalmos quinquaginta, & partem Veteris Testamenti.*

Scripsit quoque *Libros decem adversus Judæos & Gentes.*

Libros quatuor de dignitate & excellentia hominis ad Alphonsum Neapoleos Regem, incipientes, *Cum igitur hoc nostrum* &c. qui extabant olim & nunc extare dicuntur Florentiæ in Bibliotheca Sancti Marci. Sed impressi illi sunt Basileæ anno 1532. in 8. ut testatur Bibliotheca publica Oxoniensis Thomæ Hydii, pag. 426. Littera *Manettus Jannotius.*

Libros sex de illustribus Longævis.

De liberis educandis Librum.

In laudem Divæ Agnetis Numantinæ alterum.

Vitam Nicolai V. Summi Pontificis, Libris IV, quos Manuscriptos asservat Bibliotheca Vaticana, cujus initium, *Vetus* &c. & Pisauri in Serenissimi Ducis bibliotheca. Item Florentiæ in bibliotheca Medicæa ad Sanctum Laurentium, adjuncta *Oratione ad Nicolaum V. Pontificem Maximum.* Et Altera *De eligendo Novo Pontifice*, quæ ibidem MSS. Florentiæ in Bibliotheca Medicæa Sancti Laurentii pluteo 52. ut habet Ludovicus Jacob a Sancto Carolo Cabilonensis, in *Bibliotheca Pontificia* Lib. 2. pag. 348. editionis Lugdunensis anno 1643. in 4. *Novum Testamentum* quoque *ex Græco in Latinum sermonem factum* a Janotio Manetto, extare Florentiæ apud suæ gentis familiares, in *Apparatu sacro* Possevinus testatur.

Tractatum de pompis Pontificialibus ad Angelum Acciajolum, quem habes MS. Oxonii in Anglia, in bibliotheca Collegii Novi, Cod. 116. num. 6.

De eligendo novo Pontifice contra Turcas Orationem, quæ incipit, *Cum Roma Neapolim ad salutandum Alphonsum* &c.

Libros

Libros tres de terræ motu ad Alphonsum Regem.

Libros duos Historiæ rerum Genuensium.

Item *librum de laude eorundem Genuensium*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi Cod. 116. quem jam attulimus.

Historiam Pistoriensium libris tribus, quos emisit, dum nomine Reipublicæ Florentinæ, Pistorio gubernator (ut vocant) datus erat.

Apologiam Nuntii Hispanici.

Dialogum de morte Filii Liberi.

Vitam Alphonsi Regis, quam non absolvit.

Complures Orationes, quas Legatus ad diversos habuit, nimirum ad Genenses anno 1437. Ad Alphonsum Magnum Regem anno 1443. Ad eundem in nuptiis Ferdinandi filii, anno 1445. Ad Nicolaum Pontificem Maximum, anno 1447. Ad Alphonsum Regem, eodem anno. Ad Senenses, anno 1448. Ad Venetos, eodem anno. Ad eosdem, anno 1449. Ad Federicum Urbini Principem, eodem anno. Ad Regem Aragonum, anno 1450. Ad Federicum Imperatorem, quo tempore ingressus est Florentiam, an. 1451. Laudationem in laureatione Leonardi Aretini, & alteram in funere Jannotii Pandolphini. Sed ex his omnibus extant. *Duæ Orationes gratulatoriæ*, videlicet *ad Fridericum Imperatorem III. & Nicolaum V. Papam*: itemque *Manetti Oratio ad Alphonsum Regem Aragonum in nuptiis unici filii*, & altera *ad Alphonsum de Laudibus pacis*, impressæ Hanoviæ anno 1611. de quibus videas *Bibliothecam impressam Oxoniensem* pag. 426. verbo *Manettus Jannotius*. Extat etiam *Oratio in publica laureatione Leonardi Aretini*, MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis Cod. 80.

Sed & scripsit *Vitas Socratis & Senecæ, Plutarchi, Dantis, Petrarchæ, Boccacii Sympofium* &c. quarum duæ primæ, Socratis nimirum & Senecæ, extant MSS. Cæsareæ in Bibliotheca Franciscanorum.

Vertit autem ex Græco in Latinum *Isagogen Porphyrii, prædicamenta quæ tribuuntur Aristoteli*. Ejusdem *libros Magnorum Moralium duos, ad Nicomachum Libros decem. Ethicorum ad Eudemum Libros.*

Obiit Neapoli anno 1495. die 26. Septembris annos natus tres supra sexaginta. Hujus amplam mentionem faciunt, Laudibusque multis virum adornant, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 796. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 7. pag. 581. editionis secundæ.

1440 JOANNES WHETAMPSTEDUS seu FRUMENTARIUS, natione Anglus, circa annum 1440. claruit ac in Conciliis Papiensi & Senensi tempore Martini V. Romani Pontificis orationem habuit. Idem multa scripsit, atque inter alia potissimum, Opus *de viris illustribus* quod *Granarium* inscripsit, quod MSS. extat in Cottoniana bibliotheca sub effigie Neronis litera C, Codice 6. extat prima pars *Granarii II.* Joannis de loco frumenti, id est Wheathamsted olim Abbatis Monasterii S. Albani, *de* Historiis & Historiographis: quæ pertingit ad literam L. *Lapides pretiosi*. Extat vero in eadem Bibliotheca sub effigie Tiberii litera D. Codice 5. Secunda pars *Granarii* Joannis de loco frumenti, olim Abbatis Monasterii S. Albani, de viris illustribus, eorumque illustriis; de doctis Philosophis, eorumque dictis & dogmatibus. In Catalogo autem MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum ejusdem insignium, num. 2910. in MSS. Codicibus bibliothecæ Nortfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum Codice II. *Excerpta quædam e prima parte Granarii Joannis de loco frumentario*. Et ibidem num. 2933. in MSS. eisdem Norfolcianis Cod. 34. *Joannis Frumentarii Registrum de diversis terris ad Monasterium Sancti Albani pertinentibus*. Ibidem Codice 3280. in MSS. iisdem Codice 38. ejusdem Granarii pars secunda. Ibidem num. 5516. in MSS. Codicibus Collegii Armorum Londini Codice 91. *Chronicon Joannis Wethamsted Abbatis S. Albani, præcipue de rebus Abbatiæ prædictæ, & de Abbatia de Wyndham Norf & bello civili inter domos Eboracensem & Lancastrensem.* Idem *Vitam S. Albani & Amphibali*, e quodam libro Gallico excerptam, in latinum Sermonem transtulit, quæ extant inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ, num. 2357. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 2. Codice 18. num. 1. Ibidem num. 2439. litera F. 7. Codice 11. num. 2. *Tabula Alphabetica super 6. libros posteriores Valerii Maximi*, edita per Joannem Withamsted Abbatem S. Albani, qui hunc librum bibliothecæ Oxoniensi, dedit, quæ tunc fuit cum anathemate. In bibliotheca Cottoniana sub effigie Claudii litera D. Codice 1. num 1. Epistola Joannis Wethamsted, Abbatis Monasterii S. Albani. Num 2. Acta ejusdem Joannis VI. Abbatis Joannem Agmundishamensem, Monachum S. Albani, per singulos annos ipsius regiminis. Ibidem sub effigie Othonis litera B. Codice 4. num. 1. Gesta paucula Abbatis Joannis VI. Id est Joannis Wethamsted, Abbatis Monasterii S. Albani, de tempore illo, quo præfuit primo in officio Pastorali. 2. Annuitates suffragiorum concessæ eidem Abbati a locis diversis, propter varia beneficia impensa ipsis. 3. Causa sub brevibus, quare Abbas dictum baculum ad tempus reposuit regiminis pastoralis. 4. Processus sub brevibus totius suæ molestationis post suæ tempora resignationis. 5. Exclamationes variæ quas Abbas dictus in successorem eructaverat, propter inhumanitatem, ingenerositatem, & ingratitudinem, quas in sua persona inveniebat. 6. Declaratio quædam solemnis in his, quæ sibi primo objiciebantur per ingratitudinem successoris. 7. Metra varia, tam invectiva, quam etiam alia, de forma & modo, quibus ipse successor in similem accusationis laqueum incidit, qualem pa-

ravit contra prædecessorem, seu parari fecit. 8. Processus sub brevibus forma & modo, quibus Successor dictus veniam petiit a Prædecessore pro excessibus suis. 9. Nomina & numerus Librorum, quos ipse scribi fierique fecit, temporibus sui regiminis & ante prælationem. 10. Processus inductionis manerii sive Prioratus de Benbroke, in partibus Southwalliæ, Metrice. 11. Processus erectionis Ecclesiæ de Wymundham de cella in Abbatiam, metrice. 12. Processus brevis super quadam plebis insurrectione in Regno Angliæ, metrice. 13. Processus brevis super trina variatione fortunæ in Regno Angliæ, metrice. 14. Articuli illi omnes quos contra Joannem Successor porrexerat. 15. Responsiones ejusdem ad eosdem. 16. Metra varia, puta de misera sorte regni Angliæ, de bello commisso infra villam S. Albani. Item Epitaphia varia. 17. Excerpta varia de prima parte *Rupinarii* Abbatis prædicti. Continet explicationem communium locorum alphabetice digestorum, *Abstinere, Advocatus, Ambitiosus &c.* Liber olim erat Henrici Comitis Stafford, Filii Edwardi Ducis Buckinghamiæ, anno 1560. Meminit hujus scriptoris inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 5104. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 3. cap. 44. ubi excerptum ex *Granario* ingenti volumine Joannis Wethamsted Abbatis S. Albani ad Humfredum Ducem Glocestriæ *de viris illustribus*, qui liber Oxonii apud Carmelitas, pag. 57. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 9. p. 632. editionis ultimæ.

1440 THOMAS GASCOIGNE seu GASCOINUS natione Anglus, doctor theologus atque Academiæ Oxoniensis Cancellarius, claruit anno 1440. & sequentibus, quæ non tantum thesauro plurimorum librorum bibliothecas ditavit, sed ipse etiam nonnulla non spernenda ad theologiam spectantia composuit. Nam in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Oxoniensis num. 1360. & 1361. in MSS. Codicibus Collegii Lincolniensis Codice 39. & 40. extat *Dictionarium Theologicum*, sive *Veritates collectæ ex Sacra Scriptura & aliorum Sanctorum scriptis, in modum Tabulæ Alphabeticæ 2. partibus, authore Thoma Gascoyne, S. Theologiæ Doctore Oxoniensi.* Ibidem num. 2234. in MSS. Codicibus Collegii St. Mariæ Magdalenæ Codice 93. *Vita Sancti Hieronymi per Thomam Gascoin, S. Theologiæ Doctorem, Cancellarium Oxoniensem.* Adfuit autem Concilio Florentino, unde in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Cantabrigiensis num. 301. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis, in latere sinistro seriæ media Codice 10. habetur in ultimæ paginæ tergo *Epistola Magistri Thomæ Gascoigne cuidam Doctori theologiæ, de eo, quod factum est in Concilio Florentino.* Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 1878. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, literæ A. 3. Codice 6. *Psalmi Davidis, ubi notata quædam habentur ex manibus Doctoris Gascoing. &c. Ejusdem Thomæ Gascoigne Relatio de decollatione Richardi Scroop Archiepiscopi Eboracensis, facta jussu Henrici quarti. Ejusdem querimonia de vitiosa electione Archiepiscopi Cantuariensis, anno Domini 1443.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum insignium num. 8053. in MSS. Codicibus Jacobeæ bibliothecæ Codice 331. *Thomas Gascoyn de Indulgentiis.* Denique in bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii litera C. Codice 9. num. 12. *Excerpta ex Dictionario Theologico Thomæ Gascoigni, olim Cancellarii Oxoniensis, de causis miseriarum temporibus Regis Henrici VI.* per Richardum Jamelium. Meminit hujus scriptoris inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5103. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 2. cap. 61. pag. 371. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis*, cap. 9. pag. mihi 633. editionis ultimæ.

S. JOANNES CAPISTRANUS, sive DE CAPISTRANO, natione Italus, Aprulii in vico Capistro prope Aquitam Marsorum urbem natus & nobili Chiolorum stirpe oriundus, annum 1385. natalem habuit. Discipulus S. Bernardini Senensis & necessarius, Minoritarum Regularis observantiæ in Conventu Florentino Sodalis, atque Ordinis sui in Cismontanis partibus bis Vicarius Generalis, maximam sibi concionibus & eximia vitæ Sanctimonia famam concivit: adeo ut quatuor Summis Pontificibus Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Callisto III. gratissimus haberetur. Claruit annn 1440. inquisitor Sanctæ fidei & legatus Apostolicæ sedis primum in Italiam, deinde in Germaniam missus, de re Pontificia præclare meruit. Per Civitates autem & oppida circumforanei adinstar agyrtæ oberrans, quemadmodum Minoritam decebat, in foris & triviis conciones ad plebem habuit, quibus sacram adversus Romanæ Sedis adversarios militiam capessere, ad peccatorum remissionem & excessuum impunitatem persuadebat. Apud Germanos vero, exterasque nationes, Italici idiomatis ignaras, inconditis gesticulationibus, verborum loco usus, auditorum animos miris modis delinivisse dicitur. Huic ante annos centum Albertus Krantius testimonium tulit his verbis Libro II. Sacrorum Historici cap. 36. & libro II. Metropolis cap. 30. *Joannes in Germaniam descendit, prædicans magno zelo verbum Dei in Austria, Bavaria, Suevia, Thuringia, & Saxonia. Nam in civitate Magdeburgensi, in novo foro, maxima ad illum confluente multitudine, cum esset linguæ Germanicæ non gnarus, Latine prædicabat Latinis in tertiam horam, populo solis gestibus ejus, quos ante non viderat, satis vehementer commoto. Moti sunt omnes, & usque adeo permoti, ut fœminæ abusum in ornatu, viri ludos, quibus tempore perdunt Schaccorum aliarumque in unum contulerint, & eodem loco, igne sub dio concremarint.* 1440

rint. At Hermannus Schedelius in *Chronico Norimbergensi* ætate mundi sexta, scriptum reliquit, se *Norimbergæ vidisse Johannem Capistranum 65. annos natum, quotidie ac fere sine intermissione concionantem, altas & profundas* (ut ille inquit) *materias absolventem.* Quin & Hieronymus Platus Soc. Jesu Lib. 2. *De bono status Religiosi* cap. 30. refert, anno circiter 1450. *Capistranum duodecim millia infidelium, pluresque præterea Schismaticos aggregasse ad Ecclesiam Catholicam.* Conflato itaque Cruciatorum quos vocant exercitu, Franciscanus ille se ducem præbuit, & ad Hæreticos (ut appellant) ferro flammaque exscindendos perrexit. In Campania enim & Piceno, octoginta sex Fratricellorum oppidula combussit, quamvis illi *Regulam Sancti Francisci tertiam* profiterentur sub seculari habitu, nomine Beguardorum ac Beguinorum appellati. Hanc ut volunt exortam Eugenio IV. Summo Pontifice hæresim profligavit: Quibus alia nulla hæresis, quam quod affererent, Romanam Ecclesiam esse *magnam illam* Apocalypseos Divi Johannis cap. 17. & 18. *Babylonem & meretricem*, quæ veneno voluptatis suæ omnes gentes & Reges terræ corrumperet. Deinde in Germaniam transiens, Hussitis grave bellum intulit, & effrænis asseclarum suorum zeli beneficio, ut plurimum potiora tulit. Profligatis Bohemis, communi deinceps Christianæ Reipublicæ bono operam dedit. Conscriptis enim plus quam centum millibus Cruciatorum, Tauruno, urbi Hungariæ munitissimæ, a Mahomete Turcorum Imperatore obsessæ, anno 1456. suppetias tulit: ubi non solum milites verbis atque orationibus animavit, sed ipse etiam Crucem vexilli loco Christianis præferens, in prima acie fortissime rem gessit, & insignem Turcorum stragem edidit. Obiit Willaci in diœcesi Quinque Ecclesiensi, die 3. Octobris anno 1456. ætatis suæ 71. a Gregorio XV. ob præclara in Romana Ecclesia gesta, Beatorum numero adscriptus, Varia potissimum antequam militiæ se accingeret, opuscula conscripsit:

Tractatus de Papæ & Concilii sive Ecclesiæ authoritate, adversus Basileense Concilium, extat inter Tractatus Juris Venetiis anno 1584. editos Tomo XIII. parte 1. pag. seu fol. 31. Item anno 1580. Venetiis in 4. apud Antonium Ferrarium, cum sequentibus duobus.

Speculum Clericorum, seu *Sermo ad Clerum in Tridentina Synodo Diœcesana anno 1439. habitus*, prodiit seorsim cum Tractatu præcedenti, anno 1580. Venetiis in 4. qui alio nomine inscribitur, *De instructione & directione simplicium Sacerdotum.*

Defensorium tertii Ordinis a S. Francisco instituti. Tres istos Tractatus imprimi curavit Antonius Amicius Aprutius Venetiis 1580. in 4.

Speculum Conscientiæ habetur inter Tractatus Juris citatos Tomo 1. pag. 323.

Tractatus de Canone Pœnitentiali, ibidem Tomo XIV. pag. 395.

Tractatus de Excommunicatione, ibidem pag. 388.

De Matrimonio per modum consilii, ibidem tomo IX. pag. 77.

Repetitiones aliquot in Jure Civili, Venetiis 1587.

De Judicio Universali & Antichristo, ac de bello Spirituali, Venetiis anno 1578. apud Petrum Dehuchinum.

De Usuris & Contractibus, Venetiis anno 1583.

Joachimus Fellerus bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis Bibliothecarius, in Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, quem anno 1687. Lipsiæ in 16. edendum curavit, alia quoque non edita Opuscula Johannis Capistrani illic latentia profert. Catalogi pag. 133. inter MSS. Codices Theologicos in 4. Codice 45. *Joannis de Capistrano de pestilentiis & medicinis*, occasione pestis, quæ in exercitibus grassata fuerat, ut opinor. Catalogi pag. 230. inter MSS. Codices Juridicos, Codice 41. *Johannes de Capistrano de Usuris & Contractibus.* Item *Materia notata ex XXX. Sermonibus Joannis de Capistrano ad populum in Lipsia habitis.* Cum autem Possevinus narret eundem scripsisse adversus Johannem Rochesanum hæreticum Bohemum & fautorem hæreticorum, qui delectus Pragæ Archiepiscopus, Fratres Minores e sua Civitate ejecerat: hoc opusculum extare videtur MS. in eadem Bibliotheca, ex Catalogo citato pag. 318. inter MS. Codices Philosophicos Codice 52. ibidem. *Epistola Johannis de Capistrano ad Johannem de Rockenzana.* Et Catalogi ejusdem pag. 394. in MSS. Codicibus Collegii Principum majoris, in libris Historicis Codice 561. *Epistolola Johannis de Capistrano de protestatione Turcorum in regno Hungariæ anno 1456*, qui ultimus vitæ ipsius extitit, quo Turcæ Tauruno expulsi sunt, quod acri obsidione ab ipsis dudum premebatur. Hæc Johannis de Capistrano nobis verbotenus adjectis nonnullis suppeditarunt Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Joannes Capistranus* pag. 832. Lucas Wadingus *De Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 196. Henricus Warthon in Supplemento *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1440. pag. 121.

ERICUS, SUECIÆ, DANIÆ & NORVEGIÆ REX, Sueciæ regnum anno 1396. obtinuit, Daniæ autem & Norvegiæ anno 1411. qui aliis hujus nominis X. Rex, aliis VII. filius Wratislai VII. Pomeraniæ Ducis, ab Regnorum illorum proceribus jus electionis habentibus ad regna ista electus est. Affectu autem in Pomeraniam nimio, omnia quæcunque pretiosiora erant, spoliata ab his regnis in Pomeraniam transtulit, quo Septentrionalem ejusmodi populorum inimicitiam contemptumque meruit. Cum igitur pactionibus 1440

ctionibus in electione plebibus promissis infidus ac foedifragus esset, ac ob malos mores salvam ac stabilem in his regnis dignitatem desperaret, ut quibus Legibus acceperat regnum, administrare recusaret: anno 1441. antequam ipse cum ignominia solio deturbaretur, regnis excessit, & collecto, quantum poterat opum, in Gothlandiam, unde postea saepius infestabat mari Suecones, & Pomeraniam suam secessit, atque viginti annos privatus vixit, cum quadraginta quatuor annos praefuisset. Imperium satis diuturnum, sed honorificentius fuisset, si plus legibus regni atque boni publici curae, quam cupiditati suae atque exterorum Praefectorum avaritiae ac libidini concessisset. Haud indoctus Princeps erat, ut *Danici ejus Annales*, etsi breves, loquuntur. Hic reliquit *Historicam narrationem de origine gentis Danorum, & de Regibus, de fatis gentis, deque eorundem gestis.* Initium ejus, *Dani, ut testantur veteres historiographi*, pertingit usque ad annum MCCLXXXVIII. quam habes inter *Scriptores rerum Germanicarum Septentrionalium, vicinorumque populorum diversos* ab Erpoldo Lindenbrogio editae in fol. Francofurti 1609. pag. 293. Hinc illa inseruit Joannes Gualterius Belga in *Chronico Chronicorum Ecclesiastico-Politico* 2. tomis in 8. Francofurti anno 1614. inter *Scriptores Politicos* tom. 2. pag. 425. ad 460. Denique in editione altera Collectanei Lindenbrogiani, factae Francofurti anno 1630. in folio, & Hamburgi tandem anno 1706. in folio. Ericus tandem longis bellis multum exercitus, sed parum felix, quod ipsum etiam moderationis admonere debuisset, privatus obiit anno 1459. cujus mentionem faciunt Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 5. pag. 554. editionis ultimae. Joannes Lobcenius in *Historia Suecica* Lib. 3. abunde a pag. 89. ad 106. editionis 1654. Holmii in 8. ex officina Johannis Janssonii.

1440 ERICUS OLAI, ECCLESIAE UPSALIENSIS PRAEPOSITUS & DECANUS, sub quatuor Regibus Sueciae, Daniae & Norwegiae, Erico X. Christophoro III. Bavariae Duce ex sorore nepote, Carolo Canuti deposita, Christierno I. & Carolo restituto, ab anno 1440. ad annum 1464. floruit. Temporibus Erici Sueciae Regis, qui anno 1441. regnum deseruit, mortuo Joanne Upsalensi Archiepiscopo, electus est ab Upsalensi Capitulo ad regimen hujus Ecclesiae, ut constat ex Epistola Capituli Upsalensis Suecice scripta ad Ericum Regem pro electione Olai ad Archiepiscopatum, quae Latine versa sonat.

Humilia nostra officia & internas preces Clementissimo Domino & Celsissimo Principi. Significamus tuae Celsitudini, quod Reverendus noster Dominus & Pater Archiepiscopus Johannes decesserit, Deus sit propitius animae ejus. Et quia saepe audivimus ex eo, quod Celsitudo tua ei promiserit, cum apud Celsitudinem tuam Missam Episcopalem caneret, se nolle ejus voluntatem impedire in Ecclesiae cura & provisione, & paulo ante excessum suum idem repetebat, & nos jubebat Ecclesiae providere & eligere utilem Ecclesiae virum. Itaque Ecclesia elegit nostrum Templi Dominicani Praepositum M. Olaum Laurentii in ejus locum. Unde ad Celsitudinem tuam mittimus nostrum Diaconum & Canonicum Dominum Nicolaum Rigwardi, cum praescripto negotio, rogantes Celsitudinem tuam cum omni humilitate, ut Dei causa in Sancti Erici & Ecclesiae praesidium permittat Celsitudo tua & ratum habeat, quod factum est. Speramus hoc Deo & Celsitudini tuae gratum fore, cum ulterius inquisiveris de viro, ut jam coepit. Libenter ipse ad Celsitudinem tuam profectus fuisset, nisi periculum infidae glaciei maris reformidasset. Itaque abiit ad Pontificis sedem, fidens pollicitis Antecessori suo factis. His commendamus &c.

Ericus Olai spe Archiepiscopatus Upsaliensis captus, ad solamen, Decanus Capituli Upsaliensis ab instituto factus creditur. Scripsit in otio *Historiam Sueticam seu Suevorum, Gothorumque Libris VI. distinctam*, quae extenditur usque ad tempora Caroli Canuti, qui anno 1464. Christierno dejecto & in Prussiam exule, iterum in Regnum Sueciae restitutus fuit, in quo historiam concludit. Opus pro aetate, qua Olaus scribebat, non contemnendum. Orditur autem ab Erico Rege *Sapiente* dicto, qui circa aerae Christianae initium sceptrum tenuit, ad Caroli Canuti tempora, qui anno MCCCCXLVIII. Sueciae solium conscendit, imo usque ad illius depositi restitutionem pertingit, id quod anno MCCCCXLIV. contigit. Prodiit opus istud ex MS. Codice, a Johanne Messenino editum & illustratum Stocholmiae 1620. in 4. Item *Historia Suevorum Gothorumque ab Erico Olai, quondam Ecclesiae Upsalensis Decano fideliter sex Libris conscripta*, Holmiae 1654. in 8. ex officina Johannis Janssonii, a Johanne Loccenio iterum edita, & brevibus Notis illustrata. Meminere hujus Scriptoris Carolus du Fresne, Dominus du Cange, in Indice Scriptorum, quem *Glossario mediae & infimae Latinitatis* praemisit, verbo *Ericus Olaus*, col. CV. ubi cum anno MCCCCXLVIII. floruisse asserit. Joannes Loccenius in Notis ad Historiam Olai Suecicam pag. 214. editionis citatae. Guilielmus Cavus parte 2, *Historiae Litterariae* ad annum MCCCCXLVIII. pag. 156.

MARTINUS LE FRANC seu FRANCUS, Praepositus & Canonicus Ecclesiae Lausanensis, vel Gallus vel Belga natione fuisse dicitur. De patria Martini Franci inter Scriptores controvertitur, Praeses enim Fauchetus hunc fuisse natum in Comitatu Aumalensi apud Normanniam asserit in Opere *De antiquis Poëtis Gallicis* Libro 2. pag. 205. Sed Joannes 1440

annes Magister de Belgis in *Corona Margaritica* vult Atrebatensem illum fuisse juxta *Crucem Cenomanensem* pag. 314. Florebat sub seculi XV. medium, fuitnamque Secretarius duorum Romanorum Pontificum Felicis V. Papæ & Nicloai V. Successoris ejus in Pontificatu Romano. Felix autem V. ao. 1439. a Concilio Generali Basileensi suffectus Eugenio IV. deposito, qui post annos decem Pontificatu abdicato, Nicolaum V. Successorem anno 1448. nactus est, ad annum 1454. Unde ætatem, qua Martinus Francus floruit, agnoscas, quæ inter Poetas Gallicos ætatis suæ præstantissimus fuit. Philippus Labbeus *Novam Bibliothecam Manuscriptorum Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimen antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, ex Catalogis manuscriptorum Librorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collectam, quam Parisiis anno 1653. in 4. apud Johannem Henault imprimendam curavit. In hoc meminit Poëmatis Martini Franci, nempe *Supplemento VIII.* quod inscribitur, *Analecta quædam ex Catalogo MS. Codicum, qui continentur in secunda parte seu Xysto Bibliotheca Regiæ, & in fasciculis nondum compactis.* pag. 313. Codice 292. in folio, ubi *Estrif de vertu en fortune par Martin le Franc, Prevost de Lausanne, dedié a Philippe Duc de Bourgogne.* Et Supplemento IX. inscripto, *Veterum editionum ante annum Christi* MD. *Breviarium ex Xysto Bibliotheca Regiæ* Codice 481. *Le Champion des Dames composé per Martin le Franc, Secretaire du Pape Felix V. in folio.* Quoad ejus *Luctam inter fortunam & virtutem, Estrif de fortune & de vertu*, opus est prosa & versibus mixtum, quod Parisiis anno 1505. impressum fuit, juxta Cruceum Cenomanensem pag. 314. anno autem 1519. juxta Verderium Vallis privatæ, *Le Champion des Dames*, seu *Defensor Dominarum*, elegans pro ætate qua vixit Poëma est, Philippo nominis secundo Burgundiæ Duci cognomento *Bono* dedicatum, impressum Parisiis anno 1530. apud Galliotum du Pré, compositum per modum Dialogi inter Adversarium & Defensorem Dominarum. Folio autem 335. multos habet de Joanne Papissa versus, quibus hanc historiam admittit. Quod jam legitur, est objectio, quam Adversarius Dominarum ex historia Papissæ proponit,

Tu scais quelle sceut tans de lettres,
Que pour son sens on la crea
Papesse & Prestresse des Prestres,
O comme bien estudia?
O grande Lovange s'i a?
Femme se dissimula homme,
Et sa nature regnia,
Pour devenir Pape de Rome.
O benoist Dieu comme osa femme
Vestir chasuble & chanter Messe:
O Femme oultrageuse & infame,
Comment eust elle la hardiesse
De se faire Pape & Papesse?
Comment endura Dieu, comment
Que femme ribaulde & Prestresse
Eust l'Eglise en gouvernement?
Lors le monde estoit bien nouvel:
Dire lon peut qu'il ne tenoit,
Si non a la queüe d'un vel,
Puis que femme le gouvernoit.
Merveil estoit, que ne tournoit
Le Ciel, & que pour vengement,
Dieu sur la terre ne venoit,
Tenir son cruel jugement,
Mais il est tardit à punir
En attendant que l'on s'amende,
Et quand on ne peut revenir
A raison, combien qu'il attende,
Certes c'est force qu'il entende,
A donner sa punition,
Et qu'a justice l'on droit rende,
Sans plus longue remission.
Ainsi tousjours pas n'endura,
Que l'Eglise fut abusée
De celle qui trop y dura,
Car sa fraude fut accusée,
O vengence bien advisée,
La Saincte Papesse enfanta,
Nonques plus la putain rasée
A l'autel Sainct Pierra chanta.
Entre le Monstier Sainct Clement
Et Collisée chacun vit,
Le feminin enchantement,
Si fut tantost faict un edict,
Que jamais Pape ne se fit,
Tant eust il de Science ou nas,
Sil ne montroit le doit petit
Enharnachié de son harnas.
O Dames, Dames couronnéz,
Vostre Pape & vostre Papesse:
Dessus les quatre couronnéz
Elle a creut moult vostre Noblesse.
Alors le Champion se dresse,
Et en jettant le dextre bras,
Dit, temps est que ce parler cesse
De ce mal tu teremembras.

Defensoris replicam non refero, qui meliori quo potest modo Papissam excusat, ac de pluribus Papis recriminando loquitur, cujus responsionis ceu frustulum.

Or laissons les pechez disans,
Qu'elle estoit Clergesse lettrée
Quand devant les plus souffisans
De Rome eut l'issue & l'entrée.
Encor te peut estre monstrée,
Mainte Preface que dicta,
Bien & sainctement accoustrée
Ou en la foy point nihesita.

Mentionem Martini Franci habent Franciscus Crucimanensis seu de Cruce Cenomanensi, in *Bibliotheca Scriptorum* pag. 314. *qui vernaculo Francorum idiomate aliquid memoriæ posterorum mandasse noscuntur*, edita Parisiis in folio anno 1584. apud Abelum l'Angelier. Antonius Verderius Vallis, privatæ Dominus, in *Bibliotheca*

bliotheca Gallica, quæ in folio Lugduni anno 1585. apud Bartholomæum Honorati impressa est. Petrus Bailius in *Dictionario Historico & Critico* tomo 2. verbo *Franc* pag. 1269. editionis Roterodamensis anno 1702. apud Reinerium Laers, tribus Voll. in folio, a quo hæc pleraque accepi.

1440 ANDREAS PRESBYTER RATISPONENSIS, hac eadem ætate anno 1440. claruit, temporibus Sigismundi Imperatoris, nempe ab anno 1418. qui Chronicon composuit *De Ducibus Bavariæ* ad annum 1439. pertingens, de quo ita paucis Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 5. pag. 550. editionis secundæ. „Itidem Sigismundi „Imperatoris temporibus clarescebat Andreas „Presbyter Ratisponensis, qui Chronicon com„posuit *De Ducibus Bavariæ*, quod in lucem „prodiit Ambergæ. Meminit quoque Joannes „Aventinus Libro VII. *Historiæ Bojorum*, ubi „dum retulisset, quanta fuerit industria Ratis„ponensium sive Reginoburgensium in Bello „Bohemico, continuo subjungit: *Hæc diligenter „& accurate Andreas Reginobergensis, mysta An„relianus, literis & memoriæ commendavit, id„circo eum cives sui Titum Livium censent.*" Inter opera vererum, quæ edita sunt curis & studio Marquardi Freheri filii, viri eruditione antiquitatis in Germania celeberrimi, recensentur *Andreæ Presbyteri Chronicon de Ducibus Bavariæ*, itemque *Ejusdem Andreæ Historia Fundationum nonnullorum Monasteriorum per partes Bavariæ.* Ita refert affinis ejusdem Paulus Freherus in *Theatro virorum eruditione clarorum* parte 2. Sectione 4. anno Christi 1614. pag. 1004. Utrumque autem Andreæ Opusculum, eductum ex Bibliotheca Marquardi Freheri, editum cum Notis ejusdem Ambergæ anno 1602. in 4. & Hanoviæ 1607. in 4. ut habet Catalogus ille præstantissimus Heinsianæ Bibliothecæ inter Historicos in 4. pag. 314. num. 330. quas Vossius editiones non designaverat. Etiam *Historia hac Andreæ de Ducibus Bavariæ* edita est Argentorati anno 1685. typis Johannis Friderici Spoor, cum aliis multis Historicis Germaniæ in folio, post Historiam Æneæ Sylvii Senensis Episcopi *De rebus gestis Friderici III. Imperatoris*, cum Johannis Henrici Boecleri Annotationibus in eandem, de qua diffuse agunt Supplementa ad *Acta Eruditorum Lipsiæ* Tomo 2. Anni 1696. Sectione 2. pagina 73. ad 81.

1440 JOANNES SORETH, natione Gallus, patria Nortmannus, Alumnus Conventus Carmelitarum Condomensium, vir doctus extitit atque integerrimæ vitæ, quem appellantibus meritis, ad quæque Ordinis Carmelitarum nobiliora officia electus est. Factus diffinitor & provincialis Franciæ, adfuit anno 1440 Capitulo Generali Ordinis Astæ in Italia celebrato. Inde factus Tusciæ seu Etruriæ provincialis, interfuit iterum Capitulo Generali ejusdem Ordinis Cabilone in Gallia anno 1444. celebrato. Iterum electus provincialis Carmelitarum Franciæ, interfuit Capitulo Generali earundem Carmelitarum, Romæ anno 1447. convocato. Tandem factus Generalis Præpositus seu Prior totius Ordinis anno 1451. in Capitulo Generali Avenione habito, cum applausu Capitulantium omnium, hoc in officio strenuum se exhibuit, rigidumque Regularum observatorem in se & in aliis, erga infractores Statutorum vindicem inflexibilem se ostendens. Scripsit in *Regulam Ordinis Carmelitarum* Commentarium celebrem, qui cum Vita ejusdem patris in lucem emissus est a Carmelitis Conventus Rhedonensis, typis Parisinis anno 1625. Dedicatus Gregorio Canali Carmelitarum Generali. Scripsit etiam Constitutionum sui Ordinis Librum unum, in quo eas omnes, quæ illum præcesserant, ad meliorem formam adduxit. Et alia multa, quæ scripsisse perhibet Walterus de Terra nova, primus Vitæ *Joannis Sorethi* author, & ejus peregrinationum individuus Collega, quæ cum ipsius Sorethi Commentariis impressa extat. Inter MSS. Codices Regiæ Galliarum Bibliothecæ adest Codex in 4. num. 4505., qui 200. annorum est, inscriptus, *Constitutiones Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo correctæ & ordinatæ. per Magistrum Joannem Soreth Generalem, & approbata in Capitulo Generali Bruxellis habito 1462.* Mortuus est anno 1471. in Conventu Carmelitarum Andegavensi die 25. Julii, in decursu Visitationum & intoxicatis cibis ipsi adpositis. Scripsit Vitam ejus Walterus de Terra nova, Carmelita contemporaneus, de quo agunt Scriptores omnes *Carmelitarum Rerum.*

PETRUS ALDEBERTUS, Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruisse videtur anno 1440. qui Sacræ Theologiæ Lector, schola relicta concionibus ad plebem habendis intendens, scripsit *Postillam in Evangelia Dominicalia totius anni*, quæ MS. extat in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 5696. in folio Carthaceo. Inscribitur, *Fratris Petri Aldeberti Sacræ Theologiæ Doctoris Postilla super Evangelia Dominicalia totius anni*, scripta anno 1451. Incipit, *Veritas Evangelii* &c. *Iste thema te Doctor gentium* &c. Nec plura de eo scire licuit. 1440

NICOLAUS BOTHERIUS, natione Gallus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, hoc eodem tempore florebat, qui scripsit circa annum 1440. opus inscriptum, *Confessionale Nicolai Botherii Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad Carolum Ducem Aurelianorum.* Extat Opus in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 3761. fol. 198. Incipit Prologus, *Illustrissimo Principi* &c. Opus incipit, *Kyrieleyson verbum est pænitentis, sua peccata* &c. Item ejusdem Epistolæ ibidem fol. 118. ad eundem. 1440

ANTO-

1440 ANTONIUS DE BETONTO, ex Ordine Fratrum Minorum, natione ut credimus Italus, floruit anno 1440. & sequentibus, docens diu Theologiam ab anno 1440. in variis Italiæ urbibus, unde Italum fuisse opinor. Scripsit *Quæstiones Scholasticas Theologicas in Epistolas & Evangelia totius anni, tam de tempore quam de Sanctis*, quæ circumferuntur cum postilla Literali & morali Nicolai de Lyra super eadem, impressæ anno 1500. apud Nicolaum Wolf absque expressione loci. Itemque Lugduni in 4. charactere insigni apud Guillelmum Rovillium anno 1569. cum postillis citatis. Idem scripsit *Sermones in omnes Epistolas Quadragesimales*, Lugduni anno 1496. editos apud Joannem Hertog. Extat sub Antonii de Betonto nomine *Summa egregia Theologiæ*, dedicata a Cardinali tituli sancti Eusebii, MS. Cod. 4518. Bibliothecæ Galliarum Regiæ. Inscribitur, *Summa* Theologiæ F. Antonii de Betonto, Professoris Ordinis Minorum, qui docuit Ferrariæ & Bononiæ anno 1448. & Mantuæ anno 1449. scripta a Fratre Francisco Galhard anno 1460. perfecit die XI. Augusti. Procemium incipit, *Multi fuere Scriptores* &c. Item ejusdem *Tractatus de causis, quare Deus fecit peccabile genus humanum*, MS. in Bibliotheca Fratrum Minorum Mirapicentium, scriptas anno 1448. Incertum quonam anno mortuus sit. De illo Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum* pag. 30. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 92.

DISSERTATIO
DE
DOCTRINA ET SCRIPTIS GEORGII SCHOLARII.

PROLOGUS.

1450 EDidit anno 1709. in 4. Parisiis apud Gabrielem Martin via Jacobæa sub signo Stellæ Eusebius Renaudot Opuscula aliquot Græce & Latine sub Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani nomine, inter quæ primas habet partes pag. 1. *Homilia de corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi* ad pag. 29. & alteram ejusdem tituli & argumenti a pag. 29. ad 37. quæ potius Schedion quam homilia est, licet honesto Homiliæ titulo illud adornet. Pagina autem 37. Dissertationem prolixissimam, ut probet Opusculum istud primum spectare ad Gennadium Scholarium Patriarcham Ecclesiæ Constantinopolitanæ anno 1453. factum, cui dignitati anno 1457. vel 1458. cesserit, ac in Monasterium S. Johannis Baptistæ in monte Menecæo prope Serras vel Pherras secesserit, ut habet pagg. 49. & 51. Dissertationis præfatæ, quique non ad annum 1460. usque, ut Genebrardus scribit, sed ad annum 1464. superstes in vivis fuerit. Pagina autem 40. usque ad pag. 58. Vitam Gennadii stylo prolixissimo exponit, illumque unicum fuisse & eundem non autem duos Gennadios aut tres, quemadmodum Leoni Allatio placuit, argumentis multis ostendit. Denique a pag. 59. ad 68. eludere conatur argumenta diversa, quæ fiunt a Calvinistis & Protestantibus contra duas Homilias istas Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani dictas. Cum autem contrariam sibi opinionem de duobus Gennadiis a Caryophylo atque Allatio defensam arbitraretur, idcirco contra illos cum summo contemptu disputat, Allatiumque variis modis istud scribentem deridet pag. 57. & 58. his verbis, quasi solus ac primus hanc veritatem de uno Gennadio detexerit.

„Porro quæcunque de duobus Gennadiis sive Scholariis a Caryophylo aut Allatio disputata sunt, præter ea, quæ carptim delibera-„ vimus, non tanti videntur esse, ut ad singu-„ lare examen discutienda sint. Id enim non„ nisi prolixa & tædiosa commentatione poterit„ absolvi, sed absque ullo operæ pretio. Nam„ cui semel perspecta fuerit brevis, quam ex„ certis monumentis delineavimus, Historiæ„ Gennadianæ Synopsis, is statim intelliget, in„ quibus & quoties hallucinatus fuerit vir do-„ ctissimus. Mirari vero non satis possumus„ eum, cum primum in Opere *De perpetuo Con-*„ *sensu*, anno 1644. Romæ edito, contentiosum„ hunc de duobus Gennadiis unum ducere coe-„ pisset; deinde paulo post Dissertationi *De Ge-*„ *orgiis* totam suam verbotenus disputationem„ anno 1661. inseruisset. Post annos triginta,„ non secundis aut tertiis, vel trigesimis curis„ meliorem factam, in Opere *contra Creighto-*„ *num* recoctam (anno 1665. edito) iterum de-„ disse: ita ut verba ipsa, jocos, sales religio-„ sissime, ne mutato quidem apice, servaverit.„ Qui itaque unam harum Dissertationum no-„ vit, ambas alteras noverit.„

Fefellit virum doctissimum Caryophylli„ judicium de duobus Gennadiis, quæ opinio„ cum ad asserendum Catholicæ Ecclesiæ Gen-„ nadium commodissima videretur: eam, quo„ se duceret non satis prævidens, secutus est„ non alio fine, quam ne periret autoritas Apo-„ logeticarum pro Florentina Synodo Oratio-„ num: quæ tanti non erat, ut totam idcirco„ Ecclesiasticæ Historiæ recentioris seriem con-„ turbari necesse foret. Caryophyllo duplicem„ Gennadium cur primus somniaret, ratio nul-„ la erat, nisi quod ita ex Collectore Bibliothe-„ cæ Patrum Margarino Bigneo didicerat, quo„ nemo fortassis inferenda de Veterum Scriptis„ sententia infelicior fuit, ex Bellarmino & aliis,„ quorum Critice in exscribendis aliorum com-„ mentariis tota constabat.„

„Sane ex iis, quæ supra disputata sunt, tam „constat apud nos Gennadium Schismaticum „pertinacissimum & furiosum fuisse, quam „quod certissime. Atque ita hujus Homiliæ „quam edimus, major omni exceptione auto„ritas esse debet. Solent enim Protestantes, „si quod ex Græcorum, qui ante quadringen„tos annos scripserunt, libris testimonium „proferatur, statim inclamare, quod fuerit „Latinis addictus. Qua vero ratione in λατινοφρονήσεως suspicionem vocari possit Gennadi„us, qui Latinos tam virulente insectatur, quos „pro hæreticis habet, & illos ad communionem „admitti vetat, qui additionem Symbolo fa„ctam, processionem Sancti Spiritus a Patre & „Filio, Azima, Purgatorium, & ea ipsa, quæ „non inter necessaria fidei capita habentur, er„roris aut hæreseos tam aperte condemnat. „Qui anathema Joanni Baco dicit, & Pseudo„Synodum in qua vir pius & multis nominibus „venerandus damnatus est, amplecti se mul„toties testatur: cujus denique consilio & hor„tatu Monachi & Moniales a communione La„tinorum palam recesserunt, & sancta etiam „profanum in modum conculcaverunt. Qui „in Marci Ephesii verba juravit, quique palam „professus est ἀκοινώνητον erga Latinos mansu„rum se, donec Romana Ecclesia tot hæreses, „quarum illam ubique postulat, abjurasset. „Hæc igitur refellenda incumbunt Protestan„tibus, antequam Gennadium de Eucharistiæ „fide nobis testimonium perhibentem, ex testi„um numero rejiciant. Ut autem id efficiatur, „non inanes conjuncturas, sed certa argumen„ta ab ipsis postulamus. Quæ vero ex nostris „autoribus in contrarium adducere solent, ea „habebimus omnino nihili. Neque enim si quid „Caryophyllus, Allatius, Arcudius, aut alii „de Græcorum rebus scripserunt, legis aut e„dicti perpetui apud nos vim obtinent, ut re„clamare non liceat.“ Hæc Renaudotus aculeato in omnes calamo, quasi solus sapiat, ac Romanas partes defendere possit: quasi primus hanc sententiam de unico Gennadio invenerit æterno Romanæ sedis commodo, qui Protestantes omnes *sordidos autores* per contemptum & ex fidei Eucharisticæ zelo appellat. At quæcunque ille scripsit de unico Gennadio & illo Schismatico, ante ipsum & melius & argumentis tersissime deductis digessit Fridericus Spanhemius Academiæ Lugduno-Batavæ magnum decus, cujus propria verba hujus Dissertationis cap. 2. referemus. Cedit equidem Renaudoti garrulitati, sed illi & stylo & ratione superior multo est. Nihil habet Renaudotus sordidus & garrulus author, quod non in Spanhemio invenerit, vel ab illo acceperit. Jam ad Dissertationem Renaudoto sordido relicto, veniamus.

CAPUT PRIMUM.

DE VITA ET DOCTRINA GEORGII SCHOLARII SEU GENNADII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

GEORGIUS SCHOLARIUS, SEU GENNADIUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, natione Græcus, patria ut creditur Constantinopolitanus, omni Literaturæ genere haud vulgariter institutus, Matthæum Camariotam Magistrum habuit humaniorum literarum ac Rhetorices, juxta Maximum Margunium in Epistola præmissa *Matthæi Camariotæ Epitome Rhetoricæ Hermogenianæ.* Οἶμαι δὲ Ματθαίου εἶναι τοῦ Καμαριώτου τὸ σύγγραμμα, ἀνδρὸς τότε ἄλλα εὐσεβοῦς, καὶ τὰ περὶ λόγους οὐκ ἀγεννοῦς. προσπεφοίτηκε δὲ τούτῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ Γεννάδιος ὁ Σχολάριος, ὁ μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς Κωνσταντινουπόλεως τῆς αὐτῆς τοὺς οἴακας κατεμπιστευθεὶς, ἀκμάσαντι μὲν πρὸ τῆς ἁλώσεως, ὀλίγα δὲ ὕστερον ταύτης ἀπολειπόντι τὸν βίον. Hoc est: *Opinor autem hoc Scriptum esse Matthæi Camariothæ, viri tum pietate tum eruditione non ignobilis, qui quidem floruit ante expugnationem Urbis Constantinopolitanæ per Turcas, & præter alios etiam Gennadium Scholarium, cui post captam Constantinopolim Patriarchalis gubernatio concredita est, discipulum habuit, paulo autem post eandem expugnationem obiit.* Hæc Maximus Margunius. Quæ vix credi a quoquam poterunt, qui attente ad seriem temporum adverterit. Nam Georgius ille Scholarius ab anno 1440. tempore Concilii Florentini clarus apud Imperatorem & Græcos habebatur: Matthæus Camariota ultimis tantummodo Constantini Palæologi temporibus paulo ante Constantinopolim obsessam & a Turcis captam, illuc venisse & floruisse videtur. Itaque coætaneus Georgio Scholario, sed ætate junior illo, fuisse videtur. Hunc errorem sequutus est Dominus Gerlachus apud Martinum Crusium in *Turcogræcia* lib. 2. pag. 187. quem Dissertationis hujus capite 5. confutabimus. Imo Georgius Scholarius erat Judex in Judicio Imperatoris apud Constantinopolim ab anno 1436. & antea antequam Matthias Camariotha illuc advenisset. Pluribus ante Synodum Florentinam annis in Didascalorum Collegio Constantinopoli admissus non levem apud Joannem Imperatorem gratiam iniit, secretioribus Consistorii Imperialis consiliis, omnibusque de Unione cum Latinis ineunda Episcoporum consultationibus ac deliberationibus adhibitus. Narrat enim Sguropulus *Historiæ Concilii Florentini* Sect. 3. cap. 6. *Orationem brevem ejusdem Georgii Scholarii ad Joannem Imperatorem* Constantinopoli factam, cum de unione cum Latinis ab illo consuleretur, antequam iter italicum ad Synodum aggrederetur. Cum ergo ab intimis Joanni Imperatori esset, anno 1438. in Italiam ab eodem Imperatore

tore ductus, quasnam in Concilio Florentino partes egerit, non satis constat. Latini partes Latinorum ab ipso acriter susceptas, & scribunt & credunt. Circumferuntur enim sub illius nomine *Orationes quatuor* ad Synodum Florentinam, quæ Latinorum partibus non solum favent, sed data etiam opera eas propugnant. Verum illas a maleferiato quodam Latino confictas, & Gennadii nomine suppositas esse contendunt Rivetus, *Critici Sacri* Lib. 4. cap. 19. atque post ipsum Robertus Creightonus in præfatione ad *Historiam Sguropuli*. Sane ut inquit Henricus Warthonus in *Supplemento* Historiæ Literariæ Guillelmi Cavi ad annum 1453. pag. 138. effusa Ecclesiæ Romanæ adulatio & Græcæ contemptus, quibus istæ Orationes scatent, longe infra spectatam Scholarii prudentiam & gravitatem subsidunt. Olent illæ nescio quem Græcum Ecclesiæ Latinæ subjectum, qualis tunc temporis Josephus Methonensis Episcopus fuit: etsi non diffitear in MSS. Codicibus ut & in impressis, præferre Georgii Scholarii nomen. Quin nec imbellem prorsus Chalcocondylæ authoritatem, qua pugnavit Andreas Rivetus, Leo Allatius reddidit. Sic enim Libro 6 Chalcondylas: „Eugenius Papa (paullo post solutam Synodum Florentinam) Constantinopolim misit viros quosdam doctos εἰς διάλεξιν ἀφικομένους τοῖς τῶν Ἑλλήνων σοφοῖς, οἱ οὐ προσιέντο τὴν γενομένην σφίσι ξύνοδον κατὰ τὴν Ἰταλίαν, Μάρκῳ τε τῷ Ἐφέσου ἀρχιερεῖ, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν τιθεμένῳ τῷ τῶν Λατίνων δόγματι τῷ παράπαν, καὶ Σχολαρίῳ τῷ τότε παρ᾽ Ἕλλησι τὰ εἰς σοφίαν εὐδοκιμοῦντι. οὐ μέν τοι ἤνυέτο αὐτοῖς οὐδέν &c. Quamvis inquam Rivetus Interpretis Latini errore deceptus, verba ista, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν τιθεμένῳ τῷ τῶν Λατίνων δόγματι τὸ παράπαν, quasi de Scholario pariter ac Marco Ephesino dicta, male acceperit: attamen quod non minoris momenti est, hanc priorem periodum τοῖς Ἑλλήνων σοφοῖς, οἱ οὐ προσιέντο τὴν γενομένην σφίσι ξύνοδον κατὰ τὴν Ἰταλίαν, *Eruditis inter Græcos qui non admiserant factam a se intra Italiam Synodum*, Georgio Scholario non minus quam Marco Ephesino assignandam esse, nec ipse quidem Allatius negare potest.“ Unde evidenter concluditur, Synodum Florentinam a Georgio Scholario, qui præsens ipsi aderat, approbatam nunquam fuisse: ut de Marco Ephesino Archiepiscopo, apertissime a Sguropulo scriptum est. „His adde Phranzæ & Racendytæ authoritatem. qui Scholarium in Synodo Florentina Latinis neutiquam accessisse affirmant, & argumenta quæ unicum fuisse Georgium Scholarium suadent, optimam nobis suppeditant rationem, non tantum dubitandi, sed etiam alliciendi omnimode *Orationes illas tanquam suppositas*, quibus Latini Georgium Scholarium in Synodo Florentina fuisse, plenis buccis crepitant.“ Mirum autem id quod illic scribit Henricus Warthonius, quem hucusque exscriptum amplexi sumus, nempe pag. 138. „*Utut sit, Scholarium cum Latinis postea sensisse, satis superque constare.* Addit autem idem Warthonius ibidem ad annum 1438. pag. 114, id disertis affirmare verbis Georgium Phranzam *Historiæ* Lib. 2. cap. 19. Scriptorem coævum & in Græcorum republica versatissimum, cujus sola authoritas mille argumentis in contrarium præponderare debet. Idem Historia Civilis Constantinopolitana, Manuel Malaxus in Historia Ecclesiastica, aliique, ut de Latinis taceam. Sane mutasse post Concilium Florentinum suam sententiam Scholarium haud adeo mirantur, qui versipelle Græcorum ingenium norunt: præterquam quod Scholarium, quisquis ille demum fuerit, qui Concilio Florentino interfuit, Latinis adeo non accessisse: ut Marci Ephesini æmulus subscriptionem constantissime denegaverit, totidem verbis tradunt Phranza, atque Rhacendyta apud Plusiadenum, ut Chalcocondylam impræsentiarum mittam. Perperam ergo in hanc accessit sententiam Matthæus Caryophilus Iconiensis Episcopus, in Præfatione ad V. Cap. Concilii Florentini: ut existimet duos fuisse Scholarios, alterum Latinorum amicum, qui Concilio Florentino adfuit, & ante captam Constantinopolim Laicus obiit: alterum eorundem hostem, qui captæ urbis Patriarchatum obtinuit. Verum sententia ista multis nominibus damnanda venit. Pluribus eam oppugnat, aliamque a se confictam profert Leo Allatius *De perpetua Consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* Lib. 3. capp. 5. & 6. & in Diatriba *De Georgiis & eorum Scriptis* pag. 394. Nempe Georgium Marci Ephesini amicum morbo impeditum esse, quo minus Concilio interesset: atque ante captam urbem defunctum, Græcorum caussam ad extremum usque Spiritum fovisse. E contra Georgium, qui Patriarcha postmodum factus est, Concilio adfuisse, & cum Latinis semper sensisse. Multa sane congerit argumenta Leo Allatius, quæ tamen, ut id pace tanti viri dixerim, rem extra controversiam omnem nequaquam ponunt. Hallucinatur quidem Caryophilus, sed quidsi unicum illo seculo floruisse Scholarium dicamus: qui primum patriam Ecclesiam constanter propugnans, postea ad Latinos defecerit post Concilium, & thronum Patriarchalem conscenderit.“ Hæc quidem recte Henricus Warthonus locis citatis, quem descripsimus, ob rationes ab ipso plausibiles allatas. Mutationem autem hanc Georgii Scholarii post Synodum Florentinam esse factam, qua a Græcis opinionibus, quas antea religiose coluerat, ad Latinos vagus & inconstans pertransiit: nos docet eruditissimus vir Carolus Dufrenius du Cange in *Glossario ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis*, tomo 2. pag. seu col. 1281. ex authoritate MS. Codicis Regii his ver-

„bis. Sed quandoquidem Gennadii, qui ante
„adeptum Patriarchatum Georgius Scholarius
„appellabatur, hic mentio incidit: haud ingra-
„tum fortasse erit Lectori, si locum hic descri-
„bam, qui famosam illam *de duobus Georgiis Scho-*
„*lariis* controversiam dirimit, altero qui Græ-
„cis, altero qui Latinis eodem tempore fa-
„verit, de qua copiose egit Leo Allatius in Dia-
„triba *de Georgiis*: qui eo videtur concedere,
„ut revera diversi fuerint: cum contra unus
„idemque sit, sed qui abdicata & mutata priori
„sententia, quam Scriptis acrius contra Latinos
„tuitus fuerat, iis postea se adjunxerit. Id in-
„quam exacte docet Marcus Ephesinus Archie-
„piscopus, in Epistola incdita, quæ habetur in
„Codice Regio 3118. ut hodie notatur, hoc
„titulo. *Μάρκȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Ἐφέσȣ εἰς κύ-*
„*ριον Γεώργιον τὸν Σχολάριον.* Ὅσης ἡμεῖς ἐνέ-
„πλησας, ἡδονῆς, ἡνίκα τῆς ὀρθῆς δόξης ἐγένȣ, καὶ
„εὐσεβȣ̃ς, καὶ πατρίȣ φρονήματος, καὶ τῇ κατα-
„ψηφισθείσῃ παρὰ τῶν ἀδίκων κριτῶν συνηγόρη-
„σας ἀληθείᾳ, τοσαύτης ἐκ τȣ̃ ἐναντίου λύπης καὶ
„κατηφείας ἐπλήσημεν, ἀκȣ́σαντες μετατεθεῖσθαί,
„σε πάλιν, καὶ τἀναντία φρονȣ̃ντε καὶ λέγειν, καὶ
„τοῖς κακοῖς οἰκονόμοις συντρέχειν ἐπὶ τὰς μεσίτη-
„τας καὶ οἰκονομίας. Mitto reliqua cum hæc
„satis superque, Scholarium sententiam mu-
„tasse declarent, omnemque controversiæ no-
„dum solvant. Hæc Ducangius, quibus con-
stat hanc factam esse in Gennadio seu Georgio
Scholario mutationem post Concilium Floren-
tinum ex his verbis, *καὶ τῇ καταψηφισθείσῃ*
παρὰ τῶν ἀδίκων κριτῶν συνηγόρησας ἀληθείᾳ,
atque condemnatæ ab injustis judicibus auxiliatus
es veritati. Illic attulit ad Latinorum opinio-
nes in Synodo Florentina decretas, ac Græco-
rum damnatas, quibus cum Marco Ephesino
Archiepiscopo restiterat, Georgius Scholarius.
Et ut sit cum Latinis Scholarium postea sensisse,
satis superque constat: qui anno 1453. capta a
Turcis tunc Constantinopoli, in thronum Pa-
triarchalem urbis tunc vacantem, per egressio-
nem seu expulsionem Gregorii qui Metropha-
ni successerat: Georgius Scholarius Laïcus
adhuc a Mahomete Imperatore evectus est,&
insusitatis plane honoribus cumulatus. Illum
referente Crusio in Turcogræcia, sub primis
Patriarchatus initiis a Palutio ad Patriarchalem
domum pedes deduxit Tyrannus, quem de re-
bus etiam sacris differentem non illubenter
postea audiebat. Quinquennium ille sedi Con-
stantinopolitanæ, mutato Georgii in Genna-
dium nomine præfuit, Georgio Gemisto Ple-
thoni summo Philosopho maxime infensus fuit,
cujus Libros tres *de legibus & optima Republica*
flammis, ex odio in authorem commisit: ut ha-
bet Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum*
Scriptis pag. 191. & Petrus Lambecius Libro
VII. Commentariorum *Bibliothecæ Cæsareæ Vin-*
dobonensis a p. 171. ad 176. Verum pertæsus re-
giminis, seu quod pertinax Græcorum adver-
sus Latinos odium doleret, seu ut alii volunt,
de Mahomete ad fidem Christianam perducen-
do amplius sperare desisteret, onus sibi imposi-
tum abjecit Patriarchatu ejurato, & anno cir-
citer 1458. in Monasterium secedens, reliquos
illic vitæ dies ab omni seculi remotos strepitu
transegit, circa annum 1460. mortalitate exu-
tus.

CAPUT SECUNDUM.

SENTENTIA FRIDERICI SPANHEMII DE GEORGIO SCHOLARIO SEU GENNADIO PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO.

Clarissimus Vir D. Fridericus Spanhemius,
contra vulgarem satis hanc sententiam, o-
pinatur Georgium Scholarium seu Gennadium
postea Patriarcham Constantinopolitanum,
nunquam Latinis neque in Synodo Florentina
neque post Synodum favisse, neque ante neque
post adeptam sedem hanc Patriarchalem, atque
omnia quæ producuntur in Latinorum gratiam
a Georgio Scholario Scripta spuria esse, falso i-
psi adscripta atque gratis ab aliis Græcis Latino-
rum parti adhærentibus. Illum semper usque
ad mortem Græcorum ritibus & opinionibus
invariabiliter adhæsisse. Ita ille in Exercitatio-
ne Historico-theologica *de perpetua in hunc diem*
dissensione Ecclesiæ Græcæ & Orientalis a Romana
& Papali, parte 1. num. seu sect. 9. & 10. his ver-
bis. In his præcipue memorandus mihi est,„
suppositus ille *Georgius Scholarius vel Gennadius*,„
qui scilicet fuerit tum in Synodo Florentina,„
tum post Synodum (ut ad calcem Actorum,„
Synodi ejus videre est tomo 12. Conciliorum,„
editionis Labbeanæ) magnus Latinorum Dog-„
matum defensor, unionis; que cum Latinis:„
idemque ille deinceps Patriarcha Constanti-„
nopolitanus, statim a capta Constantinopoli,„
per Muhamedem II. Cui etiam afficta nuper,„
est defensio τῆς μετουσιώσεως seu *Transsubstan-*
tiationis, qualis a Latino homine proficisci po-„
tuit, ex chartis MSS. *Meletii Syrigi*, vanissimi,„
Monachi, qui Romæ Cyrillo Lucari opponen-„
dus fuit. Unde de eo Scripto judicium esto,„
vulgato a præfato authore *Historia Critica*„
Credere ne propera, falsa omnia. Genebran-„
dus ad annum 1431. *Græci fere omnes e Synodo*„
Florentina reversi, fiunt infensi Romano Pontifi-„
ci, iterum ad vomitum redeunt, authoribus Mar-„
co Ephesino & Scholario, Græcorum doctissimis.„
Sic ille recte, & sic quotquot in adversariis in-„
genui. Nempe Georgius Scholarius, insignis,„
Didascalus Constantinopolitanus, etiam κρι-„
τὴς τῆς βασιλικῆς κρίσεως, apud Emmanuelem„
Malaxam *Turco Græcia* lib. 1. pag. 15. atque o-„
mnium confessione vir pari doctrina, integri-„
tate, judicio, jam ante Synodum prudentissi-„
mi fuerat author consilii Johanni Palæologo„
Imperatori: Scilicet ut Unio cum Latinis, si„
quæ sancta & tuta quæreretur, nec modo οἰκο-„
νομικὴ quædam ἕνωσις, *Politica quadam unio*,„
politicis

„politicis consuenda machinamentis, eam ut præcederet quam accuratissime ἐξέτασις & ἀπόδειξις, pervestigatio & demonstratio singulorum dogmatum, liberis cujusque suffragiis minime prensatis aut coactis, antequam Synodice quicquam definiretur. Quo ipso præcavebat iter Italicum, & insidiosam Unionem Ferrariæ aut Florentiæ ineundam. Et quanquam comes Imperatoris in eo itinere fuisse referatur. Senatorio nomine, cum Gemistio & aliis, Principi a consilio futurus, seu ἐκ τῆς Συγκλήτου, ut Michael Ducas *Historiæ Byzantinæ* cap. 31. nunquam tamen approbasse Unionem, idem Historicus tribus locis testatur. Cumprimis solemnis illa protestatio fuit hujus Scholarii apud eundem Ducam ibid. cap. 32. pag: 142. editionis Regiæ, ἵλεώς μοι Κύριος, ὅτι ἀθῷος εἰμι τοῦ τοιούτου πταίσματος: *Propitius sit mihi Dominus, coram te testor, me insontem & purum esse ab ejusmodi offensione.* Quare falsus Martinus Crusius *Notis* ad Historiam Politicam Constantinopolitanam, asserens *Scholarium in Concilio Florentino Latinis assensum fuisse.* Ac conjunctissimus idem Scholarius Marco Ephesino fuit, ut durante Concilio, ex Actis Sgyropuli, sic ante & post Synodum, ad extremum usque, *nunquam in opinionem Latinorum abreptus*, ut ingenue Petrus Arcadius non semel in Libris *De concordia Orientalis Ecclesiæ* Lib. 1. cap. 3. & Lib. 2. cap. 7. Matthæus Caryophilus, *præfatione* ad Scholarium alterum, tom. 13. Conciliorum editionis Labbeanæ: Græculus uterque, de quo infra, ac judice ipso Allatio, *De perpetuo consensu* Lib. 3. cap. 6. *literis sacris profanisque excultissimi.* Idem ille Scholarius est vel Gennadius, qui nondum Patriarcha, sed Καθολικὸς Διδάσκαλος τῆς τῶν ὀρθοδόξων ἐκκλησίας, ac jam tum ταπεινὸς Μοναχὸς, sed dudum a Synodo Florentina subscripsit Epistolæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ anno 1451. ad Bohemos, contra νεωτερισμοὺς, *innovationes Latinorum*, & contra τὴν ἕνωσιν, τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ δεδεκασμένην, *Unionem Florentiæ simulatam:* ut inter alios subscripsit ille Σίλβεστρος ὁ Συρόπουλος, qui Historiam Concilii Florentini concinnavit, editam a Roberto Creyghton. Et eam ipsam Epistolam invitus exhibet Allatius, Libro 3. *De perpetuo consensu* cap. 4. num. 2. sed sibi *pluribus modis suspectam:* quamvis editam ex Bibliotheca Collegii Cæsarei, a Consiliario Maximiliani Imperatoris. Ac de ea pluribus postea Author idem Scholarius est, prolixi editique *Syntagmatis contra Latinos*, quod dicitur ὀρθοδόξου καταφύγιον, quod Londini in 4. Græce solum editum in partes seu libellos VIII. distributum, una cum duobus sermonibus, etiam Græce solum editis Gregorii Metropolitæ Thessalonicensis, de quo supra ad annum 1430. Hoc opus, quod non in manibus meis est, scriptum fuit post annum 1439. quo Josephus 2. Patriarcha CP. die 9. Junii Florentiæ mortuus fuit. Dedicatum vero Metrophani Patriarchæ CP. ac tribus aliis Orientalis Ecclesiæ Patriarchis, qui antea Metropolita Cyzicenus, anni 1440. vere electus Patriarcha CP. Ecclesiam istam ad annum 1445. obtinuit quinquennio, de quo Allatius Lib. 3. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 3. Bandenius Tomo 1. *Imperii Orientis* pag. 992. Scriptum a Gennadio antequam in Pantocratoris Monasterium secederet, & ante *Gennadii* nomen assumptum, magis ante aditam Patriarchæ dignitatem: ostensurus causas Schismatis Latinorum, & Γραικοὺς ὀρθῶς φρονεῖν, *Græcos recte sentire*, ac damnaturus τὰς ἐν Φλωρεντίᾳ συνθήκας, *Pacta suorum in Florentina Synodo.* Et alia etiam adversus Latinorum Decreta: quin adversus Thomam Aquinatem, Demetrium Cydonium aliosque scripsisse hunc ipsum Scholarium, *Historiæ Byzantinæ* & Indices Librorum MSS. testantur. Unde Romana commenta, modo defecisse hunc Scholarium a Latinis ad Græcos, mutata sententia; & ita Possevinus, Baronius, Bellarminus, Coccejus & plures alii: modo a Græcis transiisse ad Latinos, indignato scilicet Marco Ephesio, & exprobraturo Apostasiam, pari utrobique atque impudentissimo commento. Et ille ipse Scholarius est, a quo post captam urbem, cum annuente Turca, electus esset in Patriarcham Constantinopolitanum ex Monacho, (sub quo habitu nomen Gennadii assumpserat) edita est luculenta *Confessio fidei*, ὁμολογία περὶ τῆς ὀρθῆς καὶ ἀμωμήτου πίστεως, Muhammedi II. anno 1454. exhibita, ac versa ea in linguam Arabicam, non semel impressa Parisiis, & apud Martinum Crusium in *Patriarchica Historia* Turcograeciæ Lib. 2. pag. 173. editionis Francofurtensis 1563. ac post Orationem Davidis Chytræi, *De statu Ecclesiarum in Græcia* &c. In qua Latinorum dogmatum vel rituum, aut Hierarchiæ Papalis plane nihil, nec ullum ex *Capitibus V. Synodi Florentinæ*, pro quibus scripsisset antea tanta contentione idem Scholarius, si fides Allatio. Certe nihil ea Confessio pro *Processione Spiritus Sancti ex Filio*; quidquid aliunde citet Allatius ex Johanne Alexandro Brassicano, quæ in ὁμολογία illa, seu edita, seu Codicib. MSS. non leguntur. Nihil in eadem pro *Purgatorio*, nihil pro *Papæ in Ecclesia primatu*, nihil pro *Sacrificio in Azymo:* imo quædam plane adversa, ut conferenti liquet &c. Quædam etiam ibi luculenta pro fidei Christianæ πληροφορία, *certitudine:* cujus septem adfert præsidia, nullum in *infallibilitate Ecclesiæ*, minus *Romanæ*, minime omnium *Romani Pontificis.* Eundemque fuisse *Scholarium* ad Patriarchatum evectum, licet invitum, sub Gennadii jam nomine, qui *contra Latinos calumnias strinxit*, vel ut loqui solet Allatius, *insaniit*: nunquam vero pro Latinis scripsit,«

„ſcripſit, *perpetuus illorum hoſtis*, teſtati ſunt „ſupra Caryophilus & Arcudius, nec ſemel, „nec ſoli. Ac non diſſimulat horum ſententi- „am ipſe Allatius, in ſuis *Exercitationibus contra Creyghtonem*, Exercitat. VII. pag. 95. & „107. editionis Romanæ. Item nec aliter „quidquid Græcorum eſt, qui res Byzantinas „ejus temporis tradiderunt, ac hujus Genna- „dii, antea G. Scholarii meminerunt, tanquam „infenſiſſimi hoſtis Unionis Florentinæ, tum „ante profectionem Italicam, tum poſt redi- „tum Imperatoris. In his ſunt *Georgius Phranza* in Chronico ſuo *De rebus Byzantinis* a Pon- „tano edito, Leonardus Chius in *Epiſtola de Expugnatione Conſtantinopolitana* pag. 91. ut „fatetur Allatius contra *Præfationem* in Acta „Sgyropuli. Ducas Michaelis Nepos in Hi- „ſtoria Byzantina non ſemel, cap. 37. pagg. „142. & 146. qui Gennadium antea G. Scho- „rium, tum *ἐγκλειστον inclusum*, etiam *ἀρὰς* „*diras* imprecatum eſſe ſimulatæ pacis fautori- „bus: tandemque & Laonicus Chalcocondylas „in Hiſtoria Turcica, ubi de Legatione Euge- „nii IV. ad Græcos Synodum Italicam non ad- „mittentes, *Scholario* in prima acie collocato, „una cum Marco Epheſio Metropolita.

„Interea ſi Allatio non uno in Scripto, & „Pontificiis recentioribus fides eſt, *Scholarius* „*ille qui & Gennadius*, ac qui deinceps Patriar- „cha fuit, ſub Turcæ dominatu, ſed poſt an- „nos quinque, abdicato Patriarchatu, rurſus „in Monaſterium receſſurus, is ipſe eſt, qui „pro *Synodi Florentinæ quinque Capitibus ſcripſerit*, qui hanc cauſam in Italia fortiter urſerit, „qui fœde adulatus ſit Romano Pontifici, *Orationibus ſuis ad Florentinæ Synodi Patres*, qui „in Latinorum communione conſtans manſe- „rit, & cui nihil rei cum Marco Epheſino fue- „rit. Re vera autem hic Gennadius Romæ „ſuppoſitus fuit, familiari Latinis fraude, „quod & vidit Rivetus noſter Critic. Sacrorum „Lib. 4, cap. 19. apponendus autem per frau- „dem Gennadio, ob viri tanti auctoritatem. „Vel certe Græculus aliquis fuit, ſeu vero „Scholarii nomine, ſeu aſſumto; homo ſub lar- „va doctiſſimi Græcorum, poſt Synodum Flo- „rentinam, ad ſcribendum impulſus condu- „ctitia opera. Ac mirum dictu eſt, quibus „ſemet contradictionibus atque ambagibus in- „volvat, fere convolvolus ſed & pudere neſci- „us Allatius, cumprimis in ſuis *Exercitationibus contra Creyghtonem*, Romæ anno 1665. „editis, & in Diatriba *De Georgiis*. Hinc cum „ipſe, tum ex eodem grege alii, *Scholarios duos* eodem tempore commenti ſunt, *coætaneos*, „*cognomines*, *non indoctos*, alterum pro Syno- „do Florentina, alterum contra eandem, ut „nihil mendax Roma non auſa eſt. Unde ut „fallacia fallaciam tradit, Scholario eidem tri- „buenda, ab Cyrilli Lucaris adverſariis, *Defenſio μετουσιώσεως* fuit: quin etiam *Marco Epheſio affingenda Epiſtola*, qua in Scholarium in- vehitur, ut *proditorem & apoſtatam*. Exhibet" eam Leo Allatius ex Bibliothecæ Ambroſianæ" Codice MS. communicante Emerico Bigotio," *Exercitatione* VII. pagg. 88. 89. 90. in Creygh-" tonis Apparatum ad Hiſtoriam Syropuli, ſed" ita, ut ne ipſe vitam habeat: qui omnino Gen-" nadium vel Scholarium ſuum *unquam defeciſſe*" negat, conſtanter defenſorem cauſæ Latino-" rum, & alteri vere Græco negat quicquam" fuiſſe rei cum Latinis, aut cum Unione illa" Florentina. Unde Leonis judicio *Exercitat. contra Creyghtonem* pag. 94. *Duo Scholarii fuere*," quanquam is opportune *quæſtionem eam de duobus Scholariis variis difficultatibus involutam*" fateatur. Credo equidem, quando hoc ne-" gotii datum Allatio fuit, ut verum Gennadi-" um Latinos oppugnantem in *Monachum Græculum*; & contra perſonatum Scholarium," Latini Dogmatis & Unionis Florentinæ defen-" ſorem, in *Gennadium Patriarcham* transmu-" taret: plane contra aſſertum Matthæi Cary-" ophili & aliorum quos diximus. Et tantum" abeſt, ut a Marco Epheſio, Latinis & Unioni" Florentinæ infenſiſſimo, Scholarius ille qui &" Gennadius Patriarcha, diviſus fuerit: ut con-" tra ſcripſiſſe dicatur, more Græcorum, *Monodian in dormitionem Sancti Marci Archiepiſcopi Epheſini*, MS. illam Græce Venetiis aſſerva-" tam, cujus & Geſnerus meminit. Ita M." Caryophilus Præfat. in *Orationes Georgii Scholarii* (hominis Latinizati) ad Patres Synodi" Florentinæ, de vero Scholario refert, qui" Patriarcha fuit, non alium occurriſſe Marco" Epheſio e vita diſceſſuro, cui cauſam Græco-" rum committeret Ei (inquit ille tom. 13." Conciliorum col. 543. editionis Labbeanæ)" Epheſius Metropolita *παρακατέθετο τῆς οἰκείας δόξης τὴν προστασίαν*, *Reliquit in modum*" *ſacri depoſiti domeſticæ Græcorum ſententiæ patrocinium*, ſcilicet contra Synodum Italicam," & veteratores Henoticos: veritus quorſum" ficta illa conciliatio evaderet, oppreſſura" oſcitantes Græcos, ſi non ſapienter provide-" rent. Et diſerte Chalcocondylas *Hiſtoriæ Lib. 6.*" pag. 156. editionis Regiæ, inter eos, qui non" admittebant *τὴν γενομένην Σύνοδον κατὰ τὴν Ἰταλίαν*, ad quos mittendi ab Eugenio IV. vi-" ri docti, fuiſſe principes *Μάρκον τὸν Ἐφέσου Ἀρχιερέα*, & *Σχολάριον τὸν τότε παρ' Ἕλλησι τὰ ἐς σοφίαν εὐδοκιμοῦντα*: *Marcum Epheſi Archiepiſcopum*, & *Scholarium Græcorum ſapientiſſimum*. Addit Hiſtoricus, quemadmodum" nec ab initio quidem *Dogmati Latinorum conſenſerant*, ita neque poſtea conſenſiſſe, fru-" ſtra ad colloquium cum Legatis Pontificiis ad-" miſſos, qui *ἀπεχώρουν ἄπρακτοι ἐπὶ Ἰταλίας*," *re infecta in Italiam reverſi ſunt*. Quin ipſe" Georgius Phranza in Chronico *De rebus Conſtantinopolitanis* Lib. 2. cap. 19. diſerte negat," *Scholarium ſubſcripſiſſe Synodo Florentinæ*, æ-" mulum hac parte *Marci Metropolitæ Epheſii*." Defeciſſe autem poſtea, putidum commen-" tum

„tum recentiorum est. Pari constantia tempore ejus Synodi, fuere præter Ephesinum „Metropolitam & Georgium Scholarium, *Præsul* etiam *Heracleensis* πρόεδρος & ἔξαρχος, „magno & invicto animo reluctatus Imperatori, clam se etiam subducturus, ex Syropuli „Historia Sect. 12. cap. 11. Tum Sect. 7. cap. 8. „& 9. *Georgius Gemistius Pletho*, Græciæ totius μέγα κλέος, qui post Platonem & Aristotelem σοφώτερον οὐκ ἔφυσεν ἡ Ἑλλάς, ut „in Epistola ἀνεκδότῳ Bessario Cardinalis (cujus Bessarionis alias *contra Plethonem* inedita „Epistola est in Bibliotheca Medicæa, & *Epistola ad Gemistium* in Bibliotheca Veneta Sanctorum Johannis & Pauli.) Pari is Gemistius „constantia tuitus Florentiæ Græcorum causam & Dogmata. Ita *Sylvester Syropulus* vel „Συγερόπουλος, Magnus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Præfectus, unus ex Patriarchæ „Assessoribus scripturus a reditu ex Synodo, „virorum istorum constantiam, aliorum levitatem, Unionis totius infamiam, in *Historia* „*Concilii* primum edita a Roberto Creightono, „quem vide." Hæc sententia prudens & fundata, solidaque Friderici Spanhemii, quam præcedentibus longe veriorem ac firmiorem arbitror & sequor. Jam vero Georgii Scholarii scripta examinemus.

CAPUT TERTIUM.

DE SCRIPTIS GEORGII SCHOLARII, SEU GENNADII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

EXtant hujus Scriptoris Opuscula multa Græce MSS. in Anglicanis Bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodleianæ Oxonii Bibliothecæ Codice Barocciano 36. num. 1. *Gennadii Apologia pro Synodo Florentina* τῆς εὐσεβείας μέγα μυστήριον. Codice 92. pag. 1. *Georgii Scholarii tractatus de Dissidio inter Græcos & Latinos circa processum Spiritus Sancti*. Τὸν θεῖον. Num. 2. *Idem in transfigurationem Domini*. Εἴπερ ἄλλην τινα τῶν ἱερῶν pag. 193. Codice 07. pag. 84. *Georgii Monachi Patriarchæ Constantinopolitani Apologia pro fide Christiana ad Amoram*. Πιστεύομεν. ὅτι ἐστι Θεός. Ibidem Codice 294. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 115. num. 5. *Scholarii Dialogus inter Christianum & alienigenam de doctrina S. Trinitatis*. Codice 506. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi, & Oxoniensis Academiæ Cancellarii litera B. Codice 25. num. 4. *Gennadii Scholarii Archiepiscopi Constantinopolitani Oratio ad unum & triperſonalem Deum*. Ibidem Codice 2877. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji super P. 3. Art. Codice 94. num. 8. *Gennadii CP. Apologia pro Christiana fide* pag. 207. Denique Codice 3377. in MSS. Joannis Seldeni Codice 47. num. 2. *Georgii Scholarii de processione Spiritus Sancti Dialogus* &c. Græce. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5960. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 126. num. 2. *Gennadii Apologia ad Amirum Mahommedem*. Denique in Lugdunobatava bibliotheca inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice 129. num. 7. *Georgius Scholarius De sensu Aristotelis circa animam*. Num. 8. *Idem de ratione Syllogismorum Aristotelis*.

Extat quoque sub Georgii Scholarii nomine *Epistola seu Oratio De unione cum Latinis ineunda ad Episcopos Orientales in Synodo Florentina*, cujus in ipso exordio non leve plane τῆς νοθείας argumentum, prima fronte apparet. Auihor enim sibi veniam præfatur, quod huic negotio sese non vocatus immiscere audeat: cum ex Sguropulo sole clarius constet, Scholarium, etiam antequam Constantinopoli solveretur, omnibus Imperatoris ac Episcoporum consultationibus de unione facienda admotum fuisse. Extat Græce & Latine tomo XIII. Conciliorum editionis Labbeanæ Parisiensis a col. 543. ad col. 564. Hæc Epistola cum tribus Orationibus sequentibus arguitur suppositionis notoriæ, a Roberto Creygtono in Præfatione ad lectorem, quam præmisit *Historiæ Concilii Florentini*, a Sylvestro Sguropulo editæ, quam videas.

Sub ejusdem Georgii Scholarii nomine *aliæ tres Orationes ad totum Concilium Florentinum:* quarum prima ostendit, *quod facienda sit unitio sive concordia dogmatica & non pax, quæ præsenti tantummodo rerum tempori profutura sit: & quanam ea sit*. Secunda autem agit *De tollendis talis pacis impedimentis*. Tertia denique *De modo talis pacis conficiendæ*. Extant Orationes istæ tres cum quarta præcedente ex Matthæi Caryophili interpretatione, tomo XIII. citato ad calcem Actorum Concilii Florentini, a col. 563. ad col. 676. Verum Orationes istæ nequaquam spectare possunt ad Georgium Scholarium, qui postea Constantinopolitanus Patriarcha factus est, & cui illas adscribit Matthæus Caryophilus. Ut enim recte notat Henricus Warthonus loco jam allato, *Effusa Ecclesiæ Romanæ adulatio & Græcæ contemptus, quibus ista Orationes scatent, longe infra spectatam Scholarii prudentiam & gravitatem subsidunt*. Non nego sane, quin illæ in MSS. Codicibus sub Georgii Scholarii nomine inveniantur. Ut enim habet Antonius Possevinus ad *Apparatus sacri* calcem. in Bibliotheca Bavarica Codice MS. Græco 55. *Georgii Scholarii Exhortatio ad pacem ineundam, opemque patriæ ferendam, ad Synodum Florentinam. Ejusdem ad eandem Synodum pro concordia constituenda Orationes tres, cum Epistola Nicolai Papæ V ad Constantinum Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum, & Epistola Bessarionis ad Græcos*. Eædem illæ quatuor Orationes Græce MSS. sub Georgii Scholarii nomine, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Historico Græco LXI. ad calcem Actorum Concilii Florentini,

rentini, a fol. 170. pag. 1. usque ad fol. 216. pag. 1. ut habet Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 505. cum iisdem Opusculis quæ in Codice Bavarico existunt. Extantque etiam eadem opuscula eodem modo sub eorundem nominibus, ibidem Codice MS. Historico Græco LXII. ut habet idem Lambecius ibidem, p. 508. Nullum ergo dubium, quin sincere processerit Matthæus Caryophilus in editione & inscriptione horum opusculorum, quæ Georgio Scholario adscripsit juxta MSS. Codicum fidem. At certo certius est, Orationes istas non spectare posse ad Georgium Scholarium, quem ex authoribus Synchronis scimus in Concilio Florentino, in quo pronuntiatæ illæ sunt, fuisse firmum opinionum Græcarum assertorem, atque in tantum suæ Ecclesiæ sensibus adhæsisse, ut huic Concilio teste Sguropulo præsente, subscriptionem suam denegaverit. Accessit equidem postea post Concilium Florentinum temporibus Constantini Palæologi, Georgius Scholarius Latinus opinionibus, vel Latinorum argento corruptus, vel Imperatoris Constantini instantiis ardentioribus impulsus, ut ex allata Marci Eugenici Ephesini Episcopi Epistola constat: sed ex eadem intrepidus pro Græcis in Concilio stetit, imo post Concilium actum plurima, quæ adhuc extant, contra eorum doctrinam opuscula scripsit. Spectant autem Orationes illæ, quantum conjecturis assequi possumus, ad *Gregorium Protosyncellum*, postea etiam Patriarcham Constantinopolitanum ante Georgium Scholarium de quo Nicolaus V. in Epistola ad Constantium Palæologum anno 1451. Constat enim illum adfuisse Concilio Florentino, totum se devovisse Latinis sensibus atque sententiis, a quibus eum quoque Salarium seu pecuniam accepisse narrat in *Historia Concilii Florentini* Sguropulus sect. 9. cap. 4. quam nec infamiam ipse Gregorius conticuit, sed tripudians falsus est. Unde in nonnullis MSS. Codicibus *Georgii Protosyncelli* inscribuntur, quod sane ad Gregorium Protosyncellum postea Patriarcham Constantinopolitanum, de quo loquimur, spectat: non ad *Georgium Scholarium*, qui nunquam *Protosyncellus* fuit, sed ex laïco anno 1453. ad sedem Constantinopolitanam a Mahumete pecunia, ut creditur, devincto, elatus est.

Sub ejusdem nomine *Expositio seu Apologia pro sancta & œcumenica Synodo Florentina, & defensio quinque Capitum in Concilio contra Græcos definitorum, nempe de Processione Spiritus sancti, de Sacrificio in Azimo, de Purgatorio, de fruitione Sanctorum, & de Primatu Papæ.* Genuinum esse Gennadii opus negant, suamque sententiam multis argumentis confirmant, Petrus Arendius & Matthæus Caryophilus, ambo partibus Pontificiis addictissimi: quorum rationes aggreditur & Gennadio Opus prolixe vindicat Leo Allatius *de consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* Lib. 3. cap. 6. §. 2, quod Dilingæ prodiit Latine anno 1581. in 8. Græce Romæ anno 1577. & lingua Græcorum vulgari cum versione Latina, Romæ 1628. in 4to. Sed Allatius ipse hic fallitur, Opusque istud tanquam suum sibi adscribit Josephus Methonensis Episcopus, ut supra diximus, tum in *Gregorio Melisseno*, tum in *Josepho Methonensi*, superius.

Oratio Georgii Scholarii ad Joannem Imperatorem in Synodo Florentina, cum sententiam ejus de Unione exquireret Imperator, habetur Græce & Latine tomo XIII. Conciliorum, col. 478. Ejusdemque *Oratiuncula* seu *Oratio brevior ad eundem Imperatorem Constantinopoli facta*, cum de Unione ab illa consuleretur, Græce & Latine in *Historia Concilii Florentini* apud Sguropulum sect. 3. cap. 6.

Ejusdem *Confessio seu Sermocinatio habita cum Mahomete Turcorum Imperatore, de recta Christianorum fide*: quam in Mahometis gratiam lingua Turcarabica donavit Achmetes Berrhoeæ Prætor. Extat Græce, Latine & Turcarabice in Crusii *Turco-Græcia*, Lib. 2. pag. 110. Græce & Latine apud Davidem Chytræum Oratione de statu Ecclesiarum in Græcia &c. Francofurti anno 1583. in 8. pag. 173.

Libellus de Articulis fidei ad eundem Mahometem, seu *Dialogus de via salutis humanæ, interrogante Turco & Patriarcha respondente*, habetur Græce & Latine in *Hæreseologia* Basileæ anno 1556. pag. 797. & seorsim a Fuchtenio Helmstadii editus, anno 1611. in 8.

Tractatus de Prædestinatione ad Josephum Monachum Thessalonicensem, Græce a Davide Hæschelio editus Augustæ Vindelicorum 1594. in 4. Græce & Latine a Friderico Morello post Appendicem Operum S. Basilii Parisiis, anno 1618. Denique a Carolo Libertino Soc. Jesu, nova versione & Commentariis illustratus, Græce & Latine Uratislaviæ 1681. in 4.

Ejusdem Oratio in unum in natura & trinum in Personis Deum, Græce & Latine ab Aldo Manutio excusa, una cum S. Joannis Damasceni & aliorum Hymnis, Venetiis anno 1501. in 4.

Ejusdem Expositio Vaticinii cujusdam Suppositititii de Imperio Romano Orientali & de Imperio Turcico, Imperatoris Constantini Magni marmoreo Sepulchro insculpti. Meminit hujus Vaticinii & Expositionis Gumadianæ Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis* pag. 404. his verbis. *Literas in Sepulchro Magni Constantini excisas de excidio Urbis & Turcarum Imperio, abstrusas ad illa tempora, nullique notas, ipse videlicet Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus primus exposuit & vulgavit. Edidit eas Dorotheus Monembasiæ Metropolita in fine sui Chronici, Venetiis apud Joannem Petrum Pinellum*, anno 1637. in 4. & Matthæus Cigala Cyprius post *novam variarum Historiarum Synopsin*, Venetiis apud Antonium Julianum anno 1637. in 4 Extatque MS in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MSS. Græco

Græco Theologico CC VIII. num. 5. & quidem foliis 25. & 26. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 15. & in Catalogo pag. 257. Et Codice MSS. Græco Medico L. num. 3. ut habet Lambecius Libro 6. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ, pag. 167. & in Catalogo Scriptorum hujus partis pag. 218. Hoc de impressis sub Georgii Scholarii nomine nostrum judicium, jam ad MSS. Codices procedamus.

Extant in Bibliotheca Heidelbergensi Codice 359. *Gennadii Scholarii Patriarchæ Constantinopolitani, de Processione Spiritus Sancti, Libri sex.* An pro Latinis, an contra Latinos, incertum mihi est: cum utramque sententiam amplexus sit inconstans ac mercenarius forsan Gennadius. Probabilius tamen est, licet definire nolim, hos libros esse contra Latinos, quam pro Latinis. Nam in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MSS. Theologico Græco CC LXXV. & CC LXXXVI. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Biblio-
,,thecæ pag. 223. & 224. Extat *Gennadii* seu
,,*Georgii Scholarii de processione Spiritus Sancti ad-*
,,*versus Latinos Liber secundus ad Joannem Com-*
,,*nenum Imperatorem Trapezuntinum*, cujus titu-
,,li Græci verba cum principio Libri hæc sunt:
,,Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τῦ ἁγίυ Πνεύματος, πρὸς
,,τὺς περὶ ταύτης ἡμῖν διαφερομένυς, Βίβλιον δεύ-
,,τερον. Τῷ ὑψηλοτάτῳ βασιλεῖ Τραπεζῦντος
,,κυρῷ Ἰωάννῃ τῷ μεγάλῳ Κομνηνῷ Γεώργιος ὁ
,,Σχολάριος μετ' εὐλαβεςάτης εὐνοίας χαίρειν.
,,Τὸ μὲν πρῶτον βιβλίον ἡμῖν ἐπὶ ταῖς μελέταις συν-
,,τεθεῖσται τῶν πρὸς τὸν Ἐπίσκοπον ἐκεῖνον ἀγώνων,
,,ὦ πολλάκις &c. Scripsit ergo plures Libros & quidem adversus Episcopum quendam, *de processione Spiritus Sancti contra Latinos* atque ut diximus post peractam Synodum Florentinam, cui subscribere recusaverat. Huic quoque favent eximie *Excerpta seu Ecloga Mathusalæ, Monachi Sancti Montis Sinai, ex Opere Gennadii Constantinopolitani Patriarchæ de processione Spiritus Sancti ex solo Patre adversus Latinos,* quæ Græce MSS. extant in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice Philosophico MS. Græco LXVIII. num. 7. & quidem a fol. 84. p. 1. usque ad fol. 103. pag. 2. ut habet Lambecius idem Libro VII. eorundem Commentariorum, pag. 111. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, p. 313.

CAPUT QUARTUM.

ITERUM DE SCRIPTIS EJUSDEM.

,,In eadem Bibliotheca, Codice MS. Historico
,,Græco LXIV. qui olim ad Joannem Sambu-
,,cum pertinuit, ut ipse solita manus propriæ
,,inscriptione testatur, de quo idem Lambecius
,,Libro VIII. dictorum Commentariorum pag.
,,509. extat *Historia Concilii Ferrariensis & Flo-*
,,*rentini a Gennadio Scholario* conscripta, quem
,,ordinario suo cacozelo Lambecius ibidem ap-
,,pellat *Schismaticum Græcum & Ecclesiæ Occiden-*
talis, perpetuum ac infensissimum hostem, quem,,
vult ante Monachatum fuisse appellatum *Ge-*,,
orgium Scholarium, quod ante Patriarchatum,,
intelligi debet: quemque pessime adhuc, an-,,
te expugnationem, Constantinopoleos per,,
Turcas extinctum putat & scribit, cum tamen,,
post ejus duntaxat expugnationem, ad Patri-,,
archalem sedem assumptus sit. Hujus operis,,
hic titulus ac principium est. Γενναδίυ Σχολα-,,
ρίυ τὰ ἐν τῇ Συνόδῳ πραχθέντα τῇ ὀγδόῃ ἱςορι-,,
κῶς τῇ Φλωρεντίᾳ. Ἡ ἐις τὴν Φεράραν εἰσέλευσις,,
σὺν Θεῷ. Μετὰ δὲ τὸ σάββατον τῆς τυροφάγυ,,
εἰσῆλθεν ὁ Πατριάρχης εἰς τὴν Φεράραν μετὰ τῦ,,
βασιλέως, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναὸν τῦ ἁγίυ Γεωρ-,,
γίυ. καὶ πρῶτον μὲν ἐξαντίσατο καὶ αὐτὸς καὶ,,
ὁ Πατριάρχης διὰ τῦ ῥαντιςηρίυ. εἶτα ὑπέδει-,,
ξαν αὐτῷ οἱ ἐκεῖσε λατινο-μόναχοι εὐμεγέθη καὶ,,
εὐτραφῆ χεῖρα, τῦ ἁγίυ Γεωργίυ λέγοντες εἶναι,,
ὑπὸ σανίδος καιλανθείσης περιεχομένην, καὶ εὐ-,,
φυῶς ἄγαν καθησφαλισμένην, καὶ ἐν κηβωτίῳ,,
φυλαττομένην. ἣν καὶ κατησπάσατο ὁ Πατρι-,,
άρχης. εἰπόντος δὲ αὐτῷ τῦ μεγάλυ χαρτο-,,
φύλακος, ὡς ὐκ ἔςιν ἡ χεὶρ τῦ μεγάλυ Γεωργίυ,,
τὸ γὰρ μαρτυρικὸν ἐκεῖνο ἅγιον σῶμα κατέκαυ-,,
σαν, καὶ τὴν κόνιν ἐλίκμησαν. εἶπεν αὐτῷ σκυ-,,
τλικῶς ὁ Πατριάρχης, σώπα, ὐκ οἶδας τὶ λέγεις.,,
Ἔψαλον δὲ τότε οἱ μόναχοι ἑσπερινὸν πολὺν καὶ,,
φιλότιμον. εἰς ὃν καὶ ἵςατο ὁ Πατριάρχης καὶ,,
ἡμεῖς μετ' αὐτῦ. εἶτα εἰσῆλθεν εἰς τὸ βῆμα,,
καὶ περιεσκόπει τὸ ἀλτάριον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ,,
καὶ προσέταξε περιελεῖν τὰ σκιάδια ἐκ τῶν κε-,,
φαλῶν ἡμῶν, καὶ περιείλομεν. τότε ἐλθόντων,,
&c. Finis autem Historiæ istius hic est, ἐξ,,
ὧν πέπεισμαι ὡς ὐ παραχωρήσει ποτὲ ὁ Θεὸς,,
συςῆναι τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ κακῶς γεγονυῖαν ἕνω-,,
σιν, ὐδὲ &c. ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος πρέπει,,
εἰς πάντας τὺς αἰῶνας, ἀμήν. Sequitur deinde,,
subscriptio Græca, qua indicatur, *Historiam*,,
hanc fuisse descriptam ex alio antiquo prototypo,,
Libro, manu Theodosi Notarii Magnæ Ecclesiæ,,
Constantinopolitanæ, anno Mundi 7071. sive anno,,
Christi 1563. Ipsa illa verba Græca, hæc sunt,,
ἀντεγράφη τὸ παρὸν βιβλίον ἐκ πρωτοτύπυ πα-,,
λαιῦ, διὰ χειρὸς ἐμῦ Θεοδοσίυ Νοταρίυ τῆς μεγά-,,
λης ἐκκλησίας, ἐν ἔτει ἀπὸ κτίσεως κόσμυ ζοά,,
Ἰνδικτιῶνος ζ? μηνὶ Φεβρυαρίῳ ζ ἡμέρα δευτέ-,,
ρα. Τῷ συντελεςῇ τῶν καλῶν Θεῷ δόξα. An,,
autem tot affectæ a Lambecio conscriptori,,
hujus Operis injuriæ ac probra legitime dicta,,
sint, Critici judicabunt, si quando illud in lu-,,
cem erumpat. Opus istud quod Lambecius,,
Gennadio attribuit, ad illum non spectat, sed,,
ad Sylvestrum Syropulum, de quo nos latissi-,,
me disseruimus ad annum 1430. Ita clarissi-,,
me demonstrat Eusebius Renaudotus qui an-,,
no 1709. Opuscula aliquot Gennadii Patriar-,,
chæ Constantinopolitani Græce & Latine edi-,,
dit Parisiis in 4to. Illic enim agit *de Operum*,,
Gennadii Notitia Dissertatione singulari pag.,,
80. ad 90. atque pag. 89. & 90. *Historiam*,,
Concilii Florentini dictam Gennadio ablatam,,

„argumentis demonstrativis, *Syropulo* adjudi-
„cat, non sine multa bile in Lambecium.

„In eadem Bibliotheca Codice MS. Theolo-
„gico Græco CC XLVI. ut habet Lambecius
„Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ
„pag. 257. extat primo & quidem a fol. 1. pag.
„1. usque ad fol. 7. pag. 1. *Gennadii Patriar-*
„*chæ Constantinopolitani cognomine Scholarii Do-*
„*ctrina de peccatis mortalibus & venialibus*, cu-
„jus titulus & principium: Γενναδίου Ἀρχιεπι-
„σκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ κατ᾽ ἐπίκλησιν
„Σχολαρίου. ἀναγκαία Διδασκαλία περί τε τῶν θα-
„νασίμων καὶ συγγνωστῶν ἁμαρτημάτων. Ὁ μὲν
„ἀκριβέστερος περὶ τῶν θανασίμων καὶ συγγνωστῶν
„ἁμαρτιῶν λόγος, πολλῶν ἂν δέοιτο βιβλίων, ὥστε
„ἐκτεθῆναι &c.

Ejusdem *Epistola ad anonymum quendam Mo-
nachum montis Sinai, de controversiis quibusdam
partim ad Patriarcham Hierosolymitanum, partim
ad Armenios & Latinos, loca Sancta Palæstinæ in-
visentes, pertinentibus*, extat ibidem Codice MS.
Theologico Græco CC V. ut habet Lambe-
cius Libro 5. Commentariorum hujus Biblio-
„thecæ, pag. 6. cujus titulus & principium: Ἐ-
„πιστολὴ κυροῦ Γενναδίου τοῦ Σχολαρίου Πατριάρχου
„Κωνσταντινουπόλεως. Τιμιώτατε ἐν μοναχοῖς, καὶ
„ἐμοὶ ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ ποθεινότατε, χάριν καὶ ἔλεος
„καὶ εἰρήνην ἐπευχόμεθά σοι ἀπὸ Θεοῦ παντοκρά-
„τορος. Αἱ γραφαὶ τῆς σῆς εὐλαβείας &c. *E-*
„*jusdem Patriarchæ Gennadii Epistola ejusdem fi-*
„*ve argumenti ad Joachimum Hieromonachum*
„*Sinaitam*, ibidem cujus principium: Τιμιώ-
„τατε ἐν ἱερομονάχοις κυρὲ Ἰωακείμ; Ἐπειδὴ ἔλα-
„θεν ἡμᾶς τοῦτο, καὶ οὐκ ἐγράψαμεν ἐν τῷ πιττα-
„κίῳ, τῷ πρὸς τὴν ἁγίαν μονήν, γράφομεν τοῦτο ἰ-
„δίως καὶ οἰκειοχείρως &c.

Denique Codice MS. Historico Græco ejus-
dem Bibliothecæ, ut habet Lambecius Lib. VIII
Commentariorum suorum pag. 385. quo conti-
nentur Excerpta miscellanea ex diversis vario-
rum Anthorum Scriptis, extat num. 4. a fol.
„17. pag. 1. usque ad fol. 25. pag. 2. *Fragmen-*
„*tum ex Dialectica Magistri Petri Hispani inter-*
„*prete Georgio Scholario*, cujus titulus & princi-
„pium: Ἐκ τῆς Διαλεκτικῆς τοῦ Μαΐστορος Πέ-
„τρου κοῦ Ἰσπανοῦ, ἑρμηνευθὲν παρὰ τοῦ Σχολαρίου.
„Διαλεκτική ἐστι τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστη-
„μῶν &c. Ibidem octavo a fol. 73. pag. 1. us-
„que ad fol. 92. pag. 2. *Fragmentum ex Thoma*
„*Aquinate, de differentia inter essentiam & esse*,
„*interprete Georgio Scholario*, sub hoc titulo &
„principio: Τοῦ Θωμᾶ περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ
τοῦ εἶναι, ἑρμηνευθὲν, καὶ πρὸς τὴν ἑλλάδα μετενεχ-
θὲν γλῶτταν παρὰ Γεωργίου τοῦ Σχολαρίου. Ἐπει-
δὴ ἡ μικρὰ πλάνη ἐν τῇ ἀρχῇ, μεγάλη ἐστὶν τῷ τέ-
λει &c.

Cum autem supra diximus, Georgium
Scholarium juxta quosdam mutasse senten-
tiam, Latinasque tandem amplexum esse par-
tes: præter allatum supra hujus rei testimo-
nium, nempe Epistolam amici ejus Marci Ephe-
sini Metropolitæ, quæ extat MSS. Græce in Re-
gia Galliorum Bibliotheca Codice MSS. Græco
3118. ad hanc quoque probandam juvare pot-
est Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Co-
dice MSS. Græco 58. ubi *omnia Acta Concilii
Florentini*, in quibus continentur quoque *varia
Bessarionis, Georgii Scholarii & aliorum Scripta,
pro Latinis*. Ibidem Codice MSS. Græco 115.
post *Opuscula Gregorii, Patriarchæ Constantino-
politani*, qui Gennadium immediate in Patriar-
chatu præcessit, extant Græce. *Marci Ephesini
Capitula Syllogistica contra Latinos cum Apologia
Georgii Scholarii & Bessarionis pro Latinis*. Agit
plenissime de *Georgio Scholario* seu *Gennadio Pa-
triarcha Constantinopolitano*, Leo Allatius in Dis-
sertatione *de Georgiis & eorum Scriptis*, a p. 394.
usque ad pag. 399. Et Lib. 2. *de perpetuo Consen-
su Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 6. Ubi
tamen errat Allatius, dum duplicem Georgium
Scholarium instituit, unum Latinorum hostem
qui ante expugnationem urbis Constantinopo-
litanæ mortuus sit: alterum amicum, cujus
plurima lateant MSS. Opuscula in Bibliothe-
cis. Eundem quoque Gennadium seu Geor-
gium Scholarium, duplicem fecit Petrus Lam-
becius, in Commentariis suis de *Bibliotheca Cæ-
sarea Vindobonensi*, præsertim in Catalogo Scri-
ptorum tomi V. hujus Bibliothecæ, pag. 325.
verbo *Gennadius Patriarcha Constantinopolita-
nus*: & pag. 326. verbo *Georgius Scholarius*. Et
in Indice Chronologico, pag. 367. Idem quo-
que in Catalogo Scriptorum tomi VIII. hujus
Bibliothecæ, pag. 553. & in Indice Chronologi-
co, p. 579. Quem tandem nobis ademit, par-
tim Henricus Warthonus in *Supplemento* Hi-
storiæ Literariæ Guillelmi Cavi ad annum
1438. p. 114. partim Carolus Dufrenius, Domi-
nus du Cange in *Glossario Mediæ & infimæ Græci-
tatis* col. 1281. ubi & hæc de Georgio Scholario
a me non omittenda, subministrat.

Quandoquidem hic de *Gennadio* mentio in-„
cidit, non ingratum erit fortasse Lectori, si cru-„
diti Scriptoris Lucubrationum aliquot titulos,„
ab eodem Allatio amissos in Diatriba *de Geor-*„
giis, ubi ejus Opera recenset, hoc loco per„
πάρεργον attexam, ex Codice MSS. viri Claris-„
simi & Doctissimi Eusebii Renaudoti, ubi de-„
scribuntur, & qui τῆς μονῆς τοῦ Βροντησίου fuisse,„
in ipsi Libri limine notatur. Τοῦ σοφωτάτου„
καὶ ἁγιωτάτου κυρίου Γενναδίου τῷ βασιλεῖ Κων-„
σταντίνῳ ἐπὶ τῇ κοιμήσει τῆς ἀοιδίμου δεσποίνης„
τῆς αὐτοῦ μητρὸς, παραμυθικός. Initium, ὁ μα-„
καρίας &c.„

Τοῦτο ἐγράφη τῷ πνευματικῷ κὺρ Σαββατίῳ,„
τῷ ἀπὸ τοῦ Σινᾶ ἐλθόντι εἰς ἡμᾶς, περὶ τῆς τῶν„
ψυχῶν μετὰ τὴν ἐκ τῶν σωμάτων ἀνάλυσιν δια-„
θέσεως ἐπιβεβαιωτικοῦ συγγράμματος, ὃ προσ-„
κόμισεν αὐτὸς ὁ Σαββάτιος τοῦ μακαρίου Θεσσα-„
λονίκης κὺρ Συμεὼν. Initium ὁσιώτατε &c.„

Γεννάδιος Ἰωάννῃ ἰαν. ιθ΄. ἐν τῇ μονῇ τοῦ Προ-„
δρόμου ἐν τῷ ὄρει τοῦ Μενοικέως. Initium, ἥδιστα„
μέν &c.„

Τῷ ἐντιμοτάτῳ Κὺρ Ἰωάννῃ, τῷ δικαίου τοῦ„
Θεσσαλο-

„Θεσσαλονίκης ὁ Γεννάδιος χαίρειν, περὶ πυργατερίου. Initium, αὐτοσχεδιάζω &c.

„Γενναδίου μοναχοῦ τοῦ Σχολαρίου περὶ τοῦ καιροῦ καὶ τρόπου τῆς ὑπάρξεως τῶν νοερῶν καὶ ἀνθρωπίνων ψυχῶν, τουτέστι τῶν ἀνθρωπίνων, Φίλωνι τινὶ ζητήσαντι ἐκδεδομένου. ἐγράφη ἐν τῷ ὄρει τοῦ Μενοικέως. Initium, Ἐπειδὴ &c.

„Γενναδίου περὶ τῆς σιμωνιακῆς αἱρέσεως. Initium, Ταῦτα ἐκ τῶν ἀθέων &c. ad Imperatorem præmissa Epistola, cui Opusculum dicatur.

„Ἐπιτάφιος τῷ μακαρίῳ Θεοδώρῳ, τῷ Σοφιάνῳ ἐν τῇ ἱερᾷ μονῇ τοῦ Βατοπεδίου ταφέντι, ὃν εἶπεν ἐξ ὑπογυίου ὁ θεῖος αὐτοῦ Γεννάδιος μοναχὸς, ἐπὶ τῷ τάφῳ Σεπτεμβρίῳ κηῳ ςυ πυ ξέ ἔτους 6965. Christi 1457. Initium, Ἀλλὰ ζῶντος &c.

„Γενναδίου μοναχοῦ ἐπὶ τῇ μνήμῃ τῆς ἀποτομῆς τοῦ τιμίου Προφήτου καὶ προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ. Initium, Ὁ μὲν μακάριος &c.

„Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὴν κατὰ σάρκα γέννησιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Initium, αἱ λαμπρόταται &c.

„Τοῦ αὐτοῦ περὶ τοῦ ἑνὸς ἐν Τριάδι Θεοῦ ἡμῶν, καὶ πάντων ὄντων δημιουργοῦ, καὶ κατὰ τῶν ἀθέων, ἤτοι αὐτοματιστῶν. καὶ κατὰ πολυθέων. Initium, οἴεσθαι μὲν &c. Vide Allatium, pag. 406.

„Ἐπὶ τῇ μεταστάσει τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. ἐγγράφη καὶ ἀνεγνώσθη ἐν τῇ μονῇ τῆς Παμμακαρίστης ἐν τῇ τρίτῃ ἡμῶν ἀνέδρᾳ βιαίῳ ἐμοῦ. Initium, ἡ μὲν τοῦ ἔτους &c.

„Ὁμιλία ἐπὶ τῇ παραβολῇ τοῦ ἀσώτου, καὶ περὶ μετανοίας, Γενναδίου μοναχοῦ. Initium, ὁ τῶν Φαρισαίων &c.

„Ἐκ τῶν ὁμιλιῶν, ὃς ὡμιλοῦμεν ἐν τῷ δυστυχεῖ παλατίῳ κατὰ παρασκευὴν ἐν τῇ μεγάλῃ μετὰ (τεσσαρακοστῇ) εὑρημένων μετὰ τὴν ἅλωσιν. ἐγράφοντο δὲ μετὰ τὸ ἐγγράφως ὁμιληθῆναι, παρακλήσει φίλων δὴ αὕτη ὡμιλήθη ἐν παρασκευῇ τοῦ Λαζάρου. Ὁμιλία περὶ τοῦ μυστηριώδους σώματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Initium, Ἐπειδὴ &c.

„Ὁμιλία ἐπὶ τῇ παραβολῇ τοῦ τελώνου καὶ Φαρισαίου. Initium, τὸν τῆς ὑπερηφανίας κρημνὸν &c.

„Γενναδίου μοναχοῦ Πατριάρχου τῶν τοῦ Χριστοῦ πενήτων, περὶ τῆς μόνης ὁδοῦ πρὸς τὴν σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων. ἐξεδόθη δὲ τῷ Σουλτάνῳ αἰτήσαντι μετὰ τὰς ἐνώπιον αὐτοῦ διαλέξεις ἐν τῷ πατριαρχείῳ τότε γεγενημένας. καὶ μετὰ τοῦτο ἄλλο συντομώτερον ἐξεδόθη. Ἑρμηνεύθησαν δὲ ἀμφότερα ἀῤῥαβικῶς, καὶ οὕτως ἐδόθησαν. Initium, ἡ ὁδὸς τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας &c. Vide Allatium *De Georgiis*, pagina 402.

„Ἔλεγχος τῆς Ἰουδαϊκῆς πλάνης σύντομος ἔκ τε τῆς γραφῆς καὶ τῶν πραγμάτων, καὶ τῆς πρὸς τὴν χριστιανικὴν ἀλήθειαν παραθέσεως, ἐν σχήματι διαλόγου. συνεγράφη παρ' ἐμοῦ Γενναδίου ἐν τῇ πρώτῃ μου πρὸς τὴν πόλιν βιαίᾳ ὑπονόδῳ, καὶ δόξα τῷ ἄνωθεν ἐλευθερώσαντί με τρίτον ἤδη Θεῷ. Vide Allatium loco citato, p. 408."

Ἐκ τῶν περὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ προφητειῶν, αἳ σαφέστεραι ἐνταῦθα ἐτέθησαν. Initium, πλεῖστον οὐσῶν ἐν πᾶσι τοῖς τῶν Προφητῶν λόγοις &c. Hactenus hic Codex MS."

De aliis consulendus Leo Allatius in Dissertatione *De Georgiis & eorum scriptis*, a pag. 394. ad 399. Robertus Creightonus in Præfatione ad *Historiam Concilii Florentini* a Sylvestro Sguropulo editam.

CAPUT QUINTUM.

OPERUM GENNADII SIVE GEORGII SCHOLARII NOTITIA, EX MSS. CODICIBUS REGIÆ GALLIARUM BIBLIOTHECÆ, EX EUSEBIO RENAUDOT IN OPUSCULIS SUB GENNADII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI NOMINE EDITIS.

Quæcunque a Gennadio scripta ad nos pervenerunt, aut ante Patriarchatum scripsit, aut in ipso Patriarchatu, aut deposita dignitate, cum privatus in Monasterium S. Joannis Baptistæ prope Serras ad Menæceum montem se recepisset. Hunc ordinem ejus Operum qui vitæ seriem sequitur, quidam MSS. Codices repræsentant, qui tamen id habet incommodi, quod de multis non ita liquet, ut, quando scripta sint, certo habere possimus, quo in genere sunt Homiliæ complures & minutiora quædam Opuscula. Sed tamen hunc ordinem, quia commodior est, sequemur.

Georgius Scholarius adhuc Laicus, circa Florentini Concilii tempora, scripsit Epistolas, ut videtur, multas, quarum selectæ quædam supersunt in Codice Regio 2955. hoc titulo: Ἐκ τῶν Ἐπιστολῶν Γεωργίου τοῦ Σχολαρίου τοῦ ὕστερον Γενναδίου, *Ex Epistolis Georgii Scholarii, qui Gennadius postmodum fuit*, 1. Nemini inscripta, 2. Imperatoris fratri. 3. Magno Chartophylaci. 4. Marco Lipomano, Florentia Venetias missa. 5. Ambrosio Camaldulensi. 6. Magno Duci, ibidem quoque scripta ut videtur, non ex Græcia, ut suspicatus est Allatius, qui illius meminit *De Consensu* pag. 962. Extat quoque in Codice Colbertino 4958. 7. Anonymo de privatis negotiis. 8. Philelpho Mediolanum Constantinopoli scripta, ut existimo, & ante profectionem Italicam aut post reditum: nam in ea dolet eripi sibi per strepitum judiciorum, occasiones scribendi ad amicos. 9. Principi, Πρίγκιπι, sive is sit Theodorus Despota, sive Constantinus, qui postea Imperator ultimus fuit. 10. Imperatori Constantino, quam scripsit jam Monachus, gratias agens de munusculis missis. 11. Paisio, Cretæ ut conjicimus Archiepiscopo, cui perpetuos pro Christo labores & liberationem ex

 carcere

carcere gratulatur. 12. Lemnum de Constantinopolitanis turbis. 13. Imperatori Trapezuntis, de missa ad Italos legatione. 14. Nomophilaci in Peloponnesum. 15. Marco Ephesino, præfixa Opusculo adversus Gemistum Plethonem pro Aristotelis defensione. 16. Absque titulo, de privatis negotiis. Has Epistolas omnes repræsentat Codex MS. Bibliothecæ Regiæ, selectas ut videtur ex aliis pluribus, quasi digniores quæ in Codicem referrentur. In Colbertino adjunctæ sunt veterum aliquot Epistolis, unde styli potius gratia, quam ad historiam illustrandam scriptæ & collectæ videntur: ut etiam paucæ aliquot Lucæ Notaræ Magni Ducis, Theodori Despotæ, & quorundam aliorum Imperii Constantinopolitani procerum.

Florentiæ scripsit *Orationes*, quæ cum Actis Concilii circumferuntur, si tamen illius sunt. Potuit sane eas scripsisse, ut ex Actis liquet: nam ad eorum sententiam, qui Unionem cum Latinis suaderent, accessisse Georgium Scholarium verisimile est, imo certum, nisi quis Acta falsitatis accuset, quod certis argumentis probare difficile est. Confirmat Actorum fidem Epistola Marci Ephesini ex Cod. Florentino, & quæ extat in Regio 2953. producta ab Allatio, qua in Scholarium invehitur, quod aliquam cum Latinis concordiam fieri posse existimasset. Verum non pauca in has Orationes irrepsisse fatendum est, quæ annotare prolixioris esset operæ. Editæ sunt & Romæ cum Concilio Florentino in fol. Græce & Latine, Matthæo Caryophillo interprete: & in 4. tum in editione Romana Conciliorum anno 1612. tom. 4. Extare ait Allatius in Codd. MSS. Scoriacensi, Bavaricis duobus, Altempsiano & Antonii Augustini. Habentur quoque in Codicibus Regiis, & in Cæsarea Bibliotheca inter Græcos Historicos Cod. 61. ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 505. & seqq.

Apologia pro quinque Capitibus Concilii Florentini serius scripta, edita est Romæ 1577. in fol. cum eodem Concilio Græce & Latine, Fabio Benevolentio interprete, in 4. 1539. Græce barbare versa a Matthæo Caryophyllo, & aliquoties in Bibliotheca Patrum. Eam Caryophyllus Gennadio abjudicat, quem refellit Allatius. Illorum rationes ad examen revocare, prorsus inutile videtur. Nam cum ex iis, quæ a nobis de Gennadio dicta sunt, constet, cum statim, atque Constantinopolim reversus est, Marco Ephesino reconciliatum, operam omnem in pervertenda Unione contulisse, frustra quæreretur, quo tempore hanc Apologiam ediderit, quæ nonnisi post cladem urbis, atque adeo in Patriarchatu scripta censetur, ab iis qui illam Gennadio attribuunt. Nunquam enim resumptum semel in Latinos odium deposuit, imo perpetuis accusationibus in eos invectus est, & in ea sententia ad finem usque vitæ perseveravit. Si ergo illius opus hæc Apologia censenda est, scriptam fuisse oportuit aut Florentiæ, aut statim post reditum. Sed si quis ita statuat, eandem interpolatam fuisse, fateatur necesse est, adscita de calamitatibus Constantinopolitanis satis longa lacinia.

Orationes hæ extant, *εἰς τὴν ἁγίαν τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ Μεταμόρφωσιν*, *in Jesu Christi Domini nostri Transfigurationem.* Scripta ut habetur in Cod. Regio 2955. cum adhuc secularis esset, sub Joanne Imperatore, reperta Thessalonicæ post captam Constantinopolim.

In Festo τῶν εἰσόδων προσφωνητικὸς, lecta est Oratio in Monasterio Peribleptі, præsente Constantino Imperatore.

Alia absque titulo, πάλαι μὲν Ἰυδαῖοι, in Codice eodem.

In Commemoratione Decollationis S. Johannis Baptistæ. Oratio extat in eodem Codice & in nostro, sub titulo Gennadii Monachi, incipit, *Ὁ μὲν μακάριος Ἰωάννης καὶ Βαπτιςὴς*, omittitur ab Allatio.

Alia εἰς τὴν κατὰ σάρκα γέννησιν τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ, In Nativitatem Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Gennadii Monachi in eodem Codice & in nostro, incipit, *Οἱ λαμπρότατοι τῆς ἐκκλησίας φωςῆρες.* Scripta est autem in Monasterio S. Johannis Baptistæ. Extat in Codd. Regiis 2955. & 2959. & in nostro: ejus non meminit Allatius.

Alia de transitu B. Mariæ Virginis, Ἐπὶ τῇ μεταςάσει τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκυ. Extat in eodem Regio Codice & in Cod. 2959. Ex ejus titulo colligitur, scriptam fuisse in Collegio Pammacaristæ, nempe Constantinopoli, lectam *in Festo dormitionis B. Mariæ, in tertio, inquit, nostro ad urbem violento reditu, Indict. 12. an. 72.* hoc est anno mundi secundum Græcos 6972. cui respondet Indictio 12. J. C. 1464. Atque ita falluntur, qui annum 1460. supremum Gennadio fuisse, nullo fundamento affirmant. Videntur autem ista verba manu ipsius Gennadii scripta. Incipit, *Ἡ μὲν τῦ ἔτυς ἀρχὴ*, habetur quoque in nostro Codice.

Alia de secundo Adventu Domini nostri & de Resurrectione corporum, Περὶ τῆς δευτέρας παρυσίας τῦ Κυρίυ ἡμῶν, καὶ περὶ τῆς τῶν σωμάτων ἀναςάσεως, quæ extat in eodem Codice Regio.

Alia Ἐπὶ τῇ παραβολῇ τῦ τελώνυ καὶ Φαρισαίυ, De parabola Publicani & Pharisæi, cujus initium est, *Τὸν τῆς ὑπερηφανείας κρημνόν.* Extat in Cod. Reg. 2958. & in nostro, neque hanc vidit Allatius.

Alia Ἐπὶ τῇ παραβολῇ τῦ ἀσώτυ καὶ περὶ μετανοίας, De parabola Prodigi & de Pœnitentia. Incipit, *Ὁ τῶν Φαρισαίων καὶ Γραμματέων γογγυσμὸς.* In eodem Codice Regio & nostro, cujus non meminit Allatius.

Alia hoc titulo, *Τῦ μακαριωτάτυ καὶ ἀοιδίμυ Πατρι-*

Πατριάρχου κυρίου Γενναδίου ὁμιλία ῥηθῆσα τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ παρασκευῇ ἐν τῷ παλατίῳ, ἔτι ὄντος ἐν τῷ τῶν κοσμικῶν σχήματι τυγχάνοντος. *Beatissimi & venerandi Patriarchæ Domini Gennadii Homilia dicta in Sancta & magna Parasceve in palatio, cum adhuc in secularium habitu esset.* Extat in eodem Codice 2958.

Alia sub hoc titulo, Θεωρία περὶ τῶν ἐν τῇ ευαγγελικῇ παραβολῇ ταλάντων: *Consideratio de parabola talentorum in Evangelio.* Hujus initium, Ὁ τὰ πέντε τάλαντα πεπιστευμένος, in eodem Codice.

Homilia de corpore & Sanguine Domini, quam huc usque in solo nostro Codice reperimus hoc titulo prænotatam. Ἐκ τῶν Ὁμιλιῶν οἱ ὁμιλούμενοι ἐν τῷ δυστυχεῖ παλατίῳ ἐν τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ, εὑρημένων μετὰ τὴν ἅλωσιν. Ἐγράφοντο δὲ μετὰ τὸ ἀγράφως, ὁμιληθῆναι, παρακλήσει φίλων. αὐτὴ δὲ ὁμιλήθη ἐν τῇ παρασκευῇ τοῦ Λαζάρου. Ὁμιλία περὶ τοῦ μυστηριώδους σώματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Ex Homiliis, quæ pronuntiatæ fuerunt in infelici palatio, singulis sextis feriis in Magna Quadragesima, inventis post captam urbem. Scriptæ autem fuerant, postquam viva voce fuissent pronuntiatæ, amicorum hortatu. Porro hæc pronuntiata est in Parasceve Lazari. Homilia de Sacramentali corpore Domini nostri JESU CHRISTI.*

Alia de eodem argumento brevior, scripta ut videtur Constantinopoli, postquam Patriarcha renuntiatus esset, in qua alterius meminit. Eam in nullo Codice reperimus, sed eam transtulimus ex Opere Meletii Syrigi adversus Cyrillum Lucarin, ubi refertur.

Multas præter enumeratas a nobis Homilias scripsisse Gennadium, testatur ipse in Epistola quadam, in qua de Operibus suis ad amicum scribit. Ἔτι δὲ Ὁμιλίαι, ἃς σχεδιασθῆσαι, ἵνα μετὰ τὰς ἀπὸ στόματος γενησομένας ὁμιλίας τῷ λαῷ ἀναγινώσκωνται αὐτοὺς, ἐν τοῖς ἐκκλησίοις καθ᾽ ἑκάστην, κυριακὴν ἐκ διαδοχῆς μετὰ τὸ ἄριστον συναγομένων τῶν ἐνορίτων ἐν ἑκάστῃ ἐκκλησίᾳ, πᾶν ἀναγκαῖον σχεδὸν περιέχουσαι. *Item Homiliæ compositæ, ut post eas qui viva voce pronuntiatæ sunt Homilias, in Ecclesiis populi prælegerentur, per singulas Dominicas successive post prandium, congregatis Enoticis, sive Montis accoli in unaquaque Ecclesia, quidquid fere necessarium est, continentes.*

Homiliis adjungi possunt, *Oratio contra Simoniacam hæresim*, scripta biennio ante captam urbem ad Constantinum Imperatorem. Κατὰ τῆς σιμωνιακῆς αἱρέσεως, ἢ ἀπιστίας. Initium, Τὰ τῶν ἀθέων τούτων βαρβάρων in Codice Regio 2955. & nostro.

Περὶ διαφορᾶς τῶν συγγνωστῶν καὶ θανασίμων ἁμαρτημάτων: *de differentia peccatorum venialium & mortalium.* Incipit, Ὁ μὲν ἀκριβέστερος, in eodem Codice Regio. Extat idem opusculum in Bibliotheca Imperatoria Vindobonensi inter MSS. Codices Theologicos Græcos Codice 296. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 257.

De eo, quod nulla nunc, ut olim, miracula fiant, Περὶ τοῦ μὴ γίνεσθαι νῦν θαύματα ὡς πρότερον: in Codice Regia 2959. cujus initium, Ζητοῦσί τινες.

Opera Gennadii Theologica varia sunt, præter ea, quæ adversus Latinos scripsit, de quibus agetur postremo loco.

CAPUT SEXTUM.

DE OPERIBUS GENNADII THEOLOGICIS, EX EODEM EUSEBIO RENAUDOT, pag. 83.

PRimum inter opera Theologica locum tenet, *Expositio fidei Christianæ coram Turcarum Imperatore Mahomede facta, & scripto comprehensa.* Hujus duplex editio est, altera brevior. Primæ titulus in nostro & Regiis Codd. talis est. Γενναδίου μοναχοῦ καὶ Πατριάρχου τῶν τοῦ Χριστοῦ πενήτων, περὶ τῆς μόνης ὁδοῦ πρὸς τὴν σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων. Ἐξεδόθη δὲ τῷ Σουλτάνῳ αἰτήσαντι μετὰ τὰς ἐνώπιον αὐτοῦ διαλέξεις ἐν τῷ πατριαρχείῳ τότε γεγενημένας. καὶ μετὰ τοῦτο ἄλλο συντομότερον ἐξεδόθη. Ἡρμηνεύθη δὲ ἀμφότερα ἀῤῥαβικῶς, καὶ οὕτως ἐδόθησαν. *Gennadii Monachi & Patriarchæ Christi pauperum de sola via ad salutem hominum. Datum est autem hoc opus Sultano petenti, post habitas coram eo disputationes in Patriarchio: & deinde aliud brevius editum est, ambo autem Arabice interpretata sunt, & ita publicata.* Cum Arabice interpretatum ajunt, Turcice intellige, neque enim ullum Arabicæ versionis vestigium in Codd. MSS. Extat illud in plerisque Codicibus, de quo Allarius p. 401. *Brevius alterum Opusculum* idem est, quod edidit Turco-Græciæ Lib. 2. Martinus Crusius, cum versione Turcica, quæ ut titulus habet, facta est ab Ahmeto Judice Berrhææ, patre Mahmunti Chelebi, Scribæ Imperatorii.

Ejusdem exemplar simul cum Turcica versione elegantissima manu scriptum, sed Græcis literis, & fortassis idem, quod aut Imperatori, aut primario Turcæ alicui destinatum fuit, habetur in Bibliotheca Regia Codice 2961.

Editum quoque est anno 1556. in *Hæresiologia*, translatum Latine a Gregorio Hermonymo Spartano Græce & Latine Helmestadii anno 1611. in 4to. In *Bibliotheca Patrum* tomo 4. p. 950. De eo videnda, quæ scribit Possevinus in *Apparatu Sacro*: quanquam falso suspicatur a Græcis subtracta quædam fuisse, quæ ad Processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio pertinerent. Id enim non ex collatione MSS. Codicum, sed conjectando tantum colligit, quia Gennadium, qui ipsi Catholicus videbatur, ea silentio præterisse non existimabat. Sed quam inanis hæc conjectura sit, ex superius dictis manifestum est.

Contra Judæos scripsit per modum dialogi Librum hoc titulo, Ἔλεγχος τῆς Ἰουδαϊκῆς πλάνης ἔκ τε τῆς γραφῆς καὶ τῶν πραγμάτων, καὶ πρὸς

τὴν

τὴν χριστιανικὴν ἀλήθειαν παράθεσις ἐν σχήματι διαλόγου. *Confutatio erroris Judaici ex Scriptura & rebus gestis, & ad Christianam veritatem exhortatio per modum Dialogi.* Colloquuntur autem Christianus & Judæus. Initium est, Βούλεις διαλεχθῶμεν ἐφ' οἷς πρὸς ἀλλήλους, διαφερόμεθα Χριστιανοί τε καὶ Ἰουδαῖοι. Extat in Cod. Regio 2954. & 2959. & in nostro similiter. In utroque Scriptus dicitur, ἐν τῇ τρίτῃ μου βιαίᾳ πρὸς τὴν πόλιν ἀνόδῳ: in meo additur, καὶ δόξα ἐκεῖθεν ἐλευθερώσαντί με τρίτον ἤδη Θεῷ. *Scriptus in tertia mea ad urbem violenta profectione, & gloria Deo tertium inde me liberum abire sinenti.* Non videret Allatius, qui ex Bibliotheca Roberti Constantini titulum citat pag. 408. Opus non contemnendum, satisque prolixum, circiter foliorum sexaginta in eodem Codice Regio.

Ejusdem Ἐκ τῶν περὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ προφητειῶν, αἱ σαφέστεραι: Sive *Collectio Prophetiarum de Christo, quæ magis perspicuæ sunt* Incipit, οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, in nostro Codice & in Regio 2959. cujus non meminit Allatius.

Κατὰ Αὐτοματιστῶν καὶ Ἑλληνιστῶν, ἤτοι πολυθέων, καὶ ὅτι Θεὸς εἷς ἐστι, καὶ δημιουργὸς τοῦ παντὸς ἐν τριάδι ὑποστάσεων. *Contra Automatistas & Hellenistas, sive multorum Deorum opinionem tenentes, & quod unus Deus sit conditor universi in trinitate hypostaseon.* Incipit, Οἴεσθαί μεν μὴ εἶναι Θεὸν. Scriptum fuit opus in Monasterio Prodromi in monte Menæceo, habetur in Codicibus Regiis 2955. 2958. 2959. & in nostro.

Ἐρωτήσεις καὶ ἀποκρίσεις περὶ τῆς θεότητος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Interrogationes & Responsiones de Divinitate Domini nostri Jesu Christi.* Extat in Codice Regio 2955. incipit Πρὸς τῷ τέλει τοῦ Μαΐου. Ex disputatione habita cum Primariis duobus Turcis, qui missis litteris, ex Monasterio Ferras eum venire jusserant.

Περὶ τῆς πρώτης τοῦ Θεοῦ λατρείας, ἢ νόμος εὐαγγελικὸς ἐν ἐπιτομῇ. *De primo Dei cultu, sive Lex Evangelica compendio explicata.* Opus dividitur in capita 40. Scriptum est rogante quodam familiari Monacho, raptim anno 6966. Jesu Christi 1458. in Monasterio S. Joannis Baptistæ in Menæceo monte, post abdicatam dignitatem, Μετὰ τὴν τοῦ πατριαρχοῦ ἀποκατάθησιν, ut habet idem Codex Regius. Incipit, Λύειν εὐσῶν τοῖς εὐσεβέσι λατρειῶν: Extat in Codicibus Regiis 2955. & 2959.

Περὶ τῆς Θείας προνοίας καὶ προορισμοῦ, *de divina Providentia & Prædestinatione.* Initium est, Τὴν ἐξ ἀιδίου περὶ τῶν ὄντων καὶ γινομένων γνῶσιν.

Περὶ προορισμοῦ δεύτερον, *de Prædestinatione secundum.* Initium, Κλινοπετὴς ἐδεξάμην. Is libellus editus est primo Augustæ Vindelicorum a Davide Hœschelio anno 1603. iterum cum versione Latina a Carolo Libertino societatis Jesu Theologo, Uratislaviæ. Scriptus fuit ad Joannem Archiepiscopum Thessalonicensem, in eodem Monasterio.

Περὶ τοῦ Θείου προορισμοῦ τρίτον, *de divina Prædestinatione tertium* ad eundem. Incipit, Πολλήν οἶδά σοι χάριν.

Περὶ τοῦ Θείου προορισμοῦ τέταρτον, *de divina Prædestinatione quartum.* Ad magnum Oeconomum Dominum Theodorum Agallianum. Incipit Σὺ μὲν καλῶς ποιῶν φίλτατε &c. Quatuor illi de *Prædestinatione* libri scripti videntur, postquam privatus factus, in Monasterium se recepisset. Extant simul in Codd. Regiis 2955. & 2959.

Ὅπως ἡ Θεία πρόνοια καὶ ὁ Θεῖος προορισμὸς οὐκ ἀναιρεῖ τὸ χρήσιμον τῶν εὐχῶν. *Quod divina Providentia & divina Prædestinatio non aufert precum utilitatem.* Incipit, Ὁ περὶ τῆς Θείας προνοίας λόγος. Extat in Codice Regio 2958.

Περὶ τῆς ἐν τῷ δεσπότῃ ἡμῶν Χριστῷ ἀνθρωπότητος: *De humanitate Domini nostri JESU CHRISTI.* Incipit autem Ζητοῦσί τινες, ibidem.

Περὶ ἀναστάσεως, *de Resurrectione.* Initium, Τὸ μὲν τῆς ἀναστάσεως ὄνομα, ibidem.

Περὶ τοῦ δεσποτικοῦ καὶ Θείου αἵματος, *de Dominico & Divino Sanguine,* ad Dionysium Hieromonachum. Initium, Ἐζητομένον ἤδη τῷ μεγάλῳ πατρὶ Γρηγορίῳ. Ibidem.

Περὶ τῶν Ἀγγέλων, πρὸς τὴν τοῦ Ἀργυροπούλου γνώμην ἀνηφερόμενον: *de Angelis contra Argiropuli sententiam.* Incipit, Ὁ Θεὸς φῶς ἐν ἀκρότατον. Ibidem.

Εἰς τὸ Ἀποστολικὸν ῥητὸν τὸ, Ἐκένωσεν ἑαυτὸν, μορφὴν δούλου λαβών. *In illud Apostoli, Exinanivit semetipsum formam Servi accipiens.* Ibidem.

Λύσις διαφόρων εὐαγγελικῶν ἀπορῶν: *Solutio diversarum ex Evangelio difficultatum,* ibidem.

Περὶ τῶν ἐμφερομένων ἐν τῇ Θείᾳ εὐχῇ ῥημάτων, ἤγουν, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ υἱὲ Θεοῦ ἐλέησον ἡμᾶς *De Verbis in divina prece contentis, Domine Jesu Christi Fili Dei, miserere nobis.* Ibidem.

Περὶ τῶν καρπῶν τοῦ πνεύματος, *de Fructibus Spiritus.* Ibidem.

Ἔκφρασις τοῦ, Μάρτυρες στεφανῖται. *Expositio Hymni Ecclesiastici,* qui ita incipit. Ibidem.

Ἐκ τῶν ἐμμέτρων εὐχῶν τοῦ αὐτοῦ, ὦ πάτερ ἄμβροτε. *Hexametri versus ad Deum, incipientes, O Pater immortalis.* Ibidem.

Περὶ τοῦ πῶς διακρίνονται αἱ Θεῖαι ἐνεργείας πρός τε ἀλλήλας, καὶ τὴν Θείαν οὐσίαν, ἧς εἰσὶν ἐνεργείαι. *Quomodo divinæ operationes distinguuntur, tam inter se, quam inter divinam essentiam, cujus Operationes sunt.* Ibidem.

Περὶ τῶν φαῦλα πραττόντων, πότερον ἄκοντες πράττουσι, ἢ ἑκόντες. *De iis qui mala committunt, nam volentes aut nolentes agunt.* Incipit, Ζητητέον ἂν εἴη. In eodem Codice.

Synesii

Synesii Oratio metrica, soluta oratione expressa, Codice 2955.

Ὕμνος μετὰ δεήσεως *Hymnus cum deprecatione*. Incipit, Τολμῶντα με, μέγιστε βασιλεῦ. Ibidem.

Περὶ τοῦ καιροῦ καὶ τοῦ τρόπου τῆς ὑπάρξεως τῶν νοερῶν καὶ ἀθανάτων ψυχῶν. *De tempore & modo existentiæ animarum intelligentium & immortalium*, amico cuidam. Incipit, Ἐπειδὴ πυνθάνη τιμιώτατε καὶ φίλτατε ἡμῖν ἐν Χριστῷ. Extat in Codd. Regiis 2953. 2958. & in nostro. Allatius per densam umbram designavit, quem vide pag. 405.

Περὶ τῆς τῶν ψυχῶν μετὰ τὴν ἐκ τῶν σωμάτων ἀνάλυσιν διαθέσεως ἐπιβεβαιωτικὸν συγγραμμάτιον, ὃ προεκόμισεν αὐτὸς ὁ Σαββάτιος τοῦ μακαρίου θεσσαλονικῆς κυρίου Συμεών. *De animarum, postquam corporibus solutæ sunt, statu & conditione, ad confirmationem scripti Symeonis Thessalonicensis*, quod ad se attulerat *Sabbatius*, ad eundemque ex Sina monte ad Gennadium venerat. In nostro Codice pag. 4. Non vidit Allatius.

Ad Joannem opinor Thessalonicensem de eadem Epistola prolixa, quæ extat in nostro Codice pag. 12. Incipit, Τὸ ἴσα μὲν ἀποκρινόμεθα.

Πρὸς τὸν πανιερώτατον Μηδείας κύριον Θεοφάνην, περὶ τῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης ψυχῆς, δεύτερον. *De anima humana & rationali ad sanctissimum Mediæ Metropolitam, secundo.* Hujus Theophanis extant in Codice 2958. ubi hic tractatus habetur, *Epistolæ tres*, una ad Ignatium Monachum, cum adhuc œconomus esset: altera ad magnum Ecclesiarcham, tertia ad Archiepiscopum Ephesinum.

Περὶ τοῦ βιβλίου τοῦ Γεμιστοῦ, καὶ τῆς ἑλληνικῆς πολυθείας. *De libro Gemisti, & contra Græcam superstitionem ad Joannem Exarchum.* Incipit, Ἐπαινοῦμεν σου τήν. Extat Pletonis Opusculum in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, deque eo Lambecius suo more Lib. VII. disputat, hoc est, Allatium exscribit. Vide pag. 162. ex quo pag. 176. scribit tanto odio in Gemistum exarsisse Gennadium, ut libros ejus omnes flammis abolendos curaverit. Vide *Allatium* de Georgiis pag. 391.

In singularem classem referendæ sunt Orationes quædam illius funebres.

Extat in Regio Codice 2955. & in nostro, hoc titulo: Τοῦ σοφωτάτου καὶ ἁγιωτάτου κυρίου Γενναδίου τῷ βασιλεῖ Κωνσταντίνῳ, ἐπὶ τῇ κοιμήσει τῆς ἀοιδίμου Δεσποίνης, τῆς αὐτοῦ μητρὸς, παραμυθητικός. *Sapientissimi & sanctissimi Domini Gennadii ad Imperatorem Constantinum, in morte venerandæ Despœnæ matris ejus consolatoria Oratio.* Incipit, Ἡ μακαρία καὶ ἀοίδιμος μήτηρ τοῦ κράτους σου.

Ἐπιτάφιος Θεοδώρου Δεσπότου. *Oratio in funere Theodori Despotæ, fratris Imperatoris.* Incipit, Τῷ μὲν τοῦ κρατίστου βασιλέως ἡμῶν ἀδελφῷ τρίτος μὲν ἔληξεν κειμένῳ. Extat in Codice Regio 2955.

Τοῦ σοφωτάτου διδασκάλου κυρίου Γεωργίου τοῦ Σχολαρίου, μετέπειτα δὲ καὶ ἀοιδίμου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως κυρίου Γενναδίου μονῳδία ἐπικήδειος ἐπὶ τῷ μακαριωτάτῳ πατρὶ καὶ διδασκάλῳ κυρίῳ Μάρκῳ Ἐφέσου, τὰ κόσμον Εὐγενικῷ. *Sapientissimi Doctoris D. Georgii Scholarii, deinde venerandi Patriarchæ Constantinopolitani, Domini Gennadii, Monodia funebris de beatissimo Patre & Doctore Marco Ephesino, qui in mundo Eugenicus dictus est.* Incipit, Φεῦ νῦν ὦ πάροντες, ἡμῖν αἱ τῶν ἀγαθῶν ἐλπίδες οἴχονται. Extat in Codice Regio 2958. & aliis.

Ἐπιτάφιος τῷ μακαρίῳ Θεοδώρῳ τῷ Σοφιανῷ ἐν τῇ ἱερᾷ μονῇ τοῦ βατοπεδίου ταφέντι ὃν εἶπεν ἐξ ἠπογαμοῦ ὁ θεῖος αὐτοῦ Γεννάδιος μοναχὸς ἐν τῷ ταφίῳ σεπτῷ ϛϡξε ἔτους. *Oratio funebris Beati Theodori Sophiani in sacro Monasterio Batopedii sepulti, quam ex tempore pronuntiavit avunculus ejus Gennadius Monachus ad sepulturam 28. Septembris anno 6965. Jesu Christi 1457.* Extat in nostro Codice, incipit, Ἀλλὰ ζῶντος μὲν ἔτι τὴν ἐνταῦθα ζωήν.

CAPUT SEPTIMUM.

SEQUUNTUR EA, QUÆ HISTORICA VOCARE POSSUMUS, QUAMVIS PLERAQUE AD INIMICITIAS ACERRIME CUM LATINIS SUSCEPTAS PERTINEANT. Idem Renaudotus pag. 86. & seqq.

Ὅτι ἀνεχωρήθη τοῦ παλατίου καὶ τῆς μονῆς τοῦ Παντοκράτορος, ἐν ᾗ πρῶτον ᾤκει κοσμικὸς καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὸ τοῦ χαρδιανήτου κοινόβιον, καὶ ἡτοιμάζετο πρὸς τὸ μοναχικὸν σχῆμα. *Cum recessisset ex Palatio & Monasterio Omnipotentis, in quo prius habitabat, cum secularis esset, aliisque in Cœnobium Chardianeti, præparareturque ad habitum monasticum.* Incipit, Πολλάκις προσειρηκώς σε, γαληνότατε βασιλεῦ. Extat in Codice Regio 2955. Missa est autem ad Constantinum Imperatorem, statim fere post mortem Joannis Palæologi.

Γενναδίου ἐλαχίστου Σχολαρίου ἐπὶ τὴν διὰ ἐγκατάλειψιν Θεοῦ ματαίαν καὶ ἄλογον καὶ ἀσύνδετον καινοτομίαν τῆς πίστεως. *Gennadii minimi Scholarii de ea, quæ de relicto Deo facta est, vana, irrationali & inconcinna fidei innovatione.* Incipit, Τίς δώσει μοι πτέρυγας. Ibidem. Inventum est Callipoli exemplar, unde Regium descriptum est, ut testatur Nota illius Marginalis.

Ejusdem Epistola scripta sex mensibus ante captam urbem, Τοῖς εὐγενεστάτοις πολίταις τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἅπασιν ἱερωμένοις καὶ κοσμικοῖς. *Ad nobilissimos cives omnes Constantinopolitanos Ecclesiasticos & Laicos.* Ibidem.

Ejusdem Θρῆνος sive *Lamentatio*, scripta in Menæceo monte 20. Junii Indictione 8. hoc est, nisi error Codicem occupavit, anno 1445. atque

atque adeo septennio circiter ante captam urbem.' Incipit, τοῦ τῆς ὀδύνης. Ibidem & Cod. 2959.

Quæ sequuntur hucusque non reperta a nobis, recenset ipse Gennadius in Epistola ad Amicum.

Συμβουλευτικὸς λόγος, ὃν ἀνέγνων ἐν τῷ Παντοκράτορι ἐνώπιον τοῦ αὐτοκράτορος, καὶ ὅλης τῆς πόλεως, περὶ ἱλεώσεως τοῦ θείου καὶ τῆς οἰκόθεν παρασκευῆς, τῇ ιε Ὀκτωβρίου. Consilium quod legi in Pantocratoris Monasterio coram Imperatore & tota urbe, de placando Deo, & domestico belli apparatu, 15. Octobris.

Νεαρὰ ἡ χρυσόβουλλος, ἣν ἐσχεδίασα, ἵνα γένηται παρὰ τοῦ αὐτοκράτορος ἀναιρετικὴ τῶν θεοστυγῶν παραβάσεων τῶν Ἐκκλησιαστικῶν καὶ θείων νόμων, δι' ἃς ἐκ Θεοῦ τοσούτοις ἔτεσι πιεζόμεθα, *Novella sive Bulla aurea, quam composui, ut ab Imperatore promulgaretur, ad tollendas Deo odibiles transgressiones Ecclesiasticarum & divinarum legum, propter quas a Deo tot annis affligimur.*

Alia quæ promulgari debebat Ecclesiastica Novella, ad renovationem legum Ecclesiasticarum & divinarum, singularum transgressionum species & earum emendationes continens. Ἡ Ἐκκλησιαστικὴ νεαρά, ἥτις ὤφειλε γίνεσθαι παρὰ τῶν ἐκκλησιαστικῶν, εἰς ἀνανέωσιν τῶν ἐκκλησιαστικῶν καὶ θείων νόμων δεινῶς καὶ πολυειδῶς πατουμένων, ἥτις καὶ ἐσχεδιάσθη, τὰς παραβάσεις καὶ τὰς διορθώσεις κατὰ μέρος περιέχουσα.

Oratio ad Imperatorem scripta 12. Maji.

Varia Scripta ad magnum Ducem. Duodecim Capitula ad Imperatorem, Missa per Ignatium. Alia ad Agioreitas sive Monachos montis Atho, missa antequam Cardinalis Russiæ Constantinopolim adveniret, per Athanasium & Simonem Monachos. Hæc diversa Scripta ipse Gennadius commemorat.

Epistola ad omnes fideles, Τοῖς ἁπανταχοῦ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, quæ extat in Cod. Regio 2955.

Alia missa ad magnum Ecclesiarcham Sylvestrum Sguropulum, Magnum Carthophylacem Agallianum & alios quosdam Ecclesiasticos, cum celebrata est Liturgia præsente Cardinali, postquam omnia circa religionem dissidia per eundem Cardinalem Isidorum composita sunt. Initium est, Ἅγιοι πατέρες, ἐγὼ ἤθελον ἐλθεῖν. Extat in eodem Codice.

Gennadio eidem, qui & Georgius Scholarius in iisdem titulis appellatur, varii adversus Latinos tractatus tribui solens. Hos quidem Allatius alteri suo Gennadio Schismatico attribuit, quem cum non alium ab hoc nostro fuisse ostensum fuerit, idcirco MSS Codicum fidem secuti, præsertim Regii unius, qui Sylvestri Syropuli magni Ecclesiarchæ, cui Gennadius probe notus erat, manu eleganter scriptus est anno 6958. Indict. 11, hoc est, anno 1448. vivente adhuc Gennadio, imo ante captam urbem, cum nondum Patriarcha esset, nostro vindicamus.

Περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς λόγοι δύο: *De Purgatorio Libri duo.* Extant Codice Regio 2553. Prior initio mutilus est Opus elegans, non contemnendum, quidquid Allatius dicat in contrarium

Κεφαλαιώδης ἀπόκρισις πρὸς τοὺς παρὰ Λατινῶν εἰρημένους λόγους, περὶ τοῦ αὐτοῦ Πουργατορίου. *Summaria Responsio ad objectiones Latinorum circa idem Purgatorium.* Initium, Ἐπειδὴ σαφέστερον ἡμᾶς ἀπαιτεῖτε.

Ejusdem *ad Joannem Thessalonicensem de Purgatorio.* In nostro Codice incipit, Αὐτοσχεδιάζω σοι.

Ejusdem Σύντομον κατὰ τῆς δόξης τῶν Λατίνων, *Breve scriptum contra Latinorum opinionem*, in eodem Cod. Reg.

De processione Spiritus Sancti contra Latinos tomi duo. Primus scriptus est ante captam urbem, post disputationes cum Legato Papæ Episcopo Cortonensi & aliis Latinis habitas coram Joanne Imperatore. Extat is liber in Bibliotheca Regia Codice 2956. pertinuitque ad Antonium quendam Pyropolum Medicum, mortuo jam Gennadio, ut testantur Jambi Joannis cujusdam Dotheiani ad finem Libri. Hujus operis initio hæc autor manu propria inscripserat. Γεωργίου τοῦ Σχολαρίου. Συνετέθη μετὰ διαλέξεις πέντε καὶ δέκα γενομένας ἐν τῷ παλατίῳ μετὰ τοῦ παπικοῦ πρεσβέως καὶ Ἐπισκόπου Κορτώνης, καὶ διδασκάλου τῆς παρὰ Λατίνοις θεολογίας, παρόντος καὶ τοῦ κυρίου Γρηγορίου τοῦ Πατριάρχου, καὶ τοῦ Καρδινάλιου, καὶ πολλῶν Λατίνων καὶ ὀρθοδόξων, ἐνώπιον τοῦ βασιλέως Ἰωάννου καὶ τοῦ μακαρίτου δεσπότου Θεοδώρου. Παρακληθεὶς γὰρ τὰ συμπεράσματα τῶν διαλέξεων ἐκείνων, ἐν τῷδε συνέταξα τῷ βιβλίῳ, ὃ μεταγραφὴν εἰς πολλά, καὶ διαδοθὲν πανταχοῦ, καὶ παρὰ Λατίνοις νῦν εὑρισκόμενον. Ἦν δὲ τότε ὁ συγγραψάμενος καθολικὸς Σεκρετάριος τοῦ βασιλέως Ἰωάννου, καὶ καθολικὸς Κριτὴς τῶν Ῥωμαίων, καὶ διδάσκων ἐν τῷ τρικλινίῳ τοῦ βασιλέως κατὰ παρασκευὴν ἑκάστην, παρούσης τῆς συγκλήτου καὶ πλείστης τῆς πόλεως τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, εἰς δόξαν αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ πάντα διδόντος. *Georgii Scholarii. Compositum est hoc Opus post collationes quindecim factas in Palatio cum Legato Papali, Episcopo Cortonæ, & quodam Theologiæ apud Latinos Doctore, præsente quoque Domino Gregorio Patriarcha, Cardinale, & multis aliis Latinis & Orthodoxis coram Imperatore Joanne & Theodoro Despota felicis memoriæ. Hortantibus autem plurimis harum disputationum conclusiones in hoc libro collegi, qui postea transscriptus & quocunque missus, etiam apud Latinos reperitur. Autor vero erat universalis Secretarius Imperatoris Joannis, Generalisque Græcorum Judex, docens in triclinio Imperatoris singulis sextis feriis, præsente Senatu & magna Civium frequentia, verbum DEI ad ejusdem gloriam DEI, qui omnia donavit.* Hæc sola inscriptio totam de duobus

bus Gennadiis Allatianam refellit descriptionem.

Secundus Tomus adversus Latinos de Spiritu Sancto, non eodem tempore scriptus, sed paulo serius, missusque ad Joannem Comnenum Imperatorem Trapezuntinum, cui Autor illud inscripsit, adjecta Epistola, qua rogat, ut librum prius non aliis communicet, quam aut se obiisse, aut aliis communicasse, compererit. Extat in Codice Regio 2957. Scriptus manu Sylvestri Syropuli Diaconi & magni Ecclesiarchæ, vivo Gennadio, nempe anno 6956. ut supra diximus. Extat quoque Codice 1963. ejusdem Regiæ bibliothecæ. Extat in Bibliotheca Viennensi inter MSS. Codices Theologicos Græcos Codice 277. teste Lambecio Tomo V. hujus Bibliothecæ pag. 225. qui alteri Scholario tribuit, Allatium secutus.

Ejusdem Dialogus prolixior adversus Latinos de processione Spiritus Sancti, in quo præsertim agit de recentiorum inter Latinos Doctorum, præsertim Thomæ & Scoti de processione Spiritus Sancti doctrina. Dialogi personæ, Olbianus, Eulogius, Benedictus. Initium, Ἀλλὰ καιρός ἐστιν ἐπισκέψασθαι ὦ Εὐλόγιε, εἰ βούλει τὰ Λατίνων διδασκάλοις τοῖς νεωτέροις περὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπορεύσεως ἠπορημένα, τοῖς τε ἄλλοις καὶ τῷ Θώμᾳ καὶ τῷ Σκότῳ &c. Extat Codice Regio eodem.

Legatus huic de Spiritu Sancto Dialogus, in eodem.

Ejusdem Gennadii Epistola, τῷ τιμιωτάτῳ ἐν μοναχοῖς κυρίῳ Μαξίμῳ, τῷ κατὰ κόσμον Σοφιανῷ, καὶ πᾶσι τοῖς ἐνασκουμένοις τῇ ἁγίᾳ μονῇ τοῦ Σινᾶ, ὁσιωτάτοις ἱερομοναχοῖς καὶ μοναχοῖς. *Venerabilissimo inter Monachos Domino Maximo, qui cum secularis esset, Sophianus vocabatur, & omnibus vitam monasticam exercentibus in sancto Monasterio Sina, sanctissimis Sacerdotibus & aliis Monachis.* Incipit, αἱ γραφαὶ τῆς σῆς εὐλαβείας. Agitur in ea de variis disciplinæ capitibus, occasione eorum, qui non recte illic se habere circa eos, qui ad visitanda sacra loca montis Sinai confluebant, a Joachimo & Gregorio Monachis didicerat. De Episcopo dignitatem abdicante, quod absque licentia Patriarchæ fieri posse negat. An absque Diacono celebrare Episcopus possit, quod licere ait in Sacello seu παρεκκλησίῳ, & factum ab Euthymio & Matthæo Patriarchis, non publice in Ecclesia. De Episcopo Bosniæ, qui multos ex Latinis & Latinæ Religionis hominibus ad fidem Ecclesiæ Græcæ adducebat. De Chartzeca Principe, quem ad eandem adducere idem Episcopus conabatur: Ne in Liturgia commemoratio ejus publice fiat, quia adhuc σκεπάζειν τὸν χριστιανισμὸν, *Christianismum dissimulat.* Verum asserit, licere in gratiarum actione ad mensam, præsente ipso, orare pro eodem. Ἐν δὲ τῇ εὐχαριστίᾳ τῇ τραπέζης ἡμῶν, εἰ θέλει εὔξασθαι ὑπὲρ αὐτοῦ, ὅτι κύριος ὁ Θεὸς διαφυλάξαι τὴν ζωὴν τοῦ ἀνθρώπου χαρτζεκό. Quis ille fuerit, aut quinam nomine Κουδουγέρων, qui, ut videtur, subditi illius erant, intelligendi sunt, nescimus. Tum de Latinis & Armenis ad loca sancta adorandi causa venientibus, definit, non esse repellendos, etiamsi Heterodoxi, & Schismate ab Ecclesia Græca divisi sint: nec tamen dandam ipsis Eucharistiam, sed ἀντίδωρον, seu panem benedictum, nisi proprias suas opiniones abjuraverint. De Simonia, eam deplorat tanquam malum, quod temporum calamitate tolerari potius debeat, quam idcirco obedientiam Episcopo negari, ne scandalum generetur, ex quo Episcopalis Ordinis, mox ipsius religionis contemptus nascitur. Ferendum esse quod emendari non possit, se saltem neminem pecuniis ordinasse, imo propriis sumptibus Episcopos fecisse multos, quos ex captivitate redemerat. Mali initia ante quinquaginta annos fuisse, sufficere, ut Episcopos observent, sintne Orthodoxi, & nihil alienum ab Ecclesiæ Græcæ fide docentes, minutiis circa ritus & officia Ecclesiastica non attendendum.

Epistola hæc eadem est, quam refert extare Lambecius in Bibliotheca Vindobonensi ad quendam Monachum, nam verbis iisdem incipit. Sed quod aliam recenset ad Joachimum Monachum Sinaitam *De controversiis quibusdam* ad Patriarcham Hierosolymitanum, partim ad Armenos & Latinos loca sacra invisentes spectantibus, veremur, ne vitiosum exemplar viro diligentissimo fraudi fuerit. Nam de eo Joachimo loquitur Gennadius *Epistola ad Maximum Sophianum*, a quo, ut a Gregorio didicerat ea quæ Sinaitarum pacem turbabant. Cum igitur eos statim remisisset mandatis instructos, ut plenius de eo argumento apud Sinaitas loquerentur, ad Joachimum de eodem scribendi nulla causa erat. Sed raro parum felix in conjectando Lambecius fuit, quod sequenti exemplo manifestum erit.

Historiam enim *rerum inter Latinos & Græcos Ferrariæ & Florentiæ gestarum*, scriptam a Gennadio fuisse, quæ in Cæsarea Bibliotheca inter MSS. Codices Historicos Græcos Codice 64. Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 509. docet. Codicem esse ait Chartaceum centum & sedecim annorum, (ita scribebat anno 1679.) quo continetur *Pseudo-Historia Concilii Ferrariensis & Florentini* &c. At cum verba ejus & hallucinationem ad annum 1430. in *Sylvestro Sguropulo seu Syropulo* retulerimus, eadem heic repetere superfluum fuerit.

CAPUT OCTAVUM.

DE CODICE MS. OPERUM GENNADII QUEM HABET EUSEBIUS RENAUDOT, ET DE SYNTAGMATE OPUSCULORUM EJUSDEM, QUOD ANNO 1709. IN 4. PARISIIS EDENDUM PROCURAVIT.

Ita

ITa ille in Dissertatione ad Homiliam *De Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi*, pag. 37.

„Gennadii Homiliam *De corporis & sanguinis Christi Sacramento* celebrem apud Græcos, „rarissimum tamen, nec apud nos Græce aut „Latine visam, exhibemus Christiane Lector; „ex Codice Monasterii Brundusini, chartaceo „optimæ notæ, qui ante annos saltem centum „quinquaginta scriptus est, perita manu. „Gennadius is est, qui circa annum 1453. quo „capta est Constantinopolis, jubente Muhamede Turcarum Imperatore, a Græcis more „maiorum Patriarcha electus est. In eodem „Codice leguntur, Oratio funebris Despænæ matris Constantini Imperatoris. Alia in „funere Sophiani dicta. Homiliæ in Decollationem Joannis Baptistæ. in Transitum B. Mariæ Virginis, in Nativitatem Domini, de „Publicano & Pharisæo. Opus de tempore & „modo existentiæ animarum rationalium, & „Opuscula alia, quæ in variis præsertim Bibliothecæ Regiæ Codicibus Gennadii nomen præ „se ferunt, certissimisque argumentis eidem „autori vindicantur. Sed, cum in aliis Opusculis autoritas sola Codicum MSS. & aliquot „rationes non contemnendæ titulos confirment, *Expositio Religionis Christianæ* coram „Turcarum Imperatore facta, maximum omnino pondus habet. Eum enim, qui primus „post cladem Constantinopolitanam Patriarcha renunciatus est, autorem hujus nostræ Orationis sive Homiliæ tam perspicue designat, „ut dubitare ne ipsi quidem possint, qui duos „Gennadios excogitarunt. Non eos accusamus, qui Opuscula quædam Gennadii ediderunt superiori seculo, vel in Bibliothecam Patrum transtulerunt: piis enim viris nec indoctis, sed in critica recentiori peregrinis, licebat Gennadium sive Georgium Scholarium „non agnoscere, cum vix ullos Græcos Codices tractavissent. Sed excusari plane non „possunt Græci duo, Matthæus Caryophillus „Archiepiscopus Iconiensis, & Leo Allatius „Corcyræus, qui hanc primi luserunt fabulam, & in quorum sententiam iverunt Theologi, præter unum Richardum Simonem „virum doctissimum, qui eam primus explosit „in Defensione vernacula adversus Thomam „Smith Theologum Oxoniensem. Agebatur „de fide Ecclesiarum Græcarum circa Eucharistiæ Sacramentum, de qua ab annis ferme „viginti acerrime inter Catholicos & Protestantes disputabatur, occasione Opusculi *De perpetuo utriusque Ecclesiæ consensu circa Eucharistiæ fidem*, quod multa deinceps volumina in utramque partem scripta pepererit.

Hæc ex Codice MS. Eusebii Renaudot, unde Homiliam Syntagmatis sui opus potissimum desumpsit, jam ad totius Syntagmatis contenta veniamus.

Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani Homiliæ de Sacramento Eucharistiæ. Meletii Alexandrini, Nectarii Hierosolymitani, Meletii Syrigi & aliorum De eodem Argumento Opuscula Græce & Latine,

seu

Appendix ad Acta, quæ circa Græcorum de Transsubstantiatione fidem relata sunt in Opere de perpetuitate fidei.

Eusebius Renaudotius, Parisinus, ex Codicibus MSS. edidit, Latine vertit, Dissertationes & Observationes adjecit. Parisiis apud Gabrielem Martin via Jacobæa MDCCIX. in 4.

Continentur in isto Syntagmate Præfatio XXXI. paginarum prolixa.

Gennadii *Homilia de Sacramentali corpore Christi Domini*. pag. 1.

Gennadii, qui primus ab urbe capta Patriarcha Constantinopoleos fuit, quique circa annum salutis MCCCCLI. vixit, *Alia brevis Homilia de corpore & sanguine Domini*, relata a Miletio Syrigo Hieromonacho Cretensi, in *Refutatione Confessionis Cyrilli Lucaris Constantinopolitani Patriarchæ*. p. 29. Schedion potius, quam Homilia fuerit.

Dissertatio ad Gennadii Homiliam *De corpore & sanguine Domini nostri JESU CHRISTI*. p. 37.

Marci Ephesii morientis verba ad Scholarium seu Gennadium, ex MS. Codice Regio 2963. p. 70.

Responsio Gennadii seu Scholarii ad Marcum Ephesium dictum Eugenicum. p. 75.

Excerptum ex Epistola Gennadii ad Maximum Sophianum, p. 77.

Dissertatio *de Operum Gennadii notitia*. pag. 80.

De Meletio Piga Observatio. p. 91.

Epistolæ Miletii Pigæ Græce & Latine. pag. 100.

Observatio de Meletio Syrigo. p. 151.

Ejusdem Observatio de Transsubstantiationis nomine Græce & Latine. p. 156.

Observatio de Nectario Hierosolymitano. p. 163.

Nectarii adversus Claudium Ministrum Epistola Græce & Latine. p. 171.

Ejusdem Narratio Miraculi de Eucharistia, Græce & Latine. p. 183.

De Synodica Callinici Patriarchæ Constantinopolitani, Monitum. p. 187.

Ejusdem Synodica sententia adversus Calvinistas, Latine tantum. p. 189.

Exceptum ex Confessione Orthodoxa, quæ in gratiam Russorum primum facta est. G. L. p. 195.

Observatio in Notas Petri Allixii *Ad Nectarii narrationem de Miraculis Eucharistiæ*. p. 199. ad finem Operis.

Omnis

Omnis illa Opusculorum Farrago ac Dissertationum congeries, ab Eusebio Renaudot congesta simul est, ut auctoritatem & fidem *Homiliæ Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani, de corpore & Sanguine Domini nostri JESU Christi* procuraret, atque eam ob rem nervos omnes intendit illa Dissertatione prolixa in *Homiliam Gennadii* per paginas decem integras a p. 59. ad finem operis. Agit tanto conatu, ac si de summa totius Ecclesiæ Romanæ ejusque fidei ageretur, ac moles omnis Papisticæ communionis in Homiliæ hujus defensione consisteret. Hinc modicum Renaudoti judicium agnoscimus. Si enim Ecclesiæ totius Occidentalis Papisticæ fidem de reali Christi in Eucharistia præsentia & de Transsubstantiationis Mysterio credentis, ubique prædicantis ac mille ceremoniarum, cantuum, Liturgiarum, circumgestationum & pixidum modis colentis, admittere nolunt, imo hæresim, superstitionem & idololatriam Calvinistæ arbitrantur, concionantur & innumeris libris scribunt: quid Græcos recentiores curant, an eandem cum Papisticis Occidentalibus, quos hæreticos censent, fidem habeant? His se plane absurdum ostendit, si Homilia Gennadii incerta & brevi Calvinistis se persuasurum putat, ut fidem suam de Eucharistia abjiciant.

Thomas Smitheus Ecclesiæ Anglicanæ Theologus, Constantinopoli redux edidit Epistolam *de statu Græcarum Ecclesiarum*, in qua Richardum Simonem impugnavit, quod in *Historia fidei Orientalium*, Græcos præsentiam realem & Transsubstantiationem credere, firmissimis argumentis docuisset. Quia vero Smitheus ita statuerat, *primum aut saltem inter primos* qui *μετουσιώσεως* voce usi forent, Gabrielem Philadelphiæ Metropolitam fuisse, Gennadii testimonium opposuerat Richardus Simon ex brevi illa Homilia quam Syrigus operi suo inseruit, quod opus ab Eusebio Renaudot acceperat. Smitheus in prima *Miscellaneorum* suorum editione, cum ex illo solo testimonio totam evanescere de Gabriele suam divinationem videret, Gennadii opus ut *ὑποβολιμαίου* scriptoris rejecit. At doctissimus ejus adversarius Dissertatione vernacula *de fide Ecclesiæ Orientalis circa Transsubstantiationem* editionis Parisiensis 1687. illum ita confutavit, ut tamen se victum a Simone non agnosceret, sed opere inscripto *Adversus Cavillationes Simonis* responderet. ita Renaudotus pagina 59. qui iterum pag. 60. his verbis, contra Smitheum.

Hanc vero Homiliam, inquit Smitheus, *non in Codicibus Regiæ Bibliothecæ, sed apud Ducem Burdelotium extare dicit Simonius, frigide quidem & admodum parce &c. tituloHomiliæ tantum addito. Neque enim an singula harum Homiliarum nomen Gennadii tanquam veri auctoris prætulerint, per ipsum scire nobis licet. Annon debuit ille Codicem illum una cum cæterarum Homiliarum titulis, suspicionis ne quisquam impostor vafritie non insolita, nomen Gennadii forte ementitus fuerit amolienda causa, accuratius & spectatius describere?* Nunquam Burdelotii Simonius meminit, aut Codicem apud eum extare dixit. Codex ipse, ut judicaverunt viri in antiquitate Græca exercitatissimi, talis est, ut de ejus *αὐθεντία*, nemo præter eos qui illum non viderunt, dubitaverit. Habuit illum Nointelius a Panagiotte, nos a Nointelio. Cur porro de suspicione amolienda quisquam cogitaret, quæ sine summa calumnia cogitari nulla posset? Extat *Homilia* cum aliis Gennadii operibus, quæ rectissime illius esse, non modo multorum Codicum consensus, sed Græcorum testimonia confirmant. In ea, quam laudat Meletius Sygirus, *alterius, quam edimus, in infelici Palatio, coram Imperatore & Senatu pronuntiata*, autoritas stabilitur. Laudat eam Callinicus Patriarcha Constantinopolitanus inter recentiores, in Synodica sua, & alii magno numero.

Hæc Eusebius Renaudotus ad Homiliæ hujus genuinitatem commendandam & alia plura ad pag. usque 68. Contra Smitheus suppositam multis contendit conjecturis & rationibus. Nullus autem ex inspectione etiam MS. Codicis, qui inter adversarios duos in opinione sua contumaces, litem dirimere possit. Hæc a nobis dicta satis sint, adeat ipsos adversarios, qui plura rescire pro & contra voluerit. Homilia autem ejusmodi incerta, Gennadii Græci hominis, recentis scriptoris, qui Ecclesiam Occidentalem & Romanam esse hæreticam multis in scriptis asseruit, apud Calvinistas reformatos nullius momenti vel auctoritatis esse potest, nec caussam illius promovere, quando cum Calvinistis decertaverit.

CAPUT NONUM.

RECENSENTUR QUÆ MANUEL MALAXUS JUNIOR, GERLACHIUS, ALIIQUE GRÆCI RECENTIORES DE GENNADIO PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO SCRIPTIS MANDARUNT, ET EMENDANTUR.

De Gennadio Patriarcha Constantinopolitano agit accurate ac diffuse Manuel Malaxus junior in *Historia Patriarchica Constantinopolitana*, p. 107. 108. 109. usque ad 119. & 120. *Turcogræciæ* lib. 1. Martini Crusii, itemque ex aliis Martinus Crusius in Notis ad hunc librum p. 187. 189. & 190. quæ hic verbotenus referentes, allegabimus & ab erroribus emendare conabimur. Ita igitur Manuel Malaxus junior pag. 107. & sequentibus.

Λοιπὸν οἱ κληρικοὶ κατὰ τὸν ὁρισμὸν τοῦ Σουλ-„
τάνου ἐπέναξαν μερικοὺς τοὺς πλήσιον Ἀρχιερεῖς,„
καὶ συνόδου γενομένης ἔκλεξαν ὅλοι ὁμοφρόνως,„
τὸν σοφώτατον κύριον Γεώργιον τὸν Σχολάριον:„
ὁ ὁποῖος ἦτον κριτὴς τῆς βασιλικῆς κρίσεως, εἰς„
τὰς ἡμέρας τῶν βασιλέων τῶν Ῥωμαίων. καὶ„
ὅταν ὑπῆγεν ὁ βασιλεὺς Ἰωάννης ὁ παλαιολο-„

,,γος εἰς τὴν Φραγγγίαν: ὁπῦ ἔκαμαν τὴν ὀγ-
,,δόην σύνοδον, ἐπῆρε καὶ αὐτὸν ὡς σοφώτατον.
,,ἦτον δὲ ἀνδρὰς ἁγιώτατος καὶ εὐλαβέστατος,
,,καὶ ἂις ἔδωκαν αὐτῦ τὸ μικρὸν μήνυμα: διὰ να
,,τὸν ἐκάμαν πατριάρχην: τελείως δὲ νἤθελε, νὰ
,,τὸ ἀκύση ὐδένα το στέρξει διὰ νὰ γένει πατριάρ-
,,χης. οἱ δὲ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ κληρικοὶ καὶ ὁ λαὸς
,,ὅλος, καὶ στανικῶς αὐτῦ, (id est ἄκοντα καὶ βία
,,αὐτῦ) ἔκαμον αὐτὸν Πατριάρχην: δώσαντες αὐ-
,,τῦ καὶ τὸ μέγα μήνυμα. Ἐχειροτόνησεν αὐ-
,,τὸν ὁ Ἡρακλείας μετὰ καὶ ἄλλων πολλῶν ἀρχιε-
,,ρέων ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ὅτῦ ἔκτη-
,,σε Θεοδῶρα ἡ βασίλισσα, ἡ ὁμόζυγος τῦ με-
,,γάλυ Ἰυστινιάνῦ τῦ βασιλέως καὶ Γεννάδιον τὸν
,,ὀνόμασαν. De cætero, accepta hæc facultate,
,,Clerici de mandato Regis, congregarunt cer-
,,tos quosdam, qui in vicinia erant Sacrorum
,,Antiſtites. Hoc modo Synodo coacta, ele-
,,gerunt una mente & voce, doctiſſimum &
,,prudentiſſimum virum, Georgium Schola-
,,rium, qui ſtante adhuc imperio Romano, in
,,Judicio Imperatorio Judicem egerat. Ac
,,quo tempore Rex Joannes Palæologus in Ita-
,,liam profectus fuerat, ubi octava Synodus ſa-
,,cta eſt, ſecum illum inter alios duxerat, ut e-
,,ruditione præſtanti præditum: erat porro i-
,,dem pietate ſanctitateque inſignis vir. Ut
,,autem ſignificationem (ſicut in Patriarcha-
,,rum eventione fieri ſolebat) minorem quæ
,,appellatur, illi dederunt, ut ſcilicet ipſum
,,conſtituerent Patriarcham: nullo modo eam
,,audire voluit, neque acquieſcere illorum ſuf-
,,fragiis, ut Patriarcha fieret. Pontifices au-
,,tem & Clerici & populus totus, etiam invitum
,,& reluctantem crearunt; data quoque altera,
,,quæ major vocatur, ſuæ ſignificatione volun-
,,tatis, ordinans renuntiavit cum Heracleæ An-
,,tiſtes, præſentibus aliis Pontificibus multis, in
,,templo ſanctorum Apoſtolorum, quod olim a
,,Regina Theodora Juſtiniani Magni conjuge
,,conditum fuerat, eique Gennadium dixerunt
,,nomen.

2. Γεννάδιος ὁ Σχολάριος ὁ σοφώτατος.
,,Τῦτος ἔγινε πρῶτος Πατριάρχης ἐδῶ εἰς
,,τὴν Κωνσταντινύπολιν, ἀφ' ῦ ἐβασίλευσεν αὐτὴν ὁ
,,αὐτὸς Συλτάνος ὡς ἐγράψαμεν. καὶ ὥσαὸ
,,τὸν ἔκαμαν πατριάρχην: τὸν ἐπῆραν οἱ ἀρχιε-
,,ρεῖς καὶ οἱ κληρικοὶ καὶ οἱ πρῶτοι τῦ λαῦ: καὶ
,,ὑπῆγε καὶ ἐπροσκύνησε τὸν αὐτὸν Συλτάνον. καὶ
,,ἐκεῖ ἐρώτησε τὺς κληρικὺς, ὅτι τὶ συνήθειαν εἶ-
,,χαν οἱ βασιλεῖς τῶν Ῥωμαίων, ὅταν ἔκαμναν
,,πατριάρχην. καὶ τῦτοι ἀπεκρίθησαν καὶ εἶ-
,,παν, ὅτι ὅταν ἤθελε γένειν Πατριάρχης, τῦ ἐ-
,,χάριζε καπάσιν ἐκδύμιον, με τὸν καμυχᾶν: καὶ
,,μανδὴ με τὺς ποταμὺς, καὶ ἄλογον ἄσπρον:
,,καὶ ἐκαβαλίκευεν αὐτὸ, καὶ ὑπῆγεν ἐγυρῶθεν
,,τῆς πόλης καὶ εὐλόγει αὐτην: καὶ ἔδιδε τῦ ὁ
,,βασιλεὺς μετὸ χέρη τυ τὸ δικανίκη, καὶ ἔτζη ἔ-
,,λαβεν ὁ Συλτάνος μετὸ χέρη τῦτο δικανίκη,
,,καὶ τὸ ἔδωκεν εἰς τὸ χέρη τῦ Πατριάρχυ. καὶ
,,ὅριζε, καὶ ἔγιναν ὅλα ἐκεῖνα, ὁπῦ εἴπαμε: τα
,,ὁπεῖα εἶχαν οἱ Πατριάρχαι εὐεργεσίαις ἀπὸ τὺς
βασιλεῖς. ἠγάπησε δὲ πόλλα τὸν Πατριάρχην,,,
ὁ Συλτάνος, ἐσόντας νὰ μάθη, ὅτι ἦτον σοφώ-,,
τατος καὶ εὐλαβὴς ἄνδρας. Ἔδωκεν τῦ δὲ καὶ,,
τὸν περίφημον ναὸν τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ ἐ-,,
καμε πατριαρχεῖον. Gennadius Scholarius,,,
ſapientiſſimus. Hic fuit primus in urbe no-,,
ſtra Conſtantinopoli Patriarcha, poſtquam,,
ejus Rex fuit Mechemeta, ut diximus. Eam,,
ſtatim ut Patriarcha dignitatem acceperat,,,
Pontifices & Clerici, primoresque populi, ad,,
Sultanum deduxerunt, quem etiam ille ado-,,
ravit. Tum Clericos interrogavit Sultanus,,,
ecquam conſuetudinem habuiſſent Romani,,
Imperatores in creatione alicujus Patriar-,,
chæ. Reſponderunt illi, quoties aliquis fu-,,
turus eſſet Patriarcha, donaſſe ei Imperato-,,
rem pretioſum pileum, cum velamento ſub-,,
pileo, item pallium undulatum, & album e-,,
quum, cui Patriarcha inſidens, urbem circum-,,
iens, huic fauſta precatus ſit. Datum præte-,,
rea eſſe ei pedum, manu Imperatoris, inſigne,,
curæ paſtoralis in gregem pium. Ita Sulta-,,
nus his auditis, pedum manu ſua accepit, id-,,
que in manum Patriarchæ dedit, mandatoque,,
ejusdem Sultani, omnia illa modo dicta, quæ,,
Patriarchæ, honoris beneficiique cauſa ab,,
Imperatoribus accipere ſoliti fuerant, rite,,
adminiſtrata ſunt. Clementia porro & be-,,
nevolentia magna, idem hunc Patriarcham,,
proſecutus eſſet, quod ſapientia pietateque,,
ſingulari præditum eſſe cognoviſſet. Con-,,
tulit quoque eidem celeberrimum SS. Apoſto-,,
lorum templum, in quo hic Patriarchicon ſeu,,
Patriarchicam ſedem collocavit.,,

3. Καὶ ἐκεῖ ὅπῦ ἐκατίζετον ὁ Πατριάρχης,,,
μιὰν νύκτα εὑρέθη ἕνας ἄνθρωπος σφαμένος.,,
καὶ ἐφοβήθη μέγαν φόβον, ἵνα μὴ σφάζυν αὐ-,,
τὸν, ἢ ἀπὸ τὴν συνοδίαν αὐτῦ ἐκεῖ: διότι ὅλος,,
ὁ τόπος γυρόθεν τῦ Πατριαρχεῖυ ἦτον ἔρημος:,,
ἐσόντας ὁπῦ ἄνθρωπος δὲν ἐκατοίχυς ἐκεῖ, ὅτι,,
ἐσφάγησαν εἰς τὴν πόλεμον. Ὅμως ἐν τῷ ἅ-,,
μα ὁ Πατριάρχης εὐγῆκεν ἀπ' ἐκεῖ: καὶ ἄφηκε,,
τὸν ναὸν ἐκεῖνον σφαλισμένον: καὶ ὑπῆγεν εἰς τὸν,,
Συλτάνον, καὶ ἀνήφερε τὰ γινόμενα: καὶ ἐζήτη-,,
σεν αὐτῦ, νὰ τῦ δώση τὴν μονὴν τῆς Παμμακα-,,
ρίσυ, νὰ τὴν ἐκάμη πατριαρχεῖον. καὶ ὁ Συλτά-,,
νος, ὡς ἤκυσε τῦτο, τῆς ὥρας ἔδοκεν αὐτῦ ὁρισ-,,
μὸν: καὶ ἔλαβε τὸν ναὸν τῆς Παμμακαρίσυ, τῆς,,
ὑπεράγνυ Θεοτόκυ, καὶ ἔκαμεν αὐτὴν Πατριαρ-,,
χεῖον: ὁ στερεάσει κύριος ὁ Θεὸς Χριστὸς, ὁ σωτὴρ,,
ἡμῶν ἕως τῆς συντελείας τῦ αἰῶνος ἀνενόχλητον,,
καὶ ἀνεπηρέαστον ἀπὸ παντὸς ἐχθρῦ. Καὶ τῦ-,,
τος ὁ ναὸς τῆς Παμμακαρίσυ, ἦτον ὅλος ἔξω-,,
θεν τὸ γῦρον κάτοικος ἀνθρώπυς, καὶ τα σο-,,
πίτια γεμάτα ὅλη ἡ γειτονία, καὶ ἐπάνω καὶ,,
κάτω διότι ἤφεραν, σεργύνιδες ἀπὸ ἄλλα κά-,,
στρη, καὶ ὗτοι ἐκατοίκησαν ἐκεῖ. Δία τῦτο, ὁ,,
Πατριάρχης, ἐσόντας, νὰ εἶναι ὅλος ὁ τόπος,,
ἐκεῖνος τῆς Παμμακαρίσυ γεμάτος ἀνθρώπυς,,,
ἐζήτησε τῦ Συλτάνυ, καὶ ἔδωκεν αὐτῦ αὐτὸν τὸν,,
ναὸν, καὶ ἐκάθησεν ἐκεῖ, καὶ τὸν ἔκαμε Πατρι-,,
αρχεῖον, ὡς εἴπαμε. In eo loco dein ubi Pa-,,
triarcha

„triarcha residebat, nocte quadam inventus
„est homo quispiam occisus: unde ingens me-
„tus animum Patriarchæ incessit, ne vel sibi vel
„alicui suorum familiarium, idem ibi accide-
„ret: eo quod totus ille locus, qui circa Pa-
„triarchaion erat, incultus & civibus desertus
„esset: civibus qui ibi habitaverant, in expu-
„gnatione nobis interfectis, nec dum aliis in
„locum eorum deductis. Confestim itaque
„Patriarcha inde excessit, relicto illo templo
„obserato, cumque Sultanum convenisset,
„retulit quid factum esset, ac rogavit eum,
„daret sibi Monasterium Deiparæ Pammaca-
„ristæ, ut in Patriarchicum verteret. Sulta-
„nus hoc audito, eadem mox hora de eo man-
„datum dedit. Accepto igitur sanctissimæ
„Dei genitricis Pammacaristæ templo, ex eo
„Patriarchæ domicilium fecit, quod solidum
„conservet Dominus Deus & conservator no-
„ster Christus, ad consummationem usque se-
„culi hujus, ab omni hostis vexatione & contu-
„melia tutum. Erat id templum foris totum
„circumcirca habitatum hominibus, vicinia to-
„ta domorum plena, supra & infra, colonis
„aliunde ex oppidis eo deductis, ibique habita-
„re jussis. Cum itaque multitudine hominum
„totus hic locus celebris esset, ea fuit causa, cur
„de eo Patriarcha Sultanum appellaverit, qui
„& illi hoc templum concessit, in quo ab eo
„tempore, tanquam in Patriarchico, ille rese-
„dit, sicut diximus.

4. „Ἦτον δὲ εἰς τὸν καιρὸν τῶν Ῥωμαίων, αὐ-
„τὴ ἡ Παμμακάριςος γυναικεῖον μοναςήριον. ὁ
„δὲ ναὸς αὐτῶν ἁγίων Ἀποςόλων, ἐπῦ ἐκαθέζε-
„τον πρωτίτερα ὁ Πατριάρχης: τὸν ἔκαμαν ἰ-
„μαρέτιον τῦ αὐτῦ Συλτὰν Μεχεμέτη. καὶ ςέ-
„κε?ται ἀκομὶ ἀπὸ τὰ κτίσματα τῦ ναῦ ἕως τῆς
„σήμερον. Fuerat autem sub Imperatoribus
„Romanis hæc Pammacarista fœmineum cœ-
„nobium. Verum ex templo sanctorum Apo-
„stolorum, in quo antea Patriarcha sederat,
„eidem regi Mechemetæ templum (Himare-
„tium vocant) fecerunt. extatque etiamnum
„hodie aliquid de prioris templi structuris.„

5. „Τότε καὶ ὁ αὐτὸς Συλτὰνος ὑπῆγε σωμα-
„τικῶς εἰς τὸ Πατριαρχεῖον, εἰς τὸν ναὸν τῆς Παμμα-
„καρίςυ, καὶ ἐμπῆκε μέσα εἰς τὸ παρ' ἐκκλήσιον
„(ὁπῦ ἔναι τὴν σήμερον σκευοφυλάκιον) καὶ ὁ-
„μίλησε, καὶ εδιελέγχθη μετ' αὐτῦ τῦ Πατρι-
„άρχυ, κυρῦ Γενναδίυ. καὶ ἀπέδειξεν αὐτῦ ὁ
„Πατριάρχης τὴν πᾶσαν ἀλήθειαν τῆς πίςεως
„ἡμῶν, Χωρὶς κανένα φόβυ: καὶ ἔγραψεν εἰς
„τὰ ζητήματα αὐτῦ κεφάλαια εἴκοσι, τὰ ὁ-
„ποῖα φαίνοντ?ι, κάτωθεν, ἕνα, τὶ λέγει; καὶ ἔδω-
„κεν αὐτὸ τῷ αὐτῷ Συλτάνῳ, καὶ ἡ ἀρχὴ τῶν αὐ-
„τῶν κεφαλαίων ὕτως διαλαμβάνη. τῦ σοφω-
„τάτυ καὶ λογιωτάτυ κυρῦ Γενναδίυ τῦ Σχολαρίυ
„καὶ Πατριάρχυ Κωνςαντινυπόλεως νέας Ῥώμης,
„ὁμιλία ῥηθεῖσα περὶ τῆς ὀρθῆς καὶ ἀμωμήτυ πί-
„ςεως των χριςιανῶν. Ἐρωτηθεὶς γὰρ παρὰ τῦ
„Ἀμυρᾶ σουλτάνυ τῦ Μαχμέτη, τὶ πιςεύεται ἡ-
„μεῖς οἱ Χριςιανοί: ἀπεκρίνατο δὲ ὕτως, καὶ εἶπε

πρὸς αὐτόν. Eo tempore idem Sultanus ipse-„
met Patriarchaion intravit, cumque in tem-„
plum Pammacaristæ intrasset, in Sacellum e-„
jus ingressus est (quo in loco hodie armarium„
rerum sacrarum est,) & cum Patriarcha Gen-„
nadio clementer Sermones contulit. Tunc,„
omni metu posito, universam ei Patriarcha„
veritatem fidei Christianæ aperuit, scripsit-„
que pro numero quæstionum ejus *Capita vi-*„
ginti, quæ singula interius ordine sequuntur,„
sententiaque eorum perspicitur, quæ & ipsi„
Sultano dedit. Eorum capitum inscriptio,„
initiumque sic habet. *Sapientissimi & doctissi-*„
mi viri, Domini Gennadii Scholarii, Patriar-„
chæ Constantinopoleos, novæ Romæ, Sermoci-„
natio habita de recta & inculpata Christiano-„
rum fide. Interrogatus enim ab Imperatore,„
Mechometa, *quid creditis vos Christiani* & re-„
spondit ad hunc qui sequitur modum &c.„
Colloquium autem istud illic a pagina 110.„
Græce & Latine ad pag. 119. De illo etiam,„
idem Manuel Malacus allatus pag. 119. &„
120.„

6. Ὁ δὲ Συλτάνος, ἀκύσας ταῦτα τῦ Πατρι-„
άρχυ, ἅπερ ἐγγράφως τῦ ἔδωκε, ἐθαύμασε μεγά-„
λως εἰς τὴν θεολογίαν καὶ σοφίαν αὐτῦ, καὶ επληροφο-„
ρήθη τὴν πᾶσαν ἀλήθειαν περὶ τῆς πίςεως τῶν Χριςι-„
ανῶν, ὅτι ἔναι ἀληθινή: καὶ τὰ μυςήρια τῆς πίςεως„
αὐτῶν ἀληθινὰ καὶ θαυματῦργα: καὶ κανένα δόλος„
δὲν ἔναι ἐν αὐτα: ἀμὴ καθαρὰ καὶ λαμπρότερα„
ὑπὲρ τὸ χρυσάφη. ἀγάπησε δὲ πόλλα τὸ γένος„
τῶν Χριςιανῶν, καὶ ἔυλεπε καλῶς. Καὶ ὁρισμὸν„
ἔδωκε, καὶ ἔδωκε καὶ ἔκαμε τὰς μεγάλας φοβέρας εἰς„
ἐκείνυς: ὅπυ να πηράξυν ἢ διαβάλλυν τίνα τῶν Χρι-„
ςιανῶν, νὰ παιδεύονται Βαρέως. Καὶ ὀυχὶ μόνον„
ὁ Συλτάνος ἀγάπα τὺς Χριςιανὺς: ἀμὴ καὶ„
ὅλοι οἱ Μυσυλμάνοι, ἕνεκεν τῦ ὁρισμῦ τῦ αὐθέν„
τος. Εἶχε δὲ ὁ Συλτάνος μεγάλην καρὰν καὶ„
εὐφροσύνην: ἔσοντας, νὰ γένη τοιαύτυ γένυς„
αὐθένθης καὶ βασιλέας. Tunc Sultanus, his-„
ce ex ore Patriarchæ auditis, & in scripto„
etiam acceptis, magnopere admiratus est,„
illius divinatum rerum cognitionem & sa-„
pientiam: certusque de religione Christia-„
na factus est, totam esse verissimam, My-„
steria ejus non modo vera, sed etiam mirifica,„
nullum his subesse dolum: sed puritate &„
splendore vincere annum. Hinc amore pro-„
secutus est gentem Christianam, benignoque„
aspexit vultu. Hac de causa, edito proposi-„
to, gravia minatus est illis, quicunque mole-„
starent aut calumniarentur aliquem Christia-„
num, in eosque graviter animadverti jussit.„
Nec ipse solum Sultanus diligebat Christia-„
nos, sed cuncti etiam Turcæ (qui ipsorum lin-„
gua Musulmani appellantur) propter edictum,„
Regium. Enimvero magno gaudebat opere,„
oblectabaturque Sultanus, quod se talis natio-„
nis Dominum, Regemque fieri contigis-„
set.„

7. "Ὁ δὲ Πατριάρχης κύρις Γεννάδιος, ἔκα-„
μεν εἰς τὸν ὑψηλότατον πατριαρχικὸν θρόνον τῆς„
ἁγιω-

,,ἁγιωτάτης τῦ χριςῦ μεγάλης ἐκκλησίας, χρό-,,νους πέντε καὶ μῆνας. καὶ ἀπὸ τὰ πολλὰ καὶ μεγάλα ,,σκάνδαλα ἐπῦ ἦσαν, ἐκάλησε σύνοδον ἀρχιε-,,ρέων καὶ κληρικῶν καὶ ἀρχόντων, καὶ πάντων ,,τῶν χριςιανῶν: καὶ ἔκαμε παραίτησιν τῦ Πα-,,τριαρχικῦ θρόνυ. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἐπαρεκάλεσαν ,,αὐτὸν, καὶ οἱ κληρικοὶ, καὶ ὁ λαὸς, διὰ νὰ δια-,,μείνῃ: ἀμὴ δὲν ἠθέλησε τελείως: νὰ τὸ ἀκύσῃ, ,,μόνον ἔγραψε τὴν παραίτησιν αὐτῦ εἰς τὸν κώδι-,,κα τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας. καὶ λαβὼν τὰ ,,πράγματα αὐτῦ, ἤτοι ἀνῆκεν, ὑπῆγεν ἐν τῷ ἅ-,,μα εἰς τὸ μοναςήριον τῦ Θείυ Προδρόμυ, τῦ ἐν τῷ ,,ὄρει μενοικέως, πλησίον εἰς τὰς σέῤῥας: καὶ ἐκεῖ ἀ-,,πέθανεν εἰρηνικῶς: καὶ ἐμετήλλαξεν ἀντὶ τῦ κόσ-,,μυ τύτυ, τὴν ὐράνιον βασιλείαν τῦ Θεῦ. Κα-,,τεζομένης δὲ ἐκεῖ τῆς συνόδυ εἰς τὴν ἁγιωτάτην ,,τῦ Θεῦ μεγάλην ἐκκλησίαν, ἵνα ἐκλέξωσιν ἄλ-,,λον Πατριάρχην, καὶ ὁμοφρόνως ἐκλέξαν τὸν ,,σίδωρον, τὸν Ἱερομόναχον καὶ πνευματικόν.

,,Cæterum Patriarcha Gennadius in sublimi ,,magnæ sanctissimæque Christi Ecclesiæ thro-,,no: annos quinque & aliquot menses e-,,git. Tunc multis magnisque dissidiis ,,exortis, concilium convocavit. Ponti-,,ficum, Clericorum, Optimatum, cuncto-,,rumque Christianorum, in quo se Patriarchi-,,co munere abdicavit. Adhortabantur qui-,,dem Pontifices ipsum & viri Ecclesiastici, po-,,pulusque cunctus, ad manendum: sed præ-,,sus ipse audire noluit, verum abdicationem ,,suam in Codice magnæ Ecclesiæ conscripsit. ,,Dein rebus suis acceptis, recta se in monaste-,,rium divi Prodromi, in monte Monæcei pro-,,pe Serras situm contulit, ibique in bona pace ,,mortuus, cum hoc caduco mundo cœleste ,,Dei regnum commutavit. Sedente porro il-,,lic in sanctissima Dei magna Ecclesia Synodo ,,patrum propter alium Patriarcham eligen-,,dum: Isidoro Hieromonacho, & Spirituali ,,confessionum totius civitatis patri, consenti-,,entibus suffragiis, ea dignitas data fuit.

Martinus Crusius lib. 2. *Turcograciæ* in Annotationibus ad Historiam Ecclesiasticam Manuelis Malaxi junioris pag. 187. hæc habet.

,,Scholarii nostri ut non recte sentientis, Le-,,onardus Chiensis in Expugnatione Constanti-,,nopoleos mentionem facit. Nam Græci do-,,mum reversi, concordiam Florentiæ factam ,,prædictam servare non potuerunt. De eo-,,dem Scholario seu Gennadio, in libri cujus-,,dam, apud D. Joannem Zygomalam tunc ve-,,nalis titulo, mentio fit. Quæ mihi 2. Febru-,,arii 1577. e Byzantio misit Dominus Gerla-,,chius. Τῦ σοφωτάτυ καὶ λογιωτάτυ Ματ-,,θαίυ τῦ Καμαριώτυ ἐξήγησις εἰς τὰς ἐπιςολὰς ,,Συνεσίυ τῦ σοφωτάτυ καὶ θεοφιλεςάτυ ἐπι-,,σκόπυ, γεγραμμένη οἰκείᾳ χειρὶ τῦ αὐτῦ Καμα-,,ριώτυ. καὶ ἐξηγητικὸν ὑπόμνημα εἰς τὸν αὐτὸν Κα-,,μαριώτην, ὅτι ἀπὸ θεσσαλονίκης ὁρμώμενος καὶ ,,φιλόσοφος ὢν, ἦλθεν ὧδε εἰς Κωνςαντινύπολιν ,,ἐν τοῖς ἐσχάτοις δυστυχίοις χρόνοις τῶν βασιλέων ,,τῶν Παλαιολόγων: αὐθὶ μείνας μετὰ τὴν ἅλωσιν

,,τῆς πόλεως, ὑπῆρξε διδάσκαλος τῦ Πατρι-,,άρχυ κυρῦ Γενναδίυ, τῦ Σχολαρίυ, καὶ ἄλλων τι-,,νῶν ἀρχόντων, περὶ τὰ μέσα τῆς βασιλείας τῦ ,,Συλτάνυ Μυράτη. Doctissimi viri Matthæi, ,,Cammariotæ Commentarius in Reverendi E-,,piscopi Synesii Epistolas, manu ipsius scri-,,ptus. Præterea Commentariolum in eun-,,dem Camariatum, quomodo patria Thessa-,,lonicensis, professione Philosophus, huc Con-,,stantinopolim venerit, ultimis Regum Palæ-,,ologorum miseris temporibus, & hic post ur-,,bem amissam substiterit: postquam Schola-,,rii, qui postea Patriarcha fuit Gennadius, &,, quorundam aliorum optimatum, *circa medi-*,, *um regni Amuratæ* præceptor fuisset. Quod,, ad μήνυμα μικρὸν καὶ μέγα attinet, scripsit,, mihi sic Dominus Theodosius Zygomala. 80.,, ἔτος ἐςὶ, προσκαλεῖσθαι τὴν σύνοδον δὶς αὐτὸν,, τὸν μέλλοντα πατριαρχεῦσαι: ἡ ἁγία Σύνοδος,, τὴν ἀρχιερωσύνην συ προσκαλεῖται, Πατριαρ-,, χην γενέσθαι. Bis accersit Synodus futurum,, Patriarcham, Sancta Synodus reverendam,, tuam dignitatem vocat, ut ea Patriarcha fiat.,, ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων ἀποςόλων, cujus τὰ ἐγκαί-,, νια seu dedicationem, & in eo reliquiarum A-,, postolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei de-,, positionem, Georgius Cedranus anno 23. im-,, perii Justiniani magni factam scribit, nempe,, anno 550. Christi.,,

Περὶ τὰ μέσα τῆς βασιλείας τῦ Συλτάνυ Μυράτη. Hæc mera est conjectura & ἀντορησία hujus authoris. Juxta enim Joannem Leunclavium & Abrahamum Bucholcerum in Chronico ad annum 1451. pag. 399. Francofurti ad Mœnum 1616. in 8. edito, Amurates II. Turcarum Rex octavus, anno 1451. Andrinopoli die 10. Februarii mortuus est, cum annis 30. imperasset, cui successit Mahumetes II. Rex Turcarum nonus, & Imperii Orientis primus occupator, anno 21. ætatis. Tempus ergo medium regni Amuratæ II. est annus 1436. quo dicitur Matthæus Camariota docuisse Rhetoricam Constantinopoli, & illic habuisse discipulum Georgium Scholarium, postea Patriarcham Constantinopolitanum. At tunc temporis Georgius Scholarius jam apud Græcos eminebat inter viros eruditos, unde ad Florentinam Synodum ab anno 1437. ab Imperatore destinatus fuit, ut Græcorum quæstiones & doctrinam contra Latinos defenderet, quod juveni a Scholis adhuc recenti non conveniebat. Imo teste Manuele Malaxo juniore, superius in hoc capite num 1. allegato, jam ab anno 1436. vel antea, sub Joanne Palæologo Imperatore, Georgius Scholarius *judicem agebat Constantinopoli causarum forensium*, antequam ad Italiam cum aliis pergeret. Non ergo Matthæi Camariothæ discipulus esse potuit, qui ante annum 1436. Constantinopolim ad scholam Rhetorices aperiendam non accessit. Hoc igitur ex conjecturis omnino incertis Gerlachius præfatus asseruit.

Idem

Idem Crusius ad hanc vocem supra num: 3, *κὲ τοῦ δώσῃ τὴν μονὴν τῆς Παμμακαρίστου* hæc habet Libro 2. Turcogræciæ pag. 189. & 190.

De hoc Patriarchejo hæc ex Gerlachio cognovi. „*Primo* ex ejus ad me 7. Martii 1578, „Byzantii scripta, Aprilis vero 23. reddita „Tybingæ Epistola, Τὸ Πατριαρχεῖον, satis „amplum monasterium, non procul a loco „βλαχηρνῶν, in Monte quasi, respectu sinus „Ceratini, situm est. Monachorum Domesticorum & externorum, qui quotidie veniunt „abeuntque, cellulas plures κύκλωσε habet. „Templum imaginibus Christi, Mariæ, Apostolorum, Prophetarum, Doctorum Ecclesiæ, Historiarum Biblicarum, Imperatorum „Græcorum, undiquaque splendens, Reliquias quoque servat Mariæ Salomæ, divæ „Euphemiæ: Sepulchrum Alexii Comneni „αὐτοκράτορος, columnam ad quam Christus „flagellatus dicitur, & Bibliothecam paucorum librorum. In eadem conditor templi, „ejusque uxor eleganter depicti sunt, forma archiducali cum inscriptione: Μιχαὴλ Δοῦκας „γλαβᾶς τζαχανιώτης, ὁ πρωτοστράτωρ καὶ κτίτωρ: Μαρία Δούκαινα, κομνηνή, παλαιολογίνα, „βλάκαινα, ἡ πρωτοστρατόρισσα καὶ κτιτόρισσα. Patriarchatui contiguum est monasterium S. Joannis Baptistæ, Græcis Sanctimonialibus inhabitatum.

„*Secundo* ex familari inter nos, post reditum ejus sermone, Τὸ Πατριαρχεῖον loco „editiore & amœnissimo situm est, olim μονὴ „fœminarum, sive τετράγωνον, muro cinctum. Inde versus Septentriones, ad sinum Ceratinum (ubi olim Imperatorum Græcorum κοιμητήρια) descenditur, sed meridiem „& domum Legati nostri versus, planities est, „sensim declivis. Ipsum Πατριαρχεῖον minime „magnificum est, sed templum inibi præclarum, licet non ita magnum, a Patriarcha „Hieremia, qui antea Λαρίσσης Metropolita „fuerat, pulchre exornatum, pictis tabulis „ligneis Christi, Mariæ, 12. Apostolorum, „& aliquot Prophetarum. Insunt & veteres „picturæ in muro, & in tabulis. Metuendum „est, ne quando Sultanus pro Patriarchejo, „aliud aliquid ibi ædificet. Non longe inde, „ortum versus, est Domini Joannis Zigomalæ „domus, habens tres consignationes, (*Dreystoch* ob einander) in supremo plana & amœna, unde in mare despectus est. Ad occasum, boream versus, Prodromi μονὴ est, olim „πέτρα: longius inde Aetii μονὴ, postea Palatium Constantini, unde sinus pervidetur: „& Saraglia porta Ottomanica, ab illo Palatio „magnum dimidiatum milliare Germanicum „distans. Quando Monachus aut matrona „Græca primam portam Patriarchatus prætereat, manu dextera pectori applicata, id flectit, „non genua: & crebris crucibus frontem ac „pectus signat. Postquam primam partem „Patriarchatus, (ea autem meridiem spectat) intraveris, occurrit altera sub fornice, ad, „cujus fornicis dextrum latus, vetus imago, „Imperatoris & Augustæ picta est, sine nomine: ad sinistrum vero duo Apostoli. Gerlachius Patriarcham accedens, manu pectori, „apposita, id inflexit: postea dextram Patriarchæ osculatus est. Sic etiam in Turcis honorandis, manus pectori applicatur, & id inflectitur, pileis non solent capita nudari.„

Hæc de statu Patriarcheji Constantinopolitani, & fatis Gennadii Scholarii, primi sub Imperatoribus Mahumetanis Patriarchæ ejusdem sedis, quæ huc retulisse, Lectoribus non ingratum futurum arbitratus sum.

MICHAEL APOSTOLIUS, natione Græcus, claruit annis 1450. & 1460. istis nimirum temporibus, quibus Imperium Græciæ a Constantino Magno inceptum, in Constantino Palæologo ultimo Imperatore Christiano interiit, atque extinctum est. Fuit ille inter recentioris Græciæ viros, non ignobilis scientiæ, cujus haud vulgare indicium habemus, non modicam Opusculorum ejus suppellectilem, in Manuscriptis tamen adhuc Bibliothecarum Græcarum Codicibus latitantem. Habuit amicissimum sibi magnum illum Bessarionem, seculi sui splendorem, Nicænum Archiepiscopum & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, ad quem sæpe scripsit, & a quo vicissim Epistolas plures habuit. Hoc Apostolio in vita magnum Lamentum fuit, quod ætate sua viderit vel audiverit saltem Reginam eam Urbium atque Orbis, Constantinopolim longa obsidione fractam, in manus tandem Turcarum devenisse: non absque ingenti Christianorum sese tunc temporis invicem dilacerantium, probro. Hic Michaeli Apostolio locus fuit, ut in laudem Constantini ea expugnatione cum promiscuis aliis vel occisi vel suffocati, Orationem lugubrem habuerit. Nupsit ille Anonimæ uxori, qua defuncta ad alias Apostolius perrexit nuptias, quas cum socer ægre ferret, secundarum Apologiam ille contexuit. Creditur autem homo vel Constantinopolitanæ urbis amissione, vel Orientalis Imperii omnimoda attritione dejectus, relicta tandem Græcia post annum 1453. in Italiam adventasse: cum ex MSS. Codicibus constet, ipsum anno 1462. Viterbii agentem, acrem scripsisse librum adversus Theodorum Gazam Thessalonicensem, eloquentia Græca tumidum. Licet ille multa scripserit, vidi tantum impressa sub illius nomine *Michaelis Apostolii Proverbia ex optimis Græcis autoribus collecta*, cum Petri Pantini versione & notis ipsius & aliorum, Græce & Latine Lugduni Batavorum 1653. in 4. Opus satis amplum, nec contemnendum. Etsi autem Laicus fuerit Apostolius, variisque etiam nuptiis implicitus: quia tamen plurima ad Ecclesiæ religionis contentiones spectantia composuit, hic a nobis merito jure inter Scriptores Ecclesiasticos censendus occurrit: maxime 1450

cum illum omiserit Henricus Warthonus, in *Supplemento* ad Historiam Literariam Guillelmi Cavi. Ejus Opuscula in antiquis latitantia Bibliothecis sunt sequentia.

Extant nimirum plura Opuscula Græce MS. Michaelis Apostolii in Regia Galliarum Bibliotheca, ut testatur Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quorum Catalogum habuit, potissimum collectam, anno 1653. in 4. Parisiis edendam fategit apud Johannem Henault. Nimirum parte 1. p. 71. Michaelis Apostolii Byzantii Oratio funebris in Bessarionem Cardinalem, in Codice Naudæano 65. Parte 3. p. 99. Bessarionis Cardinalis Epistolæ tres, una ad Andronicum Callistum Philosophum, altera ad Michaelem Apostolium, tertia ad Plethonem cum Responsione ejusdem Plethonis, in Codicibus Regiis MSS. N. 29. & R. 14. Parte 4. p. 109. Michaelis Apostolii Byzantii Monodia funeralis ad Andream Calergen, ex MS. R. Parte 4. p. 135. Michaelis Apostolii Byzantii versus Heroici, Elegiaci, Jambici in præcipua Festa Dominica & Sanctorum, in Codice Naudæano 65. ubi ejusdem versus in Bessarionem. In Codice Regio 1251. Proverbia manu ipsius Apostolii scripta extant, quæ cum editis conferre, operæ pretium fuit. In *Supplemento IV.* quod est librorum MSS. Domini Caroli de Montchal olim Tolosani Archiepiscopi, & p. 189. incipit, ibi p. 193. Codice XLVI. ubi plurima diversa, Num. 17. Michaelis Apostolii versus politici in laudem Batrachomyomachiæ Homericæ. Ibidem p. 198. in Codice 103. Epistola Bessarionis Cardinalis ad Michaelem Apostolium. Item in *Supplemento* IV. p. 205. Codice 303. Michaelis Apostolii Byzantii Paræmiæ manu eleganti scriptæ, & editis duplo auctiores. In *Supplemento* VII. p. 287. Codice 1251. Proverbia Michaelis Apostolii, manu ipsius scripta.

In Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ut refert Lambecius Libro VII. Commentariorum hujus rei, p. 113, extat Codex MS. Philosophicus Græcus LXIX. chartaceus in folio, „constans foliis quinquaginta & uno, qui ad Joan„nem Sambucum, ut ipse solita propriæ manus „inscriptione testatur, olim pertinuit. Con„tinentur in eo, primo, & quidem a fol. 1. p. 1. „usque ad fol. 10. p. 1. *Michaelis Apostolii By„zantini Liber de Aristotelica Substantia pro Geor„gio Gemisto Plethone contra Theodorum Gazam:* „cujus titulus & principium, Μιχαήλȣ Ἀποσό„λη τȣ̃ Βυζαντίȣ πρὸς τὰς ὑπὲρ Ἀριστοτέλȣς περὶ „ȣ̓σίας κατὰ Πλήθωνος, Θεοδώρȣ τȣ̃ Γαζῆ ἀν„τιλήψεις. Ἔδει Πλήθωνα, εἴπερ αὐτῷ Ἀριστοτέ„λης λέγων ȣ̓κ ὀρθῶς ἐδόκει περὶ ȣ̓σίας, ἐλέγχειν „τὰ λεγόμενα φαύλως πειρᾶσθαι, ἀλλὰ μὴ „λοιδορεῖσθαι τ ἀνδρὶ, ȣ̓χ ὅπως &c. Meminit hujus non solum libri, verum etiam ipsius, „Manuscripti Codicis Sambuciani, Joannes, „Jacobus Frisius Tigurinus, in *Bibliotheca Ges„neriana* a se aucta, his verbis: *Michaelis Apo„stolii contra Gaza defensionem de Ente Aristote„lis, pro Planude responsio ad Bessarionem, ex„tat in Bibliotheca Joannis Sambuci.* Hæc Fri„sius. Sed ibi absque controversia ulla pro *A„postoli* scribendum est *Apostolii*, & paulo post, „pro *Planude* scribendum est *Plethone*, quia, „Maximus Planudes cum Georgio Gemisto „Plethone perperam confunditur. Consulen„da quoque est Petri Pantini Tiletani Flandri, „præfatio in *ejusdem Michaelis Apostolii Parami„as* Græce & Latine a Daniele Heinsio Lugduni, „Batavorum typis Elzevirianis anno 1619. in 4. „editas, ubi inter alia fit mentio *Orationis fu„nebris ejusdem Apostolii in obitum Cardinalis, „Bessarionis.* Atque insuper est inspiciendus, „Marquardi Freheri tomus secundus Syntag„matis *Scriptorum Rerum Germanicarum*, a p. 33. „usque ad p. 36. ubi Græce & Latine extat *ejus„dem Michaelis Apostolii ad Imperatorem Frideri„cum vulgo III.* revera autem *V.* Λόγος προσ„φωνηματικὸς, sive *Oratio acclamatoria*.„

Secundo & quidem a fol. 11. p. 1. usque ad, „fol. 15. p. 2. *Ejusdem Michaelis Apostolii Mene„xenus*, sive *Dialogus de Sanctissima Trinitate*: „nempe, *Utrum Judæi & Turcæ rectius simpli„citer unum credant Deum, an Christiani unum, „Triunum.* Ipsa tituli Græci verba cum prin„cipio Dialogi hæc sunt: Τȣ̃ αὐτȣ̃ Μενέξενος, „ἢ Περὶ Τριάδος. Τὰ τȣ̃ Διαλόγȣ πρόσωπα. „Μενέξενος Κυδωνιάτης, Διοφάνης Γορτύνιος, „Λαόνικος Βυζάντιος. Προλογίζει Διοφάνης. „Δ. Πᾶ δὴ καὶ πόθεν ὦ φίλε Μενέξενε; Μ. Ἐκ „Κυδωνίας ἐς Γορτύνην Διόφανες. Δ. Τί ποιήσων „&c. Et aliquanto post: Λ. Ἀλλὰ τί πρὸς Θεȣ̃ „ὑμῖν τὸ ζητȣ́μενον. Μ. Ὅτι πότερον οἱ Ἰȣδαῖοι, „καὶ Τεῦκροι, καὶ εἴ τί ἄλλο τȣ́τοις σύμφωνόν ἐστι, „γένος, Θεὸν ἕνα δοξάζοντες μόνον, ὀρθῶς δοξά„ζȣσιν, ἢ τὸν αὐτὸν ἡμεῖς ὄντα τρία καὶ ἕν; Λ. „Ἄξιον λόγȣ τὸ πρόβλημα ὦ Μενέξενε &c. „Titulum hujus Dialogi Apostolius mutuatus, „est a Platone, utpote cujus etiam extat nunc, „*Dialogus* inscriptus *Menexenus*, sive *Funebris, „Oratio*: in quo Dialogo propositum Platoni, „est, cohortari omnes ad summam patriæ cha„ritatem, id quod duobus efficit modis. Pri„mo quidem dum laudat illos, qui pro salute, „patriæ pericula mortemque intrepide subeunt, „deinde vero, dum patriæ suæ antiquitatem, „& virtutes laudibus miris extollit, cujus tan„dem totius sermonis summa eo redit, ut u„nusquisque patriæ suæ salutem omnibus rebus, „suis, adeoque vitæ suæ libenter anteponat: „& illos existimet beatos, qui hujusmodi re„rum causa sanguinem profuderint, quippe, „quos & laus & merces sempiterna maneat. „Hinc igitur patet, quanta inter *Menexenum, „Platonis & Menexenum Michaelis Apostolii*, re„spectu argumenti, differentia sit.„

Tertio

„Tertio & quidem a fol. 16. p. 1. usque ad fol. 18. p. 2. *Ejusdem Michaelis Apostolii Oratio consultoria ad socerum sibi irascentem, cum ad secundas transiret nuptias:* cujus titulus & principium. Τȣ̃ αὐτȣ̃ λόγος συμβȣλευτικὸς πρὸς τὸν αὐτȣ̃ κηδεστὴν, μηνιθέντα ὅτε ἐς δευτέρȣς ἀφίκετο γάμȣς. Ἐν ἄλλοις τῶν ἀναγκαίων ἤδη Χολάζοντα, οἷς ȣ̓δὲ τροφῆς ἔξεστί μοι δαψιλȣ̃ς ἀπογεύεσθαι, ὁ περὶ ἡμᾶς σοι θυμὸς, ȣ̓ μέτρῳ χρώμενος, ȣ̓δὲ λόγῳ &c.

„Quarto & quidem a fol. 19. p. 1. usque ad fol. 21. p. 1. *Ejusdem Michaelis Apostolii Appellatio ad ultimum Imperatorem Constantinopolitanum Constantinum Palæologum, qua continetur suspectæ Religionis ipsius Confessio.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Appellationis hæc sunt, Τȣ̃ αὐτȣ̃ προσφώνημα εἰς τὸν Αὐτοκράτορα Κωνσταντῖνον τὸν Παλαιολόγον. Ἐν τῷ αὐτῷ δὲ καὶ ὁμολογία τῆς αὐτȣ̃ πίστεως ὑποπτευομένης. Πολλῶν ὄντων, θειότατε, Βασιλεῦ, ἃ τὸ χρῆμα τȣ̃το τὴν βασιλείαν κοσμεῖ, ἕν τι, κἀκεῖνο μάλιστα ἡ σοφία, ἡ φύσει προσȣ̃σα ταύτην ἡνιοχȣ̃ντι ἡ &c. Notandum vero imprimis est, eum in hac appellatione sua expresse confiteri, *Processionem Spiritus Sancti ex solo Patre, non autem etiam ex Filio,* his verbis: Τὸ δ᾽ αὖ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορευόμενον ἐκ Πατρὸς, ȣ̓ μὲν ȣ̓̃ν ἐξ Υἱȣ̃, κατὰ τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ὡς τοῖς σοφωτέροις θεολογικότερος ἔδοξε ῥητέον τ᾽ ἀληθῆ, ἐπειδὴ πρὸς δὲ ταῦτα λέγειν ἐπηγγειλάμην μὴ ψεύδεσθαι γαληνότατε. ἔτι &c. Hinc igitur patet, cur idem Apostolius *Librum de Processione Spiritus Sancti contra Latinos* scribere atque docere conatus fuerit, nempe ut hoc ipso publice se *Orthodoxum*, & non *Schismaticum*, ut vult Lambecius, apud Græcos ostenderet: & suspicionem *Latinæ sive Schismaticæ juxta Græcos fidei* a se amoliretur.

„Quinto & quidem a fol 21. p. 2. usque ad fol. 23. p. 2. *Ejusdem Michaelis Apostolii Oratio ad Magistrum suum Joannem Argyropulum, cum ipse Constantinopoli publice docere inciperet, superstite adhuc ultimo Imperatore Constantinopolitano Constantino Palæologo.* Ipsa tituli Græci verba cum Allocutionis principio hæc sunt: Τȣ̃ αὐτȣ̃ Προσφώνημα εἰς τὸν αὐτȣ̃ διδάσκαλον Ἰωάννην τὸν Ἀργυρόπȣλον, ὅτε ἤρξατο διδάσκειν ἐν τῷ τȣ̃ ξενῶνος μȣσείῳ. Τοῖς εὐγνώμοσι τῶν ἀνθρώπων τȣ̀ς σφῶν αὐτῶν ἐνεργέτας θαυμάζειν, μὴ ὅσον οἶμαι χρεὼν, ἀλλ᾽ εἴπερ ἄλλό τι, καὶ τȣ̃το τῶν ἀναγκαίων. πολλοῖς τε ἄλλοις σοφία &c.

„Sexto & quidem a fol. 24. p. 1. usque ad fol. 51. p. 2. *Ejusdem Michaelis Apostolii Epistolæ quadraginta quinque*, quarum prima ad *Georgium Gemistum Plethonem* inscribitur, atque incipit hoc modo: Τȣ̃ αὐτȣ̃ Μιχαήλȣ Ἀποστόλη τȣ̃ Βυζαντίȣ Ἐπιστολαί. Ἐπιστολὴ α' Γεμιστῷ τῷ Πλήθωνι. Ἔτι με καὶ πρότερον ἄλλο καὶ τὸ καλῶς μὴ γράφειν εἰδέναι, σοὶ μὴ γράφειν ἠνάγκαζεν, ȣ̓κ ὀλίγην ἐμοὶ ἀτιμίαν ἔχον νομίζοντα, δοκεῖν μὲν εἰδότα τοῖς πλείστοις, αὐτῷ δέ σοι τȣ̓ναντίον &c. Sequuntur denique quadraginta quatuor Epistolæ reliquæ, *ad Manuelem Chrysoloram, Laonicum Chalcocondylam, Joannem Argyropulum, Marcum Musurum, Michaelem Marullum, Joannem Chrysoloram, Cardinalem Bessarionem, Petrum Callergen*, aliosque plures eadem ætate florentes viros doctos: quas omnes publica luce dignissimas existimo, quia Historiæ illorum temporum illustrandæ plurimum inservire possunt.“

Extant in serenissimi Bavariæ Ducis Bibliotheca Monachiensi Manuscriptorum Græcorum Codice 100.

Michaelis Apostolii acclamatio ad Bessarionem Cardinalem.

Ejusdem Oratio ad suum socerum, indignantem quod ad secundas nuptias transiisset, & de tribus animi affectionibus.

Ejusdem Encomium in Imperatorem Constantinum Palæologum, qui capta Urbe occubuit.

Ejusdem Professio fidei, cum ejusdem Epistola ad Bessarionem.

Epistola Bessarionis ad Michaelem Apostolium.

In Bibliotheca vero Heidelbergensi, quæ jamdudum in Vaticanam transiit, extant Codice 272.

Michaelis Apostolii Responsio ad eos, qui Occidentales Orientalibus præcellere dixerant in Philosophia, æque ac in Theologia, atque imprimis contra Scotum: ubi & de modo primæ generationis filii, & de processione Spiritus Sancti. Sed sensu Græco, quamvis vix mihi dubium sit, quin hoc Opusculum in Italia conscripserit. Extat quoque Oxonii in Anglia, inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ, Codice 76. inter MSS. Codices Baroccianos Codice 76. a pag. 63. ad 69.

Ejusdem Apostolii ad Fredericum Imperatorem Oratio, Aristonymi Byzantini rogatu scripta, imperfecta.

Ibidem Cod. 275. *Michaelis Apostolii pro Plethone adversus Theodori Gazæ reprehensiones Apologia, contra Aristotelem de Substantia.*

Ejusdem Apostolii Menesemus, seu Dialogus de Trinitate.

Ejusdem Oratiunculæ sex, & Epistolæ 65. inter quas aliquot ad Bessarionem Cardinalem & προσφωνία ad eundem. Bessarionis ad eundem pro Theodoro Gaza responsio. Totumque volumen in folio, ejusdem Apostolii manu conscriptum est.

Ibidem Cod. 126. *Bessarionis Cardinalis ad Michaelem Apostolium Epistola. Nicolai Secundini ad Andronicum Epistola de Michaelis Apostolii adversus Theodorum Gazam Libello Viterbii scripto anno 1462.* stylo satis eleganti. Hæc in 4.

Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ in MSS. Baroccianis, Codice 165. *Controversia circa Platonica quædam Dogmata inter Apostolium*

pag. 136. & 146. *& Gemistum* pag. 138. *Theodorum Gazam & Bessarionem* p. 146. & 149. Denique inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 3612. in MSS. Codicibus Francisci Bernardi Codice 43. *Michael Apostolius Byzantinus* Græce, hoc est, Opera ejus varia & multa.

Cæterum insignis de ætate & vita ejusdem Apostolii extat locus apud doctissimum Leonem Allatium, in Opere *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* Lib. 3. cap. 3. ubi recensens eos, qui pro Græcis Schismaticis contra Latinos & Concilium Florentinum scripserunt, præfati jam Michaelis Apostolii his verbis meminit: „Michael prætera Apostolius Byzantinus, qui ut ipse de se ait, βασιλεὺς τῶν τῇδε πενήτων, hoc est, *Rex omnium istic pauperum*: in pannis atque miseria, & quod ederet & quod biberet, a Cardinale Bessarione satis munifice accipiebat, ægre ferens, se reliquis doctrina præstantibus viris, qui eodem tempore florebant, minorem esse: in ingenuos eosque doctissimos calamum strinxit, ideoque in reprehensionem Bessarionis incurrit. Hinc egestate compulsus, in Cretam se contulit, ubi libros exscribens & pueros instituens, cum mendacitate colluctabatur: tum etiam adverso in Ecclesiam Romanam animo, Librum contra eandem scripsit, *De processione Spiritus Sancti*." Hucusque Allatius, penes quem dictorum fides sit. Agit de *Michaele Apostolio* Petrus Lambecius Libro VII. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 113. 114. 115. & 116. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi p. 318. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, atque ad calcem *Apparatus*, ubi de Catalogis Bibliothecarum Bavariæ & Heidelbergæ, Codicibus citatis. Fredericus Spanhemius in Catalogo Bibliothecæ Lugduno Batavæ, pag. 169.

1450 MATTHÆUS CAMARIOTA, patria Constantinopolitanus, quem tamen alii origine Thessalonicensem faciunt, atque filium Sacerdotis, qui in clade Constantinopolitanæ urbis occubuit, Rhetoricen potissimum professus est ac Poesin sacram, Constantinopoli anno 1453. & antea clarus utroque genere, quo captæ urbi præsens interfuit. Hoc constat ex prolixa *Epistola de capta Constantinopoli*, quam Matthæus Camariota conscripsit; cujus insigne fragmentum transscripsit Theodosius Zygomala in Epistolam suam *De Constantinopolitanis periculis & cladibus*, Græco-Latinam apud Martini Crusii *Turcograeciam* Lib. 1. pag. 67. Scripsit autem *Commentarios in Synesii Epistolas*, qui olim penes Johannem Zygomalam erant, teste eodem Crusio in sua *Turcograecia* pag. 187. Extat ejusdem *Epitome Rhetorices ex Hermogene* MS. in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Codice 97. ut habet Petrus Lambecius Libro 7. *Commentariorum hujus Bibliothecæ* pag. 182. his verbis. „Nonagesimus septimus Codex MS. Philosophicus Græcus chartaceus antiquus, in 8. quo continetur num. 3. & quidem folio 54. p. 1. ad folium usque 86. p. 2. *Matthæi Camariotæ Epitome Rhetorices ex scriptis Hermogenis de arte Oratoria*, cujus titulus & principium: Τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Ματθαίου τοῦ Καμαριώτου ῥητορικῆς ἐπιτομὴ ἐκ τῶν τοῦ Ἑρμογένους. ὅρος ῥητορικῆς. Ῥητορική ἐστι δύναμις τεχνικὴ πιθανοῦ λόγου &c. Observat autem Lambecius *Additamento* XI. hujus tomi pag. 406. ab hac *Matthæi Camariotæ Epitome Rhetoricæ Hermogeniana*, diversam prorsus esse *Synopsin illam Rhetoricæ*, quam sub ejusdem *Matthæi Camariotæ* nomine Daniel Hæschelius anno 1595. Græce in 4. Augustæ Vindelicorum edidit. Acceperat eam a *Maximo Margunio Episcopo Cytherensi*, Venetiis sibi missam, ut videre est ex ipsa Marguini Epistola Græca, quæ jam memoratæ editioni Augustanæ præfixa est, atque incipit his verbis: Ἰδού σοι καὶ τὸ περὶ ῥητορικῆς κατὰ σύνοψιν συγγραφὲν συγγραμμάτιον ὑπὲρ ἡμᾶς πρὸ μικροῦ ἀπήτησας, διαπέμπεται, σοφώτατέ καὶ φιλικώτατέ μοι πάντων Εὐχέλιε, παρῄμενον μὲν τάχα τῆς σῆς περὶ τοῦτο σπουδῆς, τῆς δὲ δυνατῆς ὑμῶν ἐπιμελείας ὂν βραδιαίτερον. καὶ γὰρ &c. Notandum autem est, Synopsin illam, secundum Margunianum MS. istum Codicem, sine ulla *Matthæi Camariotæ* mentione, tanquam incerti cujusdam Auctoris inscribi, atque hoc modo incipere. Συνοπτικὴ παράδοσις τῆς ῥητορικῆς, ἀδήλου. Ῥητορικοῦ λόγου τρία καθέστηκεν εἴδη, δικανικόν &c. Quod igitur Hæschelius eandem Synopsin in jam memoratæ editionis Augustanæ titulo Latino, *Matthæo Camariotæ* attribuit, sola *Maximi Marguini* conjectura nititur, qui in supra memorata Epistola opinionem suam ea de re indicat his verbis: Οἶμαι δὲ Ματθαίου εἶναι τοῦ Καμαριώτου τὸ σύγγραμμα, ἀνδρὸς τά τε ἄλλα εὐσεβοῦς, καὶ τὰ περὶ λόγους οὐκ ἀγεννοῦς. Προσπεφοιτήκει δὲ τούτῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ Γεννάδιος ὁ Σχολάριος, ὃ μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς Κωνσταντινουπόλεως τῆς αὐτῆς τοὺς οἴακας κατεμπιστευθεὶς, ἀκμάσαντι μὲν πρὸ τῆς ἁλώσεως, ὀλίγῳ δὲ ὕστερον ταύτης ἀπολιπόντι τὸν βίον. Hoc est, *Opinor autem hoc Scriptum esse Matthæi Camariotæ, viri tum pietate, tum eloquentia non ignobilis, qui quidem floruit ante expugnationem urbis Constantinopolitanæ per Turcas, & præter alios etiam Gennadium Scholarium, cui post captam Constantinopolim Patriarchalis gubernatio concredita est, discipulum habuit: paullo autem post eandem expugnationem obiit.* Hæc Maximus Margunius. Ubi imprimis observatu digna est *Matthæi Camariotæ ætas*, quæ mihimetipsi, dum supra pag. 182. & 318. de eo agerem, adhuc incognita fuit, ideoque illum pag. 325. inter auctores incertæ ætatis retuli. Nunc igitur moneo, jam allatæ

„aliaræ paginæ 325. versu quarto delenda esse „hæc verba posita, *Matthæus Camariota ætatis* „*incertæ*, contra autem pag. 324. inter versus „33. & 34 hæc verba inserenda esse, *Matthæus* „*Camariota*, *qui seculo post Christum XV. floruit*, „*proxime ante urbis Constantinopolitanæ per Tur-* „*cas expugnationem*, *quæ anno Christi* 1453. *die* „*29. Maji contigit*, *paulo autem post eandem ex-* „*pugnationem obiit.*“ Extat etiam in bibliotheca Bodleiana Codice 45. *Matthæi Camariotæ Epitome Rhetorices ex Hermogene. Ejusdem Epitome Progymnasmatum Rhetoricæ pag.* 149. *προγύμνασμά ἐστι ἄσκησις.* Ibidem Codice 104. Barocciano num. 3 *Matthæi Camariotæ Byzantini Epitome Rhetorices Hermogenis*, cujus initium: ῥητορική ἐστι δύναμις &c. Ibidem Codice 48. *Matthæi Camariotæ Compendium Rhetoricæ ex Hermogene* pag. 81. ῥητορική ἐστι δύναμις &c. *Ejusdem Canon Jambicus*, *sive hymnus in Purificationis Festum* pag 92. Ἄβυσσον ὑγρὰν ὡ τρίβων βατήν. *Ejusdem Canon in Festum exaltationis S. Crucis* pag. 98. Σέσωκε τὸ πρὶν λαόν. *Ejusdem Canon in Festum Paschatis* pag. 102. Χέρσον θαλασσόδμητον. *Ejusdem Encomium in tres Hierarchas*, *Basilium*, *Gregorium* & *Chrysostomum*, habetur Græce in Regia Galliarum bibliotheca, teste Labbeo in *Specimine Novæ Bibliothecæ manuscriptorum Codicum*, & alibi forsitan. Illius meminit Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 88. Ματθαίου τοῦ Καμαριώτου ἐγκώμιον εἰς τοὺς τρεῖς ἱεράρχας Βασίλειον τὸν μέγαν, Γρηγόριον τὸν Θεόλογον καὶ Ἰωάννην τὸν Χρυσόστομον. Initium, Εἴπερ ἄλλο τι τοῖς λόγου θεραπευταῖς καὶ λόγοις ἐγκώμιον προσῆκον. Nostro etiam Matthæo deberi videntur Tractatus duo, qui Græce extant MS. in Augustana bibliotheca his titulis insigniti, juxta Catalogum MSS. Librorum hujus bibliothecæ pag. 27. *Matthæi Monachi & Presbyteri Thessalonicensis De divina gratia & lumine*, *adversus eos*, *qui creaturam dixerunt.* Et ejusdem *Tractatus de iis*, *qui spuria & aliena docent in Ecclesia*, Nam prior forsitan & posterior Tractatus Barlaamitas oppugnavit, qui lumen in monte Thabor apparens, esse aliquid increatum negabant. Hæc nobis utplurimum suggesserunt Josias Simlerus in *Bibliotheca Conradi Gesneri contracta & aucta*, Tiguri edita, pag. 491. ubi inquit, ejusdem Epitomen in Hermogenis Rhetoricæ Librum extare MS. in bibliotheca Vindobonensi. Petrus Lambecius Lib. 7. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pag. 182. & Additamento XI. pag. 406. Henricus Wharton in Supplemento seu Continuatione *Historiæ rei Litterariæ* Guilielmi Cavi ad annum 1453. pag. 137.

DISSERTATIO
DE
ÆTATE ET SCRIPTIS MICHAELIS GLYCÆ.

PROLOGUS.

1450 MICHAEL GLYCAS, natione Siculus, non sub Alexio & Joanne Comnenis Imperatoribus Constantinopolitanis vivens, ut vulgo creditur, sed sub Constantino Palæologo ultimo illo Imperatore ad annum 1450. clarus, scripsit anno incomperto *Annales Quadripartitos*, opus non modo Theologicum, sed & Physicum & Historicum, *Prima parte* agit de Opere sex dierum. *Altera* de rebus gestis ab Orbe condito usque ad Christum natum, *Tertia* res gestas a Christo usque ad Constantinum Magnum prosequitur. *Quarta* res tractat Byzantinorum Imperatorum usque ad obitum Alexii Comneni, qui anno 1118. moriens Joannem Comnenum Successorem habuit. Exinde usque ad captam a Latinis Constantinopolim perstringit vel Byzantinas Joannes Leunclavius, qui & primus *Glycæ* interpretationem nobis dedit, Basileæ anno 1572. in 8. typis Episcopii editam. Habetur autem eadem Historia Græce & Latine in folio inter Historicos Byzantinos Parisiis ex typographia Regia, cum interpretatione & Notis Philipi Labbei, de quo tam sæpe loquimur. Extat autem illa Græce MS. in Bibliotheca Vallicellana Romæ, Regia Gallica, Claromontana Parisiensi, Imperatoria Viennensi, & Augustana Vindelicorum Cod. 8.

CAPUT PRIMUM.

QUID SENTIAT LEO ALLATIUS DE ÆTATE MICHAELIS GLYCÆ.

ÆTatem quidem Michaelis Glycæ omnes fere Scriptores ad annum 1120. assignant, ut Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 27. pag. mihi 304. Guillelmus Cavus in *Historia rei Litterariæ* ad annum 1120. pag. 654. Sed longo aliter Leo Allatius Libro 2. *De perpetuo consensu Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 18. §. 17. fol. 870. cujus tamen maxime interest, ut Glycam antiquiorem faceret, quem vult contra Græcos stetisse a partibus Romanis. In causæ ergo suæ præjudicium Michaelem Glycam vult floruisse anno circiter 1430. trecentis post vulgarem sententiam annis, fuisseque Synchronum Macario Ancyrano Metropolitæ, Nicolao Selengiæ atque Esaia Cyprio Monacho, hujus ætatis Scriptoribus. Novam quamvis sententiam, non absurdam, imo veram putem, hucusque Glycæ Syntagma Historicum olere Græciam recentissimam, quod ille vel morte, vel negotiis occupatus, ultra annum 1120. non extendit, etsi

etsi tribus post hanc epocham sæculis vixerit.
Igitur hic a me relinquitur, etsi in Scriptoribus
Ecclesiasticis nimium innovare videar, hanc ta-
men Allatii sententiam non dissimulare aut ta-
cere, mearum fuit partium. Id potissimum
colligit ex Glycæ Epistolis, quarum plures ad
Maximum Smeniotem & Esaiam Monachum,
qui tunc temporis vivebant. Ne vero fidem
quis mihi detrectet, Ipsum Allatium verbote-
nus produco. „Michael quoque Glycas hoc
„eodem ævo floruisse videtur, qui inter alia
„pie docteque scripta, quædam etiam contra
„Latinos composuit. 1. Ad Maximum Sme-
„niotem, Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι
„λαβὼν ὁ Χριστὸς ἄζυμον ἐν τῇ ἑσπέρᾳ τῆς με-
„γάλης πέμπτης, ὡς καὶ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα,
„τηνικαῦτα δῆθεν τοῖς οἰκείοις τὸ πάσχα ἐτέλε-
„σεν. *Si dicentibus attendendum est, Christum*
„*vespere magnæ Feriæ V. cum Pascha celebraretur.*
„*accepisse Azymum, & sic suis tunc Pascha tradi-*
„*disse.* Principium, Ὁ περὶ τῶν ἀζύμων λό-
„γος, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλὴ καὶ πολλοῖς ἔφ-
„θασε. 2. Eidem: Περὶ τινων χρήσεων, ὅτι ἐκ
„μόνου τοῦ Πατρὸς, οὐ μὲν δὲ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ
„πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, καὶ ὅτι ὂν ταὐτὸν
„ἀποστολὴ καὶ ἐκπόρευσις. *De nonnullis Patrum*
„*testimoniis, quibus probatur, ex solo Patre, non*
„*autem & ex Filio, Spiritum Sanctum procedere:*
„*& non esse idem, missionem & processionem.*
„Principium, Τί δέ σοι καὶ περὶ τῆς ἀῤῥήτου
„τοῦ παναγίου πνεύματος ἐκπορεύσεως. Scripsit
„pro Latinis contra Græcos ad Esaiam Mona-
„chum, Περὶ τοῦ ὁποῖον ἀπαντᾷ τέλος ταῖς
„ψυχαῖς χωριζομέναις τοῦ σώματος, καὶ ὅπου-
„περ αὗται ἀπέρχονται. *Quid sit de animis, post-*
„*quam fuerint a corpore separatæ, & quo illæ ab-*
„*eant?* Principium, Καὶ περὶ μὲν τῶν δικαί-
„ων, τί χρὴ καὶ λέγειν. Probat luculentissime
„in Cœlum eas deferri, ibique Deo præsentes
„visione beatifica frui: ut hinc arguas omnes
„Græcorum errores, ipsis etiam Græcis, qui
„Schisma foverunt, non eodem loco fuisse,
„ut alibi dicemus. Atque ut rectius hæc in-
„telligantur, adjungenda, quæ habet para-
„grapho 16. præcedenti col. 866. Nullam a-
„pud alios ipsius *(Macarii Ancyrani Metropoli-*
„*tæ)* memoriam reperi, quemadmodum nec
„de Nicolao Selengia, qui iisdem fere tempo-
„ribus contra Latinos, varias hinc inde colle-
„ctas autoritates Patrum, male consutas, pe-
„jusque intellectas publicavit. Illa cum in ma-
„nus pervenissent Esaiæ Cyprii, examinatæ
„discussæque, tantum absfuit, ut mentem Selen-
„giæ & Græcorum opinionem comprobemus,
„ut Collectorem summæ ignorantiæ nulliusque
„judicii hominem arguerent. Quare Epistola
„ad Nicolaum scripta, idemmet Esaias fusili-
„tatis & nugacitatis reprehendit. Epistola
„quia rara est, mihique munificentia ac ma-
„gnanimitate Eminentissimi Cardinalis Barbe-
„rini, cum in Galliis ita disponente Deo apud
„Regem Christianissimum ageret, ex Biblio-
theca illa Regia, cum multis aliis, quibus hoc,,
Opus absolutius perfectiusque peregi, dili-,,
gentia Joannis Auberti præclara eruditione,,
atque doctrina ornati viri, communicata, hic,,
adscribetur. Καὶ ὁ γράψας καὶ ὁ διδάξας τὰ,,
τεμάχη ἐκεῖνα τῶν ῥητῶν, ἀμαθὴς καὶ πάντη,,
γραμμάτων ἄπειρός ἐστι, καὶ οὐδαμῆ οὐδαμῶς,,
συνιέναι δυνάμενος τῶν ῥητῶν ἐκείνων τὸν νοῦν.,,
διὸ καὶ ἰδίοις πτεροῖς ἁλίσκεται, καὶ τὸ ξίφος,,
ὠθεῖ κατὰ τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ καί τοιγε ἐ-,,
χρῆν μηδόλως ἀποκρίνεσθαι, ἐπεὶ τὰ ῥητὰ οὐκ,,
ἀπαγορεύουσι τὸ μὴ καὶ ἐξ υἱοῦ ἢ δι' υἱοῦ τὸ ἅ-,,
γιον ἐκπορεύεσθαι πνεῦμα: μᾶλλον μὲν οὖν καὶ συ-,,
νιστᾶσι τοῦτο. Ἐν πρώτοις ψιλῶς τὸ τοῦ Εὐαγγε-,,
λίου ὀψώμεθα, ὅταν δέ φησιν, ἔλθῃ ὁ παρά-,,
κλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πα-,,
τρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πα-,,
τρὸς ἐκπορεύεται. ἐρωτῶ σε καὶ ἀποκρίθητι, μὴ,,
ἐριστικῶς τε καὶ ἀμαθῶς, ἀλλὰ μετὰ λόγου καὶ,,
συνέσεως: ἄλλος ἄρα ἐστὶν ὁ παράκλητος ὃν,,
πέμπει ὁ υἱὸς καὶ ἄλλο τὸ πνεῦμα ὃ ἐκπορεύεται,,
ἐκ τοῦ Πατρὸς, ἢ ἓν καὶ τὸ αὐτό ἐστιν. Ἔπειτα,,
διατὶ λέγεται τὸ πνεῦμα, τῆς ἀληθείας πνεῦ-,,
μα παρίημι δὲ τὸ, ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι,,
ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται: καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ,,
πατὴρ, ἐμά ἐστι: διὰ τοῦτο εἶπον ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ,,
λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. καὶ ἐν τῷ ιϛʹ,,
φησίν. ὁ δὲ παράκλητος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον,,,
ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου. ἰδοὺ καὶ,,
ὁ πατὴρ πέμπει, οὐ τὴν χάριν, ἀλλὰ τὸν πα-,,
ράκλητον, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ τὸ, ὁ,,
ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα. καὶ ἐν τῇ ἀ-,,
ποκαλύψει τὸ, ἔδειξέ μοι ποταμὸν καθαρὸν,,
ὕδατος ζωῆς, λαμπρὸν ὡς κρύσταλλον, ἐκπο-,,
ρευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ ἀρνίου.,,
καὶ πάλιν, εἶδον ῥομφαίαν δίστομον, ὀξεῖαν ἐκ-,,
πορευομένην ἐκ τοῦ στόματος τοῦ Χριστοῦ. ταῦτα,,
πάντα παρίημι κατὰ τοῦτο ὅμοια διὰ τὸ πλῆθος.,,
λέγεις δ' ὅτι μόνη πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος,,
ὁ πατὴρ, καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν κάλλιόν σου καὶ,,
θεολογικώτερον. ὁμολογοῦμεν δὲ καὶ τὸν υἱὸν πη-,,
γὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος, τῷ μεγάλῳ Ἀθανα-,,
σίῳ καὶ Γρηγορίῳ τῷ Θεολόγῳ, καὶ Ἰωάννῃ τῷ,,
Χρυσοστόμῳ ὑπόμενοι. ὁ μὲν γὰρ ἐν τῷ περὶ τῆς,,
ἐν σάρκου οἰκονομίας λόγῳ αὐτοῦ φησίν. οἶδε γὰρ,,
παρὰ Θεῷ πατρὶ ὄντα τὸν υἱὸν τὴν πηγὴν τοῦ,,
ἁγίου πνεύματος. ὁ δὲ Γρηγόριος ἐν τῷ περὶ τοῦ,,
ἁγίου πνεύματος λόγῳ, τὸν μὲν πατέρα φη-,,
σὶν ὀφθαλμὸν, πηγὴν δὲ τὸν υἱὸν, ποταμὸν δὲ,,
τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ ὁ χρυσοῦς Ἰωάννης ἐν,,
τῷ εἰς τὸ μυστήριον τοῦ βαπτίσματος λόγῳ, διὰ,,
τοῦτο φησὶν ὁ σωτὴρ δεικνυσιν αὐτὸν πηγὴν ζω-,,
ῆς, καὶ ὕδωρ ζῶν τὸ πνεῦμα ἅγιον. πρὸς δὲ τὸ,,
τέταρτόν σου, γελᾶν ἔπεισί μοι. λέγεις γὰρ ὅτι,,
ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ πρὸς οὐδὲν.,,
μὴ γὰρ ἀρνούμεθα, ὅτι οὐκ ἐκπορεύεται; ἔτι τὸ,,
πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται,,
πρόσθες καὶ τὸ λοιπὸν τὸ, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι,,
προσμαρτυρεῖται. οὐ γὰρ ὁ Δαμασκηνὸς, ἀλλ' ὁ,,
Νύσσης Γρηγόριος τοῦτό φησιν ἐν τῇ εἰς τὸ πα-,,
τὴρ ἡμῶν, ἐξηγήσει. ὅπερ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας,,
μᾶλλόν ἐστι, καὶ κατά σου, ὥσπερ καὶ τὰ λοιπὰ,,
πάντα

πάντα· διὸ καὶ περιττόν μοι δοκεῖ καθ' ἓν σοι ἀπολογεῖσθαι, καὶ μάταιον. Ταῦτα γὰρ πρὸς τοὺς χαλκέας καὶ βουτικλαρίους, καὶ γουναρίους καὶ βαναύσους ἀνθρώπους λέγε· οὗτοι γὰρ καὶ θαυμάσουσί σε καὶ ἐπαινέσουσι, μὴ εἰδότες ὃ λέγεις. Βέλη δὲ νηπίων καὶ ψελίσματα οἱ εἰδότες, ἡγοῦνται ταῦτα. ὅμως δέ μοι ὦ λεπτὲ τὰς φρένας θεολόγε, καὶ διδάσκαλε, τοῦτο εἰπὲ, διατὶ οἱ πάντες ἅγιοι λέγουσι, πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἔχει καὶ ὁ υἱὸς, πλὴν τοῦ γεννᾷν, πλὴν τοῦ τεκεῖν, πλὴν τοῦ εἶναι πατέρα· καὶ οὐδεὶς εἶπε, πλὴν τοῦ προβάλλειν. διατὶ οἱ ἅγιοι πάντες λέγουσιν, ὅτι ὁ πατὴρ δίδωσι τῷ υἱῷ πάντα ἐν τῷ γεννᾷν αὐτόν· ὑμεῖς λέγετε, οὐ πάντα; εἰ οὖν οὐ πάντα καθ' ὑμᾶς, οὐδ' ὁμοούσιος τῷ πατρὶ, ὅπερ ἀπείη παντὶ χριστιανῷ τοῦτο εἰς νοῦν ἐκβαλεῖν. Ταῦτα μὲν οὖν ἐγὼ ἐκ πολλῶν ὀλίγα σοι εἴρηκα· σὺ δὲ τὰ ῥητὰ τῶν ἁγίων διερχόμενος διέρχου ἐπιμελῶς, καὶ ἀνίχνευε τὸν νοῦν αὐτῶν, καὶ διδάσκου ταῦτα παρ' εἰδότων, ἵνα μὴ γέλωτα ὀφλήσῃς γράφων ἢ λέγων. ὁρᾷς γὰρ ὅτι πάντα ἃ ἐνεχαράζω ῥητά κατά σου μᾶλλον, ἢ ὑπὲρ σοῦ ἐστι. καὶ ἐὰν θέλῃς ἰδεῖν, εἰ ἀληθῆ λέγω, ἐλθὲ πρὸς ἡμᾶς, καὶ ὄψει. ἢ εἰ μὴ τοῦτο, ἡμεῖς ὡς ὑμᾶς ἀφιξόμεθα, καὶ ἀπὸ τῶν βιβλίων τῶν τῶν ὁμιλήσομεν, καὶ τὴν ἀλήθειαν, Θεοῦ συναιρομένου, ἀποδείξομεν. ἀνοίξει γὰρ ἓν οἶδα ὁ θυρωρὸς τὴν θύραν τῆς αὐλῆς τῶν προβάτων, διότι οὐκ ἀλλαχόθεν ἡμεῖς ἀναβαίνομεν, ὡς οἱ κλέπται, καὶ τά ἐν αὐτῇ κεκρυμμένα ἀποκαλύψει ἡμῖν, ἔνθα δὲ καὶ ὑμῖν. *Qui scripsit & qui docuit testimonium illorum frustra, imprudens harum rerum, penitusque literarum omnium ignarus, neque testimoniorum illorum sententiam omnino capere potis est: ideoque propriis alis capitur, ensemque in propria viscera adigit. Videamus nihilominus quid ipsius verba tiniant? licet nulla responsione opus esse videatur, cum dicta illa non negent, Spiritum Sanctum neque ex Filio, neque per Filium procedere, quinimo hoc ipsum confirment. Et ante omnia dictum Evangelii nude consideremus,* Cum venerit, *ait*, Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit. *Interrogo te & responde, non contentiose & fatue, sed cum ratione & prudentia. Alius igitur est Paracletus, quem mittit Filius, & alius Spiritus, qui a Patre procedit, aut unus & idem? Tum quare dicitur Spiritus, veritatis Spiritus? Praterea siquidem illud*, Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: *& quod ait*, Paracletus vero Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. *Ecce Pater etiam mittit, non gratiam, sed Paracletum & Spiritum Sanctum.* Et illud, *Qui vidit me, vidit & Patrem. Et in Apocalypsi*, Ostendit mihi fluvium purum aquæ vivæ, splendidum ut crystallum, procedentem e sede Dei & Agni: *& rursus*, Vidi gladium ancipitem, acutum, procedentem ex ore Christi. *Hac omnia & his similia, propter multitudinem, missa facio. Dicis porro solum fontem super substantialis Deitatis Patrem, & nos id quoque fatemur, & te multo aptius, atque ut magis Theologia addecet: sed fatemur praterea Filium fontem Spiritus Sancti, magnum Athanasium & Gregorium Theologum & Joannem Chrysostomum sequentes. Is enim Orat. de Incarnatione Domini dicit*, Vidit, enim apud Deum Patrem, stantem Filium fontem Spiritus Sancti. *Gregorius Orat. de Spiritu Sancto*, Patrem quidem vocat oculum, fontem Filium, fluvium Spiritum Sanctum. *Et rursus Joannes Orat. in mysterium Baptismatis inquit*, Propterea Salvator ostendit semet ipsum fontem vitæ, & aquam vivam Spiritum Sanctum. *Quod autem quarto loco ponis, risum movet: quippe ais*, Procedit Spiritus Sanctus, *& nihil ultra: An id nos negamus? An dicimus eum non procedere? Spiritus Sanctus ex Patre procedere dicitur, adde quod reliquum est*, Et ex Filio esse asseritur. *Neque enim Damascenus, sed Gregorius Nyssenus id habet in Expositione quam molitus est in* Pater noster: *quod a veritate magis stat, & adversum te pugnat, ut & reliqua omnia. Quapropter supervacaneum inaneque mihi videtur, respondere de singulis. Hac enim fabris ferrarcis, Buticlariis, Gunariis, & aliis sordidis artificibus pradica. Hi scilicet & admirabuntur te & laudabunt, cum quid ipse dicas, nesciant. At qui intelligunt, infantulorum jacula & plane balbutiem hac eadem esse, existimant. Nihilominus o acutule Theologe & Magister, dic mihi, quam ob causam universi Patres tradunt*, Quæcunque habet Pater, habet & Filius, unum si excipiatur generare & esse Patrem: *& nullus dicit, excipi etiam*, producere. *Quare Patres dicunt*, Patrem, dum Filium generat, omnia Filio exhibere: *& vos dicitis*, non omnia? *Si itaque non omnia per vos, neque erit Patri consubstantialis, quod longe sit ab omni Christiano, etiam vel mente concipere. Hac ipse tibi e multis, pauca dixi. At tu porro dicta Patrum percurrens, diligenter evolve, sententiam eorum sedulo quarito, & disce ea a scientibus, ne risum tibi, sive scribens, sive alloquens compares: Vide enim quæcunque scripto tradidisti, auctoritates omnes, potius adversum te, quam pro te esse. Etsi dictorum meorum veritatem manu prehendere aves, accedito ad nos, & videbis: sin minus nos ad te veniemus, & ex tuis libris disputabimus, & veritatem auxiliante Deo demonstrabimus. Aperiet enim, nec fallor, ostiarius portam caulæ ovium, quod non aliunde ascendimus ut fures: & qua in ea abscondita sunt, revelabit nobis, utinam & vobis.* Hæc Esaias Cyprius Monachus, cujus ætate florebat Glycas, juxta Allatium.

Agit de Michaele Glyca Guilielmus Cavus in *Historia Literaria* Tomo 1. seu Parte 1. ad annum 1120. pag. 654. & Parte 2. pag. 382. editionis Londinensis, & in editione Genevensi ad eundem annum 1120. Parte 1. pag. 456. & Parte 2. pag. 223. ubique cum errore, sed

Scripto-

Scriptoribus omnibus communi, qui illum anno 1120. assignarunt. At præter errorem hunc, quem Cavo condonare debemus, licet si accurate Leonem Allatium *De consensu utriusque Ecclesiæ* legisset, quem tam frequenter citat, corrigere illum potuerat ac debuerat: vel etiam ex Lambecio in MSS. Codicibus Græcis Epistolarum Glycæ, quos non semel recenset, emendare eundem poterat. Sed his non contentus, quod Cavo nostro turpius est, adspersit falsas citationes omnes Codicum manuscriptorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Parte 2. pag. 383. his verbis, dum loquitur: Michael Glycas, natione Siculus, claruit anno MCXX. „Epistolæ LVI. maximam partem Theologicæ de variis Sacræ Scripturæ controversiis, Græce MSS. in Bibliotheca Vindobonensi aliquoties habentur, nempe Codice Theologico LXVII. Codice LXXXIII num. 2. fol. 29. Codice CLV. Codice Philosophico CIII. ubi etiam nonnulla ejus *Capita Philosophica* asservantur. Speciatim harum Epistolarum recensionem exhibet Lambecius *Commentariorum* Libro IV. pag. 152. &c. Epistola ad Alipium Monachum *de Assumptione* Beatæ Virginis Deiparæ, extat separatim Codice Theologico CCLXV. num 11. folio 5. Ita quidem Cavus. Verum hæc omnia mendacia & falsæ citationes, ad Guilielmi Cavi confusionem & dedecus: extant enim in MSS. Codicibus quatuor istis, Codice MS. Theologico Græco CXLIX. num. 2. CLX. de quibus Libro IV. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 152. & 157. Item Codice Theologico MS. Græco CCXXXII. ut habet Lambecius Lib. V. Commentariorum pag. 64. & Codice sequenti CCXXXIII. ut idem habet ibidem pag. 66. Epistola autem ad Alipium Monachum *De Assumptione B. Virginis Deiparæ*, separatim non extat, ut falso Cavus inquit, sed Codice citato CCXXXIII. cum aliis ejusdem Glycæ Epistolis pluribus. Est etiam falsum, quod Cavus addit *Codice Philosophico* CIII. ejusdem bibliothecæ *nonnulla etiam ejusdem capita Philosophica asservari*, ut mihi conferenti patuit.

CAPUT SECUNDUM.

QUID SCRIBAT CAROLUS DUFRENIUS DE EPISTOLIS MSS. NOMINE JOANNIS ZONARÆ ET MICHAELIS GLYCÆ INSCRIPTIS.

NEmo accuratius de *Epistolis* istis diffusius doctiusque differit Carolo du Fresne, Domino du Cange, in Præfatione, quam præmisit *Historiæ Joannis Zonaræ*, quam anno 1686. Græce & Latine edendam Parisiis curavit 2. tomis in folio typis Regiis ornatissimis, ubi inquit: „Enim vero præter supra laudata Joannis Zonaræ opera, circumferuntur passim in Bibliothecis *Epistolæ dogmaticæ*, continentes obscuriorum Sacræ Scripturæ locorum explanationem, numero sex & quinquaginta, quarum seriem & argumenta describit Petrus Lambecius Libro IV. de *Bibliotheca Cæsarea*, quas quidem Joanni Zonaræ quidam Codices, alii Michaeli Glycæ adscribunt, adeo ut hactenus incertum maneat, utrius sint: tametsi in eam concedere sententiam videatur Leo Allatius contra Creigthonum pag. 544. ut Glycæ potius illas tribuat, quam Zonaræ, ubi ita scribit: *Hac & alia Michael Glycas, Epistola satis prolixa ad Joannicium Monachum* &c. Hujus etiam Epistolam de hac eadem re se legisse scribit Casaubonus *Exercit.* in Baronium XVI. num. XLIX. sed sub nomine Zonaræ editam, quam Glycæ esse Codices antiqui repræsentant. Cujusnam vero sint illæ Epistolæ, quæ sub nomine Glycæ & Zonaræ in MSS. prostant, alius erit differendi locus. Utinam viri doctissimi & in re veterum libraria peritissimi extaret super hac difficultate Dissertatio, quæ nos ab hac inquisitione levasset. Certe Zonaræ has adscribit Codex Regius, sed recentior manu scriptus, anno scilicet Mundi juxta Græcos VI MDCCCC LXXXXVI. (Christi MCCCCLXXXVIII), Indict. VI. hoc titulo: Ἐπιστολαὶ κυροῦ Ἰωάννου Ζωναρᾶ, καὶ Πρωτοσυγκρίτης, καὶ Δρουγγαρίου τῆς βίγλης. Continet porro hic Codex XLV. duntaxat Epistolas, quarum prima Joanni Sinaitæ inscribitur, penultima vero, quæ est XXXVIII. in indice Lambeciano, videtur esse Manuelis Comneni Imperatoris, scripta videlicet ut profert inscriptio, Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρίῳ Ἀλυπίῳ τῷ ἐγκλείστῳ, Εἰ χρὴ τὴν μαθηματικὴν ἐπιστήμην ἀποτρόπαιον ἡγεῖσθαι παντάπασιν. Initium vero illius est, Τὰ τῆς μαθηματικῆς &c. Atque in hæcce verba desinit: Ἐκ τούτων οὖν πάντων μάνθανε, ἱερὰ κεφαλὴ, ὡς εἱμαρμένη, καὶ γένησις παντάπασιν ἀπηγορεύεται τὸν κατ᾽ εἰκόνα. καὶ γὰρ Θεοῦ πλασθέντα λογικὸν αὐτεξούσιον ἄνθρωπον. οὐ γὰρ φυσικοῖς ἀνάγκαις ὑποκεῖσθαι καταδεξώμεθα προγνωστικὴν δέ τινα τοῖς ἀνθρώποις ἐνδεδόχθαι δύναμιν, καθὰ καὶ φθάσας ὁ λόγος ὑπέδειξεν. οὐ τοσοῦτον ἀπέοικε δι᾽ ἣν αἰτίαν εἰρήκαμεν, εἰ καὶ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐνακολεῖσθαι τούτοις οὐ συγχωρούμεθα, ὅτι μὴ δεκάλογον ὀρθὸν αὐτοῖς ἀποχρώμεθα. Istius Epistolæ Antapologeticum sequitur in Codice Regio, & in Indice Lambeciano, qui hanc Manueli omnino adscribunt hoc titulo: Ἀνταπολογητικὸν ἐκ μέρους πρὸς τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ γραφὴν τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν Βασιλέως κυροῦ Μανουὴλ Κομνηνοῦ. τὴν ἀπολυθεῖσαν πρός τινα μοναχὸν, ἐπιμεμψάμενον οὐ μικρῶς αὐτοῦ, διά γε τὸ τῆς ἀστρολογίας μάθημα, καὶ φιλονεικοῦσαν τὸ τοιοῦτον συστῆσαι μάθημα, φυσικῶς καὶ γραφικῶς ἀποδείξεσι. Tum vero illius initium hisce verbis concipitur: Τολμῶν ὑπομιμνήσκω τὸ προγεγονὸς γράμμα τῆς Βασιλείας σου, καὶ εἰς ἡμᾶς ἤδη χεῖρας ἐλήλυθεν. καὶ ἐν πρώτοις μὲν ἀναγνοὺς, καὶ περ-

„περιεπτυξάμην αὐτῷ, καὶ θερμῶς κατεφίλη-
„σα. Τίνος ἕνεκεν; ὅτι παναγίᾳ τῷ ὄντι, καὶ
„ἠρεμαίᾳ φωνῇ, κατὰ μίμησιν αὐτοῦ τοῦ εἰπόν-
„τος Χριστοῦ. Μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι πρᾶος εἰ-
„μὶ καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνον
„ἐποιήσατο τὴν ἀπόκρισιν τοῦ ἀπεριστκέπτως οὕτω
„τοῦ θεοστεφοῦς καταβοωμένου κράτους σου. Μετὰ
„δὲ ταῦτα, τὸ τοιοῦτον γράμμα ἐθαύμακα, κα-
„τά γε τὸ προσὸν αὐτῷ τῶν λέξεων στρυφνὸν καὶ
„εὔρυθμον, καὶ τὸ τῶν νοημάτων βαθὺ καὶ
„πυκνὸν οἷς δὴ νοήμασι, καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως, περι-
„πεσών, χειροδοθῆναι πρὸ τοῦ κατηπειγῆναι τὸ τέ-
„λεον &c. Alia ex eadem Epistola exscribimus
„in Notis ad nostrum Zonaram, ubi de Vectio
„Valente Astronomo, qui imperante Con-
„stantino Magno vixit, agimus. Sub finem
„vero hæc subduntur: Πείθομαι οὖν καὶ τοῦτο,
„κράτιστε βασιλεῦ,· ὡς οὐκ ἂν ὁ μόναχος ἐκεῖνος
„παύσαιτό ποτε κατηγορῶν τοῦ μαθήματος, εἴ-
„περ ἰυπαραγγραπτοί εἰσιν ἐπὶ τοσοῦτον οἱ κατ'
„αὐτοῦ προσφερόμενοι μάρτυρες. Ad calcem de-
„nique Codicis Regii describuntur eorum no-
„mina, quorum auctoritatibus usus est Episto-
„larum scriptor.

„Συγγράφοντες καὶ συμμάρτυρες τῆς βί-
„βλου αὐτοὶ, Γρηγόριος ὁ θεολόγος, ὁ μέ-
„γας Βασίλειος, Γρηγόριος Νύσσης, Ἰωάννης ὁ
„Χρυσοῤῥήμων, ὁ μέγας Ἀθανάσιος, ὁ Κυρίλ-
„λος, ὁ μέγας Ἐπιφάνιος, Ἀναστάσιος ὁ Συ-
„ναΐτης, Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνὸς, Γρηγόριος ὁ
„Διάλογος, Ἀνδρέας Κρήτης, Πέτρος καὶ Παῦ-
„λος οἱ Ἀπόστολοι, Νικηφόρος Πατριάρχης, ἐν
„τούτοις καὶ Μωσῆς καὶ Δαβὶδ, καὶ τις ὁ φωτί-
„ζων τούτοις. καὶ μάρτυς ἀψευδὴς, τὸ Πνεῦμα
„τὸ ἅγιον. Ex hisce Epistolis aliquot edidit Bo-
„naventura Vulcanius in Notis ad S. Cyrillum
„contra Anthropomorphitas, ex Codice quem
„Georgius Douza attulerat Constantinopoli,
„recenti & parum fida manu, ut ipse testatur
„ex scripto, qui Joannis Zonaræ nomen præ-
„ferebat. Zonaræ adscribuntur præterea istæ
„Epistolæ in Indice Librorum Græcorum ex
„Codice MS. Regio 2813. Verum duo Cæsa-
„rei, quos Lib. V. Commentariorum fol. 30.
„laudat Lambecius, quorum prior Epistolas L.
„alter LVI. continet, Michaelem Glycam au-
„ctorem præferunt, hoc lemmate: Τοῦ σοφω-
„τάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ
„εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς. Laudan-
„tur etiam a Gesnero sub nomine Glycæ, ut
„& ab Hœschelio ex Bibliotheca Augustana e-
„odem titulo, & a Jacobo Pontano, qui prio-
„res duas Latine reddidit. Sed & ad calcem
„Codicis posterioris Cæsarei hæc scribuntur:
„Τοῦτο βιβλίον ὑπάρχει Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ.
„Promiscue vero hasce Epistolas sub nomine
„*Zonaræ* sive *Glycæ* semper laudat Allatius Lib.
„2. *De Consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 18. num.
„17. Libro 3. cap. 15. num. 8. cap. 16. num. 24.
„cap. 18. num. 8. & contra Creigthonem pag.
„541. & 544. In quibus quidem locis quas-
„dam ex iis integras descripsit, ita ut cum scri-
bebat, cujus essent non omnino ipsi pro indu-„
bitato haberetur. Id duntaxat constat, non-„
nullarum auctorem, si non omnium, vixisse,„
sub Manuele Comneno, tum ex Antopologe-„
tico, cujus meminimus: tum ex viris prima-„
riis Aulæ Constantinopolitanæ, quibus aliquot,„
inscribuntur: atque in iis, Joanne Duca Ma-„
gno Hetæriarcha & Sebasto, cujus præ cæte-„
ris, ut alios omittam, mentio occurrit apud„
Nicetam in *Alexio Manuelis Filio* num. 7. & 9.„
& Manuele Comneno Sebastocratore, qui non„
alius est ab eo, cujus pariter Cinnamus memi-„
nit Libro V. num. 14. & 15.„

Falsum porro est, quod scribit Dufrenius allatus, Epistolam nempe XXXVIII. hujus Collectionis esse Manuelis Comneni Imperatoris ad Alipium Monachum, quem a studio Astrologiæ avertere omnimode nititur: nihilque in hoc Collectaneo, quod spectet ad Imperatorem hunc, quam *Antapologeticus*, qui nomen ejus præfert, & loco XXXIX. collocatur. Porro cum Alipius astrologia mirum in modum afficeretur, nec studium ejus hortante Michaele Glyca, licet Monacho minus conveniens relinquere vellet: Epistolæ Michaelis Glycæ, ne illum exasperaret, respondere nolens, pro responsione misit ad sui justificationem, *Antapologeticum Manuelis Comneni Imperatoris*, quem inter Codices suos habebat, ab annis circiter 300. conscriptum in gratiam Astrologiæ, qua delectabatur. Atque hoc modo studium suum commendavit instantius, quam si ipse responsionem propriam Michaeli Glycæ adornasset. Nam hoc modo Astrologiam multo magis commendabat, quam Imperator Græcus ante trecentos annos defenderat adversus vituperatores & Monachum quendam illi insultantem. *Antapologeticum* igitur esse Manuelis Comneni agnoscimus, at Epistolam XXXVIII. præcedentem *Alipio Monacho* scriptam fuisse a Michaele Glyca *adversus Astrologiæ studium* constat. Nihil igitur occurrit in his Epistolis, quo probetur illas ad Joannem Zonaram pertinere, qui maxime sub Alexio Comneno, qui anno 1118. mortuus legitur, floruit, ac paucis post annis Joanne Alexii filio imperante fatis cessit.

Nec juvatur etiam in conjectura sua in Zonaræ gratiam facta, *Ex viris primariis Aulæ Constantinopolitanæ, quibus aliquot inscribuntur: Joanne Duca Magno Hetæriarcha & Sebasto, cujus præ cæteris, ut alios omittat, mentio occurrit apud Nicetam* in Alexio Manuelis filio num. 7. & 9. *& Manuele Comneno Sebastocratore, qui non alius est ab eo, cujus pariter Cinnamus meminit Libro V. num. 14. & 15.* Non enim his nominibus veteres hi intelliguntur, sed recentiores ejusdem nominis & dignitatis, qui anno circiter 1450. in Imperio Orientali sub Constantino Palæologo ultimo Græcorum Imperatore, dignitatibus his fungebantur: ut constat ex Joanne Duca, cujus historiam in manibus habemus:

mus: qui Michaeli Glycæ Synchroni cum fuerint, ad illos Epistolas dedisse nihil mirum videbitur. Hæc adversus conjecturas Dufrenii pro zonara factas. Contra autem illorum plurimæ Michaelis Glycæ nomen expressum habent, inscriptæ nonnullæ diserte *Constantino Palæologo Imperatori* qui ab anno 1444. ad 1453. Imperium tenuit, aliæ aliis ejusdem temporis viris illustribus.

CAPUT TERTIUM.

QUID DE HIS EPISTOLIS EDITUM FUERIT, QUI CODICES MSS. ILLARUM IN DIVERSIS BIBLIOTHECIS, AC DE ILLIS QUID PETRUS LAMBECIUS SCRIBAT ET SENTIAT LIBRIS IV. ET V. COMMENTARIORUM BIBLIOTHECAE CAESAREAE VINDOBONENSIS.

Ejusdem *Michaelis Glycæ Disputatiunculæ duæ* Latine factæ per Jacobum Pontanum Soc. Jesu, Ingolstadii anno 1604. in 4to cum Diophra Philippi Solitarii, quæ Græce quoque MSS. extant in Bibliotheca Cæsarea Viennensi, & in Augustana Cod. 57. *Michaelis Glycæ explicationes obscurorum locorum Sacræ Scripturæ:* vel ut in Imperatoria *ejusdem Quæstiones & Dubitationes in Scripturam*, quæ nondum, quod sciam, impressæ sunt: de quibus loquitur Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 112. Joannes Baptista Cotelerius in notis ad Opera SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt col. 77. lit. F. inquit. *Quæ etiam citat Michael Glycas in libro posteriore Operis* εἰς τὰ ἄπορα τῆς γραφῆς cap. 32. *Extat id Opus MS. in Bibliotheca Thuana, compositumque est ex Orthodoxa fide S. Johannis Damasceni, adjectis nonnullis aliorum Patrum.* Aliquot etiam Tractatus hactenus ineditos recenset Leo Allatius *de consensu utriusque Ecclesiæ* Lib. 2. cap. 18. paragr. 17. nempe *Librum ad Maximum Smeniotem de processione Spiritus Sancti*, cujus fragmentum habet ibidem Lib. 3. cap. 2. parag. 3. *Ad eundem, an Christus Azymo in suprema cæna usus sit? Ad Esaiam Monachum de animabus a corpore separatis.* Verum hi omnes tractatus nil aliud mihi esse videntur, quam Epistolæ Michaelis Glycæ, in quibus Scripturæ loca quidem obscura vel controversa explicat. Scripsit enim Epistolas plures, ex quibus plurima fragmenta, nec contemnenda quidem, non uno in loco adducit Leo Allatius, in opere *de Consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* Lib. 3. cap. 13. paragr. 4. cap. 14. paragr. 15. cap. 16. paragr. 24. cap. 18. paragr. 8. Libro *de Purgatorio* pag. 28. 49. 789. Libro *adversus Ottingerum* cap. 18. pag. 320. *De Libris Ecclesiasticis Græcorum* pag. 118. 127. 254. 324. ubi notandum est, aliquot ex his Epistolis passim sub nomine Zonaræ vel Glycæ ab eo citari, ut supra in Zonara annotavimus.

Extant autem istarum Michaelis Glycæ E-„
pistolarum Manuscripti Codices quatuor in„
Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ac pri-„
mum Codice MSS. Theologico Græco CLIX,„
num. 2. &c. ut habet Petrus Lambecius Lib.„
4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag.„
152. his verbis. Secundo & quidem a fol.„
29. pag. 1. usque ad fol. 327. sive ultimum„
Michaelis Glycæ Epistolæ Theologicæ quinquaginta de variis Sacræ Scripturæ controversiis, qua-„
rum titulus generalis ibi talis est: Τοῦ σοφω-„
τάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ εἰς„
τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς. Speciatim„
autem & peculiariter inscribitur *Prima*, illa-„
rum Epistolarum, atque incipit hoc modo:„
Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ καὶ στυλίτῃ κυρῷ Ἰωάννῃ„
τῷ Σιναΐτῃ. Εἰ χρὴ συγκαταβαίνειν τοῖς πλου-„
σι, καὶ μὴ κατὰ λόγον αὐτοῖς ἐπιτιμᾶν τὸν προ-„
σήκοντα, καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων, ὦ θεία καὶ ἱε-„
ρὰ κεφαλὴ &c. *Secunda.* Τῷ τιμιωτάτῳ κυ-„
ρῷ Μαξίμῳ τῷ σμενιώτῃ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς„
λέγουσιν, ὅτι πρόσκαιρον εἶχε τὸ σῶμα κατ' ἀρ-„
χὰς ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὅτι φυσικοῖς ὑπέκειτο καὶ„
πρὸ τῆς παραβάσεως πάθεσι, καὶ βρῶσιν αἰσθη-„
τὴν ἐν παραδείσῳ ἤσθιε, καὶ ὅτι συκῆ τὸ ξύλον τῆς„
γνώσεως ἦν, ὡς ἐκεῖνοι φασί. Ὁ μὲν γὰρ ὁ πρῶ-„
τος ἐκεῖνος ἄνθρωπος θανάτου καὶ φθορᾶς ὑ-„
πέρτερος ἦν ἀπ' ἀρχῆς &c. *Tertia.* Τῷ„
αὐτῷ καὶ περὶ τοῦ ὁποῖος ἦν ὁ Ἀδὰμ ἀπ' ἀρχῆς,„
κατά γε δόξαν ὁμοῦ καὶ λαμπρότητα. Εἰ δὲ καὶ„
τοῦτο μαθεῖν ἐπιζητεῖς, ὁσιώτατε ἀνερ, ὁποίας ἐξ-„
έπεσεν διὰ τὴν παράβασιν ὁ πρῶτος ἄνθρωπος,„
δόξης &c. *Quarta.* Τῷ αὐτῷ, τίνος ἕνεκεν ὁ δι-„
άβολος διὰ τοῦ ὄφεως, καὶ οὐ δι' ἑτέρου τῶν ζώων,„
προσέβαλε τῷ Ἀδάμ, τῆς γραφῆς ὁπωσδήποτε,„
μὴ σαφῶς οὕτω λεγούσης, καὶ εἰ ἀληθῶς τίνος ἕ-„
νεκεν ἡ γραφὴ τοῦτο τέλεον ἔκρυψεν. Ἐπειδὴ τοῦ„
σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν Εὐαγγελίοις ἠκού-„
σατε λέγοντος, ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου οἱ οἰκιακοὶ„
αὐτοῦ &c. *Quinta.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυ„
ρῷ Ἰωάννῃ τῷ Ἀσπιώτῃ, περὶ τοῦ ὁποῖα τῇ φύσει„
τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα ἐκ νεκρῶν ἐγερθή-„
σονται, καὶ εἰ βρῶσιν αἰσθητὴν ἐσθίειν ἐκεῖσε μέλλου-„
σιν, ὥς τινες ἐπιφέρουσιν. Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰη-„
σοῦς Χριστὸς, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ καὶ Θεὸς, ἐσάρκα φο-„
ρεύσας δι' ἄφατον ἔλεος &c. *Sexta.* Τῷ αὐτῷ,„
ὅτι καὶ τοῦτο ἠπόρηται εἰ ἄρσεν καὶ θῆλυ τὰ τῶν„
ἀνθρώπων ἐγερθήσονται σώματα. Ἐφ' οἷς ἠπό-„
ρηκας, ὦ ὁσιώτατε ἀνερ, πῶς ἐκ νεκρῶν ἀναστή-„
σονται. *Septima.* Τῷ αὐτῷ. Εἰ χρὴ προσέχειν„
τοῖς λέγουσιν, ὅτι οὐ γνωρίζουσιν ἀλλήλους οἱ ἀνα-„
στησόμενοι τότε ἄνθρωποι. Εἰ δὲ γνωρίσουσιν, δι-„
καίους μὲν ἁμαρτωλοὶ γνωρίσουσιν, οὐ μὲν καὶ ἁ-„
μαρτωλοὺς οἱ δίκαιοι. Εἰ δέ τις καὶ περὶ τοῦ γε-„
νησομένου τότε κοινοῦ ἀναγνωρισμοῦ μαθεῖν βούλε-„
ται. *Octava.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ„
Ἡσαΐᾳ περὶ τοῦ εἴτε προκόπτειν οἱ δίκαιοι μέλλουσι,„
κατά γε γνῶσιν καὶ δόξαν, εἴτε καὶ μή, μετὰ τὴν ἐκ-„
εῖσε, ἀποκατάστασιν. Πρῶτον μὲν οὖν ἐπὶ τούτοις,„
ἀναγκαῖον εἰπεῖν &c. Hic Esaias partes Latino-„
rum sectatus videtur, de quo agit Henricus„
Wharton in *Supplemento Historiæ Literariæ*„
Guilhel-

Guilhelmi Cavi ad annum 1430. pag. 105. ubi illum oppugnasse Nicolaum Sclongiam dicit. *Nona.* Τῷ αὐτῷ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι φθαρτὸς ἐστιν ὁ παράδεισος, ὅτι μετὰ τὸν σταυρὸν αὐτίκα οὐκ εἰσῆλθεν εἰς αὐτὸν ὁ λῃστής. Εἰ καὶ περὶ αὐτοῦ βούλει τοῦ παραδείσου μαθεῖν &c. *Decima* Τῷ αὐτῷ, τίνος ἕνεκεν ἐν ἐσχάτοις καιροῖς ἐσαρκώθη ὁ Κύριος, καὶ διὰ τί μὴ πολλῷ πρότερον εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθε. καὶ γὰρ εἰ προλαβὼν ἐποίησε τοῦτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀγνοίας ὁ ἀπειρόκακος πληθὺς ἐκεῖνος λαὸς ἐν ἀσεβείᾳ κατέλυσε τὴν ζωήν. καὶ τοῦτο τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως ἐπαπορεῦντος οὕτω καὶ λέγοντος &c. *Undecima* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Γρηγορίῳ τῷ Ἀκροπολίτῃ, περὶ τοῦ εἴτε σφαιροειδής ἐστι καὶ ἀκίνητος ὁ οὐρανὸς, εἴτε καὶ μὴ κατὰ τὸν θεῖον Χρυσόστομον. Ὅτι μὲν οὖν ὁ τὴν γλῶτταν χρυσοῦς καὶ θεῖος Ἰωάννης &c. *Duodecima* Τῷ αὐτῷ ἔτι καὶ τοῦτο ἠπόρηται, εἰ κατὰ τὴν πρώτην ἡμέραν παρήγαγε τὸ φῶς ὁ Θεὸς, τίνος ἕνεκεν κατὰ τὴν τετάρτην τοὺς φωστῆρας ἐδημιούργησεν. Ὁ μὲν οὖν χρυσοῤῥήμων καὶ θεῖος Ἰωάννης &c. *Decima tertia.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ἡσαΐᾳ. Εἰ κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ ὁ ἡμέτερος ἐκτίσθη νοῦς, πῶς ἐν τῷ μὲν, συνετὸς ὁ τοιοῦτός ἐστιν: ἐν τῷ δὲ ἀσύνετος: καὶ τίνος εἵνεκεν ἤδη καὶ ἡλικίᾳ καὶ τοῖς λοιποῖς πρὸς ἀλλήλους διενηνόχασιν ἅπαντες. Ὅτι μὲν οὖν κατ' εἰκόνα Θεοῦ ὁ ἡμέτερος ἐκτίσθη νοῦς &c. *Decima quarta.* Τῷ αὐτῷ περὶ τοῦ πῶς δεῖ πρὸς Ἰουδαίους ἀπαντᾷν, ἡνίκα καὶ μάλλον ἐκεῖ τὸ κατὰ Χριστὸν ἐπιχειρῶσι διαστρέφειν μυστήριον. Τοιοῦτόν τι πάσχειν ἐοίκασιν ὁσιώτατε πάτερ, ὁποῖον ἡ μέλισσα &c. *Decima quinta* Τῷ αὐτῷ. Ἔτι καὶ τοῦτο ἠπόρηται, εἰ τὸ τῶν Ἑβραίων γένος ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐπιστρέψει πρὸς Κύριον. Ἔτι δὲ καὶ προσελεύσεται ἡ τῶν Ἰουδαίων συναγωγὴ τῷ Χριστῷ. *Decima sexta.* Τῷ αὐτῷ. Ἐπεξήγησις τῶν ἐν τῷ θείῳ λουτρῷ τελουμένων. Εἰ καὶ τὰ κατὰ τὸ θεῖον λουτρὸν ἐπεξεργάσασθαι βούλει &c. *Decima septima.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ἡσαΐᾳ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι τὸ μοναχικὸν ἀμφιεννύμενος καὶ ἅγιον σχῆμα, τηνικαῦτα, τῶν πλημμελειῶν αὐτοῦ τέλεον ἀπαλλάττεται, κἂν ἐν τῷ τέλει τῆς ζωῆς αὐτοῦ τοιοῦτον φθάσῃ λαβεῖν. Ὅτι μὲν οὖν διονυσιακός τις καὶ θεῖος ἀνὴρ διεβεβαιοῦτο. *Decima octava.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ καὶ δομεστίκῳ κυρῷ Ἡσαΐᾳ, περὶ τοῦ ὁποῖον ἅπαντα τέλος ταῖς ψυχαῖς χωριζομέναις τοῦ σώματος, καὶ ὅπουπερ αὗται ἀπέρχονται. καὶ περὶ μὲν τῶν δικαίων τί χρὴ καὶ λέγειν &c. *Decima nona.* Τῷ αὐτῷ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι αἱ ἀπελθοῦσαι τῶν ἁγίων ψυχαὶ κατά τινα τόπον ἀναπαυόμεναι, οὐ δέονται αὐτοπροσώπως ὑπὲρ ἡμῶν τῷ Χριστῷ παρισταμεναι, οὔτε τοῖς ἐνθαῦτα ὅλως ἐφίστανται, καὶ περὶ ψυχῆς. Οἱ ἀπελθόντες ἅγιοι, καθὼς ἐδιδάχθημεν &c. *Vigesima.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ἀλυπίῳ τῷ ἐγκλείστῳ. περὶ τοῦ πῶς ἡ μετάστασις τῆς Ἀειπαρθένου γέγονε, καὶ εἰ ἀληθῶς ἐκ τάφου ἐγήγερται κατὰ τὴν ἐκ νεκρῶν τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν ἔγερσιν. Περὶ δὲ τῶν συμβεβηκότων τῇ ἀειπαρθένῳ τοῦ Κυρίου Μητρὶ, κατά γε τὴν αὐτῆς κοίμησιν &c. *Vigesima prima.* Τῷ μεγαλοδοξοτάτῳ μεγάλῳ Ἑταιριάρχῃ κυρῷ Ἰωάννῃ τῷ Δουκί. Εἰ ὁ Χριστὸς τὴν ἐπὶ δώδεκα θρόνων καθέδραν ὑπέσχετο δοῦναι τοῖς μαθηταῖς, συμπαρόντος αὐτοῖς καὶ τοῦ προδότου Ἰούδα; μήποτε τὸ μέλλον ἠγνόησε; Καὶ τοῦτο διαπορουμένῃ τῇ εὐγενείᾳ σου &c. *Vigesima secunda.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ καὶ δομεστίκῳ κυρῷ Ἡσαΐᾳ. Εἰ κατὰ τὸ ὡρισμένον, ὡς γέγραπται, πρὸς τὸ πάθος ἑκὼν ἐλήλυθεν ὁ Χριστὸς διὰ τὴν τοῦ κόσμου σωτηρίαν, τίνος ἕνεκεν ἀγανακτεῖ κατὰ τῶν σταυρωσάντων αὐτὸν, καὶ διὰ τί τοῦ Πατρὸς δέεται, λέγων, ἀνάστησόν με, καὶ ἀνταποδώσω αὐτοῖς. Ὅτι μὲν οὖν δι' ἡμᾶς ὁ Θεὸς Λόγος ἄνθρωπος γέγονε &c. *Vigesima tertia.* Τῷ τιμιωτάτῳ κυρῷ μοναχῷ Ὀνουφρίῳ περὶ τοῦ τί χρὴ καὶ λέγειν ἐπὶ τῶν ἀπίστων μὲν ὄντων, πορευομένων δὲ ὅμως κατ' ἐντολήν. Ὁ θεῖος Ἀναστάσιος περὶ τούτου καὶ τάδε φησὶν &c. *Vigesima quarta.* Τῷ εὐκλεεστάτῳ ἀνθρώπῳ τοῦ κρατίστου καὶ ἁγίου ἡμῶν Αὐθέντου καὶ Βασιλέως, κυρῷ Νικηφόρῳ τῷ Σιναΐτῃ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι τὸ διδόναι τῶν λοιπῶν ἐντολῶν καὶ προσφορῶν κρεῖττον, καὶ ὅτι τοὺς ἐλεημοσύνην ποιοῦντας οὐ χρὴ κατά τι παρατηρεῖσθαι, ὡς ἐκεῖνοι φασι. Εἰ δὲ καὶ παντὶ τῷ αἰτοῦντι σε δίδου &c. *Vigesima quinta.* Τῷ αὐτῷ. ἔτι καὶ τοῦτο ἠπόρηται, εἰ τὰ μετὰ τὴν δωδεκαετίαν αὐτίκα παρ' ἡμῶν πλημμελούμενα εἰς χεῖρον ἀχθήσονται. Ὅτι μὲν οὖν ὁ ἡμέτερος νοῦς μετὰ τὴν δωδεκαετίαν &c. *Vigesima sexta.* Τῷ αὐτῷ. ἔτι καὶ τοῦτο ἠπόρηται περὶ τῶν γιγάντων ἐκείνων, εἴτε μόνον εὐσθενεῖς ὑπῆρχον, εἴτε ὑπερμέγεθα σώματα ἔφερον. Ὁ μὲν οὖν θειότατος Κύριλλος, καὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς αὐτῆς τῶν γιγάντων ἐκείνων ἀναγράφων γένεσιν &c. *Vigesima septima.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Μαξίμῳ τῷ σμενιώτῃ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι λαβὼν ὁ Χριστὸς ἄζυμον ἐν τῇ ἑσπέρᾳ τῆς μεγάλης πέμπτης ἕως τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, τηνικαῦτα δῆθεν τοῖς οἰκείοις Πάσχα ἐτέλεσεν. Ὁ περὶ τῶν ἀζύμων λόγος, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλὴ &c. *Vigesima octava.* Τῷ αὐτῷ. περὶ χρήσε[illegible]ιῶν, ὅτι ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, οὐ μὲν δὲ ἐκ τοῦ Υἱο[illegible] Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, καὶ ὅτι οὔτε αὐτὸν ἀποστολὴ καὶ ἐκπόρευσις. Εἰ δέ σοι ἐστι περὶ τῆς ἀῤῥήτου τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐκπορεύσεως. *Vigesima nona.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ὀνουφρίῳ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι ἐπὶ πᾶσι, καὶ διὰ πάντων ὁ διάβολος ἐστι πρωταίτιος ἐν ἡμῖν τῶν κακῶν. Ὅτι μὲν οὖν, ἡγιασμένε μοι Πάτερ, σπορεὺς τῆς κακίας &c. *Trigesima.* Τῷ αὐτῷ τίνος ἕνεκεν ὁ Χριστὸς καὶ διατί παρὰ τῇ γραφῇ λίθος καλεῖται καὶ μάργαρος. Καὶ λίθος μὲν ἁπλῶς οὕτω καλεῖται &c. *Trigesima prima.* Τῷ αὐτῷ. Τὰ δὲ κατὰ τὸν ἀδάμαντα πῶς ἐκληπτέον. Ἔστι καὶ λίθος ἀδάμας οὕτω καλούμενος &c. *Trigesima secunda.* Τῷ αὐτῷ. τί δ' ἄντις εἴπῃ καὶ περὶ τοῖς μαγνίτιδος; Ὁρῶ καὶ ἕτερόν τι παράδοξον &c. *Trigesima tertia.* Τῷ αὐτῷ. τί χρὴ λέγειν, τὴν τοῦ Κυρίου γενέσθαι σύλληψιν. Καὶ τοῦτο μετὰ τῶν

,,ἄλλων εἰδέναι σε χρὴ θειόκλεες ἄνερ &c. *Trigesi-*
,,*ma quarta.* Τῷ αὐτῷ. πῶς δὲ ἐκληπτέον καὶ τὸ τοῦ
,,ἐν ἁγίοις Θεοδώρου τοῦ Στουδίτου τροπάριον, τὸ οὑ-
,,τωσὶ λέγων. Βαθεῖ τῶν κριμάτων σου Χριστὲ παν-
,,σόφως προορίσας ἑκάστου τέλους ζωῆς τὸν τόπον καὶ
,,τὸν τρόπον, δι᾽ οὗ ἐκάλυψε τάφος, πάσῃ χώρᾳ
,,ἐν τῇ κρίσει σῶσον πανοικτίρμον. Πρὸς τὸ εὐσε-
,,βέστερον δῆθεν τινὲς ἀποκλίνοντες &c. *Trigesima*
,,*quinta.* Τῷ πανσεβάστῳ Σεβαστῷ κυρῷ Κωνσταν-
,,τίνῳ τῷ Παλαιολόγῳ: Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέ-
,,γουσιν, ὅτι προωρισμένα εἰσὶ τὰ καθ᾽ ἡμᾶς πάν-
,,τα, αἱ ἀρεταί, αἱ εὐπραγίαι, οἱ πειρασμοὶ καὶ αὐ-
,,τὸς ὁ θάνατος. Εἰ δὲ καὶ ἀπαιδεύτους τὰ θεῖα
,,καὶ ἀμυήτους τινὰς &c. Ex hac ſane Epiſtola
,,35. & ſequenti 36. & 41. ad Imperatorem
,,Conſtantinum Palæologum, quarum ulti-
,,mam refert Leo Allatius Græce & Latine Lib.
,,1. *de conſenſu utriusque Eccleſiæ Orientalis &*
,,*Occidentalis* cap. 4. §. 4. col. 42. clarius luce
,,meridiana conſtat, quo tempore floruerit Mi-
,,chael Glycas, anno nimirum 1450. & ſequen-
,,tibus, non anno 1120. ut ab omnibus hucus-
,,que ſcriptum eſt. Atque ſi Guillelmus Ca-
,,vus qui ſexcentis locis Leonem Allatium ci-
,,tat in Libris *de conſenſu Eccleſiæ utriusque*, tan-
,,tilla attentione legiſſet, nullo negotio ſuum er-
,,rorem cognoviſſet. Illud quoque agnoſcere
,,potuit ex eodem Allatio in Diatriba *de Simeo-*
,,*num Scriptis* pag. 36. ubi citat Michaelem Gly-
,,cam poſt *Nicephorum Calliſtum*, quem ejus con-
,,tinuator Warthon anno 1333. aſſignavit. Il-
,,lum enim huic dubio procul Calliſto citato
,,prætuliſſet, Si anno 1120. ſcribentem vel flo-
,,rentem crediditſſet. Idem colligitur in Epi-
,,ſtola ejusdem ad *Joannem* cognomento *Du-*
,,*cam*, quæ 52. eſt in Epiſtolis, annis enim ille
,,1450. & 1460. floruit. *Trigeſima ſexta.* Τῷ
,,αὐτῷ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι ὅρῳ
,,ὑπόκειται ἡ ἑνὸς ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων ζωή. Οἱ
,,μὲν οὖν οὐκ εὐσεβὲς εἶναι δοκεῖ &c. *Trigeſima ſe-*
,,*ptima.* Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Στεφάνῳ
,,διαπορουμένῳ, πῶς ἐξ ἀντιφράξεως τοῦ συζανίσι σώ-
,,ματος τὸν ἐναλειφθέντα εὐθὺς ἀέρα ... σκότος βα-
,,θὺ διεδέξατο. Ὅτι μὲν οὖν, ὁσιώτατ... ἀπο-
,,ρίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν ἡμῖν εἰσῆκεν ὁ μ... βασί-
,,λειος &c. *Trigeſima octava.* Τῷ τιμιωτάτῳ
,,μοναχῷ κυρῷ Ἀλυπίῳ τῷ ἐγκλείστῳ. Εἰ χρὴ
,,τὴν μαθηματικὴν ἐπιστήμην ἀποτρόπαιον ἡγεῖ-
,,σθαι παντάπασιν. Τὰ τῆς μαθηματικῆς ἐπι-
,,στήμης εἰς δύο ταῦτα &c. *Trigeſima nona.* Ἀν-
,,ταπολογητικὸν ἐκ μέρους πρὸς τὴν ἐγχαραχθεῖ-
,,σαν αὐτοῦ γραφὴν τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βα-
,,σιλέως κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Κομνηνοῦ, τὴν ἀπολυ-
,,θεῖσαν πρός τινα μοναχὸν ἐπιμεμψάμενον οὐ μι-
,,κρῶς αὐτοῦ διάγετο τὸ τῆς ἀστρολογίας μάθημα,
,,καὶ φίλον εἰκοῦσαν τὸ τοιοῦτον συστήσασθαι μάθη-
,,μα φυσικαῖς καὶ γραφικαῖς ἀποδείξεσι. Τολ-
,,μῶν ὑπομιμνήσκω τὸ προγεγονὸς γράμμα τῆς
,,βασιλείας σου, καὶ εἰς ἐμὰς ἤδη χεῖρας ἐλήλυθεν
,,&c. *Quadrageſima* Τῷ αὐτῷ. Ἔτι καὶ τοῦτο
,,ἠπόρηται, εἴγε καὶ προαγορεύειν δεῖ, εἴτε καὶ μή.
,,Τοῦ Προφήτου καὶ Βασιλέως Δαυὶδ πρὸς αὐτὸν οὕτω

λέγοντος τὸν Θεόν, ὅτι &c. *Quadrageſima prima.*,,
Τῷ πανσεβάστῳ Σεβαστῷ κυρῷ Κωνσταντίνῳ τῷ,,
Παλαιολόγῳ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι,,
καὶ ὁ μέγας ὁ Παῦλος, εἷς ἐστι τῶν δώδεκα τοῦ Χρι-,,
στοῦ μαθητῶν. Εἰ δὲ καὶ περὶ τοῦ μακαρίου Παύλου,,
ἠπόρηκας &c. Conſtat autem ex verioribus,,
Chronologis, *Conſtantinum Palæologum*, non,,
ante annum 1445. vel juxta alios 1448. impe-,,
rium ſuſcepiſſe Orientis, quod anno 1453. in,,
Conſtantinopolitana clade extinctus amiſit,,,
cum annis 8. vel juxta alios ſi non integris im-,,
peraſſet: unde Michaelis Glycæ ætatem a-,,
gnoſcat. *Quadrageſima ſecunda.* Τῷ τιμιωτά-,,
τῳ μοναχῷ κυρῷ Ὀνουφρίῳ. περὶ τῆς τετραμόρ-,,
φου ὁπλασίας, ἣν ὁ προφήτης εἶδεν Ἰεζεκιὴλ, καὶ,,
ὅπως αὐτὴν εἰς τοὺς τέσσαρας εὐαγγελιστὰς ἐξελά-,,
βοντο. Ἔδει μὲν ἡμᾶς, Ἀδελφὲ Ὀνούφριε, εἰς καὶ,,
μᾶλλον γωνία καὶ σκότος τὸ ἐπιτίμιον &c.,,
Quadrageſima tertia. Τῷ μεγαλοδοξοτάτῳ κυ-,,
ρῷ Ἀνδρονίκῳ τῷ Παλαιολόγῳ. περὶ τοῦ πῶς ὁ,,
Θεολόγος λαμπροτέραν τὴν ἡμέραν τῶν φώτων,,
ἐκάλεσε τῆς τοῦ Χριστοῦ γεννήσεως, ἣν ὁ χρυσοῤῥή-,,
μων Ἰωάννης τῶν λοιπῶν ἑορτῶν ὀνομάζει μητρό-,,
πολιν. Εἰ δὲ καὶ σὺ μετὰ τῶν ἄλλων, εὐγενέστα-,,
τε ἄνερ, τοῦ Θεολόγου Γρηγορίου ἤκουσας λαμπρο-,,
τέραν τὴν ἡμέραν τῶν φώτων τῆς τοῦ Χριστοῦ γεν-,,
νήσεως λέγοντος &c. *Quadrageſima quarta.*,,
Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ἀλυπίῳ τῷ ἐγ-,,
κλείστῳ. περὶ τοῦ τίς τε καὶ πόθεν ἡ κατὰ τὴν τοῦ Χρι-,,
στοῦ γέννησιν τεσσαρακοστή, καὶ διατί σὺν τῷ τρί-,,
τῳ γάμῳ, μὴ καὶ τέταρτος συγκεχώρηται. Πολ-,,
λοὶ μὲν οὖν καὶ πολλάκις, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλή,,
&c. *Quadrageſima quinta.* Τῷ τιμιωτάτῳ,,
κυρῷ μοναχῷ Μελετίῳ τῷ Κρητοπούλῳ. Εἰ,,
χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι οὐκ ἐπάναγκες ἡ-,,
μῖν τὸ ἐν τετραδοπαρασκευαῖς νηστεύειν, τοῦ Κυρίου,,
λέγοντος, ὅτι οὐ τὰ εἰς ἐρχόμενα κοινοῖ τὸν ἄνθρω-,,
πον, ἀλλὰ τὰ ἐξερχόμενα. Ὁ Κύριος ἡμῶν,,
Ἰησοῦς Χριστός, ἡνίκα πρὸς αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι ἔ-,,
λεγον, διατί οἱ μαθηταί σου &c. *Quadrageſima*,,
ſexta. Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ἡσαΐᾳ. Εἰ,,
χρὴ κρέας ἐσθίειν ἐν ἡμέρᾳ τετράδα τυχὸν, ἢ πα-,,
ρασκευῇ δεσποτικῶν ἐμπιπτουσῶν ἑορτῶν, καὶ εἰ ἐ-,,
πάναγκες ἡμῖν τοῦτο, κατά τινες οἴονται. Καὶ σή-,,
μερον ἐρωτηθέντες περὶ τῆς σῆς ὁσιότητος &c.,,
Quadrageſima ſeptima. Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ,,
κυρῷ Νείλῳ. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅ-,,
τι μετὰ τὸ ἐξεικονισθῆναι τὸ ἔμβρυον, τὴν νοερὰν,,
δέχεται ψυχήν. Καὶ περὶ μὲν τῶν ἔξωθεν τί χρὴ,,
καὶ λέγειν &c. *Quadrageſima octava.* Τῷ αὐτῷ.,,
περὶ τοῦ τί χρὴ καὶ λέγειν περὶ τῆς ἐξόδου τῶν ἐν Κυ-,,
ρίῳ τελευτώντων, καὶ ὅπως αὐτοὶ τῶν ὧδε ἀπέρχου-,,
σι, καὶ ὅτι οὐ ἁμαρταίνειν ἡμεῖς ἐσμεν αἴτιοι, οὐ,,
μὲν ἡ φύσις αὐτή. Οἱ ἅγιοι διὰ τὴν ἀνάγκην,,
ἐκείνην &c. *Quadrageſima nona.* Τῷ αὐτῷ. τί,,
χρὴ καὶ λέγειν ἐπὶ ταῖς γινομέναις εὐποιΐαις τῶν,,
ἀπελθόντων ἕνεκεν, καὶ εἰ παντελῶς ἀπαλλάτ-,,
τειν αὐταὶ ἰσχύουσι τῶν ἁμαρτημάτων. Ὅτι μὲν,,
οὖν οὐ χρὴ κατά τι διστάζειν ἐπὶ ταῖς γινομέναις εὐ-,,
ποιΐαις &c. *Quinquageſima denique.* Τῷ τιμιω-,,
τάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ἡσαΐᾳ περὶ τοῦ πῶς δεῖ τὸ εὐ-,,
αγγελικὸν ἐκεῖνο καὶ θεῖον ῥητὸν ἐκλαμβάνειν, τὸ,,
λέγον,

„λέγον, ὅτος ἡμαρθεν ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφ-
„λὸς γεννηθῇ. Εἰ δὲ ἐς τοῦτο πρὸς τοῖς ἄλλοις. ἠ-
„πόρηκας &c. Ex jam enumeratis quinqua-
„ginta Michaelis Glycæ Epiſtolis Theologicis,
„*priores duas*, nempe primam & ſecundam ſub
„titulo *Diſputationum* edidit Jacobus Pontanus
„Soc. Jeſu, ſed Latine tantum & mutile, quem-
„admodum in Magna Bibliotheca Veterum Pa-
„trum Græcolatina Pariſienſi Tomo XV. a pag.
„794. usque ad pag. 799. & in Editione Græco-
„latina Pariſienſi *Annalium* Michaelis Glycæ a
„Philippo Labbeo Soc. Jeſu, proxime ante ini-
„tium dictorum Annalium, videre eſt. Reli-
„quæ autem quadraginta octo hactenus, nec
„Græce nec Latine, quantum ego ſcio, usquam
„editæ ſunt.„

CAPUT QUARTUM.

DE IISDEM EPISTOLIS ET EJUSDEM GLYCÆ MANUSCRIPTIS HOMILIIS SEU SERMONIBUS.

Codice etiam MS. Theologico Græco CLX qui Chartaceus antiquus in folio, conſtatque foliis 273. ut habet Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 157. continentur *Michaelis Glicæ Epiſtolæ Theologicæ quinquaginta ſex*, quarum quinquaginta priores eædem prorſus ſunt, quæ in præcedenti Codice MS. CLIX. „Titulus generalis hujus Codi-
„cis CLX. hic eſt, Τὸ παρὸν βιβλίον ὑπάρχει
„Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ. Sex autem poſteriores E-
„piſtolæ inſcribuntur atque hoc modo inci-
„piunt, nempe *Quinquageſima prima*, Τῷ τιμι-
„ωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Λέοντι τῷ ἐγκλειστῷ. Εἰ
„καὶ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι μετανοίας περὶ
„τὸ τέλος ὁ Σολομῶν ἐζητήσατο. Εἰ δὲ τις καὶ
„περὶ τοῦ σοφοῦ Σολομῶντος μαθεῖν βούλεται, ὅσας
„τελήξεως ἔτοχε &c. *Quinquageſima ſecunda*.
„Τῷ μεγαλοδοξοτάτῳ μεγάλῳ Ἑταιρειάρχῃ καὶ
„Σεβαστῷ κυρῷ Ἰωάννῃ τῷ Δούκᾳ. Εἰ χρὴ προσ-
„έχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι καὶ ἡ τοῦ Κυρίου Μήτηρ ἐγ-
„κυμονοῦσα τὸ τοῦ ἐλεγμοῦ ὕδωρ ἔπιεν. Ὅτι μὲν οὖν,
„ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλὴ, καὶ περὶ τοῦ ὕδατος τοῦ ἐ-
„λεγμοῦ πολλοὶ πολλὰ δογματίζουσι &c. *Quin-*
„*quageſima tertia*. Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ
„Χαρίτωνι. Εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν,
„ὅτι ἱερεὺς ὁ Χριστὸς παρὰ Ἰουδαίοις κεχει-
„ροτόνηται. Ὅτι μὲν οὖν εὑρηται χάρτης ὦ τιμία ἐ
„ἱερὰ κεφαλὴ, πάλαι συγγραφῆναι φαινόμενος
„καὶ τὰ κατὰ Χριστὸν πάντα λεπτομερῶς δῆθεν δια-
„λαμβάνων, ὅτι παρὰ Ἰουδαίοις ἱερεὺς χειροτονη-
„ται, καὶ ὅπως ὑπὸ μαιῶν ἡ Μήτηρ αὐτοῦ ψηλα-
„φᾶται, οὐκ ἂν οὐδ' αὐτὸς ἀρνησαίμην. Ἰουδαῖος
„καὶ γάρ τις, τὸ ὄνομα Θεοδόσιος ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ
„μεγάλου Ἰουστινιανοῦ πρὸς ἀργυροπράτην τινὰ Φί-
„λιππον τοὔνομα, τὴν τοιαύτην ὡς ἐν μυστηρίῳ ποι-
„εῖται διήγησιν, ἀφ' οὗ τοῖς ἐφ' ἑξῆς διαδέδοται
„καὶ πάσαις ἀκοαῖς ἐγκατέσπαρται. πλὴν ὡς
„ὁ λόγος, μικρὸν ὕστερον ἀποδείξεσι, ἐκ πολ-
„λῶν ἔχειν δοκεῖ τὸ ἀνίσχυρον. Εἰ γὰρ καὶ μέχρι τοῦ
„νῦν &c. *Quinquageſima quarta* inſcriptione
„carens. Ὅτι μὲν οὖν τὰ τῶν Ἀποστόλων συγγρα-
ψάμενος ὑπομνήματα, καὶ αὐτὸς ὁ ἐν μάρτυσι„
μέγας Ἱππόλυτος, εὐαγγελικῶν ὡς ἔοικε ῥημά-„
των ἀκούσας τῶν οὕτω λεγόντων, ἐὰν αὐτὸν θέλω„
μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε, συ ἀκολούθει μοι;„
ἐν τοῖς ζῶσι λέγει εἶναι τὸν Εὐαγγελιστὴν καὶ θεῖον„
Ἰωάννην, τῷ Ἐνὼχ τε καὶ Ἠλίᾳ συναγελάζεσθαι,„
οὐδὲ ἡμῖν παντελῶς ἠγνόηται. Εἰ γὰρ &c. *Quin-*„
quageſima quinta inſcriptione carens. Τὸν μὲν„
οὖν ἱστορικὸν ἐκεῖνον Παπίαν, μέγα τὸν Ἰούδαν ἀ-„
σεβείας ὑπόδειγμα περιπατῆσαι τῷ κόσμῳ λέ-„
γοντα ὕστερον, ἅτε τὰς ἀμορφὰς ἐκ τῆς βίβλου„
λαβόντα τῶν πράξεων, αὐτὰ δὴ τὰ τοῦ κορυφαίου„
Πέτρου σαφῶς ἀπελέγχει ψευδόμενον. ὁ γὰρ„
θεῶς Ἀπόστολος &c. *Quinquageſima ſexta* in-„
ſcriptione carens. Εἰ καὶ δεδιέναι προσήκει τὸ„
τοῦ θανάτου αἰφνίδιον, καὶ τὴν ἡμετέραν σωτηρί„
αν ἀπογινώσκειν &c. Idem libro V. *Com-*„
mentariorum ejusdem Bibliothecæ Cæſareæ.„
Item Codice MS. Theologico Græco CCXXXII
ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum
hujus Bibliothecæ pag. 64. primo quidem a fol.
1. pag. 1. usque ad fol. 132. pag. 1. *Michaelis Gly-*„
cæ Epiſtolæ Theologicæ quinquaginta quinque,„
quarum prima incipit, Καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλ-„
λων &c. Quinquageſima autem quinta, Τὸν„
μὲν οὖν ἱστορικὸν ἐκεῖνον Παπίαν &c. Plura de„
hiſce Epiſtolis vide Libro 4. horum Com-„
mentariorum a pag. 152. usque ad pag. 159.„
in recenſione Codicum MSS. Theologicorum„
Græcorum CLIX. & CLX. Inſcriptiones„
autem *Epiſtolæ quinquageſimæ quartæ & quin-*„
quageſimæ quintæ, quæ ibi deſunt, extant in„
hoc Codice CCXXXII. & tales ſunt. *Quin-*„
quageſima quarta. Τοῦ αὐτοῦ περὶ τοῦ ἁγίου Ἰω-„
άννου τοῦ Θεολόγου καὶ Εὐαγγελιστοῦ, πότερον νόμῳ„
φύσεως κοινῷ, θανάτῳ κεκοίμηται, ἢ οὐ &c.„
Quinquageſima quinta. τοῦ αὐτοῦ. περὶ τῆς τε-„
λευτῆς τοῦ ἀθλίου Ἰούδα τοῦ προδότου, ὅτι ἐν αὐτῇ„
τῇ ἡμέρᾳ, καθ' ἣν ἀπήγξατο, γέγονε, καὶ οὐκ„
ἐν ἄλλῳ μετὰ ταῦτα καιρῷ, ὡς τινες οὐκ ἀκρι-„
βῶς ὑπετόπασαν. „

Denique Codice MSS. Theologico Græco„
CCXXXIII. ut habet Lambecius ibidem p.„
66. continentur *Michaelis Glycæ Epiſtolæ* The-„
ologicæ ſexaginta quatuor, de quibus in exa-„
mine præcedentis proxime Codicis 232. jam„
actum eſt. Differunt autem illæ in hoc Co-„
dice ab iis, quæ extant in aliis ſupra memora-„
tis Codicibus, tam numero quam ordine: a-„
deo videlicet ut ea, quæ in aliis Codicibus eſt,„
Trigeſima quinta, & incipit, Εἰ δὲ καὶ ἀπαι-„
δεύτους τὰ θεῖα καὶ ἀμυήτους τινὰς &c. in hoc„
Codice ſit *Sexageſima quarta & ultima*. Con-„
tinet igitur hic Codex Epiſtolas Theologicas„
ſexaginta & quatuor. In Explicatione Co-„
dicis MS. 160. pag. 158. hæc habet Lambecius„
Titulus generalis totius hujus Codicis 160.„
eſt hic, τὸ παρὸν βιβλίον ὑπάρχει Μιχαὴλ τοῦ„
Γλυκᾶ. Operæ pretium autem fuerit eum„
diligenter conferri cum proxime præcedenti„
Codice CLIX, ut & cum Codice MSS, inter„
Codices MSS. Hiſtoricos Græcos, olim *qua-*„

Xxx x 3 *drage-*

„*dragesimo prima.* Nam & in illo extant su„pra memoratarum *56.* Epistolarum *priores no*„*vendecim*, tanquam Appendix Annalium Ejus„dem Michaelis Glycæ, inscribiturque ibi „*prima* earum hoc titulo: τῷ σοφωτάτῳ καὶ „μακαριωτάτῳ κυρῷ Μιχαὴλ τῷ Γλυκᾷ Ἐπιςολὴ „Α. Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ καὶ συλίτῃ κυρῷ Ἰω„άννῃ τῷ Συναίτῃ, εἰ χρὴ συγκαταβαίνειν τοῖς πλαί„ωσι &c. fuit etiam olim quartus earundem „Michaelis Glycæ Epistolarum Codex in Au„gustissima Cæsarea bibliotheca, & quidem in„ter Codices MSS. Theologicos Græcos 294. „sed quò ille devenerit, & ubi nunc latitet, o„mnino mihi est incognitum.

Ex his Epistolis sunt tria opuscula de quibus loquitur Leò Allatius Libro 2. *de consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 18. §. 17. col. 869. his ver„bis. Michael quoque Glycas hoc eodem æ„vo floruisse videtur, qui inter alia pie docte„que scripta quædam etiam contra Latinos „composuit. I. Ad Maximum Smeniotem, „εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι λαβὼν ὁ Χρι„σὸς ἄζυμον ἐν τῇ ἑσπέρᾳ τῆς μεγάλης πέμπτης, „ὡς καὶ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, τηνικαῦτα δῆθεν τοῖς „οἰκείοις τὸ πάσχα ἐτέλεσεν. *Si dicentibus, at*„*tendendum est, Christum vesperi magnæ Feriæ V.* „*cum Pascha celebraretur, accepisse Azymum, &* „*sic suis tum Pascha tradidisse.* Principium „ὁ περὶ τῶν ἀζύμων λόγος ὢ θεῖα καὶ ἱερὰ κεφα„λὴ καὶ πολλοῖς ἔφθασε. II. Eidem περὶ τινων „χρήσεων ὅτι ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, οὐ μὴν δὲ καὶ „ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, καὶ „ὅτι οὐ ταυτὸν ἀποςολὴ καὶ ἐκπόρευσις. *De non*„*nullis Patrum testimoniis, quibus probatur, ex* „*solo Patre, non vero & ex Filio, Spiritum San*„*ctum procedere; id non esse idem, missio & pro*„*cessio.* Principium, τί δέ σοι καὶ περὶ τῆς ἀῤῥή„του τοῦ παναγίου πνεύματος ἐκπορεύσεως. III. „Scripsit pro Latinis contra Græcos ad Esaiam „Monachum, περὶ τοῦ ὁποῖον ἅπαντα τέλος ταῖς „ψυχαῖς χωριζομέναις τοῦ σώματος.

Ejusdem Michaelis Glycæ Epistola ad Alipium Monachum inclusum, De assumptione B. Mariæ Virginis, extat quoque MS. Codice Theologico Græco CCCXXXIII. num. 2. ut habet Lambecius tomo V. Commentariorum ejusdem, pag. 294. his verbis: „Secundo & qui„dem a fol. 5. pag. 1. usque ad fol. 8. p. 2. *Mi*„*chaelis Glycæ Epistola ad Alypium Monachum in*„*clusum de Assumptione B. Mariæ Virginis Dei*„*paræ*, cujus titulus & principium: Τῷ τιμι„ωτάτῳ μοναχῷ κυρῷ Ἀλυπίῳ τῷ ἐγκλειςῷ, „περὶ τοῦ πῶς ἡ μετάςασις τῆς ἀεὶ παρθένου γέ„γονε, καὶ εἰ ἀληθῶς ἐκ τάφου ἐγήγερται κατὰ „τὴν ἐκ νεκρῶν τοῦ Κυρίου, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν ἔ„γερσιν. Περὶ δὲ τῶν συμβεβηκότων τῇ ἀεὶ παρ„θένῳ τοῦ Κυρίου Μητρὶ κατάγε τὴν αὐτῆς κοίμη„σιν &c.“ Plura de hac *Michaelis Glycæ* Epistola vide supra pag. 64. ubi ea est inter Epistolas ipsius Theologicas *vigesima*.

Denique inter MS. Codices Bodleianæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ Codice 720. in Manuscriptis Codicibus Guillelmi Laudi littera C. Codice 77. Græce extant *Michaelis Glycæ Sermones varii*: & ibidem Codice 723. in Manuscriptis Codicibus ejusdem ibidem Codice 91. num. 2. extat *Michaelis Glycæ Tractatus*, qui in varia capita dividitur &c. qui liber anno Æræ Græcanicæ 6978. scriptus esse dicitur, hoc est anno Christi nati 1470. Denique in Catalogo Bibliothecæ Marquardi Gudii, qui Regiæ Majestatis Daniæ Consiliarius fuit in supremo tribunali Ducatus Sleswicensis, anno 1706. Kilonii edito in 4. apud Bartholdum Reutherum, pag. 533. inter MSS. Codices Græcos in 4. Codice L. *Michaelis Glycæ Sermones*, chartaceo Codice bonæ notæ, quem titulus σοφώτατον καὶ λογιώτατον laudat, ubi argumenta sermonum recensentur summatim, singulis per ordinem Operi præmissis. Agunt de *Michaele Glyca* Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 112. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 312, pag. mihi 137. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 27. pag. 304. ultimæ editionis. Petrus Lambecius, quem hic expressimus, Libro 4. Commentariorum *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pag. 152. 157. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pagg. 248. & 258. Libro 5. eorundem pag. 64. 65. & 294. Et in Catalgo Scriptorum hujus tomi, pgg. 345. & 365.

THEODORUS GAZA, natione Græcus, 1450
patria Thessalonicensis, vixit iis temporibus, quibus Imperium Orientale capta a Turcis Regina urbium Constantinopoli, Constantinoque Imperatore occiso, anno 1453. extinctum est. Aliquanto post hanc cladem, trajecit in Italiam, factusque amicissimus Bessarioni S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali, a quo & Presbyter ordinatus est. Hujus his vocibus meminit Raphael Volaterranus Libro XXI. *Anthropologiæ*, pag. mihi 775. „Theodorus, Gaza, patria Thessalonicensis, utroque elo-„ quio & ipse clarissimus. Nam & in Eloquen-„ tiæ, Philosophiæque ac Medicinæ studiis hu-„ jus seculi facile princeps habebatur, æmulus„ omnino Trapezuntii. Convertit in Latinum„ sermonem Theophrastum *De plantis*, & Ari-„ stotelis Libros *De animalibus & Problematum*:„ præterea Libros Ciceronis *De senectute & a*-„ *micitia* in Græcam elegantissime linguam„ Hujus igitur virtuti nequaquam par fortuna„ fuit. Nam urbs Roma, quantum antiquitus„ hominum extulit ingenia & virtutes, tanto„ postea ob posterorum qui in ea dominantur„ luxuriam atque desidiam, contemnit. Vi-„ ros quoque multos ego sæpe memini, & Lite-„ ris & moribus claros, magna huc expectatio-„ ne venisse, paulo post fame coactos discede-„ re. Igitur Theodorus compulsus & ipse ob„ inopiam urbem deserere, in Apuliam se con-„ tulit, ubi paucis post annis jam senex excessit„ sine liberis, cum esset Sacerdos. Ex discipu-„ lis reli-

„lis reliquit *Demetrium*, qui hodie præcipit Mediolani, magna nominis ac famæ celebritate. „Joannes item Venetus ex ipsius prodiit Schola, qui humilis admodum receptus in contubernium Cardinalis S. Marci, mox in Innocentii dignitatem veniens, opibus est auctus, simul & Bibliothecæ Vaticanæ adhibitus. Transtulit quoque e Latina lingua in Græcam *Epistolam Nicolai Papæ V. ad ultimum Imperatorem Constantinopolitanum Constantinum Palæologum*, quæ extat Græce & Latine edita inter *Opuscula aurea Theologica* studio Petri Conyræi collecta ac Romæ anno 630. in 4. edita, ut habet Lambecius Lib. 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 126. in examine Codicis MS. Theologici Græci LXVI. Pauca quidem ille scripsit Theologica, plurima Philosophica atque Grammatica: qui tamen cum Sacerdos fuerit, ab Ecclesiasticis arceri nullatenus potuit Scriptoribus. Doctissimus igitur suo tempore Græcæ Latinæque linguæ, scripsit multa, ex quibus extant

Libri IV. Introductionis Grammaticæ, diversis locis impressi, Venetiis apud Aldum Manutium, Basileæ apud Curionem, Parisiis apud Wechelum, ac plerumque cum versione Latina. Postremo Basileæ anno 1540. apud Nicolaum Brylingerum.

De mensibus Atticis Liber Græcus, impressus Basileæ apud Robertum Winterum, cum Latina versione Joannis Perelli.

Libri Ciceronis de senectute & somnio Scipionis, in Græcum sermonem elegantissime ab eo translati, aliquoties jam excusi.

Ex Græco ab eo in Latinum sermonem versa hæc sunt: *Æliani Liber de instruendis aciebus*, impressus Coloniæ cum quibusdam aliis. *Dionysii Halicarnassæi Liber de compositione Orationis* &c. *Theophrasti de Historia & causis Plantarum Libri XV. Aristotelis de Historia animalium Libri IX. De partibus animalium & earum causis Libri IV. De generatione animalium Libri V. Problematum Sectiones XXXVIII.* quæ omnia cum cæteris Aristotelis Operibus Latinitate donatis, aliquoties jam impressi sunt. *Alexandri Aphrodisiensis Problematum Libri II.* excusi Basileæ anno 1537. apud Cratandrum, ubi illa Græce extat. Extat ejusdem in Bodleiana Oxonii in Anglia Bibliotheca Codice 3036. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji extantibus in Archivo A. Codice 47. num. 2. *Theodori Gazæ Epistola ad Philelphum de Origine Turcarum*, Græce, cum *Problematibus Aristotelis* ab eo in Latinum versis. Ex Operibus autem ad Ecclesiam spectantibus, transtulit tantum in Latinum *Homilias quinque Divi Chrysostomi de incomprehensibili Dei Natura*, impressas cum cæteris Chrysostomi Latinis ac Græcolatinis factis operibus. Scribit autem Theodorus Gaza in præfatione super his homiliis, se etiam vertisse in Latinum *Mauricii Imperatoris Libros de re militari.* Obtulit ille *Libros Aristotelis de Animalibus* a se in Latinam translatos linguam, Sixto IV. Summo Pontifici, quem eximie de doctrina & moribus in Præfatione laudat. Sed quemadmodum dedicationes ejusmodi Operum, vix alias quam ad commodum proprium fieri solent: quæ eisdem inferuntur laudes vix veræ ac sinceræ existimantur, nisi prius ex ipsa laudatorum hominum vita ac conversatione fundamentum habuerint. Narrat autem in *Elogiis* Jovius, quod dum præclaras lucubrationes suas in membranis accurate descriptas Sixto IV. Pontifici obtulisset, nec digna vel ipsius librarii mercede pecunia exhibita Gazæ fuisset: ducentis quos acceperat aureis in Tyberim projectis, Brutios unde Romam ea de causa accesserat, Theodorum Gazam recessisse mœstum, ubi non multo post valde senex fato functus est. Henricus Spondanus, ubi Baronium in *Annalibus* excipit, ad annum 1484. num. 3. vult Theodorum esse mortuum: Josias Simlerus in Epitome *Bibliothecæ Gesneri*, pag. 782. verbo *Theodorus Gaza*, eum vult anno 1478. esse mortuum. Agunt *de Scriptis Theodori Gazæ* Raphael Volaterranus cum honore, Libro XXI. *Anthropologiæ*, pag. mihi 775. Paulus Jovius in *Elogiis*, quem retuli. Petrus Lambecius in Appendice ad Librum VI. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pag. 278. his paucis: "Quartus illorum nomen, „doctissimorum Græcorum recentiorum, Theodorus Gaza est, patria Thessalonicensis, „Grammaticus, Rhetor, Historicus & Philosophus excellentissimus, & relictis variis eximii ingenii, atque multifariæ doctrinæ præstantissimis monumentis celeberrimus, qui, „anno Christi 1478. apud Brutios in magna, „Græcia Sacerdos obiit, ut prolixius refert Jovius in supra citatis Elogiis. Vide etiam Vossium Libro I. de *Arte Grammatica* cap. 4. p. 15. „& Matthæi Palmerii *Chronicon* in Actis anni, „1478. pag. 2. folii 146. ubi tamen eum obiisse, „Romæ perperam legitur, cum revera in Magna Græcia obierit.„ Hæc Lambecius.

THEOPHANES MONACHUS, MAGNUS RHETOR MAGNÆ ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ, claruit æræ Christianæ circa medium Seculi XV. atque etiam post expugnationem Constantinopoleos per Turcas. Intimus fuit amicus Clarissimo tunc temporis viro Domino Georgio Rhael, qui claruit potissimum circa annos 1459. 1460. & 1461. ut testatur Georgius Phranzas Protovestiarius in *Chronico* suo Libro 3. cap. 23 24. 25. & 26. Ut autem habet Lambecius Libro V. Commentariorum pag. 117. in *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi*, "extant Co-„dice MS. Theologico Græco CCXLVI. num.„ decimo sexto & quidem a fol. 148. p. 1. usque„ ad fol. 151. p. 2. *Theophanis Monachi & Magni*„ *Rhetoris Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ*,„ *Consolatio ad Generosissimum Dominum Georgium*„ *Rael propter obitum charissimi filii ejus Michaelis*,„ 1450

quæ

„quæ inscribitur hoc modo: Θεοφάνους μοναχοῦ „τοῦ μεγάλου ῥήτορος τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ με-„γάλης Ἐκκλησίας, πρὸς τὸν πανευγενέστατον „κύριον Γεώργιον τὸν Ῥαὲλ, ἀποβάλλοντα τὸν „παμφίλτατον υἱὸν αὐτοῦ Μιχαήλ. Βαβουὰξ „τοῦ ἀφορήτου πάθους &c. Decimo septimo & „quidem a fol. 151. p. 2. usque ad fol. 154. p. 1. „*Ejusdem* Theophanis Epistola ad eundem Ge-„orgium Rael περὶ φιλοπτωχίας, sive *De amo-„re & liberalitate erga pauperes.*„ Solus quem noverim & a quo accepi, meminit hujus Theophanis Petrus Lambecius Libro V. *Commentariorum* Bibliothecæ Cæsareæ p. 117. & 118. & in *Catalogo* Scriptorum istius tomi pag. 359. & 367.

1450 GUILLELMUS WEY seu WEYUS, natione Anglus, Collegii Etonensis socius, anno 1450. & sequentibus ob multas peregrinationes a se susceptas clarus fuit, quas ad posteritatis eruditionem scriptis mandavit. Extant inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ num. 2351. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 2. Codice 12. *Willelmi Wey itinerarium ad terram sanctam* pag. 1. *Ejusdem peregrinatio ad Sanctum Jacobum in Hispania* p. 98. *Indulgentiæ in curia Romana* pag. 92. In Catalogo eodem MSS. Codicum Bodleianæ Bibliothecæ pag. 258. in Collectaneis Richardi Jamesii Sacræ Theologiæ Doctoris Tomo VI. Collectaneorum num. 12. *Itinerarium Willelmi Wey Collegii Etonensis Socii in terram sanctam anno Domini 1456.* pag. 153. Hæc ex Catalogis Manuscriptorum Angliæ Codicum impressis.

1450 MAPHÆUS VEGIUS, natione Italus, patria Laudensis juxta Wadingum, sed falso, Martini V. Summi Pontificis Datarius, claruit annis 1440. & 1450. Sancti Petri in ipsa urbe Canonicus, quem Sixtus Senensis ait in ultima sua senectute, versu elegiaco in *Septem Psalmos Davidis*, quos *Pœnitentiales* vocant, scripsisse eleganter & vere cigneam Paraphrasin. Edidit pleraque alia, nimirum *De perseverantia in religione Libros VII, De educatione liberorum & claris eorum moribus Libros VI. Disputationem Terræ, Solis & Auri, de præstantia disceptantium. Dialogum de miseria & felicitate:* quæ simul omnia Opuscula prodierunt Parisiis anno 1511. *Dialogum Philalethes dictum, seu Veritatem invisam & exulantem*, impressum Lipsiæ anno 1499. *Antoniadem seu De vita Sancti Antonii Anachoretæ Libros IV. versu scriptos*, impressos Antwerpiæ anno 1559. *Tractatum de quatuor hominis novissimis, & Paraphrasim jam allatam in septem Psalmos Pœnitentiales* versu elegiaco: quæ omnia Vegii hactenus enumerata Opera habentur in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis anni 1677. tomi XXVI. p. 631. Ejusdem est *Officium Ecclesiasticum S. Monicæ*, quod extat inter Officia Ecclesiæ Romanæ. Item *Liber de significatione verborum in Jure Civili*, excusus Venetiæ anno 1477. præterquam quod Æneidi Virgilianæ Librum tertium decimum addidit, quo ingenii sui specimen præbuit. Extant plurima ejus Opuscula MSS. Cod. 4288. Bibliothecæ Galliarum Regiæ, qui 200. annorum est. Factus autem postmodum primariæ Ædis in urbe Canonicus, ossa Sanctæ Monicæ ex Ostiis Tiberinis Romam transferenda curavit, qui Romæ anno 1458. Pii II. Pontificis primo obiit, conditus ibidem apud Eremitas Augustinianos, quibus impense amicus & familiaris erat, in Sacello Sanctæ Monicæ, cujus & officium Ecclesiasticum composuit. De Maphæo Vegio Daniel Papebrochius Tomo 4. Maji mensis apud Michaelem Cnolbarum Antwerpiæ in Commentario ad Vitam S. Petri Cælestini prævio pag. 420. num. 4. hæc habet: "Hæc Petrus de Alliaco Cardinalis, cujus tem-„pori proximus fuit *Maphæus Vegius* Laudensis,„ qui forsan nescius Scriptionis Petri de Alliaco,„ & ipse *Vitam S. Petri Cælestini* composuit, at-„que in 3. libros digessit, ex quibus librum se-„cundum sic exorditur: *Hactenus quæ de se ipse-„met scripta reliquit exposuimus, cætera nunc „quæ ab aliis carptim memoriæ mandata sunt „quanto poterimus verborum ordine factorum-„que veritate, narrabimus.* Usus hic videtur„ Processu ad canonizationem facto, ad quem,„ Petrus de Alliaco lectorem remiserat, & sta-„tim varia miracula narrat. Vitam hanc MS.„ reperimus Romæ in Bibliotheca Vallicellana,„ Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi„ Nerii in tomo E. contentam, quam auctor se„ absolvisse in fine dicit, *Romæ apud S. Petrum,„ IV. Nonas Majas anno* MCCCCXLV. Scri-„psit deinde *Vitam Sancti Bernardini Senensis„ dandam* ad diem XX. Maji, *Romæque absolu-„tam apud S. Petrum Kalendis Junii anno,„* MCCCCLIII. Mortuus denique anno„ MCCCCLVIII. sepultusque apud Augusti-„nianos in Sacello S. Monicæ idem Maphæus,„ cujus marmoreum sepulchrum mira arte ela-„boratum, erigendum tunc curaverat, cum„ hujus reliquiæ Romam transferrentur, uti„ IV. Maji ad Vitam S. Monicæ dictum est. Ea-„dem *Vita S. Petri Cælestini* per Maphæum Ve-„gium extabat etiam Romæ in Bibliotheca Du-„cis Altempsii, & apud Abbatem Angelum„ Riccium, laudaturque velut *eleganti sermone„ conscripta*, a Ciacconio. Hanc ob nimiam„ operis molem, inserere noluit Daniel Pape-„brochius cum Opusculo Petri de Alliaco ejus-„argumenti, ut loco citato testatur.„ Latius autem de Operibus MSS. Maphæi Vegii Godefridus Henschenius anno 1685. tomo V. Maji mensis ad diem XXI pag. 257. in suo Commentario ad Vitas Sancti Bernardini Senensis prævio, paragrapho 1. num. 3. his verbis: "Altera Vita, quam damus hactenus etiam in-„editam, est deducta usque ad jam relatam,„ canonizationem, & scripta a Maphæo Vegio,„ Laudensi. Natus est is anno MCCCCVI.„ Testatur enim infra num. 43. se puerum duo-„decim

„decim circiter annorum, a præceptore suo „Grammaticis disciplinis ductum sæpe fuisse „Mediolanum ad *S. Bernardini* conciones, a„ctis tum in disseminando verbo Dei annis qua„tuordecim. Adeoque ex ipsius Vagii com„puto num. 55. relato, annus MCCCCXVIII „erat, qui moriente Martino V: S. Pontifice an„no 1431. die XX, Februarii, agebat, aut certe „vix expleverat annum vigesimum & quintum „& tamen ejus Datarius fuisse dicitur, tum a „Luca Wadingo ad annum 1380. num. 1. & a„libi sæpius, tum in Elogio una cum translatio„ne Reliquiarum S. Monicæ impresso. Pluri„ma ab hoc Auctore conscripta fuerunt, quæ „nos Romæ reperimus, potissimum in præclara „Bibliotheca Ducis Altempsii, in pergameno, „charactere Italico exarata videlicet, *de rebus „antiquis memorabilibus Basilicæ S. Petri Romæ*, „*Dialogus Veritatis & Philalethæ*. Alter *de fe„licitate & miseria Palinuri & Choronis*, tum „*Disceptatio inter terram, solem & aurum*. Præ„terea *Vita & Officium B. Augustini*, *Officium „Conversionis S. Augustini. Vita & Officium S. „Monicæ. Vita & obitus ejusdem ex verbis S. „Augustini. Officium translationis ejusdem. Vi„ta & Officium B. Nicolai Tolentinatis. Vita B. „Petri Cœlestini. Vita B. Bernardini Senensis*. „In omnibus sub finem addebatur, *Romæ apud „S. Petrum*. Ultimorum duorum Sanctorum A„cta transscripsimus Romæ in bibliotheca Val„licellana Patrum Congregationis Oratorii, de „prioribus S. Petri Cœlestini scriptis *Romæ apud „S. Petrum* & *anno 1444. IV. nonas Majas* absolu„tis, egimus ad diem XIX. Maji præcedentem. „Quam autem hac die libris IV. distinctam p. „287. *S. Bernardini Vitam* proferimus, testatur „etiam se scripsisse *Romæ apud S. Petrum* & ab„solvisse Kalendis Junii M CCCC LIII. tribus „post canonizationem annis peractis, in qua ta„men suam scriptionem finit. At quæ præmi„serat miracula circiter centum, asserit electa „esse ex iis, quæ *diligenti judicium cura, testium„que fide & examinatione comperta, probata atque „conscripta fuerant*, & pauca admodum in prio„re scripto habentur. Cæterum dum n. 23. ex„tollit excellentiam in concionando, ait, quod „cum ipse *sæpius audiverit eum cum admiratio„ne, quodque in pronuntiationis gratia, adeo lar„ga naturæ manu donatus fuerit, ut nihil dignius „nihil præstantius dici possit*. Alibi se ipsi San„cto familiarem fuisse ostendit, & ita num. 36. „refert, quæ sibi ab eo dicta fuerant. Alia ve„ro exponit a socio quodam ejus sibi relata, ut „sinceram ejus inscribendo fidem agnoscere „possimus. Nonnulla ex his *Annalibus Ordi„nis Minorum* inseruit Lucas Vadingus. Hæc „in Commentariis citatis Godefridus Henschenius. Agunt de Maphæo Vegio Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta Lib. 4. p. 273. Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri p. 561. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* p. 53. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 473. p. 270. cum aliis.

1450 ALPHONSUS DE SPINA, EPISCOPUS ORINOPOLITANUS, ex Judæo Christianus, doctus Minorita quidam, Salmanticæ Minorum studia & scholas rexit, atque tandem ad Episcopatum Orinopolitanum assumptus scripsit anno 1458. *Sermones de Excellentia nominis JESU* Librum doctum; quem fortalitium fidei suppresso suo nomine inscripsit. Joannes Mariana Lib. 22. de rebus Hispanicis cap. 46. vocat opus eruditum, Splendido titulo voce Barbara, & divinarum rerum cognitione præstans. In eo (inquit Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 473. verbo *Fortalitium fidei*, cui authoris nomen ignotum erat) agitur de armandis fidelibus ac de sex armorum Spiritualium generibus, quin & quibus armis muniendi sint veri concionatores: ubi plura de bello contra Hæreticos, Saracenos Judæos & eorum ac Dæmonum armis adversum nos. Impressus est Lugduni anno 1511. studio Guilielmi Totani Ordinis Prædicatorum, in Sacra Pagina Professoris. Quisquis author hujus *Fortalitii* fidei asserit Lib. 2. hæresi quinta, se scripsisse Librum illum Vallisoleti in Hispania anno 1458. quem alii Guillelmo Totano, qui duntaxat emaculator fuit, alii Thomæ Patriarchæ Barbariensi tribuunt, affirmantes Alphonsum Spinam sibi illud per summam Impudentiam vindicasse, qua de re nihil definio. De illo pluribus agit Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 14. Philippus Labbeus in *Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1458.

1450 NICOLAUS DE ORBELLIS sive *Nicolaus Orbellus*, natione Gallus, patria Andegavensis, Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Turonensis, claruit tempore Callisti III. Romani Pontificis circa annum 1456. Vir in Sacris Litteris eruditissimus, & in Philosophia Scholastica nulli secundus, qui in Gymnasio Pictaviensi, tum in disputando, tum docendo & scribendo magnam eruditionis suæ laudem assecutus est. Multa scripsit, nempe *de scientia Mathematica Librum unum*, impressum Bononiæ anno 1483. *In Libros Physicorum* Aristotelis Lib. 8. De cælo & mundo Lib. 2. De generatione & corruptione Libros 2. In Libros Meteororum Libros 3. In Libros Metaphysices Lib. 12. In Libros Ethicorum Lib. 10. Ejus Liber *de Scientia Mathematica* & *Commentarii in Ethica Aristotelis* cum aliis intermediis libris Basileæ anno 1503. excusi sunt. Idem scripsit *Commentarios seu Compendium in IV. libros Sententiarum*, qui prodierunt Parisiis anno 1511. apud Joannem Parvum in 4to & Hagenoæ in Alsatia anno 1503. in 4to apud Henricum Gran. *Sermones in omnes Epistolas Quadragesimales*, impressos Lugdini anno 1491. *Commentarium in libros Aristotelis de Anima*, Basileæ anno 1542. *Logicam seu Commentarium in* aliquot

aliquot ejus Libros, Venetiis anno 1516. Super formula Petri Hispani Libros VII. Venetiis anno 1516. in 4to. Denique *Expositionem Logicæ secundum Scoti subtilis doctrinam*, editam Parmæ 1482. Hæc nos ex Luca Wadingo in *Bibliotheca Ordinis Minorum* p. 268. de quo etiam Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* p. 153. Ludovicus Bosius *de Signis Ecclesiæ* Lib. 6. cap. 4. post alios.

1450 JOANNES BUSCHIUS, Batavice van Boisch, Gallice du Bois, Canonicus Regularis in Cœnobio Windesimensi prope Swollam, Transisalanæ oppidum provinciæ, floruit post annum 1450. vel circiter, dum scripsit opusculum *de Origine & Processu Cœnobii & Capituli seu Congregationis Windesemensis*. Illud Opus inscriptum *de viris illustribus Cœnobii Windesemensis*, ubi describuntur vitæ eorum, quos ipse plerosque aut vidit aut novit, Manuscriptum habetur Lovanii ad sanctum Martinum; & in MSS. Codicibus Bibliothecæ Ultrajectinæ num. 259. e. ut habet Catalogus impressus hujus Bibliothecæ anno 1670. Ultrajecti in folio, parte 1. pag. 98. in Manuscriptis Codicibus. Anonymum opus est, inscriptum *Regularium Canonicorum Viri illustris & de origine Collegii in Windesem & monasterii Viridis Vallis*. At illud editum reperitur Antwerpiæ anno 1621. in 8. apud Bellevos cura & studio Heriberti Rhosweidi, Ultrajectini, Theologi doctissimi Societatis Jesu. Nullus, qui vitam & officia Johannis Buschii singularius describat, Godefrido Guilielmo Leibnitio in Introductione ad Tomum 2. Collectionis *de Scriptoribus Historiam Brunsvicensem illustrantibus* num. XXXIX. & XLIX. p. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. qui omnium instar esse potest, ipsum p. 41. audiamus.

,, Porro *Johannes Buschius* cujus Liber hic
,,prodit, tunc floruit cum institutum Reforma-
,,tionis vigeret. *Zwollas* vocat civitatem suam,
,,ubi anno M CCCC natus, qui ad supremum
,,locum studii, particularis, id est in primam
,,Scholæ patriæ Classem anno ætatis XV. pro-
,,motus, magnam de se spem excitavit. An-
,,no 18. in *Grammatica* & *Philosophia* ita profe-
,,cerat, ut a Magistris suis vix aliquid amplius
,,discere posset. Ibidem ipse Scholæ aliquan-
,,diu præfuit quinto loco, & ad *octoginta* Scho-
,,lares habuit. Itaque Parentes eum ad stu-
,,dium generale Erfordiense mittere cogita-
,,bant; ut ad gradum Doctoratus suo tempore
,,ascendens, familiæ decori & emolumento es-
,,set. Sed ipse sibi sæpe ob oculos ponens æ-
,,ternitatem, secularia relinquere decrevit, æ-
,,gerrime annuentibus suis. Itaque ad *Winde-*
,,*semensem conventum* accessit, qui in Novitiatu
,,multas non carnis tantum, sed & incredulita-
,,tis tentationes sensit, ut sæpe de divinitate
,,Christi dubitaret, quas particulatim cum sim-
,,plicitate quadam, *initio hujus Libelli* exponit.
,,Sed impedimentis omnibus divino auxilio su-
,,peratis, investitus est in *Windesem* an. Domini
1419. Coloniæ Presbyter ordinatus, aliquan-,,
diu egit in *Monasterio Bodingensi* Coloniensis,,
diœcesis in Ducatu Montensi, de cujus & fun-,,
datione agit, eo missus an. Domini 1424. Ad-,,
hibitus deinde est Reformationi Monasterio-,,
rum. Agit de Reformatione Monasterii S. Mar-,,
tini in Ludinkerca in Frisia, Trajectensis diœ-,,
cesis, quod cœptum est reformari anno Domi-,,
ni 1428. Ipse eo venit anno Domini 1429. sed,,
mox inde cum *Godefrido de Tiola* missus est ad,,
Monasterium B. Mariæ in Sion partium Hollan-
diæ in *Bewervicb* Trajectensis diœcesis, eodem,,
anno 1429. inchoatum. Cum vero Godefri-,,
dus ille ao. Domini 1437. in Monasterio Beatæ,,
Mariæ in Wittenborch territorii Brunswi-,,
censis, diœcesis Hildesiensis, Prior factus fuis-,,
set, Johannem Buschium ad *Superioris* officium,,
vocavit. Ambo deinde ao. Domini 1439. jus-,,
su Congregationis Windesemensis ad refor-,,
mandum *Monasterium S. Bartholomæi in Sulta*,,,
prope Hildesiam situm, accesserunt: & anno,,
1440. Præposito ibi resignante, Johannes no-,,
ster ei Surrogatus; atque ita *Monasterium*,,
Wittenbergense primum fuit in Saxonia, quod,,
hanc Reformationem admisit, & ad alia ibi,,
propagavit. *Idem pag. 42.* Ipse igitur *Johan-*,,
nes Busch factus in hoc Monasterio Præposi-,,
tus, post multos labores ibi reformationem,,
paulatim introduxit. Postea Monasterium in,,
Sulta *Congregationi in Windesem* incorporatum,,
est, ut pag. 496. certis conditionibus dictum,,
Tandem Buschius a *Friderico ex Comitibus de*,,
Bichelingen Archiepiscopo Magdeburgensi,,
anno 1448. vocatus est ad majorum ordinis,,
Prælaturam, nempe ad Monasterium B. Ma-,,
riæ & Sancti Alexandri, dictum *novum opus*,,,
prope Hallas reformandum & regendum.,,
Mox etiam Monasterium S. Mauritii Hallis re-,,
formavit, & Monasterium in *Ettersberg*, in,,
Thuringia prope Vinariam fundatum olim a,,
Comitibus de Gleichen, & Monasteria aliquot,,
Erfordensia, tam sui Ordinis, quam aliorum.,,
Successit in Prioratum Sultensem *Arnoldus de*,,
Gandersem, quo post duos annos cum dimidio,,
moriente, substitutus est *Bertoldus Segemeier*:,,
& hoc post octo annos cum dimidio resignan-,,
te, *Johannes Buschius*, qui interim ex *novo ope-*,,
re Hallensi discesserat, iterum electus est,,
Prior Sultensis anno Domini 1459. Medio,,
tempore, & postea aliquamdiu, auctoritate,,
Pontificia ex commissione *Nicolai Cardinalis*,,
Cusani, in eadem Reformatione Monasterio-,,
rum perrexit. Cum deposita novi operis,,
Præpositura, circa annum Domini 1456. in,,
Conventum Windesemensem reversus, per trien-,,
nium circiter nonnihil otii haberet, ait Lib. 1.,,
cap. 14. p. 504. se scripsisse *de Viris illustribus*,,
sui Ordinis. Is est Liber *Johannis Buschii de*,,
origine Congregationis Windesemensis, ejusque,,
viris illustribus, quem anno 1621. Antwerpiæ,,
in 8. edidit Heribertus Rosweidus, Soc. Jesu,,
vir doctus, primus *de Actis SS.* colligendis,,
,,auctor

„auctor. Applaudens sibi autem de *Præpositu-* „*ræ suæ resignatione* Buschius inquit: *Et ego* „*mille florenos modo non acciperem, quod illud fa-* „*ctum non fuisset: quia Dominus in Windesem* „*meæ remisit ad scribendum* de viris illustribus „librum, *qui alias scriptus non fuisset: & ad* „*plura alia, per me postmodum pro honore suo &* „*animarum salute perficienda.* Longe porro majus opus edidit, in quo omnia munera, quibus in Ordine suo honoratus est noster *Buschius* describit, quod stylo quidem simplici compositum atque ex MSS. Codicibus Kiloniensi & Sultensi in quo Præpositus fuerat transcriptum, inseruit Tomo 2. *Scriptorum Brunswicensia illustrantium* Godefridus Guilielmus Leibnitius num. XXXIX. pag. 476, ad 506. & num. XLIX. p. 806. ad 972. apud Nicolaum Foërsterum Hanoveræ anno 1710. in fol. Inscribitur num. 39. p. 476. *Magistri Johannis Buschii Liber Reformationis Monasteriorum quorundam Saxoniæ.* „Incipit Liber Reformatio-„nis Monasteriorum Ordinum diversorum, „quem compilavit Venerabilis Pater Domi-„nus Johannes Buschk, quondam Prior in Sul-„ta, ac Præpositus novi operis prope Hall, ab-„breviatus tamen. At in Introductione ad Collectionem *de Scriptoribus Brunswicensia illustrantibus* num. 39. p. 40. inscribitur, *Johannis Busch, Ordinis Canonicorum Regularium St. Augustini, Præpositi in Sulta prope Hildesheim, & in novo opere prope Hallam Saxonum, de Reformatione Monasteriorum quorundam Saxoniæ Libri quatuor, ex MSS. Codicibus.* Per errorem p. 806. in inscriptione positum est, *Libri duo.* Agit stylo simplici, qui pietatem hominis summam, magis quam eruditionem refert, atque plurimum confert ad cognitionem Monasteriorum Congregationis Windesemensis amplam, quæ tunc pietate & observantia florebat: licet interdum superstitionem sub pietatis prætextu obtendat. Porro ut testatur Leibnitius in *Introductione* ad hunc Tomum p. 44. restitutum opus istud, quod in Codice MSS. Monasterii Hamerslebiensis contractum erat, opera & studio Sebastiani Kortholdi Professoris Kiloniensis & Zeppenfeldii Cœnobii Sultensis Præpositi, ex duobus MSS. Codicibus, uno bibliothecæ Kiloniensis Academiæ, altero Præpositiuræ Sultensis prope Hildeshemium, quam olim Buschius obtinuerat, ut supra diximus. Idem Buschius Lib. 3. *de Monasteriorum reformatione* cap. 54. p. 955. ex MSS. Codice Sultensi hæc „habet. *Anno Domini M CCCC LXXV. & an-* „*no Nativitatis meæ LXXVI.* in profesto Sancti „Laurentii Martyris hæc scripta complevi, qui „eodem die computavi me in religione proRe-„formatione Monasteriorum & Personarum „ambulasse aliquando per pedes, aliquando e-„quitando, & magis communiter per vecturam „curruum & carrucarum *per sex millia millia-* „*ria & per octoginta Millaria,* pro salute ani-„marum, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, suæ benedictæ genitricis Virginis Mariæ, „& totius cælestis exercitus, ut me in æterna, „sua recipiant tabernacula. Amen. Liber, „autem IV. post hunc annum 1475. scriptus ultimo loco fuit, non multo post: anno enim Domini 1479. renuntiasse muneri & mox obiisse, Codici autographo, manu licet recentiori, adscriptum reperitur. Hujus Scriptoris mentionem faciunt Antonius Possevinus Tomo Imo. *Apparatus Sacri* pag. 119. verbo *Arnoldus de Busco, Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini.* Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis*, verbo *Joannes de Busco* seu *Buschius* p. 405. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 487. pag. mihi 273. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 473. editionis 1643. Lovanii in 4to Philippus Alegambus in *Bibliotheca Societatis Jesu*, verbo *Heribertus Rosweidus* pag. 179. editionis anni 1643. in folio.

ÆGIDIUS CARLERIUS CAMERACENSIS ECCLESIÆ DECANUS, Cameraco oriundus, in Regio Navarræ Collegio, cujus illustris socius fuit, ad famam docendo pervenit. Hinc magna cum laude Sententias Magistri legit atque Commentariis illustravit, quibus anno Christi 1414. finem imposuit, quinto Calendas Julii. His autem Joannes Brehaldus Parisiensis Theologus æqualis præclarum dedit judicii sui testimonium, in libro quem *de libera Confessione audiendi authoritate* composuit cap. 4. inquiens: *Ægidius Carlerii in Lectura super Sententias, quæ nunc satis vulgata est, & commendata Parisiis, in loco frequentissime allegato dicit &c.* Exinde Magisterium adeptus, varias de rebus piis ad populum Conciones habuit, donec tandem anno 1431. quinto Idus Octobris, Cameracensis Ecclesiæ Decanus creatus fuit. Ad eum extant plures Gerardi Macheti Castrensis Episcopi Litteræ, in quibus nunc *vir multis laudibus efferendus*, nunc *abundantis sapientiæ & exemplaris virtutis vir, Sacræ Theologiæ Professor*, nunc *profundæ Sapientiæ & Canonicæ virtutis vir, sacratissimorum eloquiorum Professor clarissimus* vocatur. Johannes Cochleus in Lib. 6. *de Historia Hussitarum*, Carlerium *insignem Theologum* appellat. Carlerius in munere Decani strenue & laudabiliter se gessit, & multa pro Ecclesiæ utilitatibus fecit. Hinc cum Concilio Basileensi adesset, suscepta legatione Pragam perrexit, ut Hussi discipulos ad Communionem Ecclesiæ revocaret, vel saltem ad Consilium alliceret. Inde in eodem Concilio ad secundum illorum Articulum per totos quatuor dies respondit. Sed vir Ecclesiasticæ paci, amantissimus paratam in Concilio secessionem cum vidit, redeundum esse sibi suam in Ecclesiam putavit, ubi & multa scripsit adversus Hæreticos, & propositas identidem cum ab Episcopis, tum ab aliis illustribus viris quæstiones feliciter diluit ac solvit. Jam centesimus 1450

mus quadragesimus & ultra annus est, postquam Jacobus Almainus Parisiensis Theologus, laudavit Carlerii Tractatum quem *contra Bohemos* ediderat, de quo sic in libro *de potestate Ecclesiastica* cap. 8. propositione 3. *Tenet*, inquit, *Carlerius, quondam Collegii Navarræ socius meritissimus, in quodam Tractatu, quem contra Bohemos edidit, quæ Ecclesiasticæ personæ sunt ex jure divino exemptæ.* Quoad Scripta Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, scribit Bruxellis se vidisse Volumina duo, quibus Ægidii Carlerii Consultationes comprehenderentur, eaque edita esse anno 1478. in folio. Sed in duobus istis voluminibus pauciora sunt opuscula, quam in eo uno, quod legitur, & in Bibliotheca Navarrici Gymnasii habetur. In iis tamen quædam notantur, quæ in Navarrico Codice non comparent. Intereà præstat describere quæ Valerius Andreas ea de re tradit, inquiens: *Scripsit diversas casuum, ut vocant Consultationes, duobus voluminibus comprehensos: prior quidem titulum dedit* Sportæ fragmentorum, *posterius* Sportulam fragmentorum *inscripsit. Vidi Opus utrumque Bruxellis editum anno 1478. in folio. Atque in* Sporta *quidem hæc continentur de multis.*

De Conservatione bonorum Ecclesiæ.

Defensorium Ecclesiæ.

De perpetua Virginitate Beatæ Mariæ.

Contra Iconomachos.

Pro Cælibatu, præsertim Ecclesiasticorum.

In spectaculam vero retulit Tractatus sequentes.

De electione Judæ proditoris.

De Hierarchia Ecclesiastica.

De Reditibus ad Vitam.

De Decimis.

De Imaginibus.

De integritate Confessionis.

De non esu Carnium apud Carthusianos.

Contra consummati seculi calculatores.

De clausura Religiosarum Ordinis sancti Dominici.

Inter ea etiam multa, quæ elucubravit, & pauca, quæ publici juris facta sunt, extat *Oratio de punitione peccatorum publicorum* ad Articulum secundum Bohemorum, quem proposuit per biduum Nicolaus Taborita, cur ille per dies quatuor in Concilio Basileensi respondit, quæ impressa extat apud Henricum Canisium tomo 3. *Antiquæ Lectionis* p. 289. & apud Bzovium in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1433. p. 193. seu num. Conciliorum tomo XII. pag. seu col. 2159. ad pag. 1248.

Quantum autem ad opera Manuscripta Ægidii Carlerii, *Vide*, inquit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, *ab eodem Carlerio scriptam Veritatis sentum Lovanii in Valle Martiniana, Canonicorum Regularium Cœnobio.* Agit de hoc opere non quidem Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 1. p. 11. verbo *Ægidius Carlerius*: Sed Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, capite 464. folio 268.

Ejusdem Commentarii in quatuor libros Sententiarum, MSS. duobus Voluminibus in Bibliotheca Collegii Navarrici. Sermones & Collationes MSS. in folio in eadem Bibliotheca, quæ recensentur sigillatim a Joanne Launojo in *Historia Regii Navarræ Gymnasii* parte 3. Lib. 2. cap. 4. p. 584. ob prolixitatem a nobis omissæ. At in eodem Regii Navarræ Collegii Bibliotheca, aliud MS. volumen papyraceum, in quo sequentia Opuscula Carlerii continentur. Cum autem aliqua illorum Bruxellis in folio anno 1478. jam impressa sint in *Sporta & Sportella fragmentorum*: Syllabus sequens *non impressa* charactere Italico, impressa jam *altero* ad majorem distinctionem repræsentabit.

In Manuscripto Codice papyraceo Bibliothecæ Collegii Navarrici leguntur sequentia Opuscula Ægidii Carlerii.

De conservatione bonorum Ecclesiæ Dei, ex occasione quorumdam illa detinentium.

Defensorium Ecclesiæ pro eadem Causa.

Tractatus de communione non consecrantium sub unica Specie scilicet panis, ad instantiam Magistri Jacobi de Hatten & Theobaldi de Campis Regentium in facultate Artium Parisiensi.

Tractatus contra certas propositiones & additiones malè sonantes, in materia authoritatis Ecclesiæ, Jurisdictionis & Clavium, ad instantiam Reverendi Domini Archiepiscopi Bisuntinensis.

Tractatus de Reditibus ad vitam, ad instantiam Prioris Carthusiæ de Capella de Augia super emtione ad vitam.

Tractatus super diversis erroribus in materia de Sanctitate Beatæ Virginis.

De visione Christi in Eucharistia.

De Indulgentiis ad instantiam Vicariorum Cameracensis Episcopi.

Tractatus ad requestam Reverendi in Christo Patris Dominici Cameracensis Episcopi, contra quendam adversus Prælatos, Rectores, & Sacerdotes Dei blasphemias in fide male sonantes in quadam appellatione proferentem.

Tractatus contra Iconomachos, ad instantiam aliquorum fidelium, contra quendam invocatorem, super imagines ab eo consecratas in Civitate Tornacensi, hoc quoque postulante ejusdem civitatis officiali.

Articuli per quendam delirantem asserti contra Sacramentum Eucharistiæ, & alia multa, quorum Articulorum censura & reprobatio.

Tractatus contra fictores adventus malorum Spirituum, ad instantiam Dominorum Decani & Capituli, Laudunensis Ecclesiæ.

Resolutio Quæstionis, utrum fœmina rem cum homine sibi per Sortilegia procurans, sit suspecta in fide, an in Sortilegio? Ad instantiam aliquorum fidelium, præsertim Dominorum Vicariorum Domini Cameracensis Episcopi.

Tractatus contra quendam, qui per figmenta prohibita

probibita speravit reperire thesauros absconditos, ad instantiam eorundem.

Interrogationes faciendæ Dæmonibus aut Spiritibus humanis apparentibus.

Articuli impositi cuidam Fratri Minori, per Dominos Vicarios Tornacenses, quos prædicasse Gandavi fertur anno MCCCCXLVIII. *& confutatio eorum.*

Tractatus contra quendam Fratrem de Ordine Minorum, qui cum prædicare deberet Gandavi, omissa forma prædicandi dixit, quod sic se res habuit, quod veritas dici non poterat, & hoc probavit per fabulas de Leone, de Lupo, & de Vulpe, & de tribus citatis, & in his dictis finem imposuit, ad instantiam Dominorum Vicariorum Tornacensis Episcopi.

Tractatus contra detrectatores Sancti Mannæ in Ecclesia Atrebatensi existentis, ad instantiam Decani & Capituli Atrebatensis.

Tractatus de Minutis Decimis, ad instantiam Decani & Capituli Antwerpiensis.

Epistola super non Esu Carnium a Carthusiensibus, directa Domino Joanni Kimmer, Novitio in eodem Ordine, apud Herinnes prope Augiam.

Tractatus pro Cœlibatu præsertim Ecclesiasticorum.

Tractatus pro clausula certæ Religionis Canonicorum Regularium.

Tractatus de pluralitate Baptismorum, ad instantiam aliquorum Civium Cameracensium.

Tractatus pro Matrimonio inter virum solarium & quandam viduam, quam tamen memoratus solutus, vivente viro illius, licet agente in remotis, per adulterium polluerat.

Tractatus pro justificatione Captionis duarum sororum Hospitalis Sanctæ Genovetæ Laudunensis, ad instantiam Decani & Pincernæ Laudunensis Ecclesiæ.

Decisio quæstionis, utrum Diaconus audiens in Confessione Presbyterum, qui tenebatur illo die celebrare, nec habebat copiam Sacerdotis, & faciebat sibi conscientiam de peccato Mortali: sit hæreticus & pro tali censendus?

Responsio ad certas Quæstiones, factas per Dominum Abbatem Aquiscinetensem.

Consultatio super certo contractu Emptionis Reditus Vitalis, a quodam Monasterio.

Consultatio in quadam Caussa Beneficiali. Hæc in dicto Codice Bibliothecæ Collegii Parisiensis Navarrici.

Cæterum Ægidius Carlerius ad extremam senectutem vixit, non solum Cameracensis Ecclesiæ Decanus, sed Theologorum etiam Parisiensium, qui tandem obiit anno Domini 1472. die 23. Novembris, pluribus in Ecclesia sua relictis viri pii monumentis. Agunt de illo & scriptis ejus Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tom. I. pag. 11. & Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 464. pag. 268. Amplius Valerius Andreas in sua *Bibliotheca Belgica* verbo *Ægidius Carlerius.* Cæsar Egassius Bullæus, Seculo VII. Historiæ Universitatis Parisiensis, in Syllabo Academicorum illustrium. Sed plenissime, a quo hoc compendium accepimus, Joannes Launojus in *Historia Regii Navarræ Gymnasii*, part. 3. Lib. 2. cap. 4. pag. 580. & sequentibus, quam habes impressam in 4. Parisiis anno 1677. apud Viduam Edmundi Martini. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guilielmi Cavi ad annum 1433. pag. 108.

JOANNES CHARTIER, MONACHUS S. DIONYSII IN FRANCIA, natione Gallus, ex nobili familia oriundus, junior Monasticum S. Benedicti institutum in Abbatia Sancti Dionysii prope Lutetiam Parisiorum amplexus est. Claruit anno 1450 1460. & sequentibus, habuitque fratrem Guillelmum Chartier, qui ob merita anno 1448. Episcopus Parisiensis factus est. Historiæ conscribendæ mentem & manum applicuit Joannes Chartier, cujus opus habemus 3. voll. in folio, olim impressum, sine nomine & anno impressionis, ut primis typographiæ nascentis temporibus fieri consueverat. Inscriptum sub hoc titulo *Les grandes Chroniques de France*, vulgo appellatæ *Chroniques de Sainct Denis, redigées en François depuis Pharamon jusquan decez de Charles VII. Roy de France par Jean Chartier Moine de l'Abbaye de S. Denis, & depuis additionnées jusquan trespas de Louys XII.* Hoc opus habet adhuc titulum *Mare Chronicorum & Historiarum Franciæ, Mer des Chroniques & Histoires de France.* Interea contendunt Eruditi nec immerito, Joannem Charterium non esse unicum, qui huic operi elucubrando incubuerit: sed esse collectionem, quam diversi Monachi Abbatiæ S. Dionysii compilaverint, atque Joannes in unum idemque continuum Historiæ adoptavit. Ex hoc *Collectaneo* seu *Mari Historiarum* est Historia Regis Caroli VII. quam anno 1661. Gallice dedit in folio Dionysius Godefroy sub hoc titulo: *Histoire du Roy Charles VII. par Jean Chartier Souschantre de S. Denis, Jacques le Bouvier dit Berri Roy d'Armes, Matthieu de Concy & autres Auteurs du temps, enrichie de litres & auteurs pieces historiques par Denis Godefroy.* De l'impression Royale 1661. in folio. Scriptorem hunc Christophorus Sandius his verbis depingit in Notis ad Guillelmum Gallum Monachum S-Dionysii, de quo Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 57. pag. 466. editionis ultimæ. Ita igitur Christophorus Sandius pag. 163. "*Etiam Joannes Quadrigarius Monachus & Cantor exnobii S. Dionysii in*,, *Francia, sive Parisiensis, Guillelmi Quadrigarii Episcopi Parisiensis vel frater vel patruelis*,, *Caroli VII. Regis, qui anno 1461. obiit Historiographus, scripsisse traditur* Magna Chronica,, Franciæ, *tribus voluminibus, quæ vulgo dicuntur* Magna Dionysiana, *seu* Magna Franciæ,, Chronica, *vel etiam* Magna Chronica S. Dionysii in Francia. *Vivebat sub Philippo de Ga-*,, *maches,*

1450

„*maches, Abbate Sancti Dionysii in Francia, qui* „*anno 1463 obiit Idem Volumine tertio, Rainal-* „*dum Borbonium mortuum anno 1483. die 7. Ju-* „*nii scribit.*„ Hæc Christophorus Sandius in *Notis & Animadversionibus* ad Gerardi Joannis Vossii Libros tres *De Historicis Latinis* pag. 163. editionis Amstelodamensis anni 1677. in 16. quem describere non puduit. Duplex hujus Operis editio facta fuisse videtur Parisiis, una absque anni designatione, cujus mentionem facit Cornelius a Beughem *De incunabulis Typographiæ*, ubi loquitur *De anonymis incertorum annorum*, pag. 186. cujus duo volumina in folio recenset, usque ad Regem Joannem. Altera, cujus meminit pag. 155. litera C. *Chroniques de France vulgairement dittes de Sainct Denis, in 3. voll. a Paris 1493. in fol.* Hæc Cornelius a Beughem Embricensis, *De incunabulis Typographiæ*, ex editione Amstelod. 1688. in 16.

1450 THOMAS DORNIBERG, natione Germanus, patria Suevus, ortu Memmingensis, Decretorum Doctor & Consulatus Spirensis Advocatus, claruit anno 1455. annoque 1479. superstes, quo Moguntiæ inquisitioni & condemnationi Joannis de Wesalia adfuisse legitur. Conscripsit *Areolam suavissimis salutiferisque Floribus gloriosi Confessoris B. Hieronymi* ex Operibus contextam, quæ Romæ anno 1472. in folio prodiit. Ipsi quoque attribuit Robertus Gerius Guillelmi Cavi gener, in Appendice ad Tomum 2. seu Partem secundam *Historiæ Literariæ*, in Seculo Synodali seu XV. ad annum 1455. *Compendium Theologicæ veritatis in septem Libellos distinctum*, quorum primus *De natura Divinitatis*, secundus *De operibus conditoris*, tertius *De corruptela peccati*, quartus *De humanitate Christi*, quintus *De Sanctificatione gratiarum*, sextus *De virtute Sacramentorum*, septimus *De ultimis temporibus & de pœnis malorum & præmiis Bonorum*, quod anno 1473. in lucem prodiisse dicitur. At si accurate legisset Robertus Gerius Soceri sui *Historiam Literariam*, vel in MSS. Latinis volvendis versatus leviter fuisset, reperisset hoc *Compendium Theologicæ veritatis*, quod in MSS. Codicibus chartaceis & membraneis sæpissime in Bibliothecis Latinis reperitur, esse ducentis annis vel citciter, antiquius Thoma Dornibergo. In MSS. Codicibus anonymum sæpius est, aliquando autem attributum Alberto Magno, aliquando Thomæ Aquinati, alias S. Bonaventuræ, alias Egidio Columnæ Bituricensi Archiepiscopo, alias Ulrico Argentoratensi. Illud autem Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* ad annum 1260. Alberto Magno attribuit, inter cujus opera recensetur. Item ad annum 1255. Sancto Thomæ Aquinati, inter cujus Opuscula recensetur, sicut & inter Opuscula Sancti Bonaventuræ. Denique attribuitur Udalrico seu Ulrico Argentinensi, a Guillelmo Cavo ad annum 1280. in Seculo Scholastico. Videant ergo socer & gener, ad quem pertineat.

FELIX MALLEOLUS sive HE[illegible]„ 1450
LIN patria lingua: Civis, Can[illegible]„ que Canonicus Tigurinus, ex antiqu[illegible]„ ra familia ortum duxit, jam enim a[illegible]„ *Ulricus Hemmerli* apud Tigurinum [illegible]„ plebis reperitur. Hic Christi ab an[illegible]„ claruit, Ecclesiastes multæ libertatis [illegible]„ tis, multis dignitatum titulis post[illegible]„ vir pro ratione ætatis illius satis [illegible]„ Magnatum gratia florens, apert[illegible]„ σιαςῆς, cujus laudes habet, qu[illegible]„ scribimus tantum, Joannes Henric[illegible]„ gerus, maximi vir nominis, Orat[illegible]„ *De origine Scholæ Tigurinæ a Carolo M*[illegible]„ mihi 21. his verbis: Hæc enim segnis illa [illegible]„ & torpescens ætas, quæ gravissimos de igno-„ rantia & desidia Collegii *Malleolo* nostro extor-„ sit querelas. Studia enim si intueamur inge-„ nua Malleoli confessio est, inde ab obitu Con-„ radi de Mure (obiit autem anno Christi 1281.„ 3. Kal. Aprilis) ad annum usque 1452. annorum„ 171. spatio, *ne unum quidem ex toto Clero Ecclesiæ Tigurinæ, quicquam esse meditatum, quod*„ *vel memoria esset dignum.* Quam querelam„ non semel magno cum animi dolore diligen-„ tissimus authot inculcat. In officii superstiti-„ osi, & præsenti fere pecunia conducti functi-„ one, tremulæ ubique manus, oculi somno„ correpti, animi si non prophani, tepidi sal-„ tem, & qui externis tantum commodis sua„ metiebantur omnia, turpissime se prodebant.„ In quam iterum negligentiam acerbissime, ut„ merebatur, invectus est, idem Decretorum„ Doctor, vir & plurimæ lectionis, & magnæ„ apud exteros etiam Principes authoritatis *Felix Malleolus*, tum alibi, tum præsertim in„ *Passionali*, quo toto pene tractatu asserit,„ *Canonicos sui temporis ineptos plerosque fuisse &*„ *officii immemores, in gloria ventris mancipia.*„ Et quanquam non negamus, ingenio paulo„ excitatiori & vehementiori aliquid forte exci-„ disse, quod affectus dictarint turbati, ambi-„ gendum tamen non est, quin justissimæ que-„ relæ causas habuerit sufficientes, & eas qui-„ dem, quæ Clerum in contemptum induxe-„ rint abjectissimum. Unde idem, quem mo-„ do citavimus, Libro *De Libertate Ecclesiastica*,„ inquit, *factos esse Sacerdotes & Clericos contem-*„ *ptibiles, præsertim dum literatura, vita & mo-*„ *ribus essent vacillantes.* Hæc ubique, de Se-„ culi sui moribus & inscitia, obvia est quetela.„ At latius idem Hottingerus in *Bibliotheca Tigurina* litera *Malleolus Felix* pag 146. 147. 148. & 149. seqq.

Extat Operum quorundam ejus editorum,„ Catalogus in *Bibliotheca Gesneriana*, sed mul-„ to perfectior est, qui in antiquo pergameno,„ ipsa nisi vehementer fallor, Malleoli manu,„ exaratus ita habet: *At ego Felix Hemmerli*„ *Præpositus Solodurensis & Cantor Thuricensis,*„ *Ecclesiarum, Decretorum de Matris alma studio,*„ *gremio Bononiensis Doctor minimus: & indigni-*„ *tatie*

,,*tatis officio Successor licet inutilissimus, Excellen-*
,,*tis multumque venerabilis, & periti viri, Ma-*
,,*gistri Conradi de Mure, primi hujus Thuricensis*
,,*Ecclesiæ Cantoris, qui floruit tempore Generosi*
,,*Comitis Rodolfi de Habspurg in Regem Romano-*
,,*rum, de anno Domini 1263. ultima Septembris*
,,*concorditer electi. Et licet ego Felix non sim di-*
,,*gnus, ut solvam corrigiam calceamentorum præ-*
,,*dicti Domini Cantoris, qui obiit anno 1281. 3.*
,,*Kalendas Aprilis, sepultus in Capella Beatissimæ*
,,*Virginis sita juxta ambitum jam dictæ Ecclesiæ*
,,*Thuricensis, & inibi lapide suorum eleganter e-*
,,*levato ad Altaris sinistram majoris, Qui tot*
,,*prout hic in principio & fine præsentis Codicis*
,,*compendio patet, gloriosa complevit librorum vo-*
,,*lumina, per me quandoque solerter ruminata.*
,,*Sed quod post ipsum primum Cantorem non expe-*
,,*rior in nostro Collegio fuisse Prælatum, Canoni-*
,,*cum & Clericum, qui confecerit librorum aliquod*
,,*Opusculum, denominatione famatum, nisi quan-*
,,*tum tantillus ego exeoxi: sed non quasi argen-*
,,*tum electum, de camino paupertatis Jes. 41. per*
,,*Augustissimorum quoque Principum Divorum Si-*
,,*gismundi I. & Friderici III. Romanorum Regum*
,,*& Imperatorum tempora, exiliter exiguaque*
,,*dictavi, quædam Collationum condimenta, infe-*
,,*rius specialiter, ea intentionis motione, qua ipse*
,,*Dominus Cantor primus movebatur, & nomi-*
,,*natim designata, ad omnipotentis Dei, Sancto-*
,,*rumque nostrorum Felicis & Regulæ, totiusque*
,,*curiæ cœlestis laudem, gloriam & honorem. Flu-*
,,*xerunt autem 179. ab Electionis tempore prædicti*
,,*Rudolfi, qui fuit Pater & propago illustrissimæ*
,,*domus modernæ Ducum Austriæ, usque ad jam*
,,*dicti Friderici ejusdem domus alumni coronatio-*
,,*nem Romæ per Nicolaum Papam V. de Anno Do-*
,,*mini 1452. Dominica, in medio Quadragesimæ*
,,*celebratum gloriosissime, suaque sibi pro tunc uxo-*
,,*re matrimonialiter per eundem solemnissime con-*
,,*juncta, quæ fuit Regis Portugalliæ filia, corpore*
,,*speciosissima. Et ego pro tunc Felix fueram Ca-*
,,*nonicus Thuricensis 40. Præpositus Solodurensis*
,,*31. & Doctor 26. Cantor Thuricensis 24. anno-*
,,*rum, & ætatis 63. permissione miserationis divi-*
,,*næ, competenter compos mentis, nec non corpo-*
,,*re constitutus. Est autem principaliter de meis*
,,*libris unus de nobilitate, ad Gloriosissimum Prin-*
,,*cipem Albertum, Ducem Austriæ. per 34. Capi-*
,,*tula copiose distinctus.* 2. *Item* Processus ju-
,,diciarius coram omnipotenti Deo habitus in-
,,ter Nobiles & Suitenses rusticos, vivos & de-
,,functos, ad modernum Fridericum III. 3.
,,Largum utriusque juris repertorium. 4.
,,Contra validos mendicantes, videlicet Be-
,,ghardos &c. collectio compendiosa. 5. Re-
,,capitulatio contra eosdem. 6. Contra Ana-
,,choritas, id est Begardos Sylvestres. 7.
,,Glossa cujusdam bullæ per eosdem impetra-
,,tæ. 8. Epistola de cœlis missa, contra ne-
,,gligentes cultum divinum & juratum. 9.
,,Tractatulus contra iniquos judices, Prælato
,,meo causam inculcante. 10. Inique sup-

pressorum consolatio. 11. De novis officiis,,
& beneficiis, & diebus Festivis non instituen-,,
dis Collatio. 12. De negotio Monachorum,,
ad requisitionem D. Abbatis de Mulbrun, tra-,,
ctatulus compilatus. 13. Doctoratus in stul-,,
titia. 14. Tractatulus qui vulgariter Eysel di-,,
cuntur, & Latine obstagium. 15 De Exor-,,
cismis & adjurationibus. 16. De auræ &,,
tempestatum benedictionibus. 17. De Assi-,,
sinis, in mortem Principis tendentibus & ma-,,
chinantibus. 18. De furto miraculoso, de re-,,
liquiis in loco Heremitarum beatissimæ Virgi-,,
nis perpetrato. 19. De arbore torculari in,,
die festo de loco ad locum transferendo. 20.,,
De anno jubilæo & indulgentiis ejus. 21.,,
Recapitulatio super illo. 22. De oblatis &,,
solutis pecuniis, pro præbenda & beneficio in,,
Ecclesiis & Monasteriis obtinendo. 23. De,,
balneis naturalibus hic & alibi constitutis.,,
24. De libertate Ecclesiastica, ad requisitio-,,
nem Domini Vicarii Constantiensis, tracta-,,
tus largiter compositus. 25. Appellatio ge-,,
neralis contra Cardinales beneficia in Germa-,,
nia petentes. 26. De aeris distemperatione,,
propter quorundam hominum cadavera non,,
rite sepulta, proveniente. 27. De plebanis,,
& religiosis mendicantibus, in Prædicationis,,
opera & Confessione discrepantibus. 28.,,
Contra quendam superbum Clericum Episto-,,
la curialis. *Hæc ex propria manu Felicis Malle-*,,
oli in Catalogo. *Extant præterea ejusdem Passi-*,,
onale de matrimonio seu Sponsalibus. Passiona-,,
le Virginum nubilium nondum nuptarum cum,,
mundo degentium. Tractatus de misericordia,,
captivis & defunctis impendenda. De Religiosis,,
proprietariis. Lamentatio duorum Sacerdotum,,
captivorum. Registrum querelæ De emptione,,
& venditione unius pro viginti, quos posterio-,,
res in captivitate composuit: pleraque *ἀνέκ-*,,
δοτα, & inter monumenta mea Helvetica as-,,
servata. Multa sæpe eximia habet, quæ ex,,
inficeti illius Seculi sordibus eruta, rem lite-,,
rariam non uno modo juvant. Inter Cano-,,
nistas non obscuri nominis author est, nomen,,
tamen ejus frequentius, quam libros eruditi,,
citare solent. Caspar Hedion in Appendice,,
Chronicorum Abbatis Urspergensis, citat li-,,
brum *De nobilitate* ad Albertum Ducem Au-,,
striæ, *De balneis naturalibus* Beatus Rhena-,,
nus, & Gesnerus *De thermis*. Priorem ego,,
nunquam vidi, nec etsi serio inquisiverim,,
investigare potui; habeo tamen fragmenta,,
quædam & excerpta ex illo. Cl. Andreas Ri-,,
vet *Catholicæ Orthodoxiæ* Tract. 3. pag. 20. pag.,,
179. Tractat 1. de Exorcismis citat, lepidam-,,
que castrationis porcorum narrationem ex eo,,
subjicit. *Bonus vester exorcista, Felix Malleo-*,,
lus nos docet, quod illi, qui equos aut asinos aut,,
porcos castrant, id est, testiculos enervant, in,,
nomine Domini invocant S. Antonium, ut suo,,
præsidio præstet Sanctus, animalibus sanitatis,,
auxilium. Item sæpe videtur compertum, quod,,
illi,

„*illi, qui offendunt porcos S. Antonii donatione* „*fideliter applicatos, fore punitos. Item vide*-„*mus, ejusmodi porcos campanella signatos, in* „*domus priores nunquam revertentes.* Plura de „hoc Malleolo, forte non ingrata, comme-„morari a nobis possent: sed quia indicem tan-„tum Librorum scribimus, non vero Histori-„am, brevitatis habenda est ratio. Illud sibi „tribuit, quod inter Clericos singulares Con-„stantiensis Diœceseos, bibliothecam tum in-„structissimam habuerit, ita enim in Passionali „suo.

„*Sciat pietatis tuæ curialitas, quod inter Cleri*-„*cos singulares Diœceseos Constantiensis pro nunc* „*non est copiosior libris, licet fortassis aliquis ha*-„*beat volumina pretii carioris. Nam mihi sunt* „*præter prædictos* (tum suos, tum Conradi de „Mure) *Libellos, ultra 500. Libri, libelli, tra*-„*ctatuli, vel volumina notabiliter registrata, &* „*in Studorio meo regulariter tabulata. Et super* „*hoc ad copiosum numerum, hinc inde ab Ecclesiis* „*& monasteriis antiquissimi libri liberaliter accom*-„*modati, & omnes isti super ingenii modulum, de* „*diversis scientiarum & Artium & Disciplinarum* „*facultatibus abundanter referti.* Tandem hic „Felix Malleolus ab Episcopo Constantiensi in „carcerem compactus fuit, de qua captivitate „(quæ initium sumpsit anno Christi 1454. men-„se Februario, die Mercurii) ejusque causis pro-„lixe Malleolus agit in *Registro querelæ*, quæ a-„lia occasione curioso lectori non invidebimus. Hæc Johannes Heinricus Hottingerus, ex quibus constat, elucubrationes plerasque Felicis Malleoli extare MSS. in Bibliotheca Tigurina, quippe quas Hottingerus evolverit.

Alter, prioris filius, Johannes Jacobus Hottingerus, hoc anno 1703. misit ad me interventu amici cujusdam mei, Catalogum MSS. Codicum Bibliothecarum Tigurinarum ambarum, Civicæ atque Carolinæ, seu Civium & Canonicorum, quem ab ipso postulaveram. Porro inter MSS. Codices Chartaceos Carolinæ Bibliothecæ Codice 29. extant *Nidhardi varia & Felicis Hemerlin Opuscula varia* MSS. ex quibus dubio procul edita olim illa sunt, cum nullibi locorum inveniantur. Ibidem Codice 35. n. 1. extant *Felicis Hemerlin variæ oblectationis Opuscula & Tractatus*, impressi anno 1497. Basileæ nimirum in folio. Num. 2. *Ejusdem Passionale MS.* de quo supra dictum est. Hæc autem editio ea dubio procul est, quam Gesnerus olim viderat & habuerat, quamque sigillatim in *Bibliotheca* recenset, quæ Basileæ facta est, licet locus impressionis non exprimatur, ut primis fieri solebat typographiæ incunabulis.

Facit mentionem *Felicis Malleoli* seu *Hemmerlin* Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali* tomo 1. fol. 240. verso, ubi omnia hæc Opuscula XXVIII. numero, excusa esse inquit in folio Basileæ 1497. chartis 91. quorum Catalogum adjicit, sed nec annum nec locum impressionis designat, in editione 1545. Tiguri in folio apud Christ. Froschoverum. Idem Josias Simlerus Tigurinus in *Epitome Bibliothecæ Gesneriana*, editionis Tigurinæ 1574. in fol. ample admodum pag. 195. col. 2. Et sane in Catalogo impressorum librorum Bodleianæ Bibliothecæ, quem anno 1674. Thomas Hidius ad eundem in folio Oxonii curavit, pag. 328. litera H. verbo *Hemmerlin* habentur hæc Opuscula sub hoc titulo, absque anno & loco impressionis, *Hemmerlen seu Hemmerlin*, alias dictus *Felix Malleolus, De nobilitate & rusticitate Dialogus, & alia quædam oblectationis varia Opuscula, litera N. 21. Theologorum Seldeni. Et anno 1532, in 4. A. 55. Artium.* Prima autem editio in folio, ea dubio procul est, quam Gesnerus viderat olim & habuerat, quamque recensuit.

JOANNES JUVENALIS DE URSINIS, 1450
RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS, temporibus Caroli VII. & Ludovici XI. Galliæ Regum, hac ætate clarissimus enituit. Extitit frater Guillelmi de Ursinis, Baronis de Treguel, Franciæ Cancellarii. Ejus eruditio, vitæ ratio atque ingenium, ipsi in Universitate Parisiensi, dum literis incumberet, admirationem adipiscebantur. Aggressus causas forenses sub Carolo VII. Francorum Rege, Magister libellorum supplicum factus est, aliaque munia splendida assecutus, tandem ad Ecclesiasticam sortem transiens, ab eodem Rege factus est primum Episcopus Bellovacensis, dein Laudunensis, tandemque an. 1450. Archiepiscopus Ecclesiæ Rhemensis, post fratris sui Jacobi mortem, quam per annos 24. tenuit. Anno 1461. Ludovicum XI. in Regem unxit, & cum aliis Prælatis nonnullis authoritate Calixti III. Papæ nominatus est, ad informandum de processu & sententia injusta ab Anglis pronunciata contra Joannem de Arcu, sub nomine *Puellæ Aurelianensis* cognitam. Concilium etiam habuit, ac tandem anno 1474. die 14 Julii mortuus fuit. Scripsit Gallico idiomate vir rerum istarum peritus, *Historiam Regni Caroli VI. Francorum Regis ab anno 1380. ad annum 1422.* asserens, se nihil scripsisse, quod non vel ipse viderit, vel a patre suo, qui rebus gestis adfuerat, resciverit: quippe qui fuerat antea Custos Prætoriatus Mercatorum Parisiensium, tum Advocatus Regis in Parlamento, ac Delphini Cancellarius. Illam Theodorus Godefridus Advocatus in Parlamento Parisiensi edendam curavit ex MSS. Codd. in 4. Parisiis 1614. apud Abrahamum Pacard, Via Jacobæa sub signo Stellæ aureæ, quam Dionysius Godefridus Theodori filius recudendam curavit anno 1653. Parisiis in folio typis regiis, ornatam accessionibus Historicis multis. Mentionem faciunt *Joannis Juvenalis de Ursinis*, fratres Sammarthani *Gallia Christiana* tomo 1. in *Archiepiscopis Rhemensibus*. Ludovicus Moreri *Magni Dictionarii Historici* tomo 4. verbo *Ursinus*, & alii.

GERAR-

1450 GERARDUS DE BRIANSOME, quem alii GUIDONEM vocant, natione Gallus, Ordinis fratrum Minorum, Provinciæ Aquitaniæ, alumnus Conventus Aurelianensis, Doctor Parisiensis, circa annum 1450. floruit: quem incertus quo tempore vixerit, Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 145. post annum 1330. floruisse statuit. Hic Sacræ Theologiæ per plures annos Magister & Lector in Conventu Minoritarum Tolosano, scripsit *Commentarios in 4. Libros Sententiarum ad mentem Scoti*, qui dicuntur haberi manuscripti in Conventu Murallensi prædictæ Aquitanicæ provinciæ, impressi autem sunt in 4. Parisiis apud Stephanum Baland annis 1512. & 1517. Hujus quoque meminit Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tomo 1. pag. 694. verbo *Guido de Brianſone*, ubi eum anno 1488. vixisse inquit. Peccat tamen ibidem Possevinus, dum eum alumnum Conventus Aurelianensis fuisse ait, legendumque *Aureliacensis*, qui spectare potius ad provinciam Aquitanicam seu Tolosanam potest. Peccat denique, dum illius iteratam mentionem ibidem tomo 1. p. 633. verbo *Gerardus de Brianſone* faciens, allegat, *meminisse illius* Henricum Gandavensem, qui 1294. vel circiter, Catalogum suum *De viris illustribus* scribebat. Legi illum, & nulla ibi fit *Gerardi de Brianſone* mentio. Quod si verum esset, Gerardus iste non ad annum 1450. spectaret, quomodo a me nunc affigitur, neque ad annum 1488. quomodo a Possevino alibi vixisse dicitur: neque ad annum 1330. quomodo a Luca Wadingo floruisse fertur: sed ad annum 1260. vel 1280. vel circiter, velut nimirum Henrico Gandavensi qui illius meminisset, antiquior. Si de quopiam Gerardo loquitur Henricus Gandavensis, is certo est Gerardus Leodiensis ex eodem Ordine Fratrum Minorum, qui florebat circa annum 1270. de quo nos antea locuti sumus. Agunt de *Gerardo de Brianſone* isto Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag 279. Antonius Possevinus, qui ex unico homine duos statuit, in suo *Apparatu Sacro* tomo 1. pag. 633. verbo *Gerardus de Brianſone*, & pag. 694. verbo *Guido Brianſonius*. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 145.

1450 GUILLELMUS VORILLONGUS, Gallice VORILLON, natione Gallus, Ordinis Fratrum Minorum, Conventus de Divano in provincia Britanniæ, claruit circa annum 1450. & sequentibus. Eam habuit doctrinæ in Scholasticis quæstionibus opinionem & nominis famam, ut cum gravissima & ferventissima illa urgeretur *De Sanguine Christi* inter Minores & Prædicatores controversia, e Gallia evocatus fuerit, ut in Pii I., conspectu disputaret. Scripsit *in 4. Libros Sententiarum* juxta doctrinam S. Bonaventuræ & Scoti, impressum Lugduni anno 1484. Parisiis anno 1503. Venetiis anno 1496. in 4. apud Jacobum de Leucho, ibidem & apud Lazarum de Soardis anno 1519. *Repertorium propositionum, quæ sunt contra Scotum*, quod inscripsit: *Vade mecum*, sive *Collectaneum quæstionum in 4. Libros Sententiarum*, Argentinæ anno 1502 impressum. Obiit Romæ anno 1464. sepultus apud Aram cœli. Hæc Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 157. de quo parce etiam Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 713.

MARCHESINUS E REGIOLEPIDI, quæ civitas haud procul abest Mutina, vulgo nuncupatus *Mammotreptus*, ex Ordine fratrum Minorum, quem ad annum 1300 in Scriptoribus Ordinis Minorum pag. 247. floruisse vult Lucas Wadingus, sed Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca Sanctæ*, & Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* p. 51. ad annum 1450. ablegant, quorum hic calculum sequor. „Hic ita ab editi a se Dictionarii inscriptione cognominatus, vir simplex & devotus, inopem illius pauperculæ viduæ largitionem sequutus, quæ de sua pauperie duo minuta in templi gazophylacium misit, ipse quoque de sua exigua facultate obtulit in templum Domini quod habebat, hoc est, *Dictionarium vocabulorum Biblicorum, Latinarum vocum prolationem, accentum & significationem, crassa & rudi minerva explicans*. Quod quia rudibus Clericis, & adhuc in Latina lingua infantibus, veluti mammam sugendam, & manibus puerilibus tractandam, instar piæ matris exhibuerat, *Mammotrepton* inscripsit, tacito ob humilitatem sui ipsius nomine, unde postea *Mammotrepti* nomen in valescente consuetudine sortitus est.„ Aliud simile adtexuit *in omnes Hymnos, Sermones, & legendas Sanctorum, Antiphonas & Responsoria*, quæ in officio divino suo tempore recitari solebant. Edidit etiam *Opuscula de accentibus verborum, de Orthographia, de Interpretibus Sacræ Scripturæ, de modo eam exponendi, & de dignitate ejusdem*: quæ omnia prodierunt Venetiis anno 1506. opera Joannis Pontii de Leuco. Item Metis anno 1509. ac Venetiis 1596. Prima autem editio facta Moguntiæ anno 1470. cujus ad calcem hæc leguntur: *Explicit Mammetractus arte imprimendi seu caracterizandi absque calamo effigiatione sic effigiatus, & ad Eusebiam Dei industre per Petrum Schoiffer de Gernsehem in Civitate Moguntina feliciter consummatus, anno Dominicæ incarnationis* M CCCC LXX. *in vigilia Martini*. Editum quoque istud Opus anno 1489. Argentorati in folio, sub sequenti titulo: *Mammotractus alias Mammotrectus, rectissime Mammotrepton, id est, Dictionarium vocabulorum difficiliorum in Bibliis repertorum. Item Tractatus de mensibus Hebræorum, Festivitatibus legalibus, Vestibus Sacerdotalibus, Divinationibus, Nominibus Dei apud Hebræos, Interpretibus Sacræ Scripturæ, ejusdem Divisione &c. Porro Dictionarium vocabulorum difficiliorum in Antiphonis & Responsoriis per annum totum*,

tum, item in Hymnis, Sermonibus Doctorum, legendis Sanctorum, & declaratione Regulæ Minorum.

Ejusdem *Sermones de Sanctis* habentur MSS. in Bibliotheca Minorum Aræ Cœli, qui a Festo Sancti, Andreæ incipiunt, & in Festo Sanctæ Catharinæ terminantur. Ejusdem *Tractatus de purgatorio & vitiis*, MS. habetur in Bibliotheca Conventualium Allifii. De illo Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, a quo nos ista accepimus. Juxta Possevinum & Sixtum Senensem citatos, circa annum 1450. in provincia Bononiæ & Circaria Ferrariæ claruit, cujus & meminit Carolus Dufrenius du Cange in prœludiis seu præfatione ad *Dictionarium mediæ & infimæ Latinitatis* num. 50. pag. 40. Gerardus Joannes Vossius Libro V. de Vitiis Sermonis parte 2. littera M. pag. 301. omnium ejusdem Vossii Operum Vol. 2. editionis 1695. Amstelodami VI. Voluminibus in folio.

1450 JOANNES BRUGMANNUS, Belga, ejusdem Ordinis Fratrum Minorum Theologus, olim in Audomaropolitano Conventu sui Ordinis, hujus sacræ doctrinæ Professor, scripsit anno 1456. *Vitam Beatæ Liduvinæ Virginis*, quæ extat MS. in Bibliotheca Franciscanorum Lovaniensium. Hanc autem ex duplici labore Joannis Brugmanni edidit Joannes Bolandus ad diem mortis Liduvinæ, quæ in 4. Aprilis devenit, quam antea ediderat Laurentius Sarius tomo 2. *De vitis Sanctorum* ad diem 4. Aprilis. Obiit Noviomagi anno 1473. De illo Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag 819. Lucas Wadingus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 194. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. 564. ultimæ editionis. Joannes Bolandus ad diem 4. Aprilis in prœludiis ad Vitam Beatæ Liduvinæ Virginis. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Joannes Burgmannus* pag. 469. editionis 1043. Lovanii in 4.

1450 STEPHANUS JULIACUS, ita vocatus a loco natalium, vel a Provincia aut Conventu Ordinis Fratrum Minorum, in quo diutius mansit, Doctor Theologus Parisiensis fuit, æqualis autem Beatæ Colectæ Picardæ virgini, quæ Ordinis Sanctæ Claræ reformatrix, multis clara virtutibus ac signis Sanctimoniæ, anno 1447. obiit die 6. Martii. Scripsit *Vitam S. Colectæ*, quam apprime noverat Stephanus Juliacus illi Synchronus, diffuso stylo, quam impressam reperies apud Laurentium Surium Tomo 2. ad diem 6. Martii, atque apud Joannem Bollandum in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 1. Martii mensis, ad diem 6. Agunt de *Stephano Juliaco* Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Stephanus Juliacus* pag. 681. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* ibidem pag. mihi 817. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 6. pag. mihi 563. editionis ultimæ.

OLIVERIUS LONGUS, Prior apud S. Baronem, Ordinis Benedicti juxta Gandavum, circa annum 1450. floruit, ac scripsit *De reditibus ad vitam* MS. Lovanii in Collegio Theologorum. *De vitio Simoniæ in religione*, MS. Gandavi ad S. Baronem. *De Defectibus circa Missam*, MS. Lovanii ad S. Martinum. *De Sacramento Eucharistiæ*, MS. Gandavi ad S. Baronem, & olim in Carthusia Gandensi & Zelemensi. Item *De tenendis ac credendis circa Eucharistiæ Sacramentum*, MS. Lovanii ad Sanctum Martinum. *Vitam B. Colectæ Virginis Gandavensis*, cujus meminit Joannes Molanus in *Natalibus SS. Belgii* ad diem 6. Martii & Joannes Bollandus in *Probatis Sanctorum Vitis*, Tomo 6. ad diem 6. Martii mensis. Agunt de Oliverio Longo Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis*, verbo *Oliverius Longus* pag mihi 588. Post illum Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Oliverius Longus* pag. mihi 706. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. mihi 563. editionis ultimæ. 1450

JOANNES STABULANUS, Monachus primum Cœnobii S. Laurentii apud Leodienses, tum successu temporum Abbas ejusdem Ecclesiæ ob eximias animi dotes electus est. Condidit *Chronicon Leodicense* a S. Materno ad annum Christi M CCCC XLIX. quod nuper editum est a Joanne Chapeavillio, inter *Scriptores rerum Leodicensium* Tomo 3. Leodii anno 1613. in 4. Eodem autem circiter tempore Joannes Lossensis Abbas in Cœnobio S. Laurentii ad muros urbis Leodiensis, successit in hoc munere *Joanni Stabulano* ao. M CCCC XLIX. fatis functo, qui quemadmodum ejus dignitati successit, ita ei quoque in Historici officio succedit, describens accurato calamo *Res gestas in Episcopatu Leodiensi ab anno 1449. ad annum 1459.* quod opus MS. extat in S. Laurentii Cœnobio adservatum, atque editum videtur loco citato a Joanne Chapeavillio, in Collectione Scriptorum *De rebus Leodiensibus.* Agunt de *Joanne Stabulano* Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* pag. 472. de *Joanne Lossensi* ibidem pag. 445. De utroque Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag 528. & 564. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 563. editionis ultimæ.

RADULPHUS DE BERINGHEM, Decretorum Doctor & Professor in Academia Lovaniensi, anno M CCCC L. celebris, reliquit *Confessionale* ad Caput *Omnis utriusque Sexus* de Pœnitentia & Remissionibus. Item ut habet inscriptio MS. Codicis, *Reportata sive Lecturam ad Clementinas.* Vidit utrumque Opus Lovanii MS. ad Sanctum Martinum Canonicorum Regularium Valerius Andreas, ut testatur in *Bibliotheca Belgica* pag. 785. editionis 1643. Lovanii in 4. Obiit Radulphus Lovanii anno M CCCC LIX. quarto Nonas Octobris, de quo vide *Fastos Academicos* ejusdem Valerii 1450

Valerii Andreæ, *Studii Generalis Lovaniensis*, editos in 4. Lovanii 1635. apud Cornelium Cœnestenii.

1450 ALANUS DE RUPE, Batavus ut vulgo traditur, ab ineunte fere ætate Ordini Prædicatorum adscriptus fuit, in quo studiis Philosophicis ac Theologicis diligenter incumbens, eruditionem sibi eximiam comparavit, & emeritam Magisterii Lauream S. Theologiæ professione promeruit. Ejus se discipulum fuisse fatetur in Quodlibeto *De Rosario* Michael Francisci ab Insulis, vir eruditione eximius, & Salubriensis postmodum Episcopus. Alanus autem ab anno 1450. maxime claruit, pleraque Belgii loca peragrando, ac devotionem in Beatam Mariam Virginem quovis modo procurando, ut ipse etiam author dicatur *Rosarii B. Virginis recitandi*, quam precandi formulam ad certum globulorum numerum factam, ante eum in Ecclesia usitatam non fuisse, eruditi contendunt. Cum ergo devotioni totus incumberet, Opuscula quoque nonnulla scripsit, quæ pietatem ejusdem magis quam eruditionem ostendunt. Scripsit autem *Compendium Psalterii Mariani*, cujus initium, *Quia Catholicæ veritatis* &c. MS. apud Regulares Corsendoncanos. *De miraculis Sanctissimi Rosarii* Lib. 1. *Quamvis speciosa laus* &c. *De quindecim laudibus Psalterii Mariæ Virginis, secundum XV. lapides in Rupe altissima Angelicæ Salutationis repertos*, MS. Ultrajecti in Bibliotheca Publica. Incipit, *Qui convertit petram* &c. Ejusdem *Excellentia XXX. Vitæ Monasticæ* leguntur excusæ, cum Libro *De Vita spirituali* Dionysii Carthusiani. Andreas Coppenstein ex Ordine fratrum Prædicatorum Theologus, edidit Friburgi 1619. in 4. *De dignitate Psalterii Jesu & Mariæ* librum Alani de Rupe, quo eum ex parte redivivum exhibuit, cujus Opuscula præ se pietatem magis, quam soliditatem ferunt. Obiit vir sanctissimus Swolla apud Transisalanos, anno 1474. pridie Assumptionis Mariæ Virginis. Cujus mentionem faciunt Hyacinthus Choquetius *De Sanctis sui Ordinis in Belgio* cap. 23. editionis 1618. Duaci in 8. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Alanus de Rupe* pag. 33. editionis 1643. Lovanii in 4. Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Alanus de Rupe* pag. 111. editionis 1628. Antwerpiæ in folio. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. 567. editionis ultimæ.

1450 ARNOLDUS HESSELS, Tungrensis, Canonicus Regularis S. Augustini, vir litteratus & eloquens, magnæ prudentiæ & hospitalitatis, quemadmodum in *Chronico Tungrensi* legere est, eadem tempestate claruit, qui post officium Procuratoris in Cœnobio Tungrensi laudabiliter gestum, ejusdem loci Prior ordine decimus electus est. Scripsit Tractatum *De peccatis mortalibus*. Item *De differentia inter Mortale & Veniale*, MSS. ibidem. Decessit ex hac vita Tungris anno 1486. Kalendis Aprilis. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Arnoldus Hesselt* pag. 81. editionis 1643. Lovanii in 4.

BALDUINUS HENRICI, de Zierixza, Zelandus, Decretorum Doctor & Professor Lovanii claruit anno 1450. 1460. cujus *Lectura ad Libros V. Decretalium*, MS. tomis V. extare solet apud S. Martinum Lovanii. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 99. editionis 1643. Lovanii in 4. 1450

HENRICUS DE POMERIO, Gallice *Du Jardin*, Canonicus Regularis in Viridi Valle, ac Prior Cœnobii septem fontium juxta Bruxellam, hoc eodem tempore clarus, scripsit *De Origine Cœnobii Viridis Vallis Canonicorum Regularium*, MS. in Viridi Valle & in Bibliotheca publica Ultrajectina, Numero 259. (ut habet Catalogus MSS. Codicum dictæ Bibliothecæ part. 1. pag. 98.) *Vitam & Miracula Ven. Joannis Ruysbrockii primi Prioris* ibidem, & *Joannis a Leuwis sive Leonis*, primi Coci Cœnobii ejusdem, MSS. ibidem & apud Canonicos Regulares Tongrenses. *Promptuarium Spiritualium Meditationum*, MS. ibidem. *Exercitium super Pater noster*, MS. Lovanii ad Sanctum Martinum. Vitam deposuit in Cœnobio prædicto Viridis Vallis anno Domini 1469. ætatis 87. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Henricus a Pomerio* pag. 366. editionis 1643 in 4. Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* ibidem pag. 335. editionis 1628. Antwerpiæ in folio. 1450

HENRICUS DE ZOEMEREN, ita dictus a loco natalium: qui Brabantiæ vicus est, ante bellorum turbas & loci ambitu & platearum, ædium & incolarum numero, ex Campaniæ maximis. Claruit ab anno 1440. & sequentibus, S. Theologiæ Doctor Parisiensis, & ejusdem Professor Lovanii ac Decanus Antwerpiensis, qui ad instantiam Bessarionis Cardinalis & Archiepiscopi Nicæni, Apostolici tunc per Germaniam & Belgium Legati, scripsit *Epitomen primæ partis Dialogi Guillelmi Okmanni*, item *Epistolarum volumen*, quæ Lovanii anno 1481. edita sunt apud Joannem de Westphalia. Fit quoque mentio Epistolæ ipsius *De capta Constantinopoli* in *Magno Chronico Belgico* Francofurti edito, quam totam recitat Joannes a Meerhout in Libro MS. *De mirabilibus eventibus* cap. 116. Obiit anno 1472. XIV. Calendas Septembris, cum calicem, Libros aliaque pro anniversario atque animæ suæ refrigerio, Parcensibus extra muros urbis Lovaniensis reliquisset. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 373. editionis 1643. in 4. Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Henricus de Zœmeren* pag. 337. editionis 1628. Antwerpiæ in folio. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. 569. editionis ultimæ. 1450

1450 CORNELIUS SANTFLIET, Monachus Ordinis Divi Benedicti in Cœnobio Sancti Jacobi Leodiensis, claruit anno 1450. & sequentibus, qui diligens & fidelis Scriptor *Chronicon ab mundi initio* exorsus, *ad annum* MCCCCLXI. *perduxit*, quo circiter tempore mortuus creditur, *Chronicon* autem MS. in eadem Abbatia legitur. Ejusdem Librum *De gestis Episcoporum Leodiensium*, laudat passim Joannes Chapeavillius, in Notis & Observationibus ad Historicos Leodienses, qui utrum opusculum a Chronico citato speciale sit, non designat. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Cornelius Santfliet* pag. 163. editionis 1643. Lovanii in 4.

1450 JOANNES DE BEETZ, natione Brabantus, Ordinis Fratrum Carmelitarum, in Conventu Thenensi, Doctor Theologus & Professor in Universitate Lovaniensi circa annum MCCCCL. claruit, & quantum in Theologicis valeret, ostendit scribendo *Præceptorium Divinæ Legis*, sive *Commentariorum in Decalogum Libros X.* editos anno 1486. Lovanii in folio apud Ægidium van Heerstraten. Item *Quodlibeta* Lovanii habita. *In Epistolam ad Romanos*, *de Sacramento Altaris*, aliaque nondum edita. Mortuus est Thenis apud suos conditus, cujus monumento hæc inscripta leguntur:

Hic jacet inhumatus Venerandus Pater Magister Joannes de Beetz, Sacræ Paginæ Professor eximius, Regens ac Ordinarius Legens in Theologica Facultate Lovanii. Qui obiit anno MCCCCLXX. 6. die mensis Junii.

Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Joannes Beetzius* pag. 457. editionis 1643. Lovanii in 4.

1450 LEONARDUS BUCKIUS, OOSTERWICANUS, anno Domini 1452. ad Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini apud Corsendonk juxta Turhout admissus est, magnæ devotionis & singularis vir puritatis, cujus præconia per omnia Brabantiæ Canonicorum Regularium Cœnobia notissimum esse, & in magno pretio habitum, Petrus Impens in *Chronico suo Bethleemitico* MS. juxta Lovanium author est. Composuit *Varios Tractatus Spirituales & Anagogicos*, una cum *Dialogo*, cujus titulus, *Normula Vitæ religiosæ*, quorum Autographum Corsendoncani adservant. Vitam non sine opinione Sanctitatis, Deo reddidit anno 1488. professionis 36. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 624. editionis citatæ.

1450 JOANNES CORNELII, natione Brabantus, Diestensis, anno 1419. Regularem vitam in Cœnobio Bethleemitico prope Lovanium professus est, adolescens habuit in Scholis Parisiensibus, ubi & Artium Magister renunciatus fuit, socium *Magistrum Heimericum de Campo*, postmodum Lovanii S. Theologiæ Professorem celeberrimum. Qui cum tempore magnarum vacantiarum apud Regulares Bethleemitas feriari solitus esset, eosque Complementa actis & scientiæ Raymundi Lulli doceret, quod *Omne Scibile* prænotabat: Joannes hic speculativas has curiositates, ut inquiebat, aspernatus, edidit circa annum 1450. partim metro, partim rythmo libellum, multos devotos conceptus continentem, quem *Omne Scibile Pauperis* inscripsit. Item *Orationes & Meditationes varias*. Ita fere Petrus Impens sibi hæc omnia lecta fuisse scribens *Chronici Bethleemitici* Lib. 3. art. 7. §. 5. Plenus dierum e vita abiit anno Domini 1472. ætatis 69. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 485. editionis citatæ.

JOANNES HEINSBERGIUS, Filius Johannis Heinsbergensis, ex Præposito Aquisgranensi in Leodiensem Episcopum anno 1419. electus, Ecclesiam ejusque Principatum totis annis XXXVI. & quod excurrit, administravit, anno autem 1445. Synodum celebravit, ac Decreta seu Statuta tum sua, tum prædecessorum suorum in unum corpus collecta, conscribi, publicari & observari mandavit: quorum Collectio prodiit Lovanii anno 1500. typis Theodorici Alostensis. Verum cum ferre ultra effrenem Leodiensium civium insolentiam non posset, ultroneus Episcopatui cessit anno 1455. Demum obiit anno 1459. die XVIII. Octobris, ut Zantflietus habet, vel die XIX. potius, ut monumenta MSS. Ecclesiæ Heinsbergensis scribunt. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 514. editionis 1643. Lovanii in 4. 1450

HENRICUS DE KALTEISEN, natione Germanus, patria Confluentinus, *Frigidum Ferrum* vulgari cognomine dictus, educatus in patria, Ordini Fratrum Prædicatorum se adjunxit, & Doctoratus laurea in Academia Coloniensi insignitus, Cruciatæ contra Bohemos prædicandæ provinciam, sibi a Pontifice demandatam suscepit, Anno 1433. in Concilio Basileensi contra Udalricum Hussitarum Patronum integro triduo disputavit. Extat autem *Oratio*, *qua in Concilio Basileensi per tres dies refutavit Articulum tertium Bohemorum* De libera prædicatione verbi Dei, *quem proposuit per biduum Udalricus Presbyter Orphanorum*, edita primum apud Henricum Canisium tomo IV. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 1. & sequentibus: Apud Abrahamum Bzovium in suis Annalibus Baronium excipientibus, ad annum 1433. §. 254. Conciliorum tomo XII. colum. 1249. usque ad 1364. Anno autem 1440. sacri palatii Magister creatus est, & inquisitor hæreticæ pravitatis per totam Germaniam constitutus, cum antea Inquisitor fidei apud Colonienses tantum fuisset. Anno 1452. tertio Kalendas Martii Archiepiscopus duarum in Norvegia Provinciarum, Nydrosiensis & Cæsariensis, a Nicolao V. Papa consecratus est. 1450

Extat

Extat inter MSS, Codices Ultrajectinæ Bibliothecæ *Clementis VI. Bulla Anni Jubilei 1350. cum Responsis Henrici Kalteisen de indulgentiis*, num. 253. I. X. ut habet Catalogus dictæ bibliothecæ impressus Ultrajecti anno 1670. in folio, parte 1. in MSS. Codicibus pag. 102. Obiit anno 1465. sexto Kalendas Octobris in Conventu Confluentino sepultus. Agunt de Henrico Kalteisano Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ rei literariæ* Guilielmi Cavi, ad annum 1431. p. 109. quem paucis exceptis verbotenus adoptavimus. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana* p. 187. post Joannem Trithemium.

1450 DOMINICUS DE DOMINICIS, patria Venetus, primum Torcellanus, deinde Brixiensis Episcopus, & Referendarius Apostolicus, ab anno 1450. ad 1478. 1480. floruisse mihi videtur, sub Romanis Pontificibus Nicolao V. Callisto III. Pio II. atque aliis, qui tunc Romanam Ecclesiam rexerunt. *Scripsit Orationes de diversis lib. I. Sermones quoque varios lib. I. Præterea tractatum de sanguine Christi, item de filiatione Johannis Evangelistæ ad Beatissimam Virginem. Vivebat anno 1478. juxta Trithemium.* Hæc Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Dominicus de Dominicis.* At longe plura extant, quæ nondum impressa sunt Dominici hujus Opuscula, juxta Jacobum Philippum Thomasinum in Tractatu *de publicis & privatis bibliothecis Patavinis*, Vtini in 4to anno 1639. edito. Illic enim in bibliotheca Cathedrali Patavina, *Dominici Episcopi Torcellani Tractatus de potestate Papæ. Ejusdem de potestate Papæ & Cardinalium.* In Bibliotheca Canonicorum Regularium Lateranensium S. Johannis, *Dominici revelationem secreti. Ejusdem de Concilio & ipsius potestate ac Summi Pontificis. Ejusdem de Romanæ Curiæ reformationibus ad Pium II.* Zelus Domini comedit me &c. *Ejusdem Expositio Psalmi Centesimi ad propositum Regiminis, quod Dominus Papa servare debet, ut alius Princeps. Ejusdem de electione Cardinalium & consilio in materia creationis eorum.* Ita post Thomasinum Theophilus Spizelius in *Sacris Bibliothecarum illustrium arcanis retectis*, Augustæ Vindelicorum an. 1668. in 8tavo impressis in *Bibliothecis Patavinis* p. 219. & 220. Alia quoque profert Philippus Labbeus in *Bibliotheca Manuscriptorum Librorum*, quam Parisiis anno 1653. in 4to edidit. Nam in Supplemento VII. *Bibliothecæ Manuscriptorum* pag. 269. & sequentibus profert MS. Codices Theologicos bibliothecæ Regiæ Parisiensis tam Græcos quam Latinos, atque in iis Codice 8 4 post Concilii Constantiensis Acta & Concilii Basileensis Sessiones, profert *De reformationibus Curiæ Romanæ ad Pium II. per Dominicum de Dominicis, Episcopum Brixiensem, alias Torcellanum. Ejusdem Tractatus de Cardinalium creatione. Ejusdem, an Divus Hieronymus fuerit Cardinalis? Item utrum Caput* Constantinus *Distinctione 96. verum sit, de baptismo Constantini.* Ita post Labbeum Theophilus Spizelius in *Sacris Bibliothecarum illustrium arcanis retectis* antea citatis, *de Bibliotheca Gallo-regia Parisiensi*, p. 116. Quibus ex MSS. omnibus nihil editum unquam, me vidisse recordor, si excipias *Tractatum ejus de Sanguine Christi & filiatione Johannis Evangelistæ, ad Beatissimam Virginem*, qui Venetiis 1557. & 1563. in 8tavo impressus invenitur.

Plura longe de illo Ludovicus Jacob a Sancto Lardo in *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. p. 299. his verbis.

„*Dominicus de Dominicis* alias *de Monte*, Venetus, Episcopus tum Torcellanus deinde Brixiensis scripsit. „

„*Tractatum de potestate Papæ.* Incipit *Gesſit &c.* Extat MSS. Patavii in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis. „

„*Tractatum alterum de potestate Papæ & Cardinalium.* Incipit, *Mortali &c.* qui extat MS. ibidem. „

„*De Creatione Cardinalium Tractatum, seu, Conclusionem.* Incipit, *Quia nonnulli manus Sampsonis* &c. Extat MS. ibidem, itemque in Bibliotheca Benedicti Salvatici Medici, & in illa S. Joannis in Viridario, ex Bibliothecis Patavinis Jacobi Philippi Tomasini. *Apparatus, seu Glossas* factas ad requisitionem Serenissimi, Domini Friderici Romanorum Imperatoris, dum esset apud Imperatorem eundem, Orator Apostolicus cum potestate Legati a Latere. Incipit, *Concedit Papa Friderico Imperatori & Leonoræ uxori ejus indultum Apostolicum &c.* Extant Patavii MSS. in Bibliotheca, S. Joannis in Viridario. „

„*De Concilio & ipsius ac Summi Pontificis potestate Tractatum.* Incipit, *Sæpe numero inter Doctissimos viros de Summorum Pontificum & Generalium Conciliorum potestate certatum* &c. Extat MSS. ibidem. „

„*De reformationibus Curiæ Romanæ* ad Sanctissimum Dominum Pium II. Papam. Incipit, *Zelus domus tuæ comedit me* &c. *Expositionem Psalmi Centesimi ad propositum regiminis, quod Dominus Papa servare debet, & quicunque alius Princeps* Psalmus est, *Misericordiam & judicium Cantabo tibi Domine.* Incipit, *Ultimo pro istis reformationibus offero Domino nostro Papæ* MS. ibidem. „

„*Tractatum de electione Cardinalium.* Incipit, *Gratia collationis & inquisitionis pone infra scriptam conclusionem.* MSS. ibidem floruit sub Pio II. Pontifice Maximo. „

Hæc Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, Cabilonensis, Ordinis fratrum Carmelitarum in *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. p. 299. editionis Lugduni 1643. in 4to faciunt mentionem scriptoris hujus præter citatos auctores. Josias Simlerus Tigurinus in *Epitome Gesnerianæ Bibliothecæ* quam anno 1574. Tiguri in folio edendam apud Christophorum Froschoverum curavit,

pag. 173. col. 1. Johannes Wolphius Tomo 1. *Lectionum memorabilium* Centuria 15. ad annum 1478. p. 891. editionis Lavinganæ 1600. duobus voluminibus in folio,

1450 THEODORUS LÆLIUS, Italus, Episcopus primum Feltrensis, dein Tarvisinus, Referendarius Apostolicus, atque S. R. Ecclesiæ Cardinalis a Paulo II. Papa anno 1464. designatus, ab anno 1450. claruit, qui scripsit *Gratulationem pro Pio II. Romano Pontifice ad Venetiarum Ducem*, quæ extabat MS. in Bibliotheca illustr. Guilielmi Cardinalis Sirleti.

Orationem ad Regem Francorum pro Pio II. Romano Pontifice, de defensione justitiæ Investituræ Regni Siciliæ, MS. ibidem.

Replica Theodori Lælii Episcopi Feltrensis pro Pio II. Papa & Sede Romana, ad Scriptum Georgii Heimburgii, habetur Tomo 2. *Monarchiæ* Melchioris Goldasti Haiminsfeldii, Calvinistæ a p. 1595. ad 1604. Obiit Romæ anno Christi 1464. ante Cardinalitii pilei dignitatem adeptam, ubi ad ejus sepulchrum Epitaphium soluta oratione conscriptum visitur, in quo nulla de Cardinalatu ipsius mentio extat. Hæc Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, Carmelita Cabilonensis, in *Bibliotheca Pontificia* libro 2. p. 443 editionis Lugdunensis anno 1643. in 4to. Inter MSS. Codices Philosophicos Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, in Codicibus Historicis in folio & in 4to. Codice MS. 50. in 4to ad calcem Codicis extant *Invectiva Theodori Lælii Feltrensis Episcopi in Georgium Heimburg* cui subjungitur *Apologia Georgii Heimburgii contra detractiones Lælii*. Hæc Joachimus Fellerus hujus loci Bibliothecarius in suo *Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ* pag. 316. editionis 1686. Lipsiæ in 16.

1450 JOHANNES DE ZREDNA PROTONOTARIUS, Cancellariæ Regni Hungariæ, hoc in officio clarus anno 1450. extitit atque sequentibus. Extant *Johannis de Zredna Protonotarii Cancellariæ Regni Hungariæ, Epistolæ Historicæ de rebus gestis inter Fridericum III. Imperatorem & Regnum Hungariæ ab anno Christi 1445. ad annum Christi 1451*, collectæ in unum volumen membranaceum & Annotationibus marginalibus illustratæ a *Paulo Jwanich*, Diœceseos Zogabriensis Presbytero & Rectore Altaris Sancti Pauli Apostoli in Ecclesia Waradinensi die 12. Januarii 1451. Illud ipsum volumen autographum adhuc extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi inter MSS. Codices Historicos Latinos, Codice 243. Meminit hujus Operis Petrus Lambecius, quod edendum promiserat in *Syntagmate rerum Germanicarum*, seu *Variorum ad Germaniam spectantium scriptorum, variorumque Actorum publicorum*, ex Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis MSS. potissimum Codicibus, aliquot voluminibus in folio edendorum: quod inseruit *Catalogo Librorum a se editorum* ab anno ætatis 19. Christi 1647. ad annum ætatis 45. Christi 1673. quem Viennæ Austriæ anno 1673. in 4to in lucem produxit. Ejusdem meminit *Johannis de Zredna* Michael Hertzius in *Bibliotheca Germanica* seu *Scriptorum rerum Germanicarum*, Erfurti 1679. in folio edita, parte 3. in *Friderico III.* num. 145.

NICOLAUS LANGMANNUS DE FALCKENSTEIN, eadem hac tempestate insignis erat, qui unus fuit ex duobus Sacerdotibus seu Sacellanis, quos Imperator Fridericus tertius anno Christi 1451. tanquam legatos & Oratores suos in Lusitaniam misit ad Eleonoram, sponsam suam, offerendi causa annuli pronubi. Factus est postmodum Episcopus Hipponensis, licet Hipponem urbem ingressus nunquam fuerit, sed in Aula Imperiali semper steterit. *Historiam Desponsationis & Coronationis Friderici III. Imperatoris, & Eleonoræ ipsius conjugis*, ex Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis authentico Codice ipsius Nicolai Langmanni propria scripto manu, qui est Codice 337. inter MSS. Codices Ambrasianos, videre licet. Accedunt etiam huic Historiæ annotationes necessariæ cum Chronologicis tabulis Columbani de Pontremulo ad Nicolaum de Pontremulo, Ducis Mediolanensis Secretarium, & apud Nicolaum Papam V. Oratorem. Meminit hujus scriptoris Petrus Lambecius lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. Codice 337. pag. 971. his verbis, Codex 337. volumen chartaceum in 8. quo continetur *Historia Desponsationis & Coronationis, Imperatoris Friderici V. & conjugis ipsius Eleonoræ*, composita & propria manu scripta a Nicolao Langckmanno de Walckenstain, qui unus fuit ex duobus Sacerdotibus ac Sacellanis, quos jam memoratus Imperator A. 1451. tanquam Legatos & Oratores suos *annuli pronubi* Sponsæ offerendi causa, misit in Lusitaniam. Titulus & principium Operis istius, hactenus, quod sciam inediti, tale est. *Desponsatio & Coronatio Serenissimi Domini, Domini Imperatoris Friderici III. & ejus Augustæ Dominæ Eleonoræ.* Pluribus de auctore hujus Historiæ dictus Lambecius p. 972. 973. & 974. In fine ejusdem voluminis, extant *Duo Diplomata* velut Historiæ præcedentis appendix, quorum, *primum* nempe *Pii Papæ II.* ad Imperatricem, Eleonoram anno 1459. Senis datum est: *alterum* autem nempe *Imperatricis Eleonoræ* pro *Nicolao Langkmanno de Valckenstain*, an. 1464. Neapoli Austriæ datum est. Hæc Lambecius, verbotenus.

THOMAS PATRIARCHA BARBARIENSIS, quo titulo his temporibus a Romano Pontifice donatus absque certa sede est, ut ditionibus sibi assignatis, quarum populorum magna pars Judaica incredulitate & perfidia laborabat consuleret, fidemque Christianam his in provinciis propagaret: oportunum censuit, ut opus inscriptum *Fortalitium fidei*, contra Saracenos & Judæos componeret, quo res Christianæ promoverentur. Hic mihi 1450

Mona-

Monachus alicujus ex Ordinibus fratrum Mendicantium nempe minorum videtur, quibus tituli ejusmodi, sine sedibus & Ecclesiis, ad fidem propagandam in regionibus Africanis & aliis Infidelium terrarum locis concedebantur. Analysim hujus operis facit Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Fortalitium fidei* his verbis. *Fortalitium fidei sic prænotatus liber, quo agitur de armandis fidelibus, & de sex armorum spiritualium generibus: quin & quibus armis muniendi sint veri concionatores: ubi plura de bello contra Hæreticos, Saracenos, Judæos, & eorum ac Dæmonum fraudes adversus nos.* Scriptum opus istud circa annum 1440. ab authore anonymo, ut testatur Mathias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis* libro 19. colum. 1896. editionis Genevensis 1608. in folio. In editione Lugduni anno 1525. in 8. facta hunc titulum profert. *Fortalitium fidei contra Judæos, Saracenos, aliosque hostes libris quinque, per quendam Ordinis Minorum, in partibus Occidentis, anno 1439. scriptum.* Author *Fortalitii fidei* in suo opere, lib. 2. Consideratione 6. testatur fuisse suo tempore, anno nempe 1440. *non paucos, qui Purgatorium, & auricularis confessionis necessitatem, Indulgentias, missas, & Vigilias pro mortuis, improbarent. Ita apparet omnibus temporibus fuisse, qui erroribus Antichristi pro viribus reclamarent.* Alludit autem ad Joannem Vesselum Groningensem, Joannem de Vesalia ad Rhenum, Reginaldum Peacock Anglum Episcopum, & plurimos non inferioris notæ viros, qui tunc temporis doctrinam hanc & concionabantur publice & docebant: unde apud idiotas Pontificios & Monachos Ordinum Mendicantium pessime audiebant. Author hujus operis simplex maxime mihi apparet, ac inseruisse operi suo *Miracula* in Galliis facta, quæ Saracenis ac Judæis ad Christianam fidem convertendis, parum conducere videbantur, quorum unum hic offeram.

„Parisiensis quædam mulier oppignoraverat Judæo vestem. Cum redimere non posset, hostiam, quam Paschale proximo sumptura esset, illi pollicetur. Judæus acceptam hostiam lebeti fervente oleo & aqua pleno injicit, blasphemis verbis illudit. Prosiliisse ajunt puellum formosissimum & hatpagonem Judæi mira agilitate, quo illum demergere nitebatur, declinasse. Astabant pueri, & rei novitate territi, ad matrem currunt, crudelitatem patris contra pusionem indicantes. Fit concursus populi. Ereptam Judæo hostiam Episcopus in Ecclesiam S. Johannis de Gravia deportavit. Judæi uxor & liberi ad Christi fidem conversi, ipse ad supplicium ductus, Talmudi virtutem jactare & inclamare non desinebat. Ad hominis superstitionem eludendam afferri jubetur. Eo accepto, cum securitatem Judæus sperare inciperet, ignis, jaculi instar, a pyta constructa evolans Judæum cum libro exussit. Imp. Frid. 3. Papa Nicolao 5. Johannes Wolphius qui *Rerum Memorabilium* volumina duo Lavingæ anno 1600. in folio edidit, scriptorem hujus Operis *Thomam Patriarcham Barbariensem* tomo 1. ad annum 1450. p. 832. affirmat, a quo habuimus. Editum est anno 1485. Norimbergæ apud Antonium Coburgerum in folio, itemque anno 1498. ibidem. Lugduni anno 1525. in 8. Joannes Hoornebeeck in opere *De convincendis & convertendis Judæis*, edito Lugduni Batavorum 1655. in 4to attribuit προλεγομένων pag. 9. opus hoc, quod anno 1590. impressum asserit, *Guillelmo Totano, nisi forte Bartholomæo de Spina, Coloniensi Carmelitæ.* Sed absurde fallitur hic Theologiæ Professor Lugduni Batavorum, ac dum Historici partes agere vult, plures errores quam verba profert. Ita periculosum unicuique est extra artem suam vagari. Nam Imo. falsum est, opus editum fuisse anno 1590. ubi affirmat. 2do. Guillelmus Totanus nunquam in rerum natura extitit, sedemque duntaxat habuit in cerebro hujus Joannis Hoornbeckii. 3tio. quoad Bartholomæum de Spina neque Coloniensis nec Carmelita fuit, sed Ordinis fratrum Prædicatorum, natione Italus, patria Pisanus, Suppar Martino Luthero & Thomæ de Vio Cardinali Cajetano, Magister Sacri Palatii, cujus plurima Impressa extant, quæ Tomo I. *Apparatus Sacri* Antonius Possevinus refert. Non potuit autem esse author hujus Operis, quod annis centum vel circiter antiquius ipso est. Hæc contra somnia Joannis Hoornbeckii, Theologi quidem eruditi, sed Historiam ignorantis.

GUILLELMUS FILATRE, Decretorum Doctor, Episcopus primum Virdunensis, deinde Tullensis in Lotharingia, demum Tornacensis simul & Abbas LXIV. ad S. Pertinum, atque Ordinis Equitum velleris aurei Cancellarius, anno 1450. & sequentibus clarus, sub Philippo & Carolo Burgundiæ Ducibus, scripsit Gallico Sermone *de aureo vellere* libros duos ad Carolum Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Limburgi & Luxemburgi, Comitem Flandriæ, Artesiæ & Burgundiæ, Palatinum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Namurci, Marchionem Sancti Imperii, Dominum Frisiæ, Salini & Mechliniæ, Caput Ordinis Aurei velleris: quibus originem Ordinis & exempla varia complectitur de magnanimitate Regum Franciæ ac Ducum Burgundiæ, excusos primum Parisiis in folio, anno 1516. apud Franciscum Regnault, Universitatis typographum, deinde Trecis in Gallia anno 1530. apud Nicolaum le Ronge in fol. Naturæ debitum solvit Gandavi anno Christianæ salutis M CCCC LXXIV. regiminis XXV. cujus corpus ad St. Bertini Abbatiam translatum & terræ conditum hoc epitaphio. 1450.

Abbas quisquis erat, clara Willhelmus in alba,
Hic jacet in templo, cui bona multa tulit.
Verduni

Verduni fuit hic Præsul, Tullique deinceps,
Indeque Tornaci, per pietatis opus.
Hic Ducis invicti Burgundi in sede Philippi
Consilii primus, qui bene nosset, erat.
Sic omnes morimur, sed virtus sola beatos
Efficit illa comes, teque, Guilelme beat.

Mentionem hujus hominis faciunt Æneas Sylvius *Epistolarum* libro Imo, Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* pag. 307. editionis Antwerpiæ 1628. in folio apud Guillelmum a Tungris, quem secutus est Valerius Andreas ibidem, in *Bibliotheca Belgica* editionis ultimæ 1643. Lovanii in 4to.

1450 GEORGIUS PODIEBRADIUS, qui aliis Pogiebracius, aliis Podiebracius dicitur, natione Bohemus, ex antiqua ac nobili Bohemiæ stirpe oriundus, quæ ab annis ducentis inter cæteros ejusdem Regni toparcas inclaruit, hoc tempore potissimum ab anno 1440. celebris extitit. Familiæ nomen ab ævo & patre de Kunstat dicitur, quæ arcem Podiebradam in Bohemia ab atavis & proavis habebat, jure hæreditario, cum ditione circumeffusa amplissima, unde Georgius Podiebradius nominatus est, ob hanc arcem valido peditum equitumque præsidio munitam. Hic ubi observasset, alam exercitus Alberti Austriaci equestrem licentius longiusque in pagos ditionis suæ vagari, impetum in illum cum suis facit, circumventamque fere totam concidit, atque illic an. 1438. primum notus, magis magisque inter suos clarus haberi cœptus. Anno 1440. Georgius Podiebradius Meinardo Pragæ Gubernatori, qui Hussitarum hostis apertus erat, opponitur. Congregantur deinde plerique qui Rochisano adhærebant, cum Thaboritis ad Cuthnas, ibique Georgium Pogiebradium totius regionis Gradicensis Præfectum pronuntiant, ac tacite inter se ad recipiendam Pragam conspirant, plures in illa partium suarum fautores, se habere dicentes. Nec falso ,! inerant enim, & uti cum Georgio conveniebant, appropinquanti paulo ante lucem mænibus, casulam longius ab aliis ædificiis remotam accendunt, portamque inde statim reserant, per quam Georgius intra urbem veterem receptus est, cum sexcentis fere equitibus, Symbolum adjicientibus, *Cunstat eia Constat*. Meinardus autem Gubernator captivus abductus fuit, qui Hussitas & Thaboritas injuriis damnisque lacessiverat. Georgius Pragæ Magistratus instituit, ac Ladislaum Bohemis a Frederico postulatum denegavit. Factus anno 1445. totius Bohemiæ Gubernator. Cum autem prudenter administrasset omnia, etiam cum Ordinum omnium applausu, id consentientibus omnibus ex merito obtinuit, ut anno 1458. 6to. Nonas Martii Rex Bohemiæ pronuntiatus sit. Instante potissimum Rockisana, Georgius a Kunstat Podiebradius, Rex Bohemiæ XIV. tempore Calixti III. Papæ, qui coronationi ejus consensit, atque juramenti formula a Georgio præstiti subscripta, Georgius coronatur 7. Maji 1459. quo animos Bohemorum sibi maxime conciliasse scribitur: Cum pace ac bello inclytus haberetur, ac paternæ Hussitarum religionis cultor immobilis persisteret, innumeras a Paulo II. & Pio II. Romanis Pontificibus injurias, insidias, fraudes & contumelias passus, Deo tamen protegente, Italas fraudes semper declinans, qui generum etiam ipsius ad arma contra socerum suscipienda incenderant, in eo immotus perstitit usque ad annum 1471. quo die 22. Martii ex hydropisi mortuus fuit. Hæc Vita Georgii a Kunstat Podiebradii seu Pogiebracii, ut alii scribunt. Porro non expers fuit litteraturæ &, eruditionis Podiebradius, qui litteris accurate imbutus fuit, antiquam militarem artem amplexaretur. Hujus argumentum certum, *Georgii Pogiebraecii Bohemiæ Regis Epistola apologetica Regi Hungariæ Matthiæ Corvino genero suo*, anno 1468. die 28. Julii scripta, quam ex MS. Codice CL. viri Arnoldi Vionis d' Hewurat edendam voluit Lucas de Acherio Tomo 4. *Spicilegii* p. 403. ad 418. editionis Parisiensis anno 1661. in 4to. Illic inquit, se Bohemiam ab effrenata barbarie, non ambitione motum, sed miseratione permotum, sub politia monarchica, viginti jam annis affluxis, Domino opitulante, redegisse. Ex hac autem *Apologia*, aperte constat, Georgium Podiebradium, contra pacta & conventa nil egisse, sed Romanos Pontifices omnia subvertentes, omnem movisse lapidem, ut ea, quæ olim a ~~Concilio Basileensi concessa~~ Bohemis fuerant *de communione sub utraque specie*, omnibus machinis & fraudibus revocarent pro more Romanæ Ecclesiæ, pacta omnia sibi nullatenus convenientia, impune infringentis. Quisquis igitur plane nosse voluerit, quot & quanta adversus Georgium Pogiebracium a Romanis Pontificibus Pio II. & Paulo II. machinata fuerint, intelliget facillime ex Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis MSS. Librorum Catalogo, quem Joachimus Fellerus ejusdem Academiæ Bibliothecarius, anno 1686. in 16. edendum curavit. In MSS. enim Codicibus hujus Bibliothecæ, Acta innumera habentur MSS. contra Georgium Podiebrachium, quæ hic recensere operæ est pretium.

Inter MSS. Codices Theologicos Repositorio Theologico IV. Serie 3. in folio Codice 9. ad finem Codicis, *Æneæ Sylvii Dialogus contra Georgium Regem Bohemiæ & Thaboritas de communione sub utraque specie. Tractatus Doctoris cujusdam de electione heretici Girfich, Georgii in Regem Bohemiæ* Catalogi p. 191.

Ibidem Repositorio Theologico IV. Seria 3. in folio Codice 27.

Nicolai Cusani Cardinalis Bulla in Gubernatores Bohemiæ & incolas.

Appellatio Aurembergæ interposita pro parte Principum Electorum contra Cusanum, tanquam Sedis Apostolicæ Legatum.

Pro-

Processus Pii Papæ II. contra Dominum Georgium Heimburg.

Appellatio Georgii Heimburg a sententia Papæ præfata, a Papa scilicet irato ad Papam mitigatum.

Appellatio Sigismundi Ducis Austriæ ad futurum Papam vel ad Generale Concilium.

Alia ejusdem Appellatio ad futurum Concilium.

Expiatio erroris Cardinalis Causani, seu Responsio Bohemorum ad supra memoratam ejus bullam.

Responsio data Oratoribus Regis Bohemiæ per Pium Papam de consilio Cardinalium, anno 1462.

Pii Papæ bulla contra Communicantes sub utraque specie.

Concordula Regis Bohemiæ & Poloniæ in Glogovia facta anno 1462. Catalogi pag. 205.

Inter MSS. Codices Philosophicos, in libris Historicis in folio & in 4. Codice MS. 52.

Responsio Pii Papæ II. data Oratoribus Regis Bohemiæ & Georgii.

Epistola Georgii ad Pium Papam.

Epistola Legati Apostolici ad Episcopum Wratislaviensem.

Epistola Pii ad Fredericum Imperatorem de Georgio.

Epistola Georgii Regis ad Paulum II. Papam.

Ejusdem ad eundem ex parte Matthiæ Regis Hungariæ.

Epistola Baronum Bohemiæ ad Nuntium Apostolicum.

Informatio Legati Apostolici ad D. Heimburg, qua Principes Misenenses informare debet de Georgii Regis negotio.

Forma Brevii Apostolici missa Ernesto Duci Saxoniæ & aliis Electoribus, item Wilhelmo Duci Saxoniæ, Marchionibus Brandenburgensibus, & Duci Bavariæ Ludovico.

Forma Brevis bullati missi ad Prælatos & Barones Bohemiæ.

Bulla definitiva Pauli II. contra Georgium hæreticum.

Copia Apostolici Brevis, missi Marchioni Brandenburgensi:

Responsio Pauli Papæ II. ad litteras Georgii Regis Bohemiæ.

Ejusdem Responsio ad Ducis Bavariæ scriptas pro Georgio Epistolas.

Epistola Legati Apostolici ad Prælatos & Barones Regni Bohemiæ, in Dieta Brunnensi congregatos.

Supplicatio eorundem ad Papam pro Georgio.

Acta in Conventu Wratislaviensi de processu contra Georgium.

Juramentum Georgii electi Regis, quod præstitit in coronatione sua, Catalogi pag. 316. ad 318.

Inter MSS. Codices Collegii Principum Majoris, in posteriori parte Paulinæ bibliothecæ, una cum impressis ejusdem Collegii libris repositos, in libris Historicis, Codice 551.

Mandatum Friderici Imperatoris ad Nobiles in Silesia & Lusatia, contra Georgium de Podibrat.

Bulla aurea de Electione Regis Bohemiæ.

Litteræ aliquot Papæ Pii ad Barones Bohemiæ, Duces Silesiæ, Capitulum Wratislaviense, atque Fridericum Imperatorem.

Christiani Regis Daniæ & Sueciæ litteræ tres ad Georgium Bohemiæ Regem.

Novitates de Regno Bohemiæ anno 1462.

Responsio Regis Bohemiæ contra revocationem compactatorum, per Papam Pium factam, Catalogi pag. 398.

Ibidem Codice 552.

Tractatus M. Nicolai Timpefeld Doctoris Theologiæ Universitatis Cracoviensis & Canonici Wratislaviensis, contra Georgium de Podibrat, assertum Regem Bohemiæ.

De Electione Georgii in Regem Bohemiæ.

Oratio facta coram Papa per Legatos Silesiæ, contra electum Regem Bohemiæ.

Concordata inter Regem Bohemiæ & Wratislavienses.

Brevia aliquot Pii Papæ II. de Georgio ad diversos.

Auctoritates Evangelii, Doctorum, Canonum & Ecclesiæ, pro communione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, omnibus fidelibus sub utraque specie usque ad diem Judicii administranda.

Versus hexametri de incineratione Hussonis & Hieronymi, a M. Johanne de Wetslaria compositi.

Citatio per edictum trium Cardinalium, contra Georgium Regem Bohemiæ.

Juramentum Georgii Regis Bohemiæ.

Pauli Papæ II bulla, qua Barones & Georgio subjecti a juratis omnibus absolvuntur.

Ejusdem bulla, qua Georgius & filii ejus Regno Bohemiæ abdicantur.

Bulla Cruciatæ contra Bohemos.

Breve Georgii ad Paulum Papam.

Brevia Pauli ad Marchionem Albertum Brandenburgensem, Ludovicum Bavariæ Ducem, ad Barones Bohemiæ, ad Matthiam Hungariæ Regem.

Rudolphi Episcopi Lovatini monitio sub pœna excommunicationis ad Wratislaviam, de non adhærendo Georgio Bohemiæ Regi.

Brevia Pauli Papæ duo ad Ernestum Saxoniæ Ducem, & ad Georgium, qui se Regem Bohemiæ appellat, & ad Baronem de Plawen.

Rudolphi Episcopi Lavatini & Sedis Apostolicæ Legati, litteræ ad Universitatem Lipsiensem.

Citatio per Papam Pium contra Regem Bohemiæ 1464. decreta, & per Paulum Papam executa.

Bulla Cruciatæ a Paulo Papa data per Rudolphum Episcopum Lavatinum.

Rudolphi ejusdem commissio Magistro Henrico de Slestat, ut crucem prædicet in Lusatia & Misnia contra Georgium Bohemiæ Regem.

Informatio Juris ad Regem Hungariæ Matthiam, ex parte Regni Bohemiæ.

Appellatio Regis Bohemiæ Georgii, a Papa ad Concilium Generale.

Responsio Papæ ad scripta Georgii, per medium Regis Hungariæ directa.

Responsio & consultatio articulorum datorum in scriptis, per Georgium de Podibrat, Regis Poloniæ Oratoribus.

Citatio Legati Apostolici ex parte Baronis de Plawen, contra Ernestum Saxoniæ Ducem.

Pauli Papæ Bulla pœnarum, contra Georgium & ejus adhærentes.

Bulla de prædicatione Crucis.

Bulla indulgentiarum pro extirpatione Georgii in Bohemia.

Bulla pœnalis & anathematizatio Georgii & filiorum ejus.

Acta in Diæta Ratisponensi 1469. per Laurentium Episcopum Ferrariensem, & Sedis Apostolicæ Legatum, contra Georgium Podibrat.

Acta per eundem in Conventu Olomucensi in Moravia, præsente Matthia Rege Hungariæ.

Literæ Georgii Germanicæ ad Johannem Episcopum Magdeburgensem.

Novitates de Regnis Bohemiæ & Hungariæ.

Quatuor Baronum litteræ ad Matthiam Regem Hungariæ.

Matthiæ ad eandem responsio.

Acta per Rudolphum Episcopum Lavatinum in Diæta in montibus Cuthinis.

Executio Dominorum Legatorum super Compactatis, data Bohemis & expedita in Concilio Basileensi.

Informatio Doctorum in causa, contra tres veritates in Concilio Basileensi decretas.

Responsio Papæ Pii ad Bohemos, petentes Compactata confirmari.

Acta absolutionis Georgii Heimburgensis.

Catalogi pag. 403. ad 408.

Hæc argumenta persecutionum, quas Romani Pontifices in Georgium Bohemiæ Regem suscitarunt.

De quo plurimum disserit Joannes Dubravius Olomucensis Episcopus, in *Historia Bohemica* Lib. 28. 29. 30. & passim. Odoricus Raynaldus Tomo 18. Annalium Ecclesiasticorum ab anno 1442. ad 1470. sed ex præjudiciis & imposturis Romanæ Ecclesiæ, quibus fidem præbuit.

ANTONIUS TUDERTINUS, cui patria Tudertum Umbria oppidum, circa hæc tempora claruit, quem hominem Latine Græceque doctissimum Leander Albertus in *Italia* sua appellat. Varia transtulit ex Græco Latine, ut ibidem dicitur, atque inter ea Vitas Plutarchi hasce; *Pompeji*, *Timoleontis*, *Agidis & Cliomenis*. Meminit & Erasmus in Ciceroniano suo. Extant inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1250. in MSS. Codicibus Collegii Novi Codice 286. num. 6 *Antonii Tudertini Oratio in laudem urbis Florentinæ*. Num. 7. *Ejusdem Consolatio ad quendam Cardinalem de obitu fratris sui*. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. pag. mihi 595. 1450

NICOLAUS SAGUNTINUS seu SEGUNTINUS, ab anno circiter 1440. ad 1460. & ultra eluxit, Latinam Linguam & Græcam eximie callens, qui & acri ingenio & facundia ubere excelluit: quas ob dotes anno 1439. ad Synodum Oecumenicam Florentinam ab Eugenio Pontifice Maximo destinatus fuit, ut interpretis officio fungeretur inter Græcos Latinosque, tum de controversiis inter utramque Ecclesiam motis, tum de processione Spiritus Sancti a Patre simul & Filio, ut inquit Æneas Sylvius in *Descriptione Europæ* cap. 54. Reddidit etiam in Latinam linguam ex Græcis Plutarchi librum *De Civilibus præceptis* & Onosandrum Platonicum *De optimo Imperatore*, qui Basileæ anno 1541. prodierunt. Idem *Turcarum Genealogiam* a se Latino sermone conscriptam, Pio Papæ dicavit, qui anno 1458. ad Sedem Pontificiam promotus est, ut ait Paulus Jovius in Opere *De Vitis Turcicorum Imperatorum*, in Vita Seleimii Turcici Imperatoris. Ac meminit quoque ipse Pius Papa in *Asiæ descriptione* cap. XXIX. ubi de eo ita loquitur: *Nicolaus Seguntinus, multa eruditione præditus, Græcas & Latinas literas apprime callens, de Turcis ad nos scribens, Asiaticos Scythas illos esse fatetur*. Laudat & Johannes Cuspinianus in *Imperatoribus Romanis*, item libro *De Origine Turcarum*, cujus verba apponi merentur. *Nicolaus Euboicus Sagundinus, qui ab aliis Segundinus dicitur, vir Græce & Latine peritissimus, qui Florentiæ sub Eugenio quarto, ubi Græcorum caussa Concilium agebatur, eruditissime Disputationes Græcorum interpretabatur, ac illustre nomen fidi Interpretis consecutus est. Ad Æneam Silvium, Senensem tunc Præsulem, libellum scripsit tersissimum De Origine & familia Ottomannorum.* Mentionem illius hanc habent Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Nicolaus Sagundinus*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. pag. 594. editionis ultimæ anno 1651. Lugduni Batavorum in 4to. 1450

BERNAR-

1450 BERNARDUS DE ROSERGIO, natione Gallus, ex Ordine Canonicorum Regularium divi Augustini, cujus regulam tunc observabant Metropoleos Tolosanæ Canonici, ætate Caroli VII. Francorum Regis, annis 1450. 1460. & sequentibus claruit, sub Nicolao V. Callisto III. & Pio II. Romanis Pontificibus, quibus non incognitus fuit, Carolo autem VII. Regi carissimus. * Ita se gessit in Collegio Canonicorum Tolosæ majoris illius Ecclesiæ, ut ob eminentem doctrinam pietatemque notoriam Præpositus Capituli hujus Metropolitani electus fuerit, tumque postea assensu fratrum unanimi ad Archiepiscopalem sedem promotus, quam cum laude administravit. Non ignarus fuit *Historiæ Ecclesiasticæ* Bernardus de Rosergio, nam Christophorus Sandius in *Historia Ecclesiastica enucleata*, seu in *Historia Arianorum tribus libris comprehensa*, editionis Amstelodamensis anno 1676. in 4. pag. 398. testatur; „Bernardum de Rosergio Archiepi„scopum Tolosanum scripsisse *Annales civita„tis Tolosanæ*, quos Nicolaus Bertrandus in „*Historia Tolosana*, dicit suo tempore, id est, „sub initium Seculi XVI. extitisse in Bibliothe„ca S. Stephani Tolosæ manuscriptos, ubi ta„men illos frustra quæsivit, ut illis uteretur „Gulielmus Catellus, aliis licet dicti Archiepi„scopi operibus ibidem extantibus MSS.„ Testis autem hujusce rei Nicolaus Bertrandus in Tolosano Parlamento causatum patronus, obiit anno 1527. ultima die Julii. Hoc furto non obstante, aliis operibus eruditionem posteris testatus est, dum *Tractatum de potestate Cardinalium* scripsit, qui MS. extat in Bibliotheca Scoviaci Regis Catholici Hispaniarum, & in Bibliotheca Cardinalis Sirleti, postea Ascanii Columnæ, ut testatur Ludovicus Jacob a Sancto Carolo in *Bibliotheca Pontificia* Lib. 2. pag. 281. editionis 1643. Lugduni in 4. Item *Miranda de laudibus Franciæ ad Carolum VII. anno 1450.* ex MS. Codice Regio 1309. in quo habetur ejusdem & *Liber armorum per Bernardum de Rosergio Ecclesiæ Tolosanæ Præpositum & de arte blasonandi*, nec non *De Ambasiatoribus & jure illorum.* Item *Pro Ecclesiastica libertate, sive De immunitate Clericorum a quibusdam impositionibus*, *Octo Orationes recitatæ a Bernardo de Rosergio Ecclesiæ Tolosanæ Præposito, coram Carolo VII. & Delphino*, ex eodem Codice Regio 1309. ut habet Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum*, sive *Specimine antiquarum Lectionum Latinarum & Græcarum*, editionis 1654. Parisiis in 4. parte 1. pagg. 11. & 29. Plura de gestis *Bernardi* dabunt fratres Sammarthani Tomo 1. *Galliæ Christianæ* in *Archiepiscopis Tolosanis*, cujus etiam meminit Carolus du Cange in *Indice Scriptorum*, quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis col. XCIII.

1450 BENEDICTUS DE ACCOLTIS, *Junior* dictus, ut ab altero distinguatur, qui anno 1376. floruit, quem avum habuisse creditur, natione Italus, patria Aretinus fuit, ubi anno 1415. natus scribitur. Claruit ille circa annum 1450. & sequentes, commisitque nomen suum posteris, dum emisit in publicum *Libros IV. de bello a Christianis contra barbaros gesto, pro Judæa & sancto Sepulchro recuperando*, qui editi primum sunt Francofurti in Germania anno 1574. a Roberto Wintero in Collectaneo Variorum pag. 1171. ubi inscribuntur, *Harangues militaires de la guerre faicts par les Chrestiens contre les Barbares.* At iterum Latine editi Florentiæ anno 1623. in 4. procurante hanc iteratam editionem Thoma Dempstero viro docto, qui tum in Italia scriptis & eruditione florebat, suasque Operi notas haud ingratas adjecit, Iidem Libri in Italicam linguam conversi, in 4. Florentiæ anno 1621. impressi leguntur. Item *Benedictus de Accoltis de præstantia virorum sui ævi*, impressus Parmæ 1692. in 8. Conscriptus instar Dialogi Liber, Cosmo Medices dedicatus, Magno Florentiæ Duci, qui eum coluit. Item *Epistolarum & negotiorum publicorum sua ætate gestorum libros ac tractatus plures collegit*, qui in Archivis Florentiæ sedulo MSS. asservantur. Diversus autem ab isto Benedictus alter de Accoltis, itidem Aretinus, sed Archiepiscopis Ravennas, qui a Clemente VII. anno MDXXVII. Cardinalis tituli S. Eusebii creatus est: vir & ipse doctissimus, cujus luculentum Elogium habes apud Lelium Giraldum *De Poetis sui temporis.* Ac Leander Albertus in *Italia* sua, cum illa scriberet (edidit autem opus hoc suum anno MDL.) eundem etiam superesse ait, atque addit avum ei fuisse Petrum de Accoltis Aretinum, qui Episcopus Anconitanus fuit, atque a Papa Julio II. anno MDXI. creatus est itidem Cardinalis tituli S. Eusebii. Hæc duos istos Benedictos Accoltos Aretinos, temporibus differre satis indicant. De isto nostro Benedicto loquuntur Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 111. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. pag. 580. ultimæ editionis Martinus Lipenius in *Bibliotheca Reali Philosophica* anno 1684. Lipsiæ in folio edita, pag. 157. col. 2. pag. 174. col. 2. pag. 651. col. 1. 934. col. 1.

BLONDUS FLAVIUS, Forojuliensis seu Forliviensis, natione Italus, Eugenii IV, pluriumque Romanorum Pontificum a Secretis & Epistolis fuit, natus Forolivii anno 1388, qui Romæ pauper, uti Philosophum decuit, mortuus est, sicut postea dicemus. Variis sane laboriosisque Operibus nomen ille suum transmisit ad posteros, sed dictione non admodum culta, ut etiam Volaterranus agnoscit, qui tamen de antiquitate, pro ætate, qua vixit, optime meretur, utcunque interdum aliquid humani patiatur. De eo sic Johannes Gabelinus Lib. XI. Commentariorum Pii II. Pontificis Maximi. "Pridie nonas Junias hujus anni (si„gnat annum 1458.) Blondus Flavius obiit, Hi„storiarum 1450

„ſtoriarum Scriptor egregius, natione Foroli„vienſis, qui apud Pium II. Pontificem Secre„tarium Apoſtolicum geſſit, & Eugenio IV. „Pontifici Maximo acceptiſſimus fuit. Ab „Arcadio, Honorioque Cæſaribus, quo tem„pore inclinaſſe Romanum Imperium memo„rant, usque ad ætatem ſuam, univerſalem „ſcripſit Hiſtoriam, Opus certe laborioſum & „utile, verum expolitore, emendatoreque „dignum. Procul Blondus ab eloquentia pri„ſca fuit, neque ſatis diligenter, quæ ſcripſit, „examinavit: non quam vera, ſed quam mul„ta ſcriberet, curam habuit. Si quis aliquan„do vir doctus, ſcribendi peritus, Opera ejus „emendare atque ornare decreverit, haud pa„rum utilitatis poſteris adferet, & ſe ipſum „clarum efficiet, multarum ætatum geſtis, quæ „propemodum ſepulta ſunt, in lucem reddi„tis. Extant & alia Blondi Opera non parvæ „utilitatis, quamvis caute legenda ſunt, ne „falſa pro veris accipias, in pluribus enim er„raſſe deprehenditur. Scripſit *Italiam illuſtra„tam, Romam inſtauratam, & eandem trium„phantem*, quam paullo ante obitum abſolvit. „Mortuus eſt Romæ pauper, ut Philoſophum „decuit, Patrimonium quod habuit tenue, „dotium cauſſa inter fœminas diviſit: Maſcu„lis præter doctrinam bonosque mores, nihil „reliquit: id morienti ſatis fuit, ejus ætatis fi„lios dimiſiſſe, qui ſibi ipſis conſulere poſſent. Reprehenditur a Georgio Merula, dum Libro X. *Hiſtoriæ Vicecomitum* inquit, *Hac in parte neſcio, indiligentiæne Blondum, an magis invidiæ arguam?* De eo ita Floridus Sabinus, Apologia adverſus linguæ Latinæ calumniatores: *Blondii Flavi Foroliivienſis hoc in negotio ſummum ſtudium amplectimur, quamvis in ſcribendo non admodum elegans habeatur: nec deſunt, qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant, alioqui non paucis etiam luculentus fluere viſus eſt.* Scripſit Romæ Triumphantis Libros X. Opus, quod dedicavit Pio II. Summo Pontifici. Ad hæc *Romæ illuſtratæ Libros III.* quos inſcripſit Eugenio IV. Itemque *Italiæ illuſtratæ Libros VIII.* Denique & *Hiſtoriarum Decades tres*, ab inclinato Romanorum Imperio, hoc eſt, ab anno CCCC. usque ad annum Chriſti MCCCCXL. non vero MCCCC. ut eſt apud Davidem Chytræum, Genebradum & Bellarminum. Agit enim poſtremo Libro de Schiſmate Felicis Antipapæ contra Eugenium, quod incidit in annum MCCCCXXXIX. Quod autem meminit mortis Calliſti III. qui anno MCCCCLV. obiit, aliquot poſt annis, Commentarios demum ſuos, edidiſſe arguit. Hoc ultimum opus extat MS. Cantabrigiæ in bibliotheca Collegii divi Benedicti, Cod. 378. Item *De Vecietarum origine & geſtis Librum*, a jactis Reipublicæ fundamentis usque ad captam a Saracenis Ptolemaidem; ſeu ab anno Chriſti 456. ad 1291. Omnia autem prædicta Blondi Flavii Opera in folio impreſſa, Baſileæ anno 1559. in folio. Itemque ibidem anno 1531. in officina Frobeniana. Ad honorem Blondi non parum attinet, quod Scripta illius in Epitomen contrahere Pius II. Pontifex dignatus ſit: Hæc *Hiſtoria Blondi ob inclinationes Romani Imperii*, una cum Abbreviatione Pii Papæ ſuper eadem Hiſtoria, impreſſa eſt Venetiis in folio anno 1484. Item anno 1533. Baſileæ apud Bebelium. Ibidem anno 1551. apud Henricum Petri, atque anno 1571. apud eundem. Extat in bibliotheca Balliolenſi Oxonii, Blondus *De Coſmographia Italiæ*, MS. Cod. 260. Romæ obiit Jovio teſte, jam Septuagenarius, imo ultra, ut mox patebit, atque in Capitolio juxta Deiparæ templum ſepultus eſt, in Ara Cœli ante introitum templi, ubi tale ejus epitaphium, ut eſt in Fabricii *Roma*. „*Blondo Flavio Forolivienſi*, „ *Hiſtorico celebri, multorum Pontificum Romano*-„ *rum Secretario, Blondi quoque filii Petri bene*,„ *merenti unanimes poſuere. Vixit annos LXXV*.„ *Obiit pridie Nonas Junii, anno ſalutis Chriſti*-„ *anæ* MCCCCLXXIII. *Pio P. M. ſibi natisque*,„ *favente.* Quos reliquit quinque filios, omnes,„ ut Leander teſtatur, egregie litteris fuere,„ eruditi." De illo Conradus Geſnerus in *Bibliotheca Scriptorum*. Joſias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Geſneri* pag. 121. verbo *Blondus Flavius*. Bellarminus & Labbeus, quisque parce in opere ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, hic ad annum 1440. pag. mihi 377. Iſte tomo I. *Diſſertationis Hiſtoricæ* verbo *Blondus Hiſtoricus* pag. 203. Gerardus Joannes Voſſius Libro 3. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 7. pag. 585. ultimæ editionis.

ALPHONSUS A CARTHAGENA, BURGENSIS IN HISPANIA EPISCOPUS, tunc quoque circa annum 1450. ob doctrinam clareſcebat, quem genuerat antequam pars Eccleſiaſtici Ordinis factus eſſet, Paulus Burgenſis, cognomento de Sancta Maria, ex Judæo Chriſtianus, poſteaque Carthaginenſis, ac tandem Burgenſis Epiſcopus. Condidit ἀνακεφαλαίωσιν rerum Hiſpanicarum, Romanorum Imperatorum, Summorum Pontificum & Regum Francicorum, quæ prodiit in lucem typis Wechelianis, Francofurti in Germania anno 1603. tomo I. *Hiſpaniæ illuſtratæ* pag. 246. tum in *Hiſpanicarum rerum Scriptoribus variis*, in folio Francofurti tribus tomis anno 1579. impreſſis, per Robertum Belum & Johannem Sambucum collectis, ibidem tomo I. pag. 611. De hoc Opere ita Vaſæus in *Chronico Hiſpaniæ* cap. 4. *Alphonſus a Carthagena, Epiſcopus Burgenſis, Pauli Burgenſis Epiſcopi ex legitimo matrimonio filius, & in Epiſcopatu Succeſſor, præter alia Opera ſcripſit ἀνακεφαλαίωσιν Regum Hiſpaniæ, cum Roderico Toletano nuper impreſſam.* Non inepte hanc ſcripſiſſe Hiſtoriam, judicium eſt Alfonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis, in Libro *De Hiſpaniæ viris claris & Academiis*, qui extat tomo 4. *Hiſpaniæ illuſtratæ*. De illo Scriptores & Collectores *Rerum Hiſpanicarum*. 1450

Gerardus

Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. pagina 586. ultimæ impressionis.

1450 JOANNES HUGO SLESTADIENSIS, natione Germanus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, quem in Cœnobio hujus instituti in eadem urbe ista professus fuerat, circa annum 1450. claruit Theologica scientia, pro more Fratrum Mendicantium. Edidit in publicum Tractatum *De Papæ potestate*, impressum Argentorati anno 1504. contra *Monarchiam* Antonii de Rosellis, cui Synchronus fuit, cujus meminit Martinus Lipenius in *Bibliotheca Reali Juridica* p. 403. & 374. Item *Quadruvium Ecclesiæ de Officio 4. Prælatorum, quibus omnis anima subjicitur*, editum Venetiis anno 1584. in 4. & ibidem inter Collectionem Tractatuum Juris Tomo XIII. fol. 289. cujus idem Lipenius meminit ibidem, p. 362. & 410. Scripsit præter commemoratos tractatus *Commentarium in 4. Libros Magistri Sententiarum*, quem habes MS. in bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum hujus bibliothecæ Codicum, impresso Lipsiæ anno 1686. cura & studio Joachimi Felleri bibliothecarii, p. 183. num. 24. & p. 179. num. 21. & 22. Hujus meminit Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 363. quem anno 1452. floruisse ac vixisse ait. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* p. 771. quem ad annum 1460. collocat. Ambrosius Altamura in *Bibliotheca Ordinis Praditorum*, ad dictum annum, & alii.

1450 ALBERTUS SIGEBERGENSIS MONACHUS, natione Germanus, ut creditur, ex Ordine Divi Benedicti, de quo ita Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 27. *Albertus Sigebergensis Benedictinus, Commentaria in utrumque Testamentum scripsit. Vixit anno 1450. Eisengreinius.* Alberti hujus Sigebergensis Monachi, extat *Glossarium Veteris & Novi Testamenti* MS. in bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex hujus Catalogo bibliothecæ Manuscriptorum Codicum pag. 72. num. 8. impresso Lipsiæ anno 1686. cura & studio Joachimi Felleri bibliothecarii. Idem Albertus natione Germanus, scripsit narratione, ut ipse testatur, fideli, *Historiam Romanorum Pontificum & Imperatorum*, potissimum a Gregorio XI. usque ad annum Christi 1454. ut ipse in Vita Innocentii Papæ VII. testatur, quo tempore clarus habebatur. Joannes Cuspinianus in Opere *De Imperatoribus Romanis* aliquoties allegat hunc Albertum Monachum, quem MS. in partibus Germanicis olim habuerat. Atque hujus Historiæ Codex jam habetur inter MSS. Codices Historicos Latinos arcis Ambrosianæ num. 61. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, uti testatur celeberrimus illius bibliothecarius Petrus Lambecius tomo 2. Commentariorum hujus bibliothecæ cap. 8. pag. 871. Inscribitur *Historia Pontificum & Imperatorum Romanorum, ex S. Hieronymi, Isiodori Hispalensis, Venerabilis Bedæ, Sigeberti Gemblacensis, Richardi Monachi Cluniacensis, Sicardi Episcopi Cremonensis, Martini Poloni, & recentiorum aliquot authorum Chronicis collecta*: quam Albertus iste, de quo nobis sermo est, continuavit a Gregorio XI. usque ad annum Christi 1454. ut ipse in Vita Innocentii Papæ VII. testatur his verbis: „Vacante Sede post Bonifacium nonum anno, „Domini MCCCCIV. Cardinales numero du-„odecim conclave intraverunt, & coram plu-„ribus Notariis & testibus solemnibus compro-„misserunt & compromissum servare jurarunt, „nec unquam se absolvi ab illo juramento peti-„turos, neque absolutionem aliquam se rece-„pturos ab eodem: videlicet quod ipsi singuli, „& communiter, & si quis eorum forte in Pa-„pam eligeretur, vellet & deberet omnem di-„ligentiam, quam posset, adhibere, ad hoc, „quod unitas Ecclesiæ reformaretur, etiamsi „opus esset ad hoc renuntiare Papatui: &, „quod Cardinales absentes ad simile juramen-„tum arctarent, præstandum similiter de no-„vis eligendis. Et post hæc processum est ad „electionem, & electus est Dominus Cosmatus, „Tituli Sancti Crucis in Hierusalem, vulgari-„ter *Bononiensis* vocatus, vocatusque est IN-„NOCENTIUS SEPTIMUS. Hic statim, „post electionem suam, regimen Urbis, liber-„tatemque Romanis restituit: unde elati in su-„perbiam, insolentias eis consuetas ultra mo-„dum exercere præsumpserunt. Hic Inno-„centius Prælatis & Episcopis in diversis regnis, „constitutis intimavit Concilium Generale in „Roma celebrandum in mense Septembri pro „ablatione Schismatis. Adveniente igitur „mense Septembri, Romæ inter amicos Papæ, „& quosdam Romanorum, orto distarbio, „quidam Romani æmuli Papæ, a fidelibus ejus „trucidati sunt: quorum unus subtus cappa „Papæ latuit, dum alii occiderentur, sicque „salvatus fuit. Quem ego Frater Albertus pro „tunc Monachus, tempore Martini Papæ V. „superstitem adhuc vidi Romæ in Insula habi-„tantem, qui hanc Chronicam a tempore Gre-„gorii IX. usque ad hæc tempora continuavi, „scilicet anno Domini MCCCCLIV. prima „die Octobris, tam de visis & auditis, quam „etiam de compertis. Quare ab Urbe Roma „recessit &c.„ Codex Augustissimæ Cæsareæ bibliothecæ, cujus hic obiter fit mentio, ille ipse est, quo olim Joannes Cuspinianus in componendo Opere *De Imperatoribus Romanis* usus est. Meminit hujus Alberti Monachi etiam Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* pag. 693. ubi scribit videndum esse, an hic alius sit ab Alberto Abbate Stadensi. Quamobrem hic necessario censeo judicandum esse, *Albertum Monachum* a Joanne Cuspiniano citatum, de quo in præsens agitur, diversum omnino esse ab Alberto Abbate Stadensi, utpote qui Chronicon scripsit a creatione Mundi usque ad suam ætatem, hoc est, usque ad an-

ad annum Christi 1256. inclusive. At Albertus ille Monachus, de quo hic agitur, continuavit allegatum Chronicon, non a creatione mundi, sed tantum a Nativitate Christi inchoatum, usque ad annum 1454. Scripsit etiam idem Albertus Monachus non solum *Historiam Romanorum Pontificum*, ut refert jam citatus doctissimus Gerardus Joannes Vossius, sed & *Historiam Imperatorum Romanorum*, ab Imperatore Augusto usque ad Imperatorem Fridericum vulgo tertium, revera autem quintum, Imperatoris Maximiliani I. patrem, quæ extat in eodem Codice MS. bibliothecæ Imperatoriæ. In hac autem *Historia Pontificum & Imperatorum* hactenus quod sciam nondum edita, traditur, *Martinum Polonum* de *Joanna Papissa* meminisse, insuper & mantissæ loco addidisse, quod in nullis ipsius Chronici exemplaribus requiritur, vel hactenus cuiquam repertum est, nempe *Joannam Papissam jam gravidam quondam a Diabolo obsessum interrogasse, quando Diabolus a corpore ejus recessurus esset, & Diabolum respondisse his versibus :*

Papa Pater patrum, Papissæ pandito partum,
Et tibi nunc edam, de corpore quando recedam.

Quibus finitis ibidem apud Albertum istum subjungitur: *Hæc Martinus Polonus.* Agunt de *Alberto Sigebergensi isto Monacho* Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* p. 22. Antonius Possevinus loco citato. Petrus Lambecius tom. 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 8. p. 871. & 872.

DISSERTATIO
DE
DOCTRINA ET SCRIPTIS REGINALDI PAVONIS, ANGLICE PECOCK SEU PEACOCK, ASAPHENSIS PRIMUM, TUM POSTEA CICESTRENSIS EPISCOPI,

PROLOGUS.

1450 REGINALDUS PAVO, Anglice PEACOCK, natione Anglus, patria Cambrobritannus, in Collegio Orialensi apud Oxonienses educatus, Doctoratus insigna tandem accepit. Vir summa rei Theologicæ peritia, ac morum probitate conspicuus, quo nomine, magno illi pietatis ac melioris litteraturæ Mecænati Humfredo Glocestriæ Duci facile in notitiam devenit. Illius favore anno 1440. Episcopatum Asaphensem obtinuit, anno deinde 1450. ad Cicestrensem translatus. Summo animi studio Wicklefistis, quos vulgo *Lollardos* vocabant, in Ecclesiæ Romanæ sinum reducendis incubuit, cui Operi ad extremam usque ætatem intentus, plurimos tam vernaculo quam Latino sermone Tractatus edidit. Haud ita tamen partibus Pontificiis addictus, quin gravissimos in Ecclesia Romana tunc passim errores ac superstitiones agnosceret & insectaretur. Quin etiam Lollardis non adeo iniquus, ut vivicomburium illis ab Anglicano Clero sæpe inflictum vehementer improbaret, mitioribus argumentis & ratione sola controversiam esse dirimendam ratus. Infallibilitatem Ecclesiæ Romanæ Repræsentativæ, seu Papæ, seu Concilii Generalis, quæ quidem post habita isto ævo Concilia Constantiense & Basileense in Scholis passim venditari cœperat, acriter scriptis oppugnavit, Ecclesiamque Articulos fidei definientem, & errare posse & revera sæpius errasse, contendit. Alias adhuc opiniones, Vir supra communem seculi sui sortem eruditus, ab egregia antiquitatis cognitione hauserat, quæ tunc temporis parum cognitæ, ab omnibus vero etiam rejectæ, hæreseos suspicionem illi apud indoctos & æmulos Præsules Angliæ moverunt.

CAPUT PRIMUM,
DE DOCTRINA REGINALDI PAVONIS SEU PEACOCK.

QUidquid illic diximus, dicemusque, haurientes ab Henrico Wharton, qui Supplemento *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi adjecit, quique MSS. Codices Operum Reginaldi Pavonis vidit ac diligenter excussit, de quibus loco citato ad annum 1444. pag. 125. & sequentibus nos ordine rerum paulum immutato, cum adjectis paucis, hæc edocebimus.

Cum fama itaque Wicklefianismi sinistra apud plebem & æmulos laboraret Reginaldus Pavo, ut hanc a se averruncaret, Opus conscribere aggressus est Anglica lingua, quibuscum versabatur, in Cleri Ecclesiastici gratiam, contra cujus abusus & errores & mores Joannes Wicklefus acrius insurrexerat. Extat inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 2370. in MSS. bibliothecæ publicæ Codice 190. in folio inscriptum, *The Repressor of over much blaming the Clergy, by Raynold Peacock, Bishop of Chichester*, & continet 5. partes, quarum fine hæc verba leguntur : *Explicit coram Domino Rege in Capella sua apud Humbich, 11. Novembris anno Domini 1457.* Latine *Repressor nimiæ Cleri Reprehensionis*, Opus imprimis prolixum, ac summo, ut videtur, studio elimatum, quo recepta Ecclesiæ Romanæ dogmata ac ritus adversus Wiclefistarum objectiones, Author vulgari idiomate suse adstruit.

Cæterum

Cæterum Operis iſtius conſcripti tempus, ex eodem certiſſime definiri poteſt: parte enim V. cap. 6. annos ab inchoato inter Anglos & Gallos bello XXXIV. effluxiſſe ſæpius dicit, adeo ut anno 1449. ſcriptum eſſe neceſſe ſit. Integrum Opus in V. partes diſtribuitur, quarum *prima* impugnatos a Wicleviſtis ritus generali argumento propugnat, *reliquæ* ſingulos ordine ruentur.

Prima itaque parte Palmariam Wicleviſtarum objectionem aggreditur, qui nihil ſive Dogmatum ſive Ceremoniarum, niſi a S. Scriptura expreſſe approbatum, recipi voluerunt. Idque inprimis probandum fuerit, nequaquam in id nobis S. Scripturam eſſe datam, ut illa, quæ naturalis ingenii viribus dignoſci poſſent, revelaret: adeoque innumera Chriſtianis omnibus neceſſario facienda ac credenda eſſe, de quibus ne verbum quidem haber S. Scriptura, imo potiorem fidei atque officii Chriſtiani partem e ratione naturali petendam eſſe. Chriſtianam enim religionem, ſi Sacramentum excipias, nihil penitus addidiſſe legi morali: adeoque totam (ſi Sacramenta demas) non in Scriptura S. ſed in ratione naturali primario fundari. Hinc ſequi, quod legis & rationis naturalis dictatis obtemperandum eſſet, etiamſi Chriſtus & Apoſtoli aliquid ipſis contrarium prædicaſſent. Sacram autem Scripturam unicam eſſe veritatum revelatarum normam ac menſuram, tanquam indubitatum & ab omnibus receptum dogma ubivis ſupponit, quin & ſexcentis fere locis luculenter aſſerit. Parte tamen I. cap. 19. Canonem Scripturarum Sacrarum velut apud ipſos Pontificios non admittit, rejiciens cap. 13. & 14. Danielis, his verbis: *Porro in ſui defenſionem Hiſtoriam Suſannæ adverſarii producere non debent, Danielis cap. 13. Iſte enim locus & Hiſtoria non eſt Sacræ Scripturæ portio, ſed apocrypha: verus autem Danielis liber, quantus quantus eſt Scriptura Sacra, in 12. capita terminatur, uti Hieronymus interpres teſtatur.* Atque iterum parte 2. cap. 17. cum ſententiæ de Idololatriæ origine ab ipſo prolatæ Hæreticus locum *Sapientiæ* cap. 14. objiceret, authorem iſtius libri hallucinatum eſſe affirmat, ac deinde ſubdit. *Iſte locus Sapientiæ 14. falſus eſt, atque ut ita credam, integrum mihi eſt. Liber enim Sapientiæ non eſt Scriptura Sacra Liber, nudaque affirmatio ejuſce Libri Sapientiæ authoris Scriptoris ve, cui nomen erat Philo, nequaquam parem meretur fidem, neque tantum habet ponderis, quantum Sacra Scriptura, atque argumenta ſuperius a me hac de re prolata* &c. *Atque ita quidem mihi videtur fidem 14. capiti Sapientiæ nentiquam in hac re adhibendam eſſe. Si cui rudioris ingenii mirum videatur, dictum Sapientiæ librum tam eximium in Bibliis hodierno tempore locum obtinere, quin & pari, atq; alios S. Scripturæ libros, ſolemnitate in Bibliis collocari: illi ſic reſpondeo. Sub Eccleſiæ primordiis paulo poſt Chriſti paſſionem, Scripta homines ad Sanctitatem incitantia, rara admodum & pauca erant, ſi Libris ejuſdem argumenti ab illo tempore conſcriptis conferantur. Poſtmodum, cum Chriſtiani maximo piorum librorum ſtudio afficerentur, copia autem deſtituerentur: ob devotionem & aviditatem, qua Spirituales doctrinas homines tunc temporis exceperunt, in Biblia ſua deſcripſerunt, & Philonis librum, qui* Sapientia *appellatur, & Jeſu filii Sirach librum, qui vocatur* Eccleſiaſticus, *aliosque plures, ob magnam devotionem, qua Chriſtiani tanto piorum librorum caritatis tempore, in ejuſmodi libros ferebantur: quamvis ſatis noſſent dictos hosce Libros ex Sacra Scriptura non eſſe, quod & Hieronymus aliique clarius teſtantur, libros iſtos Sacræ Scripturæ partem non eſſe. Priſca vero iſta devotio dictos libros in Bibliis collocandi ab omni tempore, quo Biblia a privatis deſcripta paſſim habebantur, in hunc usque diem non ceſſavit. Exinde tamen iſtorum librorum authoritas, non altius quam olim attollitur, nec exempli gratia eo usque exinde ampliari poteſt, ut argumentis nuda illorum affirmatione majoribus præponenda ſit.* Hæc illa de Canone Romano librorum S. Scripturæ.

Parte ſecunda uſum Imaginum & Peregrinationes religionis cauſa ſuſceptas defendit, acute quidem ſatis nec inerudite, adeo tamen invita veritate, ut abſurdas ſæpenumero ſententias rueri neceſſe habeat. Ut alia enim ejuſcemodi taceam, originem ac naturam idololatriæ Judæorum ac Gentilium explicans, tantum paulo ante Chriſtum natum, Philoſophiæ in dies augeſcentis beneficio, jubar veritatis illuxiſſe parte 2. cap. 17. prædicat: ut omnes a Chriſto nato Gentiles (ſi pauculos obſcuri nominis excipias) idololatriæ crimine penitus immunes fuerint. Inter agendam vero Imaginum cauſam, cultum iis exhiberi neutiquam probat, idque duntaxat licere contendit, ut *Commemorativa* Dei beneficiorumque ejus ac Sanctorum, nequaquam *repræſentativa* ſigna in Eccleſiis aſſerventur.

Parte tertia fundos atque ampla patrimonia poſſidere Sacerdotibus Chriſtianis licere probat, & miniſtrantis culpam jus miniſterio debitum non auferre, neque Laicis decimas illis debitas ſubtrahendi poteſtatem conferre, contra Lollardos aſſerit. Conſtantini interim donationem, quam Sylveſtro Papæ olim factam eſſe Pontificii craſſiores fabulantur, parte 3. capp. 12. & 13. uberrimis, validisque argumentis impugnat. Idem parte 3. cap. 15. Sacerdotum nuptias licitas eſſe, contra Pontificiorum omnium ſententiam & Paparum Decreta his verbis oſtendit: *Quamcunque Actionem Apoſtolus aliquis aut Scriptura ejus, in morali Sacerdotis converſatione uſurpari perhibet, iſtam actionem a Sacerdote frequentari, rationi non repugnat. Aliter enim Apoſtolus & Scriptura ejus quiddam rationi contrarium perhiberet, quod nequaquam concedendum eſt. Ita vero res habet, ut a Sacerdote aut alio quolibet Chriſtiano omnia ciborum*

ciborum genera, quantum sufficit, actis Deo gratiis, accipi Scriptura satis approbet, uti patet ex 1. ad Timoth. cap. IV. Pari modo ista actio, ut Sacerdos ex omnibus virginibus sibi uxorem pro lubitu eligat & accipiat (modo nuptias statim post prima uxoris obitum non ineat) utque liberos gignat, possessiones teneat, familiam habeat, liberos alat & educet, uxorem, possessiones & liberos gubernet, atque illis prospiciat: ista inquam actio a Paulo, ac pari argumento a ceteris Apostolis comprobatur. De Paulo res patet ex eo, quod Scriptum est 1. ad Corinth. cap. 7. in initio, ubi ad omnes generaliter Corinthi Christianos, atque adeo ad Sacerdotes non minus, quam alios verba facit 1. ad Timoth. cap. 3. & ad Titum cap. 1. Si verba eo sensu accipiantur, quo Pauli temporibus, & a Pauli avo ad hunc usque diem per universam Graciam intellecta sunt, uti Ecclesia istius praxis demonstrat. Quin & secundum intellectum, quem verbis illis apposuit Ecclesia Occidentalis, a Petri & Pauli diebus ad Augustini usque tempus; uti Sacerdotum in Ecclesia Occidentali consuetudo, Augustini avo recepta demonstrat: una cum Historia Tripartita ubi de Concilio Niceno verba facit, utque ipso Augustino, qui Sacerdotum suo tempore uxoratorum mentionem fecit. Negari tamen non potest, quin Paulus Timotheo Epistola I. cap. V. consilium dederit, ut semetipsum castum servaret.

Parte quarta diversos Sacerdotii gradus in Ecclesia necessario admittendos esse, & a Christo institutos fuisse demonstrat contra Lollardos, qui paritatem omnium Sacerdotum præoptaverunt, neque alios præter Presbyteros & Diaconos, ordines admitti voluerunt. Illic capite 4. Petri ejusque Successorum Pontificum Romanorum, primatum adstruit: & sequentibus, Leges ab Ecclesiæ Præsulibus circa res indifferentes recte condi, & homines ad easdem servandas, licite cogi posse disputat. Nimiam tamen rituum ac cæremoniarum Farraginem, in Ecclesiam jam diu invectam esse non illubenter agnoscit: & innumera, quæ inde orta sunt, mala dolet, quin & librum ea de re se scripturum esse cap. 9. vovet, utque Deus voto annuat, precatur.

Parte quinta & ultima singulares & a vulgo Christiano discretas Religiosorum Ordinum vivendi formulas peculiarem habitum, magnifica ædificia, aliasque consuetudines tuetur: & cap. 3. varias Hæreticorum sectas, quæ antiquam Ecclesiam divexarunt, earumque dogmata recensens, postremo loco Waldenses & Wiclevistas apponit. Hactenus sex Ecclesiæ consuetudines a Lollardis impugnatas defenderat. Quinque aliæ pari modo propugnandæ restabant, videlicet 1. Preces Sanctis oblatæ, & communicatio meritorum a Sacerdotibus & Monachis passim venditata. 2. Nimia vasorum pretiosorum in Ecclesiis asservatorum multitudo, quæ divendi & in egenos distribui melius possent, & honor imaginibus & reliquiis Sanctorum datus. 3. Assiduus Sacramentorum usus, maxime vero divinus, qui Eucharistiæ elementis, exhibetur cultus. 4. Juramentorum usus a Clero usurpatus & aliis impositus. 5. Pœnarum capitalium & belli usus ab Ecclesia approbatus. Cum vero Capita ista aliis in libris fusa pertractasset, amplius de iis differere heic loci noluit.

CAPUT SECUNDUM, DE OPERIBUS SCRIPTIS ET CONDEMNATIONE REGINALDI PEACOCK.

INter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 413. in Collegio Sanctæ Trinitatis Classe 24. Serie prima, Codice 2. *Reginaldi Peacock Liber Anglice* compositus, nimirum *de fide Libri II.* forma Dialogi inter Patrem & Filium, Anglice conscripti, quorum priora fidem Argumentis duntaxat probabilibus, non demonstrativis, niti probat: qui posteriore Sacram Scripturam unicam esse fidei Regulam acute satis disputat. Liber iste posterior, una cum Excerptis ex priore nonnullis, prolixa editoris Præfatione illustratus, Londini 1688. in 4. in lucem emissus est. Paucis admodum ante obitum atque actam Palinodiam annis, Opus istud Peacockus composuit. Siquidem nonsolum *Repressoris* quem anno 1449. evulgavit, a se antehac conscripti inibi mentionem facit: verum etiam complures, quos sese conscripturum esse in *Repressore* promiserat, libros veluti jamdiu in lucem editos. commemorat. Circa annum igitur 1457. hi duo libri compositi videntur, & ultimi omnium quos Peacockus conscripserit.

Præter libros supra recensitos, scripsit Peacockus alios a semetipso in iisdem commemoratos, videlicet *Justam Doctorum æstimationem* Latine *Justam Sacræ Scripturæ æstimationem*, tribus partibus comprehensam Anglice. *De religione Christiana. De Matrimonio. De implendis quatuor Tabulis Tractatum*, cujus tertia pars *de usura* egit. *De Extensione IV. Tabularum. De Sacerdotio. De Christianæ fidei Regula. Librum de fide*, atque alium. *De Sacramentis* Latine. *Donatum in Religionem Christianam ducturum. Donati sequacem seu Appendicem. Provocatorem Christianorum. De Evangelicis Consiliis. Fidei Christianæ Demonstrationem. De Baptismo. De Eucharistia. Præconem. De Signis in Ecclesia seu de cultu. De Doctrina. De Ecclesia* Latine. Porro parte 1. *Repressoris* cap. 2. sese *Logicam* lingua vulgari ad Laicorum usum scripturum esse pollicetur. Parte 3. *Repressoris* cap. 12. librum *de Fabulis Legendarum.* Scripturam esse in se recipit. Parte 4. cap. 2. *Libros de baptismo & pænitentia* Latine, ac demum parte 5. cap. 6. se *Lectionum* a Cathedra Academica habitarum volumen editurum esse pollicetur. Ex his omnibus ab ipso conscriptis Operibus extant, ut supra diximus,

mus libri duo *de Fide & Christiana fidei Regula. Donatum in Religionem Christianam ducturum*, opinatus sum esse *Donatum Moralizatum*, ab auctore hujus temporis scriptum, qui impressus extat inter Opera Joannis Gersonis, nisi suum ex opere isto Gersoni adscripto vel conscripserit vel in Anglicam linguam Peacockus transtulerit, qua de re Critici, quibus ex otio vacat, viderint. *Donati Sequacem* Anglice scriptum asservari lego, inter MSS. Codices Ecclesiarium Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, [illegible]ice 6627. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 257. *Reginald Peacock boec call'd the Follorer of the Bevout.* Denique inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 128. in MSS. libris Theologicis Henrici Clarendonii Comitis Codice 30. Opus quoddam *Reginaldi Peacock Episcopi Alaphensis* in 8. cujus argumentum ultra non exprimitur.

Alios adhuc recenset Joannes Baleus *de illustribus Angliæ Scriptoribus* Centuria 8. cap. 19. puta *Defensorem, Declaratorium, Symbolum, Epistolam ad Godhardum Minoritam*, quam MS. extare in privata Gualteri Copi bibliotheca prodit Thomas Jamesius in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi parte 2. *Divinum Officium, Enchiridion, de Providentia DEI, de libertate Evangelii, de Secularium potestate, de æqualitate Ministrorum, de legibus doctrinis hominum, de communione sub utraque Specie contra mendicitatem impiam de sua Palinodia.* Verum præter opera pauca superius recensita, vix alia extare putem. Denique inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1979. in MSS. Thomæ Bodleji litera B. 2. Codice 14. num. 5. *Reginaldi Pecock Episcopi Alaphiensis allegatio de Conclusionibus suis ad Archiepiscopum Cantuariensem.* Sequuntur *alia fragmenta varia, ut de 4. fundamentis Scripturarum, seu potius fidei assensus. De authoritate Patrum, & non esse tantam differentiam inter docere & prædicare.* Opella media p. 14.

Ad eundem Reginaldum Peacock seu Paronca, spectare mihi quoque videtur, Codex MS. anonymus Latine conscriptus. inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1497. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 230. qui Opuscula XVII. continere videtur, quamvis Author Catalogi hujus Bibliothecæ, Scriptorem hunc Normanntum putet, quia in defensione Rothomagensis Ecclesiæ multus est. Sane ex titulis Librorum, quos a Baleo Reginaldus tum Anglice tum Latine composuisse dicitur, atque ex uniformitate doctrinæ, Reginaldo hoc volumen adjudicandum est, qui nomen suum ad invidiam declinandam suppresserit. Contenta hujus voluminis hæc Opuscula sunt.

1. An summus Pontifex sit judicio subjectus?

2. De una Ecclesia, & de Romana Ecclesia.

3. Quod Rothomagensis Ecclesia Ecclesiæ Romanæ non subjecta sit.

4. Quod Hierosolymitana Ecclesia prima sit.

5. De Privilegiis peculiaribus.

6. De temperandis Legibus.

7. De potestate Sacerdotali & Regia.

8. De Canonum paritate.

9. De electione Pontificis.

10. De Baptismo & Eucharistia.

11. De nuptiis & de depositione Sacerdotum.

12. De benedictionibus & de verbis transeuntibus.

13. Apologia pro filiis Sacerdotum.

14. De æqualitate Ministrorum, & de consecratione Pontificum & Regum.

15. An liceat Sacerdotibus inire matrimonium?

16. De Romano Pontifice.

17. De Charitate & obedientia.

Argumenta enim hæc omnia nullam inter se connexionem habent, Opusculaque distincta XVII. magis sunt, quam tractatus unicus & continuus, quorum plurima sub iisdem titulis Reginaldus Peacock scripsisse a Baleo dicitur, quorum & nonnulla ipse in Operibus agnoscit. In Catalogo Collectaneorum Richardi Jamesii S. Theologiæ Doctoris, Studio Thomæ Tanneri, Collectaneo XVII. num. 6. p. 49. Richardus Jamesius ex hoc MSS. Codice *excerpta* profert, ex *Anonymo* qui *multa reformationi nostra dogmata asseruit.*

Post Hamfredi Ducis mortem Reginaldus ad Synodum Lambethaaom anno 1457. citatus, a Thoma Boucherio Cantuariensi Archiepiscopo, ab Episcopis Wintoniensi, Lincolniensi & Roffensi, atque viginti quatuor inferioris Subsellii Theologis, hæreseos accusatus est: erroresque aliquor, ex ejus Scriptis partim collectos, partim inimicorum fraude confictos abrenuntiare jussus, palinodiam egit in Templo divi Pauli Londinensi, die IV. mensis Decembris ejusdem anni. Quid illi exinde contigerit, parum constat. Tradentibus nonnullis illum in carcere nece clandestina sublatum esse, aliis in ædibus Episcopalibus ad mortem usque incarceratum, pluribus vero in Cœnobium quoddam amandatum, assignato illi ex reditibus Episcopalibus exiguo admodum stipendio. Utamque parvo illum tempore dignitati suæ superfuisse, inter omnes convenit. Hæc Henricus Wharton loco allato, quem paucis adjectis verbotenus expressimus. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1960. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera B. 1. Codice 18. Extat *Joannes Bury Theologi Oxoniensis Responsio ad Conclusiones Reginaldi Peacocke*, opus grande & unde agnosci potest quam ob causam damnatus sit. Agit de *Reginaldo Pavone*, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine IV. cap.

IV. cap. 223. p. 332. Joannes Baleus *de illustribus Scriptoribus Angliæ* Centuria VIII. cap. 19. Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri*, quam anno 1574. Tiguri in folio apud Christophorum Froschoverum edidit, verbo *Reginaldus Pecock* p. 599. col. 1. Ibidem etiam mentionem facit adversarii illius, *Joannis Bury Augustiniani* verbo *Joannes Bury Augustinianus* p. 349. col. 1. quem juxta Baleum, anno 1460. floruisse asserit.

1450 JOANNES CAPGRAVIUS, natione Anglus, Cantionus origine, professione Monachus ex Ordine Eremitarum divi Augustini, & Theologiæ Doctor Oxoniensis, ac tandem Ordinis sui Provincialis, claruit anno 1450. & sequentibus, homo valde eruditus, scriptisque multis operibus clarissimus, quem plurimum coluit Humfredus Glocestriæ Dux, Mæcænas ipsius, & ipse vicissim Humfredum. Scripsit ille *Commentarios in Genesim*, quos dicto Humfredo dicavit, qui extant MSS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Orialensis Codice 20. Incipiunt, *Arduum namque & super vires est* &c. *In Acta Apostolorum Lib. I.* ad Episcopum quendam Angliæ. *Reminiscor, sancte Antistes* &c. MSS. in Bibliotheca Balliolensi Oxonii, Cod. 171. *De fidei Symbolis Lib. 3.* ad Guillelmum Eliensem Episcopum. Incipiunt, *Quoniam Psalmographus* &c. MS. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi Cod. 171. & in Collegio Orielensi Codice 32. *Historiam de nobilibus Henricis Libris 3.* Incipiunt *Henrico Dei gratia Regi Angliæ* &c. in quibus loquitur de inclytis Henricis omnibus, Regibus Imperatoribus, scriptoribus, aliisque ad Henricum VI. Angliæ Regem, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii divi Benedicti, Cod. 295. qui habentur etiam tacito Capgravii nomine in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii A. volum. 8. Scripsit etiam *Catalogum* sive *Legendam Sanctorum Angliæ*, quæ MS. extat in bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis litera D. Codice 9. atque Anglice in MSS. Codicibus bibliothecæ Norfolcianæ Codice 386. quæ apud Winandum de Worde, Londini in folio anno 1516. publici juris facta est. Vult autem Henricus Whartonus in Continuatione *Historia Literaria* Guillelmi Cavi ad annum 1450. p. 132. Capgravium expilasse Historiam istam, ex ingenti ac pulchro admodum volumine ad Joannem Tinmouth Spectante, cujus mentionem fecimus ad annum 1360. supra, ejusdem argumenti, quod Manuscriptum asservatur in ista Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Tiberii E. 1. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ cathedralium & aliarum bibliothecarum insignium num. 9226. in MSS. Codicibus Joannis Mori Episcopi Nordwicensis, Codice 40. qui membraneus in folio, extat Angliæ *Chronicon Joannis Capgravii* ab initio mundi usque ad tempora Edwardi IV. cui dedicatum est, in quo continetur historia de Joanna Papissa, quod notandum est. Denique ibidem in bibliotheca Cottoniana extat MS. sub effigie Vitellii D. 15. num. 4. *Vita Sancti Gilbuti authoris Ordinis Sempringhamii*, Anglice a Joanne Capgravio conscriptæ. Obiit Linnæ Nordovolgiæ oppido, die 12. Augusti anno 1464. Eduardo IV. rerum potito, & apud fratres Augustinianos suos sepultus est. Hujus honorificam faciunt mentionem Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 418. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 832. Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 9. p. 633. ultimæ editionis.

NICOLAUS MANUACUTIUS, seu *de Manuacuta*, natione Anglus, claruit sub Rege Anglorum Henrico VI. tempore hoc eodem, qui scripsit *Opus de Regibus Anglorum*, item *Scalam temporum a Mundi ortu* atque etiam *de Episcopis Anglorum & de Romanis Pontificibus*. Hæc omnia habentur MS. Etonæ in Bibliotheca Collegii a Rege prædicto fundati. Ultima autem duo Opera, MSS. etiam supersunt in Bibliotheca Bavonis Lumbecii. Claruit anno 1450. & sequentibus, cujus meminit Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. p. 633. ultimæ editionis. Quod Vossius habet, scripsisse Nicolaum Mainegu *Opus de Regibus Anglorum, item Scalam temporum atque de Episcopis Anglorum*: neutiquam intelligendum videtur de tribus operibus distinctis, sed de opere unico quod *Scalam temporum vel mundi* inscripsit, in qua tum de Regibus Angliæ, tum de Episcopis ejusdem occasione data loquitur. *Scala temporum a mundi ortu* itaque idem mihi opus videtur, ac *Scala mundi*, quæ in MSS. Codicibus Anglicanis extat. Ejusdem Nicolai hujus Manuacutii *Poëma de Romanis Pontificibus* ter MS. extat in Cottoniana Bibliotheca, ex Catalogo illius p. 68. 107. & 135. impresso Oxoniæ 1696. in folio. Quod vero adjicit Vossius, extare opera historica Nicolai Manuacutii MSS. in Bibliotheca Collegii Etonensis, suspectum mihi maximopere est. Nam inter MSS. Codicum Angliæ Catalogos anno 1698. duobus in folio tomis Oxoniæ e theatro Sheldoniano impressos, extat tomo 2. p. 46. & sequentibus, *Catalogus librorum manuscriptorum Collegii Etonensis sub arce Windesoria*, qui a me diligenter excussus, nihil habere reperitur, quod ad Nicolaum Manuacutium pertineat. Id igitur ex conjecturis Vossius scripsisse videtur. Extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 5518. in MSS. Codicibus Collegii Armorum apud Londinum Codice 93. *Scala mundi cum Chronico de gestis Britonum & Anglorum ad an. 1464.* quæ licet absque auctoris nomine sit, ad Nicolaum Manuacutium spectare mihi creditur. Idem quoque opus MSS. ibidem Codice 7563. in MSS. Codicibus D. Radulphi Thoresby de Leeds in agro Eboracensi Codice 5. cum recensione auctorum, a quibus accepit, 1450

qui

qui sunt 1. Brutus de Gestis Britonum, 2. Gildas Britannicus, 3. Beda de gestis Anglorum, 4. Guillelmus Malmesburiensis de gestis Anglorum, 5. Pictaviensis Cancellarius Parisiensis, 6. Frater Martinus Pœnitentiarius Papæ, 7. Joannes de Porta, Scriptor mihi ignotus. Hæc de MSS. Nicolai Mainegu seu Manuacuti vel Manuacutii, Angli.

1460 GEORGIUS PHRANZES, patria Byzantinus, sub Manuele Palæologo Joannis filio, anno 1401. natus est die XXX. Augusti, non ignobili genere ortus, utpote Gregorio Palæologo Mamonæ, Magno Monembasiæ Duci, affinitate conjunctus, fonte baptismali a Thomaide religiosissima fœmina susceptus: cui etiam Imperatori postmodum honorarius puer, tandemque anno 1418. die 17. Martii inter Cubicularios ab eodem Manuele Imperatore adoptatus. Carissimus æque Manuelis successoribus Joanni & Constantino, sub quibus variis legationibus & officiis tum militaribus tum politicis functus est, de quibus accurate agit Henricus Warthonus in *Supplemento* Historiæ Literariæ Guillelmi Cavi, ad annum 1424. p. 100. Nec civili tantum scientia & militaribus artibus, sed doctrina & eloquentia clarus, quibus cum & Martiales etiam animos in expeditionibus exhibuit. Cum enim anno 1429. Constantinus Patras obsedisset, eumque Phranzes ex subita præsidiariorum irruptione periclitantem objectu proprii corporis tegeret, ac pro eo vulnera excepisset, in carcerem etiam teterrimum a Patrensibus abductus est: unde facta inter utramque partem concordia & pace demum solutus est. Ex Helena Alexii Palæologi Examplaconis filia filios tres & unicam filiam sustulit. Jam ab anno 1446. vel circiter ob prudentiam & in agendis rebus solatium clarus erat. Joanne enim Palæologo Imperatore, ad annum 1449. die ultimo Octobris mortuo: mox ut vulgatus est ipsius obitus, Thomas Despota Constantinopolim applicuit, a quo Demetrii Porphyrogeniti, qui etsi ætate junior Imperium tamen affectabat, factio compressa est. Decretum autem fuit, ut Constantino inter Joannis Palæologi fratres natu maximo, imperium deferretur: missique Alexius Philauthropenus & Manuel Palæologus, qui anno ipso 1450. die 6. Januarii Constantinum augustali corona apud urbem Spartam auxerunt. Legationem vero idem & Amuratum destinavit, quam obiit hoc eodem anno *Georgius Phranzes*: & ipsum de morte fratris suique in Imperium electione certiorem idem Constantinus faceret. Constantinopoli a Turcis anno 1453. occupata, in hostium ipse cum conjuge sua, filia & filiorum Joanne (nam ante urbis excidium alii vita functi fuerant) potestatem venit. Conjugem Adrianopoli redemit, filia in obsequio Sultanæ mortua fuit, Joannes adolescentulus qui nondum annos quindecim attigerat, ob conservandam pudicitiam a Sultano obtruncatur, Protovestiarius fortunis ac liberis ereptis, in Peloponneso ætatem agit, sed ea quoque a Turca devicta Italiam lustrat: unde in Græciam remotus, cum uxore vitam Monasticam amplectitur, qui pro more nomen ipse in *Georgium*, conjux in *Eupraxiam* commutat. Assumpto Monachi Schemate anno circiter 1468. accinxit se ad Historiam sui temporis scribendam, quam anno 1477. die 29. Martii absolvit. Hæc carptim ex Jacobo Pontano, & ex eodem ipso Georgio Phranza Pontanus, cujus tale de illo judicium est. „ *Vir fuit πρακτικώτατ⊙, rerum agendarum scientissimus, de tri-„ bus autem Imperatoribus, Manuele, Joanne, Con-„ stantino, quibus servivit, ita meruit, ut nemo, „ magis. Rogantibus quibusdam Corcyræis Mili-„ tibus Chronicon scripsit, tradiditque in Antonii „ Sacerdotis manibus, ut idemmet in fine operis di-„ cit.* Hoc Chronicon ex Bibliotheca Bavarica „ depromptum, digressionibus, quibus passim opus abundat, multisque aliis quæ dignitati Historiæ afficere poterant, detractis: totoque corpore in compendium coacto, Jacobus Pontanus Soc. Jesu in linguam vertit Latinam, Libris atque capitulis ut ipsi opportunum visum fuerat, divisum edidit Ingolstadii ex typographia Adami Sartorii anno 1604. in 4. cum Theophylacto Simocatta, cujus extant *Libri VIII. De Mauricii Imperatoris Imperio.* Docet autem Appendix ad *Apparatum Sacrum* Antonii Possevini, nec non & Catalogus MS. Codicum Græcorum Bibliothecæ Serenissimi Bavariæ Ducis Monachianæ, a Marco Welsero Decemviro Augustano anno 1604. editus, desideratum hactenus a multis Phranzæ MS. Codicem Græcum illic asservari, Cod. 203. Nu-„ per etiam edocti sumus per Litteras, in Lau-„ rentiana Scoriacensi Bibliotheca, premi ac la-„ tere cum multis aliis libris calamo exaratis, „ *Chronicon ejusdem Georgii Phranzæ.* Hæc Labbeus de Phranza in *Protreptico ad Historiam*, „ *Byzantinam, Scribit* autem *Rerum Byzantina-„ rum Historiam* ab anno 1260. usque ad annum 1476. non *Libris tribus* ut Jacobus Pontanus exhibuit, sed *libris quatuor*: res ante se natum leviter enarrans, deinde vero Historiam sui temporis calamo prolixiori describens. Pontanus autem in aliis a se productis laudem non contemnendam promeritus, a multis hic vapulat, quod abtruncatum Phranzam orbi litterario obtulerit. Arguunt eruditi duo non levis momenti, in editione Pontana: *Primum*, quod Græce Phranzam non ediderit, quod ipsi facillimum fuit: *Secundum*, quod opus obtruncatum ac in Epitomen redactum non autem integrum, quale a Phranza compositum est, emiserit. An Phranzam enim legitimum, an adulterinum jam habeamus, multi huc usque dubitant: maxime cum in aliis omnibus a Jacobo Pontano evulgatis authoribus, suppressa illa sint, quæ Romanæ Ecclesiæ commodis aut laudibus suffragari non videbantur. Quid autem in hoc autho-

authore quem pro captu suo decertavit atque ordinavit ut ipse fatetur, ab ipso peccatum sit: non nisi ex integra Phranzizæ Historiæ productione Græca ullus mortalium noscere poterit, cui scriptorem corrigere sub pietatis etiam prætextu non licuit. Scriptoris enim errores etiam & nugamenta quæcunque illa sint, Critici omnes ab interprete exposcunt, non ita tamen, ut in interpretem rejiciant: cum aliud interpretis, aliud correctoris munus sit. Interpres enim omnia reddere, si sincerus esse vult, tenetur: corrector autem non Scriptoris vestigia, sed suum sequitur & ingenium & institutum. Argumentum Chronici ex eodem Georgio in *Proœmio* Chronici, illud est. *Ad hunc modum ego Georgius Phranzes & Protovestiarius & Gregorius cognominatus, ubi ad Monachos me aggregavit, ista conscripsi de iis, quæ memoria mea acciderunt, & de nonnullis calamitatibus speciatim, quæ partim ante, partim post subactam Constantinopolim nos exercuerunt. Ac primum de creationibus & caussis Imperii Palæologorum, ab initio narrationem contexam: dicamque quot & qui, quæve ex eo domo, quam penes huc usque sceptra fuerunt, Despota & Despœna extiterint. Et de bello, quod in Peloponneso inter fratres Despotas Demetrium & Thomam, conflatum est. Alia insuper non parvi momenti, & memoratu egregia non silebo.* Legitur Manuscriptum. Scoriaci in Bibliotheca Regia, *Γεωργίυ τῦ Φραντζῆ χρονικὸν Georgii Phranzæ Chronicon.* IV. γ´ 9. & Mediolani in Ambrosiana, cujus illud est principium: *Τὸ τῆς ἱστορίας χρήσιμον καὶ πρὸ ἡμῶν οἱ πολλοὶ συγγραψάμενοι.* Descripsisse interdum ex aliis Phranzam vult Allatius nempe ex *Georgio Acropolita* non tantum Proœmium, sed quæ ab urbe Constantinopoli a Latinis direpta ad ipsam a Græcis recuperatam iste fuse prolixeque enarrat, Phranza per summas transcripsit. De altero quoque ejusdem Georgii Phranzæ Chronico, his Allatius non omittendus. „Servatur penes me ejusdem „Georgii Chronicon, diversum omnino ab e-„dito. Incipit ab anno 1402. finit in annum „1477. Nescio an ab ipso authore, ut proli-„xitate operis Lectorem non fatigaret, in com-„pendium post primum Chronicon, concinna-„tum? an prius etiam quam prolixum ederet, „veluti memoriæ fulcrum, materia & argu-„mentum, præparatum fuerit? Quidquid tamen „sit, barbarum eloquio, & locutione ex trivio „petita, habet in se multa, quæ aliunde non oc-„current, & distincte omnia prosequitur. In „eo tamen minime laudandum, quod minutis-„sima quæque & nullius dignationis comme-„moret, satis in angustiis domesticis enarran-„dis curiosus ac loquens. Sic orditur. Ὁ οἰκ-„τρὸς Γεώργιος Φραντζῆς καὶ Γρηγόριος τάχα „μοναχὸς ταῦτα ἔγραψεν ὑπὲρ τῶν καθ' ἑαυτὸν „καὶ τινῶν μερικῶν γεγονότων ἐν τῷ τῆς ἀθλίας „ζωῆς αὐτῦ χρόνῳ, ἀπὸ τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ „γεννήσεως α υ α ἔτη. *Miser Georgius Phranza Protovestiarius &* Georgius Fortasse Mona-„chus, hæc conscripsit de rebus, quæ sibi ipsi „contigerunt, aliisque peculiaribus tempore „afflictæ vitæ ipsius, a nato Domino nostro JE-„SU Christo, anno M CCCC I. Principium „*καλὸν ἦν μοι ἢ ὐκ ἐγεννήθην, ἢ παιδίον ἀποθα-„νεῖν: Melius mihi fuisset, ut vel non natus fuissem, „vel puer mortuus essem* &c. Contuli cum Ma-„nuscripto Codice Neapolitano Bibliothecæ „sanctorum Apostolorum Canonicorum Re-„gularium, & ut conjicio asservatur quoque, „Scoriani in Bibliotheca Regia *Γεωργίυ τῦ „Φραντζῆ περὶ τινων γεγονότων ἐν τῷ κατ' αὐτὸν „χρόνῳ, Georgii Phrantzæ de nonnullis rebus, quæ „suo tempore obvenerunt*: quod alii dixissent, „*De rebus sui temporis* II. n. 17. III d´ 13. Hæc, „Allatius Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis*, p. 425. & 426. De eodem Philippus Labbæus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos Bellarminus recensuit, & in *Protreptico ad Historiam Byzantinam*, Jacobus Pontanus, in præliminaribus Chronici Phranzæ, quod edidit. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 30. p. 311. ultimæ editionis.

GEORGIUS CODINUS dictus CURO-PALATES, natione Græcus, patria Constantinopolitanus, floruit his iisdem temporibus: quem, quonam tempore floruerit, quisnam ille sit, viri etiam in omni Literatura summi ignorarunt. Fuisse Græciæ illum sequioris, atque nutante jam Græcia scripsisse, ex illis Imperatoribus, quos nominat, aperte evincitur. De ætate ejus, qua vixit, ita Meursius: *Facilius dixerim, quo tempore hic author non vixerit, quam quo vixerit. In Libro enim de Officiis aulæ Constantinopolitanæ, meminit Joannis Cantacuzeni & Theodori Metochitæ, qui sub primis Palæologis ætatem egerunt.* Notat Jacobus Pontanus in Notis ad caput 41. Libri 1. *Historia Cantacuzeni*, Codinum vixisse sub Manuele Andronici Junioris nepote, annum circiter 1400. qui antepenultimus ex Constantinopolitanis Imperatoribus fuit. Jacobus Gretserus Lib. 3. Commentariorum in Codinum cap. 12. eum Cantacuzeno posteriorem fuisse tradit, cum Cantacuzeni aliquoties mentionem faciat, non ut Coætanei, sed ut tempore prioris: distusque Gretserus concludit, quidquid tandem sit, clarum esse, Codinum floruisse non diu ante Constantinopolitanum excidium. Imo post expugnatam a Turcis Constantinopolim Codinus scripsit: quippe qui urbem sub Constantino Palæologo Imp. ab impiis Agarenis anno mundi 6961. id est Christi 1453. captam esse, atque Imperatorum gloriosa morte occubuisse, narrat in libello *de Imperatoribus Constantinopolitanis*. An autem *Curopalata* nomen quod ipsi additur, officii & dignitatis titulus, an vero cognomen sit, dubitatum quoque & jure merito est. Ego cum Allatio dixerim *Dignitatis* illud fuisse, cum diversum scilicet 1460

licet *Codini* cognomen Georgius iste sibi adsciscat. Scripsit Librum de *Officiis Aulæ seu Palatii & Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, stylo incompto & barbaro, quique in ea ætate in populi ac plebis promiscuæ usu erat. Sæpius enim isto loquendi modo agresti & duro, sententiam obturbat & excæcat: quem etiam errata dictionesque exteræ loco propriarum expressæ, & incuria exscriptorum intrusæ, obscuriorem efficiunt. Pleraque ex Cantacuzeno, aliisque recentioribus Historicis prope verbatim exscripsit, ut inter alios Pontanus & Gretserus annotarunt. Primus Latinum fecit librum, & Scholiis illustravit, sed quandoque ineptissimis Franciscus Junius, quem sub alieno ac fictitio Nadabi Agmonii, Francofurti ex Bibliopolio Commelino 1588. in 8. publicavit. Imperfectum Junii laborem excusare nititur Vossius in Præfatione ad Lectorem *De Historicis Latinis*: unico nempe duntaxat Codice MS. usum fuisse, eoque mutilo & multis locis corruptissimo, dum Codinum ederet: ideoque excusandum, ubi rem acu non tetigit. Nactum deinde variantes Palatinorum Codicum & Raphaelis Scilerii lectiones, accuratiusque aliis rerum Constantinopolitanarum Scriptoribus collatis cum his, quæ apud Codinum legisset, editionem molitum fuisse novam, haud paullo integriorem & emendatiorem. Quam typographus Heidelbergæ anno 1596. in 8. non tam Junii ipsius aut publico bono, quam suo, pauculis ex facundis Junii curis præmissis, ut novos sibi compararet emptores, publicavit. Atque exemplar illud, quod secundæ editioni Junius destinaverat, non tam confectum, ut ipse existimat Vossius, quam affectum, apud se esse: quod si videre editori nupero Codini contigisset, genuinum (ut censet ipse) in Junio haud tantopere fregisset. Integriora itaque nactus Junius exemplaria, priorem editionem etsi jejune satis adornatam, nomenque suum professus, Marquardo Frehero inscripsit, loco & anno citatis. Sed in Junii versionem & Notas præluxit *Facula Georgio Codino Curopalatæ accensa, dispellendis tam inscitiis, quam a Junio superinductis tenebris*, cum Antonii Marchi Commentariis in quinque Libros Annalium Taciti, Ingolstadii ex typographia Adami Sartorii anno 1604. in 8. Facula tamen ista radios suos ultra *Catalogum Officiorum & Officialium Magnæ Ecclesiæ* non præfert, vel certe modice. Plura in illius interpretationem animadvertit & corrigit Jacobus Gretserus Notis in tomum II. *De Cruce*, & alibi sæpius, qui referente Junium a Raphaele Scilero Codinum *De Officiis* Latine conversum fuisse, quamvis in vulgus exire nunquam permiserit. Postremus omnium rem aggressus est idem Gretserus vir doctissimus, qui manuscriptorum etiam Codicum ope fretus, Augiæ stabulum jam deploratum expurgavit. Tractavit itaque Codinum & Versione & Commentariis, ut libere & sine aliqua injuriæ nota inter Sapientes eruditosque viros qui anxie libri sortem dolebant, versari possit. Editus est Gretseri labor Parisiis anno 1625. in folio apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Tum denique idem Opus Regiis Galliarum typis in folio magnifico prælisque castigatissimis, denuo etiam ad varios Regiæ Bibliothecæ MSS. Codices collatum, inter Historiæ Byzantinæ Scriptores, ibidem anno 1648. iterum prodiit, interprete Jacobo Gretsero Soc. Jesu, cum ejusdem Commentariis & eruditis Jacobi Goar, Ordinis Fratrum Prædicatorum Notis. Cujusce Opusculi Codices Manuscripti, referuntur asservari in Bibliothecis Vaticana, Augustana, Bavarica, Catholica, Sfortiana Romæ, & aliis.

Ejusdem *περὶ πατρίων τῆς Κωνσταντινουπόλεως παρεκβολαὶ ἐκ τῆς βίβλου τοῦ Χρονογράφου*. *Selecta de Originibus Constantinopolitanis ex libro Chronographico*, ex interpretatione Georgii Douzæ Jani filii, Græce & Latine edita sunt, apud Hieronymum Commelinum Heidelbergæ anno 1596. in 8. Et postea cum Notis Joannis Meursii, anno 1608. in 8. Opus hoc secundum *De Patriis*, cum primo *De Officiis*, confundit atque perperam unum facit Junius, ut bene annotavit Gretserus in *Observationibus* ad Codinum. Ac quamvis dicatur Codinus *συντεθηκέναι composuisse*, hoc lata vocis istius significatione debet accipi: cum illis ex variis authoribus colligendis, & verbis eorum nec Syllaba quidem immutata referendis, operam tantum locaverit: quod ex prima parte ipsius Libri, in qua de Byzantii nomine & antiquitatibus sermo est, liquet. Est enim Hesychii Milesii, quæ Scholiis, illisque pereruditis adornata, cum nonnullis aliis Græce & Latine prostat. Errata versionis Douzianæ detexit Jacobus Gretserus *Observationibus in Codinum*, Lib. 3. cap. 18 ejusque editionem ex Bavarico Codice auctiorem fecit, ibidem cap. 19. Allatius etiam ex alio MS. Codice multa hisce plura in suo *Variorum Antiquorum* tomo 1. protulit, adeo, ut jam Lector opus absolutum fere habeat. Complevit autem Petrus Lambecius Sacræ Cæsareæ Majestatis olim Bibliothecarius ex Manuscriptis hujus Bibliothecæ Codicibus. Nam inter Scriptores Historiæ Byzantinæ clarissimos, qui ab annis aliquot ex Regio Galliarum prælo ac penu, magnis eruditorum Commodis in filio foras exeunt: extant Græce & Latine post Constantini Manassis Breviarium Historicum, cum Leunclavii & Meursii Notis, Allatii & Fobreti variis Lectionibus, *Excerpta Georgii Codini de Antiquitatibus Constantinopolitanis*, cum versione & animadversionibus Petri Lambecii Hamburgensis. Nec aliud opus ab hoc esse, mihi autumo, quod in Bibliotheca Carthusiæ Neapolitanæ in Indice Manuscriptorum legitur, *Georgii Codini Chronologia Constantinopolitana*: atque etiam legitur MS. Romæ in Bibliotheca Vallicellana, D. 23. &

Scoriaci in Regia Catholica. Neque alius a Codino est *Georgius Constantini*, qui patria Constantinopolitanus & a Gesnero dicitur Librum *De Sapientia* scripsisse: *Constantinus* enim, ni fallor, locum *Codini* occupavit ex errore exscriptorum. Errorem exscripserunt & secuti sunt omnes Gesneriani Epitomatores, atque inter alios Robertus Constantinus, & qui sine ullo delectu atque examine omnia exscribit, Paulus Bolduanus. Liber vero ipsius *De Sapientia* nullus alius esse videtur, quam ea pars *πατρίων*, quæ in exstructione Templi Sanctæ Sophiæ enarranda impenditur. Scoriaci in Bibliotheca Regis Catholici legitur, ejusdem *περὶ τῶν ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἐτῶν, καὶ περὶ τῶν βασιλευσάντων μέχρι ἁλώσεως Κωνσταντινουπόλεως*: *De annis ab orbe condito, & de iis, qui Imperio potiti sunt ad captam Constantinopolim.* VII. γ. 3. & 3. ζ. η. Item *Περὶ Πατριαρχῶν καὶ τῆς ἁγίας Σοφίας*, *De Patriarchis & sancta Sophia templo.* An eadem cum superioribus ista sint, vel quæ apud Carthusianos Neapolitanos *Chronologia Constantinopolitana* est, affirmare non audet Leo Allatius: quamvis maxime conveniat, valdeque probabile sit, hos omnes titulos esse unum & idem opus cum *Excerptis Constantinopolitanis*, de quibus supra diximus. Nam *Excerpta ista Georgii Codini* continent *Librum de Originibus Constantinopolitanis*, ex antiquo quodam Chronico excerptum, quem Græce & Latine primus evulgavit Georgius Douza Heidelbergæ 1596. in 8. recusum postea cum Joannis Meursii Notis, Genevæ 1607. in 8. denique denuo editum versione emendata & Notis doctissimis superadditis a Petro Lambecio, Parisiis anno 1655. in folio. *Libellum de forma Urbis Constantinopolitanæ*, qui prodiit Græce & Latine una cum præcedente Opusculo & eruditissimis Lambecii animadversionibus, Parisiis anno 1655. in folio. *Librum de signis, statuis & aliis spectatu dignis Constantinopolis*, qui prodiit Græce & Latine mutilus cum versione Douzæ & Meursii notis, Genevæ 1607. in 8. integer cum Lambecii versione & animadversionibus, Parisiis 1655. in fol. *Librum de ædificiis Constantinopolitanis*, Græce & Latine ex Lambecii versione ejusdemque Notis illustratum, cum prioribus Opusculis editum, Parisiis anno 1655. in fol. *Librum de structura templi Sanctæ Sophiæ Constantinopolitanæ*, Græce & Latine cum Meursii Notis impressum Genevæ anno 1607. in 8. cum Lambecii animadversionibus, Parisiis 1655. in fol. Denique *Librum de Imperatoribus Constantinopolitanis, seu de annis ab orbe condito usque ad Imperium Constantini Magni, & de iis. qui in ipsa urbe regnarunt, usque dum Agarenis capta est*: impressum Græce & Latine cum Notis ac versione Petri Lambecii, Parisiis anno 1655. in folio.

Extant quoque inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Oxonii in Anglia, Codice 6555. in MSS. Codicibus Græcis Henrici Savilii Cod. 8. num. 2. *Georgii Codini Constantinopolitana Origines, cum Catalogo Imperatorum & Patriarcharum*, Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium atque aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 1094. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Westmonasteriensis Codice 4. *Georgii Codini Origines Constantinopolitanæ.* Et Num. 8582. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 860. *Codini, patria Κωνσταντινουπόλεως, Chronicon breve usque ad captam Constantinopolim.* Item *De Patriarchis Constantinopolitanis. De Ecclesia Sancta Sophia.* Ibidem Codice 8585. in iisdem MSS. Codicibus Codice 863. *Codinus Curopalates de officiis Magnæ Ecclesiæ & Palatii.* Idem Opus *Originum Constantinopolitanarum* multo auctius in MS. Codice Vaticano, & in bibliotheca Reginæ Sueciæ, quod Henricus Boeclerus vidit atque tenuit.

Vertisse præterea dicitur in linguam Græcam *Missam Sancti Gregorii Papæ*, quem Dialogum Græci nominant. Habuerat illum Fredericus Morellus a Joanne a Sancto Andrea Parisiensi Canonico, cui postea inscripsit, ediditque Parisiis anno 1595. idem Morellus, & quæ nunc postremo vulgata legitur Græce & Latine tomo 2. *Bibliothecæ Veterum Patrum*, editionum Parisiensium annorum 1624. & 1644. Et ut obiter hic illud quoque admoneam, scias, Lector, hanc eandem Missam multo auctiorem & perfectiorem legi in bibliotheca Barbarina Codice MS. 75. quæ tamen dicitur ab Emanuele Chrysolora esse in linguam Græcam conversa. *Λειτουργία μεταγλωττισθεῖσα ἀπὸ Λατινικῆς διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλληνικὴν, παρὰ κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Χρυσολωρᾶ*: *Missa e lingua Latina in Græcam a Domino Emmanuele Chrysolora.* Principium, ὁ *μέλλων ἱερουργήσειν ἱερεὺς ἐνδὺς τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα, καὶ στὰς ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου λεγέτω. Ἐξομολογεῖσθε τῷ Κυρίῳ ὅτι ἀγαθὸς, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα* &c. De Georgio Codino agunt pluribus Jacobus Pontanus *Notis* ad caput 41. Libri 1. *Historiæ Joannis Cantacuzeni.* Jacobus Gretserus, qui ejus Opus *de Officiis* Commentariis insignibus illustravit. Petrus Lambecius in Commentariis suis *Bibliotheca Cæsareæ Vindobonensis* Lib. 7. p. 248. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi p. 313. & 323. Leo Allatius in doctissima Diatriba *De Georgiis & eorum Scriptis* p. 361. & 362. quem hic totum exscripsimus, paucis duntaxat vel mutatis vel additis, ad convenientiorem methodum: quæ fateri non erubescimus. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Græcis*, pag. 368.

JOANNES cognomento DUDAS, Histo- 1460
ricus Græcus, Synchronus Michaeli Glycæ, ut constat ex Epistola 52. Glycæ ad eum scripta, qua illum Joannem vocat, ex insigni Ducarum familia Constantinopolitana, itemque Epistola Michaelis Glycæ 31. ad hunc eundem

dem Joannem Ducam destinata legitur. Floruit iis temporibus, quibus miserrime extinctum Orientale Imperium, atque a Græcis ad Turcas translatum est. Hic Christianæ pietatis se tenacissimum & communionis Catholicæ Ecclesiæ studiosissimum ubique probat, Græcis levitatem malamque fidem objicit, qui ficte ac simulate cum Ecclesia Romana concordiam inierant, nec alio pacem composuerant animo, quam ut ab Occidentalibus Principibus & a Papa potissimum, auxilia contra Turcos assequerentur. Institutum vitæ ejus quale fuerit, noscere ex ipso possumus, qui se politicis rebus ac negotiis tractandis occupatum fuisse tradit. De authoris hujus Historiæ, quam præ manibus habemus, nomine & genere pauca dicenda occurrunt: qui nisi avi sui paterni nomen c. 5. edidisset, anonymus liber prodituturus erat. Verum, cum de antiquis illis *Ducas*, qui Constantinopoli imperarunt, se ortum dicat, & Michaelem Ducam avum suum appellat titulo Historiæ nomen cui proprium, ac gentilitium repolitum præfixum est, ut proprium authoris nomen nobis ignotum, tali circumstantia determinaretur. Scripsit igitur hic Ducas, Michaelis Ducæ nepos, *Historiam Byzantinam, res in Imperio Græcorum gestas a Joanne Palæologo I. ad Mehemmetem II. seu ab anno 1431. ad annum 1462. Christianæ epochæ complectentem.* Orsus tamen ab Adamo, atque ad designatum tempus res paucas summatim delibans, pro more Græcorum. Editum Opus istud ex MS. unico Codice Regiæ Galliarum bibliothecæ, quod Latinam in linguam vertit Ismael Bullialdus, notisque non contemnendis illustravit, impressum Græce & ~~Latine in folio Parisiis anno 1649.~~ ex prælo Regio, inter Scriptores Historiæ Byzantinæ. Hic ad annum Egiræ 793. Christi 1391. cq. 5. p. 10. ita de avo suo Michaele Duca loquitur: *Inter eos equidem qui tanto periculo excepti sunt, fuit avus meus paternus Michael Ducas, Ipsi porro Monachorum illius Monasterii mantis seu cappis induti Constantinopolim aufugerunt, & in oppositam continentem Asiam transvecti, in regiones Orientales: alius in Bithyniam, alius alio discesserunt. Avusque meus Asiam, adivitque Jeseum filium Athenis, & ei, sibi quæ acciderant, narrat. Eruditus quidem erat, & scientiarum liberaliumque Artium peritissimus, medicæ Artis non ignarus, genus ducens ab antiquis illis Ducis, inque prosapia illa veluti catena æmulus aureus splendebat. Hunc ergo honorifice excepit Tyrannus, providetque ut cuncta necessaria, commeatusque rerum omnium ei præberentur: beneficiisque cumulato Ephesum habitandum concessit, quæ sedes peregrina aque ac patria, grata ipsi ac chara fuerunt: Barbarum vero & alienigenam, non aliter quam divina providentia constitutum Regem, veneratione ac cultu prosecutus est: reputans Romæorum scelera, prævidensque brevi Thraciam universam, cæterasque ad Danubium pertinentes regiones Turcos invasuros & subacturos: ut paullo ante Phrygiam, Asiam, ulterioresque provincias debellarant. Ita annuente Deo & peccata Romæorum tunc viventium, majorumque nostrorum vindicante.* Hæc ille de avo paterno ad annum Christi 1391. Apud Gateluzios Lesbi principes, magnam vitæ partem Ducas noster Historicus transegit, fide apud eos & gratia valuit, a quibus ad Sultanum Mehemmetem secundum, post Urbem captam, semel atque iterum Legatus missus est. Quarumdam rerum, quas narrat, spectator fuit, qui cum Lesbiis istis Principibus operam navaverit: res in Asia gestas, in qua ipsum natum fuisse verisimile est, atque in Lesbo accuratius nosse potuit. Ab anno circiter 1450. ad 1462. claruit. Capite enim 43. hujus Historiæ narrans, quomodo Hamzas, quem Mahometes II. maris Præfectum constituerat, dum ipse Rhodiis bellum indiceret, a Principe Lesbi admissus honorifice sit, ita loquitur: *Illi præerat Amiralius Hamzas, quem apud suum patrem pincernæ munere olim functum, toti Chersoneso & classi Ducem Mehemetes præfecerat. Eum honorifice habuit Lesbi Princeps, meque ad officia & obsequia, quæ docebat, ei præstanda destinavit.* Tum cap. 44. *Anno illo 6963.* (Christi 1455.) *Junii die trigesima Dorinus Gateluzus insulæ Lesbii Princeps obiit. Augusti deinde die prima ab ejus filio novo Principe Adrianopolim destinatus sum, ut tributa annua Lesbi ratione, tria millia nummorum; Lemni vero duo millia trecenta viginti quinque solverem* &c. quæ fusius ibidem p. 186. & 189. persequitur. Idem iterum Ducas ad eundem Mehemmetem secundum anno 1458. seu sequenti Legatus missus, quo vectigal pro Lesbo insula pactum solveret, ~~ut habet ejusdem *Historia*~~ cap. 46. p. 191. Unde cum ad annum usque 1462. scripserit, dubium nulli esse debet, quin ad hoc usque tempus, atque forsitan ultra, claruerit. Nullus, quem sciam, meminit hujus Scriptoris, quem Regia Galliarum bibliotheca literario obtulit orbi, præter Gerardum Joannem Vossium Lib. 4. cap. 19. *De Scriptoribus Græcis* pag. 492. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. cui adjicias Henricum Whartonium, in *Supplemento* Historiæ Literariæ Guillelmi Cavi ad annum 1453. p. 137.

LAONICUS CHALCOCONDYLAS seu CHALCONDYLAS, natione Græcus, patria Atheniensis, & illustri genere oriundus, hoc pariter tempore claruit non ignobilis Historicus Orientalium Rerum. Hunc Robertus Constantinus in *Nomenclatore* suo pro *Laonico* appellat *Nicolaum*: forsan quod ita in MSS. Codicibus invenerit. Hoc saltem constat, idem esse ac pro eodem apud Græcos sumi *Nicolai* & *Laonici* nomen, quemadmodum *Nicodemi* & *Demonici*, metathesi litterarum solita. Scripsit *Historiam de Origine & rebus gestis Turcarum Libris X.* ab Ottomanno Orthogulis filio usque ad adultum Mehemmetis II. Imperium, seu ab anno Christi 1300. ad 1463. quo bellum a Vene- 1460

a Venetis & Matthia Hungariæ Rege illatum fortiter repulit. Robertus Constantinus loco citato perperam *Chalcondryllum* vocat, nisi typographiæ istud mendum sit: seque vidisse Græce MS. hanc Historiam Lutetiæ Parisiorum ait apud Dionysium Coroneum, Professorem Regium, vertendo ei tunc temporis distentum. Sed hæc versio in publicum non prodiit, solaque Conradi Clauseri Tigurini translatio Latina processit Parisiis anno 1550. Basileæ 1556. & 1562. Extat MS. Græce in bibliotheca serenissimi Bavariæ Ducis, Codicibus tribus 186. 187. & 188. Et inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ, Codice 285. in MSS. Codicibus Thomæ Roe militis. Ex Græco Latine eam reddidit Blasius Vigenerius Borbonius, Parisiis anno 1620. in 4. impressam, quam Commentario præterea illustravit. Græce autem & Latine Genevenses anno 1625. in folio evulgarunt. Denique hanc Historiam cum variis Manuscriptis bibliothecæ Regis Christianissimi collatam, Græce & Latine Parisiis in folio anno 1650. in Corpore Historiæ Byzantinæ exhibuit Carolus Annibal Fabrotus, Jurisconsultus. De illo Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* verbo *Laonicus Chalcocondylas*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 30. p. 311. Henricus Warthonus in *Supplemento* ad Historiam Literariam Guillelmi Cavi ad annum 1468. p. 149. & alii.

1460 GEORGIUS HERMONYMUS sive CHARILONYMUS, Spartiata Monachus, claruit anno 1460. & sequentibus, quæ post Constantinopolim a Turcis anno 1453. expugnatam in Galliam se recepit, & in Academia Parisiensi Græcas literas publice docuit. ,,Quisnam & quodnam vitæ institutum secutus ,,fuerit, habeto tibi ex Clar. Gabriele Naudæo ,,nostro, in additamento ad Historiam Ludo- ,,vici XI. capite 7. Georgius Typhernas pri- ,,mus Græcorum ab expugnata Constantino- ,,poli Lutetiam venit, & sistens se coram Re- ,,ctore Academiæ dixit, sibi in animo esse Græ- ,,cas literas in eadem Academia publice docere ,,studiosos, petiitque eo nomine stipendium, ,,quod a Sacris Canonibus linguarum Magistris ,,decernitur. Hoc vere licet novum atque ,,insolens videretur, in homine præsertim ex- ,,terno & paupere, nihilominus blande acce- ,,ptus fuit, & præmium industriæ suæ tulit a- ,,deo eximium, ut Georgius Hermonymus ,,Spartiata, Tranquillus Andronicus Dalmata, ,,& Joannes Lascaris; illi quidem regnante Lu- ,,dovico XI. hic vero dum Carolus VIII. re- ,,rum potiretur, Lutetiam accedere postea, ,,idemque sibi munus deposcere non dubita- ,,rint. Et Georgius imprimis non minus suo, ,,quam Joannis Reuclini, viri admodum cele- ,,bris, merito inclaruit: siquidem non vere- ,,tur hic in Præfatione *Rudimentorum Hebraico-* ,,*rum* fateri se Hermonymo debere, quod lin- ,,guæ Græcæ ignarus non esset. Illudque rursum insinuat, cum in Epistolis, quas ad ipsum,, e Germania scripsit, tum etiam in alia, quæ ad,, Joannem Fabrum Stapulensem destinata est,,, ex qua non tanquam passim obvia in bibliothe-,, cis verba, quæ sequuntur, exscribere non,, absurdum duxi.,, *Quodque non ignorarent me ante omnes, annis circa quadraginta rursus Alemaniæ Scholam Græca elementa docuisse, quæ ipse ego quondam in vestra Gallia ex discipulis Gregorii Typhernatis, adolescens Parisiis acceperam anno 1463. quo in tempore illic & Joannem Lapidanum Theologiæ Doctorem in Grammaticis ad Sorbonam, & Gulielmum Sandinum Accisiensem in vico Sancta Genovefa, & Robertum Gaguinum apud Mathurinos in Rhetoricis præceptores habui. Demum post aliquot annos e Suevia rediens ad Parisios, Georgium Hermonymum Spartiatam Græce docentem assecutus sum.*

Fuit Sixto IV. Romano Pontifici familiaris,,, cui in gravissimis etiam negotiis inservivit.,, Habeo ex nota ejusdem Georgii in fine, Poe-,, ma Cointi Smyrnæi ab eodem diligentissime,, exarati, asservatique in bibliotheca Barberina,, sub Num. 170. Ἐτελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον,, ποίησιν περιέχον Κοΐντου Καλαβροῦ, ἐπιστρέψαν-,, τός μου ἐξ Ἀλβιώνης τῆς βρεττανικῆς νήσου ἐν,, πόλει τοῦ Παρισίου ἐν τῇ Γαλλίᾳ χειρὶ Γεωργίου,, Ἑρμωνύμου τοῦ Σπαρτιάτου, πεμφθέντος ὑπὸ,, τοῦ μεγίστου Σίξτου τετάρτου ἐπ' ἐλευτερίᾳ τοῦ,, Ἀρχιεπισκόπου τῆς Ἰόρκης, ἔτει ἀπὸ Χριστοῦ γεν-,, νήσεως α υ ο ς' τρίτῃ φθίνοντος Ἑκατομβαι-,, ῶνος μηνὸς κατὰ Ἀθηναίους, ἐν Ἰούνιον Ῥομαΐοι,, καλοῦσιν. *Absolutus est hic liber, continens Poe-*,, *ma Cointi Calabri, postquam ex Albione Britan-*,, *nica Insula, Lutetias in Galliam commeassem*,,, *manu Georgii Hermonymi Spartiatæ, qui a Ma-*,, *ximo Pontifice Sixto IV. missus fueram ad libe-*,, *randum Jorci, seu Eboraci Archiepiscopum, anno*,, *a Christo nato 1476. Hecatombeonis mensis secun-*,, *dum Athenienses, quem Junium Romani dicunt*,,, *die vigesimo octavo.* Vertit e Græco in Lati-,, num Libellum Gennadii Scholarii, qui *Via*,, *salutis hominum* appellatur, editum sub *Ge-*,, *orgii Hermonymi* nomine Basileæ in folio 1556.,, in *Hæreseologia* p. 797. cum aliis authoribus,, tum Græcis tum Latinis, qui pro Catholica,, Christi Ecclesia contra hæreses scripserunt,, Attamen in Præfatione ad Joannem Episco-,, pum Wismariensem, Joannes Dola de Albo,, Castro Græcus, se librum prædictum de Græ-,, co Latinum fecisse dicit. *Itaque jure merito*,, *ambigere licet ex hac ipsa editione, an hæc versio*,, *ad Georgium Hermonymum spectet, cum illam sibi*,, *arroget Joannes Dola de Albocastro.* Item ver-,, tit e Græco in Latinum *Vitam Mahummedis*,, quam edidit sub Georgii nomine Robertus,, Winter Basileæ 1541. in 8. cum aliis.,,

Item *Charitonymi Hermonymi Capp. X. De-*,, *monstratio, Christum esse filium Dei & Deum*,,, Χαριτωνύμου Χριστωνύμου ὀκτὼ εἰσι ταῦτα τὰ,, κεφάλαια σὺν ἄλλοις τισὶν, ἀποδεικνύντα, ὡς,, ὁ Χριστὸς ἐστι υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ἀναντιῤῥήτως,,

καὶ

„καὶ ἀναμφιβόλως, καὶ ὅλως οὐκ ἀδύνατον. Græ-
„co Latina cum notis ex MS. Codice bibliothe-
„cæ Augustanæ jam primum edita a Johanne
„Voëgelino, una cum Cyrilli, Joannis Dama-
„sceni & Psilli Opusculis, Augustæ apud Geor-
„gium Viller & Sebastianum Mylium 1608. in
„8tav. Editumque videtur ex Autographo
„Auctoris, cum enim ipse in decimo argumen-
„to dicat, Ἐπείγομαι γὰρ στενοχωροῦντος τοῦ
„χάρτου, καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ πλεῖον μηκύνειν μὴ συγ-
„χωροῦντος: *Urgeor enim charta propter an-*
„*gustiam deficiente, & propterea longius hæc pro-*
„*ducere non permittente.* Notat Voegelinus in
„Manuscripto, omne paginæ spatium Scriptu-
„ra repletum esse. Argumenta cum infideles
„potissimum & Turcas, qui Sacra non admit-
„tunt, producantur: neque ex Sacrorum li-
„brorum, neque Patrum testimoniis, sed ex a-
„liis rationibus deducuntur. Nondum vul-
„gata est *Monodia in Georgii Gemisti obitum,*
„cum epigraphe *Hieronymus Charytonymus,*
„quæ habetur in Augustiniana eadem biblio-
„theca cum alia *Monodia in ejusdem Gemisti obi-*
„*tum,* Scriptore Georgio Monacho. Hæc ver-
botenus Leo Allatius in Opusculo *de Georgiis & eorum Scriptis* p. mihi 393. & 394. de *Georgio Hieronymo,* cujus etiam mentionem faciunt, Antonius Reiserus in *Indice librorum MSS. Bibliothecæ Augustanæ* p. 90. qui editus Augustæ Vindelicorum 1675. in 4. Henricus Wharton in Supplemento *Historiæ literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1460. p. 147. qui Leonem Allatium compendio expressit, a me verbotenus relatum.

1460 JOANNES ARGYROPYLUS, patria Byzantinus, claruit anno 1460. & deinceps. Capta a Turcis Constantinopoli anno 1453. Argyropylus patriam relinquere coactus, in Italiam veniens, ob raras animi & scientiæ dotes, quibus excelluit, Florentiam appellans, a Cosmo Medice Florentinorum Duce benigne acceptus ac stipendio donatus honesto, illic fedem circa annum 1460. fixit, fuitque commissus educatione Petri filii & Laurentii Nepotis. Hæc testatur ejus discipulus Angelus Politianus, *Miscellaneorum* Centuria 1. cap. 1. his ver-
„bis. Argyropylus ille Byzantinus, olim præ-
„ceptor in Philosophia noster, cum litterarum
„Latinarum minime incuriosus, tum sapientiæ
„Decretorum, disciplinarumque adeo cuncta-
„rum, quæ Cyclicæ a Martiano dicuntur, eru-
„ditissimus est habitus. Hic & apud Medicem
„Cosmum decreto publico *Patrem patriæ,* &
„dein apud Cosmi filium Petrum, nepotemque
„adeo Laurentium hunc, decus ubique no-
„strum, patriæ simul, avitæque virtutis hære-
„dem, fiæque Reipublicæ columen, insigni
„fuit & auctoritate & gratia, quibus etiam li-
„bros dicavit Aristotelis a se versos in Latinum
„Sed & ipsum vix adhuc puberem Laurentium
„Dialecticis imbuit, eaque Philosophiæ parte,
„qua de moribus præcipitur. Cæterum ut
homo Græcus, perquam ferebat iniquo ani-„
mo, nobilem illam, nec ut Theodorus Gaza,„
putat, importunam Marci Tullii Ciceronis ex-„
clamationem, qua Græciam verborum inter-„
dum inopem, quibus se putat abundare, non,„
eloquentius fortasse quam verius pronuntia-„
vit. Ob id igitur subiratus Latinæ copiæ ge-„
nitori & principi, Græcus Magister, etiam di-„
ctitare ausus est, quod nunc quoque vix aures,„
patiuntur, ignarum fuisse non Philosophiæ,„
modo Ciceronem, sed etiam fi Diis placet,„
Græcarum literarum. Vix enim dici potest,„
quam nos aliquando, id est Latinos homines, in„
participationem suæ linguæ doctrinæque, non„
libenter admittat ista natio. Posse demum,„
Hetruriam devastante, Romam 1480. per-„
rexit, & Aristotelem publice explicando, amplum sibi fatis stipendium accivit. Vir præter inmodicam ingluviem & bibacitatem, quibus perquam male audiit, a multis contemptui habitus, obiit sub seculi hujus finem septuagenarius. Quoad versiones & libros, *Joannis Argyropyli Byzantini, Leonardi Aretini* & aliorum, *versio Librorum X. moralium Aristotelis,* Parisiis 1497. in fol. Eodem Græca & Latina Venetiis 1498. in fol. Lipsiæ 1511. & 1540. in fol. Venetiis 1552. in 8. Argentorati 1566. in 8. Cum Commentariis variorum per J. B. Felicianum Parisiis 1543. Cum Commentariis Victorini Strigelii, Lipsiæ 1591. in 8. Cum Commentariis & Quæstionibus Titi Gallucii, Parisiis 1632. in 8. *Ejusdem Joannis Argyropyli Commentationes in Ethica Aristotelis a se conversa in Latinum,* Coloniæ 1606. in 8. Item inter opera Aristotelis quæ Græce & Latine apparatu magno Lutetiæ Parisiorum, tum 2. tum 4. in folio voluminibus, annis 1619. 1629. 1639. & 1654. a Guillelmo du Val Pontisarano, Linguæ Græcæ professore & Medico edita sunt, extant volumine 1. editionis cujusque, *Libri IV. Aristotelis de Cælo* ex interpretatione *Joannis Argyropyli.* Scripsit etiam ad Cosmum Florentiæ Ducem *Librum de processione Spiritus Sancti & Concilii Florentini decreto,* a Leone Allatio Græce & Latine editum *Græciæ Orthodoxæ* tomo 1. p. 400. Doctrinam Latinorum secutus, quod nihil mirum, cum inter Latinos versaretur, atque ex eorum stipendiis viveret. *Ejusdem Monodia de* Joanne Imp. Constantinopolitano, Consolatio ad Imperatorem C. P. Liber de Regno, & Comparatio inter Principes antiqui & novi imperii, extant MSS. in Bibliotheca Regis Galliarum. Edidit Philippus Labbeus *Novam Bibliothecam MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum,* seu *Specimen antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum,* quam potissimum ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collectam, edendam in 4. Parisiis curavit apud Joannem Henault. Illic parte 1. p. 71. *Joannis Argyropyli comparatio veterum Imperatorum cum hodierno, Consolatio ad Constantinum Palæologum, de regno ad eundem, &*

Rogeri autem *Baconi* ut & *Johannis Walteri*, ex Collegio novo rei Mathematicæ peritia clari, opera semper in summa veneratione habuit. Annorum erat 45. anno 1460. a quo tempore floruit, quando inter Henricum & Eduardum Reges acre bellum erat. Librorum, quos ipse conscripsit, nonnulli his titulis insigniuntur.

Verificatio omnium Stellarum fixarum pro anno 1440 MS. quam ille libellum instante *Falstolffo* Patrono contexuit.

De Sacramentis Dedicationis, MSS. hunc librum publicæ Collegii *Magdalenensis* bibliothecæ fundator detulit, illi autem ab ipso Worcestero nuncupatus fuerat anno Domini 1473. Ibi autem factam sibi haud ita pridem ejusdem copiam, testatur Petrus Allexius *Historia & Antiquitatum Universitatis Oxoniensis* nuperus scriptor.

Polyandrum Oxoniensium MSS. &c. quo in opere viros illustres *Academiam Oxoniensem* altricem agnoscentes enumerat, de quo vide Brianum Twinum *Antiquitatis Academiæ Oxoniensis* lib. 2. sect. 144.

De Astrologiæ valore &c. MS. Sed cum libri istius initium ejusmodi sit, *post locorum descriptionem* &c. ab ipso Baconiano *de utilitate Astronomiæ* inscripto, & idem plane principium præ se ferente, alienum ab illo esse non suspicor.

Varia Astronomica MSS. inter Codices Archiepiscopi Guilielmi Laudi in Bibliotheca Bodlejana. Codice 504. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera B. Codice 22, num. 13. & 19. Tabulæ Alfonsi Regis scriptæ satis eleganter per manum Willelmi Worcester anno 1438. Stellæ verificatæ per W. Wyrcester pro anno Christi 1440. per radices Alfonsi Regis Castelliæ ad instantiam Joannis Fastelf militis. Alia porro contexuit, quorum titulos apud Balæum & Pitseum reperies, quorum ultimus *Worcesterum* hunc nostrum a *Botonero* diversum facit.

Acta D. Johannis Falstolffi lib. 1. MSS. Qui ille Armigeri vicem præstitit, clypeumque viro detulit, quoties bellici quenpiam aggrederetur.

Composuit quoque librum *de agri Norfolciensis familiis antiquis generosis*, qui in eodem agro MSS. delitescit, tanquam cujusvis pretii *Cœmelium* asservatus, unde etiam Allixio videre haud dum contigit. Apud Pokethon in Comitatu illo degebat ipse anno 1463. quem annum Domini 1480. attigisse arbitror. Hæc Petrus Allix, *Historiæ & Antiquitatum Universitatis Oxoniensis* lib. 2. p. 346. col. 1.

Cui addo inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis. Codicibus 1641. & 1645. extare Guilielmi Worcestrii in MSS. Collegii S. Benedicti Codice 374. num. 9. inscriptum, *Itinerarium Guillelmi Worcester de Bristolia.* Et Codice 378. ibidem, *de Civitatibus, Monasteriis, Abbatiis Angliæ, deque longitudine & latitudine earum, rebusque memorabilibus.*

Agunt de Guilielmo Worcestero Brianus Twynus Lib. 2. *Antiquitatis Academiæ Oxoniensis* sect. 144. Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 9. p. 634. editionis ultimæ. Et lib. 3. parte 2. quæ est *de Historicis incertæ ætatis*, litera G. pag. 706. ubi Worcesterum a Botonero, sed ex conjecturis tantum distinguere videtur.

NICOLAUS SCHREITWEIN, natione Germanus eodem tempore clarus, posteris nomen suum commisit, scribendo *Chronicon* seu *Historiam Archiepiscoporum Laureacensium & Episcoporum Passaviensium* in Germania, usque post annum 1460. Meminit hujus scriptoris Petrus Lambecius Lib. seu Tomo 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. p. 639. his verbis. Extant Chronica duo in Imperiali Bibliotheca MSS. quorum primum, membraneum in 4. continet. *Catalogum Archiepiscoporum Laureacensium & Episcoporum Pataviensium sive Passaviensium* ab anno Christi, 250. ad annum 1313. cujus principium hoc est, *Anno Domini CCL. Philippus cum Philippo filio, suo regnat* &c. Aliud Chronicon chartaceum in folio, quod nondum certis numeris, distinctum est, de quo Lambecius p. 653. Continet a folio 335. ad fol. 387. Historiam cujus, titulus sive inscriptio, *Catalogus Archiepiscoporum Lauriacensium & Episcoporum Pataviensium, per N. Schreitwein, collatus ad Fredericum tertium Romanorum Imperatorem.* Initium Præfationis est, *Priscorum charitatem ad nos Patrum* &c. Ipsum autem opus incipit, *Ceterum perlustrando historias* &c. Perduxit, Schreitweinius hanc Historiam Lauriacensem & Pataviensem usque ad Udalricum nominis 3. Episcopum Passaviensem, cognomento de Nusdorf, qui anno Christi 1452. electus, est, in quo narrationem suam concludit, enarrans quæ eximia in Episcopatu in quo aliquandiu mansit, gesserit. Hæc Lambecius, locis citatis. Continuasse priorem hunc Catalogum usq; ad annum 1517 Nicolaum Schreitwein quem pollicetur edendum, Daniel de Nessel Bibliothecarius Imperatoris testatur in *Sciagraphia Magni Corporis Historici*, in Syntagmate Historiæ Austriacæ, quam anno 1692. in 4. Vindobonæ edidit typis Johannis Jacobi Mann. Hinc longam vitam illum protraxisse, necessarium est. 1460

THEODORICUS PAULI alias FRANCONIS, Canonicus Regularis S. Vincentii in oppido Gorcomiensi apud Batavos, anno 1460. & sequentibus illuxit inter eruditos & Historiæ recentis ad posteros transmittendæ cupidos. Clarescebat jam ab anno 1448. ac consignavit scripto *Miraculum S. Barbaræ*, quod anno 1448. contigit. quod habes in *Collectaneis* Surii Tomo 6. ad diem 4. Decembris Ætatem vero suam indicat quod huic præsens interfuit. Idem scripsit &c. Scripsit *Historiam de Cladibus Leodiensibus per Carolum Audacem* 1460

cem, anno 1468. tertio Calendas Novembres factis, opus, quod olim legebatur apud Dionysium, Villerium Canonicum & thesaurarium Ecclesiæ Tornacensis, nunc autem MSS. in Bibliothecam publicam Tornacensem transiit. Scripsit quoque *Chronicon Universale MS.* circa annum 1480. compilatum, quod multa scitu digna, recentiorum præsertim temporum, & Ecclesiasticæ Historiæ utilia complectitur, ex quo Joannes Bollandus Soc. Jesu Tomo 2. mensis Januarii die 29. in lucem dedit *Vitam S. Petri Thomæ* Carmelitæ, a Philippo de Mazeriis conscriptæ. *Chronicon* istud MS. in Bibliotheca Jesuitarum Antwerpiensium, compilatum a Theodorico Pauli Gorcomiensi Presbytero & Vicedecano Ecclesiæ Sanctorum Martini & Vincentii in Gorcomio oppido, ubi in Prœmio Chronici in Catalogo Archiepiscoporum Constantinopolitanorum ita scribit, *Petrus Thomas Carmelita præfuit Patriarcha anno MCCCLXVI.* Meminit hujus scriptoris Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 824. editionis 1643. Lovanii in 4. Joannes Bollandus in *Probatis Sanctorum Vitis* tomo 2. ad diem XXIX. Januarii, in Prolegomenis an Vitam *Sancti Petri Thomæ*, paragrapho 4. p. 994. a quibus hæc accepimus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 563. editionis ultimæ.

1460 HENRICUS DE OERSCHET, Ordinis Canonicorum illorum Regularium, qui in Belgicis partibus sunt, anno 1460. floruit & sequentibus, professus regularum Divi Augustini observantiam in Bethleem juxta Lovanium, ubi cæteros inter Fratres ita illuxit, ut ad Prioratum seu Præfecturam hujus Cœnobii promotus sit. Scripsit *Historiam de cladibus Leodiensium* a Carolo Burgundiæ *Duce factis* anno Domini 1469. dum recentes adhuc illæ essent, earumque mille testes viverent, quæ MS. extat inter MSS. Codices Cottonianæ in Anglia bibliothecæ, sub effigie Titi litera D. Codice XXV. num 6. inscripta, *Historia Compendiosa incomparabilis Prioris Henrici de Oerschet in Bethleem juxta Lovanium de cladibus Leodiensium, anno Domini 1469.* Hujus meminit Thomas Smithus in *Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ*, quem anno 1696. in folio, Oxonii e theatro Scheldoniano edendum curavit, pag. 131. col. 1.

1460 MATTHIAS EBERTER, natione Germanus, homo opibus pollens, atque Scripturarum lingua Germanica legendarum cupidus, inter Scriptores Ecclesiasticos accenseri meretur, quod anno 1464 *Biblia* in linguam Germanicam transferri curaverit, quorum mentionem facit Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 756. his verbis: „Biblia Germanica 2. Vol. in folio in membranis eum ele„gantissimis figuris, & ornatu marginali inau„rato. In principio utriusque voluminis, ex„tant insignia gentilicia Matthiæ Eberter, eujus auspiciis & sumptibus hæc Biblia anno„ Christi 1464. scripta sunt. Ad calcem primi„ voluminis occurrit subscriptio Joannis Lich„tensternii, Monachiensis, qua testatur abso„lutam a se esse priorem hanc Sacrorum Biblio„rum partem Basileæ anno 1464. circa Festum„ purificationis beatissimæ Dei genetricis. Sic„ & in fine alterius voluminis, ejusdem extat„ subscriptio, qua testatur absolutam a se esse„ posteriorem partem Basileæ anno 1464. in vi„gilia Sancti Jacobi Apostoli„ Ita post Lambecium Petrus le Long Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis parte 2. *Bibliotheca Sacra* cap. 9. Sect. 2. p. 178. editionis Lipsiensis anno 1709. in 8.

THOMAS BAZINUS, natione Gallus, patria Normannus, ante annum 1460. clarus extitit, Episcopus etiam factus Lexoviensis in Normannia a Carolo VII. Francorum Rege, cui carissimus consiliarius erat, *Vir*, ut inquit Gulielmus Heda in *Historia Episcoporum Ultrajecti* p. 304. ubi elogium illius facit, *nobilis*, *ex Gallica provincia Armorica oriundus*, *magna prudentia*, *& in sacris literis apprime eruditus*. Jam offert se occasio, aliquid de eo disserendi. "Hic erat primo Episcopus & Dux Lexoviensis, civitatis Armoricæ (in *Normannia*) Carolo VII. ejus nominis Gallia„rum Regi percharus, & idcirco Ludovico XI„ ejus filio, qui omnes, quos genitor observa„verat, summe odiebat, infensus: sive quod„ prudentiæ suæ, sive potentiæ Gentilium suo„rum Baziniorum invidebat, falso suspicans„ illum Anglis ac Burgundionibus favere. Ac„ primum mortuo ad annum 1461. die 22. Julii„ Carolo VII. Francorum Rege, aula ejecit„ deinde regno & Episcopatu expulit, & tyran„nico animo, uti erat, facultatibus & Ecclesia„ spoliavit, atque in ejus vicem successive tres„ Pseudo-Episcopos intrusit, persequens jam„ pulsum, ne abstractus securusque viveret„ quocunque locorum sese diverteret: ita ut„ primum apud Lovanium, postea Treviros„ demum Trajecti ad Rhenum, exilium sibi de„legerit„ Juris fuisse peritissimum, atque id„ in Schola Lovaniensi inter exilium fuisse professum per annos aliquot, auctor est Robertus Gaguinus in *Historia Francorum*, ad annum 1465. quem videas. Pergit Gulielmus de Heda loco citato: "Et quod longe crudelius est, non contentus hujusmodi furore, par„tim minis, partim pollicitationibus falsis il„lum coegit, ut Ecclesiæ renuntiaret, serva„to modico censu arbitrario pro alimentatio„ne. Hoc tamen non contigit, nisi postquam„ divina ultio subsecuta fuisset. Nam, ut affir„mant etiam testes hujus rei superstites, ex„ tribus Pseudo-Episcopis unus sibi mortem„ conscivit, dejiciens se in puteum: alter simi„liter dedecorose finivit vitam, tertius itidem„ subitanee periit. His ferus Rex territus, ut„ aliquis eum justo titulo Ecclesiam acquireret„ excogi- 1460

„excogitavit renuntiationem fieri, qua appa- „rerent damna, at injuriæ repararæ Bazinus „itaque diu follicitatus, tandem duxit ceden- „dum furori & importunitati, renuntiavitque „Ecclesiæ illi, a Sixto IV. Romano Pontifice „circa annum 1472. ad sedem Cæsariensem Ar- „chiepiscopalem translatus, reservato annuo „censu e Lexoviensi, residuum dierum apud „Trajectum in pace finiens &c.„ ubi *Anno* inquit *1491. decessit Trajecti Thomas Bazinus Archiepiscopus Cæsariensis, sepultus in choro Templi Divi Johannis.* Cur pulsus a Ludovico XI. causam refert Heda eam, quam dixi, *Historia Ultrajectina* p. 304. ubi occasione data, allatum supra ejus elogium addidit. Aggressus est Thomas Basinus, dum Ultrajecti exul esset, a Ludoxico XI. ex Gallia pulsus, *Historiam de rebus gestis Ludovici XI. Galliarum Regis, & Caroli Audacis Burgundiæ Ducis* Libris 2. Latinis, ut constat evidenter ex eorum fragmentis, quæ Antonius Matthæus Juris professor in Academia Lugdunobatava edidit Tomo 2. *Veteris ævi Analectorum*, Lugduni Batavorum 1698. in 8. Nempe ex cap. 33. Libri 1. p. 184. ex cap. 5. Libri 2, p. 208. Extant fragmenta ista cum Notis a p. 145. ad 273. Fragmenta ab Antonio Matthæo edita, Libri primi caput 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. ad 33. Libri secundi caput 1. 2. 3. 4. & 5. quæ spectant ad res Ultrajectinas & Hollandicas, ab aliquo ex integra Historia excerptas. Accepit hæc ac descripsit ex Adversariis Gisberti Lappii a Waveren, Advocati Trajectensis, omnisque antiquitatis studiosissimi olim viri, Antonius Matthæus. Excerptum autem Thomæ Basini nomen non præferebat, sed simpliciter tantum titulum & initium hujusmodi: *Fragmentum ex Anonymo auctore Historiarum & rerum gestarum temporibus Caroli VII. & Ludovici ejus filii, Regum Franciæ. Gisbertus Lap a Waveren anno 1640. exscripsit.* Ego Thomæ Basino universum id adscripsi, inquit Matthæus, quod quæ Buchelius ad Hedam ex historia ejus citat *Historiæ Ultrajectina* p. 312. ipsissima sint verba, quæ in Fragmento hoc occurrunt. Unde conjicimus Historiam Thomæ Basini integram, olim extitisse apud Gulielmum Hedam, ejus amicum. In laudes Davidis Episcopi Ultrajectini nimius fuisse videtur, sed interfuisse multis, quæ describit. Dum refert Ultrajectum astu captum ab Henrico a Zuylen a Nycevelt, *Eramus ipsi tunc*, inquit, *in civitate non sine metu, qui cum tam atrocem & periculosam civitatis captivitatem tam bumaniter procedere inspiceremus* &c. Et deinde etiam sub finem, *Immorati aliquantum forte latius fumus* &c. *Simul etiam qualia tunc nos ejusdem incolæ civitatis, omnemque rei seriem plenius agnovimus.* Agunt de *Thoma Basino* Guilielmus Heda Decanus Harlemensis & Præpositus Arnhemiensis in *Historia Ultrajectina* ex editione Buchelii p. 304. Arnoldus Buchelius in Notis ad Historiam Ultrajectinam Wilhelmi Hedæ p. 313. num 28. illius, hoc unde Epitaphium refert. *Extat hodieque in templo Divi Joannis Baptistæ ante chorum hoc Epitaphium:*

Rothomago natus, a stirpe Basin nominatus
Thomas, Ecclesiæ qui pridem Lexoviensi
Præsul statutus, ac depost sorte minante
Omnia quæ versat, præclaro Cæsariensi
Præfectus titulo, cogor ab hoc tumulo.
Sarcophagum cernens, & me pia mente recensens
Cœli sine mora, Dominum pro me precor ora.
Obiit anno a Nativitate Domini 1491. die 3. Decembris.

Jacobus Mejerus in *Annalibus Flandriæ* Lib. 17. ubi aliqua ex ejus Historia de Ludovico XI. Rege profert, non dissimulato Thomæ Basini nomine pag. 406. ad annum 1472. ad annum 1473. p. 411. ubi notat Meierus Thomam Basinum tunc resedisse Treviris, dum ea, quæ de Carolo Audace habet, scriberet. Ad annum 1476. pag. 423. & 426. ubi fragmentum nobile de Carolo Burgundiæ Duce extat, ex Basino excerptum, in quo Meierus *Annales* suos concludit. Unde constat, extitisse olim Historiam Thomæ Basini integram, apud Jacobum Majerum. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. p. 611. editionis ultimæ. Petrus Scriverius in *Historia Comitum Hollandiæ*, quam Harlemi anno 1650. in Regali folio edendam curavit p. 107. ubi fragmentum Basini de *Carolo Burgundo* seu *e Sudaco* profert, quod a Mejero acceperat.

PETRUS RANZANUS, natione Siculus, 1460
ortu Panormitanus, Lucerienfis Episcopus anno 1460. & sequentibus claruit, de quo ita Leander Albertus Lib. IV. *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum* fol. 125. *Petrus Ranzanus orator insignis, Siciliæ oriundus, Præsul dignissimus, Divi Vincentii Valentini Vitam tribus libris distinctam absolvit.* Sed de *Annalibus*, quibus potissimum celebrari meruit, an ad eundem, ut arbitratur Vossius, pertineant: ne γρὺ quidem ille, ut inec in *Italia* sua, quo loco de Luceria p. 386. editionis Coloniensis tractat, ac valde Ranzanum celebrat, quem senem admodum anno 1492. Christi obiisse inquit. Meminit ibidem Leander *Siciliæ* suæ, in qua, ubi de Panormo agit, referre se ait, quæ monumenta ingenii Ranzanus reliquerit: sed hoc Leandri opus, unde res tota decidi posset, nunquam lucem vidit. Scripsit igitur Petrus Ranzanus Ordinis Fratrum Prædicatorum alumnus, *De Vita B. Vincentii* cognomento Ferrarii libros quinque, qui ipsi adscribuntur in *Collectione Suriana* Tomo 2. ad diem 5. Aprilis. Tempora sane conveniunt, ut Petro Ranzano

Historico,

Historico, qui ad Matthiam Corvinum Hungariæ Regem Legatus missus est, hi attribuantur. Nam *Vita* hæc exarata est, postquam Calixtus III. Vincentium in Sanctorum album retulisset, quemadmodum ex Præfatione liquet, atque item ex fine libri V. Calixtus autem anno 1455. sedere cœpit, atque anno 1458. die 6. Augusti mortuus est, quo ipso Matthias Corvinus Hungariæ Rex electus est, ad quem Ranzanus legationem obiit, nempe sexennio antequam coronam regiam assumeret. Ranzanus ergo ille, qui apud Matthiam Corvinum triennio legatus fuit, *Annalium Libros LXI. de omnibus pene Gentium rebus* composuit, ex quibus ultimum duntaxat, atque id Sambuci beneficio, habemus inter *Hungaricarum rerum Scriptores*, Francofurti anno 1600. in folio editos, p. 199. & sequentibus. Inscribitur *Epitome rerum Hungaricarum*, dividitur autem in XXXVI. indiculos: nam quæ post indiculum XXXVI. sequuntur, non Ranzani, sed Sambuci sunt. Desinit autem Ranzanus in bello inter Matthiam Corvinum & Cæsarem Fredericum III. Eoque tempore vixisse, satis docent ista in fine indiculi XXXVI. verba: *Ubi tandem animadvertisset* (Matthias a Frederico Imperatore) *sibi verba dari, nihil ulterius protelandum ratus, sumptis armis; Austriam, quæ regno est Hungariæ contermina, invasit, belloque diuturno perdomuit, quam & hodie nomine reluctaute possidet.* Idem quoque in fine indiculi XXVII. se interfuisse exequiis Joannis Corvini inquit, quæ in annum 1456. incidunt, in quo legatione fungebatur in Hungaria. Ex iisdem autem fontibus sua hausit, unde Bonfinius, nempe ex *Indicibus Regum*, quos a Beatrice Regina Viennæ acceperat. Nec minus eum brevitas commendat, quam Bonfinium, quod uberior sit, multaque de rebus externis adjungat. Meminit *Petri Ranzani* Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Petrus Ranzanus*, cujus *Orationes haud editas* apud se in sua bibliotheca Joannes Sambucus asservaverit, quemque anno 1492. valde senem esse mortuum, Leander Albertus supra citatus scribit. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 567. editionis ultimæ.

1460 CORIOLANUS CEPIO DALMATA, eodem Friderico Imperatore floruit post annum 1460. & sequentes. Descripsit *Res gestas Petri Mocenici Veneti Imperatoris libris tribus*, ejus qui Septuagesimus Venetorum Dux fuit, ac dum anno uno & mensibus duobus Rempublicam administrasset, anno 1475. obiit. Meminit huius Operis Cuspinianus in Historia *de Imperatoribus*, quæ Basileæ prodiit anno 1544. & cum aliis anno 1556. pag. 341. in folio. Degebat autem Coriolanus Cepio anno 1478. Scodræ, quæ Albaniæ regionis caput est, cum illam Muhammedes irrito conatu obsideret. Hæc Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. 568. editionis ultimæ.

MARINUS BARLETIUS, DALMATA, 1460
Scodrensis Sacerdos, ultimis etiam Friderici Imperatoris temporibus post annum 1460. floruit. Hic *Vitam ac res gestas Georgii Castrioti Epirotarum Principis tredecim libris* eleganter conscripsit, qui ab Amurathe ob facinora insignia *Scanderbegus* appellatus est, quo nomine *Alexander Dominus*, hoc est *Alexander Magnus* significatur, ut apud Volaterranum Lib. VIII. scribitur. Dicavit hos Libros *Donferando Castriotto*, qui Scanderbegi nepos erat, unde temporibus illis, de quibus agit, proximum fuisse conjicimus. Quæ autem in Præfatione habet, fidem Scriptoris commendant, dum *A Majoribus diligenter relata, & a quibusdam etiam, qui interfuerunt visa, memoriæ mandasse* refert. Obiit autem Scanderbegus anno 1466. XVI. Kalendas Februarii, ut apud Barletium est in fine Operis. De Scriptore isto Jovii judicium est hujusmodi. *Ab hoc Dalmata, non insulse Latino, Georgii Castrioti Scanderbechi admirabiles res bello gestas, quanquam inusitatis excessibus perscriptas, legimus. Æquavit enim hic vir amore patriæ & barbarorum odio, a fide procul abductus, Epirotæ reguli virtutem antiquis heroibus, ita ut justam egregii factorum gloriam, dum supra æquum in laudes prorumpit, suspicione mendacii elevasse censeatur.* Extant editæ *Georgii Castrioti Epirotarum Principis Vita, mores ac res gesta* Libris XIII. cum aliis Francofurti ad Mœnum in folio 1578. Tomo 3. pag 1. cujus exemplar in bibliotheca Bodleiana Oxoniensi litera N. 1. 16. Art. Idem Barletius, ut ipse ait sub Libri XIII. finem *De Scodrensi urbe a Turcis expugnata libros tres* reliquit, qui extant ibidem excusi ad calcem præcedentium Tomi 3. p. 231. Itemque Marini Barleki Scutarini *De Scodrensi urbe a Turcis exgugnata Libros 3.* lego in eadem Bodleiana bibliotheca Oxoniensi editos Basileæ 1556. p. 382. litera C. 7. 1. Art. Item *Harangues militaires des guerres des Turcs contre les Chrestiens* p. 1248. Francofurti 1575. litera B. 1. 7. Artium. Video (inquit Vossius) Scriptorem hunc a Jovio in *Elogiis verorum doctorum*, vocari *Marinum Becichemium Scodrensem*, sed duos Marinos Scodrenses, Barletium & Becichemium confudit. Quorum Becichemius, postquam Scodra in manus Turcarum venit, in Italiam penetrans, Brixiensis Professor fuit, Raphaelis Regii, Joannis Calpurnii, Georgii Vallæ, & aliorum ejusdem ævi æqualis. Hic literis mandavit *Panegyrium* Leonardo Lauretano, Principi Veneto, atque Senatui hujus urbis dictum. *Castigationes* in varios Scriptores, & Opuscula quædam Oratoria, quæ omnia in Italia anno 1506. in lucem prodierunt, ac postea in Germania magna ex parte excusa sunt. Vide de eo Riccobonum Lib. 1. *De Gymnasio Patavino*, ubi refert, qui humaniores literas ann 1520. professi sunt. Sed accuratius de

us de illo tractavit Felix Osius in Opere ejusdem argumenti. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 574. editionis ultimæ.

1460 FRANCISCUS DIEDUS, nobilis Venetus patricius, Philosophus, Orator, ac Juris utriusque Consultus, claruit anno 1460. & sequentibus, cujus cum laude meminit Joannes Baptista Pajarinus *Historiæ Vicentinæ* Lib. 2. sub finem, ubi cum quædam de Constanti Vicentinorum amore erga Senatum Venetum retulisset, hæc verba subjungit, *Unde & Franciscus Diedus, Patricius Venetus, & eloquentissimus vir, in Oratione, quam anno* M CCCC LVIII. *de Laudibus Bartholomæi Pajarini, Patavii habuit, id ipsum optime demonstravit.* Scripsit quoque *Vitam S. Rochii Confessoris*, præter *Epistolas & Orationes*, cujus Operis epitomen habes apud Franciscum Haræum, Coloniæ apud Arnoldum Quentelium 1605. in folio. Atopus ipsum integrum reperies in *Monumentis Sanctorum Veronæ*, quæ Venetiis anno 1566. edita fuerunt. Mortuus est Veronæ, tempore Frederici III. Imperatoris anno 1483. ut Joannes Trithemius ait. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. p. 601. editionis ultimæ, cujus etiam mentionem facit Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Franciscus Diedus*.

1460 FRANCISCUS CASTILIONENSIS, Presbyter & Canonicus S. Laurentii, urbis Florentinæ, vivebat celebris ob doctrinam iisdem temporibus. Extat ad eum Epistola Marsilii Ficini, itemque supersunt literæ ejus mutuæ ἀμοιβαῖαι, & Jacobi Picolominæi Cardinalis Papiensis, qui eadem tempestare claruit. Vixit octennium & ultra, in ædibus Sancti Antonini Florentini Archiepiscopi, cujus & *Vitam* postea in literas retulit, obiit autem S. Antoninus anno M CCCC LIX. Quod inter alia ætatem ejus satis indicat, hoc ipsum est, quod habet Præfatione in Vitam hanc Sancti Antonini. *Vitam sanctissimi viri, Antonini Florentini Præsulis, qui hoc anno ex vita migravit, literis memoriaque mandare constitui. Quanquam enim plures sint alii docti viri in nostra civitate, quibus & doctrina & ingenio facile cedam, qui rem hanc possent sententiis & amplitudine orationis illustrare, tamen, quia apud eum virum fui, & domi suæ ultra octavum annum, gestaque ejus singula, aut bonam partem, propriis oculis vidi, auribusque hausi, ad me potius hoc onus officii, quam ad quemvis alium, merito deferri ac pertinere, sum arbitratus.* Postea etiam consignavit literis *Martyrium Autoninianum*, hoc est, *Autonii de Ripolis Pedemontani, Monachi Dominicani*, qui B. Antonini Florentini Archiepiscopi discipulus fuit, quod incipit, *Cum pro sua singulari virtute* &c. Antonius iste de Bipolis, a Tunctanis captus, veritatem Christianæ religionis abnegaverat. Hinc quatuor menses in Mahometis fide permansit, inde cum nihil sani in Alcorano reperiret, & de recenti obitu Præsulis quondam sui B. Antonini, ejusque miraculis cognosceret: facti poenitens ad Christianam professionem reversus est. Cum autem ab ea nullis Regis barbari minis revocari se pateretur, lapidibus obrutus, Christo spiritum commendavit. Atque hæc ex Constantini Cyprii, qui præsens adfuerat, & ore & Epistola, se hausisse Castilionius profitetur. Porro & *Vitam illam Autonii seu Autonini Archiepiscopi*, & Descriptionem istam *Martyrii Autonii de Ripolis*, Operi suo *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum* intexuit Leander Albertus, quod Bononiæ anno 1507. impressum in folio est. Scripsit etiam *Vitam Sancti Ferrerii Ordinis Prædicatorum.* Incipit, *Beatus Vincentius* &c.

Vitam Sancti Petri Veronensis Martyris. Incipit, *Veterem Reverendissime Pater* &c.

Vitam Sancti Thomæ Aquinatis, ejusdem Ordinis. Incipit, *Beatus Thomas* &c.

Sermonem de Vita S. Marci Papæ, quo dignitatem templi Sancti Laurentii explicat, quodque in eodem plurimæ Sanctorum reliquiæ reconditæ sunt. Incipit, *Scriptum est carissimi fratres* &c. Horum autem omnium Scriptorum archetypon extat in bibliotheca Abbatiæ Florentinæ.

Item extant, teste Marsilio Ficino, Epistolarum Libro 1. *Ejusdem Expositiones in Davidis Prophetæ Mysteria*, quas magnopere laudans idem Ficinus ita scribit: *Cupio exclamare Francisce, Deus Davidem dicit virum secundum cor suum reperisse: sed ubi adulationis suspicamur opinionem, innuere præstat, quam explicare. Vale. Mars. Ficinus.*

Ejusdem autem Francisci extat *Vita Orlandi Bonardi Archiepiscopi Florentini*, per modum Epistolæ. Incipit, *Franciscus Castalion* &c. Et *Vita Christophori Archipresbyteri Bononiensis*, Incipit, *Nunc quod in prima exhortatione* &c. Claruit anno M CCC LXX.

Metuebat Gerardus Joannes Vossius, ne de Scriptore *trium Vitarum* S. Vincentii Ferrerii, S. Petri Veronensis, S. Thomæ Aquinatis, falleretur & falleret, si Francisco Castilionensi eas attribueret. Sane in Opere Leandri *Vita Vincentii* ab Joanne Antonio Flaminio est, *Vita S. Petri* a Joanne Garzone, ut & illa *S. Thomæ Aquinatis*. Ac parum verisimile fiebat, actum agere voluisse Flaminium & Garzonem: Verum postea in Volumine Epistolarum Jacobi Picolominæi Cardinalis Papiensis, reperit hujus Castilionæi Epistolam, ad Picolominæum in qua se *Historiam S. Vincentii* consignasse & ad Piccolominæum mittere, ipse ait. Meminit Francisci Castilionis Antonius Benivenius Lib. *De abditis morborum caussis* c. 62. ubi se sub præceptore Francisco Castilionensi religioso viro literis Græcis operam dedisse ait, quem etiam paulo post *virum doctum & in Philosophia satis eruditum* laudat. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Franciscus Castilonius.* Gerar-

Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. p. 595. editionis ultimæ, quem hic expressimus.

1460 LUDOVICUS VINCENTINUS, anno MCCCCLXI. Vicarius Generalis Ord. Minorum factus est, quem honorem Auximi in Capitulo sui Ordinis obtinuit. Hic præterquam qaod *Constitutiones sui* brevius constrixit & melius digessit, *Vitam* quoque *Bernardini Senensis* ad Cardinalem Agriensem conscripsit, qui obiit Aquilæ in Vestinis anno 1444. ætatis suæ 64. die 20. Maji, a Nicolao V. inter Sanctos anno 1450. adscriptus. Hanc videas apud successores Joannis Bollandi & Surium Tom. 3. ad diem Maji 20. Agunt de *Ludovico Vincentino* Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Ludovicus Vincentinus*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. p. 595. editionis ultimæ.!

1460 JOANNES CAROLI FLORENTINUS, Ordinis Prædicatorum, ab anno quoque 1460. illuxisse dicitur, scripsit varia tum Latine, tum Etrusce, extant autem MSS. Florentiæ in bibliotheca Sanctæ Mariæ, ut vocant, Novellæ, hæc quæ sequuntur.

Volumen Concionum variis in locis habitarum. Incipit, *Proposueram quadam* &c.

Alterum Tractatuum Spiritualium, quorum primus ad Psalmos Pœnitentiales attinet, ad Bernardum Gondium.

Alterum Tractatuum aliorum, quorum primus de *Senectute* agit, quique incipit, *Marcum Tullium Ciceronem* &c.

Vita illustrium quorundam sui Ordinis, quæ editæ extant Florentiæ 1517. in folio typis Hieronymi Platonis, apud Leandrum Albertum libris 6. *De viris illustribus sui Ordinis*. Ex vero sunt, *Joannis Dominici Cardinalis & Archiepiscopi Ragusæi. Simonis Sallirolli Archiepiscopi Pisani. Aldobrandini Cavalcantis Episcopi Urbevetani. Angeli Acciaioli Archiepiscopi Florentini. B. Joannis Salernitani, socii Sancti Dominici. Alexii Stratii. Guidonis Regionalis.* Denique *De dignitate Monasterii S. Mariæ Novellæ*. Edidit ergo vitam Joannis Dominici, qui ex Monacho sui Ordinis a Gregorio XII. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ac Episcopus Ragusæus factus, Budæ apud Hungaros 1419. obiit. Item Vitam edidit Simonis Sultarelli Florentini, qui Orvieti Antistes erat, & ex Ordine Prædicatorum assumptus. Utramque habes Libro 3. Operis *De viris illustribus Ordinis Prædicatorum*, a Leandro Alberto editi Bononiæ 1517. in fol. Item ab eodem auctore profectam, Vitam Aldobrandini Cavalcantis Florentini, Episcopi Urbevitani, eodem libro invenies: uti & Vitam Angeli Acciaioli seu Accievoli, qui anno MCCCXL. Florentinæ Ecclesiæ Episcopus fuit. Vitam denique B. Joannis Salernitani, socii Sancti Dominici, ab eodem exaratum, Libro V. invenies. Hunc *Vitarum* auctorem tali elogio ornat Leander Albertus Libro IV. De viris illustribus sui Ordinis. *Adest cum Joanne Caroli Florentino, Viro usquequaque erudito, portante Vitas plurium Patrum priscorum Cœnobii Florentini elegantissimo stylo descriptas. Certe Scriptor accuratus & floridus fuit.* Itidem in *Italia*, quo loco de iis agit, qui Florentiam patriam scribendo illustrarint, *candido jucundoque stylo* usum fuisse testatur. Hæc de *Joanne Caroli* nobis suggesserunt Michael Pocciantius in *Catalogo Scriptorum Florentinorum*, Florentiæ 1588. in 4. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Joannes Caroli*, ubi eum anno tantum 1505. mortuum scribit. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 11. p. 662. editionis ultimæ.

JACOBUS CLERICUS, vulgo du CLERCQ, 1460 patria Artesiensis, nobili sangine ortus, Dominus de Beauvoir, inter Palatinos nobiles sub Philippo Bono Burgundiæ Duce vixit, fratremque habuit Joannem Clericum Abbatiæ S. Vedasti Antistitem clarissimum ac pientissimum, qui anno 1462. ætatis suæ 86. ad superos migravit. Hic in Aula intentus erat observandis rebus gestis ac moribus Philippi Boni Burgundiæ Ducis, cujus Gesta edere meditabatur. Reliquit *Historiam sui temporis*, seu *Diarium earum rerum, quæ Atrebati & locis proximis contigerunt*, MS. in bibliotheca Vedastina. Ad illum spectare videtur Opus anonymum, inter MSS. Codices bibliothecæ Cæsareæ ex arce Ambrosiana allatos, Codice MS. 314. chartaceo in 4. ubi continetur *Historia rerum gestarum Philippi Boni Burgundiæ Ducis* ad Pium II. Romanum Pontificem, qui anno 1458. electus, anno 1464. obiit. Hujus principium, *Si Praxeteles, ut imaginem Alexandri venustius sculperet, efflagitabat, quod Quintilianus refert, non expolitum ab aliis, sed rude marmor. Tu Pie Pontifex Maxime & divinissime Præsul, gratius forte feres, descriptum iri Philippum Ducem Burgundiæ, ex rudi veritate magnarum ab eo rerum gestarum. Nam* &c. Vide Lambecium Tomo seu Libro 2. Commentariorum bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 956. Opus hoc circa annum 1461. vel 1462. *Jacobus Clericus* scripsit, cujus mentionem faciunt Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* pag. 359. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Joannes Clericus*, pag. 406. editionis 1643. in 4. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. 563. editionis ultimæ.

ÆGIDIUS PRESLERIS, Monachus Or- 1460 dinis Cisterciensis, natione Belga, deinde Abbas Aluensis Cœnobii in ditione Leodiensi, claruit anno 1460. & sequentibus. Hic Sacræ Theologiæ Doctor insignis, & Concionator disertissimus, Scripto reliquit *Tomos tres Concionum super Dominicas & Festa Sanctorum totius anni*, qui Manuscripti asservantur Aluæ, ut testatur Antonius Sanderus Tomo 2. *Bibliotheca Manuscripta Belgica* in Catalogo Aluensis Biblio-

Bibliothecæ, nosque testamur, qui vidimus, dum anno 1679. Bibliothecas Belgicas excuteremus. Hic idem Ægidius insignem habuit Orationem Romæ coram Summo Pontifice, in pleno Consistorio, quæ Mitræ usum sibi suisque successoribus obtinuit. Obiit anno 1484. cujus mentionem faciunt Gaspar Jongelinus in *Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, & Carolus Wischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 8. a quo hæc pauca de illo habuimus.

1460 JACOBUS DE MARCHIA seu PICENUS dictus, ex oppido Montis Brandonis, agri vel ditionis Asculanæ, vir doctissimus, miraculis ante ortum, in vita & post mortem testibus Franciscanis clarissimus, de quo multa refert Lucas Wadingus in tomis V. VI. & VII. *Annalium Ordinis Minorum*, claruit hoc anno 1460. & sequentibus. Hic verbo & scripto indefesse pugnavit *adversus Hæreticos Fratricellos* in Italia, Manichæos in Bosnia & Croatia, Patavenos & Arianos in Hungaria, a quibus plurimas passus est insidias & molestias. Suffultus tamen authoritate sibi commissa Inquisitoris Generalis contra Hæreticorum pravitatem, omnia superavit, profligato ex multis locis hoc genimine viperarum. Multas tulit suppetias Callisto III. Pio & Paulo secundis contra Turcas, prædicans crucem per universam Italiam, ubicunque summopere dilectus & concupitus. Scripsit *Dialogum contra Fratricellos de Opinione*, qui incipit, *Vidi de mari bestiam ascendentem* &c. MS. olim Romæ apud Lucam Wadingum, ut ipse testatur.

Tractatum de Sanguine Christi, contra eos qui contendebant, controversiam hanc olim sub Clemente VI. fuisse decisam, & sententiam suæ opinioni contrariam fuisse proscriptam. Incipit, *Cum quidam processus cujusdam sententia* &c. MS. olim apud eundem Wadingum.

Integra Quadragesimalia duo. Adventalia duo. Varios de Sanctis sermones, inter quos habentur *quatuor de Sancto Francisco. Tractatum de admirabili gloria Virginis Mariæ*, assumpto themate, *Signum Magnum apparuit in cœlo.* Incipit, *Astitit regina a dextris tuis* &c. Tractatum de locis communibus in quinque partes distinctum, quarum unaquæque continet varios tractatulos. Incipit, *Quoniam ut ait Apostolus* &c. Atque hæc omnia conservantur inter reliquas ejus sacras exuvias prope ejus corpus in Sacrario, quæ propria ipsius manu exarata dicuntur. Hic vocatus a Ferdinando Rege Neapolim, post multa egregie præstita, & Spiritu Prophetico multa certissime (ut fertur) prænunciata, decessit sanctissime anno 1476. die 23. Novembris, sepultus honorifice in Sacello magnifico a Gondisalvo Fernandoz magno Duce, sub Carolo V. constructo. Qui tandem in Beatorum numerum ab Urbano VIII. Summo Pontifice relatus est. Plura dat Lucas Wadingus in Annalibus Minorum locis citatis, a quo nos ista verbotenus accepimus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 184. de quo etiam Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 779. verbo *Jacobus Asculanus*, ubi incerta tantum narrat.

JOANNES HARDINGUS, natione Anglus, primum adversus Scotos militavit, 1460
ac jam senex sub Edwardo IV. Anglorum Rege anno 1461. floruit, atque *Chronicon Anglicanum* Anglicana lingua conscripsit, quod adhuc superest MS. in Anglicis Bibliothecis. Nam in Catalogo MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum insignium num. 1485. in MSS. Codicibus Comitis Denbigh Codice 23. extat *Chronicon Anglicanum Johannis Hardingi a tempore, quo Triginta Sorores Londinum* occuparunt, *& Albionem appellarunt, quæ nunc Anglia, Wallia & Scotia dicitur, usque ad regnum Edwardi IV. regnantis.* Et in Catalogo MSS. Codicum Bodleianæ bibliothecæ num. 3356. in MSS. Codicibus Joannis Sheldeni Latinis & Anglicis Codice 26. *Chronicon Angliæ, carmine Anglicano; a tempore Conquestus per Guillelmum I. usque ad annum 1470. per Joannem Hardingum.* Notat tamen Gerardus Joannes Vossius, ordiri Chronologiam suam a fictitio Bruto, ac usque ad Henricum IV. Regem ea referre, quæ ab aliis jam tradita erant: sed annis LXI. quos adjecit, narrare res suæ ætatis, magnaque ex parte quibus interfuerit. Edidit præterea *Itinerarium* seu *Chronographiam Scotiæ*, itemque librum, quo exsequitur, quomodo Reges Scotiæ Regibus Angliæ se submiserint. Extat autem hoc *Itinerarium seu Mappa Scotiæ* ibidem num. 2. & num. 3. aliud opusculum ejusdem inscriptum, *Titulum Regum Angliæ in regnum Franciæ.* In eodem Catalogo MSS. Codicum Bodleianæ bibliothecæ num 6915. in MSS. Codicibus Ashmoleanis, *Chronicon Johannis Hardingi metro Anglicano ab initio Angliæ usque ad Edwardum IV. Regem* in fol. pergameno 34. Meminit hujus Scriptoris inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ num. 5103. Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 2. cap. seu num. 67. p. 378. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. p. 634. editionis ultimæ.

JOANNES PHRÆAS seu PHRÆUS, natione Anglus, ortu Londinensis, eodem 1460
Rege Edwardo IV. in Anglia regnante florebat anno 1460. fuitque Collegii Baliolensis apud Oxonium socius, qui *Cosmographiam* composuit, cujus MS. exemplar asservatur Oxonii, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum Universitatis Oxoniensis num. 362. in MSS. Codicibus Collegii Baliolensis K. 2. *Joannis Frea Collegii Baliolensis Sacri Cosmographia.* Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ num. 2359. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 2. Codice 20. num. 7. *Epistola quædam Joannis Freæ.* Idem Xenophontis aliqua, ac Diodori Siculi partem,

partem, aliaque Latine vertit ac Paulo Papæ se dicavit, qui usque adeo translatione sibi facta delectabatur, ut Phræam Episcopum Bathoniensem designaret. Sed ille antequam inauguraretur, anno 1465. e vita decessit, quem veneno extinctum fuisse a competitore, magna suspicio extitit. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. pag. mihi 634. cujus etiam meminit inter MSS. Codd. bibliothecæ Bodleianæ n. 5018. Rogerus Dodeswarthus *Collectaneorum* vol. 76. c. 17. fol. 31.

1460 GUILLELMUS CAXTONIUS, natione Anglus, post annum 1460. claruit, qui præterquam, quod varia Historicorum opera ex Latina lingua in Anglicam transtulit, ipse etiam Anglice plurima conscripsit, quorum nonnulla a Latinis Scriptoribus translata esse dicuntur. Edidit autem *Chronicon* Anglice, quod a Gigantibus auspicatur, quos primos Angliæ incolas extitisse arbitratur & scribit, progreditur autem usque ad annum XXIII. Edwardi quarti, hoc est ad annum Christi 1483. Hujus Caxtoni Chronicon in Opere suo Latine transtulit Joannes Scotus, sed refectis, quæ improbabat, nec enim pauca sunt, ubi judicium requirat. Unde Historiæ suæ Scoticæ Lib. IV. cap. III. cum narrasset, ut Joannes Rex a Monacho quodam Coenobii Swineshed, hoc est, capitis porcini, veneno esset sublatus, hæc verba subjungit: *Caxtonum Anglum Historicum in hac parte ad literam imitor, solum linguam nostram Britannicam in Latinam interpretor.* Idem cap. XIII. *Circa hanc materiam Caxtonus Historicus Anglus sic recitat.* Ac postquam majorem capitis ejus partem ex Caxtono exscripsisset, addit: *Ecce Caxtoni Angli historiam, quam de lingua Anglicana in Latinam convertimus. Non solum improbabilia, sed sibi haud cohærentia, vir iste cudit: omni enim probabilitate vacat, ut duos Reges superiorem & interiorem ei subjectum Scoti eligerent, peterent aut caperent.* Item cap. XXI. *Ecce quonam pacto res gestas illius temporis, Anglus Historicus, quem sequimur, recitat, paucis verbis improbabilibus, a me rejectis & reprobatis.* Item libro V. cap. XVII. *Postea invectivam in Robertum & Davidem Bruscos Caxtonus facit, quot verba, tot mendacia assumens.* Quanquam vero Anglus foret, magnam tamen ætatis partem, puta annis XXX. in Flandria apud Margaritam Burgundiæ Ducem, Regis sui Edwardi sororem egit. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. pag. 636. editionis ultimæ, cui addimus extare MS. Chronicon Guillelmi Caxtoni inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ num. 1129. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera F. Codice 92. n. 2. ubi *Chronicon Angliæ incipiens a Bruto usque ad Henricum V.* per Willelmum Caxtonum. Et num. 1493. in MSS. Codicibus ejusdem Guilielmi Laudi litera K. Codice 67. Et inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis num. 160. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ, Classe a dextris, serie suprema Codice 23. Et in Catalogo MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum bibliothecarum insignium num. 4057. in MSS. Codicibus Gualteri Chetwindi Codice 15. Ibid. num 5521. in MSS. Codicibus Collegii Armorum apud Londinum Codice 96. *Chronicon Caxtoni ad usque Regem Henricum V.* Idem transtulit Virgilium in linguam Anglicam, quod opus extat in Collegio S. Trinitatis Cantabrigiæ, Classe a sinistris, serie suprema Codice 16. Denique inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & insignium aliarum bibliothecarum, num. 6791. in MSS. Codicibus Samuelis Pepysii Codice 72. *Libri X. metamorphoseon Ovidii in Anglicam prosam per Caxtonum conversi anno D. 1480. in fol.* Idem Caxtonus versionem Polychronici Ranulphi Higdeni seu Hikeden in Anglicam linguam a Joanne de Trevisa Sacerdote Cornubiensi factam & ad annum 1387. perductam, immutato paululum Anglicæ linguæ archaismo, & a se ipso ad annum usque 1460. Edwardi IV. Regis primum, continuatam, typis Londini in fol. evulgandam curavit, qui sub Edwardo Rege dicto claruit, primusque omnium artem typographicam Angliæ intulit. Ipsa autem Joannis de Trevisa versio a Caxtono nondum perpolita, extat MS. in instructissima Thomæ Tenisoni, Theologi doctissimi Bibliotheca. Hæc Henricus Warthon in Continuatione Guillelmi Cavi in *Ranulpho Higdeno* ad annum 1357. pag. 48. Opera autem Caxtoni fere omnia, olim in Anglia impressa sunt sub typographiæ incunabulis, extantque inter veteres impressiones, quæ sunt in bibliotheca Joannis Mori Nortwicensis Episcopi. Num. 171. *Historia Angliæ & Hollandiæ per Willelmum Caxtonum Anglice scripta*, edita in folio 1480. Num. 172. *Polychronicon Ranulphi Higdeni Anglice translatum per Gulielmum Caxton.* Num. 173. & 144. *Virgilii Æneides translata e Gallico in Anglicum per Guilielmum Caxtonum*, Londini a. 1490. in fol. *Tullius Cicero de senectute & amicitia translatus in linguam Anglicam per Guil. Caxtonum*, dedicatus Regi Edwardo IV. Londonii, anno non designato, in fol. ibid. n. 143. & 145. Ibidem Num. 146. *Liber de ludo Schaccorum, per Guillelmum Caxton anno 1474. in folio.* Num. 162. *Dicta & Sententiæ Philosophorum impressæ per me Guillelmum Caxton, apud Westromonasterium anno Domini nostri 1477. qui liber nuperrime translatus fuit e Gallico in Anglicum a Nobili & potente Domino, Domino Antonio Erle de Ryvyers, Domino seu Toparcha de Scales & Insulæ de Wyght, defensore & directore Sedis Apostolicæ, pro Sancto Patre nostro Papa in Regno Angliæ, & Gubernatore Domini Walliæ Principis.* Denique in Editionibus iisdem antiquis Joannis Mori, Nortwicensis Episcopi, Num. 139. *St. Jeronis Vita Patrum translated out of French by William Caxton, printed at Westminster by Wynkyn de Worde anno 1495. in folio.* Meminit hujus Scripto-

Scriptoris inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num 5102. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volum. 1. cap. 141. pag. 715. Simlerus quoque in Epitome Gesnerianæ bibliothecæ, & qui illum sequi solet Antonius Possevinus *Apparatus sacri* tomo 1. verbo *Guilelmus Caxtonus*, hunc memorant, quem anno 1538. vixisse arbitrantur, sed falli eos satis arguunt, quæ diximus.

1460 STEPHANUS BRULIFER, aliis *Brulefer*, natione Gallus, patria Macloviensis, Britanniæ Arremovicas, Doctor Parisiensis, ex Ordine Fratrum Minorum, claruit anno 1460. & ultra, auditor Guillelmi Vorilongi, ejusdem Ordinis. Scripsit *Reportata in quatuor libros Sententiarum Sancti Bonaventuræ*, quæ prodierunt Basileæ anno 1501. apud Jacobum de Pfortzcim, & Venetiis anno 1504. apud Lazatum Seardum, & Parisiis anno 1507. & iterum anno 1570. Item *Libellum de Sanctissima Trinitate*, ubi multa habet contra pictores, variis & impropriis modis hanc sacram Triadem personarum depingentes. Item *Sermones varios de paupertate Christi & Apostolorum*, editos cum præcedenti tractatu Parisiis anno 1500. apud Andream Bochardum. *Tractatum defensorium adversus quendam Episcopum Minoritam, damnantem Fratres de Observantia, quod contra formam Regulæ se alio nomine vocarent, quam Regula expresserit.* Alterum *De timore servili & de donis Dei.* Tertium *De formalitatibus ad mentem Scoti:* qui tres ultimi Tractatus seu Opuscula impressa sunt Venetiis in fol. anno 1516. apud Octavianum Scotum. Denique *Declarationem identitatum & Distinctionum rerum secundum Scotum*, impressum Basileæ anno 1507. in 8. ad calcem *Reportatorum*, cum *Concione de valore Missarum, habita in Moguntina Synodo.* Opuscula ejus prodierunt Parisiis anno 1499. & ibidem anno 1500. in 8. apud Joannem Parvum. Obiit autem ipse in Conventu Bernonis, Provinciæ Britanniæ, sub annum 1483. Hæc Lucas Wadingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 320. verbo *Stephanus Brulifer.* Cujus meminit quoque Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 433. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1480. pag. 161. qui aliquanto ante istud tempus florebat.

1460 GODSCALCUS HOLLEN, natione Germanus, ex provincia Saxoniæ, Ordinis Fratrum Eremitarum Divi Augustini, claruit anno 1460. & sequentibus, doctrina & eloquio celebris, in omni facultate promptus, Sancti Evangelii concionator non ignobilis, professione Scholasticus, qui anno 1466. Concilio Osnabrugensi interfuit. Scripsit *Commentarium Sermonum in decem præcepta Decalogi*, seu Decalogum in Sermonum forma explicuit, Norimbergæ anno 1497. impressum apud Antonium Koberger. Incipit, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* &c. Idem Opus impressum in fol. anno 1481. Coloniæ Agrippinæ, & ao. 1484. apud Joannem Guldenschaeft, cujus unum vetus exemplar vidimus in bibliotheca Choletana Parisiensi sub anno 1686. ad cujus calcem hæc subjunguntur: "Consummatum est præsens & novum Præceptorium pulcherrimum, ac fructuosissimum Domini Gotscalci Ordinis, Eremitarum Divi Augustini viri piissimi, satis bene correctum ac emendatum, impressum, autem per me Johannem Guldenschaeft, civem Coloniensem, ad laudem ac gloriam, Sanctæ Trinitatis, ac gloriosæ Dei genitricis, S. Mariæ, nec non ad utilitatem Ecclesiæ suæ, sanctæ, ipso die Sancti Francisci Confessoris anno Domini millesimo quadringentesimo, octogesimo primo." Hoc autem notandum est, *Sermones septem de decem præceptis*, qui inveniuntur in impressionibus novis & antiquis *Opusculorum Sancti Bonaventuræ*, esse purissimam Laciniam, desumptam ex hoc Opere majori Godscalci de Hollen, quam conferendo cognovi verbotenus ex isto desumptam præceptorio, ab his, qui primam Opusculorum Divi Bonaventuræ editionem procurarunt. Idem scripsit *Sermones Dominicales per annum*, quibus inserti sunt Sermones tres Johannis de Sancto Geminiano, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui Hagnoviæ in Germania, in fol. anno 1520. impressi prodierunt apud Henricum Granum. Illius mentionem faciunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* pag. 288. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Godscalcus Hollen.* Sed plura de illo Philippus Elssius in *Encomiastico Augustiniano*, verbo *Godscalcus Hollen* pag. 244. quod anno 1654. in fol. Bruxellis apud Franciscum Vivienum impressum est.

JACOBUS PICOLOMINÆUS, dictus *Mensbona* seu *Amanatus*, natione Italus, 1460 Luca Hetruriæ Civitate clarissima egenis quidem sed honestis juxta Jacobum Volaterranum ejus Secretarium parentibus natus, atque ut ait Gebelinus in Commentariis Pii II. Lib. 7. p. 184. civis Senensis ex privilegio factus, quod & ipse identidem repetit in Epistolis, maxime 72. & 128. in quo Senenses concives suos appellat. Hic ab eodem Pio II. in Piccolomineam insertus & adoptatus familiam, ejusque cognomine ac insignibus donatus, ut testatur idem Gobelinus ubi supra, & Papiensis ipse Amanatus Epistola 48. Nec tantum habitationis ac civitatis inter se gaudere asseruit, sed in eam quoque se ac suos commigrasse affirmavit his verbis: "Amo hanc civitatem, quantum amari a me maxime potest, nec secus sua, salus mihi est curæ, quam mea. Crevi enim, beneficio hujus, atque hujus charitate omnia, summa in sorte nostra sum assecutus. Loca, ortu tantum mihi est patria, Sena pietate &, meritis. Illa dedit ut essem, hæc ut bene &, honorifice essem: in hanc quoque quia propensior mea voluntas, meorum omnium domici-

„micilium transtuli, quod illi æternum habebunt, & nati natorum, & qui nascentur ab „illis. Prima litterarum rudimenta puer, in „oppido Pisciæ Lucensis Diœcesis didicit, jam „vero adolescens Florentiæ sub Carolo & Leonardo Aretinis, Poeticæ & Rhetoricæ operam „dedit. Ad finem Jubilæi, sedente Nicolao „V. Pontifice Maximo, Romam se contulit.„ Cumque rei familiaris angustias pateretur, obsequio Magnatum vita illi toleranda fuit. Veniens itaque Romam anno 1450. Nicolai Papæ quinti quarto, immisit se primum in familiam Joannis Sancti Angeli & Dominici Capranicæ, Firmani dicti, Cardinalium S. R. Ecclesiæ. Huicque postremo a Secretis fuit, ut ipsemet scribit *Commentariorum* Lib. 2. & in Epistolis pluribus 140. 156, 178. 340. 503. & 625. Cujus & in se plurima fuisse pietatis officia narrat Epistola 178. „Venientem me (inquit) in Curiam hospitio excepit, egentem adjuvit, titulo Secretariatus sui ornavit, ad hancque „curialis disciplinæ industriam, tudem ignarumque formavit. Taceo, quæ patrocinio „suo a Callisto Pontifice sum assecutus, quantumque Romanus homo Tusco, mihi & antea „ignoto, verborum rerumque habuerit fidem. Dilexit illum unice Pius II. tum propter elegans ejus ingenium, & bonarum litterarum peritiam, atque ad obeunda quæque dexteritatem: quam propter manuum puritatem, quas toto vitæ suæ tempore in maxima corruptelarum opportunitate servavit immaculatas. Unde & ab ipso post secundum sui Pontificatus annum, Ecclesiæ Papiensi, addit & Ciacconius, Tranensi præfectus est: mox in purpuratorum Patrum numerum, vigesimo abhinc mense adscriptus: quæ ille ipse de se loquens, paucis perstringit in *Commentariis* Lib. 7. & Epistolis quoque 192. & 445. Igitur, ut diximus, ad honorem sacræ purpuræ vocatus est, & feria secunda ante quatuor Adventus tempora anno Christo nato 1461. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Chrysogoni tenunciatus, cum nonnullis aliis lectissimis patribus, quos enumerat Pius in suis Commentariis. Intra purpuratorum Collegium admissus, multis legationibus egregie, quas illi Summi Pontifices commiserant, perfunctus est: collatamque dignitatem assiduis studiis, expediendis negotiis, moribus denique inculpatis illustravit. Utebatur autem ipse virorum litteratorum, quos eximie semper coluit, lubentissimus contubernio, quibus præsentibus dum frui non poterat, mutuis hos Epistolarum commerciis salutabat, atque ad rependendam vicem hortabatur. Visuntur Francisci Philelphi ad eum Epistolæ 21. Campani 68. itemque Ficini & Politiani aliquot. Scripsitque, ut in ejus Vita notat Jacobus Volaterranus, *Summorum Pontificum Vitas*, carmine, quæ æmulorum malitia deperditæ sunt, *Commentariorum Libros VII.* quibus fere annorum quinque historiam omnem complexus est. *Epistolas ad diversos* DCCLXXXII. *Testamentum valde pium*, quod extat ad calcem dictorum Operum, quæ anno 1614. Francofurti in folio impressa sunt apud officinam Aubrianam, post Opera seu Commentarios Pii II. Summi Pontificis. At *Commentarii* quidam fol. 348. & 354. *Epistolas* vero fol. 455. Advertendum autem est cum Henrico Spondano in Continuatione Annalium Baronii ad annum 1510. num. 4. duas haberi Epistolas Commentariis Jacobi Amanati Cardinalis Papiensis præpositas, quarum prior quæ est nomine ipsiusmet Jacobi ad Georgium de Ambasia Rothomagensem Archiepiscopum & Cardinalem, alterius omnino cujusdam esse oporteat. Nempe ut putat Spondanus, *Alexandri Minutiani Mediolanensis*, qui Cardinalem Georgium palpaturus, manes Jacobi Amanati introducit, Commentarios suos ei offerentes. Id enim ipsemet Minutianus non obscure insinuat sub initium subsequentis Epistolæ ad *Stephanum Poncherium* Episcopum Parisiensem & Cancellarium Mediolanensem, de collatione Scriptorum Jacobi & laudibus ejusdem Georgii ipsiusque Stephani. Quomodo enim verus ipse *Jacobus Amanatus* id agere potuerit, qui undeviginti annis ante mortuus fuisset, nimirum quarto Idus Septembris anni 1479. quam Georgius fieret Cardinalis, qui ab Alexandro VI. pridie Idus Septembris anni 1498. tantum creatus est. Unde etiam aperte intelligitur, deceptos esse illos, qui Epistolam ejusdem Jacobi 123. anno 1465. scriptam, *ad G. Cardinalem Rotomagensem*, ad eundem Georgium esse volunt, qui nonnisi sexennis tunc erat, si hoc anno, quo diem obiit, quinquagenatius tantum erat. Scriptam autem esse ad Guillelmum de Stuttavilla Cardinalem tunc Ostiensem, nullum est dubium: quem æque Rothomagensem esse dictum constat, ab Ecclesia cujus item Archiepiscopus erat. Favet & argumentum Epistolæ, cujus ædium, quas in Urbe habebat, ibi pulchritudo commendatur: nempe Palatii & Monasterii Sancti Augustini, quod una cum Ecclesia magnifice a fundamentis Guillelmus extruxit. Eandem habet annotationem Auberius in *Historia Generali Cardinalium* tomo 2. ad annum 1461. dum *de Jacobo Amanato* Papiensi Cardinali fol. 386. Hic demum anno Christi 1479. Pontificatus Sixti Papæ IV, novo, cum apud S. Laurentium ad Crispas Vulsinienses, æstivi solis ac æstus vitandi causa, se contulisset, & febrem quartanam qua tum laborabat, potione discutere tentaret, consilio imperiti cujusdem & circumforanei medici, qui elleborum haud satis dilutum ei propinavit, interiit. Hoc contigit ad criptas oppidi Laurentiani, tertio Idus Septembris, anno ætatis 57. non 77. uti apud Ughellum est, errore absque dubio Typographi. Corpus inde Christi Pontificis & Patrum decreto in almam Urbem relatum, non ad pedes Pii Papæ II. ut ipse

ut ipse Papiensis supremæ voluntatis tabulis caverat, sed apud Sanctum Augustinum, marmoreo tumulo conditum fuit. Funus mœsta prosequente familia, eodem Sixto Papa jubente curatum est, qui tamen, quem vivum dilexerat, mortuum quodammodo spoliavit. Testamentum enim ejus irritum fecisse, ait Paulus Jovius in *Elogiis doctorum virorum*, quod pecunia satis magna apud mensarios occulte deposita videretur. At nihil hic, quod reprehensioni subjaceat, dignum video: *Magnum namque vectigal parsimonia*, ait Marcus Tullius: potuitque a frugalissimo Cardinale aliqua pecunia servari, ad inopinatos casus, aut pias causas. Verum tradit Jacobus Volaterranus octo tantum aureorum millia domi vel apud mensarios inventa, & Pontifici numerata, ipsiusque jussu suppellectilem omnem, domum ac prædiola vendita, & ex iis vestes sacras ac vasa argentea nonnulla Apostolico sacrario dicata, alia vel in funeris sumptus impensa, vel Xenodochio Sancti Spiritus erogata. Agunt de *Jacobo Amanato* omnes, qui exceperunt *Annales Cardinalis Baronii*. Henricus Spondanus, Abrahamus Bzovius, Odoricus Rainaldus, annis citatis. Omnes denique, qui scripserunt *de Cardinalibus S. Romanæ Ecclesiæ*, atque inter alios Ludovicus Rupispozæus Parisiensis Episcopus, in *Nomenclatore Scriptorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium*, fol. 96. Auberius in *Historia Generali Cardinalium* tomo 2. ad annum 1461. p. 379. & sequentibus. Sed potissimam ejus laudem & amplissimam habet Ludovicus Donius Dattachy, in *Floribus Historiæ Cardinalium* tomo 2. ad annum 1461. p. 379. ubi multis eum commendat indutum titulis. Augustinus Oldoinus Soc. Jesu, edidit anno 1676. Perusiæ in 4. *Athenæum Romanum*, in quo Pontifices & Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui scriptis claruerunt, accurate recensentur. Illic littera *Jacobus* p. 351. Jacobum Amanatum scribit, quartoldus Septembris ex mortali vita recessisse in oppido Laurenti, anno ætatis suæ 57. Christi 1479. Corpus in Vrbem relatum in Æde Eremitarum S. Augustini sepulchro marmoreo conditum, & lapidi hoc Epitaphium superimpositum.

Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria: nomen
Dum vixi Jacobus, Mens bona pro genere.
Papa Pius Sedem Papiensem detulit, idem
Cardineo ornavit munere, gente, domo.
Vivite qui legitis, cœlestia quærite, nostra hæc
In cineres tandem, gloria tota redit.
Obiit apud Laurent.
Vulsingen. Anno Salutis
MCCCCLXXIX. 10. Septembris
In Vrbem relatus
Pia familia domestica prosequente,
Et hic conditus
Xisti IV. Pont. Max. beneficio
Vixit An. LVII. Mens. VI. Dies 2.

PETRUS A THYMO, vulgo VAN DER HEIDEN, Brabantus, e Ghierlensi municipio juxta Turnhoutum iisdem temporibus in pretio erat ob Jurisprudentiam, qui annis fere LVIII. Bruxellis caussarum patronus, imo B. Guldulæ Canonicus & Thesaurarius fuit. Conscripsit *Martyrologium* & *Brabantiæ Chronicon* tomis tribus, quod in archivis Bruxellensibus MS. asservatur. Obiit Octogenarius anno MCCCC LXXIII. IV. Kalendas Martii, ut ejus epitaphium Bruxellis in æde primaria ostendit. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* parte 4. quæ est *de Historicis prætermissis* cap. 10. p. 808. Hoc Petri a Thymo *Martyrologium* nempe *Brabantiæ*, videtur esse ipsum opus MS. anonymum, quod extat inter MSS. Codices Amstelodamensis bibliothecæ, de quo sic loquitur Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 6. p. 554. editionis ultimæ anni 1651. "Eodem tempore &,, aliquanto post vixit Auctor anonymus Operis Historici *de Laudibus Brabantiæ*, quod 2.,, constat libris. Prior inscribitur *de etymologia*,, *Brabantiæ*, in quo ostendit, quot literis con-,, stat nomen regionis, totidem esse ejus laudes.,, B. innuere, Brabantiam esse Beatam: R. Re-,, galem: A. Antiquam: B. Bonam: A. Auda-,, cem: N. Nobilem: C. (nam Brabanciam per,, C. scripsit) charitate commendabilem, vel,, (ut ipse loquitur) Charitativam: I. Iustam:,, A. Abundantem: atque horum singula exem-,, plis illustrat. Alter *de Genealogia Ducum Bra-*,, *bantiæ*, in quo non Principum modo, sed mul-,, torum etiam Brabantiæ *Sanctorum* vitas enar-,, rat. Siquidem explicat Vitas Sanctorum Re-,, migii, Martini, Hilarii, Vincentii, Clodoaldi,,, Gildardi, Medardi, Radegundis, Bathildis, Ar-,, nulphi, Vandregisili, Pipini, Ittæ seu Idulber-,, gæ, quæ Sancti Pipini uxor fuit, Gertrudis,,, Gudilæ, Raynildis, quæ S. Gudilæ soror erat,,, Beggæ, Amelbergæ, Pharaildis, Dimphnæ Vir-,, ginis & Martyris, Gummari, Caroli Martyris,,, Veronæ, Ludovici ejus, qui Ludovici III. fili-,, us, Philippi nepos fuit. Guidonis Confessoris,,, Arnulfi, Bonifacii, Mariæ Oegniacensis. Iti-,, dem quædam affert pertinentia ad Vitas Lud-,, gardis, Thomæ Cantipratensis Ord. Prædica-,, torum. Mariæ martyrio affectæ juxta Bruxel-,, lam, Fratris Johannis Æger Prædicatoris, Ma-,, riæ Duciflæ Brabantiæ, Fratris Johannis a Ruis-,, brock, atque item alia. Existimet aliquis au-,, thorem vixisse anno MCCXXX. quod agat,, de Morte S. Idæ, quæ anno MCC XXXI. de-,, cessit: & multo post ipsum vixisse non possit,,, cum ipse, quo loco de quinta *Brabantiæ* beati-,, tate agit, sic loquatur, *Nuper circa annum Do-*,, *mini* MCC. &c. Sed latius hac tempestate,, adverbio *Nuper* usus est, ut nihil certum colligi,, inde

„inde possit. Vixisse autem ea ætate, qua ante rerulimus, liquido colligimus ex verbis hisce prioris libri, ubi de antiquitate Brabantiæ „disserit: *Sic factum constat temporibus nostris* „*in Civitate Bruxellensi circa annum Domini* „*M CCCC XXX.* Libro etiam secundo, de morte Sanctæ Idæ agit, quem incidisse in annum „M CCCC XXXI. inquit. Denique desinit „in temporibus *Philippi II.* cognomento *Boni* „*XXXVI. Brabantiæ Ducis*, qui Philippo I. Antonii filio successit, de quo ita orditur: *Huic* „*succedit in principatu Dominus Philippus hujus* „*nominis secundus*, *qui usque hodie felicissime* „*praest.* Quibus vobis quid apertius est? At „qui Philippus ille an. Christi M CCCC XXX „imperare incœpit, & anno M CCCC LXVII, „imperii sui XXXVII. decessit. Ista satis arguunt ejusce Scriptoris ætatem, hactenus ut „arbitror inciditi, quem ante paucos demum „menses in Bibliotheca Amstelodamensi reperi, deducente illuc optimo atque doctissimo „viro Johanne Polyandro juniore Jurisconsulto, cum apud eum ad aliquot dies ob veterem „amicitiam divertissem. Hæc Gerardus Joannes Vossius loco allegato. At quisquis & ætatem hujus Scriptoris consideraverit & argumentum, quod Nomenclatores Belgarum Scriptorum Petro a Thymo adscribunt, dubitabunt pauci, quin opus istud sit, quod *Martyrologium Brabantiæ* ab ipso compositum est. Hæ conjecturæ meæ sunt. Ejus *Martyrologium* Brabantiæ Sanctos potissimum recensens, laudat Joannes Melanus in opusculo *de Martyrologiis* cap. 8. Mortuus anno M CCCC LXXIII IV. Kalendas Martii, ætatis 80. Bruxellis in æde primaria sepultus cum hoc insigni epitaphio.

D. O. M.
Hic lapis non est super lapide
Viator.
Sed supra virum Sacerdotin clarum.
Inopia fere laborabat,
Alios iopia sublevans.
Domus ejus omnium Gentium,
Atque Religiosorum,
Quos pietas sibi pares fecetat,
erat receptaculum.
Deus tandem a solo ad Cœlum,
evocavit.
M CCCC LXXIII. IV. Kalendas Martii
ætatis LXXX.

Faciunt mentionem *Petri a Thymo* Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Petrus a Thymo* p. 637. editionis anni 1628. Antwerpiæ in folio. Valerius Andreas Dessellus in *Bibliotheca Belgica* ibidem, p. 764. editionis ultimæ 1643. in 4to.

1460 JOANNES LONGINUS, COGNOMENTO DLUGOSSUS, CANONICUS CRACOVIENSIS ECCLESIÆ, claruit anno 1460. & sequentibus, usque ad annum 1480. ob scientiam Historiæ, rerum præsertim Polonicarum spectatissimus. Hic ortus ex nobili familia Wieniawa, filius Joannis Dlugossi, qui civitatibus plerumque atque oppidis præficiebatur ab Inclyto Wladislao II. Polonorum Rege, cui non mediocriter charus erat, illis maxime, quas Rex aut propugnaculis communiri, aut certe a neglectu instaurari cupiebat. Cum itaque Præfectus esset in oppido Brezeznica anno Christi 1415. ex generosa uxore Beatrice, quem jam pridem propter generis splendorem & morum elegantiam sibi legitimo matrimonio conjunxerat, filium sustulit. Ætate procedente factus fuit sub Frederico IV. Imperatore Cracoviensis Ecclesiæ Canonicus, ac postmodum Leopoliensis Archiepiscopus designatus anno 1480. mortuus est. Varias maxime sub Casimiro III. Rege Poloniæ legationes obiit, tantum ab illo dilectus, ut Liberorum illius informator ac præceptor fieret. Primus in Academia Cracoviensi, ad rei litterariæ incrementum, *Contubernii Jurisperitorum* auctor & fundator extitit, idemque fatiscentium Ecclesiarum instaurator atque Xenodochiorum, communisque omnium pauperum veluti parens extitit. Nec doctrinæ assiduus labor pietatis defuit, cujus mentionem facit Paulus Frehetus in *Theatro virorum illustrium eruditioneque clarorum* parte 1. Sect. 2. p. 22. Insignia de illo testimonia nonnulla proferunt Simon Okolski in *Orbe Polonico* Tomo III. p. 299. “ Joannes Dlugosz, præceptor filiorum Casimiri III. Regis Poloniæ, Canonicus Cracoviensis, legationibus plurimis adfuit, & Acta Polonica latino sermone conscripsit, nominatus Archiepisco patus Leopoliensis, obiit 1480. Pater ejus, Johannes bello cum Crucigeris sub Uladislao, Jagellone Rege, magnus triumphator. Simon Starovolscius in *Historia Episcoporum Cracoviensium*. In vita Jacobi de Sienno, enarrans, calamitates quibus ob trium ad Episcopatum, tendentium concertationes, quorum unus a, Rege Casimiro commendatus, alter a Capitulo electus, tertius a summo Pontifice de, plenitudine potestatis promotus erat: *Ecclesia illa affligebatur, Dlugossos etiam fratres duos, quorum alter scriptor rerum Polonicarum, huic, calamitati implexos, & hunc potissimum & reditum suorum retentione*, & domus direptione, & molesto *exilio mulctatum*, nec nisi *post biennium pacatis* per Senenii *cessionem* rebus, *in pristinum statum restitutum*, anno 1462. memorat. Idem Simon Starovolscius in *Monumentis Sarmatarum*, hoc habet Dlugossi epitaphium Cracoviæ in templo S. Stanislai in rupellam positum.

R. D. D.
Johannes Dlugossius de Niedzielsko, illustrium filiorum Regiorum informator, Canonicus Cracoviensis, hujus Monasterii Primarius institutor, hic sepultus requiescit Anno Domini 1480. die 10. mensis Maji.
Oretur pro eo.

Historiam autem illius Polonicam integram Libris

bris XII. distinctam ex MSS. Codicibus erutam ediderunt in folio Lipsiæ Joannes Ludovicus Gleditsch & Mauritius Georgius Weidmann Lipsienses Bibliopolæ anno 1711. Augusto Secundo Poloniæ Regi dedicatam, sub hoc splendido titulo.

Joannis Dlugossi seu Longini Canonici quondam Cracoviensis, Historiæ Polonicæ Libri XII. Quorum sex posteriores nondum editi, nunc simul cum prioribus, ex MSS. rarissimo in lucem prodeunt. Ex Bibliotheca & cum Præfatione Henrici liberi Baronis ab Huyssen, Russorum Cæsari a Consiliis intimis, bellicis & Justitiæ &c. Præmittitur præter vitam Auctoris & Doctorum de eo testimonia, Samuelis Joachimi Hoppii Schediasma de Scriptoribus Historiæ Polonicæ, auctum plurimis annotationibus Gabrielis Groddeckii Publici Professoris ac Bibliothecarii Gedanensis & Valentini Schleffii Gedanensis Patricii.

Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1712. mense Julio, p. 301. & sequentibus, unde prædicta sunt.

Qui porro Libros sex priores hujus Operis, primus ediderat, Senatui ac Principi Venetorum illos obtulerat dedicaratque; at ex scriptoris Joannis Longini Epistola dedicatoria quæ præmittitur, omne opus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Domino Zbigneo de Olesnica tituli S. Priscæ Presbytero Cardinali & Episcopo Cracoviensi dedicaverat, his verbis: *Reverendissimo in Christo Patri Domino Zbigneo de Olesnica, miseratione divina tituli S. Priscæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali & Episcopo Cracoviensi Joannes Longinus, Canonicus Cracoviensis, visione perfrui Remuneratoris aeterni, & beata atque immortali stola potiri.*

In Schediasmate *de Scriptoribus Historiæ Polonicæ*, paragrapho XII. *de Scriptoribus Cromero antiquioribus*, nullus, qui disertius de hac Dlugossi Historia loquatur, quam pag. 21. celebris Hartknochius in Præfatione *de scriptionis Prussiæ antiquæ & novæ*, his verbis.

„ Longinus cognomine gentilitio dictus, „Canonicus Cracoviensis, & postea designatus „Archiepiscopus Leopoliensis, Seculi XV. „Scriptor, obiit enim anno 1480. memorari de„bet. Cujus Historiæ Polonicæ in tres tomos „digestæ, Tomus primus auctoritate & sum„ptibus Herbulti Dobromilski editus Dobro„nidi in officina Jeannis Szeligæ anno 1615. in „folio. Reliqui duo Tomi adhuc MSS. variis „in bibliothecis asservantur, ut Romæ in Bibli„otheca S. Mariæ in Vallicella, in Poloniæ qui„busdam locis, ac in urbe hac apud Patres Do„minicanos, teste *Hartknochio loco antea citato.* „Mihi certe, quod grato animo hic profiteor, „uti aliis in rebus, ita & in hoc argumento To„mos hos MSS. una cum aliis libris elegantissi„mis, consulere, manibusque terere licuit, in „Bibliotheca instructissima Magnifici Domini Joachimi Hoppii jam Præconsulis & Monta„norum Administratoris longe meretissimi, „Patrui omni filiali pietate æternum prose„quendi, quem diutissime salvum florentem„que divina præstet benignitas. Integrum, „autem horum Annalium corpus XII. Libris, „absolvitur, quorum sex priores Tomum 1. „constituunt, qui in Anno 1240. desinit. Re„liqui duo Tomi, qui sex posteriores Libros, „complexi, usque ad annum 1444. quo infelix, „Uladislai ad Varnam cæsi, vitæ exitus descri„bitur, extenduntur. Hæc ipse αὐτόπτης, in„dicto *Schediasmate* §. 12. p. 21.

Unde autem Henricus ab Huyssem hujus operis editor, manuscriptum Codicem habuerit, quo usus est, testatur in Præfatione ad Lectorem, editioni præmissa, sub finem his sequentibus verbis.

Quapropter operæ pretium me facturum, „& studium Historiarum Polonicarum mirifice, „adjuturum existimavi, si quem hucusque mu„tilum & dimidiatum saltem habuimus, Joan„nem Dlugossum seu Longinum, post Vin„centium Kadlubkonem & Basconem, anti„quissimum Polonicarum rerum scriptorem, „integrum exhiberem, auctorem in argumen „to quod tractat, perspicuum & fide dignum. „Studio enim veritatis odium sibi peperit, ac, „tot inimicos paravit, ut sex ultimos Libros, „quos ab Illustri Alberto Dembinskio, Vexil„lifero Zatoriensi, viro sapientissimo nostrique, „amantissimo concessos, jam prima vice publici, „juris facimus, ineditos reliquerit.„

Acta autem Eruditorum, quæ Lipsiæ publicantur, *Supplementum insigne* hujus Dlugossi operis exhibent, *Supplementorum* Tomo V. sectione X. post annum 1711. p. 423. quod a me prætermitti nefas esset, sub titulo sequenti, Joannis Dlugossi seu Longini Historiæ Polonicæ Tomus II. seu Liber XIII. & ultimus, ex Bibliotheca Henrici Liberi Baronis ab Huyssen, cui accedunt primo Vincentii Kadlubkonis Historia Polonica, secundo Stanislai Sarnicii & Stanislai Orichovii Annales Polonici. Illustrium item virorum Epistolæ a Stanislao Cornovio Episcopo Uladislaviensi olim Cracoviæ anno 1578. editæ inque tres libros digestæ, Denique Stanislai Sarnicii Descriptio Veteris & novæ Poloniæ Lipsiæ apud Joannem Ludovicum Gleditsch & Mauritium Georgium Weidmann anno 1712. in fol. Alph. 11. pl. 8. de quo ita Lipsienses quos transscribimus.

Hic Tomus, præter Dlugossi quæ restabant, Scriptores aliquot raros utilesque exhibet, magis ad voluminis mensuram & molem, quam ad constituendum Historiæ Polonicæ corpus additos, eo quidem ordine, ut præcedant, qui omnem Polonorum Historiam ad suam deduxerunt ætatem, Kadlubko & Sarnicius. Hos excipiat gestorum unius Principis scriptor Orichovius, sequantur hæc tempora spectantes Carncovii Epistolæ, ac agmen denique claudat Descri-

Descriptio ejusdem Sarnicii locorum in Polonia præcipuorum. Curavit, præfationemque præmisit Joannes Gottlieb Krause, in qua cujusque Scriptoris vitam, scripta testimonia, & quid in præsenti editione præstitum fuerit, diligenter ostendit: quam nos etiam hoc loco, adjecturi in ipsis Auctoribus inter legendum observata, sequemur.

Quoad *Dlugossum*, Vitæ illius Tomo I. præfixæ auctorem, quem anno 1712. mense Julio pag. 301. recensuimus, nec Collimachum esse, nec felicem Herbultum Debromilensem, sed ignotum quendam, qui inter ætatem Micchovii & Crameri intercesserit, docet præfatio. Ex scriptis Dlugossi allegantur *Vita S. Stanislai, Vita Episcoporum Plocensium, Chorographia regni Poloniæ*, quæ forte a Libro I. Historiæ diversa non est: *familiæ, arma & clenodia nobilitatis Polonorum*, & imprimis *Historia Polonica*, quæ anno 1711. ex Bibliotheca Illustrissimi Huyssenli, Magno Russiæ Imperatori a consiliis belli & status evulgata, parte tamen sui pulcherrima mutila, nunc beneficio ejusdem Illustrissimi viri restituitur. Solus Cracoviensis MSS. Codex hanc Libri XII. partem servabat, quam bibliopola *Librum XIII.* vocare maluit, ne unum eundemque in diversis Voluminibus Librum lectores quærerent. Complectitur vero Historiam ab an. 1445. quo Casimirus V. fratri Uladislao VI. ad Varnam occiso successit, ad annum usque 1480. qui vitæ simul & historiæ Dlugossi finem dedit: atque adeo divisam inter Polonos & Cruciferos Borussiam, oblatum filio Uladislao Bohemiæ regnum, hisque affinia Georgii Podiebradii Bohemiæ, & Matthiæ Corvini Hunniadis Hungariæ, Regum gesta, res maximi momenti persequitur. Quæ omnia pro dignitate enarranti, hoc magis credendum judicamus, quod sua ætate acta tradere accuratius posteritati potuit, ac fidem propriam, ubi opus videbatur, auctoritate publica munivit. Eminent ex his monumentis literæ de A. 1454. quibus Casimirus Spontaneam Pruthanorum deditionem acceptat, p. videlicet 134. Junctæque his incolarum Prussiæ, quibus fidem, subjectionem & obedientiam Magistro & ordini Cruciferorum subtractam, Regi regnoque Poloniæ addicunt p. 139. Conditiones pacis perpetuæ A. 1466. inter Casimirum Regem Poloniæ & Ludovicum Prussiæ Magistrum initæ p. 388. Item exemplum literarum, quibus a Paulo II. Pontifice anno 1467. Georgius Podiebradius ob hæresim, blasphemias & perjuria, regno Bohemiæ exutus est. Omittimus alia quæ ab eruditis Lipsiensibus de hac editione recensentur pag. 425. 426. 427. 428. & 429. quia ad Joannem Dlugossum seu Longinum vel ejus historiam nihil faciunt.

Ob merita igitur insignia factus ex Canonico Cracoviensi Archiepiscopus Leopoliensis, claruit post annum 1465. de quo Joannes Herburtus *Historia Polonica* lib. 17. cap. 10. pag. mihi 332. inquit, *Vir nobilis ac gente Vienaria, virtute & constantia summa, eruditione & facundia (ut istis temporibus) non vulgari, & industria ac dexteritate in rebus agendis singulari præditus*: qui etiam in Præfatione ad Historiam Polonicam, *fidem ejus & diligentiam in Historia conscribenda deprædicat, licet verborum cultum ac sententiarum gravitatem* in eo desideret. Diligentiam ejus hoc invicte probat, quod etiam *Catalogum omnem Episcoporum universi Poloniæ regni, per omnes Cathedrales Ecclesias, ab ipsa cujusvis fundatione, ad sua usque tempora contexuit*. Operis hujus exemplar MSS. autographum ab Martino Cromero acceptum, habuit Thomas Treterus Wormatiensis Canonicus, ex quo *Vitas Episcoporum Posnaniensium a Jordano primo Antistide ad Urielem de Gorka Præsulem XLV, id est ab anno D CCCC LXVI. ad annum M CCCC LXXIX*, cum Appendice sua edidit Tretenis Brunsbergæ 1604. in 4. uti jam supra dictum fuit. Item scipsit *Vitas Episcoporum Placentium*, quas in Operibus suis edidit Stanislaus Lubienski Plocensis Episcopus, Antwerpiæ an. 1634. in folio editis. Item *Vita Sancti Stanislai Episcopi Cracoviensis & Martyris*, redacta a Laurentio Surio in compendium, ac Stylo mutata Tomo 3. *de probatis Sanctorum Vitis edita*, integrior a Bollandistis mense Majo ad diem VIII. exhibita, Joannem nostrum Longinum auctorem sibi vendicat. *Acta* denique *Eruditorum Lipsiæ* an. 1713. mense Martio in *novis literariis* mentionem faciunt *Chronici Episcoporum Wratislaviensium* a Joanne Longino conscripti atque impressi p. 143. his verbis. Olsniæ Anno 1712. prodierunt Christiani Rungii, „ Gymnasii Magdeburgensis Uratislaviensis, „ Collegæ Miscellanea litteraria de quibusdam, „ ineditis scriptoribus ac Operibus Historiæ, „ Silesiacæ 4. plagulis in 4to. Decennium fere, „ est, ex quo Godefridus Rhenius Uratislaviensis, cujus vita his miscellaneis præmittitur, „ præter alia scripta, quibus Historiam patriam, „ illustravit, edidit Epistolas tres de quibusdam, „ Scriptoribus ineditis Historiæ Silesiacæ, in-„ que iis *Joannis Longini Chronicon de Episcopis Uratislaviensibus*. Nicolai Henelii Silesiographiam renovatam, Henrici Wenceslai a, „ Neudorff diarium Silesiticum &c. Hæc de Operibus Joannis Longini Dlugossi, *Acta eruditorum Lipsiæ* diversis locis. Jam ad ea, quæ de Longino Dlugosso paucis ante dixeramus, revertamur. Scripsit igitur cum labore multo atque ex monumentis Poloniæ eruit, *Historiam Polonicam in duodecim libros distinctam*, cujus sex priores libri usque ad annum M CC XL. procedentes authoritate & sumptibus Herbulti Dobroniski anno 1615. in folio Dobtomili extant evulgati. At ne reliqui libri imprimantur, Polonos obstare audio, arbitrantes in hisce, plurima Regni sui secreta prodi. Reliqui sex libri in 2. voluminibus compacti habentur adhuc MSS. in va-

in variis Poloniæ bibliothecis, qui jam prodierunt. Habemus igitur dictam Historiam, usque ad annum M CCXL. excusam. Præterea vir iste laboriosus & nobilis, scripsit prolixissime tribus libris seu Tractatibus *Vitam & Miracula S. Stanislai Martyris & Cracoviensis in Polonia Episcopi*, usque ad annum circiter 1478. vel 1480. interventu ejus patrata. Hanc Cardinalis Baronius in notis ad *Martyrologium Romanum* ad diem 7. Maji, aut reperiri apud Surium, sed fallitur. Illam autem dedit Daniel Papebrochius, seu Socii qui Bollando successerunt ad diem 7. Maji, tomo 2. fol. 201. & sequentibus, integram & primogenio stylo olim Cracoviæ anno 1611. impressam, cujus priorem partem, quæ vel gestas in vita & gloriosum Martyrium continet, habuerunt exceptam, ex ipso libro pergameno, unde facta prima impressio videtur. Mortuus est Joannes Longinus Dlugossus anno 1480. ut testantur Bollandistæ, ad finem *Miraculorum Sancti Stanislai Martyris:* quæ ad hunc annum usque scripsit, & ultra continuasset scribere, si diutius vixisset. De illo agunt ferme omnes qui scripserunt *de rebus Polonicis*, ut Martinus Cromerus, & alii. Daniel Papebrochius in *præludiis* ad Acta Sancti Stanislai Martyris, num. 1. 2. & aliis. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Joannes Longinus* p. 907. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 6. p. 565. ultimæ editionis.

1460 MARTINUS DE MAGISTRIS, Gallice des Maistres cognominatus, natione Gallus, patria Turonensis, ab anno circiter 1460. florebat hac tempestate Parisiis insignis Philosophus, re & nomine *Magister*. Hic infimo loco natus, utpote Lanii cujusdam filius, cum aliquamdiu in Collegium Navarrense admissus legens Philosophiam moralem floruisset: anno 1469. Baccalaureatu donatus, anno 1473. Magisterii gradum magno cum omnium applausu suscepit. Cum insignis ergo Philosophus ac Theologus audiret, multa conscripsit, quæ ipsius in utraque hac disciplina eruditionem produnt. Extant quantum ad Philosophica, ipsius *Expositio perutilis & necessaria super libro Prædicabilium Porphyrii*, edita Parisiis anno 1499. *Tractatus consequentiarum in vera divinaque nominalium via*, Parisiis apud Antonium Denidelum. *Liber seu Quæstiones morales de fortitudine*, Parisiis in folio impressæ, anno 1489. *Liber de Temperantia*, Parisiis anno 1490. Denique *Quæstio de fato* præfixa Compendio Alberti Magni in octo Libros Physicorum, Parisiis apud Dionysium Roccum. Quantum ad *Magistri Martini de Magistris Sacræ Theologiæ Professoris Quæstiones Morales de fortitudine* impressæ sunt Parisiis anno 1489. in folio per Wolf. Hopil. Ejusdem *Quæstiones Morales de temperantia, jejunio &c*, ibidem anno 1490. in folio, apud eundem Hopil. Idem quoque Martinus de Magistris composuit *Expositiones in Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & antiphonam Salve Regina*, quas etiam *Contemplationes* appellavit, editas sub ejus nomine Parisiis anno 1521. in 4to typis Jodoci Badii Ascensii. Atque Opuscula hæc Anselmo Lucensi Episcopo ab imperitis censoribus attributa sunt, & inter ipsius Opera recensita, uti ad annum M LXX. in *Anselmo Lucensi* antea diximus. Quantum autem distantiæ & intercapedinis, inter S. Anselmum Lucensem Episcopum anno M LXX. celebrem, & Magistrum Martinum de Magistris, qui anno M CCCC LX. & ultra virebat atque Parisiis scribebat? Composuit etiam *Summam Quæstionum Theologicarum*, quæ habetur Manuscripta in celebri Bibliotheca sancti Victoris Canonicorum Augustinianorum ad muros Parisienses, Codice optimæ notæ, littera K. 11. post summam Magistri Præpositivi, cujus titulus litteris rubricatis, fol. 61. *Compilatio Quæstionum Theologiæ secundum Magistrum Martinum.* Prologus incipit, *Cautum est in Sacris voluminibus, ut lex DEI eum legitur, non secundum propriam ingenii virtutem doceatur &c.* Liber primus. *Hic probatur unum esse principium rerum*, Minio etiam velut Capitis summarium: tum incipit, *Quia Deus investigari non potest per causas præcedentes, cum ipse sit causa suprema &c.* Cognominabatur *de Magistris*, ut constat ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Longipontanæ, Ordinis Cisterciensis, quos vidimus ac tenuimus, scriptos minutissimis ac fugientibus characteribus, ubi summa ista bis MSS. extat: quæ sane præclara est; ordinata, elegans, ac præstantior multis impressis, quas hodierni avidis etiam oculis Lectitant. Martinus Magister postea in Collegium sanctæ Barbaræ secessit, quod non modo prudenter gubernavit, sed & incrementis non contemnendis adauxit, ubi tanta celebritate Philosophiam moralem prælegit, ut paulo ante mortem a Ludovico XI. Francorum Rege accerseretur, qui eum confitentem secreto audiret, ejusque eleemosynas distribueret. Obiit quinquagenarius anno 1482. cujus sane honorificam mentionem facit Joannes Launojus in *Historia Regii Navarræ Collegii*, ac post ipsum Henricus Whartonus in Supplemento *Historiæ litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1473. p. 151.

ENGUERRANUS DE MONSTRELET, 1460
vir nobilis a Cameracensi ditione oriundus, Cameracensi urbi Præfectus, continuavit anno circiter 1460. *Historiam rerum notabilium inter Anglos præsertim & Gallos & Belgas*, ab anno 1400. quo Joannes Froissartus cessat, usque ad annum 1467. quo Philippus Bonus Burgundiæ & Brabantiæ Dux, Belgici Imperii conditor, vivere desiit: tribus voluminibus distinctam, quam habes impressam Parisiis in fol. charactere insigni, anno 1572. apud Guillelmum Chandiere via Jacobæa sub signo hominis Sylvestris. Ibidem in fol. 1596. apud Laurentium Sonnium

3. Tomis. Quamvis autem hic Enguerranus Laicus fuerit & armiger ac Martem sequutus, in Historia tamen ex occasione interdum de Ecclesiasticis rebus & personis agit, ob quam rationem ab Auberto Miræo in Ecclesiasticis scriptoribus recensetur, ut statim dicemus. De illo Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 214. Aubertus Miræus in suo Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 452. p. 265. Bibliothecæ Ecclesiasticæ. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Enguerranus Monstreletus* p. 205. editionis 1643. Lovanii in 4to.

1460 PIUS II. ÆNEAS SYLVIUS antea dictus, gente Italus, ortu Senensis, ex illustri Piccolominæorum prosapia oriundus, Sylvii & Victoriæ filius, anno 1405. Corsiniani natus est. In oppido natali Grammaticam didicit, adeo interim constrictus rei familiaris angustiis, ut omnia ruris officia ob inopiam subire coactus sit. Anno 1423. amicorum subsidio usus, Gymnasium Senense ingressus, illic adolescentiorem ætatem suam politioribus literis informavit, ubi poetas imprimis & oratores audivit & perlegit, deinde Juri Civili operam suam contulit. Postquam e Senensis Gymnasii studin prodiisset, rerum jam idoneus tractandarum, anno 1431. cum Dominico Capranica Cardinale venit Basileam, Concilioque ibidem celebrato, per decennium non tantum tenacissime contra Romanorum Pontificum authoritatem adhæsit, sed etiam Dialogo & Epistolis ad Rectorem & Universitatem Coloniensem scriptis, authoritatem ejusdem Concilii approbavit. In cujus mercedem fidei, Scriba Synodi constitutus, Clericus Ceremoniarum, Literarum abbreviator, & unus ex Duodecim viris, qui magistratus illic quasi censorios habebatur. Basileæ igitur manens Felicem V. Antipapam tanquam legitimum Romanum Pontificem veneratus est, cujus secretis anno 1439. admotus est, ac paulo post ad Fridericum Imperatorem legatus, laurea poëtica ab Imperatore donari, & inter amicos acciri meruit. Anno 1442. a Frederico Basileâ accitus, in aulam Imperatoriam transiit, & Protonotarius seu Secretarius Imperii factus, Imperatore sensim in Eugenii partes transeunte, easdem quoque Æneas Sylvius ubi certiora amplioris fortunæ media, ad Principis imitationem amplexus est. Episcopatu Tergestino primum â Papa Nicolao donatus, post quadriennium Episcopatu Senensi auctus, anno 1452. Fredericum, cui se devoverat, Romam ut coronam imperialem susciperet profectum secutus, Legatus Bohemiæ omniumque Austriæ regionum inter redeundum constitutus est. Anno circiter 1456. in Italiam ab Imperatore missus, ut de bello Turcis inferendo cum Romano Pontifice, aliisque Principibus consuleret, ad levamen itineris Cardinalitiam purpuram a Callisto III. retulit. Post Callisti mortem anno 1458. Pontifex Romanus die 19. Augusti electus est, coronatus die 3. Septembris. Vix ad hanc sedem promotus, edita *Retractationis* bulla, revocavit ea omnia, quæ in Concilio contra Eugenium Papam egerat, declaravit Concilium debere subjici Papæ tanquam judici & superiori, omissaque bulla sub excommunicationis pæna a Papa ad Concilium appellari prohibuit: quæ omnia ex Conciliorum Tomo XIII. col. 1407. & 1801. constant. Pontifex factus primum belli incendium a Piccino in Umbria excitatum suppressit, Assisium & Nuceram recuperavit. Mantuæ Conventum Regum & Principum indixit, quo & ipse accedens, multis & Principibus & Legatis præsentibus de bello in Turcas suscipiendo constitutum est. Ejus Responsio ad Orationem Oratorum Galliæ in Conventu Mantuano, extat apud Dadiericum *Spicilegii* tomo VIII. & in Concilii Tomo 13. col. 1773. & alia Responsio seu Oratio ad eosdem, ibid. col. 1765. Pius Romam reversus, Viterbium se recepit, & ab Ecclesiasticæ ditionis finibus tyrannos quosdam exterminavit. Regnum Neapolitanum Ferdinando confirmavit, & Latinum Cardinalem Ursinum eo misit, qui eundem Regem coronaret: qui etiam clade illa, qua apud Sarnum afflictus est, adjuvit, qua ope regnum is tutatus est. Sigismundum Matatestam & censuris & armis cohibuit. Fœdus iniit cum Rege Hungariæ, Burgundiæ Duce. Regem Bohemiæ citari jussit. Episcopum Moguntinum non recte de fide sentientem, dignitate spoliavit. Sigismundum Austriæ ducem anathemate damnavit, quod Cardinalem quendam in vincula conjecisset. Beatam Catharinam Senensem inter Sanctas retulit, Romæ, Senis & aliis plerisque in locis multa eleganter magnificeque extruxit. Corsinianam civitatem appellari voluit, & de suo nomine *Pientiam* dixit. Extrema fere Pontificatus tempora bello contra Turcas indies ad majora grassantes parando impendit. Cumque ingens Cruciatorum militumque subsidiariorum, exercitum conflasset, & Anconæ classi imponendum deduxisset, lenta febre ibi correptus obiit anno 1464. die 14. Augusti cum sedisset annos 6. menses XI. & dies 27. Corpus Romam delatum, apud Sanctum Petrum conditum est. Æneas Silvius seu Pius II. multa ingenii sui monumenta edidit, *Dialogos, Epistolas, Orationes diversis personis, Bohemorum Historiam. Commentarios de rebus suis duodecim libris complexus est. Epigrammata, variaque Pœmatum genera* lepide & acute scripsit, quo studio ita delectatus est, ut *Poeta* etiam nomen ipse scriptionibus usurparet, sicut constat ex Epistola quadam ad parentem data, cui inscriptum est, *Æneas Silvius Poeta genitori suo Silvio salutem*. Ita fere Guilielmus Cavus *Historia Literaria* Seculo XV. ad annum 1458. p. 140. vel potius ejus continuator Henricus Warthon qui opuscula accuratissime recenset p. 141. & 142. a quo tamen omissa *Æneæ Silvii Episcopi Senensis, postea Pii Papæ II. Historia rerum Frideri-*

Friderici III. Imperatoris, ex Manuscripto optimæ notæ nunc primum edita, cum ejusdem *Historia Bohemica* atque *Historia Sancti Basileensis*: cum specimine Annotarionum Johannis H. Boecleri in easdem, Argentinæ anno 1685. in folio. Cui accesserunt Diplomata, & Documenta varia rebus Friderici III. illustrandis, ut & figuræ, imagines & nummi: quibus præterea subjecti sunt alii Scriptores nonnulli rariores ad Germanicam Historiam pertinentes. Judicent autem cordati, quam fidem debeant Æneæ Silvio, de rebus Friderici III. agenti, a quo fortunam omnem habuit. Item Æneæ Silvii seu Pii II. Papæ extat *Historia Austriaca imperfecta* ut testatur Petrus Lambecius Tomo 2. *Commentariorum* hujus Bibliothecæ p. 4. 7. 463. & 972. in duobus Codicibus MSS. propria ipsius Æneæ Silvii manu exaratis, sed utrobique ut in imperfectorum Operum adversariis fieri solet, multis lituris refertis. Item *Æneæ Silvii Historia de duobus amantibus, Eurialo videlicet & Lucretia*, ibidem in MSS. Codice Ambrosiano CCCCXLIV. in membrana in 4. cujus meminit idem Lambecius ibidem p. 981. Plurima, quæ scripsit Æneas Silvius, recensent Platina *de vitis Pontificum* in vita Pii II. Jacobus Philippus Bergomas Lib. XV. ad annum 1454. De eodem &c. Inter *Anecdota*, quæ ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codicibus nunc primum eruit, notis ac Disquisitionibus auxit Ludovicus Antonius Muratorius, quæ Mediolani apud Josephum Pandulfum Malatestam anno 1699. in 4. impressa sunt, Tomo 2. quartum inter hæc *Anecdota* monumentum est prolixissima *Oratio*, quam *pro authoritate Romani Pontificis Viennæ anno 1452*. Æneas Silvius habuit, cui peculiarem Muratorius Dissertationem subnectit, qua & auctoris res gestas summatim recenset, & Maimburgium, quod Sylvius ille ante Pontificatum suum, Papam Concilio Generali subjectum statuerit, contendentem ex *Oratione* præsenti refutare nititur, & Opera Æneæ Sylvii modo memorati nondum typis edita, sed prope diem ex MSS. Codd. a se evulganda enumerat. Hæc ex *Actis Eruditorum Lipsiæ* anno 1699. mense Julio p. 306. Porro *Æneæ Sylvii Episcopi Senensis, postea Pii Papæ II historia rerum Friderici III. Imperatoris ex MSS. optimæ notæ nunc primum eruta*, cum aliis Historicis ejusdem, multum commendatur & laudatur in Supplemento ad *Acta Eruditorum Lipsiæ* Tomo 2. anni 1696. Sectione 2. p. 73. ad p. 81. Ejusdem Æneæ Sylvii *Historia Friderici III. Historia Bohemica & Concilii Basileensis* de quibus supra, editæ Helmstadii 1700. quinque voluminibus in 4to apud Johannem Melchiorem Sustermannum, quæ inscribunrur *Æneæ Sylvii Geographica & Historica*, eo quod ibidem anno 1690. impressa sit ejusdem *Descriptio Orbis* Libris 2. quorum 1. *de Asia*, 2. *de Europa loquitur*, tum anno 1700. *Epitome Decanum Blondi ab inclinatione Imperii ad tempora Johannis XXIII. Papæ*, quæ omnia 5. tomis continentur. De eodem Bellarminus ad annum 1450. & Labbeus, in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis tomo 2. pag. 228*. Gerardus Joannes Vossius *De Historicis Latinis* Lib. 3. cap. 7. pag. 593.

JOANNES GOBELINUS, Secretarius fuit Pii II. Romani Pontificis, qui post mortem Calixti III, anno 1458. die 19. Augusti factus Romanus Pontifex, primariam hanc sedem tenuit usque ad annum 1464. quo rebus Germanis cessit die 15. Augusti, post annos quinque, menses undecim, dies vigintiseptem regiminis. Cum igitur esset Joannes Gobelinus Papæ Domesticus, atque ab Epistolis & Secretis, scripsit oculatus plurimorum testis, *Commentarios de rebus gestis Pii II Summi Pontificis*, seu *Rerum memorabilium ipsius tempore gestarum Historiam Libris XII*: quibus quæcunque digna memoriâ, ab anno 1458. ad annum 1464. toto terrarum orbe, hujus Papæ temporibus acciderunt, commemorar. Bonâ autem fide scripsisse, hæc præfationis verba indicare videntur: *Tu qui hæc aliquando legeris, ita demum boni consule, ut mentienti nihil ignoscas*. Ad ætatem pertinent, quæ ille eadem in præfatione dicit: *Martinum V. vidi, & Eugenium IV, & Nicolaum item V. & Callistum III. quos dum vixere, damnavit populus: facto functos magnis extulit præconiis*. Orditur ab origine Picolomineæ, domus & Pii II. majoribus. Gratum sane Opus donum, Picolomineæ. De eo Franciscus Bandinus Picolominæus, Archiepiscopus Semensis, sic Epistola ad Gregorium XIII. Papam: *Qui quidem Codices mihi pergrati fuerunt, sed unus longe gratissimus inter eos inventus accuratissime manuscriptus, & delineatus in membranis quo res gestæ temporibus Pii Papæ secundus, qui avunculi mei Joannis Picolominei Cardinalis, Senensis Ossiensisque Episcopi avus fuerat, continebantur: a quodam Joanne Gabelino ipsius Pii secundi familiari satis luculenter, ut ea erant tempora, in Commentarium relata atque descripta. Hunc ego dum essem juvenis, perlegi, multaque in eo, ne dicam omnia, non commendatione solum, sed admiratione digna judicavi*. Prodiit Historia, hæc curis Francisci Picolominei Senensis Archiepiscopi, ex vetusto exemplari recognita Romæ anno 1584. in 4to & anno 1589. ac Francofurti in Germania in folio, anno 1614. in officina Aubritana. Cum hoc etiam opere, extat *Pii Secundi*, cum esset Cardinalis, *Apologia seu Responsio ad Martinum Mayer*, pro defensione Romanæ Ecclesiæ, ibidem p. 662. Denique ibidem *Commentarius luculentissimus Jacobi Picolominai Cardinalis Papiensis, rerum gestarum sui temporis*, qui Pio Pontifici coævus & familiaris fuit. Agunr de *Joanne Gobelino* Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 474. p. 270. Labbeus in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis* tomo 2. pag. 228. in Pio 2. Pontifice Romano. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. 1460

De Historicis Latinis cap. 10. pag. 80. ultimæ editionis.

1460 PETRUS DE NATALIBUS, EPISCOPUS EQUILINUS, quem in primo hujus Operis molimine male ad annum 1380. collocaveram, unica ferme annorum centuria aberrans, anno hoc circiter 1460. & sequentibus floruisse legitur. Hic natione Italus, ex Pastore seu Plebano Sanctorum Apostolorum in Diœcesi Castellanensi, factus Episcopus Equilinus in Gradensi provincia. Superstes in ea dignitate & Ecclesia, perduxit ad exitum *Catalogum Martyrum & Sanctorum* anno 1482. die 26. Maji, quo manum de tabula sustulit. Hoc opus haud majoris meriti est, quam Jacobus de Varagine, accusatum a multis plurimæ simplicitatis, nullius diligentiæ, fabularum Anilium: ita ut Priscilianum, Hæreasiriarcham, ejusque sectatorem Latrocinianum Martyribus annumeraverit. Haud quaquam igitur istud gravius aut solidius opinor his, quæ scripsit, annis circiter ducentis ante ipsum, Jacobus de Voragine Genuensis Archiepiscopus, quidquid in contrarium aliqui sentiant. Mentionem faciunt *Petri Equilini Episcopi*, Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesner.* p. 677. Antonius Possevinus, tomo 2. *Apparatus Sacri.* Aubertus Miræus in Auctario, *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 511. p. 278. ubi refert hoc opus impressum Argentorati anno 1502. & Lugduni anno 1542. Idem edidit *Catalogum Venetorum Senatorum & gestorum eorum*, Vicentiæ anno 1493. impressum. De eodem quoque Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. p. 600. ultimæ editionis. Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1470 p. 150. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, ubi de Scriptoribus Seculi XV.

1460 JACOBUS DE POLONIA, quem multi volunt *Guytrodium* cognomine dictum, & *de Paradiso* ab ea Carthusiæ eremo quam incoluit post suam conversionem, claruit circa annum 1460. & sequentes, qui Doctor Theologus insignis cum haberetur, Ordinem Carthusiensem ingressus est, ut in solitudine curis rerum secularium abjectis, Deo Soli secretius vacaret. Scripsit in hac solitudine plurima, quæ Manuscripta extant in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum Codicum hujus Bibliothecæ, impresso Lipsiæ anno 1686. studio Joachimi Felleri Bibliothecarii. Ibi igitur p. 192. Codice 7. habentur.

Jacobi de Polonia, Doctoris Carthusiensis Dialogus Religiosorum.

Ejusdem Quæstiones diversæ circa Monasticam disciplinam.

Compendium de tribus substantialibus Religiosorum.

Collatio de Charitate fratrum & eorum disciplinari vita

Sermones festivales undecim.

Quodlibetum statuum humanorum.

Ejusdem tractatus de Peccatis mentalibus & mortalibus.

De arte bene vivendi & moriendi. Idem Opusculum ibidem p. 200. Codice 20. num. 7.

De receptione & proventibus Monialium & aliorum religiosorum.

De varietate modorum vivendi, & statuum humanorum diversitate.

De celebratione festivitatum.

De Sanctificatione Sabbati.

De causis deviationis Religiosorum & qualitate suscipiendorum ad religionem

Monitoria Salutaria ad Simonem Nepotem suum,

De Spirituum apparitionibus.

De malo hujus seculi, & de rectificatione status Ecclesiasticorum.

Habentur autem Codice 12. sequenti. *Jacobus Carthusiensis de abusionibus Clericorum.*

Ejusdem Quodlibetum statuum humanorum, idemque opus inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 857. inter Codices Guilielmi Laudi litera D. Codice 90.

De erroribus & moribus Christianorum.

De potestate Dæmonum, arte Magica, Superstitionibus, & illusionibus eorum.

De veritate dicenda.

De dignitate Pastorum & de cura Pastorali.

Speculum aureum de titulis & Juribus beneficiorum Ecclesiasticorum.

Speculum restitutionis, sive de restitutione bonorum Ecclesiasticorum. Idem hoc ultimum opusculum, in Catalogo ejusdem Bibliothecæ p. 89. Codice 52. Item p. 162. Codice 3. *Epistola contra desperationem Doctoris Jacobi, Carthusiensis.*

Opinarer lubens hunc Jacobum de Polonia Carthusianum, esse unum atque eundem, cum Jacobo de Paradiso, cujus mentionem facit Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1457. p. 140. quem opinatur (neque enim affirmat) fuisse natione Germanum, Ordinis Carthusiensis Monachum & Doctorem Erfordiensem, multorum Scriptorum Opusculorum ex quibus impressa prodierunt.

Collectaneum de septem statibus Ecclesiæ in Apocalypsi mystice descriptis, & de authoritate Ecclesiæ, & de ejus Reformatione, in Antilogia Papæ, Basileæ anno 1555. in 8. pag. 462. & apud Melchiorem Goldastum. Tomo 2. *Monarchiæ* p. 1567. & in Appendice ad Fasciculum Rerum expetendarum & fugiendarum, qui Londini in folio anno 1698. recusus est, Tomo 2. pag. 102. ad 112.

Tractatus tres videlicet, *de arte curandi vitia de planctu peccatoris, & de statu & officio Ecclesiasticarum personarum*, qui Amstelodami anno 1617. impressi dicuntur in 4. Amstelodami apud Henricum Laurentium, cura & studio Joannis Lydii, qui ex MSS. produxit, Conveniunt

niunt enim ejusmodi tituli Tractatuum, & coincidunt cum Tractatibus superadditis, vel saltem cum eorum aliquibus. Idem opinor opus, quod in Bodleiana extat bibliotheca Codice 1311. in MSS. Guilielmi Laudi Cantuariæ Archiepiscopi, litera H. Codice 48. ubi Jacobus Carthusianus 1. *De tentationibus & consolationibus Claustralium.* 2. *De malis Seculi per omnes ætates, per eundem.* 3. *De modo curandi vitia secundum quemlibet statum*, per eundem.

Ejusdem *Tractatus de animabus a corpore exutis*, Basileæ in 4. *Liber de Veritate dicenda & tacenda*, Basileæ in folio, teste Simlero *Bibliotheca Tigurina* p. 321. Ultimus autem hic libri titulus convenit cum eo, quem supra Jacobo de Polonia adscriptum deteximus, in bibliotheca Paulina Lipsiensi manuscriptum, inscriptum *De Veritate dicenda*. Unde magnum mihi indicium est, hunc Jacobum de Polonia fuisse cognominatum *de Paradiso*, & Jacobum de Paradiso non fuisse natione *Germanum*, sed *Polonum*, licet affirmare id positive nolim.

Jacobi Carthusiensis Quodlibetica, MSS. in bibliotheca Bodleiana Codice 857. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litera D. Codice 90.

Alii quoque volunt hunc Jacobum de Polonia esse unum atque eundem cum Jacobo Guytrodio seu *de Guytrode*, quem Joannes Trithemius appellat natione Teutonicum, Ordinis Carthusiensium, Priorem domus omnium Apostolorum juxta Leodium, qui scripsit præclara quædam & devota Opuscula. Vult enim Trithemius, eum anno 1472. floruisse, atque obiisse scribitur anno 1492. pridie Idus Februarias. Juxta autem Theodorum Petrejum obiit apud Eburones annno 1471. pridie Idus Februarii, ut habet Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 410. editionis 1643. Scripsit Opusculum inscriptum *Speculum* quintuplex, Prælatorum, Subditorum, Sacerdotum, Secularium hominum & Senum, quod Dionysio Carthusiano falso inscriptum prodiit Coloniæ anno 1559. Opusculum istud editum primo Norimbergæ anno 1495. in 4. absque nomine authoris sub his titulis, *Speculum Prælatorum, Monitio Subditorum. Regale Sacerdotium, Mundi calamitates, Stimuli Pœnitentiæ, Speculum Agonisantis*: unde non *Speculum quintuplex*, sed *sextuplex* dicendum est. Ejusque Opuscula, quorum tituli istis anterioribus conformes sunt, enumerat Trithemius in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* p. 179. Accuratius recenset Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 375. verbo Jacobus Guytrode. Antonius Possevinus ibidem tomo 1. *Apparatus sacri* p. 785. Ad quos Lectorem nihil definientes remittimus.

1460 JOANNES DE CIRCIO, CISTERCII ABBAS, natione Gallus, patria Divionensis, ex Monacho Cisterciensis Ordinis ob meritum probitatis & doctrinæ post annum 1460. ad Abbatiam Balernensem in Comitatu Burgundiæ promotus, effulgentibus tandem animi dotibus, ad Cistercii præfecturam anno 1476. promotus est, Innocentio VIII. Romano Pontifici eximie charus. Anno 1477. in Synodo Aurelianensi acriter contra Commendas Abbatiarum disputavit, & anno 1478. in in Turonensi & in Curia Romana coram dicto Papa, a quo multa Ordini suo Privilegia impetravit. Scripsit *Compendium Sanctorum Ordinis Cisterciensis & Collectionem Privilegiorum a Summis Pontificibus, Regibus & Principibus eidem Ordini concessorum*, simul impressa Divione anno 1491. Cujus ultimum Opus prodiit iterum Antwerpiæ 1630. cui adjungitur *Exhortatio ad Monachos Ordinis Cisterciensis*, quam transtulit Carolus de Wisch in suam *Bibliothecam Scriptorum Ordinis Cisterciensis* p. 201. Hujus meminit Henricus Whartonus in Continuatione *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1476. p. 154.

JOANNES DE ROCKISANA, origine Bohemus, Jacobelli discipulus, ab anno 1430. claruit, atque anno 1433. ab Hussitis ad Concilium Basileense ablegatus, ut communis Hussitarum causidicus *De communione sub utraque specie retinenda* tum scripsit, tum viva voce disseruit. Contra quem Joannes Ragusæus seu de Ragusio, per octo dies disseruit. Extat hæc *Oratio, qua respondit per octo dies in Concilio Basileensi ad Articulum primum Bohemorum de communione sub utraque specie a Joanne Rogkisana propositum*, Conciliorum tom. XII. col. 1013. usque 1159. Canisium tom. 3. part. 2. p. 1. Bzovium ad an. 1433. §. 99. Hic ille est, quem Henricus Spondanus Apameæ Episcopus, in continuatione Annalium Baronii ad annum 1448. num. 2. *perfidum illum Presbiterum Hussitam* vocat, de quo alias qui a Sigismundo Imperatore exulare coactus, post Alberti Regis obitum restitutus fuerat per Girziconem de Cunstat, alias Georgium Podiebrachium. Florebat potensque erat Pragæ ante annum 1436. Unde hoc ipso anno cum Comitia Regni Bohemici ad tractandum de Rege deque Regni reformatione haberentur, illisque ad Nicolai Summi Pontificis mandarum Joannes Carvajal S. R. Ecclesiæ Cardinalis & legatus adsuisset: postularunt universim Bohemi, tam ex parte Nobilium, quam Universitatis Studiorum, Cleri & promiscuæ multitudinis, ut duo sibi promissa in Concilio Basileensi mandarentur executioni, *Communio nimirum sub utraque specie*, atque *ut Joannes Rockisana Archiepiscopus Pragensis consecraretur.* Quibus concedendis dum regi versaretur Legatus Apostolicus, variasque objiceret rationes, ut Bohemos inter se committeret, subodorati ejus animum, omnem reconciliationis pacisque promissionem abjecerunt. Hoc tempore idem Spondanus putat accidisse, quod Cardinalis Papiensis in fine Commentariorum suo- 1460

rum

rum obitum prædicti Joannis Cardinalis recensent, narrat, nimirum quod cum is a Rockisana in publicam de fide disputationem vocatus assensum præbuisset, ne diffidere in tanta expectatione Romano dogmati videretur: primus Rockysana ab his verbis disputationem orsus, *Æternum Patris Verbum* &c. offundente statim Domino Deo magnæ menti tenebras, ut progredi ultra non valuerit, ac statim obticuerit. Cumque resumeret iterum ac tertio ex longis semper intervallis idem Orationis initium, semper obmutescere coactus fuit. Cum vero stuperet jam consessus omnis, provocatorque ob confusionem ægre consisteret: læto Joannem Legatum vultu silentium ejus excipientem, idemque initium repetentem, tanta memoria spirituque differendo peregisse reliqua: ut plurimi divinum opus mirati, posito errore ad sanitatem fidei redierint. Hæc Spondanus male ad annum 1448. num. 3. quem fide promptum seu facilem expertus sum, plurimis sæpe fabulis Annales suos infartientem, quæ viro gravi & ingenuo vix credibiles sunt. Post recessum autem Legati, solutumque Conventum, murmurantibus Hussitis Pragensibus in Mainardum hujus regni Gubernatorem, quod ipsis adversaretur: facta est in eum conjuratio, de urbe Podiebrachio tradenda, viro rei militaris peritia, rebusque præclare gestis insigni. Constituta igitur die, conjuratis incendium ex parte Urbis admodum remota excitantibus, dum concurrerent ad extinguendum ignem, Podiebrachius ex adversa parte cum copiis muros invadens, a proditoribus per portas introductus est. Resistentes passim trucidati sunt, Mainardus captivus abductus, non multo post obiit, sive tædio carceris vir jam grandævus, sive exhausto veneno, ut plerique putaverunt. Ex illoque tempore Praga in potestate Podiebrachii sine controversia fuit. Ita Æneas Sylvius in *Historia Bohemiæ* cap. 58. Et ex alio vetusto temporum Breviario Cochleus, qui & pergit narrare, quomodo post hæc Rockysana Archiepiscopatum gesserit, & administrationem Regni Podiebrachius: opponentibus quidem sese eorum conatibus Vlrico Mainardi filio & altero Vlrico de Rosis Catholico Barone, sed minime prævalere potentibus: in quorum dissidiis, & in tractanda inter eos concordia, duo sequentes anni elapsi sunt. Hæc paulo latius, ut quomodo Joannes Rockysana factus sit Pragensis Archiepiscopus, habeamus. Contigit illum eligi anno 1436. post Kalendas Januarii, ut narrat author *Belli Hussitici*, qui opus suum ad electionem ejus quodammodo concludit. Jam ad ejus scripta veniamus. Extat *Joannis Rockysanæ Tractatus de septem Sacramentis & Ceremoniis Ecclesiæ, sive de traditionibus non scriptis*, qui Moguntiæ excusus est, vel apud Sanctum Victorem prope Moguntiam anno 1549. p. 442. cum *Historia Hussitica* Joannis Cochlæi. Itemque Lugduni apud Sebastianum de Honoratis anno Domini 1558. Ejusdem *Auctoritates Evangelii, Doctorum, Canonum & Ecclesiæ pro communione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, omnibus fidelibus sub utraque specie usque ad diem Judicii ministranda*, MS. in bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo p. 404. Manuscriptorum hujus bibliothecæ, impresso Lipsiæ anno 1686. studio Joachimi Felleri Bibliothecarii. Idem opus extat quoque MS. in folio, inter MSS. Codices Bibliothecæ Basiliensis, ut mihi Catalogum illorum impressum apud Spizelium anno 1668. legenti, patuit. Ita in hoc Catalogo litera I. ubi dicitur *Johannes de Rokasana* p. 39. Item littera B. p. 27. *Articuli Bohemorum propositi in Concilio Basileensi a Johanne Rochensan in folio.* Unde si juxta Spondanum linguæ usum anno 1448. in Disputatione publica amiserat, haud tamen usum manus vel scribendi amisit, ut ex istis Operibus constat. *Ejusdem cum Pragensi Decano coram Rege & statibus illius inclyti regni Disceptatio facta anno Domini 1465. quarto nonas Februarii, de quibusdam articulis religionis, in qua Disceptatione, partium studio & clamoribus, superiores sunt Decanus & sui.* Sane in Catalogo impresso Manuscriptorum Librorum bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis p. 399. habentur: *Allegatio publica Johannis Rubezani de Praga, & Replicatio Hilarii Doctoris Doctorum, & Wenslai Doctoris Theologiæ, super communione utriusque speciei.* Tum postea, *Impugnatio Tractatus Joannis Rubizani sex suarum propositionum. Impugnatio prolixior Joannis Rubizani, per Dominum Doctorem Theologiæ, nationis Bohemorum Wenslaum, pro communione Catholica unius speciei Dialogus Fratris Nicolai Jaquerii Ordinis Prædicatorum in Burgundia, inter eum & Johannem Rubisanum de communione unius Sacramenti Altaris.*

Quod igitur in Disputationibus publicis non elinguis per miraculum Rockysana factus sit, uti Pontificii passim clamarunt, & mendaciter & inverecunde scripserunt: hoc patet ex ipsa Disputatione Pragensis Ecclesiæ cum Rockysana, quam edendam voluit ex MS. Codice Henricus Canisius homo Pontificius, Tom. 3. *Antiquæ Lectionis* parte 2. p. 466. usque ad finem. Inscribitur, *Decani & Capituli Ecclesiæ Pragensis Disputatio cum Rockysana de Hussiticis controversiis, habita per quinque dies anno 1465. coram Gyrzicone seu Georgio Rege Bohemiæ.* Erat Decanus Hilarius nomine, Administrator Wenceslaus de Crunhau: sed circa annum 1450. Decanus & Capitulum Ecclesiæ Pragensis ob inimicitiam cum Rockysana non Pragæ amplius, sed Piltznæ in urbe Pontificia residebat. Meminit hujus Disputationis Joannes Cochlæus, Scriptor Pontificius accuratissimus, Libro 12. *Rerum Hussiticarum* his verbis:

Ea tamen animi moderatione & longanimitate erat Georgius Rex, ut interim non sæviret in, Clerum

„*Clerum Catholicum, qui Clerus Pragæ & in ceteris Bohemiæ urbibus, palam Rockysana Secta & doctrina contradicebat, & cum Ecclesia Romana, quæ ipsum Regem diris persequebatur, in fide consentiebat: quemadmodum ex eo constat tractatu, qui inter Capitulum Ecclesiæ Pragensis & Rockysanam in Regis præsentia habitus anno Domini 1465.* Capitulum ad Sinistram „Regis. Hussitarum enim ope ad Regnum „perveneràt hic Gyrzico seu Georgius, de „quo in antiquo Bohemorum Chronico: *Anno 1448. Gyrzico Botzck de Cunstat, alias de Podiebrad, cum sibi adhærentibus, venit feria secunda post Ægidii, cujus festum fuerat die Dominica, mane, & posuit se ante Pragam juxta Wissowitz contra Wissegradum, & ipsa nocte super feria tertia intravit & obtinuit Pragam. Mortuo Rege Ladislao ad regnum venit Rex felicissimus, si non fovisset Rockysanam, a quo in Sede Hussitarum retentus fuit. Rockysana ad dextram in Disputatione erat*, juxta eandem.

Rockysana nomen oppidi non procul a Pilzina, patria Joannis Rockesanæ, qui obscuris parentibus natus, Pragæ mendicavit, postea pædagogus, Jacobelli discipulus, in Collegium Pauperum receptus, & Presbyter. Cum Ziska, Cuthna, quæ propter argenti fodinas *Antichristi crumena* dicebatur, expugnata, Pragam obsideret: Rockysana, qui concionando apud Hussitas authoritatem sibi comparaverat, Ziscam Pragensibus reconciliavit. Tandem de Archiepiscopatu Pragensi contendit, unde & sepultus est Pragæ, cum insignibus infulæ & baculi pastoralis in Ecclesia Sanctæ Mariæ ante lætam curiam, ubi concionari consueverat. *Ego Magister Johannes de Rockysana, electus Archiepiscopus Pragensis*, inquit in litteris ad Thaboritas. Hic est, qui in Concilio Basileensi disputavit, hic est, qui de morte Regis Ladislai jure suspectus fuit, intimus Georgii Regis consiliarius, ut non mirum sit, Hilarium Decanum Catholicum a sinistris, Rockysanam sedisse a dextris. Habuit æmulum Lupum concionatorem Orphanorum, quorum æmulatio in Seditionem Pragensium exiit, in qua perierunt XII. millia Hussitarum. Hæc Cochlæus Libro 8. *Rerum Hussiticarum* p. 275. Ex Disputationibus igitur Rockysanæ cum Pontificiis, tum Basileæ, tum Pragæ habitis, quarum Acta ipsius etiam adversarii litteris consignarunt, constat illum non fuisse elinguem ex miraculo factum, ut insolenter ac mendaciter Pontificii scripserunt. Hæc omnia spectant ad Disputationem publicam, quam habuit Pragæ anno 1465. Joannes Rockysana, satisque hominem evincunt haud fuisse elinguem. ut anno 1466. num. 4. Spondanus narrat his verbis: *Caterum memorat quoque Michovius, hoc eodem anno Joannem Rockysanam Bohemicæ heresis verticem & aurigam dolosum, subita paralysi percussum apud Pragam loquendi usum amisisse justissimo Dei judicio, ut qui lingua sceleratissimam hæresin extulisset & prædicasset, lingua languidata puniretur. Haud tamen perfidus iste tunc obiit, sed in aliquot adhuc annos vitam propagavit, de cujus obitu dicetur suo loco, sicut & de prosequutione causæ Georgii.* Erat ergo juxta nugivendulum Spondanum, Rockysana maxime obnoxius amittendæ voci in Congressibus. Porro in eadem quoque Lipsiensi Paulina bibliotheca extat *Historica relatio de Congregatione Baronum ac Civitatum regni Bohemiæ anno 1465. facta, imprimis de dictis & factis Joannis Rockensani*, in citato Catalogo p. 203. Codice 23. Denique ibidem p. 191. 192. & 316. *Franciscus de Toleto contra Joannem Rockesanum de communione utriusque speciei, & abusu Bohemorum.* Et p. 318. *Epistola Joannis de Capistrano ad Joannem de Rockensana.* Hæc omnia simul ob argumenti unitatem, ac ne quidquam dissimulare videamur. Mortuus autem est Rockysana Pragæ Archiepiscopus anno 1471. die 7. Martii, quem die 22. ejusdem mensis sequutus est Georgius Bohemiæ Rex. Illius meminit Josias Simlerus in Epitome *Bibliotheca Gesneri* p. 491. Henricus Spondanus in *Continuatione Annalium Baronii* ad annum 1448. num. 2. 3. & 4. ad annum 1466. num. 4. & ad annum 1471. numero 5. Joachimus Fellerus in *Catalogo impresso Manuscriptorum Bibliotheca Paulina Lipsiensis* p. 399. 203. 316. 318.

JOANNES HEROLDUS, cujus proprium nomen *Joannes Herolt* scribitur, qui Antonio Possevino corruptione pessima *Joannes Berolis* dicitur, natione Germanus, patria Constantiensis fuisse creditur, junior Ordini Prædicatorum nomen dedit, ac professione facta, post annum 1460. & 1470. inter Theologos & concionatores hujus ætatis clarissimus illuxit. Non ignobilis quoad Theologiam & concionandi artem extitit, quas omni vitæ suæ decursu exercuit. Vir animi modestia singulari, *Discipuli* tantum nomen in plerisque Operibus suis assumpsit, unde parum abfuit, quin successu temporis nomine proprio excideret: cum edita ab eo Theologica Scripta aliud nullum quam *Discipuli* nomen proferant. Culpandus tamen maxime Johannes Heroldus apud eruditos omnes videbitur, quod Sermones fere suos omnes exemplis plane incredibilibus atque absurdis fabulis, per se alias nimium simplices & stylo barbaros conspurcaverit: ut qui illum eximie laudant, vel falsa pietate papistica occupati esse, vel nihil unquam probæ notæ legisse credantur. Illius *de eruditione Christi fidelium Tractatus seu loci communes*, in quibus continentur *Explicatio Decalogi, Orationis Dominica, Salutationis Angelica, Symboli Apostolorum* &c. prodit Argentorati 1490. fol. Hagenoæ 1522. in 4. *Sermones de tempore, de Sanctis, Quadragesimales, Promptuarium seu Speculum Exemplorum*, Norimbergæ 1514. Coloniæ 1518. Venetiis 1599. in 4. Item *Speculum Exemplorum* seorsim Distinctionibus X. distinctum 1460

ftinctum, editum primum anno 1481. Daventriæ in folio per Richardum Paefraed civem Daventrienfem, in craftino beatiffimorum Apoftolorum Philippi & Jacobi, tum poftea Coloniæ 1485. Argentorati 1489. & 1490. in folio. Hagenoæ 1512. & iterum 1519. in folio. Porro Joannes Major Belga Soc. Jefu, utilem operam pofuit colligendis ac difponendis Exemplis, ex pluribus auctoribus piis, quæ *Speculo Exemplorum* adjecit inftar Appendicis, atque ob hanc caufam non fimpliciter *Speculum Exemplorum*, uti Joannes Heroldus olim fecerat, fed *Magnum Speculum exemplorum* appellavit, ex plus quam fexcentis Auctoribus, pietate, doctrina & antiquitate venerandis excerptum, ab Anonymo quodam (nempe Joanne Heroldo) circa annum Domini 1480. & per Sacerdotem Soc. Jefu *Appendice novorum Exemplorum* locupletatum, Duaci apud Balthafarem Bellerum anno 1603. in 4. & editione fecunda ibidem 1607. apud Viduam & hæredes Belleri. Colon. 1608. apud Antonium Hierat, & ibidem 1672. in 4. Ejusdem Difcipuli feu Heroldi *Sermones fuper Epiftolas Dominicales ex Sermonibus Guillelmi Lugdunenfis, & ex dictis S. Thomæ Aquinatis, Joannis Nideri Ordinis Prædicatorum & aliorum collecti*, Bafileæ anno 1488. editi in folio. Ad eundem Scriptorem pertinere mihi videntur *Sermones Parati*, qui fæpius variis in locis charactere antiquo impreffi, Coloniæ tandem Agrippinæ anno 1680. duobus in 8. tomis recufi funt. Primum enim *Sermones Parati* ab Anonymo quodam fcripti, Exempla crebra Sermonibus continent & inferunt, quod Joannis Heroldi proprium fuiffe dignofcitur. Secundo fub Paulo II. anno 1464. quisquis ille eft, floruit, ut in Sermone de *Præfentatione Beatæ Virginis* ipfe refert: quæ Johanni Heroldo ætas maxime convenit. Porro omnia hujus Opera, exceptis *Sermonibus Paratis*, de quibus fupra, conjunctim edita funt Moguntiæ 1612. 3. voluminibus in 4. De editionibus autem aliis Antonius Poffevinus Tomo 1. *Apparatus facri* verbo *Joannes Berolis*, fed melius *Joannes Heroldus* cognominandus, p. 828. & iterum fub proprio Joannis Heroldi nomine, p. 899. Fridericus Spanhemius in Catalogo *Bibliothecæ Lugduno-Batavæ*, quem anno 1674. Lugduni Batavorum in 4. apud Viduam Joannis Elfevirii edendum curavit, inter MSS. Codices p. 410. Codice 195. ubi *Joannis Conftantienfis Exempla* recenfentur, quæ ad Joannem hunc pertinere cognofcuntur. Alius extitit Johannes Heroldus, natione Germanus, ifto centum annis pofterior, qui Opufcula innumera compofuit, atque inter alia elegans *Defiderii Erafmi encomium*, anno 1560. clarui ffe afferitur, de quo multis in *Bibliotheca Conradi Gefneri contracta & aucta* Jofias Simlerus. *Encomium* illud in editione noviffima Operum omnium Defiderii Erafmi, facta Lugduni Batavorum anno 1706. voluminibus X. in folio.

AUGUSTINUS PATRICIUS, antea PICCOLOMINEUS per adoptionem appel- 1460
latus, ab anno circiter 1460. fub Pio II. claruit, qui cum illo cognomine donari voluit. Hoc Auguftinus ipfe teftatur, nam in Opere fuo *Rituum Ecclefiafticorum five Sacrarum Ceremoniarum S. Romanæ Ecclefiæ*, quædam de fe commemorat, fcilicet *quatuor annos ferviviffe Pio II. a quo Piccolominei nomen habuit, eidem adfuiffe morienti, cujus extrema verba refert*: id quod anno 1464. ad diem Augufti 16. contigit, quo Mantuæ fatis conceffit. Paulus II. die 31. Augufti 1464. electus, ufque ad 1471. diem 25. Julii, quo obiit: cujus tempore quid Auguftino Patricio advenerit, nobis ignotum eft: nifi quod idem fcripfit ad Bartholomæum Poganuccium *Vitam Fabiani Benedi Palitianenfis* Sacrorum Canonum Profefforis. *Defcriptionem adventus Friderici III. Imperatoris ad Paulum Papam fecundum*: quæ duo Opufcula primus e tenebris eruit, & in lucem dedit Joannes Mabillon Tomo 1. *Mufæi Italici* parte 2. pag. 251. Extat quoque *Auguftini Patricii Commentarius de Comitiis Imperii Ratifponæ celebratis*, tom. 2. *Hiftoricorum Germaniæ* Marquardi Freheri, edito Francofurti 1602. p. 143. Idemque continet Collectaneum Opus infcriptum *Cancellaria Hifpanica*, feu *Scripta & Epiftolæ, quibus appa-ret fcopus bellorum Germaniæ*, Francofurti 1614. in fol. p. 814. Effulfit magis Auguftinus Patricius fub Pontificatu Sixti IV. Senenfis, qui electus die 9. Augufti 1471. ad annum 1484. fedens. quo die 13. Augufti obiit. Nam ab ipfo conftitutus *Magifter Cerimoniarum feu Rituum Ecclefiæ Romanæ*, digniffimum fe munere ifto oftendit, quando ibidem correxit & edidit primum quoque *Pontificale Romanum*, fub nafcentis typographiæ initia, Romæ 1479. in fol. editum. Teftatur autem in Præfatione ad *Cerimoniale Romanum*, "adhibuiffe fibi adjutorem Johannem Burcardum Argentinenfem, Præ-„ pofitum Hafelatenfem, & Sacrarum Ceremo-„ niarum miniftrum: cujus folerti cura etiam„ ufus fit in emendatione *Pontificalis Libri*, qui„ omnia quam diligentiffime collegit & accura-„ tiffime annotavit, ut parvo labore in digeren-„ do libro opus fuerit.„ Ex quo Auguftinus Patricius, dictus Piccolomineus, evulgando Pontificali Romano labores fuos contulit, iterum fub Pontificatu Leonis X. editum Venetiis anno 1520. duabus partibus in fol. Itemque Pio IV. Pontifice, Venetiis anno 1561. Anno 1595. Clementis VIII. juffu Romæ reftitutum & editum. Annis 1602. & 1611. Romæ item Pontificale Romanum juffu Clementis VIII. recognitum & editum. Denique idem Romanorum Pontificum Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognitum, Romæ 1645. & 1663. & Parifiis 1664. tribus partibus editum in fol. Sola vero prima editio Romana anni 1479. Pontificalis hujus opus genuinum Auguftini Patricii Piccolominei dici ac cenferi

censeri debet, cum plurima aliis editionibus lapsu temporum accreverint, mutata sint, quæ ad Augustinum Piccolomineum non spectant. Emendato atque impresso *Pontificali Romano*, extat Conciliorum editionis Labbeanæ Parisiensis 1671. Tom. 13. col. 1488. *Summa Concilii Basileensis, Florentini, Lateranensis, Lausanensis, auctore Augustino Patricio, Canonico Senensi, jussu Francisci Piccolominei Cardinalis Senensis, anno reparatæ salutis humanæ 1430. conscripta* ad col. 1616. Exhibuit Labbeus ex MS. Codice tam bibliothecæ Christianissimi Francorum Regis, quam ex MS. exemplari bibliothecæ Vaticanæ, ut habet idem Labbeus tomo 13. col. 1282. Observatione ad Acta *Concilii Florentini* collecta ab Horatio Justiniano bibliothecæ Vaticanæ Custode primario, disposita & notis illustrata, ibidem a col. 825. ad 1282. Nihil mirum itaque, quod ex Magistro Ceremoniarum Sixti IV. anno 1483. Augustinus Patricius, Pientis Episcopus renuntiatus sit. Omnino autem locum meretur inter rituales libros *Ceremoniale Romanum* libris III. hujus Augustini Patricii ad Innocentium VIII. quod suppresso proprii auctoris nomine, Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis electus, sibi vindicatum & attributum, Venetiis in lucem emisit sub titulo, *Rituum Ecclesiasticorum sive Sacrarum Ceremoniarum S. Romanæ Ecclesiæ Libri tres*, & quidem cum Pontificio Leonis X. privilegio, dato sub finem anni 1516. Hanc editionem graviter tulit Paris de Crassis, tum in Urbe Ceremoniarum Magister, ratus arcanos ejusmodi Ecclesiæ ritus non esse proferendos in vulgus, ne in contemptum tandem veniant. Unde querelas de hac editione deposuit apud Pontificem, quem Archiepiscopum Corcyrensem plagii accusavit, quod *Augustini Piccolominei* opus *De sacris Ceremoniis* sub suo nomine impudens evulgasset. Hæc facta sunt a Paride de Crassis anno 1517. die XI. Martii, de quo idem Paris in *Ceremoniali* suo & in *Diario*, animose admodum loquitur. Post ipsum Joannes Mabillon Tomo 2. *Musæi Italici*, Commentario in Ordinem Romanum cap. 1. p. 5. 6. & 7. Scripsit autem Augustinus Piccolomineus *Ceremoniale Romanum* anno 1488. illius Epistolam dedicatoriam refert citatus Mabillon in Appendice Ordinis Romani p. 584. Innocentio VIII. factum, cujus meminit idem Mabillon in Commentario citato cap. 2. p. 10. Memoratu autem dignum est, id quod Augustinus Patricius *Ceremonialis Romani* Lib. 3. cap. 13. *de reverentia Episcoporum erga Cardinales* scribit. Ait quippe se audivisse, quosdam ex Cardinalibus permittere, *Episcopos ante se loqui genuflexos: & in mensa dum lavant manus, serviliter mantile ministrare:* quod ipsi *valde absurdum videtur.* Unde inquit: *Et quamvis sæpe apud plerosque Reverendissimos Dominos in conviviis fuerim, & ante & postquam inter Episcopos, quamvis indignus, adscriptus sim, nunquam tamen id servari vidi. Adscribendum est hoc (pace illorum dixerim) ignaviæ ac vecordiæ Prælatorum, qui talia faciunt, qui supremam in Ecclesia Dei Episcopalem dignitatem non cognoscunt, sive eorum ambitioni atque adulationi, qui ut gratiam Cardinalium aucupentur, dignitatis suæ rationem non habent, quam serviliter deturpant. Cardinales autem, qui talia sive ex inadvertentia, sive alia causa patiuntur, in caritate Dei*, ait, *obsecro, ut importunas hujusmodi adulationes rejiciant, & cogitent, Summum Pontificem non alio titulo quam Episcopali decorari. Et cum his publice, etiam in re divina, lavet manus, non Episcopus aliquis, sed suus Capellanus, auditor Rotæ, mantile subministrat. Quod si forte aliquos mei similes indignos tanto fastigio viderint, non personam, sed sacrosanctam dignitatem in eis venerentur, & opera illorum utantur in illis rebus, quæ dignitati utriusque congruunt.* Addit idem auctor, *Decet tamen Episcopos in rebus omnibus publice & privatim, quantum per dignitatem licet, Reverendissimos Dominos Cardinales honorare, venerari, & eis pro viribus assistere, obsequi, & inservire: nec minus convenit Cardinales ipsos, benigne suspicere Episcopos, & quos Pontifex Summus* Fratres *appellat, non ut servos, sed ut conservos honorare.* Ita apposite religiosus auctor. Verum quia hoc *Ceremoniale Romanum* jam ab electo Corcyrensi Archiepiscopo nonnullis mutatis, licet paucis, editum sæpius recusumque fuit: ideo Joannes Mabillon loco citato curam novæ ejus editionis aliis permittit, contentus proferre in Appendice p. 584. nuncupatoriam auctoris ad Innocentium VIII. Epistolam, quæ & tempus scripti Operis, id est annum MCCCCLXXXVIII. Kalendis Martii præfert, & ipsum Opus genuino vindicat auctori, præterea, quæ ex Paride superius retulimus: Obiit autem juxta Mabillionem dictus Augustinus Piccolomineus anno MCCCCXCVI. Alexandro VI. Pontifice, quod adscriptum legit in Chigiano Codice, qui Laurentii opera complectitur. Hæc verbotenus Joannes Mabillio, Commentario in Ordinem Romanum cap. 1. p. 5. 6. & 7. cap. 2. p. 10. Diarium Paridis de Crassis, in Appendice Ordinis Romani p. 587.

ENGELBERTUS CULCIFICIS, hac eadem tempestate claruit, ex Ordine Fratrum Prædicatorum in Conventu Noriomagensi Sacræ Theologiæ Professor. Cum autem circa annum 1465. in Academia Coloniensi nonnulla sancita fuissent ab illius Professoribus, quæ privilegiis & moribus Ordinum mendicantium contraria videbantur, pro causa Fratrum mendicantium communi adscribendum in eorum gratiam se accinxit. Extat autem inter Codices impressos bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, Repositorio Theologico X. Serie V. Codice 12. MS. *Epistola sive Tractatus declarativus jurium & privilegiorum, quæ Fratribus Ordinum* 1460

Ordinum mendicantium competant, contra articulos quosdam erroneos & condemnatos Nigrorum Monachorum & Curatorum Animarum Parochialium, compilatus & editus in Conventu Noviomagensi, Ordinis Prædicatorum, per M. Engelbertum Cultificis, ejusdem Ordinis & Sacræ Theologiæ Professorem, anno 1477. Ejusdem Engelberti Epistola de Simonia vitanda in receptione Novitiorum & Novitiarum ad religionem. Ita Joachimus Fellerus Paulinæ bibliothecæ Bibliothecarius, in Catalogo Manuscriptorum Codicum hujus bibliothecæ p. 334. quem anno 1686. Lipsiæ in 16. edendum curavit.

1460 HERMANNUS RID DE REEN, natione Germanus, post annum 1460. floruit & scripsit *Tractatum de Vita & honestate Clericorum*, quem anno 1555. edendum primo curavit Wolffgangus Wissemburgius Basileensis Theologus in *Antilogia Papæ*, seu *De corrupto Ecclesiæ statu*, ac postea Eduardus Broun Theologus Anglus in *Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum* Tomis in fol. 2. Londini anno 1690. apud Richardum Chiswel, Tomo 2. p. 129. ad 150. Opus istud anno 1467. scriptum est, habetque nomen Scriptoris in fine Operis, & *Hermanni* prænomen in initialibus Prologi & octo Capitulorum litteris. Mentionem Scriptoris hujus habet Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis* ad Librum 19. pag. seu col. 1900. Joannes Wolphius in *Lectionibus memorabilibus*, Lavingæ anno 1600. 2. in fol. Tomis editis, Tomo 1. ad annum 1467. pag. 377.

1460 BONINUS MOMBRITIUS, Mediolanensis, hoc eodem tempore 1460. sub typographiæ nascentis initium floruisse creditur. Hanc ipsi ætatem assignare videtur Doctissimus vir Antonius Faurus, Doctor Sorbonicus, & Caroli Mauritii Tellerii in Archiepiscopatu Remensi Vicarius Generalis, in Catalogo bibliothecæ Tellerianæ, qui anno 1643. typis Regiis in fol. Parisiis impressus est, quem sibi post dicti Antonii mortem falso & arroganter adscripsit Archiepiscopus Tellerius, indoctus licet, tantique operis efficiendi & ordinandi incapax omnino & impotens. Post Antonii vero mortem Operi ferme perfecto secundas adjunxit curas Dominus Nic. Clemens, Custos Regiæ bibliothecæ, Mauritio Tellerio mandante, qui & editionis & correctionis laborem in se, ut Archiepiscopo placeret, suscepit. Atque ita intelligendum est *Diarium Eruditorum Parisiense* anni 1712. mense Julio p. 31. editionis Amstelodamensis in 12. attribuunt *Nicolao Clementi* dictum Catalogum, qui ultimam manum illi adjecit & edendum curavit, post Antonii Fauri veri auctoris mortem. In hoc autem Catalopo p. 143. inter Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ in folio, Antonius Faurus Boninum Mombritium proxime velut Synchronum Perro de Natalibus, eadem tempestate viventi subjicit, cujus extat *Catalogus Sanctorum & gestorum eorundem ex diversis voluminibus collectus, & anno 1482. absolutus*, sæpe variis in locis impressus. Cum igitur hoc tempore floreret, & de Sanctis scriberet & colligeret, Petrus de Natalibus Equilinus Episcopus: ita sed judicio solidiori laboreque majori fecisse BONINUS MOMBRITIUS videtur, multosque annos in colligendis & conquirendis *Sanctorum Actis* post annum 1460. insumpsisse, quo typographia in usum litteratorum venit, ut ingentia duo volumina orbi offerret. Inscribuntur, *Vitæ & Acta Sanctorum, collecta & edita per Boninum Mombritium Mediolanensem.* Vetus editio 2. voll. in folio. Cum autem absque nota temporis & loci hæc impressa sint, hinc sub nascentis typographiæ initium Mediolani vel alibi prodiisse inter annum 1470. & 1480. viri harum rerum eruditi conjiciunt. De hac Collectione insigni mentionem honorificam facit Joannes Bollandus Societatis Jesu, in Præfatione Generali ad *Vitas Sanctorum* cap. 1. paragr. 5. pag. 21. his verbis: "Boninus„ Mombritius Mediolanensis duo ingentia volu-„ mina edidit, quibus Acta Sanctorum comple-„ xus est, ut ea in MSS. Codicibus reperit, ita„ fideliter, ut ne menda quidem Scriptionis„ correxerit, quæ minus jucundam lectionem„ reddere solent. Dicavit illud opus, quod„ *Sanctuarium* inscripsit, honestissimo Equiti„ Licho Simonetæ Ducum Mediolanensium Se-„ cretario.„ Hæc Bollandus. Multa quoque alia Opuscula composuisse legitur, quæ adhuc MSS. in bibliothecis extant. In Philippi Labbei *Bibliotheca Nova MSS. Librornm*, sive *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, Parisiis in 4. anno 1653. apud Joannem Henault, ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecta, ibidem in *Supplemento VIII.* quo *Analecta quædam* ex Catalogo MSS. Codicum, qui continentur in secunda parte seu Xysto bibliothecæ Regiæ, & in fasciculis Librorum nondum compactis, pag. 319. Codice DCLXIX. *Bonini Mombritii Mediolanensis de varietate fortunæ ad Galeatium Sfortiam Mediolani Ducem.* Ibidem pagina 325. Codice MLVIII. *Bonini Mombritii Bucolica ad Galeatium Mariam Vicecomitem.* Ibidem pag. 333. Codice MDII. *Bonini Mombritii Poema de Nuptiis Tristani Vicecomitis.* Hæc de MSS. nondum editis rescire licuit, latentibus in Regia Galliarum bibliotheca. Vixit autem usque ad annum 1496. Mombritius, quo edendum procuravit *Glossarium Papiæ Grammaticum*, quod perfectum Venetiis in fol. anno dicto MCCCCXCVI. die 19. mensis Aprilis. Cujus rei fidem facit Carolus du Fresne, Dominus du Cange in Præfatione ad *Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis* paragrapho 44. pag. 36. Plura de hoc *Glossario* diximus supra in *Papia Grammatico* ad annum ML. quem consulas.

JOANNES

1460 JOHANNES GRUNDMANNUS, natione Germanus, ingressus videtur junior in Monasterium Sancti Thomæ Lipsiensis, ubi cum aliquandiu Theologiæ Scholasticæ non ignavam contulisset operam, Licentiatus tandem in ea gradum obtinuit. Placuit autem illi potissimum ars concionandi, in qua ut excelleret, labores suos habendis ad plebem Lipsiensem concionibus, industriamque adhibuit, omnia sua ad eloquentiam vulgarem conferens. Cum vero *Repertorium Morale Fratris Petri Berchorii Ordinis Cluniacensis Monachi*, concionatoribus maxime utile experientia propria cognovisset, *Tabulam super illud Repertorium* ingentem, ad Concionatorum utilitatem anno 1466. conscripsit, quæ adhuc in Paulina Bibliotheca Lipsiensi MS. legitur. Ubi autem Concionum ad plebem factarum laude celebris esset, ad Præposituram sui Cœnobii assumptus est, ut ex titulo manuscriptarum ipsius concionum liquet. Extant ipsius Opera loco citato inter manuscriptos Codices Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, Repositorio Theologico II. Serie I. in fol. Codice 20. num. 4. Catalogi pag. 100. *Tabula super repertorium Morale, seu Dictionarium utriusque Testamenti*, fratris Petri Berchovii, Monachi Ordinis Cluniacensis, per Magistrum Johannem Grundmannum Sacræ Theologiæ Licentiatum, Monasterii Sancti Thomæ Lipsiensis, Scripta anno 1466. Et Repositorio Theologico III. Serie III. in folio, Codice 12. Catalogi p. 154. *Sermones Johannis Grundmanni, Præpositi Lipsiensis in Monasterio S. Thomæ.* Ita in Catalogo MSS. Codd. Paulinæ Lipsiensis Bibliothecæ, quem Joachimus Fellerus ejusdem loci Bibliothecarius edidit Lipsiæ anno 1686, in 12. typis Johannis Friderici Gleditsch.

1460 RODERICUS SANCIUS DE AREVALO, utriusque Juris & Artium Professor Episcopus Palentinus, natione Hispanus, qui Henrici IV. Castellæ & Legionis Regis Capellanus, auditor & Consiliarius fuit, ab anno 1460 & seqq. claruit. Factus quoque a Paulo II. Papa Castellanus castri Sancti Angeli, quod Romæ est. Scripsit ingens *volumen in 4. partes distinctum de rebus Hispanicis*, cujus Volaterranus meminit, ac Vasæus in *Hispaniæ Chronico* cap. 4. ait, se illud vidisse in Bibliotheca Colonica, cum ipsi præesset, posteaque reperisse Vallisoleti in Bibliotheca Collegii Cardinalis Petri Gonsalis Mendozii. De hoc Roderico Palentino, atque infimul antiquioribus duobus, Luca Tudensi & Roderico Ximenio Toletano, tale judicium est Alphonsi Garsiæ Matamori Hispalensis, Rhetoris Complutensis in libro *de doctis „viris & Academiis Hispaniæ*: Cum non ad voluptatem aurium, sed ad memoriam & judicium posteritatis scripsissent: cum a delitiis, „tum ab ineptiis & mendacio procul abfuisse. „Opus hoc excusum fuit Tomo 3. *Hispaniæ il„lustratæ* p. 122. quæ quatuor tomis in folio Francofurti in Germania prodiit anno 1603. & sequentibus: atque etiam in Collectione altera antiquiore eorundem Scriptorum *de rebus Hispanicis*, ibidem tribus tomis in folio annis 1575. & 1579. Ejusdem Roderici Sancii de Arcralo *Speculum vitæ humanæ* in duos libros distinctum, quorum primus: de omni statu vitæ temporalis agit, secundus de variis vitæ Spiritualis statibus, seu de statu vitæ Ecclesiastico & Regulari. Opus Paulo II. Romano Pontifici inscriptum, quod omnibus omnium vitæ ordinum & conditionum commodis & incommodis sigillatim enarrandis occupatur. Illud Romæ anno 1468. in folio, Parisiis 1475. in folio, & Bisuntii 1488. in 8. typis excusum prodiit. Ejusdem etiam *Epistolam lugubrem simul & consolatoriam de expugnatione Nigropontis insulæ per Turcas*, Josias Simlerus memorat in *Epitome bibliothecæ Conradi Gesneri*, p. 609. Extant autem ejusdem *Tractatus tres, de appellatione a Sententia Papæ, de Synodis Generalibus, de remediis afflictæ Ecclesiæ militantis adversus Turcas*, MSS. Patavii in Bibliotheca Sancti Johannis in Viridario, ut indicat Jacobus Philippus Tomasinus in Opere *de Bibliothecis Patavinis* MSS. p. 12. quos an impressi alicubi fuerint, me latet. Ita Henricus Warthon in Continuatione *Historiæ Literariæ Guillelmi Cavi* ad annum 1466. pag. mihi 143. Attendendum, an idem, an alius sit *Alphonsus a Palentia*, quem Latine *Res Hispanicas* prodidisse legas in *Catalogo virorum illustrium*, qui Historiæ Joannis Castellæ Regis adjungitur. Sed Vasæus inibi agnoscit, nullum Palentinum Episcopum, cui nomen *Alphonsi fuerit*, cujus Opus *de rebus Hispanicis* ad manus suas venerit: ac nequidem sic incidisse in Scriptorem quemquam, qui ejus meminerit. Suspicio vana non est illorum, qui eundem hunc ac *Rodericum de Palentia*, esse arbitrantur. De Roderico Sancio Andreas Schottus, collector *Hispaniæ illustratæ*, in Prolegomenis. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. pag. 596. editionis ultimæ. Thomas Hydius in *Bibliothecæ Bodleiana seu Oxoniensi Publica* verbo *Santius Rodericus* p. 137. editionis 1674 in folio. Ludovicus Jacob à Sancto Carolo in *Bibliotheca Pontificia* libro 2. p. 433. editionis Lugdunensis anni 1643. in 4to. Juxta Possevinum, *Scripsit Rodericus Zamorensis Episcopus Speculum vitæ humanæ libris duobus*, item *Librum de paupertate Christi Domini* ac *alium quoque pro statu Ecclesiastico* intitulatum *Defensorium status Ecclesiastici*, quorum meminit Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Rodericus Zamorensis Episcopus*. Extant inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1374. in MS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 97. num. 2. *Roderici Episcopi Calagurritani, Castellani Sancti Angeli de Urbe, Opuscula & Epistolæ ejusdem ad quosdam doctissimos & eloquentissimos viros, & illorum ad eum.* Ex hac inscriptione MSS. Codicis, non tantum Rodericus fuit

Pauli Papæ II. Referendarius ut supra dictum est, sed etiam *Castellanus Castri Sancti Angeli Romæ*: nec tantum fuit *Palentinus Episcopus*, sed etiam *Zamorensis* & *Calagurritanus* quoque in Hispania Episcopus. An autem utramque sedem *Zamora* & *Calaroga* simul tempore eodem tenuerit, an successive unam post alteram assecutus sit, ego definire prorsus noluerim, nec possim. Ex omnibus Opusculis Roderico Sancio Zamorensi Episcopo attributis, præstantissimum est *Speculum vitæ humanæ libris duobus*, quod sæpissime etiam excusum fuit, ac præter allatas jam supra editiones, etiam Argentinæ anno 1507. apud Joannem Prys. Item *Roderici Zamorensis Episcopi Speculum omnium statuum totius orbis terrarum*, ex Bibliotheca Melchioris Goldasti, editum Hanoviæ 1613. in 4to. Quamvis autem Rodericus Sancius & Episcopus Palentinus & Zamorensis & Calagurritanus in Hispania ad Romanorum Pontificum instantiam factus fuerit, quamvis Referendarius Pauli II. Papæ & Sancti Angeli de UrbeCastellanus, ex beneficio Romanorum Pontificum Romæ claruerit: doctrinam tamen Martini Lutheri atque aliorum Protestantium semper professus est in Libris suis, imo semper docuit ac scripsit *Pontificias omnes constitutiones Christiano orbi inutiles, non necessarias, imo nocivas & exitiales*. Ut primus jure censendus sit, qui Romæ doctrinam Protestantium Lutheranorum & Calvinistarum amplexus fuerit, quem alii postea imitati sint. Ita Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo Testium veritatis* Centuria XV. ad annum 1464. his verbis. "Rodericus Episcopus Zamorensis & Referendarius „Pauli II. Papæ floruit aute annum 140. hoc est „ad annum 1460. Scripsit alia, tum *Speculum* „*vitæ humanæ*, in quo graviter invehitur in Papam & Spirituales, multis nominibus eos duriſſime accusat, sed inter alia dicit, Papá vacare non sapientiæ, non studiis laudatis, non pa„ci, non quieti populi Christiani, sed rebus tan„tum terrenis. Prælatos non docere nec docere „posse, utpote indoctissimos, ventri & ingluviei „deditos: alligare tamen miseris Christianis va„ria & importabilia traditionum onera, eos ar„ctare, gravare, & involvere Legum laqueis. „Quæ olim in Ecclesia primitiva non fuerint, „partim libera fuerint. Sed ad scribâ aliqua ejus „verba, ne quis me hæc fingere dicat. In primi„tiva (inquit) Ecclesia multi floruerunt, veris„simum puto, illos suiffe perfectioris & sanctio„ris vitæ, cæteris socialem vitam agentibus. Eo „enim tempore, non arctabantur fideles tot „Canonum & Decretorum præceptis, censuris „aut pœnis. Nec erant tunc, ut ita dicam, tot „laquei Legum seu Constitutionum, Excom„municationum, five Censurarum; in quibus „fideles etiam diligentissimi & timorati respira„re & præcavere non possunt. Non tot jeju„nia indicta, non vigiliæ, non silentia, non diu„turna pariter & nocturna divina officia dietim ex præcepto dicenda. Non tot denique fe„sta colenda, nec tam crebra confessio & cor„poris Christi communicatio, non tot obedien„tiarum præstationes: Sicut modo fideles ar„ctantur, aut potius involvuntur: ita ut recte„ de Prælatis Ecclesiæ dici possit illud Christi„ *Qui alligant onera importabilia* &c. Unde si„ aliqua hujusmodi in illa primitiva Ecclesia ser„vabantur, erat tantum voluntatis, quæ pro„ tunc transgredi peccatum non erat, quia non„ dum prohibita &c. „ Johannes Wolfius Tomn 1, *Lectionum memorabilium* Centenario XV, ad annum 1470. a p. 887. ad 891. adhuc longe plura congerit, quæ huc transferre, tædium esset. Inquit tamen Rodericum Zamorensem Episcopum, Romæ licet clarum atque in Romana curia agentem, & Paulo II. Romano Pontifici cujus referendarius fuit carissimum: in *Speculo* tamen *humanæ vitæ* libro 2. *de miseriis Summorum Pontificum* conticere non potuisse. *Habent etiam domesticas curas, iniquissimas aviditates, rabidissimas rabies, ut ita dicam, propinquos exaltandi: nemo enim carnem suam odio habuit, quia & Christus cujus Vicarius hic est, suos dilexit &c.* Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Rodericus*, ex uno eodemque homine tres fecit primo *Rodericum Calagurritanum*, quem *de Sceleribus & infelicitate Turca* scripsisse ait. Secundo *Rodericum Palentinum Episcopum Hispanum*, qui scripsit Lugubrem & consolatoriam Epistolam *de expugnata a Turcis insula*, quæ *Negroponte* hoc tempore nominatur, cujus sub nomine *Roderici Sancii Episcopi Palentini* extant *Historiæ Hispanicæ partes quatuor*, inter Scriptores *Hispaniæ illustratæ* Tomo 1. p. 121. ad 246. editionis Francofurtanæ 1603. tomis IV. in folio apud Claudium Martinum & Hæredes Joannis Aubrii. Tertio *Rodericum Zamorensem Episcopum*, a se anno 1470. collocatum, qui scripsit *Speculum vitæ humanæ lib. 2.* Argentinæ apud Joannem Prys anno 1507. excusum. Item *Librum de Paupertate Christi Domini*, & alium quoque pro statu Ecclesiastico prænotatum, *Defensorium Status Ecclesiastici*. Admisit eundem errorem Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, Cabilonensis, Ordinis fratrum de Monte Carmelo in *Bibliotheca Pontificia* Lib. 2. p. 433. editionis Lugdunensis anno 1643. in 4to, ac ex uno Scriptore duos fecit, *Rodericum Zamorensem Episcopum* Pauli II. Papæ referendarium &c. & *Rodericum Santium de Arevalo, Episcopum Palentinum, & Castri Sancti Angeli Romæ Præfectum*, cui errori attendendum est. Unus igitur idemque Scriptor & homo, de quo supra diximus.

NICOLAUS DE MALERMI, patria Venetus, ex Ordine Fratrum Camaldulensium, post annum 1460. & 1470. floruit, primus *Biblia integra* in linguam Italicam transtulit, quæ anno 1471. duobus in folio voluminibus variis locis impressa sunt. Biblia 1460

Italica

Italica sub hoc titulo *Biblia vulgaria Historiata* interprete Nicolao de Malermi, cum ejus Epistola Italica ad Laurentium Theologum Venetum, & hujus responsione Latina 2. voll. in folio. In fine secundi legitur, *Ad laudem Dei & Virginis Mariæ, impressum est hoc Volumen Venetiis typis Vendelini de Spira, anno salutiferæ Incarnationis filii Dei* MCCCCLXXI. *Kalendis Augusti.* Ex Epistola Nicolai de Malermi cap. 5. Ad confirmandam hanc veritatem, licet parvo & mediocri polleamus ingenio, integra tamen Biblia secundum proprietatem literæ de verbo ad verbum transtulimus, nulla re mutata vel omissa vel addita, nisi quæ literæ & germano sensui prorsus esset consentanea. Et cap. 6. Verum est, jam conversas esse in Italicam linguam quasdam S. Scripturæ partes, quæ in manus nostras devenerunt: has si legisses, ut feci, multis erroribus vitiisque deprehendisses ita refertas, ut majus temporis spatium, nec non graviorem laborem in illis emendandis, quam in nova condenda versione, insumendum esse concederes. Et cap. 7. Posthabitis aliis negotiis, octo menses huic lucubrationi operam dedi &c. In Subscriptione Auctor se vocat *Nicolaum Malhermium Venetum, Monachum Sancti Benedicti Ordinis Camaldulensium.*

Biblia Italica *(quorum Veteris Testamenti versio a præcedente plurimum differt, sed in Novo Testamento eadem est, parumper recognita)* cum Prologo S. Hieronymi Italice, ex versione Nicolai de Malermi 2. voll. in folio. *Ad calcem ultimi* notatur, MCCCCLXXI Kalendis Octobris. *Editio a præcedenti omnino diversa, absque loco impressionis & nomine Typographi.*

Item Biblia Italica Nicolai de Malermi, cum ejus Epistola ad Laurentium, hujus responsione & Summariis Martini Veneti, 2. vol. in fol. *In fine prioris legitur*, Completa sunt Biblia rubricata, per me Marinum Venetum Ordinis Fratrum Prædicatorum. *Et in fine posterioris*, Perfecta sunt hæc Biblia, summo studio correcta, & Venetiis magna diligentia Magistri Antonii Bononiensis excusa, Sixto IV. Pontifice Maximo, regnante Andrea Vendramino, inclyto Venetiarum Principe, 1477.

Eadem Biblia cum Præfatione Hieronymi Squarzafici, *(qui Malermum in his concinnandis plurimum juvit)* in fol. Venetiis per Gabrielem de Piero Trevisanum, Sixto IV. Pontifice Maximo, regnante Andrea Vendramino, inclyto Duce Venetiarum, 1477. *Hæc editio prorsus diversa, minoris formæ quam altera. Quam parum autem Squarzaficus: qui Malermum in editione sua componenda adjuverat, illam fecerit, ex his Squarzafici in Præfatione verbis liquere potest.* "Venerabilis Dominus Nicolaus „de Malermi Sacra Biblia ex Latino Italice red„didit, eos imitatus, qui vulgares antea con„versiones, si sunt hoc nomine, & non potius „confusiones nuncupandæ, confecerunt. „Quantum ad hanc, an fida sit, & juxta Vulgatam Latinam emendata, testificari id va„leo: siquidem eam in ista condenda operam„ præbuerim. Quam deinde rogante Magistro„ Gabriele de Piero iterum sic recognovi, ut„ libere in publicum prodire possit. Historiam„ Aristeæ huic subjunxi &c.„ Venetiis 23. Decembris 1477.

Item Biblia Italica ex eadem versione in fol. Venetiis apud Octavianum Scotum, Sixto IV. Pontifice Maximo, & Joanne Mocenigo Venetiarum Duce 1481. *Eadem in folio, quorum ad calcem legitur*, Excusum fuit hoc volumen magna diligentia Venetiis per Andream Paltasichis de Cattharo 1484.

De hac versione ita censet Richardus Simon *Historia Novi Testamenti* pag. 487. Non debuit a Veneto homine, Translatio puro & eleganti sermone, Italico expressa idiomate, expectari: eo maxime tempore, quo paucis admodum Italis, linguæ suæ studium inhæserat. Unde duriori stylo scripta hæc est ac indiligens translatio. Hæc ad verbum contulit Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis *Bibliotheca Sacra* parte 2. cap. 6. p. 122. editionis, quæ 2. in 8. tomis Lipsiæ anno 1709. facta fuit.

MATTHIAS EBERLER, natione Germanus, vir præclari nominis, atque familiæ insignis ac opulentæ, Scriptoribus quoque Ecclesiasticis accensendus videtur, qui etsi nihil scripsisse legatur, ob zelum tamen, quem habuit, ut Biblia in Germanicam linguam sumptibus suis transferrentur, aliis idem faciendi auctor fuit. Cujus occasione de Bibliis in linguam Germanicam translatis, in celebrioribus Imperii bibliothecis MSS. extantibus, tumque etiam de antiquis impressis, hic diffuse agemus, omnia desumentes verbotenus, ex Jacobo le Long Presbytero & Bibliothecario Oratorii Parisiensis, in *Bibliotheca sacra*, quam 2. in 8. tomis, tum Parisienses, tum Lipsienses bibliopolæ anno 1709 ediderunt. Sic itaque ille *Bibliothecæ sacræ* Tomo seu parte 2. cap. 9. sectione 2. *De Bibliorum Germanicorum antiquis MSS. Codicibus* pag. 178. „Biblia Germanica 2. vol. in folio; in membranis, cum elegantissi„mis figuris & ornatu marginali inaurato. In„ principio utriusque voluminis extant insignia„ gentilitia Matthiæ Eberler, cujus auspiciis„ & sumptibus hæc Biblia anno Christi 1464.„ scripta sunt. Ad calcem primi voluminis oc„currit subscriptio Joannis Lichtensternii, Mo„nachiensis, quæ testatur, absolutam a se esse„ priorem hanc Sacrorum Bibliorum partem„ Basileæ anno 1464. circa Festum Purificatio„nis Beatissimæ Dei genetricis. Sic & in fine„ alterius voluminis extat ejusdem subscriptio„ qua testatur, absolutam esse posteriorem par„tem, anno 1464. Basileæ, in vigilia Sancti„ Jacobi Apostoli.„ Ita Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 756. *Versio hæc incipit hoc modo:* 1460

modo: „In dem angenge schuf Gott himel und „erden, aber das erdreich was ytal und lere, „und vinsternuss was ob dem antluze des ab„grundes, und Gottes Geist ward gefuret „uber die wasser. Und Gott sprach: Wer„de liechte, und das liechte ward.

Paulo quoque antea Biblia eadem, anno nimirum 1455. in Polonicam linguam translata fuerant, de quibus idem Jacobus Longus, qui supra *Bibliotheca Sacra* Tomo 2. cap. XI. sectione 3. p. 353. his verbis: "Ultimæ quoque Re„gis Jagellonis uxoris Sophiæ exemplar Bibli„cum in membrana descriptum extat, ad cu„jus calcem hæc adjecta sunt: *Absoluta sunt hæc „Biblia in Castro nova Urbis Couczin, ad manda„tum & voluntatem Serenissima Regina Sophia, „translata per Andream de Jassouvits, scripta „per Petrum de Gadoszitz 18. Augusti anno 1455. „superstite adhuc vidua Sophia Regina, regnante „jam filio ejus Casimiro Jagellonide.* Fuerunt „hæc Biblia in bibliotheca cujusdam Patroni. „*Regenfvolscius Lib. 1. Systhematis Historia Chro„nologica Ecclesiarum Polonicarum cap. 7. pag. „23.*

Sed ad Biblia Germanica ejusdem ætatis redeamus, de quibus plene idem Jacobus Longus cap. 9. sect. 2. pag. 177. „Biblia Germa„nica a Genesi usque ad prophetam Amos, ad„jectis aliquot glossis ex Historia Scholastica, „glossa ordinaria, & Speculo historiali Vincen„tii Bellovacensis, quorum Codex chartaceus „in folio majori scriptus, sicut prima facies vo„luminis duabus vicibus testatur, anno 1458. „variisque ornatus figuris. *Bibliotheca Joan„nis Friderici Mayeri, Ecclesiarum Pomerania „Superintendentis Generalis. Dissertatio ejus de „hoc Codice edita pag. 168. Historia Bibliorum „versionis Germanica Martini Lutheri.* Atque „ejusdem ætatis sunt Biblia Germanica in „membrana scripta, figuris, auro & colori„bus variegatis mire ornata, quæ ostenduntur „in Bibliotheca Saxoniæ Gothana, uti testatur „*Burcardus Gottelfius Struvius in Introductione „ad notitiam rei litterariæ & usum Bibliotheca„rum* cap. 4. paragr. 9. quæ Jenæ in 8. anno 1706. „semel atque iterum edita prostat. Biblia item „Germanica anno 1472. duobus tomis in folio „MSS. extant Tiguri in *Bibliotheca Civica*, quo„rum Tomus secundus partem posteriorem „continens eodem anno scriptus. *Bibliotheca „Conradi Wirzii Ecclesia ad Templum Tigurinum „Diaconi*, Ottius. Idem Jacobus Longus *Bi„bliotheca Sacra* Parte 2. cap. 9. sectione 2. pagg. „177. & 178.

Ejusdem quoque ætatis sunt Psalteria in Germanicam linguam translata, de quibus idem Longus ibidem pag. 182. his verbis loquitur.

„Psalterium Germanicum cum Canticis Ve„teris & Novi Testamenti, Symbolo Athana„sii &c. Codex in quarto membraneus, & an„tiquus fuit olim Ulrici Comitis ab Helffenstein & Baronis de Gundelfingen, ut ipse ultimo e„jus folio, propiæ manus subscriptione testa„tur. Incipit, Seelig ist der Mann, der nicht„abgieng in den Rate der Ungutigen, und in„dem Wege der Sunder nicht stund &c. *Pe„trus Lambecius in Commentario Bibliotheca Vin„dobonensis Libro seu Tomo 2. pag. 763.* Psalte„rium Germanicum cum Canticis Veteris &„Novi Testamenti. Codex chartaceus in fol.„cum Musica Ecclesiastica singulis Psalmis præ„fixa, cujus ad calcem hæc subscriptio legitur,„*Explicit per manus Erasmi Werdenor de Delitsch„in Misnia sito, feria sexta ante festum Ascensio„nis Domini 1477. auspicio & sumptibus Impera„toris Friderici V. ut patet ex Symbolo ipsius A. E.„I. O. U. quo prima pagina insignita est.* Incipit,„Selig ist der Mann, der nicht gegangen ist,„nach der pösen Rat, noch gestanden in der„Sünder Weg, und auf dem Sezzel totleicher,„Sucht ist nicht gesezzen &c.„ Bibliotheca eadem, idem Lambecius Libro 2. p. 73. Idem *Psalterium Germanicum* MS. inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem regni Bibliothecarum insignium, Codice 3196. in Manuscriptis Codicibus Norfolcianæ bibliothecæ Codice 297. quod, qui voluerit, accedat atque discutiat.

Eadem autem Biblia in Germanicam linguam translata, in folio majori impressa, juxta exemplar Lipsianum edita sunt primum anno 1467. ut testatur idem Jacobus Longus ibidem cap. 9. sectione 2. p. 186. atque primæ hujusce editionis extare duo exemplaria Lipsiæ in Bibliotheca Senatoria, de quibus idem Longus difficile loquitur *Bibliotheca Sacra* parte 2. cap. 9. Sect. 2. pag. 186. & 187. quem Lector adeat. Eadem editio sequentibus annis repetita sæpius, ut idem Longus habet pagg. 188. 189. 190. Eadem editio in folio Norimbergæ 1477. repetita, eadem in folio anno 1477. Augustæ Vindelicorum, opera & studio Antonii Sorgii, ad cujus editionis calcem leguntur Germanice quæ sequuntur: *Præ omnibus aliis antea impressis Bibliis Germanicis:* unde colligi potest, jam ab aliis antea fuisse Biblia Germanica typis expressa. Eadem 2. voll. in folio, Norimbergæ 1480. opera ejusdem Antonii Sorgii. Eadem in folio cum figuris ligno incisis, Norimbergæ 1483. sumptibus Antonii Koburgeri. Eadem 2. voll. in fol. Argentorati 1485. Augustæ 1487. 2. voll. in 4. Item Norimbergæ 1490. atque Augustæ Vindelicorum anno 1494. Ad eandem anni 1467. ætatem pertinere creduntur, *Biblia Germanica*, gentilitiis Austriacæ domus in fronte ornata & typis in folio excusa, quorum non indicatur annus impressionis, nec locus, nec typographus, de quibus Petrus Lambecius Libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 295. ac post ipsum Jacobus Longus sæpe allatus, parte 2. cap. 9. sectione 2. de Bibliis Germanicis impressis pag. 186. Hæc de Bibliis Germanicis tam MSS. quam

quam impressis, occasione Matthiæ Eberler, quæ omnia desumpsimus atque contraximus, explicata diffusius a Jacobo Longo parte 2. *Bibliothecæ Sacræ* cap. 9. sect. 2. a pag. 177. ad 190. Lipsianæ impressionis.

1460 JOANNES ANDREAS, natione Italus, hac quoque ætate anni 1460. & sequentium claruit, socius atque Synchronus Joannis Antonii Campani, viri eruditione celebris, qui cum diu Romæ typographiæ illic a Germanis institutæ officium correctoris obivisset, Aprutinus tandem Episcopus factus fuit. Idem autem officium hoc tempore Joannes Andreas sustinuit, qui pariter ex præli correctore Episcopus Aleriensis institutus, in memoriam Episcopatus Aleriensis a Paulo II. accepti, *Biblia Latina* cum Opusculo Aristeæ, Epistola præmissa ad Paulum II. anno 1464. Pontificem Maximum, memoriam ac beneficii accepti gratitudinem testatus est, scripta Romæ die 15. Martii anno Domini M CCCC LXIX. Extant 2. voluminibus in folio, quorum in fine legitur:

> Aspicis illustres, Lector quicunque, Libellos,
> Si cupis artificum nomina nosse, lege.
> Aspera videbis cognomina Teutona forsan,
> Mitigat ars Musis, inscia verba virum.
> Conradus Swenheim, Arnoldus Pannartsque Magistri,
> Romæ impresserunt talia multa simul.
> Petrus cum fratre Francisco Maximus, ambo
> Huic operi optatam contribuere domum.
> MCCCCLXXI.

Extant etiam inter veteres editiones Regiæ Galliarum Bibliothecæ Supplemento IX. pag. 340. Codice CLXXXIII. *Biblia hac cum Glossa ordinaria Nicolai de Lyra studio Joannis Andreæ Aleriensis Episcopi, quinque Tomis in folio edita cum præfatione ejusdem ad Sixtum Papam IV.* Item ibidem pag. 339. Codice XLVII. *Titi Livii Opera, studio Joannis Andreæ Aleriensis Episcopi ad Paulum II. Papam dedicata.* Denique pag. 350. Codice DCCCL. *Lucanus ex recognitione Joannis Andreæ Aleriensis Episcopi in folio Romæ 1469.* Ita Philippus Labbeus in Bibliotheca Nova MSS. Librorum, quam ex MSS. Codicibus Regiis anno 1653. in 4. Parisiis edendam curavit, Supplemento IX. ubi de antiquis editionibus locis citatis loquitur.

1460 JOANNES STONUS vel STONÆUS, Anglus, Monachus Ordinis S. Benedicti apud Cantabrigienses, sive ut rectius Joannes Balæus scribit, apud Cantuarienses, erat quoque ob eruditionem & doctrinæ famam in pretio apud Anglos post annum 1440. usque ad annos 1450. 1460. & ultra, vitam enim ad multos protraxit annos. Illius mentionem facit dictus Joannes Balæus in opere suo *De Scriptoribus Britanniæ insignibus*, ubi scribit, *illum adfuisse Concilio Basileensi*, quod ab anno 1431. incœptum, per octodecim annos, usque ad annum 1448. continuatum est, *ejusque Acta Concilii scripsisse*: atque istud Stoni opus in Manuscriptis Codicibus, quod sciam, hucusque non apparuit, ut de veritate hujus rei maxime dubitem. Narratur a Vossio scripsisse *Sententias Patrum speculativas de fide, spe & charitate*, quod verissimum est, nam inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1636. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 369. comparent *Decreta Joannis Stoni de claustro Ecclesiæ Cantuariensis, cujus pars secunda continet speculativas Sanctorum Patrum sententias de fide, spe & charitate.* Principium, *Tanta dignitas* &c. Item inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem regni bibliothecarum insignium Cod. 714. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Cod. 39. *Quæstiones Magistri Joan. Stone: super libros primum & secundum Sententiarum.* Denique inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1532. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 264. *Liber de obitibus & aliis memorandis Fratris Joannis Stone, Monachi Ecclesiæ Cantuariensis, quem ex suo magno labore composuit anno Domini 1467. Monachatus sui anno L.* Illius mentionem faciunt paucis Josias Simlerus in Epitome *Bibliothecæ Gesneri* p. 500. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. p. 941. quem Joannem Stonum vel Stonæum appellat. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. p. 634. editionis ultimæ. Joannes Pitseus in opere *De Scriptoribus Angliæ illustribus* ætate XV. ad annum 1467. p. 657.

GUILLELMUS ELPHINSTON, natione Scotus, Episcopus Aberdoniensis, doctrina illustris, claruit ab anno 1460. atque sequentibus, qui etiam Cancellarius regni Scotici & Regii signaculi custos anno 1480. temporibus Regis Jacobi III. illuxit. Præter Synodorum statuta, quæ collegisse dicitur, reliquit etiam *Scotorum Chronicon*, in quo præ aliis, imo usque adeo ut majorem illis historiæ suæ partem debeat, hosce duos sequitur, Weremundum Ecclesiæ Sancti Andreæ Archidiaconum, & Joannem de Bellocampo, ut agnoscit ipse, ac præterea nobis author est Hector Boethius in *Historia Scotica* præfatione. Extat autem hoc *Chronicon* MS. inter Codices MSS. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem regni Bibliothecarum insignium, ut constat ex Catalogo Oxonii ao. 1698. impresso Tom. 2. Cod. 7006. in MSS. Codicibus Henrici Jones Codice 3. inscriptum, *Guillelmi Elphanston Episcopi Aberdoniensis Antiquitates Scotorum.* Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. p. 635. editionis ultimæ. 1460

JOANNES

1460 JOANNES ROSSUS sive RUFUS, Anglice ROUSS, natione Anglus, origine Warvicensis post annum 1460. claruit, qui scripsisse fertur *Antiquitates Warvicenses*, sive *Chronicon Warvicense*, vel *De Comitibus Warvicensibus*. Hæc autem Historia Joannis Rouss extare dicitur Manuscripta in Collegio Sancti Benedicti Cantabrigiæ Codice 317. ut est apud Thomam Jamesium in *Ecloga Oxonio Cantabrigiensi* MSS. Librorum. Ab hoc Opere diversus esse videtur Liber, qui *de Regibus Angliæ* inscribitur, contra quem observat Brianus Thurinus Libro 1. *Apologiæ Academiæ Oxoniensis*, atque idem Libro 2. ostendere nititur. Extat autem in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Julii littera E. Codice 4. num. 6. *Historia vitæ & actuum Richardi de Beauchamp Comitis Warvicensis illustrata picturis per Joannem Rossum Warvicensem.* Item ibidem sub effigie Vespasiani littera A. Codice 12. *Joannis Rossi Warvicensis Historia a Bruto ad tempora Regis Henrici septimi, videlicet usque ad nativitatem Principis Arthuri, Regis illius primogeniti filii, anno 1486.* Hunc autem Joannem Rossum utplurimum excerpunt in MSS. Codicibus Bodleianæ Bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus Collectaneorum volumine 4. cap. 194. p. 266. & Codice 5106. Collectaneorum volumine 5. cap. 16. 17. 18. 20. 22. & 24. excerpitur ex variis Opusculis, quæ mihi excidisse videntur. Idem quoque excerpitur ibidem Codicibus 6496. & 6504. in Collectaneis Guillelmi Dugdalii. Inde colligimus illum scripsisse magnam librorum multitudinem, qui non extant, vel in tenebris adhuc latitant. Ejusdem Joannis Rossi, alias Rousse Warvicensis, extant *Quatuor mundi ætates* inter MSS. Codices *Bibliothecarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum ejusdem Regni illustrium* Cod. 7008. in MSS. Codicibus Henrici Jones Codice 5. Et in Catalogo Bodleianæ Bibliothecæ Cod. 7237. in MSS. Codicibus Ashmoleanis Anglice: *Collectio referens Antiquitates Warvicenses, per Joannem Rouss de Warwick* &c. De Joanne Rosso seu Rufo Josias Simlerus, Antonius Possevinus aliique plurimi silent, sed loquuntur Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. pag. 637. editionis ultimæ. Petrus Hallix in Historia & antiquitatibus Academiæ Oxoniensis Lib. 2. pag. 77. col. 1. editionis 1674. Oxonii in folio.

1460 JOANNES STOWUS, Anglice STOW & STOWE, post annum 1450. & 1460. ætate Henrici VI. qui usque ad annum 1461. & Eduardi IV. usque ad annum 1483. Anglicanum sceptrum possederunt, claruit. Monasticen professus est Ordinis D. Benedicti Norvici ad S. Servatorem, Doctorque Oxoniensis in Theologia factus, historiæ animum applicuit, quam Anglice ad sua usque tempora composuit, seu ad ætatem Eduardi IV. Inter MSS. Codices Hiberniæ bibliothecarum extat in MSS. Codicibus Henrici Clarendoniæ Comitis & Hiberniæ Proregis Codice 31. num. 1. *Annales Angliæ a Bruto ad annum 1463. per Johannem Stowe.* Poesin quoque hic Scriptor Anglicanam ætate sua, labore non segni coluit & adornavit, unde inter MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ sub effigie Caligulæ, Codice 2. extant Anglice Poemata illius simul collecta uno volumine 36. quorum 29. inscribitur *Chronicon breve a Bruto ad Regem Eduardum IV.* Ejusdem in bibliotheca eadem sub effigie Faustinæ litera E. Codicibus IV. & V. Anglice scriptis, *Collectanea nobilium familiarum & officiorum publicorum regni Angliæ, antiquitatibus temporum, administratione justitiæ, Civitatibus, provinciis, moneta, varietate ceremoniarum funeralium, monumentorum & epitaphiorum &c. by John Stow.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum, Codice 10048. in MSS. Codicibus Symonis d'Ewes Baronetti Codice 188. *Notæ collectæ ex diversis antiquis authoribus, scripta a Stow Chronologo, propria manu.* Nec tantum operibus Anglicis variis Stowus illuxit, sed Latinis etiam aliis in Anglicum sermonem transferendis fervens incubuit. Nam ibidem loci Codice 10005. in MSS. Codicibus ejusdem Symonis d'Ewes Baronetti Codice 145. extat *Geraldi itinerariam Valliæ & descriptio Irlandiæ, translata per M. Stow*, propria ipsius manu. Ibidem Codice 10006. in MSS. Codicibus ejusdem Baronetti. Codice 146. extant *Florentinus Wigorniensis, Asterius Menevensis, ejus continuatio usque ad annum 1101. Alvredus Rievallensis & Nicolaus Trewet, translati Anglicam in linguam a M. Stow, propria ipsius manu.* Mentionem hujus Scriptoris habent Joannes Balæus *De Scriptoribus Angliæ illustribus* Centuria XI. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. pag. 632. editionis ultimæ. Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate XV. ad annum 1440. p. 628.

GEORGIUS RIPLEY, natione Anglus, 1460 eadem ætate floruit, primum Bridlingtonæ Canonicus Regularis Ordinis Divi Augustini, ubi applicuit potissimum studia sua ad excolendam alchimiam. Multos ob hanc rem tractatus Latine conscripsit, quorum aliqui etiam in Anglicam linguam translati sunt, quorum maximus numerus inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ, ut constat ex Catalogo illorum, qui ao. 1698. Oxonii in fol. ex theatro Sheldoniano impressus est. Sunt autem *Tractatus de lapide Philosophico. Medulla Alchimiæ scripta Latine per Georgium Ripley, Canonicum Bridlingtoniensem anno 1476.* translata Anglice per Davidem Whythead anno 1553. *Pupilla Alchimiæ. Georgii Ripley Cantilena 12. 13. 18. Georgius Riplejus Canonicus Bridlyngtonensis, De regimine ignium Philosophicorum & quibusdam probatissimis experimentis.* Ibidem *Somnium ejusdem*

ejusdem Ripleii, versu elegiaco, & his plura quæ extant inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, in Codicibus Ashmoleanis, Codd. 7577. 7591. 7601. 7608. 7619. *Carmina Georgii Riplei de compendio Lapidis Philosophici.* Ibidem *Tractatus Georgii Riplei de possibilitate hujus scientiæ.* 7563. 7564. 7565. 7623. 7630. 7634. 7643. 7647. 7652. 7654. 7658. 7662. Et in addendis p. 357. Catalogo Ashmoleano, Codice 8447. Ut superfluum omnino sit alios Codices MSS. operum ejusmodi enumerare, qui in aliis Angliæ bibliothecis reperiuntur magno numero. Omnem igitur ille vitam Alchimiæ adornandæ, & Lapidi Philosophico inquirendo ad metallorum transmutationem insumpsit. Scripsit tamen Vitam Joannis Bridlingtonii, Angli, olim Ecclesiæ propriæ Antistitis, quam Surius inseruit Historiæ Sanctorum Tomo V. ad diem 10. Octobris. At cum Bridlingtonus ætate Richardi II. Anglorum Regis anno M CCC LXXIX. obierit, Riplejus ab hoc rempore utcunque remotus, vitam hanc ex aliorum relatu tantum scribere potuit, recte ergo ille qui apud Surium anonymus extat, *Ut quidem ad nos perlatum est ab ejus condiscipulis fide dignis*, scribere potuit, ab ætate Bridlingroni annis 80. vel circiter remotus. Cum autem ardor ille ingens in Alchimiam & lapidem Philosophicum inquirendum, quem Ripleius habuit, Canonicis & Abbati Bridlingtoniano non placeret, ad Ordinem ille Carmelitarum mendicantium, in Conventu S. Botulphi pertransiit. Vivere desiit sub Henrico VII. Rege, anno M CCCC XC. Amplam de illo mentionem facit Joannes Balæus *De illustribus Angliæ Scriptoribus*, Centuria XI. Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 9. p. mihi 637. editionis anni 1651.

1460 PETRUS DE ANDLO natione Germanus patria Alsatus, ex oppido Andlo, unde cognomentum adhæsit, oriundus ut opinor, juxta Carolum du Fresne Dominum du Cange & Marquardum Freherum, assecutus præbendam Canonicam in Ecclesia Collegiali Colmariensi, temporibus Friderici III. Imperatoris floruit, nomen suum posteritati commisit, Scribendo *De origine, progressu & mutationibus Imperii Romani ejusdemque juribus, ritibus & ceremoniis ad Fridericum III. Imperatorem libros duos*, anno 1460. ab auctore compositos, quos primus ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Palatinæ, in lucem publicam produxit dictus Freherus, atque cum notis edendos curavit Argentorati anno 1597. in 4. & Heidelbergæ anno 1603. in 4. una cum aliis aliorum Opusculis. Quo anno ille obierit, ego cum ignarissimis scio. Eius editor Marquardus Freherus, hujus Scriptoris meminit in Præludiis. Carolus du Fresne, Dominus du Cange in Catalogo Scriptorum, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* col. 158. Martinus Lipenius in *Bibliotheca reali juridica* p. 223. Thomas Hydius in Catalogo Librorum impressorum *Bibliothecæ Bodleianæ seu Oxoniensis Publicæ*, verbo *Andlo*, ubi editio Argentinensis anni 1603. habetur.

PETRUS DE BLARRORIVO PARISIENSIS hoc quoque Parisiis ob Poësim claruit tempore, ab anno circiter 1460. ad 1480. 1460
quibus ob metum Ducum Burgundiæ, Galli tunc Lotharingis maxime favebant & uniebantur. Hic itaque in Lotharingarum gratiam scripsit Poëma non ignobile *Nanceidem* inscriptum, seu *Libros sex de bello Nanceiano*, quos ad annum circiter 1474. attribuit *Guillelmo cuidam Parisiensi* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. mihi 605. editionis ultimæ 1651. in 4to his verbis. " His etiam temporibus & aliquanto post, fuit Guillelmus," Parisiensis, auctor *Nanceidos*, unde non semel," Historiæ caussa, versus aliquot adducit Meie-" rus lib. 17. *Annalium Flandriæ*, qui & scripto-" rem hunc pag. 371. *Poëtastrum Parisiensem* ap-" pellat. *Nanceis* opus illud vocatum a Nan-" ceio, quod præcipuum Lotharingiæ oppi-" dum, celebre clade Burgundica anni 1474." quam Poëta hic describit. Quem porro *Guillielmum* Parisiensem Vossius post Meierum vocat, hunc recte, Philippus Labbeus, in *Nova MSS. Codicum Bibliotheca Græcorum Latinorum & Gallicorum*, ex MSS. potissimum Codicibus & antiquis editionibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ collecta, *Petrum de Blorrorivo* appellat *Supplemento X.* hujus Bibliothecæ p. 378. additione ad Coronidem Poeticam p. 66. *Iis addi poterunt Petri de Blarrorivo insigne Nanceidos opus, sive de bello Nanceiano Libri sex versibus conscripti, & anno 1476. in Divi Nicolai pago Lotharingiæ celebri, excusi in folio.* Fallitur autem Labbeus, dum scribit, Opus illud esse impressum *anno 1476*, fuit enim rantum anno 1518. impressum, ut constat ex uno operis exemplari, quod mihi in manus venit, cujus inscriptio est ejusmodi. *Petri de Blarrorivo Parisiani insigne Nanceidos opus, de bello Nanceiano, hac primum exaratura elimatissime nuperrime in lucem emissum.* Præmissæ huic Epistolæ Joannis Basini Sandacurii ad clarissimum magnificentissimumque Principem Antonium Lotharingæ Barrique Ducem, & aliæ ad R. in Christo Patrem & Dominum Hugonem de Hazardis Tullensem Episcopum & Comitem. Opus libris sex constans in folio cum Scholiis marginalibus. *Ad operis finem finit feliciter egregium ac insigne Nanceidos opus Petri de Blarrorivo Parisiani, de bello Nanceiano, impressum in celebri Lotharingiæ pago Divi Nicolai de portu, per Petrum Jacobi Presbyterum loci paganum, anno Christianæ Incarnationis M D XVIII. Nonas Januarii, quo die ipsum quoque bellum Nanceianum peractum, anno Incarnationis ejusdem M CCCC LXXVI.* Dictus autem Petrus Jacobi qui opus impressit, *Presbyter loci paganus*, hoc est, non *Pastor Oppidi*, sed *Pastoris auxiliarius & adscititius.*

1460 CHRISTOPHORUS PORSENA ROMANUS, Prior Sanctæ Balbinæ de Urbe, Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Guillelmi, ita autem post Conradum Gesnerum in suo *Nomenclatore* nominat Robertus Constantinus, Græcam linguam in Græcia didicit, qui Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus, scripsit inter cætera *Epistolarum ad diversos librum unum*, & alia complura. Vertit in Latinam Linguam *Origenem contra Celsum Philosophum* libris octo ad Sixtum Pontificem Maximum, nominis quartum. *Sermones quoque D. Johannis Chrysostomi morales XXV.* quos Marco Balbo Cardinali Sancti Marci dedicavit. Inde *quædam Theophilacti Bulgariæ Archiepiscopi Opuscula*, cum aliis perbelle convertit & Latinis legenda donavit. Transtulit etiam *Procopii Cæsariensis de bello Gothorum libros tres, & Agathiæ Scholastici Smyrnæi de bello Gothorum & aliis peregrinis historiis libros quinque*, quos Hervagius excudit Basileæ anno 1531. in folio, cum aliis Historicis. Beatus Rhenanus in Præfatione inquit, male veteor ne interpres Gothici belli in Græcum Codicem mutilatum inciderit, quod de Alarico Rege nulla prorsus mentio fiet: Verum boni consulendum est, quod corrigi non potuit. *Athanasii quædam* tradunt impressa, item *Theophilacti Enarrationes* impressas. Hæc Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali* verbo *Christophorus Porsena* folio 167. editionis Tigurinæ anni 1545. apud Christophorum Froschoverum in folio. Item verbo *Agathias Scholasticus Smyrnicus* p. 15. Extant hodieque ejus Historiarum Tomi Græci Romæ, nondum quod viderim Græce excusi, Latini autem facti sunt a Christophoto Porsena Priore Sanctæ Balbinæ, quos Hervagius Basileæ anno 1531. in folio excudit, cum *Procopio de rebus Gothorum*, & aliis quibusdam historicis, sunt tantum Historiarum libri quinque, & absolvuntur chartis XXXII. Idem verbo *Procopius Cæsariensis* folio 572. De rebus vel bello Gothorum Libri III. Christophoro Porsena interprete, Basileæ apud Hervagium 1531. in folio. Obiit autem Porsena ex pestilentia Romæ anno 1486. ut Jacobus Bergomas in *Chronico* testatur, quem constanter *Christophorum Porsonam* nominant, Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* passim, & Gerardus Joannes Vossius, tam in *Historiis Græcis* quam in Latinis.

Quantum ad *Sermones D. Johannis Chrysostomi morales XXV. a Christophoro Porsena Latinos* quos juxta Gesnerum *Marco Balbo Cardinali Sancti Marci* dedicavit: illi non sunt Sancti Chrysostomi cui a Porsena inscripti sunt, sed *Apanthismata* sunt seu *Florigeria* ex Operibus *Sancti Johannis Chrysostomi* hinc inde collecta & excerpta a quodam *Theodoro Daphnopata*, quæ in MSS. Græcis nunc plura, nunc pauciora sunt, ex quibus *Sermones XXV.* a Christophoro Porsena Latine facti leguntur: de quibus diffuse locuti sumus ad annum 960. ubi de operibus Theodori Daphnopatæ disseruimus, ac de *Florigeriis* istis potissimum, eorumque MSS. Codicibus Græcis, qui in insignioribus Europæ Bibliothecis passim occurrunt. Juxta autem Antonium Possevinum Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Athanasius*, inter opera Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi, editionis Latinæ Parisiensis anno 1520. in folio, quæ maximam partem Operum illius ab interpretibus diversis translatum continet, *Commentaria* extant *Theophylacti in Psalmos*, quæ in lucem publicam sub nomine *Sancti Athanasii Alexandrini* data fuerant a Christophoro Porsena, qui ea Romæ anno 1477. in folio evulganda curaverat, & a Reuchlino Tubingæ anno 1515. recusa, unde in hanc Athanasianam editionem prodierunt. Idem eodem Possevino teste in *Apparatu Sacro* Tomo 2. verbo *Theophylactus* pag. mihi 474. idem Christophorus Porsena anno 1469 edendum curavit sub nomine Sancti Athanasii Alexandrini *Commentarium in omnes Sancti Pauli Apostoli Epistolas*, Sixto IV. Romano Pontifici Romæ in folio editam, qui deinde Coloniæ 1531. & Parisiis 1552. recusus fuit. Recusa fuit hæc *Commentatio* anno 1531. Coloniæ apud Petrum Quentilium, atque iterum Parisiis anno 1552. apud Vascosanum. Ex hac autem editione Christophori Porsenæ, transiit in varias editiones Operum S. Athanasii Alexandrini Archiepiscopi. Nempe in editionem Parisiensem anni 1521. apud Knoblauck & Basileensem anno 1527. apud Frobenium. Extat hæc interpretatio Latina MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, ut habet Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* de qua postmodum loquemur; *Supplemento VII.* Codice CLXXXV. p. 273. *Sancti Athanasii in Epistolas Sancti Pauli versio vetus Latina.* Fefellit opinor Christophorum Porsenam Joannes Trithemius, qui scripsit ab *Athanasio Alexandrino Scriptum fuisse Commentarium in omnes Sancti Pauli Epistolas*, qui quidem primis illis Athanasii in editionibus ante annum 1532. a Typographis insertus fuit. At postea animadversum est, fuisse potius Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi, qui a Christophoro Porsena factus fuerat Latinus. Unde Cervicornus Coloniæ typographus, illum anno 1532. inter Opera Athanasii non edidit, quem in editionibus sequentibus Operum Athanasii, typographi omnes imitati sunt. Restitutus est autem hic Commentarius Theophilacto legitimo parenti, per Philippum Montanum Armentariensem, qui illum Latine edendum curavit anno 1564. Antwerpiæ in 8. Græce autem & Latine Londini anno 1636. ex interpretatione Johannis Loniceri, a Philippo Montano Armentariano recognita prodiit: unde Labbeo mirum videtur, cur officinæ Anglicanæ, istam interpretationem Montano duntaxat recognitori solum attribuerint. Quod autem scribunt Antonius Possevinus & post eum

cum Ludovicus Ellias du Pin *Commentarium hunc Christophori Persona esse editum Romæ anno 1469. atque Sixto IV. Romano Pontifici dedicatum*: falsum est, nam Opus editum Romæ in folio anno 1496. post mortem Sixti IV. Romani Pontificis, cujus editionis *unum exemplar in Regia Galliarum Bibliotheca*, inter veteres editiones hujus Bibliothecæ ante annum M D factas, ut habet Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum* ex MSS. Codicibus & antiquis editionibus Regiæ Bibliothecæ potissimum collecta, quam in 4. Parisiis anno 1653 apud Johannem Henault edendam voluit. Ita in *Supplemento IX.* hujus Bibliothecæ p. 344. Codice CCCC LXXVII. *Sancti Athanasii in Epistolas S. Pauli Latine, interprete Christophoro Persona Romæ 1496. in folio.* Imo si opus istud fuisset anno 1469. Romæ in folio editum, ut Possevinus & Ellias du Pin scribunt, non potuisset Sixto IV. Romano Pontifici dedicari, ut eadem habent: anno enim 1469. Paulus II. Romanam sedem occupat, ad quam Sixtus IV. ante annum 1471. non pervenit. Potuit equidem Christophorus Porsena composuisse hanc versionem, sub Pontificatu Sixti IV. Romani Pontificis, & illi dedicasse: sed impressio Operis ante annum 1496. juxta allatum exemplar, facta non videtur, annis duodecim post mortem Sixti IV. Romani Pontificis.

Quantum autem ad Latinam versionem *octo librorum Origenis adversus Celsum Philosophum*, illud ipsum opus est quod Christophorus Porsena Sixto IV. Romano Pontifici anno 1481. dicavit, cujus unum exemplar editionis, inter veteres editiones, quæ ante annum M. D. factæ extant in Regia Galliarum Bibliotheca, ut habet Labbeus citatus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum & Veterum editionum* hujus Bibliothecæ Regiæ, nempe *Supplemento IX.* Codice CCCC LXXV. pag. 344. his verbis, *Origenes contra Celsum Christophoro Persona interprete, in folio Romæ 1481.* Cum autem Versio hæc Origenis contra Celsum a Porsena facta, eruditis minus placuisset, hinc sumpsit occasionem Sigismundus Gelenius Conradi Gesneri intimus amicus, & typographiæ Frobenianæ in urbe Basileæ correctioni præfectus, adornandi aliam, quam postea Gilbertus Genebrardus Latinam tantum, editioni Operum Origenis Latinæ, anno 1571. duobus in folio tomis factæ Parisiis inseruit. Unde versio antiquior a Christophoro Porsena elucubrata *Librorum octo Originis contra Celsum*, in oblivionem & neglectum abiit. *Origenis* etiam *Adamantii Libros octo contra Celsum Philosophum* ex interpretatione Sigismundi Gelenii, *ejusdemque Philoc. alia* Joanne Tarino interprete, Græce & Latine charactere nitidissimo & correctissimo, edi in 4to curavit Cantabrigiæ anno 1658. Guilielmus Spencerus, Cantabrigiensis Collegii Trinitatis Socius, qui utriusque operis versionem recognovit & annotationibus adauxit. Hæc nobis de Christophoro Porsena suggesserunt Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*, locis supra citatis. Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* Tomo 1. verbo *Athanasius*, & Tomo 2. verbo *Theophylactus*. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. 605. editionis ultimæ. Atque inter *Historicos Græcos* lib. 2. cap. 22. p. 269. ubi de *Procopio*, & 270. ubi de *Agathia* Historicis, editionis ultimæ anni 1651. Lugduni Batavorum in 4to Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Codicum*, ex Codicibus MSS. & editionibus antiquis Regiæ Galliarum Bibliothecæ collecta, locis antea productis.

GUILLELMUS BREVINUS natione Anglus, cum patria relicta, in Italiam perrexisset, Romæ præsertim per annos multos resedit, fuitque non incelebris, sub Pauli II. & Sixti IV. Romanorum Pontificum temporibus. Illic autem manens ac sedulo Romanarum Ecclesiarum antiquitatibus indagandis & colligendis incumbens, Opusculum scripsit non contemnendum *de septem principalibus Ecclesiis urbis Romæ*, quod MSS. adhuc extat in Vaticana Bibliotheca. Hujus ad imitationem Onuphrius Panvinius, antiquitatum Romanarum indagator sagacissimus, Opus simile aggressus fuit, quod anno 1570. Romæ & 1584. Coloniæ in 8. impressum fuit, sub titulo *de præcipuis urbis Romæ Sanctioribusque Basilicis, quas septem Ecclesias vocant*, annis centum postquam Guillelmus Brevinus scripserat. Item Alexander Cookius Minister Divini verbi Leidæ in Comitatu Eboracensi, in *Dialogo de Joanna Papissa inter Protestantem & Papistam*, Anglice scripto, & a Joanne de la Montagne in Gallicam linguam translato, p. 19. editionis 1633. Sedani in 8. collocat illum ad annum 1470. cujus verba hæc profert. *In Capella Salvatoris sunt duæ vel plures cathedræ de lapide marmoreo & cupreo cum foraminibus in iis sculptis, super quas cathedras, ut audivi ibidem est probatio Papæ, utrum sit masculus, an non.* Ita habet Guilielmus Brevinus in Codice MSS. *de septem Principalibus Ecclesiis urbis Romæ.* Mentionem facit, *Guillelmi Brevini* David Blondellus in Opere Gallico inscripto, *Familier eclaircissement de la question, si une femme a esté assise au Siege Papal I. de Rome, entre Leon IV. & Benoist III. par David Blondel*, editionis Amstelodamensis 1647. in 8vo. apud Joannem Blaeu. Ita p. 13. inter LXVI. auctores omnes Pontificios ac primæ notæ celebres, Guillelmus Brevinus recensetur, qui uno ore in Historiis aut Chronicis suis *Joannam Fœminam* retulerunt. Item pag. 8. *Guillaume Brevin qui a escrit environ l' an. 1470. des sept principales Eglises de Rome, & Baptiste Platina qui est mort l' an. 1481, trois cent nonante cinq ans apres la mort de Marianus Scotus, & six cent vingt & six ans apres l'election de Benoist III. pour ensier la chose, ait mis en avant la Celle percée, sur laquelle, a leur dire, le Pape doit estre assis;*

assis, pour estre manie. Ejusdem autem Davidis Blondelli Opusculum Latinum cui titulus *famosæ quæstionis, an fœmina ulla inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos Pontifices, media sederit ἀνάκρισις*, Amstelodami typis Joannis Blam 1657. in 8. Quod edendum post Blondelli mortem curavit Stephanus Curcellæus Genevensis & Professor Arminianorum Amstelodamensium, qui anno 1659. obiit. Illic inter 66. Scriptores omnes Pontificios, qui omnes Joannem VIII. fuisse fœminam affirmarunt, refert XVII. loco pagina 5. Guillelmum Brevinum, circa annum Christi 1470. a Benedicti III. incardinatione anno 617. a Mariani obitu 395. qui *de septem principalibus Ecclesiis urbis Romæ librum conscripsit*. Idem Blondellus ibidem pag. 50. refert ex MSS. Codice 733. Regiæ Galliarum Bibliothecæ *Vitam Joannæ Papissæ*, qualem refert Clarissimus Claudius Sarravius Epistola CXXXVIII. Denique Fredericus Spanhemius Tomo 2. Operum tribus in folio voll. anno 1701. Lugduni Batavorum editorum, meminit Guillelmi Brevini, Libro V. seu Dissertatione *de Papa fœmina* cap. 1. num. 4. p. 583. his verbis. "Tandem *cella perforata* mysterium in consecratione Pontificum adhibitæ, explorando scilicet sexui attractatis ab ultimo Diacono genitalibus, esse qui ex eo scandalo derivarint, retulit Platina in Vita hujus Joannis, & cum ante Guillelmus Brevinus in libro *de septem principalibus Ecclesiis urbis Romæ*. Et capite 3. num. 5. pag. 600. Guillelmus Brevinus Anglus, ex Codice manuscripto Alexandro Cookio aliisque citato *de septem principalibus Ecclesiis urbis Romæ*, inter eos qui explorati sexus in electo Pontifice meminerunt, quod Romæ a Romanis didicerat, inquit Blondellus. Et Zanches seu Sanctius Polontinus in Hispania Episcopus ac sub Paulo II. præficiendus arci sancti Angeli, quem ab ineptiis & mendaciis procul abfuisse, testis est Alphonsus Garcias libro *de viris doctis*. Hæc de Guillielmo Brevino, ex Onuphrio Panvinio, Alexander Cookio, Davide Blondello, & Friderico Spanhemio, locis citatis.

1460 JOANNES ANTONIUS CAMPANUS, ex doctissimis seculi XV. medii hominibus unus fuit, vili quidem familia, quem Campanum mater rustica, in agro fessa opere sub lauro peperit, ut inquit Paulus Jovius *Elogiorum* cap. 22. pag. mihi 52. & 53. haud procul Capua. Agro, pascendisque gregibus ab initio a patre relegatus fuit, inquit Augustinus Oldoinus in *Athenæo Augusto* pag. 24. Cumque ingenio plurimum valeret, æditui Sacerdotis in famulatum & disciplinam mater tradidit, qui Campanum latinitate qualicunque informavit. Postea Neapoli Præceptor filiorum opulenti civis per quinquennium factus, multos in litteris humanioribus & eloquentia progressus egit. Hinc Perusium ut illic juri studeret, perrexit, qui tanta cum laude ac applausu publico docuit, ut Senatus decreto civis hujus urbis declararetur. Juxta nonnullos linguæ Græcæ plane ignarus fuit, licet affirment aliis ipsum Paduæ sub Demetrio Cholcondyle non segnem operam navasse illi accurate acquirendæ. Reversus Perusium, Andreæ Braccii fortissimi Ducis Vitam composuit, quo opere maxime ob stylum elegantem commendatus est, licet Paulus Jovius loco citato, nimis adulatoriam hanc narrationem censeat. Tantam sibi famam ac præclarum nomen comparavit Campanus, ut Romam a Calixto III. Summo Pontifice evocaretur anno nempe 1457. ut ipsi ab Epistolis & secretis esset: sed cum Romam adventasset, morte hujus Pontificis accedente, Campanus Spebus suis frustratus fuit. In gratiam Pii II. Romani Pontificis anno 1458. constituti admissus, ab ipso aliquanto post Episcopatu Crotonensi in Calabria donatus, tum & eodem tempore altero Aprutino seu Interamnensi, in Aprutio quem ad mortem usque possedit. Paulo quoque II. Romano Pontifici gratus, a quo Archipresbyteratu Sancti Eustachii, beneficio amplissimo donatus est. Idem Paulus II. anno 1470. destinavit comitem Campanum Francisco Piccolomineo Siennensi Archiepiscopo & Sedis Apostolicæ in Germaniam Legato, Ratisponam contendenti, ubi Dieta Imperialis convocanda erat, in qua aliisque Germaniæ locis Campanus orationes habuit. Campanus per biennium annis nempe 1470. & 1471. inter Germanos manens, nec Italicam mollitiem in partibus istis expertus, de illis late conqueritur ac debacchatur. Reversus anno 1472. in Italiam, non ingratus Sixto IV. tum Pontifici, variis Ecclesiastici status urbibus Præfectus fuit, primum Tudertinæ, deinde Fulginati, tum Civitati Castellanæ seu de Castello, ut industria vel eloquentia sua, commotas ad Romani Pontificis jugum adduceret. Sed cum tumultuantes non posset ad Romanam obedientiam revocare Campanus, imo pro Castellanis ad Romanum Pontificem velut insontibus rescriberet, indignationem Apostolicæ sedis in se provocavit. Quam cum epistolis etiam humilibus mitigare non posset, plenus amaritudinis ac tædii, reliquum vitæ tempus tum Neapoli tum Siennæ manens transegit, usque ad annum 1477. quo Siennæ die 15. Julii mortuus, annum ætatis L. agens, in Ecclesia Cathedrali sepeliri meruit. Teste autem Ferdinando Ughello, tale illius epitaphium in hac Ecclesia cernitur.

Campanus jacet hic, nostri clarum decus ævi,
Eloquio resonans, Carmine & Historia
Nec tamen hic totus, sola hic sunt ossa, petivit
Cælum anima, ast orbem gloria, corpus humum.
Interiit corpus, vivit sed gloria, vivit
Spiritus, in solo corpore mors potuit.
Vixit annos L. obiit anno MCCCCLXXVII.

Extant

Extant *Joannis Antonii Campani Episcopi Aprutini Epistolæ ad Poëmata una cum Vita auctoris* quæ recensuit Joannes Burchardus Menckenius Lipsiæ anno 1707. in 8. pagg. 814. cum Præfatione & Indicibus.

Ambiverat plurimum ut Episcopatum Theanensem assequeretur, ut apparet ex Libro VIII Epistola 32. 33. 40. & 42. sed quod illum obtinuerit, nihil probat. Jam ad Opera ejus impressa veniamus. Opera reliquit plura tam soluta oratione quam carmine, quæ edita sunt a Michaele Ferno, cum vitæ ipsius historia ab eodem ferme amplissime Scripta, Venetiis anno M D II. in folio, quod agunt, quæ tamen adeo rara editio est, ut vel ipsis Eruditorum primiceriis ignoretur, & adeo abbreviaturis & erroribus typographicis inquinata, ut Oedipum Lectorem requirat. Horum Operum partem tantum Menckenius in editione sua Lipsiensi anni 1707. in 8. recudendam curavit. Fernus porro qui hominem apprime vivens cognoverat, diserte in vita Campani fatetur ipsum fuisse *Correctorem* Typographiæ Romæ apud Uldaricum typographum, qui tanta artem suam diligentia urgebat, ut Campanum interquiescere non pateretur, ad majorem operis instantiam. Hoc autem non agebat Campanus ob litterarum amorem, sed ut hac comparatis arte pecuniis lautius viveret, ac ventri cupedias & delitias amanti auxilium ferret. Fuit etiam Campanus ille, qui religionem Christianam labiis tantum profiteretur, vita autem atque moribus Italorum more corruptissimus esset, omnia ad propriam cupiditatem referens. Imo Fernus idem in vita Campani scribit, ita tristitia & indignatione aliquando absorptum fuisse, ut ad Turcarum religionem deficere cogitaret, quos longe Christianis probiores arbitrabatur: quibus cum si vivere posset, Romanæ curiæ corruptiones & excessus orbi toti ostendere vellet, quam tamen tumidus maxime contemnit Libro IX. Epistola 43. Agunt de editione Campani operum Lipsiensi anno 1707. in 8. facta a Menckenio, *Acta Eruditorum Lipsiæ* anni MDCC VII. mense Junio pag. 278. ad 281. Joannes Clericus in *Bibliotheca Selecta* anni 1708. tomo XIV. pag. 56. ad 117. ubi Vitam Campani ex ejus *Epistolis & Scriptis* diffuse describit, nec corruptos illius eruditi licet hominis, mores præterit. Quoad autem editionem illorum omnium veterem, Venetiis anno 1502 in folio factam, cui Vita Campani amplissima, a Michaele Forno Synchrono composita præmittitur, Leonardus Nicodemus, qui *Bibliothecæ Nicolai Toppi Neapolitanæ* adjecit *Additamenta*, pag. 16. 17. & 18. Opusculorum omnium quæ in hac editione Campani nostri habentur, seriem accuratam dabit, quem videas. Inveniens tractatus morales varios, *de ingratitudine fugienda, de dignitate matrimonii*, quorum *primi* compendium facit Lib. 3. Epistola 12. *Plures Orationes* ut illa quam anno 1455. Perusii publice pronuntiavit, dum ibi litteras humaniores profiteri cœpit. Alteram *in funere Ducis* Urbini, tertium *Cardinalis Saxoferratensis*, quartam *in Obitu Pii secundi Epistolarum libros IX. Vitam Pii II. Romani Pontificis, Elegiarum & Epigrammatum libros VIII.* cum Sermonibus nonnullis. Magnam horum operum partem recudendam curavit Burchardus Menckenius Lipsiæ anno 1707. in 8. ut antea diximus. *Epistolarum* nempe *libros novem*, post quos adjecit Menckenius Epistolas quinque, in quibus extant judicia Campani nostri, data in Declamationes *Quintiliano* attributas, in *Suetonium*, in *Plutarchi Vitas*, in *Titum Livium*, in comparationem, quæ inter *Ciceronem & Quitilianum* institui possit. Opinionem suam velut vir judicio præstans profert, quamvis de Declamationibus secundo attributis nimia cum laude loqui eruditis videatur. Tandem *Elegiarum & Epigrammatum Libros octo* Campani, quibus opus concludit. Scripsit quoque Campanus Vitam Pii II. Romani Pontificis, quæ Operibus hujus Scriptoris præmissa est in editionibus variis. Idem Fernus, qui vitam ejus editioni Operum præfixit, habitasse illum Perusii apud unum e civibus hujus urbis primarium *Nellum Boglionem*, cujus filium litteris informabat, atque illic Pandulfo Nelli filio opus *de ingratitudine* dedicasse, ac scripsisse *Vitam Andreæ Brachii Perusini*, Ducis fortissimi, in familiæ ejusdem gratiam, quam *Carolo Fortebrachio* ejus filio dedicatam obtulit, ut videri potest ex Lib. 2. Epistolarum Epist. 38. quæ adhuc apud Perusinos MS. extare dicitur & alibi. Ultimum tandem opus, quod composuisse legitur Libro IX. Epist. 19. & 52. dum Interamnii erat, est *Vita Friderici Feltrensis Comitis*, quem *Ducem Urbini* Romanus Pontifex creavit. Insolitis illum laudibus extollit, atque Historiam hanc ex instituto conscripsisse, ut hoc Duce mediante, in Romani Pontificis gratiam rediret. Campanus enim ambitione nimium laborabat ac ventris cupedias amabat, quam ut Interamnii tranquillus & privatus manens, delitias Romæ ac Romanæ curiæ favorem non amplius requireret. Id opus quoque tum Romæ, tum Urbini atque in aliis etiam Italiæ bibliothecis manuscriptum dicitur. Dum etiam Romæ Campanus ad tempus resideret otioque vacaret, Corrector artis typographicæ tum recentis, apud Uldaricum typographum factus, hoc modo licet Interamnensis Episcopus, pecunias congerebat multas, quibus expensis suis enormibus, ad ventris lautitiam factis suppeditabat remedium: alias enim vivere illic nomifi cum anxietate multa, cupediarum ac deliciarum amans, non potuisset. Id testatur Michael Fernus in ejus vita operibus præmissa, extantque adhuc *Decas prima* Titi Livii Romæ anno MCCCC. LXXI. *tertia & quarta* anno MCCCCLXXII. ex emendatione seu correctione Campani impressa, cujus primæ hic titulus

tulus, *Titi Livii Historiarum Decas ex emendatione Antonii Campani*. Idem Gabriel Naudæus in Additionibus ad Historiam Ludovici XI. pag. 297. 298. Mentelius *de vera typographiæ origine* p. 11. cum aliis multis. Extitit igitur Campanus liberioris vitæ, cui Epitaphium in Interamnensi Ecclesia positum mendacissimum est. Agunt pluribus de illo Michael Fernus in Vita ejus, quam diffuse scripsit. Ferdinandus Ughellus tomo I. *Italia Sacra* in *Episcopis Interamnensibus* p. 412. Leonardus Nicodemus in Additionibus ad bibliothecam Neapolitanam Nicolai Toppi p. 16. 17. & 18. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *de Historicis Latinis* cap. 7. Petrus Bailius in *Dictionario Historico & Critico*, verbo *Campanus* tomo I. p. 789. & 790. editionis Roterodamensis anni 1702. in folio, cum aliis multis.

1460 ALBERTUS CRUMMEDICK, natione Germanus, patria Holsteniensis, vir nobili genere ortus, ante & post annum 1460. celebris fuit, qui cum aliquamdiu inter Lubecenses Canonicos distinctus esset, ad Episcopatum hujus Ecclesiæ ex Canonico, suffragio communi assumptus est anno 1465. quo Arnoldus ejus decessor mortem appetiit. Factus autem hujus urbis Episcopus, hujus opera Christianus Rex Daniæ usus est, cui multiplices legationes mandavit, quibus cum honore obeundis, omnes Lubecensis Ecclesiæ proventus consumpsit, propriaque etiam familiæ bona non invitus, ad expensas natus, expendit. His non obstantibus scripsit *Chronicon Episcoporum Lubecensium* a prima Episcopatus fundatione ad annum 1465, seu ad prædecessoris Arnoldi mortem, cui Anonymus quidam *Appendicem* annorum quadraginta adjecit, ad annum MDV. Dictum opus ex MSS. erutum curavit edendum Henricus Meibomius junior, quod *Rerum Germanicarum Scriptoribus* inseruit Tomo 2. Helmstadii in folio anno 1688. tribus Tomis ac duobus voluminibus editarum. Annum ætatis septuagesimum supergressus, obiit anno Domini MCCCCLXXXIX. de quo Meibomius loco citato. Nimirum Tomo 2. *Rerum* seu *Collectionis Scriptorum Germanicorum* p. 393. ad 403. ubi incipit *Continuatio Anonymi* ad annum MDV. a p. 403. ad 410. De Alberto Crummedick Henricus editor Meibomius p. 411. Albertus Crantzius in *Metropoli* Lib. 11. cap. 4. Henricus Bangertus in Notis suis ad Helmoldum p. 214. & p. 330. usus illo MS. Codice, ex quo Meibomius hoc Chronicon edidit, a quo mutuum acceperat.

1460 BARTHOLOMÆUS PLATINA, qui utrum *Bartholomæus* an *Baptista* prænomen habeat, non omnimode inter eruditos hujus ætatis convenit. Baptistam vocat Jacobus Bergomas in *Supplemento Chronicorum*, & Leander Albertus in *Descriptione Lombardiæ Transpadanæ*, itemque Floridus Sabinus in *Apologia contra calumniatores linguæ Latinæ*. At Raphael Volaterranus Libro XXI. *Commentariorum Urbanorum* appellat Bartholomæum, Arnoldus item Bostius, in *illustribus viris Ordinis Carthusiani* cap. 21. Philippus Labbeus, qui quæstionem hanc utramque excussit, Tomo I. Dissertationis Historicæ *De Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis*, verbo *Bartholomæus Platina*. Atque his plane fidem habemus, non quidem ob majorem dicentium authoritatem: sed quia Epistola ejus ad Jacobum Piccolomineum, Cardinalem Papiensem sic inscribitur: *Barth. Platina, Jac. Cardinali Papiensi*. Ac Piccolominæi ad Platinam Epistola, quæ Senæ anno MCCCCLXIX. exarata, ibidem habet, *Barth. Platinæ*. Hic patria Cremonensis fuit, atque ut de eo scribit Volaterranus, *Cum Francisco Gonzaga Cardinale Mantuam venit, deinde factus Xisti Pontificis contubernalis, simul ab eo opibus auctus, ædes sibi in Quirinali paravit, ubi & decessit sexagenarius.* Volaterrani de eo judicium est hujusmodi, *Virum fuisse gravem & procul mendacio, eoque admiratione digniorem, quod jam provecta ætate, ac tyrocinio posito, quod totum militiæ prius tradiderat, litteras didicit.* Erasmus de eo sic habet in Ciceroniano suo, *In Historia valiturus erat, si nactus fuisset argumentum felicius. In Optimo cive & panegyrico, nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem: sed tanto intervallo, ut hoc nomen non promereatur eruditorum calculis: alioquin vir doctus, facundus, & nisi fallor, bonus.* Tale Florini Sabini judicium est, Opere, quo ante dixi, *Summorum Pontificum Vitas eleganter scripsisse, eoque immortalem sibi gloriam peperisse.* Innotuit igitur imprimis Opere *De Vitis Summorum Pontificum* usque ad Paulum II. Pontificem, a quo (quod Volaterrano præteritum miror) in tetrum carcerem Platina conjectus, & totis quatuor mensibus dire detentus fuit: cum Pomponii Læti, aliorumque eruditorum caussam, qui conjurasse adversus ejus vitam dicebantur, defendendam suscepisset. Jubente isto Pontifice variis affectus est cruciatibus, atrocibusque membrorum omnium luxationibus: qui in tormentis constans, iis tandem forti animo toleratis, de calumnia simul & tyrannide triumphavit. Hæc horrenda sane haud tacet in Vita Pauli II. Summi Pontificis, quem vivis satis depingit coloribus, si tamen hac in parte dignus ille fide censendus est. Opus autem *de Romanis Pontificibus* suum dedicavit Xisto seu Sixto IV. successori, a quo Bibliothecæ Vaticanæ præfectus erat. Ab hoc autem Sixto Pontifice Onuphrius Panvinius Veronensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Historiam Pontificum XIV. usque ad Pium V. Platinæ adjecit. Cum vero Labbeus atque Bellarminus parce admodum de Platina ejusque operibus ac scriptis locuti sint, omnibus ferme prætermissis: exigit nostri Supplementi ratio & institutum, ut omnia hic Bartholomæi

tholomæi Platinæ Opera expendamus, examinemusque.

Omnia illius Opera vel fere Omnia simul collecta in unum, jam sæpius impressa sunt locis variis, sed potissimum Coloniæ anno 1529. in folio, & iterum ibidem anno 1537. apud Eucharium Cervicornum, denique & tertio ibidem anno 1574. apud Martinum Cholinum hoc ordine:

Vita Romanorum seu Summorum Pontificum, quæ primum editæ sunt anno 1481. seorsim in folio Norimbergæ apud Antonium Koberger, atque aliis etiam in locis Germaniæ.

De naturis rerum liber unus.

Epistolarum ad diversos liber I.

De honesta voluptate & valetudine Libri X.

De falso & vero bono Dialogi 3. ad Sixtum IV. Summum Pontificem.

Contra amores Dialogus unus, ad Ludovicum Stellam Mantuanam.

De vera nobilitate Dialogus unus, cum Joanne Ursino Tranensi Episcopo.

De optimo cive Dialogi duo, cum Laurentio Medice & Cosmo.

Panegyricus in Bessarionem Patriarcham Constantinopolitanum, & Archiepiscopum, Cardinalem Nicænum.

Oratio ad Paulum II. Pontificem Maximam, de pace Italiæ componenda, & de bello Turcis inferendo.

Hæc in dictis Operum Bartholomæi Platinæ collectaneis, quæ & Lovanii anno 1572. sic impressa quoque leguntur. Contexuit insuper ille *Historiam rerum Mantuanarum & Gonzagæ familiæ sex libris conscriptam*, ut Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* testatur p. 100. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* p. 169. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 7. p. 588. editionis ultimæ. Illam Joannes Oporinus Basileæ dudum in lucem emittendam promiserat, sed nondum prodiit, licet tamen Manuscripta apud Serenissimum Mantuæ Ducem extare dicatur. Denique *Ejusdem de ratione victus & modo vivendi, seu de tuenda valetudine Libri X.* itemque *De natura rerum & arte coquendi, seu Popinæ scientia Libris X.* impressis Coloniæ anno 1529. in 8. & Basileæ anno 1541. in 4. Mirum autem hunc virum post Vitas Summorum Pontificum eleganter editas, de re culinaria scribere voluisse, id quod epigrammate festivo Actius Sincerus merito irrisit. Porro quemadmodum Bartholomæus Platina opusculum *De optimo cive* conscripserat, quod in Collectaneis operum illius extat, ita & aliud *De Principe bono* postea composuit, quod Francofurti primum anno 1608. in 8. impressum est, tum postea Genuæ 1637. in 12. ut testatur Martinus Lipenius in *Bibliotheca Reali Philosophica* Tomo 2. p. 1251. col. 1. Item ibidem Tomo 1. pag. 603. col. 2. *Baptista Sacchii Cremonensis*, vulgo *Platina* dicti, *Historia Mantua & Serenissima familia Gonzagæ*, quam manuscriptam asservari apud Ducem Mantuanum dicebamus, prodiit studio Petri Lambecii, Cæsareæ Majestatis Bibliothecarii, edita Viennæ in Austria anno 1674. in 4. Hæc me de Scriptis Platinæ docuit Lipenius. Obiit Platina Romæ pestilentia anno 1481. ut idem Bergomas & Maffæus in *Chronicis* testantur. Fuisse tunc sexagenarium præter Volaterranum Leander Albertus etiam tradit loco ante memorato: ubi & eum ab eloquentia & doctrina singulari commendat. Præter veteres mentionem illius faciunt omnes, qui Vitas Romanorum Pontificum recenter scripserunt, Ciaconius, & qui eum auxerunt. Bollandistæ in Chronologia novissima Romanorum Pontificum. Nomenclatores Scriptorum, Conradus Gesnerus in *Bibliotheca universali*, Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Gesneri* pag. 100. Antonius Possevinus & Gerardus Joannes Vossius locis supra allatis.

PHILIPPUS CALLIMACHUS EXPERIENS, natione Italus, ditione Florentinus, eodem tempore quo Platina claruit, cujus & torturæ socius fuit. Meminit illius Raphael Volaterranus Libro 7. *Antropologia*, ubi Callimachum Geminiacensem vocat *Familiarem suum*, [illegible] litteris & ingenii solertia ex paupere divitem factum inquit. Appellat vero *Geminiatensem*, quia ortus *ex Sancto Geminiano*, Hetruriæ oppido, quod Desiderius ultimus in Italia Longobardorum Regum condidisse fertur. Joannes Trithemius uti & Functius & alii, appellant *Florentinum*: quia oppidum id, etsi antea in Senensium potestate fuerit, tunc tamen Florentiæ ditionis erat. Cum vero Ecclesiasticum ordinem Callimachus non amplexus sit, hic inter Ecclesiasticos Scriptores recenseri non debuit: sed quia & in gratiam Ecclesiæ contra Turcas *Orationes varias* habuit, & torturæ atque accusationis Platinæ in Paulum II. consors fuit, ipsum post Platinam proxime adjungere placuit, ut earundem tribulationum socios. In carcerem a Pontifice Romano conjectus est, & tormentis excruciatus variis ob eandem imaginariam conspirationem contra Pauli Papæ II. Vitam: unde solutus liberque sub Sixti IV. Pontificatu factus, concessit in terris, ut cum Poeta dicam, alio sole calentes. In Poloniam etenim Callimachus abiit, ubi a Casimiro Rege præceptor Alberto filio datus, factusque Casimiro ipsi a Secretis, auctor est habitus Moldavicæ cladis, quasi suasisset, ut nobilitas regni, hosti ob contumaciam objiceretur: unde apud Polonos postea pessime audiit. Idem in his terris libellum exaravit, *De his, quæ a Venetis acta sunt, quo Tartaros & Persas contra Turcas concitarent*: quem habes impressum in *Commentariis* seu *Collectaneis rerum Persicarum*, Francofurti in folio anno 1601. editis. Ejusdem *Oratio seu Concilium de bello contra Turcas suscipiendo* cum Vita ipsius, ibidem pag. 371. & sequentibus, *Consilium* autem seu *Oratio*, de 1460

tio, de qua antea p. 402. Scripsit etiam *Historiam de Attila*, quæ Antonii Bonfinii *Historiæ Hungaricæ* adjungi solet, nempe ad calcem p. 853. Est autem impressa Bonfinii *Rerum Hungaricarum Historia*, in folio Francofurti 1601. cum Joannis Sambuci Additionibus & emendationibus, itemque Hanoviæ anno 1606. Item Callimachus conscripsit *Libros tres de rebus ab Uladislao Poloniæ atque Hungariæ Rege gestis*, quos etiam reperies inter Scriptores *de Rebus Hungaricis*, Francofurti in folio anno 1601. collectos p. 292. itemque Augustæ Vindelicorum anno 1519. separatim in 4. Denique ejusdem *De clade Varnensi Libri 2.* Basileæ anno 1556. in Collectaneo quodam Diversorum p. 249. impressi. Opus Callimachi *De rebus Hungaricis ab Uladislao Poloniæ & Hungariæ Rege gestis*, non dubitavit Jovius dicere adeo eleganter atque exacte compositum esse, *ut omnes, qui a Cornelio Tacito per tot secula id scribendi genus attigerint, suo judicio superaverit.* Atque hæc quidem *De rebus Hungaricis* scripsit, munificentia Matthiæ Hunniadis Hungariæ Regis pellectus. Alia quoque quæ ediderit, vide apud Trithemium *De Scriptoribus illustribus* ad annum Christi MCCCCXC. Vitam Callimachi perstrinxit Cromerus Libro XX*X*. *Rerum Polonicarum*, cui magis adhibenda fides, quam Jovio, ut qui multa a vulgo potius haurire, quam gnaros rerum consulere solcat. Sed & vide quæ refert Giraldus *De Poetis sui temporis*: & Joannes Michael Brutus in *Vita Callimachi*, quam *Historiæ ab Uladislao* præmisit. Obiit Cracoviæ anno 1496. quarto Kalendas Novembris, cujus Epitaphium hujusmodi:

Exuvias præter, pellemque atque ossa Latini
Nil hic Callimachi, terra Polona tegit.
Illa Boristhenides rapuere, tenentque camænæ,
Quorum primus amor, gloria prima fuit.
Hoc perfecturus, si copula longa fuisset,
Venissetque suo, justa propago toro,
Sarmatide ex Nympha: ne barbara terra videri
Posset, Romanæ vel minus apta togæ.
Sed mors invidit, qua nil odiosius: atque
Quæ feritas tacito non caret opprobrio.
Æneus est tumulus, mors ænea, & æneus ille,
Qui legit hæc siccis tristia verba oculis.

De illo Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* verbo *Callimachus* pag. 132. & verbo *Philippus Callimachus* p. 690. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. p. 619. editionis ultimæ. Thomas Hydius in *Bibliotheca Bodleiana* seu *Oxoniensi Publica*, littera *Callimachus Philippus* p. 127. qui omnium instar sint.

BONIFACIUS SIMONETA, natione Italus, patria Mediolanensis, gente nobilis, Doctor in Theologia, ac Monasterii Cornu, quod Oppidum est in tractu Placentino, Abbas, Congregationis Cisterciensis seu Ordinis, claruit anno 1460. atque sequentibus. Nepos ille fuit Joannis Simonetæ, qui Francisci Sfortiæ Mediolanensium Ducis Secretarius fuit, cujus *Res gestas Libris XXXI.* elegantissimis conscripsit usque ad annum Christi 1466. excurrentes, editas anno 1478. Mediolanio in folio. atq; iterum ibidem anno 1486. apud Antonium Saratum. Ipse Bonifacius *Joannem Simonetam fuisse suum patruum* testatur in Opere suo Lib. 3. Epistola 16. ad *Joannem Patruum*, idemque Stephanus Dulcinus Canonicus Scalæ in Præfatione ad Joannem Baptistam Ferrum Mediolani Vicarium Archiepiscopalem. Transmisit autem Bonifacius Simoneta, tanquam vir eruditus, *Historiam persecutionum Christianarum & Pontificum Romanorum a Sancto Petro usque ad Innocentium VIII.* qui anno 1484. sedere in Ecclesia Romana cœpit, unde ætatem ejus agnoscas, quam habes impressam Mediolani anno 1492. apud M. Antonium Zaratum Parmenium, ubi jam Opera patrui Joannis Simonetæ impressa fuerant. Hanc *Historiam* non continuo filo tractavit, verum in *Epistolarum sex libros* novo invento discerpsit, multaque iis ad rerum naturam pertinentia admiscuit. Scriptor non exiguæ Lectionis, sed qui quantum videre possum, nihil habeat cæteris indictum, ut carere eo tuto possit Historiæ studiosus. Vixit ad annum 1490. ut argumento est *Epistola prima*, quæ est ad Carolum VIII. Galliarum Regem. De illo agunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* p. 123. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* p. 237. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. p. 616. editionis ultimæ. Carolus Wischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*. Henricus Wharton Supplemento *Historia Litterariæ Guillelmi Cavi* ad annum 1490. p. 179. ubi mendose illum patruum Joannis Simonetæ vocat, cujus nepos erat. 1460

ANONYMUS SCRIPTOR *CHRONICI DUCUM BRABANTIÆ*, quod ab ipsius Gentis initiis, usque ad annum MCCCCLXXXV. prosequitur, seu usque ad mortem Mariæ Burgundicæ, quæ hoc anno contigit. Opus editum ex MS. Codice ab Antonio Matthæo Juris in illustri Academia Lugduno-Batava Antecessore seu Professore, apud Abrahamum van der Myn, Lugduni Batavorum anno 1707. in 4. pag. 224. Juxta autem Matthæum editorem in *Dedicatione*, "Auctor vetus & probus est, Brabantus & Anonymus," nec uspiam nomen prodit, nec alibi, quod," sciam, extat. Magna tamen diligentia, argumentum 1460

„mentum, quod tractat, & historiam Braban„tiæ prosecutus est, usque ad annum „MCCCCLXXXV. quo Maria Burgunda „Maximiliani uxor in fata concessit. Certe & „ipse id significat, cum meminit nuptiarum „Maximiliani cum Maria, & suscepti ex his fi„lii Philippi, ad annum 1478. p. editionis 220. *Item eodem anno*, inquit, *genuit ex ea filium, cui impositum est nomen proavi Philippi, & natus est Brugis XXII. Julii, qui jam dominatur, cui concedat Dominus regere populum suum in pace & concordia, & in omni justitia.* Et hoc unum est argumentum, unde ætatem cognoscas. Aliud non occurrit, excepto, quod meminit etiam Philippi nuptiarum in fine historiæ p. 224. de morte agens Mariæ matris, *quæ*, inquit, *reliquit post se Philippum filium suum &c. qui jam duxit in uxorem Joannam Regis Hispaniæ filiam* &c. Floruit igitur hic post annum 1470. atque fuisse videtur aliquis ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ex his, quæ ad annum 1474. editionis p. 212. Scribit verbis tam splendidis de *Fraternitate Rosarii & Psalterii beatæ Mariæ Virginis*, quam Coloniæ anno 1474. *institutam seu renovatam potius dicit a Venerabili Magistro Jone Sprenger Doctore Sacræ Theologiæ, Priore Coloniensi Ordinis Prædicatorum.* Nam tot laudes congestæ in hanc *Confraternitatem Rosarii & Psalterii B. Mariæ Virginis*, tunc recenter institutam, produnt hominem, qui has precandi formulas per globulos & numeros institutam maximi fecerit & amplexus sit, quam illicita eximie extollit. Attexuit vir eruditus Antonius Matthæus *accessiones Notarum & instrumentorum veterum* paginis, quibus hoc Chronicon illustravit. Stylus hujus Scriptoris simplex, interdum quoque barbarus, Latinæque linguæ puritati non consonans, sed condonandus ætati, qua scribebat. Studuit enim Historiæ veritati & sinceritati magis, quam eloquentiæ. Hic maxime ac singularius prosequitur a pag. 200. Acta *Caroli Burgundiæ Ducis* cognomento *Audacis*, qui ab anno 1467. Belgicis provinciis seu ditionibus imperabat, quo a tempore Scriptor florebat, cujus indolem bellicam ac facta heroica describit, usque ad annum 1485. seu ad mortem Mariæ unicæ ejus filiæ & hæredis, quæ matrimonio cum Maximiliano provincias illas omnes ad stirpem Austriacam transtulit. Non hoc tamen anno 1485. Chronicon contexuit, sed aliquanto postea. Pagina enim 220. meminit Philippi filii Maximiliani ex Maria Burgunda, tanquam qui Belgicis provinciis dominaretur, cui felicitatem precatur. Atque hoc non contigit nisi anno 1493. quando Maximilianus Imperator factus, has ditiones filio Philippo concessit. Item pag. 224. Chronicon concludit fuum in eodem *Philippo filio, Archiduce Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ &c. qui jam duxit in uxorem Joannam Regis Hispaniæ filiam:* quo facto *Chronicon* completur & finem habet. Duxit autem anno 1496. die XXI. Octobris dictam Joannam Reginam Hispaniæ, secundam filiam & hæredem principalem Ferdinandi V. Arragoniæ Regis & Isabellæ Castiliæ Reginæ, atque anno ætatis XXVII. Christi 1506. apud Burgos die XXV. Septembris mortuus fuit. Chronicon igitur istud anno 1496. vel 1497. factum videtur.

JACOBUS SPRENGERUS, natione Ger- 1460
manus, ex Ordine Prædicatorum Fratrum, Theologus eruditus, post annum 1460. celebris erat Coloniæ atque in locis circumjacentibus, unde ob doctrinæ meritum factus fuit Prior Fratrum Prædicatorum Coloniensium. Anonymus Scriptor *Chronici Ducum Brabantiæ*, de quo statim egimus, qui eodem tempore claruit, pag. 212. *Chronici* honorificam illius his verbis mentionem habet.

"Item eo tempore (1474.) quo Dux Bur-„ gundiæ Carolus obsideret *Nussiam*, instituta,„ seu potius renovata est *Colonia* illa beata fra-„ ternitas Rosarii & Psalterii beatæ Mariæ Vir-„ ginis, a venerabili viro Magistro *Jacobo Spren-„ gero*, Doctore Sacræ Theologiæ, Priore Co-„ loniensi Ordinis Prædicatorum, & a prædi-„ cto Legato Alexandro Episcopo Fortliviensi,„ & postea a Papa Sixto IV. multis indulgentiis,„ additis confirmata. Isti fraternitati se fecit,„ adscribi Imperator cum multis nobilibus, &,„ deinde dilata est a Spiritu Sancto per *Alamani-„ am, Franciam, Angliam*, & per multas ter-„ ras & provincias. Et quilibet potest hanc,„ fraternitatem acceptare solo Deo præsente ac,„ teste, & etiam sine inscriptione in libro legen-„ do quotidie, eundo, stando, & genicuban-„ do unum *Rosarium* & quinque *Pater noster*, &,„ post decem *Ave Maria.* Aut legere debet,„ singulis septimanis *unum Psalterium* beatæ Ma-„ riæ Virginis, id est, tria *Rosaria* modo supra,„ dicto, scilicet IV. *Pater noster* & L. *Ave Ma-„ ria.* Etsi contingit, aliquem non tantum lege-„ re, ut dictum est, non tamen peccat; sed so-„ lum privatur participatione aliorum Fratrum,„ ac Sororum, qui illo tempore legunt, ut su-„ pra ordinatum est.„ Hanc itaque *Fraternitatem Rosarii* instituit anno 1474. Coloniæ Jacobus Sprengerus, Doctor Theologiæ ac Prior Fratrum Prædicatorum Coloniensium. Factus etiam postea ab eodem Sixto IV. Romano Pontifice *Inquisitor hæreticæ pravitatis ac superstitionis maleficiorum* in partibus Rheni inferioris, quo in munere contra plurimos viros innocentes informationibus suis desæviisse scribitur; illos præsertim, qui Pontificiis indulgentiis adversabantur, atque aliis Romanæ Ecclesiæ adinventionibus novis, ad pecunias emungendas a plebe indocta repertis. In hoc officio constitutus scripsit opus prolixum, quod *Malleum Maleficarum* inscripsit, in quo fabulas multas & nugas fide indignas de *Maleficiis & præstigiis* enarrat, unde simplicitatem suam ostendit apud viros graves. Editum Lugduni in Gallia anno 1620. in 8. Item *Joannis Sprengeri*

geri Practica procedendi contra hereticos, edita ibidem cum *Malleo Maleficarum*. Item *De Maleficiis atque prastigiis ex formicario Joannis Nider per Joannem Sprengerum*, cum eodem *Malleo Maleficarum* p. 469. Lugduni 1620. in 8. Porro *Myrmecia bonorum* seu *Formicarium ad exemplum Sapientiæ a formicis acceptum*, Joannis Nideri, editum Duaci anno 1612. in 8. Joannes Wolfius Tomo 1. *Rerum Memorabilium*, Centenario XV. ad annum 1494. pag. mihi 930. editionis Lavinganæ anni 1600. 2. tomis in folio, Symbolum ex Opere Scriptoris hujus adhuc anno 1494. superstitis refert his verbis: *Malleus Veneficarum seu Maleficarum quæst. 7. Novimus vetulam tres successive Abbates, ut publica omnium fratrum fama, in illo Monasterio etiam in hodiernum diem refert, non solum maleficiasse, sed & interemisse, & quartum jam simili modo dementasse: quod ipsa publica voce fatetur, nec veretur dicere* feci & facio, *nec desistere a meo amore poterunt: quia tantum de meis stercoribus comederant, quantitatem per extensum brachium demonstrando. Quod autem nobis deerat ulciscendi & inquirendi super eam facultas, ideo adhuc superest.* Ecce ingenuam prorsus Sprengeri confessionem, cui nihil addi possit. Memini me ista in hoc Opere legisse ac risisse, dum adhuc juvenis & imberbis eram.

1460 ANONYMUS SCRIPTOR MAGNI CHRONICI BELGICI, Canonicus Regularis Ordinis Divi Augustini prope Nussiam in Ducatu Cliviensi, claruit post annum 1460. temporibus Friderici III. Imperatoris, sub cujus Imperio composuit *Magnum Chronicon Belgicum*, quod ab anno Christi LIV. incipiens, in obsidione Nussiensi definit, in qua Scriptor erat, dum obsideretur, quæ anno 1474. contigit. Illud opus ex diversis Scriptoribus collegit, quos passim antiquiores allegat: quem eo tempore vixisse, quo Chronicon concludit, ex postremis istis illius verbis constat: *Et tanto bombardarum fragore aer personuit, quod vix etiam obturatis auribus tolerare potui.* Ita ille pag. 420. qui paullo ante inquit: *Tandem adversariorum nimia multitudine Nussienses obruebantur, ad jussionem suorum capitaneorum intra Urbem se receperunt, quos propriis oculis tanquam carnificis ex macello cruentis manibus in adversariorum sanguine intrare conspexi, nec aliquem captivum viventem secum introduxerunt: quia assidue clamabant, neminem Nussiensium se velle capere, sed omnes mares universaliter diversis mortibus interimere.* Idem pag. 413. de Fratrum Ecclesiæ suæ dispersione, quæ ob Nussiensem illam obsidionem facta est, loquitur: seque unum fuisse ex iis, qui ex Monasterio ad urbem Nussiam missi fuerant, antequam obsideretur. *Omnia enim victualia Monasterii in vino & bladis, in carnibus & butyro, ac caseis & animalibus, tantam introduximus copiam, ut nobis ad triennium abundanter sufficeisset. Sed Procurator tunc pro tempore intraneus existens civitatis, & nimium partialis, magnam victualium partem distribuit pro Stipendiariis alendis, ita, ut cum cæteris postea necesse manducare haberimus carnes caballinas. Insuper pondus innumerabile plumbi de tectis Monasterii ad globos bombardorum fundendos civitati tradidit, magna cum numerosa multitudine asserum, idem ex Monasterio ad civitatis munimenta perficienda devexit.* Meminit hujus Scriptoris Joannes Pistorius, qui illum edendum curavit inter *Historicos de rebus Germanicis* Francofurti anno 1607. & 1613. apud Aubrios fratres in folio Tomo 1. a pag. 1. ad 420. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. mihi 569.

JOANNES GILEMANNUS, Canonicus Regularis Divi Augustini Congregationis Winpesimensis & Supprior in Rubravalla prope Bruxellas, vir religiosæ vitæ ac multæ lectionis, *Vitas Sanctorum* collegit plurimas, manuque propria descripsit, ex quibus *Hagiologium Brabantinorum*, sive *De Sanctis Brabantiæ* tomis 3. Itemque *Novale Sanctorum* Tomis 2. denique *Sanctilogium* Tomis 4. quæ omnia in dicto Cœnobio MSS. extant. Claruit anno 1460. & sequentibus, mortuus autem anno 1487. inter pios & sanctos illos conatus, maximo cum Ecclesiæ suæ luctu. De illo Joannes Bolandus Soc. Jesu in Præfatione Generali ad *Vitas Sanctorum* ad Abbatem Lætiensem Januario mensi præmissa, cap. 4. §. 9. *De Martyrologiis recentiorum* pag. 52 col. 2. his verbis: "Usus sum plurimum ut & Rosweidus in fastis suis concinnandis *Florario Sanctorum* seu, *Promptuario*, quod manu Henrici de Eych, Canonici Ecclesiæ beatæ Mariæ Endoviæ in Brabantia scriptum, postea Lovaniensi Collegio Societatis Jesu donatum, nunc nostrum est. Illius auctorem suspicor, at non firmissime, Antonium Gentium aut Joannem Gilamannum fuisse, aliumve eorum, Regularem Canonicum. Reperi illud citatum in Codice quodam Monasterii Corsendoneani, qui circiter annum 1490. erat scriptus." Hujus mentionem faciunt Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* p. 430. atque Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 506. editionis 1643. Lovanii in 4. 1460

PETRUS A RIVO, natione Flander, patria Alostensis vel ex agro Alostensi, Lovanii ab a0. 1460. floruit, ubi Rhetoricam docuit primum, deinde S. Theologiæ Doctor & Professor in Universitate eadem & Pastor ad Divum Petrum, clarus & hoc tempore illuxit. Extat illius *Monotessaron*, seu *Concordia Evangelica* MS. Lovanii apud Patres Societatis Jesu. *Oratio anno Domini 1477. ab eodem tunc Rectore Universitatis, ejusdem nomine habita in adventu Maximiliani Archiducis*, legitur MS. Lovanii apud Sanctum Martinum, & Tornaci in Bibliotheca Ecclesiæ Tornacensis. Dedit præterea *De anno, die & feria Dominicæ passionis & resurrectionis Libros III.* quibus Pauli Middelburgensis *Apologiæ* 1460

Apologiæ modeste respondet, quam ille ad Universitatem Lovaniensem miserat; editos illos anno 1492. in folio Lovanii, typis Joannis de Westphalia. Denique *Dialogum, quomodo omnia in meliorem partem semper interpretanda sint, Homine & ratione interlocutoribus*, editum Leidæ apud Joannem Severinum anno 1509. in 4. Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Petrus a Rivo* p. 758. editionis 1643. Lovanii in 4.

1460 PAULUS ATAVANTIUS, Florentinus, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ: ab anno 1460. claruit, atque inter cætera contexuit Opus per formam Dialogi *De Origine Ordinis Servorum Beatæ Mariæ*, atque illud Petro Medici, Cosmæ filio nuncupavit, cujus extat Archetypon MS. in Medicæa Florentina Bibliotheca, ut ex ejus Catalogo MSS. Codicum constat, quem anno 1641. Amstelodami Henricus Ernstius edendum curavit. Consignavit etiam *Vitam B. Francisci Senensis Ordinis Servorum*, itemque *Librum de laudibus Philippi Florentini, Ordinis Servorum instauratoris*. Decessit anno ætatis suæ 80. qui Christi 1499. extitit. Multo plura Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* his verbis ipsi adscribit: "Paulus Atavantinus Florentinus, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, scripsit in *12. Prophetas minores & in Apocalypsim*, deinde *Quadragesimale* Mediolani primo excusum anno 1479. quod inscripsit *Thesaurum concionatorum*, eruditione, rationibus & authoritatibus abundantem. Incipit, *Vercor jam in dimidio dierum meorum* &c. Inscribitur juxta Cornelium a Beughem *De incunabulis typographiæ* p. 106. *Quadragesimale de reditu peccatoris ad Deum*. Pergit Possevinus, scripsit etiam *Quadragesimale alterum*, quod prænotavit *Paulinum*. Præterea *Sermones de Sanctis*, *Dialogum de origine Ordinis Servorum ad Petrum Cosmiæ filium*, cujus in bibliotheca Medicæa archetypon asservatur. Incipit, *Efflagitasti a me sæpenumero* &c. *Vitam beati Francisci Senensis itidem Ordinis Servorum, itemque Librum de Vita B. Joachimi Ordinis Servorum*, *Alterum de laudibus Philippi Florentini, Ordinis Servorum instauratoris. Expositionem in Orationem Dominicam*, ad Mediolanensium Ducissam. *Commentaria super septem Psalmos Pœnitentiales, cum declaratione Litaniarum & Collectarum. Breviarium totius Canonici juris*." Hæc ex Antonio Possevino Tomo 2. *Apparatus sacri* verbo *Paulus Atavantius*, de quo pariter Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. p. mihi 620. editionis ultimæ anni 1651. in 4. Ex enarratis autem omnibus Martinus Lipenius in *Bibliotheca Reali Theologica*, Tomo 2. p. 562. colum. 1. profert, *Pauli Atavantii seu Altavantii Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Commentarium in Prophetas Minores*, editum annis 1583. & 1588. Ibidem p. 610. col. 2. *Commentarium ejusdem in Psalmos Pœnitentiales*, cujus locum editionis non exprimit, sed Mediolani cum Commentario præcedenti editum fuisse arbitror.

DOMINICUS DE FLANDRIA, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ita cognominatus, quod ex hac regione originem duceret, Artium & Sacræ Theologiæ Professor in Ordine suo, claruit ab anno 1460, ad 1470. atque sequentes, ob Scholæ Aristotelicæ ac Thomisticæ cavillationes & argutias non incelebris. Scripsit *Quæstiones in 12. Libros Metaphysicos Aristotelis*, Venetiis anno 1490. editas in folio. Item *Quæstiones XX. in Commentarios Sancti Thomæ Aquinatis*, super libris duobus posteriorum Analyticorum Aristotelis, & *Quæstiones XIV. in opus fallaciarum* ejusdem Thomæ Aquinatis, quas dedicavit Ambrosio de Alemannia, ejusdem Ordinis sui viro, in Philosophicis erudito, quæ excusæ sunt cum ipsius Thomæ Commentariis in Libros Aristotelis, & in Librum *de Enuntiatione* ejusdem, Venetiis anno 1490. in folio. Mortuus scribitur sub Innocentio VIII. hoc est, ante annum 1491. Mentionem faciunt hujus Scriptoris Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Dominicus de Flandria* p. 222, editionis anno 1628. Antwerpiæ in folio. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* ibidem p. 193. editionis Lovaniensis 1643. in 4. Thomas Hydius in Catalogo librorum impressorum *Bibliothecæ Bodleianæ, seu Publicæ Oxoniensis*, verbo *Flandria*, editionis 1474. Oxonii in folio. Cornelius a Beughem Embriecensis, in Opusculo *De incunabulis Typographiæ*, littera F. p. 61. editionis Amstelodamensis 1688. in 12. apud Joannem Wolters. 1460

JOANNES THUROCZIUS, sive DE THUROCZ, Pannonius anno 1464. claruit, quem Cuspinianus se esse secutum in Imperatoribus profitetur, nomenque ac famam sibi comparasse *Chronico rerum Hungaricarum*, quod Matthiæ Corvino Hungariæ & Bohemiæ Regi dicatum ab illo est. Scripsit autem ab ortu gentis ac Attila Rege, & perducit usque ad annum MCCCXLII. quo in Caroli Regis locum Ludovicus successit. Hinc sequitur Joannes Archidiaconus de Kikullow, in Ecclesia Transsylvana Vicarius Generalis in Spiritualibus Strigoniensis Archiepiscopi, qui res Ludovici Regis usque ad obitum ejus in annum Christi MCCCLXXXII. incidentem, scriptis mandavit. Fuerat autem Ludovici Regis Notarius a Secretis, seu amanuensis, unde domesticas res ejus ac publicas maxime habere potuit exploratas. Post hanc partem Joannis de Kikullow, quam integram Historiæ suæ Joannes Thuroczius ad verbum inseruit, idem Thuroczius agit de miserabili casu Caroli cognomento Parvi, qui post Ludovicum imperavit: atque inde usque ad coronationem Matthiæ Corvini, quæ in annum MCCCCLXIV. incidit, narrationem suam extendit 1460

extendit ac finit. Extat Chronicon istud editum Augustæ Vindelicorum anno 1488. in folio. Meminit Joannis Thuroczii Joannes Trithemius in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* quem male ad annum 1494. assignat. Gerardus Johannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 6. pag. mihi 572. editionis ultimæ Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ*, pag. 136.

1460 JOANNES FRANCISCUS DE PAVINIS, natione Italus, patria Patavinus, ob scientiam juris Canonici ac Theologiæ, clarus anno 1460. & sequentibus extitit, sub Pontificatu Pauli II. & Sixti IV. Romanorum Pontificum, ac forsitan etiam sub sequentibus. Extat autem Francisci de Pavinis *Relatio ad Pontificem Maximum Sixtum IV. de canonizatione divi Bonaventuræ Balncoregiensis*, quo relatus est, in *Sanctorum numerum* a Sixto IV. anno 1482. & a Sixto V. ambobus Franciscanis, Ordinem suum quomodo possent illustrantibus anno 1587. die 14. Martii in *maximos Ecclesiæ Doctores* connumeratus. Hæc quoque *Relatio prolixa Joannis Francisci de Pavinis* inter divinos & humanos Jurisconsultos ultimi, ad Sixtum IV. Romanum Pontificem, concludens ad Canonizationem Sancti Bonaventuræ Cardinalis, extat post Opera S. Bonaventuræ, edita VII. Voluminibus in folio, Moguntiæ anno 1609. apud Antonium Hierat, ad calcem septimi Opusculorum voluminis, a p. 802. ad 820. Cujus operis meminit Cæsar Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum* ad diem 14. Julii mensis, & Petrus Galenisius in Prologo ad Vitam Sancti Bonaventuræ Cardinalis, quam ex variis auctoribus concinnatam Sixto V. Pontifici Romano obtulit, quamque editioni suæ Operum S. Bonaventuræ præmisit Antonius Hieratus, ubi Joannem Franciscum de Pavinis seu Pavinium, *divinarum atque humanarum rerum scientia apprime eruditum*, Galesinius appellat. Idem edidit *Opusculum seu Glossam* ad Extravagantem Joannis XXII. Pontificis Maximi, *de officio & potestate Capituli, Sede vacante*, Venetiis 1496. in 4. editum, Parisiis 1512. & Venetiis anno 1584. inter Tractatus Juris, Georgii XIII. jussu collectos in folio, Tomo XIII. parte 2. fol. 407. Idem quoque edidit *Baculum Pastoralem* seu *Tractatum de visitationibus Episcoporum*, impressum Parisiis anno 1514. in 4. atque hinc conjectum in *Collectaneum Tractatuum Juris*, editum Venetiis anno 1584. in folio, Tomo XIV. pag. seu col. 178. Idem author est, qui Gerardo Joannis Vossio *Franciscus Patavinus* dicitur & advocatus Consistorialis, atque anno 1484. XII Kalendas Decembris, Romæ in publico Consistorio, non tantum Innocentio VIII. præsente, sed etiam Friderico tertio Imperatore, orationem habuit *historicam de Vita & moribus sancti Leopoldi Austriæ Marchionis & Confessoris*, quæ in Italia seorsim, nimirum Florentiæ anno 1579 in 4. prodiit, & apud Surium legitur Tomo V. *de Vitis Sanctorum*, ad diem 15. Novembris Mentionem hujus scriptoris faciunt, Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Franciscus Pavinus*, & verbo *Joannes Franciscus Pavinus*. Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. mihi 612. editionis ultimæ. Thomas Hydius in Catalogo librorum impressorum *Bibliothecæ Oxoniensis publicæ*, verbo *de Pavinis*. Martinus Lipenius in *Bibliotheca reali Juridica* pagg. 34. 361. & 401. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* p. 124.

OCTAVIANUS DE MARTINIS SUESSANUS, claruit post annum 1460. Jurisprudentia celeberrimus, neque eloquentia, Ilmaroque dicendi genere inferior, Sacri Palatii Apostolici advocatus consistorialis, qui cum ætate Sixti IV. Romani Pontificis, de Sancto Bonaventura in album Sanctorum referendo ageretur, scripsit ac pronunriavit coram eodem Pontifice & Consistorio Cardinalium *Orationem in Vitam & merita S. Bonaventuræ Cardinalis* anno 1482. incipientem *Justitia Suffragiorum* &c. quæ extat apud Laurentium Surium *de Vitis Sanctorum* ad diem 14. Julii, atque etiam post Opuscula divi Bonaventuræ edita Moguntias in fol. anno 1609. apud Antonium Hierat, ad calcem Tomi VII. a pag. 798. ad 802. Meminit Scriptoris hujus, Petrus Galesinius in Prologo ad *Vitam divi Bonaventuræ Cardinalis & Episcopi Albanensis*, quem *Jurisconsultum clarissimum* vocat. Gerardus Joannes Vossius libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. p. 607. ultimæ editionis. 1460

ÆGIDIUS DE ROYA, Gallus, S. Theologiæ Parisiis Professor, & Abbas B. Mariæ de Regalimonte, Cisterciensis Ordinis, in Francia claruit, qui postquam Monasterium illud sex annis rexisset, præfectura abjecta, anno 1460. Dunas in Flandriam profectus est, ubi sub Abbate Dunensi Joanne, volumina Brandonis Historici legit, de quibus a nobis supra dictum est, quibus adjutus *Annales Belgicos* continuavit, qui ab anno Christi DCCXCII. auspicantes, in an. M CCCC LXXX. vel MCCCCLXXVIII quo & Egidius obiisse dicitur, desinunt. Hos in Dunensi Flandriæ Abbatia Andreas Scottus primus eruit, Franciscus Sweertius Antwerpianus publici juris fecit, anno 1620. Francofurti in folio, quos Joanni Gerbrando de Leydis, cum Anonymo Egmundano atque Reyneto Snoyo subjunxit. Cæterum hisce Annalibus duo præstitit Egidius, nam & Brandonem in compendium redegit, & inde, ubi Brando defierat, exorsus, cætera nempe annos LXV. sequentes persecutus est. Desierat autem Brando anno M CCCC XIV. licet usque ad annum M CCCC XXVIII. superstes fuerit. Sed non videtur in extrema ætate, Historico labori fuisse idoneus, quippe qui jam an. MCCCCLX clari fuisse nominis dicatur. Sanderus ait Egidium addidisse Brandoni *Historiam annorum* 1460

unde-

undeviginti, nec dubium, quin tempora designet ab anno M CCCC LX. quo Dunas venit, usque ad annum M CCCC LXXVIII. quo fatis concessit. Verum intermedios etiam annos LXV. descripsisse, ex ejus Historia satis apparet. Et Adrianus Dunensis, qui ejus discipulus fuit, in Præfatione sua Egidio præmissa, clare ait, *eum tempora, ubi Brando finem fecit, prosequutum fuisse*. Sed non satis capio, quod idem Adrianus testatur, *Magistrum suum obiisse anno M CCCC LXXVIII*, cum Egidius etiam narret historiam totius anni sequentis: quare pauca aliqua Egidio esse adjecta ab alio, omnino putem. Ita Gerardus Joannes Vossius libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. 606. editionis ultimæ.

1460 BUSSO WATENSTEDIUS, Mindensis fuit, Pistoris filius, quam conjecturam mihi facit Henricus Swartius, Canonicus noster Homalensis ad Visurgim in *Carmine suo Mindani*. Hic scripsit *Chronicon Episcoporum Mindensium*, quod ex MSS. Codice anno 1698. a Christiano Francisco Paullini editum fuit in 4. in opere, quod inscripsit *Christiani Francisci Paullini rerum & antiquitatum Germanicarum Syntagma, varios Annales Chronica & Dissertationes complectens*, Francofurti 1698. 2. tomis in 4to. Veneunt equidem Chronica duo *Mindensium* alterum Auctoris incerti, res Ecclesiæ gestas ab anno 780. usque ad 974. complectens ab Henrico Meibomio Seniore Academiæ Juliæ Historico diligentissimo editum Tomo 1. *Rerum Germanicarum* a Nepote ejus editarum anno 1688. in fol. Alterum idque brevius Anonymi editum a Joanne Pistorio Niddano, Ecclesiæ Uratislaviensis Præposito, annexis in fine triginta Privilegiis imperialibus. Non ibimus inficias, hoc vel illud, vel utrumque, in membranis suis excussisse *Bussonem*. Certe diplomata a Pistorio divulgata eum inspexisse, varia indicant loca, ut ipse fatetur in Carmine suo ad Mindam. Si hoc Opusculum Wadenstedii cum reliquis contuleris, distinctius & accuratius scripsisse illum, fatearis oportet. Inscribitur in editis.

Bussonis Watenstedii Canonici Hamelensis Chronicon Mindense, e tenebris Sordibusque suis erutum, notisque illustratum, annexis Wedechindi Duldorps, Vicarii, in eosdem Præsules Poëmatibus, & Alberti Fryschmeds de Polle in effigies eorum Distichis. Editum a Christiano Francisco Paullini anno M DC XCVIII. Scripsit sub *Wullebrando Hallermundano*, Præsule XLIX. quem *Summum benefactorem suum* vocat pag. 42. qui morbo repentino, apoplexia in Chronico Meibomii Mindensi mortuus dicitur, ac rexisse Mindensem Ecclesiam annis 30. mensibus 2. seu 3. atque adeo obiisse anno 1437. juxta Chronicon Pistorii Mindense legitur. Hinc autem anno circiter 1460. Chronicon istud a Bussone conscriptum fuisse colligas. Excessit etiam sub *Alberto Hojano*, cujus postremus vitæ annus, secundum Chronicon Mindense Meibomii fuit M CCCC LXXIV. Cæterum *Duldorpium*, qui an Hamelæ seu Mindæ Vicarius fuerit, nescio: & *Fryschmedium* Pollensem, quod oppidum cum Præfectura ad Wisurgim, Brunsvicensi Electori subjectum est, coætaneos & familiares Bussoni fuisse, qui uno eodemque tempore res Mindenses descripserunt & illustrarunt. Hæc verbotenus editor Christianus Paullini, in Præludiis *Chronici* quod excurrit a p. 1. ad 68.

JULIANUS MACHO, natione Gallus at- 1640
que Ordinem fratrum Eremitarum divi Augustini professus, ab anno 1460. atque deinceps, inter suos clarus hac tempestate extitit. Circa annum 1470. *Novum Testamentum* Gallice *ex versione Guiarti des Moulins*, recognitum & emendatum, evulgatur studio ipsius Juliani Macho & Petri Farget, quod in fol. anno licet non expresso, Lugduni apud Bartholomæum Buyer prodiit. At annus 1470. conjici potest ex rudi & impolito charactere, eodem prorsus, quo alterum Gulielmi opus ejusdem Authoris anno 1477. inscriptum & impressum hoc titulo fuit: *La Legende des Nouveaux Saints reveüe & corrigée par Frere Julien de l'Ordre de Saint Augustin, imprimé par BartholomienBuyer a Lion l'an. 1477.* Opus eadem quoque qua præcedens, forma excusum est. Ita Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis, in *Bibliotheca Sacra* Tomo seu parte 2. Capite 5. Sectione 2. p. 64. editionis Lipsiensis anno 1709. in 8. apud Gleditschium & Weidmannum Opus non majoris meriti, quam *Legenda aurea Jacobi de Varagine*, vel *Catalogus Sanctorum Petri de Natalibus*, Gallis tunc barbarie & ignorantia maxima laborantibus.

ANTONIUS SCHNACKENBURGIUS, 1480
nobilis cœnobita illustris Corbejæ Saxonicæ ad Visurgim, ut haud obscure colligo, ex illius narratiuncula in *Chronico Corbejensi* ad annum 1464. ipsissimus est scriptor *Annalium Corbejæ Saxonicæ* quos ab anno DCCC XV. ad annum M CCCC LXXI. edendos curavit Christianus Franciscus Paullini anno 1698. Francofurti, in *Syntagmate rerum & antiquitatum Germanicarum* a pag. 369. ad 410. Natus est anno 1437. in festo S. Antonii Eremitæ, unde parentes, boni ominis ergo *Antonium* nominare voluerunt, ut habet in Annalibus dictis 1437. Litteris primum imbutus est in celebri Monasterio Iburgensi ad annum 1447. Diœcesii Osnabrugensis. Hinc anno ætatis suæ decimo sexto ad Avunculum suum, qui Canonicus erat Majoris Ecclesiæ Monasteriensis in Westfalia missus, a quo fideliter se educatum prædicat ad annum 1453. Anno demum ætatis vigesimo sexto, cum Subdiaconatus ordine, celeberrimum Monasterium *Corbejense* ingressus, sub *Hermanno* hujus nominis secundo, ex Gente *Stockhusiana*, qui ex cœnobio *Helmwartershusiano*

postulatus erat Abbas numero XLVIII. ut habet ad annum 1463. Anno 1471. ob disciplinam *Corbejæ* nimium solutam & rem domi valde angustam, perrexit ad illustrissimi nominis potentissimum Monasterium *Hersfeldensi*, cum Licentia Prælati sui *Hermanni Bomelburgii*, ubi Magister Novitiorum factus est, ut in Annalibus iisdem scribit. Conscribere incipit hosce *Annales* anno M CCCC LXIV, opitulante Hermanno Prælato, quem ut *placidum & doctum* anno citato commendat. Fidem & industriam ejus quisque sincerus probabit. Orthographiam non ubique eandem servat, promiscue enim scribit *Luitholph & Luitholf*, *Pathelbrun & Patherbrun*, *Heweld & Hersvelt: Thiadmar & Diatmar: Hamborg & Hamborch &c.* quæ minuta vera cum Prætore parum curamus. Tandem in Cænobio *Hersfeldensi*, anno M CCCC LXXXVI. ipso festo Sancti Benedicti decessit. Hæc de Vita Antonii Schnakenburgii *Annalium Corbejensium Scriptoris* Christianus Paullini in Præludiis illorum, quæ ad verbum descripsimus, quamvis Annales ejusmodi *Anonymos* inscripserit. Composuit illos itaque ab anno M CCCC LXIV. usque ad annum M CCCC LXXI. per octennium.

1460 JOANNES DE ISENACH, Decanus olim Ecclesiæ Cathedralis Naumburgensis circa annum M CCCC LXVI. scripsit *Acta & facta Præsulum Numburgensium* breviter notata ab anno Domini DCCCC LXVIII. ad annum M CCCC LXVI. quæ ex MSS. Codice edenda curavit Christianus Franciscus Paullini in suo Syntagmate *rerum & antiquitatum Germanicarum* a pag. 129. ad pag. 145. editionis Francofurtanæ anno 1698. in 4to. Juxta autem præfationem ad Lectorem, *Actorum* istorum authorem Paullinus habet Joannem de Isenach, cujus mentio fit in *Chronico Portensi*, quod M. *Justinus Pertuchius*, ejusdem Monasterii Rector, distinctum libris duobus, anno M DC XII nobis dedit, nempe lib. 1. cap. 3. p. 147. Ubi anno M CCCC LII. una cum *Joanne Magdeburgo* Præposito, *Edero Rogehusio* Seniore, & toto Capitulo *Numburgensi*, pactum quoddam confirmavit inter *Joannem* hujus nominis secundum ac Abbatem decimum septimum, & *Henricum Mangoldum*, Canonicum & obedientiarium (ut vocant) Sancti Kiliani. Aliquando simpliciter nominari voluit *Joannes Isenach*, aliquando *de Isenach* & *Joannes Isenachensis*. Vixit sub *Petro Hangwitzio*, Episcopo Naumburgensi XXXIII. qui ab anno M CCCC XXXV. in annum M CCCC LXIII. sedit, & Successoribus hujus, *Georgio Haugwitzio* & *Theodorico* hujus nominis III. ex nobili *Burgsdorfiana* familia genito. Mortuus autem est circa annum M CCCC LXVII. in festo Sancti Thomæ sub *Henrico II.* Opus porro Joannis de Isenach procedit tantum a pag. 129. ad pag. 145. ab anno DCCCC LXVIII. ad an. M CCCC LXVI. Quod vero sequitur a p. 145. ad 152. seu ab anno M CCCC LXVI. usque ad annum M CCCC XCII. est *Appendix* ad dictam Chronologiam, quam adjecit Joanni nostro de Isenach, *Caspar Holzapfel* ejus Domesticus & amanuensis, patria *Wangenhemensis*, qui post mortem Domini, *Chronicon* possidens, illud continuavit, usque ad annum M CCCC XCVI. ad quem usque superstes fuit, factus etiam *Scholasticus* postea in Collegio B. Virginis Isenacensis. Hæc ex Præludiis Christiani Francisci Paullini ad hanc Historiam.

JOANNES GERBRANDUS DE LEIDIS, 1460 Ordinis fratrum Carmelitarum in Harlemensi conventu, atque hujus Cænobii primum superior, tum postea Prior, claruit ob doctrinam ac in Historiis studium ab anno circiter 1460. quo scripsit *Chronicon Hollandici* sive *Historiam Hollandensium primam*, cujus expressam mentionem facit in Præfatione ad secundum *Chronicon Episcoporum Ultrajectensium & Comitum Hollandiæ*, quod iterato labore anno 1469. vel sequenti scribere aggressus est, ut ipse hujus Operis principio inquit. *Quemadmodum*, ait, *ego Frater Joannes Leydensis Ordinis Carmelitarum ex Harlem, dixi declaravique, in Chronicis Hollandiæ per me compositis, in secunda divisione per totum.* Ediderat ergo primo omnium *Chronicon Hollandiæ*, ut ipse in Præfatione secundi laboris ingenue testatur, dum illud istis verbis revocat: *Sicque præsens opus revocat de facto & destruit Hollandensium Historias nomine meo alias intitulatas, quorum primi libri initium habet, In principio sive exordio hujus primi libri, duo possunt quæri &c. Non enim nego istas Historias per me esse compositas, sed quia postea melius veritatem in dubiis reperi, & meliorem modum excogitavi, multoque plures historias inveni, ideo præsens novum opus inchoavi.* Iterata ergo susceptio. *Historiæ Episcoporum Ultrajectensium & Hollandiæ Comitum*, quam aggressus scribere est Joannes Gerbrandus a Leidis, occasionem dubio procul dedit, excisioni atque etiam suppressioni primi ipsius moliminis. Ita quidem ego ex conjecturis opinatus eram, quando fortuito incidens in Catalogos anno 1698. 2. in folio voluminibus impresso Oxonii e theatro Sheldoniano *omnium Angliæ MSS. Codicum*, occurri in hoc Opus, quod deperditum arbitrabar, Gerbrandi de Leydis. Extat vero in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii, littera E. Codice 6. num. 2. hoc titulo, *Chronicon Hollandensium libri decem, a prima Gentis origine, ad annum 1470.* Præmittuntur Prologi tres, super hisce Hollandrinorum Chronicis. 1. cujusdam devoti, 2. Joannis Beeck, 3. Fratris Johannis Geerbrandi de Leydis, Ordinis Fratrum de Monte Carmeli. Extat igitur adhuc primum Opus Gerbrandi, MS in Bibliotheca præfata. Secundum opus anno 1467. vel 1470. incoepit, inscriptum *Chronicon Episcoporum Ultrajectensium & Comitum Hollandiæ*, atque anno 1480. idem perfecit, ut testari videtur,

videtur, *dum se huic labori per decennium incubuisse* fcribit. De illo Theodorus Schrevelius *Rerum Harlemensium* lib. 6. p. 251. his verbis. Proximus Carmelita Joannes Gerbrandus a Leidis, qui author eft *Chronicorum Hollandia*, quæ Latine fcripfit, quibus adfperfi nonnunquam facetias & fabulas Monachales, & miracula quædam nugatoria. Collegit idem ex diverfarum (ut ait) hiftoriographorum Scriptis hoc *Chronicon Episcoporum Ultrajectenfium & Comitum Hollandia* a Sancti Willibrordi temporibus ad annum 1480. in quo opere decennium & amplius laboraffe dicit. Scripfit item præterea *Hiftoriam fui Ordinis Libri X. Item, Collationes Sanctorum, de feftis Deipara & de doloribus ejusdem. Sermones de tempore & de Sanctis, aliaque.* Obiit Harlemi anno 1504. Recte Schrevelius diftinguit inter Gerbrandi *Chronicon Hollandia primum* & ejusdem *Chronicon Episcoporum Ultrajectenfium & Comitum Hollandiæ*, quod iterato labore anno 1467. vel 1470. incœpit. Errat tamen dum fcribit, hoc Chronicon ultimum usque ad annum 1480. protendiffe, quod ultra annum 1417. non extenditur. Perfecit equidem hoc Chronicon Libris XXXII. poft annum 1480. ut liquet ex libro 32. cap. 28. Illud tamen definit in morte Guillelmi Comitis Palatini & Bavariæ Ducis, hoc nomine VI. Hollandiæ Comitis, qui anno 1417. die ultima Maji mortuus fcribitur libro 32. cap. 27. quo in anno Chronicon terminatur. De illo ampliffime omnium Antonius Matthæus in Præfatione ad *Annales Regalium Abbatum Egmundenfium*, quos Lugduni Batavorum imprimendos anno 1692. in 4to. procuravit, ad quem Lectorem remittimus. Qui tamen inconftantiæ arguitur, dum in infcriptione hos Annales præcedente, *Joannem a Leidis Carmelitam* & merito, in infcriptione autem Præfationem præcedente, illum *Ordinis Prædicatorum* falfo appellat. Quantum ad *Hiftoriam fui Ordinis* libris X. quam Gerbrandus de Leidis fcripfiffe dicitur, opinor illi attributum fuiffe, quod pertinet ad Philippum Ribotum natione Hifpanum, patria Catalarum, qui *Speculum Carmelitarum libris X.* fcripfit feu *de inftitutione, progreffu, privilegiis & rebus geftis fui Ordinis*, quod Venetiis anno 1507. in folio, & Antwerpiæ anno 1680. in fol. prodiit. Claruit autem aliis temporibus, quam Joannes Gerbrandus de Leidis, anno nempe 1368. & fequentibus, mortuus Patrælatæ in Cœnobio fuo anno 1391. Hæc animadvertenda duxi. Idem vero Gerbrandus fcripfit *Batavico Sermone* librum 76. capitulis conftructum *de origine & rebus geftis Dominorum de Bredorode*, quem ex MSS. Codice edidit Anthonius Matthæus Profeffor Juris in Univerfitate Lugduno Batava, anno 1698 in Tomo 2. *Analectorum Veteris* ævi pag. 275. ad 427. cum notis aliquot & *Appendice Actorum Veterum* usque ad paginam 504. Deducitur Opufculum iftud usque ad ann. 1486. factum ad inftantiam Iolendæ Rainaldi uxoris, quæ eum ut eruditum colebat virum: de quo pluribus Antonius Matthæus in Dedicatione hujus Tomi, quem adeas. Ultimum Gerbrandi opus latinum, *Annales Regalium Abbatum Egmondenfium*, quos hortatu Domini Nicolai de Adrichem nominis fecundi, *Abbatis Monafterii Regalis S. Adalberti de Egmonda*, colligendos ex variis authoribus fufcepit. Illos eduxit in lucem publicam Antonius Matthæus, Profeffor Juris Civilis in Academia Lugduno Batava, ex duobus MSS. Codicibus collatos, Lugduni Batavorum apud Fredericum Haaring anno 1692. in 4. impreffos, quibus Præfationem atque notas non contemnendas adjecit. Nec verifimile videtur, quod poft annum 1480. Annales iftos Gerbrandus compofuerit, licet in editione Antonii Matthæi, illi perducti ad id tempus, quo jam Carolus quintus Imperator fummæ rerum præfuit, usque ad tempus, quo victus & captus exercitu cæfo Francifcus primus Galliarum Rex in Papienfi obfidione, hoc eft, ad annum M D XXV. Dubiam enim rem & valde dubiam reddit, quod hi Annales perducti ad id tempus, quod dixi, fi quis autem continuatos ab aliquo alio putet, vehementer id rurfum obftat, quod in omni opere idem ftylus, eadem agendi methodus, nec ullum uspiam alienæ acceffionis argumentum fit. Mirum tamen videbitur, fi ætatem produxit ad id tempus quod dixi, quod velut rerum ignarus, Regis Galliæ anno M D XXIV. captivitatem adfcribat, quæ fequenti demum anno contigit. Hæ Antonii Matthæi conjecturæ, in utramque *Appendicis quatuor ultimorum Abbatum* partem, genuinam, an adjectitiam. Sane quotquot Scriptores de Gerbrando Leidenfi agunt, illum unanimiter omnes anno 1504. obiiffe afferunt: ut Theodorus Schrevelius *Rerum Harlemenfium* lib. 6. p. 251. Marcus Zverius Boxhornius in *Theatro Urbium Hollandia* p. 211. ubi Leidam urbem defcribit. Joannes Meurfius *Athenarum Batavicorum* cap. 24. Ac certum eft Joannem de Leidis *Hortatu Domini Nicolai de Adrichem* hos Annales fufcepiffe confcribendos, ut ex operis Prologo conftat. Cum autem Nicolaus ifte Abbas anno 1481. mortuus fit, hinc liquet ad annum 1480. hos Annales a Joanne de Leidis compofitos, atque ita *Vitas quatuor ultimorum Abbatum Nicolai de Adrichem, Jordani de Driel, Henrici de Wittenhorft & Meinardi Man*, adjectos fuiffe Chronico *Gerbrandi de Leidis*, ab Anonymo aliquo, qui ita ftylum & fcribendi rationem Gerbrandi imitatus fit, ut ne minimam quidem adjectionis notam *Appendici fua* infertam voluerit. *Præterea*, fi Gerbrandus fcripfiffet *Vitam Nicolai de Adrichem & aliorum trium Abbatum*, cum effet intimus *Nicolao* amicus, cujus hortatu Annales hos fcribendos fufceperat: dubio procul, mortem illius horrendam ex crapula factam vel conticuiffet vel diffimulaff t, ut honori ac famæ mortui confuleret, cujus

hortatu

hortatu hos *Annales* scripserat. Sed contra infamiam illius Anonymus prodit, dum mortem funestam enarrat: id quod aperte alium a Gerbrando scriptorem profert, qui Nicolao isti amicus non erat. Agunt de Joanne Gerbrando de Leidis, Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Joannes Gerbrandus Leidensis* p. 427. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, ibidem p. 605. editionis 1643. Lovanii in 4to. Denique Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 10. p. 642. editionis ultimæ, cum aliis antea allatis.

1460 JOANNES KOELVER DE WANCKOM natione Germanus, Professor Juris Canonici in Academia Coloniensi, clarus anno 1460. Juris consultus, atque sequentibus, qui sub Paulo II. & Sixto IV. Romanis Pontificibus floruit Scripsit *Summaria & Conclusiones tam Glossarum quam Doctorum supra Sextum Decretalium*, in florentissimo studio Coloniensi collecta, quæ ibidem impressa anno 1463. in folio. Item *Summaria & Conclusiones circa Clementinos* eadem methodo impressæ ibidem anno 1484. in folio. Hujus meminerunt Martinus, Lipenius in Bibliotheca reali *Juridica* p. 69. 89. 134. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* p. 80.

1460 HILARION MONACHUS SANCTORUM NAZARII ET CELSI, Veronæ in Italia, Congregationis S. Justinæ, quæ nunc Cassinensis dicitur, post annum 1460. claruit, temporibusque proximis, juxta Onuphrium Panvinium Veronensem, libro 6. Antiquitatum Veronensium p. 166. editionis 1648. Veronæ in fol. Transtulit *Dialecticam S. Joannis Damasceni*, quam habes Latinam ex ejus interpretatione, in omnibus Operum Sancti Damasceni editionibus, sed potissimum in editione Basileensi anni 1559. p. 481. & sequentibus & in altera anni 1575. ibidem in fol. Transtulit etiam in Latinam linguam Doctrinas XXIV *Dorothæi Archimendritæ*, quas habes in editione prima *Bibliotheca Sanctorum Patrum Parisiensi*, anno 1579. Tomo 3. p. 158. & in editione secunda ejusdem Parisiensi anni 1589. Tomo 2. pag. seu col. 803. Nec mihi dubium, quin aliis quoque sequentibus editionibus variis Opusculum illud insertum sit, de quo ita Laurentius Monachus Præfatione ad Doctrinas Dorothæi. *Imprimis quidem translationem fecit Dialecticis Joannis Damasceni, facile principis Græcorum omnium de Orthodoxa fide Scribentium, nec non ipsius Philosophiam Latinitati, posterisque donavit.* Ambæ igitur hæ versiones Hilarionis sunt ex testimonio Laurentii Monachi, qui ejusdem Synchronus, ac illi etiam superstes extitit. Recte dixi floruisse ipsum post annum 1460. nam dedicavit *Versionem hanc Doctrinarum Dorothæi Archimandritæ Oliverio Caraffa civi & Archiepiscopo Neapolitano, Cardinali recenter facto*. Factus fuit autem Cardinalis tituli Sanctorum Petri & Marcellini, a Paulo II. Pontifice Maximo anno 1464. die decima quarta Kalendas Octobris, Pontificatus anno primo: unde eodem anno vel sequente, Hilarion Monachus Veronensis, *Doctrinarum Dorothæi* versionem suam obtulisse illi videtur. Ita Onuphrius Panvinius in *Paulo Secundo*. Insuper *Compendium Rhetoricæ Hermogenicæ* in linguam Latinam vertit, quam operam Petro Bajadonæ Patritio Veneto, Consuli Rethymnæ dicavit, impressam curis hæredum Aldi Manutii anno 1523. eo volumine, quo Rhetorica Trapezuntii, atque antiqui Rhetores aliquot simul conjunguntur. Erat quidem Hilarion Monachus, natione Græcus, qui tamen inter Latinos Veronæ vivens, Latinorum doctrinam amplexus est; unde scripsit post Synodum Florentinam *Dialecticam Orationem de pane mystico Græcorum & Latinorum azimo*, quam ex MSS. Codice Bibliothecæ Lugduno Batavæ, inter *Varia Divina* primum in lucem emisit Joannes Meursius Lugduni Batavorum anno 1619. in 4to tum Græce & Latine Leo Allatius Romæ anno 1651. tomo 1. *Græcia Orthodoxa* p. 655. Sed nihil hæc ad Historiam, quo pertinent magis, quæ nunc dicam. Nam primum edidit *Vitam S. Symeonis Monachi*, cujus corpus in Mantuana diœcesi asservatur in Monasterio S. Benedicti ubi MS. habetur. Ad hæc *Vitis Sanctorum* a Jacobo de Voragine conscriptis *Appendicem* adjecit, quæ Mediolani anno 1494. apud Jacobum Ripam prodiit. Egit quoque tum *de translatione S. Georgii*, qui liber Venetiis in Monasterio Sancti Georgii Majoris, MS. extat; tam de *translatione brachii ejusdem Sancti ad idem Sancti Georgii Monasterium*. De obitu ejus hæc reperi apud Laurentium Monachum, Præfatione in *Doctrinas* Dorothæi. *Dum noster interpres in humanis ageret, & Hierosolymam visendi desiderio ductus pergere cœpisset, in itinere constitutus, in Rhodo insula ex Cycladibus præcipua diem clausit extremum, naturæque concessit, civibus cunctis, Monachisque omnibus ejus transitum lachrymantibus*. De illo agunt Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Hilarion Monachus* Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis*, parte IV. quæ est *de Historicis prætermissis* cap. 10. pag. mihi 813. editionis ultimæ. Henricus Warthon in *Supplemento Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1450. p. 136.

MAURITIUS GAUFRIDI SS. Theologiæ 1460 Professor, Ordinis Fratrum Prædicatorum, circa annum 1460. claruit, ac Scripto mandavit *Vitam S. Ironis Presbyteri Trecorii in Britannia Armorica*, quam composuit rogatu Christophori Episcopi & Capituli Trecorensis adeoque post annum MCCCCLXIV. ex monumentis Canonizationis concinnatam, sed quam ex MS. Codice edidit anno 1685. Daniel Papebrochius Societatis Jesu, Tomo IV. Maji mensis ad diem 19. Maji p. 581. & sequentibus, quam habuit dono Jacobi Dinet, quondam Franciæ Jesuitarum Provincialis, ac jam Bibliotheca Antwerpiensium Jesuitarum conservat. Codex iste fuit olim Trecorensis Episcopi, ut colli-

colligi potest ex *Commentariis Vitæ Sancti Ivonis præviis*, ab eodem Daniele Papebrochio editis ibidem p. 537. num. 2. & 3. Præcedunt *Vitam hanc ultimam* in MS. Codice prædicto, *Acta Canonizationis S. Ivonis, undecim collationibus comprehensa*, quarum argumenta paucis verbis Papebrochius exhibet, quia ad Historiam magnopere non faciunt, & undequaque accrescens Operis præsentis moles omittere minus necessaria compellit. Si quis *Anecdotorum* collector curiosus, illa *Acta* publicæ luci dare velit, simulque exhibere specimen canonizationis Seculo XIV. usitatæ: offert se Papebrochius ei gratis dare, quod gratis accepit, usum scilicet membranei hujus Codicis. In cujus fine etiam reperitur *Antiquum Sancti Ivonis officium cum novem lectionibus* de Vita satis prolixis, ab eodem (ut videtur) Mauritio Gaufredi ordinatis: post quas sequuntur *aliæ sex lectiones*, fortassis in Festo *Translationis* recitandæ, de virtutibus ejus ad animarum regimen pertinentibus, quæ veluti continuatio præcedentium sunt. Nec tamen usque ad Sancti mortem perveniunt, atque omnes accipiuntur ex Vita Ivonis prædicta, hoc peculiari exordio. *Splendor gloriæ Dei Patris, & salutis auctor Dominus Christus, qui suæ admirabilis claritatis radios, ad illustrandum corda fidelium, & peccatorum tenebras effugandas, cunctis præsentis vitæ curriculis solita pietate emittere non desiit, novissime diebus istis Sydus novum exhibuit suæ gratiæ, præfulgidum Ivonem, præclarum sui nominis Confessorem.* Hæc Daniel Papebrochius loco citato.

1460 SIGISMUNDUS GROSSENPROT, Monachus Ordinis Divi Benedicti, Abbatiæ Sanctorum Udalrici & Afræ prope Augustam Vindelicorum, claruit ab anno 1460. & sequentibus, sub tribus, de quibus in *Chronico* potissimum loquitur, Lib. 1. cap. 2. & Lib. 2. capp. 5. & 6. Abbatibus, Melchiore de Steinheim, Henrico illius nominis IX. & Johanne de Giltlingen, in eodem Cœnobio sibi succedentibus: quorum primus Ecclesiam novam SS. Udalrici & Afræ anno MCCCCLXVI. incœpit, secundus incœptam ad culmen promovit, tertius anno 1481. venerabili Abbate Henrico defuncto, in Abbatem electus est die Sancti Servatii, cui *Chronicon breve Augustanæ Ecclesiæ* anno MCCCCLXXXIII. die 20. Julii Sigismundus obtulit, quod ex MS. Codice edidit Joannes Pistorius inter *Historicos Germaniæ*, Francofurti in folio anno 1607. editos, a p. 589. ad 614. De Sigismundo post Joannem Pistorium loco allato, Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 571. editionis ultimæ.

1460 ERTWINUS ERTMANNUS, Consul urbis Osnabrugensis, ante etiam hunc annum 1460. Jurisprudentia claruit, inter primos postmodum hujus urbis Consules connumerandus, atque Historicis hujus Seculi non immerito accensendus. Studio juris illum indiligentem dedisse operam patet, quod & ipse in principio Historiæ scribit, & Consulem se fuisse urbis Osnabrugensis annotat, & inchoasse hunc suum laborem *ad beneplacitum Conradi Episcopi nati ex Comitibus de Diepholte*, atque *ad commonitionem & sæpe factam interpellationem Lamberti de Bevesen*, qui Præpositus ad Sanctum Johannem Osnabrugæ & in Schiltroche, & Canonicus Majoris Ecclesiæ Osnabrugensis & Cantor, admodum celebratus a doctrina & experientia juris & scientia, historiæ patriæ studio flagravit. Et non tantum Ertwino hujus Chronici scribendi auctor fuit, sed etiam colligi fecit *Chronicon Comitum Schavenburgensium*, & aliorum Heroum, ut notat Hermannus Hamelmannus Lib. V. *Clarorum in Westfalia virorum.* Quæ in causa Banni *Ertwinum* egisse supra Hamelmannus dixit, ille ipse memorat ad annum MCCCCXLII. Chronici sui pag. 256. ubi ad finem usque plurima alibi non extantia narrat, seque rebus ipsis interfuisse anno MCCCCLIV. factis p. 263. scribit. Edidit *Chronicon Episcoporum Osnabrugensium Erdwini Hartmanni* Henricus Meibomius junior, uti ex MS. Codice habuerat, Tomo 2. *Germanicarum rerum* a pag. 195. ad 265. qui in magis integrum incidisse Codicem desiderat. Attamen meo sensu hoc Chronicon integrum est, quod ab Ertwino, ut in Prologo testatur, factum est *anno Vigesimo quarto Pontificalis dignitatis Domini Conradi Comitis de Diepholte Episcopi Osnabrugensis moderni.* Cum ergo successerit in Episcopatu Osnabrugensi *Henrico de Morsa*, qui juxta Chronologum nostrum, ex suo Chronico pag. 262. anno MCCCCL. mortuus est: hoc Chronicon anno MCCCCLXXV. conscriptum certo est, qui fuit XXIV. annos successoris illius. Non mirum autem, quod ultra annum MCCCCLIII. vel tempora Henrici de Morsa Chronologiam prosecutus non sit, cum in Prologo profiteatur, se *non nova scribentem, sed antiqua revolventem atque unientem.* Adde quod in Prologo paucis quidem, sed eximiis merita *Domini Conradi de Diepholte Episcopi Osnabrugensis* extollat, dum inquit: *Et ad beneplacitum R. in Christo Patris & Domini D. Conradi, nobilis natu de prosapia nobilium Dominorum de Diepholte, ac Ducum & Comitum orti, Episcopi Osnabrugensis moderni, quem virtutes multifarie decorant. Clericatus ultra quinquaginta annos, cum beneficiorum Ecclesiasticorum titulis, & Pontificalis dignitatis ordo nunc ad XXIV. revolutos annos, pro libertate Ecclesiastica ad requisitionem cum mandatis Apostolicis, contra Ecclesiæ rebelles bellavit, adeo quod athleta & miles clamaretur: nunc pacifice sæpedictam Ecclesiam Osnabrugensem cum grege suo commisso, digne gubernat. Domini nini utique mei dilecti & gratiosi.* Meminit quoque hujus Episcopi in *Udone XXIV. Episcopo Osnabrugensi* p. 210. *Chronici*, ubi ait Monasteri-

um Gertrudenbergense ptope civitatem Osnabrugensem ædificatum, ao. MCCCCLXXV. divino adjutorio fuisse reformatum per Dominum Conradum de Diepholte, Ecclesiæ Osnabrugensis Antistitem. Et in Gerardo XXVII. Episcopo p. 213. etiam reformationem Monialium in Hersebroche, interventu ejusdem Conradi de Diepholte factam fuisse narrat. Recte ergo definit Chronicon in Exemplari MS. circa medium Seculi XV. Ipsum vero Erdwinum anno 1505. die 30. Maji obiisse accepit Henricus Meibomius, Hermannus autem Hamelmannus inquit anno 1506. mortuum. Hæc nos ex Henrico Meibomio juniore Tomo 2. *Germanicarum rerum* p. 265. ad dicti Chronici calcem.

1460 JOANNES WESSELUS HERMANNI, patria Frisius, ortu Groningensis, quem nonnulli etiam *Basilium* & cognomine *Gaensfortium* appellant, ab anno circiter 1460. celebris ob eruditionem extitit. Dictus Joannes Wesselus vulgo, cui additum *Patris Hermanni* nomen, Frisico more, ut harum partium eruditi norunt. Hic Groningæ & Swollæ linguam Latinam, apud Coloniam initia Græcæ linguæ sub Magistris Monachis, qui ex Græcia illuc venerant, itemque Hebrææ sub Judæis præceptoribus didicit junior, sed quam utramque Parisiis & Coloniæ amplius excoluisse, atque ad perfectionem adduxisse dicitur. Scripsit *Vitam* ejus Ubbo Emmius, in *Annalibus Academiæ Groninganæ*, anno 1654. Groningæ in folio editis, sed infeliciter, & in qua plurimæ fabulæ leguntur. Quod enim scribit pag. 17. *ipsum in familiam Sixti IV. dum Præpositus Generalis Ordinis Fratrum Minorum esset admissum, accessisse cum ipso anno 1433. ad Basileense Concilium*, aperte falsum est. Nam cum anno 1419. Vesselus natus esset, anno 1433. annorum quindecim tantum erat, ideoque tunc temporis & ætatis incapax, qui cum viris Orbis primariis congrederetur. Præterea Franciscus de Ruera, qui Sixtus IV. postea dictus est, anno 1414. tantum natus fuit, unde anno 1433. quo Concilium Basileense celebratum est, annos tantum novendecim natus erat: itaque nec dum Presbyter, multo minus tunc Minister Generalis Fratrum Minorum, huic Concilio interesse, vel secum Joannem Vesselum ducere potuit. Nunquam etiam Theologiam vel Heidelbergæ, vel alibi docuit, sed Groninganæ Scholæ præfectus, illic annos multos juventutem Groninganam & Omlandicam assiduitate insigni humaniores litteras docuit. Hinc ad Sacerdotium & Doctoralem in Theologia Lauream in Academia Coloniensi postmodum promotus, concionibus etiam ad plebem habitis, celebris fuit. Quod Nicolao V. Romano Pontifici vel Sixto IV. carissimus fuerit, Ubbonis Emmii Somnium est: Ex quo enim Wesselus docere Groningæ cœpit vel concionari, dogmata semper Romanæ Ecclesiæ adversa docuit & inculcavit, Bullasque quasdam Pii II. Romani Pontificis irrisit, qui ab anno 1458. ad 1464. clavum tenuit. Nec minori contemptu habuit tum Paulum II. tum Sixtum IV. cujus & Bullam redarguit: ut ne vel minima species sit, ipsum Romam accessisse, postquam semel adversa Romanæ fidei docere ac concionari incœpit. Dictus est autem ab ipsis ejus admiratoribus *Lux Mundi*, quod tenebras barbari Seculi eruditionis lumine discuteret: ab adversariis autem & Monachis invidis, qui doctrinæ superstitionibus atque fabulis impinguabantur, *Magister Contradictionum* & *Gaensfortius*: quasi anser valde clamosus, adversus eorum traditiones falsas, pervet samque doctrinam. Goswinus Halensis, olim Wesseli famulus, Præfectus postea domui Fratrum Groningæ, senex pietate & gravitate excellens, (referente ex Epistola ejus Philippo Melanchthone) adolescentem se intersuisse narrabat Rudulphi Agricolæ & Wesseli Sermonibus, in quibus deplorarent Ecclesiæ tenebras, & reprehenderent *Prophanaticum in Missis & Cælibatum.* Item disputaverint de justitia fidei, quid sit, quod Paulus toties inculcat, homines fide justos esse, & non operibus? Scribebat aperte Goswinus, eos opinionem Monachorum rejecisse, quæ fingit, homines operibus esse justos. Item sensisse eodem de humanis traditionibus, illos errare, qui affingunt ipsis opinionem cultus, & eas non posse violari in conscientia, judicant. Hæc Theologiæ nova methodus tradendæ, plurimam Joanni Wesselo apud viros graves æstimationem comparavit. Hinc odium ejus in Doctores Scholasticos, Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, & alios ejusdem farinæ vitos, quos magis Ecclesiæ nocuisse, quam profuisse aferebat. Cum autem aliquando ad eum jam senem salutandum, M. Joannes Oestendorpius, Canonicus templi Divi Lebuini Daventriensis, vir multo studio, multaque postmodum experientia clarissimus, adolescens admodum venisset, eumque de studiorum ratione consuleret: ab eo inter cætera audivit, quasi jam quod futurum erat prævidente, *Studiose adolescens, ad eum vives diem, quo doctrina Thomæ & Bonaventuræ, & aliorum ejusdem farinæ recentiorum & contentiosorum Theologorum, ab omnibus vere Christianis Theologis explodetur.* Hortabatur eum igitur, ut veteres Scriptores tam sacros quam prophanos, Scholasticis neotericis, Theologis præsertim præferret: *Futurum enim brevi, ut Doctores illi irrefragabiles, cucullati, atrati & albati, in ordinem se dignum redigerentur.* Hæc Geldenhaurius ab Oestendorpio suo præceptore iam canescente, in templo D. Lebuini se audivisse testatur anno 1528. X. Kal. Martias. Apud Matthiam Flacium Illyricum in *Catalogo testium veritatis* Lib. 19. colum. 1908 editionis 1608. hæc leguntur: "Dominus Weselus, vel Basilius

„filius, eodem tempore vixit cum M. Johanne „de Wisalia, sed tamen fuit eo aliquanto junior, „fueruntque mutua amicitia juncti. Mortuus „est anno 1490. *(die 1489.)* Scribit in quadam „Epistola, se putare, quod mox condemnato „Wesalia, , ad se examinandum inquisitor „venturus sit. Fuit alioquin adeo celebris, ut „*Lux Mundi* vulgo vocaretur. Testatur, in „quodam scripto suo, se Parisiis, Romæ, & „multis aliis celeberrimis locis disputasse, su„amque de religione sententiam defendisse. „*Et paulo post*, Primatum Papæ in Libro *De Sa„cramento Pœnitentiæ* anno 1476. omnino reji„cit. Negat prorsus posse aliquem supremum „per Orbem terrarum inspectorem constitui. „Sæpe autem asserit, Papam nihil imperio man„dare posse, sed tantum veritate, seu quate„nus alicui veritatem probitatemque suæ sen„tentiæ ostendit, ita & eatenus ipsum obligare. „Non plus eum urgere mandando, quam do„cendo: qua ratione & quivis Christianus al„teri imperare potest. Alicubi etiam docet, „quod quoniam Papæ & Spirituales pietati sunt „contrarii, ideo sint Antichristi. Testatur „quoque idem Weselus, quod Patres, qui an„te Albertum & Thomam fuerunt, indulgen„tiis Papalibus restiterint, affirmarintque ipsi„us Scriptis, eas esse merum idolum, frau„dem & errorem. Addit quoque, quod nisi „sana paucorum Theologorum severitas ha„ctenus indulgentiis Papæ restitisset, immensi „errores inde pullulassent. Extat in Veseli o„pere Epistola ab alio ad ipsum scripta, in qua „author testatur, suo tempore fuisse Parisiis „doctum quendam virum M. Thomam de Cur„selis Decanum, qui cum in Basileensi Conci„lio nonnulli nimio plus potestatem Papæ ef„ferrent, dixerit, sibi a Christo dictum: *Quid„quid ligaveris super terram, erit ligatum* &c. „non autem, *Quidquid dixeris, esse ligatum.* „Qui hoc nimirum dicere voluit, Papam non „posse ligare, nisi cum justitia rei postulave„rit. Hujus Thomæ longa & erudita Oratio „in Commentariis Sylvii extat, qua ille potis„simum probavit, Concilium supra Papam „esse.

„Editus est separatim ab aliis libellis, quidam „ejus Germanicus liber, titulo *De Subditis & „superioribus*, seu *Quod subditi non usquequa„que suis Rectoribus obedire cogantur*. In eo ad„modum multa & graviter contra Papæ & Præ„latorum tyrannidem disputat. Asserit, non „nisi caute sentienti seu credenti Papæ paren„dum esse. Papam errare posse, & cum er„rat, ei omnibus modis resistendum esse. Pa„pam pessime reditus Ecclesiæ dispensare, & „Ecclesias indignissimis, per Simoniam ob pe„cuniam & alias utilitates & obsequia tradere. „Unde liquido colligi queat, eum non curare „Deum, nec Ecclesiæ salutem. Mandata Pa„pæ & Prælatorum, non aliter nec longius ob„ligare, nisi quatenus cum verbo Dei conve-

niant, seu quatenus eos res ipsa obliget: ali-„ oquin esse tantum veluti consilia, sicut Me-„ dicorum præcepta. Papam nihil sub pœna„ peccati mortalis præcipere posse, si id Deus„ non prius præcepit. Dicit claves Papæ &„ Prælatorum, non eas esse, quibus regnum„ cœlorum aperiant, sed claudant potius, si-„ cut & Pharisæi. De votis disputat, stulta &„ impossibilia vota rescindenda esse. Audito-„ res posse & debere judicare de doctrina suo-„ rum Prælatorum, & non omnia temere sine„ ullo discrimine accipere. Ubi simul refutat„ & declarat diligenter omnia objecta, *Super„ Cathedram Moysi* &c. Item Petri, *Obedite„ Præpositis vestris, etiam difficilibus*. Demon-„ strat quoque, pluris faciendam esse sententi-„ am, quin & excommunicationem hominis pii„ ac docti, quam Papæ: sicut Concilium Con-„ stantiense magis Joannem Gersonem, quam„ Joannem XXIII. item olim pii Bernardum„ magis quam Eugenium audiverunt. Quin„ etiam ostendit, Christianos etiam infimæ con-„ ditionis, Papæ ejusque Prælatis tum male a-„ gentibus & regentibus, modis omnibus resi-„ stere debere. Recitat etiam tetras historias„ Pii II. & Sixti IV. quarum etiam in Latinis O-„ pusculis meminit. Dicit Pium II. sibi qua-„ dam bulla omnia mundi regna usurpasse: Six-„ tum vero non tantum de factis juramentis in„ rebus politicis dispensasse, sed etiam de fien-„ dis. Quod nihil aliud est, quam dare jus &„ facultatem, pejerandi & homines decipiendi.„ Summariam ejus doctrinam his describit Ubbo Emmius in *Effigiebus & Vitis Professorum Academiæ Groninganæ* p. 21. anno 1654. Groningæ in folio editis. "Capita doctrinæ, in quibus a„ sensu & consensu communi discedebat, hæc„ fere sunt, ex Scriptis ipsius bona fide deprom-„ pta, & aliorum de iis testimoniis; Canonem„ sive Regulam fidei & Religionis unicam, esse„ verbum Dei, Scripturis Propheticis & Apo-„ stolicis comprehensum: non autem Traditi-„ ones Ecclesiæ, Canones Synodorum, aut„ Scripta Patrum. Authoritatem verbi ex di-„ gnitate Evangelii sive ipsius verbi, non au-„ tem ab Ecclesiæ auctoritate pendere, licet il-„ la ministra & magistra sit ad fidem. Dogma-„ ta Ecclesiæ ea tantum recipienda, quæ cum„ Verbo hoc consentiunt. Christum solum„ esse Mediatorem nostrum apud Deum, non„ Angelos, Sanctosve defunctos. Justitiam„ Christi imputari & donari nobis per fidem„ absque Operibus: nec posse quenquam ope-„ ribus suis aut meritis justificari. Doctrinam„ de satisfactionibus propriis esse falsam, bla-„ sphemam & desperationis magistram. Mul-„ tiplicem jamque horrendam prophanationem„ sacræ Eucharistiæ esse, quæ in Missa quotidie„ patratur. Indulgentias esse Simoniacas nun-„ dinationes: Purgatorium vafrum Commen-„ tum, fisco Curiæ Romanæ locupletando ido-„ neum: Orationes pro defunctis inanes. Con-„

„jugium etiam ordini Sacro concessum esse jure divino: nec voto perpetui coelibatus teneri, qui donum continentiæ non habent. Papam & Prælatos esse ipsissimos Antichristos, quoties verbo divino ac pietati contraria sanciunt. Nullum esse Primatum Papæ, nec totius Ecclesiæ Catholicæ unum aliquem esse inspectorem universalem. Papæ nec in hominum conscientias, neque regna mundi, quicquam juris competere. Nihil nocentius esse rebus Ecclesiæ, quam nimias ejus opes: & nihil corruptius moribus ipsorum Ecclesiasticorum.„ Mitto alia ejusdem commatis, quæ per omnes sacræ Theologiæ deduci possent, si temporis ratio pateretur. Hæc colligi possunt ex *Farragine rerum Theologicarum* ejus, quæ anno 1476 composita, atque ex *Epistolis*. Decessit ex hac luce anno 1489. in die S. Francisci, qui est 4. Octobris. Sepultus Groningæ in Monasterio, quod *Spiritualium Virginum* dicitur, in ipso templi choro, a summo altari non procul. In libro memoriali templi illius hæc leguntur: *Anno Domini 1489. obiit Venerabilis Magister Wesselus Hermanni, egregius Doctor Sacræ Theologiæ, & in Latina, & Græca, & Hebræa linguis multum eruditus, & in tota Philosophia quasi universalis.* Quæ in Scriniis Wesselii reperta, ejus Manuscripta omnia, eo mortuo, opera Mendicantium Monachorum & quorundam aliorum furore, exusta sunt: ut Hardenbergius bona fide sibi dictum refert ab illis, qui suis ipsi oculis hoc viderant.

Verum quod Hardenbergius bona fide sibi dictum refert, opinor esse *fabulam* vel *mendacium*, quod Hardenbergio ab ejus ætate jam remoto, falso relatum fuit. Ita ob rationes duas non contemnendas falsum arbitror. Primum enim ex honorabili sepultura, quam post mortem sortitus est Johannes Wesselus, sepultus Groningæ in Monasterio, quod *Spiritualium Virginum* dicitur, in ipso templi choro, non procul a Summo Altari: hinc aperte constat, neminem in illum mortuum insurrexisse, vel in Scripta ejus propter heterodoxiam, Scriptis illius combustis desæviisse, atque ita mendacium Hardenbergio narratum. Secundo Fredericus Bœrnerus humaniorum litterarum in Academia Lipsiensi Professor, qui anno 1709. Addenda & corrigenda *Bibliothecæ Sacræ* Jacobi le Long Presbyteri & Bibliothecarii Oratorii Parisiensis subjecit, hæc habet parte 1. cap. 3. sect. 4. *Bibliorum Græcorum MSS. Codicibus* p. 373. post lin. 16.

„Addo Novum Testamentum Græcum 2. voll. in 4. Fuit hoc exemplar Joannis Fabri Daventriensis Monachi Dominicani, quem Erasmus in Epistolis laudat. Contulit is, ut ipse in fronte voluminis testatur. Codicem hunc suum cum vetustissimo alio exemplari membranaceo, quod eodem teste fuit Magistri Wesseli Groningensis, cujus jam possessores Fratres Regulares in monte Divæ Agnetis apud Swollam.„ *Hamburgi in Bibliotheca Hinckelmanni, Starckius Catalogi pag. 22.* Cum itaque Codex tam insignis MS. Græcus Joannis Wesseli, teste Johanne Fabro Daventriensi Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui illum in manibus habuerat, & cum suo contulerat, in Fratrum S. Agnetis Swollensium bibliothecam eo mortuo venisset, hinc idem de aliis ejusdem libris contigisse arbitrandum est, nec sævitum fuisse in Joannis Wesselii libros post mortem illius. Dignus autem testis est Joannes Faber, cui fidem habeamus, tum quia Daventriensis ortu, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, tum quia non multis post Wesselum mortuum annis floruit, circa annum 1520. celebris, atque Luthero & Erasmo Synchronus, qui Scriptis etiam contra Lutheranos & Anabaptistas inter Pontificios emicuit. Sebastianus Godfridus Starckius autem, de quo hic loquor, natione Germanus, ac linguarum Orientalium peritus, scripsit & edendum curavit *Catalogum MSS. maxima ex parte Orientalium Hinckelmanni Hamburgensis Abrahami*, qui Berolini tandem anno 1713. obiit, ut testatur, qui hominem noverat ac colebat, Joannes Albertus Fabricius Libro quinto *Bibliothecæ Græcæ*, seu Tom. VI. cap. 5. p. 461. editionis anni 1714. Hamburgi in 4.

Inter familiares & amicos, quos multos Groningæ habuit, maximi fecit Rodulphum Agricolam, quem, ut ipse literis suis ad Capnionem refert, ad Hebrææ linguæ studium acriter incitavit. Extant inter Epistolas *Illustrium Virorum ad Joannem Reuchlinum*, & binæ Agricolæ Epistolæ Heidelberga scriptæ: altera prima parte Græca, altera Latina; qua inter alia gratulari se scribit, animi naturæque ipsius felicitati. Tum imprimis fortunis Germaniæ, quam si unquam, nunc aliquando expergescere oporteat, & ab ea barbarie, qua tot jam Seculis velut stupido sopore, vel potius λήθαργῳ τινὶ oppressa teneantur, excitari. Studiumque suum in literas Hebraicas singulare professus, statuisse se scribit senectutis requiem, si modo ea ipsum maneat, in sacrarum literarum perquisitione collocare. Cumque ita necesse habiturus sit, Libros eos Legis intente pensiculateque lectitare, videri se sibi eadem opera & literas Hebraicas discendo eos legere, & legendis eis Hebraice discere posse, simulque τὴν ἰδιότητα ἐκείνου τοῦ λόγου μυστηρίους πολλοὺς γέμουσαν pernoscere: atque ad hoc se acriter incitasse *Basilium*, (id est Wesselum Groningensem) quem *nostrum* vocat, & tunc in patria esse, fuisseque sibi arctissimam cum eo familiaritatem testatur.

Amicum quoque intimum habuit Joannem de Wesalia seu Wesaliensem concionatorem Wormaciæ atque aliis in Germaniæ urbibus celebrem; quem imperite cum Joanne Wesselo nostro confudit Henricus Wharton in *Historia rei literariæ* ad annum 1476 *Continuationis* pag. 154.

pag. 154. Eandem fortunam ac sortem cum Joanne Wessaliensi, nempe condemnationem ab Inquisitoribus Coloniensibus expectabat Joannes Wesselus noster, ut diserte tradit in Epistola quadam, scribens, *se putare, quod mox condemnato Wesalia, ad se examinandum inquisitor venturus sit.* Habentur sane *in Fasciculo rerum Expetendarum & Fugiendarum*, quem Ortuinus Gratius Daventriensis Coloniæ Agrippinæ primum anno 1535. in folio edidit, fol. 163. *Paradoxa aliquot Joannis Wesaliensis* (ut tunc dicebantur) *dogmata*, ex ipsius ore apud Wormatium concionantis, a Thomistis quibusdam excerpta: ob quæ a Gerardo Eltenio & Jacobo Sprengero, Ordinis Fratrum Prædicatorum inquisitoribus, Romana authoritate constitutis, dictus Joannes Wesaliensis damnatus fuit, & ad palynodiam adactus, cujus examen extat ibidem fol. 164. Evasit hanc sortem Joannes Wesselus, quod a Coloniensibus partibus non dependeret, sed ab Ultrajectino Episcopo vel Monasteriensi, quibus carissimus erat: unde Inquisitores in eum sævire haudquaquam ausi sunt, quem maxime tuebatur David de Burgundia, Episcopus Ultrajectinus, cui familiarissimus ac velut domesticus & commensalis erat; non autem Medicus, ut multi perperam tradiderunt.

Jam ad Opera ejus, quæ flammas tandem evaserunt pauciora, veniamus.

Omnia Wesseli opera, quæ supersunt, edita titulo *Farraginis rerum Theologicarum*, Basileæ primum 1523. in folio, & cura Martini Lutheri Basileæ 1525. in 4. Auctiora autem accurante Petro Pappo Groningæ 1614. in 4. typis Joannis Saffii. Denique cura Theodori Strackii Marpurgi 1617. in 4. Sunt autem.

Tractatus de Oratione cum luculenta interpretatione Orationis Dominicæ.

Tractatus de cohibendis cogitationibus, & de modo constituendarum meditationum, qui Scala Meditationis *vocatur, cum subjectis exemplaribus, Fratribus in monte D. Agnetis prope Swollam dedicatus:* unde conjici possit, ipsum fuisse ex Congregatione Windemensium Fratrum.

De causis Incarnationis & de magnitudine Dominicæ passionis Libri duo.

De Sacramento Eucharistiæ & audienda Missa.

Farrago rerum Theologicarum.

Epistolæ plures, in quibus de Purgatorio & Indulgentiis, & aliis argumentis.

Quanti autem Martinus Lutherus Joannem Wesselum faceret, ipse in Epistola præmissa Wesselii Epistolis a se editis testatur, quem hic subjicimus.

„Prodit Wesselius, quem Basilium dicunt, „Frisius Groningensis, vir admirabilis ingenii, „rari & magni Spiritus, quem & ipsum apparet esse vere theodidactum, quales prophe-„tavit fore Christianos Esaias. Neque enim „eum ex hominibus accepisse judicari potest, sicut nec ego. Hic si mihi antea fuisset le-„ctus, poterat hostibus meis videri Lutherus„ omnia ex Wesselo hausisse, adeoque Spiritus„ utriusque conspirat in unum. Mihi vero &„ gaudium & robus augescit, jamque nihil du-„bito me recta docuisse, quando tam constanti„ consensu, peneque ejusdem verbis, tam di-„verso tempore, aliis Cœlo & terra, alioque„ casu, sic ille mihi per omnia consentit. Mi-„ror autem, quæ infelicitas obstiterit, quo„ minus in publico Christianissimus hic auctor„ versetur: nisi in causa fuerit, quod sine bello„ & sanguine vixerit, qua una re mihi dissimilis„ est: aut metus Judæorum nostrorum eum op-„presserit, qui suis impiis inquisitionibus in„ hoc nati videntur, ut optimos quosque libros„ faciant hæreticos, quo suos Aristotelicos &„ plusquam hæreticos nobis statuant Christia-„nos, quorum finis Deo vindice tam desinit in„ confusionem. Legat itaque pius lector, le-„gatque cum judicio, quo maxime hic præstat„ quod & egregie format: & quos in me osten-„dit nimia asperitas, in aliis nimia dictionis ele-„gantia, hic non habent, quod querantur.„ Stylus est trivialis ac pro Seculo suo, res ipsa„ tractatur modeste & fideliter. Etsi in sterco-„ribus Ennii legit aurum Virgilius, poterit &„ ex Vesselo nostro legere, quod opibus ele-„gantiæ suæ ornat Theologus. Dominus Je-„sus addat ad hunc multos alios Basilios.„

Agunt de *Joanne Wesselo* Matthias Flaccius Illyricus in *Catalogo testium veritatis* Libro 19. colum. 1908. editionis 1608. Genevæ in folio. Melchior Goldastus in Præludiis ad Tomum 1. *Monarchiæ S. Romani Imperii* editionis 1612. Hanoviæ in folio. Suffridus Petrus *De Scriptoribus Frisiæ* Decade octava p. 46. 47. 48. editionis Coloniensis 1593. in 8. Ubbo Emmius in *Effigiebus & Vitis Professorum Academiæ Groningæ & Omlandiæ* 1654. Groningæ in fol. a p. 12. ad 27. Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ rei Literariæ* Guillelmi Cavi ad annum 1467. p. 154. Franciscus Sweertius in *Athenis Belgicis* verbo *Vesselus Hermanni* p. 699. editionis 1628. Antwerpiæ in folio, ubi inquit: mortuum & sepultum anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXXXIX. ipso die S. Francisci, in choro Ecclesiæ Spiritualium Sororum, non longe a Summo Altari, cum hoc Epitaphio:

Pallida Vesseli saxum hoc tegit ossa Magistri,
Philosophos inter qui Leo fortis erat.
Illum lingua triplex, Hebræa, Pelasga, Latina
Inclyta doctorum scandere pulpta dedit.
Agrippina & Parisium duo regna Minervæ,
Sensere ingenii vimque decusque sui.

 At

At laus una viro, quia *Totum Scibile* scivit,
Et vitio infectis malleus ipse fuit.
Arx Frisiæ cineres, Germania reddit honores.
Dic, ferat Omnipotens, Lector amice, animam.

1460 JOANNES DE WESALIA, natione Germanus, ita vocatus, quod ex urbe Wesalia Rheni inferioris in Ducatu Cliviensi oriundus esset, anno 1460. & postea floruit, in Academia potissimum Erfordiensi, in qua per annos multos *docendo & scribendo* illam illustrasse dicitur. Hominem hunc præclare depingit Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis* Centuria XV. ad annum 1470. quem hic verbotenus referam. "Doctor Joan„nes de Wesalia, concionator Wormatien„sis, floruit circa 2470. annum. Articuli „ejus isti fuerunt. Gratis meraque gratia per „fidem in Christum salvari omnes, liberum ar„bitrium nihil esse, Prælatos non habere jus „condendi leges, aut interpretandi Scriptu„ram jure prætorio. Humanas traditiones, „ut jejunia, indulgentias, Festa, longas pre„cum battologias, peregrinationes, & similia „penitus rejecit. Extremam unctionem & „Confirmationem reprobavit. Confessionem „& satisfactionem reprehendit. Primatum „Papæ nihil esse docuit. Dixit etiam se vere„ti, nostros Doctores male exponere Scriptu„ras. Apparet etiam ex quibusdam interro„gationibus, eum probasse conjugium Sacer„dotum, item Communionem sub utraque „specie. Condemnatus est anno 1479. Mo„guntiæ. Expertus est nimirum ille bonus vir, „quam difficile sit, esse Christianum, sicut an„te dicere solitus erat. Scriptor, qui Histori„am Domini Joannis de Wesalia conscripsit, „narrat, eam condemnationem vehementer di„splicuisse duobus doctissimis Theologis, Domi„no Joanni Keyserbergio, & Domino Engelino „Brunswicensi, qui judicaverunt eum invidia „Monachorum fuisse oppressum. Addit etiam, „Engelinum affirmasse, plerosque ejus articu„los defendi posse. Historia extat in *Paralipo„menis* Urspergensis, & simul impressa est cum „duobus Libris Æneæ Sylvii *De Concilio Basile„ensi.* Jacobus Wimphelingus testatur, eun„dem Wesaliam *docendo & scribendo non parum „Scholam Erfordiensem illustrasse.* Audio Er„fordiæ ejus scripta adhuc inveniri posse. Ego „tantum ejus Libellum *contra Indulgentias* ha„beo, ubi affirmat necessaria ad salutem omnia „in sacris litteris contineri. Indulgentias re„futat, ac etiam inquit veteres quosdam, præ„sertim Cantorem Parisiensem, solitum affir„mare, *Indulgentias esse pias fraudes, quia per „eas lusci ad dandas eleemosynas alliciuntur.* „Item docet, Ecclesiam errare posse; item „docet, Papæ primatum esse humanum inven„tum." Orthuinus Gratius in *Catalogo rerum expetendarum & fugiendarum*, quem Coloniæ primum anno 1535. in folio edendum curavit, fol. 163. refert *Paradoxa aliquot Joannis Wesaliensis dogmata*, ut tunc dicebantur, *ex ipsius ore apud Wormatiam concionantis, a Thomistis quibusdam excerpta:* ob quæ a Gerardo Eltenio & Jacobo Sprengero, Ordinis fratrum Prædicatorum inquisitoribus Romana auctoritate constitutis, dictus Joannes Wesaliensis damnatus fuit & ad palinodiam adactus, cujus Examen ibidem quoque extat fol. 164. De eodem Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali* verbo *Joannes de Wesalia* p. 462. editionis Tigurinæ 1545. in folio apud Christophorum Froschoverum. Joannes Wolfius Tomo I. *Rerum Memorabilium* Centenario XV, ad annum 1464. p. 874. editionis 1600. 2. Tomis in folio. Philippus Mornæus in editione Latina quam anno 1611. Salmurii in folio procuravit *Mysterii iniquitatis*, seu *Historia Papatus Romani* pag. 605. egregie distinguit inter Joannem de Wesalia Doctorem & Concionatorem Wormatiensem, & Joannem Wesselum Doctorem & Magistrum Groningensem *lucem mundi* dictum, illustres eodem tempore vivos, atque amicitia intima conjunctos.

PETRUS APOLLONIUS COLLATIUS, 1460
Presbyter Novariensis, quem exeunte seculo septimo vixisse, hoc est circa annum DC XC. putat Margarinus de la Bigne in *Indice Chronologico Bibliothecæ Veterum Patrum*, quem Tomo Imo præmisit. Sed qui ut valde antiquus a præclaris hujus seculi viris laudatur passim, claruit anno circiter 1460. & sequentibus, usque ad finem seculi decimi quinti. Scripsit ille Carmine *Libros quatuor de Excidio Hierosolymitano*, qui Lutetiæ anno 1561. primum studio Joannis Gagnæ Theologi Parisiensis in lucem prodierunt: tum inde Tomo 8. *Bibliotheca Veterum* Patrum, editionis anni 1589, secundæ Parisiensis immissi sunt. Denique & postea ab Adriano van der Bruchio emendati, atque anno 1586. in 8. a Christophoro Plantino Antwerpiæ excusi fuerunt. Cujus author ille temporis fuerit, quem ita antiquum alii fecerunt, jam constat ex *Itinere Italico* Joannis Mabillonii, quod anno 1687. in 4to Parisiis editum est apud Joannem Boudot. Ibi enim p. 194. narrat, se in Bibliotheca Florentina Serenissimi Ducis, accurante Antonio Magliabechi ejus custode, invenisse ac transcripsisse *Carmen heroicum Petri Apollonii Novariensis*, *de Davide & Goliatho, ad Laurentium Medicum:* quo ex carmine discimus ætatem hujusce scriptoris, quem alii ad Seculum septimum alii ad decimum, alii ad alia tempora referunt. Imposterum itaque nemini futurum est dubium, Petrum Apollonium sub finem Seculi XV. floruisse, nempe temporibus Laurentii Medicæi, cui superius carmen *de Davide & Goliatho* inscriptum extat. Hanc autem epocham subodoratus longe ante Mabillonem fuerat, Gerardus Joannes Vossius

Libro

Libro tertio *de Historicis Latinis* cap. 10. p. 811. editionis secundæ, dum ita loquitur. Sed si vetus adeo esset, ejus Sigebertus, vel veterum „alius, meminisset. Mihi quidem quin recens „sit scriptor, dubium non est. Nec alia mens „Caspari Barthis Adversariorum Lib. XXIII. „cap. XXVII. Amplius dico, putare vixisse „eum anno 1490. ac deinceps. Aliud enim „mihi persuadere non possum, quam esse hunc „eundem, ac ille *Fastorum conditor*, de quo ita „Cæsar Scaliger Libro 6. *Poëtices* loquitur: „*Apollonius Collatius fastos condidit, in quibus pi-* „*etatem laudes, frigidusculus tamen Poëta est, &* „*cum discedit ab Elegiaco, etiam infelix.* Agit „autem de Apollonio, inter eos qui vixere, non „multo ante aut post annum millesimum quin- „gentesimum. Hi sunt Michael Verinus, Pa- „ptista Egnatius, Titus & Hercules Strozæ, „Mutius Aurelius, Marcellus Palingenius, Pie- „rius Valerianus, Joannes Cotta, Aonius Pale- „acius, Augustinus Beatianus, Andreas Mange- „lius, Andreas Alciatus, Palthasar Castillio- „nus: quibus proxime subdit Apollonium „*Collatium*, illi autem subjungit Lancinum Cur- „tium, Faustum Andrelinum, Desiderium Era- „smum alios. Hæc Vossius loco citato. Scriptoris hujus *Carmen Heroicum de Davide & Goliatho ad Laurentium Medicem, Christi querelam ad Judæos* eodem versuum genere, *Elegiam de laudibus rei rusticæ & Epigrammata varia* ex Antonii Magliabechi beneficio, evulgavit Lazarus Augustinus Cotta Jurisconsultus Novariensis, Mediolani 1619, in 8. Joannes Mabillio *Itineris Italici* citati p. 194. eodem a Magliabechio sibi muneris loco data referens, addit inter *Epigrammata* illa, fuisse quoque *Pauli II. & Sixti IV. Epitaphia*, quæ tamen in hac Cottæ editione frustra quæsieris, suppressa dubio procul, quod parum honoris Pontificibus istis allatura viderentur. Hinc autem ætas Petri Apollonii iteratis argumentis ostenditur. Hujus Petri Apollonii mentionem quoque faciunt Josias Simlerus in *Epitome Bibliotheca Conradi Gesneri*. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. mihi 235. post Gerardum Vossium, Margarinum Pignæum ac Joannem Mabillionem, locis antea citatis.

MATTHÆUS BOSSUS VERONENSIS, Canonicus Regularis Ordinis divi Augustini, tum postmodum Abbas Fesularum juxta Florentiam eorundem Canonicorum Regularium, Congregationis olim Sancti Frigdiani, nunc vero Lateranensis, anno 1428. natus, nam Epistolas secundas familiares anno 1498. Septuagenarius tunc collegit, unde clarere incœpit circa annum 1460. & sequentes, pietate doctrinaque simul, anno ætatis XXXII. Rexit ille insigni modestia atque exemplo, commissam sibi familiam, impenseque litteratis hujus Seculi amicus fuit. Inter hos autem Angelus Politianus, Piens Mirandulanus, atque alii plurimi politioris litteraturæ viri, qui sæpe ad Fesulanam Abbatiam ad tempus pergebant, internis animi gaudiis intenti, quietæque solitudinis, atque ab insano mundanorum strepitu remoto dulcedinem experturi, quos ille summa humanitate admittere consueverat. Hujusce rei testem habemus Angelum illum Politianum in Epistola ad Laurentium Medicum, quæ Opusculis Matthæi Bossi impressis præmitti solet, quamque retulit in *Itinere suo litterario Italico* p. 175. Joannes Mabillon, luculentum litterariæ Bossi humanitatis ac doctrinæ argumentum. Jam ad Opera quæ Matthæum Bossium immortalem reddunt, veniamus.

Anno 1509. Argentorati excusa sunt apud Matthæum Schurerium *Opera quinque moralia* Matthæi Bossi cum brevi Epistola Angeli Politiani præfixa, de quà supra, quæ viri eruditionem & vitam commendat. Sunt autem hæc.

De veris & salutaribus animi gaudiis Dialogus, tribus Disputationibus distinctus, & quidem his de eximia virtute agit, quà ad Deum evehimur.

2. *De vero sapientiæ cultu libris octo*. Quorum præcipua sunt capita de humana & divina sapientia, de timore Dei, de disciplina seu Castigatione, sive Regula. De oratione sive precibus ad Deum, ad Superos, ad Mortales. De scientia sapientiæ comparanda necessaria. De laudibus sapientiæ omni studio conquirendæ.

3. *De tolerandis adversis, Dialogi duo*: in quorum primo cur boni malis afficiantur: in secundo autem, cur iniqui felicius agant, eximiè discutitur.

4. *De gerendo Magistratu, justitiaque colenda ad Joannem Ludovicum Bossum Jurisperitum & Equitem*.

5. *De immoderato mulierum cultu, sive Ne sominea ornamenta Bononiensibus restituantur*. Ejusdem sunt *Recuperationes Fesulanæ*, quæ ad res Ecclesiasticas & politicas spectant, quas publici juris factas novimus anno 1483. Bononiæ apud Platonem de Benedictis, quin & anno 1502. Venetiis apud Bernardinum Venetum Vitalem. Ita nimirum inscriptæ, quod ex multis dispersis ac deperditis recuperatæ, atque in unum redactæ sint. Tripartitum autem est volumen, cujus prima pars continet centum & triginta *tres Epistolas*, secunda *ducentas & triginta duas*: tertia *centum* unà cum sex sermonibus, quorum primus *de passione Domini*, secundus *de ascensione ejus ad coelos*, ubi insignis est exhortatio ad cœlestia consurgendi: tertius de natali Sancti Johannis Baptistæ: quartus ad Canonicos, Præsides, Patres & Subditos *fratres*, in Generalibus Comitiis ejusdem Ordinis ad consulendum Ordini: quintus *de Annuntiatione Beatissimæ Virginis*: Sextus *in solemni die Sancti Ludovici Episcopi*. Item *familiares & secundæ Matthæi Bossi Epistolæ*, editæ Mantuæ anno 1498 in folio, apud Vincentium Bortochium, quas Johanni Cardinali Alexandrino dedicavit. Hæc præclara Matthæi Bossi Opuscula, cujus etiam

etiam Epiſtolæ & Scripta omnia Bononiæ in folio ſimul collecta, anno 1617 edita fuerunt apud Victorium Benetum. Mortuus circa finem ſeculi XV. ſed anno mihi incomperto. Ejusque faciunt ampliſſimam mentionem Johannes Trithemius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quem anno 1502 Patavii mortuum aſſerit. Antonius Poſſevinus Tomo 2, Apparatus ſacri pag. 89. Johannes Mabillon in Itinere Litterario Italico pag. 174 & 175 cum aliis plurimis.

1460 HENRICUS WOLTERI, Canonicus S. Anſcharii Bremenſis, cujus hic mentionem facimus, *Chronicon Archiepiſcoporum Bremenſium* de fundatione conſcripſit, qui ante duo circiter ſecula, circa annos Chriſti 1450 vel 1460 & ultra vivens floruit: in morte enim *Gerhardi Archiepiſcopi* quæ anno 1463 contigit, ſuccedente Henrico Comite de Schwartzburg, finem Chronologiæ imponit. Ita impreſſa eſt Tomo 2 *Rerum Germanicarum* Henrici Meibomii pag. 19 ad 83 in folio Lipſiæ anno 1688 apud Fridericum Gleditſch. Inſcribit ſe Henricum Wolteri Canonicum Sancti Anſcharii Bremenſem in Prologo: *Inquam ego Henricus Wolteri Canonicus Sancti Anſcharii Bremenſis, ut ſi quæ placita & memoriæ digna invenerint &c.* Meminit in hoc Chronico alterius Henrici Wolteri poſt medium Seculi XIV ſub Archiepiſcopo Alberto ad annum 1379 pag. 68. Et iterum poſt ſeculum in Baldewino Archiepiſcopo nominat *Henricum Wolteri Capellanum Archiepiſcopi* pag. 74 & aliquanto poſt *Canonicum S. Anſcharii Bremenſem & Buccenſem* pag. 77. Et iterum in Gerhardo Archiepiſcopo pag. 80. *Henricum Wolteri Præpoſitum S. Willehadi:* quos Henricus Meibomius junior, conſanguineos fuiſſe authoris hujus Chronici opinatur, & proinde non ignobili familia ortum illum probabile eſt, unde tam multi ad Eccleſiaſticas dignitates pervenerint. Ego autem opinor, *Scriptorem hujus Chronici* eſſe unum & eundem illum, qui ſeipſum nominat in Prologo & pag. 74 & 77. ſub Baldewino ſecundo ejus nominis Archiepiſcopo, qui ab anno 1435 ad annum 1442 Eccleſiam Bremenſem rexit, ſepultus in Luneboch. Et pag. 80 ſub Gerhardo de Hoya, antea Majoris Eccleſiæ Præpoſito, qui ab anno 1442 & 1463 ſedem eandem tenuit, apud Bremam ſepultus. Itaque floruiſſe Scriptorem hujus libri, ſub his duobus Archiepiſcopis Bremenſibus, in quorum geſtis rebus recenſendis *ſuum Chronicon* concludit. Scribit autem ſe *ex diſpendioſis dictis & Chronicis antiquis in Scripturarum Compendium hoc Chronicon redegiſſe.* Hermannus Hamelmannus in *Indiculo Authorum*, quibus *Chronico ſuo Oldemburgico* contexendo uſus eſt, facit eum Oldemburgenſem, Von Oldenborg. Delituit hactenus illud *Henrici Walteri Chronicon*, quamvis Hermannus Hamelmannus, & qui pro Hamelmanno Apologiam ſcripſit Gerhardus Giſekenius, illud paſſim Manuſcriptum citent. Laudatus Giſekenius ſcribit *Chirographum aſſervari in Archivo illuſtris Comitis Oldenburgici*, illoque ſine dubio uſus eſt Hermannus Hamelmannus. Hoc veroipſum ex Archivo ſuo illuſtriſſimus Antonius Guntherus Comes in Oldenborg & in Delmenhorſt Henrico Meibomio Seniori, cum ejus opera in gravibus controverſiis quibusdam uteretur, utendum dedit, ex illoque expreſſa illa ſunt, quæ apud Meibomium evulgata ſunt. Hujus Scriptoris meminit Hermannus de quo jam ſupra Hamelmannus in *Indiculo Authorum* quibus in Chronico ſuo Oldenburgico contexendo uſus eſt. Henricus Meibomius junior in *Annotatione* ad calcem Chronici ſubjecta p. 83. & ſequentibus, a quo hæc habuimus.

PETRUS MONACHUS BENEDICTINUS, Abbatiæ SS. Udalrici & Afræ apud Vindelicorum Auguſtam, claruit ſub tribus hujus Eccleſiæ Abbatibus, ab anno 1460. Et ſequentibus, usque ad 1490. vel circiter. Nimirum ſub Melchiore de Steinheim, qui primus Eccleſiam novam ſanctorum Udalrici & Afræ anno 1466. incœpit: ſub Henrico illius nominis IX. qui ad culmen adduxit, & Johanne de Giltlingen, qui anno 1481. die Sancti Servatii, defuncto Henrico in Abbatem electus eſt. Scripſit labore multo ſub duobus primis Abbatibus *Hiſtoriam Ordinis ſancti Benedicti*, quam Johanni de Giltlingen poſt annum 1481. electo dedicavit. Extat hæc Hiſtoria MSS. inter MSS. Codices Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis Repoſitorio Philoſophico I. Serie 1. inter MSS. ~~Hiſtoricos~~ Codice 38. ~~hoc titulo~~, ejusdem ætatis. „Fratris Petri cujusdam liber Abbati Jo-„ hanni inſcriptus, de Ordinibus Monachorum,„ & ſpeciatim de Ordine Sancti Benedicti, & de„ illis, qui ex hoc Ordine Pontificis, Martyres,„ Patriarchæ & Archiepiſcopi, Cardinales, Le-„ gati ſive Apoſtolici nuntii, Epiſcopi, clari Scri-„ ptores facti ſunt. Item de Imperatoribus, Re-„ gibus Ducibus & Principibus, Comitibus & No-„ bilibus, qui Benedictini ſunt facti. Item de„ Abbatibus hujus Ordinis & Monachis Sanctis,„ & denique de Imperatricibus & Reginis, quæ„ Abbatiſſa & Monachæ ex hoc Ordine fuerunt.„ Ita Joachimus Fellerus in Catalogo MSS. Codicum p. 312. Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis, qui Lipſiæ anno 1686. editus prodiit. Ab anno 40. circiter poſt primam *Hiſtoriæ hujus* conſcriptionem, alter ejusdem loci Monachus Johannes Griesherem illam iterum correxit, recenſuit, elimavit. Opus iſtud MSS. extat inter MSS. Codices Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, quo ex arce Ambraſiana adductos, recens & Petrus Lambecius lib. 2, *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* cap. 8. pag. mihi 933. Codice CCLXXXIII. his verbis. " Volumen Chartaceum CCLXXXIII.„ in folio, quo continetur *Johannis Griesherem*,„ *Hiſtoriæ*, ſeu, ut ipſe inſcripſit, *Congeſtum Virorum illuſtrium Ordinis Sancti Benedicti*, hacte-„ nus quod

„nus, quod sciam ineditum, cujus Præfatio in„cipit his verbis: *Inter hujus calamitosæ letalis „vitæ erroris nebulas, atque miseriarum animæ „corporisque (heu) mille angores* &c. Capitis „autem primi titulus est hic, *De Ordinibus va„riis ante & post, ac præter Sancti Benedicti Or„dinem.* In fine demum totius Operis indicat „ipse Author vel Scriba ætatem & conditio„nem suam verbis istis: *Explicat Congestum Vi„rorum illustrium Sanctissimi Patris nostri Bene„dicti per fratrem Johannem Griesherren, Pres„byterum & Conventualem Monasterii Sanctorum „Udalrici & Afræ in Augusta Vindelicorum ac Me„tropoli Suevorum, sub Venerabili Abbate Domi„no Johanne Schrot anno Domini Millesimo quin„gentesimo vicesimo, in vigilia Sanctorum Petri „& Pauli Apostolorum.„* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 569. editionis ultimæ, hoc opus Andreæ Abbati Sancti Michaelis prope Bambergam adscripsit, qui ad annum 1480. claruit, ex aliorum tamen auditu & conjecturis tantum. Ad quem hoc opus spectet, definire arduum. Fefellit autem Gerardum Joannem Vossium Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* p. mihi 75. verbo *Andreas Germanus Monachus & Abbas Monasterii prope Bambergam Congregationis Brusfeldensis, anno circiter M. D. scripsit Vitam S. Othonis Episcopi, Apostoli Pomeranorum.* Et pag. 76. *Andreas S. Michaelis Bambergæ Benedictinus Abbas, Germanus,* „magnum opus Canoniza„torum, ut ajunt, ex Ordine D. Benedicti „Pontificum, Archiepiscoporum, Antistitum, „Abbatum & Abbatissarum, cum singulorum „rebus gestis. Scripsit Historiam; Vitam „Sancti Othonis Episcopi Libris 4. & de conce„ptione virginali beatæ Mariæ Deiparæ. Vi„xit anno 1483.„ *Eisengrenius.* Eundem illic errorem ex *Eisengrenio* Possevinus habet, ex quo Vossius accepit. Sed Vossius errorem suum quodammodo correxit, dum Lib. 3. cap. 5. p. 556. editionis ultimæ, agens de Ambrosio Camaldulensi Generali & Abbate, tunc temporis celeberrimum inquit: *In ejus laudem quædam annotavit Petrus Benedictinus Monachus in Historia Monastica.* Per hanc etenim *Historiam Monasticam* intelligit Gerardus Joannes Vossius *Historiam Ordinis D. Benedicti*, quam *Petro Benedictino Monacho* & authori vero attribuit, juxta MS. Codicem Bibliothecæ Lipsiensis, quem allegavimus. Hoc modo revocat & corrigit, quod Lib. 3. cap. 6. p. 569. scripsit, opus adscribens Andreæ Abbati Sancti Michaelis prope Bambergam. Vide quæ diximus de *Ambrosio Camaldulensi Abbate & Generali* in hoc Opere ad annum 1440. *Historiam* igitur *istam Ordinis Sancti Benedicti* viderat sub *Petri Benedictini Monachi nomine*, vel manuscriptum, vel alicubi in Germania impressum, Gerardus Joannes Vossius, quam ita allegat. Fontem hujus erroris aperit Possevinus *Eisengrenium*, quem loco citato profert. De Gulielmo Eisengrenio Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Gulielmus Eisengrenius* pag. mihi 702. quem inquit scripsisse *Catalogum testium veritatis*, contra Matthiam Flacium Illyricum Centurialem Magdeburgensem, ubi plus mille auctores commemorat, quam Sixtus Senensis in sua *Bibliotheca Sancta* faciat: qui eodem tempore, quo dictus Sixtus Senensis scripsit, & suos Scriptores non juxta alphabeticum ordinem, sed juxta seriem temporum disposuit, sicut Joannes Trithemius, qui eum præcessit. Florebat porro Sixtus Senensis Ordinis Fratrum Prædicatorum sub Pio V. Summo Pontifice, anno 1566. quo ætatis suæ annum agebat 46. ut habet idem Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri* pag. mihi 411. Guillelmus autem Eisengrenius natione Germanus, Pontificius, patria Nemelensis, scripsit *Catalogum testium veritatis*, ex Scriptoribus Romanæ Ecclesiæ faventibus impressum Dilingæ anno 1565. in folio. Item *Centenarios XVI. continentes descriptionem rerum memorabilium in Ecclesia contra Mathiam Flacium Illyricum*, anno 1566. Ingolstadii in folio impressos. Cum itaque Eisengrenius scribens, annis centum a Petri Monachi Benedictini ætate distaret: Facillimum ipsi fuit, attribuere *Andreæ Abbati Sancti Michaelis Bambergensi*, Scriptori hujus temporis, quod *Petro Monacho Benedictino* ex fide Manuscriptorum Codicum adscribendum erat. Porro Joannes Mabillon, qui *Annales Ordinis Divi Benedicti* hoc tempore scribit, cujus primum & secundum volumen in fol. annis 1703. & 1704. apud Carolum Robustel prodierunt, in *Prolegomenis* ad Annales Benedictinos, recenset alios duos, præfatis authoribus annis 100. antiquiores, qui argumentum hoc tractarunt. Primum e Benedictinis, quem quidem sciat, Librum *de Viris illustribus sui Ordinis* scribere aggressum esse sub Seculi XIV. finem, *Raymundum de Rialaco*, Monachum Conchensem apud Rhutenos, qui librum suum in quatuor partes distribuerit, in quarum *prima* agit de Summis Pontificibus Ordinis Monastici, in *secunda* de Sanctis Martyribus, in *tertia* de Episcopis, in *quarta* de Abbatibus & Monachis, uti legitur in MS. Codice Lerinensi, in quo hic Liber habetur. Addit his accessisse *Martyrologiorum Monasticorum Scriptores*, quos inter primos teneat *Guillelmus Abbas Sancti Pauli de Urbe*, patria Caturcensis, qui anno 1372. *Kalendarium omnium Sanctorum Monachorum*, necdum editum composuerit. Hæc Mabillio loco citato.

THOMAS RUDBURNUS, cognomento junior, ut ab altero distinguatur, quem ad annum 1400. antea assignavimus, *Ecclesiæ Wintoniensis Historiam* fuse præ aliis digessit, uti ejusdem Ecclesiæ Monachus. Novi Monasterii Wintoniensis, quod ab Hida nomen accepit, fuisse Monachum, male Joannes Baleus prodit *De Scriptoribus Angliæ* Cent. 7. cap. 95. Ecclesiæ enim Cathedralis S. Swithini cœnobi- 1460

tam fuisse tum ex plurimis *Historiæ Majoris* locis, tum ex Prologo *ad Historiam Minorem* liquet. Errorem Balei Joannes Pitseus & Vossius *De Historicis Latinis* Lib. 3. cap. 9. p. 636. transscripserunt. *Junior* dictus est iste Thomas, ut a Thoma Rudburno seniore, Episcopo Menevensi, qui sub ejusdem Seculi initium *Chronicon de rebus Anglicanis* contexuit, distingueretur. Perperam tamen Joannes Jocolinus in Commentario MS. *De Historicis Angliæ* cap. 89. Rudburnum Seniorem Novi Cœnobii Wintoniensis Monachum fuisse retulit, & Historiam Junioris Majorem Vossius Lib. 3. cap. 5. Seniori inscripsit, ut supra diximus. Scripsit ille Junior primum *Historiam brevem de fundatione, incrementis, atque Episcopis Ecclesiæ Wintoniensis a Lucio Rege ad tempora Henrici VI. Regis*. Istam Cl. Usserius in opere suo *De Antiquitatibus Britannicis* titulo *Historiæ Wintoniensis* sæpius laudavit, illamque modo eodem nomine *Epitome Historiæ Majoris* insignitam, crebro citavit Henricus Wharton, partesque ejus primam & postremam in Tomo 1. *Angliæ Sacræ* p. 179. 180. 181. item 285. & 286. idem Wharton exhibuit. Justa est enim *Epitome Historiæ Majoris*, quantum ad Ecclesiæ Wintoniensis res spectat, iisdemque ferme verbis utitur: ut ab eodem Authore, quamvis nomen illius in fronte non gerat, fuisse profectam dubitari nequeat. Scripta autem ante *Historiam Majorem* fuit, tempore Henrici Beoufort Episcopi, qui anno 1447. obiit. Circa annum 1440. scriptam fuisse, Usserius *Antiquitatum Britannicarum* cap. 6. p. 66. non male conjecit. Habetur in Bibliotheca Cottoniana *Galba A. 15.* num. 2. cujus Prologum obtulit dictus Warthon Tomo 1. *Angliæ Sacræ* p. 287. Præcedunt num. 1. in eodem MS. Codice *Annales breves Ecclesiæ Wintoniensis a Bruto ad Henricum VI. Regem*, qui *Historiæ Majoris Epitomen* quoad res civiles narrandas constituunt, eosdemque authores, scilicet Vigilantium *De Basilica Petri*, Dolensem *De gestis Dacorum super Anglos* &c. passim citant. Scripti sunt anno 1454. quod ex innumeris fere locis constat, quorum unicum ponam. *Dedicata est Ecclesia Wintoniensis anno* CLXIX. *19. Kal. Novembris, a prima fundatione & dedicatione Wintoniensis Ecclesiæ fluxerunt anni* MCCLXXXV. Post Ethelwaldi Episcopi tempora paucissima habent de Ecclesia Winthoniensi, in successione Regum Angliæ narranda insumpti. Præter hæc justam *De Rebus Anglicis Historiam* Rudburnus scripsit a Bruto ad annum 18. Henrici III. Regis, videlicet Christi 1234. cui *Breviarium Chronicorum* titulum fecit, quam passim *Historiam Minorem* Henricus Warthon in *Anglia Sacra* appellavit. Inibi Regnum Britonum a Bruto ad Codwalladrum, Saxonum etiam in unaquaque Heptarchia successionem & res gestas contexuit. Totus est in Historia civili, pauca admodum habet de *Episcopis Wintoniæ* præter nudam illorum successionem, & quæ de Alwyni Episcopi & Emmæ Reginæ purgatione fusius narravit. In hac autem narranda Annales Wintonienses fuse verbotenus expressit. In posterioribus annis unicum pene Matthæum Paris sequitur, & de Episcopis Wintoniensibus post annum 1150. paucissima dedit. Ubique autem tempora infelicissime digessit. Insigniores hujus *ab Historia Majore* diversitates in Annotationibus suis Warthon exhibuit. Facta enim est illius copia ex Bibliotheca Cottoniana *Nero A. 17.* Scripta est ea ante Historiam Majorem, sic enim in ejusdem Prologo legitur: *Et quæ hic breviter pertranseo, in majori nostra Chronica, opitulante Dei clementia supplebo.* Et iterum ad annum 1189. de Henrici II. Regis obitu loquens ista habet: *Et ista sufficiant in præsenti nostro libello Minori, plura dicenda sunt in Chronica nostra Majori, ut patebit intuentibus, & etiam de cæteris Anglorum Regibus.* Denum itaque Rudburnus Junior stylo uberiore & diligentia longe subtiliori *Historiam Majorem* composuit. Eam neque Baleus, nec Jocelinus, nec Lambardus viderant, qui tamen perlecta *Historia Minori* ejusdem opus a Rudburno adornatum fuisse collegerunt. Extat in Catalogo MSS. Codicum Universitatis Cantabrigiensis num. 1586. in MSS. Codicibus Collegii Divi Benedicti Codice 319. Illam Warthon ex Codice Lambethano evulgavit Tomo 1. *Angliæ Sacræ* fol. 179. resectis utplurimum iis, quæ aliunde hauserat, indicatis tamen singulis, ex quibus hausta sunt fontibus. Inutile enim fuisset, amplissima aliorum Historicorum fragmenta, quæ Historiæ suæ Rudburnus intexuit, exhibuisse, cum ad Ecclesiam Wintoniensem neutiquam spectarent, & ex Authoribus suis jam diu vulgatis melius haberi possint. Codex Lambethanus in fronte & in fine mutilus, integram Rudburni historiam nobis denegavit, neque Codex alter in Collegio Corporis Christi Cantabrigiæ asservatus, aliquid subsidii tulit. Incertum igitur manet, a quo tempore exorsa fuerit, & in quo desierit, *Historia Major.* Warthono tamen perpauca initio ejus deesse videntur, & ex Historiola Wintoniensi, non male ab ipso restituta esse. In hoc Opere Rudburnus continuam ad annum 1071. Ecclesiæ Dunelmensis historiam a prima Sedis Episcopalis fundatione ad annum 1083. dedit. Illam inter alias Ecclesiæ Dunelmensis Historias edere Warthono, aliquando in animo fuit. Postea collata Simeonis Dunelmensis Historia, illam ex hac paucissimis demptis congestam esse deprehendens, omittere consultius duxit. Deest quidem apud Simeonem Charta Wilhelmi Episcopi de Monachis introducendis, verum hanc paullo corruptiorem tamen *Monasticon Anglicanum* dabit Tomo 1. p. 42. Historiam suam Dunelmensem Rodburnus his verbis claudit, *Ista, quæ hic scripsi de Dunelmensi Ecclesia, habui in Libro Privilegiorum ejusdem Ecclesiæ, ex* accommo-

accommodatione M. Roberti Neville Dunelmensis Episcopi. Robertus autem Sedi Dunelmensi præfuit ab anno 1438. ad 1457. Atque hinc Rudburni ætas non male definiri potest. Illam Baleus & Baleum secuti Pitseus & Vossius ad annum 1480. producunt, hac ratione moti, quod Joannes Rossus, qui anno 1491. obiit, se Rudburni præsentia aliquando usum fuisse scripsetit. Quem *de rebus Hydensis Monasterii* Librum Rudburno Joannes Baleus adscripsit, errore superius indicato natum arbitror. Extat quoque in Catalogo MSS. Codicum Bodleianæ Bibliothecæ 9925. in MSS. Codd. Symonis d'Fwes Baronetti Codice 65. *Chronicon Thomæ Rudburni Monachi Vintoniensis Anglice.* Et inter MSS. Codices insignium Angliæ bibliothecarum num. 7237. in MSS. Codicibus Ashmoleanis num. 2. *Additio Chronicæ Wintoniensis per Fratrem Thomam Rodburn Monachum S. Swithini Wintoniensis*, scilicet *Genealogia Comitum Warwicensium fide digna* p. 31. Meminit hujus Scriptoris inter MSS. Codices bibliothecæ Bodleianæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. 226. p. 341. Hæc verbotenus accepta ab Henrico Warthon, Præfatione ad Tomum 1. *Angliæ Sacræ* p. XXVI. num. 30. de *Thoma Rudburno Juniore*, cujus etiam mentionem facit Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 9. pag. 636.

1460 THOMAS CHAUNDLER, ex Registro Bekynton, Socius Novi Collegii Oxoniensis, Diaconus a Thoma Wellensi Episcopo ordinatus est 1444. 21. Febr. Presbyter ab eodem 1445. 13. Martii. Collegii Wintoniensis Custos creatus est 1450. 18. Nov. *Antiquitatum Oxoniensium* parte 2. p. 132. Collegii Novi Oxoniensis Custos 1453. exeunte Februario vel ineunte Martio. Ecclesiæ Wellensis Cancellarius anno 1454. Academiæ Oxoniensis Cancellarius ab anno 1457. ad 1461. Successit Thomæ Gascoing in Præbenda de Combe Ecclesiæ Wellensis 1459. 15. Martii ex Registro Bekynton. Ex Registro Eboracensi Cancellarius Eboracensis Ecclesiæ admissus est 1467. 25. Februarii, resignavit 1486. obiit 1489. Plura de se ipso Chaundelerus docet in *Excerptis Colloquiorum* sequentibus hac parte 2. p. 355. & 357. Nonnulla autem, quæ alibi de eo dicta inveni, præmisi. *Vitæ Thomæ de Bekynton & Willelmi de Wickham Episcoporum*, Thomæ Chaundler authori debentur, & ex Codice Cottoniano *Titus A. 24.* acceptæ sunt. Plurima illi cum Thoma de Bekynton Episcopo Wellensi familiaritas intercessit, pluresque optimas dignitates dono ipsius accepit, quo nomine Epistolæ multæ Panegyricæ & gratiarum actoriæ ad illum a Chaundlero scriptæ, inter Epistolas Bekyntoni reperiuntur. His dictis ad Codicem Cottonianum redeo, continentem Opera Chaundleri. Continet in primo loco *Chronicam brevem de ortu, vita ac gestis Willelmi de Wickham*, nulli authori adscriptam. Hanc ex eo descriptam edidi, & Thomæ Chaundler adscripsi, ideo quod omnia, quæ habet, in sequentibus Chaundleri Collocutionibus verbatim reperiantur. Et sane si loca de Virtutibus communia, & Willelmi laudes luxurianti calamo amplificatas sæpiusque ingestas demas, nihil habet spissum *Colloquiorum Opus*, quod brevis hæc Epitome non continebit. Sequitur in Codice isto *Testamentum Willelmi de Wickham* apud Suthwaltham 1403. 24. Julii conditum. Dein *Poema de ortu, vita & obitu Willelmi Wickham Episcopi Winthoniensis & fundatoris CC. Clericorum.* Poema excipit prolixum Opus in duas Allocutiones distributum. Prima Allocutio habet Collocutiones 7. His titulus est, *Collocutiones VII. de laudibus Willelmi de Wickham, fundatoris ducentorum Clericorum*, Nuncupantur istæ Thomæ de Bekyngtona, Episcopo Wellensi & Bathoniensi Epistola prolixa, quæ sic incipit: *Cum dudum beatissime Præsul, eam quam apud Oxonium Reipublicæ curam gessi, & Cancellariatus officium succedenti mihi nobili ac dignissimo Præsuli tradidissem.* Cancellariatum Oxoniensem a Thoma derelictum anno 1461. Præsul nobilissimus Georgius Nevill Episcopus Oxoniensis suscepit, ex Antiquitatibus Oxoniensibus part. 2. p. 411. *Collocutiones istas scias velim per unum e Scholaribus, quem ego in teneris annis Philosophiam docui, suo modo indigeste collectas, mihi tamen amico, cum Winthoniense Collegium custodirem, in libello conscriptas, nullo præter nos hominum sciente. Sed ex elimato superfluo, plurima sui parte correctas, in multis vero mutatas, tibi duxi transcribendas.* Collocutores sunt Philosophi duo, Panestius & Ferrandus. Collocutio prima de laudibus Thomæ Episcopi Wellensis agit, ex qua desumptam Vitam Thomæ Episcopi brevem exhibui. In secunda ostenditur, Willelmum nobilem fundatorem, virum extitisse moribus compositum, & transcurrendo morales virtutes, simulque interferendo Willelmi vitam, Collocutionem ingrediuntur quædam de ejus sapientia. Collocutio tertia ostendit eundem nobilem hunc Fundatorem, hominem fuisse moraliter fortem. Collocutio quarta de ejus temperantia. Collocutio quinta emergentem dissolvit ambiguitatem, scilicet, an sapiens possit perturbari? Sexta de nobilis Willelmi fundatoris justitia agit. Septima Domino Willelmo nobili fundatori cæteras virtutes morales contribuit. Sequitur *Allocutio secunda*, ubi de vera laude & gloria demonstrabitur, quæ fideles hic Christianos gloriosos magis efficiunt & laudabiles. Ista Dialogi formam non habet. In Collocutione quinta, Collocutores sunt Cancellarius, Panestius & Ferrandus: Cancellarium sic alloquitur Panestius. *Cancellarium te nuper Oxoniæ, modo tamen Wellensis Ecclesiæ factum læti cognovimus, o dignissime Custos Thoma; & cum in utroque dignitatis statu*

vir ſteteris bonoratus, ut ſis idem & uterque & Cancellarius & Cuſtos: qui Dei & fundatoris Willelmi perpetuo beneficio, primum Winthoniæ puer, hinc Oxoniæ Socius, iterato Winthoniæ Cuſtos, & demum Oxoniæ, ibi quoque & hujus Eccleſiæ Cancellarius, omnem vitam ab adoleſcentia conſumpſerat. Ex his locis Thomam Chaundler authorem eſſe *Colloquiorum* ſatis ſuperque conſtat, quamvis Codex nomen ipſius non præferat. His Colloquiis uſus eſt Thomas Martin L.L. Doctor, Cancellarius Winthonienſis ſub Gardinero Epiſcopo, in ſuo *de Vita Willelmi Wickham* Commentario concinnando, qui prodiit poſt authoris obitum Londini anno 1597. editus, & ſuppreſſo Authoris nomine Oxoniæ 1691. recuſus. Hæc nos verbotenus ex Henrico Warthon in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ Sacræ* num. 16. p. 17.

1460 HENRICUS GUNDELFINGEN SEU GUNDELFINGIUS, natione Germanus, patria Conſtantienſis, Eccleſiæ Friburgenſis in Helvetia Capellanus, poſt annum 1460. clarus anno 1476. ſcripſit tribus libris *Chronicon ſeu Hiſtoriam Domus Auſtriacæ*, cujus MSS. adhuc exiſtentis, mentionem ampliſſimam facit Petrus Lambecius libro 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* p. 465. ubi caput ſextum ita inſcripſit: Caput VI. *de Henrici Gundelfingii Hiſtoria Auſtriaca hactenus inedita, cujus Codex MSS. membranaceus, qui in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea adſervatur, eſt inter MSS. Codices Hiſtoricos Latinos trecenteſimus vigeſimus primus.* Deinde p. 466. inquit, Quoniam in-„ter varia illa antiqua monumenta, quorum „cap. 1. p. 3. hujus libri 2. in Diſſertatione *de no-„mine urbis Viennæ* mentionem feci, *Hiſtoria* et-„iam *Auſtriaca Henrici* cognomento *Gundelfin-„gen* a me citata eſt, eaque hactenus nondum in „Lucem prodiit: id circo tam argumenti quam „auctoris cauſa neceſſarium arbitror, ut qualis „illa, quantaque fide digna ſit, orbi erudito, „paucis hic indicem. Quod jam primum igi-„tur ad *nomen, patriam, ſtatum & ætatem* aucto-„ris ſpectat, notandum eſt, quod in principio „Præfationis ad *Sigiſmundum*, primum ejus no-„minis Archiducem Auſtriæ, ipſe appellat *Hen-„ricum Gundelfingen de Conſtantia, Artium Ma-„giſtrum, & Eccleſiæ Friburgenſis Capellanum.* „Unde patet, etſi cognominatus fuerit *Gundel-„fingen*, revera tamen illum non fuiſſe *Gundel-„fingenſem*, ſed *Conſtantienſem*. Per *Friburgum* „autem, cujus Eccleſiæ Sacellanus fuit, non in-„telligendum eſſe *Friburgum Briſgawiæ*, ſed *Hel-„vetiæ*. De tempore porro, quo Opus iſtud „compoſitum & abſolutum eſt, clariſſimum „certiſſimumque extat indicium; cum in Præ-„fatione ad Archiducem *Sigiſmundum*, quippe „quem ibi *Fœderis* illius quod anno 1474. con-„tra Ducem Burgundiæ *Carolum Pugnacem* „cum variis Principibus, Populis & Civitatibus „iniere, Splendidiſſimum jubar nuncupavit; „tum in ipſius Operis *parte tertia* ſeu *ultima*, utpote quæ clauditur narratione duarum cla-„dium graviſſimarum, quibus jam memoratus „*Carolus* Burgundiæ Dux ab Helvetiis eorum-„que Confœderatis anno 1476. apud *Granſeum* „& *Murattum* affectus eſt. Perſuaſiſſimum e-„nim habeo partim ex ornatu Scripturæ, par-„tim vero etiam ex variis aliis circonſtantiis, „Codicem illius Hiſtoriæ manuſcriptum, qui „nunc in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea ad-„ſervatur, & inter MSS. Codices Hiſtoricos „Latinos CCC XXI. eſt, illum ipſum eſſe, „quem Auctor anno 1476. *Archiduci Sigiſmun-„do* gratulabundus obtulit. Mentio enim ibi „fit, *Caroli* Burgundiæ Ducis tanquam adhuc „ſuperſtitis, qui anno ſequenti 1477. in tertio „infelici prælio apud Nanſejum occubuit.„

Hujus Chronici inſcriptio ita ſe habet.„ *Sereniſſimo, Illuſtriſſimoque Sigiſmundo, Domus „Auſtriæ, Stiriæ, Karinthiæ &c. Principi, Tri-„dentinorumque montium Domino Excellentiſſimo, „noſtræ confœderationis jubari Splendidiſſimo, „Henricus Gundelfingen de Conſtantia Artium „Magiſter, Eccleſiæ Friburgenſis Capellanorum ul-„timus, humilem obedientiam perſcribit, & præ-„ſens dedicat Opuſculum. Cum tuam dignita-„tem atque amplitudinem tantam eſſe exiſtima-„rem, Magnificentiſſime Princeps, ut alienum a me „eſſe ducerem, fas eſſe ad componendum hoc tuæ lau-„dis Opuſculum, animum appellere &c.* Teſta-„tur Lambecius loco citato p. 472. & 473. Chronicon illud multis fabulis reſperſum eſſe, ideoque luce publica indignum judicatum, quamvis ab Scriptoribus antiquioribus has fabulas Henricus Gundelfingius acceperit. „ Meminit *Henrici Gundelfingii & Hiſtoriæ ipſius „Auſtriacæ* Wolfgangus Lazius libro 1. *Com-„mentariorum ſuorum in Genealogiam Auſtria-„cam* cap. 1. his verbis: *Henricus Friburgenſis, „quidam Sigiſmundo Archiduci Chronicon ſuum „dedicavit, quod incipit, Tremulentus aggredior, „&c.* Hæc Lazius. At enim vero nec *Fri-„burgo* Henricus ille oriundus fuit, ſed *Conſtan-„tia*, ut ſupra oſtendi: hinc etiam a Raphaele „Volaterrano ſub finem libri XXIII. *Antro-„pologiæ*, recte *Henricus Conſtantienſis* vocatur. „Nec ipſum ejus Chronicon incipit, *Tremu-„lentus aggredior &c.* Sed hæc verba ſub fi-„nem Præfationis ad *Archiducem Sigiſmundum* „hoc modo leguntur: *Nunc inſtitutum Opuſcu-„lum, Clariſſime Princeps, tremulentus aggredior, „&c.* Latiſſime de hoc *Henrico* Petrus Lambe-„cius lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* cap. 6. a p. 466. ad 477. 493. ad 510. ubi illius excerpta refert, quem compendio hic expreſſimus.

JOHANNES DE NAELWICK ſeu NAELDUVICO, Hollandus, nobili ſtemmate ortus, claruit ac anno 1460. ad 1489. quo obiit, ob doctrinam ſimul ac militarem artem, quibus excelluit. Joannes noſter licet laïcus & armiger, nec Eccleſiaſtici ordinis fuerit, a me tamen hic inſertus eſt, ne memoria viri Equeſtris 1460

ſtris poſteritati excideret, qui primus *Patavicas res* excluſis antiquiorum temporum fabulis, ratione vera & ſincere conſcripſit. Floruit ſub Philippo & Carolo audace Burgundiæ Ducibus, ſub Maximiliano & Philippo Auſtriæ Archiducibus, qui ſibi in Comitatu Hollandiæ ſucceſſerunt. Promotus a Philippo Burgundo ob familiæ nobilitatem vetuſtatemque, ad honorem Equeſtris ordinis. Hic eodem hoc tempore ſcripſit lingua Batavica. *Chronicon Hollandiæ a Theodorico Comite primo ad annum Chriſti 1462.* Extat illud imperfectum MS. in Cottoniana bibliotheca ſub effigie Vitellii litera F. Codice 15. ſub titulo iſto, *Cronyche van Hollant van Jan van Naeldwych*, hoc eſt *Chronicon Hollandiæ a Theodorico primo Comite ad annum 1363.* In quo poſt præfationem, præmittuntur nomina librorum, quibus auctor in componenda hac hiſtoria uſus eſt. In eadem autem bibliotheca Cottoniana, quæ theſaurus Hiſtoriarum merito nuncupari poteſt, idem opus extat ſub effigie Tiberii, litera C. Codice 4. ubi inſcribitur, *Hiſtoria vel Chronicon Hollandiæ & Zelandiæ, ſcriptum per Johannem van Naeldwyck anno Domini 1461.* Unde non modica ſuſpicio mihi eſt, Scriptorem hunc centum annis juniorem eſſe, quam antea credideram, cum illum ob primi MSS. Codicis fidem anno 1363. deficientis, anno huic aſſignaſſem. Sed tollit ſuſpicionem Codex MSS. ſecundus, qui hoc Chronicon anno 1461. Scriptum refert, unde ætatem Scriptoris agnoſcimus. Confirmatur id, quod inter eorum nobilium ac Equitum Hollandiæ Friſiæque nomina & cognomina, qui illuſtriſſimum Carolum Ducem Burgundiæ Dominum & Principem ſuum, in Comitem Hollandiæ & Dominum Friſiæ, Hagæ Comitis 21. Julii anno 1467. ſolemniter inaugurarunt, comparet X. *Henricus de Naeldwyck, & XXXV. Johannes de Naeldwyck* de quo hic loquimur. Ita Boxhornius in ſuo *Theatro Hollandiæ* p. 72. quod Lugduni Batavorum anno 1632. in 4to edidit. Quantum conjicere poſſum, Chronicon illud Joannis de Naeldnwick, ſcriptum lingua Batavica, impreſſum fuit abſque nomine Auctoris, qui ignotus eſſe voluit Gondæ anno 1478. ſed vitioſe admodum pro more typographiæ tunc naſcentis, ut teſtatur Petrus Scriverius in Dedicatione alterius editionis, quam anno 1663. Amſtelodami in 4to procuravit. Illic hoc Chronicon a p. 1. ad 150. excurrit, atque ad annum 1477. quo concluditur. Nam quæ pag. 151. & 152. Latina & Gallica, ab aliquo poſteriore adjecta fuiſſe conſtat. Additiones autem ad illud a p. 153. ad p. 280. factæ ſunt, quas idem Petrus Scriverius labore non ignobili anno 1630. collegerat, ut in prima illarum pagina ſeu fronte annotatur. Hoc igitur Chronicon impreſſum anno 1478. Goudæ ipſo Authore vivente, qui nomen ſuum conſulto ſupprimere voluit, forſitan, quia minus favebat partibus Mariæ Burgundæ Caroli Audacis filiæ & hæredi quam Brederodio ad ſucceſſionem Comitatus Hollandiæ adſpiranti, uti poſtea dicitur. Aliam enim ſuppreſſi nominis cauſam ominari non poſſumus. Anno autem 1488. cum Franciſcus Brederodius contra Philippum Archiducem Auſtriæ, urbium Batavicarum defectionem in ſui gratiam tentaret, opera Johannis Naelduviceni uſus eſt, quæ tamen infauſte ipſi ceſſit: ut habet Renerus Snojus *Rerum Batavicarum* lib. 12. p. 177. & 178. paſſim. Pag. 177. lineâ 6. „ Collatis tandem in unum viribus, Hollandi centurias aliquot militum inſtruere, quæ Franciſco Brederodio, luctando reſiſterent: quando Johannes Naelduvicenus auratus Eques, Sponte Fautorque egregius Hamatorum ſeu Hœxiorum, ut linguâ Batavicâ vocantur, inſtructa mille militum claſſe, Lacam conſcendens, Sconhoviam iret oppugnatum. Quem magna animi fortitudine, Cives, ut appuliſſet, a mœnibus arcere, plurimis ſuorum interfectis. Alii dum trepide naves repetere, aquis immerſi. Quædam etiam naves vado hærentes, in poteſtatem Civium venire, reliquis ægre, paſſis velis, Roterodamum tendentibus.„

Ibidem linea 58. Atque dum civilia bella in hunc modum per Hollandiam graſſantur, Suburbiis Goudæ combuſtis Montfortius ferocior, haud ſegniter cum Johanne Naelduviceno Leydim cum exercitu properare, animoſe magis quam provide, urbem intempeſta nocte oppugnando aggreſſuri. Etiam ſuperatis foſſis, magnâ animi fiducia exertis gladiis, cominus auſi, cum Civibus manum conſerere. Verum multa vi a mœnibus propulſi, ducenti fere eorum præcipitio vulneribusque interiere: ut ignominiâ ſimul ac clade affecti, præter ſpem cogerentur militem reducere.„

Ibidem p. 178. linea 10. Idem Johannes Naelduvicenus, centum circiter Scaphis, abunde ſat frumento vinoque onuſtis, quibus, per alveos clam ſe in urbem Roterodamum a Franciſco Brederodio occupatam, poſſe irrepere credebat, præpeditus tumultuoſe a Præfecto militari eſt, quem per hos dies Maximilianus in Hollandiam miſerat. Trecentis ſuorum prima trepidatione interfectis, pluribusque ſubmerſis, ipſe captus, ſe mox pecunia redimere coactus eſt. Cum autem in Zelandiam Franciſcus Brederodius cum claſſe ac Johanne de Naeldwick progreſſus eſſet, haud meliorem fortunam expertus fuit. Nam ut, ibidem linea 33. Certatim utrinque magnis animis, quoad hoſtes verſis in terram proris, fugam moliri, & ab Hollandis a tergo preſſi, redintegratis viribus ſubſiſtere coacti ſunt, capto Brederodio lethaliter vulnerato, Johannes noſter Naelduvicenus vix cum paucis effugere. Hoſtium ea pugna quadringenti & amplius cæſi, Brederodius Dordracum avectus, ibidem mox & vulnere obit, ad Divi Auguſtini humatus. Hæc de Joanne de Naeldwick Renerus Snojus libro 12. editionis 1620. Francofurti in folio. Joannes autem Barhornius

nius in *Theatro Hollandiæ* p. 299. & 306. narrat, eundem Naelduvicenum cum magna militum manu anno 1489. urbem Gertrudisbergam aggressum, cum nemo resisteret, occupasse: qui tamen paulo post excessit. Idem de familia & pago Naelduvicensibus in Delfensi ditione p. 173.

1460 PETRUS a NUMAGEN dictus, ex oppido hujus nominis ad Mosellam posito Diœcesis TREVIRENSIS, Andreæ Archiepiscopi Craynensis & Cardinalis in executione Concilii Basileensis Secretarius, & S. Leonhardi extra mœnia Tigurina Sacellanus, post annum 1460. claruit, de quo ita Gesnerus in editione *Bibliothecæ* prima loquitur. " *Petrus Numagen* „*Trevirensis, Sacerdos in urbe nostra, circa an-* „*num Domini* 1483. *scripsit de Nicolao Subsylvano* „*Helvetio, qui longo tempore Solitarius sine cibo* „*vixisse creditur. Item Tractatum de Spirituum* „*apparitionibus & plantasmatibus, qui extat in* „*Bibliotheca nostra publica, apud nos, autoris ma-* „*nu, ni fallor, conscriptus.* Neutrum horum „vidit Hottingerus, qui Bibliothecæ curam „habuit. Extat tamen *Passionale Felicis Hem-* „*merlin, manu Petri Numagen, Capellani S. Leon-* „*hardi prope Thuregum, Scriptum & finitum Sab-* „*batho* 19. *Martii* 1502. Prout reliqua Malleoli „Opera pleraque *ἀνέκδοτα* circa annum Domi- „ni 1471. Decanus quidam Zurzachensis Her- „mannus descripsit. Extat & *Petri apographum* „*Disputationis habitæ inter Spiritum quendam &* „*Priorem fratrum Prædicatorum.* Descripsit i- „dem Petrus *Fabularium Conradi de Mure*, ut „supra jam diximus. *Notas* addidit Actis Ar- „chiepiscopi Craynensis, quas manu ejus de- „scriptas, jam ante hac evulgavimus, nempe „*Historiæ Ecclesiasticæ* Seculo XV. Tiguri 1651. „in 8. Appendice ad Sectionem 1. a p. 355. ad „605. Ejusdem etiam *Examen & refutatio* „*XXIV. errorum, quos Latini Græcis tribuunt*, „MS. extat in Bibliotheca nostra Carolina, quæ „quæ huic etiam Petro adscribitur. Videatur „Johannes Jacobus Huldricus, *de religione Græ-* „*corum* p. 64. editinnis Tigurinæ 1621. in 4to. Hæc Johannes Henricus Hottingerus Tigurinæ Bibliothecæ Præfectus in *Bibliotheca Tigurina* p. 161. verbo *Numagen Petrus*, editionis 1664. Tiguri in 4to. Cujus etiam mentionem facit Henricus Warthon in Supplemento *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1480. verbo *Andreas Craynensis* p. 162. Verum hoc anno 1703. Hottingerus Tiguri Theologiæ Professor, ad amicum nostrum Crenium misit Catalogum MSS. Codicum Tigurinarum bibliothecarum tam *Civicæ* ut vocant quam *Carolinæ*, seu Civium atque Canonicorum, quem mei gratia postulaverat. Ex hoc cognovi Canonicos Tigurinos fuisse hæredes bibliothecæ seu librorum omnium Petri Numagensis, qui in illorum bibliothecam transierunt, tam quos ipse composuerat, quam quos manu sua descripserat: unde collegi vixisse illum, usque ad annum 1505. vel ultra. Extant illi in Bibliotheca Carolina seu Canonicorum inter MSS. Codices tantum chartaceos, hoc ordine juxta hunc Catalogum Codice 10. num 2. *Carmen heroicum Petri Numagen anno Domini* 1504. *Num.* 3. *Diodorus Siculus Latine per eundem Numagen.* Codice 11. num. 3. *Conradi de Mure Fabularius, manu Petri Numagen* 1502. Codice 12. num. 1. *Platina de honesta voluptate & valetudine per Petrum de Numagen.* Num. 2. *Suetonius Tranquillus, Petri de Numagen* 1502. Codice 13. num. 1. *Catalogus Episcopatuum mundi Petri Numagen.* Num. 2. *Itinerarium Terræ Sanctæ Wilhel Brunonis, alias Textoris de Aquisgrano, Petri Numagen* 1490. Codice 24. num. 3. *Petrus de Numagen de Nicolao Subsilvano.* Num. 4. *Apparitio ejusdem.* Num. 5 *Loci communes Petri Numagen.* Codice 27. qui opuscula multa ac multorum complectitur, num. 8. *Gesta Archiepiscopi Craynensis.* Num. 9. Quædam de Actis Concilii Basiliensis. Num. 10. Obsceni errores *Græcorum Petri Numagen.* Hæc ex Catalogo MSS. Codicum Tigurinorum Bibliothecæ Carolinæ, quem ab Hottingero Hottingeri alterius filio ac Theologiæ Professore habuimus.

VITUS ARENPECKIUS, Sacerdos Lanshuta oriundus, natione Germanus, monasticam vitam professus, monasterii etiam Ebersperg ensis in Bavaria Prior factus est. Claruit anno 1460. atque aliis sequentibus, usque ad annum circiter 1500. sub Ludovico ac Georgio Bavariæ Ducibus, qui ambo *Divites* ob opulentiam cognominati, Ingolstadiensem academiam fundatam multis privilegiis ab anno 1459. ad annum 1472. ornarunt. Cum ergo jam ab anno 1460. sub Ludovico Divite floreret, ipso ad annum 1479. vita functo, Georgius ejus filius & Bavariæ hæres, ipsi Vito aliisque eruditis ea tempestate in Bavaria injunxit, ut *Chronicon Ducum Bavariæ* conscriberent. De illo ita Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 565. editionis secundæ. 1460
Vitus Arenpeckius Sacerdos, Landshuta ori-„ undus, ab Joanne Aventino sæpius comme-„ moratur inter domesticos historicos, qui res„ Bajorum posteris transmiserint: ac testatur,„ eum parentum suorum memoria sub Duce„ Georgio claruisse, deque Boiis & Latina &„ Germanica lingua diligentissime egisse, inque„ Bibliotheca Fraxinensium Pontificum servari,„ monet idem initio Libri primi. Idem Lib. 3.„ cap. 6. p. 569. de altero sic Georgius Hugo, Phi-„ losophus & Prior inferioris Altaichii in Bava-„ ria, quod cœnobium divo Benedicto dicatum,„ est, refertur ab Johanne Aventino inter Scri-„ ptores domesticos, qui parentum memoria hi-„ storiam Latine condiderunt, ideoque jussu„ Ducis Bavariæ Georgii, scripsisse de Boiis, idem,„ Aventinus author est in Scriptoribus quos,„ præmittit Lib. 2. Annalium Bojorum. Quid de,„ Historia Georgii Hugonis factum sit, nescio, &„ apud Petrũ Lambecium Lib. 2. *Commentariorum*„ *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. p. 976. lego

lego Chronicon istud Viti Arenpeckii *de Ducibus Bavariæ*, extare inter manuscriptos Latinos Codices ex arce Ambrasiana in Bibliothecam Cæsaream anno 1665. allatos Codice CCCLXXXI „Ita ille p. 976. Volumen CCCLXXXI. chartaceum in folio regali, quo continetur Viti Arenpeckii, Prioris Monasterii Eberspergensis „*Chronicon Bojoariæ* sive *Bavariæ*, Latina lingua „compositum, hactenus, quod sciam, needum editum, quamvis sæpius a Johanne Aventino „citetur in Annalibus Bojorum. Hæc αὐτόπτης Petrus Lambecius loco citato. Certiora de Scriptore isto nobis affert vir clarissimus Godefridus Guilielmus Leibnitius in Introductione ad Tomum III. Collectionis *de Scriptoribus Brunswicensia illustrantibus* Num. XXVIII. pag. „23. his verbis. „Chronicon Opus Arenpeckii Frisingensis Presbyteri, quem Aventinus „aliquando *Areopagum* vocat, hodie in Biblio„theca Bavarica habetur, dedicatum *Sixto de* „*Tanbergiorum familia*, Episcopo Frisingensi, i„psa prima die, Januarii anni Domini 1495. un„de excerpta quædam edere placuit, in quibus „Autor non tantum Wingartensem Mona„chum de Guelfis secutus est, sed & multa a„liunde collecta adjecit, & Historiæ Guelforum „quoddam velut compendium complevit. „ Excerptum autem ex Arenpeckio, dicto Tomo 3. p. 660. ad 675. qui & ejusdem Authoris *Collectanea quædam* extare in *Monasterio Tegernseensi*, accepit. Scripsit igitur *Chronicon suum sub* Georgio Divite, Bavariæ Duce, quod anno 1495. Sixto Frisingensi, Episcopo dedicatum legitur die prima Januarii. Hæc ad Lambecium Leibnitius, quem excerpsimus grato animo, donec illud in lucem publicam prodeat.

1460 BERNARDUS a BREITENBACH, natione Germanus, non autem Anglus, uti male a Joanne Pitseo scriptum est, vir nobilis, Frederici III. Imperatoris temporibus floruit ab anno 1460. & sequentibus, ad annum usque 1490. vel circiter. Auctor est *Itinerarii* sive *Passagii in terram Sanctam*, in cujus operis initio, indicat se fuisse *Camerarium & Decanum*, ut loquuntur, *Ecclesiæ Moguntinæ*, cujus Canonicorum nobili Collegio multis annis inscriptus, cum laude & pietate conversatus est. Breitenbachius devotione motus invisendi loca sancta, Christi Domini vestigiis honorata, anno M CCCC LXXXIII. iter in Terram Sanctam aggressus est, una cum fratre Felice, Lectore & Prædicatore Ulmensi; ac Hierosolyma, Monte Sinai, Cairo Ægypti, aliisque Palestinæ locis lustratis, scripsit ea, quorum αὐτόπτης fuit, domumque rediit anno proximo, mense Januario. Extat inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis, Codice 1376. in Manuscriptis Codicibus Collegii Lincolniensis Codice 55. num. 4. *Bernardi cognomento Sapientis Peregrinatio in urbem Hierosolymam & in Ægyptum*, describens quæ ipse vidit in his locis atque aliis multis adjacentibus. Reversus autem ad sua Bernardus, *Itinerarium* a se factum, edendum Latine curavit Moguntiæ anno 1486. in folio, cujus exemplaria tria inter libros impressos Bodlejanæ Bibliothecæ publicæ, ut constat ex Catalogo illius, quem Thomas Hydius Oxonii 1674. in fol. edendum curavit, ubi verbo *Breitenbachius*, legitur: *Peregrinatio Hierosolymitana ad Sepulchrum Domini, & Catharriniana ad montem Sinai, ac per varias Orientis partes, cum iconibus*, Spiræ 1502. O. 31. Art. Et Moguntiæ 1486. I. 1. 7. Art. & cum coloribus B. 1. 16. Art. Seldeni. Narrat quoque Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 6. pag. 571. se habuisse exemplar hujus Operis lingua Germanico-Belgica an. M CCCC LXXXVIII. Moguntiæ editum, quod excuderat Magister Erardus Rewyck, Ultrajectinus, quem antea hujus itineris in Palæstinam adsumpserat Socium Breitenbachius, ut in urbibus ac portibus rite depingendis opera ejus uteretur, quemadmodum ipse Breitenbachius initio fere *Itinerarii* sui refert. Mentionem faciunt *Bernardi a Breitenbach*, Joannes Pitseus in Appendice *illustrium Angliæ Scriptorum* Centuria prima pag. 827. Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 6. p. 570. editionis ultimæ. Carolus du Fresne Dominus du Cange in *Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, verbo *Bernardus cognomento Sapiens* columna XCIV. ubi scribit, hoc opus esse editum Tomo I. Sanctorum Ordinis divi Benedicti, pag. 523. Codice MSS. Collegii Lincolniensis videtur imperfectus, incipiens ab his verbis, *Anno 970. &c.* opusque eodem modo editum Tomo I. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, sub titulo *Bernardi Monachi cognomento Sapientis Itinerarium terræ Sanctæ*, Anno 970. Sed in impressis ab ipso authore dum viveret, compatent nomen & cognomen ipsius. Dicavit autem Opus hoc Bertholdo Principi Hennenbergensi ac tunc temporis Archiepiscopo Moguntino, quem a. M CCCC LXXXIV ille honorem adeptus erat, & annum M D V. obtinuit. Editiones igitur Operis hujus primæ, integriores atque meliores recentiore ista sunt.

FELIX SCHMID, Latine *Faber Serarius*, gallice *Serurien*, de quo statim locuti sumus, claruit ab anno 1460. & sequentibus. Hic natione Helvetius, patria Tigurinus, qui cum illic humanioribus litteris imbutus fuisset, Ordinem Fratrum Prædicatorum in Conventu Ulmensi professus, tantos ibidem progressus egit, ut *Lector Theologiæ & Concionator hujus urbis* non contemnendus haberetur. Ob pietatem igitur & Doctrinam assumptus est a Bernardo de Breitenbach anno 1483. in Socium peregrinationis ad Palæstinam & urbem Hierosolymam, unde factum, ut Scriptor credatur *Peregrinationis in urbem Ierosolymam & Ægyptum*, de qua superius, diximus in *Bernardo a Breitenbach*. Ita censet Guilielmus Eisengtenius Ne- 1460

metensis

metensis in *Catalogo Testium Veritatis, præsertim qui Papatum coluerunt*, edito Dilingæ 1565. in fol. Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Felix Fabri*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 6. quamvis Bernardus de Breitenbach illam sub suo nomine a. 1486. edendam ac Bertholdo Archiepiscopo Moguntino dedicatam curaverit. Scripsit quoque *Historiam Sueviam* libris duobus anno 1483. idem Schmidius, quam editam esse puto inter *Scriptores aliquot rerum Suevicarum* pag. 46. ex Bibliotheca Melchioris Goldasti, Francofurti impressos 1605. in 4. Impressam hanc Historiam testatur Joannes Henricus Hottingerus Professor Theologiæ Tigurinus in *Methodo legendi Historias Helveticas*, edita Tiguri cum Opusculis aliis anno 1654. in 8vo. Illic p. 213. *Felix Schmid natione Tigurinus, professione Monachus Ulmensis, Annalibus Sueviæ, res gestas Helveticorum intertexuit, sed minus ἀκριβῶς*. Ejusdem quoque meminit pag. 205. ac excerpta profert pag. 206. 364. 365. 461. & 463. Unde dubium nullum, quin Scriptoribus Historicis accensendus sit.

1460 ANONYMUS MONACHUS MONASTERII BRUNSWICENSIS, Ordinis Divi Benedicti, scripsit Chronicon ex diversis Chronicis excerptum, Summorum Pontificum & Imperatorum ab initio Mundi usque ad annum Christi MCCCCLXXIV. ut semper stylo eodem colligatur ulterius, & sic *Chronica compendiosa* vocitetur. Extat inter Scriptores Germanicos a Joanne Pistorio Niddano collectos Tomo 1. post Chronicon Siffridi Misnensis Presbyteri a pag. 705. ad 754. editionum anno 1583. Francofurti in folio, item anno 1613. ibidem & 1645. Fuisse autem Monachum Ordinis Divi Benedicti Brunswicensem, constat ex his verbis anni 1437. pag. mihi 754.

„Eodem anno 1473. viguit pestilentia in „Brunswig tota æstate, sed hæc gravis erat huic Monasterio, obierunt enim de nostris Fratribus fortiores & adolescentiores Sacerdotes septem numero, inde vix anno elapso obiit senex noster cum duobus aliis Sacerdotibus Monasterii nostri. Eodem anno introductæ sunt solemniter cum processione totius Cleri & populi reliquiæ Sancti Sebastiani „Martyris per Fratres Præmonstratensis Ordinis in Civitatem præsentem, procurante hoc „Serenissimo Principe ac Duce Henrico. Prima Statio cum Missa ad honorem Sancti Martyris, facta fuit in hoc Monasterio altera die „Sanctæ Trinitatis, post ad Sanctum Blasium, „inde ad Sanctam Catharinam, exinde ad Sanctum Martinum &c. Eodem anno in nocte „Conceptionis beatæ Virginis obiit in hydropisi „Nobilis ac Strenuus Dux Henricus, qui toto „tempore vitæ suæ fuit amator & princeps pacis, sepultusque est ad Sanctum Blasium in „Sepulchro Patrum suorum, ubi Abbas nostri „Monasterii in infula cantavit Missam defunctorum, faciensque commemorationem &, „cætera funeralia, cum duobus Decanis Sanctorum Blasii & Cyriaci.„ Titulus Chronici est talis. In hac Compilatione, quæ de diversis excerpta est, videlicet de Jure Canonico, de Ecclesiastica Historia, de Oresio, de Chronicis Eusebii, Hieronymi & aliorum, de Libro, qui dicitur *Gemma animæ*, de Opusculo, quod vocatur *Ordo Romanus*, ostenduntur legere volentibus, aliqua de gestis sive Statutis Romanorum Pontificum, & de Statu bonorum vel malorum Imperatorum, quibus qui successerint, tam in Sede Apostolica, quam etiam in Romana Republica. Præterea quibus qui memorati principes contemporanei fuerint, a Petro Apostolo & Cæsare Augusto, usque ad annum Domini MCCCCLXXIV. Hæc Anonymi hujus inscriptio. Alius fuit Anonymus *Chronici Brunswicensis* Scriptor, natione Germanus, qui circa annum MCCLXXXVIII. clarus exitit, dum scripsit *Chronicon Ducum Brunswicensium a temporibus Ludolphi Saxoniæ Ducis ad annum usque* MCCLXXXVIII. nam Eduardi I. Angliæ Regis tempore se vixisse testatur. Edidit illud una cum aliis ad antiquitates Brunswicenses spectantibus, Joannes Joachimus Maderus, Helmstadii anno 1678. in 4.

ANDREAS ABBAS SANCTI MICHAELIS prope Bambergam, Congregationis Brusfeldensis, natione Germanus, Ordinis Divi Benedicti, post annum 1460. floruit, qui præter Librum *De conceptione Virginis Deiparæ*, scripsisse falso dicitur opus ingens *De gestis Pontificum eorum, Archiepiscoporum, Antistitum, Abbatum & Abbatissarum, qui ex ordine Divi Benedicti in Sanctorum numerum relati fuerunt*, illic ut audio MS. asservatum. Is Andreas fuit sui Monasterii Abbas XXXVI. quem honorem anno MCCCCLXXXIII. adeptus, unde postea edidit *Vitam Sancti Othonis* seu *Ottonis*, Bambergensis Episcopi, qui primus Pomeranis Evangelium prædicavit, libris quatuor comprehensam. Libris autem *De Vita Othonis* anno MCCCCLXXXXIX finem imposuit, ut ad calcem MS. Codicis additum erat: primusque istos libros Jacobus Gretserus in *Divis Bambergensibus* publici juris fecit. Item anno 1681. Colbergæ editi in 4. a Valerio Jaschio Pomerano S. Theologiæ Licentiato, de quibus Acta Eruditorum Lipsiæ 1682. mense Septembri p. 279. & 280. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* ex uno eodemque Scriptore duos conflavit, unum *Andream Sancti Michaelis Bambergæ Benedictinum Abbatem*, cujus mentionem facit Lib. 3. cap. 6. p. mihi 569. editionis secundæ: alterum *ejusdem loci Abbatem*, Lib. 3. cap. 10. p. 643. cui Vitam Sancti Othonis attribuit. Errorem hunc commisit Vossius post Antonium Possevinum, quem verbotenus expressit Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Andreas Germanus Monachus & Abbas Monasterii* 1460

Monasterii extra Bambergam &c. & verbo *Andreas Sancti Michaelis Bambergæ Benedictinus Abbas* &c. quæ nullus non videt pertinere ad unum eundemque hominem.

1460 JACOBUS PHILIPPUS FORESTUS, natione Italus, ortu Bergomensis, professione Ordinis Eremitarum Divi Augustini, qui Paulo Langio in Chronico Citizensi *Jacobus de Pergama* dicitur, ex nobili Forestorum familia prodiit, quæ hodieque Bergomi floret, & Comitis titulo & Soldii dominio gaudet. Cum autem annus Christi M D II'. esset LXIX. natalis hujus Philippi, ut ipse in fine Chronici sui ultimæ lucubrationis testatur, hinc eum esse natum anno Christi M CCCC XXXIV. liquet. Ordinem Eremitarum Divi Augustini anno ætatis tantum XVII. amplexus est, nam alibi ait, se adolescentibus, quos Johannes Rochus conventui suo Bergomenti aggregaverat, Christoque mancipaverat, anno MCCCCLI. fuisse sociatum. Claruit igitur ab anno MCCCCLX. atque sequentibus, & Chronicon scripsit, quod *Supplementum Chronicorum* nuncupavit, editum Parisiis anno 1539. in folio: atque incipit ab orbe condito, neque in annum MCCCCXXXVI. ut est apud Possevinum, desinit: sed in priori quidem Bergomatis hujus 1485. Brixiensi editione & altera 1490. Venetiis & 1486. ad annum MCCCCLXXXV. terminatur; in altera autem Veneta 1506. ac Parisiensi 1539. de qua supra, ad annum M D III. pertingit. Ut semel atque iterum elaborasse idem opus videatur. In hoc opere videri possit nonnihil ab Ambrosio Calepino adjutus, qui in Dictionario de *Venetis* agens, ita scripsit: *De hujus civitatis laude, quoniam apud Jacobi Philippi Chronica a nobis late congestum est, duximus omittendum.* Nisi hoc potius voluit, quædam a se adjecta esse Chronico Bergomatis, quæ lucem nondum viderint. Annus is M D III. quem dixi, erat LXIX. natalis hujus Philippi, ut ipse in fine sui Chronici ait. Edidit præterea Librum *De claris mulieribus Christianis*, quem Beatrici Arragoniæ, Hunnorum & Bohemorum Reginæ nuncupavit. Extant Opera omnia Jacobi Philippi Bergomatis in Bibliotheca publica Oxoniensi, ut testatur Catalogus Thomæ Hidii anno 1674. in folio impressus, verbo *Forestus*, nempe *Supplementum Chronicorum* Parisiis 1539. B. I. I. *Artium. De claris mulieribus Christianis* p. 15. Parisiis 1521. H. 5. 7. *Theolog.* Item Ferrariæ 1497. in folio. Ερώτημα seu *Interrogatorium*, Antwerpiæ 1513. in 8. A. 36. *Theologorum Seldeni.* Quoad Librum *De claris mulieribus* tale est judicium Wicelii de eo opere in Præfatione *Hagiologii*: nihil dicere ab aliis indictum, sed paulo cultius narrare, quam barbari priorum Seculorum soleant, multumque allaborare, ut & opus & operam suam Reginæ Beatrici commendet. Vir est multæ Lectionis, & judicii non vulgaris, sed qui in rebus antiquis, Codicum vitio, quibus usus fuit, nomina immutet. Non satis autem Latinitatis gnarus erat, usque adeo, ut unum *præter princeps*, an *principem* dicat, nihil pensi habeat, cujusmodi apud illum plurima occurrunt. Hoc verbo tenus Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 11. p. 662. editionis secundæ, cujus etiam meminit Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri*, verbo *Jacobus Philippus Forestus.* Hunc anno Domini 1518. alii anno 1520. mortuum esse scribunt.

WERNERUS ROLEWINCK DE LAER, patria Westphalus, ex Diœcesi „ 1460
Monasteriensi oriundus, Monachus Ordinis „
Carthusiensis, domus Sanctæ Barbaræ in Co- „
lonia Agrippina, vir in divinis Scripturis stu- „
diosissimus & valde eruditus, ingenio subti- „
lis, vita & conversatione devotus, scripsit, „
multa præclara volumina, de quibus subje- „
cta extant. In omnes Epistolas Pauli tria, „
magna volumina, quod opus prænotavit *Do-* „
ctrinam Pauli, Lib. 14. Vita Pauli Lib. 7. „
Paradisus conscientiæ Lib. 1. Ad Joannem, „
Episcopum Monasteriensem, *Formula timo-* „
ratorum Episcoporum Lib. 1. Formula vivendi „
Canonicorum & Presbyterorum secularium Lib. 1. „
De dignitate & potestate Sacerdotum Lib. 1. De „
vera nobilitate & ejus origine Lib. 1. Ad Ever- „
rinum Comitem de Beuthem, De optimo genere „
gubernandi Rempublicam Lib. 1. De regimine „
Rusticorum Lib. 1. De Hospitalariis & operibus „
misericordiæ vacantibus Lib. 1. De fraterna „
correctione & visitatione Monastica, atque his „
quibus convenit tractare sacram Scripturam, & „
de gradibus, qui conferuntur in Scholis Lib. 1. „
Quæstiones decem de profectibus Religiosorum „
Lib. 1. Octo quæstionum Lib. 1. Fasciculi tem- „
porum cum circulis ab exordio mundi usque ad „
tempora Sixti Papæ quarti Lib. 1. De laude „
Westphaliæ & ejus conversione ad fidem Lib. 1. „
De origine Frisonum Lib. 1. De Contractibus „
quinam sint liciti Lib. 1. De Kalendario & Mar- „
tyrologio Lib. 1. Sermo longus de Sancto Bene- „
dicto dudum impressus, qui sic incipit, Ego au- „
tem in innocentia mea ingressus sum. *Quæ-* „
stio si Christus in cruce oraverit pro omnibus Lib. 1. „
De excellentia Alberti Magni Lib. 1. Ad quen- „
dam Ordinis nostri Abbatem, qui coactus fuit „
suscipere Episcopatum Lib. 1. De Fraternitate „
vulgari simul convivantium Lib. 1. De Novitiis „
instituendis Lib. 1. De differentia passionum, & „
quid sit passio Lib. 1. De securitate licentia Præ- „
latorum Lib. 1. De sanctis desideriis & modo se „
habendi in illis Lib. 1. De simplicium contempla- „
tione Lib. 1. De horis Canonicis devote persol- „
vendis Lib. 1. Sermones multi Synodales, Ca- „
pitulares & populares, quorum incertus est „
numerus. Scripsit etiam tam ad me, quam „
ad alios, *infinitas pene Epistolas.* Hæc sunt „
quæ se scripsisse mihi nuper confessus est „
anno ætatis 70. conversionis vero 48. cum in „
cella ejus essem sub Maximiliano Imperatore, „

„& Alexandro Papa sexto, anno Domini 1495. „Indictione 13. sexto idus Maji Multa præterea adhuc in manibus versat imperfecta, „suo tempore perficienda.„ Hæc Joannes Trithemius *De viris Germaniæ illustribus*. Clarebat igitur jam ante annum 1460. ex Joannis Trithemii testimonio.

Jam videamus, quænam ex his opera edita sint, & quomodo? Editus est *Fasciculus temporum*, omnia Antiquorum Chronica complectens, per sex ætates mundi digestus, ab orbe condito ad sua usque tempora, seu ad annum 1474. Fallitur autem Guillelmi Cavi continuator Henricus Warthon in *Historia rei Literariæ* ad annum 1480. in *Wernero Rollwinck*, p. 168. dum scribit extare triplicem illius operis editionem, quarum prima ad annum 1470. desierit: nulla enim ejusmodi editio extitit, quamvis Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 61 fateatur, apud se manuscriptum exemplar esse, quod ultra non progrediatur. Prima itaque hujus operis editio usque ad annum 1474. pertingit, atque, ut testatur Joannes Trithemius, qui hunc hominem noverat, *usque ad tempora Sixti Papæ quarti*: annus enim hic erat Sixti Papæ quarti tertius. Ad Sixti tempora pervenisse, ait Arnoldus Bostius, Carmelita Cœnobii Gandavensis, cujus cum honore meminit Ludovicus Guicciardinus in *Descriptione urbis Gandavensis*, & Jacobus Marchantius Lib. 1. *Flandricarum rerum* in Descriptione Gandavi. Ita ille Wernero quoque Synchronus in Libro *De viris illustribus Carthusianis* cap. ultimo, qui Coloniæ primum prodiit anno 1609. cura Theodori Petreji. Prima hujus Operis editio facta absque auctoris nomine, sub titulo *Chronici Chronicorum*, anno 1475. Lubecæ in fol. cujus ad calcem subjicitur *Calendarium* seu *Martyrologium*, a Wernero, ut habet Trithemius, compositum. Hæc ad finem subjunguntur: " *Anno „secundum carnem Filii Dei a nativitate* „MCCCCLXXV. *ipso die sanctissimi Regis & „Martyris Oswaldi, qui est V. Augusti, sanctissimo in Christo Patre ac Domino Domino Sixto Papa IV. illustrissimo praeclaræ domus Austriæ Frederico III. Romanorum Imperatore, invictissimo, „semper Augusto, ac pro nunc Coloniæ existente, „Imperiali nobili in urbe Lubicana arte impressoria, speciali gratia divina, animarum ob salutem fidelium inventa, Epithome istud partes in „sex juxta mundi sex ætates divisum, prius alibi „non repertum, quod placuit* Rudimentum Novitiorum *intitulari, Dei adjutorio, qui supernas res ac subternas fortiter, suaviter, tranquilleque dispensat, per Magistrum Lucam Brandis de Schusz feliciter est excusum atque finitum. „Veteris novique testamentorum, ac aliarum incidentium Historiarum contentivum, a Protoplasto non solum usque ad Christum. ut in proœmio est præmissum, sed etiam omnium Imperatorum ac Summorum Pontificum usque ad annum præmemoratum, omnibus cum Doctoribus „famosis Poetis & Sapientibus contemporaneis eorundem gestatim, cum memorabilioribus eorum, gestis, cateris præcisis, in quantum unico fuit, possibile volumine concludi: ut pauperes, multos, solvere libros non valentes, unum tantum habe- rent enchiridion, loco multorum semper ad manum librorum. Nec talis quemquam moveat abbreviatio, cum Christus fons omnis Sapientia „multa fecerit, quæ scripta non sunt, Joan. 21. „Pro cujus fine semper laus & gloria trino sit & „uno. Amen.*„ Inscribitur autem hoc opus, *Chronicon Chronicorum* in hac prima editione, absque nomine authoris, & ita quoque inscriptum extat in Gallicam linguam translatum a Jacquevello de Burgundia, inter MSS. Codices Bibliothecæ Lugduni Batavorum, ut constat ex ejus Catalogo 1674. in 4to. ibidem impresso, num. 183. pagina 409. Atque hic etiam finit vetustissima editio Lovanii anno 1476. procurata, ubi tamen opus inscribitur jam *Fasciculus temporum*, non *Chronicon Chronicorum*, ut in Lubecana. Nomen auctoris æque ibidem ac in MS. Codice desideratur, ac solum dicitur, *Opus istud propriis cujusdam devoti Carthusiensis & viri Historiarum studiosissimi manibus, ab initio mundi usque ad Sixti Papæ IV. tempora contextum esse*: sed Joannem Veldenacy summa diligentia, majorique impensa, nonnullis additis Imaginibus ad finem usque deduxisse. Secunda editio ad Hydruntum a Turcis expugnatum, sive ad annum 1480. deducitur, quo ait Papam factum Innocentium VIII. sed absque authoris nomine, prodiit Augustæ Vindelicorum 1481. in folio, & Belgice Ultrajecti 1480. sed juxta primam editionem. Atque hic recentissimæ etiam editiones desinunt. Exinde Chronicon hoc continuavit Joannes Linturius usque ad annum 1514. Linturius ille Hoffiensis in Voitlandia pastor fuit, atque istud in causa est, cur ita res alias describat, ut Voitlandiam tantopere, maximeque Hoffiensem spectet Ecclesiam, inquit Vossius. Prodiit denique primum cum Verneri nomine, atque una cum Linturii Appendice habetur, inter Scriptores Germanicos Joannis Pistorii, Francofurti apud Wechelum 1584. tomo 2. p. 580.

Idem edidit *De Westphaliæ situ & laudibus, & Westphalorum seu antiquorum Saxonum moribus* libros tres ab Orthuino Gratio editos Coloniæ 1514. recusos 1602. in 8. *Paradisum Conscientiæ & Quæstiones XII. pro S. Theologiæ Studiosis*, Coloniæ 1475. in 4. *De Sacramento Eucharistiæ & fructu Missarum*. Coloniæ 1535. editum. Claruit autem ab anno 1460. usque ad annum 1502, quo Coloniæ mortuus est, anno ætatis suæ 77. conversionis 55. Godefridus Guilielmus Leibnitius anno 1710. Tomo 3. Collectionis *De Scriptoribus Brunsuicensia illustrantibus* edidit *Werneri Rolewinck Larensis Ordinis Carthusiani De antiquorum Saxonum situ & moribus libros* tres

tres p. 606. ad 653. editæ in folio apud Nicolaum Fœrsterum Hannoveræ typographum. Subdit autem in *Introductione Scriptorum hujus Tomi* Num. XXV. p. 20. hæc de Scriptis Werneri Rolevinck. "Hic Liber etsi aliquoties „prodierit, doctissimum tamen & diligentissi„mum Vossium latuit, qui Wernerum no„strum *de origine Frisonum* scripsisse, nescio „unde hausit, *Frisios* credo, pro *antiquis Sa„xonibus*, per errorem accipiens. Notus est „Werneri hujus *Fasciculus temporum*, id est, „*Opus chronicon ab initio mundi ad annum Domi„ni 1480. perductum.* Miræus in *Bibliotheca „Carthusiana* eidem tribuit *Quæstiones XII. pro „Sacræ Theologiæ Studiosis*, editas Coloniæ apud „Arnoldum Therhorem 1475. in 4. item *Pa„radisum conscientiæ* ibidem in 4. Sed præsens „Opus *De moribus antiquorum Saxonum*, vel „*De laudibus antiquæ Saxoniæ*, nunc *Westfaliæ* „dictæ, edidit ipse in 4. in Carthusia Coloniensi „agens, & Episcopis & Comitibus, aliisque „insignibus Westfaliæ viris dedicavit, ex quo„rum nominibus circiter tempus editionis a typographo vel authore non indicatum, erui„ poterit. Alteram editionem Anno Domini„ 1514. procuravit Orthwinus Gratius, no„tus edito serius *Fasciculo rerum expetendarum„ & fugiendarum*, qui nostris temporibus in„ Anglia renovatus auctusque est, Londini„ nempe anno 1690. tomis duobus in folio." Hæc Leibnitius loco citato p. 20. Introductionis ad *Scriptores* Tomi 3. *Brunswicensia illustrantes*, qui p. 21. & 22. alia adjicit. Hujus mentionem faciunt Trithemius loco citato, Arnoldus Bostius Carmelita Gandavensis in Libro *De viris illustribus Carthusianis* cap. ultimo. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Vernerus Rollevinck:* & Tomo 1. verbo *Fasciculus temporum*. Robertus Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Libro 2. *De Romano Pontifice* cap. 5. Gerardus Joannes Vossius, quem excerpsimus, Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. p. 569. ultimæ editionis. Henricus Warthon, Guillelmi Cavi continuator, in *Historia rei literariæ* ad annum 1480. pag. 168. & alii.

DISSERTATIO
DE
PRIMIS ARTIS TYPOGRAPHICÆ INVENTORIBUS.

CUm in hujus Operis inscriptione seu fronte, dicturum me de Scriptoribus Ecclesiasticis usque ad artem typographicam inventam promiserim: rationi consentaneum opinatus sum, Dissertationem hanc velut coronidem quandam Opusculi hujus adjicere, quam ex variis quoque authoribus pro more mihi consueto concinnavi. Sit itaque

CAPUT PRIMUM.
AN HARLEMI ARS TYPOGRAPHICA INVENTA FUERIT.

HAnc artem Harlemi primum fuisse inventam scribunt in gratiam patriæ Harlemenses atque alii Batavi, de quibus sita Paulus Freherus in *Theatro virorum eruditione clarorum* parte 4. ad annum 1440. p. 1424.

„Hadrianus Junius in *Historia Batavica* anno „Christi 1575 edita, cap. 17. sequentia de hac „re scribit: Habitavit ante annos centum duo „de triginta *Harlemi* ædibus satis splendidis „foro imminentibus e regione Palatii Regalis. „Laurentius cognomento Æditus sive Cu„stos, Germanice Coster: quod tum opti„mum & honorificum munus familia eo nomi„ne clara, hæreditario jure possidebat. Is „forte in suburbano nemore spatiatus, cœpit „faginos cortices primo in literarum typos „conformare, quibus inversa ratione sigillatim „chartæ impressis, versiculum unum aut alte„rum animi gratia ducebat, nepotibus, generi sui liberis exemplum futurum. Quod„ ubi feliciter successerat, continuo altiora„ cogitare cœpit: primumque omnium atra„menti Scriptorii genus glutinosius tenacius„que quam vulgare excogitavit, cum genero„ suo *Thoma Petro*, qui quaternos liberos reli„quit, omnes fere Consulari dignitate functos.„ Postea faginas formas plumbeis mutavit, has„ deinde stanneas fecit, quo solidior minusque„ flexilis esset materia, durabiliorq; faventibus„ ut fit novo invento studiis hominum, cum„ nova merx nunquam antea visa, emptores„ undique alliceret, cum uberrimo quæstu e„rat simul artis amor. Additi familiæ opera„rum ministri, quos inter *Johannes* quidam„ *Faustus* fuerit, ominoso cognomine, hero„ suo infidus & infaustus, sive eo nomine alius.„ Is ad operas cusorias sacramento addictus„ postquam autem jungendorum characterum„ fusilium typorum peritiam, & quæ alia huc„ spectant, percalluisse visus est, ipsa nocte„ quæ Christi natalitiis solennis est, instrumen„torum herilium huic arti comparatorum su„pellectiles convasat, & cum furto hoc Amste„lodamum primo, dein Coloniam, ac tan„dem Moguntiam abit. Ibi anno Christi 1442.„ iis ipsis typis, quibus *Laurentius* usus fuerat„ prodiisse in lucem certum est, *Alexandri Galli*„ *Doctrinale*, quæ Grammatica celeberrimo„ tunc in usu erat. Hæc a Senibus annosis fide„ dignis, & qui tradita de manu ad manum„ quasi ardentem tædam in decursu acceperant„ olim intellexi, scribit Junius. Et Petrus Scri-

„verius Harmensis sequentia *Laurentii Costeri* „*Harlemensis*, primi artis typographicæ inven„toris, iconi supponit:

Vana, quid archetypos & præla Moguntia factor?
Harlemi archetypos, pralaque nata scias.
Extulit hic, monstrante Deo, Laurentius artem:
Dissimulare virum hunc, dissimulare Deum est.

Hæc omnia autem infirmo superstructa sunt fundamento, interque plurima & hoc potissimum est, quod audita tantum Junius referat, & Johannes Faustus aliquot centum vel potius mille librarum tunc temporis maximos typos, hero inscio vix ac ne vix quidem auferre poterit. Adde solos Batavos id scripsisse, qui Harlemi diu manserint, ut suam illinc urbem commendarent.

Producunt Harlemenses in gratiam sui & hujus rei probationem, unum volumen in folio, cujus unum exemplar extat adservatum in ædibus publicis Harlemensibus, & aliud exemplar in Bibliotheca Bentesii, quæ anno 1702. Amstelodami in 4. impressa ad auctionem fuit, ubi pag. 20. inter Theologos Scholasticos & Pontificios num. 258. ponitur: „Een exem„plaar van der Eeersten druck tot Harlem ge„renden door Laurens Coster, om trent het „jaar 1440. Cui nomen est, *Speculum Huma„næ Salvationis ex officina Laurentii Joannis Co„steri anno 1440.* At gratis & imperite Harlemenses hoc opus finxerunt ad imprudentium deceptionem, quod ignorantiam illius, qui hoc opus postea supposuit, ostendit. Certum enim est, ut supponit hic falsus titulus, nullam fuisse anno 1440 ullibi Europæ *officinam librariam*, sed multis post annis tantum, quando ubique potissimarum urbium typographia in usu fuit, nec Harlemenses reperient talem in editionibus veteribus omnibus expressionem ante 1500. annum: unde ex hac phrasi fraudem illorum ac superstitionem concludimus. Qua enim ratione anno 1440. scriptum fuisset, *ex officina Laurentii Joannis Costeri*, cum tunc temporis non alii Libri, quam manuscripti in omnibus locis cum magno labore haberentur? Vide Bernardi a Malincrot, Monasteriensis Ecclesiæ Decani, *De ortu & progressu artis typographicæ in gratiam Moguntinorum contra Harlemenses*, Coloniæ 1639. in 4.

In eandem venisse videtur sententiam Cornelius a Beughem Embricensis *De incunabulis typographiæ* pag. 54. his verbis: *Donatus non authoris, sed libri cujusdam titulus, estque* institurio Grammatices, *Harlemi ligno foliatim incisa, ibidemque circa annum Christi 1440. edita & sic conglutinata, teste Petro Scriverio in tractatu* De arte typograpica, *quæ vulgo artis typographicæ primum specimen habetur.* Verum istud incertum est, nam præfatæ *Grammaticæ* seu *Donati* istius, nec annus nec locus editionis designatur: unde nihil pro Harlemensibus facit, imo Grammatica ista dicitur a Petro Scriverio impressa Moguntiæ, non Harlemi, id quod pro Moguntiensibus facit.

Favet quoque Moguntinensibus & contra Harlemenses extat Angelus Roccha in *Bibliotheca Vaticana*, dum tradit, Aldum juniorem monstrasse sibi *Donatum quendam* primo fere impressum, in cujus prima pagina Mariangelus Accursius sequentia scripsit: "Joannes Faust, Civis Moguntinus, avus maternus Johannis,„ Schoiffer, primus excogitavit imprimendi,„ artem typis æreis, quos deinde plumbeos in-„ invenit, multaque ad poliendam artem addi-„ dit ejus filius Petrus Schoffer. Impressus est,„ autem hic *Donatus & Confessionale* primo o-„ mnium anno 1459. Admonitus certe fuit,„ ex Donato Hollandiæ, prius impresso in tabu-„ la incisa.„ Idem habet Cornelius a Beughem in *Incunabulis typographiæ*, in Appendice Anonymorum Scriptorum sive Authorum innominatorum & sibi non cognitorum, verbo *Donatus* pag. 156. ubi *Donatus & Confessionale Moguntiæ* 1450. Verum sive *Donatus* ille, seu *Grammatica Alexandri Dolensis vel de villa Dei* anno 1442. impressa fit, ut scribit Adrianus Junius citatus, sive anno 1450. ut habent tunc Angelus Roccha & Cornelius a Beughem locis allatis: hoc quoque contra Harlemenses facit, cum omnes fateantur illam esse Moguntiæ impressam, ideoque apud Johannem Faustum typographiæ primum inventorem. **Longe autem probabilius est, nullam aliam** hujus Grammatices Alexandri de Villa Dei impressionem Moguntiæ factam esse, quam anno 1462. ut tradit Cornelius a Beughem in *Incunabulis typographiæ*, verbo *Alexander Dolensis* pag. 9. hoc modo: "Alexander Dolensis, seu ut alii, de Villa Dei, Grammaticus, floruit anno Christi,„ 1240. cujus *Doctrinale Grammatices* metrice,„ sed carmine leonino, cum Explicatione Lu-„ dovici de Guaschis prodiit litteris Goth. cis,„ Venetiis 1483. Idem *Doctrinale* cum Petri,„ Hispani Tractatibus excusum est Moguntiæ,„ 1462. & sub titulo *Grammaticæ Latinæ* 1486.„ in folio, & nisi fallor, Norimbergæ anno,„ 1492.„

CAPUT SECUNDUM.

AN JUXTA NICOLAUM SERARIUM MOGUNTIÆ INVENTA SIT?

Solis igitur conjecturis, iisque incertissimis Harlemenses inniti, quoad impressionem apud se inventam, certum est. Nicolaus Serarius Soc. Jesu Theologus, Sacræ Theologiæ Doctor, & in Academia Moguntina Professor, in *Historia Moguntinarum rerum* Lib. 1. plurimis allatis testimoniis ex *Erasmo Roterodamo*, *Polydoro Vergilio*, *Johanne Trithemio*, *Petro Apiano*, *Conrado Peutingero*, *Chronico Genebrardi*, *Sebastiano*

Sebastiano Brando, *Sebastiano Munstero*, *Theodoro Swingero & Petro Ramo*, statuit Moguntiæ inventionem celeberrimæ hujus artis factam esse: inventorem vero & excogitatorem tradit fuisse Johannem a Gutenberg, adjutores autem *Johannem Fausth*, sive ut ipsi tum loquebantur & scribebant, *Johannem Fust & Johannem Medinbach*. Hæc ipsa sunt verba Serarii:

„Eidem Gudenbergero fuit puer, id est famulus primum, postea vero gener *Petrus Opilionis* sive *Schoffer*, qui complura postmodum edidit Opera. Quia igitur suo isti modo ad artis inventionem juverunt omnes, possunt quodam modo omnes dici ejus auctores, sed ita, ut Gudenberger primas merito teneat. Quem tamen ex equestri ordine cur aliqui statuant, non video, nisi quia ob rei tantæ partum industriamque ipsius & labores, illum honore illo non indignum censuerunt. Ne autem vel a me (pergit Serarius) confingi videantur, vel ab aliis deinceps confundantur ista istorum nomina, adscribam Moguntini typographi & Manuscriptorum nostrorum verba. Ille in Trithemianarum Historiarum Breviarii fine sic: *Impressum & completum est præsens Chronicorum opus anno Domini* M D X V. *in vigilia Margaretæ Virginis, in nobili famosaque urbe Moguntina, hujus artis impressoriæ inventrice prima, per Johannem Schoffer, nepotem quendam honesti viri Johannis Fust civis Moguntini, memoratæ artis primarii auctoris. Qui tandem imprimendi artem proprio ingenio excogitare, specularique cœpit anno Dominicæ nativitatis* M CCCC L. *Indictione* XIII. *regnante illustrissimo Imperatore Frederico III. præsidente Sanctæ Moguntinæ Sedi Reverendissimo in Patre Domino Theodorico Pincerna de Abach, Principe electore.*

„Anno autem M CCCC LII. perfecit deduxitque divina favente clementia, in opus imprimendi, opera tamen in multis necessariis adinventionibus *Petri Schoffer* de Gernsheim ministri, suique filii adoptivi, cui etiam filiam suam Christinam Fusthin, pro digna laborum, multarumque adinventionum remuneratione nuptui dedit. Retinuerunt autem hi duo jam prænominati Johannes Fusth & Petrus Schoffer hanc artem in secreto, omnibus ministris & familiaribus eorum, ne illam quoquo modo manifestarent, juramento adstrictis: quoad tandem anno Domini M CCCC LXII. per eosdem familiares in diversas terrarum provincias divulgata, haud parvum sumpsit incrementum.

Manuscriptus autem sic Codex. "Hoc autem urbis nostræ Moguntinæ triumphale perpetuæ laudis est præconium, quod hanc ingeniosam characterizandi artem, non solers Italorum indago, non celebris Græcorum sapientia, non multiformis Gallorum scientia, neque callidum Barbarorum reperit ingenium: sed industriosi nobilis urbis Moguntiæ cives, scilicet Johannes Gudenberg, qui cum omnem substantiam suam propter artis difficultatem fere profudisset, tandem auxilio Johannis Fusth, Johannis Medmbach & aliorum concivium adjutus, rem perfecit. Postquam Gudenberg commorabatur zum Jungen, qui usque nunc ejus artis nomine nuncupatur. *Petrus Opilionis*, id est *Schoffer* ejus gener, artis impressoriæ dilator extitit, qui etiam suo tempore multa impressit opera. Ecclesiæ Dei quanta provenerit ab hac arte utilitas, quis sufficienter eloqui valebit? Dum multi Codices obsoleti, pulverulentis olim reclusi bibliothecis, nunc impressi palam, modico feruntur pretio venales." Hucusque Serarius.

CAPUT TERTIUM.

ADDUCUNTUR MULTA ALIA IN MOGUNTINENSIUM GRATIAM.

CErtum est, Johannem Faustum seu Fusth Moguntinensem Civem, fuisse primum in Europæ partibus, qui aliqua Opera seu Opuscula impressioni cum designatione loci & anni impressionis commiserit: atque hoc probandum, cum Serarius jam abunde fecerit, supervacaneum quodammodo videtur. Multa tamen hinc inde congesta, ad hanc rem dabimus, quæ controversiam prorsus dirimere videantur.

Anno 1459. *Rationale Divinorum officiorum Guillelmi Durandi Mimatensis Episcopi*, impressum primo est apud Europæanos, Moguntiæ in fol. apud Johannem Fust & Petrum Gernsheim, ut testatur Bernardus Mallinkrot, Decanus Ecclesiæ Monasteriensis in Libro *De ortu & progressu artis typographicæ*, cujus unum exemplar se in bibliotheca sua possidere gloriatur, ubi hujus ad finem hæc subjiciuntur: *Per Johannem Fusth civem Moguntinum & Petrum Gernsheim clericum Diœcesis ejusdem, anno* M CCCC LIX. Cujus etiam editionis omnium primæ fidem facit Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1286. in Guillelmo Duranto pag. 747. Sed latius hoc refert Burcardus Gotthelfius Struvius in sua *Introductione ad notitiam rei litterariæ & usum Bibliothecarum*, edita Jenæ anno 1706. in 8. Ille enim Capite XI. *De typographia*, ubi latissime & verissime de ea disserit paragrapho X. pag. 544. inquit: Extat in Bibliotheca nostra *Durandi rationale divinorum officiorum*, in ejus fine hæc verba leguntur:

Præsens Rationalis divinorum Codex officiorum, venustate capitalium decoratus, rubricationibusque distinctus, artificiosa adinventione imprimendi ac characterizandi, absque calami exaratione sic effigiatus, & ad Eusebiam Dei industrie est consummatus per Joannem Fust civem Moguntinum, & Petrum

Gernsheim Clericum Diæcesis ejusdem, anno 1459. sexto die Octobris.

Biennio tamen antea, seu anno 1457. *Psalterium Latinum* in 4. Moguntiæ vulgatæ editionis, & in Pergameno seu membrana impressum & editum fuisse testatur Petrus Lambecius *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* Lib. 2. cap. 8. pag. 989. ubi de *Psalterio Latino* ita loquitur: „*Reperi inter ea unum impressum Codicem in membrana, in cujus fine legitur*, Præsens Psalmorum Codex venustate „Capitalium decoratus, rubricationibusque „sufficienter distinctus, adinventione artificiosa imprimendi ac caracterizandi absque calami ulla exaratione sic effigiatus, & ad Eusebiam Dei industrie est consummatus per Johannem Fust civem Moguntinum & Petrum „Schoiffer de Gernsheim anno Domini Millesimo CCCC LVII. in vigilia Assumptionis.„ *Hic Codex fuit olim Matthiæ Corvini Hungariæ Regis, nunc asservatur in Bibliotheca Vindobonensi.* Hæc Lambecius. De hac editione non satis apud omnes constat, mihi tamen verissima videtur, ac impressionem anno 1457. inceptam, probare sufficienter. Ita Jacobus Longus *Bibliothecæ sacræ* parte I. cap. 4. de Bibliis Latinis impressis pag. 645.

Alii volunt Biblia Latina primum typis excusa Moguntiæ anno 1450. id quod non probatur. Alii Biblia ibidem ex officina Fausti & Schefferi 1459. teste D. Henrico Salmurho in Notis ad Pancirolum *de recens inventis*, & *de typographia:* Sed D. Joannes Saubertus, visis octo exemplaribus, testatur ea caruisse istis notis. Extat quoque in Bibliotheca Galliarum Regia, inter veteres editiones, *Regula Pastoralis S. Gregorii Papæ ad Joannem Archiepiscopum Ravennensem*, cujus initio manu Gabrielis Naudæi scriptum est, *hunc librum impressum fuisse Moguntiæ* anno 1459. Verum id gratis & ex mera conjectura Naudæus scripsit, nec annus nec locus impressionis notantur.

Anno 1460. iidem Johannes Fust & Petrus Schoiffer ediderunt insigni volumine in fol. *Catholicon Johannis Januensis* cognomento *de Balbis*, ordinis Fratrum Prædicatorum, quod anno 1286. compositum est. Hujus unum exemplar impressionis, apud Moguntiam factæ, vidi ego in Bibliotheca Fuliensium Parisiensium in vico sancti Honorati, cujus ad calcem annus & locus typographiæ, absque typographorum nomine describuntur. *Hic liber egregius Catholicon Dominicæ Incarnationis an. M CCCC LX. alma in urbe Moguntina nationis inclytæ Germanicæ*. Et in Catalogo MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum inter antiquas editiones. Joannis Mori Episcopi Norvicensis num. I. Extat *Catholicon* ejusmodi editionis 1460. illic p. 379. Cujus in fine additur. Altissimi præsidio cujus nutu infantium linguæ fiunt disertæ, quique nimio sæpe parvulis revelat, quod sapientibus celat: hic liber egregius *Catholicon* Dominicæ Incarnationis annis M CCCC LX. alma in urbe Moguntina, nationis inclytæ Germanicæ, quam Dei clementia tam alto ingenii lumine, donec quæ(gratiæ cæteris nationis)præferre illustrareque dignatus est, non calami, styli, aut pennæ suffragio, sed mira patronarum formarumque concordia, proportione & modulo, impressus atque confectus est.

Hic tibi Sancte Pater, nato cum Flamine Sacro
Laus & honor Domino, Trino tribuatur & Uno,
Ecclesiæ laude libro hoc Catholice plaude,
Qui laudem piam semper non linque Mariam

DEO GRATIAS.

Anno 1462. *Biblia Latina S. Hieronymi* seu *Vulgatæ editionis*, impressa Moguntiæ 2. voluminibus in folio, ad quorum finem hæc leguntur. *Præsens hoc Opusculum artificiosa adinventione imprimendi; seu characterizandi, absque calami exaratione, in Civitate Moguntii sic effigiatum: & ad Eusebiam Dei industrie per Johannem Fust & Petrum Schoiffer de Gernsheim, Clericum Diæcesis ejusdem, est consummatum anno Domini M CCCC LXII. in vigilia assumptionis Virginis Mariæ, in folio 2. voluminibus.* Extant quatuor exemplaria horum Bibliorum Parisiis, partim in charta, partim in pergameno extracta, quorum unum in Bibliotheca Regia, alterum in Victorina ad mures Parisienses, tertium in Collegio Navarrico, & quartam in Collegio quatuor Nationum seu Mazarino. Cornelius a Beughem Embricensis in *Incunabulis typographiæ* Discursu Præliminari, testatur, quoque Exemplar horum Bibliorum asservari apud Dominos hæredes Luffridi ab Osterwick, Consulis quondam Embricensis dignissimi, in singulare ornamentum Bibliothecæ quondam refertissimæ. Hæc Biblia ita Scripturam manualem præ se ferebant ac repræsentabant, ut cum Johannes Faustus plurima hujus impressionis exemplaria secum Parisios attulisset, quorum pleraque ex pergameno erant atque aureis litteris & topiis aureis in summa libri pagina ad ornatum delineatis instructa, hæc tanquam manuscripta pretio ingenti vendiderit. Cum vero emptores agnovissent magnam exemplarium ejusmodi multitudinem apud Faustum esse, magia illum usum fuisse opinati sunt, æqualitate Scripturæ in tot ac tantis exemplaribus, mediis ordinariis existente impossibili. Accusatus igitur magiæ apud judices, unde Moguntiam redire confestim coactus est. Interea Parlamentum Parisiense reddidit sententiam, qua Johannes Faustus omni accusatione contra eum intentata & actione absolutus est, ratione Bibliorum venditorum, quod cognovisset, illa esse Exemplaria novæ artis impressionis, quæ recenter inventa, tunc Parisiis nondum nota fuerat. De his Bibliis Jacobus le Long Presbyter & Bibliothecarius

rius Oratorii Parisiensis Tomo 1. *Bibliothecæ Sacræ* cap. 4. *de Bibliis Latinis*, Sectione 3. *de Bibliis vulgatæ editionis a Catholicis impressis*, p. 575. & 576. editionis Lipsiensis 1709. in 8. his verbis loquitur aut scribit.

„ Biblia latina Sacra vulgatæ editionis 2. vo„luminibus in folio ad quorum calcem legitur, „*Præsens hoc opus finitum & completum & ad Eu„sebiam Dei industrie in civitate Moguntina per „Joannem Fust civem, & Petrum Schoiffer de „Gernshem Clericum Diœcesis ejusdem, est consum„matum an. Incarnationis Dominicæ M CCCC LXII „In vigilia Assumptionis Gloriosæ Virginis.* Hæc „est prima & extans omnium Bibliorum im„pressorum editio, quæ licet rarissima sit, atta„men novem ejus exemplaria in membranis ex„cusa Parisiis, in Bibliotheca Colbertina bis, „Fusquetiana, Lamoignoniana, Navarræa, Re„gia, Telleriana, Verthamonica, & Victorina, „videre mihi contigit. Extat etiam Mutinæ „in Bibliothecæ Sancti Benedicti Pandolironen„sis, ut habet Bernardus de Montfaucon *Diarii „Italici* p. 31. Bononiæ in Bibliotheca Canoni„corum Regularium Sancti Salvatoris, ut idem pag. 37. & Florentiæ in Bibliotheca S. Lauren„tii Pluteo XXVI. Codd. 1. & 2. "Aliud est „exemplar in Bibliotheca Achillis de Harley, „nuper Parisiensis Senatus Principis, quod a „præcedentibus discrepat, chartaceum enim „est: & inscriptio libri, quæ ad calcem Volu„minis ultimi legitur, alia fere est, quæ sic se ha„bet. *Præsens hoc Opusculum* (sic vocantur „duo volumina in folio magno) *artificiosa ad„inventione imprimendi seu characterisandi abs„que calami exaratione, in Civitate Moguntina sic „effigiatum; & ad Eusebiam Dei industrie per Jo„hannem Fust civem & Petrum Schoiffer de Gerns„heim Clericum Diœcesos ejusdem est consumma„tum anno Incarnationis Dominicæ M CCCC LXII „in Vigilia Assumptionis gloriosæ Virginis.*

Referuntur equidem aliæ ab aliis Scriptoribus editiones, ista Moguntina vetustiores, nempe Latinæ annorum 1450. 1458. 1459. & Germanicæ 1447. 1449. 1455. 1457. 1461. Sed illas omnes tanquam imaginarias, nec ævum impressionis designatam habentes, prorsus rejicimus; quibus eruditi, tales annos ex conjecturis tantum propria manu ad initium vel calcem operis adjecerunt, de quibus nihil certum habebant.

Hanc porro editionem Joannes Faustus & Petrus Schoiffer Moguntiæ ediderunt, & ejus exempla quasi scripta manu essent, Parisiis pretio 60. coronatorum vendiderunt. Hinc ex multitudine illorum, in suspicionem artis magicæ venerunt, donec comperto artis typographicæ artificio, sententia Parlamenti absoluti fuissent. Hæc Nicolaus Serarius *Rerum Moguntinarum* libro 1. & Joannes Albertus Fabricius libro 4. *Bibliothecæ Græcæ* cap. 5. Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Parisiensis *Bibliothecæ Sacræ* parte 1. cap. 4. Sectione 3. pag. mihi 576.

Anno 1466. *Officia Marci Tullii Ciceronis* ab iisdem Johanne Fausto & Petro de Gernsheim impressa sunt. Nam Theodorus Zwingerus testatur, Petrum Ramum vidisse *Officia Ciceronis* pergameno impressa, in quorum ultimo folio sequentia legenda conspiciebantur. *Præsens Marci Tullii clarissimum opus, Johannes Fust Moguntinus civis, non atramento, plumali canna, neque ærea, sed arte quadam perpulchra, manuque Petri de Gernsheim pueri mei feliciter effeci. Finitum anno M CCCC LXVI. quarta die mensis Februarii.* Unum exemplar in Bibliotheca Augustana, ut habet Antonius Reiserus in *Catalogo Manuscriptorum Codicum & editionum antiquarum* hujus Bibliothecæ p. 115. quem Augustæ Vindelicorum anno 1675. in 4to edendum curavit.

Anno 1468. Institutionibus Justiniani Imperatoris in membrana impressis, regia plane forma excusis, ita scriptum invenias. *Præsens Institutionum præclarum opus in alma urbe Moguntina inclytæ nationis Germanicæ, quam Dei clementia tam alti ingenii lumine, donoque cæteris terrarum nationibus præferre illustrareque dignatus est, non atramento communi, non plumali canna, neque ærea, sed artificiosa quadam adinventione imprimendi seu characterisandi sic effigiatum, & ad Eusebiam Dei industrie consummatum, per Petrum Schoyffer de Gernsheim, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo CCCC LXVIII. vicesima quarta die mensis Maji.*

Anno 1470. cum mortuus esset Johannes Faustus, Petrus de Gernsheim ejus gener artem suam typographicam continuans, edidit *Mammotrectum*, in quo voces Bibliorum perinde enucleantur. Istud autem opus est in folio velut Dictionarium quoddam. Servatur autem exemplar in Bibliotheca Collegii Navarrici Parisiis ad calcem, cujus hæc leguntur: *Explicit Mammetractus, arte imprimendi seu characterizandi absque calami exaratione effigiatus, & ad Eusebiam Dei industria per Petrum Schoiffer de Gernsheim in civitate Moguntina feliciter consummatus, anno Dominicæ incarnationis M CCCC LXX in vigilia Martini.* Cujus quidem Codicis a primis typographiæ repertoribus excusi, non meminit CL. Gabriel Naudæus in accuratissima Dissertatione, quam *de ortu typographiæ* scripsit, ad quam lectorem remittimus. Hæc Carolus du Fresne du Cange in Præfatione ad *Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis* num. 50. p. seu col. 40.

Anno 1472. idem procuravit Petrus Schoiffer, editionem *Decretorum Gratiani* Moguntiæ in ingenti folio, cujus impressionis ita meminit Stephanus Baluzius, in Præfatione ad Libros duos *de emendatione Gratiani*, ab Antonio Augustino Tarraconensi Episcopo editos, num. 26 his verbis. „ Operæ pretium est heic refer-„ re ad mentionem eorum, qui primi post typo-„ graphi-

„graphicam artem inventam, emiserunt in lu„cem istud Gratiani opus. Volumen est ma„gnæ molis, tum rarissimum, utpote cujus uni„cum exemplar hactenus viderim, quod me„cum pro amicitia nostra communicavit vir „mihi sæpe laudatus Lucas Dacherius Mona„chus Benedictinus. Erunt haud dubie, quos „delectat scire per quos prima & quo tempore „editus sit hic liber, quibus auspiciis, quibus ex„hibentibus sumptus & opera ut solebant in „initiis typographiæ hæc omnia adnotari. Sic „ergo legitur in calce hujus editionis.

Anno Incarnationis Dominicæ M CCCC LXXII. idibus Augustiis, Sanctissimo in Christo Patre ac Domino Domino Sixto Papa quarto Pontifice Maximo, Illustrissimo nobilissimæ domus Austriæ, Friderico Romanorum Rege, gloriosissimo, rerum dominis. Nobili nec non generoso Adolpho de Nassau, Archiepiscopatum gerente Moguntinensem, in nobili urbe Moguntia, quæ nostros apud majores aurea dicta, quam Divina etiam elementia, dono gratuito præ cæteris terrarum nationibus, arte impressoria dignata est illustrare, hoc præsens Gratiani Decretum, suis cum rubricis, non atramentali penna, cannave, sed arte quadam ingeniosa imprimendi, cunctipotente adspirante Deo Petrus Schoiffer de Gernsheym suis consignando scutis, feliciter consummavit.

Anno 1473. idem procuravit impressionem *Librorum V. Decretalium Gregorii IX. ac Sexti Decretalium Bonifacii VIII.* cum apparatu & glossis Moguntiæ in fol. Item *de Civitate Dei lib. XXII* divi Augustini, ibidem in folio.

Anno etiam 1474. editum ibidem est *Speculum Aureum F. Henrici Herp* seu *Harphii*, cujus inscriptio talis est. *Fratris Henrici Herp Speculum aureum decem præceptorum* Dei, opus præclarum, in nobili urbe Moguntiaca, quam imprimendi arte ingeniosa, gratuitoque dono Gloriosus Deus plus cæteris terrarum nationibus præferens illustrare dignatus est: non atramento plumali, ærea ve penna, Cannave, sed adinventione quadam perpulchra, per honorabilem virum Petrum Schoyffer de Gernsheym feliciter est consummatum, anno Dominicæ Incarnationis M CCCC LXXIV. mensis Septembris Idus quarto. Anno 1475. *Beati Bernardi Abbatis Claravallis Sermones*, Moguntiæ Charta regali in folio, per Petrum Schoiffer.

Anno 1476. apud eundem editio *Clementinarum & Extravagantium* cum apparatu & glossis Joannis Andreæ ut creditur Bononiensis Jurisconsulti, Moguntiæ in folio.

Ando 1477. edidit ibidem in folio *Decisiones Dominorum Rotæ Romanæ*. Item Rayneri de Pisis, ordinis Fratrum Prædicatorum, qui anno Domini 1410. floruit, Summa seu Nucleus Theologiæ, quæ *Pantheologia* titulo inscribitur, in duas partes distributa, procedens in materiis secundum ordinem Alphabeti, qua non solum tractat de conscientiæ casibus, sed etiam de anni materia prædicabili, & per modum prædicabilem. Moguntiæ anno 1477. in folio. Extat Psalmorum Davids Codex Latinus cum Canticis Prophetarum, impressus Moguntiæ anno M CCCC XC. in folio in Bibliotheca Isenacensi, apud Saxoniam, cujus characteres typici, ex rubris nigrisque coloribus industrie mixti, adeo recentes videntur, ac si nuper in lucem prodiissent. Litteræ initialis unius cujusque Psalmi maxima est, & variis lineis tenuibus atque ornamentis pulcherrime efformata. Notæ insuper musicæ, quamvis in quatuor tantum lineis, occurrunt adjunctæ. Ad Operis finem tanquam a primis Typographiæ inventoribus procedentis, hæc habentur. *Præsens Psalmorum Codex, venustata Capitalium decoratus, rubricationibusque ac notis sufficienter distinctus, adinventione artificiosa imprimendi ac characterisandi, absque ulla calami exaratione, in nobili civitate Moguntina, hujus artis inventrice elimatriceque prima, sic effigiatus, & ad laudem Dei ac honorem Sancti Benedicti per Petrum Schöffer de Gernsheim est consummatus, anno Domini M CCCC XC. ultima die mensis Augusti.* Ita *Acta Eruditorum Lipsiæ* ad annum M DCC X. mense Augusto p. 356. ubi mentionem Bibliothecæ publicæ Gymnasii Isenacensis faciunt.

Anno tandem M D XV. in *Breviario Historiarum* Joannis Trithenii Abbatis impresso ibidem, ita legere est.

Impressum & compleum est præsens *Chronicorum* opus anno Domini M D XV. in vigilia„ Margaretæ Virginis, in nobili famosaque urbe„ Moguntina, hujus artis impressoriæ inventri„ce prima, per Johannem Schœffer, nepotem„ quondam honesti viri *Johannis Fusth* civis Mo„guntini, memoratæ artis primi auctoris. Qui„ tandem imprimendi artem proprio ingenio„ excogitare speculareque cœpit anno Domini„cæ nativitatis M CCCC L indictione XIII.„ regnante illustrissimo Romanorum Impera„tore Friderico III. præsidente Sanctæ Mo„guntinæ sedi reverendissimo in Christo Pa„tre D. Theodorico, Pincerna de Erbach, Prin„cipe Electore. Anno autem M CCCC LII.„ (dic M CCCC LIX.) perfecit deduxitque„ eam, divina favente gratia, in opus imprimen„di: opera tamen ac multis necessariis adin„ventionibus Petri Schœffer de Gernsheim,„ ministri, suique filii adoptivi, cui etiam filiam„ suam Christianam Fusthin, pro digna laborum„ multarumque adinventionum remuneratio„ne, nuptui dedit. Retinuerunt autem hi duo„ jam prænominati Johannes Fusth & Petrus„ Schœffer hanc artem in secreto, omnibus„ ministris ac familiaribus eorum, ne illam quo„quo modo manifestarent jurejurando adstri„ctis: quoad tandem an. Dom. M CCCC LXII„ (dic M CCCC LXIV.) per quosdam familia„res, in diversas terrarum provincias divulga„ta, haud parvum sumpsit incrementum. Hæc„ de va-

de variis editionibus primorum typographiæ inventorum, a me collecta sunt ex multis Scriptoribus.

CAPUT QUARTUM.

HISTORIA ARTIS TYPOGRAPHICÆ AD MULTAS EUROPÆ URBES INVECTÆ.

Scribit recte Serarius Lib. 1. *Rerum Moguntinarum*, post annum 1462. ministros Johannis Fausti & Petri Schœffer, in varias Europæ urbes per Germaniam, Italiam, Galliamque dispersos, artem typographicam edocuisse & evulgasse: cujus rei brevem enarrationem hic dabimus.

Augustæ Vindelicorum Anno 1466. Biblia Latina Hieronymi & vulgatæ editionis impressa 2. voll. in fol. Anno 1471. Petrus Curescentinus Bononiensis, qui 1280. floruit, cujus opus *de Agricultura* seu *Ruralium Commodorum* lib. 12. ibidem in fol. Anno 1471. ibidem *Speculum vitæ humanæ*, seu *de omni statu vitæ temporalis*, & *de statu ac vita Spirituali Ecclesiasticæ ac regulari lib. 2.* ad Paulum II. Pontificem, in fol. Idem anno 1475. ibidem in fol. Anno 1488. *Opus Astrolabii plane in Tabula* Joannis Angeli gente Bavari, Mathematici insignis ibidem in 4to Anno eodem Albumasaris *Flores Astrologiæ*, seu Tractatus de magnis conjunctionibus, annorum revolutionibus ac eorum perfectionibus, cum figuris Zodiaci & Planetarum, in 4to. Item *Introductorium in Astronomiam Albumolaris*, cui accedunt ejusdem flores per Erhardum Radholt explicati, ibid. 1489. & 1495. in 4to. Claruit Albumazar anno 844. Item *Tabulæ Astronomicæ* quæ ab ipso authore Alphonsinæ dictæ sunt, ab Alfonso Rege Castellæ ac Legionis qui anno 1270. floruit, seu *Tabulæ motuum cælestium* & in eas Tabulas Johannis Saxoniensis Canones, Augustæ Vindelicorum 1488. in 4to. Ibidem 1494. Biblia Germanica, cujus interpres vulgatam editionem secutus est in folio.

Romæ anno 1468. *Libri XXII. de Civitate Dei* Sancti Augustini in fol. Ibidem anno 1468. & 1471. *Officia Marci Tullii Ciceronis* in fol. Ibidem 1469. Lucii Apuleji Madaurensis Opera in fol. Ibidem 1469. Lucanus *de bello Civili Cæsaris & Pompeji*, quem edidit & recognovit Joannes Andreas Aleriensis Episcopus, in folio Ibidem 1471. *Ovidii Metamorphoses* ex recognitione ejusdem Andreæ Aleriensis Episcopi, in fol. Ibidem 1472. Biblia cum Explicatione mystica seu morali Nicolai de Lyra, 5. voll. in fol. Ibid. 1472. Appiani Alexandrini Historici *de bellis civilibus Romanorum*, Historiarum Libro XXIV. Petro Candino interprete, in fol. Omitto innumeras alias editiones, usque ad annum 1500. illic factas.

Parisiis an. 1468. vel 1469. Martinus Crantz, Ulricus Gering & Michael Friburger ex Germania appellati a Johanne de Lapide, Sorbonæ Priore, ediderunt in ædibus Sorbonæ *Epistolas Gaspari Pergamensis*, atque alios multos libros annis sequentibus. Anno 1475. *Speculum vitæ humanæ*, Roderici Zamorensis Episcopi in fol. Anno 1476. Francisci de Platea qui 1442. floruit, Tractatus *de Restitutione usurarum & excommunicatione*, in folio.

Oxonii anno 1468. nam inter Catalogum librorum Manuscriptorum impressum, qui in potissimis Angliæ bibliothecis sunt, p. 380. in recensione Veterum editionum quæ extant in bibliotheca Joannis Mori Nordwicensis Episcopi num. 35. extat *Expositio Sancti Hieronymi* (dic *Ruffini*) *in Symbolum Apostolorum ad Papam Laurentium*, impressa Oxoniæ & finita anno 1468. in 4to. Item Oxonii anno 1479. *Ægidii de Roma Archiepiscopi Bituricensis* Opusculum *de peccato originali* in 4to. *Aristotelis Ethicorum versio Latina per Leonardum Aretinum*, Oxonii 1479. in 8vo. In eodem Catalogo Veterum editionum Joannis Mori de quo supra paragrapho seu num. 34. *Sententiosa atque studio digna Expositio venerabilis Alexandri super tertium librum de anima, impressa per me Theodoricum Rood de Colonia, in alma Universitate Oxoniensi, anno Incarnationis Divinæ 1481. in fol.*

Reutlingæ anno 1469. edita Biblia ex versione vulgata, in folio. Ibidem *Rationale Divinorum officiorum Guillelmi Duranti*, 1473. in fol. Ibid. Ruperti Abbatis Tuitiensis *de Victoria verbi Dei lib. 13.* anno 1487. in fol. Ibidem *Summa Casuum Conscientiæ*, quæ Pisanella dicitur, 1484. in folio.

Norimbergæ anno 1470. edita Summa Theologiæ quæ *Pantheologia* dicitur Raynerii de Pisis ordine Prædicatorum, item & ibid. 1474. tribus tomis in fol. Item anno 1475. Biblia Latina vulgatæ versionis in fol. Item 1479. & 1484. ibidem, & 1477. Ibid. Biblia Germanica cum figuris ligno incisis, 1483. in fol. Ibidem *Summa Theologica* S. Antonini Florentiæ Archiepiscopi, in IV. partes divisa, totidemque voll. anno 1478. Ejusdem *Opus Historicum & Chronicum*, ibidem tomis 3. in fol. 1484. Ibidem *Summa Theologica* Alexandri de Hales, constans quatuor partibus, anno 1482. in fol. Ibidem Opera Alexandri ab Alexandro Neapolitani Jurisconsulti, anno 1484. in folio. Ibidem S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi *Opera & Tractatus*, 1491. in folio.

Venetiis anno 1470. *Marci Tullii Ciceronis Epistolæ* ad Brutum, editæ in fol. Ibidem S. Augustini *de Civitate Dei Libri XXII.* impressi annis 1470. & 1475. in fol. Ibidem *D. Hieronymi Stridoniensis Presbyteri Epistolæ*, ex recensione Johannis Andreæ Aleviensis, Episcopi, anno 1470. in fol. Ibidem *C. Plinii secundi Historiæ Naturalis Libri XXXVII.* ex recensione ejusdem Episcopi, anno 1472. in fol. Ibidem Leonardi Aretini *Historia sui temporis*, anno 1475. in fol. Ibid. Biblia Latina D. Hieronymi & vulgatæ editionis,

ditionis, anno 1470.2. voluminibus in fol. Ibidem Appiani Alexandrini Historici *de bellis civilibus Romanorum*, Historiarum lib. XXIV. Petro Candido interprete anno 1477. & 1492. in fol. Ibid. Asconii Pediani & Antonii Lusci Vicentini *Commentarii in varias Marci Tullii Ciceronis Orationes*, prodierunt anno 1477. in fol. Ibidem Petri de Argeliata Bononiensis Medici, qui anno 1391, claruit, *De Chirurgia Libri sex*, annis 1450. 1492. 1497. in fol. Ibidem Abdilazi Alchabitii *Isagoge ad Astrologiam*, seu *Isagoge ad Magisterium Judiciorum Astrorum, & de Planetarum conjunctionibus* Liber, quem Joannes Hispalensis interpretatus est, cum Expositione Joannis de Saxonia, anno 1485. in 4. & 1491. ibidem. *Alberti Magni compendium Theologicæ veritatis*, ibidem anno 1485. Ibidem Alexandri Aphrodisæi Philosophi *Problemata per Georgium Vallam translata*, anno 1488. in fol. Ejusdem *De causis febrium*, eodem Valla interprete, ibidem 1498. in fol. Ibidem *Valerius Maximus*, quem interpretatus est Olivarius Arziganensis, addito Commentario, quem edidit ibidem annis 1488. & 1494. in fol. Ibidem *Libri XXII. Augustini de civitate Dei* cum Commentario Thomæ Valois, qui vulgo Sallensis seu Gualensis & Anglicus dicitur, & altero Nicolai Triveth, anno 1489. in fol. Ibidem Almansoris Astrologi *Astrologicæ Propositiones 150. Saracenorum Regi inscriptæ & dedicatæ*, vel ut ipse titulus habet, *Judicia seu Propositiones sive Capitula stellarum 150. oblata Regi Magno Saracenorum*, quæ Plato Tyburtinus ex Arabico sermone in Latinum transtulit, cum Quadripartito extant Ptolomæi, anno 1493. in fol. Ibidem Alphonsi Regis Castellæ & Legionis *Tabulæ Astronomicæ*, & in eas tabulas Canones Johannis de Saxonia, anno 1492. in 4. In hac eadem urbe Aldus Manutius Italicum characterem invenit, ibique characteribus tum Græcis tum Hebræis imprimere incœpit, circa annum 1495. Nam Apollonii Alexandrini Grammatici cognomento Dyscoli, *De constructione seu Syntaxi verborum Libri IV.* Græce editi Venetiis 1495. in fol. Item ibidem Aristotelis Stagiritæ Philosophi *Opera omnia*, Græce per Aldum Manutium edita annis 1495. & 1496. in fol. Nulla urbs in Europa, quæ in hoc typographiæ primo seculo tantam authorum multitudinem prælo commiserit, quam Venetiæ, quoad Græcos Scriptores præsertim

Tarvisii anno 1469. Franciscus Columna sub nomine Polyphili *Hypnerotomachiam*, seu nihil esse nisi Somnium in fol. Ibidem Quinti Æmiliani Cimbriaci Poetæ Carmen elegantissimum in Petri Hodi Anterotica ad Cupidinem, quod cum Opere ipso extat.

Coloniæ anno 1471. excusæ sunt in 4. lucubrationes quædam Rudolphi Agricolæ Frisii, Latine, Græce & Hebraice doctissimi. Ibidem annis 1478. & 1480. Biblia cum Explicatione mystica seu morali Nicolai Lirani, 7. voll. in fol. Ibidem *Fasciculus temporum*, omnium antiquorum Chronica, complectens per Carthusiensem quendam, annis 1480. & 1482. item Germanice ibidem 1481. in fol. Ibidem anno 1483. Bartholomæi Anglici *De proprietatibus rerum Libri XVIII.* in fol. Ibidem anno 1485. *Speculum magnum Exemplorum*, ex diversis libris in unum laboriose collectum, in fol. Henricus Quentel illic typographus.

Mediolani anno 1469. Aratoris Subdiaconi Cardinalis *Sacra Poesis* in 4. Ibidem *Vita & Fabulæ Æsopi* per Rimitium in Latinum versæ, in 4. Ibidem *Psalterium Græce & Latine*, editum a Joanne Placentino Belga, Ord. Carmelitarum 1481. in fol. Ibidem anno 1482. Bartholomæi de Chaimis *Interrogatorium* seu *Confessionale*. Ibidem 1492. *Commentarius super sextum Decretalium* Joannis de Anania Bononiensis Jurisconsulti. Item ibidem 1497. *Commentarius super V. Libros Decretalium.* Ibidem anno 1497. Jacobi de Cessalis Lombardi Ordinis Prædicatorum, *De ludo Schaccorum*, sive *De moribus hominum officiisque Nobilium*, Liber cum Commentario in parvo folio.

Argentorati anno 1471. editæ Constitutiones Clementis V. quæ vulgo ab ipso Clementinæ dicuntur, cum Apparatu Johannis Andreæ, in fol. Ibidem 1471. editum Decretum Grotiani ab Henrico Eggestin, in fol. Ibidem 1484. Francisci Accursii Jurisconsulti, qui anno 1256. floruit, *Casus longi super V. Libros Decretalium, & Casus summarii sexti Decretalium*, in folio. Ibidem 1485. Ejusdem *Casus breves super sextum Decretalium & Clementinas*, in folio. Ibidem 1488. *Speculum magnum Exemplorum*, in fol. Ibidem anno 1490. Petri de Alliaco Cardinalis & Episcopi Cameracensis *Quæstiones in IV. libros Sententiarum* cum aliis ejusdem Opusculis in fol. Item *Sermones & Tractatus Theologici* ejusdem extant Joannis de Turrecremata *Quæstionibus quodlibeticis*, ibidem 1490. in fol. Ejusdem *Expositio super Cantica Canticorum*, ibidem 1490. Ibidem anno 1492. & 1499. *Confessionale* Antonini Florentiæ Archiepiscopi, seu *Decretorium Confessorum*, in 4. Ibidem anno 1496. ejusdem *Summa Theologiæ* 4. voluminibus in fol. Atque alia plurima, quæ hic omittuntur.

CAPUT QUINTUM.

ALIÆ CIVITATES RECENSENTUR, QUÆ TYPOGRAPHIAS HABUERUNT.

Lovanii anno 1473. Petri Crescentini Bononiensis, qui anno 1280. claruit, opus *de Agricultura* seu *Ruralibus commodis* Lib. 12. in fol. Ibidem 1474. *Fasciculus temporum Werneri Rollevinck*, Belgice & Latine 1476. in fol. Ibidem anno 1479. Æneæ Sylvii Piccolominæi Senensis Opusculum *de duobus amantibus Euriolo & Lucretia*, in 4. Ibidem 1483. Æneæ Sylvii *Epistolæ*

Epistolæ atque Orationes. Ibidem 1485. Alberiani Causidici Brixiensis Liber *de doctrina dicendi & tacendi*, in 4. Ibidem 1487. Petri de Alliaco Cameracensis Episcopi *Liber Sacramentalis*, in 4. Illic typographus Johannes de Westphalia.

Mantuæ anno 1473 Petri de Abano seu Apono, qui vulgo *Conciliator* dicitur, *Tractatus de Venenis*, in 4. Ibidem anno 1479. Alberti Magni *de Animalibus* Lib. XXVI. in folio, atque alia annis sequentibus. Eodem 1479. *Historia Ecclesiastica Eusebii Pamphili*, Ruffino interprete, ibidem in fol.

Patavii seu Paduæ anno 1473. Francisci de Platea, qui anno 1442. claruit, Liber *de Censura Ecclesiastica*, & alius *De usuris*, impressi sunt in fol. Ibidem 1473. *Le Roman de Charlemagne & de Guerin & Italien*, in folio. Ibidem 1474. *Physionomia* Petri de Apono. Ibidem 1482. *Expositio in Librum Problematum Aristotelis*. Ibidem 1490. Ejusdem *Conciliatio differentiarum 209. Philosophorum & præcipue Medicorum*, cum Catalogo differentiarum in calce Operis, in fol. Illic typographus Petrus Manfert, natione Gallus.

Ulmæ anno 1473. *Chronicon universale*, Germanice in fol. Ibidem anno 1474. Alvari Pelagii Hispani Summa *de planctu Ecclesiæ Christianæ*, in fol.

Ultrajecti anno 1473. Historia Scholastica *de vita Christi & Apostolorum*, ex Scriptura Sacra & aliis, cum additionibus ex incidentiis, in fol. Ibidem anno 1480. Fasciculus temporum Verneri Rollevinck in Belgicam linguam translatus, in fol.

Ferrariæ anno 1474. *Animadversiones in Commentarios C. Julii Cæsaris*, Boni Accursii Pisani, in 4.

Basileæ anno 1475. apud Johannem Amerbachium & Johannem Frobenium, socios in typographia, Opuscula Divi Augustini impressa sunt. Ibidem anno 1478. *Constitutiones Clementis Papæ V. cum Apparatu Joannis Andreæ*, in fol. Anno 1479. Francisci Accursii *Casus longi super V. Libros Decretalium*, & *Casus summarii in sextum Decretalium*, in fol. Ibidem 1492. omnia *S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi* Opera, 3 tomis seu partibus, excusa sunt in fol. Ibidem anno 1486. Joannis Andreæ *super Libros VI. Decretalium* Commentarius, in fol. Ibidem anno 1491. *Opus Historicum & Chronicum* S. Antonini Florentini Archiepiscopi, emendatum & illustratum annotationibus per Joannem de Gradibus, 3. tomis in fol. Anno 1498. Biblia cum Explicatione mystica seu morali Nicolai de Lira, 7. voluminibus in fol. Denique omnia ferme Patrum Opera, ex editione Basileensi in lucem prodierunt.

Lubecæ anno 1475. *Chronicon Chronicorum* cum *Calendario seu Martyrologio* prodiit in fol. Opus, quod vulgo dicitur *Fasciculus temporum* Verneri Rollevinck, Carthusiani Coloniensis, sed absque nomine auctoris. Ad calcem hujus Operis, Lucas Brandis de Schulz typographus, falso & arroganter se primum typographiæ inventorem gloriatur ac scribit. Opus quoque istud appellatur in fine *Rudimentum Novitiorum*, de quo loquitur Cornelius a Beughem *De incunabulis typographiæ* verbo *Fasciculus temporum* pag. 58. *Vernerus Rollevinck* pag. 120. in Appendice littera C. p. 155. & littera R. p. 164.

Daventriæ annno 1475. *Historia de B. Mariæ Virginis assumptione* in 4. Ibidem anno 1480. Speculum Exemplorum in 4. apud Richardum Pafraed. Ibidem anno 1490. *Æsopi Fabulæ* Latino carmine, cum Commentario. Item 1490. Albertani Brixiensis Causidici, qui anno 1240. floruit, Liber *de doctrina dicendi & tacendi*, ad suorum filiorum institutionem scriptus, in 4. Ibidem 1479. *Legenda aurea* Jacobi de Voragine, in fol.

Neapoli anno 1475. editus est Libellus authoris incerti *De Thermis Puteolanis & vicinis in Italia* a Francisco de Accoltis Aretino Jurisconsulto & Philosopho, quem reperit, & publicatum Pio Pont. Max. dedicavit. Anno 1478. Confessionale Sancti Antonini, seu ut alii volunt Antonii, Florentiæ Archiepiscopi, Italice redditum, ibidem in 4. Anno eodem Psalterium secundum stylum Romanæ curiæ in 4. Item *Processus & inquisitio Principum Neapolitanorum, qui contra Ferdinandum Regem conjurarunt*, Gallice Neapoli 1487. in 4. & Latine ibidem 1488. in 4.

Rothomagi anno 1476. Petrus Manser, antea Patavii typographus, Libros V. *de lapidibus mineralibus* Alberti Magni edidit.

Bruxellis anno 1476. Arnoldi Roterodami Belgæ *Gnotosolitos* sive *Speculum Conscientiarum* in fol. & 1489. in fol.

Florentiæ anno 1477. Alphonsi Archiepiscopi Toletani *Quæstiones in Libros Aristotelis de Anima*. Ibidem 1479. Leonardi Aretini *Historia Florentina* Italice in fol. Ibidem 1480. *Phalerydis Tyranni Epistolæ*, ex Græco conversæ per Leonardum Aretinum in 3. & 1491. in 4. Ibidem 1485. Leonis Baptistæ Alberti Florentini Architecti, *de Architectura* seu *de reædificatoria Lib. X.* in fol. Ibidem 1487. Leonardus Aretinus *Diogenis Cynici Epistolas* Latinas fecit, Florentiæ excusas.

Delphis anno 1477. *Biblia Belgica* in fol. Ibidem *Postilla antiqua* in fol. Ibidem 1497. *Prosodia* seu *de Accentibus Syllabarum*, in 4.

Cusentiæ anno 1478. *Discours de la grandeur de Dieu en vers Italiens* in 4. Ibidem 1478. *de immortalitate animæ in modum Dialogi*, Italice in 4.

Goudæ anno 1479. *Biblia Belgica* cum figuris, in fol. Ibidem 1484. *Statuta Episcoporum Ultrajectinorum*, quæ collegit & edidit Hildebrandus Gofredus Frisius Theologus & Pastor Husumensis, qui ditionis Leovardiensis pagus

 est,

eft, in 4. Ibid. 1484. *Dialogus Creaturarum*, Liber factus Belgice cum fig. Ibid. *Quodlibetum de veritate fraternitatis Rofarum*, feu *Pfalterii B. Mariæ Virginis*, Belgice 1484. in8.

Lugduni anno 1478. *Pandecta Medicinæ* Matthæi Silvatici, five *Hiftoria omnium rerum naturalium & plantarum* ordine alphabetico, Roberto Rege Siciliæ infcripta, edita cura Angeli Catonis de Benevento, Philofophi & Medici, in fol. Ibid. 1484. *Opus Hiftoricum & Chronicum* S. Antonini Florentiæ Archiepifcopi, in fol. Ibid. 1488. *Decreta Bafilicalia, quæ Pragmatica appellantur*, in fol. Ibid. 1487. *Meditations fur la grande vie de Jefus Chrift*, in fol. Ibid. 1491. Bartholomæi Anglici *de proprietatibus rerum Lib. 18.* Gallice translati per Joh. Corbichon in fol.

Genevæ anno 1478. Francifci Ximenii Tractatus *de natura Angelica*, in fol. Ibid. 1442. *Le livre d'Olivier de Caftille & Artus d'Algarbe* in fol. Ibid. 1490. *Paffionale Chrifti cum Hiftoria deftructionis Hierofolymorum*, Gallice cum fig.

Genuæ anno 1480. Joannes Annius Viterbienfis *de futuris triumphis contra Saracenos* edidit, qui Romæ temporibus Alexandri VI. Pontificis obiit.

Spiræ anno 1480. editi *Commentarii in IV. Libros Sententiarum* Petri de Aquila, dicti Scotelli, Ordinis Minorum, in fol.

Bononiæ anno 1481. editus Francifci Aretini *Commentarius fuper fecundum Decretalium*, in fol. Ibid. 1481. Opufculum *de fingulari puritate conceptionis Chrifti, & de conceptione Mariæ in peccato*, Vincentii Bandelli, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Londini anno 1482. editum Polychronicon Ranulphi Higdeni in linguam Anglicam verfum, atque ad annum 1460. continuatum a Guillelmo Coxtono, qui fub Edwardo IV. Rege Anglorum floruit, primusque omnium artem typographicam Angliæ intuliffe dicitur, ab Henrico Warthon in Continuatione Hiftoriæ literariæ Guillelmi Cavi ad annum 1357. in *Ranulpho Higdeno* pag. 38.

Brixiæ anno 1482. *Commentarius in Ethicam Ariftotelis* Gerardi Odonis, Ordinis Fratrum Minorum, qui anno 1330. claruit, editus per Gratium Brixianum.

Papiæ anno 1483. Joannis Andreæ Jurifconfulti Bononienfis *Quæftiones Mercuriales fuper Regulas Juris*, & 1495.

Memmingæ anno 1483. *Tractatus de arte prædicandi*, collectus ex S. Thoma Aquinate. Ibid. 1484. *Confeffionale*, feu *Directorium fimplicium Confefforum* S. Antonini Florentiæ Archiepifcopi.

Lipfiæ anno 1484. Albicii Archiepifcopi Pragenfis *Praxis Medendi, Regimen Sanitatis, Regimen Peftilentiæ*, in 4. Ibid. 1487. *Speculum Patientiæ*, Germanice. Ibid. 1491. Alberti Brixienfis Caufidici Liber *de doctrina dicendi atque tacendi*, in 4. Ibid. 1493. *Authentica habita Imperatoris Friderici cum Repetitionibus*, in fol. Ibid. 1497. *Legenda Sancta Annæ aviæ Chrifti*, in 4.

Antwerpiæ anno 1485. Albertani Brixienfis Caufidici *de doctrina dicendi & tacendi Liber*, ad inftructionem filiorum fuorum fcriptus, in 4.

Harlemi anno 1485. Bartholomæi Anglici, anno 1360. claruit, *de proprietatibus rerum* Lib. 18. Belgice translati, in fol.

Arimini anno 1486. Rabbi Jofeph Albo *Arbor plantata* Hebraice, eftq; Liber fundamentorum Judaicæ religionis contra Chriftianos, in 4.

Meffanæ anno 1486. *Hiftoria præliorum Alexandri Magni Regis Macedonum*, in fol.

Abbavillæ anno 1486. Divi Auguftini *de Civitate Dei Libri XXII.* in Gallicam linguam translati per R. de Præftis, in fol.

Swollis anno 1490. *Paffionale Sanctorum, qui in Martyrologio*, in linguam Batavicam translatum, 2. voll. in fol. Ibid. 1499. *Æfopi fabulæ*, per Laurentium Vallam Latine redditæ, quæ cum Bartholomæi Coronienfis *Epiftola Mythologica*, & *Hefiodi Georgica* Latine prodierunt Zwollis in fol.

Hamburgi anno 1491. *Laudes B. Mariæ Virginis* in majori fol.

Hagenoæ anno 1493. *Hymnorum expofitio cum Commentario notabili*, in fol.


Veronæ ao. 1493. Alfragani Arabis Aftrologi, qui anno Chrifti 883. vixit, *Introductio Aftronomica*, continens omnia Aftronomiæ rudimenta.

Friburgi anno 1494. Divi Auguftini Libri *de Civitate Dei XXII.* cum Commentario Thomæ Vallenfis feu Gualenfis, & Nicolai Triveth Anglorum, in fol.

Vincentiæ anno 1498. *Lucii Apuleji Madaurenfis Philofophi*, qui fub Antonino Imp. & Marco Aurelio floruit, Opera, in fol. Hæc fummatim de urbibus, quæ primo typographiæ Seculo ea ufæ funt, quarum plures prætermifi, in quibus ars ifta non multum promota eft.

Atque hæc de Typographia nobis fuggefferunt colligenda Adrianus Junius in *Hiftoria Batavica* cap. 17. Nicolaus Serrarius Theologus Soc. Jefu Lib. 1. *Rerum Moguntinarum*. Bernardus a Mallincrot, Monafterienfis Ecclefiæ Decanus, qui Tractatum *de ortu & progreffu artis typographicæ* edidit, Colon. in 4. circa annum 1639. editum. Gabriel Nauderus, natione Gallus, profeffione Medicus, qui fub ementito nomine Jacobi Montelii anno 1650. Parifiis in 4. edidit quoque Differtationem accuratiffimam *de ortu typographiæ*, ut teftatur Dominus du Cange in Præfatione ad Gloffarium mediæ & infimæ Latinitatis, num. 50. Paulus Freherus in *Theatro virorum eruditione clarorum* parte 4. ad annum 1440. pag. 1424. Denique Cornelius a Beughem Embricenfis, qui fcripfit opufculum *de incunabulis typographiæ*, feu Catalogum Librorum proximis ab inventione Typographiæ annis, ad annum Chrifti M D. inclufive impreffiorum, quod editum Amftelodami anno 1688.

INDEX



INDEX AVTORVM
SECVNDVM EORVNDEM NOMINA, PATRIAS, DIGNITATES AC ÆTATES.

T. notat Tomum, & C. Columnam.

Agnel-

Ana-

Arlo-

B.

Baro

liricæ Monachus, ex vico Birchington in insula Taneto oriundus, vixit Sec. XIV. an. 1370. T. III. c. 1153.

de *Biterris* (*Amalricus Augerii*) S. Mariæ de Aspirano Prior, ordinis D. Augustini, Elnensis Diœceseos, clarus Sec. XIV. anno 1360. T. III. c. 1078.

de *Blarrorivo* (*Petrus*) Parisiensis, Poeta celebris Sec. XV. anno 1460. T. III. c. 2674.

Blastares (*Matthæus*) jurisperitus Græcus & Hieromonachus seu Monachus Sacerdos, vixit Sec. XIV. anno 1330. T. III. c. 828.

Blanvagn (*Michael*) natione Anglus, Poeta perclarus Sec. XIII. anno 1250. T. III. c. 441.

Blemmydas (*Nicephorus*) Monachus & Presbyter Monasterii in Emathiis, inter Græcos Ascetas celebris Sec. XIII. anno 1240. T. III. c. 221.

Bockingus (*Radulfus*) ex ordine fratrum Prædicatorum, natione Anglus, patria Cicestrensis claruit Sec. XIII. anno 1260. T. III. c. 498.

Boëtius (*Petrus*) natione Gallus, patria Narbonensis, ordinis S. Benedicti, oebevetanus Episcopus, Theologus ac jurisconsultus celebris, Sec. XIV. anno 1360. T. III. c. 1123.

Boetius Valfinus, Pictaviensis in Gallia Episcopus, vixit Sec. IX. anno 830. T. II. c. 46.

Bohick (*Henricus*) gente Armoricus, ex Diœcesi Leonensi, Juris utriusque Doctor clarissimus, Sec. XIV. anno 1390. T. III. c. 1251.

de *Boldenslove* (*Guillelmus* (seu *Otto* de *Rienburz* natione Germanus, ordinis fratrum Prædicatorum in conventu Mindensi clarus Sec. XIV. anno 1340. T. III. c. 960.

S. *Bonaventura*, *Johannes* in Baptismo dictus, paterno cognomento vero *Fidantius*, a Græcis in Lugdunensi Concilio Eutychio vel Eustadius appellatus, natus Balneoregii in pontificia ditione, præpositus Generalis fratrum Minorum, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & sextus Ecclesiæ ejusdem Doctor clarus Sec. XIII. anno 1250. T. III. c. 372. ubi integra de eo Dissertatio.

de *Bondelmontibus* (*Christophorus*) natione Italus, patria Florentinus, presbyter, Geographus & Hydographus percelebris Sec. XV. anno 1420. T. III. 2331.

Bonagratia, natione Italus, ordinis fratrum Minorum, celebris Sec. XIV. anno 1330. T. III. c. 888.

Bonet (*Honoratus*) natione Gallus ex Provincia ortus, Prior Carthusiæ Gallionensis in Rothomagensi Archiepiscopatu, vixit Sec. XIV. anno 1390. T. III. c. 1271.

de *Bononia* (*Michael*) *Aygrianus* seu *Aiguanus* dictus ordinis fratrum Carmelitarum, natione Italus, Theologus clarus Sec. XIV. anno 1350. T. III. c. 1025.

Bonifacius, antea *Winfridus* dictus natione Anglus, Apostolus Thuringorum & Archiepiscopus Moguntinus, claruit Sec. VIII. 740. T. I. c. 1788.

Bonizo, Sutrii ac Placentiæ Episcopus clarus Sec. XI. anno 1080. T. II. c. 736.

Boraston seu *Burneston* (*Simon*) natione Anglus, ordinis fratrum Minorum provincialis Minister, clarus Sec. XIV. anno 1330. T. III. c. 872.

de *Borbonis* seu *Bellavilla* (*Stephanus*) ordinis featrum Prædicatorum, natione Gallus, clarus Sec. XIII. anno 1250. T. III. c. 239.

Bossius (*Matthæus*) Veronensis, Canonicus Regularis ordinis D. Augustini & postmodum Abbas Fesularum juxta Florentiam, clarus Sec. XV. anno 1460. T. III. c. 2717.

de *Bosham* (*Heribertus*) Secretarius Thomæ Becketi, natione Anglus, clarus Sec. XII. anno 1170. T. II. c. 1516.

Bossutus (*Gosvvinus*) Monachus & Cantor olim Abbatiæ Villariensis, ordinis Cisterciensis in Brabantia prope Gemblacum scripsit Sec. XIII. anno 1230. T. III. c. 106.

Bostonus Buriensis, natione Anglus, in Comitatu Sudovolgiorum, Monachus Abbatiæ S. Eduardi Buriensis, ordinis D. Benedicti, clarus Sec. XIV. anno 1400. T. III. c. 2215.

Botherus (*Nicolaus*) natione Gallus, ordinis fratrum Prædicatorum clarus Sec XV. anno 1440. T. III. c. 2468.

Botoner s. *Wircester* aut *Worcester* (*Guillelmus*) natione Anglus, vir pereruditus Sec. XV. anno 1460. T. III. c. 2612.

Bradwardinus (*Thomas*) Cantuariensis Archiepiscopus, ordinis fratrum Minorum clarus Sec. XIV. anno 1340. T. III. c. 939.

Bracellus (*Jacobus*) Genuensis, vir pereruditus, Sec. XV. anno 1440. T. III. c. 2454.

de *Braco* (*Petrus*) natione Italus, patria Placentinus, Decretorum Doctor, vixit circiter Sec. XIV. anno 1380. T. III. c. 1219.

Brando (*Johannes*) natione Flander, ex pago Hontenessa, territorii Hulstensis, Monachus Abbatiæ B. Mariæ de Dunis, Ordinis Cisterciensis juxta Furnas in Flandria, SS. Theologiæ Doctor Parisiensis, clarus Sec. XV. anno 1410. T. III. c. 2301.

Bravonius (*Senatus*) natione Anglus, scripsit Sec. XII. anno 1180. T. II. c. 1579.

Bravonius (*Florentius*) Monachus Vigorniensis, natione Anglus, vixit Sec. XII. anno 1110. T. II. c. 1011.

Breviscoxa, Gallice *Courtecuisse* (*Johannes*) Gebennensis Episcopus, in agro Cenomannorum pagoque Halena natus, vixit Sec. XV. anno 1410. T. III. c. 2257.

Brevianus (*Guillelmus*) natione Anglus scripsit Sec. XV. anno 1460. T. III. c. 2678.

a *Breitenbach* (*Bernardus*) natione Germanus, Camerarius & Decanus Ecclesiæ Moguntinæ, clarus Sec. XV. anno 1460. T. III. c. 2733.

Briennius (*Josephus*) Monachus Græcus, floruit Sec. XV. anno 1410. T. III. c. 2252.

S. *Brigitta*, Sueciæ Princeps Birgeri & Sigridis filia, Wulphonis Nericiæ Principis uxor, claruit Sec. XIV. anno 1360. T. III. c. 1098.

Britwaldus, natione Anglus, Archiepiscopus Cantuariensis floruit Sec. VIII. anno 720. T. I. c. 1676.

Bridferthus, Saxonicus Sacerdos, vixit Sec. X. anno 1000. T. II. c. 522.

Brita (*Guillelmus*) Presbyter, poeta per celebris Sec. XIII. anno 1220. T. II. c. 1724.

Brito (*Guillielmus*) natione Anglus, in Cambria natus, Theologus clarus Sec. XIV anno 1350. T. III. c. 1018.

Bryennius (*Nicephorus*) Imperii Cæsar floruit Sec. XII. anno 1130. T. II. c. 1126.

de *Briensome* (*Gerardus*) aliis & *Guido* dictus, natione Gallus, ordinis fratrum Minorum, Doctor Parisiensis, clarus Sec. XV. anno 1250. T. III. c. 2561.

Bromiardus (*Joannes*) natione Anglus, patria Herefordiensis, ordinis fratrum Prædicatorum, Theologiæ & Juris Doctor, clarus Sec. XIV. anno 1380. T. III. c. 1120.

Brompton (*Johannes*) Abbas Jorvallensis, ordinis Cisterciensis, clarus Sec. XII. anno 1190. T. II. c. 1680.

Brocardus, vel *Burcardus de Monte Sion*, Argentinensis, ordinis featrum Prædicatorum, clarus Sec. XIII. anno 1280. T. III. c. 589.

Brugmanaas (*Johannes*) Belga ordinis fratrum Minorum Theologus, & in Audomaropolitano conventu Professor, clarus Sec. XV. anno 1450. T. III. c. 2563.

Bruno, Germanus Monachus, ordinis D. Benedicti, scripsit Sec. XI. anno 1070. T. II. c. 731.

Bruno quidam vixit circiter Sec. XII. anno 1110. T. II. c. 918.

Brunus s. *Aretinus* (*Leonardus*) vir in græcis & latinis versatissimus, Innocentii VII. Pontificis Magister Epistolarum, Historicus clarus Sec. XV. anno 1430. T. III. c. 2386.

Brulifer (*Stephanus*) natione Gallus, patria Maclaviensis, Doctor Parisiensis, ordinis fratrum Minorum, clarus Sec. XV. anno 1460. T. III. c. 2619.

Buckius (*Leonardus*) Oostervvicanus, ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini apud Corsendonck juxta Torhout, vixit Sec. XV. anno 1450. T. III. c. 2567.

Burchardus, Wormatiensis Episcopus, Germanus, patria Hassus, antea Loby in Belgio Monachus, vixit Sec. X. anno 1000. T. III. c. 521.

Burgundio (*Johannes*) Civis Pisanus, clarus Sec. XII. anno 1150. T. II. c. 1296.

Burgensis seu de *Burgo* (*Johannes*) natione Anglus, SS. Theologiæ Doctor & Academiæ Cantabrigiensis Cancellarius, clarus Sec. XIV. anno 1370. T. III. c. 1153.

Buriensis s. *Tauston* (*Johannes*) natione Anglus, ordinis D. Benedicti Monachus in Cœnobio S. Edmundi, alias Buriensi

C.

Ca-

Co-

D.

Ppp pp

Din-

E.

Emo,

F.

G.

Gui-

H.

I.

 Joan-

M.

Man-

N.

O.

Odo,

Pico-

Q.


R.

S.

Schrest-

Sul-

Udal-




LEGATORIA DI LIBRI
F.LLI FORNARA-VIGLIANI
TORINO
Via Juvara

